S.B.



ADAMS 16.5

L. 3. 14



C. SVETONIVS TRANQVILLVS

ex Recenſione

Joannis Georgii Graevii,

et cum ejusdem Animadverſionibus;

nec non cum Notis

Laevini Torrentii, Iſaaci Caſauboni, Theodori Marcilii, Caroli Patini & Aliorum.

TRAJECTI AD RHENUM

Ex Officina ANTHONII SCHOUTEN. CIↃ IↃ CC III.

C. SUETONIUS TRANQUILLUS

EX RECENSIONE

JOANNIS GEORGII GRAEVII

CUM EJUSDEM

ANIMADVERSIONIBUS,

UT ET

COMMENTARIO INTEGRO

LAEVINI TORRENTII, ISAACI CASAUBONI, THEODORI MARCILII,

ET CUM NOTIS AC NUMISMATIBUS, QUIBUS ILLUSTRATUS

EST A

CAROLO PATINO

ACCEDUNT NOTAE

SELECTIORES ALIORUM,

Editio tertia auctior & emendatior.

TRAJECTI AD RHENUM,

Apud GUILIELMUM à POOLSUM, Bibliopolam. 1708.

Cum Privilegio.

ADAMS/60.5

PRIVILEGIE.

DE STATEN VAN HOLLAND ENDE WEST-VRIESLAND doen te weten. Alzoo ons vertoond is by *Johannes van Velſen*, Boekverkooper op de groote Zaal van onſen Hove alhier in den Hage; hoe dat hy Suppl. beſig was met het drukken van de *Opera Suetonii Tranquilli de vitis duodecim Imperatorum Romanorum, cum notis integris Torrentii, & Iſaaci Caſauboni itemque Theodori Marcilii, tum præterea cum notis variorum eruditorum Virorum, Beroaldi, Salmaſii, Boxhornii, Schildii, Bernecceri, Gruteri, Gronovii, Goeſii &c. ex recenſione V. Cl. Johannis Georgii Grævii, Hiſtoriarum Profeſſoris in Academia Trajectina & cum animadverſionibus ejuſdem pluſquam dimidia parte auctioribus, interpoſitis quoque notis Wilhelmi Coetier, cum Indice Bernecceri: accedunt etiam huic editioni Imperatorum Romanorum icones, numiſmata, & varia antiquitatis monumenta, atque Inſcriptiones rariſſimæ, editione ſecunda in quarto.* Welk Boek den Suppl. met groote moeyten en koſten heeft by der hand genomen en onder de Pers gebragt. Dan bedugt zijnde, dat ongetwijffeld, d'een of d'ander genegen ſoude weſen, uyt baatſoekentheid, tot zijn Suppl. groote ſchaade, het ſelve werk na te drukken, in 't groot ofte in 't klein, in 't geheel ofte ten deel. Zoo was hy Suppl. te rade geworden hem te addreſſeren aan Ons, ootmoedelijk verſoekende, dat het Onſe goede geliefte zijn mogte hem Suppl. te verleenen ſpeciaal Octroy, om het ſelve werk, met ſecluſie van allen anderen, in Onſe Landen, geduurende den tijd van vijftien eerſtkomende jaren, alleen te mogen drukken in ſoodanigen formaat als hy Suppl. zoude goedvinden; 't zy met de Noten van gemelde Profeſſor Grævius, nevens de Noten van Torrentius, Caſaubonus en van de andere bovengemelde Geleerde Mannen t'zamengevoegd, in forma als hier bovengeſteld: of 't zy met de Noten van de voorn. Profeſſor Grævius alleen, na des Suppl. welgevallen: met verbod; dat niemand anders, geduurende den voorſz. tijd, het ſelve Boek in 't geheel, of ten deele met de Noten van meergemelden Profeſſor Grævius alleen, of met de Noten van Torrentius, Caſaubonus, ende andere Commentatores zamen gevoegd, in Onſen Lande zal mogen drukken, ofte elders nagedrukt zijnde, binnen den zelven Onſen Lande inbrengen, verruylen of verkoopen, op zoodanige groote pœne tegen de Contraventeurs te ſtatueren, als Wy zouden goedvinden. ZOO IST; Dat Wy de zake en verzoek voorſz. overgemerkt hebbende, ende genegen wezende ter bede van den Suppl. uyt Onſe regte Wetenſchap, Souveraine magt ende Authoriteit, den ſelven Suppl. geconſenteerd, geaccordeerd, ende geoctroyeerd hebben, Conſenteeren, Accordeeren ende Octroyeren by deſen; dat hy geduurende den tijd van vijftien eerſtkoomende en achter een-volgende jaren het gemelde Boek, geïntituleerd als boven, alleen zal mogen drukken, doen drukken, uytgeven en verkoopen. Verbiedende daarom allen ende eenen ygelijcken het ſelve Boek in 't geheel of ten deel, in 't groot of in 't klein, met de Noten van de Profeſſor Grævius alleen, of met de Noten van Torrentius, Caſaubonus ende andere Commentatores, zamen gevoegd, na te drukken, ofte elders nagedrukt binnen den voorn. Onſen Lande te brengen, uyt te geven ofte te verkoopen, op verbeurte van alle nagedrukte, ingebragte, of verkogte Exemplaren, ende een Boete van drie honderd Guldens daar-en-boven te verbeuren: te appliceren een derde-part voor den Officier die de calange doen zal, een derde-part voor de Armen der plaatſe daar het caſus voorvallen zal, ende het reſteerende derde-part voor den Suppl.: alles in dien verſtande; dat Wy den Suppl. met deſen Onſen Octroye alleen willende gratificeren tot verhoedinge van zijne ſchade door het nadrukken van 't voorſz. Boek daar door in geenigen deele verſtaan, den innehouden van dien te authoriſeren ofte te advouëren, ende veel min het ſelve onder Onſe protectie ende beſcherminge eenig meerder credijt, aanſien ofte reputatie te geven; nemaar den Suppl in cas daar in iets onbehoorlijcx ſoude mogen influeren, alle het zelve tot zijnen laſte zal gehouden wezen te verantwoorden, tot dien einde wel expreſſelijk begeerende, dat by aldien hy dezen Onſen Octroye voor het zelve Boek zal willen ſtellen, daar van geen geabbrevieerde ofte gecontraheerde mentie zal mogen maken, nemaar gehouden zal wezen het zelve Octroy in 't geheel, en zonder eenige omiſſie daar voor te drukken, of te doen drukken: En dat hy gehouden zal wezen een Exemplaar van 't voorſz. Boek gebonden en wel geconditioneerd te brengen in de Bibliotheecq van Onſe Univerſiteit tot *Leyden*, ende daar af behoorlijk te doen blijken: Alles op pœne van het effect van dien te verlieſen. Ende ten einde den voorn. Suppl. dezen Onſen conſente en Octroye moge genieten als naar behooren; laſten Wy allen ende eenen ygelijken die 't aangaan mag, dat zy den Suppl. van den innehouden van dezen, doen, laten en gedoogen, ruſtelijk, vredelijk en volkomentlijk genieten en gebruyken, ceſſerende alle beletſelen ter contrarie. Gedaan in den Hage onder Onſen Grooten Zegele hier aan doen hangen den XXIII. September in 't Jaar onſes Heeren en Zaligmakers duyzend zes honderd en tnegentig.

Was geteekent

A. HEINSIUS Vt.

Lager ſtond

Ter Ordonnantie van de Staten

En was geteekend

SIMON VAN BEAUMONT.

AUGUSTO ET INVICTO

BORUSSIAE

REGI FRIDERICO

S. P. D.

JOANNES. GEORGIUS. GRAEVIUS.

CErtiſſimus & fideliſſimus rerum a primis XII. Romanis Imperatoribus geſtarum Scriptor, Suetonius Tranquillus, quem olim, cum minus cultus eſſet, tam comiter accepiſti, nunc cultior

ad Te properat, ut, cum antea ſibi Principalem purpuram venerari non ſine ſingulabis renevolentiae ſignificatione licuerit, nunc quoque confidat ſe admiſſum iri ad adorandum Regium diadema, quod Tibi viris, armis, opibus florentiſſima Boruſſia impoſuit cum applauſu Imperatoris, Regum, Principum, & omnium gentium acclamatione. Nec tam hoc Tibi gratulatum venit Tranquillus, qui dudum meritus es iſtud decus, ſed Tuis gratulatur Virtutibus, quibus hic honor habitus eſt, etſi ſero, cum tantus illarum ſplendor eſſet, ut omnium feriret oculos, & eo percuſſi faterentur Tibi Regiam dignitatem deberi, & mirarentur eam tam diu Tibi debuiſſe Boruſſos. Quem enim fallere poterat Generis Brandeburgici antiquitas, nulli Regiarum Gentium in Europa ſecunda, & primis ac ſummis quibuſque conjuncta connubiis, affinitatibus, pactionibus; populorum & terrarum quae Tuae ditionis ſunt, nobilitas & vaſtitas, quae a Boryſthene & ultima

Sar-

Sarmatia per totam Germaniam extentae patent uſque ad Oceanum Germanicum & oſtia Rheni: ſed inprimis illa infinita merita in Chriſtianum nomen, & res quas geſſiſti maximas partim ductu partim auſpicus Tuis in Pannonia, Belgio, Germania, & in vicinis gentibus, quibus vindicaſti ſacra, quae non modo polluebantur, ſed variis in locis opprimebantur, aſſeruiſti communem libertatem, inſontibus fuiſti praeſidio, miſeris auxilio, qui omnes ad Te tanquam portum quendam confugiebant. Quid dicam de illa mirifica moderatione, & juris aequabilitate, qua tot populos ut toto quaſi coelo diſtantes, ſic & diverſiſſimi ingenii & morum, tam leniter & ſapienter gubernas, ut Te omnes non tanquam Dominum metuant, ſed tanquam Patrem, qui verus Pater Patriae es, ament & colant, aliae vero gentes felicitatem Tibi parentium mirentur & praedicent, cum vident Urbes Tibi ſubjectas ſic nitere ac florere omnis generis artibus & commer-

merciis, ac omnium rerum affluentia, indiesque fieri copioſiores & florentiores, ut quae ante fuerint lateritiae, nunc ſint marmoreae. Hoc nemo diffitebitur, qui, ut de aliis taceam, Berolinum aut Magdeburgum Tuum vidit. Haec inprimis Urbs ab illo miſerrimo excidii tempore, cum flammis & ferro anno trigeſimo primo ſuperioris ſeculi deleretur & aequaretur ſolo, ad Tuum uſque ſeculum in parietinis & ruderibus jacuit, nunc vero Tuis auſpiciis ita quaſi renata eſt, ut caput altius tolleret, quam unquam ante hac ſuſtulerat, quamvis fortunatiſſimis & ſuperbiſſimis Urbibus Germaniae ante fatalem illum caſum annumeraretur. Canit Poeta Graecus peringenioſus, capillos Apollinis ſtillare quodam rore ſalutari, cujus guttam, reddere terram, in quamcunque deciderit, uberrimam, ut omnibus bonis affluat. De Te, Rex Optime & Beatiſſime, haec vera ſunt. Quidquid Tuo ſubjicitur ſceptro laetis effloreſcit incrementis. Nam Tibi non tantum curae eſt Tibi ſubditas

gentes

gentes locupletari fortunis, ſed & exornari virtute, pietate, & omnibus praeclaris artibus & diſciplinis, quae faciunt ſive ad vitam ſapientius, ſive ad eam ornatius & elegantius agendam. Hinc non tantum tot officinas ſapientiae in Tuae ditionis terris condidiſti complures, & magno tueris impendio, ſed & in ipſa Tua Regia ſcientiarum, ut vocant, Academiam excitaſti, tanquam Muſaeum quoddam Alexandrinum, in qua omnia, quae ad cauſſas rerum naturalium indagandas, ad coeli & ſyderum motus ſpectandos, ad terrarum, marium, inſularum ſitum & ingenium cognoſcendum, ad omnem doctrinarum Mathematicarum varietatem illuſtrandam pertinent, excoluntur, & arceſſitis undique harum artium peritis hominibus perveſtigantur. His accedunt palaeſtrae, quas ibidem inſtituiſti, in quibus pictores, fictores, ſtatuarii, architecti foventur, ad artium iſtarum decus amplificandum, & ad eas ad majorem perfectionem perducendas. Ne quid autem deſit

ad omne genus artium, quarum ſtudia fervent in Tuo Palatio, exercendum, in magno quoque & multiplici inſtrumento comparando nullis pepercisti ſumtibus, quorum rationem Tibi recte conſtare cenſes, etſi iis, qui Muſis & Gratiis iratis nati ſunt, videantur modum excedere. Etenim praeter numeroſiſſimam & optimis rariſſimiſque libris abundantiſſimam Bibliothecam, numiſmatum omnis memoriae & gentium, ſtatuarum, ac vaſorum antiqui operis magnam vim ex Italia omnique Europa conquiri juſſiſti, ut Aula Tua elegantia, cultu, ſplendore inter politiſſimas & magnificentiſſimas micet velut fulgidiſſima Venus inter obſcuriores ſtellas, quippe in quam omnes artes pulcherrimae confluxerunt, quae ibi in Tuo ſinu, cum foris ubique totis turbetur agris, pacate conquieſcunt. Sperat ſane Suetonius, & qui illum ad Vos ablegat, jam olim Tuae gratiae compos, ſe nunc quoque, cum ornatior venit Te veneraturus, ab illo choro, quem patrocinio Tuo cohoneſtaſti, non exclu-

cluſum iri. Sic rerum diutiſſime potiaris, Rex Potentiſſime, Domus Tua Sereniſſima vireat ſeculis innumerabilibus & Regnum Tuum novis magniſque auctibus indies creſcat, vincas denique ſemper triumpheſque, ut crebro novae gratulationes prioribus ſint ſubtexendae.

Trajecti Batavorum
KL. *Auguſti*
cIↃ IↃ CCII.

LECTORI BENEVOLO S.

COmplures anni ſunt elapſi, cum typographus deliberatum haberet Suetonium cum Laevinii Torrentii annotationibus, quae ſaepius a ſtudioſis politiorum litterarum deſiderabantur, publicare. Iniquior in Torrentium fuit V. Cl. Octavius Ferrarius, cum eum compilaſſe Beroaldi & Egnatii ſcrinia criminatur. Etſi non nulla iis debeat forte, præcipue ad Romanum veſtitum ſpectantia, tam multa tamen & tam praeclara ex interiorum litterarum penu depromta notavit, quae iis nunquam in mentem venerunt, ut merito Lipſio, Caſaubono, omnibuſque elegantioribus hominibus ſemper fuerint admirationi & in deliciis. Plagii ſane accuſari jure non poteſt. Quod qui illorum & hujus commentarium conferent facile liquebit. Hoc vero cum mecum communicaſſet conſilium typographus, auctor ei fui ut & Caſauboni commentarium eadem opera praelis committeret. Verebar enim, ne ſi haec gliſceret peſtis, quae nunc tam proterve, tamque licenter graſſatur in doctorum hominum lucubrationes, delibans inde, quae cujuſque reſpondent palato, qui ſaepe non magis ſapit ad exquiſitiſſimas delicias, quam ſuis occiſae, reſectis melioribus & abjectis, brevi tam docti & utiles libri plane interciderent, ac pro iis relinquerentur exſucca & male viva cadavera, magno cum rei litterariae detrimento. Vix enim ipſa barbaries majorem

ei

ei cladem importavit, quam genus hoc hominum, qui praeſtantiſſimorum ingeniorum monumenta redegerunt in epitomas, ut ſuorum temporum inertiæ lenocinarentur. Hi Livios, hi Trogos Pompejos, totque alios nobiles ſcriptores perdiderunt. Sed non lubet querelas toties auditas hic repetere. Typographus facilem ſe mihi praebuit, rogavitque, ut & ipſe quod haberem huic editioni ornandae in medium conferrem. Recepi me Suetonium recogniturum & loca non nulla male adhuc affecta, quae olim viſus ſim mihi ſanaſſe, correcturum; & annotationibus Duumvirum ſubjecturum, quae ab eruditis hominibus ad Suetonium illuſtrandum aut emendandum eſſe poſtea litteris conſignata meminiſſem. Iſtius inſtituti cum illum certiorem facerem, qui tum commodum me inviſerat, Johannem Fredericum Gronovium, τὸν νῦν ἐν ἁγίοις, ſuarum emendationum & obſervationum in hoc ſcriptore, quae in adverſariis conderentur, munus mihi gratiſſimum obtulit, brevique promiſſum exolvit bona fide, miſſis non paucis animadverſionibus in ſingulos Suetonii libros. Quam eruditae illae ſint, & quam ingenioſe excogitatae, non eſt ut praedicem hoc loco, cum nemo ſit, niſi hoſpes in litteris, qui ignoret, quanta & quam ſingularis illius viri ſollertia fuerit in deprehendendis fucatis & ſuppoſititiis; quantaque ſagacitas & quam ſubtile judicium in cognoſcendis & eruendis genuinis priſcorum ſcriptorum lectionibus & ſententiis. Cum quibus cum certaret perfecta antiquitatis & litterarum omni-

um ſcientia tantum adjumenti & luminis his artibus elegantioribus, inprimis auctoribus melioris aevi attulit, ut quos cum eo conferas, qui in hoc genere ſtudiorum a renatis litteris ſunt verſati, paucos; quos ei anteponas, vix ullos reperias. Summam eruditionem ornabat officii religio, morumque incredibilis ſuavitas, qua omnium voluntates alliciebat; nec non alios erudiendi, & a prava illa ſordidaque ſtudiorum ratione, quae ſolo quaeſtu vulgique exiſtimatione terminatas habet ſcientias, avertendi, & ad veram ſolidamque eruditionem inflammandi maximum & indefeſſum ſtudium, ut uni fere debeatur Gronovio, quod litterarum nomen in foederata Belgica, non ut in finitimis regionibus, quae hac laude praecipue floruerunt antehac, ſit ſtirpitus extinctum. Equidem ut mihi duco gloriae, quod olim tanto doctore, poſtea vero perpetuo meae laudis fautore, amicoque certiſſimo ſim uſus: ſic ſemper ejus memoria mihi erit ſancta, & religioſe coletur. Irreparabilem autem jacturam, quam in ejus morte nuper fecit res litteraria, nunquam ſatis deplorare poterunt, quibus ejus ſalus eſt cordi. Sed excellentiſſimi viri laudes non ſunt ἐν παρόδῳ recenſendae. Dabitur alias, ſpero, de ejus virtutibus meritiſque dicendi locus commodior. Quantum contulerit ad hanc editionem Suetonii expoliendam, facile per te intelliges, ubi eam inſpexeris. Meum ſtudium in illa concinnanda plurimum adjuvarunt excerpta Codicis Memmia-

ni,

ni, (ea enim ſunt, quae Codici Salmaſiano adſcribuntur a me, quod poſtea plurimis argumentis deprehendi, praecipue ex nota una atque altera Salmaſii τȣ̃ πάνυ, qui compoſuit editionem Caſauboni ad has membranas, margini ſui libri appoſita) quorum copiam mihi fecerunt Joannis Elzevirii haeredes; nec non editio Roberti Stephani, anni M D XLIII, quae videtur ad illum optimum & antiquiſſimum librum eſſe conformata. Horum ope praecipue profligavi non paucas hallucinationes librariorum & editorum. Nec ſilentio praetereundum eſt beneficium Ægidii Menagii, Viri elegantia ingenii & vitae, doctrinaeque praeſtantia in primis clari, qui ad me pro ſua in litterarum amatores prolixa voluntate perferri juſſit editionem Leidenſem, cujus marginibus V. Cl. Franciſcus Guyetus alleverat ſuas conjecturas & expoſitiones, quas notis variorum inſeri curavi. His omnibus acceſſit index uberrimus Matthiae Bernecceri, Viri praeclari, quem ab ejus generi, Joannis Freinshemii, haeredibus aere ſuo typographus comparavit. Hoc eſt prooemium quod primae praefixeram editioni ante hos duodeviginti annos publicatae. Quod iis addam vix habeo, niſi V.Cl. Guilielmum Coetierium, litterarum politiorum tum in Lyceo Daventrienſi, nunc vero in Francquerana Academia doctorem eruditiſſimum, mecum communicaſſe annotationes in aliquot Suetonii loca perdoctas, quas, cum ſerius mihi traderentur, meis intexui. Videbis etiam Variorum notis adſuta, quae Vir Illuſtris Guilielmus

Goe-

Goeſius, Curiae communis Batavicae Senator graviſſimus, & mei, cum ſupereſſet, amantiſſimus, in hunc ſcriptorem annotarat, in uſum filiorum. Meas vero obſervationes invenies non paucis acceſſionibus auctas & amplificatas. Hos paucos verſus adjeceram editioni poſteriori anni milleſimi ſexcenteſimi nonageſimi primi. Quibus nunc accedit in hac editione tertia non parvum animadverſionum mearum augmentum, partim ex Memmianis Excerptis, quae denuo cum priore compoſui editione, nam diligentiſſime & accuratiſſime illa deſcripta ſervo, partim ex optimis membranis & nitidiſſime ſcriptis, quamvis aetatem quingentorum annorum non excedant, quas debeo Viro Ampliſſimo & eruditiſſimo mihique multorum annorum uſu & ſuaviſſima conſuetudine conjunctiſſimo HENRICO COPESIO. Tandem haec quoque noviſſima editio prae prioribus ornatur notis V. CL. & mihi, dum fata ſinerent, amiciſſimi, Caroli Patini, qui Suetonium illuſtravit ex antiquorum numiſmatum ſupellectile. Vale lector, & his fruere.

C. SUE-

C. SUETONII TRANQUILLI DE XII. CÆSARIBUS

LIBER PRIMUS.

DIVUS JULIUS CÆSAR.

CAPUT I.

A. U. C. DCLXX.

JULIUS CÆSAR DIVUS annum agens ſextum decimum patrem amiſit: ſequentibuſque



TORRENTIUS.

ANNUM AGENS CÆSAR XVI.] Codex Vaticanus: *Annum agens ſextum decimum.* Alii aliter. Quæ varietas, & quod dictio *Cæſar* fere abeſt, receptam confirmat ſententiam, Suetonium eſſe acephalum.

CASAUBONUS.

C. SUETONI TRANQUILLI DE XII. CÆSARIBUS LIBER I.] Scripti codices, paulo ſaltem melioris notæ, omnes iſtud opus in libros tribuunt. Prima quoque editio ante annos centum viginti quinque Romæ cuſa, recens tum inventa arte typographica, etſi in ſingulorum librorum fronte de eo admonere neglexit, operis tamen totius initio ſingularum partium rubricas deſcribens, & libros appellat, & cum manu exaratis conſentit. Is liber plurimum nos juvit in recenſendo hoc præſtantiſſimo ſcriptore: multa enim in poſterioribus editionibus mutata in deterius, accurata ejus collatione & deprehendimus & reſtituimus. Hujus nos libri unius ope freti, recenſionem ſcriptoris iſtius primo auſi ſumus aggredi: poſtea acceſſerunt alia adminicula amicorum beneficio. Petrus Pithæus J. C. clariſſimus, qui fugientes Gallia muſas moratur cum paucis, miſit ad me codicem ſuum, in cujus ora diligentiſſime erudita manu ipſius adſcriptæ erant lectionum diſcrepantiæ, quas olim, editionem Roberti Stephani cum vetuſtiſſimo, ut ajebat, & integerrimo exemplari contendens, obſervaverat. Fecit idem & Hieronymus quoque Groſlotius Liſlæus nobiliſſimus doctiſſimuſque vir: contulit, inquam, vel cum iiſdem vel cum aliis non multum diſcrepantibus libris vulgatas editiones: vel *διαφόρȣς γραφὰς* ſua manu curate deſcriptas ad me miſit. Multum hic eruditiſſimorum hominum labor noſtrum laborem levavit: aliquanto tamen amplius codex membraneus elegantiſſimus, cujus copiam nobis fecit humaniſſimus doctiſſimuſque amicus noſter Johannes Maneſſerius. Ex ejus potiſſimum codicis fide concinnata nobis hæc editio eſt. Olim id exemplar Viterbii decem ipſis annis, priusquam Romæ prima editio in lucem prodiret, deſcripſerat adoleſcens quidam, nec ineruditus, &, quod res arguit, *φιλομαθής*. Cujus in fine libri exſtat hoc de ſe elogium: *Ego* (nomen erat deletum, ſic ut legi nullo modo poſſet) *Peruſini aëris fugiens intemperiem, recreandi animi gratia, ſimul & novi aliquid cognoſcendi, tranſcripſi in civitate Viterbii, in propriis ædibus anno ætatis* XXVIII. *die* XXII. *Septembris*, MCCCCLX. Quæ propterea libuit adſcribere, ut aliquam gratiam manibus illius referrem, cujus *φιλοπονίᾳ* plurimum ſumus adjuti. Non enim eas ſolum emendationes, quas clariſſimus Torrentius in ſuis codd. inventas annotavit, omnes, paucis exceptis, in eo libro invenimus: ſed alias inſuper quam plurimas, quarum neque ipſe neque Pulmannus mentionem ullam fecerunt. Atque hæc ſunt, quæ olim ad manum habuimus præſidia, quando primum ad illuſtrandum hunc ſcriptorem nos accinximus. Poſtea vero quam in hanc urbem literarum ſedem venimus, librorum manu

manu exaratorum magnam copiam ſumus nacti. Quatuor *Bibliotheca regia* ſuggeſſit: aliquot Senator integerrimus atque eruditiſſimus, *Paulus Petavius*: unum, ſed eximium, & omnium fortaſſe, qui in Gallia noſtra hodie exſtant, vetuſtiſſimum, vir ampliſſimus, *Jacobus Memmius Henrici filius, libellorum ſupplicum magiſter*. Hic eſt ille codex optimus, quem clariſſima patriæ lumina *Turnebus, Pithæi fratres, Nicolaus Faber*, aliquando tractarunt & ſæpe prædicarunt, Turonenſem appellantes; quia, ut in fronte libri notatum eſt, in armario B. Martini Turonenſis aliquando eſt ſervatus. Non dubitavimus autem hoc opus nova diviſione in libros octo ſecare: cum vulgo ſingulæ vitæ pro ſingulis libris cenſeantur; etiam in chirographis iis, quos ſecuti fere ubique ſumus. Sed cum apud *Suidam* legiſſemus octo libris conſtare *Suetonii* iſtud *πόνημα*, non duodecim: percuſſit e veſtigio animum deformis illa, quæ in vulgata diviſione ſpectatur, voluminum inæqualitas: nam poſteriorum ſex librorum ea brevitas erat, ut cum aliquo e prioribus collati, cuncti vix ei mole ſua pares eſſent, non multum certe ſuperarent. Hoc igitur cum animadvertiſſemus, non diu quærendum nobis fuit, quomodo inſtitui reſtituique partitio illa legitima ac vera deberet. Res enim ipſa, *μονονουχὶ φωνὴν ἀφιεῖσα*, eam ſectionem nobis indicabat, atque adeo dictabat, quam tibi nunc, lector candide, noſtra hæc editio exhibet. Quare enim Græcum illum magiſtrum recte præeuntem non ſequerer? præſertim qui & antiquior longe, &, ut puto, omnibus iis doctior eſſet, quorum manu deſcripti hodie Tranquilli codd. exſtant.

Julius Cæsar Divus *annum agens* xvi. *patrem amiſit.*] A codice Viterbienſi eſt hoc principium: ita enim diſerte in eo ſcriptum eſt; ut ego arbitror, optime. Nam quod perſuaſerunt ſibi aliiſque doctiſſimi viri, deeſſe multa initio hujus libri, eſſeque *μῦθον ἀκέφαλον*, falluntur, meo judicio, vehementer. Duæ rationes duntaxat illos, ut ita pronuntiarent, impulere: primum, quod veriſimile non ſit, Suetonium, qui aliorum principum originem & proſapiam tanta diligentia a ſtirpe prima ſoleat repetere, de Julia, omnium nobiliſſima gente, tacuiſſe: deinde quod in Vaticano, ut ajunt, aliiſque codd. initium hoc ita ſcriptum reperiatur, *Annum agens* xvi. *patrem amiſit*: non ut in vulgatis, *Annum agens Cæſar* xvi. *p. a.* Hæc vero ratio nullius plane momenti eſt: cum ne ferri quidem illo loco vox *Cæſar* poſſit, ſi noſtri codicis auctoritatem ſequimur. Enim vero ita accidit. Singulorum Tranquilli librorum duæ ſunt inſcriptiones; altera, quæ totius operis argumentum & libri numerum indicat; altera, quæ proprium cujusque partis ſubjectum, puta, *D. Julius Cæſar*; vel ut in aliis ſcribitur, *De Julio Cæſare*. Cum igitur hæc verba leviter mutata, initio hujus libri bis poni debuiſſent, incuria librariorum factum, ut ſemel tantum ſcriberentur. Ex eo fonte manavit diverſe peccantium error; quibusdam alterum tantum indicem præſcribentibus, pleriſque de ſerie contextus eadem verba auferentibus. Illo modo peccatum eſt in editione veteri Lugdunenſi anni M. D. VIII. Deeſt enim ibi poſterior pars inſcriptionis. Contextus autem ſic incipit: *Divus Julius Cæſar annum agens* xvi. *p. a.* quomodo etiam in aliis invenimus, voce *divus* tantum omiſſa. Plerique omnes tamen libri altero potius modo peccarunt. Nam etiam in illo optimo codice Memmiano, tale omnino principium invenimus, quale eſt in Vaticano: at libri titulus in eo codice nullus iſto loco eſt appoſitus, præter iſtum barbara & recentiore manu alieno loco ſcriptum: *Incipit Suetonius de vita Cæſarum: nunc geſta Cæſaris*. Ita igitur exſtitit liber *ἀκέφαλος*: cui primi nos ex optimo illo codice caput ſuum reſtituimus. At, inquies, altum iſtud de Julii origine ſilentium, nonne ſatis certum damni accepti argumentum eſt? Non eſt, me judice: id enim propterea fieri potuiſſe cenſeo, quod jam ante in ſcripto eo, quo ſtemmata aliquot illuſtrium gentium Romanarum deſcripſerat, affatim de gente Julia ſcripſiſſet, eumque locum dedolaſſet ac perpoliſſet: ut cauſſa non fuerit, cur hic iterum eadem repeteret. Ejus libri ſaltem index ſupereſt hodie nobis in collectaneis *Suidæ*, cujus nos verba ſuo loco recenſuimus. Dici & illud non inepte poteſt: Cæſarem in dedicanda Veneris Genetricis æde, ſtemma ſuum in parte aliqua ejus ædis, ſicut ab aliis fieri ſolitum in atriis domorum ſuarum, publicaſſe: ut de origine ejus gentis nemini eſſe poſſet vel ignotum vel dubium. Quare etiam accuratiſſimus ſcriptor Plutarchus, vitam illius deſcripturus, non aliunde initium duxit, quam unde & Suetonius: Τὴν Κίννα, inquit ille, *τοῦ μοναρχήσαντος θυγατέρα Κορνηλίαν ὡς ἐπεκράτησε Σύλλας, οὔτε ἐλπίσιν οὔτε φόβῳ δυνηθεὶς ἀποσπάσαι Καίσαρος, ἐδήμευσε φερνὴν αὐτῆς*. Mirum, qui Suetonii libros mutilos eſſe tanto opere contendunt, non & de Plutarchi codd. idem pronuntiaſſe. Poterant ſane de eadem fidelia duos parietes dealbare: non enim ficus ficui ſimilior, quam ſunt iſta inter ſe principia. Nec diſſimile eſt illud librorum Arriani de Alexandro principium: *Λέγεται Φίλιππος τελευτῆσαι ἐπὶ ἄρχοντος Πυθοδήμου Ἀθήνησι.* Quin potius ſtatuimus, omiſſam auctori gentis enarrationem, cujus nobilitas & nota erat & extra controverſiam: aut, ſi ita malumus, cum ſibi alio loco, tum aliis expoſitæ: eundem cæterorum principum gentes enucleaſſe, ut minus notas, & propter diverſitatem tradentium incertas atque controverſas. De iis & quæſivit ipſe diligenter, & quid eſſet ſui judicii, fecit nos ut ſciremus. Opinionem eorum, qui putant hoc opus eſſe *ἀκέφαλον*, & hoc principium aliter legunt, refellit præter Viterbienſem Maneſſerii noſtri & aliorum veterum codicum auctoritas: ut illius, unde variantes lectiones excerpſit atque ad me miſit Fridericus Lindenbrogius, vir eruditiſſimus & amiciſſimus. In eo libro ita ſcriptum, ut eſſe ſcribendum in Animadverſionibus probavimus: niſi quod

vox

tibuſque conſulibus flamen Dialis deſtinatus, dimiſſa Coſſutia, quæ, familia equeſtri, ſed admodum dives, prætextato deſponſata fuerat, Corneliam Cinnæ quater conſulis filiam duxit uxorem: ex qua illi mox Julia nata eſt: neque ut repudiaret compelli a Dictatore Sulla ullo modo potuit. Quare & ſacerdotio, & uxoris dote, & gentilitiis hereditatibus multatus diverſarum partium habebatur: ut etiam diſcedere e medio, &, quamquam morbo quartanæ

vox *divus* aberat, quam in Viterbienſibus membranis inventam retinuimus.

Annum agens XVI.] Coſs. L. Cornelio Cinna IV. Cn. Papyrio Carbone II. Natus enim Cæſar C. Mario VI. & L. Valerio Flacco Coſs. A. V. C. DCLIV.

Patrem amiſit.] C. Julium Cæſarem, de cujus repentino obitu, dum matutino calciatur, Plinius lib. VII. cap. LIII. Falſum eſt, quod Græci ajunt, Cæſarem dictatorem a cæſo matris ſuæ utero cognomen inveniſſe. Legere id memini apud Cedrenum, Suidam, Glycam, & in Etymologico magno, atque etiam apud ſcriptores aliquot Hebræos. Decepti ſunt, quod putarent, primum hunc in ea gente Cæſaris cognomen habuiſſe: id vero falſiſſimum eſſe ſciunt & qui nondum ære lavantur. Verum id genus ſcriptores ignorantia peccare Romanarum rerum, non miror. Illam Heſychii doctiſſimi Græcorum criticorum notam ſæpe miratus ſum: Καισάραι περικεφάλαιαι. An dicemus vocem veteris Græciæ eſſe καισάρα? An fallitur ille in vocis latinæ *cæſaries* interpretatione? Poteſt & Syriaca vox eſſe, ut aliæ multæ in eo auctore: nam in *Targum Jonathanis* כשירא exſtat, notione affini pro ſcuto vel clypeo. Et fortaſſe inde eſt, quod Punica lingua elephas *cæſar* dicebatur, quaſi tutamen & præſidium legionum. Nam Pænorum idioma e Syriaco tractum, vel *Plauti Pœnulus* fidem abunde faceret, ſi aliunde id notum non eſſet.

Sequentibusque Coſs.] Accipe ἁπλῶς, pro ſequenti anno: nam leve eſt, quod docti quidam etiam hæc verba in argumentum defecti codicis trahunt.

TORRENT.

Cinnæ IV. *Coſ.*] Libri Mſs. três, *quater Coſ.*

Repudiaret illam.] Vox *illam* abeſt a tribus codd. recte.

CASAUBON.

Flamen Dialis deſtinatus.] Vellejus Paterculus 2. 43. *Cæſar in Cottæ Conſularis locum pæne puer a Mario Cinnaque Flamen Dialis creatus, victoria Syllæ, qui omnia ab iis acta fecerat irrita, amiſit id ſacerdotium.* Non diſſimulo Plutarchi lapſum in hac hiſtoria: ſic enim narrat, quaſi Sylla poſt reditum in urbem ſuum Cæſari in comitiis ſe ferens adverſarium, ne ſuffragiis populi id ſacerdotium obtineret, effeciſſet. Μετιὼν, ait, τὴν ἱερωσύνην ἐς τὸν δῆμον προσῆλθεν ὄυπω πάνυ μειράκιον ὤν. ταύτης δὲ ἐκπεσεῖν ἀυτὸν ὑπεναντιωθεὶς Σύλλας παρεσκεύασε. Non igitur obtinuit, quod ambibat, ſacerdotium Cæſar, nec creatus eſt flamen Dialis, quod Vellejus & Suetonius ajunt. Sed verius eſt falli Scriptorem Græcum, cum in hoc tum in temporis ratione.

Prætextato deſponſata fuerat.] Codex Viterb. & vetus Rom. *diſponſata* i pro e: ut in lapidum inſcriptionibus antiquis ſæpe: contra *dejudicare*, *deminuere*, *deperire* in Florentinis Pandectis, & ſimilia multa. Memmianus, *deſponſata.*

Cinnæ quater Coſ.] Sic MSS. & primæ editiones. Quater Coſ. an quarto aut quartum dicas, pili non intereſt: etſi ſubtiliter inter ea diſtingui poteſt. *Plutarchus* ait τῦ μοναρχήσαντος: more Græcorum, qui & Syllam & Cinnam & Marium & dictatores quoque μονάρχας vocant.

Neque ut repudiaret c.] Vulgatæ edd. *ut repudiaret illam.* Paſſim in Suetonio obſervavimus pronominum ellipſin non invenuſtam, Græcis quoque uſitatam. ſicut hic τὸ *illam* nec Torrentii nec noſtri MSS. agnoſcunt. at imperiti homines de ſuo illam intruſerunt fulciendæ ſententiæ, quam ruere alias putabant. Sic cap. V. *honor ei obtigit* ſcripſerunt iidem: cum in veteribus eſſet, *honor obtigit.* Sic alibi ſæpe: quod ſemel dictum volumus. Nos enim ſcriptam lectionem ſecuti ſumus.

Compelli a Sylla ullo modo potuit.] Auget gloriam facti hujus, quod notat Vellejus: *A Sylla Cinnæ filiam ut repudiaret, nullo modo compelli potuit: cum M. Piſo conſularis Anniam, quæ Cinnæ uxor fuerat, in Syllæ dimiſiſſet gratiam.* Non prætermittam antiquitatis ſtudioſos monere, nomen dictatoris hujus Sylla per *y* ſemper ſcribi in Memmiano ſive Turonenſi optimæ notæ codice: quam ſcripturam, Ciceronis præſertim auctoritate expreſſa confirmatam, adverſus Verrium Flaccum & Faſtos Capitolinos jure defendit *Aldus Manutius*, vir eruditiſſimus, in orthographia ſua.

Uxoris dote & gentilitiis hæreditatibus multatus.] Lege Cornelia de proſcriptione, quæ proſcriptorum liberos & bonis patriis privavit, & ab honoribus petendis repulit. *Plutarchus Sylla:* Ὁ δὲ πάντων ἀδικώτατον ἔδοξε, τῶν γὰρ προγεγραμμένων ἠτίμωσε καὶ υἱῦς καὶ υἱωνῦς, καὶ τὰ χρήματα πάντων ἐδήμευσε.

Ut etiam diſcedere e medio.] Fugit ad Sabinos. Plutarchus eleganter: συχνόν τινα χρόνον πλανώμενος ἐν Σαβίνοις ἔκλεπτεν ἑαυτόν.

Et quanquam morbo quartanæ aggravante.] Male accepit iſta verba Plutarchus. Ait, ἔπειτα δι' ἀῤῥωςίαν ἐις οἰκίαν ἑτέραν μετακομιζόμενος. Vult cauſſam mutandæ domus fuiſſe morbum: quod procul abeſt non a mente Suetonii tantum, ſed a veritate. Culpa liberaveris, ſi ſcribas, non δι' ἀῤῥωςίαν, propter morbum:

ſed

quartanæ adgravante, prope per ſingulas noctes commutare latebras cogeretur, ſeque ab inquiſitoribus pecunia redimere: donec per virgines Veſtales, perque Mamercum Æmilium & Aurelium Cottam, propinquos & affines ſuos, veniam impetravit. Satis conſtat, Sullam, cum deprecantibus amiciſſimis & ornatiſſimis viris aliquamdiu denegaſſet, atque illi pertinaciter contenderent, expugnatum tandem proclamaſſe (ſive divinitus, ſive aliqua con-

ſed *δι' ἀῤῥωςίας*, *per morbum*, hoc eſt, *ἀῤῥωςῶν*, ut apud *Paulum Apoſtolum διὰ τεκνογονίας*, hoc eſt, *τεκνογονȣ̃σα*. Puto verius ſummum illum virum aut ſecutum alios, aut ad vocem *quanquam* non attendiſſe.

TORRENT.

Ab inquiſitoribus.] Nominatim a Cornelio Phagita, Syllæ liberto: inf. c. LXXIV. Inquiſitorum vocabulo eadem ſignificatione uſus eſt Juvenal. Sat. IV.

----diſperſi protinus algæ
Inquiſitores agerent cum remige nudo.

Per virgines Veſtales.] Quarum ſumma ſemper in deprecando Romæ, nec apud Deos tantum, ſed & apud homines præpotentes gratia fuit atque auctoritas. Exempla ſunt apud Suetonium tum hic, tum Tib. cap. II. & Vitell. cap. XVI. plura apud alios. Vide Aug. cap. CL.

Mamercum Æmilium.] M. Æmilium Mamercum intelligit, qui A. U. C. DCLXXVI. cum D. Junio Bruto Conſul fuit. Ut Mamercus hic cognomen ſit, quemadmodum & Mamercinus, gentis Æmiliæ. Cujus etiam prænomen fuit. Atque ita quidem Car. Sigonius. Alii Mam. Æmilium Lepidum Livianum vocant, e gente Livia in Æmiliam adoptatum. Et, puto, rectius: nam Mamercus tantum prænomen eſt, ut cognomen Mamercinus, non uno Livii loco corruptum. Unde natus Sigonii error.

CASAUBON.

Seque ab inquiſitoribus pecunia redimere.] Liber Viterb. *redimeret*. Plutarchus eſt auctor, manum militum Cornelio Phagitæ (de eo Suetonius infra c. LXXIV.) fuiſſe commiſſam, ad anquirendum Cæſarem, alioſque tum in tenebris latitantes. Hi ſunt, quos *inquiſitores* vocat: Græci eleganter *φυγαδοθήρας*, recentior Helleniſmus etiam *διωγμίτας*. Metaphraſtes in vita S. Athanaſii: *Ζημίαν ζωῆς ὑφέξειν τȣ̀ς διωγμίτας, εἰ μὴ τὸν Ἀθανάσιον ζῶντα παραςήσȣσι.* Juſtinianus *ἐρευνάδας* Græce nominat illos quæſtores a ſe inſtitutos, quorum officium deſcribit Novella LXXX.

Perque Mamercum Æmilium.] Viterb. cod. & antiquiſſimus eorum quatuor, qui in Chriſtianiſſimi Regis bibliotheca ſervantur, *Mamertum*. A Mamers (ſic Oſcorum lingua Mars dictus, & Lycophroni quoque *Μαμερτὸς*) fit Mamertus; inde Mamertinus. Utrumque cognominis loco uſurpavit olim gens Æmilia, niſi error eſt in Livii codd. Apud Plut. Dionyſ. Hal. Feſtum, alioſque *Μάμερκος*, Mamercus, per c. & ita in Turonenſi.

Propinquos & affines ſuos.] Utrum pro eodem has voces accipit, & eſt *ἐκ παραλλήλȣ* dictum? an eſt potius *σχῆμα συλληπτικὸν*, cum horum alter propinquus fuerit ſive cognatus, alter adfinis? Interpretes adfinem Julio Aurelium notant propter Aureliam uxorem Julii patris: dicerent cognatum potius. Æmilius quid illi fuerit neſcio: niſi fortaſſe adfinis fuit per aliquam e gente Julia, quam in matrimonio habuerit.

Cum deprecantibus amiciſſimis & ornatiſſimis viris aliquamdiu denegaſſet.] Ita eſt: non ſponte ſua Cæſarem ſervavit Sylla, ſed victus precibus amicorum, ut declarant ſequentia. Quare non abeſt, quin gratiæ alicujus de ea gente dederit hæc verba Vellejus: *Magis*, inquit, *miniſtris Syllæ adjutoribuſque partium, quam ipſo, conquirentibus eum ad necem.* lib. II. cap. XLI.

Expugnatum tandem proclamaſſe, Vincerent.] *Vincere* ait Donatus, familiare eſt verbum iratis: nempe ea notione, qua hic accipitur & apud Terentium alioſque. Cæſar lib. V. c. XXX. *Vincite*, *inquit*, *ſi ita vultis*, *Sabinus.* Similiter apud Græcos *νικᾷν*. Sophocles Electra:

----εἰ δὲ μὴ καλῶς
Λέγω, σὺ νίκα· σοὶ γὰρ ἑψόμεσθ' ἅμα.

Oedipo Coloneo: *Νίκα· χρόνῳ γὰρ, οἶδ', ὅτι γνώσῃ τάδε.* Euripides Alceſtide: *Νίκα νῦν· ȣ̓ μὴν ἀνδάνοντά μοι ποιεῖς.* Ab eadem mente eſt hic quoque *expugnatus* pro *exoratus*. Sic etiam libro III. cap. XXI. *Sed expugnatum precibus uxoris adoptionem non abnuiſſe.* Ita apud Columellam præfatione lib. X. *Niſi propoſitum meum expugnaſſet frequens poſtulatio tua.* Eſt hoc quoque Græcorum imitatione dictum: qui non ſolum *μάχεσθαι* de omni vehementiore ſtudio uſurpant (unde illud apud Ariſtotelem IX. Hiſtoriar. *Ἐι περὶ ταύτην τὴν ἐργασίαν ὄντες μάχονται χωρίζειν τὴν ἄλλην τὴν μεμιγμένην*: id eſt, *pugnant ſeparare cæteram, quæ mixta eſt.* ita loquitur & Cicero) ſed etiam *πολιορκεῖν* pro *evincere precibus* accipiunt. Chion epiſtola ad Matridem: *Ἐγὼ ȣ̃ν ἄσπαςον ἡγησάμενος τὸν καιρὸν, τάλαντον προσετίθην τῇ προικί· καὶ μέχρι μὲν πολλȣ̃ ἠναίνετο· ἐξεπολιορκήσαμεν δὲ αὐτὸν πάνυ ἀληθεῖ καὶ δικαίῳ λόγῳ.* Ita uſi ſunt voce *oppugnatio* Impp. in conſtitutione quadam de nuptiis: *In oppugnationem viduarum ceſſent ſequeſtres atque interpretes, taciti nuntii renuntiique corrupti.* Non diſſimilem uſum verbi *καταναυμαχεῖσθαι* apud eundem Chionem notavimus: *Κἀγὼ μέχρι μέν τινος ἀντεῖχον· καταναυμαχȣ́μενος δὲ ὑπ' αὐτῶν εἶξα.*

Sive divinitus, ſive aliqua conjectura.] En ſcriptorem accuratum, etiam in iis, quæ obiter dicit. Omnino, inquit, divinavit Sylla; ſed utro genere divinationis ſit uſus, naturalis an artificioſæ, neſcio. Obiter ſignifi-

conjectura) *Vincerent, ac ſibi haberent: dummodo ſcirent, eum, quem incolumem tanto opere cuperent, quandoque optimatium partibus, quas ſecum ſimul defendiſſent, exitio*
2 *futurum: nam Cæſari multos Marios ineſſe.* Stipendia prima in Aſia fecit, M. Thermi prætoris contubernio: a quo ad arceſſendam claſſem in Bithyniam miſſus, deſedit apud Nicomedem, non ſine rumore proſtratæ regi pudicitiæ: quem rumorem auxit, intra paucos rurſus dies repetita Bithynia, per cauſſam exigendæ pecuniæ, quæ deberetur cuidam libertino

ſignificat duo eſſe genera divinandi; illa ipſa de quibus Cicero lib. I. cap. VI. de divinatione, & lib. II. cap. XI. *Duo,* inquit, *genera divinandi eſſe dicebat; unum artificioſum, alterum naturale. Artificioſum conſtare partim ex conjectura, partim ex obſervatione diuturna: naturale, quod animus arriperet, aut exciperet extrinſecus ex divinitate, unde animos hauſtos, aut acceptos, aut libatos haberemus.*

TORRENT.

2. *M. Thermi contubernio.*] Salluſt. Bello Jug. de Metelli Numidici filio: *Is eo tempore contubernio patris ibidem militabat.* ſic enim libri MSS. Vulgati *in contubernio* legunt. *Contubernium* autem, unde *contubernales*, caſtrenſe vocabulum eſt. Feſt. De quo plura Veſpaſ. cap. III. Thermus quoque Minuciorum cognomen. Exſtantque veteres denarii Q. THERMI. M. F. in quorum parte altera



duo viri dimicantes, quos inter tertius genu flexo ab altero protegitur. Ut, quod civica Cæſari a M. Minucio Thermo donata hic narrat Sueton. nummo in ejus gratiam percuſſo teſtatus videri poſſit Q. Minucius M. F. III VIR monetalis, aut alius quiſpiam Minuciorum, fautor Cæſaris.

Intra paucos rurſus dies rep. Bith.] Vatican. *intra paucos dies rurſus rep. Bith.* Ego dictionem *rurſus* delendam cenſeo.

CASAUBON.

Quem incolumem tantopere cuperent.] Scribe cum manuſc. *tanto opere. Lucinius Macer* in primo Annalium: *Non minimo opere milites quietes volebant.* In editione nupera Antverpienſi fragmentorum ab Ant. Auguſt. viro eruditiſſimo collectorum, ſcriptum eſt *Quirites* pro *quietes*, turpi errore: vide Priſcian. lib. 6.

Nam Cæſari multos Marios ineſſe.] Acriora illa & animi vehementius commoti apud Plutarchum: *Οὐκ ἔφη νοῦν ἔχειν αὐτοὺς, εἰ μὴ πολλοὺς ἐν τῷ παιδὶ τούτῳ Μαρίους ἐνορῶσιν.* Eodem loquendi genere uſus quondam Dionyſius major, cum filium increparet: *οὐκ ἔστιν ἐν σοὶ τύραννος. Non ineſt tibi tyrannus.* neque enim circuitione illa interpretum opus. *Tyrannus*, id eſt, tyranno aptum ingenium. Sic *multi Marii*, id eſt, ingenium aptum viro popularis factionis, inimico optimatium, quale fuit in Mario: ſed majus atque acrius multo, quam ipſe Marius habuerit. Porro Cæſarem fuiſſe Mario ſanguine conjunctiſſimum ſcribit Vellejus Paterculus lib. II. cap. XLI. & docet Plutarchus initio vitæ. vide ad cap. VI.

2. *M. Thermi prætoris contubernio.*] Ex more hoc & diſciplina Romana. Thermi hujus præturam in Aſia geſtam nuſquam reperi. Nam Beroaldi conjectura plane *ἀπροσδιόνυσος*. Magis ad rem facit, quod ex Appiani Mithridaticis novimus, per illa tempora quibus in Græcia & Aſia bellum Sylla cum Mithridate gerebat, fuiſſe Thermum quendam in Aſia, Valerii Coſ. *ὑποστράτηγον*: ſed cum huic omnem mox poteſtatem Fimbria ademerit, Valerio trucidato, non poteſt ei competere, quod hic narratur. Conſtat, referenda hæc eſſe ad tempus medium inter reditum Syllæ in urbem, & ejus mortem: eo tempore non Thermum, ſed Murænam Aſiæ præfuiſſe, clarum ex Livio, Appiano, Memnone: quos omnes mirum ſane eſt res geſtas iſtius Thermi ne verbo quidem indicaſſe. Mitylenarum expugnationem narrat Livii epitome libro LXXXIX: ſed ducis nulla ne ibi quidem facta mentione.

Ad arceſſendam claſſem.] Melius ita membranæ, quam ut vulgo *accerſendam*. Gloſſæ veteres: *Arceſſere, μετεστείλαντο, καλέσαι, μεταπέμψασθαι.* Confundit *arceſſere* & *arceſſêre*. In iiſdem: *Arceſſit, μετεκαλέσατο, μετεπέμψατο, ἐφώνησεν.* Accipe *φωνεῖν*, ut perſæpe in Euangelio. Adventum Cæſaris ad Nicomedem aliter narrat Plutarchus: etſi prægravat apud me Suetonii auctoritas, hac quidem in re.

Rurſus repetita Bithynia.] Fateor, ſublata voce *rurſus* ſententiæ nihil deerit: nego tamen recte ſentire, qui eam putant inducendam. Hac ratione ſcalpello indigebunt, quæcunque apud optimos ſcriptores ſpeciem habent *βαττολογίας*, quæque item dicuntur *ἐκ παραλλήλου*. Mitto illa pueris nota, *πάλιν αὖ, ὕστερον αὖθις*, *ergo igitur*, alia ſexcenta. Sophocles Trachiniis: *Πρὶν κεῖνος αὐτὸν φανερὸς ἐμφανὴς σταθεὶς Δείξῃ.* Ibidem: *Ἔχθιστα μὲν κατ᾽ οἶκον ἐν δόμοις κρυφῇ Μαλλῷ* Plautus Pœnulo: *Revertor rurſus denuo Carthaginem.*

Per cauſſam exigendæ pecuniæ.] *προφάσει χρησάμενος, ὡς χρέος ἀπαιτήσων.* In Othone: *Sepoſitus eſt per cauſſam legationis in Luſitaniam.* In Veſpaſiano: *Sacramento ſolutum per cauſſam valetudinis tradunt.* Cæſar de bello civili libro III. *equitatum per cauſſam pabulandi emiſſum, confeſtim decumana porta in caſtra ſe recipere juſſit.* & ſæpe alibi. Porro cauſſa exigendæ pecuniæ, prætextus eſt honeſtus eorum, qui voluptatis cauſſa ad infamia vel ſuſpecta loca peregrinationes inſtituunt.

libertino clienti ſuo. Reliqua militia, ſecundiore fama fuit, & a Thermo in expugnatione Mitylenarum corona civica donatus eſt. Meruit & ſub Servilio Iſaurico in Cilicia, 3
ſed brevi tempore. Nam Sullæ morte comperta, ſimul ſpe novæ diſſenſionis, quæ per M. Lepidum movebatur, Romam propere rediit; & Lepidi quidem ſocietate, quamquam magnis conditionibus invitaretur, abſtinuit: cum ingenio ejus diffiſus, tum occaſioni, quam minorem opinione offenderat. Cæterum compoſita ſeditione civili, Cornelium 4
Dolabellam, conſularem & triumphalem virum, repetundarum poſtulavit: abſolutoque, Rhodum

tuunt. Docet hoc Antiphon, quo loco Alcibiadi criminis loco objicit, quod juvenis ad Abydenos ad diſcendas voluptates obſcœnas ſeſe contuliſſet. Sic ille: Ἐπειδὴ ἐδοκιμάσθης ὑπὸ τῶν ἐπιτρόπων παραλαβὼν παρ' αὐτῶν τὰ σαυτοῦ χρήματα, ᾤχου ἀποπλέων εἰς Ἄβυδον, οὐδὲ χρέος ἴδιον σαυτοῦ πραξόμενος οὐδὲν, οὐδὲ προξενίας οὐδεμιᾶς ἕνεκεν. ἀλλὰ τῇ σαυτοῦ παρανομίᾳ καὶ ἀκολασίᾳ τῆς γνώμης. lege cætera apud Athenæum l. XII.

TORRENT.

3. *Quæ per M. Lepidum movebatur.*] Is anno ante Mam. Æmilium, de quo paulo ante, cum Q. Catulo Conſul, Syllæ Dictatoris, tunc mortui, acta reſcindere conatus, a collega oppreſſus fuit. Appianus, Plutarchus, Florus, & alii.

4. *Triumphalem virum.*] Dictio *virum* non erat in Vatic. nec ſane requiritur. Accuſationis autem Dolabellæ meminit Aſcon. Pedianus Divinatione, & oratione pro M. Scauro. Meminit etiam Auctor libri de ſui ſæculi Oratoribus, ſive Tacitus, ſive Quinctilianus, his verbis: *Nonodecimo ætatis anno L. Craſſus C. Carbonem, uno & vigeſimo Cæſar Dolabellam, altero & vigeſimo Aſinius Pollio C. Catonem, non multo ætate antecedens Calvus Vatinium iis orationibus inſecuti ſunt, quas hodieque cum admiratione legimus.* Adde Quinctil. lib. XII. cap. VI. *Calvus, Cæſar, Pollio, multo ante quæſtoriam omnes ætatem, graviſſima judicia ſuſceperunt.*

CASAUBON.

Cuidam libertino clienti ſuo.] Etſi ſunt relata patronus & libertus: tamen præter hunc patronum alium libertis olim habere jus fuit, cujus ipſi non liberti dicerentur, ſed clientes. Cicero ad Atticum lib. primo: *Libertum ego habeo, ſane nequam hominem, Hilarum dico, ratiocinatorem & clientem tuum.* Sic Athenis ſervi cum manumitterentur, optabant ſibi ac publice aſciſcebant patronum in cujus clientela eſſent, idque voce præconis. *Ariſtoteles Rhetoricorum libro* III. τῶν κηρύκων προλαμβάνουσι τὰ παιδία, τὸ τίνα αἱρεῖται ἐπίτροπον ὁ ἀπελευθερούμενος τὸν ΚΛΕ΄ΩΝΑ. Sed de Græcis non mirum, apud quos & libertorum ſolutiora jura, & ſervorum etiam: adeo ut durius ſervitium mutare fas & jus fuerit, quod πρᾶσιν αἰτεῖν dicebant. Auctores *Pollux libro* VII, & *Plutarchus* de ſuperſtitione. Cui juri ſimillimum illud eſt, quod hodie legibus Turcarum mancipia ipſorum obtinent. Lege *Petrum Bellonium Obſervationum libro* III. *cap.* XXIX.

Corona civica donatus eſt.] A codicibus utriusque editionis Antverpienſis exulat vox *corona*, neſcio quare de veteri poſſeſſione dejecta. An quia venuſte *civica* dicitur ἁπλῶς, tolli propterea dictio illa debuit? Infirma ratio, prorſusque ἀσυλλόγιστος ὁ συλλογισμὸς, quum & veteres editiones omnes & manu exarati ita habeant, nullo plane excepto, de quo aliquid nobis compertum. Atqui hic eſt hodie ſolennis ἐπιδήμιος noſtrorum criticorum morbus: qui ſimul aliquid nove & inuſitate dictum alicubi obſervarunt, ſtatim quærunt, ubi poſſunt apud alium ſcriptorem, aut eum ipſum alio loco, intrudere ſuam illam obſervatiunculam, magnificis prius verbis venditatam. Hac ratione integerrimi atque incorruptiſſimi auctorum loci ceu corrupti & depravati corriguntur. Τὸ δὲ ὅλον, περιέστη ἡ νῦν κριτικὴ εἰς ἀκρισίαν, ἡ τῶν παλαιῶν ξυγγραφέων διόρθωσις εἰς παραδιόρθωσιν, ἡ σωτηρία εἰς ἀπώλειαν.

3. *Sed brevi tempore.*] Annum fortaſſe, ac ne eum quidem, ut videtur, plenum. Nam quo anno P. Servilius Vatia, mox Iſauricus, in provinciam ex conſulatu abiit, eodem & Sylla periit, & Lepidus res novas moliri cœpit. Quo nuncio accepto propere Cæſar, ut hinc diſcimus, in urbem rediit. Is fuit A. V. C. DC. LXXVI. Coss. erant M. Lepidus, Q. Catulus, ætatis Cæſaris XXII.

Tum occaſioni.] Nihil muto: tamen ſcripta lectio etiam in Turonenſi & omnium veterum editionum, eſt *occaſione*. An excidit vocula *de*, & ſcribendum, *cum de ingenio diffiſus, tum occaſione?* Ita etiam fuerit oratio Latina. An eſt potius librarii negligentia, quomodo in Piſanis pandectis *exceptione, defenſione, petitione*, pro exceptioni, defenſioni, ſcriptum exſtat, aliaque id genus pluria? *Occaſio* hic non eſt καιρὸς aut πρόφασις; ſed ἀφορμὴ, præſidium rei gerendæ.

Cornelium Dolabellam conſularem & triumphalem virum repetundarum poſtulavit.] Conſtanter libri veteres ſcripti, cuſi, *Dolobellam*, ut apud Plutarchum & alios Græcos. Videntur ita ſcripſiſſe, qui diſcrimen ſtatuere volebant inter proprium viri nomen, & inſtrumenti *dolabellæ*, cujus meminit *Columella.* Quo ætatis anno cauſſam hanc Cæſar egerit, inter ſcriptores video non convenire. Suetonius ait, *compoſita ſeditione civili*; conſtat autem bellum Lepideum confectum eſſe Coss. M. Æmilio & D. Bruto. quo anno Cæſar a. d. IIII. Idus Quintiles quartum & vigeſimum natalem celebravit. Igitur vel XXIII. anno deſinente,

Rhodum ſecedere ſtatuit, & ad declinandam invidiam, & ut per otium ac requiem Apollonio Moloni clariſſimo tunc dicendi magiſtro operam daret. Huc dum Hibernis jam menſibus trajicit, circa Pharmacuſam inſulam a prædonibus captus eſt: manſitque apud eos
non

ſinente, vel XXIIII. incipiente Dolabellam accuſaverit. Atqui *Tacitus*, ſive quis alius *Auctor libri de cauſſis corruptæ eloquentiæ*, ſcriptum reliquit, Cæſarem annos tum fuiſſe natum unum & viginti duntaxat. Suetonii meo quidem animo verior ſententia: nam Dolabella hic eſt ille, qui ex conſulatu profectus in Macedoniam, devictis Thracibus, anno eo quo Lepidus pulſus fugatusque eſt, triumphavit. Adi ad *Faſtos* & *M. Tullium in ea contra Piſonem.* More autem fecit Cæſar adoleſcentium ejus ætatis, qui foro ſe præparabant, quod militiæ forenſis hoc rudimentum edidit. Vide *Apuleji Apologiam*, & quæ ibi nuper adnotavimus.

TORRENT.

Apollonio Moloni.] Sic libri Mss. omnes, quos ego viderim. Ut Molon cognomen fuerit, quo ſæpe illum appellat Cicero, præſertim in Bruto, & lib. II. Epiſtol. ad Att. Quinctilian. quoque lib. III. cap. I. & lib. XII. cap. VI. Alii, ſecuti Plutarchum in Cæſare, *Molonis* ſcribunt, Græco more, ut Molonis filius fuerit. quod equidem non negaverim, ſed Romani ſuo more pronunciarunt. Diſcipulos habuit, præter Ciceronem & Cæſarem, T. Torquatum, virum doctum, & Favonium, Catonis ſimium. Qui tamen, ſi Ciceroni credimus Epiſt. ad Atticum I. lib. II. Rhodi molis potius quam Moloni operam dediſſe viſus fuerit. Sunt & nummi veteres cum hac inſcriptione: L. POMPON. MOLO.

Pharmacuſam inſulam.] Liber Tornacenſis *Pharmacuſſam*, Vaticanus *Pharnacuſam* vocat. Meminit ejus Plinius lib. IV. cap. XII. Vide inf. cap. LXXIV.

CASAUBON.

Abſolutoque, Rhodum ſecedere ſtatuit.] Sæpe miratus ſum, in tam illuſtris viri vita eſſe tantas inter auctores diverſitates. Quam multa enim Plutarchus aliter atque hic narrat? Vel hunc locum vide. Multa diverſa; occaſiones dico rerum & τὰ περὶ τοὺς χρόνους.

Apollonio Molonis clariſſimo tunc dicendi magiſtro.] Ms: *cl. dic. tunc mag.* Minime vero ferendi ſunt, qui iſto loco malunt cum vulgo errare, & ſcribere *Apollonio Moloni*, quam, ut habent alii libri, & res ipſa flagitat *Apollonio Molonis.* Plutarchum mitto, cujus locus eſt in promptu. *Porphyrius Quæſtionibus Homericis:* Λύει δὲ τὴν ἀπορίαν αὐτὸς, ὡς καὶ Ἀπολλώνιος ὁ τοῦ Μόλωνος παρίστησι. Sed non heri aut nudiustertius invaſit hominum mentes hic error, quo duos clariſſimos dicendi magiſtros confuderunt: Apollonium dico Molonis, qui & Μαλακὸς audiit, & Molonem: de quibus tam clara *Strabonis* verba, qui fuit illorum æqualis, ut mirer offendere in tanta luce quemquam potuiſſe. At confundunt eos *Cicero* & *Quintilianus.* Ita quidam ſcribunt: *de Cicerone* quidem falſo, nec ſine illius injuria. *Quintilianum* non eo excuſatum: qui Molonem, de quo tam multa M. Tullius, Apollonium Molonem manifeſto appellat, duplici, ut arbitror, errore: nam & Apollonium Molonem perperam vocat, qui Ap. Molonis dici debuit: & fortaſſe non aliter ſcripſerat Quintilianus. Alterum peccatum eſt, quod Apollonio Molonis tribuit, quod non illi, ſed Moloni conveniebat. Venit & Plutarchus in ſocietatem hujus culpæ: qui in Cicerone Ἀπολλώνιον τὸν Μόλωνος nominat, quem Cicero ſemper Molonem. Nempe ita eſt: quia eodem tempore, eodem loco, indidem orti, eandem artem pari fama docuere Apollonius Molonis & Molo, impoſuit ea res doctis. Nam & eruditiſſimus ſcriptor *Joſephus* Ἀπολλώνιον Μόλωνα vocat, perperam pro Μόλωνος. Ubi tamen nulla mendi ſuſpicio. Locus eſt *lib. II. contra Appionem:* quo in libro, quem Molonem vocat ſub initium, paulo poſt Apollonium Molonem clare ſæpius indigitat. Non puto eſſe alium ſcriptorem ab illo, de quo *Strabo:* ipſum potius *Joſephum* per incogitantiam hallucinatum reor. Hac ratione & hoc loco tueri licet plurium librorum lectionem *Ap. Moloni*; ſi cui placeat ab exſcriptoribus in auctorem culpam transferre. nam & regii libri, *Moloni*, omnes.

Circa Pharmacuſam.] Quidam Ms. *Pharmacuſſam*, ut apud *Stephanum* ſemper Φαρμάκουσσα, Σειρήνουσσαι, Μελιτοῦσσα, Σκότουσσα, Σίδουσσα; quæ ſcriptura ex ſcribarum imperitia inolevit. nam vel Pharmacuſa ſcribendum, vel Pharmacoëſſa, ut Prinoeſſa apud *Plinium. Stephani* ſunt verba: Φαρμάκουσσαι, δύο νῆσοι (*Strabo* melius *libro* VIII. Φαρμακοῦσαι, δύο νησία) πλησίον Σαλαμῖνος. ἔστι καὶ ἄλλη ὑπὲρ Μίλητον, ἐν ῇ Ἄτταλος ἀνῃρέθη. Hoc vult, Pharmacuſas appellari duas inſulas, quæ ſunt ad Salaminem inſulam ante Atticum littus. Pharmacuſam vero aliam eſſe inſulam ad littus Aſiaticum ſupra Miletum: de hac loquitur *Suetonius* hic, & *Plutarchus* in eadem hiſtoria.

Manſitque apud eos non ſine ſumma indignatione.] Lego, *dignatione.* Id enim dicere voluit, quod Vellejus lib. 2. 41. his verbis: *Idem poſtea admodum juvenis, cum a piratis captus eſſet, ita ſe per omne ſpatium, quo ab iis retentus eſt, apud eos geſſit, ut pariter iis terrori venerationique eſſet. Plutarchus:* Ἡμέραις δὲ τεσσαράκοντα δυοῖν δεούσαις, ὥσπερ οὐ φρουρούμενος, ἀλλὰ δορυφορούμενος ὑπ᾽ αὐτῶν ἐπὶ πολλῆς ἀδείας συνέπαιζε. *Dignatio* vox ſcriptori huic & *Tacito* familiaris. *Juſtinus libro* XXVIII. *A quo honorifice ſuſceptus*

non ſine ſumma indignatione prope quadraginta dies, cum uno medico & cubiculariis duobus.

ptus, diu in ſumma dignatione regis vixit. Utitur & Livius. Similis locus in Veſpaſiano cap. IV. *Sortitus Africam, integerrime res non ſine magna dignatione adminiſtravit.* Ubi eundem errorem in multis Mss. offendimus. Hoc nos putamus eſſe verum: alioquin tueri vulgatam lectionem poſſemus, ut *indignatio* accipiatur κακοπρεπῶς (ut multa in hoc ſcriptore) hoc eſt, ἐνεργητικῶς, non ut ſit ἀγανάκτησις, quæ eſt uſitata ejus vocis ſignificatio: ſed οὐκ ἀξίωσις, καταφρόνησις, contemtus. Senſus erit: *Cæſarem captivum & piratarum potitum, adeo nihil ſe indignum egiſſe, ut etiam contemtui haberet eos, in quorum erat poteſtate.* Magnum animi magni argumentum. Plutarchus: Ἔπειτα τῶν περὶ αὐτὸν ἄλλον εἰς ἄλλην διαπέμψας πόλιν ἐπὶ τῶν χρημάτων πορισμὸν, ἐν ἀνθρώποις φονικωτάτοις Κίλιξι μεθ' ἑνὸς φίλου καὶ δυοῖν ἀκολούθοιν ἀπολελειμμένος, οὕτω καταφρονητικῶς εἶχεν, ὥστε πέμπων, ὁσάκις ἀναπαύοιτο, προσέταττεν αὐτοῖς σιωπᾷν. Hic locus Plutarchi non parum confirmat poſteriorem noſtram interpretationem: placet tamen magis prior emendatio; quam Fulvio quoque Urſino veniſſe in mentem ex ejus Notis didici, quas nunc ipſe primum vidi. Magnum mihi earum deſiderium excitarat doctiſſimus adoleſcens Lambertus Canterus, patre Theodoro patruoque Gulielmo digniſſimus: cum Roma rediens hic tranſiret hoc anno, & illi ego cum alias in Tranquillum, tum iſtam quoque emendationem noſtram oſtenderem. Accidit autem percommode, ut dum noſtra hæc ederentur, perducto jam ad umbilicum Tranquillo, eum librum qui nuper Antverpiæ prodiit, dono ad me mitteret clariſſimus doctiſſimusque vir Jacobus Bongarſius. Bongarſius, cui ſe plurimum debere literulæ noſtræ profitentur.

TORRENT.

Prope xl.] Duodequadraginta. Auctor Plutarch.

Cum uno medico.] Sic libri omnes. Sed Fr. Robortellus Annot. lib. I. cap. XXI. Plutarchi, qui prolixe hanc hiſtoriam recenſet, auctoritate fretus, *cum uno amico* legendum putat. Quam lectionem Oberto Giſanio quoque placere intelligo. Nec mihi diſplicet. ſequitur enim: *nam comites ſervoſque cæteros.* Atqui inter comites amici, inter ſervos cubicularii & medici fere habebantur: qua de re plura ad Horat. Epiſt. ad Celſum, *comiti ſcribæque Neronis.* Neque librorum me deterret auctoritas. Nam & Aug. cap. XCI. cum in re omnino ſimili recepta lectio habeat *medici*, libri omnes MSS. quod mireris, *amici* legunt, ut ibi dicemus. Nec dubium, quin notarum ſimilitudine hic error acciderit. Nam & in vita M. Antonini apud Capitolinum tale mendum invenias his verbis: CÆSAREM *exſecto ſub aure tubere ſeptennem amiſit, quem non plus quinque diebus luxit, conſolatuſque etiam amicos actibus publicis reddidit.* ſic enim legendum, non *medicos.* Quis enim medicos conſoletur? aut quæ medicorum in actibus publicis functio eſt?

CASAUBON.

Cum uno medico & cubiculariis duobus.] Ita omnes codices, veteres, recentiores, ſcripti, cuſi: editiones quaſdam nuperas excipio, in quibus reperi *cum uno amico.* Primus Robortellus auctor mutandæ vulgatæ lectionis fuit: Plutarchum enim φίλον hunc vocare; neque eſſe veriſimile ulli medico (quippe ſervi illis temporibus eam artem exercebant Romæ) eum honorem habitum, ut inter amicos Cæſaris cenſeretur. Placuit hoc commentum etiam viris doctiſſimis, quod miror: nam auctorem quidem ejus nihil moror. Norunt omnes eruditi ineptias hominis & vanitatem; cujuſmodi hoc eſt, ſane vaniſſimum. Primum illud falſum, omnes Romæ tum medicinam profitentes ſervos fuiſſe: multi enim excellentes in ea arte e Græcia terra illuc quæſtus ſui cauſſa, partim ingenui, partim manu pridem emiſſi, itabant. Hi ſunt, quos narrat hoc ipſo libro Suetonius, civitate donatos omnes a Julio Cæſare: nam in ſervos id beneficium fuiſſe collatum, nimia eſt ſtultitia vel ſuſpicari. Falſiſſimum vero, medicos a magnatibus Romanis inter amicos non habitos, neque eo titulo dignatos. Tacitus Annalium lib. IV. cap. III. *Sumitur in conſcientiam Eudemus amicus ac medicus Liviæ.* Seneca de beneficiis VI. cap. XVI. *Quare medico & præceptori plus quiddam debeo, nec adverſus illos mercede defungor? Quia ex medico & præceptore in amicum tranſeunt.* Suetonius lib. II. & Plutarchus in Bruto, auctores ſunt, Octavium priore Philippenſi prælio *amici ſomnio* monitum, tabernaculo ſuo egreſſum. Quis ille amicus? Artorius medicus conſenſu reliquorum hiſtoricorum, Velleji, Valerii Maximi, Dionis, & Lactantii quoque lib. II. cap. I. At iſti critici, quaſi magnum eſſet nefas medicum aliquem procerum amicum audire, illum quoque e ſequenti libro locum nobis corruperant: ut jam non aliter ibi edatur quam *medici ſomnio*, contra veterum librorum fidem; quorum nos auctoritatem ſecuti, medicis ſuam dignationem duobus hiſce locis aſſeruimus. Greg. Nazianz. in epitaphio Cæſarii fratris: Τάττεται τὴν πρώτην ἐν ἰατροῖς τάξιν, κἀν τοῖς φίλοις τοῦ βασιλέως εὐθὺς ἀριθμούμενος τὰς μεγίστας καρποῦται τιμάς. Falluntur autem docti viri, qui pertinere huc putant iſtum Athenæi e lib. VI. locum: Ἰούλιος Καῖσαρ ὁ πρῶτος πάντων ἀνθρώπων περαιωθεὶς ἐπὶ τὰς Βρεττανίδας νήσους μετὰ χιλίων σκαφῶν, τρεῖς οἰκέτας τοὺς πάντας συνεπήγετο, ὡς Κόττας ἱστορεῖ ὁ τότε ὑποστρατηγῶν αὐτῷ, ἐν τῷ περὶ τῆς Ῥωμαίων πολιτείας, ὃ τῇ πατρίῳ ἡμῶν γέγραπται φωνῇ. *Julius Cæſar, qui primus mortalium ad Britannicas inſulas, cum mille navibus trajecit, tres omnino famulos ſecum ducebat, ut ſcribit Cotta, qui legatus illi tunc erat,*

bus. Nam comites ſervoſque cæteros initio ſtatim ad expediendas pecunias, quibus redimeretur, dimiſerat. Numeratis deinde quinquaginta talentis, expoſitus in littore non diſtulit, quin e veſtigio claſſe deducta perſequeretur abeuntes : ac redactos in poteſtatem ſupplicio, quod illis ſæpe minatus inter jocum fuerat, afficeret. Vaſtante regiones proximas Mithridate, ne deſidere in diſcrimine ſociorum videretur, ab Rhodo, quo pertenderat, tranſiit

erat, in eo libro, quem de Rep. Romana lingua noſtra (*Romanorum*) *compoſuit.* Non enim ad hanc hiſtoriam de captivo Cæſare ullo modo pertinet Cottæ legati ejus teſtimonium : ſed ad illam ipſam, de qua loquitur, expeditionem. aut fecit ſane Cotta ineptiſſime, qui Cæſari laudem frugalitatis tribuerit, quod apud prædones cum tribus ſervis fuerit. Plures enim initio habuit Cæſar, ſed eos dimiſerat alios in aliam urbem ad expediendas pecunias, ut ex Suetonio & Plutarcho conſtat. quare ſuper ineptias, etiam falſitas fuerit in voce *συνεπήγετο*. Sed abſurdum eſt & plane ridiculum, ad hæc Cæſaris tempora illam narrationem referre : quum diſerte notet Larenſis, Cottam fuiſſe legatum Cæſari *τότε*, hoc eſt, in illa ipſa expeditione. Alioquin etiam illud dici poterat, in numeris parum fuiſſe hunc Cottam accuratum, qui mille navium claſſem appellet, quam ipſe Cæſar dicat fuiſſe DCCC. & quidem ita ut cum longis navibus etiam graves & vectoriæ numerentur : atque ipſæ etiam annotinæ, & privatæ. Omnino graviter doctiſſimi viri errarunt, qui illum *Athenæi* locum huc putarunt referendum.

TORRENT.

Ne deſidere.] Eleganter hoc verbo uſus eſt pro remiſſo eſſe animo, atque otioſe agere; unde *deſes*, & *deſidia* appellata eſt. ſic enim & *ſedendi* verbo non ſemel uſus eſt Cic. ut Virg. quoque lib. 3. Georg. *Et meliora Deos ſedet omnia poſcens*; & Horat. epiſt. ad Scævam: *Sedit, qui timuit, ne non ſuccederet.* Hinc verbum hoc etiam in luctu uſitatum de iis, qui mortuis feriabantur. Tibul. lib. 3. eleg. 7. *Illius ad tumulum fugiam, ſupplexque ſedebo.* Propert. lib. 3. eleg. 14. *Afferet huc unguenta mihi, ſertiſque ſepulcrum Ornabit, cuſtos ad mea buſta ſedens.* Virg. lib. 9. *Luco tum forte parentis Pilumni Turnus ſacrata valle ſedebat.* Neque aliter intelligendum illud e lib. 6. *Sedet æternumque ſedebit Infelix Theſeus :* peccati enim pœnitentia lugentem deſcribit, ut & Athamantem Plin. lib. 14. cap. 14. qui locus tamen fœde corruptus eſt. Verum ſic habet exemplar meum MS : *Ariſtonidas artifex, cum exprimere vellet Athamantis furorem, Learchum filium præcipitare volentis, & præcipitato illo reſidentis pœnitentiam*, &c. *Reſidere pœnitentiam* dixit, ut Plaut. Capt. Act. 3. *Venter gutturque reſident eſuriales ferias*, pro ſedendo agunt. Cic. quoque II. De legib. denicales ferias appellat, quibus reſidentur mortui, quod ſedendo ſcilicet mortuis feriarentur. Quam hujus vocabuli vim non intelligens ille, quiſquis fuit, Plinii corruptor, nihil minus quam auctoris ſententiam expreſſit. Porro hinc *reſides animos*, *reſides viros*, *reſides populos* Virg. ut *aquam reſidem* Varro 3. De re ruſt. appellat, æſtuario oppoſitam. Addam etiam Ciceronis locum pro Sex. Roſcio, non ut in vulgatis exemplaribus legitur, ſed ut apud Cariſium, veterem Grammaticum : quod primus animadvertit Juſtus Lipſius, cujus ingenium mirari ſoleo, lib. Variar. lect. 4. cap. 6. *Cum jam proſcriptionis mentio nulla fieret, cum etiam ii qui antea proſcripti erant, ſederent, nomen refertur in tabulas Sex. Roſcii.* nam hic *ſedere* eſt ſecure agere, ac nihil metuere. Cujus ſignificationis tamen immemor Lipſius pro *ſederent*, *redirent* ſubſtituit. non recte, ut arbitror.

CASAUBON.

Ad expediendas pecunias, quibus redimeretur, dimiſerat.] Supple ex *Plutarcho*, alium in aliam vicinæ provinciæ Aſiæ urbium : non enim ſua redemptus eſt pecunia, ſed *publica civitatum*, ait Vellejus. Idem factum in pluribus Romanis, qui illa tempeſtate in piratarum manus inciderunt. Notum de P. Clodio, qui captus miſit ad Ptolemæum Cypri regem ad expedienda lytra. Strabo XIV. Dio lib. XXXVIII. Quod igitur Cæſar prædonibus XV. talenta poſtulantibus, L. ſponte ſua obtulit, non liberalitas hæc fuit : ſed ſumma confidentia civis *ἀγερώχου*, ſociorum P. R. fortunis inſultantis.

Expoſitus in littore.] Nihil eſt mutandum : tantum ex Plutarcho explicandum de littore Mileſiaco. Suadet narratio illius, ut ita accipiamus, quanquam Plutarchus hoc *διαῤῥήδην* non dicit : eſtque valde veriſimile Mileſios ægre paſſuros, ut ſuum littus latrones hac occaſione explorarent. Non ergo aſſentiamur erudito viro *Mileti* emendanti.

Claſſe deducta.] Ex portu Mileſiaco : Plutarchus. *Aſconius in* III. *contra Verrem : Habent Mileſii præſidiariam claſſem ex fœdere præbendam populo Romano maritimis neceſſitatibus.*

Inter jocum.] Membranæ quædam *per jocum.* Turonenſis *inter. Plut. σὺν γέλωτι.*

Ne deſidere in periculo ſociorum videretur.] Quaſi ad privati curam ſalus imperii aut ſociorum ſtante & florente Rep. (nam de extremis periculis non loquimur) pertineret. Quin illud verius, ambitione impulſum, & gloriæ cupiditate. Vidit hoc, qui tum temporis Aſiam obtinebat nomine P. R. proconſul Junius. Itaque conata ejus deſtituit. Vellejus II. XLII. *Longum eſt narrare, quid & quoties auſus ſit; quanto opere conata ejus, qui obtinebat Aſiam, magiſtratus P. R. metu ſuo deſtituerit.*

tranſiit in Aſiam : auxiliiſque contractis, & præfecto regis provincia expulſo, nutantes ac dubias civitates retinuit in fide. Tribunatu militum, qui primus Romam reverſo per ſuf- 5
fragia populi honor obtigit, auctores reſtituendæ tribunitiæ poteſtatis, cujus vim Sulla deminuerat, enixiſſime juvit. L. etiam Cinnæ, uxoris fratri, & qui cum eo civili diſcordia Lepidum ſecuti, poſt necem conſulis ad Sertorium confugerant, reditum in civitatem rogatione Plotia confecit, habuitque & ipſe ſuper ea re concionem. Quæſtor Ju- 6
liam

TORRENT.

5. *Tribunatu militum.*] Antiqua lectio *Tr. mil.* primoribus tantum litteris. Hinc alii *Tribunatu militum*, alii *Tribunatum.* Ego *Tribunus militum* lego, ut Tit. c. 4. Simile mendum animadvertimus Veſpaſ. cap. 2. Tribunorum vero militum, ut Pedianus tradit Verr. 3. alii Rufuli dicebantur, creabanturque ab Imperatore in exercitu; alii ſuffragiis populi deſignabantur Romæ in comitiis, dicti inde comitiati. qua de re etiam Polybius lib. 6. Eadem autem C. Marii quæ Cæſaris initia. ſiquidem & ille Tribunatum militarem a populo petens, ab omnibus tribubus declaratus fuit. Auctor Salluſtius. Et idem de M. Catone Plutarch. tradidit, de Valerio Corvino ex antiquo ſcriptore Gellius lib. 9. cap. 10.

Auctores reſt. trib. pot.] Auctores vel præcipui ſuere C. Cotta, M. Craſſus, & Cn. Pompejus. qua de re Plutarch. Appian. ipſe Cicer. lib. 3. De legibus. Turnebus tamen Adverſar. XXIV. cap. XIV. *actores* legit. quod & ego repperi in duobus MSS. Sed non placet. quis enim ſic Latine loquitur?

Rog. Plotia confecit.] Liber unus *fecit.* Orationis vero, qua C. Cæſar legem Plautiam ſuaſit, meminit Gell. XIII. cap. III.

CASAUBON.

Præfecto regis provincia expulſo.] Notemus Cæſaris privati adhuc inclytum facinus : quod apud *Appianum, Livium, Memnonem,* alioſque hiſtoricos quæras fruſtra. ne ille quidem tantus adulator domûs Juliæ *Paterculus* hac de ἀριστείᾳ vel γέρυ, quod ajunt.

Nutantes ac dubias civitates.] Turonenſis liber, *nutantis* : & adjectum eſt ſcholion ad oram manu eadem : *Ubique Suetonius accuſativum pluralem tertiæ declinationis in is ponit.* Etſi non ubique locum habet hæc obſervatio, in illo quidem ipſo exemplari, prætermittere tamen illud nolui. De horum caſuum forma in *is* fuſe *Priſcianus libro* V.

5. *Tribunatu militum.*] Hæc vera lectio : quam vulgo membranæ omnes corruptam exhibent. Unde occaſio data eruditiſſimo Torrentio aliter emendandi, ſed vetant vetuſtiſſimus regiorum librorum & Memmianus : in quibus diſerte, *Tribunatum.*

Qui primus Romam reverſo.] *Plutarchus* populi favorem magis aperit, victum ab eo referens in tribunatûs petitione competitorem, ita ut prior Cæſar renuntiaretur : in quo gratiæ popularis non mediocre erat ſpecimen. Τοῦ δήμου πρώτην ἀπόδειξιν τῆς πρὸς αὐτὸν εὐνοίας ἔλαβεν, ὅτε πρὸς Γάιον Πόπλιον ἐρίσας ὑπὲρ χιλιαρχίας, πρότερος ἀνηγορεύθη.

Auctores reſtituendæ Tribunitiæ poteſtatis enixiſſime juvit.] Auctores fuere plures, ſed præcipuus ipſe Pompejus, qui tum erat conſul. iccirco ſcribit *Vellejus* (2, 30.) de primo illius conſulatu, qui in annum incidit XXX. ætatis Julii; urbis vero conditæ DCLXXXIV: *Hoc conſulatu Pompejus Tribunitiam poteſtatem reſtituit, cujus Sylla imaginem in jure* (ſive *in Rep.*) *reliquerat. Cæſar primo De bello civili* (*cap.* 7.) *Syllam, nudata omnibus rebus Tribunitia poteſtate, tamen interceſſionem liberam reliquiſſe : Pompejum qui amiſſam reſtituiſſe videatur, bona etiam, quæ ante habuerat, ademiſſe.* Invenimus in Memmiano codice *actores.* quam lectionem doctiſſimus *Turnebus* putavit ſibi defendendam : tanti apud illum pretii erat Turonenſis ille codex. illud vero mirum, legi in optimis aliis libris *auctoreſque*, in Viterbienſi, Liſlæi & Romano veteri. An deeſt aliquid? Non videtur.

Cujus vim Sylla diminuerat.] Lege lata, ne quis poſt tribunatum ullius honoris eſſet capax. *Appianus* Ἐμφυλ. primo : Τὴν δημάρχων ἀρχὴν ἴσα καὶ ἀνεῖλε (de Sylla loquitur) ἀσθενεστάτην ἀποφήνας καὶ νόμῳ κωλύσας μηδεμίαν ἄλλην τὸν δήμαρχον ἀρχὴν ἔτι ἄρχειν. Διὸ καὶ πάντες ἢ δόξης ἢ γένους ἀντιποιούμενοι τὴν ἀρχὴν ἐς τὸ μέλλον ἐξετρέποντο. Solam igitur tribunitiæ poteſtatis imaginem Sylla reliquerat : hoc eſt, extremi juris interceſſionem, ut ait *Cæſar libro pr. De bello civili. Deminuerat* ſcriptum in pleriſque, non *diminuerat.* & *lib. 2. cap.* 41. *fœnore deminuto*, non *diminuto.* ſic in *Plauto.* Gloſſarius : *Deminuit*, ἐλαττοῖ, ἠλάττωσε. Turonenſis *diminuerat.*

L. etiam Cinnæ, uxoris fratri.] Hujus unius gratia id negotium a Cæſare fuiſſe ſuſceptum declarant, quæ ſuperſunt ex ipſius ſuaſione verba : *Equidem mihi videor pro noſtra neceſſitate, non labore, non opera, non induſtria defuiſſe* : nam *neceſſitas* hoc loco, jus affinitatis ſignificat, ut obſervat *A. Gellius lib.* 13. *cap.* 3.

Poſt necem conſulis.] Lepidus tamen *morbo & pœnitentia periit* : *Florus.* Νόσῳ τηκεδόνι χρώμενος : *Appianus.*

Rogatione Plotia confecit.] Bene & κυρίως, rogatione : vide *Feſtum. A. Gellius* legem vocat : ſed privilegium hoc potius fuit : & ita confunditur rogatio hæc cum lege Plotia de vi, & altera de judiciis. In Turonenſi *Plocia* ſcriptum pro *Plotia.* nam *c* & *t* ſæpe confunduntur, ut *nuntius* & *nuncius. A. Gellius Plautiam* vocat, quod idem eſt. *au* pro *o* & contra. vide ad Veſpaſianum : Ridiculum eſt, quod differunt ad hunc locum nonnulli de Plautiis Plotis.

TOR-

liam amitam, uxoremque Corneliam, defunctas laudavit e more pro Roſtris: ſed in amitæ quidem laudatione, de ejus ac patris ſui utraque origine ſic refert: *Amitæ meæ Juliæ maternum genus ab regibus ortum, paternum cum Dis immortalibus conjunctum eſt. Nam ab Anco Marcio ſunt Marcii Reges, quo nomine fuit mater: a Venere Julii, cujus gentis familia eſt noſtra. Eſt ergo in genere & ſanctitas regum, qui plurimum inter homines pollent, & cærimonia Deorum, quorum ipſi in poteſtate ſunt reges.* In Corneliæ autem locum Pompejam duxit, Q. Pompeji filiam, L. Sullæ neptem: cum qua deinde divortium fecit, adulteratam opinatus a P. Clodio: quem inter publicas cærimonias penetraſſe ad eam muliebri veſte tam conſtans fama erat, ut
7 ſenatus quæſtionem de pollutis ſacris decreverit. Quæſtori ulterior Hiſpania obvenit: ubi cum

TORRENT.

6. *E more pro roſtris.*] Liber opt. *ex more.* Et pro Roſtris quidem laudare defunctos mos erat, ſed, ſi Plutarcho credimus, e feminis veteres tantum matronæ, qualis Popillia, Q. Lutatii Catuli Capitolini mater, & Julia, C. Cæſaris amita, C. Marii uxor, vita functæ laudabantur, non juniores etiam, qualis hæc Cornelia. Livius quidem lib. 5. non diſtinguit, additum matronis honorem narrans, ut earum, ſicut virorum, poſt mortem ſolennis laudatio eſſet, quod aurum pro pacta Gallis ſumma contuliſſent. Neque aliter idem Plutarch. Camillo, & exordio libelli De mulierum virtute.

Marcii Reges.] Rex gentis Marciæ cognomen. ſcribendum ergo R. majuſculo.

Quorum ipſi in pot.] Cæſaris ſententiam egregie expreſſit Horat. lib. III. Od. I. *Regum timendorum in proprios greges, Reges in ipſos imperium eſt Jovis*

Q. Pompeji filiam.] Ejus fortaſſe Pompeji qui cum Sylla Conſul fuit A. U. C. DCLXV. Conſulatum una geſtum, & affinitatem quoque declarare videntur denarii antiqui, qualem & ego ſervo. Ab utraque enim parte effigies utriuſque ad vivum, in



altera aſſcriptum SULLA COS. altera vero Q. POM. RUF. RUFUS COS. Livii tamen epitome lib. LXXVII. non Conſulem ipſum, Q. Pompejum, ſed Conſulis filium Syllæ generum facit. Sed & Aſcon. Pedian. in Miloniana Q. Pompejum Rufum, Syllæ ex filia nepotem, commemorat, tunc Trib. pl. cum occiſus eſt Clodius, Pompejæ Cæſaris, ut puto, fratrem.

A P. CLODIO.] Inf. cap. LXXIV. Hiſtoria omnibus nota. *Adulteratam* autem dixit pro ſtupratam, ut cap. XLVII. & *adulterare* pro ſtuprare Aug. cap. LXVII. Veteres abſolute uſi ſunt, ut apud Gellium x. cap. XXIII. *Illa te, ſi adulterares, digito non auderet contingere.*

CASAUBON.

6. *Quæſtor Juliam amitam.*] Hæc Mario ſeniori nupta fuit, juniorque Marius ex illa eſt natus. *Plutarchus.*

Sed in amitæ quidem.] Scribendum, *& in amitæ q. l.* Litera *S.* ex fine præcedentis vocis, ſine cauſſa, ut ſæpiſſime alibi, initio ſequentis adhæſit.

Quo nomine fuit mater.] Deeſt *ei*: vel culpa ſcribæ, vel ex conſuetudine hujus ſcriptoris, quam ante notavimus.

In Corneliæ autem locum Pompejam duxit.] An quæſtor adhuc? Sane, ut quidem Tranquilli narratio eſt. *Plutarchus* contra poſt quæſturam: γενόμενος ἀπὸ τῆς ἀρχῆς ἐκείνης τρίτην ἠγάγετο γυναῖκα Πομπηΐαν.

7. *Quæſtori ulterior Hiſpania obvenit.*] Auctor libri De bello Hiſpanienſi, ſub finem: *Cæſar cum a Gadibus ad Hiſpalim ſe recepiſſet, inſequenti die concione advocata commemorat initio quæſturæ ſuæ eam provinciam ex omnibus provinciis peculiarem ſibi conſtituiſſe, & quæ potuiſſet eo tempore beneficia largitum.*

VARIOR.

6. *Quæſtionem de pollutis ſacris.*] Per pontifices exercendam, quorum ea fuit notio. Pollutis autem ſacris piaculum committebatur, quod per eos item fuit expiandum. Quippe hactenus jus pontificium, augurale, feciale, civile diſtinctum fuit, ut ſingula per diverſos tractari debuerint. Res ſacræ nimirum per pontifices, auguria per augures, bellicæ quæque his connectuntur, per feciales, privatæ per juriſperitos, & magiſtratus reliquos. Nam Livius tradit libro primo, pontificem maximum inſtitutum, *ut eſſet, quo plebs conſultum veniret, ne quid divini juris, negligendo patrios ritus, peregrinoſque adſciſcendo, turbaretur.* Et Feſtus: *Eum maximum rerum, quæ ad ſacra & religiones pertinent, judicem vin*

cum mandatu prætoris jure dicundo conventus circumiret, Gadeſque veniſſet, animadverſa

vindicemque contumaciæ privatorum Magiſtratuumque eſſe. Jus vero augurale qui tenet, eſſe intelligitur

interpres divum, qui numina Phœbi,
Qui tripodas, Clarii lauros, qui ſidera ſentit,
Et volucrum linguas, & præpetis omina pennæ.

Cujus juris vis & dignitas quanta ſit, in hunc modum deſcribit Cicero: *Maximum & præſtantiſſimum jus eſt augurum, & cum auctoritate conjunctum. Neque vero hoc, quod ipſe ſum augur, ita ſentio, ſed quia ſic exiſtimare nos eſt neceſſe. Quid enim majus eſt, ſi de jure quærimus, quam poſſe a ſummis imperiis & ſummis poteſtatibus comitia tollere & concilia vel inſtituta dimittere, vel habita reſcindere? Quid gravius, quam rem ſuſceptam dirimi, ſi unus augur aliter dixerit? Quid magnificentius, quam poſſe decernere, ut magiſtratu ſe abdicent conſules? Quid religioſius, quam cum populo, cum plebe agendi jus aut dare, aut non dare? Quid, quam leges, non jure latas, tollere?* Jus vero feciale complecti clarigationem, fœdera, belliquе alia, ex Livio, Nonio, Arnobio aliiſque abunde liquet: quorum ego verba hic non tranſcribam, contentus unum hic appoſuiſſe Varronis locum, qui eſt libro 4. de lingua Latina: *Feciales, quod fidei publicæ inter populos præerant: nam per hos fiebat, ut juſtum conciperetur bellum, & inde deſitum, ut & fœdere fides pacis conſtitueretur. Ex his mittebant, antequam conciperetur, qui res repeterent; & per hos etiam nunc fit fœdus, quod fidus ſcribit Ennius dictum.* Hæc itaque omnia ad alios, quam quos dixi, non pertinebant, nec de his juriſconſulti reſpondebant, quorum omnis auctoritas juris cancellis includebatur. Nam de his teſtatur Tullius primo de Legibus: *Summos fuiſſe in civitate viros, qui id jus civile interpretari populo & reſponſitare ſoliti ſunt, ſed eos magna profeſſos in parvis eſſe verſatos: quid enim eſt tantum, quam jus civitatis? Quid autem eſt tam exiguum, quam eſt hoc munus eorum, qui conſuluntur, quamquam eſt populo neceſſarium? Nec vero eos, qui ei muneri præfuerunt, univerſi juris fuiſſe expertes exiſtimo; ſed hoc civile, quod vocant, eatenus exercuerunt, quoad populo præſtare valuerunt.* Ita enim emendandum cum locum cenſemus. Incognitum autem ibi vocat jus pontificum, augurum, feciale, quia in his nulla Juriſconſultis fuit auctoritas, ac per hoc de eo reſpondere non valebant, ut de privato. Nam, quin fuerint aliqui eorum, etiam juris pontificii auguraliſve ſcientiſſimi, plane negari non poteſt, cum ejus rei aliquot etiam exempla proferat Briſſonius IV. Antiquit. XVI. Non itaque ſacri polluti cognitio, piaculique inde admiſſi, ad alios quam ad pontifices pertinuit. Et quod *tres* eorum *conſtituiſſent*, ait Tullius, *id ſemper populo Romano, ſemper ſenatui, ſemper ipſis Dis immortalibus ſatis ſanctum, ſatis auguſtum, ſatis religioſum viſum fuit.* Piacula autem expiabantur, vel aqua, unde apud Virgilium,

- - -donec me flumine vivo
Abluero.

& ludis, aut etiam ſaltatione. Nam Servius ad tertium Æneid. monet, *ſciendum eſſe, moris fuiſſe, ut piaculo commiſſo ludi celebrarentur. Nam cum Romani iracundia Matris Deûm laborarent, eamque nec ſacrificiis, nec ludis placare poſſent, quidam ſenex ſtatutis ludis circenſibus ſaltavit, quæ ſola fuit cauſa placationis. Unde & natum proverbium eſt, Omnia ſecunda ſaltat ſenex. Quamvis hæc & alio ordine, & alia ex cauſa narretur hiſtoria.* Ita enim ibi legendum. Sed & morte ſæpe piaculum expurgabatur. Unde apud eundem Virgilium:

Sanguine placaſtis ventos, & virgine cæſa,
Cum primum Iliacas Danai veniſtis ad oras:
Sanguine quærendi reditus, animaque litandum
Argolica.

Sed ut plurimum hoſtia locum ſubibat ejus, qui piaculo obligabatur, ſi capital non admiſiſſet. Nam, ut Servius ad hunc Virgilii locum notat, *in ſacris ſimulata pro veris accipiuntur. Unde quum de animalibus, quæ difficile inveniuntur, eſt ſacrificandum, de pane vel cera fiunt, & pro veris accipiuntur. Hinc eſt etiam illud: Sparſerat & latices ſimulatos fontis Averni. Nam & in templo Iſidis aqua ſparſa de Nilo eſſe dicebatur.* Quod ſi autem piaculum admittendo & in leges edictave peccatum eſſet, etiam multa imponebatur auctori. Nam ita Macrobius I. Sat. XVI. *Affirmabant ſacerdotes pollui ferias, ſi indictis conceptiſve opus aliquod fieret. Præterea regem ſacrorum flamineſque non licebat videre feriis opus fieri, & ideo per præconem denuntiabatur, ne quid tale ageretur: & præcepti negligens multabatur. Præter multam vero affirmabatur, eum, qui talibus diebus imprudens aliquid egiſſet, porco piaculum dare debere.* GOESIUS.

TORRENT.

7. *Mandato prætoris.*] Sic Carolus Sigonius, cum alii ex P. R. Populi Romani facerent. Et fieri quidem poterat, ut Quæſtori aliquid Populus mandaret; verum cum Vellejus ſub Antiſtio Vetere Quæſtorem eum fuiſſe ſcribat, & Plutarch. ſimiliter cognomen Prætoris, quamquam corrupte βαίτωρα vocans, exprimat, Sigonium ſequor.

CASAUBON.

Mandatu prætoris.] Gratia magna doctis viris, qui hunc locum reſtituerunt: nam in noſtris quoque manuſcriptis omnibus, etiam in regiis, & Turonenſi, locus erat corruptus. habent alii, *mandatu* P. R. alii etiam depravatius: *mandato Reip.*

TOR-

verſa apud Herculis templum Magni Alexandri imagine, ingemuit: & quaſi pertæſus ignaviam ſuam, quod nihil dum a ſe memorabile actum eſſet in ætate qua jam Alexander orbem terrarum ſubegiſſet, miſſionem continuo efflagitavit, ad captandas quam primum majorum rerum occaſiones in urbe. Etiam confuſum eum ſomnio proximæ noctis (nam viſus erat per quietem matri ſtuprum intuliſſe) conjectores ad ampliſſimam ſpem incitaverunt, arbitrium orbis terrarum portendi interpretantes: quando mater, quam ſubjectam

TORRENT.

Herculis templum.] Erat id & conditoribus, & ætate, & religione, & opibus illuſtre, ut tradit Mela lib. III. multaque in eo veterum Græcorum monumenta, ſi Philoſtrato in vita Apollonii credimus lib. V. Hinc ergo & Alexandri ibidem ſive imago, ſive ſtatua. Nam Annibalem quoque refert Livius Gades profectum, ſolutis Herculi votis, nova inſuper voviſſe, ſi cætera proſpere eveniſſent, lib. XXI.

Ea ætate.] Anno XXXIII. Teſtis præter alios Cicero Philipp. X. his verbis: *Quid? Macedo Alexander, cum ab ineunte ætate res maximas gerere cœpiſſet, nonne tertio & trigeſimo anno mortem obiit, quæ eſt ætas noſtris legibus X. annis minor quam conſularis?* Mirandum autem Cæſarem, natura acerrimum & ambitioſiſſimum, ad quæſturam, qui primus erat honorum gradus, & quem Gracchi ambo anno 27. ipſe Cato Uticenſis 29. Cicero 31. geſſere, tam ſero perveniſſe. Sed credendum eſt, eum declinandæ invidiæ cauſa ut Rhodum iviſſe, ſic etiam abſtinuiſſe a petitione Magiſtratuum. Quod ideo dictum volui, ne quis hinc cum Paulo Manutio, viro doctiſſimo, libro de legibus Romanis, exiſtimet quæſtoriam non fuiſſe ætatem, ut conſularem, & prætoriam. fuiſſe enim aperte probat Tranquillus noſter Calig. cap. I. Germanicum quinquennio ante quam per leges liceret, quæſtorem factum eſſe commemorans, & Quintilian. iis verbis quæ aſſcripſimus ſup. ad cap. IV.

In Urbe etiam.] Imo, ſi Dioni credimus, ſomnium illud Gadibus Quæſtor vidit. A quo quanquam in eo diſſentit Plutarch. quod illa nocte, quæ Rubiconis tranſitum anteceſſit, viſum narrat, relinquitur tamen extra Urbem eveniſſe. Quin & poſtea cum devicto Afranio Gades iviſſet, Gaditanos civitate Romana donavit, memor ſomnii quod quæſtori illic ante contigerat. Dion lib. 41. Scribo igitur, ut in duobus vetuſtis codicibus: *occaſiones in Urbe. Etiam confuſum*, &c. ſenſus enim, eodem eum tempore, & ſomnio & Alexandri exemplo monitum, petita miſſione, ad Urbem properaſſe.

Confuſum.] Ut Juvenal. Sat. III. *Quamvis digreſſu veteris confuſus amici.* Et Plin. Paneg. Trajani: *Quam ego audio confuſionem tuam fuiſſe, cum digredientem proſequereris?*

CASAUBON.

Nihil dum a ſe memorabile.] Liſlæi cod. *memoriale.* Sic hæ duæ voces ſæpe confunduntur. Maſſurii Sabini libros Paulus J. C. *Memoralium* appellat in *Pandectis lege* CXLIV. *De verborum ſignif.* qui conſtanter apud *A. Gellium* & *Macrobium*, *Memorabilium* inſcribuntur. nam quod in nuperis *A. Gellii* editionibus mutatum id eſt, contra veterum librorum auctoritatem factum, quos nos vidimus antiquiſſimos. Porro ita ſcribitur hic locus in libro *Viri cl. Franciſci Pithœi*: *quod nihil tum admodum a ſe memorabile actum eſſet.* minus recte.

Ad captandas quam primum majorum rerum occaſiones in urbe.] Membranæ Viterbienſes: *in urbem.* ἀρχαϊκῶς, ut ſæpe apud Ciceronem. Puto inobſervantia hujus locutionis factum eſſe, ut inter voces *urbem* & *etiam*, quidam libri interponant vocem *evenit* aut *venit.* quam lectionem omnes libri meliores refutant. Diſtinctionem reſtituimus ex editione prima, & Ms. Liſlæi: peſſime enim in vulgatis editionibus diſtinctum eſt poſt vocem *occaſiones.* cum ut doctiſſimus quoque Torrentius animadvertit, non in urbe, ſed Gadibus ſequens Cæſari ſomnium fuerit ſomniatum.

Arbitrium terrarum orbis portendi interpretantes.] Ita viſum interpretari vaniſſimæ artis auctoribus vaniſſimis. *Artemidorus libro* τῆς ὀνειροκριτικῆς *primo*, de hujuſmodi ſomnio loquens: Ἀγαθὸν δὲ καὶ παντὶ δημαγωγῷ, καὶ πολιτευτῇ· σημαίνει γὰρ τὴν πατρίδα ἡ μήτηρ· ὥσπερ οὖν ὁ μιγνύμενος κατὰ νόμον Ἀφροδίτης, παντὸς ἄρχει τοῦ σώματος τῆς συνούσης πειθομένης, καὶ ἑκούσης, οὕτως ὁ ἰδὼν, πάντων προστήσεται τῶν τῆς πόλεως πραγμάτων. *Aſtrampſychus in Onirocritico:* Μητρὶ πλακῆναι καλὸν ἐς ὄναρ τόδε. *Aſtrampſychi* ſunt illi verſus, quos ex *Suida* deſcriptos conjecit in Animadverſorum libros Hadrianus Junius, tanquam incerti auctoris. Nobis eum librum manu exaratum videre olim contigit in bibliotheca Petri Galeſii Hiſpani, ſed tantum videre: non enim aut legere aut deſcribere licuit. Donavit nos nuper eo munere eruditiſſimus, probatiſſimus, amiciſſimuſque juvenis Richardus Thomſon Anglus, qui a Joſepho Scaligero (cui propter animi dotes non minus quam mihi eſt charus) nactus erat. Cæterum in hujus ſomnii interpretatione, non conſentiunt cum Artemidoro & Aſtrampſycho Perſarum & Indorum ſapientes; de quibus Achmet Seirim F. cap. CXXVII. Ἐάν τις ἴδῃ, ὅτι συνουσίασε μητρὶ ἢ ἀδελφῇ, ἀνάξιον ἀγαθοποιήσει, ψεγόμενος καὶ μεταγινώσκων. *Si quis viſus ſibi fuerit cum matre vel ſorore rem habuiſſe, indigno benefaciet, vituperatus eo nomine ac pœnitens.*

Mater, quam ſubjectam ſibi vidiſſet.] F. Pithœi codex, *ſubactam.* Idem ſcribit, *arbitrium orbis terrarum*

ſubjectam ſibi vidiſſet, non alia eſſet quam terra, quæ omnium parens haberetur. Dece- 8
dens ergo ante tempus, colonias Latinas de petenda civitate agitantes adiit: & ad au-
dendum aliquid concitaſſet, niſi COSS. conſcriptas in Ciliciam legiones pauliſper ob id
ipſum retinuiſſent: nec eo ſecius majora mox in urbe molitus eſt. Siquidem ante 9
paucos dies, quam ædilitatem iniret, venit in ſuſpicionem conſpiraſſe cum M. Craſſo
conſulari, item P. Sulla & Autronio, poſt deſignationem conſulatus ambitus condemna-
tis, ut principio anni ſenatum adorirentur: & trucidatis quos placitum eſſet, dicta-
turam Craſſus invaderet, ipſe ab eo magiſter equitum diceretur, conſtitutaque ad ar-
bitrium rep. Sullæ & Autronio conſulatus reſtitueretur. Meminerunt hujus conjura-
tionis Tanuſius Geminus in hiſtoria, M. Bibulus in edictis, C. Curio pater in Ora-
tionibus.

rarum potiendi interpretantes: non *portendi.* quod jure tamen placet magis, etſi in duobus regiis antiquiſſimis eam ſcripturam offendimus: verum in altero eorum emendatam. nam ibi factum rectiore manu *portendi* ex *potiendi.* Fuerit olim fortaſſe, *arbitrium terrarum orbis potiundi portendi interpretantes,* moveor enim conſpiratione tot exemplarium.

TORRENT.

8. *Colonias Latinas.*] Coloniis vel pro civium meritis, vel pro S. P. Q. R. liberalitate alia aliis jura dabantur. Summum beneficium erat civitas Romana, ſecundo loco Latinitas, tertio jus Italiæ cenſebatur, ut nimirum & liberti nunc cives Romani, nunc Latini, nunc deditii dicebantur. De coloniis Aug. cap. XLVII. de libertis eodem Aug. cap. XL. & Claud. cap. XIX. nonnihil annotavimus. Atque hinc bellum Sociale exortum, quod M. Livius Druſus Tr. pl. promiſſam Latinis civitatem præſtare non potuit, A. U. C. DCLXII. Quod autem de conſcriptis in Ciliciam legionibus addit Sueton. argumento eſt Cæſarem a quæſtura tunc rediiſſe, cum bello piratico adverſus Cilicas itum eſt, A. U. C. DCXXCIII. Colonias quoque Latinas, quas Cæſar adiit, Tranſpadanos capio, qui Latinitate non contenti civitatem inſuper petere deſtinarant. Quod eos beneficium a dictatore Cæſare impetraſſe auctor Dion lib. XLI. Novocomenſes Vatinia rogatione Sueton. inf. cap. XXVIII.

9. *P. Sylla & P. Autronio.*] P. Cornelius Sylla & P. Autronius Pætus Coss. deſignati, damnatique de ambitu, non inierunt Magiſtratum. Non male igitur Pulmannus. Quia tamen libri omnes L. vocant, non P. Autronium, Suetonii equidem errorem fateri eſſet ſatius, quam in tanto librorum conſenſu quicquam immutare. Vide Faſtos A. U. DCXXCVIII. Suetonium fortaſſis fefellit, quod in Faſtis A. U. DCCXXIV. L. Autronii, qui ex Africa triumphavit, nomen legerat.

Tanuſius Geminus.] Libri veteres *Taniſius*, unus etiam prænomen addit L. Annales Tanuſii commemorat Seneca Ep. XCIV. vitam hominis ſapientis brevem libro, qui paucorum verſuum ſit, ſed laudandus atque utilis, comparans: longam vero hominis inſipientis, Tanuſii annalibus, prolixis nimirum, ſed inſulſis. Qui idcirco hominum elegantiorum joco, ut & Voluſi annales apud Catullum, cacata charta vocabantur. Verba Senecæ in lib. MS. qui Leodii ſervatur ad Divi Jacobi, ſic habent: *Et paucorum verſuum liber eſt, & quidem laudandus atque utilis. Annales Tanuſii ſcis, quam non decoroſi ſint, & quid vocentur. Hæc eſt vita quorundam longa, & quod Tanuſii ſequitur annales.* Subticet Catulli verba, *cacata charta.* Ganuſii ſcriptoris mentio Plutarcho in Cæſare, ſed vitio, credo. Interpres *Canuſium* reſcribit. Ego *Tanuſium* arbitror verum.

In edictis.] Infr. cap. XLIX.

CASAUBON.

8. *Colonias Latinas de petenda civitate agitantes.*] Gallos Ciſalpinos Tranſpadanos, quibus jus Latii poſt bellum Marſicum lege Pompeja datum fuerat, ut ait *Aſconius:* ſed eo jure non fuiſſe illos contentos, nec eo ſecius de petenda civitate agitaſſe, ex hiſtoria patet. vide *Dionem libro.* 37.

Conſcriptas in Ciliciam legiones.] Refer ad annum U. C. DCXXCVII. qui habuit conſules C. Piſonem L. F. Frugi, M. Acilium Glabrionem. Clarum ex præcedentibus ſequentibuſque. Vitæ Cæſaris annus erat XXXIII. Is ipſe eſt annus, quo bellum maritimum & piraticum confecit Pompejus. Ne auſcultemus igitur docto viro, qui hoc putavit pertinere ad annum U. C. DCXXCIII.

9. *P. Sylla & Autronio*] Fortaſſe, *Publiis, Sylla & Autronio.* niſi eſt Suetonii memoriale peccatum: quando & nos reperimus in omnibus libris, *& L. Autronio.* quare eo pedibus in eruditiſſimi *Torrentii* ſententiam.

Meminerunt hujus conjurationis.] Intellige, quod ad Cæſarem: nam ipſa quidem conjuratio notior, quam ut teſtibus ſit opus. Cæſarem fuiſſe illius participem, id vero non ita clarum. Illud igitur eſt, quod probatum it teſtimoniis Tanuſii, Bibuli, & Curionis patris: quos tamen omnes fuiſſe Cæſaris inimicos, nemo eſt in illorum temporum hiſtoria, vel leviter verſatus, quin ſciat. Edicta Bibuli illa ipſa ſunt, quorum in Pompejo *Plutarchus* meminit,

&

tionibus. De hac ſignificare videtur & Cicero in quadam ad Axium epiſtola, referens, *Cæſarem in conſulatu confirmaſſe regnum, de quo Ædilis cogitarat.* Tanuſius adjicit, Craſſum, pœnitentia vel metu, diem cædi deſtinatum non obiiſſe, & iccirco ne Cæſarem quidem ſignum, quod ab eo dari convenerat, dediſſe. Conveniſſe autem Curio ait, ut togam de humero dejiceret. Idem Curio, ſed & M. Actorius Naſo, auctores ſunt, conſpiraſſe eum etiam cum Cn. Piſone adoleſcente: cui ob ſuſpicionem urbanæ conjurationis provincia Hiſpania ultro extra ordinem data ſit: pactumque, ut ſimul foris ille, ipſe Romæ, ad res novas conſurgerent, per Lambranos & Tranſpadanos:

& vocat διαγράμματα, βλασφημίας ἔχοντα καὶ κατηγορίας: *Cicero* ad Atticum, *Archilochica edicta.*

Tanuſius Geminus in hiſtoria.] In manu exaratis multis, & editione prima, *Tamiſius*: quo modo etiam apud Senecam in epiſtolis ſcriptum habent plerique libri antiqui. Sed & in Cicerone ancipiti ſcriptura, *Tamiſios* & *Tanuſios* lego. Græci ab altera lectione ſtant: quanquam apud Plutarchum in Cæſare Γανύσιος male pro Τανύσιος cuſum eſt: male etiam Xylander, *Canuſius.* Non enim, puto, Canuſium laudat Plutarchus, cujus meminit *Priſcianus lib. octavo.* Hunc puto eſſe Canuſium æqualem & amicum M. Tullii, non ſemel ei cum laude nominatum.

C. Curio pater.] Curiones ſcripſerunt plures, ſicut obſcure *Solinus* ſignificat *capite* VII. ſed duorum Ciceronis æqualium Suetonius meminit, patris & filii: itaque cum adjectione aliqua laudari ſolent. ſic iterum infra, & apud *Priſcianum in* VIII. *Curio pater.* Suetonius alio iſtius libri loco patrem & filium ſimul laudat. De utroque *Cicero in Bruto.*

TORRENT.

Cicero in quadam ad Axium ep.] Vulgati codices *ad Atticum* legunt. Et fieri quidem potuit, ut id ad Atticum potius quam quemvis alium Cicero ſcripſerit; ſed cum libri omnes MSS. vel *Auxium* habeant, vel *Axium*, atque Axii tunc celebris & Varro, & Cicero meminerint, nec ſit veriſimile librarios in Attici nomine erraturos, non dubitavi, quin Turnebum auctorem ſecutus, *Axium* & ipſe reciperem, aut *Axſium* potius. ſic enim in veteri nummo: L. AXSIUS NASO. Sed hunc noſtrum Q. vocat Gellius lib. VII. cap. III.

Diem cædi deſt. non obiiſſe.] Liber opt. *adiſſe.* Alter quoque minime malus: *diem cædi non adiſſe*, ſine verbo *deſtinatum.* quod monuiſſe ſatis eſt. Malim tamen *diem cædis non obiſſe*, ut *obire diem auctionis*, *obire diem edicti* apud Cic.

M. Actorius Naſo.] Sic libb. omnes, vel *Auctorius.* Naſo autem, ut in nummo veteri Axſiorum, ſic apud Cic. Ep. fam. Otaciliorum quoque, & ad Q. fratrem Octaviorum cognomen eſt. De Actoriis nihil nunc occurrit.

Cum Cn. Piſone.] Hiſtoria ex Salluſtii Catilin. omnibus obvia. Adde Cic. pro P. Sylla, & Pedianum Orat. in toga candida. Quamquam autem Piſonis conjuratio in eundem annum incidit cum ea, de qua paulo ante, ob Craſſi tamen & Syllæ pœnitentiam, perſeverante cum Autronio Piſone, diverſæ videri poterant. quod Sueton. indicat.

Per Lambranos.] Libri plures *Ambranos*, aut *Ambrones.* Et Ambrones quidem Galliæ populi, quorum nomen, ſi Feſto credimus, etiam in proverbium abiit, de Ambranis vero nihil memini me legiſſe. Plinii enim locus, quem Beroaldus citat, de Ambianis, non de Ambranis loquitur. Et alioqui remotiores ii erant, quam ut conjurationi huic ſervire poſſent. Quare nihil muto, ut Lambri accolas intelligamus. nam & hi trans Padum ſunt, ſollicitati, ut credo, a Cæſare ab Hiſpania redeunte, ut cap. proximo, & ab eodem adjuti, cum Cn. Piſonem repetundarum judicio ob Tranſpadani cujuſdam ſupplicium injuſtum impugnavit. Meminit ejus Salluſt. Catilin.

CASAUBON.

Ad Axium.] Ita membranæ noſtræ quoque & Liſlæi, vel ad *Auxium.* non ut in vulgatis *ad Atticum.* Similis error ab eruditis deprehenſus apud *Senecam*, *De brevitate vitæ cap.* V.

Diem cædi deſtinatum non obiiſſe.] Ita princeps editio. Scio puriſſimæ Latinitatis eſſe phraſin *obire diem*, ut *obire vadimonium.* Non celabo tamen lectionem mss. qua Torrentii, qua noſtrorum omnium: *non adiſſe.* Sit hoc ſæculi vel auctoris idioma, an σφάλμα γραφικὸν, non diſputo.

De humero dejiceret.] Turonenſis *de umero dejiceret.* neque enim defuerunt Critici, qui ſine aſpiratione, cui repugnat origo, hanc vocem ſcriberent. *Gloſſarium* in littera U. *Umerus*, ὦμος.

Per Lambranos.] Libri veteres iſto loco οὐδὲν ὑγιές. tanta in iis varietas & inconſtantia. Viterbienſis, *Ambianos*: ſed ἐκ δευτέρας φροντίδος: nam prius *Ambranos* ſcriptum fuerat, quo modo in regiis offendimus, & Turonenſi. Liſlæi, *Lubranos.* Suſpicor citerioris Hiſpaniæ barbarum aliquem populum intelligi, cujus opibus abuteretur Piſo in rebus novandis: ut Romæ Cæſar Tranſpadanorum. ſi id non eſt, ſunto per me Lambrani οἱ παραποτάμιοι Lambri fluminis. mentio ejus præter *Plinium*, etiam apud *Sidonium Apollinarem lib.* I. *epiſtola* V. *Ulvoſum*

nos : deſtitutum utriuſque conſilium morte Piſonis. Ædilis, præter comitium ac fo- 10
rum, baſilicaſque, etiam Capitolium ornavit porticibus ad tempus extructis : in quibus, abundante rerum copia, pars apparatus exponeretur. Venationes autem ludoſque, & cum collega & ſeparatim, edidit : quo factum eſt, ut communium quoque impenſarum ſolus gratiam caperet : nec diſſimularet collega ejus M. Bibulus eveniſſe ſibi, quod Polluci. Ut enim geminis fratribus ædes in foro conſtituta tantum Caſtoris vocaretur: ita ſuam Cæſariſque munificentiam, unius Cæſaris dici. Adjecit inſuper Cæſar etiam gladiatorium munus, ſed aliquanto paucioribus quam deſtinaverat, paribus. Nam cum multiplici undique familia comparata inimicos exterruiſſet, cautum eſt de numero gladiatorum, quo ne majorem cuiquam habere Romæ liceret. Conciliato populi favore, 11
tentavit per partem tribunorum, ut ſibi Ægyptus provincia plebiſcito daretur, nactus extraordinarii imperii occaſionem, quod Alexandrini regem ſuum, ſocium atque amicum a ſenatu appellatum, expulerant, reſque vulgo improbabatur. nec obtinuit, adverſante optimatium factione, quorum auctoritatem ut quibus poſſet modis invicem deminueret, tropæa

ſum Lambrum, cæruleum Adduam, velocem Atheſim, pigrum Mincium, qui Liguſticis Euganeiſque montibus oriebantur, paullum per oſtia adverſa ſubvectus, in ſuis etiam gurgitibus inſpexi.

TORRENT.

10. *Pars apparatus.*] Senſus eſt, id quod forum & comitium non ceperat, Cæſarem in porticibus ad id exſtructis populo propoſuiſſe.

Separatim.] Nempe munere patris funebri, cum omni apparatu arenæ argenteo uſus eſt : Feraſque argenteis vaſis inceſſere tunc primum viſum. Plinius lib. XXXIII. c. III. in Cæſaris ædilitate id factum memorans. Vaſa autem accipio, quæ irritandis beſtiis provolvebantur.

Tantum Caſtoris.] Sic Livius lib. XI. *Caſtoris ædes eodem anno Idibus Quinctilibus dedicata eſt.* Idem alibi *templum* vocat, ut nunc *ædem*, nunc *templum Caſtoris*; interdum vero *Caſtoris & Pollucis* etiam Cicero. Plinius lib. X. cap. XLIII. & lib. XXXIV. cap. VI. *ædem Caſtorum*, *Pollucis* vero *& Caſtoris* Sueton. Tib. cap. XX. De vulgi ergo appellatione hic accipiendum eſt, quod Bibuli verbis narrat Sueton. Auctores vero non uno ſemper more loquuntur.

Habere Romæ.] Exemplar Tornacenſe non habet dictionem *Romæ*. Quam tamen ſervo : non enim idem alibi, quod Romæ periculum ſuberat.

Regem ſuum.] Fuit is Ptolemæus Cleopatræ pater, multis tandem poſt annis, annitente Pompejo, a Gabinio contra auctoritatem Pop. Rom. ac Senatus in regnum reſtitutus, qua de re pleniſſime inter alios Dion lib. XXXIX.

CASAUBON.

10. *Ædilis præter comitium ac forum.*] Mos vetus Romæ, circa annum U. C. CDXLIII. inſtitutus, parta de Samnitibus per Papirium Curſorem nobiliſſima victoria. Notat Livius, lib. X. XL. *Dictator ex S. C. triumphavit : cujus triumphi longe maximam ſpeciem captiva arma præbuere. Tantum magnificentiæ viſum in iis, ut aurata ſcuta dominis argentariorum ad forum ornandum dividerentur : inde natum initium dicitur fori ornandi ab Ædilibus, cum thenſæ ducerentur.*

Pars apparatus exponeretur.] Signata vox *exponeretur* : quod verbi proprie locum habet in iis, quas vocant Græci ἐπιδείξεις : quum pretioſiſſimæ quæque res omnis generis foras proferuntur, & oculis ſpectantium exponuntur. *Jacobus* olim *Bononienſis* reſcribi juſſit, *par apparatus*, nulla ratione ductus neceſſaria : ſed hauſerat, puto, eam lectionem e manuſcriptis. nam in Viterbienſi codice ita ſcriptum.

Tantum Caſtoris vocaretur.] Imo Caſtores dicti Latinis, quos Græci vocant Διοσκούρους. Notum ex Plinio, Minutio Felice, Arnobio, aliis; & ita recte vetus interpres, *Actorum* cap. XXVIII. Sic in *Euripidis Electra* τὼ Κάστορε, quod nuper docuit nos Joſephus Scaliger.

Adjecit inſuper Cæſar etiam gladiatorium munus.] Superiora ad Deum honorem pertinuere & ædilis munus : gladiatores in memoriam patris dedit Cæſar. Dio & Plutarchus.

Paucioribus quam deſtinarat paribus.] Exhibuit ad arenam paria gladiatorum trecenta & viginti. Plutarchus.

11. *Ut ſibi Ægyptus provincia plebiſcito daretur.*] Id eſt, ut ſibi extra ordinem pacandus Ægypti ſtatus demandaretur, & rex in regnum ſuum reſtituendus. *Provincia Ægyptus* hic dicitur (moneo tyronum gratia) ut paullo poſt, *provinciæ* appellantur, ſylvæ calleſque. neque enim populi Rom. provincia Ægyptus erat illis temporibus.

TOR-

tropæa C. Marii de Jugurtha, deque Cimbris atque Teutonis, olim a Sulla disjecta, reſtituit: atque in exercenda de ſicariis quæſtione, eos quoque ſicariorum numero habuit, qui proſcriptione ob relata civium Romanorum capita, pecunias ex ærario acceperant;
12 quamquam exceptos Corneliis legibus. Subornavit etiam qui C. Rabirio perduellionis diem

Torrent.

Tropæa C. Marii.] Ea jure neque Sulla dejicere potuit, cum ſemel dedicata moveri nefas eſſet, neque Cæſar reſtituere: nam ne vetuſtate quidem conſumpta reficiebantur. Plutarch. probl. Romanis Quæſt. XXXVI. & Dion lib. XLII. de Pharnace jam devicto loquens his verbis: *Cum eo in loco tropæum Mithridates de Triario ſtatuiſſet, quia id conſecratum belli Deis evertere fas non erat, Cæſar de Pharnace ſuum oppoſuit, atque ita Mithridatis obſcuravit.* Memorabile autem ob id Cæſaris facinus tunc Catuli dictum fuit, eum jam non cuniculis, ſed machinis rempub. oppugnare. Auctor Plutarch.

In exercenda de ſicariis quæſtione.] Id uti de prætore dictum intelligo. Prætores enim judicia exercebant. Sueton. hæc, & quæ proximo capite ſequuntur, ut ex eodem fonte, Marianæ ſcilicet factionis ſtudio, manantia, conjungit; non quod eodem tempore contigerint.

Ob relata civ. Rom. capita.] In uno cod. eraſa fuit dictio *relata*. Et ſane qui occidendi hominis cauſa pecuniam acceperit, ut qui telum geſtet, aut venenum comparet, etiamſi non occiderit, lege Cornelia tenetur. In eo autem arguitur Cæſar, quod acta Sullæ, S. C. confirmata, hunc in modum reſcindendo remp. turbaverit; non quin illi ſicarii fuerint, ſive occiderint, ſive non, cum pecuniam eos ob id accepiſſe conſtaret.

12. *Qui C. Rabirio.*] Is T. Labienus fuit, Cicerone & Hortenſio reum defendentibus. Exſtat Ciceronis oratio, & rem omnem eleganter narrat Dion lib. XXXVII.

Casaubon.

Tropæa C. Marii.] Plutarchus clarius: Ἐικόνας ἐποιήσατο Μαρίου κρύφα, καὶ νίκας τροπαιοφόρους. Eum adi. *Tropæa* autem ſemper ſcribendum, non *trophæa*. Nullo enim modo ferendus eſt Marcellus Donatus, qui tantum hoc loco perdit verborum, ut probet veram ſcriptionem eſſe *trophæa*. Fuit omnino vir ille plurimarum literarum, & in Romana antiquitate adprime verſatus: ſed qui Græcæ eruditionis cum plane expers eſſet, ἀφυέστατον criticum ubique ſeſe prodit. Cujuſmodi ſane hoc eſt illius judicium. Nam quot argumentis confutari ejus ſententia poteſt? Repugnat primo analogia: etenim ſi trophæa ſcribi debet, ergo etiam trophos rhetorum dicemus, non tropos. Origo enim eſt eadem. Ita nullum erit diſcrimen inter deducta a τρέφω, *alo*; & τρέπω, *verto*. Repugnant omnes libri meliores & paullo vetuſtiores nobis inſpecti, qui nullam in hac voce adſpirationem agnoſcunt: *tropæa* enim diſerte habent Turonenſis codex & optimus quiſque. Repugnant denique etiam priſci lapides; ut ille in quo, vel ipſo Donato teſte, hæc leguntur: ARCUM SIMULACRIS EORUM TROPÆISQUE DECORAT.

Atque in exercenda de ſicariis quæſtione.] Cæſar poſt ædilitatem factus eſt judex quæſtionis, anno Urbis DCXCI. eique prætori operam navavit, cui ſorte contigerat quæſtio inter ſicarios. Id erat fere ædilitiorum hominum munus, & gradus ad præturam ex ædilitate. Poſſem ex Cicerone, quod dicimus, probare, niſi doctiſſimorum hominum de his ſcripta eruditiſſima verſari in omnium manibus ſcirem. Tantum lapidis inſcriptionem proferam, in honorem memoriæ Octavii patris Auguſti poſiti: ubi ordine enumerantur officia, quæ ille conſecutus eſt in rep. omnia:

C. OCTAVIUS. C. F. C. N. C. PR.
PATER AUGUSTI.
TR. MIL. BISQ. ÆD. PL. CUM
C. TORANIO JUDEX QUÆSTIONUM
PR. PRO. COS. IMPERATOR. APPELLATUS
EX PROVINCIA. MACEDONIA.

Hoc ego non monuiſſem, niſi viderem, virum doctum, contra Suetonii mentem & ordinem ejus accuratiſſimum, ad Cæſaris præturam hæc referre. Scio factum interdum, ut idem & prætor juriſdictioni præeſſet, & quæſitor una exerceret quæſtionem, ſicut Cicero repetundis prætor urbanus: ſed hoc de Cæſare cur nobis perſuadeamus, ſilentibus veteribus memoriis, cauſſa nulla eſt.

12. *Subornavit etiam.*] Peſſimo conſilio, qui Suetonii libros in capita ſecuerunt, uſos eſſe, nimis ſæpe attentus lector obſervabit. Exemplo ſit hic locus: male enim divulſerunt, quæ prudenter auctor conjunxerat, & quæ in Turonenſi ſuperioribus cohærent: licet diſtinctio capitum in eo libro ſit obſervata. Neque hoc nullum momentum ad rectam iſtorum intelligentiam affert. Nam qui non attenderunt, ab illis verbis ſuperioris capitis, *atque in exercenda de ſic. quæſt.* ad hujus XII. finem de Cæſare judice quæſtionum agi, mentem auctoris pervidere non quiti ſunt. Inde igitur prava diviſio: inde eorum error, qui perverſo narrationis ordine confuſam Tranquillo temporum rationem imputarunt.

diem diceret : quo præcipuo adjutore, aliquot ante annos L. Saturnini ſeditioſum tribuna-
tum ſenatus coërcuerat : ac ſorte judex in reum ductus, tam cupide condemnavit, ut
ad populum provocanti nihil æque ac judicis acerbitas profuerit. Depoſita provinciæ ſpe, 13
pontificatum maximum petiit, non ſine profuſiſſima largitione. In qua reputans magni-
tudinem æris alieni, cum mane ad comitia deſcenderet, prædixiſſe matri oſculanti fer-
tur,

TORRENT.

Quo præcipuo adjutore.] Duo codd. *auctore.* Verum auctor ipſe ſenatus fuit & univerſa nobilitas, adjutor Rabirius, cujus etiam manu occiſus ferebatur Saturninus Tr. pl. quem, ut ſacroſanctum, violare nefas erat. Ideo perduellionis cauſam dixit Rabirius. Quo crimine tenetur, ut inquit Ulpianus, is, qui hoſtili animo adverſus rempub. aut Principem quid fecerit, l. ult. ad leg. Jul. majeſtatis. Ut fortaſſis *actore* legendum ſit. quod certe malim. Differunt vero *auctor* & *actor*, ut in Pomponii Attici vita Corn. Nepos, volens oſtendere Athenienſes ejus & conſilio & opera uti ſolitos : *Hunc enim*, inquit, *in omni procuratione reip. actorem, auctoremque habebant.*

Aliquot ante annos.] Annos XXXVI. Dion enumerat, Cicero in Piſonem XL. his verbis : *Ego in C. Rabirio, perduellionis reo, XL. annis ante me cos. interpoſitam ſenatus auctoritatem ſuſtinui contra invidiam atque defendi.* Dionis enumeratio faſtis conſentit. Cicero, cum parum abeſſet, cauſæ ſerviens, & rem extollens, XL. annorum, cujus temporis longiſſima præſcriptio eſt, numerum adimplevit.

Sorte judex in reum ductus.] Prætor quæſtionibus & publicis judiciis præerat, judiceſque cogebat, ac ſortiebatur. Rabirii ergo judicium Cæſaris præturam anteceſſit : neque enim judex duci ſorte, & eſſe prætor potuit. Catilinæ vero conjuratio extremo Ciceronis conſulatu detecta fuit. Et tunc quidem prætor declaratus erat Cæſar, ſed nondum inierat magiſtratum.

13. *Prov. ſpe.*] Redit ad id, quod ante de Ægypto dixit.

Matri oſculanti.] Tib. cap. XXXIV. *Quotidiana oſcula prohibuit edicto.*

CASAUBON.

Ac ſorte judex in reum ductus.] Accipio de ſortitione illa, qua factus Cæſar judex quæſtionis in judicio Rabiriano. Quæſtionis judex quaſi vicarius fuit prætoris ſive quæſitoris ejus, cui aderat. Quamobrem non minus quam ille quæſtionem exercere dicitur : quod cæteris privatis judicibus non convenit. Refert Dio libro XXXVII. ſediſſe judicem in hac cauſſa & Lucium Cæſarem cum Cajo Cæſare : ſed ille quidem privatus fuit, ut unus aliquis e judicum ſelectorum numero : Cajus non ſimpliciter judex, ſed quæſtionis judex de cauſſa cognovit. Quo major ei facultas reo nocendi fuit.

13. *Depoſita provinciæ ſpe, pontificatum maximum petiit.*] Quo anno Cæſar quæſtiones exercuerat, eodem & pontifex maximus eſt creatus, ſub exitum conſulatus M. Tullii. Adi in actis ejus anni Dionem.

Non ſine profuſiſſima largitione.] Duabus potiſſimum Cæſaris artibus effectum, ut in petitione hujus ſacerdotii homo juvenis, necdum præturam conſecutus, ampliſſimos viros Q. Catulum & P. Iſauricum, ſuperaret ; profuſa largitione in tenuiores, & potentiorum aſſectatione diligentiſſima, ad fœditatem adulationis uſque. De hac fuſe Dio lib. XXXVII. ex cujus verbis tollenda menda, legendumque : Ὀυδὲ ἔμελεν ὅι τῆς ἀυτίκα ταπεινότητος πρὸς τὴν ἐκ τῦ ἔπειτα ἰσχὺν, ἀλλ᾽ ὧν ἐπεχείρει πρωτεῦσαι, τύτυς ὡς καὶ κρείττυς ὑπήρχετο. Inepte vulgo, ὡς καὶ κρειττων. Nec proba eruditiſſimi Xylandri emendatio, ὡς ἐσόμενος κρείττων. Verſio quoque a Dionis ſententia aliena. Hoc vult enim : *quos dignitate præcedere ſtudebat, eoſdem ut dignitate ſuperiores aſſectabatur.*

Cum mane ad comitia deſcenderet, prædixiſſe matri oſculanti.] Deſcendentem ad comitia oſculari, peculiare materni affectus fuit : at redeuntem e comitiis, honore auctum oſculo excipere, commune matri cum aliis propinquis, amicis, clientibus. De matre locus iſte apud Polybium teſtatur, libro decimo : Δοκεῖν γὰρ ἅμα τ᾽ ἀδελφῷ καθεσαμένος ἀγορανόμος ἀναβαίνειν ἀπὸ τῆς ἀγορᾶς ὡς ἐπὶ τὴν οἰκίαν· ἐκείνην δὲ συναντᾷν ἀυτοῖς ἐις τὰς θύρας, καὶ περιπτύξασαν ἀσπάσασθαι. De reliquis elegans locus apud Arrianum in diſſertationibus Epicteti, libro primo, cap. XIX. Ἠξίωταί τις δημαρχίας, πάντες οἱ ἀπαντῶντες συνήδονται· ἄλλος τὺς ὀφθαλμὺς καταφιλεῖ, ἄλλος τὸν τράχηλον· οἱ δῦλοι τὰς χεῖρας. Notatu dignum eſt, etiam in curia talibus blanditiis fuiſſe locum : narrat enim Plutarchus Bruto, conjuratos ſellam Cæſaris curiam ingreſſi circumſtetiſſe, quaſi aliquid rogaturos, oſculabundos, manus alios, quoſdam caput : Καὶ συνεδέοντο πάντες ἁπτόμενοι τε χειρῶν, καὶ στέρνα καὶ κεφαλὴν καταφιλῦν. Sic qui in ſenatu honore aliquo afficiebantur, eos amici, qui intererant, oſculo inibi excipiebant : quo ex more illud eſt, quod de optimo principum Trajano narrat Plinius in panegyrico c. LXXI. *Jam*, inquit, *quo aſſenſu, quo gaudio exceptum eſt, quum candidatis, ut quemque nominaveras, oſculo occurreres, devexus in planum & quaſi unus ex gratulantibus.* Fuit & conſuetudo Principum, quos amarent, eorum non ora tantum, ſed pectus quoque & manus oſculari. Theodoritus libro V. de Theodoſio, Meletium epiſcopum excipiente : Περιεπτύσσετό τε καὶ κατεφίλει καὶ ὀφθαλμὺς καὶ χείλη καὶ στέρνα καὶ κεφαλὴν καὶ τὴν στεφανώσασαν δεξιάν.

TOR-

tur, domum ſe niſi pontificem non reverſurum. atque ita potentiſſimos duos competitores, multumque & ætate & dignitate antecedentes, ſuperavit, ut plura ipſe in eorum tribubus ſuffragia, quam uterque in omnibus tulerit.

14 Prætor creatus, detecta conjuratione Catilinæ, ſenatuque univerſo in ſocios facinoris ultimam ſtatuente pœnam, ſolus municipatim dividendos, cuſtodiendoſque publicatis bonis, cenſuit. Quin & tantum metum injecit aſperiora ſuadentibus, identidem oſtentans, quanta eos in poſterum a plebe Romana maneret invidia, ut Decimum Silanum conſulem deſignatum non piguerit, ſententiam ſuam, quia mutare turpe erat, interpretatione lenire, velut gravius atque ipſe ſenſiſſet exceptam: obtinuiſſetque adeo, transductis ad ſe jam pluribus, & in his Cicerone conſulis fratre, niſi labantem ordinem confirmaſſet M. Catonis oratio. Ac ne ſic quidem impedire rem deſtitit,

Torrent.

Duos competitores.] Q. Lutatium Catulum, & P. Servilium Iſauricum, Plutarch. Dion plures adhuc alios petiviſſe refert. Simile vero exemplum P. Licinii Craſſi, pont. max., apud Livium initio lib. xxv.

Ætate ac dignitate.] Melius quatuor libri mss. *& ætate & dignitate.* Cicero in Verr. *P. Servilius, & Q. Catulus tantis rebus geſtis ſunt, ut in clariſſimorum hominum numero reponantur.* De Catulo, quod huc propius ſpectat, ſic etiam Salluſt. *Ex petitione pontificatus, odio incenſus, quod extrema ætate, maximis honoribus uſus, ab adoleſcentulo Cæſare victus diſceſſerat,* Catuli, ut videtur, verbis adoleſcentulum vocans eum, qui mox prætor factus eſt. Et alioqui vetuſta conſuetudine Romani ad annum xlvi. juniores, ſupraque eum annum ſeniores appellabantur. Gellius x. cap. xxviii.

14. *Ciceronis conſulis fratre.*] Liber opt. *Cicerone conſulis fratre.* quod ſane elegantius eſt.

Casaubon.

14. *Solus municipatim dividendos cuſtodiendoſque publicatis bonis, cenſuit.*] Quomodo ſolus, ſi plures in ſuam ſententiam traxit? Sed aliud eſt *cenſere*, aliud *aſſentiri*, ut libro ſequente cap. xxxv. Et tamen ne ſic quidem conſentient inter ſe ſcriptores. A ſententia, quæ præſens ſupplicium decernebat, primum diſceſſiſſe Domitium Neronem, non autem Cæſarem, ſcribit Salluſtius c. l. Qui etiam addit, Silanum, quando permotus oratione Cæſaris, quod prius cenſuerat, correxit, pedibus in ſententiam Ti. Neronis iviſſe. Idem Appianus ii. Civil. quoque narrat. Suetonius & Dio nullam Domitii mentionem faciunt. Quin diſerte Dio affirmat & Plutarchus, τοὺς ἄλλους πάντας μέχρι Καίσαρος θανατοῦν κελεῦσαι: *alios omnes ante Cæſarem mortis damnaſſe.* Sed & Cæſaris ſententiam ita varie narrant auctores, ut convenire pax inter illos nequeat. Salluſtius ſic ait c. li. *Publicandas eorum pecunias; ipſos in vinculis habendos per municipia, quæ maxime opibus valent: neu quis de his poſtea ad ſenatum referat, neve cum populo agat.* Plane idem & Dio, qui Salluſtii verba videtur expreſſiſſe. Sic enim lib. xxxvii. Γνώμην ἔδωκε δῆσαί τε αὐτοὺς, καὶ εἰς πόλεις ἄλλους ἄλλῃ καταθέσθαι, τῶν οὐσιῶν ἐστερημένους, ἐπὶ τῷ μήτε περὶ ἀδείας ἔτι αὐτῶν χρηματισθῆναί ποτε. Omnia ſunt eadem: ut in vinculis habeantur; ut oppidatim dividantur; ut pecunia ſua priventur; ut de eorum cauſſa ad conſequendam abſolutionem neque referre ad ſenatum fas cuiquam ſit, neque agere cum populo. At Plutarchus quam diverſe! ut per Italiæ urbes, quas Cicero ipſe elegiſſet, cuſtodirentur ad devictum uſque Catilinam; quo poſtea ſenatus per otium de cauſſa ipſorum cognoſceret. Vides nullum hujus ſententiæ caput eodem modo eſſe conceptum, atque apud ſuperiores ſcriptores. Appianus Plutarchum, ut fere alibi, ſequitur: Προυτίθει διαθέσθαι τοὺς ἄνδρας Κικέρωνα τῆς Ἰταλίας ἐν πόλεσιν, αἷς ἂν αὐτὸς δοκιμάσῃ, μέχρι Κατιλίνα καταπολεμηθέντος εἰς δικαστήριον ὑπαχθῶσι. *Sententiam dixit, ut Cicero per urbes Italiæ, quas ipſe probaſſet, reos divideret; donec, Catilina devicto, judicio ſiſtantur.* In editis libris perperam ſcriptum προσετίθει· qui error perſuaſit interpretibus, Cæſarem non novæ ſententiæ auctorem exſtitiſſe, verum prius dictis aliquid addidiſſe: quod falſiſſimum eſt. Προυτίθει igitur verum eſt; nempe γνώμην. Obſervent autem tyrones morem populi Rom. in reorum cuſtodia. Nam quos in carcerem non conjiciebant, eos vel militibus, vel fidejuſſoribus, vel etiam ſibi committebant, ut ait lex prima Digeſt. de cuſtodia reorum, vel eos magiſtratibus cuſtodiendos tradebant, vel per oppida Italiæ dividebant: cujus moris nobile exemplum in illis mille Achæis, quos bello Perſei confecto Romani in Italiam acciverunt, ut nuper ad Polybium oſtendimus, qui inter illos fuit. Quemadmodum autem ad magiſtratus ſive privatos fidejuſſores aut vades periculum ex evaſione cuſtodiarum ſpectavit, ſic ad urbes vel municipia, quibus fuerant rei traditi; quod in hac hiſtoria Dio obſervat illis verbis: Ἐπὶ τῷ ἂν διαδράσῃ τις, ἐν πολεμίων μοίρᾳ τὴν πόλιν, ἐξ ἧς ἂν φύγῃ, εἶναι: *Ea lege, ut ſi quis eorum effugiat, ejus oppidani, unde aliquis effugerit, pro hoſtibus & perduellibus habeantur.*

tit, quoaduſque manus equitum Romanorum, quæ armata præſidii cauſſa circumſtabat, immoderatius perſeveranti necem comminata eſt: etiam ſtrictos gladios uſque eo intentans, ut ſedentem una proximi deſeruerint, vix pauci complexu togaque objecta protexerint. Tunc plane deterritus non modo ceſſit, ſed etiam in reliquum anni tempus curia abſtinuit.
Primo Præturæ die Q. Catulum de refectione Capitolii ad diſquiſitionem 15
populi vocavit, rogatione promulgata, qua curationem eam in alium transferebat. Verum impar optimatium conſpirationi, quos relicto ſtatim novorum conſulum officio, frequentes, obſtinatoſque ad reſiſtendum concurriſſe cernebat, hanc quidem actionem depoſuit.
Cæterum Cæcilio Metello Tribuno pleb. turbulentiſſimas leges adverſus collegarum 16
inter-

TORRENT.

Ut ſedentem.] Plutarch. egredienti jam curiam hanc vim factam dicit, Curione objecta toga eum protegente.

In reliquum anni tempus.] Hæc extremo Ciceronis anno acta fuere. Cæſar ſequentibus conſulibus præturam geſſit.

15. *De refectione Capit.*] De ædificatione Capitolii, & varia ejus fortuna Plutarch. in vita Poplicolæ, & Tacitus lib. III. Hiſtor. Quod vero propius ad hunc locum ſpectat, auctor eſt Dion lib. XLIII. inter alios decretos Cæſari poſt victoriam honores hunc quoque additum, ut nomen ipſius, deleto Catuli, Capitolio inſcriberetur; perinde ſcilicet ac ſi ipſe id perfeciſſet, de cujus perfectione Catulum ad diſquiſitionem populi vocaverat. Verum id ſecutum non fuiſſe Tacitus, quo ſupra citavimus, loco oſtendit. Adde, ſi placet, Val. Max. lib. VI. cap. IX.

Conſulum officio.] *Conſulum officium* vocat, quod conſulibus, quo die inibant magiſtratum, ab amicis præſtabatur. Notandumque ex hoc loco, primum præturæ Cæſaris diem eundem fuiſſe, quo etiam novi coſſ. deducebantur, kal. Jan.

Frequentes obſtinatoſque.] Liber opt. qui fuit olim Joh. Baptiſtæ Panæti Ferrarienſis, *frequentes deſtinatos*, ſine conjunctionis particula. quam lectionem veram puto. Catull. *At tu, Catulle, deſtinatus obdura*; pro certus obfirmatuſque.

16. *Cæcilio Metello tr. pl.*] Is etiam Nepotis cognomen, quod Valerio teſte a moribus ductum eſt, habuit, homo leviſſimus. De cujus ſeditioſo tribunatu prolixe Plutarch. Catone Uticenſi, & Dion lib. XXXVII. Cicero ſæpiſſime. Inf. cap. LV.

CASAUBON.

Quoad uſque manus equitum.] Scrib. *quoad manus equit.* ut in omnibus ἀξιοπίστοις veteribus, etiam Turonenſi.

Quæ armata præſidii cauſſa circumſtabat.] Plut. Πολλοὶ τῶν Κικέρωνα φρουρούντων τότε νέων. Sed melius Salluſtius: *Conſul, ubi ea parari cognovit, diſpoſitis præſidiis, uti res atque tempus monebat.* Non enim ad ſalutem Ciceronis magis, quam ad publicam omnium, hæc præſidia ſpectabant. Quos autem juvenes vocat Plutarch. ii videntur equites fuiſſe, ex Salluſtio: etſi de illo patrum conſeſſu is non loquitur, verum de priore.

Ut ſedentem proximi deſeruerint.] Senatorum in curia fuit hic mos, cavere, ne homini obnoxio aſſiderent. Cicero in Catilinam I. VII. *Quid quod adventu tuo iſta ſubſellia vacuefacta ſunt? Quid quod omnes conſulares, qui tibi ſæpe ad cædem conſtituti fuerant, ſimulatque aſſediſti, partem iſtam ſubſelliorum nudam atque inanem reliquerunt?* Notat Dio libro LVIII. de amicis Sejani, illi aſſidentibus, quo die noviſſime in ſenatum venit: Μετὰ τοῦτο καὶ ἐν κατηφείᾳ πολλῇ ἐγίγνοντο, καί τινες καὶ ἐξανέστησαν τῶν συγκαθημένων αὐτῷ· ὃν γὰρ πρόσθεν περὶ πολλοῦ φίλον ἔχειν ἐποιοῦντο, τούτῳ τότε οὐδὲ τῆς αὐτῆς συνεδρείας κοινωνεῖν ἤθελον.

In reliquum anni tempus.] A nonis Decembribus ad kal. Januarias.

15. *De refectione Capitolii ad diſquiſitionem populi vocavit.*] Ita exprimit Græcorum ἐπί τινι εὐθύνειν. Dio lib. XLIII. hac de re loquens: Ἐφ᾽ οὗ τῇ ἐκποιήσει εὐθύνειν ἐκεῖνον ἐπεχείρησε. Libro XXXVII. dixerat: Κλοπῆς αὐτὸν ηὔθυνε καὶ τὸν λογισμὸν τῶν ἀνηλωμένων χρημάτων ἀπῄτει. Sic libro VI. c. 2. *Cæſarem ad diſquiſitionem ſenatus vocavit.*

Qua curationem eam in alium transferebat.] Is *alius* eſt Pompejus, in quem voluit Cæſar non tam curationem quam honorem inſcriptionis, ambitioſe transferre. Dio: Ἔπραττεν ὁ Καῖσαρ, ὅπως τὸ μὲν τοῦ Κατόλου ὄνομα ἀπὸ τοῦ ναοῦ τοῦ Διὸς τοῦ Καπιτωλίνου ἀφαιρεθείη· τῷ δὲ δὴ Πομπηΐῳ τὰ λοιπὰ προσεξεργάσασθαι ἐπιτραπείη. & quæ ſequuntur.

Relicto ſtatim novorum conſulum officio.] Vide ad caput LIII. lib. ſequentis.

VARIOR.

15. *Qua curationem eam in alium transferebat.*] Transferebat, id eſt, transferre inſtituebat. Sic infra cap. XXIII. *Senatui detulit*, & cap. XV. *Nec jus quod adoptione amiſerat, ex ulla parte retinuit.* De quo loquendi genere videri etiam poterit Scipio Gentilis I. Pereg. XXV. GOESIUS.

TOR-

interceſſionem ferenti, auctorem propugnatoremque ſe pertinaciſſime præſtitit, donec ambo adminiſtratione reip. decreto patrum ſummoverentur. Ac nihilo minus permanere in magiſtratu, & jus dicere auſus, ut comperit paratos qui vi ac per arma prohiberent, dimiſſis lictoribus, abjectaque prætexta, domum clam refugit, pro conditione temporum quieturus. Multitudinem quoque biduo poſt ſponte & ultro confluentem, operamque ſibi in aſſerenda dignitate tumultuoſius pollicentem, compeſcuit. Quod cum præter opinionem eveniſſet, ſenatus ob eundem cœtum feſtinato coactus, gratias ei per primores viros egit: accitumque in curiam, & ampliſſimis verbis collaudatum, in integrum reſti-
17 tuit, inducto priore decreto. Recidit rurſus in diſcrimen aliud, inter ſocios Catilinæ nominatus,

TORRENT.

Ob eundem cœtum.] Peculiare apud auctores de ſeditione verbum. Sic inf. cap. XLI. *Ac ne qui novi cœtus.* Livius: *Cœtus nocturni plebis ſuſpecti patribus.* Seneca III. Declam: *Qui cœtum fecerit, capitale ſit.* Marcianus J.C. l. v. ad leg. Juliam de vi publica: *Qui cœtu, concurſu, turba, ſeditione incendium fecerit.*

Inter ſoc. Cat. nominatus.] Sic Calig. cap. XXVI. *Quæſtorem ſuum, in conjuratione nominatum, flagellavit.* JCti noſtri, ubi de criminibus agitur, nominatos dicunt eos, qui rei facti poſtulatique ſunt, l. I. de quæſtionib. l. VI. de interdictis & releg. l. II. de bonis eorum, qui ſib. mort. conſ. Eadem ſcilicet ratione, qua appellare interdum pro accuſare, ſeu in judicium vocare accipitur.

Apud Novium quæſtorem.] Turneb. lib. II. Adverſar. cap. XXVII. quæſtorem accipit pro eo, qui judicium publicum exercet, & quæſitor ſæpius dicitur. Verum cum de indicio tantum hic agatur, ego huic Novio, tunc quæſtori urbano, a ſenatu extra ordinem mandatum puto, ut Vettium indicium profitentem audiret. Nam alioqui, ſi lege quæſtioni Novius præerat, prætorem fuiſſe neceſſe eſt. Prætor enim, ut ſupra monuimus, judicia exercebat, & tum quæſitor dicebatur. Prætorem autem non fuiſſe Novium oſtendit id, quod ſequitur: ideo conjectum fuiſſe in carcerem, quod compellari apud ſe majorem poteſtatem paſſus eſſet, prætorem ſcilicet Cæſarem, ipſe quæſtor tantum. Qua de re Gellius lib. XIII. cap. XII. & ſequenti. Liber unus habet *Nonius*, ut in veteri numiſmate SEX. NONIUS SUFENAS; & Sueton. Aug. cap. XLIII. *Nonius Aſprenas.* Sed & Novii Romani ſunt. Horat. lib. I. Sat. VI.

At Novius collega gradu poſt me ſedet uno.

quo tamen ſermone etiam Nonios commemorat.

CASAUBON.

16. *Donec ambo adminiſtratione reip. decreto patrum ſummoverentur.*] De Cæcilio Metello conſentit Dio: de Cæſare perſpicue aliter tradit: ceſſiſſe illum, neque paſſum decerni id de ſe, quod jam de Nepote fuerat decretum: Ὀυ μὲν ἔτω γε χαρίζεσθαι ἀυτῷ (Pompejum intellige) ἤθελεν, ὥςε καὶ ἐφ᾽ ἑαυτῷ διὰ τῦτο ψηφισθῆναί τι τοιῦτον, ὅιον ἐπὶ τῷ Νέπωτι δέδοκται, ὑπομεῖναι. Id puto ex eo accidiſſe, quoniam decretum iſtud, quod ad Cæſarem, prius contumacia ipſius & imparentia, deinde ob poſterius factum ſenatuſconſultum, perinde habitum, quaſi nunquam eſſet factum.

Operamque ſibi in aſſerenda dignitate pollicentem.] Mirus ubique in hoc auctore poteſt obſervari verborum dilectus, non e rhetorum lecythis petitorum, ſed e vita communi & uſu quotidiano. Nam illæ voces *aſſerenda dignitate*, ipſiuſmet Cæſaris ſunt, non Suetonii. In omni republica bene temperata, qualis Romana fuit, duplex obſervatur æqualitas, arithmetica & geometrica; ſive ut cum Ariſtotele dicam, τὸ ἀριθμῷ ἴσον, & τὸ κατ᾽ ἀξίαν ἴσον. Prior æqualitas appellatur libertas, poſterior dignitas. Ut igitur plebs vilis, quoties fere tumultuatur, libertatem prætexit: ſic optimates & potentes dignitatem. Sic Catilina conſpirandi adverſus patriam hanc ſe habere cauſſam dicere ſolitus, quod ſtatum dignitatis ſuæ non obtineret. Apud Salluſtium ipſe ita loquitur c. XXXV. *Injuriis contumeliiſque concitatus, quod fructu laboris induſtriæque meæ privatus,* STATUM DIGNITATIS NON OBTINEBAM, *publicam miſerorum cauſſam pro mea conſuetudine ſuſcepi.* Cæſar ſimillime, cauſſam, cur patriæ bellum intuliſſet, hanc afferre ſolitus, pro aſſerenda dignitate ſua. De bello civili libro I. cap. VII. in concione ad milites: *Hortatur, cujus imperatoris ductu IX. annis remp. feliciſſime geſſerint, ut ejus exiſtimationem dignitatemque ab inimicis defendant.* Suetonius cap. XXXIII. de illa concione aut ſimili loquens: *Quum affirmaret ſe ad ſatisfaciendum omnibus, per quos dignitatem ſuam defenſurus eſſet, annulum quoque æquo animo detracturum ſibi.* cap. LXXII. hæc verba illius proferuntur: *Profeſſus eſt palam, ſi graſſatorum & ſicariorum ope in tuenda ſua dignitate uſus eſſet, talibus quoque ſe parem gratiam relaturum.* Alibi idem Cæſar cauſſam, cur Pompejus hoc bellum conflaſſet, hanc dicit eſſe, *quod neminem dignitate ſecum exæquari volebat.* Sic in formula libellorum, quos idem Cæſar ad candidatorum commendationem circum tribus miſſitabat: *Commendo vobis illum & il-*

 lum

minatus, & apud Novium Nigrum Quæſtorem a L. Vettio Judice, & in ſenatu a Q. Curio: cui, quod primus conſilia conjuratorum detexerat, conſtituta erant publice præmia. Curius e Catilina ſe cognoviſſe dicebat: Vettius etiam chirographum ejus Catilinæ datum pollicebatur. Id vero Cæſar nullo modo tolerandum exiſtimans, cum implorato Ciceronis teſtimonio, quædam ſe de conjuratione ultro ad eum detuliſſe docuiſſet, ne Curio præmia darentur, effecit: Vettium pignoribus captis, & direpta ſupellectile male mul-

lum, ut veſtro ſuffragio ſuam dignitatem teneant, ut legitur cap. XLI. In his omnibus locis dignitas non ſimpliciter honorem ſignificat; ſed illam æqualitatem, quam appellari diximus Ariſtoteli τὸ ἴσον τὸ κατ' ἀξίαν.

TORRENT.

A L. Vettio indice.] Recte ſic Pulmann. cum antea *Vectio* legeretur. Dion & Appian. nomen ſervant, & exemplar unum ex noſtris *Vetio* habet. *Vettius* ergo, unde cognomen Vettienus, ſcribendum eſt etiam apud Ciceronem, maxime ad Att. lib. II. epiſt. penult. & orat. in Vatinium. Exſtant præter lapides etiam nummi veteres: in quibus cum *t. Vettius Judex* legamus, quidam vir doctus hoc loco non *Vettio indice*, ſed *Judice*, ut cognomen ſit, ſcribi voluit. A quo diſſentio, non quin Judex cognomen ei fuerit (quamquam Salaſſus quoque vocari potuit, ut ille Vettius, de quo Valerius lib. IX. cap. XI.; aut Marcellus, ut ille, de quo Plin. x. cap. XXV.) ſed neque Sueton. tot nominibus uti conſuevit, & indicem vocat ipſe Cicero ad Att. *Vettius, ille noſter index.* Juſto autem Lipſio libentius aſſentior, qui hunc ipſum Vettium proſcindi putat a Catullo nobili illo epigrammate,

In te, ſi in quemquam, dici pote, putide
Vetti, &c.

De Q. Curio autem, altero indice, idem Cicero non uno in loco, & Salluſt. Catil. & Plutarch. Ciceron.

Pignoribus captis & direpta ſupell.] Id ita intelligo, ut cum multæ nomine ob falſum indicium pignora caperentur, in turba, quemadmodum fieri conſuevit, ſupellex tota direpta ſit. Coërcitionis enim genus erat pignoris captio, qua ſenatores etiam in ſenatum venire, & rogati ſententiam dicere cogebantur, aut aliam quoque ob cauſam coërcebantur. Gell. lib. VII. cap. x. Cic. Philipp. III. & lib. III. de Oratore: *Craſſum in Senatu Philippus conſul ſe laceſſentem pignoribus captis inſtituit coërcere.* Dion Vettium hunc equitem facit.

CASAUBON.

17. *Apud Novium Nigrum quæſtorem.*] Hoc eſt, quæſitorem. Notum, qui fuerint in Romanis δικασταῖς quæſitores.

A L. Vettio indice.] Scribe *Judice.* ita volueram. Sic enim membranæ Viterb. Sic nummi veteres, quos proferunt viri docti, in quibus Vettii cognomen eſt JUDEX. Dio lib. XXXVII. vulgatam lectionem ſtabilit nonnihil: μηνύσει Λουκίου Οὐεττίου ἀνδρὸς ἱππέως. Eſt & apud Tacitum Vettius quidam Valens, qui indicium offerens trahitur ad ſupplicium, libro XI. Annal. ex eadem, ut puto, gente.

Quædam ſe de conjuratione.] Recte *quædam*, ut Memmianus & fere omnes libri. nonnulli *quadam.* id vero ferri non poteſt; non enim de alia conjuratione iſta debent intelligi quam de Catilinaria.

Vettium pignoribus captis & direpta ſupellectile.] Inter coërcitionum modos leniores hic fuit. Nam ſi quis conſuli aut prætori non obtemperaret, lictores mittebantur, qui damno eum coërcerent, ut loquitur Cicero. Ex eo diſcimus, fabros, ſi aditus non pateret, ſolitos adhiberi, & publicis operis omnia diſturbari. Hanc violentiam exprimit Suetonius voce *direpta*: neque enim prædam aut rapinam id verbum ſemper ſignificat, ſed violentiam duntaxat & celeritatem actionis denotat. Erit igitur *direpta ſupellex*, quæ fuerit cupide ablata & divendita. nam *diripere* pro cupide emere, dixerunt eleganter Latini. Auctor vitæ Perſii, quem docti putant eſſe Suetonium: *Editum librum continuo mirari homines & diripere cœperunt.* nam ita ſcribendum eſſe, non *deripere*, in editione Perſii admonuimus: idque tam eſt certum, quam quod certiſſimum. Alii auctores pari venuſtate etiam verbum *rapere* uſurparunt. Hieronymus ad Pammachium, de Epiphanii literis ad Johannem Epiſcopum Hieroſolymitanum: *Harum exemplaria certatim Palæſtinæ rapiebantur, vel ob auctoris meritum, vel ob elegantiam ſcriptionis.* Severus Sulpitius, Dialogo primo cap. XVI. de ſuo libro, quo vitam B. Martini deſcripſit: *Quum tota certatim urbe raperetur, exultantes librarios vidi, quod nihil ab his quæſtuoſius haberetur.* Porro *direpta* hoc loco ſcribunt omnes libri, ſine ulla exceptione; non *dirupta*, ut probabili admodum conjectura (nam pignora capta moris erat cædere interdum) emendabat Guilielmus Ranchinus, vir doctiſſimus atque integerrimus: cujus obitum ex inopinato caſu nuper audivimus & mœruimus.

VARIOR.

17. *Pignoribus captis & direpta ſupellectile.*] Ulpianus dixit leg. V. §. x. ff. de agnoſc. & al. lib. *Pignoribus captis & diſtractis cogetur ſententiæ ſatisfacere.* Et idem l. I. §. I. ff. d. inſpiciend. vent. *Cogenda igitur erit remediis prætoriis, & in jus venire, & ſi venit, reſpondere: pignoraque ejus capienda & diſtrahenda,* ſi

mulcatum, ac pro Roſtris in concione pæne diſcerptum, conjecit in carcerem: eodem
18 Novium Quæſtorem, quod compellari apud ſe majorem poteſtatem paſſus eſſet. Ex
prætura ulteriorem ſortitus Hiſpaniam, retinentes creditores interventu ſponſorum removit: ac neque more, neque jure, antequam provinciæ ornarentur, profectus eſt: incertum

ſi contemnat, vel multis coërcenda. Ex quibus liquet, Romanis ſolitum fuiſſe pignora capere, & ut damnati judicatum facerent, & ut vocanti magiſtratui parerent. Id quod poſterius dixi, Vettio accidiſſe videtur, qui cum citatus non veniret, & pignoribus, quæ protinus diſtracta, coërcitus eſt, & cum perſeveraret negligere auctoritatem vocantis, per lictores e concione abreptus eſt in carcerem. quod hic Suetonius dixit, *male mulcatum. Mulcare* etenim, ut Voſſius notat, *eſt verberum*; *multare, multæ ſive pœnæ pecuniariæ.* Fuit autem hoc non tantum contra omnem æquitatem, quod ita mulcaretur: verum erat & contra inſtituta & conſuetudinem populi Romani civem indemnatum & indicta cauſa in carcerem conjicere, ſi non ſummorum & manifeſtorum eſſet ſcelerum reus. A reliquis enim exigebatur nihil amplius, quam ut vades darent, donec judicaretur. Quod cum plene adſtruat Herald. I. de rer. jud. auct. XII. pluribus perſequi ſuperſedeo. GOESIUS.

TORRENT.

Male multatum.] Sunt, qui *male mulcatum* legant. Et mulcare quidem elegans & antiquum verbum eſt, verum hoc loco *multatum* magis placet: loquitur enim de multa Vettio illata, & quidem minus duriter. Alioqui *mulcatum* mallem: ut in Terentii Eunucho, *male mulcabo ipſam*; & iterum in Adelphis. Neque id uno Ciceronis loco & P. Victorius annotavit, & ego quoque ex vetuſtis codd. deprehendi.

Eodem Novium.] Codex Ferrarienſis *eodem modo Nov.* ut multatum quoque intelligas.

18. *Provinciæ ordinarentur.*] Facta provinciarum ſortitione, antequam proficiſcerentur, qui ſortiti fuerant, ſolebat ſenatus pro cujuſque provinciæ ratione modum formamque præſcribere, qua adminiſtrarentur: ſolebat etiam ea decernere, quæ proficiſcentibus neceſſaria videbantur. Ea cum fierent, ornari (verbo ab antiquis ſæpe ad id uſurpato) provinciæ, ornari etiam prætores ipſi proconſuleſque dicebantur, minus futuri graves, ſi ſumptu publico mitterentur. Cic. lib. II. ad Q. Fratrem: *Referebatur de provinciis quæſtorum, & de ornandis prætoribus.* Idem ad Atticum lib. III. Epiſt. XXIV. *Cum ſcripſiſſetis, conſulares provincias ornatas eſſe.* Et paullo poſt: *De conſulibus ornandis.* Et pro lege Manilia: *Ornatæ provinciæ lege curiata.* Iterum II. in Rullum, loquens de X viris, quos Rullus agris dividundis inſtituere volebat: *Ornat eos apparitoribus, ſcribis, librariis, præconibus, architectis; præterea mulis, tabernaculis, canteriis, ſupellectili: ſumptum haurit ex ærario.* Sueton. ergo, niſi mendum ſubeſt, *ordinare* dixit *provinciam* pro *ornare*; non improprie quidem, ut *ordinare litem, cauſam, judicium, teſtamentum, codicillum* apud JCtos, alioſque auctores paſſim reperias, *ordinare* etiam *res publicas* apud Horat. lib. II. Od. I. ſed veteres, ut ante dixi, *ornandi* vocabulo utebantur: nam *ordinare* non tam inſtruere eſt, quam componere atque dirigere. Quo ſenſu *ordinare provinciam* dixit Sueton. Galb. cap. VII. *ordinare arbuſta* Horat. lib. III. Od. I. Vide etiam, quæ notamus Aug. cap. XXXVI. & Tit. cap. IX. Sed, quod dicebam, ſuſpicio mihi non levis mendi. Dionyſ. quidem Lambinus ad Æm. Probi Hannibalem, in Errici Memmii manuſcripto codice *ornarentur* affirmat inveniſſe.

CASAUBON.

Male multatum.] In optimo codice Memmiano, *mulcatum* habetur, ut olim doctiſſimus Lambinus admonuit, quem vide illa de voce diſputantem. Eandem ſcripturam olim & Politianus in membranis ſuis inventam adnotaverat.

Eodem Novium q.] Elegantius in Mss. *eodem & Novium.*

Quod compellari apud ſe majorem poteſtatem paſſus eſſet.] *Compellari* hic quod paulo ante, *nominari.* Utraque vox hoc loco id ſignificat, quod Græci dicunt ἐνδείκνυσθαι aut φαίνεσθαι, deferri ab indice aut dilatore: compellatio, ἔνδειξις aut φάσις, in jure Attico.

18. *Ex prætura ulteriorem ſortitus Hiſpaniam.*] Dio libro XXXVII. ὁ Καῖσαρ τῆς Λυσιτανίας μετὰ τὴν στρατηγίαν ἦρξε. Non video, cur præfuiſſe Luſitaniæ eum dicat, qui ſit nactus provinciam ulteriorem Hiſpaniam, cujus terræ pars tantum altera eſt Luſitania: Bæticam enim cum iſta complectitur. Plutarchus adhuc negligentius, qui præfuiſſe ipſum ait Iberiæ ſive Hiſpaniæ.

Retinentes creditores interventu ſponſorum removit.] *Plutarchus:* Καῖσαρ, ὡς ἦν δυσδιάθετον αὐτῷ τὸ περὶ τοὺς δανειστὰς, ἐνοχλοῦντας ἐξιόντι καὶ καταβοῶντας, ἐπὶ Κράσσον κατέφυγε. Mox: Ἀναδεξαμένου δὲ Κράσσου τοὺς μάλιστα χαλεποὺς καὶ ἀπαραιτήτους τῶν δανειστῶν, καὶ διεγγυήσαντος ὀκτακοσίων καὶ τριάκοντα ταλάντων, οὕτως ἐξῆλθεν ἐπὶ τὴν ἐπαρχίαν.

Antequam provinciæ ornarentur.] Ex fide doctorum virorum Lambini & Fulvii Urſini, qui ita ſcriptum eſſe in antiquiſſimis libris teſtati ſunt, reſtituimus hunc locum. Nam in noſtris quidem omnibus, etiam Memmiano, ut in vulgatis, erat ordina-

certum, metune judicii, quod privato parabatur, an quo maturius ſociis implorantibus
ſubveniret. Pacataque provincia, pari feſtinatione, non exſpectato ſucceſſore, ad trium-
phum ſimul conſulatumque deceſſit. Sed cum edictis jam comitiis ratio ejus haberi non
poſſet, niſi privatus introiſſet urbem, & ambienti ut legibus ſolveretur multi contradice-
rent, coactus eſt, triumphum, ne conſulatu excluderetur, dimittere. E duobus conſu- 19
latus competitoribus, L Lucejo, M. que Bibulo, Lucejum ſibi adjunxit: pactus ut is,
quoniam inferior gratia eſſet, pecuniaque polleret, numos de ſuo communi nomine per
centurias

ordinarentur: minus recte. Notum, quid ſit *ornare provinciam*: nempe κόσμον τῇ ἀρχῇ προτιθέναι. Id novo S. C. poſt impetratum lege curiata imperium, fiebat: quo de finibus provinciæ, de exercitu in eam ducendo, & militum ſtipendio, cavebatur: attributus item legatus, qui propterea Appiano vocatur ὁ τῷ ἡγεμόνι τοῦ ἔθνους ἐκ τῆς βουλῆς ἑπόμενος εἰς βοήθειαν. Cautum eodem S. C. & de viatico atque inſtrumento prætoriæ domus. E lectione Tulliana etiam tironibus hæc debent eſſe nota.

TORRENT.

Editis jam comitiis.] Quid hic ſit edere comitia non equidem intelligo. Codex Lovanienſis habet *edictis.* quod ſequor. Sic *ſenatus edictus* cap. LXXX. Ipſe Cic. ad Q. fratrem lib. II. *Comitia ſine mora futura videntur: edicta ſunt ad* XI. *kal. Feb. Edicere diem, edicere juſtitium.*

Niſi privatus introiſſet urbem.] Oportebat, inquit Plutarch. triumphum petentes extra urbem manere; conſulatum vero præſentes petere.

19. *Conſulatus comp.*] Dictio *conſulatus* non eſt in lib. uno MS. appoſita haud dubie ab eo, qui Suetonium in capita diviſit.

CASAUBON.

Sociis implorantibus ſubveniret.] Miſera tum fuit ulterioris Hiſpaniæ conditio ob duas cauſſas: nam & anguſta fides erat tota provincia, & latrociniis vicinorum populorum regio infeſtabatur. Utrique malo quam medicinam fecerit Cæſar, diſces ex Dione & Plutarcho. Ipſius vero apud Scriptorem de bello Hiſpanienſi c. XLII. hæc ſunt: *inſequenti pratura ampliato honore, vectigalia, quæ Metellus impoſuiſſet, a ſenatu petiiſſe, & eis pecuniis provinciam liberaſſe: ſimulque patrocinio ſuſcepto* (fortaſſe melius, *provinciæ pat. ſuſc.*) *multis legibus ab ſe in ſenatum inductis ſimul publicas privataſque cauſas, multorum inimicitiis ſuſceptis, defendiſſe.* Quo loco non aſſentior viro docto, qui pro *inductis* corrigit *inductos.* Sic fere loquitur Appianus Ἐμφυλ. II. de eodem Cæſare: Νόμους, ait, ὑπὲρ τῶν πενήτων εἰς τὸ βουλευτήριον εἰσέφερε.

Non exſpectato ſucceſſore deceſſit.] Notat hoc Suetonius, quia contra mores, & leges etiam, ut diſerte monet Dio libro XXIX. Ex lege *Illud.* Dig. de Officio præſidis, conſtat, præſidem, poſtquam ſemel erat ingreſſus, jus abnoctandi e provincia, ne voti quidem ſolvendi cauſſa, habuiſſe. Hiſtoria Livii exempla aliquot ſuggerit civium ἀγερώχων, qui hoc jus non magis ſervarunt quam Cæſar: ſed hoc in vitio ſemper eſt poſitum. Sub Imperatoribus certum deceſſionis tempus definitum eſt. Lege Novellam XCV. qua jubentur præſides provinciarum, ut depoſito magiſtratu L. dies maneant in provinciarum metropolibus.

Edictis jam comitiis.] Præter manu exaratos ſic habent editiones antiquiſſimæ, Romana & Bononienſis. Plutarchus, & ex illo Zonaras: Πρὸς αὐτὰς τὰς ὑπατικὰς ἀφιγμένος ἀρχαιρεσίας. at *editis* eſſet μετὰ, non πρός. *Edicta comitia* Dioni ἀρχαιρεσίαι προεπηγγελμέναι. Diffiſum vero fuiſſe interdum comitiorum diem, in gratiam procerum abſentium, docet idem Dio libro XXXVII. Magno Pompejo habitum hunc honorem narrans, cum exſpectaretur ejus ex Aſia reditus.

Ambienti, ut legibus ſolveretur.] *Ambire* pro contendere omni ope atque opera: ut apud Græcos φιλοτιμεῖσθαι, ἁμιλλᾶσθαι.

Multi contradicerent.] Cato, & qui ſectam ejus ſequebantur in rep. Dio.

19. *Nummos de ſuo communi nomine per centurias pronuntiaret.*] Libertati populi Rom. interitum cum alia vitia ſenſim in eam remp. attulere, tum, meo quidem animo, vel maxime fœda illa honorum nundinatio, quæ Romæ tum viguit. Plutarchus quidem in Catone Uticenſi, auctor eſt, ita Romanos per illa tempora uſos eſſe τῷ δεκάζεσθαι, ὡς ἐργασίᾳ συνήθει. Hoc eſt, non minus palam & ſine ullo pudore pecuniam pro honoribus conſequendis dediſſe, quam alias conſuetas omnibus artes exercerent. Notat idem in Cæſare, tantam fuiſſe tum publicorum morum labem, & κακοπολιτείαν, ut candidati palam in comitiis nummarias menſas ponerent, & populi ſuffragia redimerent. Οἱ μὲν, ait, ἀρχὰς μετιόντες ἐν μέσῳ θέμενοι τραπέζας, ἐδέκαζον ἀναισχύντως τὰ πλήθη· κατῄει δὲ ὁ δῆμος ἔμμισθος, οὐ ψήφοις ὑπὲρ τοῦ δεδωκότος, ἀλλὰ τόξοις καὶ ξίφεσι καὶ σφενδόναις ἁμιλλώμενος. Interpretes, qui τραπέζας iſto loco de menſis eſcariis accipiunt, falluntur: ipſe mox τραπέζας & χρηματιστήρια jungit. Lucanus libro primo:

Hinc rapti faſces pretio, ſectorque favoris
Ipſe ſui populus, lethaliſque ambitus Urbi,
Annua venali referens certamina campo.

Arbiter

centurias pronunciaret. Qua cognita re optimates, quos metus ceperat, nihil non auſurum eum in ſummo magiſtratu, concordi & conſentiente collega, auctores Bibulo fuerunt tantundem pollicendi: ac pleriqne pecunias contulerunt, ne Catone quidem abnuente eam largitionem e rep. fieri. Igitur cum Bibulo conſul creatur. Eandem ob cauſſam opera optimatibus data eſt, ut provinciæ futuris coſſ. minimi negotii, id eſt, ſilvæ calleſque, decernerentur. Qua maxima injuria inſtinctus, omnibus officiis Cn. Pompejum aſſectatus eſt, offenſum patribus, quod Mithridate rege victo, cunctantius confirmarentur acta ſua: Pompejoque M. Craſſum reconciliavit, veterem inimicum ex conſulatu, quem ſumma diſcordia ſimul geſſerant: ac ſocietatem cum utroque iniit, ne quid ageretur in rep. quod diſplicuiſſet ulli e tribus. Inito honore, primus omnium inſtituit, ut tam ſenatus quam populi diurna acta conficerentur, & publicarentur. Antiquum etiam retulit morem, ut quo menſe faſces non haberet, accenſus ante eum iret, lictores pone ſequerentur. Lege autem agraria promulgata, obnuntiantem collegam armis foro expulit. Ac poſtero die in ſenatu conqueſtum, nec quoquam reperto qui ſuper

Arbiter in carmine de bello civili Pompejano:

Nec minor in campo furor eſt, emptique Quirites
Ad prædam ſtrepitumque lucri ſuffragia vertunt.
Venalis populus, venalis curia patrum:
Eſt favor in pretio.

TORRENT.

Conſul creatus eſt.] Tres libri *creatur*, unus *creatus* ſine *eſt*.

Opera optimatibus data.] Duo libri: *ab opt.* Non placet. Peculiare enim eſt Suetonio, ut hæc ſine præpoſitione enunciet, ut ſup. cap. XVI. *Adminiſtratione reip. ſummoverentur*; & inf. cap. XX. *Majoribus conſervatum* ſeu *conſecratum*, pro *a majoribus*, & ſæpe alibi. Cicero pro domo, ut in codicibus MSS. legitur: *Cum multa divinitus majoribus noſtris inventa atque inſtituta ſunt.* Vulgati *a majoribus* habent.

Silvæ calleſque.] Recte Turneb. de adminiſtratione callium ſilvarumque, quæ futuris *coſſ.* per ſenatum decreta erat, hunc locum intelligit: ad hujuſmodi enim provincias cum nullis opus eſſet copiis, minus erat a Cæſare metuendum. Sic *Aquaria*, ſic *Oſtienſis provincia* Orat. in Vatin. & pro Murena. *Quæſtor quoque Oſtienſis*, Orat. pro Sextio. Et facete huc alludens Plautus Pſeudolo: *Te cum ſecuri caudicali præficio provinciæ.* Quanquam Oſtienſis & Aquaria ut honeſtiores, ſic & præfectis utiliores erant. nam & Oſtienſis quæſtura ablata Saturnino, rerum novarum occaſionem præbuit; & Aquaria, eadem fortaſſe, quæ Oſtienſis, Vatinio quæſtui fuit. Cic. pro Sextio, & in Vatinium. Sed & Varro lib. II. de re ruſtica cap. X. *Neque ſenes, neque pueri callium difficultatem, ac montium arduitatem atque aſperitatem facile ferunt. quod patiendum illis qui greges ſequuntur, præſertim armentitios ac caprinos, quibus rupes ac ſilvæ ad pabulandum cordi.* Male igitur, qui *collium* ibi pro *callium* legunt. nam & Iſidorus lib. XV. cap. XVI. *Callis* (inquit) *eſt iter pecudum inter montes, anguſtum & tritum, a callo pedum vocatum, ſive callo pecudum perduratum.* Adde locum Suetonii Claud. cap. XXIV. quem reſtituimus.

Offenſum patribus.] Aut hic quoque deeſt præpoſitio *a*, ut proximo cap. aut *offenſum* pro iratum dixit, quod verius eſt; ut Tib. cap. XIII. *Is forte tunc M. Lollio offenſior.* & Ner. cap. I. *Pontificibus offenſior.* Cic. pro Cluentio: *Quem ſibi offenſiorem ſciebat*, & ſæpe alibi.

Cunctantius] Optimi quique libri *contatius*. Alii *cunctatius*.

20. *Publicarentur.*] Id Auguſtus poſtea vetuit, cap. XXXVI. ne publicarentur ſcilicet, non etiam ne conficerentur. Hinc toties mentio actorum ſenatus. Quin & certum erat quorundam officium curandi acta ſenatus. Spartian. Hadr: *Poſt quæſturam acta ſenatus curavit.*

Quo menſe faſces.] Vide Gellium lib. II. cap. XV.

CASAUBON.

Eam largitionem e rep. fieri.] Nota & obſervatione dignum, poſſe ea tempora incidere, cum e rep. fuerit, malas alioquin artes uſurpare. Simile exemplum in Græca hiſtoria. Laudatur enim Themiſtocles, quod bello Perſico rei bellicæ adminiſtrationem Epicydi, cujus metuebatur ingenium lucri cupidum & meticuloſum, pecunia extorſerit. Recte enim prudentes docent, temporibus interdum potius parendum eſſe quam moribus. de quo multa ad Polybium diſſeruimus.

Igitur cum Bibulo cos. creatus eſt.] Scrib. e Memmiano & aliis: *cos. creatur.* Et mox *conſierent*, non conficerentur.

20. *Nec quoquam reperto, qui ſuper tali conſternatione referre aut cenſere aliquid auderet.*] Conſularis poteſtatis pars haud minima in relationis jure olim poſita: non enim poterat S. C. ſine relatione fieri: referendi autem vis, conſulum fuit. Polyb. libr. VI.

ſuper tali conſternatione referre, aut cenſere aliquid auderet, qualia multa ſæpe in levioribus turbis decreta erant, in eam coëgit deſperationem, ut quoad poteſtate abiret, domo

Οὗτοι (de conſulibus loquitur) τὰ κατεπείγοντα τῶν διαβουλίων ἀναδιδόασιν, αὐτοί τε τὸν ὅλον χειρισμὸν τῶν δογμάτων ἐπιτελοῦσιν. Hic igitur quid eſt, quod Bibulus conſul non refert de facta ſibi injuria? Puto, quia Cæſar eo menſe faſces habuit: ejus enim e Coſs. relatio fuit, cujus & faſces. At in editione Romana legitur *conqueſtus*: quaſi de Cæſare id ſit dictum, non de Bibulo, qui in ſenatum non venerit. Non placet, & damnant omnes melioris notæ codices. Sæpe autem factum, ut conſulibus abſentibus, vel prævaricantibus ac muſſantibus referrent alii e principibus ampliſſimi ordinis: puta, conſules deſignati, aut prætorum vel tribunorum aliquis. Cujus rei multa exſtant apud Ciceronem alioſque teſtimonia. Ex his liquet, cur dicat Suetonius, *qualia multa ſæpe in levioribus turbis decreta fuerunt.* Porro jus relationis ſublata libertate etſi conſulibus ademtum non eſt, tamen & poteſtatis Imperatoriæ pars fuit: paullatim enim Principes id ſibi vindicarunt. Exemplum eſt ab Auguſto primo: in cujus honorem decretum refert Dio in actis anni DCCXXXI. ut aſſumta in perpetuum tribunitia poteſtate, liceret ei, quoque ſenatu, unam de quacunque re vellet, relationem facere, etſi conſul non eſſet. Hoc voluit Dio hiſce verbis e libro LIII. non quod ſomniavit nuperus emendator: Ἡ γερουσία δήμαρχόν τε αὐτὸν διὰ βίου εἶναι ἐψηφίσατο, καὶ χρηματίζειν αὐτῷ περὶ ἑνὸς, ὅτου (male editum eſt ὅπου) ἂν ἐθελήσῃ καθ᾽ ἑκάστην βουλὴν, κἂν μὴ ὑπατεύσῃ, ἔδωκε. Non aliud hic Xylander peccaverat, quam quod pro illis περὶ ἑνὸς ὅτου ἂν ἐθελήσῃ, veterat, *de quibuſcunque rebus vellet*; magno ſane veritatis diſpendio neglecta voce ἑνός· neque enim infinitum hoc jus Auguſto conceſſum a ſenatu: ſed cum hac adſtrictione, ut de una re ſolum referre poſſet ſingulis ſenatibus extra conſulatum. Poſtea ampliato honore Principum, inventa ſunt ad ſimilitudinem decreti hujus jura ſecundæ, tertiæ, quartæ, quintæ relationis, hoc eſt, ut quoque ſenatu poſſent de duabus, tribus, quatuor, quinque rebus, quas vellent cunque, etiam non conſules, facere relationem. Exempla apud Capitolinum & Vopiſcum: apud quos obſervabis fere, cum proconſulari imperio & tribunitia poteſtate jus hoc jungi, plane ut in iſto Dionis loco. Hoc igitur Xylandri peccatum, qui debuerat corrigere, ſuo inſuper non leviore cumulavit, & maximi momenti locum prava emendatione corrupit. Vult enim corrector iſte χρηματίζειν eſſe *ſancire*, non *relationem facere*: id vero pernegamus nos, & Xylandrum merito reprehendimus, quod alibi male ſic acceperit eam vocem, ut libro LVI. illo loco: Ἐς τὸ συνέδριον ἐν λευκώμασι γεγραμμένα προέθηκε, πρὶν χρηματίσαι τι περὶ αὐτῶν, &c. & libro LVIII. ibi, ἐχρημάτισαν δὲ οὔτε τότε, οὔτε αὖθις οὐδὲν, μέχρις οὗ ὁ Γάϊος δωδεκάτῃ ἡμέρᾳ τὴν ἀρχὴν ἀπειπὼν ἠγγέλθη. His locis atque aliis χρηματίζειν eſt referre aliquid ad ſenatum, ut de eo ſententiæ dicantur. id ſupra diximus fuiſſe munus conſulum, vel iis ceſſantibus, tribunorum aut prætorum. Notandum vero, prætores paullatim hoc jus non lege aliqua, ſed non utendo amiſiſſe: donec anno DCCXLVI. ab Auguſto in ejus poſſeſſionem reſtituti ſunt. fruſtra: iterum enim perire illud ſibi tractu temporis ſiverunt. Rem nondum vulgatam docuit me Dio libro LV. Τοῦτό τε οὖν ἰσχυρῶς ἐπὶ πλεῖστον τοῖς πάλαι τηρηθὲν, ἐξίτηλον τρόπον τινὰ ἤδη γέγονε, καὶ τὸ τῶν στρατηγῶν· καὶ γὰρ ἐκεῖνοι ἀγανακτήσαντες, ὅτι μηδεμίαν γνώμην, καί τι τῶν δημάρχων προτετιμημένοι, ἐς τὴν βουλὴν ἐσέφερον, παρὰ μὲν τοῦ Αὐγούστου ἔλαβον αὐτὸ ποιεῖν, ὑπὸ δὲ δὴ τοῦ χρόνου ἀφῃρέθησαν. Locus illuſtris, idemque clarus & apertus. Quod modo dicebamus eſſe χρηματίζειν, pro eo dixit hic Dio γνώμην εἰς τὴν βουλὴν εἰσφέρειν. nihil pote planius. Sic libro eodem: Δι᾽ οὖν ταῦτα ἀπορῶν χρημάτων, γνώμην ἐς τὴν βουλὴν ἐσήνεγκε, πόρον τινὰ διαρκῆ καὶ ἀέναον ἀποδειχθῆναι. Interpretes ejus præſtantiſſimi ſcriptoris γνώμην εἰσφέρειν verterunt *ſententiam dicere in ſenatu.* Sunt alia prope infinita ſcitu digniſſima, quæ in ejus auctoris Græcis verbis latent, vel corruptis, vel male hactenus expoſitis. Ut ad Suetonium redeam, doceri equidem velim, quid ſibi ille voluerit, cum ita ſcriberet *referre aut cenſere?* Nam ſi nemo fuit, qui relationem faceret, ne potuit quidem eſſe qui cenſeret. Sunt enim quodammodo relata, referre & cenſere. Poterant quidem ſenatores de ea re verba inter ſe facere in curia: at cenſere, hoc eſt, loco ſententiæ quid videretur dicere, aut de ſcripto recitare, hoc vero nemo potuit, niſi præceſſiſſet relatio.

In levioribus turbis.] Vetus ſcriptura plerorumque librorum, *in levioribus culpis.* Probabam: ſed revocat me ab ea ſententia Memmianus cum editis conſentiens.

Quoad poteſtate abiret.] Octo menſes domi abditus latuit. Plutarchus Pompejo.

VARIOR.

20. *Referre aut cenſere.*] In hoc loco hæſerunt viri eruditi Caſaubonus & alii. Cenſere hic non eſt ſimpliciter ſententiam dicere, ſed excedere relationem, ut Tacitus loquitur, hoc eſt, loco ſententiæ de ea re, de qua a conſule relatum erat, aliud quid in ſenatu proponere ac rogare ut referatur. quod jus omnes Senatores habebant, ut loco ſententiæ ad relationem conſulis proferrent, quod putabant eſſe e republica. vide GRONOV. Obſervat. cap. 27.

TOR-

mo abditus nihil aliud quam per edicta obnuntiaret. Unus ex eo tempore omnia in rep. & ad arbitrium adminiſtravit : ut nonnulli urbanorum, cum quid per jocum teſtandi gratia ſignarent, non *Cæſare & Bibulo*, ſed *Julio & Cæſare coſſ.* actum ſcriberent, bis eundem præponentes, nomine atque cognomine : utque vulgo mox ferrentur hi verſus:

Non Bibulo quidquam nuper, ſed Cæſare factum eſt :
Nam Bibulo fieri conſule nil memini.

Campum Stellatem majoribus conſecratum, agrumque Campanum ad ſubſidia reip. vectigalem

TORRENT.

Per edicta obnunciaret.] Hæc illa Bibuli edicta, de quibus ſup. cap. IX. inf. cap. XLIX. Cicero ad Att. lib. II. epiſt. XXI. & alibi ſæpe. Auctor etiam eſt Dio, Bibulum vi pulſum ab adminiſtratione reipub. ferias edixiſſe in reliquam anni partem, quibus nempe nihil agere de repub. liceret, ac quotieſcunque aliquid moliretur Cæſar, obnunciaſſe per lictorem eſſe ferias. Eum vide initio lib. XXXVIII.

Teſtandi gratia ſignarent.] Ex hoc Suetonii loco colligimus eos, qui teſtimonium dicebant, teſtationem illam, ut Quinctilianus, ſeu teſtificationem, ut Cicero loquitur, ſcripto redactam cum ſignarent, annum etiam diemque ſua manu apponere ſolere. Sed & verba inverſa, quod fugerat monere, legendumque : *cum quid teſtandi gratia ſignarent, per iocum non Cæſare*, &c.

Bis eundem proponentes, nomine atque cognomine.] Hæc verba damnare quidem nolui, ſed non difficulter quis mihi perſuaſerit adulterina eſſe.

Non Bibulo quicquam.] Codex Ferrar, *quiddam*, haud dubie melius.

Campum Stellatem majoribus conſecratum.] Id eſt, majorum opinione ſacrum. ſic enim Turneb. exponit Adverſ. III. cap. XXIII. addens ignoratum id a Cicerone (qui alioqui orationibus ſuis contra Rullum non ſiluiſſet) Suetonium e reconditis annalibus eruiſſe. Ego non facile crediderim Tranquillum noſtrum ſciviſſe aliquid, quod Ciceronem fugerit; ea præſertim de re, quam ſummus ille orator & in ſenatu & apud populum tractandam ſumpſerit. Quare vel *conſervatum* legendum eſt, vel dicendum potius id, quod de ejus agri conſecratione ſcripſiſſe potuit Cicero, cum multa in orationibus illis deſiderentur, nobis periiſſe. Legem ſane a L. Papirio trib. pl. in orat. pro Domo, latam commemorat, quæ vetabat injuſſu plebis ædem, terram, agros conſecrare. Porro ut hic campum Stellatem, ſic campum Martium exactis Tarquiniis, & deletæ olim Carthaginis ſolum apud alios conſecratum legimus. Notandum autem eſt, & Suetonium, & Livium, & ſæpiſſime Ciceronem tanquam peculiari nomine campum Stellatem vocare certam agri Campani partem, uti & Sil. Italic. lib. IX. *Stellateſque docent campos*; cum tamen campus, ſi quis recte auctores obſervet, majus aliquod ſpatium comprehendat. Ut ager potius pars campi ſit; ſic enim Virgil. lib. III. Georg. *Si pinguis agros metabere campi.* Sed hoc verum eſt, cum agrum pro ruris certa parte, quam quis colat, accipimus, non cum cujuſque oppidi fines ac territorium ſignificat. Cicero ſane II. in Rullum agri nomen utrique accommodat, cum inquit: *ager Campanus ac Stellatis.*

CASAUBON.

Per edicta obnuntiarent.] Dio lib. XXXVIII. ait : Δι᾽ ὑπηρετῶν, per *lictores* vel *accenſos*. Idem hæc ita exprimit : Ἐν τῇ οἰκίᾳ καταμένων, ἀεὶ τῷ Καίσαρι, ὁσάκις γε ἐνεωτέριζέ τι, ἐνετέλλετο διὰ τῶν ὑπηρετῶν, ὅτι ἱερομηνία τε εἴη, καὶ ὐδὲν ὁσίως ἐκ τῶν νόμων ἐν αὐτῇ δύναιτο δρᾶσθαι. Hoc quid ſit, declarat idem paullo ante, de eodem Bibulo ſic ſcribens : Ἐκώλυε τὸ νομοθέτημα καὶ τέλος, ἐπειδὴ μηκέτ᾽ αὐτῷ μηδεμία ἄλλη σκῆψις ἀναβολῆς ὑπελείπετο, ἱερομηνίαν ἐς πάσας ὁμοίως τὰς λοιπὰς τῦ ἔτυς ἡμέρας, ἐν αἷς ὐδ᾽ εἰς ἐκκλησίαν ὁ δῆμος ἐκ τῶν νόμων συνελθεῖν ἐδύνατο, προηγόρευσε. Igitur *obnuntiare* Dioni eſt ἱερομηνίαν προαγορεύειν, ferias indicere. quod caute accipiendum eſt : nam obnuntiatione fit quidem dies nefaſtus, & comitialis eſſe deſinit; non fit tamen feſtus neque ἑορτάσιμος. Quare quid appellet ἱερομηνίαν non intelligo. Melius alibi *obnuntiare* vertit idem προεπαγγέλλειν ὡς ἐκ τῦ ὐρανῦ τὴν ἡμέραν ἐκείνην μαντευσόμενον, *præmonere ſe illa die de cœlo ſervaturum ad capiendum auſpicium.* Non poteſt paucioribus verbis Latinæ dictionis vis exprimi. Cicero ad Atticum libro IV. *Proſcripſit ille, ſe per omnes dies comitiales de cœlo ſervaturum.* Idem Dio libro XXXVIII. *ſervare de cœlo* vertit, τὰ ἐκ τῦ ὐρανῦ γενόμενα παρατηρεῖν : ubi legem Clodiam refert, qua vetus inſtitutum antiquatur, diebus comitialibus ſervandi de cœlo.

Teſtandi gratia.] Liſlæi cod. *teſtationis gratia.*

Julio & Cæſare Coſs.] Dio : Τὸν δὲ δὴ Καίσαρα δύο καὶ ὠνόμαζον καὶ ἔγραφον, Γάϊόν τε Καίσαρα καὶ Ἰύλιον Καίσαρα ὑπατεύειν λέγοντες.

Bis eundem præponentes, nomine atque cognomine.] Ait *præponentes* : nempe voci Coſs. Vulgo editur, *proponentes* : vetuſtiores aliter. Nullum nos quidem librum vidimus, ubi hæc verba non haberentur : ſi quis tamen illa pro ſubdititiis cenſet habenda, quod Torrentio viſum, idem mihi quoque videatur.

Non Bibulo quicquam.] Vetus editio *quiddam.*

Campum Stellatem majoribus conſecratum.] Si verum eſt, quod Suetonius ait, fuiſſe campum a majoribus

ctigalem relictum, diviſit extra ſortem, ad xx. milibus civium, quibus terni pluresve liberi

joribus conſecratum, putem factum in memoriam inclytæ illius victoriæ, quam Romani eo in loco de Samnitibus A. U. C. ccccLIX. Coss. Q. Fabio V. P. Decio IV. retulerunt. Vide Livium libro x. Sed ſi conſecratus hic campus fuit, ſequitur, ut ex illo deſierit coli, fueritque, ut appellant Græci, ἱερὰ ὀργάς, ἄνετος, ἀνέργαστος. Hoc concedere non poſſumus, quin arguamus M. Tullium ignorantiæ, ut recte obſervatum Turnebo: nunquam enim rem tanti ponderis in tam gravi cauſſa reticuiſſet ſummus orator, niſi penitus hoc illi fuiſſet incognitum. Nam quod doctiſſimus Torrentius quaſi Ciceronem excuſans ait, non omiſſum id a Tullio, ſed deſiderari hodie cum aliis, quæ ex ejus Agrariis abolevit vetuſtas: pace illius dixerim, ne refutatione quidem eget. Num enim potuit orator eandem terram exiſtimare eodem tempore & diis conſecratam, & uſibus hominum expoſitam? Quin de Stellate campo loquatur ille, tanquam qui coleretur & exerceretur, legenti non erit dubium. Conſequens igitur, ut ὀργάδα non eſſe perſuaſus fuerit. Quamobrem de hujus campi antiqua conditione quin opinati ſint contraria Cicero & Suetonius, non poſſumus negare. Cæterum utrius vera opinio fuerit, quærant amplius, qui otio abundant. Equidem ut arbitrer, Ciceronem, cui toties, qua ex negotio, qua in æſtivo ſeceſſu animi cauſſa, luſtrata Campania, rem ignoraſſe in tam facili cognitione poſitam, adduci nequeo: etſi parum ei perſpectum fuiſſe Campani agri modum, quæ paullo poſt dicemus, clare arguunt.

Agrumque Campanum.] In commemoratione legis Juliæ agrariæ longe abeunt (quod pauci obſervarunt) a Latinis ſcriptoribus Græci. Sententia horum eſt: egenæ plebi, cujus infinita Romæ multitudo fuit, aſſignatos hac lege agros alios: Campanum vero iis extra ſortem diviſum, qui tres liberos haberent. Appianus libro II. Ἐμφυλίων, de Cæſare: Νόμους ὑπὲρ τῶν πενήτων ἐς τὸ βουλευτήριον ἐσέφερε, καὶ γῆν αὐτοῖς διένεμε, καὶ τὴν ἀριστεύουσαν αὐτῆς μάλιστα περὶ Καπύην, ἐς τὰ κοινὰ διεμισθοῦτο τοῖς οὖσι πατράσι παίδων τριῶν. Hoc voluit Dio libro XXXVIII. cum ſcriberet: Ὅ, τε οὖν νόμος οὕτως ἐκυρώθη· καὶ προσέτι καὶ ἡ τῶν Καμπανῶν γῆ τοῖς τρία τε πλείω τε ἔτι τέκνα ἔχουσιν, ἐδόθη. *Ita*, inquit, *perlata lex eſt: & hoc amplius ager Campanus tres pluresve liberos habentibus, diviſus.* Exſtitere, qui Dionem inconſtantiæ arceſſerent: qui hoc loco de agro Campano lege Julia diviſo contraria iis ſcribat, quæ initio ejuſdem libri narrantur. Non difficilis reſponſio eſt: ſatis enim ab eorum reprehenſione vocula unica προσέτι cavit ſibi Dio. nam hic loci illius ſenſus eſt: legem agrariam, de qua initio libri dixerat, in gratiam egenorum civium cujuſcumque generis fuiſſe perlatam, & inſuper diviſum agrum Campanum tres liberos habentibus; licet initio, cum lex ſuaderi cœpit, adeo tale nihil expeteretur, ut contra diſerte in lege is ager exciperetur. Ita Græci. Latini vero aliam nullam præter agri Campani & campi Stellatis diviſionem agnoſcunt. Præter Suetonium, cujus clara hic verba, Vellejum audiamus II. XLIV. *In hoc conſulatu Cæſar legem tulit, ut ager Campanus plebi divideretur, ſuaſore legis Pompejo. Ita circiter viginti millia civium eo deducta.* Sed quid aliis opus teſtibus? Ecce unum pro omnibus Cicero ad Atticum lib. II. epiſt. XVI. *Cœnato mihi & jam dormitanti, prid. kal. Maj. epiſtola eſt illa reddita, in qua de agro Campano ſcribis.* Non multo poſt: *Deinde ut me ego conſoler, omnis exſpectatio largitionis agrariæ in agrum Campanum videtur eſſe derivata: qui ager, ut dena jugera ſint, non amplius hominum quinque millia poteſt ſuſtinere. Reliqua omnis multitudo ab his alienetur, neceſſe eſt.* Expreſſius nihil dici potuit contra Græcorum ſententiam. Mitto alia, quæ paſſim in iiſdem epiſtolis atque alibi hac de re ſcripſit idem.

Varior.

20. *Cum quidam per jocum teſtandi gratia ſignarent.*] Non audiendus eſt Torrentius, qui hæc verba invertit. Fuit tota illa teſtatio jocoſa, & genus libelli, quo publica vitia traducebantur, ut docet Gronov. IV. de pecun. vet. c. IX. quem vide.

Torrent.

Extra ſortem ac xx. *millibus civium.*] Sic omnes libri, uno dempto, in quo abeſt particula *ac*. Quam lecturam recipio. Viginti enim hominum millia, ſi Appiano credimus, convenerant, tribus pluribuſve liberis alimenta poſcentium. Inter eos ergo agri diviſi ſunt. Atqui ſi conjunctionem retinemus, ſenſus erit, etiam aliis extra ſortem partes aliquas attributas fuiſſe. Extra ſortem vero ſic intelligo, ut non ſorte ducta, ſed xx. virorum arbitrio diviſio fieret.

Casaubon.

Ad viginti millibus civium.] Lego, *ad* xx. Diviſit millibus civium ad viginti. Paterculus modo: *Circiter* xx. *millia civium eo deducta.* Parum autem Ciceroni Campani agri modum fuiſſe cognitum, hinc colligimus: quem enim putabat ille vix ſuffecturum quinque hominum millibus agrum, ſufficit xx. Neque ad rem facit, quod Stellatis campus ad agrum Campanum, de quo ibi loquitur Cicero, fuit adjectus: ea enim exigua appendix fuit præ Campani magnitudine, cujus pars erat. Neque item dici illud poteſt, non dena, ſed pauciora jugera lege Julia fuiſſe ſingulis colonis aſſignata: cum enim ille modus ſit parvus, etiamſi quis liberos non haberet, quis putet breviorem eo aſſignatum

liberi eſſent. Publicanos remiſſionem petentes, tertia mercedum parte relevavit: ac ne in locatione novorum vectigalium immoderatius licerentur, propalam monuit. Cætera item quæ cuique libuiſſent, dilargitus eſt, contradicente nullo, ac, ſi conaretur quis, abſterrito. M. Catonem interpellantem extrahi curia per lictorem, ducique in carcerem juſſit. L. Lucullo liberius reſiſtenti tantum calumniarum metum injecit, ut ad genua ultro ſibi accideret. Cicerone in judicio quodam deplorante temporum ſtatum, P. Clodium inimicum ejus fruſtra jam pridem a patribus ad plebem tranſire nitentem, eodem die horaque nona tranſduxit. Poſtremo in univerſos diverſæ factionis induxit Vettium præmiis, ut ſe de inferenda Pompejo nece ſolicitatum a quibuſdam profiteretur, productuſque

tum liberos habentibus? Prorſus a Cæſaris munificentia aliena hæc *μικρολογία* eſt.

TORRENT.

Licitarentur.] Libri duo *licerentur.* Paulus J. C. lib. IX. De public. & vectig. *Locatio vectigalium, quæ calor licitantis ultra modum ſolitæ conductionis inflavit,* &c. Idem leg. XXIX. Fam. erciſ. *Si objiciatur creditori, quod animoſe licitus eſt.*

M. Catonem.] Vide Gellium lib. IIII. cap. X. Nobilis autem tunc illa audita M. Petreji Catonem e curia in carcerem ſequentis vox. Objurgatus enim a Cæſare, quod nondum dimiſſo ſenatu diſcederet, Mallem (inquit) cum Catone eſſe in carcere, quam hic cum Cæſare. Dion initio lib. XXXVIII. ubi pleniſſime de hac lege agraria.

Accideret.] Liber Ferrarienſis *accederet*, & mox pro *eodem die*, *eo denique die.* Legerim, *eodemque die.* Nota hiſtoria ex orat. pro domo. Adde Dionem. *Tranſduxit* etiam pro *traduxit* habent duo optimi codices. recte. Illud tamen *accederet*, non placet: nam *accidere ad pedes* Cic. dixit epiſt. ad Atticum; & in Vatinium, *ad aures tuas accidat.* ubi in vulgatis eſt *accedat.* Neque aliter Plaut. *Sonus aures accidit.*

Inductum præmiis.] Indicem hunc L. Vettium vocant Dion & Appianus, interpretes Vectium. male. quod ſup. monuimus. Quanquam dubitari poſſet, an idem iſte Vettius fuerit, qui & conjurationis Catilinæ index: neque enim Cæſar homini a ſe male multato tantam rem crediſſet, & illum priorem equitem alicubi vocat Dion, hunc vero plebejum Appianus. Ut tamen eundem credam, non ſolum nominis ratio me inducit, ſed & Ciceronis ad Atticum verba lib. II. epiſt. XXIV. *Vettius, ille ille noſter index*, id eſt, quo antea uſi ſumus. Poterat autem homo ſceleratus hoc officio placare Cæſarem. Græci non ſatis conſentiunt hic cum Suetonio. Vide orat. in Vatinium.

CASAUBON.

Publicanos remiſſionem petentes tertia mercedum parte relevavit.] Mihi videtur Cato ſine cauſſa propter hanc equitum poſtulationem tantum turbarum excitaſſe: prorſuſque Ciceroni aſſentior, debuiſſe eum mitius & non adeo Stoice cum publicanis agere, nec, ut fecit, ordinem equeſtrem a ſenatu propterea ſejungere. Jure enim ſuo uſi equites, cum vaſtata per Mithridatem Aſia, remiſſionem & ἐκδικίαν petierunt, hoc eſt, parte mercedum relevari. More majorum licuit illis hoc facere: ſæpiuſque Romæ factum. Fuit autem hæc poteſtas non conſulis, ſed ſenatus. Docet Polybius libro VI. ubi de locationibus cenſorum locutus, ſubjicit: Ἔχει δὲ περὶ πάντων τῶν προειρημένων τὴν κυρίαν τὸ συνέδριον· καὶ γὰρ χρόνον δοῦναι, καὶ συμπτώματος γενομένου κουφίσαι, καὶ τὸ παράπαν, ἀδυνάτου τινὸς συμβάντος, ἀπολῦσαι τῆς ἐργωνίας. Propterea in lege cenſoria adſcriptum: *Si qui frui publico publicanus non poſſet, ne ei fraudi id eſſet.* quod Cicero appellat, *tegi lege cenſoria*, de provinciis conſularibus.

Cicerone in judicio quodam deplorante temporum ſtatum.] *Deplorante*, hoc eſt, cum deploraſſet ὀλοφυραμένου, non ὀλοφυρομένου. Non enim Cicerone orante factum, ſed trium ſaltem horarum intervallo, ut teſtatur ipſe in oratione pro Domo ſua ad pontifices. Sic apud Terentium: *Offendi adveniens*, hoc eſt, ἐλθὼν, non ἐρχόμενος. apud *Virgilium: ipſe domum linquens*, quod ſemper Græci λιπὼν, ut recte obſervatum Donato in Phormionem, & Priſciano extremo libro XII. Contra in paſſivis: nam præteritum neceſſario uſurpant Latini præſentis loco, ut *Ventoſa per æquora vectis*, hoc eſt, ὀχουμένων: non autem ὠχημενων.

Poſtremo in univerſos diverſæ factionis inductum præmiis.] Omnes veteres codices hic corrupti: emendatio ex Cicerone & hiſtoricis in promptu. Legebam *Judex inductus*, vel *index inductus*, aut ſimpliciter *inductus*: ſed præfero lectionem, quam ex ſcripto codice magni Cujacii communicavit clariſſimus amiciſſimuſque Lectius, *induxit Vettium.* atque ita edi oportuit. De re & tota hac hiſtoria lege epiſtolam Ciceronis XXIV. e lib. II. ad Atticum.

De inferenda Pompejo nece.] Cur tacuit de Cæſare? nam ita dixit ille falſus index. Dio lib. XXXVIII.

ctuſque pro Roſtris auctores ex compacto nominaret: ſed uno atque altero fruſtra nec ſine ſuſpicione fraudis nominatis, deſperans tam præcipitis conſilii eventum, intercepiſſe veneno indicem creditur. Sub idem tempus Calpurniam L. Piſonis filiam, ſucceſſuri ſibi in con- 21
ſulatu, duxit uxorem: ſuamque Juliam Cn. Pompejo collocavit, repudiato priore ſponſo Servilio Cæpione, cujus vel præcipua opera paullo ante Bibulum impugnaverat. Ac poſt novam affinitatem, Pompejum primum rogare ſententiam cœpit, cum Craſſum ſoleret: eſſetque conſuetudo, ut quem ordinem interrogandi ſententias conſul Kalend. Januariis inſtituiſſet, eum toto anno conſervaret. Socero igitur generoque ſuffragantibus, ex omni 22
provinciarum copia Gallias potiſſimum elegit, cujus emolumento & opportunitate idonea ſit materia triumphorum. Et initio quidem Galliam Ciſalpinam, Illyrico adjecto, lege Vatinia accepit: mox per ſenatum, Comatam quoque: veritis patribus, ne ſi ipſi negaſſent, populus & hanc daret. Quo gaudio elatus, non temperavit, quin paucos poſt dies frequenti curia jactaret, invitis & gementibus adverſariis adeptum ſe quæ concupiſſet: proinde ex eo inſultaturum omnium capitibus: ac negante quodam per contumeliam, *Facile hoc ulli*

TORRENT.

Sed uno atque altero.] Mallem abeſſe dictionem *ſed.* turbat enim ſenſum orationis, alias ob tot periodos ſatis difficilem.

21. *Servilio Cæpione.*] Cui Pompeji filiam ſpopondit, pactam antea Fauſto Syllæ filio, nequicquam vociferante Catone nuptiarum lenociniis prodi remp. Vide Plutarch. ſi lubet, & Dionem, & mox cap. XXVII.

Primum rogare ſent.] Vide Gellium lib. IV. cap. X. & lib. XIV. cap. VII. infr. Aug. cap. XXXV. in fine.

22. *Lege Vatinia.*] Extra ſortem ſcilicet, & ſine decreto ſenatus, idque contra legem Semproniam de provinciis, qua inter alia cavebatur, ut quotannis provinciæ decernerentur. Cicero ad Lentulum epiſt. VII. & orat. pro Balbo, pro domo ſua, & de provinciis conſul.

CASAUBON.

Ex compacto nominaret.] Gloſſæ veteres: *Compactum facit*, συνδοιάζει. Græci poſteriores συνδυάζειν (pro quo ſæpe ſcriptum offendas συνδοιάζειν) dixerunt conſentire alicui in fraudem alterius, hoc eſt, colludere. Alibi Gloſſæ: Συνδοιασμὸς, *colluſio.* Juſtinianus Novella CXXX. Τινὲς τῶν ἀρχόντων τῶν ἐπαρχιῶν συνδυαζόμενοι πολλάκις τοῖς διασώζουσι τὸ ἡμέτερον ϛράτευμα, μὴ ἑτοιμάσωσι τὰς δαπάνας: *quidam e præſidibus provinciarum colludunt cum deductoribus noſtri exercitus, ne parentur commeatus.* Idem alibi vocat & συμπαιγνίαν, latiniſſans, ut ſæpe. Apud Livium, *compacto & communi fraude* junguntur, ut ἰσοδύναμα.

Uno atque altero nominatis.] Dio auctores hujus conſpirationis facit Ciceronem & Lucullum. Narrat autem non ut mimum a Cæſare fictum, ſed tanquam rem geſtam: nefarii hujus conſilii cupidiſſime Ciceronem reum peragens. Apage iſtam fatuam & falſam ſententiam. Sed hoc perpetuo in illo ſcriptore obſervare licet, ſemper eum Romanis hominibus, quos ingenium & eruditio fecit illuſtres, obtrectare. Hinc illa, de Cicerone præſertim & Seneca, tam multa non minus falſa quam ipſis parum honeſta.

Intercepiſſe veneno indicem creditur.] Quidam codd. *Judicem* pro *indicem*, quod Vettii cognomen fuiſſe ante dictum. Eum noctu in carcere fuiſſe exſtinctum tradunt hiſtorici.

21. *Pompejum primum rogare ſententiam cœpit.*] Nempe in ſenatu. Mirum igitur, qui ſcribat Appianus, toto Cæſaris conſulatu nullum habitum poſt primas illius cum Bibulo contentiones. Sic enim ait: Βουλὴν μὲν οὐκέτι συνῆγεν ἐπὶ τὸ ἔτος ὅλον· ἐπὶ δὲ τῶν ἐμβόλων ἐδημηγόρει, Non celabo cod. Viterb. lectionem corruptam, *Pomp. pr. rog. ſententiam dicereque cœpit.* Videamus, ne quid hic lateat: quod equidem divinare non poſſum.

Eum toto anno conſervaret] Viterb. lib. *obſervaret.* Accipe autem *toto anno* pro tota parte anni, qua conſules deſignati nulli erant: nam conſularibus comitiis peractis, quin mutanda ratio eſſet, & is honos Coſs. deſignatis habendus, non ambigo. At docti viri aliter accipiunt hæc verba, & multum hic æſtuant.

22. *Cujus emolumento & opportunitate idonea ſit materia triumphorum.*] Forte ſcribendum: *cujus emolumenta & opportunitates, idonea ſint materia triumphorum.*

VARIOR.

22. *Cujus emolumento & opportunitate.*] Video, quid ὁ πάνυ. Saltem *eſſent* ἀντὶ τοῦ *ſint.* Nos rotundius: *Gallias potiſſimum elegit, tunc & emolumento & opportunitate idoneas materiæ triumphorum. Emolumentum* ſignificat copias ubertatemque terrarum: *opportunitas* tempus, res tumentes Helvetiorum ex Arioviſti motu. Conjungit eadem Cic. III. in Verr. *Omnem*

ulli fœminæ fore, reſponderit, quaſi alludens, *In Aſſyria quoque regnaſſe Semiramin,*
23 *magnamque Aſiæ partem Amazonas tenuiſſe quondam.* Functus conſulatu, C. Memmio Lucioque Domitio prætoribus, de ſuperioris anni actis referentibus, cognitionem ſenatui detulit: nec illo ſuſcipiente, triduoque per irritas altercationes abſumto, in provinciam abiit: & ſtatim quæſtor ejus in præjudicium aliquot criminibus arreptus eſt. Mox & ipſe a L.

Omnem utilitatem opportunitatemque provinciæ. Tib. XVII. *Cui gloriæ amplior adhuc ex opportunitate cumulus acceſſit.* Liv. lib. X. *Nec populo Romano magna ſolum, ſed peropportuna ea victoria fuit, quia per idem tempus rebellare Etruſcos allatum eſt.* Cic. ad Pompejum lib. VIII. ad Atticum: *Si tenendam hanc oram putas, quæ & opportunitatem & dignitatem habet.* GRONOV.

Inſultaturum.] An *inluſurum?* i. e. omnes irrumaturum, μεταφορικῶς. Cat. paſſim. GUJET.

Facile.] Ne dum viro. ID.

TORRENT.

Ulli fœminæ fore.] Cæſare jactante inſultaturum ſe omnium capitibus, alter (quiſquis ille fuit) ad obſcœnum ſenſum trahens, negabat, facile hoc ulli feminæ fore, impudicitiam ei exprobrans, ob ea quæ de Nicomede vulgo ferebantur. At Cæſar de imperio ſe locutum oſtendens, Semiramidis & Amazonum exemplo eum refellit. Inf. Tib. cap. XLV. *Feminarum, & quidem illuſtrium, capitibus quantopere ſolitus ſit illudere,* &c. Quæ loquendi ratio me adducit, ut obſcœni aliquid ſubeſſe putem: offenſi enim iis, quos contemnebant, contumeliæ cauſa tale aliquid minabantur, ut Catullus non ſemel. Neque aliter intelligi poterit Senecæ locus de fœdiſſimo Mam. Scauri convicio lib. De benef. IV. cap. XXXI.

In Aſſyria.] Vatican. & Tornacenſ. *in Suria.*

23. *C. Memmio, L. que Dom. præt.*] De Domitio ſic Sueton. Ner. cap. 11. *Prætor Cæſarem abeuntem conſulatu, quem adverſus leges auſpiciaque geſſiſſe exiſtimabatur, ad diſquiſitionem ſenatus vocavit.* *Ad diſquiſitionem ſenatus* dixit, ut ſup. cap. XV. *ad diſquiſitionem populi.* Hic *cognitionem* vocat. De C. Memmio inf. cap. XLIX. & LXXIII.

In præjudicium.] Quæſtore enim damnato, de Cæſare idem ſperari poterat, ob parem utriuſque cauſam. præjudicium enim vocabant, quod veluti exemplum eſſet, ad quod cauſa ſubſequens decideretur.

Aliquot criminibus arreptus.] Tornac. *aliquot de criminibus.* Cicero pro Cluentio, *arrepti ſubito ad quæſtionem:* & pro Milone, *arreptus in quæſtionem.* Verbum elegans, & quod aviditatem accuſatoris exprimit.

CASAUBON.

Quaſi alludens.] Quaſi per luſum ac jocum: non enim *alludere* hic interpretor αἰνίττειν, ſed προσπαίζειν.

In Aſſyria quoque regnaſſe Semiramin.] Turonenſis *in Suria*, vel ut poſtea emendatum, *in Syria.* non multum intereſt, utro modo legatur. Aſſyriæ tamen reginam Semiramin potius quam Syriæ dici obſervamus. Recte autem Cæſar Semiramin & Amazonas conjungit: nam & illa erat ſtirpe Amazonica. quod, quum ab Herodoto & aliis hiſtoricis prætermiſſum, Critici Græcorum ita produnt: Κάϋστρός ἐστιν υἱὸς Πενθεσιλείας τῆς Ἀμαζόνος, ὃς ἐν Ἀσκαλῶνι ἔγημε τὴν Δερκετὼ, καὶ ἐξ αὐτῆς ἔσχε τὴν Σεμίραμιν, ἥτις καὶ τὰ Βαβυλώνια τείχη κατεσκεύασε.

Magnamque Aſiæ partem Amazonas tenuiſſe quondam.] Aſiam cape minorem; non illam, quæ τῆς οἰκουμένης pars tertia eſt habita: nam ſi hanc reſpicias, falſum erit, quod Cæſar dicit. Quin etiam jure queat aliquis mirari, cur Aſiam potius quam Europam nominarit, quum plura multo in hac quam in Aſia tenuerint. Itaque Juſtini verba ſunt hæc lib. II. *Majore parte Europæ ſubacta, Aſiæ quoque nonnullas civitates occupavere.* ut omittam de Africa, quæ prima illarum ſedes.

23. *Triduoque per irritas altercationes abſumpto in provinciam abiit.*] Cauſſam ſubitæ profectionis accurate explicat Cæſar initio Commentariorum cap. VII. nam huc pertinent illa verba: *Cæſari quum id nuntiatum eſſet, eos per provinciam noſtram iter facere conari, maturat ab urbe proficiſci; & quam maximis itineribus poteſt in Galliam ulteriorem contendit, & ad Genevam pervenit.*

Et ſtatim quæſtor ejus in præjudicium arreptus eſt.] Vellem dictum planius: nunc enim anceps oratio. tam enim poſſumus de quæſtore Cæſaris accipere, qui euntem in provinciam erat comitaturus, quam de eo qui fuit eidem conſuli quæſtor. Hoc melius, niſi fallor. Non enim fit mihi veriſimile, poſt abitum Cæſaris remanſiſſe in urbe ejus tum quæſtorem. Conſulibus autem ſuos fuiſſe quæſtores, clarum ex Livii libro quarto, Dionis XLVIII.

VARIOR.

23. *Cognitionem.*] Eſt autem cognitio, ait Scipio Gentilis I. d. Juriſd. 33. *extraordinaria Magiſtratus, vel Principis, de aliqua re graviori notio & judicatio.* Sed id vix videtur procedere, quod dixerit eſſe notionem *de re aliqua graviori*, quoniam eſt etiam de re pecuniaria non magna, veluti de mercedibus, quæ præceptoribus ſtudiorum liberalium debentur. Imo & de nutritiis & iis, quæ in alimoniam infantum impenduntur, ut liquet ex l. I. & l. 4. ff. de extr. cogn. Rectius itaque dixiſſet, *vel de re*

a L. Antiſtio tribuno plebis poſtulatus, appellato demum collegio, obtinuit, cum reip. cauſſa abeſſet, reus ne fieret. Ad ſecuritatem ergo poſteri temporis, in magno negotio habuit obligare ſemper annuos magiſtratus, & e petitoribus, non alios adjuvare, aut ad honorem pati pervenire, quam qui ſibi recepiſſent propugnaturos abſentiam ſuam: cujus pacti non dubitavit a quibuſdam jusjurandum atque etiam ſyngrapham exigere. Sed cum 24
L. Domitius conſulatus candidatus palam minaretur, coſ. ſe, effecturum quod prætor nequiſſet, ademptur umque ei exercitus, Craſſum Pompejumque in urbem provinciæ ſuæ Lucam extractos compulit, ut detrudendi Domitii cauſſa conſulatum alterum peterent: & ut

re aliqua graviori, vel ea quæ aliquo favore ſit proſequenda. Ut ſane ſunt mercedes præceptorum, & infantium impendia. Tum enim is, qui juriſdictioni præeſt, judicem non dat, ſed ipſe cognoſcit. De quibus exactius judicium ferri poſſet, ſi veterum *de cognitionibus* libros haberemus. Nam Paulus de iis librum ſcripſit ſingularem, Calliſtratus autem ſex, ut ex variarum legum inſcriptionibus liquet. GOESIUS.

Nec illo ſuſcipiente.] Quia in Urbe cognitiones vulgo ad prætores pertinebant, in provinciis ad præſides, ut liquet ex l. 1. §. 14. ff. de extr. c. IDEM.

TORRENT.

In magno negotio habuit obligare.] Pro, magnum negotium habuit in obligandis, ut *negotium habere in re aliqua* Cic. fam. lib. v. epiſt. XIV. Niſi *in magno negotio habere* interpretemur, magni negotii loco habere, ut Virg. v. Æneid.

- - - in magno pignore Ciſſeus
Ferre ſui dederat monumentum & pignus amoris.

E competitoribus.] Libri MSS. quatuor *petitoribus* habent. Horat. lib. III. Od. I.

- - - hic generoſior
Deſcendat in campum petitor,
Moribus hic meliorque fama.

JCtis & Ciceroni *petitor* actorem ſignificat, & opponitur reo. At veteres pro candidato uſos fuiſſe Scipionis Æmiliani apud Macrobium verba oſtendunt: *Ductus ſum in ludum ſaltatorium. Plus (me Dius Fidius) in eo ludo vidi pueris virginibuſque quingentis. In his unum, quo me maxime reip. miſertum eſt, puerum bullatum, petitoris filium.* id eſt, candidati, ut exponit ipſe Macrobius lib. III. Saturn. cap. XIV. Uſus & Pacatus paneg. Theodoſii: *Priſcorum duritia ducum, caſtitate pontificum, conſulum moderatione, petitorum comitate viventem.*

Qui ſibi pepigiſſent.] Vatic. & Torn. *recepiſſent.* recte. Verbum elegans, & quod plus quam promittere ſignificet, aut ſpondere. Exempla apud Cic. paſſim obvia. Dictio autem *ſibi* Cæſarem notat. Sic Cic. *Id tu mihi recepiſti.*

Syngrapham.] Tornacenſ. *ſyngraphum*, ut chirographum ſup. cap. XVII. Cicero ſemper *ſyngrapham* vocat.

24. *Urbem prov. ſuæ Lucam.*] Ergo *Lucam* Galliæ Ciſalpinæ attribuit Sueton. Etruriæ Plin. Vide Strabonem.

CASAUBON.

Aliquot criminibus arreptus eſt.] Libro ſeptimo in Vitellio: *Ac poſt præturæ honorem, inter Sejani conſcios arreptus eſt.* Livius libro tertio: *Priuſquam prædicta dies adeſſet, Appius ſibi mortem conſcivit. Subinde arreptus a P. Numitorio, Sp. Oppius invidiæ proximus.*

Obtinuit, cum reip. cauſſa abeſſet, reus ne fieret.] Lege Memmia id cautum. Valerius lib. III. cap. VII. *M. Antonius quæſtor proficiſcens in Aſiam, Brunduſium jam pervenerat: ubi literis certior factus inceſti ſe poſtulatum apud L. Caſſium prætorem, cujus tribunal propter nimiam ſeveritatem ſcopulus reorum dicebatur: cum id vitare beneficio legis Memmiæ liceret, quæ eorum qui reip. cauſſa abeſſent, recipi nomina vetabat, in Urbem tamen recurrit.*

In magno negotio habuit.] Non diſpliceret, *in magno habuit*, ſi per codices liceret hic conſentientes. Sic apud Dionem & Ælianum, ἐν μεγάλῳ τίθεσθαι, & ἐν ἐλαφρῷ ποιεῖσθαι, aliaque apud Græcos. Tacitus: *Quocunque caſu occiderat, dum atrociora metuebantur, in levi habitum.* At apud Arnobium pro ποιεῖσθαι περὶ πολλοῦ, legas, *in magnis ponderibus ducere.*

E competitoribus.] Turonenſis codex & Liſlæi, *petitoribus.* Iidem *recepiſſent*, non *pepigiſſent.*

Jusjurandum atque etiam ſyngrapham exigere.] Prima editio *ſyngraphum*, ut aliquoties apud Plautum. Viterbienſis codex *chirographum.* Sic libro quarto, ubi aliud habetur depectionis contra bonos mores exemplum: *De qua re & jurejurando & chirographo cavit.* & libro ultimo in Domitiani vita: *Chirographum ejus conſervaſſe, & nonnunquam protuliſſe, noctem ſibi pollicentis.* De hujuſmodi contractibus lex Juliani Imp. exſtat in libris Juris civilis Rom.

VARIOR.

23. *Collegio.*] Tribunorum ſc. GUJET.

Negotio.] Τὸ *negotio* gloſſ. videtur ἐν μεγάλῳ ἐτίθετο. ID.

TOR-

ut in quinquennium ſibi imperium prorogaretur : perfecitque utrumque. Qua fiducia ad legiones quas a rep. acceperat, alias privato ſumptu addidit : unam etiam ex Tranſalpinis conſcriptam, vocabulo quoque Gallico (Alauda enim appellabatur) quam diſciplina cultuque

TORRENT.

Perfecit utrumque, & ut in quinq.] Cum animadvertiſſem verba illa non ſuo loco eſſe poſita, exemplar Vaticanum poſtea me confirmavit, quod ita habet : *Ut detrud. Dom. cauſa conſ. alt. pet. & ut in quinquennium ſibi imper. propagaretur, perfecitque utrumque.* Quæ verborum tranſpoſitio ſi cui forte minus placet, is ſic legat : *Perfecitque utrumque, etiam ut in quinq.* Sicut autem antea lege Vatinia tribunitia, ſic deinde lege Trebonia, Galliæ Cæſari in alterum quinquennium confirmatæ, Pompejo & Craſſo iterum coſſ. A. U. DCXCVIII. repulſam tunc ferente Domitio.

Alias publico.] Hæ dictiones abſunt a Vaticano ; & recte, mea quidem ſententia. Cic. ad Lentulum epiſt. VII. *Stipendium Cæſari decretum, & ne lege Sempronia ſuccederetur, facile perfectum eſt.* De ſecundo autem ibi quinquennio loquitur, & ſtipendium pro legionibus ante acceptis intelligo : nam ſi novæ conceſſæ fuiſſent, Cicero id non tacuiſſet.

Vocabulo quoque Gallico Alauda.] Joh. Goropius Becanus Gallicis, Alaudarum militum nomen a noſtrate lingua repetit, dictoſque vult, quaſi omnes veteranos, id eſt, **al audc.** ingenioſe, ut pleraque omnia. Sed Auctor mihi Plinius, ſi eum capio, lib. XI. cap. XXXVII. avis alaudæ appellationem Gallicam eſſe. Firmat, quod non temere ante Cæſarem id vocabuli auditum. nam ecce & Plinius hoc ipſo, qui in manibus loco, iterumque l. XXX. cap. VII. avem galeritam, & Varro de ling. Lat. IV. galeritum vocant. Ac ne citerioris quidem ſæculi ſcriptoribus nimium in ave tritum haud abs re Gellius, accuratus auctor, ſuaſerit, qui caſſitam nominat Attic. Noct. II. cap. XXIX. Sane hodieque Gallis eſt *une alouette*, deminutive, quo ego ad Latinum nihil invenio propius. Milites quidem Alaudas dictos accipio, quod galeis uterentur ei apici ſimillimis, qui in aviculæ capite, quam alaudam appellarent.

CASAUBON.

24. *Perfecitque utrumque.*] Hæc Vaticani codicis ſcriptura : nam in Turonenſi & aliis omnibus (Liſlæi cod. excipio, qui verba hæc non habet) alio loco iſta ſic collocantur : *Compulit, ut detrudendi Domitii cauſſa conſulatum alterum peterent : perfecitque utrumque : & ut in quinquennium ſibi imperium prorogaretur.* Emendabam : *fecitque per utrumque, ut in quin.* Vide Plutarchi narrationem in Pompejo. Sunt codd. qui habent *propagaretur.* non *prorogaretur.* eadem diſcrepantia notata mihi non uno loco. Eſt, qui *prorogarent*, ut Viterb.

Alias privato ſumptu addidit.] Vulgo, *alias publico, alias pr. ſ. ad.* Suſtulimus otioſa verba, auctoribus Vaticano & Viterbienſi noſtro : itaque eſſe in ſuis Pithœus & Liſlæus annotarant ; ita & Turonenſis.

Vocabulo quoque Gallico : Alauda enim appellabatur.] Militum galeis criſtarum adjectione terribiliorem ſpeciem dare, vetuſtiſſimum fuit Carum inventum, Romanis ac Græcis adæque probatum. Vetuſtiorum Græcorum galeæ non pinnis, ſed equinis ſetis fiebant horridæ : unde illa apud Vatem præcipuum, λόφος ἱππιοχαίτης, κυνέη ἱππουρις, & inde Δωριεῖς τριχάϊκες. Romani, teſte Polybio, pinnas tres adhibuere prælongas, colore purpureo vel nigro : & ita Lamacho tribui ab Ariſtophane video τὼ πτερὼ τὼ ἐκ τοῦ κράνους : ac mox τὸ λοφεῖον τῶν τριῶν λόφων. & apud Æſchylum Tydeus τρεῖς καταſκίους λόφους σείει. Virgilius de Turno :

Cui triplici crinita juba galea alta chimæram
Suſtinet.

Cæterum inſignes oportet fuiſſe legionis iſtius πτερίνους φάλους, ut Polybius vocat, vel aliud quid peculiare habuiſſe, unde *Alaudæ* appellationem ſit nacta. Vocabulum alaudæ Gallicum eſſe & galeritam ſive caſſitam avem ſignificare, teſtis præter Plinium Marcellus Empiricus capite XXIX. homo Gallicæ linguæ veteris non imperitus. Gregorius Turonenſis libro IV. *In Eccleſia Arverna, dum matutinæ celebrarentur vigiliæ in quadam feſtivitate, avis corydalus, quam alaudam vocamus, ingreſſa eſt.* Legionem novam, galearum criſtis inſignem, militari laſcivia fuiſſe Alaudam de avis nomine, ſicut Plinius tradit, appellatam, non magis mirum quam Cares olim eandem ob cauſſam *gallos gallinaceos* fuiſſe vocitatos. Plutarchus Artaxerxe : Τοὺς Κάρας ἈΛΕΚΤΡΥΌΝΑΣ οἱ Πέρσαι διὰ τοὺς λόφους, οἷς κοσμοῦσι τὰ κράνη, προσηγόρευον. Sic & Comici Attici quendam ob ſimilem ſpeciem, aut aliquam δυσμορφίαν ridentes, nomen ei fecerunt Κορυδεὺς, a κορυδὸς, galerita ſive alauda. Celebratus etiam eſt Athenis Adæus quidam, ipſe quoque Ἀλεκτρυὼν, *Gallus gallinaceus* ex eo cognominatus, quod criſtam in capite geſtaret ; de quo vide Heraclidæ Comici verſus apud Athenæum libro XII. Apage circulatoris illius commentum, qui voce Cimbrica Alaudam legionem eſſe dictam ariolatur, non propter ſimilitudinem avis criſtatæ, ſed quia tota ex veteranis conſtaret. Impium hominem, non ſolum vanum ! qui ſacro-ſancta religionis noſtræ myſteria in galeritæ criſta quærat. Hæc vident & probant, qui ſe eſſe jactant ſolos ſepem legis.

tuque Romano inſtitutam & ornatam, poſtea univerſam civitate donavit. Nec deinde ulla belli occaſione, ne injuſti quidem ac periculoſi, abſtinuit, tam fœderatis quam infeſtis ac feris gentibus ultro laceſſitis: adeo ut ſenatus quondam legatos ad explorandum ſtatum Galliarum mittendos decreverit, ac nonnulli dedendum eum hoſtibus cenſuerint. Sed proſpere decedentibus rebus, & ſæpius & plurium quam quiſquam umquam dierum ſupplicationes impetravit. Geſſit autem novem annis, quibus in imperio fuit, hæc fere. 25
Omnem Galliam, quæ a ſaltu Pyrenæo Alpibuſque & monte Gebenna, fluminibus Rheno & Rhodano continetur, patetque circumitu ad bis & tricies centum milia paſſuum, præter ſocias ac bene meritas civitates, in provinciæ formam redegit, eique quadringenties in

VARIOR.

24. *Alauda enim appellabatur.*] Plin. XI. XXXVII. *Paro volucris ex illo* (capite puto criſtato) *galerita appellata quondam, poſtea Gallico vocabulo etiam legioni nomen dederat Alaudæ.* Quæ Plinii verba male Sabellicus aſſecutus, ex iis apparere dicit, Alaudæ nomen legioni datum, quia milites galeis eſſent inſtructi, cum galeam alaudam vocarint. prout etiamnum hodie in plurimis Wallonum Galliæ Belgicæ pagis *ſalade* galeam ſignificet. Quin imo, ſi rectis oculis intueare Plinium, hoc dicit: ut alauda avis ideo dicta eſt galerita, quia apicem habet in capite, hoc eſt, plumam elatam ad ſimilitudinem galeri; ſic legionem Gallicam a criſtarum geſtamine cognominatam Alaudam. Ipſam Alaudæ vocem, etſi admiſſam poſtea in Latinorum vocabulorum claſſem, origine tamen fuiſſe Gallicam arguit, cum non abludens ab alaudæ voce vox *alouette*, qua hodieque utuntur Galli; tum etiam quod ante Cæſarem id vocabuli Latinis incognitum, ac ne citerioris ævi ſcriptoribus nimis tritum. Ecce enim Plinius & loco dicto, & lib. XXX. VII. *galeritam*, & Gellius II. XXIX. *caſſitam* hanc avem vocant. Becani etymologia & Plinio & rationi eſt contraria. BERNECCERUS.

TORRENT.

Ac nonnulli.] Ipſe Cato: auctor Plutarch. *Ac* vero particula abeſt a cod. Ferrarienſi.

25. *A ſaltu Pyrenæo.*] Sic Cæſar lib. I. de Bello civili: *Saltus Pyrenæos occupari jubet.* *Saltus Grajus*, pro *Alpes Grajæ* apud Livium. Proprium epitheton attribuit Catull. hymno in Dianam, *ſaltuumque reconditorum.* Virgilius quoque, cum *ſaltus ac luſtra ferarum* dixit II. Georg. remotiores ſilvas ſignificat.

Bis & tricies.] Liber unus *bis tricies*: mendoſe. uti & apud Eutropium lib. VI. *Circuitu patet ad bis tricies centena millia paſſuum*, cum lib. MSS. habeant *ad bis & tricies centum millia paſſuum.* Locus autem ille Eutropii ad verbum pæne e Suetonio deſumptus eſt.

CASAUBON.

Sed proſpere decedentibus rebus.] Malim *proſpere ei cedentibus rebus*, vel *cadentibus*, ut lib. III. vetus tamen omnis ſcriptura, etiam Memmiani codicis, habet *decedentibus.* & fortaſſe hoc inter καινοπρεπείας Suetonii exempla referendum potius quam corrigendum. Non multo aliter apud Ciceronem *diſcedere*, de exitu rei alicujus; quod reſpondet Græco ἀπαλλάττειν vel ἀπαλλάττεσθαι: libro III. in Verrem: *Si iſtius hæc tanta injuria impunita diſceſſerit.* In eadem, *omnes liberatos diſceſſiſſe, & eſſe ignotum omnibus.* ſic alibi ſæpe & Terentius.

Plurium, quam quiſquam umquam, dierum ſupplicationes impetravit.] Reſtringe illa *quiſquam umquam*, ad tempora ante Cæſarem: nam poſt ejus exceſſum ea res non habuit modum. Vide Ciceronem de Provinciis conſularibus.

25. *Geſſit autem novem annis, quibus in imperio fuit.*] Appianus in Celticis, rerum geſtarum in Galliis a Cæſare ſummam ita exprimit: Καῖσαρ μυριάσιν ἀνδρῶν ἀγρίων ἐν τοῖς δέκα ἔτεσιν, ἐν οἷς ἐστρατήγησεν, ἐς χεῖρας ἦλθεν (εἴ τις ὑφ᾽ ἓν τὰ μέρη συναγάγοι) τετρακοσίων πλείοσι· καὶ τούτων ἑκατὸν μὲν ἐζώγρησαν, ἑκατὸν δὲ ἐν τῷ πόνῳ κατέκτανον· ἔθνη δὲ τετρακόσια, καὶ πόλεις ὑπὲρ ὀκτακοσίας, τὰ μὲν ἀφιστάμενα σφῶν, τὰ δὲ προσεπιλαμβάνοντες ἐκρατύναντο. *Congreſſus eſt*, inquit, *Cæſar cum hominibus feris, ſi omnia prælia in unam ſummam colligantur, amplius quadragies* CM. *cæſa ex his decies* CM. *capta totidem. Victæ gentes* CCCC. *urbes partim rebellantes in ordinem coactæ, partim Romano imperio tum adjectæ* DCCC. Plutarchus in Pompejo, M. urbes in Gallia vi expugnatas a Cæſare ſcribit: de cæteris cum Appiano conſentit. Plinium vide lib. VII. cap. XXV. Quod Appianus ait, decem annis in eo imperio Cæſarem fuiſſe, Suetonius aliique novem, neutrum exacte verum eſt. Tenuit Gallias Cæſar per geminum quinquennium ſemeſtri imperio minus, quod ei ademtum initio belli civilis. Suetonius alibi X. annorum ſpatium dicit. Apud Dionem libro XLIV. in funebri laudatione Cæſaris Antoniana valde negligenter ſcriptum τὸ ὀκτὼ ἔτεσιν ὅλοις ἡγημονεῦσαι Cæſarem. cujus peccatum dicemus, Antonii ne, an Dionis, an librarii?

TOR-

in ſingulos annos ſtipendii nomine impoſuit. Germanos, qui trans Rhenum incolunt primus Romanorum ponte fabricato aggreſſus, maximis affecit cladibus. Aggreſſus eſt & Britannos, ignotos antea, ſuperatiſque pecunias & obſides imperavit. Per tot ſucceſſus ter, nec amplius, adverſum caſum expertus: in Britannia, claſſe vi tempeſtatis prope abſumta, & in Gallia, ad Gergoviam legione fuſa, & in Germanorum finibus, Titurio
26 & Aurunculejo legatis per inſidias cæſis. Eodem temporis ſpatio matrem primo, deinde filiam, nec multo poſt nepotem amiſit. Inter quæ conſternata P. Clodii cæde rep. cum ſenatus unum COS. nominatimque Cn. Pompejum fieri cenſuiſſet, egit cum tribunis plebis collegam ſe Pompejo deſtinantibus, id potius ad populum ferrent, ut abſenti ſibi, quan-

TORRENT.

Stipendii nomen.] Liber unus *ſtipendii nomina.* Vatican. ſic: *Eique* CCCC. *in ſingulos annos ſtipendii nomine impoſ.* Optime Eutropius: *Galliæ autem tributi nomine annuum imperavit ſeſtertium quadringenties.* ſic enim in meo cod. Lego igitur, *eique* CCCC. HS. *in ſ. a. ſt. nomine impoſ.*

Aggreſſus & Brit.] Libri tres: *Aggreſſus eſt & Brit.*

In Germanorum finib.] De eadem re cap. LVIII. *Obſeſſione caſtrorum in Germania nunciata.* Porro cum hæc apud Eburones contigerint, ut ipſe Cæſar ſcribit, ſequitur eos in Germania fuiſſe. qua de re alias latius.

Arunculejo.] Meliores codd. *Aurunculejo*: ut *Auruncos* ſæpius quidem, ſed & *Aruncos* ſcriptum reperias: unde, ut puto, familiæ nomen.

26. *Neptem amiſit.*] Priore noſtra editione in cod. Vaticano *nepotem* pro *neptem* legi monuimus, Dionis tamen Caſſii auctoritatem ſecuti *neptem* retinuimus. At Juſtus Lipſius Elector. II. cap. XVII. *nepotem* præfert. ſic enim Paterculus: *Filius quoque parvus Pompeji, Julia natus, intra breve ſpatium obiit.* & Lucan. cujus certior fides, lib. V.

- - - multoſque per annos
Dilectus tibi, Magne, ſocer poſt pignora tanta,
Sanguinis infauſti ſobolem, mortemque nepotis,
Te niſi Niliaca propius non vidit arena.

Ego tamen in ſententia perſiſto: nota enim hiſtoria eſt, ſemel abortum feciſſe conſternatione animi Juliam, cum marito, conſpecta ejus veſte cruenta, humanitus aliquid accidiſſe crederet. Val. Maximus lib. IV. cap. VI. & inſignis ſcriptor Plutarch. Pompejo. Maſculi tamen, an fœminæ abortus fuerit, neque ipſe, neque Valer. exprimit; credo, verecundiæ cauſa. Sed addit Plutarch. poſt abortum iterum factam gravidam, enixamque filiolam partus doloribus exſpiraſſe, paucis poſt diebus exſtincta etiam filiola. Idem tamen Cæſare, peperiſſe quidem Juliam & dolore partus obiiſſe narrat, ſed ſexum non exprimit, quemadmodum neque Appian. Civil. II. Reſtat Lucanus; quem Poëtam cum pleriſque MSS. exemplarib. conferens, pro *nepotis* in cod. quodam optimo Virdunenſi *nepotum* ſcriptum repperi. Idque & Car. Langius ſuapte manu annotavit. Quam lectionem puto eſſe veriſſimam, ut (quod poëtam decet) multitudinis numeró rem magis exaggeret. His porro omnibus comparatus Vellejus quanti ſit momenti, expendendum relinquo. In Lucano etiam, quod pæne fugerat monere, pro *poſt pignora tanta* legendum *poſt pignora rapta*, ſuadere ſenſus mihi videtur. nam profecto *ſanguinis infauſti ſobolem Juliam*, Cæſaris filiam intelligit, ac more ſuo iniquior Cæſari, infauſtum ſanguinem ait.

Interimque conſternata.] Duo codd. *Inter quæ conſt.* haud dubie melius.

Abſenti ſibi & qu.] Tres libri: *Abſenti ſibi, quandocunque.* placet.

CASAUBON.

26. *Nec multo poſt neptem amiſit.*] Quoniam Juliæ puerperium tam cito eſt exſtinctum (nam ut venuſte Zonaras ſcribit, *μετ' ὀλίγον καὶ τὸ τεχθὲν ἐπανῆλθε τῇ μητρὶ*) factum inde, ut inter auctores non conveniat, filium an filiam eſſet enixa. Plutarchus, Dio & Suetonius filiam ajunt. *neptem* enim, non *nepotem*, ut eſt in Vaticano, reperimus in Viterbienſi aliiſque omnibus codd. præter Memmianum & Liſlæi. Vellejus tamen & Lucanus filium fuiſſe volunt. Nam quod Lucani locum ex lib. V. docti corrigunt, plauſum a me non ferent: habeo enim perveteres membranas ejus poëtæ, in quibus non aliter ſcriptum quam ut hodie editur,

- - - mortemque nepotis.

Quid autem miramur, in re tam parvi momenti inter ſcriptores non convenire, cum eos videamus in rebus longe maximis contraria invicem, nedum diverſa, ſcribere. Ut ne dicam, videri poſſe in ancipiti hiſtoria de induſtria locutos, qui genus maſculinum uſurparunt, memores filii appellatione & ſequiorem ſexum contineri. Fruſtra igitur mea quidem ſententia, duo doctiſſimi viri contendunt, alter ut Suetonii, alter ut Lucani locum emendet.

quandoque imperii tempus expleri cœpiſſet, petitio ſecundi Conſulatus daretur: ne ea cauſſa maturius, & imperfecto adhuc bello decederet. Quod ut adeptus eſt, altiora jam meditans, & ſpei plenus, nullum largitionis, aut officiorum in quemquam genus publice, privatimque omiſit. Forum de manubiis inchoavit: cujus area ſuper H S. millies conſtitit. Munus populo, epulumque pronuntiavit in filiæ memoriam, quod ante eum nemo. Quorum ut quam maxima exſpectatio eſſet, ea quæ ad epulum pertinerent, quamvis macellariis oblocata, etiam domeſticatim apparabat. Gladiatores notos, ſicubi infeſtis ſpectato-

TORRENT.

Super HS. *millies.*] *Millies* HS. ſi Budæo credimus, vicies quinquies centena millia coronatorum efficiet. Qua ſumma deterritus Egnatius, *mille ſeſtertia* legendum putat. Apud Plinium vero lib. XXXVI. cap. XV. eadem de re loquentem, *ſeſtertia* MCC. Glareanus autem *millies* HS. retinet, & apud Plinium *millies ducenties* legi debere contendit, ut ducenties ſit, quod Sueton. ait *ſuper millies* HS. Budæo quoque inſolens ſumma viſa fuit. Verum ſi Cæſar, pæne privatus adhuc, cum ex prætura in Hiſpaniam proficiſceretur, bis millies quingenties, teſte Appiano, ſibi opus eſſe dixit, ut nihil haberet, quia tantumdem debebat, nihil ſane de hac profuſione & areæ pretio mirandum eſt. nam ſi P. Clodius, quem Milo occidit, domo centies & quadragies octies empta habitavit, ut auctor loco jam citato eſt Plinius, facile fieri potuit, ut area toti foro ſtruendo millies abſtulerit, cum veriſimile ſit in tanta urbis frequentia locum eum ante emptionem vacuum non fuiſſe.

Quod ante eum nemo fecit.] Dele dictionem *fecit*, ut in duobus MSS. & ita intellige, ut in filiæ defunctæ memoriam nemo id ante fecerit, quod tunc Cæſar; & quidem, ut arbitror, in gratiam populi, qui invitis etiam tribunis Juliam in campo Martio ſepeliri voluit. Auctor Plutarch.

Gladiatores notos.] Hujus loci ſententia eſt, Cæſarem, quo munus ſuum gladiatorium magnificentius ederet, mandaſſe, ut nobiles gladiatores, infeſtis ſpectatoribus & proinde magno diſcrimine ne occidi juberentur, dimicantes, vi raperentur, ac ſibi reſervarentur: quod melius intelliget, qui meminerit proverbii, quo pollicem premere dicimur, cum favemus; contra vertere, cum non favemus. Plin. lib. XXVIII. cap. II. ab arena enim ductum eſt, quod eo populi ſigno gladiatores aut perirent, aut ſervarentur. Qua de re Horat. Epiſt. II. ad Lollium: *Fautor utroque tuum laudabit pollice ludum.* Juvenal. Sat. III. *verſo pollice vulgi Quemlibet occidunt populariter.* Inf. Claud. cap. XXXIV. *Quocunque gladiatorio munere, vel ſuo, vel alieno, etiam forte prolapſos jugulari jubebat, maxime retiarios.* Adde locum Ner. cap. IV. & XII.

CASAUBON.

Maturius & imperfecto adhuc bello.] An potius, *immaturius?* Revera enim immaturus futurus erat & intempeſtivus deceſſus, bello nondum perfecto. Nihil tamen muto & omnium librorum lectionem ſervo. *maturius*, id eſt, ante legitimum tempus decedendi e provincia, neque exſpectato ſucceſſore, ut antea dicebat Suetonius.

Cujus area ſuper HS. *millies conſtitit.*] Qui vocant hanc lectionem in dubium, quam ſuper omnium veterum codicum auctoritatem Plinius comprobat, eos apparet, populi Rom. opes & magnificentiam habuiſſe parum cognitam. Budæum excipio, cujus mens prope divina, neſcio quomodo in tractatione iſtius loci diſſimilis ſibi fuit. Sed hæc miſſa facimus: ſunt enim a doctis viris pridem animadverſa, neque noſtrum de aliorum menſis analecta converrere. Obſervavimus & nos mendas aliquot apud Ciceronem alioſque ab hac inobſervantia Romanorum magnificentiæ profectas; quas alio tempore θεοῦ διδόντος, detegemus.

Quod ante eum nemo.] Vulg. *nemo fecit.* Noſtri omnes habent, ut edidimus. & gloſſam eſſe illud *fecit*, palam teſtatur Memmianus. In iiſdem *quam maxime*, non *maxima*. Pudet minutias iſtas perſequi: non faciam porro, niſi cauſſa ſit. Lectorem ſemel volumus monitum, quæ in hac editione mutata reperiet, quorum hic non erit reddita ratio, hauſta eſſe illa ex iis codicibus, quorum initio fecimus mentionem.

Quamvis macellariis oblocata.] Viterbienſis, *adlocata.* Turonenſis, Pithœi & Liſlæi, *ablocata.* qua voce utitur in Vitellio, capite VII Macellum Plutarchus alicubi κρεωπώλιον interpretatur: ſed latius patet vocis illius ſignificatio, extenditurque ad omne obſoniorum genus. Gloſſarium: *Macellarius:* ὀψωνιοπώλης. Suetonius infra: *Diſpoſitis circa macellum cuſtodibus, qui obſonia contra vetitum retinerent.* inde apud Senecam, *vivere in macello*, pro *in popina &* καπηλείοις καὶ ἡβητηρίοις.

Sicubi infeſtis ſpectatoribus dimicarent.] Vetus Poeta:

Sperat & in ſæva victus gladiator arena,
Sit licet infeſto pollice turba minax.

VARIOR.

Ne ea cauſa maturius.] Sic & Palatini tres codices. Nec opus mutatione. nam id vocis etiam notat *citius*, *properantius*, ut cap. LXXX. GRUTERUS.

TOR-

ctatoribus dimicarent, vi rapiendos reſervandoſque mandabat. Tirones neque in ludo, neque per laniſtas, ſed in domibus per equites Romanos, ac etiam per ſenatores armorum peritos erudiebat: precibus enitens, quod epiſtolis ejus oſtenditur, ut diſciplinam ſingulorum ſuſciperent, ipſique dictata exercentibus darent. Legionibus ſtipendium in perpetuum duplicavit. Frumentum, quoties copia eſſet, etiam ſine modo menſuraque præbuit: ac ſingula

Torrent.

Neque in ludo.] *Ludus gladiatorius*, inquit Iſidorus Etymol. lib. XVIII. cap. LII. *inde dictus eſt, quod in eo juvenes uſum armorum condiſcant, & modo inter ſe aut gladiis aut pugnis certantes, modo contra beſtias incedentes, ſubeant ferale certamen.* Hinc *ludus magnus*, & *ludus matutinus* apud Victorem, & Sex. Rufum de Region. Urb. Marmora quoque vetuſta Hilarum *ludi magni*, & Eutychum *ludi matutini* medicos commemorant. *Ludus* item *Æmilius* apud Horat. de Arte. *ludus* C. Aurelii Scauri apud Valerium Maximum libro II. cap. III. *ludus venatorius* apud Ulpianum l. VIII. de pœnis, idem (ni fallor) qui beſtiariorum apud Senecam Epiſt. LXXI. Hinc denique genus pœnæ *in ludum damnari.* Plin. Epiſt. ad Trajanum lib. x. *Quidam vel in opus damnati, vel in ludum.* Et ludo Chriſtiani adjudicari vetantur lib. VIII. de pœnis Cod. Theod. inſ. cap. XXX.

Legionibus ſtip.] Stipendium militare dari cœptum de publico peditibus quidem A. U. CCCXLVII. equitibus vero triennio poſt, auctor eſt Livius lib. IV. Sed quis ſtipendii modus fuerit, nemo, ne Budæus quidem, homo doctiſſimus & diligentiſſimus, ſatis explicavit. Et initio quidem perexiguum fuiſſe, cum re ipſa manifeſtum eſt, tum Polybius ſuo quoque tempore oſtendit; quomodo vero excreverit, Suetonium audiamus. *Addidit* (inquit, de Domitiano loquens, cap. VII.) *& quartum ſtipendium, aureos ternos.* Quæ verba, tres aureos unum efficere ſtipendium, & militem ſub Domitiano quadruplex ſtipendium meruiſſe, ſuadent, aureos ſcilicet XII. Sed profecto ſunt in vitio, legendumque *aureis ternis.* Juſto Lipſio aſſentior Elector. I. cap. II. Ita menſtruum fuerit aureus unus, ſub Domitiano quaterni. Aureus autem tunc valebat denarios, ſive drachmas XXV. aut nummos centum. Quod ita eſſe monſtrabimus Oth. cap. IV. & probat Zonaras, ex Dione, ut arbitror; nam & ipſe de Domitiano loquens, *Cum* (inquit) *militibus ſeptuagenæ quinæ drachmæ ſolverentur, centenas dari juſſit.* Idque cum Tacito convenit lib. I. Annalium, ubi milites poſt exceſſum Auguſti ſingulos in diem denarios per ſeditionem poſcentes deſcribit, cum ante non niſi XXV. denarios in menſem, & ſic ſexta parte minus, accipere conſueviſſent. Quod vero denis in diem aſſibus animam & corpus æſtimari iidem ibi milites conquerun tur, non de aſſibus, quales decem denarium efficiunt, intelligo, (alioqui diurnum poſcentes denarium, non plus petiſſent quam ante acceperant) ſed de aſſibus, ut tunc temporis in uſu erant. Et fortaſſis denarius duodecim aſſibus permutabatur, aut etiam pluribus, ut ſub Auguſto XVI. bellis nimirum civilibus exhauſta repub. quod Vitruvius tradit; & totidem, Fabio Dictatore, bello II. Punico. de quo Plinius lib. XXXIII. cap. III. Neque me movet, quod ibidem ſcribit Plinius, in militari ſtipendio ſemper denarium pro decem aſſibus datum. nam XXV. denarii, quod ſimplex in menſes ſingulos eſſe ſtipendium diximus, cum ducentos tantum & quinquaginta aſſes militares efficiant, ſi dies XXX. menſi attribuas, non denos in diem aſſes, ſed octonos tantum & trientem reddent. Atqui milites denos poſcebant juſtos ac legitimos, hoc eſt nimirum, denarios XXX. ſeu aſſes militares CCC. Atque hæc quidem ſatis aperta ſunt; major vero dubitatio eſt, cum (ut hic narrat Sueton.) legionibus Cæſar in perpetuum ſtipendium duplicaverit, Domitianus vero quartum addiderit, quis medio tempore tertium adjecerit. De quo nihil temere affirmaverim. nam & quod Cæſar perpetuum eſſe voluit, Auguſtus conſtituta a bellis civilibus repub. haud dubie revocavit, quidquid ubique militum eſſet ad certam ſtipendiorum præmiorumque formulam adſtringens. Auctor Sueton. Aug. cap. XLIX. Succeſſores vero pro ſua quiſque libidine iterum auxere.

Casaubon.

Tirones neque in ludo neque per laniſtas, ſed in domibus per equites Rom.] Imo vero etiam per ſe ipſum, cum res poſtulabat. Hirtius de bello Africo c. LXXI. *Cæſar contra ejuſmodi hoſtium genera copias ſuas, non ut imperator exercitum veteranum, ſed ut laniſta tirones gladiatores condocefacere.* vide locum eximium.

Ipſique dictata exercentibus darent.] Proprium laniſtarum, quando tironibus illa dant præcepta, quæ Hirtio commemorantur eo, quem indicavimus, loco. Hieronymus præfat. in XIII. Commentariorum Ezechielis: *Facile eſt dare dictata de populo & ſingulos ictus calumniari, ac de alieno ridere ſanguine, & ubi vulnus infigi debuerit, imperiti laniſtæ more diſſerere.* Tertullianus ad Martyres: *Nec tantus ego ſum, ut vos alloquar: ſed tamen & gladiatores perfectiſſimos non tantum magiſtri & præpoſiti ſui, ſed etiam idiotæ & ſupervacui quique adhortantur de longinquo: ut ſæpe de ipſo populo dictata ſuggeſta profuerint.*

ſingula interdum mancipia & prædia viritim dedit. Ad retinendam autem Pompeji neceſſitudinem ac voluntatem, Octaviam ſororis ſuæ neptem, quæ C. Marcello nupta erat, conditionem ei detulit, ſibique filiam ejus in matrimonium petiit, Fauſto Sullæ deſtinatam. Omnibus vero circa eum, atque etiam parte magna ſenatus, gratuito, aut levi fœnore obſtrictis, ex reliquo quoque ordinum genere vel invitatos, vel ſponte ad ſe commeantes, uberrimo congiario proſequebatur: libertos inſuper, ſervuloſque cujuſque, prout domino patronove gratus quis eſſet. Tum reorum aut obæratorum, aut prodigæ juventutis ſubſidium unicum, ac promptiſſimum erat: niſi quos gravior criminum, vel inopiæ luxuriæve vis urgeret, quam ut ſubveniri poſſet a ſe. his plane palam bello civili opus eſſe dicebat. 27

Nec minore ſtudio reges atque provincias per terrarum orbem alliciebat: aliis, captivorum milia dono offerens: aliis, citra ſenatus populique auctoritatem, quo vellent, & quoties vellent, auxilia ſubmittens: ſuperque Italiæ, Galliarumque & Hiſpaniarum, Aſiæ quoque & Græciæ potentiſſimas urbes præcipuis operibus exornans: donec attonitis jam omnibus, & quorſum illa tenderent, reputantibus, M. Claudius Marcellus coſ. edicto præfatus de ſumma ſe rep. acturum, retulit ad ſenatum, ut ei ſuccederetur ante tempus: quoniam bello confecto pax eſſet, ac dimitti deberet victor exercitus: & ne abſentis ratio comitiis habe- 28

TORRENT.

27. *Sororis ſuæ neptem.*] Sic ipſe major avunculus ei erat, uti & Octavio, qui poſtea Auguſtus appellatus eſt, cujus ſoror Octavia minor. Aug. cap. III.

Conditione ei detulit.] Sic Claud. cap. XXVI. *Nec durare valuit, quin de conditionibus continuo tractaret.* Galb. cap. V. *Neque ſollicitari ulla conditione amplius potuit.* Quibus omnibus locis Sueton. *conditionis* vocabulo pro conjunctione vel pactione nuptiarum ſponſaliorumque uſus eſt, ut & alii auctores, præcipue JCti. e quibus Cajus in renunciatione nuptiarum hæc verba probata eſſe ait: *Conditione tua non utar.* Sed & Feſtus: *Conventa* (inquit) *conditio dicebatur, cum primus ſermo de nuptiis, & earum conditione habebatur.* Sueton. tamen Aug. cap. LXIX. *conditiones quæſitas per amicos* cum ſcribit, non de nuptiis, ſed de ſtupris intelligendus eſt, ut Ter. Andr. *Accepit conditionem, dein quæſtum occipit.* Cicero quoque pro Cœlio: *Habes hortos ad Tiberim, quo omnis juventus natandi cauſa venit. Hinc licet conditiones quotidie legas.* Vide Cajum J. C. l. II. De divortiis & repudiis.

Omnibus circa eum.] Græca locutio, *τοῖς περὶ αὐτὸν*, id eſt, quorum familiaritate utebatur. Sic Domit. cap. IX. *Omnes circa ſe largitione proſecutus.*

Gratuito aut levi fœnore.] Liber Tornacenſ. *gratuitu*, ne quis forte ad fœnus referat. nullum enim fœnus gratuitum eſt.

Uberrimo congiario.] Ut *donativum*, quod militi; ſic *congiarium* vocabant, quod populo a viris principibus liberalitatis ergo præſtabatur. Hic pro dato privatis munere ponitur, ut Veſpaſ. cap. XVIII. & de claris Rhetoribus cap. III. Cicero VIII. Famil. epiſt. III. *Plancus magno congiario donatus a Cæſare.*

28. *M. Claudius Marcellus cos.*] Hic & Ser. Sulpicius Rufus A. U. DCCII. iſte ob eloquentiam, alter ob juris ſcientiam, conſules facti ſunt. Dion.

De ſumma ſe rep.] Sic Cicero *ſummam rempub. gerere* pro Planco, & *ſummæ reipub. præeſſe* pro Domo. Virg. lib. 9.

Mene igitur ſocium ſummis adjungere rebus,
Niſe, fugis?

CASAUBON.

Ac ſingula interdum mancipia & prædia viritim dedit.] Quidam *ex præda.* Confirmat eam lectionem locus ipſius Cæſaris e libro ſeptimo extremo: *Ex reliquis captivis toti exercitui capita ſingula prædæ nomine diſtribuit.* ab altera lectione ſtant omnes membranæ.

27. *Omnibus vero circa eum.*] Plinius Panegyr: *Omnes circa te ſimiles tui effeciſti.* Æmilius Probus in Eumene: *Non paſſi ſunt ii, qui circa erant.* Suetonius lib. IV. cap. X. *Tanti in avum & qui juxta erant, obſequii.* Cicero modo Græce dicit, *οἱ περὶ αὐτὸν*, ut ad Atticum lib. XIII. extremo: modo Latine, *qui circum illum ſunt*, ut lib. IX. ad eundem.

Servuloſque cujuſque.] Dio libro XL. *Καὶ ȣ̓ μόνον τȣ̀ς ἐλευθέρȣς, ἀλλὰ καὶ τȣ̀ς δȣ́λȣς, τȣ́ς τι καὶ ὁποσονȣ̃ν παρὰ τοῖς δεσπόταις σφῶν δυναμένȣς ἐθεράπευσε.*

His plane palam.] An alterum gloſſematium eſt? nam a Viterb. abeſt *τὸ palam.* Sed retinet Turonenſis: idque melius.

TOR-

haberetur, quando nec plebiſcito Pompejus poſtea abrogaſſet. Acciderat autem, ut is legem de jure magiſtratuum ferens, eo capite quo a petitione honorum abſentes ſubmovebat, ne Cæſarem quidem exciperet, per oblivionem: ac mox lege jam in æs inciſa, & in ærarium condita, corrigeret errorem. Nec contentus Marcellus provincias Cæſari & privilegium eripere, retulit etiam, ut colonis, quos rogatione Vatinia Novumcomum deduxiſ-
29 ſet, civitas adimeretur: quod per ambitionem & ultra præſcriptum data eſſet. Commotus his Cæſar, ac judicans, quod ſæpe ex eo auditum ferunt, difficilius ſe principem civitatis a primo ordine in ſecundum, quam ex ſecundo in noviſſimum detrudi, ſumma ope reſtitit, partim per interceſſores tribunos, partim per Servium Sulpicium alterum conſulem. Inſequenti quoque anno, C. Marcello, qui fratri patrueli ſuo Marco in conſulatu ſucceſſerat,

TORRENT.

Quando nec plebiſcito Pompejus poſtea abrogaſſet.] Tres libri *quando nec plebiſcito.* Turneb. Adverſar. XXIV. cap. XIV. *ne* particulam retinet, & ſic diſtinguit: *quando, ne plebiſcito, Pompejus poſtea abrogaſſet,* hoc ſenſu, *quando, ne plebiſcito,* ſupple, abſentis ratio haberetur, *Pompejus poſtea abrogaſſet.* Sed hæc dura nimis atque inſolens interpretatio eſt. Ego vel rejiciendam cenſeo particulam *ne* ſeu *nec*, vel pro alterutra ſcribendum, *ei plebiſcito.* quod Oberto Giſanio placere intelligo. Aut etiam retento *ne*, dicendum conjunctionem eſſe neque dubitantem, neque interrogantem, ſed confirmantem atque enunciantem, ut Priſcian. docet de illo Horatii loco, Sat. X. *O ſeri ſtudiorum, qui ne putetis, &c.* Adde Virg. *quiane auxilio juvat ante levatos.* Catul. Epithal. *quem ne ipſa reliqui.* & iterum, *quine fugit. Plebiſcitum* autem vocat legem ſeu Vatiniam ſeu Treboniam, utramque tribunitiam, ut ſup. cap. XXIV. Legem autem de provinciis Pompejus tulit A. U. DCCI. quo ſolus coſ. factus eſt.

Corrigeret errorem.] Pompejus conſul legem jam tulerat. Marcello vero & Sulpicio coſſ. videns Marcellum acerbius agere, moderari eam conabatur, diſplicere quidem ſibi affirmans Cæſarem ante tempus imperio privari, dans tamen operam, ut finito decennio arma deponere, & ita ad Urbem redire juberetur. Contendebat ergo Marcellus legi locum eſſe, quæ ſemel in ærarium relata non niſi contraria lege abrogari poterat. Vide Dionem.

29. *C. Marcello, qui fratri patrueli ſuo Marco.*] Dion C. Marcellum ab aliis ἀνεψιὸν, ab aliis ἀδελφὸν M. Marcelli traditum ſcribit. Suetonio magis credo. C. vero Marcellus, qui anno ſequente cum Lentulo coſ. factus eſt, M. frater fuit. Cum tribus igitur Marcellis annis continuis tribus Cæſari negotium fuit.

CASAUBON.

28. *Quando nec plebiſcito Pompejus poſtea abrogaſſet.*] Ita eſt in principe editione: ita in omnibus MSS. neque abſurda lectio, ſi modo abrogare pro derogare poſitum meminerimus: nam auctor Gloſſarii non ſolum ἀποκυροῦν, ſed etiam ἐλαττοῦν interpretatur. Senſus eſt: abſentis Cæſaris non eſſe rationem habendam, quia Pompejus legi ſuæ, qua id in genere prohibebatur, non derogaſſet plebiſcito: ſed propria tantum auctoritate eam in ærarium jam relatam correxiſſet. Atqui ut ei legi a Pompejo ſemel perlatæ derogaretur, tam opus fuerat populi auctoritatem intervenire, quam ante, cum in gratiam Cæſaris fuerat factum prius plebiſcitum ſive rogatio, qua permittebatur ei abſenti petitio conſulatus.

29. *Reſtitit partim per interceſſores tribunos, partim per Servium Sulpicium.*] Dio: Καὶ αὐτῷ (Metello cos.) ὅ, τε Σουλπίκιος καὶ τῶν δημάρχων τινὲς ἀντέπραξαν.

VARIOR.

28. *Quando nec plebiſcito.*] Quid hic moliti ſint, apparet: ſed Caſauboni explicatio ferenda non eſt: *quando nec plebiſcito Pompejus poſtea abrogaſſet,* eſſe, quia Pompejus legi ſuæ non derogaſſet plebiſcito. Durum primo, nihil aliud quam *Pompejus abrogaſſet*, vice τῶν *Pompeius legi ſuæ derogaſſet.* deinde ut hæc ſtet interpretatio, neceſſario ſtatuendum, nulla lege quemquam ſolvi, aut nulli legi derogari potuiſſe, niſi per plebiſcitum. Omnino ſcribendum *quando & plebiſcito.* Et *plebiſcitum* eſt, quod decem tribuni plebis tulerant, ut liceret abſenti petere: & huic abrogatum ait lege Pompeja. Eo pertinent hæc verba, ut ſignificent Marcellum voluiſſe videri nihil iniquum aut novum & ſine more in Cæſarem ſtatui: nam & plebiſcito, quo illi datum erat, ut abſentis haberetur ratio, poſteriorem legem Pompejam, eo capite, quo abſentes a petendo ſubmovet, abrogaſſe: ſiquidem quod poſtremo juſſit populus, id jus eſt. Sed, inquis, Pompejus poſtea correxit errorem, & jam in ærarium conditæ legi adſcripſit, eo capite ſolutum eſſe Cæſarem. Sed id diſſimulabat ſe ſcire, aut pro nullo habebat Marcellus, tanquam privatim factum, & non interveniſſet auctoritas publica. J. F. GRONOV.

Ultra præſcriptum.] Ultra *legum præſcripta*, ut eſt Claudio C. XIV. vel ultra quam lege colonica, qua coloni deducebantur, cautum fuerat. Illa enim cum colonos civium Romanorum privilegio non donabat, hac liberalitate uti Cæſar non debuerat. Sed ille ita legem interpretatus videtur, ut quod expreſſe

ſerat, eadem tentante, collegam ejus Æmilium Paullum, Cajumque Curionem violentiſſimum tribunorum, ingenti mercede defenſores paravit. Sed cum obſtinatius omnia agi videret, & deſignatos etiam coſſ. e parte diverſa, ſenatum literis deprecatus eſt, ne ſibi beneficium populi adimeretur: aut ut cæteri quoque imperatores ab exercitibus diſcederent, confiſus, ut putant, facilius ſe, ſimulatque libuiſſet, veteranos convocaturum, quam Pompejum novos milites. Cum adverſariis autem pepigit, ut dimiſſis octo legionibus, Tranſalpinaque Gallia, duæ ſibi legiones, & Ciſalpina provincia, vel etiam una legio cum Illyrico, concederetur, quoad coſ. fieret. Verum neque ſenatu interveniente, & ad- 30
verſariis negantibus ullam ſe de rep. facturos pactionem, tranſiit in citeriorem Galliam: conventibuſque peractis, Ravennæ ſubſtitit, bello vindicaturus, ſi quid de tribunis plebis intercedentibus pro ſe, gravius a ſenatu conſtitutum eſſet. Et prætextum quidem illi civilium armorum hoc fuit: cauſſas autem alias fuiſſe opinantur. Cn. Pompejus ita dictabat, quod neque opera conſummare, quæ inſtituerat, neque populi exſpectationem, quam de adventu ſuo fecerat, privatis opibus explere poſſet, turbare omnia ac permiſcere voluiſſe. Alii timuiſſe dicunt, ne eorum, quæ primo conſulatu adverſus auſpicia legeſque & interceſſiones geſſiſſet, rationem reddere cogeretur: cum M. Cato identidem, nec ſine jurejurando, denuntiaret, delaturum ſe nomen ejus, ſimulac primum exercitum dimiſiſſet: cumque vulgo fore prædicarent, ut ſi privatus rediſſet, Milonis exemplo circumpoſitis armatis cauſſam apud judices diceret. Quod probabilius facit Aſinius Pollio, Pharſalica acie cæſos

preſſe ea prohibitum non foret, ſui plane eſſe putaret arbitrii; quod tamen ita non fuit. Tenebatur enim & legibus conſuetudinibuſque populi Romani quibuſque aliis, quæ dare civitatem hac ratione non ſinebant. GOES.

TORRENT.

Ingenti mercede.] Curionem enim ære alieno, quod erat ſexcenties HS. ſi Valerio credimus lib. IX. cap. I. liberavit, & Paullo Æmilio mille & quingenta talenta donavit, ſeu, ut volunt alii, HS. trecenties ſexagies. Appian. & Plutarch.

Beneficium populi adimeretur.] Liber unus *adimeret*, Senatus ſcilicet, quem litteris Cæſar deprecatus fuerat.

Cum adverſariis autem pepigit.] Pepigiſſe eum dicit, qui non tam pactus ſit, quam paciſci voluerit. nam ut mox ſequitur, adverſarii omnia rejecerunt. Pactum autem, ut J. C. definiunt, duorum, pluriumve in unum placitum & conſenſus eſt.

30. *Aſinius Pollio.*] Hunc de bello civili hiſtoriam ſcripſiſſe oſtendit Horat. lib. II. Od. I. Priſcian. quoque non uno in loco Annalium ejus libros citat, ut Hiſtoriam Seneca. Meminit & Sueton. infr. cap. LV. Plura ad Horat. notavimus.

CASAUBON.

Ne ſibi beneficium populi adimeretur.] Proba lectio, quæ & in membranis: non *adimeret*. quod placet quibuſdam: mihi non. vetant illa mox, *neque ſenatu interveniente.*

Cum adverſariis autem pepigit.] Hoc eſt, paciſci voluit. Libro VII. in Vitellio, cap. XV. *Atque ubique aut ſuperatus aut proditus, ſalutem ſibi & millies HS. a Flavio Sabino Veſpaſiani fratre pepigit.* Nam ita puto ibi quoque accipiendum. Sic in Nerone, *repræſentanda præmia in poſterum ſanxit*, id eſt, ſanciendum dixit. Juvenalis: *Græculus eſuriens in cœlum, juſſeris, ibit*, id eſt, iturum ſe promittet. Dio libro LIV. Τὸν δὲ δὴ Λέπιδον τότε θανατωθέντα ἀπέδειξε. θανατωθέντα occidi juſſum, non revera occiſum. Sic multa apud Juriſc. accipienda *ſine effectu*, ut loquuntur.

30. *Bello vindicaturus, ſi quid de tribunis pl. gra.*] Specioſiſſima oratio. vide Dionyſium Halicarnaſſeum libro VIII. ibi: Καὶ δὴ καὶ τὸν ἐμφύλιον πόλεμον ἐπὶ τῆς ἐμῆς ἡλικίας, ὃς μέγιϛος, & quæ ſequuntur.

Et prætextum quidem illi civilium armorum hoc fuit.] Quod Polybius in omni hiſtoria prudentiſſime monet faciendum, ut inter cauſſas, prætextus, initia bellorum diſtinguamus: id diligenter hoc loco a Suetonio factum licet obſervare. In cod. Viterb. locus erat veteri manu correctus *prætextus hic.* male. Gloſſarium: *Prætexto*, προφάσει. Alia notione in Seneca *prætextum* pro purpura, quæ prætexitur. Locus eſt epiſtola LXXI. *Sed Cn. Pompejus amittet exercitum: ſed illud pulcherrimum reip. prætextum; optimates, uno prælio profligabuntur.* Optimates vocat honeſta tranſlatione prætextum reip. Simillime Græci loquuntur, & quidem Stoici. Epictetus apud Arrianum, Diſſertationum libro primo, cap. ſecundo: Τί οὖν σε ἔδει φροντίζειν; πῶς ἂν ὅμοιος ᾖς τοῖς ἄλλοις ἀνθρώποις; ὥσπερ οὐδ' ἡ κρόκη πρὸς τὰς ἄλλας κρόκας θέλει τι ἔχειν ἐξαίρετον· ἐγὼ δὲ πορφύρα εἶναι βούλομαι·

cæſos profligatoſque adverſarios proſpicientem, hæc eum ad verbum dixiſſe referens: *Hoc voluerunt: tantis rebus geſtis C. Cæſar condemnatus eſſem, niſi ab exercitu auxilium petiiſſem.* Quidam putant captum imperii conſuetudine, penſitatiſque ſuis & inimicorum viribus, uſum occaſione rapiendæ dominationis, quam ætate prima concupiſſet. Quod exiſtimaſſe videbatur & Cicero, ſcribens De officiis tertio libro, ſemper Cæſarem in ore habuiſſe Euripidis verſus, quos ſic ipſe convertit:

Nam ſi violandum eſt jus, regnandi gratia
Violandum eſt: aliis rebus pietatem colas.

31 Cum ergo ſublatam tribunorum interceſſionem, ipſoſque urbe ceſſiſſe nuntiatum eſt præmiſſis confeſtim clam cohortibus, ne qua ſuſpicio moveretur, & ſpectaculo publico per

λομαι· τὸ ὀλίγον ἐκεῖνο καὶ ϛιλπνὸν καὶ τοῖς ἄλλοις αἴτιον τοῦ εὐπρεπῆ φαίνεσθαι καὶ καλά. Prorſus πορφύρα hic quod in Senecæ verbis prætextum. Vapulent igitur, qui corruperunt illum locum in editione Romana Mureti.

TORRENT.

Hæc voluerunt.] Melius libri MSS. *hoc voluerunt.* In uno etiam pervetuſto eſt, *Cæſar condemnatus eſſem*, non *C. Cæſar.* Nec diſplicet.

In ore habuiſſe.] Edit. Germanica addit proxime, *eos in Phœniſſis*, &c. Sed recte Turneb. Adverſar. XXIV. cap. XIV. *in Phœniſſis* expungendum putat. ego ne Græcos quidem verſus a Suetonio adſcriptos, ſed ſimpliciter ita legendum cenſeam, *in ore habuiſſe eos Euripidis verſus, quos ſic ipſe convertit.* Cætera ab erudito aliquo margini adſcripta, in contextum venere. Verſus autem vertit Cicero, non Cæſar.

CASAUBON.

Hoc voluerunt.] Sic recte editio vetus viri incomparabilis Roberti Stephani, cui ſubſcribunt MSS. omnes. recte etiam *C. Cæſar*, non *Cæſar.* nam illo modo ſermo auguſtior eſt, & ἀξιωματικώτερος, magiſque ex conſuetudine Romana. Notum eſt: *gaudent prænomine molles auriculæ.* Confirmat ſimilis locus apud Cæſarem primo de bello Civili: *Neque ſe, neque reliquos municipes pati poſſe, C. Cæſarem Imperatorem, bene de rep. meritum, tantis rebus geſtis, oppido mœnibuſque prohiberi.* Supra omnia eſt Plut. qui Aſinium Pollionem hæc ita Græce ſcripta reliquiſſe ait: Τοῦτο ἐβουλήθησαν, εἰς τοῦτό με ἀνάγκης ὑπήγαγον, ἵνα Γάϊος Καῖσαρ ὁ μεγίϛους πολέμους κατορθώσας, εἰ προηκάμην τὰ ϛρατεύματα, κἂν κατεδικάσθην. in qua interpretatione animadvertendum eſt, verba illa εἰς τοῦτό με ἀνάγκης ὑπήγαγον, auctoris non eſſe: ſed alicujus, qui illa τοῦτο ἐβουλήθησαν voluit exponere. quare Plutarchi eſſe non videntur: multo minus Aſinii. Cæſaris quidem non eſſe, Jovem lapidem jurare nulla religio fuerit.

Tantis rebus geſtis C. Cæſar.] Ipſa ſunt Cæſaris verba, e pr. de bello Civili. Supplendum autem ἔξωθεν, ut ſæpe, verbi ſubſtantivi participium, ut apud M. Tullium lib. III. in Verrem. *P. Servilius & Q. Catulus tanta auctoritate ſunt, tantis rebus geſtis, ut in antiquiſſimorum & clariſſimorum hominum numero reponantur.*

Quidam putant captum imperii conſuetudine.] Horum ſententiam veriſſimam eſſe, ne dubitandum quidem eſt. Habent hoc diuturna imperia, ut facile quemvis hominem natum dementent, & cupiditate firmandæ potentiæ inflamment. Hæc poſtquam ſententia ſedit, nullum tam præceps conſilium, quod non placeat potius quam ut imperio cedatur. Imbibant igitur, qui gubernacula reip. tractant, Mæcenatis apud Dionem lib. LII. oraculum verius quam dictum: Ἀρχαὶ αἱ μακρότεραι καὶ πολυχρονιώτεραι ἐπαίρουσί πως πολλοὺς καὶ ἐς νεωτεροποίησιν ἐξάγουσι. *Longiora imperia & diuturniora multis ſpiritus attollunt, & ad rerum novarum molitionem præcipites impellunt.* Æmilius Probus: *Miltiades multum in imperiis magiſtratibuſque verſatus, non videbatur poſſe eſſe privatus: præſertim cum conſuetudine ad imperii cupiditatem trahi videretur.* ubi potius ſcribam, *cum imperii conſuetudine ad imperii c. t. v.* Juſtinus lib. XXXI. *Negantes Annibalem æquo animo ſub legibus vivere, aſſuetum imperio.* Maximus Cæſar peccatum in ſe commiſſum a pop. Rom. cavit admittere: & quæ ſibi patuerat rapiendæ reip. viam aliis prudentiſſime obſtructum ivit. Dio libr. XLIII. Ὅτι αὐτὸς (Cæſar) πολλοῖς τῶν Γαλατῶν ἐφεξῆς ἔτεσιν ἄρξας, ἔς τε τὴν ἐπιθυμίαν ἀπ' αὐτοῦ τῆς δυναϛείας μᾶλλον προήχθη, καὶ ἐς τὴν παρασκευὴν τῆς ἰσχύος ἐπηυξήθη, κατέκλειτε νόμῳ.

Euripidis verſus, quos ſic ipſe convertit.] Ita ſcribendus hic locus, ut recte doctiſſimus Torrentius viderat. Brevitati ſtyli Suetoniani non convenit, ut bis idem dicat, non neceſſario: deinde in codd. Turonenſi & Viterb. ita importuno loco erant, quæ hinc ſuſtulimus, ut auctoris ea non eſſe, vel id ſatis argumento ſit. ſic ibi habetur: *ſemper Cæſarem in ore habuiſſe: Eſt in Phœniſſis:* εἴπερ γὰρ ἀδικεῖν χρὴ, τυραννίδος πέρι κάλλιϛον ἀδικεῖν (Turonenſ. ἀδίκημα) τ' ἄλλα δ' εὐσεβεῖν χρεών. Luce clarius, ex ora libri eſſe hæc in contextum intruſa. eo igitur rejiciantur, unde pedem moverunt inique.

per diſſimulationem interfuit, & formam, qua ludum gladiatorium erat ædificaturus, conſideravit, & ex conſuetudine convivio ſe frequenti dedit. Dein poſt ſolis occaſum, mulis e proximo piſtrino ad vehiculum junctis, occultiſſimum iter modico comitatu ingreſſus eſt: & cùm luminibus exſtinctis deceſſiſſet via, diu errabundus, tandem ad lucem

TORRENT.

31. *Formam, qua ludum glad.*] De ludo gladiatorio cap. XXVI. *Formam* autem *ludi* dixit, ut Ner. cap. XVI. *formam ædificiorum.* Cic. ad Att. *cum formam reipub. viderim, quale ædificium futurum ſit, ſcire poſſim.* Architecti ichnographiam vocant. Turneb. Adverſar. III. cap. XXII.

Mulis e piſtrino.] Sic *jumenta piſtrinenſia*, Calig. cap. XXXIX.

Luminibus exſtinctis.] Solebant igitur nocturno itinere præferre faces, quod Turnebus annotavit. Vide Aug. cap. XXIX.

CASAUBON.

31. *Formam, qua ludum gladiatorium erat ædificaturus, conſideravit.*] Plutarchus aliter: verſatum in foro, & gladiatoribus ſeſe exercentibus præfuiſſe, eoſque ſpectaſſe. Τὴν ἡμέραν διῆγεν ἐν φανερῷ, μονομάχους ἐφεστὼς γυμναζομένους, καὶ θεώμενος.

Ex conſuetudine convivio ſe frequenti dedit.] Geminum huic vaframentum Arati Sicyonii Plutarchus narrat.

Dein poſt ſolis occaſum.] Quum ante horam conſuetam accubuiſſet Cæſar, hoc eſt, ante ſolis occaſum, ubi jam nox erat, e convivio tempeſtivo ſurrexit, petita venia a ſuis convivis, quos ſe abſente convivium hilariter peragere juſſit. Ita hic accipi illa debent, *dein poſt ſolis occaſum.* Appianus: Αὐτὸς δὲ περὶ ἑσπέραν, ὡς δὴ τὸ σῶμα ἐνοχλούμενος, ὑπεχώρησε τοῦ συμποσίου τοὺς φίλους ἀπολιπὼν ἔτι ἑστιᾶσθαι.

Mulis e proximo piſtrino ad vehiculum junctis.] Plutarchus, τῶν μισθίων ζευγῶν ἐπιβὰς ἑνός· *vehiculo mercede conducto vectus.*

Cum luminibus exſtinctis deceſſiſſet via.] Veteres cum νυκτοπορίᾳ plurimum uterentur, ut de Alexandro, Julio Cæſare, Auguſto, aliiſque legimus, ad iter nocturnum faces adhibuere, vel lucernas laternæ incluſas. Meminit Suetonius libro ſequente, cap. XXIX. Ariſtides Sacrarum quarta: ἡ δὲ πορεία ἐγένετο ὑπὸ λαμπάδων. Ovidius lib. IV. Faſtorum in deſcriptione diluculi:

Semiuſtamque facem vigilata nocte viator
Ponet: & ad ſolitum ruſticus ibit opus.

Idem Metamorphoſeôn lib. I.

Ut facibus ſepes ardent, cum forte viator
Vel nimis admovit, vel jam ſub luce reliquit.

Quod Ovidius ait caſu vel imprudentia viatorum ſolitum evenire, id Varro laſciviæ eorum adſcribit in primo de re ruſtica: *Naturale ſepimentum, quod obſeri ſolet virgultis aut ſpinis, quod habet radices vivæ ſepis, prætereuntis laſcivi non metuet facem.* Nicetas de Manuele Comneno: Οὐκ οὖν τὰς νύκτας εἴασεν ἀΰπνους, καὶ πρὸς τὴν πορείαν ἐχρῆτο φωτὶ ποιητῷ. Eleganter φῶς ποιητὸν, ut αὐγὴ τεχνητὴ apud Hippocratem initio Officinæ: ποιητὸς ἀήτης Nonnus in Dionyſiacis, de ventulo, quem faciunt qui ventilant aliquem. In commentariis Græcorum legimus, peculiares in uſum viatorum faces ſolitas incidi, e ligno querno vel iligno, quæ γράβια vocabant. Præcipua fuit cura, ne facile vento cederent: teſtis tamen hiſtoria, ſæpe factum, quod hic Suetonius ait, ut lumina exſtinguerentur atque ita via decederetur. Plutarchus in Pyrrho: Περιϊόντι δὲ αὐτῷ μακρὰν καὶ δασεῖαν ὕλαις ὁδὸν, οὐκ ἀντέσχε τὰ φῶτα, καὶ πλάναι τοῖς στρατιώταις συνέτυχον. Propterea uſi ſunt lychnuchis e pelle, in eum uſum comparatis, ut vim ventorum ferre poſſent & defendere. Quoniam autem fallendi fere hoſtis cauſſa iter nocturnum a ducibus exercituum inſtituebatur, quo tutius id fieret, excogitatæ ſunt jam olim, quas vocamus hodie *laternas ſurdas.* Hæ ita ſunt compoſitæ, ut iis lucem abunde faciant, quibus præferuntur: aliis negent, qui vel adverſi incedunt, vel ad latera ipſis ſtant ſive ambulant. Julius Africanus, cujus elegantiſſimum librum de Bellico apparatu nondum luce publica donatum habemus, fabricam hujuſmodi laternarum ſic explicat. Eſto laterna quadrilatera, pellibus ab omni parte oppanſis munita. Laterum trium pelles ſunto nigræ: unius alba, per quam pone ſequentibus lucerna lucebit. Locus eſt capite LXX. quod περὶ νυκτοπολέμου inſcribitur: Καταν͂έφους δὲ ὄντος τοῦ ἀέρος, ὥστε παρ' ἡμῶν μὴ ὁρᾶσθαι τοὺς ἀστέρας, προάγειν δεῖ ἡμῶν τούς τε μάλιστα τὴν ὁδὸν γινώσκοντας, καὶ τὸ τῶν πολεμίων στρατόπεδον, ἐπὶ δοράτων ἀνηρτημένα φανία κατέχοντας· τὸ δὲ φανίον ἔσω τετράπλευρον, δέρρεσι τεταμέναις πάντοθεν περιειλημμένον· τῶν δὲ πλευρῶν αἱ μὲν τρεῖς μέλανα ἐχέτωσαν δέρρη, μία δὲ λευκὸν, δι' οὗ τὸ λαμπάδιον διαφαίνεται τοῖς κατόπιν βαδίζουσι. Politianus in miſcellaneis indicem hujus libri laudat *de ceſtis*, quam etiam inſcriptionem invenimus ei operi præfixam in codice antiquo bibliothecæ regiæ. Meus, quem olim Andreas Darmarius mihi vendidit, ſic: Πολέμων παρασκευαί. Sed de ſcriptis Africani, & utrum quæ veteribus memorantur ſub nomine Africani, unius fuerint ſcriptoris an plurium, accurate alibi, volente Domino, ſumus acturi. Apud Plutarch. formam aliam laternarum invenias, quæ, ſi eſſet a ventis quies, aperto ore geſtabantur: ſi flarent venti, impoſito operculo claudebantur: quo modo auguri eunti auſpicatum laternam præferri nefas erat. vide locum in libro Κεφαλαίων Ῥωμ.: quæ-

lucem duce reperto, per anguſtiſſimos tramites pedibus evaſit: conſecutuſque cohortes ad Rubiconem flumen, qui provinciæ ejus finis erat, paullum conſtitit: ac reputans quantum moliretur, converſus ad proximos, *Etiam nunc*, inquit, *regredi poſſumus: quod ſi ponticu-*
32 *lum tranſierimus, omnia armis agenda erunt.* Cunctanti oſtentum tale factum eſt. Quidam eximia magnitudine & forma, in proximo ſedens repente apparuit, arundine canens: ad quem audiendum, cum præter paſtores, plurimi etiam ex ſtationibus milites concurriſſent, interque eos & æneatores, rapta ab uno tuba proſiluit ad flumen: & ingenti ſpiritu claſſicum exorſus pertendit ad alteram ripam. Tunc Cæſar, *Eatur*, inquit, *quo*
33 *deorum oſtenta, & inimicorum iniquitas vocat: Jacta alea eſt*, inquit. Atque ita trajecto

quæſtione LXXII. Vir doctus ne tibi imponat, qui λαμπτῆρα eo loco *lucernam* interpretatur. *laternam* debuit ibi quidem. Olympiodorus in quartum Meteorologicorum, πράξει XLIX. Πυρὶ δὲ καὶ ὕδατι μαλάττεται ὥσπερ οἱ λαμπτῆρες, τοῦτ᾽ ἐστι, τὰ διαφανῆ κέρατα, ἐν οἷς ἐντίθενται αἱ λαμπάδες νύκτωρ. Hippocrates: ἡ γαστὴρ δίυδρος καὶ μεγάλη ὥσπερ λαμπτήρ. Galenus: λαμπτὴρ, ὃν οἱ πολλοὶ φανὸν ὀνομάζουσι. Ex paucis verbis, quæ adſcripſimus de Hippocrate, formam veterum Græcienſium laternarum acutus lector conjiciet. Sed de laternis exſtant elegantiſſimi Empedoclis verſus apud Philoſophum, quos juvat heic adſcribere:

Ὡς δ᾽ ὅτε τὶς πρόοδον νοέων ὡπλίσσατο λύχνον
Χειμερίην διὰ νύκτα πυρὸς σέλας αἰθομένοιο
Ἅψας παντοίων ἀνέμων λαμπτῆρας ἀμοργούς.
Οἵ γ᾽ ἀνέμων μὲν πνεῦμα διασκιδνᾶσιν ἀέντων,
Φῶς δ᾽ ἔξω διαθρῶσκον, ὅσον τανα ώτερον ἦεν,
Λάμπεσκεν κατὰ βηλὸν ἀτειρέσιν ἀκτίνεσσιν.

VARIOR.

31. *Luminibus exſtinctis.*] A vento, ut fieri ſolet. GUJET.

TORRENT.

32. *Æneatores.*] Sic generaliter eos vocat, qui claſſicum canunt, ſive id tuba, ſive cornu faciant. neque enim tubam a cornu materia, ſed forma diſtinguebat. Ovid. lib. I. Metam.

Non tuba directi, non æris cornua flexi,
Non galeæ, non enſis erat.

Æneatores tamen Feſto dicuntur proprie cornicines, qui cornu canunt. Plura ad Horat. lib. II. Od. I.

Jam nunc minaci murmure cornuum
Præſtringis aures, jam litui ſonant.

Jacta eſt alea, inquit.] Dictio *inquit* hic repoſita omnino ſuperflua eſt, & libri tres *Jacta alea eſt.* Ut fortaſſis *eſto* legendum ſit, ex Eraſmi ſententia. Græci enim ἐῤῥίφθω κύβος, & πᾶς ἐῤῥίφθω κύβος. Quod eleganter expreſſit Petronius Arbiter, cum inquit: *Judice fortuna cadat alea.* Eodemque reſpexit Lucan. eo verſu, *ruit alea fati, Alterutrum merſura caput.*

CASAUBON.

Tandem ad lucem reperto duce.] Latini *ad lucem* quum dicunt, tempus dilucidi intelligunt, vel quod proxime dilucidum antecedit: cum *ad lumina*, tempus quo lucernæ accenduntur, & ut Græci id tempus denotant, περὶ λύχνων ἁφὰς, ut libro IV. cap. XLV. nam lux a ſole eſt & naturalis: lumen eſt φῶς ποιητόν. quare hic etiam *ad lucem* non aliud eſt, quam ſub diei exortum, non ut quibuſdam videtur, luminibus, quæ exſtincta fuerant, iterum accenſis. Obſtat tamen nonnihil huic interpretationi, quod omnes hiſtorici teſtantur, Cæſarem id totum iter confeciſſe atque adeo Ariminum cepiſſe ante lucem, Plutarchus: Δρόμῳ τὸ λοιπὸν ἤδη χρώμενος, εἰσέπεσε πρὸ ἡμέρας εἰς τὸ Ἀρίμινον, καὶ κατέσχε: *curriculo deinceps contendens, ante diem in urbem Ariminum irrupit, & etiam occupavit.* Appianus etiam expreſſius, Ἀρίμινον αἱρεῖ περὶ ἕω. Certe ſi Ariminum cepit Cæſar circa auroram, non poteſt exacte verum eſſe, quod dixit Suetonius de reperto duce tantum ad lucem.

Reputans, quantum moliretur.] Καινοπρέπειαν ſapit, *quantum moliretur*, pro quanta, vel quantam rem, aut quantum bellum. Plutarchus ſic: ἀναλογιζόμενος ἡλίκων κακῶν ἄρξει πᾶσιν ἀνθρώποις ἡ διάβασις, ὅσον τε λόγον αὐτῆς τοῖς αὖθις ἀπολείψει.

Omnia armis agenda erunt.] Utpote criminis manifeſti rei: nam extra provinciæ ſuæ fines cum armis veniſſe, crimen erat. Appianus alios auctores ſecutus, verba Cæſaris ita narrat: ἡ μὲν ἐπίσχεσις, ὦ φίλοι, τῆς δὲ τῆς διαβάσεως ἐμοὶ κακῶν ἄρξει, ἡ δὲ διάβασις πᾶσιν ἀνθρώποις: *Amici, hunc tranſitum ſi inhibuero, væ mihi; ſi tranſiero, væ univerſis mortalibus.*

32. *Jacta alea eſt, inquit.*] Etſi ſupervacua vox *inquit* eſt, tollere tamen, nullo veterum codd. adſtipulante, non ſuſtinuimus. Didici poſtea abeſſe eam a codice Fulvii Urſini: quare tollatur ſane. *Eſt* etiam membranæ omnes retinent, non *eſto*. quo tamen modo fuiſſe primitus ſcriptum videtur. Petronius in carmine de bello civili Cæſariano:

- - - quia pœna tropæis
Imminet, & ſordes meruit victoria noſtra,
Judice fortuna cadat alea: ſumite bellum,
Et tentate manus.

Manifeſto Petronius ad Cæſaris verba reſpexit paullo

cto exercitu, adhibitis tribunis pleb. qui pulſi ſupervenerant, pro concione fidem militum flens, ac veſte a pectore diſciſſa, invocavit. Exiſtimatur etiam equeſtres cenſus pollicitus ſingulis: quod accidit opinione falſa. Nam cum in alloquendo exhortandoque, ſæpius digitum lævæ manus oſtentans, affirmaret ſe ad ſatisfaciendum omnibus, per quos dignitatem ſuam defenſurus eſſet, anulum quoque æquo animo detracturum ſibi: extrema concio, cui facilius erat videre concionantem, quam audire, pro dicto accepit quod viſu ſuſpicabatur: promiſſumque jus anulorum cum milibus quadringenis fama diſtulit. Ordo

lo ante allata: *Tantis rebus geſtis C. Cæſar condemnatus eſſem, niſi ab exercitu auxilium petiiſſem.* item iſta: *Jacta alea eſto.* Eandem lectionem & Plutarchus in efferendo hoc dicto eſt ſecutus, vertens ἀνεῤῥίφθω, iſtum fortaſſe verſiculum Menandri in animo habens: Δεδογμένον τὸ πρᾶγμ', ἀνεῤῥίφθω κύβος. Eodem ſenſu dicunt Græci & ἀναῤῥίπτειν κίνδυνον, ut Dionyſius Halic. in tertio & octavo; & Joſephus Ἁλώσεως lib. IV. item χωρεῖν ἐπὶ κύβον: Appianus Ἐμφυλίων lib. II ἐπὶ κύβον ἐχώρει πλήθους ἀνδρῶν τοσῶν δὲ σωτηρίας. Livius libro primo; *in dubiam imperii ſervitiique aleam imus.* interdum βεβλῆσθαι τοὺς ἀστραγάλους. ut in Arato Plutarchus. nonnunquam ἀναῤῥίπτειν ſimpliciter: Philoſtratus de vita Apollonii, loquens de Vitellio: κυβεύει μὲν, δεδιὼς μήτι αὐτὸν οἱ πεττοὶ σφήλωσιν· ὑπὲρ δὲ ἀρχῆς ἀναῤῥίπτει παίζων. lib. VII. ἐμοῦ δὲ σμικρὸς λόγος, εἰ ξυμβολεύοιμι αὐτῷ μὴ κυβιστᾷν ἐς ὀφθὰ ξίφη, μήδ' ἀναῤῥίπτειν πρὸς τυραννίδα, ἧς οὐ χαλεπωτέρα ἐνομίσθη. Dio lib. L. de Antonio: οὐκ ἠθέλησεν ἐς αὐτὸν ἀναῤῥίψαι, ἀλλὰ πείραις καὶ ἀκροβολισμοῖς ἐπὶ πολλὰς ἡμέρας ἐχρήσατο. Eleganter Pauſanias τῷ ἀναῤῥίπτειν, quod eſt extrema conſilia ex deſperatione inire, opponit τὸ ταμιεύεσθαι τὴν ἀπόνοιαν, quod de eo dicitur, qui non totis viribus ruit ad prælium, certus aut vincere aut mori; ſed ita ſe parat, ac vires diſpenſat, ut cedere coactus, denuo ſtare poſſit. quod proprium eſt ducis prudentis, &, ut Auguſtus appellabat, ἀσφαλοῦς. Sic ait Strabo, Hiſpanos diu pop. Rom. invictos, quia ἐταμίευον καὶ κατεκερμάτιζον τοὺς ἀγῶνας. quod Livius libro III. expreſſit, *in multa prælia parvaque carpere ſummam unius belli.* Sic ταμιεύεσθαι ὁρμὴν, non conſumere ſuas omnes vires in primo impetu. unde apud Joſephum ἀταμιεύταις χρᾶσθαι ταῖς ὁρμαῖς libr. XIX. Antiquitatum: & ſexto Excidii, & lib. V. ταμιεύεσθαι τὰς ὀρέξεις, pro frænum injicere cupiditati edendi. Xenophon Παιδείας libro IV. Παρέσχον ἡμῖν ταμιεύεσθαι, ὥστε ὁπόσοις ἐβουλόμεθα αὐτῶν μάχεσθαι.

TORRENT.

33. *Anulum quoque.*] Quanta anuli fuerit olim dignitas atque exiſtimatio, qui etiam equitem a plebe diſtinxit, videre eſt apud Plinium lib. XXXIII. cap. II. Quidvis igitur facturum ſe Cæſar pro milite ſpopondit, cum detrahi ſibi anulum ſe malle dixit, quam bene de ſe merentibus non ſatisfacere. Spectant eo Juvenal. verſus Sat. XI. in decoctores ac prodigos:

Talibus a dominis poſt cuncta noviſſimus exit
Anulus, & digito mendicat Pollio nudo.

Ut Romani vix eſſe viderentur, qui anulo carerent. Adde Martialem lib. II. epig. LVII. & lib. VIII. epigr. V. Hinc de Gellio, equite Rom. qui ſua jam comeſſet bona, Cic. orat. pro Sextio, *Indignus* (inquit) *ordine equeſtri, cujus nomen retinet, ornamenta confecit.*

Cum millibus CCCC.] Duo libri *quadragenis.* Ut fortaſſis *quadringenis*, aut, ſi mavis, *quadringentis*, integre, non per notas, ſcriptum fuerit. Juvenal. Sat III.

Quadringenta tibi ſiquis Deus, aut ſimilis Dis,
Aut major fato donaret homuncio, quantus
E nihilo fieres?

Loquitur autem de cenſu equeſtri. Recte etiam a Pulmanno ſcribitur, *fama diſtulit.* ſic enim libri MSS. omnes, quos vidi. At vulgati dictionem *fama* omiſere.

CASAUBON.

33. *Promiſſumque jus anulorum.*] Quod & conſecuti tandem ſunt: ſed ſero poſt annos fere CCLIII. initio imperii Severi, Herodiano teſte.

Promiſſumque jus anulorum cum millibus quadringenis fama diſtulit.] Fortaſſe *fama diſtulit* ſexto caſu. διεφήμισεν. extrema nempe concio. Porro quod iſti hariolati ſunt de promiſſis CCCC. millibus, non aliud fundamentum habuit, quam conceptam prius opinionem falſam de promiſſo jure aureorum anulorum. Nam qui hoc ita eſſe ſibi perſuadebant, cum ſcirent jus aureorum anulorum & equeſtrem cenſum eidem competere, nec ſeparari poſſe, poſterius hoc per interpretationem illi priori, quod non tam viderant, quam putabant vidiſſe, adjecerunt. Humani ingenii vitium eſt, in iis quæ valde cupias, eſſe ταχυπειθῆ. nec ſoli, qui amant, ſibi fingunt ſomnia: faciunt alii omnes, quicumque rem aliquam avide concupiſcunt. Non probo viri magni commentum, ſubtiliter ad lucem hujus loci de veterum computatione per digitos diſputantis. Vult enim datam occaſionem ſuſpicandi de promiſſis CCCC. ex ſimilitudine geſtus affirmantium aliquid manu, & ſuperiorem numerum indicantium. Primum hoc leve eſt: nam in affirmando indicem ſolum

34 Ordo & ſumma rerum quas deinceps geſſit, ſic ſe habent. Picenum, Umbriam, Etruriam occupavit: & L. Domitio, qui per tumultum ſucceſſor ei nominatus, Corfinium præſidio tenebat, in deditionem redacto atque dimiſſo, ſecundum ſuperum mare Brundiſium tetendit, quo COSS. Pompejuſque confugerant, quam primum transfretaturi. Hos fruſtra per omnes moras exitu prohibere conatus, Romam iter convertit: appellatiſque de rep. patribus, validiſſimas Pompeji copias, quæ ſub tribus legatis M. Petrejo, & L. Afranio, & M. Varrone in Hiſpania erant, invaſit: profeſſus ante inter ſuos, *ire ſe ad exercitum ſine duce, & inde reverſurum ad ducem ſine exercitu.* Et quamquam obſidione Maſſiliæ, quæ ſibi in itinere portas clauſerat, ſummaque frumentariæ rei penuria
35 retardante, brevi tamen omnia ſubegit. Hinc urbe repetita, in Macedoniam tranſgreſſus, Pompejum per quatuor pæne menſes maximis obſeſſum operibus, ad extremum Pharſalico prælio fudit: & fugientem Alexandriam perſecutus, ut occiſum deprehendit, cum Ptolemæo rege, a quo ſibi quoque inſidias tendi videbat, bellum ſane difficillimum geſſit: neque loco, neque tempore æquo, ſed hieme anni, & intra mœnia copioſiſſimi ac ſollertiſſimi hoſtis, inops ipſe rerum omnium, atque imparatus. Regnum Ægypti victor, Cleopatræ fratrique ejus minori permiſit: veritus provinciam facere, ne quandoque violentiorem præ-

lum inclinabant, allevata ac ſpectante humerum manu, ut ait eleganter Quintilianus: in exprimendis CCCC. cum indice pollicem exigebant, ſic aptatos invicem, ut indicis lateri ſuperinducerentur interiora pollicis, quod ex Beda novimus. Deinde ſi ita ſit, cur id Suetonius omiſerit narrare, cauſſam nullam video. atqui ex ejus verbis non aliud elicias, quam quod ante expreſſimus. Etiam illud non probo, quod ad ſignificanda millia quadringenta putat vir eruditiſſimus eam digitorum geſticulationem fuiſſe adhibitam, qua in deſignandis quadringentis tantum uterentur. Mitto alia non pauca, quæ adverſus hanc interpretationem poſſent, ſi eſſet operæ, diſputari.

TORRENT.

34. *Sic ſe habent.*] Liber opt. *ſic habent*, & mox *Brundiſium*, ut ſemper in vetuſtiſſimis quibuſque exemplaribus ſcriptum animadverti, non *Brunduſium.* Probat id etiam Feſtus, & antiquum marmor Brundiſii ſervatum.

M. Varrone.] Is ulteriorem Hiſpaniam legatus tenebat. Dion, & Appian. ipſe Cæſar lib. II. de Bello civili. Ante quoque bellis piraticis ſub Pompejo res optime geſſit, donatus ab eo corona roſtrata. Plin. VII. cap. XXX. & XVI. cap. IV. Idque etiam nummi teſtantur.

35. *Veritus provinciam facere.*] Tacit. lib. II. Annal. *Auguſtus, inter alia dominationis arcana, vetitis, niſi permiſſu, ingredi ſenatoribus, aut equitibus Romanis illuſtribus, ſepoſuit Ægyptum, ne fame urgeret Italiam, quiſquis eam provinciam, clauſtraque terræ ac maris, quamvis levi præſidio adverſus ingentes exercitus inſediſſet.* De eadem re idem iterum Tacit. lib. I. Hiſtor. & Sueton. Tib. cap. LII.

CASAUBON.

34. *Brunduſium tetendit.*] A. U. C. DCCV. a. d. VII. idus Martias Cæſar Brunduſium venit, & ad murum caſtra poſuit. auctor ipſe in epiſtola ad Oppium & Cornelium. apud Ciceronem ad Atticum lib. IX.

Romam iter convertit.] Sexaginta diebus Italia tota in poteſtatem redacta, ut ſcribit Plutarchus.

Appellatiſque de rep. patribus.] Narrat ipſe de Bello civili libro primo. Dio libr. XLI.

35. *In Macedoniam tranſgreſſus.*] A. U. C. DCCVI. pridie nonas Jan. Cæſar Brunduſio naves ſolvit: poſtridie terram attigit Cerauniorum in Macedonia. nam eouſque Macedoniæ nomen extenderunt Romani, & Strabo in Exerceptis: ἡ Μακεδονία περιορίζεται ἐκ δυσμῶν τῇ παραλίᾳ τοῦ Ἀδρίου. Plinius ad Liſſum uſque producit. At Cæſar. III. de Bello civili, Macedoniæ vocabulum anguſtius ſemper accipit.

Maximis obſeſſum operibus.] Bene ſane maximis. nam ſi fabulas poetarum & furores Xerxis & regum Ægyptiorum omittimus, non temere in tota antiquitate reperias, quod prius mirere Dyrrachina munitione. Hiſtoriam habes ſine pompa deſcriptam III. de Bello civili. Exclamat Lucanus, ut poëta ille quidem, ſed non vane, lib. VI.

Nunc vetus Iliacos attollat fabula muros,
Aſcribatque d[illegible]: fragili circumdata teſta
Mœnia mirentur refugi Babylonia Parthi:
En quantum Tigris, quantum celer ambit Orontes,
Aſſyriis quantum populis telluris Eoæ
Sufficit in regnum, ſubitum, bellique tumultu
Clauſit opus.

Neque loco, neque tempore æquo, ſed hieme anni.] *Hieme anni*, quod Græci dicerent χειμῶνος ὥρᾳ, vel ὥρᾳ ἔτους χειμερινῇ, aut χειμερίῳ, ut Dionyſ. Halic. in ſexta Hiſtoria. A. Gellius libro ſecundo, cap. XXI. *Nox fuit, & clemens mare, & anni æ-*

 ſtas;

præſidem nacta, novarum rerum materia eſſet. Ab Alexandria in Syriam, & inde Pontum tranſiit, urgentibus de Pharnace nuntiis: quem Mithridatis Magni filium, ac tunc occaſione temporum bellantem, jamque multiplici ſucceſſu præferocem, intra quintum, quam adfuerat, diem, quatuor, quibus in conſpectum venit, horis, una profligavit acie: crebro commemorans Pompeji felicitatem, cui præcipua militiæ laus de tam imbelli genere hoſtium contigiſſet. Dehinc Scipionem ac Jubam, reliquias partium in Africa refoventes, devicit: Pompeji liberos in Hiſpania. Omnibus civilibus bellis nullam cladem, 36
niſi per legatos ſuos, paſſus eſt: quorum C. Curio in Africa periit: C. Antonius in Illyrico in adverſariorum devenit poteſtatem: P. Dolabella claſſem in eodem Illyrico, Cn. Domitius Calvinus in Ponto exercitum amiſerunt. Ipſe proſperrime ſemper, ac ne ancipiti quidem umquam fortuna, præterquam bis dimicavit: ſemel ad Dyrrachium, ubi pulſus, non inſtante Pompejo, negavit eum vincere ſcire: iterum in Hiſpania ultimo prælio, cum deſperatis rebus etiam de conſciſcenda nece cogitavit. Confectis bellis, quinquies 37
triumphavit, poſt devictum Scipionem quater eodem menſe, ſed interjectis diebus: & rurſus ſemel poſt ſuperatos Pompeji liberos. Primum & excellentiſſimum triumphum egit Gallicum, ſequentem Alexandrinum, deinde Ponticum, huic proximum Africanum, noviſſimum Hiſpanienſem, diverſo quemque apparatu & inſtrumento. Gallici triumphi die

ſtas. lib. XVII. cap. X. *cum in hoſpitis ſui Antiatem villam æſtu anni conceſſiſſet.* lib. XIX. cap. V. *In Tiburte rus conceſſeramus æſtate anni flagrantiſſima.* Cave ergo, viro docto aſſentiaris, qui in nuperis ſuis ad Suetonium notis iſtum locum emendavit.

TORRENT.

Mithridatis magni filium.] Sic Plin. quoque lib. XV. cap. II. *Mithridates, maximus ſua ætate regum.* & Cicero Academ. *Mithridates, rex poſt Alexandrum maximus.* Diſſipaverat autem Pharnaces Cn. Domitii exercitum, quo ſucceſſu præferocem Cæſar oppreſſit. Vide Plutarch. & Dionem lib. XLII. Græca numiſmata Μιθραδάτην vocant.

Scipionem.] Is fuit Q. Cæcilius Metellus Pius Scipio, Pompeji ſocer, ejuſque in tertio conſulatu, quem ſolus iniverat, quinque menſibus extremis collega.

36. *C. Antonius.*] Liber Tornacenſ. *C. Annius.* non bene, ex Floro, Lucano, & Dione. eodem enim tempore fere P. Dolabella & Antonius victi ſunt a C. Octavio & Scribonio Libone, ut Dion tradit. Florus, non abſque ſuſpicione mendi, Octavium tantum commemorat, & cognomine Libonem vocat.

Ultimo prælio.] Cum Pompeji liberis. ſic enim & Lucan. lib. I.

Ultima funeſta concurrant prælia Munda.

Nam apud Mundam, Hiſpaniæ oppidum, id prælium commiſſum fuit. Strabo lib. III.

37. *Sed interjectis diebus.*] Dion diebus quatuor continuis quater eum triumphaſſe ſcribit lib. XLIII.

Diverſo quemque apparatu & inſtrum.] Vellejus lib. II. Gallicum citro, Ponticum acantho, Alexandrinum teſtudine, Africum ebore, Hiſpanienſem argento raſili conſtitiſſe ſcribit. De triumphi autem ferculis, diverſa factis materia, loquitur. Et, ut hoc quoque obiter admoneam, acanthum ibi non herbam, fruticemve, ſed arborem intellige, quam acaciam etiam vocant, de qua Plin. XXIV. cap. XII. *Cedro* etiam pro *citro* apud Vellejum malim legere, ut cedrum pro larice accipiamus ex doctiſſimorum hominum ſententia: citrum enim vix ſuo tempore novit Plinius. Tantum abeſt, ut univerſum triumphi Gallici inſtrumentum citro conſtiterit. Nec ſemel citri cedrique nomina apud auctores confunduntur.

CASAUBON.

Ac tunc occaſione temporum bellantem.] Codex Fr. Pithœi *propalantem.* Turonenſis & omnes alii *bellantem.*

Intra quintum quam advenerat diem, quatuor, quibus in conſpectum venit, horis.] Longe aliter Dio: ut videtur, minus vere: Ἐντε τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ, καὶ ἐν τῇ αὐτῇ ὥρᾳ, καὶ ἦλθε πρὸς τὸν πολέμιον, καὶ εἶδεν αὐτὸν, καὶ ἐνίκησε.

Una profligavit acie.] Florus: *Uno, &, ut ſic dixerim, non toto prælio obtrivit, more fulminis, quod uno eodemque momento venit, percuſſit, abſceſſit.*

Crebro commemorans Pompeji felicitatem.] Πολλὰ μακαρίζων τὸν Πομπήϊον. Hoc ita Appianus: Ὅτε καὶ φασὶν αὐτὸν εἰπεῖν, Ὦ μακάριε Πομπήϊε, τοιούτοις ἄρα, κατὰ Μιθριδάτην τὸν τοῦδε πατέρα ἀνδράσι, μέγας τε ἐνομίσθης, καὶ μέγας ἐπεκλήθης.

36. *Nullam cladem niſi per legatos ſuos paſſus eſt.*] Florus: *Aliquid tamen adverſus abſentem ducem auſa Fortuna eſt, circa Illyricum & Africam, quaſi de induſtria proſpera ejus adverſis radiarentur.* Imitatur Florus Lucanum, unde totum illum locum expreſſit:

Non

die Velabrum prætervehens pæne curru excuſſus eſt, axe diffracto: adſcenditque Capitolium ad lumina, quadraginta elephantis dextra atque ſiniſtra lychnuchos geſtantibus. Pontico

Non eadem belli totum fortuna per orbem
Conſtitit: in partes aliquid ſed Cæſaris auſa eſt,
Qua maris Hadriaci longas ferit unda Salonas.

37. *Quinquies triumphavit.*] Turonenſis una voce auctior, ſed vel ſupervacua, vel corrupta. ſic enim habet: *confectis bellis quinquies quinquenni triumphavit.* ego nihil inde elicio: alii viderint.

Diverſo quemque apparatu.] Vide Vellejum Paterculum II. LVI. & Quintilianum lib. VI. cap. III.

TORRENT.

Velabrum prætervehens.] Lib. unus *prævehens.* Sed *prætervehens* magis placet, quo ſæpe uſus eſt Cic. & ipſe Suet. inf. cap. LXXVIII. Aug. c. IX. & c. XCIII.

Axe defracto.] *Diffracto* mallem ex quatuor MSS. ut *gubernaculo diffracto* Aug. c. XVII. & *crura diffringere* apud Plautum. ὁ γὰρ ἄξων συνετρίβη. Dion.

Lychnuchos geſtantibus.] Libri MSS. & *lychnos*, & *lychnios*, & *lychnuchos* habent, ut inf. Domit. cap. IV. & apud Plin. lib. XXXIV. cap. III. *placuere & lychnuchi penſiles.* nam etiam *lychni penſiles* ibi in vetuſtis codicib. legitur. Placet tamen, ut Politianum & Egnatium ſecuti, *lychnuchos* hic retineamus: juvenes enim, qui vecti elephantis lychnos prætulerint, intelligo; aut certe juvenum ſimulacra, quemadmodum inquit Lucret. initio libro II. *Lychnos* tamen apud Virgil. in Didonis convivio legimus:

- - -pendent lychni laquearibus aureis
Incenſi, & noctem flammis funalia vincunt.

Neque aliter Cic. pro Cælio: *Alia fori vis eſt, alia triclinii; alia ſubſelliorum ratio, alia lectorum; non idem judicium comeſſatorumque conſpectus; lux denique alia ſolis, alia lychnorum.* Horat. fere in conviviis ſuis lucernas vocare maluit, lib. III. Od. XXI.

Vivæq. producent lucernæ.

& Od. VIII. eodem lib.

- - -vigiles lucernas
Perfer in lucem.- - -

Iterum lib. I. Od. XXVII.

Vino & lucernis Medus acinaces
Immane quantum diſcrepat.

Inf. Domit. cap. IV.

CASAUBON.

Pæne curru excuſſus eſt, axe diffracto.] Sic recte veteres non *defracto. defringere* eſt ἀποκλᾷν: *diffringere* eſt διακλᾷν vel καταχλᾷν. quod hic contigit: nam alio axe opus, ut triumphum perageret Cæſar, ut ait Dio. Huc refero locum Plinii libro XXVIII. cap. II. *Cæſarem dictatorem poſt unum ancipitem vehiculi caſum, ferunt ſemper, ut primum conſediſſet, id quod pleroſque nunc facere ſcimus, carmine ter repetito ſecuritatem itinerum aucupari ſolitum.*

Aſcenditque Capitolium ad lumina, XL. elephantis dextra atque ſiniſtra lychnuchos geſtantibus.] De aſcenſu clivi Capitolini loquitur: gradus vero Capitolinos genibus emenſus Cæſar die triumphi Gallici, de quo hic eſt ſermo. Dio XLIII. Τότε τοὺς ἀναβασμοὺς τοὺς ἐν τῷ Καπιτωλίῳ τοῖς γόνασιν ἀνερριχήσατο. Servatum hoc ex veteri conſuetudine & a Claudio in triumpho Britannico, ut notat lib. LVIII. Quod addit Suetonius de elephantis lychnuchos geſtantibus, habes etiam apud Dionem, ſed cum aliqua narrationis diſcrepantia: Τῇ τελευταίᾳ, inquit, ἐπειδὴ ἐκ τοῦ δείπνου ἐγένοντο, ἔς τε τὴν ἑαυτοῦ ἀγορὰν ἐσῆλθε βλαύταις ὑποδεδεμένος, καὶ ἄνθεσι παντοδαποῖς ἐστεφανωμένος, καὶ ἐκεῖθεν οἴκαδε παντὸς μὲν ὡς εἰπεῖν τοῦ δήμου παραπέμποντος αὐτὸν, πολλῶν δὲ ἐλεφάντων λαμπάδας φερόντων, ἐκομίσθη. Ait, Τῇ τελευταίᾳ: non igitur triumpho Gallico hoc accidit, ſed Africano: ille primo die ductus eſt, hic ultimo. Ait, ἐκεῖθεν οἴκαδε ἐκομίσθη: *inde eſt domum vectus.* ſi hoc ſequimur, in Suetonio fuerit ſcribendum, *deſcenditque Capitolium.* ſed nihil temere ſine libris mutare debemus: nam tales diverſitates nunquam non obſervare licet inter auctores eadem narrantes, verum non eodem modo. Ut Dionis narratio eſt, elephanti iſti cum lychnuchis, nihil aliud quam ſervorum λαμπτηροφόρων locum tenuerint. Vetus mos Romæ fuit bene meritis de rep. viris honoris ſui cauſſâ permittere, ut cum aliqua inuſitata pompa, quoties foris cœnaſſent, domum redirent. Sic Duillius, qui primus navalem victoriam reportavit, *non contentus unius diei triumpho* (Flori ſunt verba, II. 2. 10.) *per vitam omnem, ubi a cœna rediret, prælucere funalia & præcinere ſibi tibias juſſit, quaſi quotidie triumpharet.* Quod & Cicero aliique teſtantur. Sic Cornificius ob rem bene geſtam bello Siculo, quoties domi non cœnaret, elephanto vehens domum redire ſolitus. Sic Cæſarem ait Dio, poſt epulum triumphale, cum inſigni hoc honore veſpere domum veniſſe. Ut vero Suetonius rem narrat, lumina hæc publici gaudii ſunt indicium. antiquiſſimi enim moris fuit, ſive privatim, ſive publice læti aliquid obtigiſſet, luminibus accenſis appenſiſque gaudium teſtari: eſtque ejus λυχνοκαΐας apud Græcos ac Latinos ſcriptores creberrima mentio. Æſchyli unius verſiculos referemus, ex quibus antiquitas ejus conſuetudinis poteſt intelligi. Chori ſunt verba in Agamemnone, lætitiam publicam ob nuntium capti Ilii deſcribentis:

ἄλλη δ᾽ ἄλλοθεν οὐρανομήκης
λαμπὰς ἀνίσχει,
φαρμασσομένη χρίσματος ἁγνοῦ
μαλακαῖς ἀδόλοισι παρηγορίαις,
πελάνῳ μυχόθεν βασιλείῳ.

Lychnuchos geſtantibus.] Et in noſtris erat *lychnos*: quia

tico, triumpho inter pompæ fercula trium verborum prætulit titulum, VENI. VIDI. 38
VICI. non acta belli ſignificantem ſicut cæteri, ſed celeriter confecti notam. Veteranis legionibus prædæ nomine in pedites ſingulos ſuper bina ſeſtertia, quæ initio civilis tumultus numera-

quia tamen Politianus e ſuis MSS. ita emendavit, ſecuti ſumus olim hominis doctiſſimi fidem & judicium. Poſtea in Turonenſi veram lectionem invenimus. Olim candelis ſebaceis ſoli pauperes utebantur, reliqui facibus vel lucernis: has Græci λύχνους vocant. Λυχνοῦχος autem eſt inſtrumentum, cui lucerna aptatur, ut candelabro. Lychnuchi uſus erat & domi. Cicero: *Hanc ſcripſi ad lychnuchum ligneolum.* & cum foras prodirent: vide Athenæum. Milites Græci pro lychnucho ferebant obeliſcolychnion, ut docet Ariſtoteles. Dio λαμπάδα pro eo hic dixit.

TORRENT.

38. *In pedites ſingulos ſuper bina HS. quæ.*] Locus haud dubie corruptus eſt. Exemplar Vatic. non habet duas illas dictiones, quæ mox ſequuntur, *in equites.* Quibus remotis ſenſus quidem apertus eſt, ſuper bina ſeſtertia quæ initio acceperant, vicena quaterna adhuc data eſſe; ſed & ea ſumma nimis improba eſt, nec ulla fiet equitum mentio. Atqui oportebat eum, qui quid peditii datum ſit, referat, equitem non omittere. Appian. lib. II. ait, diviſiſſe eum militi quina millia drachmarum, centurioni (ſic λοχαγὸν interpretor) duplum, tribuno vero, turmarumque ductori, quem ἵππαρχον vocat, alterum tantum, plebi vero ſingulas minas. Dion lib. XLIII. nulla & ipſe facta equitum mentione, *Diſtributo,* inquit, *populo frumento, quinque inſuper & ſeptuaginta drachmas, quas ante promiſerat, & alias præterea quinque & viginti, nec non militibus quinque drachmarum millia diviſit.* Et hæc quidem hi duo Græci ſcriptores tradidere, ſed uterque ab altero, & ambo a Suetonio diſſentiunt. Dionis vero interpres, vir diligens, dum Græca conciliare cum Latinis nititur, nihil minus quam auctoris ſui ſenſum explicat. Glareanus ex veteris libri veſtigiis ſic legit: *Super bina HS. quæ initio civilis tumultus numeraverat, quaterna, in equites vicena quaterna millia nummum dedit*, una duntaxat voce *quaterna* interpoſita. Verum ego vocem illam tranſponere malim, ut eo ſcilicet, quo Glareanus vult, loco maneat, neque alibi rurſus inſeratur, hoc modo: *In equites vicena millia nummum dedit.* Quin etiam, ſi meo arbitrio fieret, totum illud *quaterna millia nummum* deleretur. Ita Cæſar pediti in univerſum ſex, equiti vero viginti ſeſtertia numeraverit, hoc eſt, illi ſex, huic viginti millia nummum, & proinde pediti drachmas ſive denarios MD. equiti quinque millia. Græci, non intellecto, ni fallor, Suetonio, rationes conturbarunt. Illud tantum adjiciam, ut in ſtipendiis, ſic in donativis quoque obſervari ſolitum, uti centurio duplum, eques vero triplum ejus, quod militi dabatur, acciperet. Exempla paſſim apud Livium. Sueton. itaque in equitem paulo liberalior eſt.

CASAUBON.

Inter pompæ fercula.] Hoc melius quam ut Plutarchus & Appianus, cum ſcriberet ad amicum quendam ſuum Romam. Mox, *ſicut cæteri* ſcripſimus ex Viterb. non *cæteris* ut in aliis. τὸ s eſt ex *ſed*, quod ſequitur.

VENI. VIDI. VICI.] Ad celeritatem denotandam adhibetur oratio ἀσύνδετος eleganter. Sic quum Pompejus feſtinans ad bellum piraticum Athenas in tranſcurſu inviſiſſet, inter cæteras inſcriptiones in ejus honorem poſitas hæc fuit: ΠΡΟΣΕΔΟΚΩΜΕΝ, ΠΡΟΣΕΚΥΝΟΥΜΕΝ, ΕΙΔΟΜΕΝ, ΠΡΟΠΕΜΠΟΜΕΝ. *Exſpectabamus, Venerabamur, Vidimus, Deduximus.*

38. *Veteranis legionibus prædæ nomine in pedites ſingulos ſuper bina, quæ initio civilis tumultus numeraverat, in equites, vicena quaterna millia nummum dedit.*] Ita habetur hic locus in Romana editione mendoſiſſime & corruptiſſime. in Viterb. cod. & Memmiano duæ voces *in equites* non exſtant, neque in Vaticano aut Pithœi: a Groſlotiano aberat τὸ *quaterna.* cætera ut in vulgatis. Cum igitur deſtituamur hic a libris, quærendum nobis aliunde præſidium eſt ad conſtituendum illuſtrem hunc, & multis magnis viris tractatum locum. Lego: *Veteranis legionibus prædæ nomine, in pedites ſingulos (ſuper bina ſeſtertia, quæ initio civilis tumultus numeraverat) vicena: in equites quadragena millia nummum dedit.* Reddamus nunc rationem & cur ita ipſi emendemus, & cur eruditiſſimorum virorum ſuper emendatione horum verborum ſententias improbemus. Quod hic de donativi Cæſaris quantitate narratur, id nuſquam alibi, quod equidem ſciam, præterquam apud Dionem & Appianum legitur. Quamobrem in eo vertitur cardo, ut hos tres ſcriptores attente comparemus. Dionis verba ſunt, τοῖς στρατιώταις πεντακισχιλίας ὅλας δραχμὰς ἔνειμε, *militibus dedit drachmas quinquies millenas, non minus.* Appiani hæc, poſtquam opes a Cæſare Romam illatas in triumphis commemoravit: Ἀφ' ὧν εὐθὺς ἐπὶ τῷ θριάμβῳ διένειμε τὰ ὑπεσχημένα πάντα ὑπερβάλλων, στρατιώτῃ μὲν ἀνὰ πεντακισχιλίας δραχμὰς Ἀττικάς· λοχαγῷ δ' αὐτοῦ τὸ διπλάσιον, καὶ χιλιάρχῳ καὶ ἱππάρχῳ τὸ ἔτι διπλάσιον. hoc eſt, *Ex quibus ſtatim a triumpho dedit, quicquid ante promiſiſſet exſuperans, legionariis ſingulis drachmas Atticas quinquies millenas, centurionibus duplum, tribunis & præfectis alarum, adhuc duplum.* Hæc

duo

numeraverat, vicena quaterna milia numum dedit. aſſignavit & agros, ſed non continuos,

duo illi ſcriptores. Eſt vero notandum, cum donativum omne geometrica proportione divideretur, præmiumque daretur cuique pro ratione loci, quem in militia obtinebat: diverſitatem hanc ab auctoribus interdum exacte notari, interdum ex parte tantum: aliquando omitti penitus, ut notum omnibus rerum Romanarum non incurioſis. Sic Dio ſatis habuit indicare, quantum ſingulis legionariis datum eſſet. Appianus hac parte diligentior, undeunde illa habeat: nam proprii fere nihil eum habere norunt eruditi. Suetonius quid dixerit, quid ſiluerit, incertum facit codicum ejus inconſtantia. Si fides Vaticano, Pithoei & Liſlæi, qui has voces *in equites* & *quaterna* non agnoſcunt: tantum dixerit noſter, quantum Dio, nihil amplius. ita legemus: *in pedites ſingulos* (*ſuper bina*, &c.) *vicena millia nummum dedit.* vicena M. HS. ſunt, quod Dio & Appianus conſentientes ajunt, πεντακισχίλιαι δραχμαί. Sed quia plurima & antiquiſſima Suetonii exemplaria voces illas retinent, non eſt dubitandum errare eos graviter, qui iis inductis belle conſtitutum a ſe hunc locum cenſent. Eſt enim probabilius multo, librarios, homines ut plurimum literarum rudes, verba quædam legitima omiſiſſe, quam de ſuo alia accudiſſe. Retinent autem illa *in equites* & *quaterna* præter codices, de quibus dixi, etiam regii omnes, quos vidimus. Exiſtimamus igitur, duas a Tranquillo ſummas fuiſſe poſitas: peditum, & equitum. Illam ex veſtigiis corruptæ lectionis & Græcis haud dubie expreſſimus: hanc jure arbitrario conſtituimus. nam quia donativi, quod a Cæſare acceperunt equites, modum nuſquam expreſſum reperimus, quod ſupereſt, ut quam minima mutatione ad veritatem faciamus gradum, vulgatam lectionem *quaterna* mutamus in *quadragena*, etſi non male fortaſſe ſcripſimus *quadragena quaterna*. Porro ut de hoc nihil habemus, quod quaſi certum affirmemus: ita de peditum donativo rem ſic habere, ut diximus, perſuaſi ſumus. Statuimus enim, niſi aut menda in codicibus Dionis & Appiani eſſe demonſtretur, aut error in ſententia; cauſam dici non poſſe, cur eorum conſentienti teſtimonio non credatur, & ex ipſis de loco Suetonii judicium fiat. Falſi lectionem niſi ex ſua conjectura nemo arguit: ſententiam contendunt multi eſſe falſam. Nam quæ opum vis, inquiunt, huic donativo ſufficiat? deinde quaſi aperta & manifeſta ſit ἀτοπία; eſt, qui os verberet optimis ſcriptoribus, ut parum attentis ad verba Tranquilli; eſt, qui locum Dionis corrigat, & pro πεντακισχιλίας faciat πεντακοσίας. Alii Appianum, aut pueriliter hallucinatum pronuntiant, aut ſcripſiſſe χιλιας και πεντακοσιας: iidem Suetonii verba convenienter ſententiæ, quam pro vera amplectuntur, ita μετασχηματίζουσιν inverecunde, ut veteris lectionis nullum agnoſcas veſtigium. Nos contra falli doctiſſimos viros, & in Græcis ſcriptoribus illis nihil eſſe mutandum contendimus. Quid enim hic eſt, quod merito ſuſpectum habeamus? Miramur, unde Cæſari tanta pecuniæ vis? clamant hiſtorici, ſpoliatas ab eo omnes provincias; regna multa vel direpta, vel pretio vendita; templorum multorum gazas infinitas ablatas; artes cogendæ pecuniæ ab eodem innumeras eſſe excogitatas, propter quas χρηματοποιὸς ἀνὴρ Græcis dici ſolet. Hæc ſi attendimus, quid tantopere miremur, non erit. Quanto magis mirum, Octavium & Antonium poſt prælium Philippenſe tantundem potuiſſe ſuis militibus dare? Atqui non iſtud meum eſt ſomnium, ſed Plutarchi ſcriptoris graviſſimi narratio: ὑπεσχημένοι, ait ille in Antonio, ἑκάστῳ στρατιώτῃ δραχμὰς πεντακισχιλίας, ἐδέοντο συντονωτέρου χρηματισμοῦ καὶ δασμολογίας. Exſtat eadem ſumma (ne quis mendum ſuſpectet) apud Appianum quoque lib. IV. Ἐμφυλίων, in ipſius Antonii oratione. Atque ego Cæſaris exemplum ante oculos habuiſſe triumviros hoſce puto, cum hanc quaſi legitimam ſummam ſuis pollicerentur. Quid? potuerunt eadem tempeſtate Caſſius & Brutus ex præda Aſiæ & Syriæ, quas obtinebant, militibus ſuis numero prope infinitis, drachmas ſemel millenas quingenas, mox iterum millenas dare: Cæſar totius pæne orbis prædo alterum tantum non potuerit? Omnem vero admirationem adimat ſani judicii hominibus, quod de Didio Juliano legimus, qui *cum vicena quina millia militibus promiſiſſet, tricena dedit*, inquit Spartianus. At erant pauci, qui acciperent milites, aliquis dicet. Sane pauciores, quam qui a Julio. ſed quæ comparatio Didii iſtius cum Julio Cæſare? qui utriuſque ingenium norit, & ſingula penſitarit, mecum dubio procul ſentiet. Et tamen ſciri volo, non adeo immenſum numerum eorum fuiſſe, qui hoc a Cæſare donativum acceperunt. equitem vix ad XX. M. aut paulo plures fuiſſe cenſeam. Habuit ille quidem multas legiones: ſed, quod ipſe queritur initio tertii, infrequentes, quod multi Gallicis tot bellis defecerant. eas ipſas vero copias ſequentibus præliis vehementer fuiſſe attenuatas quis dubitat? Satis probatam putamus integritatem codicum Dionis & Appiani. Cum igitur Cæſaris μεγαλοδωρίαν mirari deſinimus: tum doctorum virorum μετεωρίαν καὶ ἀβλεψίαν mirari ſatis non poſſumus, qui hominis τοῦ ἐν ἀνθρώποις πλεῖστα καὶ κεκτημένου καὶ δεδωρημένου maximum donativum ad πεντακοσίας δραχμὰς vel χιλίας καὶ πεντακοσίας, redigere non dubitarunt.

Aſſignavit & agros, ſed non continuos, ne quis poſſeſſorum expelleretur.] Dio lib. LII. aliam affert cauſſam: Χώραν ἔκ τε τῆς δημοσίας, καὶ ἐκ τῆς ἑαυτοῦ δὴ πᾶσι σφίσιν ἔνειμεν, ἄλλους ἄλλῃ, καὶ πάνυ πόῤῥω ἀπ' ἀλλήλων ἀπαρτήσας, ὥστε μήτε τοῖς ὁμοχώροις σφᾶς φοβερούς, μήτ' αὖ πρὸς

nuos, ne quis poſſeſſorum expelleretur. Populo præter frumenti denos modios, ac totidem olei libras, trecenos quoque numos, quos pollicitus olim erat, viritim diviſit: & hoc amplius, centenos pro mora. Annuam etiam habitationem Romæ uſque ad bina milia numum, in Italia non ultra quingenos ſeſtertios remiſit. Adjecit epulum ac viſcerationem, & poſt Hiſpanienſem victoriam duo prandia. Nam cum prius parce, neque pro

νεωτερισμὸν ἑτοίμους καθ' ἓν ποῦ συνοικοῦντας γενέσθαι. Sed videtur Dio loqui de alia agrorum aſſignatione, quam de qua nunc Suetonius ſentit. Quod autem notant uterque de agris non continuis, id contra veterem conſuetudinem deducendarum coloniarum fuit: ſemel tamen admiſſum, ſæpius poſtea uſurpatum eſt. Tacitus lib. XIV. Annalium c. XVII. *Veterani Tarentum & Antium aſſcripti, non tamen infrequentiæ locorum ſubvenere, dilapſis pluribus in provincias, in quibus ſtipendia expleverant. neque conjugiis ſuſcipiendis, neque alendis liberis ſueti, orbas ſine poſteris domos relinquebant. Non enim ut olim univerſæ legiones deducebantur cum tribunis & centurionibus, & ſui cujuſque ordinis militibus, ut conſenſu & charitate remp. efficerent: ſed ignoti inter ſe, diverſis manipulis, ſine affectibus mutuis, quaſi ex alio genere mortalium repente in unum numerum collecti, numerus magis quam colonia.* Huc pertinet quod narrat Appianus de bello civili libro III. noluiſſe Cæſaris veteranos poſt miſſionem ſeparari, ſed in agros aſſignatos mitti conjunctos: quod quia ante illius necem non potuerat perfici. propterea in Urbe eos adhuc, cum cæderetur Cæſar, fuiſſe, inque templorum porticibus tetendiſſe. Propterea Auguſtus, ut eſt apud eundem Appianum, poſt Mutinenſem aciem cum Antonio ſocietatem inire cupiens, Decium quendam cum his mandatis ad illum mittit: *ἠξίου μιμεῖσθαι τοὺς ὑπὸ σφίσιν ὁπλίτας οὐ διαλυομένους, οὐδ' ὅτε παύσαιντο τῶν στρατειῶν.* Deinde cauſſas ejus rei pluribus perſequitur.

TORRENT.

Trecenos quoque nummos.] Recte Pulmannus, cum in vulgatis codd. *tricenos* legatur. Probant idem Græci, quos paulo ante citavimus. nam & Dion una centum drachmas colligit, & minam apud Appianum centenariam intelligo. Mina autem, & drachmæ centum, & nummi ſeſtertii quadringenti eandem ſummam efficiunt. Similis locus inf. cap. LXXXIII. & Aug. cap. XLI. & Calig. cap. XVII.

Annuam habitationem.] Sunt, qui neſcio quod vectigal penſionum remiſſum intelligant; verum quomodo id explicent, viderint alii. Ego ſic interpretor, ut qui cives Romani in conducto habitarent, ſive Romæ, ſive in Italia, nec plus penderent quam bina millia, aut quingentos nummos, anno uno Cæſaris beneficio a penſione liberarentur.

Epulum ac viſcerationem.] *Viſcerationem* crudæ carnis diſtributionem fuiſſe volunt: *epulum*, cum diſcumbentibus per triclinia aut cœna aut prandium dabatur. Sueton. Tib. cap. XX. *prandium dein populo mille menſis.* Plin. quoque lib. IX. cap. LV. & lib. XIV. cap. XV. triumphales Cæſaris cœnas commemorat. Plutarch. epulum toti populo XXII. millibus tricliniorum datum fuiſſe ſcribit.

CASAUBON.

Annuam etiam habitationem Romæ uſque ad bina millia nummum.] Anno DCCVI. lex iſta promulgata a M. Cœlio Rufo prætore in ſumma rerum omnium perturbatione Romæ propter Cæſaris abſentiam. Ab illo exemplo manavit hæc Julia lex: de qua Dio in actis anni DCCVII. Τὸ *ἐνοίκιον, ὅσον ἐς πεντακοσίας δραχμὰς ἦν ἐνιαυτοῦ ἑνὸς ἀφῆκε.* *Habitatio* Tranquillo eſt *τὸ ἐνοίκιον*, penſio quæ habitationis cauſſa penditur. JCti etiam *obventiones* vocant, & Gloſſarium: *Ἐνοίκιον*, *penſio*, *obventio*. In ſuperioribus verbis Dionis, pars legis prætermiſſa, de iis qui extra urbem in Italia habitabant. At libro XLVIII. in actis anni DCCXIII. renovatam hanc legem ab Octavio poſt prælium Philippenſe commemorans; utriuſque partis ſic meminit: Τὸ *ἐνοίκιον τοῖς μὲν ἐν τῷ ἄστει μέχρι πεντακοσίων δραχμῶν οἰκοῦσι, πᾶν· τοῖς δ' ἐν τῇ λοιπῇ Ἰταλίᾳ κατὰ τὸ τέταρτον ἐνιαυτοῦ ἑνὸς ἀφεθῆναι.* Ait, remiſſam habitationem Romæ quidem annuam: in Italia vero non ultra tres menſes. Puto falli Dionem, & Suetonio potius aſſentior, annuam & in Italia remiſſam penſionem, ſed non ultra quingenos HS. Quia vero in urbe conſtabant habitationes, propterea tam diverſæ penſionum ſummæ in hac lege expreſſæ. Mens & Cæſaris & Octavii fuit, ut non niſi ad tenuiores hoc beneficium pertineret. Pauperes autem adæque, qui in Italia quingenis ſeſtertiis habitarent, quique in urbe binis millibus. Vide Plutarchum initio Syllæ, & Ciceronem in ea pro M. Cælio: qui etſi filius familias, cum a patre ſemigraſſet, XXX. millibus habitabat. Porro ſolutæ habitationis exempla alia ſuggerunt inſecutorum Imperatorum hiſtoriæ. nam Romanum Conſtantini filium *δεδωκέναι καὶ τὰ ἐνοίκια τῆς πόλεως*; neque id cum aliqua diſtinctione civium ditiorum vel pauperiorum, ſed promiſcue omnium, *ἀπὸ τοῦ ὑψηλοτέρου καὶ μέχρι τοῦ ἐσχάτου*, auctor eſt Cedrenus,

Adjecit epulum ac viſcerationem.] Notatu dignæ harum vocum interpretationes, quæ ſunt in Gloſſario: *Epulum, διανομή. Viſceratio, ἀρτόκρεας.* Perſius:

- - -oleum artocreaſque popello.

Mox, *Viſcerationem, εὐφρασίαν.* In altero Gloſſario:

39 pro liberalitate ſua præbitum judicaret, quinto poſt die aliud largiſſimum præbuit. Edidit ſpectacula varii generis: munus gladiatorium, ludos etiam regionatim urbe tota, & quidem per omnium linguarum hiſtriones: item circenſes, athletas, naumachiam. Munere in foro depugnavit Furius Leptinus, ſtirpe prætoria, & Q. Calpenus ſenator quondam actorque cauſſarum. Pyrricham ſaltaverunt Aſiæ Bithyniæque Principum liberi. Ludis Decimus Laberius eques Romanus mimum ſuum egit: donatuſque quingentis ſeſtertiis, & anulo aureo, ſeſſum in quatuordecim e ſcena per orcheſtram tranſiit. Circenſibus, ſpatio circi ab utraque parte producto, & in gyrum Euripo addito, quadrigas bigaſque, &

rio: Ἐυφρατία, *epulatio.* Vox Græca, quam legere eſt apud Epiphanium, ducta eſt ab ea verbi ἐυφραίνεσθαι notione, qua ſemper utitur D. Lucas Euangeliſta. ut φάγε, πίε, ἐυφραίνου. & φαγόντες ἐυφρανθῶμεν. & ἐυφραινόμενος καθ' ἡμέραν λαμπρῶς. Sic apud Athenæum accipi debet initio quinti: & συνευφραίνεσθαι apud Curopalaten, ubi de coronatione Impp. agit. Ita accipiendum id verbum etiam in hoc Athanaſii loco ex epiſtola ad Africanos: Οἱ μὲν Ἕλληνες, ait, ἐυφραίνοντο δυσωπούμενοι τὴν ἡμέραν· ὁ δὲ Γεώργιος πενθεῖν ἠνάγκαζε τότε τοὺς Χριστιανοὺς τῇ κακώσει τῶν δεσμῶν. Interpretes peſſime acceperunt hæc beatiſſimi Patris verba. exaggerat ibi Athanaſius Georgii parepiſcopi Alexandrini ſcelus, qui die dominica in templum Dei irrumpens Orthodoxos variis cruciatibus affecerat: *Cum tamen*, inquit, *ei diei veneratio ab ipſis etiam infidelibus præſtetur.* Apparet autem ſeptimi diei ſolemnitatem a paganis jam temporibus Athanaſii fuiſſe admiſſam, & uſu receptam. Ab hac verbi iſtius ſignificatione Genius, cujus ſimulacro menſæ decorari ſolitæ, Ἐυφράδης dictus. Heſychius: Ἐυφράδης παταικὸς ἐπιτραπέζιος. vocat παταικὸν, ad eorum ſimilitudinem, quorum Herodotus meminit, qui in navibus ſculpebantur aut cælabantur. Vox eſt Hèbraica. At *viſceratio* eſt κρεανομία. nam, ut alibi notamus, *viſcera* vocabant non ſolum inteſtina, ſed quidquid ſub corio eſt, inquit Servius. melius hoc, quam quod legitur alibi apud eundem, *viſcera proprie carnes dici.*

TORRENT.

39. *Munere in foro.*] Duæ dictiones *in foro* abſunt e libro quodam pervetuſto. Verum de hac re ſic Plin. XIX. cap. I. *Cæſar Dictator totum forum Rom. intexit, viamque Sacram ab domo ſua ad clivum uſque Capitolinum, quod munere ipſo gladiatorio admirabilius viſum tradunt.*

A. Calpenus.] MSS. omnes Q. vocant, Dion *Fulvium Setinum.*

Donatuſque eſt.] Lego *donatus*, ſine *eſt*, ut habet edit. Germanica, & MSS. duo. hæc enim continue legenda ſunt: *Donatuſque quingentis LLS. & anulo aureo, ſeſſum in* XIV. *e ſc. &c.* ſic enim codex Ferrarienſ. & Turnebi. Vide inf. Claud. cap. XXI. Gellium XVII. cap. XLIII. Macrobium II. cap. VII.

Spatio circi.] Plin. VIII. cap. VII. & XXXVI. cap. XV. Circi, ut tunc erat, magnitudinem deſcribit; & quare euripo eum Cæſar muniverit, cauſam reddit.

CASAUBON.

39. *Edidit ſpectacula varii generis.*] Variis temporibus edidit Cæſar ſpectacula: ſed quæcunque hic in Suetonio referuntur, ea referri debent, partim ad annum DCCVIII. quo quater triumphavit: partim ad ſequentem, quo Hiſpanienſem triumphum egit.

Per omnium linguarum hiſtriones.] Romæ magna copia erat hominum ex omnibus imperii Romani provinciis. Cæſar, ut omnibus gratificaretur, & omnes nationes ſibi conciliaret, hiſtriones omnium linguarum adhibuit. Simile eſt, quod in ejus funere notatur infra: *In ſummo publico luctu exterarum gentium multitudo circulatim ſuo quæque more lamentata eſt, præcipueque Judæi.* Sic accipio iſtum locum, & geminum ei alterum in Octavio, cap. XLIII. Non probo eorum ſententiam, qui in utroque loco conſuetos Romæ edi ludos, Latinos, Oſcos, Græcos intelligunt.

Furius Leptinus.] Scripti quidam, *Lettinius.* is eſt fortaſſe, quem Dio Fulvium Setinum nominat. etſi hiſtoria diverſe ab eo narratur. *Q. Calpenus* autem eſt in veteribus, non *A. Calpenus.*

Ludis Decimus Laberius.] Eodem tempore & facto eodem, ordinem equeſtrem amiſit Laberius ac meruit. amiſit, cum egit mimum in ſcena; recepit, donatus a Cæſare anulo aureo. Aſinius Pollio de Gallo quæſtore ſuo ad Ciceronem: *Ludis, quos Gadibus fecit, Herennium Gallum hiſtrionem, ſummo ludorum die anulo aureo donatum in quatuordecim ſeſſum deduxit: tot enim fecerat ordines equeſtris loci.*

In XIV. *e ſcena.*] Sic liber Pithœi, in aliis abeſt τὸ *e.* unde nata multorum librorum lectio, *in* XIV. *ſcamna.* non probo. Petronius: *Ex hac nota Domina eſt mea: uſque ab orcheſtra quatuordecim tranſilit, & in extrema plebe quærit, quod diligat.* & alibi Suetonius.

Per orcheſtram tranſiit.] Multi codd. etiam Viterb. *per ſolium orcheſtram tranſiit.* Fortaſſe, *per podium orcheſtramque tranſiit.* vel ſic, *per ſolum orcheſtræ tr.* quod minus tamen placet.

& equos deſultorios agitaverunt nobiliſſimi juvenes. Trojam luſit turma duplex, majorum minorumque puerorum. Venationes editæ per dies quinque, ac noviſſime pugna diviſa in duas acies: quingenis peditibus, elephantis vicenis, tricenis equitibus hinc & inde commiſſis. Nam quo laxius dimicaretur, ſublatæ metæ, inque earum locum bina caſtra ex adverſo conſtituta erant. Athletæ, ſtadio ad tempus extructo in regione Martii campi certaverunt per triduum. Navali prælio in minore Codeta defoſſo lacu, biremes ac triremes,

TORRENT.

Quadrigas bigaſque & equos deſultorios.] *Deſultores* vocabant non eos ſolum, quos Græci ἀμφίππους, quod binos ducentes equos ab altero in alterum ſubinde ſaltabant, (qua equorum mutatione gentes olim Iſtro vicinæ, ſi Æliano credimus, uti & Numidæ, ſi Livio lib. XXIII. utebantur) ſed eos quoque, de quibus Dionyſ. extremo libro VII. Antiq. Rom. quos παραβάτας (ut inquit ipſe) poetæ, Athenienſes vero ἀποβάτας appellabant. Unde, ἀποβάτην ἀγωνίσασθαι. Plutarch. Phocione. Cicero pro Murena: *Neſcio, quo pacto mihi videtur prætorius candidatus in conſularem quaſi deſultorius in quadrigarum curriculum incurrere.* Livius quoque lib. XLIV. hunc morem ſignificat his verbis: *ſemel quadrigis, ſemel deſultore miſſo.* Locus vero Suetonii de utroque deſultorum genere intelligi poterit.

In morem cochleæ.] Recte Turneb. Adverſar. XXIV. cap. XIV. *in minore Codeta.* ſic enim etiam unus e noſtris libris. Nec ſolus Feſtus ejus loci trans Tiberim meminit, ſic dicti, quod in eo virgulta naſcerentur ad caudarum equinarum ſimilitudinem, ſed & Victor reg. XIV. trans Tiberim campum Codetanum ponit.

CASAUBON.

Elephantis vicenis.] Appianus: ἐπέδωκεν ἐλεφάντων μάχην ἔικοσι πρὸς ἔικοσι. Dio quoque elephantos XL. pugnaſſe, hoc eſt, vicenos ex utraque acie, narrat. ita accipere debuerunt interpretes illius verba, lib. XLIII. συνέβαλε δὲ καὶ ἐν τῷ ἱπποδρόμῳ πλείους, καὶ ἱππέας ἱππεῦσι, καὶ πεζοὺς πεζοῖς, ἄλλους τε ἀλλήλοις ἴσους, καί τινες καὶ ἀπ' ἐλεφάντων τεσσαράκοντα ἐμαχέσαντο. Interpretes: *erant* XL. *viri, qui ab elephantis pugnabant.* ineptiſſime. vide Plinium libro VIII. cap. VII. Sed hæc nos fuſius in libro de Venatione amphitheatrali: in quo, & item altero de Circenſibus, multa Suetonii explicamus, quæ hic propterea omittimus. Utrumque commentariolum amicis multis pridem communicatum edere brevi cogitamus: niſi, quod potius velim, eruditiſſimus Lipſius fidem ſuam ante liberarit, & ſtudioſorum votis ſatisfecerit.

Navali prælio in minore Codeta defoſſo lacu.] Dio: Καὶ τέλος ναυμαχίαν οὐκ ἐν τῇ θαλάσσῃ οὐδὲ ἐν λίμνῃ τινὶ, ἀλλ' ἐν τῇ ἠπείρῳ ἐποίησε. Χωρίον γάρ τι ἐν τῷ Ἀρείῳ πεδίῳ κοιλάνας, ὕδωρ τε ἐς αὐτὸ ἐσῆκε, καὶ ναῦς ἐπήγαγεν. Quod ait Dio, Cæſarem ἐν τῷ Ἀρείῳ πεδίῳ χωρίον κοιλάναι, *excavaſſe locum quendam in campo Martio:* id Suetonius, *defoſſo lacu in minore Codeta.* Codetam ſive campum Codetanum ad Tiberim fuiſſe, ex Feſto & veteribus deſcriptionibus conſtat. Minor Codeta & major ſic appellatæ, ut Velabrum majus & minus, atque alia in eadem urbe. Hic lacus mox a Cæſaris morte, ex decreto ſenatus, teſte Dione, fuit complanatus: itaque & Octavius & qui deinceps naumachias edidere, lacus defodiſſe narrantur. Naumachias tamen aliquot fuiſſe, in quibus aqua ſemper eſſet, ex Frontini de Aquæductibus libello diſcimus. Porro hanc eſſe veram hujus loci lectionem *in minore Codeta*, non ut vulgo edunt *in morem cochleæ*, recta ratione rem putantibus dubium eſſe non poteſt. Ita enim habent vetuſtiores & meliores codices, teſtibus Beroaldo, Ranconeto, Turnebo, Torrentio, Petro Pithœo, Groſlotio, &c, qui duos vidiſſe ait, præſtantiſſimo viro Joſepho Scaligero. Accedat his vetus Lugdunenſis editio anni DVIII. in qua ſic ſcriptum eſt: accedant & antiquiſſimi duo regiæ bibliothecæ, in quibus ita invenimus: poſtremo accedat Memmiani, omnium, opinor, vetuſtiſſimi, pondus & auctoritas. Corruptam eſſe eam tot librorum ſcripturam, ne ſuſpicari quidem licet. qui enim potuit imperito librario de Codeta venire in mentem, niſi ſic in exemplari fuiſſet? Profecto non ita ſolitum ab eo genere hominum in bonis auctoribus peccari, ut per aberrationem mentis voces veteres, paucis cognitas, ſententiæ aptas, loco notiorum ponerent: contra quo quæque vox erat inſolentior, eo ſemper magis iſtorum hominum injuriæ fuit opportuna. Sæpe factum eſſe, ut *cl* & *d* ſcribarum imperitia truderent ſe loco invicem apud veteres ſcriptores, pridem ab induſtriis hominibus ſumus admoniti. Similiter hic quoque *coclea* pro *codeta* ſcribi primo cœpit: deinde cæterorum ſecuta eſt depravatio. *Coclea* autem veteres ſcribebant, non *cochlea*, teſte veteri libro Gloſſarum, & Velio Longo de Orthographia. Hæc ita accidiſſe, non tam mirum videri mihi ſolet, quam miror, reperiri hodie, qui ineptam illam lectionem tueantur: quorum pertinaciam ſatis libro de Circenſibus, cum de naumachiis ſive navalibus Circenſibus ageremus, retulimus.

Tyriæ & Ægyptiæ claſſes.] Scrib. *Tyria & Ægyptia claſſis.* Sic libro V. *Spectaculo claſſis Sicula & Rhodia concurrunt.* vel ita potius ſcribe, *biremes ac triremes, quadriremeſque Tyriæ & Ægyptiæ claſſis.* Hæc vera ſcriptura, neque aliter Memmianus.

TOR-

remes, quadriremeſque Tyriæ & Ægyptiæ claſſis, magno pugnatorum numero conflixerunt. Ad quæ omnia ſpectacula tantum undique confluxit hominum, ut plerique advenæ aut inter vicos aut inter vias tabernaculis poſitis manerent: ac ſæpe præ turba eliſi exanima-
40 tique ſint plurimi, & in his duo ſenatores. Converſus hinc ad ordinandum Reip. ſtatum, faſtos correxit, jam pridem vitio pontificum per intercalandi licentiam adeo turbatos; ut neque meſſium feriæ æſtati, neque vindemiarum autumno competerent. Annumque ad curſum ſolis accommodavit, ut trecentorum ſexaginta quinque dierum eſſet: & intercalario menſe ſublato, unus dies quarto quoque anno intercalaretur. Quo autem magis in poſterum ex Kalendis Januariis novis temporum ratio congrueret, inter Novembrem ac Decembrem menſem, interjecit duos alios: fuitque is annus, quo hæc conſtituebantur,
41 xv. menſium cum intercalario, qui ex conſuetudine in eum annum inciderat. Senatum ſupplevit, patricios allegit: prætorum, ædilium, quæſtorum, minorum etiam magiſtratuum

TORRENT.

40. *Annumque ad curſum ſolis.*] Fecit id Cæſar Soſigene, ejus artis perito, adhibito. Plutarch. Cæſare, & Plin. XVIII. cap. XXV. Dion ab Alexandrinis eum id didiciſſe tradit. Plura Cenſorin. de Die natali, & Macrob. I. cap. XIV.

41. *Minorum etiam magiſtratuum.*] *Minorum*, ſcilicet quam quæſtorum. nam & ipſi quæſtores inter minores erant magiſtratus. Vide Gell. lib. XII. cap. IV.

CASAUBON.

Ut plerique advenæ aut inter vicos aut inter vias tabernaculis poſitis manerent.] Occupatis videlicet omnibus ſacris publiciſque locis, ubi tendere ſoliti peregrini, ſi hoſpitem non haberent. Dionyſ. Halic. lib. VIII. Ἡ κρατίστη τῶν Οὐολούσκων νεότης ἐξ ἁπάσης πόλεως, ὡς ὁ Τύλλος ἠξίου, παρῆν ἐπὶ τὴν τῶν ἀγώνων θέαν καὶ κατεσκήνουν οἱ πλείους ἐν ἱεροῖς τε καὶ δημοσίοις τόποις οὐκ ἔχοντες καταγωγὰς ἐν οἰκίαις τε καὶ παρὰ ξένοις. Macho poëta comicus:

- - - κατάλυσιν οὐδαμοῦ μισθοσίμην
Δυνάμενος εὑρεῖν ἐν τεμένει καθίσας τινὶ,
Ὃ πρὸ τῶν πυλῶν ἦν κατὰ τύχην ἱδρυμένον.

Sic Jonas, cum Niniven veniſſet, ad urbis portam caſulam ſibi conſtruit. Mendicos etiam, ut veterum philoſophorum multos, in porticibus templorum aliiſque locis publicis habitaſſe conſtat. Dio Chryſoſtomus de Diogene: Οἴκοις ἐχρῆτο ταῖς πόλεσι καὶ ἐνταῦθα διέτριβεν ἐν τοῖς κοινοῖς τε καὶ ἱεροῖς. Idem in eodem: οἰκίας τὰς καλλίστας καὶ τὰς ὑγιεινοτάτας ἐν ἁπάσαις ταῖς πόλεσιν εἶχεν ἀναπεπταμένας, τά τε ἱερὰ, καὶ τὰ γυμνάσια. Spartianus in Severo: *Tota urbe milites in templis, in porticibus, in ædibus Palatinis, quaſi in ſtabulis manſerunt.* Sic Stilpon apud Athenæum, allio ſatur, κοιμᾶται ἐν τῷ τῆς μητρὸς τῶν θεῶν ἱερῷ. *Inter vicos & inter vias*, eſt in viis urbis & ad urbem. Apud Plautum & Terentium, *inter vias* valet μεταξὺ πορευόμενος, ut inter cœnam, μεταξὺ δειπνῶν.

43. *Faſtos correxit.*] A. U. DCCVIII. ſuo III. & M. Æmilii Lepidi conſulatu. Cenſorinus aliique. De hac correctione & anno confuſionis, quem hic deſcribit Suetonius, vide Joſephi Scaligeri diatribam initio lib. IV. de Emendatione temporum.

Ex kal. Januariis nobis temporum ratio congrueret.] Placet emendatio doctorum virorum *novis* pro *nobis* legentium.

41. *Senatum ſupplevit.*] Quanta cum invidia ejus ordinis, declarant Ciceronis joci, epiſtola ad Leptam libro ſexto, & apud Senecam patrem lib. VII.

Patritios allegit.] Lege Caſſia. Tacitus Annalium lib. XI. XXV. 2. In his allectus Cicero: Dio libro LXVI. Cauſſam ſuppletarum toties patritiarum gentium breviter aperit idem lib. LII. *Auguſtus*, inquit, *gentes patritias ſupplevit*, ἐπειδὴ τό τε πλεῖστον ἀπολώλει σφῶν· οὐδὲν γὰρ οὕτως ὡς τὸ γενναῖον ἐν τοῖς ἐμφυλίοις πολέμοις ἀναλίσκεται, καὶ ἐς τὴν ποίησιν τῶν πατρίων ἀναγκαῖοι ἀεὶ εἶναι νομίζονται. *quia & maxima patritiorum pars perierat: ut enim quiſque generoſiſſimus eſt, ita maxime bellis civilibus abſumitur; & ad peragendos ritus patrios exiſtimantur illi ſemper eſſe neceſſarii.* Veſpaſianus tandem in futurum proſpexit, ne facile patritii deſiderari poſſent, conſtitutis mille gentibus patritiis. Ita interpretor, quod ait Aurelius Victor: *Lectis undique optimis viris, mille gentes compoſitæ, cum ducentas ægerrime reperiſſet.* pro *allegit* in cod. Viterb. erat adnotata altera lectio *elegit*. ſic in veteri quadam inſcriptione: ELECTUS IN FAMILIAM PATRITIAM. Tacitus dicit, *ſublegere*, *aſciſcere*. Dio ἐγκαταλέγειν & συμπληθύειν τὸ τῶν εὐπατριδῶν γένος. Turonenſis hic *adlegit*.

Magiſtratuum numerum ampliavit.] Dio libris XLII. & XLIII. variis locis.

tuum numerum ampliavit: nudatos opere cenſorio, aut ſententia judicum de ambitu condemnatos, reſtituit. Comitia cum populo partitus eſt: ut exceptis conſulatus petitoribus, de cætero numero candidatorum, pro parte dimidia, quos populus vellet, pronuntiarentur: pro parte altera, quos ipſe edidiſſet. Et edebat per libellos, circum tribus miſſos ſcriptura brevi, *Cæſar dictator illi tribui. Commendo vobis illum, & illum, ut veſtro ſuffragio ſuam dignitatem teneant.* Admiſit ad honores & proſcriptorum liberos. Judicia

TORRENT.

Nudatos opere cenſorio.] Nove dixit, pro ordine aut loco motos a cenſoribus, privatoſque equo publico, vel factos ærarios, quibus notati ignominiis turpitudinem ultra tegere non poterant. Gellium lege lib. IV. cap. XII.

Comitia cum populo partitus eſt.] Quid de comitiis Auguſtus, quid Tiberius, quid poſtea Cajus egerint, alibi videbimus. Sed veriſſimum eſt, poſt Cæſarem dictatorem ea in Principum poteſtate fuiſſe. Pulchre igitur de pop. Rom. Juvenal. Satyr. x.

- - - qui dabat olim
Imperium, faſces, legiones, omnia, nunc ſe
Continet, atque duas tantum res anxius urget
Panem & Circenſes.

ſic enim potius quam *pannum* legerim. Juriſconſulti vero noſtri ambitus vitandi cauſa inductum tradunt, ut ad curam Principis magiſtratuum creatio pertineret, non ad populi furorem. Modeſtinus l. 1. ad leg. Jul. de ambitu.

Quos ipſe dediſſet.] Lego *edidiſſet*, & paulo ante *renuntiarentur* pro *pronunciarentur.*

Proſcriptorum liberos.] Refert Dionyſ. Antiq. Rom. lib. VIII. ſervatum fuiſſe apud Romanos, ut parentum pœna, quocumque crimine, etiam perduellionis, deliquiſſent, liberi minime tenerentur. Unde Ulpian. lib. II. de Decurionibus, *Nullum*, inquit, *patris delictum innocenti filio pœnæ eſt.* Quo tamen non obſtante Cicero, quod inter ejus laudes refert Plin. lib. VII. cap. XXX. videns rempub. ſine legibus Corneliis ſtare non poſſe, effecit eloquentia ſua, ut proſcriptorum a Sylla liberos honores petere puderet. Hos poſtea Dictator Cæſar ad honores admiſit. Exemplum A. Hirtii apud Dionem.

CASAUBON.

Nudatos opere cenſorio reſtituit.] Duplex καινοπρέπεια in his verbis. *nudatos* dixit pro notatos, quod proprium verbum eſt cenſorum: nihil tamen hic muto. ſic Cicero ad Atticum de judicio Clodiano loquens, *nudos equites* vocat, probri plenos: *Nunquam turpior in ludo talario conſeſſus fuit: maculoſi ſenatores, nudi equites, tribuni non tam ærati, quam, ut appellantur, ærarii.* Sic etiam *exutus* & *exuere* apud Tacitum Annalium lib. III. *Piſo exuta dignitate in decem annos relegatur.* libro XV. *Exuti dehinc tribunatu Pompejus, Cornelius Martialis, Flavius Nepos.* Ait, *opere cenſorio*: ſic vocatur opus, quod notam cenſoriam meruit. A. Gellius lib. IV. cap. XII. *Non id ſine pœna fuit: ſed erat opus cenſorium, cenſoreſque ærarium faciebant.* Poſſumus etiam interpretari *opere cenſorio*, nota cenſoria, cui opponitur ſtatim judicum ſententia: ſive per cenſores. Ut lib. II. *opere militari*, id eſt, per milites. Columella lib. XII. *ne videar intempeſtive cenſorium opus objurgandis moribus noſtrorum temporum ſuſcepiſſe.*

Sententia judicum de ambitu condemnatos.] Dio lib. XLIII. εὐθυνομένους τε ἐπὶ δώροις τινὰς, καὶ ἐξελεγχομένους γε ἀπέλυσε. Paullo ante dixerat idem, Cæſarem in ſermones hominum incidiſſe, quod ſententia judicum pulſos in exilium multos interceſſione quorundam tribunorum reſtituiſſet: καὶ ὅτι τοῖς δεκασμοῦ ἐπ᾽ ἀρχῆς ἀποδείξει ἁλοῦσι ἐν τῇ Ἰταλίᾳ διαιτᾶσθαι ἐπέτρεψεν. *quod ambitus damnatis in Italia manere permiſiſſet.*

Quos populus vellet, pronuntiarentur.] Hæc ſcripta lectio omnium librorum pro *renuntiarentur*: quod eſt verbum in ea uſitatum ac ſolemne.

Circum tribus miſſos.] Ad ſingulas tribus. ſic apud Livium: *circum inſulas literæ miſſæ.* apud Cæſarem: *circum conventus Campaniæ gladiatores diſtribuit.* At editiones priſcæ habent, *cuique tribuum.*

Commendo vobis illum.] Hac formula uſi principes Cæſaris exemplo, cum ſuis candidatis honores mandari juberent. In S. C. quo Veſpaſiano imperium datur, ita ſcriptum eſt: *Utique quos magiſtratum, poteſtatem, imperium, curationemve cujus rei petentes ſenatui populoque Romano commendarit, quibuſve ſuffragationem ſuam dederit, promiſerit: eorum comitiis quibuſque extra ordinem ratio habeatur.* Tacitus Annalium primo: *Senatus libens tenuit, moderante Tiberio, ne plures quam quatuor candidatos commendaret, ſine repulſa & ambitu deſignandos.* Sic Dio libro LV. extremo, de candidatis Auguſti: τούτῳ δὲ καὶ τοῖς ἔπειτα γράμματά τινα ἐκτιθεὶς συνίστη τῷ τε πλήθει καὶ τῷ δήμῳ.

Admiſit ad honores & proſcriptorum liberos.] Contra quam lege Cornelia ſive Valeria de proſcriptione fuerat cautum. Cicero, Plutarchus, alii. Notat Dio lib. XLI. XLIV. & LIV. Patris exemplum ſecutus Octavius, non in Syllæ tantum proſcriptis, ſed etiam in ſuis.

TOR-

Judicia ad duo genera judicum redegit, equeſtris ordinis ac ſenatorii : tribunos ærarios, quod erat tertium, ſuſtulit. Recenſum populi, nec more, nec loco ſolito, ſed vicatim per dominos inſularum egit : atque ex viginti trecentiſque milibus accipientium frumentum e publico, ad centum quinquaginta retraxit. Ac ne qui novi cœtus recenſionis cauſſa moveri quandoque poſſent, inſtituit, quotannis in demortuorum locum ex his, qui recen-
42 ſiti non eſſent, ſubſortitio a prætore fieret. Octoginta autem civium milibus in tranſmarinas colonias diſtributis, ut exhauſtæ quoque urbis frequentia ſuppeteret, ſanxit : Ne quis civis

TORRENT.

Tribunos ærarios.] Vide Feſtum in *Ærarii*, Varronem libro IV. de ling. Lat. Aſconium in orat. pro Milone, Plinium lib. XXXIII. cap. II. apud quem *Tribuni æris* vocantur, pro *ærarii*. Sæpe Cicero. Inf. Aug. cap. XXXII.

Recenſum populi.] Sic. Aug. cap. XL. *Populi cenſum vicatim egit.* Egit autem hunc cenſum Cæſar devicto Scipione ex Africa rediens, & quidem ſolus; neque ut cenſor, ſed ut præfectus morum in triennium. Quare nec luſtrum condidit. Ex Dione. Plutarchus enim non ſatis recte. Cicero ad Papirium lib. IX. epiſt. XV. Cæſarem intelligit his verbis : *Quamdiu hic erit noſter hic præfectus moribus, parebo auctoritati tuæ.* Locus autem agendo cenſui vel forum erat, vel villa publica in campo Martio.

CASAUBON.

Recenſum populi nec more nec loco ſolito, ſed vicatim per dominos inſularum egit.] Chiaſmum obſerva : nam *vicatim* refertur ad illa, *nec loco ſolito.* Locus ſolitus fuit campus Martius, & quæ in eo erat, villa publica. *per dominos inſ.* πρὸς τὸ *nec more.* More ſolito per cenſores & publicos ſcribas res peragebatur. Quare merito *recenſum* appellat, non cenſum : recteque ab eruditiſſimo Torrentio obſervatum, labi Plutarchum, qui cenſum populi Romani a Cæſare factum ſcripſit. Fefellit Plutarchum vox *populus* in eo ſcriptore Latino, quem ſequitur, pro plebe frumentum publicum accipiente. & ita hic Suetonius quoque accipit. Dio optime hic quidem : nam alibi minus recte idem populi cenſum a Cæſare ut cenſore actum ſcribit.

Vicatim per dominos inſularum.] Hoc eſt, per locatores, qui ſuas ſive domos ſive inſulas egenis locarent. In re veteri uſurpat Tranquillus loquendi genus recens. Ante Neronem plures in urbe domus quam inſulæ : poſt Neronem contrarium fuit, ut ex Tacito notum. inde cœperunt appellatione *inſulæ* quævis ædes locatitiæ intelligi : & per *dominos inſularum* omnes locatores. Sic *inſularius* nominatus ſervus flagitator, penſionum exactor. Gloſſarium : ἐνοικολόγος, *inſularius.*

Ad centum quinquaginta retraxit.] Aut centum & ſexaginta. Nam Dio ait, τὰς ἡμίσεις, ſed verius eſt, Dionem παχυμερῶς locutum, rotundandi numeri ſtudio, ut ſæpe auctores. Verba Dionis : καὶ τὰς γε ἡμίσεις ὁμοῦ τι αὐτῶν προαπήλειψε. Nihil hic mutandum. Nuperus tamen emendator jubet nos ſcribere τὰς ἡμίσεις ὁμοῦ αὐτῶν, quæ oratio eſt contra Helleniſmum. Vel, inquit, ὁμοῦ αὐτῶν. nihilo melius. Ignorat ὁμοῦ τι tritum Græcis genus loquendi, in moderatione ſententiæ. Demoſthenes contra Aphobum priore : κατὰ τριακοσίας ὁμοῦ τι τάλαντον διακεχρημένους. Plutarchus de Oraculorum defectu : ὀλιγανδρίαν αἱ πρότερον στάσεις καὶ οἱ πόλεμοι περὶ πᾶσαν ὁμοῦ τι τὴν οἰκουμένην ἀπειργάσαντο. Mox : οἱ μὲν οὐδενὸς ἁπλῶς τὸν θεὸν, οἱ δὲ ὁμοῦ τι πάντων αἴτιον ποιοῦντα. & ſæpe alibi idem ſcriptor aliique paſſim. Sic Græci iidem ὑπό τι dicunt, pro aliquatenus, quodammodo, nonnihil. Plato Phœdro : εὐήθη καὶ ὑπό τι ἀσεβῆ. Idem in Gorgia : Ταῦτ' ἐπιεικῶς μέν ἐστιν ὑπό τι ἄτοπα. qui locus magnos viros exercuit. Ariſtophanes, Veſpis :

Ταῦτα κατιδὼν, ὑπό τι μικρὸν ἐπιθήκισα.

Sic apud Hippocrat. in Prorheticis : ὑπό τι ὀλέθρια. & in IV. Epidemiorum : τῶν ὑπό τι περιφέρειαν ἐχόντων. apud Ciceronem ὑπό τι πεφυρακέναι. apud Strabonem lib. II. ut noſtra ipſi vineta cædamus, ὑπό τι σωζομένους non περισωζομένους, quod olim viſum. male item in ſuperiori loco Dionis ſcribit idem Criticus προσαπήλειψε pro προαπήλειψε. additum τὸ πρὸ in hac voce ad indicandum, prius a Cæſare recenſum factum, quam frumentum diviſum. prudentiſſime. πρὸς quid hic valeat, ſcire velim.

Ex his, qui recenſiti non eſſent.] Hoc eſt, qui in recenſione Cæſaris admiſſi ad frumentationem non eſſent. Pithæi liber *recenſi*, ita Memmianus.

42. *Ut exhauſtæ quoque urbis frequentia ſuppeteret.*] Scribe *urbi.* In voce exhauriri, qua hic accipitur notione, calumnia Ciceronis nota in Agraria ſecunda.

Ne quis civis major annis XX. *minorve* XL.] In omnibus fere libris antiquis ſcribitur, *minorve* X. quod ferri non poteſt, ut recte docti viri obſervarunt. Fortaſſe etiam pro XL. rectius LX. legeretur. Videtur enim hac lege definitum humanæ vitæ ſpatium, quo vir ſobolis generationi aptus eſt : quæ facultas citra ſexageſimum fere non ceſſat : ultra LXV. raro durat. etſi ſcimus in quibuſdam longe aliter & fuiſſe olim, ut de Maſaniſſa aliiſque legimus; & nunc quoque in hoc mundi effœto ſenio eſſe

civis major annis viginti, minorve XL. qui ſacramento non teneretur, plus triennio continuo Italia abeſſet: neu quis ſenatoris filius, niſi contubernalis, aut comes magiſtratus, peregre proficiſceretur: neve hi, qui pecuariam facerent, minus tertia parte puberum ingenuorum inter paſtores haberent. Omneſque medicinam Romæ profeſſos, & liberalium artium doctores, quo libentius & ipſi urbem incolerent, & cæteri appeterent, civitate donavit. De pecuniis mutuis, disjecta novarum tabularum exſpectatione, quæ crebro movebatur, decrevit tandem, ut debitores creditoribus ſatisfacerent, per æſtimationem poſſeſſionum,

eſſe. Ipſi vidimus nuper, qui anno ſeptuageſimo quarto generarunt. Probo tamen, ut ſcribatur XL. nam cum ſit hoc λειτεργίας genus, & quidem ut tum erant homines, moleſtiſſimæ, quod ſub Auguſto legem Papiam ferente apparuit, veriſimile eſt, Cæſarem ſuſtinendo ei oneri brevius ſpatium lege definiſſe, ad ſimilitudinem aliarum λειτεργιῶν.

TORRENT.



42. *Major annis* XX. *minorve* X.] Liber Tornacenſ. *major annis* XX. *minorve* XL. uti & edit. Frobeniana. quod omnino probo, rejecta Beroaldi interpretatione. Cæſar enim id ſobolis cauſa fecit. Transmarinas autem colonias intelligo, Corinthum & Carthaginem deductas. Dion extremo lib. XLIII. & nummi veteres.

Neu quis ſenatoris filius.] Juſto Lipſio ad XII. Annal. Taciti, libido legere, *neu quis ſenator, ſenatoriſve filius*, &c. leviter, & nulla neceſſitate. nam ne abeſſe ſenatoribus liceret, aliis legibus cautum.

Contubernalis.] Ut Cæſar ipſe contubernio M. Thermi militavit, ſup. cap. II.

Disjecta.] Mallem *dejecta*. Tale autem quid etiam Cicero conſul præſtitit. ſic enim in libris de Legibus: *Nunquam* (ante me conſulem ſcilicet) *nec majus æs alienum fuit, nec melius, aut facilius diſſolutum eſt. fraudandi enim ſpe ſublata, ſolvendi neceſſitas conſecuta eſt.*

CASAUBON.

Minus tertia parte puberum ingenuorum inter paſtores haberent.] Quid hoc ad urbis frequentiam? plurimum. voluit Cæſar ſuos cives aliquantum a ſtudiis bellicis retrahere, & ad pacis artes traducere. Militi legionario uxorem ducere jus non fuit: pecuarios & negotiatores nihil vetuit matrimonio operam dare. Vide, quæ notamus libro II. ad caput XLII. Veterum porro legum Agrariarum capite uno cautum fuerat, de numero puberum ingenuorum, quos inter paſtores habere tenerentur, qui pecuariam facerent. Hanc legem Cæſar ex antiquitate petitam repoſuit a ſe correctam. Exſtat apud Appianum Ἐμφυλ. libro primo; ubi videtur, tanquam legis Liciniæ a Licinio Stolone latæ pars, proferri iſtud caput. Ait enim: Τῶν δημάρχων ἐισηγεμένων ἔκρινων μηδένα ἔχειν τῆς γῆς πλέθρα πεντακοσίων πλείονα· μηδὲ προβατεύειν ἑκατὸν πλείω τὰ μείζονα, καὶ πεντακοσίων τὰ ἐλάττονα· καὶ ἐς ταῦτα δὲ ἀυτοῖς ἀριθμὸν ἐλευθέρων ἔχειν ἐπέταξαν, οἱ τὰ γιγνόμενα φυλάξειν τε καὶ μηνύσειν ἔμελλον. Quod ait Appianus, certum numerum ingenuorum ea fine pecuariam facientibus (ita verti debent, quos ille προβατεύοντας appellat) fuiſſe imperatum, ut per eos reſciri poſſet, ſi quis adverſus hanc legem peccaret: id etſi verum eſſe haud negaverim, non puto tamen eum præcipue ſcopum auctoribus legis hujus fuiſſe propoſitum: ſed illum potius, quem iſto loco Suetonius nobis aperit. quo nimirum exhauſtæ urbi continuis bellis & crebris in colonias diſtributionibus, ingenuorum & civium nihilominus copia ſuppeteret.

VARIOR.

42. *Ut debitores creditoribus ſatisfacerent.*] Quamvis ſatisfeciſſe, poſſimus dicere, eum, qui ſolvit; rei tamen veritate inſpecta, aliud eſt ſolvere, aliud ſatisfacere. Nam ſolvit, qui id ipſum quod debet, creditori annumerat, facitve: ſatisfacit, qui quavis ratione creditorem ſecurum reddit. Quod, quamvis pluribus poſſemus, unius tamen Ulpiani adſtruemus teſtimonio, qui ſcribit l. 6. ff. quib. mod. pign. vel hypoth. *Liberatur pignus, ſive ſolutum eſt debitum, ſive eo nomine ſatisfactum eſt.* Et eadem illa: *Qui paratus eſt ſolvere, merito videtur pignus liberaſſe. Qui vero non ſolvere, ſed ſatisfacere paratus eſt, in diverſa cauſa eſt.* Quia nimirum ſatisfactioni non neceſſe habet creditor acquieſcere. Quod tamen non raro factum fuit. *Ergo ſatisfeciſſe prodeſt, quia ſibi imputare debet creditor, qui ſatisfactionem admiſit vice ſolutionis. At qui non admittit ſatisfactionem, ſed ſolutionem deſiderat, culpandus non eſt.* Cujus oppoſitum eſt, *ſatis accipere*, ut liquet l. 22. l. 41. §. 1. ff. de evict. l. 15. ff. ut legator. Quod nunquam de eo, qui ſuum recipit, intelligitur. Ergo illud efficiebat hoc ſuo decreto Cæſar, ut debitores nec cogerentur ſolvere, nec prædiis cedere, ſed ea hypothecæ ſubjicere: cogerenturque has creditores admittere, prohibiti ſuum per judicem exigere. Atque his duobus tertium etiam jungebatur beneficium, quod nimirum hæc ſatisfactio non fieret ſecundum verum rei pretium, quod tunc eſſet; ſed quod fuerat ante bellum civile, quo tempore procul

ſeſſionum, quanti quaſque ante civile bellum comparaſſent, deducto ſummæ æris alieni, ſi quid uſuræ nomine numeratum, aut perſcriptum fuiſſet : qua conditione quarta pars fere crediti deperibat. Cuncta collegia, præter antiquitus conſtituta, diſtraxit. Pœnas facinorum auxit : & cum locupletes eo facilius ſcelere ſe obligarent, quod integris patrimoniis exſulabant, parricidas, ut Cicero ſcribit, bonis omnibus, reliquos dimidia parte multavit.

cul dubio pluris prædia valuere. Atqui ut duo alia adverſantur ipſi rationi & æquitati, ita etiam hoc tertium. Nam ut perſcriptum Ulpiano eſt l. 62. §. 1. ff. ad l. Falc. *Corpora, ſi qua ſunt in bonis defuncti, ſecundum rei veritatem æſtimanda erunt, hoc eſt, ſecundum præſens pretium. Nec quicquam eorum formali pretio æſtimandum eſt.* Quo loco *formale pretium* non eſt aliud, quam quod in forma ſive inſtrumento emptionis perſcriptum eſt. Simili modo idem Juriſconſultus l. 7. §. 3. ff. ſol. matr. dixit *formam locationis*, pro locationis conventione. Verba ſunt : *Si meſſes ejus anni, quo divortium factum eſt, colonum ex forma locationis ſequantur.* GOES.

TORRENT.

Comparaſſent, deducto ſummæ æris al.] Melius in optimo cod. MS. *comparaviſſent, deducto ſummæ.* Voluit enim Cæſar, ut uſuræ ſupplerent ſortem, & tanto minus creditor exigeret. Annotavit hoc etiam Turnebus, ſed relictis duabus vocibus *æris alieni*, quæ rectius aberunt, ut in noſtro codice.

Detraxit.] Melius MS. tres, *diſtraxit :* unus etiam *diſtraxcit*, id eſt, diſſolvit ſeparavitque. Contigerat autem, ut cum L. Cæcilio, Q. Marcio coss. collegia ſublata fuiſſent, ea P. Clodius trib. reſtitueret, ac nova faceret ex infima plebe. Teſtis Dion lib. XL. & Cic. in Piſonem. ubi Pedianum vide. Sed & Joſeph. Antiq. lib. XIV. refert, Cæſarem interdictis cæteris ſodalibus, permiſiſſe Judæos Romæ more patrio convenire.

Cum locupletes.] Ut Marius ille, de quo Juven. Satyr. I. *Exſul ab octava Marius bibit.* ſequitur quippe, *quid enim ſalvis infamia nummis?*

Parricidas, ut Cic. ſcribit.] Ubi id ſcribat Cicero, ignoro : & ſane tria illa verba per parentheſin adſcripta merito ſuſpecta ſunt. Parricidas autem vocat omnes, qui ſcientes hominem liberum occiderunt. ſic enim & Numæ lex : *Si quis hominem liberum ſciens morti duit, parricida eſto.* & Tribunitia apud Feſtum in *Sacer : Si qui eum, qui plebiſcito ſacer ſit, occiderit, parricida ne ſit.* Hos ergo bonis omnibus multavit; reliquos, qui non occidendi animo, occiderint tamen, parte dimidia. ſic enim hunc locum interpretor. Vide l. 1. & l. IV. ad leg. Corn. de ſicariis. Alii de parenticidis intelligunt.

CASAUBON.

Deducto ſummæ æris alieni, ſi quid uſuræ nomine numeratum.] Vetus inventum fuit Romanorum, quoties anguſta fides erat. Livius libro VI. *Tribuni promulgavere leges omnes adverſus opes patritiorum, & pro commodis plebis : unam de ære alieno, ut deducto eo de capite, quod uſuris pernumeratum eſſet, id quod ſupereſſet, triennio æquis portionibus perſolveretur.*

Qua conditione quarta pars fere crediti deperibat.] Facile eſt rationem inire. Lex iſta lata anno DCVII, cum primum Cæſar victo Pompejo in urbem venit, non multo poſt exactum alterum belli civilis annum. Biennii igitur uſuram a belli principio exegerant creditores : quam ſi, ut fere tum fiebat, centeſimam erant pacti, deducta ea de capite, vicenos quaternos e centenis nummis amittebant : id eſt, quartam fere crediti partem.

Cuncta collegia.] Quæ paucis ante annis P. Clodius tribunus pl. lege lata partim reſtituerat, ſub S. C. novem annis prius facto, coss. L. Cæcilio & Q. Marcio : partim nova adjecerat ex omni fæce urbis ac ſervitio. Cicero, Aſconius, Dio, alii.

Pœnas facinorum auxit : & cum locupl.] Voculam & licet repertam a nobis in omnibus exemplaribus, ne uno quidem excepto, prorſus tamen tollendam cenſemus. Ita enim ſententia concipienda : *Pœnas facinorum auxit, cum locupl. eo fac. ſc. ſe obl. quod int. patr. exulabant, parricid.*

Quod integris patrimoniis exſulabant.] Libera rep. raro factum, ut civis Rom. ſine privilegio, judicio publico condemnaretur : omnibus enim libera fuit, prius quam ſententia pronunciaretur, abeundi poteſtas. ita ſententiam judicis ſimul & bonorum jacturam evadebant. Auctores Polybius, Cicero, alii. Idem jus fuit & civibus Athenienſibus : unde ſumſerunt, ut puto, Romani. Demoſthenes κατὰ Ἀριστοκράτους : Τῷ φεύγοντι, τὸν πρότερον ἔξεστιν εἰπόντι λόγον μεταστῆναι καὶ οὔθ' οἱ δικάζοντες, οὔτ' ἄλλων ἀνθρώπων οὐδεὶς κύριος κωλῦσαι. At civibus Rom. ut alia omnia libertatis jura, ſic hoc quoque per Principes jam inde a Cæſare imminutum, penitus tandem eſt ademptum. Sed de hoc jure plura aliquando ad ſextum Polybii, ſi Deus voluerit.

Ut Cicero ſcribit.] Cur duo inſignes Critici hæc verba tollant, quæ in omnibus codd. comparent, cauſſam non video : niſi ſi viſa iis & lecta, quæcunque hodie e ſcriptis Romanæ Sirenis nos terræ filii deſideramus.

VARIOR.

42. *Numeratum aut perſcriptum.*] Numeratur, cum pecunia de domo vel ex arca traditur : perſcribitur de menſa, interventu argentarii. GOES.

vit. Jus laborioſiſſime ac ſeveriſſime dixit. Repetundarum convictos etiam ordine ſenatorio movit. 43 Diremit nuptias prætorii viri, qui digreſſam a marito poſt biduum ſtatim duxerat, quamvis ſine probri ſuſpicione. Peregrinarum mercium portoria inſtituit. Lecticarum uſum, item conchyliatæ veſtis, & margaritarum, niſi certis perſonis & ætatibus, perque certos dies, ademit. Legem præcipue ſumtuariam exercuit: diſpoſitis circa macellum cuſtodibus, qui obſonia contra vetitum retinerent, deportarentque ad ſe, ſubmiſſis nonnumquam lictoribus atque militibus: qui, ſi qua cuſtodes fefelliſſent, jam appoſita e triclinio auferrent. Jam de ornanda inſtruendaque urbe, item de tuendo ampliandoque 44 imperio, plura ac majora in dies deſtinabat. In primis Martis templum, quantum nuſquam eſſet, exſtruere, repleto & complanato lacu, in quo naumachiæ ſpectaculum ediderat: theatrumque ſummæ magnitudinis Tarpejo monti accubans. Jus civile ad certum modum redigere, atque ex immenſa diffuſaque legum copia, optima quæque & neceſſaria in pauciſſimos conferre libros. Bibliothecas Græcas & Latinas, quas maximas poſſet, publicare,

TORRENT.

43. *Repetundarum convictos.*] Legem de repetundis pecuniis, maxime ſociorum pop. Rom. cauſa, L. Piſo Frugi inſtituit. Cic. Verr. VI. & lib. III. de Officiis. Eam Cæſar conſulatu ſuo inſtauravit, & pleraque ei capita adjecit, quæ ad provincialium commoda ſpectarent; victor etiam ſeverius exercuit. Meminit. Cic. ad Att. lib. V. epiſt. X. & lib. VI. epiſt. VII. & Famil. lib. II. epiſt. XVII. & lib. V. epiſt. X. De cujus pœna Marcellus J. C. l. VII. ad leg. Juliam repetund. *Hodie* (inquit) *extra ordinem puniuntur, & plerumque exilio, vel etiam durius, prout admiſerint.* Graviſſime autem puniebantur, etiam ex leg. XII. Tab. qui judices arbitrive, ob rem dicendam pecuniam acceperant. Gell. lib. XX. cap. I. Nam & hoc poſtea legis Juliæ caput fuit, quemadmodum & illud de nave a Senatore non habenda. de quo Claud. cap. XIX.

Qui digreſſam a marito.] Id enim contra publicam honeſtatem erat. Et alioqui brevi reverſa uxor, quæ per calorem repudium remiſerat, nec divertiſſe videtur l. III. de divort. l. XLIX. de reg. jur. Adde locum Tib. cap. XXXV. Pulchre contra Jovianum Hieronym: *Quasdam repudiatas altero nuptiarum die ſtatim nupſiſſe legimus. Uterque reprehendendus maritus, & cui tam cito diſplicuit, & cui tam cito placuit.*

Peregrinarum mercium.] Quales J. C. Marcianus enumerat l. ult. de public. & vectig. quibus cum hi, qui frugi ſunt, facile careant, merito illis vectigal imponitur.

Lecticarum uſum.] Auctor eſt Euſebius Chronicis, Julium Cæſarem, Cleopatra regio comitatu urbem ingreſſa, vetuiſſe lecticis, margaritiſque eas uti, quæ nec maritos, nec liberos haberent, & minores eſſent XL. annis.

Legem præcipue ſumptuariam.] Qualis Fannia, Licinia, & aliæ multæ: etiam Julia, quanquam ad Auguſtum potius referenda, ſi Gellio credimus. nam Cicero ſane eleganti illa ad Gallum epiſtola lib. VII. C. Cæſaris Dictatoris legem, ut puto, intelligit his verbis: *Dum volunt iſti lauti terra nata, quæ lege excepta ſunt, in honorem adducere.* Vide Gellium lib. II. cap. XXXIV. Macrobium lib. III. cap. XVII. Plinium lib. X. cap. V. Athenæum lib. IV.

44. *Jus civile ad certum ord.*] Qua de re notum eſt omnibus etiam Ciceronem cogitaſſe: nam & librum ejus de Jure civili in artem redigendo, citat Gellius lib. I. cap. XXII.

Græcas & Latinas.] Duo codd. *Græcas Latinaſque*, & mox *Pomptinas paludes* pro *Pomtinas*, uti & in optimis codicib. Juvenalis obſervavi Sat. III. & apud Plin. lib. III. cap. V. *A Circejis palus Pomptina eſt, quem locum XXIII. urbium fuiſſe Mucianus ter conſul prodidit.* De Pomptina palude Horatii quoque de Arte locum intelligunt:

- - - ſterilisque diu palus, aptaque remis,
Vicinas urbes alit.

Atqui ſi ita eſt, rem cogitatam tantum a Cæſare tanquam factam narrat Horat. Quod etiam ex Plinio conſtat libro XXVI. cap. IV. ubi magica arte ſiccari eas paludes optat, ut tantum agri ſuburbanæ reddatur Italiæ. Hinc porro Pomptina tribus, quam tamen a Pometia oppido vocatam Feſtus prodidit. Sed & *quam maximas*, aut *quantas maximas*, pro *quas maximas* legendum videtur.

CASAUBON.

43. *Repetundarum convictos etiam ordine ſenatorio movit.*] Ante Cæſarem, qui repetundarum crimine ceciderant, exilio puniebantur & æſtimatione. Lege Julia iidem ordinem amiſerunt & judices ad litem æſtimandam acceperunt. Ordinis ex hac cauſſa amiſſi exempla ſuggerunt Tacitus, Plinii epiſtolæ; hic ipſe in Othone cap. II.

Uſum conchyliatæ veſtis.] Dio in Auguſto, qui eandem legem retulit, τὴν ἐσθῆτα τὴν ἁλουργῆ μηδένα ἄλλον ἔξω τῶν βουλευτῶν τῶν ἐν ταῖς (puto ſcribere τῶν τε ἐν τ.) ἀρχαῖς οὖσιν ἐνδύεσθαι ἐκέλευσε.

Lectica-

publicare, data M. Varroni cura comparandarum ac digerendarum. Siccare Pomptinas paludes: emittere Fucinum lacum: viam munire a mari ſupero per Apennini dorſum ad Tiberim uſque: perfodere Iſthmum: Dacos, qui ſe in Pontum & Thraciam effuderant, coercere: mox Parthis inferre bellum per Armeniam minorem, nec niſi ante expertos aggredi prælio. Talia agentem atque meditantem mors prævenit: de qua prius quam dicam, ea quæ ad formam & habitum, & cultum & mores, nec minus quæ ad civilia
45 & bellica ejus ſtudia pertineant, non alienum erit ſummatim exponere. Fuiſſe traditur excelſa ſtatura, colore candido, teretibus membris, ore paullo pleniore, nigris vegetiſque oculis, valetudine proſpera: niſi quod tempore extremo repente animo linqui, atque etiam per ſomnum exterreri ſolebat. Comitiali quoque morbo bis inter res agendas correptus eſt. Circa corporis curam moroſior, ut non ſolum tonderetur diligenter, ac raderetur, ſed velleretur etiam, ut quidam exprobraverunt: calvitii vero deformitatem iniquiſſime ferret, ſæpe obtrectatorum jocis obnoxiam expertus. Ideoque & deficientem capillum revocare a vertice aſſueverat: & ex omnibus decretis ſibi a ſenatu populoque honoribus, non

Lecticarum uſum & margaritarum ademit.] Euſebii in Chronico verba ſunt, in anno proximo poſt devictam a Cæſare Ægyptum: *Prohibitæ lecticis margaritiſque uti, quæ nec viros nec liberos haberent, & minores eſſent annis quinquaginta quinque.*

44. *Bibliothecas Græcas & Latinas.*] Malim *Bibliothecas Græcam & Latinam.* ut fere libro ſequente.

TORRENT.

Emittere Fucinum.] Id poſtea factum a Claudio. Sueton. cap. II.

Perfodere Iſthmum.] Id ante Cæſarem Demetrius rex, ac poſt eum Cajus & Nero tentarunt, infauſto omnes exitu. Plin. lib. IV. cap. IV. Philoſtrat. vita Apollonii lib. IV. Sueton. Calig. cap. XXI. & Ner. cap. XIX.

45. *Per ſomnium exterreri.*] Duo libri *per ſomnum.* Placet. quis enim non aliquando per ſomnium exterretur? Somni autem inquieti, maxime accedente terrore, morbum ſignificant.

Inter res gerendas.] Libri duo *inter res agendas.* haud dubie melius. Plutarchus eum hoc morbo laboraſſe ſcribit, cum bello Africano aciem ordinaret. Poſſumus etiam ad judicia referre. Unde *rerum actus*, de quo Aug. cap. XXXIII.

CASAUBON.

Siccare Pontinas paludes.] Dio lib. XLIV. initio, inter recenſendos honores, quos Cæſar dictator eſt conſecutus, ita ſcribit: *ὥς τε ταῦτα ἐδέξατο, τά τε ἕλη οἱ τὰ Πόντινα χῶσαι προσέταξαν.* quibus verbis eo loco poſitis quid ſibi auctor ille voluerit, alias viderimus. Meminit & lib. XLV. ubi *Πόμπτινα* vocat, non *Πόντινα*, ut ante. eadem diverſitas apud Latinos.

Ea quæ ad formam & habitum: &c.] Hæc omnia, quo ordine hic proponuntur, eodem poſtea explicantur. Hic perpetuus mos Suetonii, ne ſemel quidem, ut videtur, ejus interpretibus obſervatus.

45. *Fuiſſe traditur excelſa ſtatura.*] Silenus apud Julianum in Cæſaribus de ſtatura & forma hujus: *Καὶ γὰρ, ὡς ὁρᾷς, ἐστὶ μέγας καὶ καλός. ἐμοὶ γοῦν εἰ καὶ μηδὲν ἄλλο, τὰ γοῦν περὶ την κεφαλήν ἐστι προσόμοιος.* Alludit autem ſub Sileni perſona Julianus, ad calvitii deformitatem: nam tales Sileni pingebantur, ut ex Luciano & poetis conſtat. Iiſdem naſum colliſum tribuebant, teſte Seneca & Luciano eodem. ideo Lucretius: *Simula, Silena eſt.* Xenophon Silenos nominat *τῶν ἐν τοῖς σατυρικοῖς αἰσχίστους.*

Teretibus membris.] Succulentis, nec tamen obeſis. Philoſophus hunc habitum *ἔυσαρκον* vocat, & *ἀρθρώδη καὶ διηρθρωμένον*, qui medius eſt inter *τὸν λεπτὸν* & *περίπλεον.*

Nigris vegetiſque oculis.] Qui præ ſe ferrent *τὸ δραστήριον* Cæſaris, *& illum ei proprium vigorem, celeritatemque quodam igne volucrem*, ut Plinius libro ſeptimo. Ariſtoteli quoque oculi nigri, ſed qui ad flavum colorem inclinent, indicium ſunt *ἐυψυχίας.* At in Viterb. codice ſcriptum eſt, *nigris, levibus, volubilibuſque oculis:* quod intelligeremus de iis oculis, quos Græci vocant *ταχὺ κινοῦντας* vel *κινουμένους*: quibus contrarii ſunt, *οἱ πεπηγότες ὀφθαλμοὶ*, oculi fixi. Lego cum vulgatis, *vegetis.* Eginhartus in vita Caroli Magni, quæ tota fere Suetonii verbis & ſententiis ſcripta eſt: *Apice capitis rotundo, oculis prægrandibus ac vegetis.*

Bis inter res agendas correptus eſt.] Semel Africano bello, teſte Plutarcho: iterum fortaſſe Hiſpanienſi contra Pompeji liberos. nam ægrotaſſe eum tunc, auctor Dio. ſed an comitialis fuerit ille morbus, quæri poteſt: nam verba Dionis aliud videntur indicare. *Agendas*, non *gerendas*, habent vett. codd. Ex iiſdem alia ſunt, quæ iſto capite emendavimus.

Circa corporis curam moroſior.] Sic omnes libri: quod teſtari placuit, quia ſcio quibuſdam viſum, *morboſior* eſſe ſcribendum. Ingenioſa, fateor, conjectura: ſed cujus gratiam facimus ipſis nos quidem, nisi

non aliud aut recepit aut uſurpavit libentius quam jus laureæ perpetuo geſtandæ. Etiam cultu notabilem ferunt. Uſum enim lato clavo ad manus fimbriato, nec ut umquam aliter quam ſuper eum cingeretur, & quidem fluxiore cinctura. Unde emanaſſe Sullæ dictum,

niſi prius nos docuerint, quare hæc omnium librorum lectio ferri non queat. *Moroſus* opponitur indifferenti, ut cum mox ait: *Fuiſſe Cæſarem circa victum indifferentem.*

TORRENT.

Lato clavo ad manus fimbriato.] De tunica lati clavi loquitur, quæ proprie ſenatorum erat. Aug. cap. XCIV.

Syllæ dictum conſtat.] Dele *conſtat*, ut in quatuor exemplaribus. Ex eodem fonte illud Ciceronis: *Præcinctura me decepit.* Macrob. lib. Saturnal. II. cap. III. Plura ad Horat. Epod. I.

Diſcinctus aut perdam ut nepos.

CASAUBON.

Jus laureæ perpetuo geſtandæ.] Liber Memmii, *jus laureæ coronæ p* Vide, quæ ſcripſimus ad cap. II.

Etiam cultu notabilem ferunt.] *Cultu n. tabilem* vocat, τὸν ἔχοντα ἐσθῆτας ἐξάλλους, ut de regibus & tyrannis loquitur Polybius in VI. & apud Nicetam, στολαῖς ἐξάλλοις ἐκέκαστο: alibi dicit ἐσθῆτας καινοφανεῖς. *Notabilis* vox frequens Plinio, Senecæ, Tertulliano, & Cypriano. Seneca in Epiſtolis: *Ut inter iſtos nomen invenias, opus eſt non tantum luxurioſam rem, ſed notabilem facere.* De Cæſaris lautitiis Dio libro XLIII. Τῇ τε ἐσθῆτι χαυνοτέρᾳ ἐν πᾶσιν ἐνηβρύνετο, καὶ τῇ ὑποδέσει· καὶ μετὰ ταῦτα ἐνίοτε καὶ ὑψηλῇ καὶ ἐρυθροχρόῳ, κατὰ τοὺς βασιλέας τοὺς ἐν Ἄλβῃ ποτὲ γενομένους, ὡς καὶ προσήκων σφίσι διὰ τὸν Ἴουλον, ἐχρῆτο. *Deliciis fluxioris veſtis ubique luxuriabatur, & calceamentorum: quibus etiam poſtea interdum uſus eſt altioribus & coloris rubri, more regum, qui Albæ quondam regnarunt, ut qui propter Julum ipſos genere contingeret.* Sic legi debet hic locus & exponi: nam vulgo poſtrema verba peſſime eduntur ſic: ὡς καὶ προσῆκον σφίσι διὰ τὸν Ἰούλιον. Interpretibus facile condonarem, ſi hoc tantum peccaſſent, quod depravatam lectionem ſecuti ſunt: ſed ὑπόδεσιν verti *cincturam fluxiorem*, quis ferat? Nihilo conſultius verba ὑψηλῇ & ἐρυθροχρόῳ ad ἐσθῆτα retulerunt: cum perſpicuum ſit ad ὑπόδεσιν referri. Quid eſt autem veſtis ὑψηλή? atqui de calceamentis Cæſaris loquitur auctor: ea namque ſunt, quæ vel humilia vel alta dicuntur a veteribus, ut libro ſequente annotamus. Ὑποδέσεις ἐρυθρόχροοι ſunt calcei punicei, quibus interdum utebantur proceres Romani in triumphis & pompis ſolennibus. In lapide poſito memoriæ C. Marii: DE. MANUBIEIS. CIMBRICEIS. ET. TEUTONICEIS. ÆDEM. HONORI. VICTOR. FECIT. VESTE. TRIUMPHALI. CALCEIS. PUNICEIS. A regibus Albanis eſſe exemplum, ait Dio: a quibus etiam mulleorum calceorum uſum patritii Romani didicerant, ut ait Feſtus. Regum igitur Albanorum inſigne quondam fuere calcei punicei, ut Imperatorum novæ Romæ πέδιλον ἐρυθρὸν ſive φοινικοβαφές, quod ex Zonara, Niceta aliiſque conſtat.

Uſum enim lato clavo ad manus fimbriato.] Fimbriæ inter ea, per quæ veſti ornatus accedit, & pretium. ſic paludamenta ducum fimbriata erant. Plutarchus Lucullo κροσσωτὴν ἐφεστρίδα vocat. Sic & mappis additæ fimbriæ. Petronius inter Trimalcionis delicias recenſet, *mappam laticlaviam, fimbriis hinc atque illinc pendentibus.* nam mappas quoque purpura & auro clavatas fuiſſe conſtat. Latum clavum ad manus fimbriatum interpretor, χιτῶνα πλατύσημον, χειρίδας ἔχοντα μέχρι τῶν καρπῶν κροσσωτάς. *tunicam laticlaviam, manicas ad manus uſque habentem, eaſque fimbriatas.* vel intelligit tunicam ἀνάκωλον ſimpliciter, id eſt, ea longitudine, ut brachia tegeret. prior interpretatio eſt melior. Atque hic obſervent ſtudioſi antiquitatis, quod hodie ſolet a nonnullis obſervari, ut induſiorum noſtrorum extremæ manicæ ornatus cauſſa acceſſionem habeant limbi e ſubtiliore tela, vel ſimplicis atque expanſi, vel in denſas plicas corrugati; ejus moris veſtigium fuiſſe in iſtis tunicis ad manus fimbriatis. Sic earum corrugatarum telarum, quæ collo aptantur, imago fuit in ſubuculis vel interioribus tunicis, circa collum fimbriatis, quibus uſos eſſe veteres obſervamus. Nam talem olim fuiſſe formam interiorum veſtium, quibus honeſtiores utebantur, declarant verſus Lycophronis, quibus indumentum illud deſcribit non habens exitum, quo uſa eſt Clytæmneſtra in tollendo Agamemnone. Sic enim ille doctiſſimus Poëta:

Ὁ μὲν γὰρ ἀμφὶ χύτλα τὰς δυσεξόδους
Ζητῶν κελεύθους αὐχενιστῆρος βρόχου
Ἐν ἀμφιβλήστρῳ συντεταργανωμένος
Τυφλαῖς ματεύσει χερσὶ κροσσωτοὺς ῥαφάς.

Hæc obiter de iſto loco: nam ſi Deus dederit vitam & otium, alibi totam illam antiquitatis partem pulcherrimam diligenter tractaturi ſumus.

Nec ut unquam aliter.] Trajectio, in qua frequens Suetonius, pro *nec unquam aliter, quam ut ſuper eum cingeretur.*

Unde emanaſſe Syllæ dictum.] Scribo, *unde manaſſe S. d.* niſi tamen verbo *emanare* uſus Suetonius, ut ſignificaret, non palam id eſſe dictum a Sylla; ſed vocem ab ipſo editam in ſecretis colloquiis, poſtea eſſe evulgatam. Verbum *conſtat* ſuſtulimus, auctoribus libris noſtris & Torrentii.

TOR-

46 ctum, optimates ſæpius admonentis, ut male præcinctum puerum caverent. Habitavit primo in Suburra modicis ædibus: poſt autem pontificatum maximum, in Sacra via domo publica. Munditiarum lautitiarumque ſtudioſiſſimum multi prodiderunt. Villam in Nemorenſi a fundamentis inchoatam, magnoque ſumtu abſolutam, quia non tota ad animum ei reſponderat, totam diruiſſe, quamquam tenuem adhuc & obæratum. In ex-
47 peditionibus teſſellata & ſectilia pavimenta circumtuliſſe. Britanniam petiſſe ſpe margaritarum,

TORRENT.

46. *In domo publica.*] Sic enim pontificem habitare neceſſe erat. de quo Aug. cap. LXXVI.

Villam in Nemorenſi.] Ejus villæ adhuc exſtant veſtigia non procul Aricia. Cic. ad Att. lib. VI. epiſt. I. *Cæſarem in Nemorenſi reædificando diligentiorem fore.* ſic enim Turnebus legit, quem ſequor.

Teſſellata & ſectilia.] Hæc pro iiſdem uſurpare videtur Vitruvius lib. VII. Sunt, qui *teſſellata* ex marmore; *ſectilia* ex citro, ebore, acere, teſtudine, & id genus aliis, fieri ſolere contendant. Quaſi vero non & marmora ſecentur. *Teſſellata* igitur, quæ teſſellis ſtrata ſint, expono (Græce λιθόςρωτα vocantur) *ſectilia* vero, quæ ſecto vel marmore, vel citro, vel ebore, vel acere junguntur. Vide Iſidorum lib. XIX. cap. XIII. & XIV.

CASAUBON.

46. *Villam in* Nemorenſi *a fundamentis inchoatam.*] Diomedes Grammaticus libro primo: *Inchoavi*, inquit, *ab inchoo. Sic dicendum putat Julius Modeſtus, quia ſit compoſitum a* chao, *initio rerum. At Verrius & Flaccus in poſtrema ſyllaba aſpirandum probaverunt.* Cohum *enim apud veteres mundum ſignificat: unde ſubſtractum* incohare. *Tranquillus quoque his aſſentiens libello ſuo pleniſſime*, ædem incohatam *ita diſſeruit.* in libris vulgatis male *choaum* pro *cohum* eſt editum. Adi Feſtum in ea voce. male etiam *inchoare* & *inchoatam*, contra apertiſſimam Diomedis mentem. Fortaſſe etiam ſcribendum: *At Verrius Flaccus aliique in p.* vel, *At Verrius Flaccus in p. ſ. a. probavit.* Verum hanc emendationem incertiorem reddit, quod Flacci cognomen non in Verria ſolum gente, ſed aliis multis fuiſſe repertum, conſtat. Apparet autem ex iſto Diomedis loco, exſtitiſſe olim aliquod de re grammatica Suetonii opus, cujus hodie etiam titulus nobis incognitus. Sane *ædem inchoatam* dicit Tranquillus in hoc opere libro ſecundo cap. LX. ſed non illum locum reſpicit Diomedes, neque ullum alium iſtorum librorum. Quin autem ubique in noſtro ſcriptore *incohare* & *incohatum* ſit ſcribendum, nemini dubium eſſe poteſt, ſi ſua Diomedi conſtat fides. Vide amplius Servium, alioſque Grammaticos.

In expeditionibus teſſellata & ſectilia pavimenta circumtuliſſe.] *Pavimenta* appellat, materiam pavimentorum, ipſa ſectilia marmoriſque cruſtas & teſſeras, quas circumferebat Cæſar in expeditionibus, ut quoties caſtra metandum eſſet, pavimenta ex iis in prætorio, picta de muſivo, ſtruerentur. Quare oportuit eum in ſuo miniſterio muſivarios artifices ſemper habere. At apud veteres, ut teſtatur Polybius, militum gregariorum munus fuit in exſtruendis caſtris, τὸν περι τὴν σκηνὴν τόπον ἐδαφίζειν. Poſtea luxuria etiam in caſtra perrupit: adeo ut inter ſarcinas ducum iſta pavimenta fuerint. Ideo prætorium in caſtris templo propter magnificentiam Joſephus comparat. Plinius quoque lib. XXXVII. *Neronis viatoria cubicula unionibus conſtructa queritur.* inde illa indignatio Horatii de caſtris Antonii:

Interque ſigna turpe militaria
Sol aſpicit conopeum.

Juvenalis de Othonis ſpeculo:

Res memoranda novis annalibus, atque recenti
Hiſtoria, ſpeculum civilis ſarcina belli.

Idem Poëta de patina Domitiani:

- - - ſed ex hoc
Tempore jam, Cæſar, figuli tua caſtra ſequantur.

Fatetur Vellejus inter Tiberii ſarcinas belli Germanici Pannonicique tempore, fuiſſe *balnei inſtrumentum*: ſed in uſum ægrotorum, non ad delicias Tiberii: *Jam medici*, ait II. CXIV. *jam apparatus cibi, jam in hoc ſolum importatum inſtrumentum balnei, nullius non ſuccurrit valetudini.* Tranſiit hic luxus ex oriente & caſtris regum Aſiæ ad Romanos. nam talem fuiſſe illorum, non in urbe ſolum, ſed militiæ quoque, vitam, nemo ignorat, qui Græcos auctores legerit. Trebellius Pollio de Herode tyranno: *Homo omnium delicatiſſimus, & prorſus Orientalis & Græcæ luxuriæ, cui erant ſigillata tentoria, & aurati papiliones, & omnia Perſica.* Suſtulit ex parte hunc luxum Adrianus Imper: *ac triclinia de caſtris & porticus, & cryptas & topia diruit*, inquit Spartianus. Porro apud veteres in frequentiſſimo uſu teſſellata pavimenta fuere: adeo ut cum plurima eorum eſſent genera, iſtud tamen pavimenti appellationem propriam ſibi fecerit. Itaque auctor Gloſſarii vertit pavimentum, ψηφολόγημα, ψηφολόγητον ἔδαφος: & Cicero porticum domus ſuæ *pavimentatam* ait fuiſſe in ea pro Domo, non ſimpliciter ἐςρωμένην, ſed *arte pavimenti*, ut Lucilius dixit. Græci quoque λιθόςρωτον hoc pavimenti genus vocarunt, & e Latinis Varro ac Plinius. Apud Homerum quidam e veteribus Criticis κραταίπεδον ita interpretati ſunt, nempe λιθόςρωτον ἔδαφος ἢ ψηφολογικόν. Sed falli eos opinor: neque enim tam antiqua apud Græcos ea ars fuit, ut ex Plinio

diſcere

rum, quarum amplitudinem conferentem, interdum ſua manu exegiſſe pondus. Gemmas,

diſcere licet. In Euangelio Johannis capite XIX. λιθόστρωτον puto eſſe judicii locum, qui in Rabbinorum ſcriptis appellatur לשכה דגוית q. d. *cubiculum cæſuræ*, propter ſectilia & cæſi marmoris fruſta, quibus elaboratum ejus pavimentum. etſi poteſt vox Hebraica aliter exponi : de quo nolim contendere. Apulejus : *Pavimenta ipſa lapide pretioſo cæſim diminuto, in varia picturæ genera diſcriminantur.* Gregorius Nyſſenus in Theodorum Teronem martyrem : Καὶ ὁ τῶν ψηφίδων δὲ συνθέτης ἱστορίας ἄξιον ἐποίησε τὸ πατούμενον ἔδαφος καὶ τοῖς αἰσθητοῖς οὕτω φιλοτεχνήμασιν ἐνευπαθεῖ τὴν ὄψιν. Elegantiſſime vero S. Auguſtinus libro primo de Ordine cap. pr. *Si quis tam minutum cerneret, ut in vermiculato pavimento nihil ultra unius teſſellæ modulum acies ejus valeret ambire, vituperaret artificem, velut ordinationis & compoſitionis ignarum : eo quod varietatem lapillorum perturbatam putaret, a quo illa emblemata in unius pulchritudinis faciem congruentia ſimul cerni colluſtrarique non poſſent.* Meminit hujus artis etiam Epiphanius in diſputatione contra Valentinianos. De his pavimentis non repetam, quæ pridem ſunt ex Plinio, Vitruvio & Iſidoro, notata aliis. Sed non prætermittam corruptum in illorum mentione locum apud Senecam patrem, nemini adhuc emendatum. Lego igitur ſic hæc verba ex Controverſia prima libri ſecundi : *In hos ergo exitus varius ille ſecatur lapis, ut tenui fronte parietem tegat : at quam junctus ſevere ! in hos pavimentum teſſellatum, & infuſum tectis aurum.* elegantiſſime Papirius Fabianus, cujus illa ſunt, poſtquam dixit opes eximias ſæpe maximorum malorum eſſe cauſſam, ſubdit hoc ἐπιφώνημα, quod in libris omnibus corruptiſſime ſcriptum eſt. Illud, *at quam ſevere junctus!* Perſiano ſimile : *Per læve ſeveros effundit junctura ungues.* & eſt διὰ μέσου inſertum venuſte, ut in eo genere ſcriptorum non pauca. ita autem reſtituimus ex illa corrupta lectione, *tegat quam vinctus ſevere*, & pro *pavimentum levatum* facimus pavimentum *teſſellatum*. Illud quoque nondum cuiquam explicatum, quid ſibi doctiſſimus auctor Gloſſarii velit, cum ſcribit : *Pavimentum*, χονδροβολίας ἔδαφος. nam ita potius ſcribendum. puto autem intelligi pavimenti genus, quod non teſſellis, ſed quaſi punctis ac granis ſit diſtinctum, & vermiculatum. Nicetas Choniates lib. tertio : πλάκας ῥανίσιν ἐστιγμένας ποικιλοχρόοις appellat. Idem auctor eo loco τυπώματα διὰ ψηφίδων nominat, figuras opere muſivo, &, ut loquitur idem alibi, ψηφίδων μικρῶν ἐπιθέσεσιν, vel ἐνθέσεσι λεπταῖς ψηφίδων expreſſas : quod interpres non eſt aſſecutus. Gregor. Naz. dixit οἰκίας καταστραπτούσας ψηφῖδος λεπτῆς διαθέσει. Galenus διατυποῦσθαι ſic uſurpat in exhortatione ad Artes : Τὸ δὲ ἔδαφος ἐκ λίθων πολυτελῶν συγκεῖσθαι, θεῶν εἰκόνας ἔχον ἐξ αὐτῶν διατετυπωμένας. Procopius lib. primo de Ædificiis Juſtiniani : Ἐναβρύνεται δὲ ταῖς γραφαῖς ἡ ὀροφὴ πᾶσα οὐ τῷ κηρῷ ἐντακέντι τε καὶ διαχυθέντι ἐνταῦθα παγεῖσα, ἀλλ᾽ ἐναρμοσθεῖσα ψηφῖσι λεπταῖς τε καὶ χρώμασιν ὡραϊσμέναις παντοδαποῖς· αἱ δὴ τά τε ἄλλα καὶ ἀνθρώπους ἀπομιμοῦνται, Nicetas idem in Johanne Comneno verbum εἰκονίζεσθαι ſic uſurpat. Ὅσα, inquit, οἱ ἐν τοῖς τοίχοις διὰ ψηφίδων καὶ χρωμάτων εἰκονιζόμενοι. Eruditus interpres ψηφῖδας hic putavit eſſe *penicillum*. magno errore. ſunt enim teſſellæ, vel laminæ aut bracteæ : nam in Manuele Comneno memorat auctor ille ἀνδρῶνας ψηφίδων χρυσῶν ἐπιθέσεσι διαυγάζοντας. quod vel de bracteis aureis, quibus parietes illiti, accipiendum ; vel de teſſellis inauratis. Nicetas alibi vocat τοὺς ἐκ τῶν ψηφίδων καὶ χρωμάτων ὡραϊσμούς· & in Iſaacio Angelo τὰ διὰ ψηφίδων ποικιλοχρόων ἔκτυπα. *Teſſellas* Græci etiam βόλια dixerunt : unde eſt χονδροβολίας vox in Gloſſarii ſuperiore loco, pro minutiſſimo genere harum teſſellarum inſtar granorum. nam id eſt χόνδρος. hic in Gallia vocamus *marqueterie*. Gloſſarium : *Teſſellæ* : βόλια καὶ ψῆφοι. Sunt & teſſeræ luſoriæ, βόλια. Hieronymus in vita Apollonii : *Prophetes tabula ludit & teſſeris?* Græcus interpres : προφήτης τάβλᾳ καὶ βολίοις παίζει. *In Græco Epigrammate* εἰς τάβλαν :

Ἑζόμενος μὲν τῇ δὲ παρ᾽ εὐλαΐγγι τραπέζῃ,
Παίγνια κινήσεις τερπνὰ βολοκτυπίης.

Heſychius : Πεττοὶ βόλια, ἐν οἷς ταυλίζουσι. *Sectilia*, quæ *Suetonius* aliique nominant in hoc argumento, ſunt, quas Palladius in Majo, *tabellas marmoreas aut paginas*. Hebræi, אבן משכית, ut Proverbiorum cap. XVIII. II. doctiores interpretantur Græci, ἀβάκια & ἀβακίσκους. Moſchio apud Athenæum & Euſtathium : ταῦτα δὲ πάντα δάπεδον εἶχεν ἐν ἀβακίσκοις συγκείμενον ἐκ παντοίων λίθων. Euſtathius hanc notam ſubjicit : Ὅρα τὸ ἀβακίσκοις, ἐξ οὗ δῆλον ὡς οὐ μόνον ἐπὶ σανίδος ὁ ἄβαξ καὶ τὸ ἀβάκιον, ἀλλ᾽ ἰδοὺ καὶ ἐπὶ λίθων ὁμοιοσχημόνων ξυλίνοις ἄβαξι. Gregorio Nazian. πλάκες, ut Latinis paginæ dicuntur, in lepidiſſimis verſiculis, quibus animam alloquens ſuam, Viſne, inquit, ψηφίδων σοφισμοὺς Κινουμένων σχεδόν τι ; Λάμψιν πλακός τε ἀνθηρᾶς Ἀντίχροον πολύχρουν. Etiam Romanis ſcriptoribus *abaci* inter parietum ornamenta ; Plinio libro XXXV. cap. primo, Vitruvio lib. VII. cap. III.

TORRENT.

47. *Exegiſſe pondus.*] Margaritarum dos omnis in candore, magnitudine, orbe, lævore, pondere, quanquam ſemunciæ pondus raro excedant. Plin. lib. IX. cap XXV. ubi tamen de margaritis Britannicis non ſatis ei cum Suetonio convenit.

TOR-

mas, toreumata, ſigna, tabulas operis antiqui, ſemper animoſiſſime comparaſſe: ſervitia rectiora politioraque, immenſo pretio, & cujus ipſum etiam puderet, ſic ut rationibus vetaret

TORRENT.

Animoſiſſime comparaſſe.] Sic *animoſe licere* Paulus J. C. l. XXIX. Fam. erciſcundæ. *emptor animoſior* Javolenus l. XXXVI. Mandati. *audax ſponſio* Juven. Sat. IX.

Dedecorum pretioſus emptor.

Horat. lib. III. Od. VI. Exemplum de Cæſare apud Plin. XXXV. cap. XI. Ajacem enim & Medeam ei Timomachus vendidit LXXX. talentis.

Servitia recentiora.] Liber Vaticanus *retiora*, & adſcriptum margini *rectiora*. Ac ſane in confeſſo eſt mancipia novitia adhuc, ac proinde ad omne miniſterium aptiora, tritis jam & veteranis eſſe præferenda, quod l. XXXVII. de Ædilitio edicto Ulpianus tradit; ſed tamen aliud ſubeſſe debuit, propter quod ad tantum pretium iretur. quæ ratio ſcriptorem movit, ut pro *recentiora*, *rectiora* ſubſtitueret. Verum cum dictio *politiora*, quæ ſubjungitur, eundem ſenſum melius exprimat, nihil muto. ſic enim & *novitiæ puellæ* apud Terent. Eunucho Act. III. Sc. V. veteranis oppoſitæ. Quamquam & alio modo recentiora exponere poſſumus, quæ ætate integra ſunt. Auctor eſt Plin. lib. VII. cap. XXXIX. Daphinidem Grammaticum venditum fuiſſe HS. (quo nullum ante majus ſervi pretium) III. M. DCC. Vide Aug. cap. XLII. Juſto Lipſio ad Taciti Agricolam viſum legere *decent ora*.

Ut rationib. vetaret.] Libri duo, *ut rationib. quoque vet. inf.* Quæ particula ſenſum juvat. nam qui frugi erant, quæcunque quovis modo expenderent, rationibus inferebant. Inf. Veſp. cap. XXII.

CASAUBON.

47. *Animoſiſſime comparaſſe.*] προθυμότατα. ſic *animoſus corruptor* apud Tacitum: apud Ælianum, ἀνδρείως καὶ ἀνδρικῶς: apud Dionem ἀθυμότερον pro lentius & remiſſius.

Servitia recentiora politioraque.] Non eadem ratio erat ſervorum, qui elegantiæ & floris ætatis cauſſa emebantur, atque eorum qui miniſterii. In his novitia ſervitia pretio cedebant veteranis, quod vel Græcorum vox νεώνητος indicat: dicitur enim per contemtum atque ἐντελισμὸν, ut ἀλώνητος. Claudianus eleganter de Eutropio:

Tot tranſlata jugis ſummiſit colla vetuſtum
Servitium ſemperque novum.

In illis recentiſſima quæque gratiſſima, & jucundiſſimi uſus: nempe quorum formam vultumque adhuc nullus labor deturparat, & ut Græci dicerent, ὧν τὰς ὄψεις οὐδεμία ταλαιπωρία ἠφανίκει. Ea fine excogitata multa a veteribus mangonicæ artis peritis, ut quam tardiſſime flos ille ætatis, quo pædagogia iſta commendabantur, præteriret. Hi ſunt, quos Græci dicunt ἀωρυλλίους; ut quidem ſcripſere nonnulli veterum criticorum in verſu hoc Cratini ex Archilochis, Ἐρασμονίδη Βάθιππε τῶν ἀωρυλλείων. ſed ſcripſerunt alii ἀωρολείους, ut apud Hephæſtionem. ita & Ælianus nominat, de Animalibus lib. XIII. cap. XXVII. Vim Græci illius nominis exprimit Seneca pluribus verbis epiſt. CXXII. *Non vivunt contra naturam, qui expetunt, ut pueritia ſplendeat tempore alieno? Quid fieri vel crudelius vel miſerius poteſt? Nunquam vir erit, ut diu virum pati poſſit: & cum illum contumeliæ ſexus eripuiſſe debuerat, ne ætas quidem eripiet.* Quare placet lectio omnium vett. *recentiora*: nec placet eruditiſſimorum virorum emendatio. *Recentia* ſervitia opponuntur exoletis & σκληροῖς καὶ παρηβηκόσι, quos Græci κόλλοπας dixerunt. In libro Cujacii fuit *rectiora pollucioraque*. perperam. *pollectiora* fortaſſe aliquis arripiat antiquarius, pro ſelectiora, meliora; qualia ſunt, quæ diis conſecrantur & polluta dicuntur. Nobis veriora quam acutiora ſunt cordi; cum præſertim videantur veteres vocem *pollucius* in contrario ſenſu poſuiſſe. Plautus Rudente: *Non ego ſum polluta pago.* id eſt, communis & omnibus expoſita.

Immenſo pretio.] Juvenalis Sat. V.

Flos Aſiæ ante ipſum pretio majore paratus.
Quam fuit & Tulli cenſus pugnacis & Anci.
Et, ne te teneam, Romanorum omnia regum
Frivola: quod cum ita ſit, tu Gætulum Ganymedem
Reſpice, cum ſities; neſcit tot millibus emtus
Pauperibus miſcere puer: ſed forma, ſed ætas
Digna ſupercilio.

Et cujus ipſum puderet, ſic ut rationibus vetaret inferri.] Romanorum olim tanta in tabulis conficiendis diligentia, ut quacunque ex cauſſa pecuniam expendiſſent, id in rationes referrent. Ideo dixit Seneca in epiſtola prima, luxurioſo diligenti rationem conſtare impenſæ. Inde ſæpe uſu venit, ut ſcelus pecunia redemtum, aliaque talia, ex ipſis auctorum tabulis probarentur. vel vide orationem pro Cluentio. Nullas vero tabulas conficere, quod olim de Antonio oratore vulgo creditum, hominis eſſe parum frugi, extra quam ſi quis filiusfamilias eſſet, judicabant. Auctor Cicero pro Cœlio. Circumſpectiores, quod in Cæſare hic notat Suetonius, quæ male & nequiter emerant, vetabant rationibus inferri a diſpenſatore: aut ſub falſis titulis jubebant inferri, ut de Veſpaſiano ſcribitur lib. VIII. XXII. Diſpenſator enim non ſolum æra ſingula annotabat, ſed ſingulis ſummis titulum præponebat, unde conſtaret impenſæ ratio. Poſidonius in vita Auguſtini: *Nunquam clavem, nunquam anulum in manu habens: ſed ab eiſdem domus præpoſitis cuncta & accepta*

taret inferri. Convivatum aſſidue per provincias duobus tricliniis : uno, quo ſagati pallia- 48
tive; altero, quo togati cum illuſtrioribus provinciarum diſcumberent. Domeſticam diſciplinam in parvis ac majoribus rebus diligenter adeo ſevereque rexit, ut piſtorem, alium quam ſibi panem convivis ſubjicientem, compedibus vinxerit : libertum gratiſſimum, ob adulteratam equitis Romani uxorem, quamvis nullo querente, capitali pœna adfecerit. Pu- 49
dicitiæ ejus famam nihil quidem præter Nicomedis contubernium læſit, gravi tamen & perenni opprobrio, & ad omnium convitia expoſito. Omitto Calvi Licinii notiſſimos verſus :

Bithynia quicquid
Et pædicator Cæſaris umquam habuit.

Præ-

cepta & erogata notabantur, quo ſciretur, quantum acceptum, quantum diſpenſatum fuiſſet, vel quicquid indiſpenſatum vel diſpenſandum remanſiſſet : in multis titulis magis illius præpoſiti domus fidem ſequens, quam probatum manifeſtatumque cognoſcens. Quos vocat Poſidonius *titulos*, Cicero *articulos* dicit, ut ad Characteres Theophraſti notabamus; Græci vulgo ἐλλόγια. Λόγιον eſt ſcriptura brevis, ſententia una, cujuſmodi fere oracula erant. ἐλλόγιον eſt ſcriptio cauſſam expenſæ pecuniæ continens, ſive præfatio ſummæ, quæ in rationes refertur. Ἐλλογίȣ exemplum & formula eſt in illo Veſpaſiani, cap. XXII. *Veſpaſiano adamato* HS. CCCC. item illo ex rationibus Periclis, exagitato a Comicis : Εἰς τὸ δέον ἠνάλωσα τοσȣ̃τον. hinc ἐλλογίζεσθαι, inferre rationibus cum indicatione cauſſæ. Latine *imputare*. Paulus dixit καταλογισασθαι. Gloſſar. *imputat*, ἐλλογεῖ. Græcis Juriſconſultis ἀντέλλογος eſt compenſatio, & ἐλλόγιμος ανθρωπος, quem nos lingua vernacula dixerimus, *homme de miſe*. Vocem ἐλλόγιον Romani fecerunt uſu ſuam, & dixerunt *ellogium*, vel quod pridem obtinuit, *elogium*. nam plane nihil elogium quam ἐλλόγιον, titulus, cauſſæ brevis explicatio, præfatio : & ita ſæpe Valerius Maximus *præfationem* pro elogio uſurpat. Hanc veram eſſe cenſemus vocis *elogium* originem, de quo tam multi ante nos quæſiverunt.

TORRENT.

48. *Sagati palliative.*] Gallos, Græcoſque his verbis intelligit. nam & pallium Græcorum erat, quod nemo ignorat; ſagum vero etiam Gallorum. De quibus Strabo: σαγηφορȣ̃σι δὲ, καὶ κομοτροφȣ̃σι. Sic Turneb. Adverſar. II. cap. XXVII. Adde Virgil. lib. VIII. Æneid. Gallorum habitum deſcribentem :

Aurea cæſaries ollis, atque aurea veſtis:
Virgatis lucent ſagulis. Tum lactea colla
Auro innectuntur.

Trebell. vita Gallieni : *Perdita Gallia arriſiſſe, & dixiſſe perhibetur, Non ſine trabeatis ſagis tuta reſp. eſt.* Tacit. de moribus Germanorum : *Nudi, aut ſagulo leves; nulla cultus jactatio.* Sagum igitur ad Romanos a Gallis venit, hodieque nomen apud nos manet.

In parvis ac majoribus rebus.] Carolus Langius vir doctiſſimus, *ac majoribus* rejiciebat.

Nullo querente.] Liber unus *quærente*, id eſt, quæſtionem exercente. unde *anquirere*. ſed nihil muto.

49. *Pudicitiæ famam.*] Notus in Cæſarem Catulli verſus :

Es impudicus, & vorax, & helluo.

Vide inf. Aug. cap. XXXIV.

Bithynia quicquid.] Finis eſt verſus hexametri, cui ſubjungitur integrum pentametrum, *Et pædicator Cæſaris umquam habuit.*

CASAUBON.

48. *Uno, quo ſagati palliative; altero, quo togati cum illuſtrioribus provinciarum diſcumberent.*] Per *ſagatos & palliatos* placet Turnebo Gallos & Græcos intelligi : ſagum enim eſſe Gallorum. Hac ratione poſſumus & Hiſpanos intelligere; nam & illorum ſagum erat. Præter Strabonem in III. Appianus Ibericis : Χρῶνται διπλοῖς παχέσιν, ἀντὶ χλαμύδων αὐτὰ περιπορπώμενοι, καὶ τȣ̃το σάγον ἡγȣ̃νται. Mox : ἐνεπορπήσατο σαγον Ἰβηρικῶς. Inde apud Val. Max. *ſagulum Hiſpanum.* Sed non puto hanc auctoris eſſe mentem. De comitibus enim Cæſaris hoc accipio, & ea, quæ dicebatur cohors prætoria. Igitur per togatos intelligit honeſtiores e comitatu : puta, conſulares, prætorios, ſenatores, legatos, & quæſtores : per *ſagatos & palliatos*, turbam omnem reliquam. Sagatos fuiſſe Romanos caſtra ſequentes, tam notum eſt, quam duces paludatos. Sic Vitellius, ut eſt ſcriptum lib. VII. Romam introiit paludatus ipſe, comitibus ſagulatis. quin ipſæ quoque ducum chlamydes ſaga appellantur ab Horatio & Val. Max. Non eſt autem dubium, Cæſarem in ſuo miniſterio ac comitatu Græcos aliquos habuiſſe, ut medicos aut alios eruditos viros, quorum convictu delectaretur. hi ſunt quos *palliatos* nominat.

49. *Præter contubernium Nicomedis.*] Serio hanc maculam a ſe amovet Cæſar, apud Dionem lib. LXIII.

TOR-

Prætereo actiones Dolabellæ & Curionis patris, in quibus cum Dolabella *pellicem reginæ*, *ſpondam interiorem regiæ lecticæ*, ac Curio *ſtabulum Nicomedis*, *& Bithynicum fornicem* dicunt. Miſſa etiam facio edicta Bibuli, quibus proſcripſit collegam ſuum, *Bithynicam reginam: eique regem antea fuiſſe cordi*, *nunc eſſe regnum.* Quo tempore, ut M. Brutus refert, Octavius etiam quidam, valetudine mentis liberius dicax, conventu maximo cum Pompejum regem appellaſſet, ipſum reginam ſalutavit. Sed C. Memmius etiam ad cyathum & vinum Nicomedi ſtetiſſe objecit, cum reliquis exoletis pleno convivio

TORRENT.

Actiones Dolabellæ & Curionis patris.] Supra cap. IX. orationes C. Curionis patris commemorat. Sic *actiones* Ciceronis in Verrem. Dolabellam autem non eum intelligo, quem Cæſar adoleſcens accuſavit; ſed eum potius, qui occiſo Cæſare conſulatum occupavit: tantiſper dum libertati ſtudere viſus eſt, ſummopere eo tunc nomine a Cicerone laudatus, Fam. lib. IX. epiſt. XIV. & ſæpe alibi. Idem Dolabella ſeditione etiam contra Trebellium, Cæſarem in Ægypto tunc agentem, offendit. de quo prolixe Dion lib. LII. Atque eo fortaſſe tempore Cæſarem criminatus eſt.

Pellicem reginæ.] Plures libri *pelicem*, ut ſemper in optimis quibuſque MSS. exaratum inveni, quamvis, ſive a pelliciendo, quod Feſtus voluit, ſive a Græco παλλακὴ dicatur, duplici *ll* ſcribi debeat. Vide Gell. lib. IV. cap. III. & J. C. l. CXLIV. de Verb. ſignif. Reginæ autem pellicem dixit, ut apud Ovid. lib. VI. Metam. Philomela: *Pellex ego facta ſororis.* Cicero pro Cœlio: *Uxor generi, noverca filii, filiæ pellex.* Quod qui non intellexit, pro *pellicem reginæ* ſcripſit *pellicem regiam.* ſic enim in quodam lib. MS.

Spondam interiorem.] Quod uxores, & qui quæve uxorum loco, interius cubabant. Sic Horat. II. Od. III. *Interiore nota Falerni* dixit, quod optima vina interius remotiuſque condebantur Idem Epod. II. *Extrema & in ſponda cubet.*

Quib. proſcripſit collegam.] De edictis Bibuli ſup. cap. IX. & XX. Male autem, qui *perſcripſit* pro *proſcripſit* legunt. *Proſcribere* enim nihil aliud eſt, quam publice quid ſcripto proponere. Et quidem de Bibuli edictis ſic Cic. ad Att. II. epiſt. XXI. *Itaque Archilochia in illum Bibuli edicta ita populo ſunt jucunda, ut eum locum, ubi proponuntur, præ multitudine eorum qui legunt, præterire nequeamus; ita ipſi acerba, ut tabeſcat dolore.* Archilochia vocat, quæ Archilochi poëtæ maledicentiſſimi jambos acerbitate æquare poſſent, ut in quadam ad Fabium Gallum epiſt. lib. VII. *Tigellium Calvi Licinii Hipponacteo præconio addictum*, cum ſcribit, dignum Hipponacte ſtylum ſignificat.

Sed C. Memmius.] Sic plures libri, unus *& C. Memmius.* Legendum puto: *Sed & C. Memmius*, deleta dictione *etiam.* De C. Memmio inf. cap. LXXIII.

Ad cyathum & vinum.] Ad cyathum dixiſſe ſatis erat. Horat. I. Od. XXIX.

Puer quis ex aula capillis
Ad cyathum ſtatuetur unctis?

Juvenal. Sat. XIII.

Nec puer Iliacus, formoſa nec Herculis uxor
Ad cyathos.

Propert. etiam, *Lygdamus ad cyathos.* Græci κυαθίζειν vocant. Duo igitur illa verba, *& vinum*, inepti alicujus gloſſemate margini aſſcripta, in contextum venere. Adde locum C. Gracchi apud Gellium cap. XII. lib. XV.

CASAUBON.

Spondam interiorem regiæ lecticæ.] Scipio Africanus in oratione in P. Sulpicium Gallum hominem delicatum: *Qui in conviviis adoleſcentulus cum amatore, cum chiridota tunica interior accubuerit; qui non modo vinoſus, ſed viroſus quoque ſit: eumne quiſquam dubitet, quin idem fecerit, quod cinædi facere ſolent?*

Edicta Bibuli, quibus proſcripſit collegam ſuum.] Cave, aſſentiaris eruditiſſimo viro, qui emendat *præſcripſit.* quod ferri non poteſt. Mirum, fugiſſe tantum in his litteris virum, quid ſit *proſcribere.* Dicitur enim de edictis magiſtratuum loco publico poſitis. Cicero ad Atticum: *Proſcripſit ille, ſe per omnes dies comitiales de cœlo ſervaturum.* Græci pro eo προγράφειν dicunt & στηλιτεύειν.

VARIOR.

49. *Spondam interiorem regiæ lecticæ.*] Duo lecti latera ſpondæ Latinis, Græcis ἐνήλατα. harum altera interior, altera exterior dicta. interior quæ propius parietem erat, quæ eminenti pluteo erat munita, hinc & pluteus proprie dicebatur. Iſidorus: *Sponda exterior pars lecti; pluteus autem interior.* Ad pluteum mulieres cubabant; viri autem in priore ſponda, quæ & exterior. Tibullus:

Et preſſus prior eſt interiorque torus.

Marcellus: *Fæcula, qua infectores utuntur, ſi ſpondam lecti priorem, qua vir cubat, perunxeris & ſpondæ medio inligaveris, dolores capitis remediabis.* Artemidorus: τῶν δὲ ἐνηλάτων τὸ μὲν ἔσω ἰδίως τὴν γυναῖκα, τὸ δὲ ἔξω τὸν ἄνδρα. ſic legimus apud Artemidorum. Nam hodie vice verſa ſcriptum eſt: τὸ μὲν ἔξω τὴν γυναῖκα. quod ferri non poteſt, nec verum eſt.

vivio, accubantibus nonnullis urbicis negotiatoribus, quorum refert nomina. Cicero vero non contentus in quibuſdam epiſtolis ſcripſiſſe, a ſatellitibus eum in cubiculum regium eductum, in aureo lecto, veſte purpurea decubuiſſe, floremque ætatis a Venere orti, in Bithynia contaminatum: quondam etiam in ſenatu defendenti Nyſæ cauſſam, filiæ Nicomedis, beneficiaque regis in ſe commemoranti, *Remove*, inquit, *iſtæc, oro te: quando notum eſt, & quid ille tibi, & quid illi tu dederis.* Gallico denique triumpho milites ejus inter cætera carmina, qualia currum proſequentes joculariter canunt, etiam vulgatiſſimum illud pronunciaverunt:

Gallias Cæſar ſubegit, Nicomedes Cæſarem:
Ecce Cæſar nunc triumphat, qui ſubegit Gallias:
Nicomedes non triumphat, qui ſubegit Cæſarem.

Pronum & ſumtuoſum in libidines fuiſſe conſtans opinio eſt, plurimaſque & illuſtres 50 fœminas corrupiſſe: in quibus Poſtumiam Servii Sulpicii, Lolliam Auli Gabinii, Tertullam M. Craſſi, etiam Cn. Pompeji Muciam. Nam certe Pompejo, & a Curionibus patre & filio, & a multis exprobratum eſt, quod, *cujus cauſſa poſt tres liberos exegiſſet uxorem, & quem gemens Ægiſthum appellare conſueſſet, ejus poſtea filiam potentiæ cupiditate in matrimonium recepiſſet.* Sed ante alias dilexit M. Bruti matrem Serviliam: cui & proximo ſuo conſulatu ſexagies HS. margaritam mercatus eſt: & bello civili ſuper alias dona-

eſt. Pueri quoque cinædi ad pluteum cubabant, in parte tori interiore. Martialis:

Exciduntque ſenem, ſpondæ qui parte jacebat:
Namque puer pluteo vindice tutus erat.

Ubi pluteus pars tori interior. Hinc Dolabella Cæſarem *pellicem reginæ, & ſpondam interiorem regiæ lecticæ vocabat.* SALMAS. in Spartianum p. 64.

TORRENT.

In cubiculum eductum.] Liber unus *inductum*, alius *deductum*. quod ſane malim, ut cap. ſequenti, *Tertia deducta.* ſenſus enim eſt e triclinio in cubiculum deductum fuiſſe. Sueton. Aug. cap. LXIX. *Fœminam conſularem e triclinio viro coram in cubiculum abductam.*

Defendenti Nyſæ cauſam.] Recte ſic Pulmannus auctore Turnebo Adverſar. XXIV. cap. XIV. & ſic quatuor noſtri MSS. Unus etiam *filii*, non *filiæ Nicomedis*. Et Nyſam ſane filium, non filiam fuiſſe Nicomedis, etiam Salluſtii fragmenta quædam, ſi modo Salluſtii ſunt, atteſtantur. Muliebre tamen nomen eſt, & quidem ſororis Magni illius Mithridatis, apud Plutarchum Lucullo. Gellius quoque lib. V. cap. XIII. orationis meminit, quam C. Cæſar Pont. Max. pro Bithynis dixit. Beroaldus pro *Nyſæ* ſcripſit *enixe*.

50. *Proximo ſuo conſ.*] Non erraverit, ut arbitror, qui *primo ſuo conſ.* legendum eſſe contendat. Aut *proximum* intellige, quem ipſo belli civilis ingreſſu occupavit, hoc eſt, ſecundum.

CASAUBON.

A ſatellitibus regiis eum in cubiculum regium eductum.] A cœna ſurgens Cæſar, in ξενῶνα ſive hoſpitale cubiculum ſibi aſſignatum receſſerat: ſi nihil aliud, ſaltem ut pudori ſuo conſuleret: inde poſtea per ſatellites eſt eductus, & ad regem deductus, quod conciſo hoc loquendi genere indicatur. atque ita Thucydides & auctores alii ſæpiſſime verborum compendium faciunt. Quare nihil mutandum. De hujuſmodi tranſitu a triclinio in cubiculum loquitur Seneca, epiſtola XCV. *Tranſeo puerorum infelicium greges, quos poſt tranſacta convivia aliæ cubiculi contumeliæ exſpectant.*

Qualia currum proſequentes jocılariter canunt.] Vide Plinium lib. XIX. cap. VIII. Notatus hic mos ſæpe a ſcriptoribus Græcis rerum Romanarum. Huc refero illud Varronis de Lingua Latina: *Hinc appellatum dictum in mimo, ac dictioſus; hinc in manipulis caſtrenſibus dicta ducibus.* Intelligit militum διακερτομήσεις, quas in duces ſuos jaciebant. Martialis:

Conſuevere jocos veſtri quoque ferre triumphi:
Materiam dictis nec pudet eſſe ducem.

A Græcis ad Romanos hunc quoque morem manaſſe certum eſt. Phurnutus de Diis: ὁ δὲ θρίαμβος ἀπὸ τοῦ θροεῖν καὶ ἰαμβίζειν τὴν κλῆσιν ἔλαχεν· ὅθεν καὶ ἐν τοῖς κατὰ τὸν πόλεμον θριάμβοις πολλοῖς ἀναπαίστοις σκώπτοντες χρῶνται. in capite de Baccho.

Gallias Cæſar ſubegit, Nicomedes Cæſarem.] Dio vertit lib. XLIII. Καῖσαρ μὲν Γαλάτας ἐδουλώσατο· Καίσαρα δὲ Νικομήδης. poterat aptiore verbo uti quam δουλοῦσθαι, quod parum quadrat.

50. *Cui & proximo ſuo conſulatu.*] Eum accipe, qui proxime tempora illa ſecutus eſt, quibus Serviliam amare cœpit: vel, ut cum Plutarcho dicam, quem proxime

donationes, ampliſſima prædia ex auctionibus haſtæ ei numo addixit. Cum quidem pleriſque vilitatem mirantibus, facetiſſime Cicero, *Quo melius*, inquit, *emtum ſciatis, Tertia deducta eſt:* exiſtimabatur enim Servilia, etiam filiam ſuam Tertiam Cæſari con-
51 ciliare. Ne provincialibus quidem matrimoniis abſtinuiſſe, vel hoc diſticho apparet, jactato æque a militibus per Gallicum triumphum:

Urbani ſervate uxores, mœchum calvum adducimus.
Aurum in Gallia effutuiſti: heic ſumpſiſti mutuum.

52 Dilexit & reginas, inter quas Eunoen Mauram, Bogudis uxorem: cui, maritoque ejus, plurima & immenſa tribuit, ut Naſo ſcripſit: ſed maxime Cleopatram, cum qua & convivia

proxime præceſſere οἱ χρόνοι, καθ᾽ οὓς μάλιστα ὁ ἔρως ἐπεφλεγεν. Erat autem tunc temporis Cæſar juvenis & νεανίας ἔτι, ait Plut.

TORRENT.

Minimo addixit.] Beroaldus in omnibus, quos viderit, libris *nummo* ſcribi affirmat; ego utrumque repperi. Et olim quidem emptionis quoddam ſimulatæ genus erat, ut dato quis nummo, quod emere videbatur, donatum acciperet, de quo Porphyrio ad illud Horatii lib. II. Sat. V.

- - - *gaudentem nummo te addicere.*

Similis & apud Val. Max. locus lib. II. cap. V. ubi de Hirtii & Panſæ funere ſcribit. Et apertius J. C. l. XLVI. locati, & l. X. de acquir. poſſeſſ. ubi conductionem, quæ uno nummo fiat, nullam eſſe ajunt, ideo quod donatio inducatur. Sed tamen aliæ rationes me movent, ut non *nummo*, ſed *minimo* legendum hic eſſe exiſtimem. nam ſi emptio, quæ nummo fit, non emptio, ſed donatio eſt; quomodo verum erit, quod mox ſequitur, pleroſque admiratos fuiſſe vilitatem pretii? Deinde Macrob. lib. II. Saturn. cap. II. de eadem re ſcribens, non nummo, quod verbum ſollemne eſt, ſed ære parvo fundum ablatum ſcribit. Sequitur igitur veram, non imaginariam hanc venditionem fuiſſe. Idque & Cæſari & Serviliæ erat honeſtius

Tertia deducta eſt.] Contigerat per legem Cæſaris, de qua ſup. cap. XLII. ut ad minimum quarta pars debiti, & ſæpe tertia ſummæ deduceretur. *Deducere* etiam, uti & *perducere*, unde *perductores* Plauto & Ciceroni, non multum a lenonibus differentes, ad amoris conciliationem pertinent. Cicero igitur facetiſſime hoc dicto & legem Cæſaris, & libidinem notavit. Similis in Verrinis locus: *Ad quem iſte deduxerat Tertiam, Iſidori mimi filiam.* Et ſup. cap. proximo Auctor: *Deductum in cubiculum.* Adde Tib. cap. XLV. & Veſp. cap. XXII.

Filiam ſuam Tertiam.] *Juniam Tertiam* vocat Macrobius, uxorem C. Craſſi. Sed quis hic C. Craſſus fuerit, ignoro. Serviliæ ſane maritum Junium Silanum appellat Plutarch. Catone Uticenſe, qui Cato Serviliæ frater uterinus erat, avunculus Bruti. Altera Servilia Lucullo nupſerat, & ipſa fama parum integra, ut totum Catonis gynæceum. Vide Plutarchum.

51. *Auro in Gallia ſtuprum emiſti.*] Quod Beroaldus, & Glareanus affirmant in lib. MS. legi, *aurum in Gallia effutuiſti*, id nos quoque in tribus exemplaribus repperimus. Et ſane militari licentiæ convenit, de qua Martial.

Conſuevere jocos veſtri quoque ferre triumphi:
Materiam dictis nec pudet eſſe ducem.

Exſtat Catulli epigramma acerbiſſimum eodem pertinens. Veterem tamen lectionem non rejicio. ſic enim & Horat.

Dedecorum pretioſus emptor,

lib. III. Od. VI.

52. *Ut Naſo ſcripſit.*] Recte ſic ex interpretum ſententia Pulmannus, cum *Vaſa* pro *Naſo* habeant libri omnes, quos vidi. Actorii Naſonis mentio ſup. cap. IX. At vero pro *Eunoën* codex unus e noſtris *Einoën* habet. Turneb. *Eunen* mallet Adverſar. III. cap. XXII.

CASAUBON.

Ex auctionibus haſtæ ei nummo addixit.] Turonenſis liber, *ex auctionibus haſtæ minimo addixit.* idque jam probo, & ſententiæ Torrentii lubens accedo.

Quo melius emptum ſciatis, Tertia deducta eſt.] *Bene emere* eſt vili pretio emere, ἄξιόν τι πρίασθαι vel ἀξιόν. Doctiſſimus Turnebus, qui hic & in epigrammate Martialis care emere interpretatur, aliud agebat, cum illa ſcriberet, neque Turnebus erat. Senſus eſt, eos qui pretii parvitatem mirarentur, quo prædia emerat Servilia, magis miraturos, ſi ſciant tertiam partem a venditore Cæſare fuiſſe remiſſam. Hæc ſimplex ſententia horum verborum, in quibus latet Ciceronis jocus propter ancipitem notionem vocum *tertia* & *deducere*. Docti viri putant, alludi ad legem Cæſaris de ſolutione æris alieni; ſubtilius meo judicio, quam verius.

52. *Ut Naſo ſcripſit.*] Probabiliter diſputant interpretes laudari Actorium Naſonem, cujus ante facta mentio. tamen Viterb. *Naſa* habet: & in ora *Vaſſa*, Liſlæi *Vaſa*. Pithœi & Turonenſis *Vaſto*.

Aurum in Gallia.] *Galliis* metrum poſtulat.

vivia in primam lucem ſæpe protraxit, & eadem nave thalamego pæne Æthiopia tenus Ægyptum penetravit, niſi exercitus ſequi recuſaſſet. Quam denique accitam in urbem, non niſi maximis honoribus præmiiſque auctam remiſit: filiumque natum appellare nomine ſuo paſſus eſt. Quem quidem nonnulli Græcorum ſimilem quoque Cæſaris & forma & inceſſu tradiderunt. M. Antonius agnitum etiam ab eo, ſenatui affirmavit: quæ ſcire C. Matium, & C. Oppium, reliquoſque Cæſaris amicos: quorum C. Oppius, quaſi plane defenſione ac patrocinio res egeret, librum

Torrent.

Nave thalamego.] Tres libri *thalamoque.* Placet *thalamego.* Qualem, teſte Athenæo, Ptolemæus Philopator habuit, longitudine ſemiſtadii, latitudine xxx. cubitorum, altitudine paulo minus xl. Seneca lib. vii. de Beneficiis *navem cubiculatam* vocat. Tali, vittata inſuper, Platonem ad ſe venientem excepit Dionyſius tyrannus. Plin. lib. vii. cap. xxx.

C. Matium.] Sic exemplar Vaticanum, & Turnebi codices. Quanquam alii *Mattium*, alii *Macium* ſcribi debere contendunt. Hujus C. Matii ad Ciceronem, & Ciceronis ad Matium epiſtolæ exſtant Famil. lib. xi. De eodem ad Att. lib. ix. epiſt. xiii. *Homo me hercule temperatus, & prudens.* Iterum ad Trebatium lib. vii. epiſt. xv. *Quod in C. Matii, ſuaviſſimi doctiſſimique hominis, familiaritatem veniſti*, &c. Communis Matii & Trebatii ad Ciceronem epiſtolæ exemplum inſeritur lib. ix. ad Att. epiſt. xix. C. Matium quoque de re ruſtica ſcripſiſſe, oſtendit Columella lib. xii. cap. iv. Fuit & Cn. Matius, & quidem (ut ego arbitror) Cajo vetuſtior, homo impenſe doctus. Cujus mimiambos citant Gellius lib. x. cap. xxiv. lib. xv. cap. xv. & lib. xx. cap. viii. & Macrob. lib. i. Saturn. cap. iv. Ejuſdem etiam Iliadis libros Gell. lib. ix. cap. xiv. & lib. vi. cap. vi. Quanquam mendoſe ibi *Trimatium* pro *Cn. Matium* ſcribitur. Varro quoque (ni fallor) lib. vi. de Ling. Lat. hos verſus:

Corpora Græcorum mœrebat mandier igni.

Et,

Obſcœni interpres funeſtique ominis auctor.

Quanquam nec prænomen ibi exprimitur, nec operis titulus, & pro *apud Matium* quidam codices *apud Marcium vatem* habent. Plinius etiam Cn. Matii Equitis meminit, qui primus nemora tonſilia invenit, & eum Auguſti amicum vocat, lib. xii. cap. ii. Niſi tamen *C. Matius* ibi legendum ſit, ut idem mortuo Cæſare Dictatore in Auguſti amicitia perſeveraverit. Fuit & malum Matianum, a quocumque velis Matio appellatum. de quo Plin. lib. xv. cap. xiv. Colum. lib. v. cap. x. Macrob. tamen lib. vii. cap. ix. Mattianum vocat, ut nimirum *Attius* pro *Atius*, *Attilius* pro *Atilius*. Vide inf. Domit. cap. xxi.

Casaubon.

Eadem nave thalamego.] Quales habebant paratas Ægyptii reges dccc. Vide Appianum in procœmio. Similes, ſi uſum ſpectes, veterum Gallorum paradæ, de quibus Auſonius & Sidonius. Item illa Neronis, de qua Plutarchus *περὶ ἀοργησίας.* Seneca *cubiculatas & luſorias* vocat. De iis ſentit Gripus in Rudente:

Poſt animi cauſſa mihi navem faciam, atque
imitabor Stratonicum:
Oppida circumvectabor.

Niſi exercitus ſequi recuſaſſet.] Attende loquendi genus, *Ægyptum pæne penetravit, niſi exercitus ſequi recuſaſſet*; pro, factumque eſſet, niſi. *penetravit* igitur, eſt penetraturus fuit. Sic in Galba cap. x. *Servi per angiportum in balnea tranſeuntem pæne interemerunt, niſi expreſſa cruciatu confeſſio eſſet.* Hegeſippus *ψευδεπίγραφος*, libro ii. *Tanto impetu in Romanos proſiluere, ut omnem exercitum averterent, niſi equites ſubveniſſent.* libro quinto idem: *Romanos flammæ circumvallaverant, niſi mature conſuluiſſent.*

Quam denique accitam in urbem, n.] Cleopatram veniſſe Romam proximo anno poſt bellum Alexandrinum a Cæſare confectum, teſtis luculentus eſt Dio lib. xliii. Hieronymus ex Euſebio in illo anno, qui eſt ipſi quartus Olympiadis clxxxiv. *Cleopatra regio comitatu Urbem ingreſſa.* nam quin appellatione Urbis Romam & Euſebius & Hieronymus intellexerint, non poteſt dubitari. etſi aliter ſummo viro ſcimus eſſe viſum: ſed hoc eſt *γεροντικὸν ἀνδρὸς δαιμονίȣ*, cui Suetoniani hujus loci tunc in mentem non veniebat, *καὶ πάνυ εὐξύγγνωστον ἁμάρτημα.*

Quæ ſcire C. Matium & C. Oppium, reliquoſque Cæſaris amicos.] Tacitus Annal. lib. xii. lx. *C. Oppius & Cornelius Balbus primi Cæſaris opibus potuere conditiones pacis & arbitria belli tractare. Matios poſthac & Vedios, & cætera equitum Romanorum prævalida nomina, referre nihil attinuerit.* Multa M. Tullius in epiſtolis ad Atticum.

librum edidit, *Non eſſe Cæſaris filium, quem Cleopatra dicat.* Helvius Cinna trib. pleb. pleriſque confeſſus eſt, habuiſſe ſe ſcriptam paratamque legem, quam Cæſar ferre juſſiſſet, cum ipſe abeſſet, uti uxores liberorum quærendorum cauſſa, quas & quot vellet, ducere liceret. Ac ne cui dubium omnino ſit, & impudicitiæ eum, & adulterio-
rum

Torrent.

Librum edidit, non eſſe Cæſaris filium.] Atqui Antonius Oppii teſtimonio probare voluit eſſe Cæſaris filium. Aut ergo tollenda eſt negatio, quod Glareano videtur; aut fatendum eſt, Oppium aliter ſcripſiſſe, quam Antonius diceret. Quod ego ſane crediderim; maxime ſi Antonium id ſenatui affirmaſſe dicamus, quo tempore ante bellum Actiacum Cæſarem Octavianum tanquam inſititium criminabatur, cum verus ſupereſſet filius Cæſario ex Cleopatra. Quam idcirco Reginam Regum appellari juſſit, & Cæſarionem pro germano Cæſaris filio haberi voluit. quod ita Dio ſub finem lib. XLIX. & Zonaras de Antonio tradunt. Ac credibile eſt, tunc Oppium in Octaviani, cujus partibus adhærebat, gratiam ſingularem ea de re librum edidiſſe, cui titulus fuerit: *Non eſſe Cæſaris filium, quem Cleopatra diceret.* Scio tamen, Dionem ſcribere a III-viris, ac proinde durante adhuc Antonii amicitia, Cleopatræ, quod Dolabellæ auxilia miſiſſet, conceſſum fuiſſe, ut ejus filius Ptolemæus, cui cognomen erat Cæſario, Rex appellaretur. Quo tempore ſi quid forte Antonius ſenatui ea de re affirmavit, quia veriſimile non eſt, Oppium tunc contradicturum fuiſſe, amplectenda erit Glareani ſententia, ut hunc locum ſine negatione legamus. Celare etiam lectorem nolim, in libro quodam pervetuſto pro *quem Cleopatra dicat* legi *quemque Cleopatra dicat*, pro *quemquem*, ut arbitror; in altero vero *quicquid Cleopatra dicat.* Item pro *ab eo, Senatui affirmavit. Quæ ſcire Senatum*, &c. *ab eo, affirmavitque ſcire C. Matium*, &c.

Helvius Cinna.] Recte pro *Helius.* Simile mendum inf. cap. LXXXV.

Quas, & quot ducere vellent, liceret.] Melius libri MSS. *quas & quot vellent, ducere liceret.* Tres tamen pro *vellent* habent *vellet.* recte. nam ad Cæſarem ipſum ea lex pertinuit. Docent Dionis verba lib. XLIV. quæ commodum mihi notata: Ἀμέλει καὶ γυναιξὶν ὅσαις ἂν θελήσῃ συνεῖναί οἱ ἐτόλμησάν τινες ἐπιτρέψαι, ὅτε πολλαῖς καὶ τότε ἔτι, καὶ περ πεντηκοντούτης ὤν, ἐχρῆτο.

Casaubon.

Non eſſe Cæſaris filium, quem Cleopatra dicat.] Prima editio, *quæque de Cleopatra dicant.* Liſlæi, *de Cleopatra dicant.* Fortaſſe pro *quem de Cleopatra editum dicant:* ſed præſtat legere cum vulgatis & MSS. Qui putant legendum *Eſſe Cæſaris*, ſublata negatione, quia Antonius Oppium ejus rei auctorem in ſenatu laudaverat, falluntur: nec attendunt ad illa Suetonii verba, *quaſi plane defenſione ac patrocinio res egeret.* innuit enim ideo ſcriptum ab Oppio librum, ut mentitum Antonium in ſenatu probaret.

Quas & quot vellet, ducere liceret.] Dicit *quas:* quia illi & civi Rom. & ſenatori non cum omnibus jus fuit connubii: puta, cum ea, quæ eſſet ſanguine propius juncta, cum peregrina, cum liberta aut ſerva. Dicit *quot*, quia legibus Rom. non permiſſa πολυγαμία. Primus omnium Romanorum, ut Plut. ait, Antonius duas ſimul uxores habuit. Dio prius membrum prætermiſit. non recte. niſi tamen ſcripſerat ille: Ἀμέλει καὶ γυναιξὶν ὁποίαις καὶ ὅσαις ἂν θελήσῃ συνεῖναί οἱ ἐτόλμησάν τινες ἐπιτρέψαι. In pleriſque codd. etiam Viterb. *vellent* ſcriptum, non *vellet.* Ea lectio confirmatur veteri exemplo Semiramidis, quod refert Oroſius: item exemplo Valentiniani Imp. qui ut duas ipſe poſſet uxores ducere, lege lata id omnibus permiſit. auctores Socrates, Nicephorus, alii. Simile eſt, quod de Claudio narratur libro V. cap. XXVI. Juvat etiam, quod Suetonius *legem* appellat, non rogationem. Aſſentior tamen potius *vellet* probantibus. Præter Dionis auctoritatem, firmant prima editio & codices Pithoei ac Liſlæi.

Varior.

52. *Non eſſe Cæſaris*, &c.] Bona lectio. Glareanus quidem negationem tollit, creditque ſcriptum ab Oppio librum, *Eſſe Cæſaris filium*, &c. ſed præterquam, quod nullus manuſcriptorum codicum huic correctioni favet; etiam ipſa συνέχεια narrationis adverſatur. Ait Suetonius: Cæſarionem verum Cæſaris e Cleopatra filium fuiſſe, patere, cum ex impoſitione nominis, tum formæ ſimilitudine; tum denique ex affirmatione Antonii, qui ad conſcientiam ac teſtimonium amicorum Cæſaris provocarit: ex his tamen Cæſaris amicis C. Oppium, ut oſtenderet, falſo ſuum teſtimonium allegari, edito libro demonſtraſſe: *Non eſſe Cæſaris filium, quem Cleopatra dicat.* Sane quidem Oppius non feciſſet amici hominis officium, ſi contrarium demonſtrare voluiſſet. Nam hujuſmodi Magnatum nothi, *quaſi libidinem exprobrantes adſpiciuntur:* ut in re diſſimili loquitur Tacitus lib. XIV. annal. cap. LXII. Bern.

Quas & quot vellet, ducere liceret.] Soli Cæſari. Generalis lex foret, ſi *vellent* retineretur. Primus emendavit jure locum Lipsius l. Elect. XX. quem vide.

Vellet.] *Velles* forte ſcrib. Gujet.

rum flagraſſe infamia, Curio pater quadam eum oratione, *omnium mulierum virum, & omnium virorum mulierem* appellat. Vini parciſſimum ne inimici quidem 53
negaverunt. Verbum M. Catonis eſt: *Unum ex omnibus Cæſarem ad evertendam Remp. ſobrium acceſſiſſe.* Nam circa victum C. Oppius adeo indifferentem docet, ut quondam ab hoſpite conditum oleum, pro viridi appoſitum, aſpernantibus cæteris ſolum etiam largius dicat appetiſſe: ne hoſpitem aut negligentiæ, aut ruſticitatis videretur arguere.
Abſtinentiam neque in imperiis neque in magiſtratibus præſtitit. Ut enim quidam mo- 54
numentis

TORRENT.

53. *Verbum M. Catonis eſt.*] Liber unus: *M. Catonis verbum eſt*; alius *M. Catonis eſt verbum*; alius *uti M. Cato ait.* Legendum puto, *M. Catonis eſt*, ſine *verbum.*

Ut quondam ab hoſpite.] Liber opt. *quodam.* Plutarchus Valerium Leonem Mediolanenſem vocat, qui aſparago unguentum pro oleo infuderit. Quare *conditum*, media ſyllaba producta, legendum videtur. Alii corripiunt, ut pro vetuſto accipiatur: olei enim vetuſtas tædium affert, viride jucundius eſt. Plin. XV. cap. 11. & Cato de Re ruſt. LXV. *Indifferentem* vero *circa victum* vocat. qui quid ederet, parum obſervaret. Sic de inobſervantia Auguſti, quod certum edendi tempus non ſervaret, cap. LXXVI.

Dicat appet.] Cod. Lovanienſ. *ſcribat* habet pro *dicat.*

CASAUBON.

Omnium mulierum virum, & omnium virorum mulierem.] Pherecrates Comicus:

Ὀυκ ὢν ἀνὴρ γὰρ Ἀλκιβιάδης, ὡς δοκεῖ,
Ἀνὴρ ἁπατῶν τῶν γυναικῶν ἐςι νῦν.

Vetus Poëta alius:

Ἀνέρας ἠρνήσαντο, καὶ ὀυκ ἐγένοντο γυναῖκες·
Ὄυτ᾽ ἄνδρες γεγάασιν, ἐπεὶ πάθον ἔργα γυναικῶν·
Ὀυδὲ γυναῖκες ἔασιν, ἐπεὶ φύσιν ἔλλαχον ἀνδρῶν.
Ἀνέρες εἰσὶ γυναιξὶ, καὶ ἀνδράσιν εἰσὶ γυναῖκες.

53. *Nam circa victum C. Oppius adeo indifferentem docet.*] *Indifferens circa victum* eſt, qui ἔυκολος Græce dicitur unica voce. eſt enim παρὰ τὸ κόλον, *cibus*: unde βȣκολεῖν & alia. Proprie igitur ἐυκολία eſt *indifferentia circa cibum*, etſi pluribus verbis Plut. in hac hiſtoria, τὴν περὶ τὴν δίαιταν ἐυκολίαν dixit. ubi interpretes *victus tenuitatem* neſcio quare vertere perperam maluerint, quam verbis Suetonii. Seneca aliter expreſſit epiſt. XC. *Sapiens facilis victu fuit.* hoc eſt, ἔυκολος περὶ τὴν δίαιταν. Sic δύσκολος proprie, *moroſus circa cibum*: ſed generaliter accipitur pro δύςροπος. moroſus, ſive multorum diverſorum morum homo. nos vulgo dicimus *phantaſtique*: ut & veteres Græci φανταςικοπεῖν & φανταςιοκόπος ſic uſurparunt. Auctor libri, qui Sapientia Sirach ſive Panareton inſcribitur, cap. IV. μὴ ἴσθι ὡς λέων ἐν τῇ ὀικίᾳ σȣ καὶ φαντασιοκοπῶν ἐν τοῖς ὀικέταις σȣ. *Ne ſis in domo tua leoni ſimilis, & vexans moroſitate tuos famulos.* ita puto interpretandum illum locum, etſi ſcio paullo aliter ſolitam accipi eam vocem, ut apud Euſtathium in Odyſſ. λ. φαντασιοκόπος & ἐλπιδοκοπȣ́μενος pro eodem. apud Euſebium ὁ φαντασιοκοπῶν & ὁ δοξοκοπῶν id. Hiſt. l. VII.

Conditum pro viridi appoſitum.] Unguento uti pro oleo, ejus eſt, qui vetus proverbium tollat, τὸ ἐπὶ φακῇ μύρον. Ineſt in facto ὑπερβολὴ δαπάνης inepta. Philoſophus vocet, qui id faciunt, βαναύσȣς, ἀπειροκάλȣς, σαλάκωνας. Talis Horatio deſcribitur Nævius:

- - - *nec ſic ut ſimplex Nævius unctam*
Convivis præbebit aquam: vitium hoc quoque magnum.

Simplex Horatio eſt ἀπειρόκαλος. Oppius in Cæſaris hoſpite *negligentiam* aut *ruſticitatem* appellat iſtiuſmodi ἀπειροκαλίαν. ut & Plutarchus vertit ἀγροικίαν. Recte vero Plutarchum *conditum oleum* legiſſe, non *cónditum*, patet ex iis, quæ diximus. Ait autem ille aſparagos fuiſſe, in quorum paratu μύρον ἀντ᾽ ἐλαίȣ Cæſaris hoſpes Valerius Leo Mediolanenſis uſurpavit. Oleum aſparagis affundi ſolitum teſtis Varro, Virgula divina: *Oleum in lucubrationem ſervavimus, quod in ſparagos totum legitime vertamus.* Sic in Nonii codicibus ſcribitur hic Varronis locus. recte. neque aſſentiendum aliter pronuntiantibus. σπάραγος pro ἀσπάραγος dicit Vir undecunque doctiſſimus, ut ςάχυς, ἄςαχυς: & a verbo σπάω deducta, σπάλαθος ἀσπάλαθος: σπάλαξ, ἀσπάλαξ: inde & σπάραγος ſecundum quoſdam, quia trahendi vim habet, ventrem molliens, urinam ciens. Porro ex his Suetonii verbis diſcimus, non quodvis oleum in aſparagorum paratu uſurpatum, ſed viride. Ita vocabant, quod ex acerba premitur olea nec matura. nam iſtud cenſebant vulgare, & *Romanicum* dicebant, ut eſt apud Catonem. Virgilius: *& amara pauſia bacca.* Servius: *de pauſia viride oleum fit.* Græci, quod ſciam, ἔλαιον χλωρὸν non dixerunt, pro optimo oleo: at Hebræi pariter cum Latinis, שֶׁמֶן רַעֲנָן, hoc eſt, oleum viride: quod Græci Latinique interpretes varie expreſſerunt.

54. *Abſtinentiam neque in imp.*] Verbum Cæſaris fuit: potentiæ parandæ & conſervandæ duo eſſe inſtrumenta, *milites & pecuniam*: eorum alterum alterius ſtare præſidio. hæc cauſſa eſt rapinarum illius. ȣ γὰρ ὑπὸ κακίας ἐποίει, ait Dio lib. XLII. hoc eſt,
non

numentis ſuis teſtati ſunt, in Hiſpania a proconſule, & a ſociis pecunias accepit, emendicatas in auxilium æris alieni : & Luſitanorum quædam oppida, quamquam nec imperata detrectarent, & advenienti portas patefacerent, diripuit hoſtiliter. In Gallia fana templaque Deum donis referta expilavit : urbes diruit, ſæpius ob prædam quam ob delictum: unde factum, ut auro abundaret, terniſque milibus numum in libras promercale, per Italiam provinciaſque divideret. In primo conſulatu tria milia pondo auri furatus e Capitolio, tantumdem inaurati æris repoſuit. Societates ac regna pretio dedit : ut qui uni Ptolemæo prope ſex milia talentorum ſuo Pompejique nomine abſtulerit. Poſtea vero evidentiſſimis rapinis ac ſacrilegiis, & onera bellorum civilium, & triumphorum ac mu-
55 nerum ſuſtinuit impendia. Eloquentia militarique re, aut æquavit præſtantiſſimorum gloriam,

non pecunias propter ipſas amabat, ut qui proprie *φιλοχρήματοι* dicuntur. *κακίαν* ponit ibi Dio *ἀντὶ φιλαργυρίας*, quam eſſe *πάσης κακίας μητρόπολιν* dicebat Bion.

Torrent.

54. *Divenderet.*] Magis placet *divideret*, ut in quatuor MSS. nam ipſe certe non divendidit. Quod autem ternis millibus nummum dicit, id uti cum auri ad argentum proportione conveniat, vide Budæum, ſi lubet, de Aſſe lib. III.

Societates ac regna.] Ut nempe vel rex appellaretur aliquis a pop. Rom. vel ſocius.

Furatus e Capitolio.] Aliquid de hoc Plin. lib. XIX. c. III.

55. *Eloquentia militari, quare.*] Cæſar in omni genere eloquentiæ excelluit. Et ante accuſationem Dolabellæ vix militaſſe eum crediderim. Tantum abeſt, ut eloquentia militaris ipſi tunc uſui fuerit. Diutius quoque verſatum in foro, Ciceronis oratio pro Ligario iis verbis oſtendit : *Cauſas, Cæſar, egi multas, & quidem tecum, dum te in foro tenuit ratio honorum tuorum.* Deinde quid attinet de militari tantum eloquentia dicere, ſi patronos aut æquavit omnes, aut exceſſit? neque enim patroni in judiciis verſantes caſtrenſi eloquentia utuntur. Quibus rationibus ductus, expunctis aliis, legendum puto: *Eloquentia, qua aut æquavit pr. gl. aut exc. poſt. acc. Dol.* &c. Non negaverim tamen ejus eloquentiam in bello, ac militum allocutionibus præcipue valuiſſe, ſiquidem eodem animo dicere ſolitum, quo bellavit, auctor eſt Quinctilian. & ipſe Cæſar adverſus Ciceronis de Catonis laude orationem ſcripturus, militarem tantum ſermonem ſibi tribuit, precatuſque eſt, ne id contra oratorem exercitatiſſimum ſibi fraudi eſſet. Auctor Plutarch. Sed cum inepta quædam *ταυτολογία* ineſt in ea, quam arbitrio noſtro concinnamus, lectione, (quid enim aliud eſt poſt accuſationem Dolabellæ principibus patronis annumeratum eſſe, quam eloquentia præſtantiſſimorum gloriam aut æquaſſe, ut exceſſiſſe? Ut omittam, ne cadere quidem in Cæſarem vere tantam eloquentiæ laudem, qui in Ciceronem ipſe militarem tantum ſermonem ſibi tribuerit. Et profecto dederit, opinor, Cicero aliquid potentiæ, & auribus Cæſaris, cum ad Cornelium Nepotem negat oratorum quemquam eorum, qui nihil aliud egerint, ei anteponendum. Et tamen minus aliquid Suetonio dicit.) tum minori immutatione Juſto Lipſio Elector. I. cap. XX. viſum emendare, *Eloquentia militarique re aut æquavit præſtantiſſimorum gloriam, aut exceſſit. Poſt accuſ. Dolab.* &c. Quod de Cæſare ex vero Tranquilli teſtimonium ſic accipio, ut eum præſtantiſſimis quibuſque eloquentia juxta ac militaris rei peritia præferat, aut (minimum) æquet, utraque ſimul, non alterutra, inquam, laude.

Casaubon.

In Hiſpania a proconſule & a ſociis pecunias accepit.] Intelligo extortam proconſuli, cui ſuccedebat Cæſar, pecuniam, injecto calumniarum metu : cum metueret iſte, quiſquis tandem fuerit, proconſul, ne Romam reverſus lege repetundarum interrogaretur. Certum enim deceſſoris cauſam a Cæſare plurimum vel premi vel ſublevari, prout ei foret animus, potuiſſe. Porro Hiſpaniam ulteriorem ex prætura ſortitus eſt Cæſar : cum illam proconſule rexiſſet, cui ſuccedebat. neque enim eædem perpetuo aut prætoriæ provinciæ fuerunt, aut proconſulares : cujus rei exempla in hiſtoria Romana non pauca. Eſt etiam, quando auctores eum, qui ex prætura provinciam fuerit nactus conſularem, rexiſſe illam proconſule, vel proconſulatum adminiſtraſſe dicant. Exemplum in promptu de Q. Cicerone apud hunc noſtrum lib. II. cap. III. Id ſi iſto loco admittimus, legam lubens, cum Turonenſi & nonnullis aliis : *In Hiſpania proconſule, & a ſociis pecuniam accepit.* Atque idem hic ſignificabit *proconſule*, quod libro II. *adminiſtrare proconſulatum.*

Terniſque millibus nummum in libras promercale.] hoc eſt, ut in ſingulas auri libras ſeptem argenti & ſelibra penderentur. Ita doctiſſimus Budæus : quem in hoc argumento regnare pæne ſolum, conſentiunt omnes. pro *ternis* inveni in nonnullis *quaternis*.

Tria millia pondo auri furatus e Capitolio.] Hujus furti nemo veterum, niſi fallor, meminit. Plinius, quo nos rejiciunt interpretes, nihil, quod huc

riam, aut exceſſit. Poſt accuſationem Dolabellæ, haud dubie principibus patronis annumeratus eſt. Certe Cicero ad Brutum oratores enumerans, negat *ſe videre, cui Cæſar debeat cedere* : aitque *eum elegantem, ſplendidam quoque, ac etiam magnificam ac generoſam quodammodo rationem dicendi tenere*, & ad Cornelium Nepotem de eodem ita ſcripſit : *Quid? oratorum quem huic antepones eorum, qui nihil aliud egerunt? Quis ſententiis aut auctior, aut crebrior? Quis verbis aut ornatior, aut elegantior?* Genus eloquentiæ duntaxat adoleſcens adhuc Strabonis Cæſaris ſecutus videtur : cujus etiam ex oratione, quæ inſcribitur *Pro Sardis*, ad verbum nonnulla tranſtulit in Divinationem ſuam. Pronuntiaſſe autem dicitur voce acuta, ardenti motu geſtuque, non ſine venuſtate. Orationes aliquas reliquit, inter quas temere quædam feruntur : ut *Pro Q. Metello* : quam non

huc pertineat, refert, neque libro XIX. cap. III. nec lib. XXXIII. cap. III. Capite vero primo ejuſdem, ſimile furtum narratur M. Craſſi, qui ſuo & Cn. Pompeji tertio conſulatu duo millia e Capitolini Jovis ſolio rapuerit, a Camillo ibi condita. Solebat autem coronarium aurum atque etiam, ut videtur, triumphale, aut pars illius, in Capitolini Jovis cellam referri.

Tantumdem inaurati æris repoſuit.] Similis Vitellii fraus lib. VII. commemoratur.

55. *Eloquentia militarique re, aut æquavit præſtantiſſimorum virorum gloriam, aut exceſſit.*] Jam ante monuimus ad finem cap. XLIII. Suetonium, quæ ibi propoſuit, eodem deinceps ordine ſigillatim exſequi. Nunc igitur tranſit ad illius *civilia & bellica ſtudia*, ut ibi eſt locutus. Quare dubitari non poteſt (quod acute pridem vidit & Lipſius) quin ſint hoc loco veteres omnes corrupti, in quibus ſcriptum: *Eloquentia militari, quare.* prorſus enim neceſſum eſt legere, ut reſtituimus. Ab initio hujus capitis ad finem LV. de ſtudiis & eloquentia Cæſaris agit : a principio LVII. ad LXX. finem ſtudia bellica enarrantur : quæ deinde ſubjiciuntur, quomodo ad civilia ejus ſtudia referri debeant, ſuo loco explicabimus. Non me fugit, apud Plutarchum tribui Cæſari λόγον ἀνδρὸς στρατιωτικοῦ : quod videri queat vulgatæ lectioni aſſerendæ facere. verum id Cæſar ibi de ſe tot jam annos in Martis caſtris verſato excuſationis gratia, in contentione cum principe eloquentiæ Cicerone. Quare nihil ea verba falſam γραφὴν adjuvant : quæ vel propterea ſtare non poteſt, quod ſententiam hiulcam atque imperfectam reddit.

VARIOR.

54. *Promercale dividere.*] Sic in MSS. IV. Torrentius reperit. Promercale eſt venale. Quam belle autem *venale divendere.* Ait per Italiam & provinciarum diverſa oppida miſſitaſſe, tradidiſſe, diſpertiviſſe procuratoribus & auri fabris promercale, hoc eſt, venale habendum. Abundantia iſtius vilitatis cauſa fuit, non quod aurum ex Gallicis manubiis ſit deterioris venæ. GRONOV. *Seſtert.* p. 905.

TORRENT.

Quid? oratorum quem.] Mallem *oratorem*, ut in duob. MSS.

Strabonis Cæſaris.] Gentilis ſui. Cujus orationem, qua Sulpicio reſpondit, memorat Priſcian. lib. V. De Sardis vero occurrit nunc Ciceronis locus lib. II. de Officiis : *Ut nos pro Siculis, Julius pro Sardis.* Et Divinat. in Verr. ſub finem : C. Julius Cn. Pompejum, Pompeji Magni patrem, Divinatione contra T. Albutium vicit. Vide locum : nam de Julio Strabone loquitur. Ex cujus Divinatione, qua Pompejo prælatus eſt, & oratione contra T. Albutium pro Sardis, C. Julius Cæſar ſuam tam Divinationem, quam Orationem contra Dolabellam inſtruxit.

Inter quas temere quædam feruntur, pro Q. Metello.] Sic diſtinguo ante *pro*, ne quis plures orationes pro Metello eum ſcripſiſſe exiſtimet. *Temere* autem, id eſt, per errorem. Et Metellum Nepotem intelligit, de cujus tribunatu ſup. cap. XVI.

CASAUBON.

Strabonis Cæſaris ſecutus eſt.] Invenimus in MSS. quibuſdam : *Cæſar ſecum eſt.* quod propterea notamus, ne tironem aliquem ea ſcriptura decipiat : ut ſæpe accidit, quoties immaturo judicio ad tractandos MSS. acceditur. rectum eſt *Cæſaris.* nec pote aliter. non enim ſatis definite diſtincteque C. Julius Cæſar Strabo vetus orator, de quo multa Cicero, ſolo cognomine deſignaretur, cum præſertim in aliis multis Romanarum gentium Strabones reperiantur.

Orationes aliquas reliquit.] Ut in Dolabellam unam, vel plures. Aſconius Pedianus : *Ne forte erretis, & eundem hunc Cn. Dolabellam putetis eſſe, in quem C. Cæſaris orationes legitis.*

Ut pro Q. Metello.] Ita legendum, retracto *ut* fugitivo, quod male cum præcedentis dictionis fine coaluerat. quod mendi genus paſſim in hoc auctore fuiſſe commiſſum, non mirabuntur, qui in Piſanarum Pandectarum lectione aliquid olei & operæ poſuerint.

TOR-

non immerito Auguſtus exiſtimat magis ab actuariis exceptam, male ſubſequentibus verba dicentis, quam ab ipſo editam. Nam in quibuſdam exemplaribus invenio, ne inſcriptam quidem *Pro Metello*, ſed, *quam ſcripſit Metello*, cum ex perſona Cæſaris ſermo ſit, Metellum ſeque adverſus communium obtrectatorum criminationes purgantis. *Apud milites* quoque *in Hiſpania*, idem Auguſtus orationem eſſe vix ipſius putat: quæ tamen duplex fertur: una quaſi priore habita prælio: altera, poſteriore, quo Aſinius Pollio ne
56 tempus quidem concionandi habuiſſe eum dicit, ſubita hoſtium incurſione. Reliquit & rerum ſuarum Commentarios, Gallici civiliſque belli Pompejani. Nam Alexandrini, Africique & Hiſpanienſis, incertus auctor eſt. Alii enim Oppium putant, alii Hirtium: qui etiam Gallici belli noviſſimum imperfectumque librum ſuppleverit. De commentariis Cæſaris Cicero in eodem libro ſic refert: *Commentarios ſcripſit valde quidem probandos: nudi ſunt, recti, & venuſti, omni ornatu orationis, tamquam veſte detracta: ſed dum voluit alios habere parata, unde ſumerent qui vellent ſcribere hiſtoriam, ineptis gratum fortaſſe fecit, qui illa volent calamiſtris inurere, ſanos quidem homines a ſcribendo deterruit.* De eiſdem commentariis Hirtius ita prædicat: *Adeo probantur omnium judicio, ut prærepta, non præbita, facultas ſcriptoribus videatur. Cujus tamen rei major noſtra quam reliquorum eſt admiratio. Cæteri enim quam bene atque emendate, nos etiam quam facile atque celeriter eos perſcripſerit, ſcimus.* Pollio Aſinius parum diligenter, parumque integra veritate compoſitos putat: cum Cæſar pleraque & quæ per alios erant geſta, temere crediderit; & quæ per ſe, vel conſulto, vel etiam memoria lapſus, perperam ediderit: exiſtimatque reſcripturum & correcturum fuiſſe. Reliquit & *De Analogia* libros duos, & *Anti-*

TORRENT.

Auguſtus exiſtimat magis ab actuariis.] Liber unus *exiſtimabat*. Sed nihil muto. nam Auguſtus, ut puto, id in opere aliquo ſcripſit, quod Suetonii ætate exſtabat; & forte eo in libro, quo Bruto de Catone reſcripſit, de quo Aug. cap. LXXXV. *Actuarii* vero iidem, qui notarii, inde dicti, quod acta notis excipiebant, l. III. de his qui not. infamia.

Ne inſcriptam quidem pro Metello, ſed quam ſcripſit Metello.] Quanto venuſtior erit oratio, ſi expunctis duabus dictionibus ex gloſſemate aliquo ſumptis, *ſed Metello* legamus?

Apud milites.] Malim *ad milites*.

Idem Auguſtus orationem eſſe vix.] Exemplum alterius orationis temere inſertæ. In duobus autem codd. MSS. duæ illæ dictiones *orationem eſſe*, deſiderantur. quas ſane abeſſe non ægre feram.

56. *Alii enim Oppium.*] Dele *enim*, ut in trib. MSS.

Cicero in eodem libro.] Libri duo, *Cicero eodem Bruto*; unus, *Cicero Bruto*, haud dubie melius. nam tametſi ante cap. proximo Ciceronis Brutum nominat, ibidem tamen ad Nepotem quoque ſcripta citat. Item paulo poſt *parata* pro *paratam* tres codd. quod & Glareanus probat, & *volent* pro *volunt*.

Reliquit & de Analogia libros duos.] Horum Quinctilian. & Gellius meminere; & Gellius quidem lib. XIX. cap. VIII. ad M. Ciceronem eos ſcriptos fuiſſe teſtatur. Quo fit, ut ſuſpicer, verba ea *ad Ciceronem*, hoc ipſo mox capite non ſuo loco eſſe poſita. Lego igitur ſic: *Reliquit & de Analogia ad Ciceronem libros duos.* & paulo poſt: *Exſtant item ad Familiares domeſticis de rebus*, expunctis illis, *& ad Ciceronem.* neque enim Cicero tam illi familiaris fuit, ſuboffenſo nimirum, quod ipſum in Galliam ſecutus non eſſet. Adjuvat hanc conjecturam Gellius lib. XVII. cap. IX. ubi, *Libri ſunt*, inquit, *epiſtolarum C. Cæſaris ad C. Oppium, & Balbum Cornelium, qui res ejus abſentis curabant*, non omiſſurus Ciceronem, ſi & id illum liber exſtitiſſet.

CASAUBON.

Quam ſcripſit Metello.] Titulus integer fuit: *Oratio Cæſaris, quam ſcripſit Metello.* Longe fallitur Vir doctus, qui putat tollenda eſſe illa verba, *quam ſcripſit.* cui enim perſuadebit inſcriptam fuiſſe hanc orationem ſic: *Oratio Cæſaris Metello?*

Apud milites quoque in Hiſpania.] Fallitur vir doctus, qui mavult *Ad milites.* Diomedes libro primo: *Sane fruſtro apud veteres reperitur. Ut C. Cæſar apud milites de commodis eorum; Non fruſtrabo vos milites.*

Subita hoſtium incurſione.] Longe aliter auctor libri de bello Hiſpanienſi: nam ut ille narrat, adeo nulla fuit ſubita hoſtium incurſio, ut contra ægre Pompejani ad prælium elici potuerint. Græci hiſtorici in prælio Mundenſi deſcribendo omiſſiores fuerunt: maxime omnium Appianus.

56. *Cicero in eodem libro.*] Membranæ regiæ & eruditiſſimi Pithœi, *in eodem Bruto.* neque aliter

ſcriben-

Anticatones totidem, ac præterea poema quod inſcribitur *Iter*. Quorum librorum primos in tranſitu Alpium, cum ex citeriore Gallia, conventibus peractis ad exercitum rediret: ſequentes, ſub tempus Mundenſis prælii fecit: noviſſimum, dum ab urbe in Hiſpaniam ulteriorem IV & XX die pervenit. Epiſtolæ quoque ejus ad ſenatum exſtant, quas primus videtur ad paginas & formam memorialis libelli convertiſſe, cum antea COSS. & duces nonniſi tranſverſa charta ſcriptas mitterent. Exſtant & ad Ciceronem, item ad familiares domeſticis de rebus: in quibus ſi qua occultius perferenda erant, per notas ſcripſit, id eſt, ſic ſtructo litterarum ordine, ut nullum verbum effici poſſet: quæ ſi quis inveſtigare & perſequi vellet, quartam elementorum litteram, id eſt, *d* pro *a*, & perinde reliquas

ſcribendum, Turonenſi etiam libro auctore.

Dum voluit alios habere parata, unde ſumerent.] Et Ciceronis & Suetonii omnes meliores codices *parata* ſcribunt: quæ vera lectio eſt, non *paratum*, ut Lambino viſum: aut *paratam*, ut aliis.

Celeriter eos perſcripſerit.] Malim *confecerit*, ut eſt hodie in noſtris codicibus. locus eſt in præfatione libri VII.

Reliquit & de Analogia libros duos.] Liber Angeli Politiani, *de Analogia ad Neronem duos libros.* quam appendicem noſtræ membranæ non agnoſcunt.

TORRENT.

Quas primum vid.] Opinor verius *primus*.

Per notas.] Inf. Aug. cap. LXXXVIII.

CASAUBON.

Dum ab urbe in Hiſpaniam ulteriorem IV *&* XX *die pervenit.*] Legendum VII & XX *die*. neque enim quarto & vigeſimo, ſed vigeſimo ſeptimo die in Hiſpaniam pervenit fulmen iſtud belli. Strabo lib. III. Φασὶν οἱ συγγραφεῖς ἐλθεῖν καὶ Καίσαρα ἐκ Ῥώμης ἑπτὰ καὶ εἴκοσιν ἡμέραις εἰς τὸν Ὀβούλκωνα καὶ τὸ στρατόπεδον τὸ ἐνταῦθα, ἡνίκα ἔμελλε συνάπτειν τὸν περὶ τὴν Μοῦνδαν πόλεμον. Appianus eundem numerum cum Strabone habet: addit autem confectum hoc iter cum βαρυτάτῳ στρατῷ. In Hiſtoria miſcella non XXIV. ſcriptum invenies: ſed XVII. manifeſto librarii errore, qui alterum X omiſit. Non igitur dubium, quin locus iſte Suetonii ſit emendandus. ſic alibi ſæpe peccatum, & pro V. ſcriptum II. vel contra. Eſt autem antiqua loci hujus depravatio: reperimus enim vulgatam lectionem non ſolum in codd. Suetonii noſtris omnibus, ſed etiam in fragmento quodam rerum Julii Cæſaris, quod ex veteri libro deſcriptum beneficio viri eruditiſſimi Jacobi Bongarſii nacti ſumus. Continetur iis ſchedis belli Hiſpanienſis hiſtoria a neſcio quo ex Suetonio, Hirtio, aliiſque concinnata, plane pro captu ſæculi barbari: etſi non barbaro prorſus ſtilo.

Quas primum videtur.] Placeret magis, *quas primus is.*

Ad paginas & formam memorialis libelli convertiſſet.] Eadem fuit forma epiſtolarum vulgo: quod declarant Ciceronis epiſtolæ, in quibus *extrema pagina* valet extrema pars epiſtolæ. ſic alibi paginæ in epiſtolis nominantur. quod ſi impleta pagina ſupereſſet aliquid, tum vero tranſverſa charta ſcribebant in margine, prorſus ut hodie fieri interdum ſolet. Cicero ad Atticum libro V. *Nunc venio ad tranſverſum illum extremæ epiſtolæ verſiculum.*

Exſtant & ad Ciceronem, item ad Familiares domeſticis de rebus.] Fallitur iterum vir ille eruditiſſimus, qui putat, tollenda eſſe illa, *ad Ciceronem.* Quid? Cæſarem ad Ciceronem ſcripſiſſe mirum tibi videtur? At, inquis, non fuit illi Tullius familiaris. ille vero ſatis amicus & familiaris, quod epiſtolæ ad Atticum multis locis teſtantur. Et tamen fallimur, ſi putamus, Suetonium hoc loco Ciceronem inter Cæſaris familiares ponere: quem potius ab illis ſeparat, ſi recte accipimus ipſius verba. A. Gellium Ciceronis non meminiſſe libro XVII. cap. IX. mirum non eſt. Solos enim nominat eos, ad quos Cæſar per notas ſcripſerat. Nemo autem de Cæſare & Cicerone hoc dicit: neque ea eſt Suetonii mens. qui hoc tantum voluit, exſtare ſua memoria adhuc aliquas Cæſaris ad Ciceronem epiſtolas. exſtant & hodie quædam: ſed, ut puto, pauciores.

Ad Familiares.] C. Oppium & Cornelium Balbum & alios, qui res ejus abſentis curabant. De hoc genere procuratorum Aſconius Pedianus. Græci vocant τοὺς ἐπιτροπεύοντας τῆς ἀποδημίας τινὶ, ut Appianus Manium Antonii procuratorem.

Si quis inveſtigare & perſequi vellet.] Melius legeris *volet*, ut in editione Roberti Stephani. *perſequi* pro aſſequi legendo, vel intelligere, ut apud Græcos παρακολουθεῖν & ἕπεσθαι. Sic imitatione Græcorum *tranſire* dixerunt, pro percurrere ſive lectione ſive oratione, ut illi διέρχεσθαι. In ὁμιλίαις Græco-latinis, quæ Gloſſario ſunt adjectæ, leguntur hæc: *et ego tranſeo lectionem*, καὶ ἐγὼ διέρχομαι ἀνάγνωσιν. Doctiſſimi viri barbare dictum pronuntiarunt, & inepta Græci ſermonis imitatione. Ego memini, ſic loqui elegantiſſimum ſcriptorem A. Gellium cap. ult. *Ipſe*, inquit, *volvendis tranſeundiſque multis admodum voluminibus exercitus defeſſuſque ſum. tranſeundis*, hoc eſt, legendis. ſic accipio lib. III. ad Herennium, cum ait Auctor: *Ut ipſi nobiſcum primum tranſeamus bis aut ter eum verſum:* id eſt, legamus attente, vel repetamus apud nos quaſi recitantes.

reliquas commutet. Feruntur & a puero, & ab adoleſcentulo, quædam ſcripta: ut Laudes Herculis, Tragœdia Oedipus: item Dicta collectanea. quos omnes libellos vetuit Auguſtus publicari, in epiſtola quam brevem admodum ac ſimplicem ad Pompejum Macrum, cui ordinandas
57 bibliothecas delegaverat, miſit. Armorum & equitandi peritiſſimus, laboris ultra fidem patiens erat: in agmine, nonnunquam equo, ſæpius pedibus, anteibat, capite detecto, ſeu ſol, ſeu imber eſſet. Longiſſimas vias incredibili celeritate confecit, expeditus, meritoria rheda, centena

tantes. Libro primo de Inventione, *tranſire breviter argumentationes* non ſemel dictum, pro recenſere, *διέρχεσθαι*, & oratione percurrere. Hoc viſum obiter monere: quia doctiſſimos viros valde ſuperiores loci habuerunt exercitos, dum hunc ἑλληνισμὸν non obſervant.

Quartam elementorum litteram.] Dio lib. XL. *Ἐιώθει δὲ καὶ ἄλλως, ὁπότε τὶ δι' ἀποῤῥήτων τινὶ ἐπέϛελλε, τὸ τέταρτον ἀεὶ ϛοιχεῖον ἀντὶ τȣ̃ καθήκοντος ἀντεγγράφειν.*

VARIOR.

56. *Ad Familiares.*] Sic putant quidam Ciceronis *epiſtolas* non inſcribendas *familiares*, ſed *ad Familiares*. A quibus diſſentit Hub. Giſanius in Obſervationibus, exiſtimans, ipſas epiſtolas *Familiares*, dicendas eſſe. Sed neutrum placuit Victorio, qui multis evincere ſtuduit, ſexdecim Ciceronis libros epiſtolarum denominandos eſſe ab iis, quibus prima inſcripta eſt epiſtola. Ut liber primus *liber ad Lentulum*, ſecundus *ad C. Curionem*, & ſimili modo reliqui. Sed hoc tamen Camerarium movere non potuit, quin his Ciceronis libris præſcripſerit titulum *Epiſtolarum familiarium*. GOES.

TORRENT.

Feruntur & a puero & ab adoleſcente.] Duo meliores codd. *Feruntur vero ab adoleſcente*, deletis cæteris, nec diſplicet; & *Tragœdia Oedipus*, non *Oedipi*. Tragœdias vero Cæſaris etiam Aſconius commemorat.

Collectanea.] Sunt qui Apophthegmata Cæſaris hoc nomine, intelligant, de quibus Cic. ad Pætum lib. IX. epiſt. XVI. Verum volumina vocat Cicero, Suetonius libellos fuiſſe indicat; & apophthegmata Cæſar non adoleſcens, ſed matura jam ætate collegit.

Publicari in epiſtola.] Dele *in.* ſic enim duo MSS.

57. *Meritoria rheda cent. mill. paſſuum.*] Liber opt. *reda & paſſum.*

CASAUBON.

Item Dicta collectanea.] Alibi notamus, quoſdam Græcorum libros edidiſſe, *ἰσοδυνάμῳ* indice, *Ὑπομνήματα τῶν σποράδην λεγομένων*: fortaſſe tamen verius eſt, eum librum intelligi, quem *Ἀποφθεγμάτων* vocat Cicero in epiſtola ad Pætum. Nam quod volumina dicuntur illi, Suetonio libelli; non debuit ea res quemquam movere. *Volumen* Latinis eſt omnis ſectio major, ſive liber ſit, ſive libri pars. Sic librum primum Bibliothecæ Diodori duobus voluminibus conſtare dixeris recte. Plinius in epiſtolis: *Libri tres in ſex volumina propter amplitudinem diviſi.* Ipſe Diodorus *τμήματα* & *μερίδας* vocat. Viterb. cod. legit: *Dicta conjectanea*, pro *conlectanea*, ut puto.

57. *Incredibili celeritate confecit.*] De quo non abſurdam ſententiam M. Tullius ad Atticum de Cæſare: *Hoc τέρας horribili vigilantia, celeritate, diligentia eſt.*

Meritoria reda.] In manu exarato libro Jacobi Cujacii pro iſtis verbis erant hæ literæ Græcæ: ΜΗΡΤΑΡΗΔΑ. quod quid ſit, divinare nequeo. niſi quod videtur, qui ita ſcripſit, uſus exemplari, ubi fugientes eſſent hæ literæ Latinæ, *mriareda*: quod ſcribendi compendium cum non intelligeret, ſuſpicatus Græcum verbum eſſe, Græce ſcripſit. At *reda* Gallicum eſt, non Græcum vocabulum. Græci meritoriam redam dicerent, *μισθωτὸν τετράκυκλον* vel *ὄχημα τετράκυκλον*. Reda quatuor rotas habebat, ut ciſium duas, auctore Iſid. propterea Græci in rebus Romanis *τετράκυκλον* appellant. Xiphilinus in Adriano: *Ὀυ δ' ἐϛὶν ὁπότε ὔτε ὀχήματος τότε γε, ὔτε τετρακύκλȣ ἐπέβη. Nunquam*, inquit, *in illo itinere nec currum nec redam conſcendit.* Dionis interpretes *τετράκυκλον* pudendo errore *quadrigas* interpretantur. Nam etſi mancipes publici curſus redas quaſdam ſoliti appellare *quadrigas* vel *flagella*, ut narrant Impp. in Codice: non tamen ferendus ſit, qui viatorum *τετράκυκλον*, quadrigas dicat. Separat autem Dio redam & *ὄχημα*, cum tamen *ὄχημα* ſit nomen generis: ſed accipitur pro carpento aut alio curru artificii majoris. ideo ſcribitur in Gloſſario: *Ὄχημα, vehiculum, currus. Ὀχημάτιον, reda.* alioquin & *τετράκυκλον*, ſive reda, *ὄχημα* eſt. Eunapius in Ædeſio: *διὰ δὲ ἐυδαιμονίαν ἐπὶ τετρακύκλȣ ὀχήματος ἐφέρετο.* ubi idem error eruditiſſimi Junii vertentis *quadrigas*. Quemadmodum autem hoc genus vehiculi a rotarum numero *τετρακύκλȣ* nomen invenit, ſic apud vetuſtiſſimos Æoles ab eodem numero *πετόριτον* dictum, & apud inferioris ætatis Græcos Latinoſque *δίκυκλον* & *birota*. In Codice Theodoſiano de Curſu publico: *Statuimus redæ mille pondo tantummodo ſuperponi, birotæ ducenta, veredo triginta.*

na paſſuum milia in ſingulos dies: ſi flumina morarentur, nando trajiciens, vel innixus inflatis utribus, ut perſæpe nuntios de ſe prævenerit. In obeundis expeditionibus, dubium 58
cautior an audentior. Exercitum neque per inſidioſa itinera duxit umquam, niſi perſpeculatus locorum ſitus: neque in Britanniam tranſvexit, niſi ante per ſe portus & navigationem & acceſſum ad inſulam exploraſſet. At idem obſeſſione caſtrorum in Germania nuntiata, per ſtationes hoſtium Gallico habitu penetravit ad ſuos. A Brundiſio Dyrrachium inter oppoſitas claſſes hieme tranſmiſit. Ceſſantibuſque copiis, quas ſubſequi juſſerat, cum ad arceſſendas fruſtra ſæpe miſiſſet, noviſſime ipſe clam noctu parvulum navigium ſolus obvoluto capite conſcendit: neque aut quis eſſet ante detexit, aut gubernatorem cedere adverſæ tempeſtati paſſus eſt, quam pæne obrutus fluctibus. Ne religione quidem ulla a quo- 59
quam incepto abſterritus unquam vel retardatus eſt. Cum immolanti aufugiſſet hoſtia, profectionem adverſus Scipionem & Jubam non diſtulit. Prolapſus etiam in egreſſu navis, verſo

TORRENT.

58. *Cautiorne, an audentior.*] Tres libri *cautior, an audentior*, ſine *ne*, ut fere loquitur Tacitus.

Obſeſſione caſtrorum in Germania.] Cod. unus *obſidione*. Sed & Cicero utroque uſus eſt, *obſeſſio templorum*, *obſeſſio militaris viæ*. Sup. cap. XXV.

A Brunduſio Dyrrachium.] Liber opt. *Brundiſio Durrachium.*

Ad accerſendas fruſtra ſæpe miſiſſet.] Liber Ferrarienſ. *ad accerſendas eas fr.*

59. *Prolapſus etiam in egreſſu.*] Tornacenſ. *prolapſus etiam egreſſu*, ſine *in*. De hoſtia vero aufugiente ſimilis locus Tit. cap. X. Vide Galb. cap. XVIII.

CASAUBON.

Vel innixus inflatis utribus.] Inventum eſt antiquiſſimum. Græcis ante Alexandrum fuiſſe in uſu ex tertio Ἀναβάσεως Xenophontis ſub finem liquet. Non igitur Græcos, ſed Barbaros ſolum hoc docuit Alexander; quem tamen libro VII. ſic loquentem inducit Curtius: *Utribus amnem trajiciendi exemplum fecimus nuper: hoc ut Scythæ imitari neſciant, Bactriani docebunt.* Hi utres vel inflabantur follibus, ut Suetonius indicat, & Xenophon, Cæſar, Florus, aliique e Latinis: vel ſtramentis inferciebantur, ut apud Curtium libro ſeptimo cap. V. *Utres quam plurimos ſtramentis refertos dividit. His incubantes tranſnavere amnem.* mox: *Quos utres ſarmento repleti vehebant.* lege *ſtramento.* inepte enim nuper mutarunt. Arrianus de trajectione Iſtri libro primo: Τὰς διφθέρας, ὑφ' αἷς ἐσκήνουν, τῆς κάρφης πληρώσας &c. His igitur utribus ſive θυλάκοις πεφυσημένοις, ut Græci interdum nominant, ita incubantes & pedibus iter adgubernantes, tranabant: ſed poſtea inventi ſunt a Romanis aſcogephri, hoc eſt, pontes utribus junctis conſtantes: quorum deſcriptionem habemus in libro Notitiæ Imperii. Meminit Zoſimus libro tertio, ſic junctum Tigrim, narrans, a Joviano in reditu e Perſide. Ἀσκοὺς, ait, ἀλλήλοις συνδήσαντες καὶ ζεύγματα τρόπον τινὰ διὰ τούτων κατασκευάσαντες, ἐποχούμενοί τε τούτοις διέβησαν.

Ut perſæpe nuntios de ſe prævenerit.] Plutarchus: Ὅπου γὰρ ἄγγελον ἢ γραμματοφόρον διαδῦναι παρ' αὐτοῦ χρόνῳ πολλῷ ἦν ἄπιστον, ἐνταῦθα μετὰ πάσης ἑωρᾶτο τῆς στρατιᾶς.

58. *In obeundis expeditionibus dubium cautior, an audentior.*] Polybius acerrimi vir judicii, & in rerum cauſſis ſcrutandis ſollers, libro primo, Romanorum ingenia ita depinxit, ut ſi ejus deſcriptionem ad res geſtas magni iſtius Cæſaris referas, dixeris ipſiſſimum Julium eſſe quem deſcribat. Ideo viſum illius locum apponere: Καθόλου, inquit, Ῥωμαῖοι πρὸς πάντα χρώμενοι τῇ βίᾳ καὶ τὸ προτεθὲν οἰόμενοι δεῖν κατ' ἀνάγκην ἐπιτελεῖν, καὶ μηδὲν ἀδύνατον εἶναι σφίσι τῶν ἅπαξ δοξάντων, ἐν πολλοῖς μὲν κατορθοῦσι διὰ τὴν τοιαύτην ὁρμήν· ἐν τισὶ δὲ προφανῶς σφάλλονται. *Omnino*, ait, *Romani in omni re, quam inſtituant, violenti, & quicquid propoſuerint, id neceſſario fieri debere exiſtimantes, nihilque eorum quæ ſemel decreta ipſis fuerint, non poſſe fieri ſtatuentes: efficiunt illi quidem pleraque omnia hac tanta violentia & impetu, ex animi ſententia: in quibusdam tamen notabiles clades patiuntur.* Ita vides, quibus virtutibus & artibus pop. Rom. orbem ſubegerat, iiſdem eſſe per Cæſarem & ſuperatum & in ordinem coactum.

Neque in Britanniam tranſvexit, niſi ante per ſe p.] Hic mihi ſuſpecta Suetonii memoria: nam illud *per ſe*, qui poteſt fidem invenire, cum Cæſar ipſe aliter ſcriptum reliquerit? præmiſiſſe ait C. Voluſenum cum navi longa.

59. *Profectionem adverſus Scipionem & Jubam non diſtulit.*] Minutius Felix: *Cajus Cæſar ne ante brumam in Aſiam navigia tranſmitteret, auguriis & auſpiciis renitentibus, ſprevit: eo facilius & navigavit & vicit.*

VARIOR.

58. *Perſpeculatus.*] Malim, *præſpeculatus.* Congrue hoc ad iſtud præceptum Onoſandri cap. VI *Præmittat Imperator etiam equites ſcrutandis exploran-*

verſo ad melius omine, *Teneo te*, inquit, *Africa.* Ad eludendas autem vaticinationes, quibus felix & invictum in ea provincia fataliter Scipionum nomen ferebatur, deſpectiſſimum quendam ex Corneliorum genere, cui ad opprobrium vitæ Salutioni cognomen erat, in caſtris ſecum habuit. Prælia non tantum deſtinato, ſed ex occaſione ſumebat: ac ſæpe ab itinere ſtatim, interdum ſpurciſſimis tempeſtatibus, cum minime quis moturum puta-

randiſque viis: maxime cum ſylvæ penetrandæ, aut circumſeptæ collibus ſolitudines pervadendæ, &c. BERN.

Gubernatorem.] Cui nomen fuit Amyclas. Luc. V. v. 520. ID.

TORRENT.

Cui ad opprobrium vitæ Salvitoni.] Sic Pulmannus, & MSS. noſtri quatuor. At libri typis impreſſi *Salutioni*, nonnulli etiam *Salutationi.* Sunt quoque, qui verba illa, *ad opprobrium vitæ*, ut ex gloſſematio profecta, delenda cenſeant; ideo fortaſſis, quod in cognomine ipſo nullum opprobrium videant. Plin. VII. cap. XII. Scipiones duos, alterum a Serapione, ſuarii negotiatoris mancipio; alterum a Salutione mimo traxiſſe nomen ſcribit. Sed & ille Plinii locus forte reſtituendus eſt, ut *Salvito* legatur. nam in meo quoque codice *Salvitto* legitur. Verum ſive *Salvito*, ſive *Salutio*, ſive *Salatto* cum Dione extremo lib. XLII. quis mavult, verba illa, *ad opprobrium vitæ*, a Suetonio addita puto, quo ſignificet homini illi, quem ex gente Cornelia ſecum habuit Cæſar, non ob formæ cum mimo ſimilitudinem, ut priori illi Scipioni; ſed ob morum potius turpitudinem, vitæque infamiam cognomen hoc adhæſiſſe. Quamquam & nominis ratio, ſi veteres codices ſequamur, neſcio quid mimicum præ ſe fert, tanquam cui vita pro ſale fuerit, aut ipſe vitæ ſal atque jucunditas. ſic enim & Catullus ſuum ſalipuſium formavit, (niſi quis mecum ſentiens *ſalicippium* legere ibi malit) & lepide de meretricula Lucret. lib. IV. *tota merum ſal.* Juſtus Lipſius Elector II. cap. XVII. *Salacioni* legit, a verbo ſalax, ut a ſenex ſenecio, pro homine vitæ ſpurcæ & impuræ. Nec diſplicet. Dionis enim, quam dixi lectioni, *Salatto* proximum eſt. Conjecturæ tamen meæ non me pœnitet. Symbolam dedi, quam potui.

60. *Non tantum deſtinato.*] Lib. opt. *non ſæpe deſt.* quod probo.

Moturum putaret.] Cod. Ferrar. *ſperaret.*

CASAUBON.

Cui ad opprobrium vitæ Salutioni cognomen erat.] Editio Romana & aliæ nonnullæ, ut Roberti Stephani, ita hoc cognomen ſcribunt; quod in libris aliis tam varie ſcriptum reperitur. Romanam γραφὴν confirmant meliores codices Plinii lib. VII. cap. XII. & lib. XXXV. cap. II. & ita apud Plutarchum Σκιπίων Σαλȣτίων. apud Dionem Σαλάττων, minus recte. Cornelia gens, quod ſciunt omnes, in plurimas diviſa fuit familias: in iis una quædam obſcura & ignobilis, unde iſte erat: quem cognomen Salutionis a mimo, cui ſimilis fuit, traxiſſe, credamus affirmanti Plinio libro VII. Suetonius ait, ad opprobrium vitæ id illi cognominis eſſe impoſitum: quod non repugnat ſententiæ Plinii. utrumque enim fieri potuit, ut & vultus & morum ſimilitudine hiſtrionem illum referret. Sic legimus Curionem oratorem corpore & lingua percitum & inquietum, Barbuleji Scenici nomen coactum ſuſcipere. Hic Salutio a Cæſare tum aſſumtus, in gratia apud eum poſtea fuit & loco aliquo. Opes ſane tantas paravit, ut earum magnitudine Scipionem unum e familia Africanorum induxerit, ut vellet teſtamentaria adoptione in familiam ſimul & nomen ei ſuccedere. quod factum nobilibus viris vehementer improbatum, Meſſalæ imprimis, qui ea cauſſa motus librum edidit de Familiis. auctor Plin. lib. XXXV. Viris doctis, qui iſtum locum varie emendant, equidem magis audiendum quam auſcultandum cenſeo.

60. *Prælia non tantum deſtinato, ſed ex occaſione ſumebat.*] Viterb. ſine *ex. Prælia ſumere*, ut apud Tacitum II. Hiſtoriarum: *Othoniani, quanquam diſperſi, pauciores, feſſi, prælium tamen acriter ſumſere.* & alibi *pugnam reſumere.* & XV. Annalium: *ſumere conjurationem.* Genus loquendi militare, ut *terga ſumere.* unde apud Servium ex Salluſtio, *more prælii ſumtis tergis & redditis.*

Cum minime quis moturum putaret.] Vera lectio, *ſperaret.* ita in exarata lectione optimorum quorumque librorum. Mutarunt imperiti magiſtelli non hoc loco ſolum, ſed aliis multis veterum ſcriptorum: quod ſcripti codd. arguunt. neſciebant iſti qualemcunque τȣ̃ μέλλοντος δόξαν Latinis *ſpem* dici, Græcis ἐλπίδα; ut in primo de Legibus docet Plato. & ita loquuntur graviſſimi auctores. ita dictum divino Hippocrati primo Prorrhetico, μανῆναι τȣ́τȣς ἐλπίς. ita Vati Thebano, κοιναὶ γὰρ ἔρχοντ' ἐλπίδες πολυπόνων ἀνδρῶν, Nemeonicarum Ode pr. Ita etiam optimi quique Latinorum. quod aliis obſervatum.

VARIOR.

Cui ad opprobrium vitæ Salutioni.] Sic & apud Plinium. Timide ſuſpicabar, an fuiſſet Salaconi. Eſt enim σαλάκωι, πτωχὸς ἀλάζων Heſychio: qualis ille oſtentator pecunioſus lib. IV. ad Herennium: quales multi cuniculoſæ Celtiberiæ filii, an privigni. Idem σαλακωνίσαι. Cic. lib. VII. fam. XIV. *Iſtius Salaconis iniquitatem.* Ariſtoteles II. Rhet. ad Theodect. XVI. καὶ τρυφεροὶ καὶ σαλάκωνες. GRONOVIUS.

60. *Moturum ſperaret.*] Recte Gruterus ex MSS. &

putaret: nec niſi tempore extremo ad dimicandum cunctantior factus eſt. Quo ſæpius viciſſet, hoc minus experiendos caſus opinans: nihilque ſe tantum acquiſiturum victoria, quantum auferre calamitas poſſet. Nullum umquam hoſtem fudit, quin caſtris quoque exueret: ita nullum ſpatium perterritis dabat. Ancipiti prælio equos dimittebat, & in primis ſuum, quo major permanendi neceſſitas imponeretur, auxilio fugæ erepto. Ute- 61
batur autem equo inſigni, pedibus prope humanis, & in modum digitorum ungulis fiſſis: quem natum apud ſe, cum haruſpices imperium orbis terræ ſignificare domino pronuntiaſſent, magna cura aluit: nec patientem ſeſſoris alterius, primus eſcendit: cujus etiam inſtar pro æde Veneris Genetricis poſtea dedicavit. Inclinatam aciem ſolus ſæpe reſtituit, ob- 62
ſiſtens fugientibus, retinenſque ſingulos, & contortis faucibus convertens in hoſtem: & quidem adeo plerumque trepidos, ut aquilifer moranti ſe cuſpide ſit comminatus: alius in manu detinentis reliquerit ſignum. Non minora illa conſtantiæ ejus, immo majora 63
etiam, indicia fuerint: poſt aciem Pharſalicam, cum præmiſſis in Aſiam copiis, per anguſtias Helleſponti vectoria navicula trajiceret, L. Caſſium partis adverſæ cum decem roſtratis navibus obvium ſibi, neque refugit: & cominus tendens, ultro ad deditionem hortatus, ſupplicem ad ſe recepit. Alexandriæ, circa oppugnationem pontis, eruptione hoſtium 64
ſubita compulſus in ſcapham, pluribus eodem præcipitantibus cum deſiliſſet in mare, nando per

& antiquis editionibus revocavit hoc verbum. Sperare eſt putare, Virg. IV. Æn.

Hunc ego ſi potui tantum ſperare dolorem.

Et I. Æn.

Si genus humanum & mortalia temnitis arma;
At ſperate deos memores fandi atque nefandi.

BERN.

TORRENT.

Cunctantior.] Meliores libri *contatior*, & *cuntatior*, ut & alibi.

Quem non caſtris quoque.] Liber opt. *qui in caſt.* alter *quin caſt.*

61. *Utebatur equo.*] De Cæſaris equo Plin. lib. VIII. cap. XLII. & plura Plutarch.

62. *Moranti cuſpide.*] Cod. unus *moranti ſe cuſpide ſit comminatus.* Valer. III. cap. II. Cuſpidem autem intelligo, quo Aquila, uti & alia ſigna militaria, defigebantur; & Aquila quidem in ædicula, ut in vetuſtis numiſmatibus cernitur. Vide Dionem lib. XL. de Craſſi expeditione Parthica.

63. *Immo majora etiam.*] Quis non videt, totum hoc adulterinum eſſe? Lego itaque, *Non minora illa conſtantiæ ejus indicia fuerunt.*

Vectoria navicula.] Sic duo libri ex noſtris, & ſic Turnebi ſecutus auctoritatem Pulmannus reſtituit. Ego tamen *victor* retineo. victoria enim addebat animum. Et cum naviculam dicit, ſatis intelligimus vectoriam fuiſſe.

L. Caſſium.] Appianus eundem Caſſium fuiſſe vult, qui poſtea Cæſarem occidit. Atqui hunc C. vocat & ipſe, & Sueton. inf. cap. LXXX. Sed duo inter conjuratos Caſſii fuere, præcipuus tamen Cajus.

64. *Eruptione hoſtium ſubita.*] Liber Ferrar. *eruptione hoſtium facta ſubito compulſus.*

CASAUBON.

Quo ſæpius viciſſet, hoc minus experiendos caſus opinans.] Prudens & neceſſarium conſilium. Bene olim Alexandri milites: *Si non militibus vel ipſe ſibi parcat, ne fortunam ſuam nimis onerando fatiget.* Juſtinus lib. XII.

Quin caſtris quoque exueret.] Magni duces ſtantibus hoſtium caſtris adhuc, plenam ſe adeptos victoriam non putabant, nec dum Imperatoris meritos cognomen. Plutarchus in dictis memorabilibus Pompeji.

62. *Ut aquilifer moranti ſe cuſpide ſit comminatus.*] Plut. & App. libro II. Ἐμφυλίων, hoc docent acciddiſſe eo prælio, quo Pompejus inſignem de Cæſare apud Dyrrhachium victoriam tulit: ajuntque ſtatim occiſum iſtum aquiliferum ab iis, qui circa Cæſarem erant. *Cuſpis* eſt haſtilis, quo aquila geſtatur, pars poſterior mucronata, qua terræ infigitur. Græcis οὐριαχὸς & σύραξ: etiam σαυρωτὴρ, ſed τοῖς μεθ᾽ Ὅμηρον tantum.

63. *Vectoria navicula.*] Sic dictum, ut ſupra *reda meritoria.* Vectoria eſt, τῷ τοῦ πορθμέως πλοιαρίῳ. atque hoc mire factum auget. Turnebo aſſentior, & cum Cujacii & Pithœi codd. *vectoria* lego, non, ut aliis placet, *victor.* Dionis verba pro omni ratione ſunt: τὸν Ἑλλήσποντον ἐν πορθμείῳ τινὶ περαιούμενος.

L. Caſſium partis adverſæ.] Libri nihil variant: Dio conſentit, μετὰ τοῦ Κασσίου τοῦ Λουκίου. Sed quæ ad ea verba Dionis eruditiſſimus Xylander diſputat, impellunt me, ut in prænomine erratum putem, & *C.* pro *L.* eſſe ſcribendum.

TOR-

per cc paſſus, evaſit ad proximam navem, elata læva, ne libelli, quos tenebat, madefierent: paludamentum mordicus trahens, ne ſpolio potiretur hoſtis.
65 Militem neque a moribus neque a fortuna probabat, ſed tantum a viribus: tractabatque pari ſeveritate atque indulgentia. Non enim ubique ac ſemper, ſed cum hoſtis in proximo eſſet, coercebat: tum maxime exactor graviſſimus diſciplinæ, ut neque itineris, neque prælii tempus denuntiaret: ſed paratum & intentum momentis omnibus, quo vellet, ſubito educeret. Quod etiam ſine cauſſa plerumque faciebat, præcipue pluviis, & feſtis diebus. Ac ſubinde obſervandum ſe admonens, repente interdiu vel nocte ſubtrahebat: augebatque iter, ut ſerius ſubſequentes defatigaret.
66 Fama vero hoſtilium copiarum perterritos non negando, minuendove, ſed inſuper amplificando, ementiendoque confirmabat. Itaque cum expectatio adventus Jubæ terribilis eſſet, convocatis ad concionem militibus: *Scitote*, inquit, *pauciſſimis his diebus regem affuturum cum* x *legionibus*, *equitum* xxx, *levis armaturæ* c *milibus*,

TORRENT.

Paludam. mord. trahens.] De libellis conſentit Dion lib. XLII. de paludamento abit diverſus. nam & veſtium pondere, & Ægyptiorum frequentibus telis, qui in eas, ut purpura inſignes, collimarent, pæne periiſſe, tandemque iis abjectis nando evaſiſſe ad proximam navim. Veſtem Ægyptios potitos ad tropæum, quod fugæ illius monumentum erexerant, ſuſpendiſſe, tanquam ſi Cæſarem ipſum peremiſſent. Appian. Civil. II. de libellis non meminit, paludamentum hoſtes intercepiſſe ait.

65. *Neque a fortuna.*] Mallem *a forma*, quamvis repugnantibus libris, ut Cæſar non tam corporis aptitudine, quam re ipſa vires expenderit. Ipſe autem lib. I. Commentar. ſcribit, ſe non minus ab milite modeſtiam & continentiam, quam virtutem atque animi magnitudinem deſiderare.

Ubique ac ſemper.] Liber unus *aut* pro *ac*. Mihi utrumque expungere nulla religio eſt, ut *ubique ſemper* legamus.

66. *Amplificando ementiendoque.*] Liber unus *ementiendo*, ſine copula. Sed *ementiri* fere apud auctores neſcio quam jactantiam in fingendo ac mentiendo ſignificat, ut *ementiri ſtirpem*, *genus*. Ovid. V. Metam.

> - - - *qui ſe genitum ſeptemplice Nilo*
> *Ementitus erat.*

Equitum xxx.] Appianus Jubam habuiſſe ſcribit equitum xx. peditum xxx M. elephantos LX. Quare legendum cenſeo, *cum* X. *legionibus*, *equitum* XXX. *millibus*, *elephantis* CCC. deleto *levis armaturæ* C. M. de equitibus enim ante dixit. Nec placet hoc de cataphractis intelligi: ea enim non erat Maurorum, aut Numidarum militia. Et alioquin etiam ſine his abunde famam auxerit Cæſar.

CASAUBON.

64. *Elata læva ne libelli, quos tenebat, madefierent.*] Codex Politiani, *elevata læva.* falſo. nam verum eſt manum lævam a Cæſare in eo periculo eſſe elatam, ne commentarii, quos illa manu tenebat, madefierent. Dio: πολλὰ γράμματα ἐν τῇ ἀριστερᾷ χειρὶ ἀνέχων ἐνήξατο.

65. *Militem neque a moribus neque a fortuna probabat.*] Si quid mutandum, nihil melius emendatione Torrentii, *a forma.* Sed quid ſi hoc melius? magni enim æſtimamus conſenſum MSS. Igitur *a fortuna* interpretor, a cenſu. Græci πλουτίνδην δοκιμάζειν: quod Polyb. in ſexta Hiſtoria ait factum a Romanis in equitum delectu. ſed & in pedite ſervatum idem, ut ex ipſo Polybio probavimus alibi. Livius lib. XXXIV. XXXI. Nabidem Spartanum ita facit alloqui T. Quintium: *Vos a cenſu equitem, a cenſu peditem legitis: & paucos excellere opibus, plebem ſubjectam eſſe illis vultis.* Portius Latro apud Senecam patrem lib. II. *Cenſus ſenatorium gradum aſcendit: cenſus in caſtris ſenatorium ordinem promovet: cenſus judices in foro legit.* Quod negat a moribus probatum Cæſari militem, id a Romana diſciplina per fuit alienum. Obſervo enim tantæ Romanis ducibus curæ fuiſſe mores ſuorum militum, ut in numeris ad cujuſque nomen nota morum adponeretur. Appianus Ἐμφυλίων lib. III. ᾔτησε παρὰ τῶν χιλιάρχων τοὺς στασιώδεις· ἀνάγραπτον γάρ ἐστιν ἐν τοῖς Ῥωμαίων στρατοῖς ἀεὶ καθ' ἕνα ἄνδρα ὁ τρόπος.

Præcipue pluviis & feſtis diebus.] Hæc duo tempora quam ſint hoſtilibus inſidiis opportuna, ex ſcriptoribus ſtratagematum diſcere licet.

66. *Non negando, minuendove.*] Liber Cujacii *inhibendove.* non abſurde: imo fortaſſe recte. Notæ artes hodieque politicis, rumores ſiniſtros inhibere.

Cum expectatio adventus Jubæ terribilis eſſet.] Viterb. *cum expectatio Jubæ.* Ipſi Cæſari, nedum militibus ejus, θυμὸς ἐνὶ στήθεσσι πάτασσε, ſi Dioni fides: qui plane divinitus ſervatum narrat.

Levis armaturæ C. millibus.] Errant, qui cenſent hæc verba non eſſe legitima. Hirtius: *Cum præſertim ab incolis ejus provinciæ nunciarentur adverſariorum copiæ, equitatus infinitus, legiones regiæ*

libus, *elephantis* ccc. *Proinde deſinant quidam quærere ultra*, *aut opinari*, *mihique qui compertum habeo*, *credant* : *aut quidem vetuſtiſſima nave impoſitos*, *quocumque vento*, *in quaſcumque terras jubebo avehi.* Delicta neque obſervabat omnia, neque pro modo 67
exſequebatur : ſed deſertorum ac ſeditioſorum & inquiſitor & punitor acerrimus. connivebat in cæteris. Ac nonnunquam poſt magnam pugnam atque victoriam, remiſſo officiorum munere, licentiam omnem paſſim laſciviendi permittebat : jactare ſolitus, *milites*

ſuos

IV *levis armaturæ magna vis. Scipionis legiones* x, *elephanti* cxx, *claſſeſque eſſe complures.* Vide amplius totum locum. Appianus nihil te movebit, ſi recte ceperis. eum adi.

TORRENT.

Jubebo avehi.] Libri MSS. duo, & edit. Germanica, *jubeo.* quod ſane magis ducem ſapit, maxime comminantem militibus.

67. *Neque pro modo.*] Gabriel Faërnus, vir doctiſſimus, legebat *pro more*, ut ad jus militiæ referatur, non ad delicti modum. neque enim veriſimile eſt apud Cæſarem, uti apud Stoicos, delicta fuiſſe æqualia.

CASAUBON.

Deſinant quidam quærere ultra aut opinari.] Vim horum omnium verborum unica ſibi familiari voce exprimunt Græci hiſtorici παραστρατηγεῖν. paſſim ea Plutarchus utitur. Appianus quoque III. Ἐμφυλίων de Caſſio : Ἐκείνῳ ἐξ ἐπιταγματος ὑπήκουον οὐ παραστρατηγοῦντες, οὐδὲ τὰς αἰτιας μανθανοντες, οὐδ' εὐθύνοντες, ὅτε καὶ μαθοιεν.

Aut quidem vetuſtiſſima nave impoſitos, *quocunque vento in quaſcunque terras jubebo avehi.*] Scribe, *aut equidem vetuſtiſſimæ navi impoſitos.* Obſervo autem, fuiſſe hoc apud veteres inter ſupplicii genera. Ita puniti a Tito primum, (Suetonius ait in illius vita cap. VIII. ſed obſcurius) deinde a Trajano delatores. Plinius in libro Panegyrico : *Congeſti ſunt in navigia raptim conquiſita*, *ac tempeſtatibus dediti* : *abirent fugerentque vaſtas delationibus terras* : *ac ſi quem fluctus & procella ſcopulis reſervaſſent*, *hic nuda ſaxa & inhoſpitale litus incoleret* : *ageret duram & anxiam vitam*, *relictaque poſt tergum totius humani generis ſecuritate*, *mœreret.* Ita ſævitum olim a tyrannis, Chriſtiani nominis oſoribus, in viros ſanctos. Victor de Geiſerico Vandalo : *Tunc vero memoratæ urbis epiſcopum*, *id eſt*, *Carthaginis*, *Deo & hominibus manifeſtum*, *nomine Quod vult Deus*, *& maximam turbam clericorum navibus fractis impoſitum*, *nudos atque exſpoliatos expelli præcipit.* Eadem hiſtoria in Martyrologio, in VII. Kal. Novemb. *Quod vult Deus epiſcopus una cum clero a Geiſerico rege Ariano in navibus fractis abſque remigiis & velis impoſitus*, *præter ſpem Neapolim appulit.* Ejus generis ſunt & iſta ex eodem libro, in Aprili : *Hos omnes Aurelianus præfectus*, *navi vetuſtæ impoſitos in altum mare deduci præcipit.* Paullo poſt : *Alios ignibus conflagrari*, *alios naviculis impoſitos*, *pelago immergi fecit.* In Septembri : *Priſcus epiſcopus unus fuit ex illis*, *qui ſub Valente Imperatore*, *ob fidem Catholicam vetuſtæ navi impoſiti*, *ex Africa ad Campaniæ littora pervenerunt.* Habentur & alia exempla in hiſtoria rerum geſtarum αἱρεσεομανοῦς καὶ ἀλάστορος illius Valentis.

67. *Neque pro modo exſequebatur.*] Cur hic quiſquam offendat, cauſſam video nullam. Unde vero colligunt, apud Cæſarem, ut apud Stoicos, peccata fuiſſe æqualia? Non ſane id verba iſta ſignificant : ſed hoc tantum, fuiſſe illum in puniendo milite ſuo leniorem, nec ſemper meritas pœnas exegiſſe, duobus criminibus exceptis, deſertæ ſtationis, & ſeditionis : in his fuiſſe ἀπαραίτητον.

Neque pro modo exſequebatur.] *Modum* appellat jus conſuetum, & diſciplinæ militaris inſtituta. at *exſequi* hic eſt, quod Græci ἐπεξέρχεσθαι, *punire.* ſic alibi apud Suetonium & Senecam. Tacitus in Vita Agricolæ : *Omnia ſcire*, *non omnia exſequi.*

Remiſſo officiorum munere.] Vide Polybium libro ſexto, & quæ libro ſequente notamus.

VARIOR.

66. *Jubebo avehi.*] Editio Baſ. & MS. Abbatis Gandenſ. *jubeo*, quod magis pro auctoritate ducis, ut Torrent. SCRIVER.

67. *inquiſitor & punitor.*] Notandum hoc contra eos, qui autumant, ſine accuſatore neminem puniri poſſe. Nihil enim vulgatius, quam ut ii, quibus mandata eſt juriſdictio, etiam ſine accuſatore in noxios inquirant, & convictos puniant. Hoc autem Tertullianus Apologia ſua dixit, *eruere ſceleratos* & *eruere crimina.* Habes enim ibi : *Leges malos erui jubent.* Id eſt, inveſtigari & e latibulis protrahi, quemadmodum e venis eruuntur metalla. Et iterum : *Dicimur ſceleratiſſimi de ſacramento infanticidii & pabulo inde* ; *& poſt convivium inceſto*, *quod everſores luminum canes*, *lenones ſcilicet tenebrarum & libidinum impiarum*, *inverecundia procurent. Dicimur tamen ſemper*, *nec vos*, *quod tam diu dicimur*, *eruere curatis. Ergo aut eruite ſi creditis*, *aut nolite credere*, *qui non eruiſtis. De veſtra vobis diſſimulatione præſcribitur non eſſe*, *quod nec ipſi audetis eruere.* Dixerat autem paulo ante : *O quanta illius Præſidis gloria*, *ſi eruiſſet aliquem*, *qui centum jam infantes comediſſet ! At quin invenimus inquiſitionem in nos quoque prohibitam.* GOES.

TOR-

ſuos etiam unguentatos bene pugnare poſſe : nec *milites* eos pro concione, ſed blandiori nomine *commilitones* appellabat : habebatque tam cultos, ut argento & auro politis armis ornaret : ſimul & ad ſpeciem, & quo tenaciores eorum in prælio eſſent metu damni. Diligebat quoque uſque adeo, ut audita clade Tituriana, barbam capillumque ſummiſerit : nec ante demſerit, quam vindicaſſet. Quibus rebus & devotiſſimos ſibi, & fortiſſi-
68 mos reddidit. Ingreſſo civile bellum, centuriones cujuſque legionis ſingulos equites e viatico ſuo obtulerunt : & univerſi milites gratuitam & ſine frumento ſtipendioque operam, cum tenuiorum tutelam locupletiores in ſe contuliſſent. Neque in tam diuturno ſpatio quiſquam omnino deſcivit: plerique capti conceſſam ſibi ſub conditione vitam, ſi militare adverſus eum vellent, recuſarunt. Famem & cæteras neceſſitates, non cum obſiderentur modo, ſed & ſi alios ipſi obſiderent, tantopere tolerabant, ut Dyrrachina munitione Pompejus, viſo genere panis ex herba, quo ſuſtinebantur, cum feris ſibi rem eſſe dixerit: amoverique ocius, nec

TORRENT.

68. *E viatico ſuo.*] *Viaticum* hoc loco peculium ipſum, ſeu facultates militis ſignificat, ut & apud Horat. lib. II. Epiſt. II.

Luculli miles collecta viatica multis
Ærumnis &c.

Sed & Ulpianus l. XVII. de rebus creditis, *filii familias viaticum* dixit pro magna facultate ac paratu magno, ut Græci ἐφόδιον ad aliarum etiam rerum quam itineris apparatum transferunt.

Et univerſi milites.] Tres libri *univerſi mil.* ſine *et.*

Genere panis ex herba.] Lapſanam vocat eam herbam Plin. lib. XIX. cap. VIII. his verbis : *Nec non olus quoque ſilveſtre eſt, triumphorum Divi Julii carminibus jociſque celebratum. alternis quippe verſibus exprobravere, Lapſana ſe vixiſſe apud Dyrrachium.* Sic locus ille corrigendus, cum pro *triumphorum* codices vulgati *trium foliorum* habeant. Et olus quidem ſilveſtre vocat etiam Dioſcorides lib. II. cap. CIX. ſed foliis eſt hirſutis, napi ſimilibus. Cæſar lib. III. de Bello Civili, radicis meminit, quam *charam* vocabant. de qua notata mihi quædam ad Plinium lib. XIX. cap. V. ubi de Armoracia.

CASAUBON.

Milites ſuos etiam unguentatos bene pugnare poſſe.] Vetus eſt luxuriæ patrocinium Bacchi apud Euripidem, Ariſtippi apud Laertium :

-----καὶ γὰρ ἐν βακχεύμασιν
ὁ νοῦς ὁ σώφρων οὐ διαφθαρήσεται.

Ut argento & auro politis armis ornaret.] Antiquum hoc inſtitutum Romanorum. Juvenalis :

Argenti quod erat, ſolis fulgebat in armis.

Vide Plut. in Bruto, & Joſephum Ἁλώσεως lib. quinto. Ideo ſemper tecta arma gerebant, niſi prælii tempore : tum ſplendida veſtis indui ſolita, arma ad ſplendorem dari detractis tegumentis, quæ fere erant e corio vel pelle. Joſephus θήκας appellat, Attici σάγματα. Plutarchus Lucullo : Οὔτ᾽ ἐσθῆτα λαμπρὰν οἱ ἄνδρες λαμβάνουσιν ὁδοιποροῦντες, οὔτε θυρεοῖς ἐκκεκαθαρμένοις χρῶνται, καὶ κράνεσι γυμνοῖς, ὥσπερ νῦν, τὰ σκύτινα τῶν ὅπλων σκεπάσματα περισπάσαντες· ἀλλὰ μαχουμένων ἐστὶν ἡ λαμπρότης αὕτη, καὶ βαδιζόντων ἤδη πρὸς τοὺς πολεμίους. Nudabant arma & in luſtratione exercitus, atque omni tranſvectione pompæ. Joſephus V. Ἁλώσεως cap. XXV. Suetonius Vitellio, & infra in funere Julii.

Metu damni.] Voluit igitur Cæſar ſuum militem eſſe φιλόπλουτον, ut olim Iphicrates. Vide Plut. initio Galbæ.

Audita clade Tituriana.] Adi ad lib. V. de Bello Gallico.

68. *Tenuiorum tutelam.*] Hoc eſt, alituram & neceſſitatum omnium exhibitionem. *Tueri* hoc interdum ſignificat apud JCtos, & alios veteres. Macrobius lib. II. Saturn. cap. ſec. *Plancus in judicio forte amici, cum moleſtum teſtem deſtruere vellet, interrogavit (quia ſutorem ſciebat) quo artificio ſe tueretur.*

VARIOR.

Devotiſſimos.] Devovere proprie eſt, voto interpoſito ſemet obligare, etiam cum ſui ipſius exitio. Virg.

Ille quidem ad ſuperos, quorum ſe devovet aris,
Succedet fama.

Ejuſque rei paſſim apud auctores exſtant exempla. Verum quandoque nihil aliud ſignificat, quam obſequentem obedientemve ſeſe præbere. Ut Tiberio LXVII. *Si quando de moribus meis devotoque vobis animo dubitaveritis.* Unde *indevotio* pro inobedientia ponitur a Juriſconſulto l. I. ff. d. penu leg. *Hæredis indevotione coërcenda.* GOES.

Sub conditione.] Notatu dignum, quod ſcribit Pomponius l. III. de condit. & demonſtr. *Qui ſub conditione liber eſſe juſſus eſt .... non aliter liber eſſe poteſt, quam ſi conditioni, ſub quam data eſt libertas, ſatisfecerit.* GOES.

nec cuiquam oſtendi, juſſerit : ne patientia & pertinacia hoſtis, animi ſuorum frange-
rentur. Quanta fortitudine dimicarint teſtimonio eſt, quod adverſo ſemel apud Dyrrachium
prælio, pœnam in ſe ultro depopoſcerunt : ut conſolandos eos magis imperator quam pu-
niendos habuerit. Cæteris præliis innumeras adverſariorum copias multis partibus ipſi pau-
ciores facile ſuperarunt. Denique una ſextæ legionis cohors præpoſita caſtello quatuor
Pompeji legiones per aliquo horas ſuſtinuit, pæne omnis confixa multitudine hoſtilium
ſagittarum, quarum centum ac triginta milia intra vallum reperta ſunt. Nec mirum, ſi
quis ſingulorum facta reſpiciat, vel Caſſii Scævæ centurionis, vel C. Acilii militis, ne de
pluribus referam. Scæva excuſſo oculo, transfixus femore & humero, centum & viginti
ictibus ſcuto perforato, cuſtodiam portæ commiſſi caſtelli retinuit. Acilius navali ad
Maſſiliam prælio, injecta in puppem hoſtium dextra, & abſciſſa, memorabile illud apud
Græcos Cynægiri exemplum imitatus, tranſilivit in navem, umbone obvios agens. Se- 69
ditionem per x annos Gallicis bellis nullam omnino moverunt, civilibus aliquas :
ſed ut celeriter ad officium redierint, nec tam indulgentia ducis quam auctoritate. Non enim
ceſſit umquam tumultuantibus, atque etiam obviam ſemper iit. Et nonam quidem legionem
apud Placentiam, quamquam adhuc in armis Pompejus eſſet, totam cum ignominia
miſſam fecit : ægreque poſt multas & ſupplices preces, nec niſi exacta de ſontibus pœna,
reſtituit. Decumanos autem Romæ cum ingentibus minis, ſummoque etiam urbis 70
periculo, miſſionem & præmia flagitantes, ardente tunc in Africa bello, neque adire cun-
ctatus eſt, quamquam deterrentibus amicis, neque dimittere : ſed una voce, qua Quirites
eos

TORRENT.

Vel Caſſii Scævæ cent. vel C. Acilii mil.] Valer. Max. lib. III. cap. II. M. Cæſium Scævam, & C. Atilium vocat, quos Caſſium & Acilium Suetonius. Plutarchus cum Valerio de Atilio conſentit.

69. *Apud Placentiam.*] De hac ſeditione Appianus, Dion, Lucan. lib. VI.

Quamquam adhuc in armis Pompejus eſſet.] Atqui bello civili Pompejus arma non niſi cum vita depoſuit, ac ſeditio illa Placentiæ mota eſt poſt devictos Petrejum & Afranium, Cæſare ex Hiſpania redeunte. Quare dictionem *adhuc* abeſſe mallem. Nihil muto tamen. duo libri, *in armis adhuc.*

Cum ignominia miſſam fecit.] Sic Aug. cap. XXIV. *Decimam legionem cum ignominia totam dimiſit.* Vide J. C. l. II. de his, qui notantur infam. & l. XIII. de re militari.

70. *Qua Quirites eos.*] Tacit. lib. I. Annal. in oratione Germanici ad milites, Dion lib. XLII. Simile quid apud Lampridium Alexandro.

CASAUBON.

Quarum centum ac triginta millia intra vallum reperta ſunt.] Aut hic aut apud Cæſarem mendum in numero. eum vide lib. III. de Bello civili.

Centum & viginti ictibus ſcuto perforato.] Appianus totidem, ἑκατὸν καὶ εἴκοσι. Plutarchus, ἑκατὸν καὶ τριάκοντα. CXXX.

69. *Non enim ceſſit umquam tumultuantibus.*] Dionis ſuper hoc notanda verba iis, qui cum fructu hiſtorias legere volunt. Cæſar, ait, οὔτε ὑπεῖξεν αὐτοῖς, νομίζων μηδὲν δεῖν τὸν ἄρχοντα παρὰ γνώμην ὑπὸ τῆς τῶν στρατιωτῶν βίας ποιεῖν, ὡς καὶ ἄλλο τι αὖθις σφῶν διὰ τοῦτο πλεονεκτῆσαι ἐθελησόντων. *non ceſſit* tumultuantibus Cæſar : *exiſtimans ducem contra animi ſui ſententiam coactu militum facere nihil debere. alioquin futurum mox, ut ob idipſum alia commoda velint conſequi.*

Et nonam quidem legionem apud Placentiam.] Appianus in hujus rei commemoratione Ἐμφυλίων. lib. ſec. quid appellat legem Petrejam ? An fuit lex aliqua de militum decimatione lata ? an potius locus mendoſus, & legendum : Χρήσομαι τῷ πατρίῳ νόμῳ κατὰ τοῦ ἐννάτου τέλους, ἐπειδὴ μάλιστα τῆς στάσεως κατῆρξε, τὸν δέκατον διακληρώσω θανεῖν. lib. III. vocat legem militarem : αἰτήσας παρὰ τῶν χιλιάρχων τοὺς στασιώδεις διεκλήρωσε τῷ στρατιωτικῷ νόμῳ.

VARIOR.

68. *Quarum centum ac triginta millia intra vallum reperta ſunt.*] Ex hoc Suetonii loco videtur Cæſar emendandus, qui lib. III. de Bello civili habet: *Millia ſagittarum circiter triginta*, &c. cum illud *circiter* in *centum* mutandum ſit. Niſi forte hoc loco variant inter ſe ſcriptores. ut paulo poſt pro c. & xx. ictibus, quos Suetonius edit, Cæſar habet foramina cxxx. & Plutarchus totidem. URSINUS.

eos pro militibus appellarat, tam facile circumegit & flexit, ut ei milites eſſe confeſtim reſponderint, & quamvis recuſantem ultro in Africam ſint ſecuti: ac ſic quoque ſeditioſiſ-
71 ſimum quemque & prædæ & agri deſtinati tertia parte multavit. Studium & fides erga clientes, ne juveni quidem defuerunt. Maſintham nobilem juvenem, cum adverſus Hiempſalem regem tam enixe defendiſſet, ut Jubæ regis filio in altercatione barbam invaſerit, ſtipendiarium quoque pronunciatum, & abſtrahentibus ſtatim eripuit, occultavitque apud ſe diu: & mox ex prætura proficiſcens in Hiſpaniam, inter offi-
72 cia proſequentium, faſceſque lictorum, lectica ſua avexit. Amicos tanta ſemper facilitate indulgentiaque tractavit, ut C. Oppio comitanti ſe per ſilveſtre iter correptoque ſubita valetudine, & in diverſorio, quod unum erat, loco ceſſerit: ac ipſe humi ac ſub

TORRENT.

Tam facile circumegit.] Elegans verbum, quo & Seneca uſus eſt II. Controverſ. *Ad hæc nova & diverſa imperia ſubito me circumagi poſſe putas.* Horat. lib. I. Sat. IX.

- - - nil opus eſt te
Circumagi.

71. *Stipendiarium pronunciatum.*] Liber opt. *pronunciavit.* placet. Sed ignorata hujus rei hiſtoria locum Suetonii paulo difficiliorem reddit. Jubam, qui poſtea a Cæſare in Africa victus eſt, Hiempſalis fuiſſe filium, auctor eſt Dion lib. XLI. ubi de Curionis cæde loquitur. Hiempſalem autem illum Pompejus Sullanis temporibus Regem inſtituit. Auctor Plutarch. Pompejo. Adverſus quem tunc Cæſar Maſintham defendit; cumque ab adverſariis illum aliter tueri non poſſet, ſtipendiarium pronuntiavit: ut pro milite habitus militari jure protegeretur. Aliter tamen Beroaldus, negans ſtipendiarium pro milite accipi debere. Sed Maſintham, Afrum, ad diſcrimen fortaſſis legionariorum, ſtipendiarii nomine comprehendit Suetonius.

72. *Loco, quod unum erat.*] Verba male collocata. Lego igitur: *Loco in diverſorio, quod unum erat, ceſſerit.* atque ita legendum eſſe, non dubitabit, qui Plutarchum idem ſcribentem viderit.

Humi ac ſub divo.] Ante cubiculi, quo Oppio ceſſerat, fores. *Sub divo* autem pro *ſub dio* ſemper in optimis quibuſque exemplaribus ſcriptum invenias. Horat. lib. III. Od. II.

Vitamque ſub divo & trepidis agat
In rebus.

CASAUBON.

71. *Studium & fides erga clientes.*] Redit ad civilia ſtudia Cæſaris: nam ad caput uſque LXXVI. docet, quomodo ſe ille geſſerit, cum erga eos, qui partes ipſius in rep. ſequebantur: tum erga illos, qui ſtudio diverſæ partis ducebantur. Capite XLIV. cum proponeret auctor, ſe dicturum de ſtudiis Cæſaris civilibus, utrumque complexus eſt, & eloquentiæ ſtudia, de quibus dixit ante; & hæc, de quibus nunc agere inſtituit. In quo Græcos eſt imitatur, apud quos πολιτικὴ utrumque hoc ſtudiorum genus complectitur: ponitur enim & pro eloquentia atque oratoria arte, & pro ratione adminiſtrandæ publicæ rei. Hoc norunt, qui Platonem & Ariſtotelem norunt.

Stipendiarium quoque pronuntiatum.] Ita omnino legendum: nec aliter libri vett. Maſintha iſte, quem vocat Suetonius nobilem juvenem, videtur fuiſſe e ſtirpe regia ortus unius alicujus eorum Africæ regum, qui in Africa, quod Romanis reſtitiſſent, periere amiſſo regno. Hunc veteris ſplendoris umbram aliquo modo retinentem pendere ſibi ſtipendia Hiempſal pridem a pop. Rom. rex ſalutatus, adnitente Sylla, jubebat. Re ad ſenatum delata, Maſintha Romam venit: Hiempſal filium Jubam mittit. Ibi magna contentione actum eſt, diviſis ſenatorum ſtudiis. Vicit tandem Juba: & Maſintha pronuntiatus Jubæ ſtipendiarius, multum retinente Cæſare, cujus ſtudium in defendendo Maſintha hic Suetonius commemorat. Ita hunc locum interpretandum cenſemus: nec dubitamus falli interpretes in totius hujus hiſtoriæ explicatione; maxime eos, qui contra librorum omnium conſenſum putant ſcribi debere *pronuntiavit.* Etiam ii falluntur, qui Maſintham eſſe putant Oxyntham Jugurthæ fil. cujus meminit Appianus. Is cum patre captus circa annum A. U. C. DCXLVIII. hæc cauſſa Romæ diſceptata prætore Cæſare, anno poſt XLII. Quomodo igitur juvenis tum eſſe potuit, ut Suetonius eum vocat.

Inter officia proſequentium.] In turba amicorum, ad ſalutarem portam convenientium, ubi ex more ſalutabatur is, qui in provinciam proprætore aut proconſule exibat. Feſtus Pompejus.

72. *Et in diverſorio loco, quod unum erat, ceſſerit.*] Trajectionibus, quas vocant, delectari Suetonium, alibi notamus: verum iſta lectio defendi ea ratione non poteſt. In editione Rob. Stephani plana omnia: *in diverſorio, quod unum erat, loco ceſſerit.* ſed mirum in omnibus fere libris aliter legi. Viterb. τὰ *& in* non habet. fortaſſe an, *diverſoriolo, quod unum erat, ceſſerit.*

VARIOR.

72. *Quod unum erat.*] Forte, *quod unum habebat.* GOES.

ſub divo cubuerit. Jam autem rerum potens, quoſdam etiam infimi generis ad ampliſ-
ſimos honores provexit. Cum ob id culparetur, profeſſus eſt palam, *ſi graſſatorum &*
ſicariorum ope in tuenda ſua dignitate uſus eſſet, talibus quoque ſe parem gratiam relatu-
rum. Simultates contra nullas tam graves excepit umquam, ut non occaſione oblata 73
libens deponeret. C. Memmii, cujus aſperrimis orationibus non minore acerbitate re-
ſcripſerat, etiam ſuffragator mox in petitione conſulatus fuit. C. Calvo poſt famoſa epi-
grammata de reconciliatione per amicos agenti, ultro ac prior ſcripſit. Valerium Catullum,
a quo ſibi verſiculis de Mamurra perpetua ſtigmata impoſita non diſſimulaverat, ſatisfa-
cientem, eadem die adhibuit cœnæ: hoſpitioque patris ejus, ſicut conſueverat, uti per-
ſeveravit. Sed & in ulciſcendo natura leniſſimus. Piratas, a quibus captus eſt, cum in 74
deditionem redegiſſet, quoniam ſuffixurum ſe cruci ante juraverat, jugulari prius juſſit, de-
inde

TORRENT.

Si graſſatorum.] Liber unus e noſtris ſic: *Se graſ-ſatorum & ſicariorum ope in tuenda ſua dignitate uſum eſſe, talibus quoque parem gratiam relaturum.* quam lectionem ſane magis probo.

73. *C. Memmii.*] De hoc C. Memmio, & C. Licinio Calvo ſup. quoque cap. XLIX. At præturæ hujus C. Memmii fit mentio ſup. cap. XXIII. conſulatum petivit A. U. C. DCC. ſumma contentione. Cicero ad Q. fratrem lib. III. epiſt. II. ad Att. lib. IV. epiſt. XVI. XVII. XVIII. Damnatuſque de ambitu, in Græcia exſulavit. Ad exſulantem plures Ciceronis epiſtolæ Famil. lib. XIII. Virum bonum, artibus eruditum, oratorem argutum vocat idem in Bruto. Catullus contra acerbiſſime eum perſtringit.

Satisfacientem.] Sic Tib. cap. XXVII. *Conſularem ſatisfacientem ſibi.* & Claud. cap. XXXVIII. *tantum non ſatisfaciens veniam dedit.* Solebant, qui verbis aliquem læſerant, jurare, nolle ſe ea dicta eſſe, atque ita ſatisfacere. Plaut. Amph. Act. III. *Mane, arbitratu tuo jusjurandum dabo, Me meam pudicam eſſe uxorem arbitrarier.* et ſc. ſequente: *Quando iſthæc omnia exjuraſti te mihi dixe per jocum.* Terent. Adelph. ſc. *Obſecro: Tu quod te poſterius purges, nolle injuriam hanc mihi Factam eſſe, hujus non faciam.* Sequitur, *Novi ego veſtra hæc, Nollem factum: jusjurandum dabitur eſſe te Indignum injuria hac.* ridet enim Sannio veterem ſatisfactionum formulam. Ulpian. l. V. de injuriis: *Hac lege permittitur actori jusjurandum deferre, ut reus juret injuriam ſe non feciſſe.* Adde Suetonium Claud. cap. XXXVIII.

74. *Jugulari prius.*] Vivos ergo cruci ſuffigere moris erat, quo nullum ſupplicii genus acerbius. Vide, ſi lubet, Plutarchum.

CASAUBON.

Ac ipſe humi ac ſub divo cubuerit.] *Humi*, pro ἐπὶ ϛιϐάδας, vel culcita viatoria humi ſtrata. Sic Græcis χαμεῦναι, qui in ſtramentis vel culcitis ſuper humo conſtratis cubant: χαμευνίας Latini ſcriptores dicunt *humi dormitiones.* Deinde *ſub divo*, an præciſe verum? Plutarchus ſaltem ait ἐν τῷ προϛεγίῳ τῆς θύρας. Eſt vero προϛέγιον non *veſtibulum*, ut vertunt: ſed protectum, ſive tecti projectura, quæ aliquantum ſpatii ante januam tegeret. προϛεγίσματα Græcis & γεῖσα: Latinis *ſuggrundia* & *protecta.* Gloſſar: *prote-etum*, ἐκ[illegible]ετης. ſcrib. *protectum.* Non etiam diſpliceat *accubuerit*, ut in multis libris; non *cubuerit.* ea voce innuitur ad fores ſub protecto cubuiſſe Cæſarem. Turonenſis tamen *cubuerit:* quod fortaſſe rectius.

73. *Ut non occaſione oblata libens deponeret.*] Facilitas in accipienda ſatisfactione, & redintegranda poſt offenſam gratia, inter notas magni viri, & magis principis. Antoninus Imp. &, quod maluit re eſſe, philoſophus, doctum ſe ait τὸ πρὸς τὰς χαλεπήναντας καὶ πλημμελήσαντας εὐανακλήτως καὶ εὐδιαλέκτως, ἐπειδὰν τάχιϛα αὐτοὶ ἐπανελθεῖν ἐθελήσωσι, διακεῖσθαι. Talem deſcribit Pompejum Vellejus.

Hoſpitioque patris ejus, ſicut conſueverat, uti perſeveravit.] Non dubium eſt patris Catulli domum in Tranſpadana regione Italiæ fuiſſe: quo Cæſarem poſt triumphos ſuos iviſſe nemo dicere ſuſtinebit, qui meminerit, paucis diebus poſtquam triumphaſſet, cæſum illum fuiſſe. Porro epigramma Catulli, quo Cæſari ſtigmata ſunt impoſita, conſtat illud eſſe in Mamurram προr· ɜμένως ſcriptum, cujus initio eſt:

Quis hoc poteſt videre, quis poteſt pati?

Quum igitur mentio prædæ Ponticæ & Ibericæ arguat, ſcriptum eſſe id epigramma ſub tempora noviſſima vitæ Cæſaris; colligi inde neceſſario videtur, quæ hic dicuntur de reconciliatione Cæſaris & Catulli, ea brevi illo tempore eſſe geſta, quod medium fuit inter reditum Cæſaris in urbem poſt bella civilia confecta & ejus cædem. Hæc ſi ita ſunt, non video, qui poſſit verum eſſe, quod Suetonius heic dicit de Cæſare diverſorio Catulli patris poſt reconciliationem uſo. Quare Joſephus Scaliger inter Suetonii παροράματα hanc hiſtoriam eſſe ponendam pertendit, Notis ad Euſebii Chronicum, numero MDCCCCLX.

74. *Jugulari juſſit, deinde ſuffigi.*] Tarquinium Priſcum

inde ſuffigi. Cornelio Phagitæ, cujus quondam nocturnas inſidias ægre ac latens ne perduceretur ad Sullam, vix præmio dato evaſerat, numquam nocere ſuſtinuit. Philemonem a manu ſervum, qui necem ſuam per venenum inimicis promiſerat, non gravius quam ſimplici morte puniit. In P. Clodium Pompejæ uxoris ſuæ adulterum, atque eadem de cauſa pollutarum cerimoniarum reum, teſtis citatus, negavit ſe quidquam comperiſſe: quamvis & mater Aurelia & ſoror Julia, apud eoſdem judices, omnia ex fide retuliſſent: Interrogatuſque, cur igitur repudiaſſet uxorem? *Quoniam*, inquit, *meos tam*
75 *ſuſpicione quam crimine judico carere oportere.* Moderationem vero clementiamque, tum in adminiſtratione, tum in victoria belli civilis, admirabilem exhibuit. Denuntiante Pompejo, pro hoſtibus ſe habiturum, qui Reip. defuiſſent: ipſe medios & neutrius partis, ſuorum ſibi numero futuros pronuntiavit. Quibus autem ex commendatione Pompeji, ordines dederat, poteſtatem tranſeundi ad eum omnibus fecit. Motis apud Ilerdam deditionis conditionibus, cum aſſiduo inter utraſque partes uſu atque commercio, Afranius ac Petrejus deprehenſos intra caſtra Julianos ſubita pœnitentia interfeciſſent, admiſſam in ſe perfidiam non ſuſtinuit imitari. Acie Pharſalica proclamavit, ut civibus parceretur: deincepſque nemini non ſuorum quem vellet unum partis adverſæ ſervare conceſſit:

Priſcum crucibus fixiſſe eorum corpora, qui necem ſibi conſciſſent, notat Plinius ut ſævum & uni illi uſurpatum. locus eſt libro XXXVI. cap. XV. Sub Impp. vero factum ſæpius, ut amputata ſontibus capita in crucem tollerentur. Exemplum eſt in Nigro apud Xiphilinum in Severo: & in Albino apud eundem Xiphilinum & Herodianum. Simile eſt, quod de Cleomene Plutarchus narrat: cujus verba eo proferam libentius, quod veram eorum ſententiam non interpretes modo non videre; ſed ne doctiſſimus quidem ille vir, qui nuper in libello de Cruce eum tractavit. Plutarchus igitur, poſtquam Cleomenis αὐτοκτονίαν commemoravit, ὁ δὲ Πτολεμαῖος, inquit, ὡς ἔγνω ταῦτα, προσέταξε τὸ σῶμα τοῦ Κλεομένους κρεμάσαι καταβυρσώσαντας. Sententiam eſſe putant, juſſiſſe Ptolemæum, ut Cleomenis corpus crucifigeretur cute detracta. Sed vocem καταβυρσοῦν quis unquam ita uſurpavit? Ipſa vocis compoſitio, ſi exempla deeſſent, illam interpretationem per ſe ſatis refelleret. Quare aut eorum codicum probanda γραφὴ, qui habent καταμυρώσαντας; & vertendum, *juſſit Cleomenis corpus affigi cruci, unguentis fartum*, ſive unguentatum (ſententia, ut puto, non inepta: nam iſta unguenta ad majorem infamiam valuerunt, nempe quo diutius integrum corpus maneret, & facies ſemper agnoſci quiret. καταμυροῦν hoc loco, quod Herodoto aliiſque ταριχεύειν) vel ſignificat hic καταβυρσῶσαι in culleum capite tenus inſuere, quia ex hiſtoria, quæ ſtatim ſequitur, caput ſaltem fuiſſe nudum conſtat. Vitruvius lib. decimo, quod Græcus ſcriptor dicit βυρσοῦν βύρσαις, vertit *coriis involvere*. Polybius id vocat καταῤῥάψαι εἰς ἀσκόν. libro octavo: ubi referens Achæi ſupplicium, ait: ἔδοξε πρῶτον μὲν ἀκρωτηριάσαι τὸν ταλαίπωρον· μετὰ δὲ ταῦτα τὴν κεφαλὴν ἀποτεμόντας αὐτοῦ, καὶ καταῤῥάψαντας (male quidam, καταῤῥίψαντας) ἐς ὄνειον ἀσκὸν, ἀνασταυρῶσαι τὸ σῶμα. Moris fuiſſe apparet, ut ſontium perditiſſimi quique & maxime exoſi, parricidarum in morem vel ante vel poſt ſupplicium culleo inſuerentur. Etiam in Martyrologiis leges, viros ſanctos culleis inſutos in mare ſæpius demerſos.

TORRENT.

Cornelio Phagitæ.] Is Sullæ libertus, & ejus ſævitiæ ſatelles. ſup. cap. I.

A manu ſervum.] Mallem abeſſe dictionem *ſervum*. Aug. cap LXVII. *Thallo a manu.* Veſpaſ. cap. III. *Cænidem libertam, a manu.* Alibi *amanuenſem* vocat. Tit. cap. III.

75. *Non ſuſtinuit imitari.*] Sic ante, *non ſuſtinuit nocere*, pro *noluit*. Frequens Suetonio.

CASAUBON.

Præmio dato.] Duobus talentis. Plutarchus.

Philemonem a manu ſervum.] Aſſerimus vocem *ſervus* contra docti viri conjecturam. Cicero de Oratore lib. III. *Quem ſervum ille ſibi habuit ad manum.*

Tam ſuſpicione, quam crimine carere oportere.] Livia apud Dionem LV. Δεῖ σε, ὦ Αὔγουστε, μὴ μόνον μηδὲν ἀδικεῖν, ἀλλὰ μηδὲ δοκεῖν.

75. *Denuntiante Pompejo.*] Auctore ſententiæ tam triſtis Cn. Domitio, qui ſolus ita cenſuerat. in Nerone cap. II.

Motis apud Ilerdam deditionis conditionibus.] Conciſe, pro, mota mentione conditionem. ſicut paullo poſt *motam regni mentionem*.

ſit: nec ulli periiſſe, niſi in prælio reperirentur, exceptis dumtaxat Afranio & Fauſto & L. Cæſare juvene: ac ne hos quidem voluntate ipſius interemptos putant: quorum tamen & priores poſt impetratam veniam rebellaverant, & Cæſar libertis ſerviſque ejus ferro & igni crudelem in modum enectis, beſtias quoque ad munus populi comparatas contrucidaverat. Denique tempore extremo etiam, quibus nondum ignoverat, cunctis in Italiam redire permiſerat, magiſtratuſque & imperia capere. Sed & ſtatuas L. Sullæ atque Pompeji, a plebe disjectas, repoſuit. Ac ſi qua poſt hac aut cogitarentur gravius adverſus ſe, aut dicerentur, inhibere maluit, quam vindicare. Itaque & detectas conjurationes, conventuſque nocturnos, non ultra arguit, quam ut edicto oſtenderet eſſe ſibi notas: & acerbe loquentibus ſatis habuit pro concione denuntiare, ne perſeverarent. Aulique Cæcinnæ criminoſiſſimo libro, & Pitholai carminibus maledicentiſſimis, laceratam exiſtimationem ſuam, civili animo tulit. Prægravant tamen cætera facta, dictaque ejus, ut & abuſus domina- 76

Torrent.

Niſi in prælio.] Sic Cic. *Niſi armatum cæſum ab eo neminem.*

Quorum tamen & Afranius & Fauſtus priores.] Locus omnino corruptus eſt, ut eum Pulmannus, homo alioqui diligentiſſimus, perſcripſit. Lego igitur, ut in cod. Ferrar. & edit. Germanica A. M. D. XXXIII. *Quorum tamen & priores poſt impetratam veniam rebellaverant, & L. Cæſar libertis ſerviſque ejus*, &c. Idque cum hiſtoria convenit. Loquitur autem de L. Cæſare juniore.


Ad munus populi.] Quod populo parabatur. Alii *ad munus publicum.* nec male. Fortaſſe *munus p.* per notam ſcriptum fuit.

Statuas L. Sullæ atque Pompeji.] Refert Plutarchus Ciceronis dictum, Cæſarem reſtituendis Pompeji ſtatuis ſuas ſervare ac ſtabilire.

Aulique Cæcinnæ.] Cæcinna Liciniorum cognomen. Et hunc quidem A. Cæcinnam ſtyli pœnam dediſſe, monſtrant Ciceronis epiſtolæ, maxime ſeptima lib. VI. Famil.

Pitholai carminibus.] Lib. unus *criminibus.* fortaſſe melius. De eo Macrob. lib. II. cap. II. *Octacilius Pitholaus, cum Caninius Rebilus uno tantum die conſul fuiſſet, dixit: Ante Flamines, nunc Conſules Diales ſunt.* Alii *Votacilius* ſcribunt. Sed verum eſt *Otacilius*, ut in veteri nummo: Marcia Otacil. Severa Aug.

Civili animo.] Id eſt, æquo & remiſſo, qualis eſſe inter ſe cives decet, non eorum more, qui (ut Ciceronis utar verbis) æquabilitatem communis juris præſtantia dignitatis aut fortunæ ſuæ tranſeunt. Sic *genus vitæ civile* Tib. cap. x. & Claud. cap. xxxv. Plinius quoque lib. XIV. cap. IV. *Quæ uſura civilis & modica.* Sed & *odium civile* eadem ratione dixit Cic. pro Milone his verbis: *Quid enim odiſſet Clodium Milo, ſegetem ac materiam ſuæ gloriæ, præter hoc civile odium, quo omnes improbos odimus?* neque enim P. Victorio aſſentior lib. Variar. lection. XXI. qui pro *civile* illic *commune* ſubſtituit. Adde Juven. Sat. v.



Poſcimus ut cœnes civiliter.
Ovidius etiam:

Exercet patrias pluſquam civiliter iras.

Cui non diſſimile illud Lucani exordium:

Bella per Emathios pluſquam civilia campos.

Sic enim & Tacit. lib. I. Annal. de Aſinio Gallo: *Jam pridem inviſus, quod pluſquam civilia agitaret.* Hinc *civilitas.* Aug. cap. LI. *Clementiæ civilitatiſque ejus.* Capitolin. Antonino Pio: *Imperatorium faſtigium ad ſummam civilitatem deduxit.* Merito igitur ob inſignem animi moderationem templum Clementiæ Cæſari decretum fuit. Plutarch. Dion, nummi veteres, qualis apud me ſervatur.

Casaubon.

Exceptis duntaxat Afranio, Fauſto & L. Cæſare.] L. Annæus Florus libro IV. cap. II. *Nemo cæſus imperio præter Afranium; ſatis ignoverat ſemel: & Fauſtum Syllam; didicerat generum timere: filiamque Pompeji cum patruelibus ex Sylla; hic poſteris cavebatur.*

Et Cæſar libertis.] Ita recte veteres quædam editiones: nam mirum eſt, omnes MSS. hic peccare. Periit L. Cæſar in Africa, Utica capta. Vide Dionem. Hujus mors eos omnes vehementer perculit, qui in clementia Cæſaris ſpes vitæ ſuæ habebant ſitas. Cicero Varroni: *Ut audivi de L. Cæſare F. mecum ipſe, Quid hic mihi faciet patri? Itaque non deſino apud iſtos, qui nunc dominantur, cœnitare. Quid faciam? tempori ſerviendum eſt.* quibus ex verbis, & ex hiſtoria apparet, voluntate Cæſaris eum periiſſe, contra quam crediſiſſe videtur Suetonius.

Statuas L. Syllæ atque Pompeji.] Dio libro XLIII. M. quoque Tullius Cæcinnæ: *In quo admirari ſoleo gravitatem, & juſtitiam, & ſapientiam Cæſaris: qui nunquam niſi honorificentiſſime Pompejum appellat.*

Civili animo tulit.] Libro ſequente de hac virtute,

minatione, & jure cæſus exiſtimetur. Non enim honores modo nimios recepit, ut continuum conſulatum, perpetuam dictaturam, præfecturamque morum, inſuper prænomen im-

te, quæ civilitatis dicitur, agemus fuſe. quædam & Torrentius hic docte.

Varior.

76. *Abuſus dominatione.*] Id eſt, imperio & poteſtate publica, ut & vulgo alibi. Pomponius tamen leg. LXXVIII. ff. d. adquir. hæred. & pro poteſtate uſus eſt, quam privati in res ſui dominii exercent: *Duo fratres fuerant, bona communia habuerant: eorum alter inteſtato mortuus ſuum hæredem non reliquerat: frater, qui ſupererat, nolebat ei hæres eſſe. Conſulebat, num ob eam rem, quod communibus cum ſciret eum mortuum eſſe, uſus eſſet, hæreditati ſe alligaſſet. Reſpondit, niſi eo conſilio uſus eſſet, quod vellet ſe hæredem eſſe, non adſtringi. Itaque cavere debet, ne qua in re plus ſua portione, dominationem interponeret.* Goes.

Torrent.

76. *Non enim honores modo nimios recepit, ut conſ.*] Particula *ut* non eſt in duobus MSS. nec ſane requiritur. Sed & verbum *recepit* abeſſe malim, ut tota hæc oratio referatur ad id quod ſequitur, *decerni ſibi paſſus eſt.* nam, Dione teſte, ex his quæ illi decreta ſunt, nonnulla diſtulit, quædam etiam non recepit. Et certe continuum conſulatum primo ad quinquennium, victo ſtatim Pompejo; deinde ad decennium quoque, devictis Pompeji liberis, utcunque receperit, non tamen continuo geſſit.

Casaubon.

76. *Ut jure cæſus exiſtimetur.*] M. ipſe Antonius ita pronuntiavit, auctore Seneca de Beneficiis libro V. nam de reliquis ſenatoribus non eſt dubium, quin eadem fuerit cunctorum, demtis paucis Cæſarianis, ſententia: in quam tranſire ſe non obſcure declarat his verbis Suetonius. Laudo judicium & liberam vocem. non enim puto fuiſſe ſub Cæſaribus extra omne periculum, palam de primo auctore imperii, quod ipſi tenebant, ita pronuntiare. Inde illa tam multa Dionis in deteſtationem facti hujus non uno loco. Damnat idem Seneca quoque non una ratione, de Beneficiis lib. II. Eſt vero gravis hæc quæſtio, neque hujus loci.

Non enim honores modo nimios recepit.] Abſit, ut concedamus clariſſ. Torrentio tollendam vocem *recepit.* Non objiciemus conſenſum omnium librorum: ſententiam ſtare poſſe negamus ea ſublata. de induſtria enim ſeparavit auctor honores, quos recepit Cæſar, ab iis, quæ decerni ſibi paſſum ait.

Continuum conſulatum.] Contra antiquiſſ. plebiſcitum, quo cautum, ne quis eundem magiſtratum intra decem annos caperet. Livius libro VII. extremo. De conſulatibus Cæſaris diverſa tradi a veteribus, notum eſt.

Perpetuam dictaturam.] Hic multa contra leges: nam & plebiſcitum vetus erat, quo cavebatur, ne quis duos magiſtratus uno anno gereret. Deinde lex ſive majorum inſtitutum fuit, quo dictaturæ exuendæ ſemeſtre tempus præfinitum. Tertio modus ipſe, quo dictator creatus eſt, contra leges fuit. vide Dionem. Poſtremo, quod extra Italiam dictator ſit profectus, quodque alia ſervari ſolita a dictatoribus, omnia contemſerit, quantum nefas eſt!

Præfecturamque morum.] Recte *præfecturam morum*: non *cenſuram.* Cæſar enim cenſor non fuit, ſed morum præfectus, ut & a Cicerone nominatur. hoc eſt, rem habuit, titulum per ſpeciem modeſtiæ recuſavit. Summa enim cenſuræ fuit dignitas, quam non dubitat Plutarchus vocare in Æmilio Paulo, ἀρχὴν πασῶν ἱερωτάτην: in Catone κορυφήν τινα τιμῆς ἁπάσης, καὶ τρόπον τινὰ τῆς πολιτείας ἁπάσης ἐπιτελείωσιν. Pars poteſtatis ejus fuit morum cura, &, ut ait Plutarchus, ἡ περὶ τὰ ἤθη καὶ τοὺς βίους ἐξέτασις. Hanc partem Cæſar uſurpavit, & ideo *præfectus morum* dictus: non totam cenſuram. Nec verum eſt, quod Dio ait, ideo cenſoris appellatione abſtinuiſſe, quia id parum honorificum exiſtimaretur. Melius alibi idem ſcriptor: Auguſtum æque cenſoris nomen ac dictatoris refugiſſe. male igitur illi dictus Cæſar, τιμητὴς διὰ βίου. Suetonio potius aſſentiamur, qui regimen morum honore cenſuræ caruiſſe in Octavio ſcribit. Primus, opinor, Pompejus hunc titulum nactus, *tertium conſul corrigendis moribus delectus*, inquit Tacitus III. Annal. XXVIII.

Inſuper prænomen imperatoris.] Appellatio *imperatoris* in hiſtoria Romana trifariam accipitur, primum pro ἡγεμὼν & στρατηγός. hoc ſenſu imperator a militibus nominatus, qui imperium belli ſuis auſpiciis adminiſtrandi a populo accepiſſet: veteres, ut notat Juſtinianus in Novellis, *prætorem* vocabant. Deinde pro victor & νικητής. nam qui res magnas bello geſſerat, & lege definitum (notant Dio lib. XXXVII. Cicero ultima Philippica, Oroſius libro quinto cap. IV. alii) hoſtium numerum occiderat, a militibus Imperator ſolitus ſalutari. Cornelius Tacitus lib. III. Annalium LXXIV. *Tiberius id quoque Blæſo tribuit, ut* imperator *a legionibus ſalutaretur: priſco erga duces honore, qui bene geſta rep. gaudio & impetu victoris exercitus, conclamabantur: erantque plures ſimul imperatores, nec ſuper cæterorum æqualitatem.* Poſtremo Imperator idem ſignificare cœpit a Julio Cæſare, ac Rex. Has tres ſignificationes ſubobſcure notat Dio lib. XLIII. Τό, τε τοῦ αὐτοκράτορος ὄνομα οὐ κατὰ τὸ ἀρχαῖον ἔτι μόνον, ὥσπερ ἄλλοι τε καὶ ἐκεῖνος πολλάκις ἐκ τῶν πολέμων ἐπεκλήθησαν (ſecundam, quam diximus, ſignifica-

imperatoris, cognomen patris patriæ, ſtatuam inter reges, ſuggeſtum in orcheſtro : ſed & ampliora etiam humano faſtigio decerni ſibi paſſus eſt : ſedem auream in curia & pro tribunali, thenſam & ferculum Circenſi pompa, templa, aras, ſimulacra juxta Deos, pulvinar,

ficationem intelligit) οὐδ᾽ ὡς οἱ τινὰ αὐτοτελῆ ἡγεμονείαν, ἢ καὶ ἄλλην τινὰ ἐξουσίαν λαβόντες, ὠνομάζοντο. (hæc prima ſignificatio : ſequitur tertia) ἀλλὰ καθάπαξ τοῦτο δὴ τὸ καὶ νῦν τοῖς τὸ κράτος ἔχουσι διδόμενον, ἐκείνῳ τότε πρώτῳ τε καὶ πρῶτον, ὥσπερ τι κύριον προστέθεσαν. Bene Dio κύριον : & fortaſſe προέθεσαν, non προσέθεσαν. Fuit enim vox Imperator tertio ſignificatu prænomen omnium Principum, ut Suetonius loquitur hic & lib. III. Eadem vox ſecunda notione, cognomen illorum fuit; inſtitutumque eſt, ut quoties hoſtis vinceretur, toties Princeps Imperator ſalutaretur. Dionis locum in explicatione hujus moris peſſime acceptum, non poſſum, quin illuſtrem. Scribit ille lib. LII. de Octavio : Τὴν τοῦ αὐτοκράτορος ἐπίκλησιν ἐπέθετο· λέγω δὲ οὐ τὴν ἐπὶ ταῖς νίκαις κατὰ τὸ ἀρχαῖον διδομένην τισι (ἐκείνην γὰρ πολλάκις μὲν καὶ πρότερον, πολλάκις καὶ ὕστερον, ἀπ᾽ αὐτῶν τῶν ἔργων ἔλαβεν, ὥστε καὶ ἐν εἴκοσιν ὄνομα αὐτοκράτορος σχεῖν) ἀλλὰ τὴν ἑτέραν τὴν τὸ κράτος διασημαίνουσαν. Hoc vult : Auguſtum quinto conſulatu Imperatoris nomen aſſumſiſſe tertio ſignificatu. at ſecundo, & ſæpe illum ante cognomen id ex victoriis ſuis meruiſſe, & poſtea quoque ſæpius : ita ut hac notione vicies Imperator fuerit ſalutatus. hæc Dionis ſententia, hæc veritas rei. Lapis vetus doctiſſimo Onufrio deſcriptus, IMP. CÆSAR. DIVI. F. AUG. PONT. MAX. COS. XIV. IMP. XX. TRIBUNIC. POTEST. XXXVIII. P. P. Tacitus de Auguſto : *Nomen Imperatoris ſemel atque vicies partum.* ἐν εἴκοσιν, in ſuperioribus verbis ſignificat *in viginti præliis.* repetendum enim ἔργοις. valeat igitur inepta, falſa, & abſurda interpretum ſententia, εἰκόσιν legentium. Poſſum Dionis ſex alios locos proferre confirmandæ noſtræ interpretationi : ſed otio abuti nolo, neque meo, neque lectorum. Scribit accuratiſſimus Lipſius, poſt T. Blæſum, cui vocabulum Imperatoris conceſſit Tiberius A. U. C. DCCLXXV. nemini ſubditorum eum titulum fuiſſe communicatum : me, ut aſſenſionem ſuſtineam, movet Appianus, qui ſecundo Ἐμφυλίων, non penitus ademtum privatis exercituum ducibus ſua ætate (ſub Adriano vixit) eum honorem : ſed difficiliorem ad eum aditum relictum eſſe ſcribit. non enim dari cuiquam niſi cæſis XM. hoſtium; cum ante ἐπὶ πᾶσι τοῖς μεγίστοις ἔργοις tribueretur. Auſpicia tamen penes ſolos Principes fuiſſe, fatendum omnino eſt.

TORRENT.

Prænomen imperatoris.] Antea, qui exercitibus præerant, re bene geſta vel militum favore, vel decreto ſenatus Imperatores ſalutabantur. Cæſar, & qui eum ſecuti ſunt, quo ſummam oſtenderent potentiam, in prænomen verterunt. Græci ideo αὐτοκράτορας vocant. Remanſit tamen militaris quoque appellatio, quoties vel ipſi, vel ipſorum auſpiciis alii rem feliciter geſſerant. quod & Dion prolixe tradit, & paſſim in marmoribus; ac numiſmatibus cernitur. IMP. CÆS. DIVI F. AUGUSTUS PONT. MAX. COS. XIV. IMP. XX. TR. POT. XXXVII. P. P.

Thenſam & ferculum.] Honor ille Circenſi pompa Diis tantum ac Semideis, quorum animæ relatæ in cœlum erant, habebatur. Cæſar eum viventi ſibi deferri paſſus eſt. Dionyſ. Antiq. Rom. lib. VII. de Circenſi pompa loquens, *Poſtremum* (inquit) *agmen claudebant ſimulacrorum bajuli.* Deos inde enumerat, quorum ſimulacra geſtabantur. Quæ cum admodum eſſent pretioſa, ac qui pompam ducebant, auguſtiſſima & ipſi, quod tradit Livius lib. V. veſte uterentur, eleganter Ovid.

Aurea pompa venit, linguis animisque favete.

Quo verſu ſimul & materiæ præſtantiam, & deorum religionem exprimit. Eſt autem *thenſa*, ut Grammatici volunt, vehiculum ipſum ſacrum : *ferculum* vero vehiculi pulpitum, cui ſimulacra imponebantur. Cic. Verr. ultima : *Omnes Dii, qui vehiculis thenſarum ſolennes cœtus ludorum initis.* Vide Feſtum, & Aſconium Verr. III.

CASAUBON.

Statuam inter reges.] Septem ſtatuæ totidem regum, & octava Bruti tyrannicidæ, in Capitolio conſecratæ viſebantur. juxta Brutinam collocata Cæſarea eſt. Dio lib. XLIII.

Suggeſtum in orcheſtra.] Infra libro VI. ad cap. XII.

Sedem auream in curia & pro tribunali.] Placet iſta lectio : vult enim Cæſarem ſella aurea uſum, ut alios curuli, in ſenatu, & in foro pro roſtris. quod Cicero declarat Philipp. II. Fuit tamen, cum ex Dionis verbis legendum ſuſpicaret, *in curia pro tribunali.* verba Dionis ſunt : Δίφρος οἱ ἐπίχρυσος καὶ στήλη, ᾗ ποτε οἱ βασιλεῖς ἐκέχρηντο, ἐδόθη. *Sella,* inquit, *aurea, & columna, qua olim reges uſi, decreta.* Quænam hæc columna eſt ? interpretes de ſtatua inter reges exponunt. non deeſt, quod objiciam. nam & dictum ante Dionis de illa ſtatua : & στήλην *ſtatuam* hic interpretari, & χρᾶσθαι στήλῃ ſtatuam ponere, nonne ineptum eſt ? Putabam velut cippum aliquem fuiſſe in curia mediocris altitudinis, in quo ſtatueretur ſella aurea, tanquam in parvo & humili tribunali. Juvat Florus, qui non ſedem aut ſellam vocat, ſed *ſuggeſtum.* Id autem eſt βῆμα

pulvinar, flaminem, lupercos, appellationem menſis e ſuo nomine. Ac nullos non honores ad libidinem cepit, & dedit. Tertium & quartum conſulatum titulo tenus geſſit, contentus dictaturæ poteſtate decretæ cum conſulatibus ſimul : atque utroque anno binos conſules

βῆμα & tribunal. De loco Suetonii, muto nunc, nec recedo ab edita lectione : de Dioneo cogitemus adhuc.

Thenſam & ferculum Circenſi pompa.] Diſtingue duos mores circa Principum honores ſolitos uſurpari, quos multi perperam confundunt. Unus fuit, ut abſentibus aut mortuis ſella poneretur in theatro cum corona : cujus rei expreſſam ſimilitudinem vidimus in multis nummis. dixit pridem de hoc Juſtus Lipſius ad II. Annalium docte & accurate. Sed videntur Romani a Græcis id didiciſſe : nam προεδρία non merentibus illam ſolum decernebatur Athenis & in aliis urbibus Græciæ, ſed etiam poſteris ipſorum. ad ejus rei memoriam primo inſtitutum, ut etiam mortuis ſellæ ponerentur : deinde reges ſibi & ſuis hunc honorem tribuerunt. Athenæi locum non male huc traxeris lib. v. in deſcriptione pompæ Philadelphi, quem mox proferemus. Simile eſt, quod Eumenes, ait Æmilius Probus, *in principiis nomine Alexandri ſtatuit tabernaculum, in eoque ſellam auream cum ſceptro ac diademate juſſit poni.* Alter mos fuit, ut in pompa Circenſi, quam unus optime deſcribit Dionyſ. Halicarnaſſ. libro ſeptimo, cum ſimulacris deorum, inferretur Principis imago, in thenſa & ferculo, ſicut imagines numinum. Res, ut puto, inaudita Romæ ante Cæſarem. apud Græcos ſimile quid obſervamus. Athenæus in enarratione pompæ Philadelphi : Ἐπόμπευσαν δὲ καὶ θρόνοι πολλοὶ ἐξ ἐλέφαντος καὶ χρυσοῦ κατεσκευασμένοι, ὧν ἐφ' ἑνὸς ἔκειτο στεφάνη χρυσῆ· ἐπ' ἄλλου δὲ κέρας χρυσοῦν, ἐπ' ἄλλου δὲ ἦν στέφανος χρυσοῦς, καὶ ἐπ' ἄλλου δὲ κέρας ὁλόχρυσον· ἐπὶ δὲ τὸν Πτολεμαίου τοῦ Σωτῆρος θρόνον στέφανος ἐπέκειτο, ἐκ μυρίων κατεσκευασμένος χρυσῶν. Ait traductam inter res divinas, quas paullo ante commemoravit, ſellam Ptolemæi Soteris cum corona aurea : nec non ſellas multas aliorum, quorum nomina non ponit. Ubi vides non obſcurum veſtigium utriuſque moris ante expoſiti. Dionis verba, quæ his Suetonii reſpondent, ubi uterque honos exprimitur, apponam, ut emendem. nam docti viri unius literulæ offenſione excæcati ſunt. Εἶτε τὰ θέατρα τόν τε δίφρον αὐτοῦ τὸν ἐπίχρυσον, καὶ τὸν στέφανον αὐτοῦ τὸν διάλιθον, ἐξ ἴσου τοῖς τῶν θεῶν, ἐσκομίζεσθαι. hactenus de ſella : ſequitur de thenſa. κἀν ταῖς ἱπποδρομίαις ὀχὸν εἰσάγεσθαι ἐψηφίσαντο. male vulgo editum ὄχλον : fecimus ὀχόν. ſic appellat thenſam. alibi ἅρμα. & eſt thenſa aliud nihil quam ἅρμα πομπικὸν ſive ἱερὸν, vel ut vertitur in Gloſſario, ἅρμα θεῶν. Diomedes lib. I. *Tenſa, deorum vehiculum.* Recte autem emendari a nobis ὀχὸν, fidem fecerit ipſe Dio ita ſcribens lib. XLIX. ὁ τῆς Ἀθηνᾶς ὀχὸς πρὸς τὸ Καπιτώλιον ἐξ ἱπποδρομίας τινὸς ἐπανιὼν συνετρίβη. & libro quinquageſimo : ὅ, τε ὀχὸς ὁ τοῦ Διὸς ἐν τῇ τῶν Ῥωμαίων ἱπποδρομίᾳ συνετρίβη.

Simulacra juxta Deos.] Dio : καὶ ἐν ταῖς πόλεσι τοῖς τε ναοῖς τοῖς ἐν τῇ Ῥώμῃ ἀνδριάντα τινὰ αὐτοῦ εἶναι ἐκέλευσαν. Hoc dixit Vitruvius : *inter deorum ſedes dedicari.*

TORRENT.

Lupercos.] Cum binæ eſſent Lupercorum ſodalitates, Cæſar tertiam addidit eorum, qui Juliani vocabantur. Dion initio lib. XLIV. Plura de hoc Hadr. Turneb. Adverſar. lib. VII. cap. III.

Decretæ cum conſulatib. ſimul.] Cæſari, quod ante eum nemini, permiſſum fuit, ut uno eodemque tempore conſul ſimul & dictator eſſet. Hoc ſignificat hic Sueton. atque una rationem edit, cur tantum titulo tenus conſulatus duos geſſerit. cum enim, ut dictator, omnia in rep. poſſet, conſulis poteſtate non indiguit, atque alios ſufficiendo amicitias auxit ac conſervavit, & quæ promiſerat, facilius præſtitit. Quæ hujus loci ſententia paulo clarior erit, ſi pro *conſulatibus* legamus *conſulatu.*

Utroque anno binos.] Cæſarem id quarto conſulatu feciſſe omnes affirmant, Dion in primis. ſuffecti enim fuere Q. Fabius Maximus & C. Trebonius, & rurſus in Maximi, prid. kal. Jan. defuncti, locum C. Caninius Rebilus, in quem tot Ciceronis joci, conſul factus eſt. Sed an idem tertio quoque conſulatu factitarit, incertum eſt. nam & ſolus, quod ſciam, hoc Suetonius affirmat, nec alterius quam M. Lepidi, tunc conſulis & magiſtri equitum, nomen invenias. Fefellit fortaſſis Suetonium, quod anno DCCVI. qui tertium Cæſaris conſulatum præceſſit, ac diu ſine conſulibus ac prætoribus fuit, Cæſare in Ægypto ac Ponto res gerente, tandem Q. Fuſius Calenus & P. Vatinius creati coſs. fuere. Et fortaſſis tertium Cæſaris conſulatum illi anno attribuit Sueton. Verum qui de dictaturis & conſulatibus Cæſaris exactius velit cognoſcere, quia res obſcurior eſt quam ut paucis verbis explicari poſſit, eos conſulat, qui Faſtos concinnarunt.

CASAUBON.

Pulvinar.] Lectiſternia Romanorum ex Livio aliiſque nota : Græcos idem factitaſſe primi fortaſſe nos obſervamus. Scholiaſtes Pindari Olympionicarum Oda prima : Διὰ τιμῆς ἦγον οἱ Ἀθηναῖοι τὸν Αἴαντα, ὡς μὴ μόνον Αἰαντίδα φυλὴν ἀποδεῖξαι, ἀλλὰ καὶ κλίνην αὐτῷ κατὰ πανοπλίας κατακοσμεῖν. Æmilius Probus in Timotheo : *Quæ victoria tanta fuit At-*

conſules ſubſtituit ſibi in ternos noviſſimos menſes : ita ut medio tempore comitia nulla habuerit, præter tribunorum & ædilium plebis : præfectoſque pro prætoribus conſtituerit, qui præſente ſe res urbanas adminiſtrarent. Pridie autem Kal. Januarias repentina conſulis morte ceſſantem honorem in paucas horas petenti dedit. Eadem licentia ſpreto patriæ more, magiſtratus in plures annos ordinavit. Decem prætoriis viris conſularia ornamen-ta

ticis lætitiæ, ut tum primum aræ Paci publice ſint factæ, eique Deæ pulvinar ſit inſtitutum. Pauſanias Arcadicis : κλίνη τε ἱερὰ τῆς Ἀθηνᾶς, καὶ αὐτῆς, εἰκὼν γραφῆς μεμιμημένος ἀνάκειται. in Phocicis de templo quodam Æſculapii : κλίνη δὲ ἐν δεξιῷ κεῖται τοῦ ἀγάλματος. Valerius Max. lib. II. c. 10. *Rhodii quoque eas* (intellige Harmodii & Ariſtogitonis imagines) *urbi ſuæ appulſas, cum in hoſpitium publice invitaſſent, ſacris etiam pulvinaribus receperunt.* Huc ſpectant & quæ de Themiſone divinos honores uſurpante Athenæus commemorat.

Ac nullos non honores.] Male vulgo, *nonnullos.* lib. II. *ad nullius non facinoris ſocietatem coibant.* libro quarto : *quoque magis nullius non boni exempli fautor videtur.*

Torrent.

Comitia nulla habuerit.] Toto eo tempore, quo victo Pompejo Ægypti, Ponti, & Africæ bellis Cæſar diſtinebatur, nulla pæne habita comitiorum ratio, ac ne bello quidem Hiſpanienſi; ſed magiſtri equitum, primum Antonius, poſtea Lepidus, abſente Cæſare res urbanas adminiſtrarunt.

Præfectoſque pro prætoribus.] Auctor eſt Dion lib. XLIV. Cæſarem contra Pompeji liberos in Hiſpaniam proficiſcentem Lepido Urbis cuſtodiam commendaſſe, ut una cum præfectis, quos πολιανόμους vocat, vel octo, vel ſex, (neque enim de numero ſatis conſtat) res interea adminiſtraret. Sed an hi prætorum loco fuerint, an vero prætoria poteſtate præditi, incertum eſt. Suetonius indicat, ut neque comitia, ſic neque prætores tunc fuiſſe; Dion vero quarto Cæſaris conſulatu factos dicit prætores XIV. & quæſtores XL. ſequenti vero prætores XVI. De prætorum quoque, uti & ædilium, & quæſtorum numero aucto ipſe Sueton. ſup. cap. XLI. & J. C. Pomponius l. II. de Origine juris. Sed veriſimile eſt, eo anno deſignatos tantum fuiſſe, non etiam iniiſſe magiſtratum. Mirum autem, quod Sueton. præfectos hoſce conſtitutos dicit, qui præſente Cæſare adminiſtrarent, quod nec res ipſa fert, & Dioni adverſatur. Quare dictiones illæ, *præſente ſe*, aut amovendæ videntur, aut corrigendæ, ut *abſente ſe* legatur, vel *etiam præſente ſe*; vel, quod Lipſio placet, *qui pro ſe res urb. admin.* Elector. II. cap. XVII. Inter hos vero præfectos fuere, ut ego arbitror, L. Munatius Plancus, & L. Livenejus Regulus : quorum numiſmata, illius aureum, hujus argenteum, ſervo. illud cum hac inſcriptione : C. Cæs. Dic. Ter. L. Planc. Præf. Urb. hoc cum iſta : L. Regulus. Præf. Ur. De Planco tamen dubitari poteſt. Bello enim Hiſpanienſi præſens Cæſari bonam operam navavit. Sed cum præfectura illa diutius duraverit, quod ex Dione ipſo colligitur extremo lib. XLIII. poterat Plancus interea etiam in Urbe eſſe. Errant vero, qui ex hoc Suetonii loco volunt præfectos Urbis, do quibus peculiari titulo JCti noſtri, & quorum potentia ſic poſtea excrevit, ſub Cæſare dictatore inſtitutos fuiſſe. nam ipſe Sueton. præfecturam Urbis inter officia ab Auguſto inventa commemorat cap. XXXVII.

In paucas horas petenti.] Is Caninius Rebilus fuit, de quo paulo ante. Fabio enim, prid. kal. Jan. mortuo, ſucceſſit. Inf. Ner. cap. XV. Macrob. lib. II. cap. II. Tacit. Hiſtor. lib. III. ideo id factum dicens, quod belli civilis præmia feſtinabantur.

In plures annos.] Facete igitur Cic. ad Att. lib. XVI. Cæſarem in codicillorum faſtis non minus longas futurorum coss. quam jam factorum paginas habere.

Casaubon.

Præfectoſque pro prætoribus conſtituerit.] Imo *pro quæſtoribus.* Dio : ἐπὶ τῆς διοικήσεως δύο τῶν πολιανομούντων, ἐπειδὴ ταμίας οὐδεὶς προκεχειροτόνητο, ἐγένοντο. Sed placet magis, ut nihil mutemus : nam iſtos quidem præfectos conſtat & quæſtorum in urbe munera obiiſſe : prætoribus tamen eos potius comparat, quia prætextam, curulem ſellam, & ſex lictores, quæ ſunt inſignia prætorum, habuere. colligi poteſt ex Dione. Omnino autem legendum, repugnantibus omnibus libris *abſente ſe*, cum Torrentio : vel *pro ſe*, ut Lipſius. Dio pæne ad verbum : Ἐν τῇ ἀποδημίᾳ τῇ τοῦ Καίσαρος οἱ πολιανόμοι τὰ ἐν τῷ ἄστει πράγματα μετὰ τοῦ Λεπίδου ἱππαρχοῦντος ἔσχον.

Conſulis morte ceſſantem honorem in paucas horas petenti dedit.] Fuſe Cicero in epiſtola ad Curionem. Hoc ſine exemplo factum a Cæſare in exemplum vertit. Anno DCCXV. in paucas horas ſuffecti ædiles. Dio lib. XLVIII. Anno DCCXXI. in locum prætoris qui ultimo die obierat, creatus alius εἰς τὰς λοιπὰς ὥρας. Dio XLIX. ita accidit anno DCCCI. ſed ex alia cauſſa. Tacitus lib. XII. Annal. 4. *Adactus Silanus ejurare magiſtratum, & reliquus præturæ dies in Eprium Marcellum collatus eſt.* At gravis cenſor Nero exemplum improbavit. vide lib. VI. cap. XV. idem judicium Dionis.

Magiſtratus in plures annos ordinavit.] In annos quinque. Apud Appianum in oratione Antonii ſcribe : Ἐς γὰρ πενταετὲς, ὡς ἴστε, καὶ τὰ ἀστικὰ ἡμῖν τὰ ἐτήσια

ta tribuit. Civitate donatos, & quoſdam e ſemibarbaris Gallorum recepit in curiam. Præterea monetæ, publiciſque vectigalibus, peculiares ſervos præpoſuit. Trium legionum, quas Alexandriæ relinquebat, curam & imperium Rufini liberti ſui filio, exoleto
77 ſuo, demandavit. Nec minoris impotentiæ voces propalam edebat, ut T. Ampius ſcribit: Nihil eſſe Remp. appellationem modo, ſine corpore, ac ſpecie. Sullam neſciſſe

ἐτήσια, καὶ τὰς τῶν ἐθνῶν ἢ ϛρατοπέδων ἡγεμονίας διετάξατο. Vocat ἀϛικὰ ἐτήσια, comitia urbanorum magiſtratuum, qui omnes fuere annui. meminit & alibi.

TORRENT.

Peculiares ſervos.] Cum monetæ III-viri monetales, vectigalibus vero publicani ac mancipes ante præficerentur, Cæſar ſervos præfecit; neque hos publicos, ſed proprios, quos ut Turneb. exponit, *peculiares* vocat Sueton. Sic nimirum *peculiares loculi* inf. Galb. cap. XII. Mallem tamen *peculiares* ideo dici, quod illius tantum rei curam gererent. Poterant & per contemptum ſic vocari, ut *peculiare vinum* l. IX. de tritico, vino, & oleo leg. quod in uſu ſervorum ſit, ac proinde viliſſimum. Verum id de Cæſare non crediderim. Cæſari autem pecuniam omnem & publicam & privatam traditam, queritur Cic. ad Att. lib. VIII.

Rufini lib. ſui filio.] Sic Pulmannus Turnebo auctore reſtituit, cum libri omnes *Ruſioni*, aut *Rufioni* habeant. Et ſane Rufini cognomen, quod Corneliorum eſt, liberto Cæſaris non convenit. *Rufioni* igitur ita ſervo ex tribus MSS. ut tamen *Ruſioni* non diſpliceat. nam & Rufio Trebatiorum cognomen eſt. Vetus lapis: C. VIBIUS C. F. MACER C. TREBATIUS RUFIO FACIUND. CURAVERUNT. & Cicero quadam ad Trebatium epiſtola: *Rufio tuus ita deſiderabatur, quaſi unus e nobis eſſet.* *Tuus*, nempe quia ejuſdem gentis. Sed hoc putidius eſt; ac fieri potuit, ut & Trebatius ille Rufio libertini generis fuerit. Rufionis etiam mentio lib. XIV. ad Att. Et, ut nihil omittamus, apud Martialem Apophor. CLXXV. Rufus Batavi cujuſdam nomen eſt, unde Ruſio. Et quid ſi *Rufino, l. ſ. f.* legamus?

77. *T. Amprius.*] Liber unus MS. *T. Ampirius*, Oberti Giſanii cod. *T. Amplius.* Sed *Ampius* legendum, quod poſtea etiam Pulm. nos monuit. *T. Ampii* enim mentio apud Cæſarem lib. III. de Bello civil. quanquam vulgati codd. *T. Appium* vocant. Ad Ampium etiam Ciceronis epiſtola Famil. lib. X. & ejuſdem mentio epiſtola quadam ad Atticum l. VIII.

Nihil amplius eſſe remp.] Melius MSS. quatuor: *Nihil eſſe remp. appellationem modo.* Eodem ferme modo Cic. ad Att. *Nullum eſſe colorem, nullum ſuccum, nullam formam relictam reipubl.* Cæſare ſcilicet pro arbitrio eam moderante. Nec male Lucanus: *Omnia Cæſar erat.*

CASAUBON.

Rufini liberti ſui filio.] Variant libri: quidam *Ruffoni*, alii *Rufioni*: quidam *Ruſioni*.

77. *Ut T. Ampius ſcribit.*] Et hic fluctuant noſtri codices. Viterb. plane, *Titus Amplius.* alii *T. Amprius.* Urſino placet *Tampius.* ex antiquis inſcriptionibus & Tampiæ familiæ denariis. Nos quoque vidimus argenteum nummum, ſed ſcriptura ancipiti: tam enim T. AMPIUS, quam TAMPIUS legi poterat.

Appellationem modo ſine corpore ac ſpecie.] Cur negat ſpeciem ſaltem reip. ſupereſſe? An legendum, *ſine corpore atque re?* Ovidius,

--- *Aut ſine re Deus eſt, fruſtraque timetur.*

Sic Græci, ut

Ὦ τλῆμον ἀρετή· λόγος ἄρ᾽ ἦσθ᾽. ἐγὼ δέ σε
Ὡς ἔργον ἤσκουν.

Et B. Baſilius venuſtiſſime in epiſtola ad Patrophilum: Πᾶν μοι ἦθος ὕποπτον ἐνομίσθη, καὶ μὴ εἶναι ἐν ἀνθρώπου φύσει τὸ τῆς ἀγάπης καλὸν, ἀλλὰ ῥῆμα εἶναι εὐπρόσωπον. Ab eadem mente eſt illud ejuſdem libro de Spiritu Sancto, cap. XXVII. εἰς ὄνομα ψιλὸν περιϊϛᾶν τὸν κήρυγμα. atque ita ſæpe etiam B. Chryſoſtomus. Cæterum in Suetonii verbis nihil mutandum, ſed illud potius eſt obſervandum, vocem *ſpecies* Latinis duo ſignificare: & id quod vere eſt atque ſubſiſtit, ut cum temperantiam virtutis ſpeciem eſſe dicimus: & id quod veram exiſtentiam non habet, &, ut loquuntur Philoſophi, τὸ μὴ ὂν μὲν, φαινόμενον δέ. ut cum χολοβάφινα dicimus habere ſpeciem auream: & ſpeciem dominationis Claudio Imperatori, vel poſtremis regibus ſtirpis Merovingiæ tribuimus; vim imperii Claudii libertis, aut Carolo Tuditi. Cæſar priore notione hic accipit, non poſteriore. Ac fortaſſe etiam verum eſt, quod Deſiderius Heraldus meus obſervabat, vir probitatis eximiæ, & cui literæ meliores quum debeant jam non parum, multo plura olim ſunt debituræ, ſi per forenſes occupationes ipſi licuerit. is igitur obſervabat, videri Cæſarem alluſiſſe ad diſcrimen, poſitum a veteribus inter vocabulum & appellationem. Quintilianus libro primo cap. IV. *Fuerunt qui ipſum adhuc vocabulum ab appellatione diducerent; ut eſſet vocabulum, corpus viſu tactuque manifeſtum, domus, lectus: appellatio, cui vel alterutrum deeſt, vel utrumque, ventus, cœlum, Deus, res.*

VARIOR.

76. *Peculiares ſervos præpoſuit.*] Peculiaris ſervus eſt, aut filii familias, aut vicarius. Plautus Aulular. 3. 4.

ſciſſe literas, qui dictaturam depoſuerit. Debere homines conſideratius jam loqui ſecum, ac pro legibus habere quæ dicat. Eoque arrogantiæ progreſſus eſt, ut haruſpice triſtia & ſine corde exta ſacro quodam nuntiante, futura diceret lætiora, cum vellet: nec pro oſtento ducendum, ſi pecudi cor defuiſſet. Verum præcipuam & inexpiabilem ſibi invi- 78
diam hinc maxime movit: Adeuntes ſe cum plurimis honorificentiſſimiſque decretis, univerſos patres conſcriptos ſedens pro æde Veneris Genetricis excepit. Quidam putant retentum a Cornelio Balbo, cum conaretur aſſurgere: alii ne conatum quidem omnino, ſed etiam admonentem C. Trebatium, ut aſſurgeret, minus familiari vultu reſpexiſſe. Idque factum ejus tanto intolerabilius eſt viſum, quod ipſe triumphanti, & ſubſellia tribunitia prætervehenti ſibi, unum e collegio Pontium Aquilam non aſſurrexiſſe adeo indignatus ſit, ut proclamaverit: Repete ergo a me Aquila Remp. tribunus: & nec deſtiterit per continuos dies quidquam cuiquam, niſi ſub exceptione polliceri, ſi tamen per Pontium Aquilam

gallus gallinaceus, Qui erat anui peculiaris. Ancilla eſt anus iſta. Captiv. prologo: *Dedit eum huic gnato ſuo Peculiarem.* Mercat. 3. 1. *Ovem etiam tibi ancillam dabo peculiarem.* Varro lib. 1. de Re Ruſt. 19. *Adjiciendum, de pecore ea ſola, quæ agri colendi cauſa erunt, ut ſolent eſſe peculiaria, pauca habenda, quo facilius mancipia, quæ ſolent, ſe tueri & aſſidua eſſe poſſint.* Sic enim MSS. & conatur interpretari P. Victorius 31. Varr. Lect. 23. ſed infeliciter. Vult enim *peculiaria* eſſe, quæ propria illius agri ſunt: quum ſint de peculio ſervorum. Juvat ipſe Varro cap. 17. extremo ejuſdem libri: *Conceſſioneve, ut peculiare aliquid in fundo paſcere liceat.* Neque aliter *peculiare* vinum. Ulpianus ipſe explicat, nimirum, *quod ſervi habuerunt.* At Cæſar neque filiusfamilias tum, neque unquam ſervus, opinor, fuit: non habebat igitur peculiares ſervos. Itaque, niſi valde abuſum hoc vocabulo Suetonium volumus, ſcripſit, *peculioſos*, vel *peculiatos.* Tales fere omnes diſpenſatores erant, quibus privata dominorum pecunia credebatur. Et ex hoc quoque genere fuiſſe, quibus publicam commiſerit Cæſar, certum, non arbitrarium eſt. GRONOVIUS.

TORRENT.

Syllam neſciſſe litteras.] Atqui Græcis & Latinis litteris eruditiſſimus erat, adeo ut rerum a ſe geſtarum commentarios ſcripſerit. Plutarch. & Gellius. Placet igitur Turnebi, & ante eum Sabellici explanatio, ut Syllam Grammaticum eſſe negaverit, qui, quod Grammatici munus eſt, dictare neſciverit. Melior Cæſaris ratio, de qua ſup. cap. XXIX. *difficilius ſe principem civitatis*, &c. Spectat eodem Dionyſii Tyranni vox, pedibus tractum, non inſidentem equo, tyrannidem relinquere debere. Livius lib. XXIV.

Pro legibus habere, quod dicat.] Auguſto primum, ſi Dioni credimus, conceſſum, ut legibus ſolutus eſſet. Hinc tandem eo ventum, ut quod Principi placeret, legis haberet vigorem. l. 1. de conſtit. Princ.

Aruſpice triſtia & ſine corde exta ſacro quondam.] Sic Pulmannus quidem, & libri impreſſi omnes, niſi quod in quibuſdam *ſacro quodam* legitur; verum MSS. quos vidi, mire diſſentiunt. Unus, quem ſequor, ſic habet: *Aruſpice triſtia, ſine corde, exta ſacra quondam nunciante*, rejecta *et* particula (ideo enim triſtia, quia ſine corde) & *ſacra* pro *ſacro.* exta enim niſi ſacra oſtentum non faciunt. De hoc Cicero lib. II. de Divinat. Plin. quoque lib. XI. cap. XXXVII. *Cæſari dictatori, qua die primum veſte purpurea proceſſit, atque in ſella aurea ſedit, ſacrificanti bis cor in extis defuit.* Julius Capitolin. Pertinace: *Eadem die immolante Pertinace, negatur in hoſtia cor repertum, & cum exta vellet procurare, caput extorum non deprehendit.* Feſtus quoque, *Peſtifera* (inquit) *auſpicia eſſe dicebant, cum cor in extis, aut caput in jecinore non fuiſſet.* quod peſtem ſcilicet atque exitium portenderent, ut *peſtiferum fulgur, quo mors, exiliumve ſignificari ſolet.* Idem Feſtus in *Poſtularia.* Exemplum vero aliud apud Livium eſt lib. XXVII. de morte Marcelli.

78. *Et inexpiabilem.*] Tres codd. *exitiabilem.* placet. Et mox *cum plurimis* pro *cum pluribus.*

Prætervehenti.] Sup. cap. XXXVII. De hiſtoria ipſa vide Dionem ſub initium lib. XLIV. dico de contemptu ſenatus.

CASAUBON.

78. *Et inexpiabilem ſibi invidiam.*] Non aliter multi veterum codd. etiam regius unus perantiquus. Alii in eadem bibliotheca & *exitiabilem ſ.* ut & vetus Politiani, & Turonenſis.

Triumphanti & tribunitia ſubſellia prætervehenti.] Triumphantes a magiſtratu excipiebantur in aliqua porticu vel alio loco, ubi poſitis ſubſelliis eos exſpectabant. Vide Joſephum lib. VII. Excidii cap. XVI.

Pontium Aquilam.] In gente Pontia fuit Aquilarum familia. In antiquiſſima inſcriptione exſtat: L. PONTIUS AQUILA. Hunc autem conſtat acerrimum

79 Aquilam licuerit. Adjecit ad tam inſignem deſpecti ſenatus contumeliam, multo arrogantius factum. Nam cum ſacrificio Latinarum revertente eo inter immodicas ac novas populi acclamationes, quidam e turba ſtatuæ ejus coronam lauream, candida faſcia præligata, impoſuiſſet: & tribuni plebis Epidius Marullus Cæſetiuſque Flavus coronæ faſciam detrahi, hominemque duci in vincula juſſiſſent, dolens ſeu parum proſpere motam regni mentionem, ſive, ut ferebat, ereptam ſibi gloriam recuſandi, tribunos graviter increpitos poteſtate privavit: neque ex eo infamiam affectati etiam regii nominis diſcutere voluit: quamquam & plebei regem ſe ſalutanti, *Cæſarem ſe, non Regem eſſe*, reſponderit: & Lupercalibus, pro Roſtris a conſule Antonio admotum ſæpius capiti ſuo diadema repulerit, atque

rimum Reip. propugnatorem fuiſſe: pro qua & vitam fudit bello Mutinenſi D. Bruti legatus. Dio XLVI.

TORRENT.

79. *Sacrificio Latinarum.*] Mos erat, ut Latinas ferias conſul indiceret, ac Jovi Latiali in Albano monte ſolenne ſacrum faceret. Cæſari vero inter noviſſimos honores, ut tradit Dion lib. XLII. hoc quoque tributum, ut feriis illis peractis ex Albano monte curru in Urbem inveheretur.

Epidius Marullus.] Dion lib. XLIV. *Caium* prænominat, Cajique Epidii cujuſdam Commentariorum, in quibus arbores locutæ feruntur, meminit Plin. lib. XVII. cap. XXV. Marulli quoque declamatoris mentio apud Senecam Controverſiis, quem tamen liber meus vetus *Marillum* vocat. quod monitum volui. Appian. Μάρυλλον appellat Civil. II.

Cæſetiusque Flavus.] Dioni eſt Λεύκιος Κεσίτιος, Φλάκος, duplici exſcriptorum errore, ut arbitror. nam & Καισήτιος verum eſt, & φλαύος, nota literarum κ & υ vicinitate ac commutatione, equidem reſcribam. Flavium tamen & Vellejus Patercul. lib. II. & Φλαούιον Plutarch. Cæſare, & ipſe Dion appellat lib. XLVI. quo loco obſervatum notat, qui imperium collegis abrogaſſent, eos haud fere perannaſſe. In Appiano gravius peccatum, qui Σίτ[ι]ον cognominat. ſed nihil dubito, quin Καισήτιος e ſcripturæ veſtigiis reponendum.

Sive ut ferebat.] Liber unus, *ut referebat*. Forte, *ut præferebat*.

Diſcutere voluit.] Sic libri quatuor, non *valuit*. nec male, ni fallor. nam quæ ſequuntur, jam ante contigerant.

Plebi regem ſe ſalutanti.] Lib. unus *plebejo*. quod & Giſanius aſſerit. Et ſane plebejus apud Horat. quoque lib. II. Sat. III. pro quovis e populo ponitur: *Nil ultra quæro plebejus.* Quam lectionem eo magis probo, quod regni mentio etiam ſub Cæſare ſemper univerſo pop. Rom. diſplicuit. Cic. Philipp. II. *Sedebat pro roſtris collega tuus, amictus toga purpurea, in ſella aurea coronatus. Aſcendis, accedis ad ſellam. Ita eras Lupercus, ut te eſſe conſulem meminiſſe deberes. Diadema oſtendis. Gemitus toto foro. Tu diadema imponebas cum plangore populi, ille cum plauſu rejiciebat.* Idem de populo clam palamque dominationem detrectante paulo poſt ipſe Sueton. Si quis tamen *plebi* retineat, meminerit *plebei* ſcriptum ante fuiſſe, unde alius *plebejo* fecerit. Sed qui Dionem hæc prolixe narrantem legerit, priorem ſequetur ſententiam; nec minus, qui Plutarchum.

CASAUBON.

79. *Coronam lauream candida faſcia præligatam.*] Faſcia candida eſt diadema regium. Plutarchus vertit διάδημα βασιλικόν. Tali faſcia candida ornatæ cauſiæ regum Macedoniæ, ut noſtri hodie galeri loris vel torulis quibuſdam. Veteres Grammatici: Καυσία πῖλος ἦν πλατὺς, ὃν οἱ Μακεδονικοὶ βασιλεῖς ἐφόρουν, λευκὸν αὐτῷ διάδημα περιειλοῦντες. Vide Ælianum de Anim. l. lib. XV. cap. IX. Inde eſt, quod in Pompejo faſciæ licet crurales, affectati regni ſuſpicionem moverunt, quia erant candidæ.

Diſcutere valuit.] Ita probo cum Viterb. & aliis libris nonnullis: quidam *voluit*. quod placet Torrentio. Dionis verba utri lectioni potius faveant, incertus ſum. οὐ μέντοι καὶ ἔπραξέ τι, δι' οὗ ἂν ἄχθεσθαι τῷ προσρήματι ὡς ἀληθῶς ἐπιστεύθη.

Quanquam & plebei.] Ita meliores codd. pro *plebi*. Unde nata depravata lectio *plebejo*, quam improbo, etſi doctis probatam. ſed Dio ait τινές· neque probabile eſt, unum tantum fuiſſe. Plebs igitur hic non eſt plebs univerſa, ſed e plebe perditiſſimus quiſque in hoc ſummiſſus, ut aliis præiret ad hanc acclamationem.

VARIOR.

Valuit.] Palatini codices, & alii, *voluit* legunt: quod & Torrentius probat. Sed noſtrum tamen *valuit*, præter codices alios, & mox ſequentia, firmant verba Dionis lib. 44. οὐ μέντοι καὶ ἔπραξέ τι, δι' οὗ ἂν ἄχθεσθαι τῷ προσρήματι ὡς ἀληθῶς ἐπιστεύθη. *Etſi obſiſtendo & obloquendo regium nomen ab ſe rejicere viſus eſt: non tamen hominibus perſuadere valuit, id ſe bona fide facere.* BERNECCERUS.

 TOR-

atque in Capitolium Jovi Op. Max. miſerit. Quin etiam valida fama percrebuit, migra-
turum Alexandriam vel Ilium, tranſlatis ſimul opibus imperii, exhauſtaque Italia dilecti-
bus, & procuratione urbis amicis permiſſa: proximo autem ſenatu L. Cottam Quindecim-
virum ſententiam dicturum: ut, quoniam libris fatalibus contineretur, Parthos, niſi a
rege, non poſſe vinci, Cæſar rex appellaretur. Quæ cauſa conjuratis maturandi fuit deſti-
nata negotia, ne aſſentiri neceſſe eſſet. Conſilia igitur diſperſim antea habita, & quæ ſæpe 80
bini ternive ceperant, in unum omnes contulerunt: ne populo quidem jam præſenti
ſtatu læto, ſed clam palamque detrectante dominationem, atque aſſertores flagitante.
Peregrinis in ſenatum allectis libellus propoſitus eſt: *Bonum factum: Ne quis ſena-
tori novo curiam monſtrare velit.* & illa vulgo canebantur:

Gallos Cæſar in triumphum ducit, idem in curiam.
Galli bracas depoſuerunt, latum clavum ſumſerunt.

Q. Maximo

TORRENT.

Proximo autem ſenatu percrebuit fama.] Delendæ duæ dictiones poſtremæ, ut in cod. MS. legendumque, *amicis permiſſa; proximo autem ſen. L. Cottam*, &c. nam paulo ante poſitas nihil neceſſe eſt hic repetere. De hac autem L. Cottæ XV-viri ſententia Cic. lib. II. de Divinat. XV-virum autem ſacrorum intelligit.

Libris fatalibus.] Sic libros Sibyllinos vocat. Vide inf. Aug. cap. XXXI.

80. *Quæ cauſa.*] Liber Ferrar. *Quæ ſententia cauſa conjuratis.* Quod, tametſi gloſſematium ſapiat, non diſplicet, poſtquam Suetonium per capita dividimus.

Bonum factum.] Sueton. Vitell. cap. XIV. *Bonum factum. Ne Vitellius Germanicus.* &c. Plinius lib. de Viris illuſtribus, ubi de Scipione Africano, (quem locum Grammatici corrupere) *Bonum factum. Si in Capitolium eamus.* Veteres autem boni ominis cauſa ſic præfari, maxime in edictis, ſolent. Plaut. Pœnulo: *Bonum factum: Edicta ut ſervetis mea.* Tertullian. *Edictum, cui aſſcribi non poterit, Bonum factum.* & non malus auctor Iſidorus lib. I. cap. XXII. *Quædam litteræ in libris juris verborum ſuorum notæ ſunt, quo ſcriptio brevior celeriorque fiat. ſcribebatur enim, verbi gratia, per B. & F. Bonum factum, per S. & C. Senatuſconſultum.*

Iidem in curia.] Lego *idem in curiam*, (ſic enim duo MSS. noſtri, & totidem quos Pulmannus citat) ut Cæſar quos in triumphum duxerat, eoſdem & in curiam duxiſſe, acerbiſſime notetur. Sup. cap. LXXVI. *Quoſdam e ſemibarbaris Gallorum recepit in curiam.* Sunt autem, quod & Turneb. annotavit, Trochaici duo.

CASAUBON.

Varia fama percreb.] Viterb. *valida fama per.* puto melius.

80. *Maturandi deſtinata negotia.*] Vox *negotia* in hoc loquendi genere omitti ſolet, ut apud Livium *maturare cœpta*; apud Ciceronem *perficere cogitata.* neque hic fortaſſe Suetonii eſt.

Iidem in curia.] Regius codex, *in curiam.* Fr. Pithœi: *inde in curiam.*

Latum clavum ſumſerunt.] *Sumſerunt* penultima correpta, ut: *Obſtupui ſteteruntque comæ.*

VARIOR.

79. *In Capitolium.*] Ejus facti rationem hanc Cæſarem attuliſſe, Dio refert: Solum Jovem Romanorum Regem eſſe. De conſuetudine coronas in Capitolio deponendi, vide J. Rycquium Capitol. c. 31. BERN.

Varia fama.] Viterbienſis codicis lectionem *valida fama*, comprobat Palatinus primus, teſte Grutero.

Varia fama.] Validum haud dubie, quod e Viterbienſi codice Caſaubonus, & Palatino primo Gruterus eruit, *valida fama.* Idem.

Maturandi deſtinata negotia.] Vir ſummus: Vox *negotia* in hoc loquendi genere omitti ſolet, neque hic fortaſſe Suetonii eſt. Immo quia paſſim & ubique omitti ſolet, ideo non veniſſet in mentem librariis eam addere, niſi in Suetonii atque antiquis omnibus exemplaribus apparuiſſet. Sic Salluſtius in Jugurtha: *Poſtquam hominem adoleſcentem exacta ætate ſua & parvis liberis magis magiſque creſcere intelligit, vehementer eo negotio permotus.* Et iterum: *Quæ negotia multo magis, quam prælium male pugnatum ab ſuis regem terrebant.* GRONOVIUS II. Obſerv. cap. 24.

Iidem in curia.] MSS. aliquot Torrentii & Pulmanni, & primus ac ſecundus Palatinus: *Idem in curiam.* Nec longe abeunt codices Salmaſii, Regius & Palatinus tertius, *Iidem in curiam.* Sed recte priores ſequitur Gruterus.

TOR-

Q. Maximo ſuffecto, trimeſtrique conſule theatrum introeunte, cum lictor animadverti ex more juſſiſſet, ab univerſis conclamatum eſt: *Non eſſe conſulem eum.* Poſt remotos Cæſetium & Marullum tribunos, reperta ſunt proximis comitiis complura ſuffragia, conſules eos declarantium. Subſcripſere quidam L. Bruti ſtatuæ: *Utinam viveres.* Item ipſius Cæſaris ſtatuæ:

Brutus, quia reges ejecit, conſul primus factus eſt:
Hic, quia conſules ejecit, rex poſtremo factus eſt.

Con-

TORRENT.

Suffecto, trimeſtrique coſ.] Lego *trimeſtri.* ſine copulatione. Sup. LXXVI.

Cum lictor animadverti.] Verbum (ut videtur) ſolemne lictoris, qui præcedens Magiſtratum, quo turbam ſummoveret, (nam & hoc verbum ſolemne eſſe ad Horat. notavimus lib. II. Od. XVI.) animadvertere jubebat, hoc eſt, obſervare atque attendere.

Non eſſe eum conſulem poſt remotos.] Interpungo *poſt conſulem.* nam Fabius & Trebonius ſuffecti coss. fuere ante Cæſetium & Marullum tribunatu motos, quarto nempe Cæſaris conſulatu, cum tribunorum offenſa in quintum, & quidem ſub anni finem inciderit. Lego igitur: *Non eſſe eum conſulem. Poſt remotos Cæſ. & Mar. trib. reperta ſunt.* Et revera conſul non erat, quem Cæſar vivus, nec abdicare juſſus, contra leges, nullo majorum exemplo, ſibi ipſe ſuffecit. Ex Dione.

Ipſius Cæſaris ſtatuæ.] Dictio *ſtatuæ* abeſt ex omnibus MSS. & bene. Sequuntur autem duo trochaici.

CASAUBON.

Non eſſe conſulem eum.] Et Cicero negat eſſe conſulem, in epiſtola ad Curium.

Poſt remotos Cæſetium & Marullum trib.] Hæc diſtinctio reſtituta ex cod. Viterb. quanquam viderat hoc acute Torrentius. quem miror in ratione temporum explicanda eſſe hic hallucinatum. Fallitur ſane & cum putat annum interceſſiſſe a coss. ſubſtitutis Fabio ac Trebonio, ad offenſam tribunorum: & cum eorum exauctorationem conjicit in finem anni, quo fuit Cæſar, ut ait, quintum conſul. Neutrum ſtare poteſt. Contigit enim utrumque horum poſt reditum Cæſaris ex Hiſpania: menſe autem Octobri cum revertiſſet, Idibus Martiis proximis eſt occiſus. Itaque trimeſtris Q. Maximi conſulatus in eum annum incidit, quem φθίνοντα vidit noviſſimum Cæſar: Albanæ feriæ & tribunorum caſus in eum, quem ultimum ipſe inchoavit. ejuſdem anni menſe Februario etiam illa Lupercalia celebrata ſunt, de quibus modo eſt actum. Quis vero neſcit, ferias Latinas ſtatim principio conſulatus ſui a coss. ſolitas indici? Comitia, quorum hic mentio, tempore non ſuo, primis anni menſibus habita: vel menſe Februario, quo olim legationes audiri ſolitæ a P. C. vel Martii initio. Sed feſtinavit Cæſar, quia primo vere urbe exiturus erat. jam enim Octavium cum parte copiarum Apolloniam præmiſerat.

Subſcripſere quidam L. Bruti ſtatuæ.] Ita olim moris fuit plebi Romanæ, ſi quid palam profiteri non auderet, voluntatis ſuæ ſignificationem edere, ſcribendo in porticibus, parietibus, ſtatuarum baſibus aliiſque monumentis defunctorum. Plutarchus in Gracchis: Τὴν δὲ πλείστην αὐτὸς ὁ δῆμος ὁρμὴν καὶ φιλοτιμίαν ἐξῆψε, προκαλούμενος διὰ γραμμάτων αὐτὸν ἐν στοαῖς καὶ τοίχοις καὶ μνήμασι γραφομένοις. Similia his & in Græcorum hiſtoria reperiuntur exempla.

Conſpiratum eſt in eum a LX. amplius.] Idem numerus apud Eutropium & Oroſium. Dio negligentius, οὐκ ὀλίγους. Nomina eorum, quæ in libris exſtant qui ad nos pervenerunt, iſta fere ſunt:

M. Junius Brutus Philippenſis.
D. Junius Brutus Albinus.
C. Caſſius Longinus.
L. Caſſius C. frater.
C. Servilius Caſca.
P. Servilius Caſca.
Q. Ligarius.
P. Turullius.
Ser. Sulpicius Galba.
L. Tullius Cimber.
L. Minutius Baſilius.
M. Spurius.
Sext. Popilius Læna.
Cæcilius.
Bucolianus.
Rubrius Ruga.
Sextius Naſo.
Pontius Aquila.
Atilius.
Petronius.
Cornelius Cinna.
Caſſius Parmenſis.

His poſſunt duo addi, *Cn. Domitius Ahenobarbus* & *Sextus Pompejus.* illum pars ſcriptorum inter conjuratos ponit, Dio etiam σφαγέα nominat: pars ſceleris, & ut Valerius Max. ſemper loquitur, parricidii abſolvit. Sex. Pompejus, etſi Roma abfuit tempore conjurationis, lege tamen Pedia cum cæteris conſpiratis damnatus eſt. Habeo & alios, quos in hoc album ſuſpicor referendos: ſed ſuſpicor tantum.

VARIOR.

80. *Brutus quia reges.*] Faërnus legit: *Brutus, qui reges ejecit.* & *Hic qui conſules ejecit.* Eſt autem

Conſpiratum eſt in eum a lx amplius, C. Caſſio, Marcoque & D. Bruto principibus conſpirationis. Qui primum cunctati, utrumne illum in campo per comitia tribus ad ſuffragia vocantem partibus diviſis e ponte dejicerent, atque exceptum trucidarent, an in Sacra via vel in aditu theatri adorirentur: poſtquam ſenatus Idibus Martiis in Pompeji curiam edictus eſt, facile tempus & locum prætulerunt. Sed Cæſari futura cædes evidentibus prodigiis denuntiata eſt. 81
Paucos ante menſes cum in colonia Capua deducti lege Julia coloni, ad extruendas villas ſepulcra vetuſtiſſima disjicerent, idque eo ſtudioſius facerent, quod aliquantum vaſculorum operis antiqui ſcrutantes reperiebant: tabula ænea in monumento, in quo dicebatur Capys, conditor Capuæ, ſepultus, inventa eſt, conſcripta litteris verbiſque Græcis, hac ſententia: *Quandoque oſſa Capyis detecta eſſent, fore ut Julo prognatus manu conſanguineorum necaretur, magniſque mox Italiæ cladibus vindicaretur.* Cujus rei, ne quis fabuloſam aut commentitiam putet, auctor eſt Cornelius Balbus, familiariſſimus Cæſaris. Proximis diebus equorum greges, quos

tem diſtichon ex trochæis, & ſic ſcribendum, ut ſolent verſus, ut monuit Gruterus.

TORRENT.

Principibus conſpirationis.] *Conjurationis* habet opt. codex. ut initio hujus cap. *Quæ cauſa conjuratis fuit.* Sed & conſpiratos vocat cap. proximo: & ſane conſpiratio potius erat. nullo enim jurejurando, aut ſacrificio, ſed conſenſu ſolo, ſi Appiano credimus, conſpirarunt.

81. *Deducti lege Julia.*] Qua Cæſar primo conſulatu agrum Campanum XXM. civium diviſit.

Sepulcra vetuſtiſſ. disjicerent.] Liber opt. *diſcinderent.* Horat. *Diffidit urbium Portas vir Macedo.*

Quando oſſa Capys.] Tres libri, *quandoque oſſa Capys*; & unus, *fore ut Ilio prognatus*, pro *Julo*, aut *Julio*, ut vulgati codices. Turneb. Adverſar. XXIV. cap. XIV. inveniſſe ſe ait *fore ut illo prognatus*, & probat; ſic tamen, ut *Julo* non improbet. Verum quid Capys ad Cæſarem? aut cur in ejus ſepulcro de Juli poſteris? Quare *Ilio* magis placet. *Quandoque* autem pro quandocunque vocabulum Horatio & Juriſconſultis frequens: *Quandoque nupſerit, quandoque liberos habuerit.* Sueton. tamen aliter fere uſus eſt.

CASAUBON.

Marcelloque & D. Bruto principibus conſpirationis.] Fœdiſſimum mendum in priorem noſtram editionem neſcio quomodo irrepſit. nam inter conjuratos, qui Cæſarem occiderunt, nullus fuit, quod ſciam, Marcellus: neque dubitari poteſt, veram eſſe librorum omnium ſcripturam, *Marcoque & Decimo Bruto.*

Partibus diviſis.] Aliis ſuper ponte, aliis ſub ponte collocatis. Hinc intelligimus pontes comitiorum non humiles, ſed altos ſatis fuiſſe.

Poſtquam ſenatus Idibus Martiis edictus eſt.] Is dies propter Annæ Perennæ feſtum hilariter ſolitus agi. Ideo etiam ludi in Pompejano theatro erant futuri. Moris autem fuit, ut quibus diebus ſpectacula in eo theatro exhiberentur, ſenatus in Curia Pompeji haberetur. Notandus Appiani locus: Θέαι δὲ ἦσαν ἐν τῷ Πομπηΐυ θεάτρῳ καὶ βυλευτήριον ἔμελλε τῶν τις περὶ αὐτὸ οἴκων ἔσεσθαι· εἰωθὸς ἐπὶ θέαις ὧδε γίγνεσθαι.

81. *Ut Julo prognatus.*] Memmianus, *ut Ilo prog.* nihil mutandum; nam Julius Cæſar auctorem generis ſui faciebat Julum Æneæ filium, & ut ait Dio lib XLIII. poſteris Æneæ ſe dicebat προσήκειν διὰ τὸν Ἴυλον.

Ne quis fabuloſam aut commentitiam putet.] In membranis ſuperſcripta erat emendatio, *ne quis fabuloſum aut commentitium putet.* probo.

Equorum greges, quos in trajiciendo Rubicone flumine conſecrarat.] Euſtathius in Odyſſeam μ· Ὅτι δὲ καὶ καθ᾽ ἱστορίαν ἀγέλας ὅλας ἡμέρων ζώων Ἕλληνες ἀφιέρυν δαίμοσιν, ὧν ὐκ ἦν θεμιτὸν ἅπτεσθαί τινας, ἐν οἷς καὶ πληνὰ ὡσιύντο ἱεροῖς ἀνειμένα, οἷον ταῶνες καὶ χῆνες, καὶ τοιαῦτά τινα, καθωμίληται ἐν ταῖς ἱστορίαις. Solita hoc modo conſecrari omnis generis animalia, etiam piſces, ut apud Athenæum lib. ſept. ſcriptum. maxime autem id factitatum in iis, quæ uſui aut voluptati fuerant: quibus hoc quaſi præmium datum, ut ante obitum manu emitterentur & ſinerentur ἄφετα. Sic ſervos, quos amabant, imminente morte properabant liberare, ut ſaltem in libertate morerentur, ut Plinius in epiſtolis docet. Sic in hiſtoria Marcellini XXIX. Valentinianus Imperator Innocentiam Urſam, qua diu fuerat oblectatus, tandem *ut bene meritam ſylvas abire dimiſit innoxiam.* Eo refero Theodoreti verba ex Oratione ſecunda Θεραπευτικῆς. Ubi ait Homerum unguentis delibutum ita fuiſſe a Platone e Rep. ſua pulſum, ut mulieres ſolent hirundines: Μύρῳ γε ἀλείψας, καθάπερ αἱ γυναῖκες τὰς χελιδόνας, ἐκ τῆς ὑπ᾽ αὐτῦ ξυντεθείσης πόλεως ἀπέπεμψε. repetit idem & Oratione decima. Sed a vetuſtioribus ſumſit hæc Theodoretus. nam multo ante dixerat Dio Chryſoſtomus in ſermone de Homero, καὶ κελεύει (Plato) μάλα εἰρηνικῶς σέψαντας αὐτὸν ἐρίῳ καὶ μύρῳ καταχέαντας ἀφιέναι παρ᾽ ἄλλυς· τῦτο δὲ αἱ γυναῖκες ἐπὶ τῶν χελιδόνων ποιῦσιν. Ariſtides in tertia Platonica: ὁ Πλάτων Ὅμηρον μύρῳ χρίσας ἐκπέμπει

quos in trajiciendo Rubiconi flumini conſecrarat, ac vagos & ſine cuſtode dimiſerat, comperit pertinaciſſime pabulo abſtinere, ubertimque flere. Et immolantem haruſpex Spurinna monuit, caveret periculum, quod non ultra Martias Idus proferretur. Pridie autem eaſdem Idus, avem regaliolum, cum laureo ramulo Pompejanæ curiæ ſe inferentem, volucres varii generis ex proximo nemore perſecutæ, ibidem diſcerpſerunt. Ea vero nocte cui illuxit dies cædis, & ipſe ſibi viſus eſt per quietem interdum ſupra nubes volitare, alias cum Jove dextram jungere. Et Calpurnia uxor imaginata eſt, collabi faſtigium domus

πέμπει χελιδόνος τιμὴν καταθείς. Videntur mulieres, quando erant miſſuræ e poteſtate aviculas, quibus plurimum fuerant oblectatæ, ſolitæ illis unguentum affundere, quod genus luxus obſervo etiam in hac re fuiſſe uſurpatum. Sic apud Plinium in epiſt. lib. nono, delphino, qui omnibus erat admirationi, Octavius Anitius legatus proconſulis unguentum ſuperfudit. Meminit Solinus cap. XVII. & apud Philoſtratum in vita Apollonii, elephantis cujuſdam *ἀφέτου* mentio fit, quem ſoliti incolæ regionis *μυρίζειν καὶ ταινιοῦν.* de equis teſtis Simonides. Ælianus de Animalibus lib. XI. cap. XXXVI. *Ὅτι δὲ καὶ μύρῳ ἐχρίοντο ἵπποι, Σιμωνίδης ἐν τοῖς Ἰάμβοις λέγει.* lib. XVI. cap. XXIV. Similis ſtultitia eorum, qui piſces monilibus & inauribus ornabant, ut narrat idem lib. XII. cap. XXX.

Varior.

Manu conſanguineorum.] Brutum innuere videtur, quem Cæſar moriens filium appellavit, ex adulterio Serviliæ ſc. genitum, ut ferebatur. Gujet.

Torrent.

Quos in trajiciendo Rubicone flumine conſecrarat.] Turnebus *Rubiconi flumini* legit, dandi caſu, ut equos Cæſar ipſi flumini conſecrarit. Ego Marti potius conſecratos puto, ut apud Virg. Minervæ, Æneid. III.

Quatuor hic primum omen equos. &c.

Simile quid de bobus Dianæ Perſicæ ultra Euphratem ſacris, & Deæ nota, quæ lampas eſt, inſignitis, ac ſine cuſtode vagantibus Plutarch. Lucullo. Quo loco fortiſſimum illum Imperatorem Romanum Euphrati fluvio, quem Tigranem Regem invaſurus trajecerat, taurum ſcribit immolaſſe. Quod equidem ſententiam noſtram confirmat. tauriformes enim fluvii a poëtis finguntur, ut ad Horat. notavimus lib. IV. Od. XIV.

Vagos ſine cuſtode.] Tres libri *vagos & ſine cuſtode.* exprimit autem, quod Græci hujuſmodi animalia Diis ſacra *ἄφετα* appellant. de quo vocabulo eleganter P. Victorius Variar. Lect. XXVIII. cap. XXIV.

Comperiit.] Libri MSS. *comperit.*

Ubertimque flere.] Huc haud dubie reſpexit Virgil. in Pallantis funere:

- - -poſitis inſignibus Æthon
It lacrymans, guttisque humectat grandibus ora.

Et rurſus Bucol.

- - -nulla neque undam
Libavit quadrupes, nec graminis attigit herbam.

Plin. lib. VIII. cap. XLII. de equis: *Præſagiunt pugnam; & amiſſos lugent dominos, lacrimasque interdum deſiderio fundunt.*

Avem regaliolum.] *Trochilum* vocat Plinius lib. X. cap. LXXIV. & lib. VIII. cap. XXV. *parvam avem, quæ* (inquit) *Rex avium* appellatur, & cum aquila inimicitias exercet. Medici Græci paſſerem Troglodyten eſſe volunt. Vulgo Regulus, hic Regaliolus.

Dextras jungere.] *Dexteram* MS.

Collabi faſtigium domus.] Plutarchus, auctorem citans Livium, faſtigium (id quod ipſe *ἀκρωτήριον* vocat) ornatus majeſtatiſque cauſa Cæſaris domo S. C. appoſitum ſcribit. quod monere volui, ne quis locum hunc negligenter tranſeat. *Faſtigium* vocat etiam M. Tullius Philipp. II. Plutarchi interpres *pinnaculum* tranſtulit. Vide, ſi lubet, P. Victorium Variar. Lect. lib. XVII. cap. XVIII. & adde Suetonii locum Claud. cap. XVII.

Casaubon.

Rubicone flumine conſecrarat.] Turonenſis, *Rubiconi flumini* : quod olim Turnebo non ſine ratione placuit. nam cui Cæſar equos iſtos conſecravit? fluvios pro numinibus habitos olim & cultos, nemo eſt quin ſciat.

Avem regaliolum.] In Gloſſario non *regaliolus*, ſed *regaviolus* ſcribitur : nam *regaviolus* dicta hæc avicula quaſi rex avium. Sic autem legendum in eo libro : *Regaviolus*, *σπίννος*. *Regaviolus*, *βασιλίσκος*, *ὀρνύφιον*. ubi vides inconſtantiam ſimul & imperitiam ejus Grammatici : male enim *σπίννος* interpretatur, & cum frigilla regaliolum confundit. In altero ſcriptum eſt : *Βασιλίσκος*, *regula*. ſcrib. *regulus* vel *regaviolus*. De hac ave Plinius. In tertio Pauli Æginetæ legimus aviculam Græcis *βασιλίσκον* dictum, omnium, quas noſſet vetuſtas, habitam eſſe minimam. nec multo eſſe majorem paſſerem troglodyten : quam volunt eruditi eſſe noſtrum *roitelet.*

Ea vero nocte, cui illuxit dies cædis.] Melius ſic quam ut Dio : *ἐν τῇ νυκτὶ, ἐν ᾗ ἐσφάγη.*

Cum Jove dextram jungere.] Dio, *τῆς τοῦ Διὸς χειρὸς ἅπτεσθαι.* non recte in vulg. *dextras.*

Collabi faſtigium domus.] Dixit ante decreta fuiſſe

Cæſari

domus, maritumque in gremio ſuo confodi : ac ſubito cubiculi fores ſponte patuerunt. Ob hæc ſimul & ob infirmam valetudinem diu cunctatus, an ſe contineret & quæ apud ſenatum propoſuerat, agere differret : tandem D. Bruto adhortante, ne frequentes ac jam dudum opperientes deſtitueret, quinta fere hora progreſſus eſt : libellumque inſidiarum indicem, ab obvio quodam porrectum, libellis cæteris, quos ſiniſtra manu tenebat, quaſi mox lecturus, commiſcuit. Dein pluribus hoſtiis cæſis, cum litare non poſſet, introiit curiam, ſpreta religione : Spurinnamque irridens, & ut falſum arguens, quod ſine ulla noxa Idus Martiæ adeſſent : quamquam is veniſſe quidem eas diceret, ſed non præteriiſſe. Aſſidentem conſpirati, ſpecie officii circumſteterunt : illicoque Cimber 82
Tullius, qui primas partes ſuſceperat, quaſi aliquid rogaturus, propius acceſſit: renuentique & geſtu in aliud tempus differenti, ab utroque humero togam apprehendit : deinde cla-

Cæſari templa, aras, pulvinaria, non ſecus ac Deo: eodem & faſtigium iſtud pertinebat. quod ex Ciceronis, Plutarchi & Flori teſtimoniis cognoſcimus. Ut igitur Valerio Poplicolæ olim honoris cauſſa conceſſum, ut foras aperirentur ædes ejus : ſic Julii domus faſtigio ornata. *Faſtigium* aliquando eſt ἁπλῶς ædificii ſummum, ut Feſtus interpretatur : itaque de privatorum ædibus dicitur. Cicero ad Q. fratrem lib. III. *Abſolutum oſtendi in ædibus tuis tectum : quod ſupra conclavia non placuerat tibi eſſe multorum faſtigiorum.* & apud Senecam epiſtola CXXII. Interdum ſignificat tecti formam deorum templis propriam, quæ Græcis ἀετὸς & ἀέτωμα dicitur. Ariſtophanes Avibus, in beatiſſimæ illius ſuæ reip. diſcriptione pro ſumma felicitate ponit, quod omnes in ædibus faſtigium habentibus habitaturi eſſent, ut numina in templis:

Εἶτα, ait, πρὸς τούτοισιν, ὥσπερ ἐν ἱεροῖς οἰκήσετε.
Τὰς γὰρ ὑμῶν οἰκίας ἐρέψομεν πρὸς ἀετόν.

De his faſtigiis multa alibi ex erudita antiquitate promta notamus.

TORRENT.

Ab obvio quodam.] Liber opt. *ab Ovio quodam.* Forte *Ovinio.* Ovinii enim Romani ſunt. Sed Plutarch. Græcum fuiſſe tradit, natione Gnidium Artemidorum nomine, & profeſſione Rhetorem. Alii alium.

Idus Martias.] *Idus Martias ferales ſibi ſcorpionis occaſu annotavit* ipſe *Cæſar*, ſi Plinio credimus lib. XVIII. cap. XXVI. Quo magis ſane mirandum, ſi Spurinam irriſit, quem tantopere ejus ſeculi auctores laudant. Irridere tamen hominem videtur Cicero Famil. lib. IX. epiſt. XXVI.

82. *Cimber Tillius.*] Sic Pulmann. Libri noſtri *Tullium.* Appian. *Atilium* vocat, ſed male, ni fallor. ſic enim Seneca lib. III. de Ira : *Nemo unquam victoria liberalius uſus eſt quam Divus Julius; & tamen eum plures amici occiderunt, quam inimici. Inter eos Cimber Tullius, acerrimus paulo ante partium ejus defenſor.* Meminit ejuſdem, ut ebrioſi & ſordidi lib. XII. Epiſt. Eum locum citat etiam Beroaldus. Adde Cicer. Philip. II.

CASAUBON.

Libellumque inſidiarum indicem.] Putavit Cæſar, ſupplicem libellum hunc eſſe: ideo cæteris δεητηρίοις commiſcuit. Similem errorem admiſit Nicephorus Imperator, cum uxoris Theophanus & Tzimiſſæ conjuratione cæſus eſt. Fuſe narrat Cedrenus. Geminum iſtis exemplum in Annalibus noſtrorum temporum poſteritas leget, ac fatorum vim inevitabilem etiam in ea cæde recognoſcet. Res plane memorabilis, & quæ olim inter θαυμάσια ἀκούσματα & providentiæ divinæ argumenta jactabitur.

Libellis cæteris, quos ſiniſtra manu tenebat, commiſcuit.] Non ſiniſtra, ſed dextra, ait Manilius:

- - -totiens prædicta cavere
Vulnera non potuit, toto ſpectante ſenatu
Indicium dextra retinens.

Etiam commixtum cæteris libellum indicem negat Plutarchus : Ἐν δὲ τῇ χειρὶ κατέχων καὶ φυλάττων ἐκεῖνο μόνον.

Dein pluribus hoſtiis cæſis.] Florus : *nec perlitare centum victimis poterat.*

82. *Aſſidentem conſpicati ſpecie officii circumſteterunt.*] Aliæ editiones male præiverunt. nam *conſpirati* & *circumſtiterunt* ſcribendum.

Cimber Tullius.] Nuperæ quædam editiones mutarunt in *Tillius.* perperam. nam *Tullius* appellatur in omnibus Latinorum codd. & Græcorum quoque nonnullorum, etiam Plutarchi in Bruto : at in ejuſdem Cæſare & Appiano Τίλλιος mendoſe.

Clamantem, Iſta quidem vis eſt.] Plautus Capteiveis : *Vis hæc quidem hercle eſt, & trahi & trudi ſimul.*

TOR-

clamantem, *Iſta quidem vis eſt*, alter e Caſſiis adverſum vulnerat paullum infra jugulum. Cæſar Caſſii brachium arreptum graphio trajecit: conatuſque proſilire, alio vulnere tardatus eſt. Utque animadvertit undique ſe ſtrictis pugionibus peti, toga caput obvolvit: ſimul ſiniſtra manu ſinum ad ima crura deduxit, quo honeſtius caderet, etiam inferiore corporis parte velata. Atque ita tribus & viginti plagis confoſſus eſt, uno modo ad primum ictum gemitu ſine voce edito. Etſi tradiderunt quidam, M. Bruto irruenti dixiſſe, Καὶ σὺ εἶ ἐκείνων καὶ σὺ τέκνον? Exanimis diffugientibus cunctis aliquamdiu jacuit,

Torrent.

Alter Caſſius.] Sic quidem interpretes, & mss. duo, quos Pulmannus ſequitur. Et ſane a Caſſio quoque vulnus accepiſſe Cæſarem conſtat. Conſtat etiam duos fuiſſe Caſſios inter conjuratos, Cajum, qui & princeps conjurationis erat; ac Lucium, cujus meminit Cic. ad Att. lib. xiv. epiſt. 11. Quare etiam Turnebus *alter e Caſſiis* legiſſe videtur. Sed tamen ex Appiano & Plutarcho *Caſca* retineo, (ſic enim impreſſi omnes, & mss. tres) & P. Servilium Caſcam, intelligo, ut eum vocat Dion lib. xliv. Utriuſque in veteri nummo, qualem ſervo, memoria ſupereſt. in altera enim parte Neptuni effigies, aſſcriptumque, Casca Longus. altera Victoria, ſiniſtra palmam, dextra coronam, & in aliis pileum, quod libertatis eſt ſignum, ferens. Eſt autem *Caſca* Serviliorum cognomen: *Longus*, uti & *Longinus*, Caſſiorum. Taceo duos conjuraſſe



Caſcas, uti & Caſſios, ex Plutarcho. Sed præcipui C. Caſſius, & P. Servilius, quos nummo ſuo Brutus, conjurationis princeps, impreſſit.

Abreptum.] Libri mss. duo *arreptum*, unus etiam *arrepto.* Sed illud melius, ut arreptum Caſcæ brachium ſuo ipſius graphio Cæſar trajecerit. nam Caſca eum gladio invaſerat. Plutarch. Male igitur, qui Caſcam graphio armant.

Quo honeſtius caderet.] Notus Euripidis de Polyxena verſus: πολλὴν πρόνοιαν ἔσχεν εὐσχήμως πεσεῖν. quem refert Plinius lib. iv. Epiſt. 11. Corneliæ virginis Veſtalis ſupplicium narrans. Nec diſſimile illud Lucani de Pompejo, lib. viii.

--- *ubi vidit cominus enſes,*
Involvit vultus, atque indignatus apertum
Fortunæ præbere caput, &c.

Καὶ σὺ τέκνον.] In duobus Καὶ σὺ εἶ ἐκείνων καὶ σὺ τέκνον; Alii, Καὶ σὺ εἶς ἐκείνων; Hic repete, quæ de Cæſaris & Serviliæ, Bruti matris, amore diximus cap. L.

Casaubon.

Alter Caſſius.] Non ſolum in prima editione, ſed etiam in membranis, ut docti viri teſtantur, & vidimus ipſi, ita ſcriptum eſt: & mox *Caſſii brachium.* non ut emendatum eſt a Beroaldo, ut arbitror, *alter Caſca* & *Caſcæ brachium.* Scio Plutarchum & Appianum ejus emendationis eſſe fundos: ſed quis ſcit, annon illi potius ſint corrigendi? deinde quam multa in hac hiſtoria, ut aliis omnibus, diverſe narrantur ab hiſtoricis? Poſſent multa adnotari, ſed λεπτολογεῖν nolumus.

Arreptum graphio trajecit.] mss. quidam *arrepto.* alii, *abrepto.* quidam *abreptum.* nonnihil variante ſententia. Veteres ſcribebant vel ſtilis vel calamis. quia autem σιδηροφορεῖν non licebat, & ſtilis & calamis ad necem inferendam abutebantur: ſed illis frequentius. In hiſtoria Eccleſiaſtica & apud Prudentium multos martyres graphiis confoſſos beatam animam cœlo, unde acceperant, reddidiſſe legimus: & apud Plutarchum in Gracchis, perit Antillus quidam γραφείοις μεγάλοις κεντούμενος ἐπ' αὐτὸ τοῦτο πεποιῆσθαι λεγομένοις. qui locus eſt teſtis improbitatis quorundam per illa tempora, qui graphia ad cædem ex profeſſo parare ſoliti. Propterea cautum aliquando Romæ, ne ferrea graphia quiſquam haberet, ſed oſſea, ut Iſidorus refert. Sed & calamis γραφικοῖς ad cædem abuſi. refert enim Evagrius lib. iii. Stephanum Antiochiæ epiſcopum a pueris interemptum καλάμοις ἴσα δόρασιν ὀξυνθεῖσι.

Undique ſe ſtrictis pugionibus peti.] Qui Miſcellam hiſtoriam compoſuit, *cultros ſenatorios* vocat: neſcio quare. Græci quidam ξιφη. vere pugiones fuiſſe, ex Dione conſtat, notante illatos eos in curiam in ſcriniis libellorum. Vide Plut. in Bruto.

Καὶ σὺ εἶ ἐκείνων, καὶ σὺ τέκνον;] Hæc lectio veteris Romani cod. & quorundam Mss. in Viterb. tantum, Καὶ σὺ ἐκείνων εἶ; in aliis Καὶ σὺ τέκνον; ut in vulgatis, & Turonenſi; fortaſſe melius. Sic enim apud Dionem quoque.

Varior.

82. Καὶ σὺ εἶ ἐκείνων, καὶ σὺ τέκνον;] Palat. primus, Καὶ σὺ τέκνιον; ſecundus, Καὶ σὺ τέκνον; at tertius, Υἱὲ καὶ σὺ; omiſſis prioribus, καὶ σὺ ἐκείνων; Gruterus.

cuit, donec lecticæ impoſitum, dependente brachio, tres ſervuli domum retulerunt.
Nec in tot vulneribus, ut Antiſtius medicus exiſtimabat, lethale ullum repertum eſt, niſi
quod ſecundo loco in pectore acceperat. Fuerat animus conjuratis, corpus occiſi in
Tiberim trahere, bona publicare, acta reſcindere : ſed metu M. Antonii conſulis, &
magiſtri equitum Lepidi, deſtiterunt. Poſtulante ergo L. Piſone ſocero, teſtamentum ejus 83
aperitur : recitaturque in Antonii domo, quod Idibus Septembribus proximis in Lavicano
ſuo fecerat, demandaveratque virgini Veſtali maximæ. Q. Tubero tradit, heredem
ab eo ſcribi ſolitum ex conſulatu ipſius primo, uſque ad initium civilis belli, Cn. Pompejum : idque militibus pro concione recitatum. Sed noviſſimo teſtamento tres inſtituit
heredes

TORRENT.

Antiſtius medicus.] Codex unus *Antius.* Et ſane Antiſtiorum nomen nobilius quam ut medico adaptetur; niſi tamen libertus fuerit, quales tunc fere artium profeſſores erant. Sed & Antii Romani ſunt, ut ex veteribus denariis conſtat.

83. *L. Piſone ſocero.*] Cujus filia Calpurnia, Cæſaris uxor.

Virgini veſt. max.] Idem de Auguſti teſtamento Sueton. cap. CI. & de teſtamento Antonii III-viri in ejus vita Plutarchus. Sed & Ulpianus III. de tabulis exhib. *Si cuſtodiam teſtamenti æditaus ſuſcepit.* Oſtendit enim, teſtamentum in æde ſacra deponi ſolere.

CASAUBON.

Dependente brachio.] Appianus pro eo dicit *διεκόμισαν οἴκαδε ἀνωμάλως, οἷα τρεῖς,* hoc eſt, lectica non æqualiter ſublata, ſed propendente, ut cum a tribus ſolis geſtatur.

Fuerat animus conjuratis.] Melius ſupra *conſpiratos* & *conſpirationem* vocabat. nullum enim jusjurandum interceſſit. Plutarchus quoque *συνωμότας* : ſed cum correctione, *λεγέσθω γὰρ οὕτως.*

83. *Quod Idibus Septembribus proximis in Lavicano ſuo fecerat.*] Cum reverſus ex Hiſpania ad triumphum, ex veteri more ad urbem eſſet. videtur autem per menſem ibi fuiſſe. nam Octobri urbem eſt ingreſſus.

Demandaveratque virgini Veſtali maximæ.] Ita veteribus mos fuit, ut ex Pandectis, & hiſtoriis notum. Appianus ait, L. Piſoni ſocero : *Λεύκιον δὲ Πείσωνα, ὅτῳ τὰς διαθήκας ὁ Καῖσαρ παρετίθετο.* ſed errat.

VARIOR.

83. *Tres inſtituit.* &c.] Johannes Viſorius ad Topica Ciceronis exiſtimat, ſic hunc Suetonii locum eſſe interpretandum, ut, *ſi quis Cæſaris filius naſceretur, is primus patris hæres fuiſſet; qui ſi moreretur, Cæſaris hæreditatem Brutus adiiſſet.* Alii vero aliter. Ego autem puto, ut verba Auctoris noſtri manifeſto demonſtrant, primo loco primiſque tabulis Octavium, Pinarium, Pediumque inſtitutos fuiſſe. His autem non dedit Cæſar quidem ſubſtitutos, ſed vi iſtius inſtitutionis, ſi quis eorum defeciſſet, ad reliquos tota hæreditas pertinuiſſet, quoniam nemo pro parte teſtatus, pro parte inteſtatus poterat mori. Cur autem primis hæredibus ſubſtitutos non fuiſſe datos exiſtimem, facit, quod reliquos in ima cera ſcriptos hæredes, Suetonius narret. Quæ pars fuit teſtamenti extrema, qua impuberibus vulgo ſubſtituebatur. Nam hoc Romanis in uſu fuit, ut non ſibi tantum teſtamentum facerent, ſed & filiis impuberibus, ſive naſcituris, valiturum uſque ad tempus pubertatis. Quia ad id uſque ætatis ipſi teſtamentum ſibi condere non potuerant, nec etiam nunc poſſunt. Et quamvis ita tam de filii, quam de patris ſucceſſione diſponeretur, atque hinc ea teſtamenta *duplicia* dixerit Gajus l. 79. ff. ad l. Falc. revera tamen ita fuit unicum, ut ſolennitatem non aliam, quam unius teſtamenti deſideraverit, ſecundum ea, quæ traduntur ab Ulpiano in l. 20. ff. de vulg. & pupil. Cui conveniens dixit Paulus Juriſconſultus l. 5. §. 14. ff. de his, quæ ut indig. eum, qui principale teſtamentum arguit, & a ſecundis tabulis arcendum eſſe. Et Neratius l. 59. ff. de acq. vel omitt. hær. eum qui ex hujuſcemodi teſtamento patri hæres exſtitit, non poſſe hæreditatem filii prætermittere. Et licet hoc modo unicum fuerit, diverſis tamen tabulis hujuſmodi diſpoſitiones fere perſcribebantur, ut reſignatis unis, non tamen aperirentur & alteræ. Unde vulgo in jure hæ ita diſcernuntur, ut aliæ *primæ*, aliæ dicantur *ſecundæ.* Primæ nempe patris, ſecundæ filii. Dicebantur primæ continere *principale teſtamentum*, ſecundæ vero *pupillare.* Cujus rei paſſim apud Juriſconſultos obvia ſunt teſtimonia. Diverſis autem tabulis ideo fiebat pupillaris ſubſtitutio, ut ſecreta eſſet etiam apertis tabulis primis, ne ſubſtitutus pupillo aliquas moliretur inſidias. Nam ut ait Paulus II. Sentent. VI. *in extrema pagina fieri debuit, ut pars illa, qua ſubſtitutio pupillaris ſcripta eſt, quamdiu pupillus annos pubertatis egrediatur, obſignata maneat, & prior pars teſtamenti, qua hæres ſcriptus eſt, reſeratur.* Quod igitur apud Paulum eſt *extrema pagina*, apud Scævolam l. 34. §. 1. ff. de uſu & uſufr. leg. *ima pars teſtamenti*, & apud Juſtinianum §. 3. de pupill. ſubſtit. *inferiores partes teſtamenti*, hoc

heredes ſororum nepotes, C. Octavium ex dodrante, & L. Pinarium, & Q. Pedium ex quadrante reliquo : in ima cera C. Octavium etiam in familiam nomenque adoptavit: pluresque percuſſorum in tutoribus filii, ſi quis ſibi naſceretur, nominavit : D. Brutum etiam

hoc apud hunc Noſtrum procul dubio, *infima cera*, qua filio Cæſar, ſi quis ſibi naſceretur, ſubſtitutos dedit, in quibus, ut ego exiſtimo, & D. Brutum. Nec refert, quod filium ad patris hæreditatem vocatum non referat Suetonius, cum & exhæredatis ſubſtitui potuiſſe liqueat l. f. ff. de leg. 3. Et non id tantum, ſed cum & tutorem dari exhæredato potuiſſe indicetur l. 4. ff. de teſt. tut. & l. 77. §. 3. ff. de condit. & demonſtr. Deſcendebat id enim ita ex vi patriæ poteſtatis, ut ne mater quidem tutorem filio dare potuerit, ut liquet ex l. 69. §. 2. ff. de leg. 2. Quapropter, ſi tamen ab ea datus erat teſtamento, nihil actum videbatur, quouſque firmaretur a Prætore, qui matris judicium ſequi ſolebat. Qua de re videri poterit l. 1. §. 1. & l. 2. ff. de confirm. tut. Atque ex eadem ratione ne miles quidem filio tutorem dare poterat, quem non habebat in poteſtate. Ut recte tradiderit Papinianus l. 40. ff. de adminiſtr. tut. *filii tutelam jure patriæ poteſtatis, non militiæ præmio mandari.* Quibus ſane apparet verum eſſe, quod Marcianus ſcribit l. 114. §. v. de leg. 3. *poteſtatem patriam rem inæſtimabilem eſſe.* Summa igitur huc redit : Octavium, Pinarium, Pediumque primo gradu primiſque tabulis ſcriptos fuiſſe hæredes. Filium, ſi quis naſceretur, datis ei tutoribus, videri exhæredatum. Huic tamen ſecundis tabulis, ima cera, extremave pagina, datos fuiſſe ſubſtitutos, in quibus & D. Brutum. Illius autem ſubſtitutionis hæc vis erat, ut ſubſtituti in ea ſuccederent, quæ ex liberalitate propinquorum, aliove quo modo, ad exhæredatum perveniſſent. GOESIUS.

TORRENT.

Et L. Pinarium.] Dele *Et.* De Q. Pedio Plin. lib. XXXV. cap. IV. *Q. Pedii, conſularis & triumphalis, atque a Cæſare dictatore cohæredis Auguſto dati, nepotem, cum natura mutus eſſet, Meſſalla orator picturam docendum cenſuit.* Ab hoc lex Pedia contra interfectores Cæſaris lata. Ner. cap. III. Triumphi vero ejus meminerunt lapides Capitolini, Quinctilian. lib. VI. & Dion XLIII.

Ex quadrante, rel. in ima cera.] Vere emendatum Lipſio Elector. I. cap. XX. *ex quadrante reliquo. In ima cera C. Octav.* &c. nam *quadrantem reliquum* intelligit, qui conſtituendo aſſi deerat. quadrans enim cum dodrante aſſem conficit.

In familiam nomenque adopt.] Teſtamento ſcilicet, ut Tiberium M. Gallius inſt. Tib. cap. VI. quo loco etiam adoptandi verbo utitur Sueton. Sed an proprie adoptio dici poſſit, ac legis actio, viderint JCti. adoptare enim hic nihil aliud quam aſſciſcere eſt. Sueton. Galb. cap. XVII. *Piſonem frugi Licinianum teſtamento in bona & nomen aſſcitum, repente e media ſalutantium turba apprehendit, filiumque appellans, perduxit in caſtra, ac pro concione adoptavit.* Item Aug. cap. CI. *Heredes inſtituit primos Tiberium & Liviam, quos & nomen ſuum ferre juſſit.* Atqui Tiberium multo ante adoptaverat. Cic. III. de Offic. *Cum Baſilius M. Satrium ſororis filium nomen ſuum ferre voluiſſet, eumque feciſſet hered.* Tunc autem vere cenſebatur adoptio, cum is, qui nomen ferre juſſus erat, delato primum ad Prætorem urbanum teſtamento, a populo quoque lege Curiata obtinuerat, ut in defuncti familiam tranſire poſſet. Quod ab Octavio ſervatum fuiſſe Dion & Appianus tradunt.

Pluresque percuſſorum.] Libri tres *plerosque.*

CASAUBON.

Ex quadrante reliquo.] Omnes codd. hunc locum corrupte ſcriptum habent, ut in vulg. *reliquos in ima cera.* Veram emendationem & ſententiam aperuit primus Lipſius. Poſſis etiam legere ſic : *ex quadrante reliquo, aliosque in ima cera. C. Octav.* ut illis verbis *aliosque in ima cera,* ſubſtitutiones intelligantur, quas fieri ſolitas in ima cera ſive extrema pagina, ex JCtorum libris certum eſt.

Pluresque percuſſorum in tutoribus filii, ſi quis ſibi naſceretur.] Valde oſcitanter partem iſtam teſtamenti Cæſariani legit Dio in eo auctore Latino, unde ipſe ſumſit. Ita enim vertit : Μαθὼν ὁ δῆμος, ὅτι τόντε Ὀκταούϊον υἱὸν πεποίηται, καὶ τὸν Ἀντώνιον τόντε Δέκιμον, καί τινας ἄλλους τῶν σφαγέων ἐπιτρόπους αὐτοῦ. Ait Octavium teſtamento eſſe adoptatum : eique datos eodem teſtamento ἐπιτρόπους. Quid appellat ἐπιτρόπους? Tutores? Atqui Octavio annum agenti decimum octavum tutor dari non potuit. Curatores? illi vero teſtamento non dantur. Sed dati confirmantur, inquies. ſcio. verum quis hoc dixit præter Dionem? Deinde quam abſurdum, quod neceſſariam iſtam partem de poſtumo prætermittit? Nimis certum eſt, optimum alias ſcriptorem, cum iſta verteret, non attendiſſe animum ad illa verba : *ſi quis ſibi naſceretur.* Itaque ad Octavium retulit, quæ de poſtumo ſcripſerat Cæſar.

VARIOR.

Reliquis in ima cera.] Ita ſcriptum habent omnia Suetonii exemplaria, etiam antiquiſſima quæ vidi. Lipſius correxit : *L. Pinarium & Q. Pedium ex quadrante reliquo. In ima cera C. Octavium etiam in familiam nomenque adoptavit.* Quæ falſiſſima eſt emendatio. *Qui iſti, inquit, reliqui in ima cera ſcripti?* Dicam tibi. Hi ſecundi fuere hæredes. In his ſtatim ſubjicit, etiam Decium Brutum fuiſſe

etiam in ſecundis heredibus. Populo hortos circa Tiberim publice, & viritim trecenos ſeſtertios, legavit. Funere indicto, rogus exſtructus eſt in Martio campo juxta Juliæ 84
tumulum: & pro Roſtris aurata ædes ad ſimulacrum templi Veneris Genetricis collocata: intra-

fuiſſe. *Decium Brutum etiam in ſecundis hæredibus.* An putamus hunc Brutum ſolum a Cæſare hæredem ſecundum factum, id eſt, primis ſubſtitutum? Imo & plures alii cum illo. Ergo iſti ſunt, quos reliquos vocat, & in ima cera inſtitutos, qui locus in teſtamento ſubſtitutorum hæredum. Quid opus autem *ex quadrante reliquo* addere, cum id per ſe ſatis intelligeretur, exhauſto dodrante nihil ad hæreditatis aſſem ſupereſſe, niſi quadrantem? SALMASIUS de Modo Uſurarum cap. XI. pag. 466. ubi vide plura.

TORRENT.

In ſecundis heredibus.] Ut, ſi primos non adire contingeret hereditatem, ipſe heres fieret, quod JCti vocant ſubſtituere. l. I. de Vulgari & pupillari ſubſtit. Horat. lib. II. Sat. IV.

---- *ut & ſcribare ſecundus*
Heres, & ſi quis caſus puerum egerit Orco,
In vacuum venias.

Id eſt, vacantem ejus, qui primo loco inſtitutus eſt, morte hereditatem tu illi ſubſtitutus occupes. Sic *prima* & *ſecunda cera*, *primæ* & *ſecundæ tabulæ*, de quibus plura ad Horat. & Ner. cap. XVII.

Populo hortos circa Tiberim publice.] *Publica* proprie dicuntur ea, quæ populi Rom. ſunt; quorum uſus communis eſt, proprietas nullius. l. V. de Rerum diviſione, l. XXX. de Acq. rerum dominio. Tales igitur horti Cæſaris ex teſtamento. Meminit eorum Horat. lib. I. Sat. VIII.

Trans Tiberim longe cubat hic prope Cæſaris hortos.

Eoſdem, ni fallor, naumachiæ proximos fuiſſe, oſtendit Sueton. Tib. cap. LXXII. Meminit eorundem Cicero ad Att. lib. XI. epiſt. VI.

Viritim trecenos ſeſtertios.] Plutarch. LXXV. drachmas vertit, hoc eſt, totidem denarios. nam quatuor ſeſtertii denarium faciunt. Appianus hic mendoſus eſt. Quæ vero ſic populo, ſive ordini alicui, vel collegio, aut teſtamento, aut inter vivos ob cauſam aliquam, ut puta inito magiſtratu, viritim donabantur, apto ſane vocabulo, ſed a paucis obſervato, *diviſiones* vocant J. C. noſtri, Paulus l. CXXV. de Legatis I. & Marcellus l. XXXIII. de Annuis legatis. ut dicti etiam *diviſores* inter operas campeſtres. de quibus Aug. cap. III. Adde, quæ de ſportulis notavimus Domit. cap. VII.

84. *Aurata ædes ad ſimulacrum templi Ven.*] Ut Caſtoris, quod ante mihi notatum, ſic Veneris quoque nunc templum, nunc ædem dici pro eodem, paſſim apud auctores deprehendimus. Hujus autem loci ſententia eſt, ædiculam auratam pro roſtris poſitam fuiſſe ad ſimulacrum, ſive imaginem ædis Veneris Genetricis, in eaque lectum. Sic *belli ſimulacra* Lucret. lib. II. *Simulacrum navalis pugnæ*, Livius lib. XXIX. *Simulacrum aliquod ac veſtigium civitatis* Cic. lib. X. Famil. Mallem autem abeſſe *ad*. concinnior enim eſſet oratio. Appianus aræ a populo, & columnæ Numidicæ ab Antonio eo loco, quo crematus fuerat Cæſar, poſitæ meminit. Verum hæc ædes poſita eſt, antequam crcmaretur.

CASAUBON.

Populo hortos.] Viterb. cum hic tum alibi *ortos.* ut apud Varronem & Ciceronem quoque in pleriſque libris. Sic in Turonenſi *Omerus* ſemper, non Homerus. In his hortis poſtea fuit ædes conſecrata Forti Fortunæ. Plut. de Romanorum Fort.

Et viritim trecenos ſeſtertios.] Si Octavio fides, centenos vicenos tantum. vide Dionem lib. XLIV. Mirum vero, qui fieri potuerit, ut res iſta divulgata diverſe traderetur.

84. *Funere indicto.*] A cos. Antonio. Lactantius libro I. *Si cos. non fuiſſet Antonius, Cajus Cæſar pro ſuis in remp. meritis, etiam defuncti hominis honore caruiſſet, & quidem conſilio Piſonis ſoceri & L. Cæſaris propinqui. Funus indicere* Græcis περιαγγέλλειν: Heſychius. Romanus mos ex Terentio & aliis notus.

Rogus exſtructus eſt in Martio campo.] Quæ ad funerum curam pertinuere, ea vel domi peragebantur, vel in foro, vel extra portam. Domi curatum funus per plures dies: ibi fiebat ἡ πρόθεσις, & mortuus ſeptem dies in veſtibulo poſitus, qua a domeſticis, qua ab amicis, plangebatur, ac coronis aliiſque muneribus honorificis afficiebatur. Tranquillus hanc totam partem prætermittit, ſolitus inſignia tantum notare. In foro laudabantur: extra urbem cremabantur. Cæſar tamen in ipſo foro crematus, non in exſtructo ei rogo: quod per populi tumultum evenit. Simillimum eſt, quod paucis ante annis in funere Clodii a Milone occiſi acciderat, ut narrat Aſconius. Dio quidem inter alios Cæſari decretos honores hunc commemorat, ut mortuus intra pomœrium ſepeliretur: ſed ea non eſt cauſſa combuſti intra urbem Cæſaris.

Juxta Juliæ tumulum.] Quæ in Martio campo ſepulta contra majorum inſtituta. Dio libro XXXIX.

Et pro roſtris aurata ædes ad ſimulachrum templi Veneris Genetricis collocata.] Bononienſis editio, quæ proxime Romanam ſecuta eſt, legit, *aurata ſedes.* at MS. & Romana, *ædes.* recte dubio procul. Ædem appellat pegma in foro exſtructum, ut ibi collocaretur Cæſaris corpus, dum laudatio perageretur. Ita autem vocat, primum, quia ut diſertim notat, in modum

intraque lectus eburneus, auro ac purpura ſtratus : & ad caput tropæum, cum veſte in qua fuerat occiſus. Præferentibus munera, quia ſuffecturus dies non videbatur, præceptum eſt, ut omiſſo ordine, quibus quiſque vellet itineribus urbis, portaret in campum. Inter ludos cantata ſunt quædam ad miſerationem & invidiam cædis ejus, accommodata ex Pacuvii Armorum judicio :

Men' me ſervaſſe, ut eſſent qui me perderent?

Et ex Electra Attii alia ad ſimilem ſententiam. Laudationis loco conſul Antonius per præconem

modum templi fuit confectum : deinde propter religionem circa defunctos. qua ratione dixit Polybius lib. VI. imaginibus defunctorum ſolita περιτίθεσθαι ξύλινα ναΐδια. & Plinius quoque armaria illa vocat *ædiculas*. poſtremo, quia de Julio Cæſare tanquam de Deo loqui ſolent : fuitque hæc illius ἀποθέωσις quædam & conſecratio. Sane enim, cum legantur multi ante Cæſarem in foro laudati, nemini tamen exſtructam ædem legimus ; ſed lectum pro roſtris, vel in roſtris, ut loquitur Aſconius, fuiſſe poſitum. Poſtea vero quam cœpere Impp. illis ritibus conſecrari, quos deſcribunt Herodianus & Dio, hoc quoque ſervatum eſt. Dio in Severo de funere Pertinacis : Ἐν τῇ ἀγορᾷ τῇ Ῥωμαίᾳ βῆμα ξύλινον ἐν χρῷ τοῦ λιθίνου κατεσκευάσθη· καὶ ἐπ' αὐτῷ οἴκημα ἄτοιχον περίστυλον ἔκ τε ἐλέφαντος καὶ χρυσοῦ πεποικιλμένον ἐτέθη, καὶ ἐν αὐτῷ κλίνη. Prorſus illa verba οἴκημα ἄτοιχον περίστυλον, *ædem* illam exprimunt, quam hic Suetonius narrat : nam quod columnis, non parietibus cincta fuerit, non poteſt eſſe dubium, etſi nemo id veterum dixit. At quomodo aliter defuncti corpus cerneretur a populo? quomodo Antonius oſtenſione vulnerum, illam conſpiratis invidiæ flammam excitaſſet.

Torrent.

Men' me ſervaſſe.] Edit. Germanica *Men' ſervaſſe*, lacero & nutante verſu, quem ſic expleam: *Men' men' ſerv.* non *men' me*, ut Pulmannus legit.

Et ex Electra Attilii.] Mira librorum in ejus poëtæ nomine varietas, ſed frequentius tamen Accium, & Attium vocant. Verum cum Atii Electram nuſquam repererim, Armorum vero judicium ſæpius, facile adducor, ut vocem *Electra* profectam ex gloſſemate, removendam cenſeam. Lego igitur : *et ex Atii ad ſimilem ſententiam.* nam & Atius & Pacuvius eodem titulo tragœdiam ſcripſere. De Atilio nihil memini legere.

Casaubon.

Intraque lectus eburneus.] Polybii ætate, qui laudandi erant, plerique pro roſtris ſtatuebatur erecti. Συντελουμένης, ait, τῆς ἐκφορᾶς κομίζεται μετὰ τοῦ λοιποῦ κόσμου πρὸς τοὺς καλουμένους Ἐμβόλους εἰς τὴν ἀγορὰν, ποτὲ μὲν ἑστὼς ἐναργὴς, σπανίως δὲ κατακεκλιμένος. Poſſumus tamen Polybii verba accipere de ſimulacris defunctorum cereis ; quæ ut a populo conſpici poſſent, machinamentis erigebantur. Tale ſimulacrum ab Antonio oſtenſum eſt populo, ſuper funebri lecto Cæſaris, ea arte factum, ut verſatile eſſet, omniaque ei impoſita vulnera mire ob oculos poneret. auctor Appianus.

Et ad caput tropæum cum veſte, in qua fuerat occiſus.] Quod Suetonius *tropæum*, Appianus κοντὸν vocat. τὸ σῶμα τοῦ Καίσαρος ἐγύμνου, καὶ τὴν ἐσθῆτα ἐπὶ κοντοῦ φερομένην ἀνέσειε. qui noverit tropæorum Romanorum formam, intelliget, quam bene huic loco ea vox conveniat.

Omiſſo ordine.] Ordo, quem dicit, fuit hic : præibant magiſtratus & ſenatus poſitis dignitatis inſignibus : ſequebantur equites habitu lugubri : deinde milites cum armis, ſed verſis : poſtremo populus per tribus. Tacitus, alii.

Men' me ſervaſſe, ut eſſent, qui me perderent.] Si ita legimus, erit ſententia ei ſimilis, quam exagitat Epictetus in Diſſertationibus lib. primo, cap. IV. Τάλας ἐγώ! ἐπὶ ταῦτά μου τὰς πολιὰς ἐτήρησα; Virgilius :

Felix morte tua, neque in hunc ſervata dolorem!

Vellejus de Cæſare pæne victo prælio Mundenſi : *Conſiſtens ante recedentem ſuorum aciem, increpita prius Fortuna, quod ſe in eum ſervaſſet exitum.* Non placet mihi hæc ſententia : non, inquam, puto eum ejulare, quod ſe ſervarit, ut poſtea miſere periret : ſed hoc potius, quod alios ſervarit, a quibus ſit deinde occiſus. Lege igitur, ut in membranis omnibus : *Men' ſervaſſe, ut eſſent, qui me perderent?* Ita legerunt Græci, quod ex verſione apparet : Ἐμὲ δὲ καὶ τούς τε περισῶσαι, τοὺς κτενοῦντάς με; apud Appianum. In Pacuvii fabula pronuntiabatur hic verſiculus ab Ajace, ſuas victorias Achivis exprobrante : vel de Ulyſſe dicebatur, de quo ait apud Ovidium :

Servavique animam, minimum eſt hoc laudis, inertem.

Ex Electra Attii alia.] Sic emendavimus corruptam omnium librorum lectionem *Attilii*. De hoc poëta plura ad Perſium.

Laudationis loco cos. Antonius per præconem pronuntiavit S. C.] Nullam ergo aliam habuit Antonius de laudibus Cæſaris orationem? Si Appiano fides, nullam. hoc enim ille diſertis verbis affirmat. Falſa igitur & ad arbitrium conficta illa bene longa oratio, quam Dio pro Antoniana venditat. quod non eo ſolum loco apud eum ſcriptorem eruditus lector

præconem pronuntiavit Sen. conſ. quo omnia ei divina ſimul atque humana decreverat: item jusjurandum, quo ſe cuncti pro ſalute unius adſtrinxerant: quibus perpauca a ſe verba addidit. Lectum pro Roſtris in Forum magiſtratus & honoribus functi detulerunt. Quem cum pars in Capitolini Jovis cella cremare, pars in curia Pompeji, deſtinaret, repente duo quidam gladiis ſuccincti, ac bina jacula geſtantes, ardentibus cereis ſuccenderunt: confeſtimque circumſtantium turba virgulta arida, & cum ſubſelliis tribunalia, quidquid præterea ad donum aderat, congeſſit: deinde tibicines & ſcenici artifices veſtem, quam ex inſtrumento triumphorum ad præſentem uſum induerant, detractam ſibi, atque diſciſſam, injecere flammæ, & veteranorum militum legionarii, arma ſua, quibus

lector obſervare poterit. Quod ait Suet. *per præconem*, Appianus contra, ſua ipſius voce Antonium id S. C. recitaſſe.

TORRENT.

A ſe verba.] Duo libri *abs ſe.* id eſt, de ſuo. Dion elegantem & ſplendidam Antonii orationem fuiſſe tradit, eamque recenſet lib. XLIV.

Lectum pro roſtris.] Græco more, id eſt, lectum, qui pro roſtris erat, aut in æde aurata pro roſtris poſita. Qua de re eleganter Quintilian. lib. VI. cap. 11. *Populum Romanum egit in furorem prætexta C. Cæſaris prolata in foro cruenta. Sciebatur interfectum eum, corpus denique ipſum impoſitum lecto erat; veſtis tamen illa ſanguine madens ita repræſentavit imaginem ſceleris, ut non occiſus eſſe Cæſar, ſed occidi tum videretur.* Lectum vero Virgil. *feretrum* vocat:

- - -pars ingenti ſubiere feretro
Triſte miniſterium.

Tacit. lib. II. Annal. *torum.* ſic enim de Germanici funere: *Ubi illa veterum inſtituta? præpoſitam toro effigiem, meditata ad memoriam virtutis carmina & laudationes, & lacrymas?* Propert. utroque uſus eſt:

Nec mihi tunc fulcro ſternatur lectus eburno,
Nec ſit in Attalico mors mea nixa toro.

Porro ob turbatum hunc ſepeliendi morem *inſepultam ſepulturam* vocat Cicero Philipp. I. paulo poſt, quare ſic vocaverit, latius declarans.

Ad manum aderat.] Libri quatuor, *ad donum aderat*, quod mihi ſane non diſplicet. ſi enim cum ſubſelliis tribunalia congeſſerant, quidquid ad manum erat, eos congeſſiſſe reipſa intelligitur, tametſi verbis non exprimatur. Neque inelegans locutio, *quicquid ad donum.* Adde, quod præferentium munera ante mentionem fecit. Munera vero proprie *inferiæ* dicebantur; ut *inferri*, quæ mortuis donabantur. Qua de re elegans Scævolæ JC. locus l. ult. de auro, argento, mundo legatis: *Mulier quædam decedens teſtamento ita ſcripſerat: Funerari me arbitrio viri mei volo, & inferri mihi, quæcunque ſepulturæ meæ cauſa feram ex ornamentis.* Verba ſunt teſtatricis, jubentis ſibi inferri ornamenta, quibus culta efferretur mortua. Quem morem etiam urendi veſtem poëtarum principes, alter in Patrocli, alter in Miſeni funere oſtendunt.

CASAUBON.

Lectum pro roſtris in forum magiſtratus & honoribus functi detulerunt.] Aptius erat *detulerant.* nam hoc factum ante illa, quæ modo narrata ſunt: quod non obſervant quidam. *detulerunt* igitur, nempe ex veſtibulo domus Cæſaris, in forum, & pro roſtris poſuerunt.

Circumſtantium turba.] Quidam codices, *circumaſtantium.*

Virgulta arida & cum ſubſelliis tribunalia.] Vide Appianum. Plutarchus adjicit & menſas nummulariorum, quæ erant in foro. Sic Aſconius in gemina hiſtoria funeris Clodiani: *Populus duce Sext. Clodio, corpus P. Clodii curiam intulit; cremavitque ſubſelliis, & tribunalibus, & menſis, & codicibus librariorum.*

Quicquid præterea ad donum aderat, congeſſit.] Damnatam lectionem calculis Beroaldi & quorundam aliorum, ſed omnium noſtrorum libb. ſuffragiis confirmatam, reſtituimus. Eratoſthenes in deſcriptione ſimilis moris, quem φυλλοβολίαν vocant Græci (nos fuſe exponimus ad librum VI.) pro eo dixit, ἔρριπτον τῶν θεατῶν, ὅπως ἕκαςος εὐπόρει.

Deinde tibicines.] Legi apud quoſdam ſuperioris ævi criticos exſtare codices, ubi ſcriptum ſit: *Deinde ſiticines.* quam lectionem nec reperi, nec repertam probarem. Adi A. Gellium & Nonium. Omnes libri, etiam qui in regia bibliotheca, item Memmianus, conſtanter *tibicines*, non *ſiticines*, non etiam *tubicines*: quam vocem cum hoc loco Viri docti pridem non ſine cauſſa reſtituiſſent (nam in nobilium & publicis funeribus tubam adhiberi ſolitam, pueri non neſciunt) reperti ſunt nuper, qui de ea obſervatiuncula triumpharent.

Veteranorum militum legionarii.] Hoc eſt, legiones compoſitæ e veteranis militibus, quæ Romæ tum erant, deductionem in promiſſos agros exſpectantes. ut jam diximus. De his multa Appianus.

VARIOR.

Pronuntiavit.] Codex Salmaſii *prænuntiavit.*

TOR-

bus exculti funus celebrabant. Matronæ etiam pleræque ornamenta ſua quæ gerebant, & liberorum bullas atque prætextas. In ſummo publico luctu exterarum gentium multitudo circulatim ſuo quæque more lamentata eſt: præcipueque Judæi, qui etiam noctibus
58 continuis buſtum frequentarunt. Plebs ſtatim a funere ad domum Bruti & Caſſii cum facibus tetendit: atque ægre repulſa, obvium ſibi Helvium Cinnam, per errorem nominis, quaſi Cornelius is eſſet quem graviter pridie concionatum de Cæſare requirebat, occidit: caputque ejus præfixum haſtæ circumtulit. Poſtea ſolidam columnam prope xx pedum lapidis Numidici in foro ſtatuit: ſcripſitque, PARENTI PATRIÆ. Apud eandem longo tempore, ſacrificare, vota ſuſcipere, controverſias quaſdam

TORRENT.

Circulatim.] Nove dixit, pro per vices, vel in gyrum, ſi mavis. nam *circus*, inquit Nonius, *dicitur omnis ambitus, vel gyrus.* Unde *circulus*, & *circulari.*

85. *Helvium Cinnam.*] Trib. pl. Sup. cap. LII. Helvii Cinnæ, cujus Smyrnam Catullus celebrat, non indocti, neque ignobilis poëtæ, mentio etiam apud Gellium lib. XIX. cap. XIII. De hoc vero Cinna, præter Plutarchum, Dionem, Appianum, vide Valer. Maximum lib. IX. cap. IX. neque enim Petro Victorio aſſentior, qui poëtam ipſum hoc errore interfectum credidit, Variar. Lect. lib. XXII. cap. XIII.

Solidam columnam.] Hanc a plebe ſtatutam Sueton. ſcribit. alii aræ, quam populus ſtatuerat, Antonium columnam impoſuiſſe tradunt. Quam poſtea a Dolabella dejectam, ex Ciceronis Philippicis diſcimus, in quibus eam *ſceleratam* appellat.

Apud eam longo tempore.] Sic de Auguſto Horat:

Jurandasque tuum per nomen ponimus aras.

qui honor deorum immortalium eſt. Hinc igitur receptum poſtea, ut in judiciis quoque per ſalutem, per fortunam, per genium Cæſaris juraretur, ut paſſim apud JCtos noſtros. Eleganter Tertullian. Apologet. *Citius apud vos per omnes deos, quam per unum genium Cæſaris pejeratur. Diſtrahere* autem *controverſias* pro diſſolvere ac finire dixit, ut ſecare lites Horat. Epiſt. ad Quinctium:

Quo multæ magnæque ſecantur judice lites.

Et Satyr. x. lib. I.

- - -ridiculum acri
Fortius & melius magnas plerumque ſecat res.

CASAUBON.

Præcipueque Judæi.] Qui Cæſarem dilexiſſe videntur ob Pompeji cædem, a quo urbs ipſorum capta fuerat. Judæos tamen militaſſe Pompejo contra Cæſarem, teſtis Appianus. verum ea offenſa mox bello Alexandrino expiata eſt: cui & interfuerunt, & egregiam Cæſari operam navaverunt. inde illa Cæſaris in eam gentem collata beneficia. Joſephus de Antiquit. lib. XIV.

Noctibus continuis buſtum frequentarunt.] Ingentis deſiderii argumentum: nam de plebe Romana minus eſt, quod narrat Appianus: τὴν νύκτα πανδημεὶ τῇ πυρᾷ παρέμενον.

85. *Concionatum de Cæſare requirebat.*] Viterb. *inquirebat.*

Solidam columnam.] Græci de hac columna, cujus & Cicero meminit, ſilent omnes: aram contra plerique omnes poſitam ibi narrant, ubi fuerat crematus. Dio factum a populo ſcribit: Appianus a pſeudo-Mario.

In foro ſtatuit.] Eo ipſo loco, ubi fuerat crematus, ut diximus. At reliquiis Cæſaris quid factum? unus te docebit ex omnibus hiſtoricis Dio: Τὰ αὐτοῦ οἱ ἐξελεύθεροι προανείλοντο, καὶ ἐς τὸ πατρῷον μνημεῖον κατέθεντο. *Reliquias ejus liberti ante ſuſtulerant, & in patrium monumentum condiderant.* hodie locus editur corrupte. legitur enim πρῶτον. quod fatetur Xylander ſe non intelligere. nupero correctori omnia curva, recta. Non me fugit exponi poſſe πρῶτον μνημεῖον, monumentum, de quo prius cogitarant. nam initio propoſitum fuerat, & cremare in campo Martio, & inferre cineres in Julium monumentum: ſed & coacta interpretatio eſt, & manifeſto falſa. nam id per pontifices non licuit: quorum etiam auctoritate factum, ne in exſtructo ibi rogo cremaretur, ut Appian. docet.

Scripſitque PARENTI PATRIÆ.] Cicero non plebem, ſed Antonium auctorem facit: & inſcriptionem aliter conceptam habet, PARENTI OPTIME MERITO. locus eſt in epiſtola ad Caſſium lib. XII. ad Familiares. Errat Vir doctus, qui argumento hujus inſcriptionis Antonianæ inducitur, ut cognomen *Patris Patriæ* mortuo demum Cæſari decretum fuiſſe putet. Id vero Cicero nullus dicit, neque verum eſt. ſed cognomen vivo Cæſari tributum: poſtea damnata quodammodo ejus memoria, actiſque in dubium vocatis amiſſum, hac inſcriptione, quaſi publico conſenſu, iterum confirmatum ei fuerat.

Apud eandem longo tempore ſacrificare.] Quomodo *longo tempore*, cum ſtatim per Dolabellam cos. ea columna ſit dejecta? & tamen ait, *perſeveravit.* Dio parcius: θύειν ἐπεχείρουν.

VARIOR.

Circulatim ſuo quæque more.] Non vult ſcriptor noſter, exteros per vices, vel per gyrum honoraſſe funus

quaſdam interpoſito per Cæſarem jurejurando diſtrahere, perſeveravit. Suſpicionem 86
Cæſar quibuſdam ſuorum reliquit, neque voluiſſe ſe diutius vivere, neque curaſſe, quod valetudine minus proſpera uteretur: ideoque & quæ religiones monerent, & quæ renuntiarent amici, neglexiſſe. Sunt qui putent confiſum eum noviſſimo illo ſenat. conſ. ac jurejurando, etiam cuſtodias Hiſpanorum cum gladiis ſectantium ſe, removiſſe. Alii e diverſo opinantur, inſidias undique imminentes ſubire ſemel confeſſum ſatius eſſe, quam cavere ſemper. Alii ferunt dicere ſolitum, non tam ſua quam Reip. intereſſe, uti ſalvus eſſet: ſe jam pridem potentiæ gloriæque abunde adeptum: Remp. ſiquid ſibi eveniret, neque quietam fore, & aliquanto deteriore conditione civilia bella ſubituram. Illud plane inter omnes fere conſtitit, talem ei mortem pæne ex ſen- 87
tentia

funus Julii, ſed unamquamque gentem peculiari loco congregatam ſuo more teſtatam triſtitias ſuas. Circulos enim facere dicuntur, qui in unum congregantur. GRUTERUS.

TORRENT.

86. *Noviſſimo illo ſen. conſ.*] Quod Antonius recitavit. ſup. cap. LXXXIV.

Cuſtodias Hiſp. cum glad. inſpectantium.] Id eſt, obſervantium. ſic enim exponunt interpretes. Cæterum non dubito, quin *inſectantium* ſcripſerit Sueton. Horat. lib. I. Sat. IV.

- - - nec te quiſquam ſtipatòr ineptum
Præter Criſpinum ſectabitur.

Et alibi:

Deſine matronas ſectarier.

Hinc *aſſectari*, & *inſectari matronas, virgineſve* de iis, qui earum pudicitiæ inſidiantur, frequenter JCti.

Alii e diverſo opinantur.] Duo codd. *opinatum*, & in iiſdem non eſt vox illa, *confeſſum*. Lego igitur: *Alii e diverſo opinatum inſidias undique imminentes ſubire ſemel ſatius eſſe quam cavere ſemper, ferunt dicere ſolitum.* Quam lectionem ideo libentius amplector, quod pro *alii ferunt* meliores codd. habent *ferunt* tantum. Itaque interpungendo locus emendatur. Porro in hanc ſententiam Cic. pro Marcello: *illam tuam præclariſſimam, & ſapientiſſimam vocem invitus audivi, ſatis te diu vel naturæ vixiſſe, vel gloriæ.*

CASAUBON.

Controverſias quaſdam interpoſito per Cæſarem jurejurando diſtrahere.] Vult dicere, cultum eum locum inſtar templi. nam controverſiæ in templis diſtrahi ſolitæ. Exemplum habes apud Platonem in Protagora, Iſocratem in Trapezitico, Plinium epiſtola prima libri quinti. Et apud Dionem variis locis. Aliquando templa non ingrediebantur: ſed officii ſui ſatis ſe admonitos putabant, ſi ad ædem alicujus deum acceſſiſſent. Antiphon in ea περὶ χορευτȣ͂, *de ludio* aut *ſalio*: Καὶ ἐγὼ πεισθεὶς ὑπὸ τῶν φίλων διηλλάγην τȣ́τοις ἐν τῇ πόλει ἐναντίον μαρτύρων, οἵπερ διήλλαττον ἡμᾶς πρὸς τῷ νεῷ τῆς Ἀθηνᾶς. Diſtrahebantur autem jurejurando interpoſito, ut ait Suetonius. quad ideo vetus Poëta eleganter appellavit *mantile, quo quotidianæ noxæ extergeantur.* Et jurabant per Deos, heroas, magnoſque viros defunctos, etiam per vivos: unde eſt illud apud Lucianum, ὅρκος εἶναί τινι, pro obſervari colique ab aliquo officioſiſſime. Pertinet huc, quod de hæreticis quibuſdam, ut Priſcillianiſtis, Donatiſtis, aliis in hiſtoria veteris Eccleſiæ narratur. Nam & iſtis ſectæ ſuæ princeps erat ὅρκος: per illum jurabant, & controverſias ſuas in ejus memoriis dirimebant. Cur dicit Suetonius *quaſdam?* puto, quia aliæ controverſiæ ad alios deferebantur deos ſive heroas. Sic narrat Plutarchus, Thebanos ſolitos de rebus amatoriis ad Jolai tumulum convenire.

86. *Cum gladiis ſectantium ſe.*] Etiam hic peccatum fuerat coalitione finis præcedentis dictionis cum ſequentis initio, ut millies in MSS. & Pandectis Flor. arguit ita eſſe, corruptior adhuc lectio cod. Liſlæi, *ad inſpectantium.* Ego non puto Latinitatem pati, ut aliter legatur quam *ſectantium.*

Inſidias undique imminentes.] Ipſe Cæſar notat optime, quanto eſſet omnibus bonis odio. Verba ejus ſunt: *Ego dubitem, quin ſummo in odio ſim, cum M. Cicero ſedeat, nec ſuo commodo me convenire poſſit? atque ſi quiſquam eſt facilis, hic eſt: tamen non dubito, quin me male oderit.* in epiſtola prima lib. XIV. ad Atticum. ſimilia his epiſtola ſequente.

Subire ſemel confeſſum ſatius eſſe, quam cavere ſemper.] Eſt verum, quod Seneca dixit epiſtola XXII. *Nemo tam timidus eſt, ut malit ſemper pendere, quam ſemel cadere.* Non abludit illud beati Chryſoſtomi: Βέλτιον ἀπελθεῖν ἢ διηνεκῆ φέρειν χειμῶνα· ἐπεὶ καὶ τὸν Κάϊν ἀνεκτότερον ἦν ἀποθανεῖν, ἢ διὰ παντὸς τρέμειν.

VARIOR.

Sectantium ſe.] Codex Salmaſii *ad inſectantium ſe.* Palatini tres: *inſpectantium ſe.* primus tamen aliud quid initio habuit loco illius *in.* eidem, teſte Grutero, annotatum ad oram, aliter legi *exſpectantium*,

TOR-

tentia obtigiſſe. Nam & quondam cum apud Xenophontem legiſſet, Cyrum ultima valetudine mandaſſe quædam de funere ſuo, aſpernatus tam lentum mortis genus, ſubitam ſibi celeremque optaverat. Et pridie quam occideretur, in ſermone nato ſuper cœnam, apud M. Lepidum, quiſnam eſſet finis vitæ commodiſſimus, repentinum
88 inopinatumque prætulerat. Periit ſexto & quinquageſimo ætatis anno: atque in deorum numerum relatus eſt, non ore modo decernentium, ſed & perſuaſione vulgi. Siquidem

TORRENT.

87. *Super cœnam.*] Pro inter cœnandum. Sic. Aug. cap. LXXVII. Tib. cap. LVI. & Calig. cap. XXII. Juven. Sat. XV. *Tale ſuper cœnam facinus narraret Ulyſſes Alcinoo.* Plin. Epiſt. & alii. Aliud eſt *inter cœnam* inf. Aug. cap. LXXI. pro inter cœnarum fercula.

Repentinum inopinatumque.] Ἀπροσδόκητον Plutarch. vertit. Laudatur illa Veſpaſiani vox, Imperatorem ſtantem mori oportere.

88. VI *&* L *ætatis anno.*] Notat Beroaldus annum hunc, quem octo hebdomades conficiunt, eſſe κλιμακτηρικὸν, in quo etiam Scipio Africanus minor exſtinctus ſit, citans illud ex Ciceronis lib. VI. de Republ. *Cum ætas tua ſeptenos octies ſolis anfractus reditusque converterit, duoque hi numeri, quorum uterque plenus, ſummam tibi naturalem confecerint.* Ut autem duo belli fulmina Cæſar & Scipio eo anno perierunt, ſic duo quoque doctrinæ lumina Virgilius & Plinius eadem ætate exſtincti ſunt.

In deorum numerum.] Hinc toties in Auguſti nummis CÆSAR DIVI FILIUS. Eodem & illi ſpectant, qui cometam præferunt, aſſcriptumque, DIVUS JULIUS: nec non ipſius Cæſaris nummi, poſt mortem ejus ſignati, cum ſtella nunc ſuper vertice, nunc ante frontem, nunc poſt cervicem. De qua Virgilius quoque VIII. Æneid. *Patriumque aperitur vertice ſidus.* & in Eclog. *Ecce Dionæi proceſſit Cæſaris aſtrum.*



& Propert. lib. IV.

At pater Idalio miratus Cæſar ab aſtro,
Sum deus, & noſtri ſanguinis iſta fides.

Et pulchre ipſius Auguſti verbis Plin. lib. II. cap. XXV.

CASAUBON.

88. *Periit* VI *&* L *ætatis anno.*] Non quidem exacto: deerant menſes circiter quatuor.

Atque in deorum numerum relatus eſt.] Quod in antiquiſſimis Græcis hiſtoriis dici ſolet, aliquem a morte vel τετυχέναι τιμῶν ἡρωϊκῶν, vel ἰσοθέων, vel ἰσολυμπίων, ut Philo, id Latini multo inverecundius dicunt, *in deorum numerum referri*, vel *conſecrari.* ut in epiſtola Pæti de Hippocrate, ἀνιερῶσθαι. Fere autem conditoribus urbium, aut aliis de publica re bene meritis, honores heroïci decerni ſoliti; donec paullatim pro diis habiti etiam iſti. Plutarchus in mulierum præclaris factis: Τῇ Λαμψάκῃ πρότερον ἡρωϊκὰς τιμὰς ἀποδιδόντες, ὕστερον ὡς θεῷ θύειν ἐψηφίσαντο. deferre τιμὰς ἡρωϊκὰς eſt, quod una voce ἐναγίζειν dicitur, & longe differt a θύειν, ut notant veteres Grammatici. Adulatio poſtea, an ſuperſtitio θεοποιΐαν invexit: cujus moris exſtat gravis cenſura apud Plutarchum in Romulo. Atque iſtiuſmodi adulatione reliquos mortales ſuperarunt cives Attici, illi ipſi quorum patres Ariſtotelem capital admiſiſſe pronuntiarant, cum pæanem in Hermiam compoſuiſſet. Romani ante Impp. parcius hanc inſaniam publice inſanivere. Solus e regibus, ut ait Cicero, Romulus conſecratus eſt, & poſtea pauci alii. Privatæ tantum ἀποθεώσεις fiebant parentum per liberos conſecratorum, & domeſtica religione cultorum, ut ex Varrone Plutarchus docet in Quæſtionibus Romanis. Atque hi ſunt *dii animales*, de quibus Labeo libros ſcripſerat: in quibus ajebat, (Servii verba ſunt) *eſſe quædam ſacra, quibus animæ vertantur in deos, qui appellantur animales, quod de animis fiunt.* Hæc annotanda duxi, ut origo ἀποθεώσεως Impp. intelligeretur. nam ut parentes a liberis conſecrabantur, & privata religione colebantur: ita Imperatores, qui patres patriæ & dicebantur & habebantur, publice in deorum numerum relati & publica religione culti. Primus hoc in Cæſare patre ſanxit Auguſtus: quem propterea κοροπλάστην Juliani Silenus nominat. & rationem addit: ἦ γὰρ οὐκ ἔπλαττες ἡμῖν, ὥσπερ ἐκεῖνοι τὰς νύμφας, ὦ Σεβαστὲ, θεοὺς, ὧν ἕνα καὶ πρῶτον τουτονὶ Καίσαρα; Manilius:

Jam facit ipſe deos, mittitque ad ſidera numen
Majus, & Auguſto creſcit ſub principe cœlum.

Sed mirum eſt, Julianum in Auguſto id ridere, quod multo ante Auguſtum paſſim uſurpatum legimus. Nam in Idyllio Theocriti XVII. nonne deſcribitur ἀποθέωσις Ptolemæi regis Ægypti, a filio, qui ſucceſſerat, patri facta? ubi recte antiquus Scholiaſtes: ἐξεθεώθη ὁ Πτολεμαῖος ὑπὸ τοῦ υἱοῦ. ſic habet ſcripta lectio; non ut vulgatum eſt, ἐξεώθη. prorſus abſurde. Quid? nonne Aratum ducem ſuum Achæi in numerum deorum retulerunt fato functum? nam ſcribit Polybius in nona Hiſtoria, non ſolum eos honores, qui heroibus tribuebantur, ei fuiſſe decretos, ſed etiam ſacrificia; qui proprius deum cultus cenſebatur. Θυσίας αὐτῷ, inquit, καὶ τιμὰς ἡρωϊκὰς ἐψηφίσαντο. Primis temporibus, qui humana-

quidem ludis, quos primos conſecrato ei heres Auguſtus edebat, ſtella crinita per ſeptem
dies continuos fulſit, exoriens circa undecimam horam. Creditumque eſt, animam
eſſe Cæſaris in cœlum recepti: & hac de cauſſa ſimulacro ejus in vertice additur
ſtella. Curiam, in qua occiſus eſt, obſtrui placuit: Iduſque Martias parricidium
nominari: ac ne umquam eo die ſenatus ageretur. Percuſſorum autem fere, neque 89
triennio quiſquam amplius ſupervixit, neque ſua morte defunctus eſt. Damnati omnes,
alius

humanarum virtutum modum videbantur ſupergreſſi, horum nomina poſt ipſorum obitum in rituales libros referebantur, & anno vertente memoriam illorum celebrabant, atque eorum animas in beatorum inſulas receptas eſſe, omni poſt-futuro judicio liberas ſibi perſuadebant. Cedrenus de antiquis Aſſyriis loquens, ritum hunc ita deſcribit: Ἦν δὲ τὸ τῆς ἀποθεώσεως σχῆμα τοιοῦτον. Ἐν ταῖς ἱερατικαῖς αὐτῶν βίβλοις ἐτάσσοντο τὰ ὀνόματα αὐτῶν, μετὰ τελευτήν· καὶ κατ' ἐκεῖνον τὸν καιρὸν ἑορτὴν αὐτῷ ἐπετέλουν, λέγοντες τὰς αὐτῶν ψυχὰς εἰς τὰς τῶν μακάρων νήσους εἶναι, καὶ μηκέτι κρίνεσθαι ἢ καίεσθαι πυρί. Huc etiam pertinent, quæ obſervamus ad Athenæum lib. VI. cap. XIV.

TORRENT.

Conſecratos.] Libri duo MSS. & nonnulli quoque impreſſi, *conſecrato*, ut de Cæſare jam inter divos relato intelligatur. quod magis placet. Hinc toties in poſteriorum Cæſarum, qui Divi facti ſunt, nummis, CONSECRATIO. Sed & *primos*, non *primo* legerim. De cometa autem hoc Senecam adi Quæſt. natural. VII. cap. XVII.

CASAUBON.

Ludis, quos primo conſecratos ei heres Auguſtus edebat.] Non multum intereſt: ſive *primo* ſcribatur, ut in omnibus membranis: ſive *primos*, ut in quibuſdam editis. Ea vox referri debet non ad *ludos* vel *conſecratos*; ſed ad verbum *edebat*. Julio varii ludi fuerunt conſecrati, ſicut libro proximo dicemus. Auctor de iis loquitur, quos reverſus Apollonia primo edidit in in patris honorem. Suetonius hic ſeorſim ſentit ab aliis: qui non Cæſari, ſed Veneri Genitrici eos ludos, quibus cometa apparuit, fuiſſe conſecratos tradunt, Seneca, Plinius, Dio, alii. Poſſumus conciliare cæteris noſtrum, ſi illa verba *conſecratos ei*, exponamus, conſecratos ab eo. ita ſæpiſſime loquitur Suetonius. Appianus: Καῖσαρ θέας ἐτέλει ἀνακειμένας ἐκ τοῦ πατρὸς Ἀφροδίτῃ Γενετείρᾳ.

Simulacro ejus in vertice additur ſtella.] Ad exemplum ejus ſimulacri, quod Auguſtus ei tum conſecravit, ut ex ipſo refert Plinius, in foro: ut Dio, in ipſa Veneris Genitricis æde.

Ac ne unquam eo die.] Qui ante legitimi ſenatus dies erat. notum ex hiſtoria, & monet Dio.

89. *Percuſſorum autem fere neque triennio quiſquam ſupervixit.*] Sane *fere*. nam exceſſere triennium non pauci. Prima hoſtia, qua mors Cæſaris expiata eſt, C. Trebonius fuit, quem in Aſia Dolabella occidit. ſecuta inde D. Bruti cædes & Pontii Aquilæ aliorumque, bello Mutinenſi: mox celebrata proſcriptio, qua periit Ligarius, & quicunque alii prehendi potuerunt. Sed plurimi bello Philippenſi, quod tertio anno a cæde Caji geſtum eſt, ſublati ſunt. quo reſpiciens Suetonius, paucos triennio ſupervixiſſe ſcribit. pauci illi, ii ſunt, qui cum Sex. Pompejo erant: eſtque eorum mentio apud Appianum & Dionem in pacis conditionibus, quæ convenit inter Cæſarem, Antonium, & Pompejum, anno U. C. DCCXV. poſt Caji necem quinto. Supervixerunt & Pompejo quidam, Antonio ipſos protegente: in his Parmenſis ille Caſſius, quem poſtremum omnium pœnas dediſſe Vellejus ait. Obiit poſt Actiacum bellum, cum Cæſari ſupervixiſſet annos tredecim, & quod excurrit. Huic porro de Cæſaris percuſſoribus obſervationi, ſimilis eſt iſta Marcellini de auctoribus cædis Gordiani junioris: *Nec erravere diu manes ejus inulti, quod, velut clareſcente juſtitia, omnes, qui in eum conſpiravere, cruciabilibus interiere ſuppliciis.* lib. XXIII.

Neque ſua morte defunctus eſt.] Seneca ad Lucilium: *Bella res eſt mori ſua morte.* Firmicus libro VIII. cap. XIX. *Erit longævus, in ſenecta felix, & qui ſua morte moriatur.* cap. XXIX. *ſed ii tandem ſuperſtitibus filiis ſua morte morientur.* Sic οἰκείᾳ τελευτῇ ἀποθνήσκειν apud B. Chryſoſtomum. Ita & Græci locuti ſunt. Epiphanius libro I. Καὶ μήτις λεγέτω περὶ τοῦ Ἀβέλ· οὐ γὰρ θανάτῳ ἰδίῳ τέθνηκεν. Euſebius de Præparat. lib. primo: Οὐ γὰρ θνήσκει ἰδίῳ θανάτῳ, εἰ μὴ βίᾳ τινι πληγὲν τοῦτο τὸ ζῶον. Ptolemæus libro quarto Tetrabibli: ἰδίοις τελευτᾶν θανάτοις & βιαίοις opponit invicem. Dicitur & *ſuo die mori* in veteri Epigram. *Inviolatus artus Die ſuo peremptus hoc ſitus eſt in agro.* quo etiam modo Hebræi ſunt locuti. Jobus cap. XV. בלא יומו תמלא. ad verbum, ἐν οὐκ ἰδίᾳ ἡμέρᾳ τελειωθήσεται. id eſt, ut vertunt Græci, πρὸ ὥρας φθαρήσεται. Demoſthenes aliique Græci ſæpe, *ſuam mortem*, τὸν αὐτόματον θάνατον, καὶ τὴν πεπρωμένην nominant: Cicero *naturam & fatum.* Vide A. Gellium. Plinius in epiſtolis, *naturalem & fatalem.* Tacitus *mitem obitum*, & Nicetas, μαλακὸν θάνατον.

TOR-

alius alio caſu periit : pars naufragio, pars prælio, nonnulli ſemet eodem illo pugione quo Cæſarem violaverant, interemerunt.

TORRENT.

89. Quæ hoc capite de Cæſaris percuſſoribus refert Sueton. eadem ferme apud Capitolinum de Gordiani cæde narrantur.

Eodem pugione.] Ipſe Caſſius. Auctor Plutarchus. Brutus etiam, ut de utroque narrat Dion initio lib. XLVIII.

CASAUBON.

Nonnulli ſemet eodem illo pugione, quo Cæſarem violaverant, interemerunt.] Ut Brutus & Caſſius, quorum nomina inter exempla ultionis divinæ clara ſunt. non minus inſignis Caſcarum fratrum mors : de quibus quoniam tacent veteres hiſtorici, apponam epigramma antiquum per illa tempora editum:

Occidere ſimul Caſcæ, ſimul occubuere;
Dextra quiſque ſua, qua ſcelus auſus erat.
Caſtra eadem fovere : locus quoque vulneris idem:
Partibus afflictis victus uterque jacet.
Quanta fuit mentis, tanta eſt concordia fati;
Et tumulus cinerem parvus utrumque tegit.
Par fratrum multo celebrandum carmine vatum,
Una ſi fierent parte minus gemini.

Hos exitus fecere Cæſariani conſpirati omnes. Hos exitus faciant quicunque Principibus vitam ſcelere & perfidia eunt ereptum. Plena eſt omnium temporum hiſtoria hujus generis exemplis. Sed noſtra hæc ætas quanto infamior perfidia ſubditorum in Principes, tanto inſignior ultionis divinæ argumentis. Illuſtre imprimis eſt, quod nuper, dum hæc ſcribimus, accidit : quando in Henrici IV. Chriſtianiſſimi, fortiſſimi, benigniſſimi Regis necem, civis Pariſienſis ætate puer pæne, malitia veteranus, conjurare ſuſtinuit : cujus parricidii incepti deteſtatio expreſſit a me hæc epigrammata, quæ pro coronide hujus libri viſum adſcribere.

IN JOHANNEM CASTELLUM, prodigioſæ malitiæ juvenem, regiæ majeſtatis percuſſorem, poſt illatum vulnus captum & ſupplicio affectum.

Ὦ τοῦ πανασεβοῦς τολμήματος! ὢ ἀθεμίστου
Ἔργου! φεῦ τῆς σῆς, παῖ κάκ', ἀτασθαλίης!
Ἔτλης, ἀφρῆτορ καὶ ἀνέστιε, ἐιν ἐνὶ λαιμῷ
Φράγγος ἐὼν Φράγγους πάντας ὁμοῦ κτανέειν;
Ἦ σοι μὲν λύκος ἔσκε πατὴρ, μήτηρ δὲ ὑαίνη,
Καὶ τίγρις μαστοὺς σοι πόρε γεινομένῳ.
Ὀυ γὰρ Φράγγος ἔης· ἀλλὰ Φράγγοις ἐνάριθμος,
Ἄνθρωπος μορφὴν, θὴρ δὲ νόον τέλεθες·
Καίκε χέρ' ἰοβόλῳ μέγα δὴ μέγα ἔργον ἔρεξας,
Ἐι μὴ Ὑψιμέδων ἔιργεν ἄνακτα μόρου.
Σῶσε ΘΕΟΣ βασιλῆα· σαώσε δὲ λαὸν ἅμ' αὐτῷ.
Χαίρετ' ἐπουράνιοι, χαίρετ' ἐπιχθόνιοι.
Καμμορίη δέ σε δεινοτάτη κίχε, δεινὸς ἄλαστορ·
Καὶ θάνες αἰνόμορος δυσθανάτῳ θανάτῳ.
Ὀυκ ἀρετᾷ κακὰ ἔργα· ἔχει ΘΕΟΣ ἔκδικον ὄμμα·
Ὀυ δὲ Δίκη μερόπων πάμπαν ἔλειψε γένος.

ΑΛΛΟ.

Ἤθελεν, ὢ μέγα θαῦμα! ἐῆς λελαθημένος ἄιης
Φράγγος ἰβηρίζων ὃν μεδέοντα κτανεῖν·
Τὸν καὶ ἐν ὑσίμνης νέον Ἕκτορα ἠδ' Ἀχιλῆα,
Καὶ Θέμιδος δίας μειλίχιον πρόπολον.
Ἤθελεν, ἀλλὰ ΘΕΟΣ λαοὺς ἐλεήρας ἀπείρους,
Τὴν ἱερὰν κεφαλὴν ῥύσατο ἐκ βελέων.
Ὀυκ ἔφθη κτανέων, μιαρώτατε· μυρία δ' αὐτὸς
Ἐκτάνθης προπαθὼν, ἄξιος ὢν πλεόνων.
Ἕυρε ΘΕΟΣ τὸν ἀλιτρόν· ἔχεις, τάλαν, οἷα ἔοργας·
Ἐς τάδ' ἰδὼν τρεμέτω, ὅστις ἀλιτρόνοος.

C. SUETONII TRANQUILLI DE XII. CÆSARIBUS

LIBER SECUNDUS.

D. OCTAV. CÆSAR AUGUSTUS.

CAPUT I.

GENTEM Octaviam Velitris præcipuam olim fuiſſe, multa declarant. Nam & vicus celeberrima parte oppidi jam pridem Octavius vocabatur : & oſtendebatur ara Octavio conſecrata : qui bello dux finitimo, cum forte Marti rem divinam faceret, nuntiata repente hoſtis incurſione, ſemicruda exta rapta foco proſecuit :



TORRENT.

1. OCtavio conſecrata.] Id eſt (ne quis erret) *ab Octavio*. Frequens Suetonio, ut præpoſitiones omittat.

Exta proſecuit.] Duo libri *perſecuit*. Sed *proſecare* & *proſecta*, ut *porricere* & *porrecta*, verba ſunt ſolemnia. Nonius, Macrobius, & alii. Tertullian. Apologet. *Gallum Æſculapio proſecari mandavit Socrates.* Facete Plaut. Pœnulo : *Quoniam litare nequeo, abeo illinc illico Iratus, vetuique exta proſecarier.* probe videlicet ſeſe ultus, quod, cum non litaſſet, exta deo non reddiderit. Octavius vero iſte ſemicruda proſecare quam ſacrificium relinquere maluit.

CASAUBON.

1. *Præcipuam olim fuiſſe.*] Princeps editio, *præcipuam omnium fuiſſe*. Fortaſſe, *præcipuam omnium olim fuiſſe*.

Vicus Octavius vocabatur.] An hic fuit conditor ma- urbis? an exhauſtam caſu aliquo frequentavit? gnum certe quoddam videtur iſtius exſtitiſſe in remp. beneficium, cujus gratia ἡρωικὰς τιμὰς ſit conſecutus. Ait autem Diodorus lib. xx. honores heroïcos eſſe iſtos : *de nomine alicujus nomen loco imponere, ei aras, feſta, ludos decernere*, & ſimilia his. Quod *oſtendebatur ara Octavio conſe-* igitur mox addit, *crata*, nihil vetat accipere de ara ipſi Octavio conſecrata.

Qui bello dux finitimo.] *Bellum finitimum*, vel quod cum finitimis quacunque cauſſa geritur : vel quod pro finibus, qualia fere bella illo ſeculo. iſtud autem non finitimum tantum, ſed vere *antarium*, ut veteres appellabant.

Semicruda exta rapta foco proſecuit.] His verbis continetur præcipua hujus facinoris laus. Non enim tantum fuit hoſtem fudiſſe, quantum reperiſſe viam tam cito, qua & religioni deorum ſatisfieret, & ſine mora hoſtis pelleretur. Hæc eſt illa vis animi, quam commendat in Themiſtocle Thucydides lib. 1. quod fuerit in ſubitis conſiliis inveniendis, cum res poſtularet, excellens, atque ut ipſe loquitur, κράτιστος αὐτοσχεδιάζειν τὰ δέοντα. Sic in hiſtoria Romana laudantur Tullus Hoſtilius rex & Papyrius Curſor propter conſilia ſalubria inter ipſa pericula inita. *Exta rapta foco proſecare* eſt, victimæ carnes, quæ in foco coquuntur, rapide accipere, & earum proſicias ſive ἀπαρχὰς diis offerre, & in aram injicere adolendas. Moris ante fuerat Veliternis, exta cocta Marti proſecare : Octavius & præſentis

proſecuit: atque ita prælium ingreſſus, victor rediit. Decretum etiam publicum exſtabat, quo cavebatur, ut in poſterum quoque ſimili modo exta Marti redderentur, reliquiæque ad Octavios referrentur. Ea gens a Tarquinio Priſco rege, inter Romanas gentes allecta 2 in ſenatum mox a Ser. Tullio in patricias tranſducta, procedente tempore ad plebem ſe contulit:

ſentis vir conſilii, & religioſus, hoſtium incurſione audita, intelligens non eſſe ἕδρας ἀκμὴν, & ut vetus verbum fuit, ȣ̓δὲν δεῖ παρὰ τὸν βωμὸν βȣλεύειν, ſemicruda quam nulla exta judicavit ſatius eſſe proſecare. Mars factum probavit, & victoriam dedit: ut quidem cæci homines ſibi perſuadebant. inde Octavio decus & gloria. Fuerunt & dii Romanorum tam bono ſtomacho quam Mars Veliternus: nam & iis cruda, nedum ſemicruda exta data. Arnobius lib. VII. *Averſionibus ſtomachorum numina laborant? ut ad expellenda faſtidia ſaporum varietas quæratur? ut modo his aſſa, modo cruda ponantur, ſemicocta modo & ſemicruda?* Idem lib. II. *Quum Romulo Pompilioque regnantibus, percocta plane ac madida cremarentur diis exta, nonne rege ſub Tullo ſemicruda cœpiſtis & leviter animata* (ſcribo *exanimata*) *porriſcere, priſca obſervatione contemta?*

VARIOR.

1. *Ara Octavio conſecrata.*] Malim: *ab Octavio.* GUJET.

TORRENT.

Ut quoque anno in poſt.] MS. *ut in poſterum quoque anno.*

2. *Inter minores gentes.*] Sic quidem ex Beroaldo & Sabellico, licet diſſimulent, Turneb. Adverſar. XXIV. cap. XV. & Pithœus Subſecivor. II. cap. VII. noſtri MSS. omnes *Romanas* habent. Quod retineo. nam patricios quidem ſic inter ſe diſtingui ſolere, ut pro generis ſui antiquitate alii majorum, alii minorum gentium dicerentur, nemo ignorat; ſed gentes ipſas ſive familias, alias majores, alias minores abſolute dictas fuiſſe non exiſtimo. Loci igitur hujus ſententia eſt, gentem Octaviam, cum Veliterna eſſet, primo a Tarquinio Romam traductam, ac proinde Romanam factam fuiſſe; a Ser. Tullio autem etiam patriciam: cumque poſtea ad plebem tranſiiſſet, a Divo Julio redactam iterum inter patricias. Sic nimirum etiam gens Claudia poſt Romam recens conditam eo ex Sabinis commigrans, mox Romana quidem facta eſt, ſed anno demum ſexto poſt exactos reges in patricias cooptata. auctor Livius, & Tranquillus noſter Claudio. Accedit, quod ſi gens Octavia a Tarquinio inter minores gentes (ut iſti volunt) allecta fuit, ſequitur eam jam ante Tullii tempora patriciam fuiſſe. ſiquidem diſcrimen illud majorum, minorumque gentium de patriciis tantum traditur. Atqui Suetonius a Tullio patriciam factam tradit. Turnebo itaque, & Pithœo non aſſentior.

In ſenatum.] Qui *minores* pro *Romanas* primus ſubſtituit, idem, ni fallor, duo hæc verba de ſuo adjecit. Sigonius certe libris de Jure civ. Rom. locum hunc citans ea omiſit, eademque Joannes Sarius de Senatu Romano ſcribens, adulterina eſſe pronuntiavit. Pulmannus quidem facta interpunctione poſt verbum *allecta*, opem adferre conatus eſt; ſed impedita erit oratio, niſi pro *in patricias, inter pat.* legamus. quæ ſane notarum errore non inſolens mutatio eſt. Tullius igitur gentem Octaviam & patriciam fecit, & in ſenatum legit. ſic enim obſervari ſolitum ante conceſſos plebi magiſtratus.

CASAUBON.

Ut in poſterum quoque.] Vulgo, *quoque anno.* ſuſtulimus eam vocem auctoribus omnibus MSS.

2. *Ea gens a Tarquinio Priſco rege inter Romanas gentes allecta, in ſenatum mox a Servio Tullio in patricias tranſducta.*] *Allegere inter gentes Romanas* eſt, civitate donare. Id primo datum Octaviæ genti per Tarquinium Priſcum. deinde Tullius rex traduxit in ſenatum inter patricias gentes, vel, ut videtur olim ſcriptum fuiſſe, *inter patricios.* nam in membranis Viterb. eſt, *in patricios.* Non igitur ſtatim ac Romam venit, patricia gens fuit: qui honor tamen quibuſdam peregrinis tributus, ut de Claudiis & Vitelliis legimus. In cod. Petri Pithœi ſcriptum erat: *Inter minores gentes allecta in ſenatum, mox a Serv.* quæ lectio ferri aliter non videtur poſſe, quam ut dicamus, ſolos majorum gentium ſenatores fuiſſe patricios: minorum gentium non item. Aut certe κατ' ἐξοχὴν patricios iſtos a Suetonio eſſe appellatos.

VARIOR.

1. *Proſecuit.*] Sacrificale verbum. *Proſicias*, id eſt, partem extorum proſecandam, & diis porriciendam aræ ſuperimponebant, & diis adolebant; reliquam partem veſcebantur, qui ſacrificio intererant. Octaviis hic honos habitus, ut ad eos etiam abſentes reliquiæ extorum referrentur. Arrianus in periplo Ponti Euxini verbo σπλαγχνεύσασθαι omnem ritum complexus eſt, quo exta inſpiciuntur, probantur, aræ imponuntur, & quæ edulio ſunt, comeduntur. quibus peractis tus & vinum in aram libabant. Ideo adjicit, καὶ ἐπὶ τοῖς σπλάγχνοις ἐπεσπείσαμεν. SALMASIUS.

TOR-

contulit : ac rurſus magno intervallo per D. Julium in patriciatum rediit. Primus ex hac magiſtratum populi ſuffragio cepit C. Rufus. Is quæſtorius Cn. & C. procreavit : a quibus duplex Octaviorum familia defluxit, conditione diverſa. Siquidem Cn. & deinceps ab eo reliqui omnes functi ſunt honoribus ſummis. At Cajus ejuſque poſteri, ſeu fortuna, ſeu voluntate, in equeſtri ordine conſtitere, uſque ad Auguſti patrem. Proavus Auguſti ſecundo Punico bello, ſtipendia in Sicilia tribunus militum fecit, Æmilio Pappo imperatore. Avus municipalibus magiſteriis contentus, abundante patrimonio, tranquilliſſime ſenuit. Sed hæc alii. Ipſe Auguſtus nihil amplius quam equeſtri familia ortum ſe ſcribit, vetere ac locuplete, & in qua primus ſenator pater ſuus fuerit. M. Antonius libertinum ei proavum exprobrat reſtionem, e pago Thurino : avum argenta-

TORRENT.

Magna vi per D. Jul. in patriciatum rediit.] Vaticanus *magno intervallo per D. Jul.* &c. Pithœus *magno inter D. Jul.* &c. legiſſe ſe affirmat in vet. cod. Ego nihil mutandum cenſeo. Nove autem dixit Sueton. *in patriciatum redire*, pro a plebe ad patres tranſire. Ut contra Clodius & Dolabella, & ante illos M. Livius, a patribus ad plebem traducti ſunt. Aliud vero patriciatus ſub recentioribus Imperatoribus.

Æmilio Pappo.] Scribe *Papo*, ut in cod. Vaticano, & marmore antiquo. Hinc Papius, ut a Flavo Flavius, a Plauto Plautius.

Municipalibus magiſteriis.] *Magiſtros* vocari eos ajunt JCti, quibus præcipua cura rerum incumbit. Hinc dicti *magiſtratus*. *Magiſtrare* etiam apud Feſtum pro moderari. Unde non ſolum *artium*, ſed etiam *pagorum*, *ſocietatum*, *vicorum*, *collegiorum*, *conviviorum* quoque *magiſtri* & *magiſteria* dicuntur. Virgil. lib. IX.

Rectores juvenum, & rerum dedit eſſe magiſtros.

Sueton. Domit. cap. XIV. *Ex quo ſorte ducti magiſterio fungerentur.* & hic *magiſteria municipalia.*

Exprobrat reſtionem.] Scribe *r* minuſcula. opificis enim hic nomen eſt, ut pellio; non familiæ. *Reſtio* alioqui Antiorum cognomen erat, ex Macrobio lib. III. & nummo veteri. Neque ullum in cognomine opprobrium eſt.

CASAUBON.

Ac rurſus magno intervallo per D. Julium in patriciatum rediit.] Julius Cæſar dictator lege Caſſia patriciorum numerum augens, adſcivit in eum numerum Octavium, mox ab induta libera toga, Dio lib. XLV. Lego autem *magno intervallo* cum Vaticano & Viterb. Alii *magna vi*. Sic alibi Suetonius infra hoc libro : *Dictaturam magna vi offerente popul* , & apud Celſum non raro. qui etiam *magna mole*, pro eodem dicit. Id vero hoc loco non convenit : dictatori enim facile fuit, quicquid voluit. niſi ſi *magna vi* dictum pro μεγάλῃ σπουδῇ, quod videtur Dionis narratio confirmare.

Æmilio Pappo imperatore.] Plerique MSS. *Æmilio Paulo*, male. vide Livium libro XXVIII.

Avus municipalibus magiſteriis contentus.] Viterb. *miniſteriis contentus.* poſſis intelligere, fuiſſe quædam negotia in eo municipio curanda publice ei commiſſa. ſic miniſterii titulo relegaſſe Catonem dicitur Clodius a Vellejo II. 45. Valerius Max. lib. VII. cap. III. *Idem ut Puteolos venit, perinde ac publicum miniſterium agens, ſumma cum licentia correptis navibus in Siciliam penetravit.* Placet tamen vulg. lectio. *magiſteria* vocat ἀρχὰς municipales, quas magiſtratus nomine non dignatur. & erant revera umbræ honorum magis quam honores veri.

M. Antonius libertinum ei proavum exprobrat reſtionem.] Ætate Suetonii exſtabant adhuc Antonii epiſtolæ, unde hæc ſunt ab eo deſumpta. Cremutius Cordus apud Tacit. IV. Annal. 34. *Antonii epiſtolæ, Bruti conciones, falſa quidem in Auguſtum probra, ſed multa cum acerbitate habent.* Meminit & Serv. in V. Æneid. Contra has epiſtolas ſcripſerat librum Meſſala : cujus mentionem facit Soſipater Chariſius lib. I. Pro *libertinum* ſcripti quidam *libertum*. *reſtionem* autem ſcribendum, non *Reſtionem*. Gloſſarium : Σχοινοπλόκος, *reſticularis*, *reſtio*. Plut. καλωστρόφον dixit. ſed ſi grammaticis fides, reſtio erit σχοινοπώλης, non σχοινοπλόκος. Fronto : *Reſtiarius, qui facit*; *reſtio, qui vendit.* Puto autem ea ratione reſtionem audiſſe proavum Octavii, qua pater Ciceronis dictus fullo, Demoſthenis μαχαιροποιὸς, quod familias haberent eorum artificiorum peritas, ex eaque re ipſi, ut moris erat, quæſtum facerent. At Gratianus Valentiniani Auguſti pater *funarius* fuit nuncupatus, quia funes venalitios ſolitus circumferre, ut ſcribit Victor. Videntur autem reſtiones olim inter viliſſimos artifices habiti : ſicut apud Græcos οἱ ἱμονιοστρόφοι. unde proverbium apud Comicum ἱμονιοστρόφου μέλη, *reſtionis cantilenæ*, hoc eſt, vilis hominis & εὐτελοῦς, ut Græci interpretantur.

E pago Thurin .] E municipio Thuriis. Locus nobilis vel propter hiſtoriarum patrem Herodotum, qui inter alios colonos eo conceſſit. Strabo, alii.

VARIOR.

2. *Æmilio Pappo.*] Palatinus tertius firmat emendationem Torrentii, qui *Papo* legit.

Libertinum ei proavum.] MSS. quidam *libertum*. quod generis ſordes magis auget. BERNECCERUS.

gentarium. Nec quidquam ultra de paternis Auguſti majoribus reperi. Octavius pater 3 a principio ætatis, & re & æſtimatione magna fuit : ut equidem mirer, hunc quoque a nonnullis argentarium, atque etiam inter diviſores, operaſque campeſtres, proditum. Amplis enim innutritus opibus honores & adeptus eſt facile, & egregie adminiſtravit. Ex prætura Macedoniam ſortitus, fugitivos, reſiduam Spartaci & Catilinæ manum, Thurinum agrum tenentes, in itinere delevit, negotio ſibi in ſenatu extra ordinem dato. Provinciæ præfuit, non minore juſtitia quam fortitudine : Namque, Beſſis ac Thracibus magno prælio fuſis, ita ſocios tractavit, ut epiſtolæ M. Tullii Ciceronis exſtent, quibus

TORRENT.

3. *Octavius pater.*] Melius tres MSS. *C. Octavius pater*, unus etiam *At C. Octavius pater*, & mox *exiſtimatione* pro *æſtimatione*.

Operasque Campeſtres.] *Campeſtres operas* vocat eos, qui in campo Martio ſuam comitiis operam præſtabant, ut *quæſtum Campeſtrem* Cicero de Aruſp. reſp. lucrum, quod inde provenit. *Diviſores* vero inter hos dicebantur, qui pronunciatas a candidatis pecunias tributim dividebant, quemadmodum magiſtri Curiæ apud Plautum Aulular. Act. I. Scen. II. Sic *Nummius diviſor* apud Ciceronem lib. II. de Oratore. *Nucula & Lento diviſores Italiæ* in Philip. Odioſum autem fuiſſe officium, res ipſa docet. a fure enim diviſor non multum diſcrepat. Aliquid diximus Cæſ. cap. LXXXIII.

Spartaci & Catilinæ manum.] Spartacus quidem ante Catilinam annis aliquot fuit, ſed eorum ſocii, homines flagitioſi, diu poſt utriuſque mortem per Italiam graſſabantur. Quo Horat. reſpicit, cum inquit :

Spartacum ſi qua potuit vagantem
Fallere teſta.

lib. III. Od. XIV.

Non minore juſtitia quam fortitudine.] Duæ viri principis maximæ virtutes, ob quas ſub Drancis perſona Æneam ſuum ad cœlum fert Virgilius, & Sarpedonem Homerus :

῞Ος Λυκίην εἴρυτο δίκῃσί τε καὶ σθένεϊ ᾧ.

id eſt,

Juſtitia Lyciam qui tutabatur, & armis.

Beſſis ac Thracibus mag.] Opinor legendum *Beſſis, Thracibus, magno,* &c. deleto *ac*.

CASAUBON.

3. *Octavius pater.*] Scripti Torrentii, *C. Octavius p.* quomodo etiam in Turonenſi habetur. Sane patri Auguſti fuiſſe prænomen Cajo, certum eſt e veteri inſcriptione, quam ad librum primum attulimus.

Et re & exiſtimatione magna fuit.] Recte *exiſtimatione* cum Turonenſi & omnibus melioris notæ: non autem *æſtimatione*. ſic paſſim erratur contra germanam Latinitatem. Vellejus Paterculus II. 59. *Fuit Cajus Octavius, ut non patricia, ita admodum ſpecioſa equeſtri genitus familia, gravis, ſanctus, innocens, dives.*

Hunc quoque a nonnullis argentarium.] Qui patrem Octavii argentarium fuiſſe dixerit, neminem e veteribus reperias, præter auctorem verſiculi qui infra habetur, *Pater argentarius, ego Corinthiarius.* Deſcribitur in epiſtola ad Octavium, non Ciceronis quidem, ſed vetere tamen : *Quid de ſua patria audient, quam ſpoliis triumphiſque decorarunt? an eſſe quendam annos* XIII. (legendum XIX. vel XX.) *natum, cujus avus fuit argentarius, aſtipulator pater, uterque vero precarium quæſtum fecerit : ſed alterum uſque ad ſenectutem, ut non negaret: alterum a pueritia, ut non poſſet non confiteri; eum agere, rapere rempublicam?*

Atque etiam inter diviſores operasque campeſtres proditum.] Puto fuiſſe nonnullos in hac plebeja gente Octaviorum, qui hoc genus quæſtus & ſimiles non aſpernarentur. talis namque fuiſſe videtur, aut ortus talibus, is, de quo Cicero in epiſtola ad Trebatium : *Cn. Octavius, an Cn. Cornelius? tuus quidem familiaris, ſummo genere natus, terræ filius : is me, quia ſcit tuum familiarem eſſe, crebro ad cœnam invitat. Adhuc non potuit perducere : ſed mihi tamen gratum eſt.* Et in alia epiſtola : *Ego ſi foris cœnitarem, Cn. Octavio familiari tuo non defuiſſem : cui tamen dixi, quum me aliquoties invitaret, Oro te, quis tu es?* Omnino vilem & obſcurum oportet hunc fuiſſe Octavium, a quo ſe invitari Cicero tantum non contumeliæ loco duceret.

Ex prætura Macedoniam ſortitus.] Succeſſit Octavius prætorius C. Antonio viro conſulari. Is ex conſulatu, quem geſſit cum Cicerone, in Macedoniam abiit : eſtque inde reverſus coss. Q. Cæcilio Metello Celere, L. Afranio. Ita incidit annus, quo præfuit Macedoniæ Octavius, in conſulatum C. Cæſaris. quo etiam tempore Q. Cicero Aſiam adminiſtrabat. Etſi autem conſularis non erat Octavius, provinciam tamen rexit pro conſule. Ideo ſcriptum in lapide de eo : PR. PRO COS.

TOR-

bus Q. fratrem, eodem tempore parum ſecunda fama proconſulatum Aſiæ adminiſtran-
4 tem, hortatur & monet, imitetur in promerendis ſociis vicinum ſuum Octavium. Decedens Macedonia, prius quam profiteri ſe candidatum conſulatus poſſet, mortem obiit repentinam, ſuperſtitibus liberis, Octavia majore, quam ex Ancharia: & Octavia minore; item Auguſto, quos ex Atia tulerat. Atia M. Atio Balbo, & Julia ſorore C. Cæſaris, genita eſt. Balbus paterna ſtirpe Aricinus, multis in familia ſenatoriis imaginibus, a matre Magnum Pompejum arctiſſimo contingebat gradu: functuſque honore præturæ, inter xx viros agrum Campanum plebi Julia lege diviſit. Verum M. Antonius deſpiciens etiam maternam Auguſti originem, proavum ejus Afri generis fuiſſe, & modo unguentariam tabernam, modo piſtrinum Ariciæ exercuiſſe, objicit. Caſſius quidem Parmenſis quadam epiſtola, non tantum ut piſtoris, ſed etiam ut numularii nepotem, ſic taxat Auguſtum,

TORRENT.

Proconſulatum Aſiæ adm.] Turneb. Adverſar. XXIV. cap. XV. lapſum ſcribit memoria Suetonium, qui Q. Ciceronem prætorium, Aſiæ proconſulem vocet. Et provinciæ quidem aliæ conſulares, aliæ prætoriæ fuerunt, ſic dictæ, quod illæ conſularibus, hæ prætoriis demandarentur. Quin & Aſiam inter prætorias fuiſſe Ciceronis tempore non negaverim. octo enim tunc fuere prætoriæ, quod ex epiſtola Cœlii ad Ciceronem lib. VIII. diſcimus. Sed tamen ea provinciarum appellatio ſæpe mutabatur. Senatui enim lege Sempronia liberum erat, ut alibi monuimus, quos in quas vellent provincias mittere. Quanquam crediderim, cum prætorius aliquis in provinciam conſularem mittebatur, eum jure quoque conſulari mitti ſolere, verbi gratia, cum XII. faſcibus, non ſex tantum. Atque adeo juxta imperium, quod a ſenatu quis acceperat, pro conſule aut pro prætore eam provinciam adminiſtrare dicebatur, tametſi prætorius conſularem, aut e diverſo conſularis prætoriam adeptus eſſet. Exempla frequenter occurrunt, ut Q. Ciceronis hic. Quin & C. Octavius, Auguſti pater, prætorius tantum, Macedoniam obtinuit; quam tamen & ante eum & poſt eum conſulares ſortitos fuiſſe legimus. Sed hæc prolixius enarranda eſſent, quam noſtro inſtituto conveniat.

4. *Confiteri ſe candidatum.*] *Confiteri* dixit, quod qui politiores ſunt, *profiteri*: ut *profiteri ſe muſicum, philoſophum, juriſconſultum* Cicero, *profiteri nomina* Livius, & alii. Spectat huc autem locus Ciceronis cap. III. Philipp. *Quis illo maledico impurior? Ignobilitatem objicit C. Cæſaris filio, cujus etiam naturalis pater, ſi vita ſuppeditaſſet, conſul factus fuiſſet. Aricina mater*, & cætera, quæ ſequuntur, de materno Auguſti genere.

Et Atia.] Sic Pulmannus, & recte, vel ob netiſſimum Virgilii verſum lib. V.

Alter Atis, genus unde Atii duxere Latini.

Id enim in gratiam materni generis Auguſti Poëta cecinit. Nec Romanos, ſed Latinos dixit Atios, ut Aricia deductam gentem doceat. Simili paſſim errore Actilius, Lectorius, Ictius, pro Atilius, Lætorius, Itius, & ſimilia. Verum ergo etiam nobiliſſimi poëtæ nomen Atius eſt, quanquam non moleſte feram *t* geminari.

Inter XX-*viros.*] Sup. Cæſ. cap. XX.

Caſſius quidem Parmenſis.] De hoc ad Horat. Epiſt.

Scribere, quod Caſſi Parmenſis opuſcula vincat.

Sed etiam ut numularii nepotem.] Caſſius hic, qui Auguſtum ut & piſtoris & numularii nepotem notabat, cum Antonio conſentit. Antonius enim ei paternum avum argentarium exprobrat, volebatque Atium Balbum, avum maternum, patrem habuiſſe qui Ariciæ piſtrinum exercuerit. Nepos igitur numularii quoad patrem, quoad matrem piſtoris pronepos fuit Auguſtus. Sed nepotum nomine etiam pronepotes continentur. Et alioqui potuit Caſſius ipſi Atio Balbo piſtoris operam objicere; ſiquidem, ut fere fit, patris officium etiam filius exercuit. In verbo *pinſit* nonnihil obſcœnitatis eſt. perſtat enim in metaphora Caſſius, & farinæ nomine matrem Auguſti, menſarii vero patrem intelligit, qui decoloratis collybo manibus farinam illam ſubegerit, dignum (quod ajunt) patella operculum, cum par parem duxerit. Pro *pinſit* liber unus *pinſuit*, tres *finxit*. Sed *pinſit* retineo.

CASAUBON.

4. *Priuſquam confiteri ſe candidatum conſulatus poſſet.*] Scribendum erat *profiteri*. nam ſic Viterb. & quod poſtea didici, Urſini cod. nec aliter editum a Roberto Stephano. Memmianus tamen *confiteri*.

Verum M. Antonius deſpiciens maternam Auguſti originem.] Servius ad illa e quinto libro Æneidos:

--- *genus unde Atii duxere Latini*,

notat: *Propter Atiam dicit matrem Auguſti; de qua Antonius ait, Aricina mater.* alludit Servius ad locum Antonii, quem refutat divinus Orator in tertia Philippica.

guſtum: *Materna tibi farina ex crudiſſimo Ariciæ piſtrino : hanc finxit manibus collybo decoloratis Nerulonenſis menſarius.* Natus eſt Auguſtus, M. Tullio Cicerone & Antonio coss. IX. Kal. Octobr. paullo ante ſolis exortum, regione Palatii, ad Ca-

TORRENT.

Collybo decoloratis.] *Collybon* quidem Græci, ſed vetuſtiſſima quæque exemplaria Latina per jota ſcribunt, ut non uno Ciceronis loco obſervavimus. Eſt autem *collybus* tam id quod pro pecuniæ permutatione argentario ſolvitur, quam ipſa pecuniæ contrectatio. *ἀργυρίȣ ἀλλαγή.* Unde *collybiſtes*, qui pecunia permutanda quæſtum facit, qualis hic Auguſti avus, ipſe nummos contrectans. Quod vile ac ſordidum habetur, cum alioqui collybus neminem dehoneſtet, res videlicet neceſſaria; præſertim cum quod una in provincia acceptum ſit, in aliam tranſcribitur numerandum. Id quod vulgo *cambium* dicitur, & a fœnore excuſatur. *Decolorare* autem verbum, ut videtur, inſolens, quo tamen etiam Horat. uſus eſt.

- - -quod mare Dauniæ
Non decoloravere cædes?

Nerulonenſis menſarius.] Quare Nerulonenſem vocet, equidem ignoro. Afri eum generis fuiſſe volebat Antonius. *Menſarius* vero idem, qui *argentarius.* quanquam enim ante Cæſarum tempora *menſarii* nomen paulo videtur fuiſſe honeſtius, cum non niſi de publica ratione diceretur, (unde apud Livium nunc quinqueviros, nunc triumviros menſarios creatos legimus, rei nummariæ publicæ curatores) Juriſconſulti tamen noſtri, & qui ſub Cæſaribus ſcripſere, indifferenter uſi ſunt. ut hoc loco Sueton. & Capitolin. vita M. Antonini : *Leges de menſariis & auctionibus tulit.* Quin & *menſularios* vocat Scævola lib. XLVII. de pactis, & Ulpianus lib. XXIII. de rebus auctor. jud. poſſidendis, uti & *nummularios.* Quanquam inter *nummularios* & *argentarios* diſcriminis aliquid fuiſſe indicat Ulpianns lib. IX. de edendo. Sed qui diligenter Suetonii toto hoc loco verba expenderit, inveniet nihil inter *argentarium menſariumque* ac *nummularium* intereſſe. Græci trapezitas vocant. Vide Ner. cap. V.

5. *M. Tullio Cicerone & Ant.*] Liber unus, *Cicerone & Antonio* coss. haud dubie melius. Niſi utrumque prænomen mavis, *M. Cicer. & C. Anton.*

CASAUBON.

Materna tibi farina.] Objicit avum maternum, piſtorem Aricinum.

Siquidem ex crudiſſimo Ariciæ piſtrino.] τὸ *ſiquidem* deeſt in aliis. multi, *ſi ex crud.*

Hanc finxit manibus collybo decoloratis Nerulonenſis menſarius.] Objicit avum paternum nummularium. Eſt autem ſermo allegoricus. Tuus, inquit, paternus avus farinam ſumſit e piſtrino crudiſſimo Aricino : hoc eſt, uxorem duxit filiam piſtoris Aricini cujuſdam, hominis viliſſimi : hanc ille farinam finxit manibus collybo decoloratis. Vult dicere, avum Octavii, qui eſſet numularius abjectiſſimus, ex ea farina, quam ſumpſerat de piſtore Aricino, finxiſſe & formaſſe tanquam aliquod dulciarium opus (hoc eſt, genuiſſe) patrem Octavium. Legimus autem *finxit* ex noſtris & Torrentii libris; & ita priſca Romana editio, ac Rob. Stephani. Id verbum optime illi loco convenit : nam ex farina finguntur opera dulciaria, quorum figuræ erant infinitæ, ut placentæ, ſcriblitæ, cruſtula, lucunculi, hami, lacertuli, ſpicæ, globuli, enchyta, circuli, liba, aliaque plurima. Martialis:

Mille tibi dulces operum manus iſta figuras
Exſtruet.

Varro de Lingua Latin. *Fictores dicti a fingendis libis.* Sic apud Scribonium, *fingere pilulas & paſtillos.* & apud Petronium, *ova ex farina pingui figurata.* & apud Plutarchum, διαπλάσαι μελίπηκτον εἰς σχῆμα πόλεως. In ſecunda Ecloga Calphurnii, recte libri veteres, *fingere liba Priapo.* non *figere.* Inde fictorum ordo, cujus mentio etiam in veteribus inſcriptionibus. In aliis libris eſt *pinſit.* quod eſſet, ut μύλλειν Theocrito. Appellat patrem Octavii menſarium Nerulonenſem, faciens alluſionem ad ejus oppidi menſarios, aut ad aliquem ejus ætatis numularium inſignem paupertate, aut alia qua re non bona : talem iſtum vult fuiſſe. In Viterb. erat *Verulonenſis*, non *Nerul.* legerim *Vetulonienſis.* Vide Plinium lib. III. cap. V. At in antiquiſſima Lugdunenſi editione reperi *Nemorenſis.* quod idem eſſet atque Aricinus. Memmianus, ut in editis.

5. IX. *Kal. Octobris paull. ante ſolis exortum.*] Imo vero poſt ſolem occaſum. Hallucinatum enim eſſe hoc loco Suetonium, neque defendi hac parte illum poſſe, ſi vere eidem auctori aliiſque dictum, Auguſti horoſcopum eſſe capricornum, certiſſima demonſtratione probatum eſt divini ingenii viro Joſepho Scaligero, cum in quinto de Emendatione Temporum, tum etiam in uberrimis notis ad Manilii Aſtronomicum primum.

Regione Palatii, ad Capita bubula.] Invenias, qui partem urbis ubi natus Auguſtus, *Lautas Carinas* fuiſſe nominatam ſcribant. Vide Servium ad librum Octavum.

VARIOR.

4. *Nerulonenſis menſarius.*] Palatinus primus quoque *Verulonienſis* habet, ut Viterb.

5. *Ante ſolis ortum.*] De hoc natali die Auguſti elegantiſſimus libellus A. Rubenii nuper editus inter alia opuſcula ejus poſthuma; ex quo pauca quædam excerpemus, quæ Suetonii variis locis lucem adferunt.

Capita bubula: ubi nunc ſacrarium habet, aliquanto poſt quam exceſſit, conſtitutum. Nam ut ſenatus Actis continetur, cum C. Lectorius adoleſcens patricii generis, in deprecanda graviore adulterii pœna, præter ætatem atque natales, hoc quoque patribus conſcriptis allegaret

runt. Quærunt, inquit, viri docti, an IX. Kal. Octob. quem non ſolum Suetonius, ſed etiam marmora antiqua natali Auguſti aſſignant, intelligendus ſit ex ratione Kalendarii veteris Romani: deinde ſi IX. Kal. Octob. Pompiliani natus ſit Auguſtus, in quem diem Kalendarii Juliani ejus natalis incidat. Joſ. Scaliger lib. X. de Emendat. Temp. cap. 2. & Petav. lib. IX. de Doctrina temporum cap. 64. & lib. XI. cap. 6. exiſtimant, Auguſtum natum eſſe circiter XXI. aut XXII. Julii anni Pompiliani, & quidem poſt ſolem occaſum, ſole ultimas partes cancri obtinente, gravemque errorem hic Suetonio impingunt. Quibus adſtipulatur Joannes Triſtanus Tom. I. Comment. Hiſtoric. qui hanc hallucinationem in librarios rejicit, & legit: *paulo ante ſolis occaſum.* Sed hanc lectionem refutat Suetonius, qui cap. XCIV. aperte docet, parentem Octavii veniſſe tardius in ſenatum, cum is ſummo mane coactus eſſet ob periculum conjurationis Catilinariæ, moram puerperio uxoris excuſantem. An vero ſenator tardius mane in ſenatum veniens cauſabitur natum paulo ante occaſum ſolis filium? Diem quoque Auguſti natalem ſecundum Kalendarium Julianum incidiſſe in IX. Kal. Octobris ipſe Suetonius indicat, qui cap. C. ſcripſit, illum deceſſiſſe *Sextis Pompejo & Apulejo coſs.* XIV. *Kal. Septembris, hora diei nona*, LXXVI. *ætatis anno, diebus* XXXV. *minus.* Cui conſentit Dio l. LV. qui ait, vita eum exceſſiſſe XIV. Kal. Septembris, vixiſſe annos LXXV. menſes X. dies XXVI. quia natus ſit IX. Kal. Octobris. A die autem XXIII. Septembris Juliani anni periodi Julianæ 4651. quo natus eſt Auguſtus, uſque ad XIX. Auguſti ſeu XIV. Kal. Septemb. Juliani anni P. J. 4727. qua die deceſſit, exacte conficiuntur anni LXXVI. minus diebus XXXV. ſeu anni LXXV. menſes X. dies XXVI. Præterea cui credibile eſt, ipſum Auguſtum tam incurioſum fuiſſe, ut natalem ſuum, qui in Julium aut Junium menſem incidit, IX. Kal. Octobris celebrarit, & annum ſuum climactericum non vero die ſuo natali, ſed demum tribus poſt verum natalem ſuum menſibus confectum fuiſſe exiſtimarit. Vide verba ejus ex Epiſtola ad Cajum filium IX. Kal. Octob. ſcripta anno Juliano 46. apud Gellium XV. 7. Certum igitur mea quidem ſententia natum Auguſtum. a. d. IX. Kal. Octobris anni Juliani. Sed nunc ſupereſt ille inexplicabilis nodus, quomodo capricornus poſſit dici ejus horoſcopus, ſicut fuiſſe dicitur a Suetonio cap. XCIV. & nummi etiam nunc oſtendunt; cum libra, vel ut alii volunt, virgo fuerit. quo & Virgilius reſpexit I. Georg. qui redituro in cœlum Auguſto eandem ſedem & cœli regionem adſignat inter virginem & chelas, qua horoſcopante in lucem editus fuit:

Anne novum tardis ſidus te menſibus addas,
Qua locus Erigonen inter, chelasque ſequentes
Panditur? ipſe tibi jam brachia contrahit ardens
Scorpius, & cœli juſta plus parte relinquit.

Sed repugnant Suetonius, nummi, gemma Cæſarea, Germanicus Cæſar, & Manilius, qui omnes capricornum Auguſti natali adſignant. Manilius:

Tum venit Auguſto capricornus ſidere fulgens.

Itaque Gothefridus Vendelinus oſtendit ſortis Fortunæ locum in themate genethliaco Auguſti fuiſſe in capricorno. Sors autem Fortunæ ab antiquis Aſtrologis cenſebatur eſſe horoſcopus, a quo thema Athlorum deducebatur, ut Scaliger docet ad Manilium. Vide laudato libello prolixius & liquidius hæc demonſtrantem RUBENIUM.

TORRENT.

Ubi nunc ſacrarium habetur.] Lego, ut in duobus MSS. *ſacrarium habet.* Eſt autem *ſacrarium* Servio, in illud Virgilii XII. *duri ſacraria Ditis*, & Iſidoro, non ipſe locus ſacer, ſed in quo res ſacræ deponuntur. quod (ut inquit Ulpian. lib. IX. de rerum diviſ.) etiam in ædificio privato eſſe poteſt. Atque adeo Interdictum, *Ne quid in loco ſacro fiat*; id ſacrario non competit. Sueton. tamen pro ſacello uti videtur, ut non ſemel Cicero.

C. Lectorius.] Liber Vatican. & unus e noſtris *Lætorius.* Eſtque Lætoria gens conſularis. Cognomen Plancianus, (nummi veteres) & Mergus, apud Val. Maximum lib. VI. cap. I.

CASAUBON.

In deprecanda graviore adulterii pœna.] Quam pœnam deprecetur, nemo poteſt divinare: quia non omnis adulterii eadem pœna. hoc quale fuerit, neſcimus.

Præter ætatem.] Hæc adlegatio non admittebatur lege Julia. Papinianus: *Si minor annis adulterium commiſerit, lege Julia tenetur: quoniam tale crimen poſt pubertatem incipit.*

VARIOR.

5. *Ad Capita bubula.*] Obſervat. h. l. Caſaubonus ex Servio partem urbis, ubi natus Auguſtus, *Lautas carinas* fuiſſe nominatas, vel in honorem Auguſti iſthic nati: vel propter elegantiam ædificiorum. Erant autem *carinæ* ædificia tacta in carinarum modum, circa templum Telluris. BERNECCERUS.

allegaret, ſe eſſe poſſeſſorem, ac velut æditutum ſoli, quod primum D. Auguſtus naſcens attigiſſet: peteretque donari, quaſi proprio ſuo, ac peculiari Deo: decretum eſt ut ea pars domus conſecraretur. Nutrimentorum ejus oſtenditur adhuc locus in avito ſuburba- 6
no, juxta Velitras, permodicus, & cellæ penuariæ inſtar: tenetque vicinitatem opinio, tamquam & natus ibi ſit. Huc introire niſi neceſſario & caſte, religio eſt: concepta opinione veteri, quaſi temere adeuntibus horror quidam & metus objiciatur: ſed & mox confirmata eſt. Nam cum poſſeſſor villæ novus, ſeu forte, ſeu tentandi cauſſa cubitum ſe eo contuliſſet: evenit, ut poſt pauciſſimas noctis horas exturbatus inde ſubita vi, & incerta, pæne ſemianimis cum ſtrato ſimul ante fores inveniretur. Infanti cognomen 7
THURINO inditum eſt, in memoriam majorum originis: vel quod in regione Thurina, recens eo nato, pater Octavius adverſus fugitivos rem proſpere geſſerat. Thurinum cogno-

TORRENT.

Naſcens attigiſſet.] Apud veteres infans recens natus nuda in terra ſiſtebatur, invocata Ope, ut eum placidæ terræ ſinu excipiens adjuvaret. Unde & Levana, Deæ nomen, quæ levandis de terra pueris præerat. quod ex Auguſtino & Macrobio Beroaldus hic annotavit. Similis Suetonii locus Ner. cap. VI. Papin. Silvar. lib. III.

--- tellure cadentem
Excepi, fovique ſinu.

Plinius quoque procemio lib. VII. *Natura hominem nudum, & in nuda humo natali die abjicit ad vagitus ſtatim & ploratum.* Sed omnium pulcherrime in libris ſacratis Sapiens cap. VII.

7. *Cognomen Thurinc.*] Fuit olim Thurium inter duos amnes, Crathim & Sibarim, ſi Plinio credimus. Cujus memoriam ſervant plurima, quæ adhuc exſtant, numiſmata vetera ΘΟΥΡΙΩΝ. A Dione tamen initio lib. XLV. C. Octavius Cæpias ante adoptionem cognominatur.

Majorum originis.] Hoc eſt, quod proavum ei ex pago Thurino exprobrabat Antonius ſup. cap. II.

Proſpere rem geſſerat.] Sic & Pollionis filius, de quo Ecloga Virgilii, Saloninus vocatus fuit, ob captas a patre, cum is ei filius naſceretur, in Dalmatia Salonas. Servius Bucolicis.

CASAUBON.

6. *Juxta Velitras.*] In vetuſtis ſcholiis Horatii legere memini, Auguſtum *Ulubris* nutritum: quod ſi certum eſſet, *Ulubras* hic foret legendum. Sed illi Scholiaſtæ fidem arbitrari non auſim.

7. *Infanti cognomen Thurino.*] Fuit & Cæpias Octavio cognomen: ita enim Dio tradit, & ex eo Xiphilinus ac Zonaras, cujus verba ex Dione ſunt emendanda.

In memoriam majorum originis.] Atqui majores Octavii e pago Thurino originem non habuerunt: etſi quidam illorum ibi conſedere.

Quod in regione Thurina, recens eo nato, pater Octavius adverſus fugitivos rem proſpere geſſerat.] Thurinum agrum bello Spartacio valde a fugitivis fuiſſe vexatum ipſamque urbem captam, auctor eſt Appianus lib. I. Ἐμφυλίων. Horum reliquias ab Octavio ὁδοῦ πάρεργον fuiſſe deletas, cum in Macedoniam ex prætura iret, dixit ante Suetonius. eo tempore Octavius F. annum agebat tertium. Caute igitur accipe verbum *recens.* ſimul obſerva: Nominalibus non fuiſſe impoſita cognomina, ſed poſtea ex occaſione captatum omen aut decus.

VARIOR.

5. *Ut ea pars domus conſecraretur.*] Hoc forſan exemplo Domitianus domum, in qua natus fuit, in templum Flaviæ gentis convertit. Hic honos in Principibus hoc minus cenſendus eſt invidioſus, cum fuerit pridem ante eos privatis quoque conceſſus. Timoleon enim ille Corinthius, qui Dionyſii regnum evertit in Sicilia, paternam domum in templi uſum convertit, ut ſcribit in ejus vita Plutarchus. BERNECC.

6. *Niſi neceſſario.*] Palatini duo voce auctiores, *non niſi neceſſario.* GRUTER.

7. *In memoriam majorum originis.*] Alteram harum vocum, *majorum originis*, adjectam pro interpretatione exiſtimat Caſaubonus. Sin retinemus *majorum originis*, hoc non ita eſt accipiendum, quaſi majores Auguſti e pago Thurino habuiſſent originem (non enim habuerunt: etſi quidam illorum ibi conſedere) ſed quod Auguſtus ipſe a talibus majoribus. Proavum enim ei ex pago Thurino exprobravit Antonius ſupra cap. 2. Codex tamen Alvari Nonii, quo olim Pulmannus uſus: *in memoriam originis, quod regione.* BERNECCERUS.

TOR-

cognominatum, ſatis certa probatione tradiderim, nactus puerilem imagunculam ejus æream veterem, ferreis ac pæne jam exoleſcentibus litteris, hoc nomine inſcriptam: quæ dono a me Principi data inter cubiculares colitur. Sed & a M. Antonio in epiſtolis per contu-

Torrent.

Puerilem imagunculam.] Liber unus *icunculam* ut Ner. cap. LVI. *puellarem icunculam.*

Ferreis litteris.] Quas in icuncula ærea ferreas dicat litteras, non ſatis intelligo. Beroaldus *ferrugineis* legit, pro ferrugine obductis. Atqui ærugineis potius dixiſſet. Vereor, ut mendum ſit. Niſi ferreas fortaſſis litteras vocat, quæ ferro inſculptæ in æs fuerint, aut e ferro quidem factæ, ſed appoſitæ tantum, non etiam inſculptæ imagini. quod verius eſt. Quanquam hoc ipſum inſculpere vocat Cicero Verrina VI. *Signum Apollinis pulcherrimum, cujus in femine litterulis minutis argenteis nomen Myronis erat inſculptum.* Solebant autem veteres litteras in marmore, aut ære primum ſcalptas auro ſæpe, vel argento opplere, quemadmodum & oculos, inde imaginibus immittere.

Principi.] Hadriano, cui epiſtolarum magiſter Suetonius.

Casaubon.

Imagunculam ejus æream veterem, ferreis literis inſcriptam.] Turbant interpretes iſtæ ferreæ litteræ in ære inſcriptæ: deinde alius aliter aut corrigit aut exponit. mihi hoc magis mirum non videtur, quam quod Dio libro XLIV. narrat, decretum in Cæſaris honorem factum litteris aureis in pilam argenteam fuiſſe inſcriptum. *Τὰ δόγματα*, ait, *τὰ περὶ τούτων γιγνόμενα ἐς στήλας ἀργυρᾶς χρυσέοις γράμμασιν ἐνέγραψαν.* Seneca epiſt. V. *Non habeamus argentum, in quod ſolidi auri cælatura deſcenderit.* Petronius: *Habebat etiam in minimo digito ſiniſtræ manus annulum grandem ſubauratum; extremo vero articulo digiti ſequentis minorem, ut mihi videtur, totum aureum, ſed plane ferreis velut ſtellis ferruminatum.* Obſervo Græcos hanc artem *τέχνην ἐμπαιστικὴν* nominaſſe. Athenæus libro XI. in fabrica Neſtorei populi: *Οἱ μὲν οὖν λέγουσιν ἔξωθεν δεῖν ἐμπείρεσθαι τοὺς χρυσοῦς ἥλους τῷ ἀργυρῷ ἐκπώματι κατὰ τὴν ἐμπαιστικὴν τέχνην.* Sic legi debet ille locus ex MSS. & Euſtathio. Idem lib. XII. *Σκίμπωνί τε ἐστηρίζετο χρυσᾶς ἕλικας ἐμπεπαισμένῳ.* Etiam lib. ſuperiore meminit Idem poculi, ut videtur argentei, *ἔχοντος κύκλῳ γράμματα ἕνδεκα χρυσᾶ, χρυσοῦ θαυμασίου*, & aliorum ſimilis artificii. Non exiſtimo autem in hujus artis operibus cælaturam auream, quæ in argentum deſcendebat, fuiſſe exemptilem. Quare non aſſentior viro docto, qui ſuperiorem Senecæ locum de emblematis interpretatur. Nam emblemata, ut e M. Tullii Verrinis ſcimus, evelli poterant e vaſis, quibus illigata prius fuerant, & aliis includi. quod in literis ejus imagunculæ, quam commemoret Suetonius, non magis fieri poterat, quam cælaturæ aureæ in iis operibus, quæ hodie vocamus Damaſcena.

Inter cubiculares colitur.] Imagines dedicatas ſoliti habere veteres in variis ædium partibus: ſuorum quidem majorum, ut notum eſt, in atrio, hoc eſt, celeberrimo ædium loco & maxime conſpicuo, quem vocat Polyb. in ſexta *τὸν ἐπιφανέστατον τῆς οἰκίας τόπον.* Eorum vero, quos amarent, in cubiculo. Suetonius in Caligula cap. VII. de Germanici liberis: *Duo infantes adhuc rapti, unus jam puераſcens inſigni feſtivitate: cujus effigiem Auguſtus in cubiculo ſuo poſitam, quotieſcunque introiret, exoſculabatur.* Plin. lib. XXXV. *Iidem & vultus Epicuri per cubicula geſtant ac circumferunt.* At viri docti in bibliothecis, non in cubiculis, dedicatas habebant veterum auctorum imagines, ut ex Cicerone, Plinio, Juvenale, aliiſque conſtat. Colebantur autem in cubiculo iſtæ imagines una cum laribus: eorum cuſtodiæ apponi ſolitus puer. Suetonius in Domitiano cap. XVII. *Puer curæ larium cubiculi ex conſuetudine aſſiſtens interfuit cædi.* Meminit & Macrobius ejuſdem miniſterii ſub finem lib. I. Saturnal. Fuerunt inter cubiculares imagines & eorum numinum ſimulacra dedicata, quæ tori genialis curam habere exiſtimabantur. Auguſtinus de Civitate Dei lib. VI. cap. IX. *Parcatur humanæ verecundiæ: peragat cætera concupiſcentia carnis & ſanguinis procurato ſecreto pudoris. Quid impletur cubiculum turba numinum, quando & paranymphi inde diſcedunt?* De his ſentit Plin. lib. XV. cap. XI. *Omnia jam* (intellige mala cotonea & ſtruthea) *& virorum ſalutatoriis cubilibus incluſa, ſimulacris noctium conſciis impoſita.* Poſterioribus Imperatoribus peculiaris mos fuit, ut in cubiculo ipſorum Fortuna eſſet aurea, quam morituri ad eum tranſmittebant, qui ſibi eſſet ſucceſſurus. Vide Capitolinum in Antonino Pio, & Marco Antonino Philoſopho: item Spartianum in Severo. Alludebat Marcellinus ad hunc morem, cum recenſens omnia, quæ Valentiniani obitum præceſſerunt, ita ſcriberet XXX. 21: *Nocte, quam lux ereptura eum vita ſecuta eſt, ut per quietem ſolet, videbat conjugem ſuam abſentem ſedere paſſis capillis, amictu ſqualenti contectam: quam æſtimari dabatur Fortunam ejus eſſe cum tetro habitu jam diſceſſuram.* Hic mos non videtur antiquior quam ignis prælatio, cujus mentio in eorundem Principum hiſtoria tantum: nam Domitianus quidem Minervæ, non Fortunæ ſimulacrum in cubiculo habuit. Videtur & ſignum Minervæ, quod Cicero urbem relinquens in Capitolio conſecravit, quodque diu ante domi ſuæ coluiſſe ait, in cubiculo ejus poſitum prius fuiſſe,

contumeliam ſæpe Thurinus appellatur : & ipſe nihil amplius quam mirari ſe reſcribit, pro opprobrio nomen prius ſibi objici. Poſtea C. CÆSARIS, & deinde AUGUSTI cognomen aſſumſit : alterum, teſtamento majoris avunculi : alterum, Munatii Planci ſententia : cum, quibuſdam cenſentibus, Romulum appellari oportere, quaſi & ipſum conditorem urbis, prævaluiſſet, ut Auguſtus potius vocaretur, non tantum novo, ſed etiam ampliore cognomine : quod loca quoque religioſa, & in quibus augurato quid conſecratur, auguſta dicantur, ab auctu, vel ab avium geſtu guſtuve, ſicut etiam Ennius docet, ſcribens :

Auguſto augurio poſtquam inclyta condita Roma eſt.

Quadrimus, patrem amiſit : duodecimum annum agens, aviam Juliam defunctam pro 8
concione

fuiſſe. Atque hæ ſunt, quas vocat Suetonius *cubiculares imagines.* Ad quam ſimilitudinem ſolita alia quoque in cubiculis dedicari. Tacit. lib. xv. Annal. LV. de Scevino conjurationis in Neronem reo : *Is raptus per milites, & defenſionem orſus, Ferrum cujus argueretur, olim religione patria cultum & in cubiculo habitum, ac fraude liberti ſubreptum, reſpondit.* Suetonius in Nerone xxv. *Sacras coronas in cubili circum lectos poſuit.*

VARIOR.

Ferreis.] Τὸ *ferreis* delendum videtur. GUJET.

TORRENT.

Quaſi & ipſum cond. urbis.] Sic Calig. cap. XVI. *Decretum, ut dies quo cepiſſet imperium, Palilia vocaretur, velut argumentum rurſus conditæ Urbis.*

Ab avium geſtu guſtuve.] Geſtum de tripudio ſoliſtimo intellige ; guſtum vero, quod aves paſtæ ratum faciebant. Unde ineuntibus magiſtratum dici ſolitum Pedianus refert, *Aves paſcunt.* Vide Feſtum in *Auguſtus locus.* Noti etiam Ovidii verſus:

Sancta vocant Auguſta patres, Auguſta vocantur
Templa ſacerdotum rite dicata manu.

Verſus autem Ennianus, qui mox ſequitur, refertur etiam a Varrone lib. III. de Re Ruſtic.

CASAUBON.

Pro opprobrio nomen prius objici.] Nomen *prius* eſt nomen ſive cognomen, quod infans habuerat; pridem autem habere deſierat. Clara mens Auguſti ex ſuperioribus Suetonii verbis : certa etiam lectionis hujus fides, conſentientibus omnibus libris. quod ideo dico, ne quis doctiſſimo viro mutanti vocem *prius* in *poſterius* putet eſſe aſſentiendum. Næ tu, Vir eruditiſſime, ἤμβροτες, οὐκ ἔτυχες.

Poſtea C. CÆSARIS.] Legebam C. JULII CÆSARIS. videbatur enim ſine ratione omiſſum nomen præcipuum : ſed cum hic de cognominibus Octavii tantum agat, locum ea vox non habet. Sed nec prænomen C. ferri poteſt. Scribe igitur, *poſtea* CÆSARIS. liquet clare ex ſequentibus verbis. Memmianus tamen ita : *poſtea Gaji Cæſaris.*

Deinde AUGUSTI *cognomen aſſumſit.*] Idibus Januarii anno DCCXVII. ſe VII. & M. Vipſanio Agrippa III. coss. Sic Ovidius primo Faſtorum. Cenſorinus ait, *ex ante diem decimum ſextum Kal. Febr.* Lapis qui Narbone eſt, ait Auguſtum auſpicatum eſſe imperium VII. IDUS JANUARIAS. Oroſius, VIII. Idus Jan. & triplici triumpho urbem eſſe ingreſſum & primum tunc AUGUSTUM eſſe ſalutatum, & orbis imperium ſuſcepiſſe.

Quibuſdam cenſentibus.] Imo geſtiente Octavio ſic nominari. vide Dionem.

Ab auctu.] Vel ominis boni gratia, vel ut ait Dio : ὡς καὶ πλεῖόν τι, ἢ κατὰ ἀνθρώπους ὤν. nam augere verbum erat ſacrorum. infra hoc libro, *augeri hoſtias juſſit.* in dedicatione aræ Narbonenſis : SI QUIS HUIC ARÆ DONUM DARE AUGEREQUE VOLET LICETO. inde *mactus, magmen, magmentum.*

Vel ab avium geſtu guſtuve.] Feſtus, *guſtatuve.* quod malim. Docti viri geſtum avium ad tripudium ſoliſtimum referunt, ſed, meo judicio, non bene : nam ad augurium ex avium volatu referri debet. Non enim volatum tantum obſervabant, ſed & quomodo ſe gererent in volando. Inde illa avium diviſio in diſciplina augurali, alias auſpicium facere ore : alias ore & alis : alias volatu & alis.

Auguſto augurio.]

Septingentei ſunt paulo plus aut minus anni,
Auguſto augurio poſtquam inclyta condita Roma.

VARIOR.

7. *Inter cubiculares.*] Valde avet Vir magnus legere, *Inter cubiculi lares.* Sic Domitiano cap. XVII. *Puer curæ larium cubiculi ex conſuetudine adſiſtens.* SCRIVER.

Ab auctu, vel ab avium geſtu guſtuve.] Hæc ſpuria videntur & inſititia. GUJET.

Guſtuve.] Feſtus *auguſtum locum* dictum notat *vel ab avium geſtu, vel ab avium guſtatu, quia aves paſtæ id ratum fecere.* Ex quo loco etiam hic reſcribendum *guſtatuve* vult Caſaubonus. non neceſſario. nam quod *guſtus* idem cum *guſtatu* ſit, exemplis oſtendit Salmaſius ad Tertull. pallium pag. 241. BERNEC.

TOR-

concione laudavit. Quadriennio poſt virili toga ſumta, militaribus donis triumpho Cæſaris Africano donatus eſt, quamquam expers belli propter ætatem. Profectum mox avunculum in Hiſpanias, adverſus Cn. Pompeji liberos, vix tum firmus a gravi valetudine, per infeſtas hoſtibus vias, pauciſſimis comitibus, naufragio etiam facto, ſubſecutus, magnopere demeruit, approbata cito etiam morum indole ſuper itineris induſtriam. Cæſare poſt receptas Hiſpanias expeditionem in Dacos, & inde in Parthos, deſtinante, præmiſſus Apolloniam, ſtudiis vacavit. Utque primum occiſum eum, heredemque ſe comperit, diu cunctatus, an proximas legiones imploraret, id quidem conſilium ut præceps immaturumque omiſit: cæterum, urbe repetita, hereditatem adiit, dubitante matre, vitrico vero Marcio Philippo conſulari multum diſſuadente. Atque ab eo tempore exercitibus comparatis, primum cum M. Antonio, Marcoque Lepido, dein tantum cum Antonio per duodecim fere annos, noviſſime per quatuor & quadraginta ſolus Rempublicam
9 tenuit. Propoſita vitæ ejus velut ſumma, partes ſigillatim, neque per tempora, ſed per ſpecies, exequar: quo diſtinctius demonſtrari cognoſcique poſſint. Bella civilia quinque geſſit: Mutinenſe, Philippenſe, Peruſinum, Siculum, Actiacum. Ex quibus primum ac noviſſimum adverſus M. Antonium: ſecundum adverſum Brutum & Caſſium: tertium adverſum L. Antonium Triumviri fratrem: quartum adverſus Sex. Pompejum, Cn.
10 filium. Omnium bellorum initium & cauſſam hinc ſumſit, nihil convenientius ducens quam necem avunculi vindicare, tuerique acta. Confeſtim ut Apollonia rediit, Brutum

TORRENT.

Quadriennio poſt.] Anno igitur XVI. virilem togam ſumſit, ut M. Aurelius Antoninus, ſi Spartiano credimus, XV. Juriſconſulti noſtri annis decem & ſeptem finiri pueritiam ſcribunt. Quos qui non compleverit, poſtulare eum prohibet prætor, moderatam hanc ætatem eſſe ratus ad procedendum in publicum. l. 1. de poſtulando.

In Dacos & inde in Parthos.] Libri duo *in Parthos, & inde in Dacos,* ſed male. Sup. Cæſ. cap. XLIV.

Apolloniam.] Eam, quæ in Macedonia ad mare Ionium erat, intellige. Quam Strabo optimis olim legibus inſtitutam fuiſſe ſcribit. Ut mirum non ſit, Auguſtum ſtudiorum illic cauſa hæſiſſe. Vide inf. cap. LXXXIX.

Marcio Philippo.] Vide Ciceronem ad Atticum lib. XIV. epiſt. XII.

9. *Sex. Pompejum, Cn. Pompeji filium.*] Melius duo MSS. *Sex. Pompejum, Cn. filium.*

CASAUBON.

8. *Diu cunctatus, an proximas legiones imploraret.*] Vellejus. II. 59. *Cui ut eſt nunciatum de cæde avunculi, cum protinus ex legionibus centuriones ſuam ſuorumque militum operam ei pollicerentur, neque eam ſpernendam Salvidienus & Agrippa dicerent.* &c.

Id conſilium ut præceps immaturumque omiſit.] Plautus *incoctum* ſimili tranſlatione:

Eccere autem, capite nutat: non placet, quod repperit:
Quicquid eſt, incoctum non expromit, bene coctum dabit.

Urbe repetita hereditatem adiit.] Quam tamen Brundiſii jam creverat, & nomen Cæſaris uſurpare cœperat. Dio & Appianus. vide Ciceronem ad Att. lib. XIV. epiſt. XII.

Dubitante matre.] Cui perſecutionem conſpiratorum diſſuadenti appoſitiſſime reſpondit verſu Homerico:

Αὐτίκα τεθναίην, ἐπεὶ οὐκ ἄρ' ἔμελλον ἑταίρῳ
Κτεινομένῳ ἐπαμύνειν.

Cum Antonio per duodecim fere annos.] Tribus demptis menſibus: ex a. d. quintum Kal. Decemb. A. U. C. DCCXI. ad a. d. III. Non. Sept. anni DCCXXIII.

9. *Neque per tempora, ſed per ſpecies.*] Vellejus Paterculus lib. I. 14. *Facilius cujuſque rei in unum contracta ſpecies, quam diviſa temporibus, oculis animiſque inhæret.*

10. *Nihil convenientius ducens, quam necem avunculi vindicare.*] Paulus J. C. *Omnes heredes vel eos qui loco heredum ſunt, officioſe agere circa defuncti vindictam convenit.* Vide in Dig. & Cod. *de His quibus ut indignis hereditas aufertur.*

VARIOR.

9. *Sigillatim*] MS. Salmaſ. *ſingillatim.*

Neque per tempora, ſed per ſpecies exequar.] *Exequi per tempora,* eſt juxta ſeriem temporis narrare alicujus res, ut quæque hoc vel illo anno ſunt geſtæ. *Per ſpecies exequi,* eſt ſecundum actiones & genera, ſtatum ac conditionem vitæ. Sic cum narramus, quæ quis publice, quæ privatim; quæ fortiter, quæ moderate; quæ ſerio, quæ jocoſe egerit, non obſervato ordine annorum, hoc eſt, *per ſpecies exequi.* Vell.

Q Paterc.

tum Caſſiumque, & vi nec opinantes, & quia proviſum periculum ſubterfugerant, legibus aggredi, reoſque cædis abſentes deferre ſtatuit. Ludos autem victoriæ Cæſaris, non audentibus facere quibus obtigerat id munus, ipſe edidit. Et quo conſtantius cætera quoque exſequeretur, in locum Trib. plebis forte demortui candidatum petitorem ſe oſtendit: quamquam patricius, nec dum ſenator. Sed adverſante conatibus ſuis M. Antonio conſule,

Paterc. I. 14. *Felicius cujuſque rei in unum contracta ſpecies, quam diviſa temporibus, oculis animoque inhæret.* A. BUCHNERUS.

TORRENT.

10. *Etiam nec opinantes.*] Libri duo *& nec opinantes*, unus *& vi nec opinantes, & quia proviſum*, &c. ut ſenſus ſit, primum vi eos opprimere, ſed quia id veriti Urbe diſceſſerant, etiam judicio aggredi ſtatuiſſe. quam lectionem ſequor.

Ludos victoriæ Cæſaris.] Poſt devictum in Hiſpania Pompejum inſtitutum fuiſſe ſcribit Dion lib. XLIII. ut Palilibus ludi in Circo, & ſacra fierent, non quod is dies natalis Urbis erat, ſed quod pridie ejus diei ſub veſperam nuncius victoriæ Cæſaris Romam allatus fuiſſet. Hos ludos intelligit Sueton. Vide eundem Dionem initio lib. XLV.

In locum Trib. plebis.] Helvii Cinnæ, de quo ſup. Cæſ. LXXXV. Dion.

Candidatum petitorem.] Nemo dubitet, quin dictio *petitorem* ex margine irrepſerit. nam & libri MSS. alii alio eam loco ponunt.

Patricius necdum ſenator.] Innuere videtur Suetonius eum, qui ſenator non ſit, nec tribunum plebis fieri poſſe. Quod falſum exiſtimans Carolus Langius, duas illas dictiones *necdum Senator*, amovendas cenſuit. Et verum quidem eſt tribunos plebis olim ne geſto quidem magiſtratu, niſi a cenſoribus legerentur, illico ſenatores factos fuiſſe, (tantum abeſt, ut non niſi ex ſenatoribus crearentur. Quare CN. Trebellium Tr. pl. narrat Livius lib. XLV. cenſorum petitioni, quia lectus in ſenatum non fuerat, interceſſiſſe) ſed hoc ante Atinium plebiſcitum ſic obſervabatur. poſt enim eo ipſo quod tribunus quis erat, ſine ullo cenſorum beneficio pro ſenatore habebatur. Idque ſignificare videtur Gellius extremo lib. VIII. An vero poſtea id quoque cautum fuerit, ut alii quam ſenatores tribuni ne fierent, non facile dixerim. Sueton. ſane non hoc tantum loco id affirmat, verum etiam capite XL. ut ibi videbimus. Quam ob cauſam, an Langio aſſentiar, adhuc deliberandum video. Cujus etiamſi vera eſſet opinio, verba illa *necdum ſenator*, nihilominus poſſent retineri; ut necdum ſenatorem vocet Auguſtum, qui adhuc per ætatem ſenator eſſe, aut in ſenatu ſententiam dicere non poſſet, quod poſtea adhærens optimatibus inter cætera præmia ſuffragante Cicerone conſecutus eſt. Appian. certe lib. III. ætatem tantum ei obſtitiſſe tradit, quo minus tribunus fieret. De hoc vero ritu poſt Syllæ tempora non admittendi quemquam ad tribunatum plebis, qui ſenator ante non fuiſſet, plura Lipſius Elector. II. cap. XIII. ubi noſtræ hic animadverſionis non meminit.

CASAUBON.

Et quia præviſum periculum ſubterfugerant.] Non hoc dicit, Brutum & Caſſium veritos Octavium, urbe diſceſſiſſe: nam Romam ante deſeruerant metu Antonii. puto igitur Octavium per milites Cæſarianos inſidias ſtruxiſſe illorum vitæ, quo tempore Antii erant & per Italiam vagi errabant, ut ex epiſtolis Ciceronis apparet.

Legibus aggredi.] Lege Cornelia de ſicariis, aut Julia de vi publica, aut Julia majeſtatis.

Ludos autem victoriæ Cæſaris ipſe edidit.] Matio curante. ipſe Matius epiſtola ad Ciceronem: *At ludos, quos Cæſaris victoriæ Cæſar adoleſcens fecit, curavi. At id ad privatum officium, non ad ſtatum reipub. pertinebat.* Vir doctus refert ad Palilia, quibus celebrata ex S.C.to memoria Cæſarianæ victoriæ de Pompeji liberis in Hiſpania victis: ſed falli eum ex Ciceronis epiſtolis intelligimus. Dies Paliliorum fuit XI. Kal. Maj. Hos vero ludos adhuc parabat Matius XV. Kal. Jun. nec niſi aliquanto tempore poſt ſunt editi: ſed varios ludos in memoriam victoriarum fuiſſe celebratos docent Dionis aliquot loci, & Appianus quoque Ἐμφυλίων lib. II. *Decretum eſt*, inquit, θύειν τὴν πόλιν ἀνὰ ἔτος ἕκαςον, αἷς αὐτὸς ἡμέραις ἐν παρατάξεσιν ἐνίκα.

Non audentibus facere quibus obtigerat id munus.] Dio lib. XLV. de ludis Veneris Genitricis, quos edidit Octavius mortuo avunculo: Καὶ μετὰ τοῦτο τὴν πανήγυριν τὴν ἐπὶ τῇ τοῦ Ἀφροδισίου ἐκποιήσει καταδειχθεῖσαν, ἣν ὑποδεξάμενοί τινες ζῶντος ἔτι τοῦ Καίσαρος ἐπιτελέσειν, ἐν ὀλιγωρίᾳ, ὥσπερ που καὶ τὴν τῶν Παριλίων ἱπποδρομίαν, ἐποιοῦντο, αὐτὸς τοῖς οἰκείοις τέλεσι διέθηκε.

In locum Tribuni plebis forte demortui.] Sic & Appianus loquitur: τῶν δὲ δημάρχων τινὸς ἀποθανόντος, neuter videtur de Helvio Cinna intellexiſſe: nec poteſt, niſi fallor.

Candidatum ſe oſtendit.] Sic Pithæi cod. Liſlæi & quidam editi: Viterb. ac plerique alii *candidatum petitorum ſe oſtendit.* Legebam *candidatus petitorem ſe oſtendit.* Quod ait Suetonius *necdum ſenator*, de eo vide ad cap. XL.

VARIOR.

10. *Legibus aggredi.*] Heraldus I. de Auctorit. rer. jud. 10, recte hunc locum explicat. Cum enim abſentes, præſertim reip. cauſa, rei fieri jure recepto

ſule, quem vel præcipuum adjutorem ſperaverat: ac ne publicum quidem & tranſlatitium jus ulla in re ſibi ſine pactione graviſſimæ mercedis impertiente, ad optimates ſe contulit: quibus eum inviſum ſentiebat, maxime quod D. Brutum obſeſſum Mutinæ, provincia a Cæſare data, & per ſenatum confirmata, expellere armis niteretur. Hortantibus itaque nonnullis, percuſſores ei ſubornavit. Hac fraude deprehenſa, periculum invicem metuens, veteranos ſimul in ſuum ac Reip. auxilium, quanta potuit largitione, contraxit. Juſſuſque comparato exercitui pro prætore præeſſe, & cum Hirtio ac Panſa, qui conſulatum acceperant, D. Bruto opem ferre, demandatum bellum tertio menſe confecit duobus præliis. Priore, Antonius eum fugiſſe ſcribit: ac ſine paludamento, equoque poſt biduum demum apparuiſſe. ſequenti, ſatis conſtat non modo ducis ſed etiam militis functum

cepto non poterant, legem tulit Auguſtus, qua iſti juri derogaretur, liceretque in illos abſentes quæſtionibus agere. Nam jure communi indicta cauſa damnari abſentem, injurium alioqui videri debebat. GOESIUS.

Candidatum petitorem ſe oſtendit.] Egregie aſſeruit antiquam hujus loci lectionem, quæ in novis editionibus exoleverat, GRONOVIUS lib. II. Obſervat. cap. 24. Mutandum nihil eſt. nam candidatus, ut ipſum oſtendit ἔτυμον, non in ambitione tantum, ſed & in ſacris, in officiis, in diebus ſolennibus, cultiore toga indutus. Quum vero ſic appellatur, qui prenſat, vocabulum per ſe adjectivum & infinitum intelligi neceſſario vult τὸ *petitor*: etenim *candidatus* hac notione eſt petitor in toga candida: quod Suetonio placuit addere, ut aliis *Oceanum mare*, *Africam terram*, *biremem navem*, & *Gallos homines*. vide ibi plura.

TORRENT.

Conſulatum ſuſceperant.] Meliores codd. *acceperant.*

CASAUBON.

Ac ne publicum quidem & tranſlatitium jus.] *Jus tranſlatitium* Græcis ἐγκύκλιον δίκαιον: quaſi ordinarium, in quotidiano uſu poſitum. Demoſthenes in Ariſtogitonem oratione priore: ᾧ οὐδὲ τῶν ἴσων, οὐδὲ τῶν ἐγκυκλίων δικαίων μετουσίαν διδόασιν οἱ νόμοι.

Hortantibus itaque nonnullis, percuſſores ei ſubornavit.] Videtur Octavium velle excuſare, quum ait aliorum hortatu id ab eo factum. Cæterum de his inſidiis non eadem omnes tradunt. Vellejus plane factum negat II. 60. *Mox*, inquit, *Antonius, velut inſidiis ejus petitus, ſceleſte inſimulare cœpit: in quo turpiter deprehenſa ejus vanitas eſt.* Appianus vero etiam modum earum narrat ex verbis Antonii: corruptos nempe fuiſſe aliquos ex ipſius ſatellitibus. Cicero ad Cornif. lib. XII. ad Famil. *Rerum urbanarum acta tibi mitti, certo ſcio: quod ni ita putarem, ipſe perſcriberem: inprimiſque Cæſaris Octaviani conatum. de quo multitudini fictum ab Antonio crimen videtur, ut in pecuniam adoleſcentis impetum faceret. Prudentes autem & boni viri, & credunt factum & probant.* Seneca de Clementia I. 9. rem ponit ut certam: *Divus Auguſtus, quum hoc ætatis eſſet, quod tu nunc es, duodeviceſimum egreſſus annum, jam pugiones in ſinu amicorum abſconderat: jam inſidiis M. Antonii cos. latus petierat.* Quod ait Seneca, Octavium id ætatis jam pugiones in ſinu amicorum abſcondiſſe, vereor ne ſit παρὰ τὴν ἱστορίαν in gratiam Neronis σχεδιασθέν. nam id neque ullus e veteribus tradit: neque aut Cæſaris, in cujus poteſtate ille erat, aut ipſius Octavii moribus, quibus adhuc eſſet uſus, convenit.

Periculum invicem metuens.] Vellejus: *C. Cæſar juvenis quotidianis Antonii petebatur inſidiis.*

Cum Hirtio ac Panſa, qui conſulatum acceperant.] Iiſdem Kal. Jan. & inierunt iſti conſulatum, & SCtum eſt factum auctore Cicerone, quo hic honos Octaviano delatus. Vellejus vocat coss. *deſignatos*: incogitanter.

Sine paludamento.] Hoc erat ἥττης & turpis fugæ argumentum: nam in ſummo periculo aut fuga ſoliti duces paludamenta & omnia inſignia honoris ponere. Appian. lib. V. loquens de eodem Octavio in Sicilia periclitante de vita: Ἐπὶ δὲ τῇ παρακλήσει τὰ στρατηγικὰ σημεῖα ὡς ἐν κινδύνῳ μάλιστα ὢν ἀπέθετο. Idem alibi de Sexto Pompejo: Καὶ ὁ Πομπήϊος ἐν ὁδῷ περὶ τῆς μεταγνώμης τοῦ πεζοῦ πυθόμενος τὴν ἐσθῆτα ἤλλαξεν εἰς ἰδιώτην. & exempla plura apud Plutarchum & Dionem, libro XLIX. de Sexti Pompeji fuga loquens, τὴν σκευὴν, ait, τὴν στρατιωτικὴν ἀπεδύσατο. ubi ſuſpicari aliquis poſſit ſcribendum στρατηγικὴν, ſicut paullo poſt de eodem τὸ σχῆμα τὸ στρατηγικὸν ἀνέλαβε. Sed verius, nihil mutandum: nam etiam lib. LIII. duobus locis στρατιωτικὴ ἐσθὴς eſt paludamentum. Cæſar III. de Bello Civ. 96. *Pompejus jam, cum intra vallum noſtri verſarentur, equum nactus, detractis inſignibus Imperatoriis, decumana porta ſe ex caſtris ejecit.* Horatius de Antonio: *Terra marique victus hoſtis; punico Lugubre mutavit ſagum.*

Non modo ducis ſed etiam militis functum munere.] Ammian. Marcellinus lib. XXV. c. 13. *Corporis munus a milite, ab Imperatore vero animi poſcitur.* Onoſander: Στρατηγοῦ γνώμη πλέον ἰσχύει ῥώμης. ſed hæc ad Polyb.

ctum munere: atque in media dimicatione, aquilifero legionis ſuæ graviter ſaucio, aquilam humeris ſubiiſſe, diuque portaſſe. Hoc bello cum Hirtius in acie, Panſa paulo poſt 11
ex vulnere, periſſent, rumor increbuit, ambos opera ejus occiſos: ut Antonio fugato, Rep. conſulibus orbata, ſolus victores exercitus occuparet. Panſæ quidem adeo ſuſpecta mors fuit, ut Glyco medicus cuſtoditus ſit, quaſi venenum vulneri indidiſſet. Adjicit his Aquilius Niger, alterum e conſulibus, Hirtium, in pugnæ tumultu ab ipſo interemtum.
Sed ut cognovit, Antonium poſt fugam a M. Lepido receptum, cæteroſque duces, & exercitus, 12
con-

Torrent.

Legionis ſuæ.] Quare ſuæ, ſi toti exercitui præfuit? Aut igitur ſuam vocat, quam eo in prælio circa ſe habuit; aut appoſitum legionis nomen ſcriba non intelligens, textum corrupit. Et ſane legionem Martiam & Quartam deſerto Antonio ſecutas fuiſſe Octavium, auctor eſt in Philipp. Cicero, cujus ſuaſu ſenatus hoc bellum decrevit. Magis tamen placet, ut ſuam vocet, quam ante collegerat, quam ad eum Martia & Quarta transfugerent. Vide Appianum lib. III. Dion evocatorum legionem appellat lib. XLV.

11. *Panſaque poſt.*] Tres libri, *Panſaque paulo poſt.*

Glyco medicus.] De hoc Bruti ad Ciceronem epiſtola, lib. I.

Casaubon.

Aquilifero legionis ſuæ.] Quæ hæc Cæſaris propria legio? nam certum eſt, eum juſſum eſſe comparato a ſe exercitui præeſſe, qui tribus minimum legionibus conſtabat. An legendum *legionis* IV? nam ab ea ſcriptura proclivis in hanc declinatio. An potius *legionis unæ*, hoc eſt, *unius?* nam prius ſcriptum fuiſſe videtur, *legioniſve.* Id niſi ſit, Torrentio aſſentior.

Aquilam humeris ſubiiſſe, diuque portaſſe.] Quod ſane mirum: nam & ſigna militaria ſcimus fuiſſe tanti ponderis, ut iis portandis vix valentiſſimi humeri ſufficerent: & Octavius nec ætate ea tum fuit, nec lacertis illis, ut ſine maximo conatu par oneri eſſe poſſet, Herodianus lib. IV. cap. 7. in Caracalla ut arduum & rarum notat, quod ſuffecerit bajulandis interdum ſignis, dum per omnia militibus ſuis vult facere ſe æqualem. Verba ejus inſignia: Ἔστι δὲ ὅτε καὶ τὰ τῶν στρατοπέδων σύμβολα, ἐπιμήκη ὄντα καὶ χρυσοῖς ἀναθήμασι πολλοῖς κεκοσμημένα, μόλις ὑπὸ τῶν γενναιοτάτων στρατιωτῶν φερόμενα, ἐπὶ τοῖς ὤμοις ἔφερεν αὐτός. id eſt, *aliquando etiam ſigna militaria, quæ & prælonga ſunt, & multis donariis ornata, ut illa vix validiſſimi geſtent milites; ipſe humeris impoſita ferebat.* Auctor Hiſtoriæ miſcellæ lib. XI. c. 8. de Conſtantini labaro loquens: *Conſtituit itaque certos ſigniferos, qui in eo laborarent; quorum opus erat, ut vicibus humeris eum veherent, & omnes acies ita luſtrarent.*

11. *Rumor increbuit ambos opera ejus occiſos.*] Dio plane idem, & Tacitus lib. I. 10. vulgi ſermones de Auguſto commemorans: *Cæſis Hirtio & Panſa, ſive hoſtis illos, ſeu Panſam venenum vulneri affuſum, ſui milites Hirtium & machinator doli Cæſar abſtulerat.* Sed ſi vera ſunt, quæ de moriente Panſa apud Appianum legimus, difficile creditu eſt, cauſſam mortis ei attuliſſe Cæſarem. *Increbruit* autem cum gemino *r* in Memmiano & omnibus melioris notæ libris ſcribitur, non *increbuit*; quæ ſcribendi ratio apud pleroſque auctores obtinuit.

Solus victores exercitus occuparet.] Viterb. *ſolus victor ex. occ.* Memmianus & alii, *victores.*

12. *Cæteroſque duces & exercitus conſentire pro patribus.*] Nondum conſtitui, utra lectio vera ſit, *pro patribus*, ut reperi in omnibus membranis: an *pro partibus*, ut reperiſſe ajunt viri docti in quibuſdam MSS. & editum eſt a Roberto Stephano. Conſenſum pro patribus & rep. fuiſſe victo Antonio maximum, in tranſmarinis præſertim provinciis, referunt omnes hiſtorici. Velleji verba ſunt II. 62. *Protinus Pompejanis partibus rediit animus.* Et notat idem, temporibus illis Brutum & Caſſium decem & ſeptem legionum fuiſſe potentes. Ideo Antonium, Cæſarem *ſubinde admonuiſſe, quam inimicæ ipſi Pompejanæ partes forent, & in quod jam emerſiſſent faſtigium*, lib. II. 65. Similia his apud alios legas, quæ valent ad ſtabiliendam lectionem *pro patribus.* Cui favent in primis Appiani iſta lib. III. Τοσάδε πράξας ὁ Καῖσαρ, ἐπενόει τὰς ἐς τὸν Ἀντώνιον διαλύσεις πυνθανόμενος (adverte cauſſam hujus conſilii) ἤδη τοῖς ἀμφὶ τὸν Βροῦτον εἴκοσι συνῆχθαι τέλη στρατοῦ, καὶ χρῄζων ἐπ' αὐτὰ Ἀντωνίου. Rurſus ſi ad verba Suetonii diligenter attendimus, non poſſumus alteram lectionem damnare: prorſus enim videtur ad M. Antonium, Lepidum, Plancum & Silanum reſpicere, eoſque exercitus, qui in Gallia Ciſalpina tum erant. Nam & horum magnus fuit *pro partibus* conſenſus: quod Vellejus, Plutarchus, aliique narrant. Inde ille tam ſubita victi Antonii velut in integrum reſtitutio: habuit enim hic quoque eo tempore, de quo ſentit auctor, legiones ſeptemdecim, ut Plutarchus ſcribit. Quare ſcribi malim *pro partibus:* præſertim quum alterum illud *pro patribus*, ἀντὶ τοῦ pro repub. ſive pro optimatibus, quæ erant partes Pompejanæ, ſit inſolentius.

Tor-

conſentire pro partibus, cauſſam optimatium ſine cunctatione deſeruit, ad prætextum mutatæ voluntatis dicta factaque quorundam calumniatus: quaſi alii ſe puerum, alii ornandum tollendumque jactaſſent: ne aut ſibi, aut veteranis par gratia referretur. Et quo magis pœnitentiam prioris ſectæ approbaret, Nurſinos grandi pecunia, & quam pendere nequirent, multatos, extorres egit oppido: quod Mutinenſi acie interemtorum civium tumulo pu-
13 blice exſtructo adſcripſerant: *Pro libertate eos occubuiſſe.* Inita cum Antonio & Lepido ſocietate, Philippenſe quoque bellum, quamquam invalidus atque æger, duplici prælio tranſegit: quorum priore caſtris exutus, vix ad Antonii cornu fuga evaſerat. Nec ſucceſſu victoriæ moderatus eſt: ſed capite Bruti Romam miſſo, ut ſtatuæ Cæſaris ſubmitteretur,

TORRENT.

12. *Conſentire pro patribus.*] Liber unus *pro partibus.* quam lectionem etiam Beroaldus agnoſcit. Pithœus tamen *pro patribus* retinet, atque optimates intelligit. Ego non invitus utrumque rejecerim, ſed *partibus* tamen magis placet. ſic enim inf. cap. XVI. in fine, & ſæpe ita loquitur Seneca.

Ornandum tollendumque.] De hoc ad Ciceronem D. Brutus lib. Famil. XI. epiſt. XX. ex qua conſtat id dictum Ciceronis fuiſſe.

Ne aut ſibi.] Sic quidem omnes libri. ſed *neque* pro *ne* legendum arbitror. Vide, quam modo dixi, Bruti epiſtolam.

13. *Capite Bruti Romam miſſo.*] Dion ſcribit, oborta in trajiciendo tempeſtate in mare abjectum periiſſe.

CASAUBON.

Quaſi alii ſe puerum.] Dio de Octavio: Ἐκεῖνος δὲ ἐπί τε τοῖς ἄλλοις, καὶ ἐπ' αὐτῷ, ὅτι παῖς ἤκȣε, δεινῶς ἀγανακτῶν ȣ̓κ ἀναϐολὰς ἐποιήσατο. Ita autem vulgo tum Romæ appellitabatur. Atticus ſcribens Ciceroni: *in præſentia belle iſte puer retundit Antonium.* Sed & decreto ſenatus cautum legimus, vere an falſo, ne quis Octavium vocaret puerum. Servius: HIC ILLUM VIDI JUVENEM. *Cæſarem dicit Octavium Auguſtum: decreverat enim ſenatus, ne quis eum puerum diceret, ne majeſtas tanti imperii minueretur.*

Alii ornandum tollendumque jactaſſent.] Viterb. *ordinandum.* perperam. Vellejus II. 62. *Hoc eſt illud tempus, quo Cicero, inſito amore Pompejanarum partium, Cæſarem laudandum & tollendum cenſebat, cum aliud diceret, aliud intelligi vellet.* Porro jocum hunc Ciceronis Octavius mox Romam reverſus ad rapiendum magis quam petendum conſulatum, non invenuſte ἀντεμυκτήρισε. Venienti enim ad ſe Ciceroni, ſuaque in illum officia venditanti, reſpondit non aliter quam, Ὅτι τῶν φίλων αὐτῷ τελευταῖος ἐντυγχάνοι, ait Appianus: hoc eſt, *quod amicorum noviſſimus eum ſalutaret.* ſententia acuta & ancipiti.

Nurſinos grandi pecunia.] Dioni lib. XLVIII. in hac hiſtoria, cum in aliis, parum convenit cum Suetonio, tum in temporis notatione magna diſcordia: vult enim bello Peruſino illud accidiſſe: cui labor, ut potius habendam fidem ſentiam. Cæterum, utut habeat de tempore, non eſt dubium, prætextum illum fuiſſe quem ait Tranquillus, non veram cauſſam: quæ non alia fuit quam pecuniæ ad militibus largiendum inopia: quæ res Octavium ſæpe ad magnas crudelitates, non προηγȣμένως, ſed ἐξ ἀνάγκης impulit.

Extorres oppido egit.] Dio: Ὥςε καὶ τὴν χώραν, καὶ τὴν πόλιν ἅμα πᾶσαν ἐκλιπεῖν. Mira ſævitia: ſed cujus exempla in hiſtoria Romana multa.

13. *Nec ſucceſſum victoriæ moderatus eſt.*] Viterb. *ſucceſſu.* non male.

Ut ſtatuæ Cæſaris ſubjiceretur.] Sic factum in Trebonio occiſo a Dolabella. Dio: Καὶ ἐκεῖνος ἀποκτείνας τὴν κεφαλὴν αὐτȣ̃ πρὸς τὴν τȣ̃ Καίσαρος εἰκόνα ἔῤῥιψε. *Subjiceretur* ſcripſimus, ut in cod. Viterb. Cujacii & aliis melioris notæ: non ut vulgo *ſubmitteretur.* Dio, ἔῤῥιψε.

VARIOR.

12. *Pro patribus.*] Al. pro *partibus.* an ſcrib. *in partibus.* id eſt, in eaſdem partes conſentire V. C. vett. & edd. GUJET.

Ne aut ſibi.] Omnes quidem libri *ne aut ſibi:* ſed & Torrentius, & Gruterus, & illis nec viſis Freinshemius, *neque* legendum cenſuerunt. BERNECCER.

13. *Ut ſtatuæ Cæſaris ſubjiceretur.*] Utrumque in re ſimili Dio ἔῤῥιψε. multo tamen ſuavius ad aures accidit meas, quod ſuſtulit Caſaubonus, *ſubmitteretur,* eadem ſententia. Neque enim aliter *ſubmitti faſces* dicuntur; & *ſubmitti genibus,* qui ſe abjiciunt ad pedes alicujus. Ovidius 3. Met. *Latus ſubmiſit in herbas.* Sic viciſſim *equum dejicere* pro demittere Livio lib. XXIII. reſtituimus, & apud Juſtinum, Alexander *in præfrigidam undam Cydni ſe projecit.* lib. II. hoc eſt, ſaltu immiſit. GRONOVIUS.

retur, in ſplendidiſſimum quemque captivum non ſine verborum contumelia ſæviit. Ut quidem uni ſuppliciter ſepulturam precanti reſpondiſſe dicatur: *Jam iſtam volucrum fore poteſta-*

TORRENT.

Sævit.] Lib. unus *ſæviit.* Sed Romani, qui neque conſonantes, neque vocales temere geminabant, ſic fere ſcribebant, ut *abit*, *perit*, *ſubit*, verum I majuſcula, ut ſæpe in antiquis marmoribus, & paſſim in Pandectis Florentinis cernitur.

In volucrum poteſtatem fore.] Tres libri, *in volucrum fore poteſtatem.* Sic Cic. pro Lege Manilia: *Cum veſtros portus, & quidem eos portus, quibus vitam & ſpiritum ducitis, in prædonum fuiſſe poteſtatem ſciatis.* Terent. Andria, *in ignem poſita eſt.* Seneca de Ira lib. I. *cum ſe in poſſeſſionem poſuerunt.* Non recte igitur Turneb. *jam iſtam volucrum poteſtatem fore*, Adverſar. XXIV. cap. XV.

CASAUBON.

In ſplendidiſſimum quemque captivum, non ſine verborum contumelia ſæviit.] Invenimus in uno codice *extinxit.* in ea editione Lugdun. quam ex multis, ut ait, MSS. emendavit Ant. Francinus, ſcriptum eſt *ſecuit*, ſine *in* ante *ſplendidiſſ.* quæ lectio mire ſævitiam Octavii intendit. *ſecuit* enim, vel ad flagellationem ante ſupplicium (qui mos in ſervis receptus olim) referendum: ut apud Horat. de Mena:

Sectus flagellis hic triumviralibus.

vel ad quodvis aliud ſævæ excarnificationis genus: ſic τέμνειν apud Græcos. Arrianus Diſſertationum Epicteti lib. III. cap. XXI. Οὐδὲ γὰρ ἐν οἰκίᾳ καλῶς οἰκουμένῃ παρελθών τις αὐτὸς ἑαυτῷ λέγει, Ἐμὲ δεῖ οἰκονόμον εἶναι· εἰ δὲ μή, ἐπιστραφεὶς ὁ κύριος καὶ ἰδὼν αὐτὸν σοβαρῶς διατασσόμενον, ἑλκύσας ἔτεμεν. Qui locus valde huic ſimilis eſt Matth. XXIV. 50. Ἥξει ὁ κύριος τοῦ δούλου ἐκείνου ἐν ἡμέρᾳ ᾗ οὐ προσδοκᾷ, καὶ ἐν ὥρᾳ ᾗ οὐ γινώσκει, καὶ διχοτομήσει αὐτόν. Sic etiam Latini *ſcindere* verbum uſurpant. Martialis:

Mavis, Rufe, coquum ſcindere quam leporem.

Et revera ſectio uſurpata olim in ſuppliciis, præſertim ſervorum. Princeps poëtarum vocat διαμελεϊστὶ τάμνειν, Ὀδυσσ. σ. Tale eſt Melanthii ſupplicium Ὀδυσσ. χ.

Ἐκ δὲ Μελάνθιον ἦγον ἀνὰ πρόθυρόν τε καὶ αὐλήν.
Τοῦ δ' ἄπο μὲν ῥῖνάς τε καὶ οὔατα νηλέϊ χαλκῷ
Τάμνον μήδεά τ' ἐξέρυσαν κυσὶν ὠμὰ δάσασθαι.

Nota etiam illa e XII. tabulis de confeſſi æris judicatis nec ſolventibus, TERTIIS NUNDINIS PARTEIS SECANTO, apud Aul. Gellium, Quintilianum & Tertullianum. Quæ ſævitia quia multis mira videtur, exemplis confirmanda eſt. Lyſias in Orat. pro Callia ſacrilegii reo: Μετὰ δὲ ταῦτα ἔπλευσεν ὡς τῶν Κιτιέων βασιλέα, καὶ προδοθεὶς, ληφθεὶς ὑπ' αὐτοῦ ἐδέθη· καὶ οὐ μόνον τὸν θάνατον ἐφοβεῖτο, ἀλλὰ καὶ καθ' ἡμέραν αἰκίσματα, οἰόμενος τὰ ἀκρωτήρια ζῶντος ἀποτμηθήσεσθαι. Sic Bæbius Syllæ juſſu in fruſta laceratur: ut eſt apud Florum & Lucanum. item alius ſenator juſſu Caligulæ, de quo Tranquillus libro quarto. Athenæus lib. XII. Ὁ δὲ βασιλεὺς οὗτός ποτε καὶ ζηλοτυπήσας τὴν αὐτοῦ γυναῖκα ταῖς αὐτοῦ χερσὶν ἀνέτεμε τὸν ἄνθρωπον, ἀπὸ τῶν αἰδοίων ἀρξάμενος. Euſebius lib. X. Hiſtor. Eccleſiaſt. Ἤδη δέ τινες καινοτέραν ὑπέμενον τελευτὴν, ξίφει τὸ σῶμα εἰς πολλὰ τμήματα κατακρεουργούμενοι. Etiam apud Socratem lib. VII. Hypatia illa doctiſſima, μεληδὸν διασπᾶται a furente populo Alexandrino. Vide etiam I. Samuelis cap. XV. In Martyrologiis reperies non paucos, qui poſt alios cruciatus tandem *minutatim ſunt conciſi.*

Verborum contumelia.] Alii codices *verberum*, hoc eſt, αἰκίᾳ.

Jam iſtam in volucrum fore poteſtatem.] Non auſi ſumus mutare, cum ita ſcriptum ſit in Viterb. & aliis optimis codd. Tranſlatitium eſt *in poteſtatem* pro in poteſtate; & id genus multa apud omnes veteres. Probo tamen magis alteram lectionem, *jam iſtam volucrum fore poteſtatem.* atque ita in Memmiano invenimus.

VARIOR.

Sæviit.] Alii *ſecuit*, quæ lectio & in Palatino reperitur, omiſſo τὸ *in*, ut in editione Lugdunenſi. Verum ob duplicem rationem ea lectio damnanda videtur, primo quod inſolens ſit, imo penitus inuſitata verbi *ſecuit* abſolute ſic poſiti notio: nec adducta a Caſaubono exempla quicquam juvent, eo quod in illis per adjuncta explicetur, nunquam nude proponatur. Deinde quod tam inſigne crudelitatis exemplum auctores alii, cum de Auguſto leviora perſequerentur, omiſſuri non fuerint. Prior itaque lectio retinenda, quæ non tamen hoc vult, quaſi ſævitia illa in verbis contumelioſis conſtiterit, eaque præcipua miſeriarum pars fuerit, ut placet Grutero: ſed quod factorum ſævitiam verborum contumelia ſit comitata. Quomodo de Caligula noſter XXIX. I. *Immaniſſima facta augebat atrocitate verborum.* BERNECC.

Jam iſtam in volucrum fore poteſtatem.] Facile fero alibi, *eſſe in poteſtatem.* quis nunc id ignorat? Hic autem ſubſcribo Turnebo legenti: *jam iſtam volucrum fore poteſtatem.* Sic enim loquebantur: *iſta poteſtas ejus eſt*, cum ſignificarent, id in poteſtate ejus eſt. Cicero in Vatinium: *An erit hæc optio & poteſtas tua?* Ad Atticum IV. 2. *Volui meam poteſtatem eſſe vel petendi vel exeundi.* Pro Cluentio: *Cum ſententias, quæ tum erat poteſtas, palam ferri velle dixiſſet.* id eſt, quod tum erat in poteſtate rei. GRONOVIUS.

TOR-

poteſtatem : alios, patrem & filium, pro vita rogantes, ſortiri vel micare juſſiſſe, ut alterutri concederetur : ac ſpectaſſe utrumque morientem, cum patre, quia ſe obtulerat, occiſo, filius quoque voluntariam occubuiſſet necem. Quare cæteri, & in his M. Favonius

TORRENT.

Sortiri vel dimicare.] Libri tres, *vel micare.* Similis Ciceronis locus lib. III. de Offic. *Sed, quaſi ſorte, aut micando victus, alteri cedat alter.* ſic enim Car. Langius, cum ante *dimicando* legeretur. Hinc illud : *Dignus, qui cum vel in tenebris mices.* Appian. Egnatios vocat patrem ac filium, & mutuis cecidiſſe vulneribus ſcribit. Dio initio lib. LI. ſimile quid de duobus Aquiliis Floris, patre ac filio, narrat, ſed poſt devictum Actiaca pugna Antonium.

Voluntaria occubuiſſet nece.] Melius tres MSS. *voluntariam occub. necem.*

Cæteri, & in his.] Lib. opt. *cæteri, in his M. Favon.* ſine *et.*

CASAUBON.

Sortiri vel dimicare juſſiſſe, ut alterutri concederetur.] Viterb. & vetus Romana ac plerique alii codices ita ſcribunt : nec diſplicet. Captivos ita tractare mos fuit, præſertim Pœnorum. Valerius Max. lib. IX. de Annibale : *Quos vero in caſtra perduxerat, paria fere fratrum & proquinquorum jungens, ferro decernere cogebat.* Appianus de eodem : Ὅσοι δὲ ἦσαν ἀπὸ τῆς βυλῆς, ἢ ἄλλων ἐπιφανεῖς, μονομαχεῖν αὐτὺς ὑπὸ θεαταῖς τοῖς Λίβυσιν ἠνάγκαζε, πατέρας τε υἱοῖς καὶ ἀδελφὺς ἀδελφοῖς. & alibi Idem. itemque Livius lib. XXI. At Pithæi, Liſlæi, aliique, ut pridem Turnebo obſervatum eſt, habent *ſortiri vel micare.* Ea ſi placet lectio, notemus loquendi genus : ſic enim loquitur, quaſi diverſa eſſent *ſortiri* vel *micare* : quum non aliter differant quam ut genus & ſpecies. Gloſſarium : *Micare*, λαγχάνειν. Sortitionis varii erant modi : micare, de ea dicitur, quæ fit per digitos ſubito expanſos ſub certo numero. Nonnus lib. XXXIII. hunc morem eleganter exprimit, deſcribens certamen inter Cupidinem & Hymenæum, quos inducit miro jaculationis genere brabeuta Ganymede certare :

——Φιλακερήτων δὲ βολαίων
Λαχμὸς ἔην μετέπων ἑτερότροπα δάκτυλα χειρῶν.
Καὶ τὰ μὲν ὀρθώσαντες ἀνέσχεθον, ἄλλα δὲ καρπῷ
Χειρὸς ἐπεσφήκωτο συνήορα σύζυγι δεσμῷ.

Hinc dictum eſt *dimicare*, quod proprie eſt ſorte ac micatione finem imponere controverſiæ. deinde accipi cœpit pro tollere controverſiam quoquo modo : ſed quia ferro id ſæpe fit, propterea pro pugnare ponitur, prorſus ut κρίνειν & *cernere.* Græci magiſtri πυκτεύειν vertunt eleganter : nam proprie dicitur de ea pugna, quæ ex rixa inter duos eſt orta. Fuit autem frequens apud veteres micationis uſus in controverſiis : nam etiam in contractibus faciendis, ſi de pretio aliave qua re non conveniret, micatione controverſiam tollebant. ſic res in foro, ſic carnes de lanio emebantur. Quod tamen poſtea jure mutatum eſt, cautumque, ut ſub exagio, hoc eſt, πρὸς σταθμὸν, non micatione carnes emerentur. Cujus inſtituti auctorem facit Vetus inſcriptio omnibus nota, Apronianum præfectum Urbi. Ejus initium eſt :

EX AUCTORITATE TURCI APRONIANI
V. C. PRÆFECTI URBIS.
RATIO DOCUIT UTILITATE SUADENTE CONSUETUDINE MICANDI SUMMOTA SUB EXAGIO POTIUS PECORA VENDERE QUAM DIGITIS CONLUDENTIBUS TRADERE.

Varro de Parmenone : *Micandum erit cum Græco, utrum illius numerum, an ille meum ſequatur.* Alludit Varro non ad luſionem, ut volunt : ſed ad illam, quam notavimus, conſuetudinem tranſigendi de pretio in emptione, & id genus aliis, per micationem. Atque hinc potius ortum putem proverbium : *Dignus, qui cum vel in tenebris mices*, quam ex luſu, quem ajunt quidam Græcis fuiſſe familiarem, & ab iis ἐπάλλαξιν τῶν δακτύλων appellatum. ſomnia mera.

Cum patre, qui ſe obtulerat, occiſo.] Exſtat hæc hiſtoria apud Dionem, initio lib. LI. ubi cætera eadem reperias, duo diverſa a narratione Suetoniana. Alterum, quod accidiſſe hoc ait poſt Actiacam victoriam : in quo ſolennis diſſenſio eſt παρὰ τὺς χρόνυς, qualem ſupra notabamus in hiſtoria de Nurſinis. Alterum eſt, quod dicere videtur, filium ſe prius obtuliſſe neci : nam Suetonius, patrem. Quamquam poſſimus locum Dionis aliter accipere : non enim novum, ut τῦτο ad id quod remotius eſt referatur, & accipiatur ſimpliciter τῦτο & ἐκεῖνος pro ὁ μὲν, ὁ δὲ. Floros autem nominat ille. Scio clariſſ. Torrentium aliter hunc locum exponere, & ad Egnatios referre; quos Appianus ait, ſimiliter patrem & filium, occiſos. Sed qui utriuſque Græci ſcriptoris narrationem cum Suetonii verbis contulerit, non dubito eum mihi aſſenſurum : ut taceam Egnatios non bello, ſed proſcriptione periiſſe.

Voluntaria occubuiſſet nece.] Memmianus, Liſlæi & Pithæi codd. *voluntariam occubuit necem.* melius. tamen Viterb. aliter, aliique.

M. Favonius.] Græcis Φαώνιος dicitur : ſcribitur tamen apud quoſdam Βαφώνιος, ſed, ut puto, mendoſe : nam in multis dictionibus ſcriptura Græcorum, præter Æoles, diſſimulat Æolicum digamma. quod Latini exprimunt : Δαὸς, *Davus.* ᾤον, *ovum.* αἰὼν *ævum.* λεῖον, *leve.* λαιὸν, *lævum.* ὄϊς, *ovis*, & hoc

nius, ille Catonis æmulus, cum catenati producerentur, imperatore Antonio honorifice
ſalutato, hunc fœdiſſimo convicio coram proſciderunt. Partitis poſt victoriam officiis,
cum Antonius Orientem ordinandum, ipſe veteranos in Italiam reducendos, & munici-
palibus agris collocandos recepiſſet: neque veteranorum neque poſſeſſorum gratiam tenuit:
alteris, pelli ſe; alteris, non pro ſpe meritorum tractari querentibus. Quo tempore 14
L. Antonium, fiducia conſulatus, quem gerebat, ac fraternæ potentiæ, res novas molien-
tem, confugere Peruſiam coegit, & ad deditionem fame compulit: non tamen ſine
magnis ſuis & ante bellum & in bello diſcriminibus. Nam cum ſpectaculo ludorum grega-
rium militem in XIV ordinibus ſedentem excitari per apparitorem juſſiſſet, rumore ab ob-
trectatoribus dilato, quaſi eundem mox & diſcruciatum necaſſet: minimum afuit quin
periret, concurſu & indignatione turbæ militaris. Saluti fuit, quod qui deſiderabatur,
repente comparuit incolumis, ac ſine injuria. Circa Peruſinum autem murum ſacrificans,
pæne interceptus eſt a manu gladiatorum, quæ oppido eruperat. Peruſia capta, in 15
plurimos animadvertit: orare veniam, vel excuſare ſe conantibus una voce occurrens,
Moriendum eſſe. Scribunt quidam, trecentos ex dedititiis electos, utriuſque ordinis,
ad aram divo Julio exſtructam, Idibus Martiis hoſtiarum more mactatos. Exſtiterunt
qui

hoc genus ſexcenta. In quibuſdam aliter. diſceſſerunt enim ab Æolibus, & alios Græcos ſunt imitati, út *aër*, ἀὴρ. at Æoles αὐὴρ, & eos ſecuti Syri אויר, *aver*; etſi אאר, *air*, quoque ab illis dici ſcribique non neſcio. Quare falluntur docti, qui in libris Latinis reſcribendum *Faonius* contendunt. Lapis, quem profert Urſinus, ubi FAONIUS ſcriptum eſt, tanti non eſt: fabrili enim peccato id admiſſum, ut alia μύρια ὅσα.

VARIOR.

Qui ſe.] Pro *qui ſe obtulerat* Palatini, teſte Grutero, habent *quia ſe obt.* rectius opinor. BERNECC.

TORRENT.

Gratiam tenuit.] Sic *tenere cauſam* Domit. cap. IX. Horat. epiſt. ad Quinctium:

Quo reſponſore & quo cauſa teſte tenentur.

Ipſe Cic. pro Cæcina: *Cauſſam non tenuiſſe.*

14. *In* XIV. *ordinib. ſed. excitari.*] Mallem abeſſe dictionem *ordinibus*, ut Cæſ. cap. XXXIX. *ſeſſum in* XIV. *e ſcena. Excitandi* quoque verbo proprie uſus eſt de his, qui loco moventur. Quinctilian. lib. III. *ſi excitatus fuerit de ſpectaculis.* Martial:

Et quereris, ſi te ſuſcitat Oceanus.

Adde Epigr. VIII. & XIV. lib. V.

Quæ oppido eruperat.] Liber opt. *qui oppidum eruperant.* recte.

15. *Trecentos.*] Libri duo, *ducentos.* Dion, CCCC.

Aram Divo Julio.] Aram hanc Peruſinam, ni fallor, appellat Seneca lib. I. de Clementia cap. XI. Vide Dionem lib. XLVIII.

CASAUBON.

Neque veteranorum neque poſſeſſorum gratiam tenuit.] Vetus Lindenb. *neque v. neque privorum g. t.* id eſt, ſingulorum, qui per Italiam agris ſuis deturbabantur. non placet.

Quo tempore L. Antonius.] Bellum Peruſinum ſub exitum anni DCCXIII. conflatum, ineunte anno ſequenti eſt confectum. nam in obſidionis tempus inciderunt kalendæ anni DCCXIV. ut Appianus narrat. Quem in eo manifeſtum eſt falli, quod bellum hoc accidiſſe putavit vergente jam ad finem prioris triumviratus quinquennio. ſecundo enim anno tantum incepit.

14. *Res novas molientem.*] Videtur auctorem belli Peruſini facere L. Antonium: cum conſtet, non tam belli cauſſam eum præbuiſſe, quam Fulviæ præbenti ſecundas egiſſe. Florus: *Semper alias L. Antonii peſſimum ingenium Fulvia, gladio cincta virilis militiæ uxor agitabat.* Ubi ſcripſerim: *uxor Antonii agitabat*: & *piiſſimum*, non *peſſimum.* hic enim eſt L. Antonius, qui cognomen meruit PIETAS, propter inſignem pietatem, ut Dio ait, in fratrem: ut ego putabam, in rempub. quam ille omni ope anniſus eſt vindicare in priſtinam libertatem. Apparet hic ejus animus ex hiſtoria eorum temporum, præſertim Appiani. Sane Auguſtus ipſe epigrammatio illo molliſſimo, quod ſuorum uni includit Martialis lib. X. Fulviæ uni belli hujus cauſſam tribuit.

Saluti fuit.] Confer cum narratione Appiani.

15. *Trecentos ex dedititiis electos.*] Priſca editio Rom. centum demit & ſcribit *ducentos.* Dio totidem adjicit: Ἐπὶ τὸν τῷ Καίσαρι τῷ προτέρῳ ὡσιωμένον ἀχθέντες ἱππεῖς τετρακόσιοι, καὶ βουλευταί.

Ad aram D. Julio extructam, hoſtiarum more mactatos.] Mos notus ex Tertulliano de Spectaculis, & Servio ad illum verſum:

Viventes rapit inferias, quos immolet umbris.

Trogi Breviator lib. XI. 2. de Alexandro: *Prima illi cura paternarum exequiarum fuit: in quibus ante*

qui traderent, compecto eum ad arma iſſe, ut occulti adverſarii, & quos metus magis quam voluntas contineret, facultate L. Antonii ducis præbita, detegerentur: devi-
16 ctiſque his, & confiſcatis, promiſſa veteranis præmia perſolverentur. Bellum Siculum inchoavit in primis, ſed diu traxit, intermiſſum ſæpius: modo reparandarum claſſium

ante omnia cædis conſcios ad tumulum patris occidi juſſit. Tacitus de clade Vari, in primo Annal. c. 61. *Adjacebant lucis propinquis barbaræ aræ, apud quas tribunos ac primorum ordinum centuriones mactaverant.* Sic Spartacus fugitivus Crixo occiſo trecentos e captivis Romanis immolat: auctor Appianus I. Ἐμφυλ. Sic Sylla C. Marium occidit, *pertractum per ora vulgi ad ſepulchrum Lutatiæ gentis*, ait Valerius IX. 2. I. Idem factitatum a Carthaginenſibus: Polybius lib. extremo. Quod ait, *hoſtiarum more*, non temere adjectum. Seneca de Clementia I. 9. *Ergo non dabit pœnas, qui tot civilibus bellis fruſtra petitum caput non occidere conſtituit, ſed immolare?* Valerius Max: *Damaſippi juſſu principum civitatis capita hoſtiarum capitibus permiſta ſunt.* Alibi de Q. Pompejo cos. *Ambitioſi ducis illecebris corrupti milites, ſacrificare incipientem adorti, in modum victimæ mactaverunt.* Livius lib. VII. 5. *Nec in acie tantum ibi cladis acceptum, quam quod* CCCVII. *milites Romanos captos Tarquinienſes immolarunt: qua fœditate ſupplicii aliquanto ignominia populi Romani inſignior fuit.* Idem libro XXV. *pecorum modo inulti trucidantur.* Sic apud Philonem contra Flaccum, ἱερείου τρόπον κρεουργηθῆναι. Cur tantæ ignominiæ hoc mortis genus haberetur, modus efficiebat, quem aperit paucis verbis Florus lib. II. cap. V. *Legatos quippe noſtros, ob ea quæ deliquerant jure agentes, nec gladio quidem, ſed ut victimas ſecuri percuſſit.* Olim ſecuri tantum ſontes puniebantur, poſtea etiam gladio: hoc ſupplicium illo lenius & honeſtius viſum. ideo in militem animadverſum a Caracalla, qui Papinianum ſecuri occidiſſet, juſſus gladio. Victimis autem comparantur ſecuri percuſſi, quia & illæ ſeceſpita, & hi ſecuri, humi ſtrati feriebantur. Appianus: Ὁ δὲ Σκιπίων τοὺς ἐις τὸ μέσον παραχθέντας ἀικισάμενος καὶ μᾶλλον ἀυτῶν τοὺς ἐκβοήσαντας ἐκέλευσε τοὺς ἀυχένας ἁπάντων ἐς τὸ ἔδαφος πατλάλοις προσδεθέντας ἀποτμηθῆναι.

TORRENT.

Conſulto eum ad arma.] Mire variant codices, *ex propoſito*, *e conſpectu*, *conſpecto*, *ex conſulto.* Turneb. *conſpecto* defendit, ego vulgatam lectionem ſervo. Lipſius Elector. I. cap. XII. *compecto*, (ut veteres loquebantur) vel, quod nunc uſitatius eſt, *compacto eos ad arma iſſe* reſtituit, ut *compacto rem agere*, & *de compacto rem geri* Plautus dixit. Quæ lectio placeret magis, ſi conſtaret, quinam alii hoc cum Auguſto egerint. Non certe L. Antonius, qui fiducia conſulatus ſui, & fraternæ potentiæ res novas moliebatur, ut vidimus cap. præcedenti. Et res altiſſimi erat ſilentii, nec de alio quam de Auguſto hic loquitur Sueton.

CASAUBON.

Conſpecto eum ad arma iſſe.] Miram & nos varietatem hoc loco offendimus. Viterb. *conſpicato.* Liſlæi, *conſpecto.* Vetus Romana, *eum ad arma iſſe ex propoſito.* in aliis, *conſulto.* puto rectum eſſe, *conſpecto.* nam ita quoque Cujacii libb. & Memmianus codex. At *compecto*, quod Lipſio placet, non poſſum probare. eſt enim ἐκ συνθήματος, quod huic loco non convenit.

16. *Sed diu traxit, intermiſſum ſæpius.*] Annos ſeptem circiter. liquet ex ſequenti deſcriptione, quam ad Suetonii & hiſtoriæ lucem viſum pro bono ſubjicere.

A. U. C. DCCX. Occiſo Cæſare incipit Sext. Pompejus in Hiſpania tum latitans emergere: Aſinium Pollionem prælio fundit: cum Lepido paciſcitur de relinquendis Hiſpaniis, ſi bona paterna recipiat: probat ſenatus & cos. Antonius.

A. U. C. DCCXI. Bellum Mutinenſe: Sextus Pompejus ex Hiſpania revertitur: a ſenatu in bona paterna reſtitutus, maritimæ oræ præficitur: lege Pedia inter conſpiratos damnatur: partem Siciliæ occupat: proſcriptos & fugitivos ſuſcipit: magnum modum legionum efficit.

A. U. C. DCCXII. Sex. Pompejus totam Siciliam in ſuam poteſtatem redigit: Octavius in Macedoniam cum claſſe tendens per ſe & Salvidienum Rufum eum aggreditur, ac ſaltem oram Italiæ ab eo defendit. Belli Siculi hæc initia.

A. U. C. DCCXIII. Pompejus occupatis bello Philippenſi Octavio & Antonio, maria infeſtare, & omnes Italiæ oras vexare non ceſſat.

A. U. C. DCCXIV. Octavius expeditionem in Gallias deſtinans, pace fruſtra tentata cum Pompejo per Mutiam ipſius matrem, M. Vipſanium Agrippam bello Siculo præficit. Pompejus Italiam incurſionibus vaſtat: Urbem fame premit. Hoc anno fœdus iteratum inter III-viros Octavium & Antonium, qui in Italiam ex Aſia venit, & cum collega ſocietatem belli contra Pompejum iniit.

A. U. C. DCCXV. Colloquium & fœdus ad Miſenum promontorium inter Octavium, Antonium & Pompejum. Sicilia & Achaja Pompejo in pacis fœdere conceduntur: ejus filia M. Marcello Octaviæ F. deſpondetur.

A. U. C. DCCXVI. Menas a Pompejo ad Cæſarem transfugit: bellum Siculum ſerio recrudeſcit: Antonius accitu Cæſaris Brundiſium uſque venit: inde

R ſtatim

ſium cauſſa, quas tempeſtatibus duplici naufragio, & quidem per æſtatem, amiſerat: modo pace facta, flagitante populo, ob interclusos commeatus, famemque ingraveſcentem: donec navibus ex integro fabricatis, ad xx ſervorum milibus manumiſſis, & ad remum datis, portum Julium apud Bajas, immiſſo in Lucrinum & Avernum lacum mari, effecit. In quo cum hieme tota copias exercuiſſet, Pompejum inter Mylas

ſtatim ſolvit, revertitque in Græciam, prodigiis territus. Pompeji claſſis Cumas in Italia occupat, aliaque in ea ora, ducibus Menecrate & Apollophane. Octavius cum Sabino & claſſe ſua Rhegium venit: præliis navalibus inter eos varie pugnatum. Cæſari claſſis pars maxima, qua vi hoſtium, qua tempeſtatibus, & quidem æſtate, perit. Res Pompeji Menecratis ducis jactura valde labefactatæ.

A. U. C. DCCXVII. Superioris anni finis, & hic totus, a Cæſare impenduntur in paranda claſſe & exercendis copiis: eique negotio præficitur M. Vipſanius Agrippa.

A. U. C. DCCXVIII. Menas redit ad Pompejum, eum denique mox iterum deſerit. hoc anno Cæſar adjutus Lepidi copiis, terra marique in Sicilia & ad Siciliam Pompejum oppugnat, tandemque expugnat, & in fugam ſe dare compellit. Dio, Appianus, cæteri.

Modo reparandarum claſſium cauſſa.] Refer ad annum DCCXVI. & ſequentem.

VARIOR.

15. *Conſpecto.*] Recte Lipſius *compecto*. Sic apud Liv. v. 11. *Compecto eum ad arma iſſe.* ubi quoque in Sigonianis, & duobus Voſſianis legitur *conſpecto*, ſicut in aliis *conſulto*, ut notavit Gronovius, qui ſubjicit: Hinc diſcis, quid ſentiendum ſit de Suetonii loco in Octavio c. 15. *conſpecto eum ad arma iſſe.* Ubi Lipſius *compecto*. Id Caſaubonus non probat. eſſe enim ἐκ συνθήματος, quod huic loco non conveniat. At convenit, ὦ τᾶν, & ita quidem, ut nihil aliud. Senſus enim, inter Octavium & L. Antonium conveniſſe, ut ſimularent inimicitias, & ſic qui præſentem ſtatum gravarentur, Antonio velut duce vel capite oblato, voluntates nudarent. Sic apud Plaut. Pſeud. I. 15. 126. *Id e compecto faciunt conſutis dolis.* GRONOVIUS ad Liv. lib. v. cap. 11.

L. Antonii.] Probo judicium Freinſhemii, duas haſce voces irreptitias cenſentis, quas ineptus gloſſator ideo huic loco inſeruit, quod modo præceſſerat Antonii mentio. Sed non erant neceſſariæ, cum nec Auguſtus bellum id conſtans ſcire poſſet, quiſnam ſe ducem diverſarum partium profeſſurus eſſet: nec referret, utrum Antonius id faceret, an alius quilibet. BERNEC. Non recte ſic cenſuiſſe viros doctos apparet ex iis, quæ paulo ante Gronovius ὁ πάνυ de Auguſti ſimulatione diſputavit.

TORRENT.

16. *Ad remum datis.*] Sic frequenter JCti. *ad opus publicum, ad latomias, ad beſtias, ad ferrum, ad gladium, ad ludum gladiatorium.* quæ pœnarum ſunt genera.

Cum hieme tota.] Rectius MSS. duo *hiemes totas*, ut plures hiemes in id Cæſar abſumſerit. quod verum eſt.

CASAUBON.

Et quidem per æſtatem.] Non ſine cauſſa notat. nam neque ſolet fieri in illo mari, & calamitas Cæſaris ejuſmodi fuit, ut confeſſione omnium ira deum adverſus ipſum, favore adverſus Sextum accidiſſe videretur. propterea ἐχαυνώθη miſer Sextus, vitio uſus humani ingenii. Itaque ergo nihil jam hominis ſpirans, Neptuni filius & dici & credi voluit.

Modo pace facta.] A. U. C. DCCXV. & nota ὑστερολογίαν.

Et ad remum datis.] Non in pœnam, ne erres: ſed ſimpliciter intellige factos remiges. nam aliud ſonat vulgo hoc loquendi genus.

In quo quum hieme tota copias exercuiſſet.] Ex hiſtoria apparet, ſeſquiannum in hunc apparatum fuiſſe conſumptum. Non placet tamen lectio, quam profert & probat Torrentius, *hiemes totas*: neque enim verum eſt, Octavium plures hiemes copias ſuas in portu Julio, de quo Suetonius intelligit, exercuiſſe. Dionem vide.

VARIOR.

16. *Julium.*] *Julius portus*, qui Virgilio Georg. II. 163. *Julia unda.* non a Julio Cæſare Dictatore nomen habet, ut Servius ad illum Virgilii locum, & Leander in deſcriptione Italiæ volunt: ſed ab Auguſto, a Cæſare in Juliam familiam adoptato, cujus auſpiciis eum Agrippa perfecit. Ita *lex Julia*, *aqua Julia*, &c. dicimus ab eodem auctore. BERNECC.

In Lucrinum & Avernum lacum.] Ad Bajanum in Campania ſinum, quos deſcribit Strabo lib. v. Avernus lacus totus hodieque exſtat: at Lucrinus fere omnis interiit, cineribus ex terræ motu anni 1538 ſic oppletus, ut nunc tenuis tantum & cœnoſa exſtet palus, cum exiguo arundineto, teſte Cluverio Ital. antiqua lib. IV. 2. BERNEC.

TOR-

Mylas & Naulochum ſuperavit : ſub horam pugnæ tam arcto repente ſomno devinctus, ut ad dandum ſignum ab amicis excitaretur. Unde præbitam Antonio materiam putem exprobrandi: *Ne rectis quidem oculis eum adſpicere potuiſſe inſtructam aciem : verum ſupinum, cælum intuentem, ſtupidum cubuiſſe : nec prius ſurrexiſſe ac militibus in conſpectum fuiſſe, quam a M. Agrippa fugatæ ſint hoſtium naves.* Alii dictum factumque ejus criminantur, quaſi claſſibus tempeſtate perditis exclamaverit, *etiam invito Neptuno victoriam ſe adepturum :* ac die Circenſium proximo ſolemni pompæ ſimulacrum Dei detraxerit. nec temere plura ac majora pericula ullo alio bello adiit. Trajecto in Siciliam exercitu, cum ad partem reliquam copiarum continentem repeteret oppreſſus ex

TORRENT.

Somno devictus.] Libri duo *devinctus.*

Verum ſupinum, cœlum intuentem.] Libri duo *ſupremum cœlum intu.* Non placet, infartum ab illis, qui plura adjectiva ſine copula non ferebant.

CASAUBON.

Inter Mylas & Naulochum.] Ultimo anno belli Siculi duobus magnis præliis navalibus res eſt confecta. Alterum apud Mylas habitum, alterum ad Artemiſium. Is locus non procul Meſſana aberat, ubi copias ſuas Pompejus habuit in navali, quod φερωνύμως Græci Ναυλόχους vocant, ut Appianus bis. Sueton. *Naulochum.* Fuiſſe eum locum Meſſanæ navale, ut erat Gythium Spartæ, Cenchreæ Corinthi, ex collatione Strabonis & Appiani ſatis liquet. Dio non nominat diſerte, ſed de Naulocho intelligendum, quum ſcribit lib. XLIX. Οἱ τοῦ Σέξτου ἅτε ἐν τῇ οἰκείᾳ ναυλοχοῦντες οὐδὲν ἐδέοντο σπεύδειν.

Verum ſupinum, cœlum intuentem, ſtupidum cubuiſſe.] Ita legendum, non ſupremum cœlum. Objicit Octavio Antonius ignaviam, ſimul & δεισιδαιμονίαν. quod quando in acie ſtare debebat, lateret ſupinuſque cœlum intueretur, vota ſolum diis fundens. Alludit enim ad morem eorum, qui vehementiſſime aliquid a Deo peterent : ſupini quippe orabant, & ut ait Horatius, *cœlo ſupinas ferebant manus.* Ideo negat Prometheus apud Æſchylum ſe

------ θηλύνουν γενήσεσθαι
Καὶ λιπαρήσειν τὸν μέγα στυγούμενον
Γυναικομίμοις ὑπτιάσμασιν χερῶν.

Heliodorus lib. IX. ὑπτίας τὰς χεῖρας προτείνοντες εἰς ἱκεσίας ἔμφασιν. Poſſumus & ita hanc vocem interpretari, ut apud Juvenalem :

Et multum referens de Mæcenate ſupino.

Addit *ſtupidum*, id eſt, ὑπὸ δέους ἔκφρονα. In Viterb. erat *incubuiſſe.*

Militibus in conſpectum fuiſſe.] Emendavimus ex Viterb. & Cujaciano. nam male vulgo etiam MSS. *veniſſe.* Corruperunt, qui non obſervaverant elegantias priſci ſermonis. Eſt autem *fuiſſe* poſitum pro veniſſe. Græci παραγενέσθαι, vel etiam γενέσθαι Euſtathius in Ἐρωτικοῖς libro ſexto : Γενοῦ περὶ τὸ δωμάτιον· εὐθὺς οὖν ἐξανέστη τραπέζης καὶ περὶ τὸ δωμάτιον γέγονεν. *Abi in cubiculum : illa igitur e menſa ſtatim ſurrexit, & in cubiculum venit.* Sic ſæpe ille ſcriptor, & alii & meliores eo multo & vetuſtiores : contra *venire* τοῦ *eſſe* locum ſæpe obtinet, præſertim apud poëtas. Sic *fieri* accipit Apulejus Mileſiadis X. *Hæc ut primum ante judicis conſpectum facta eſt.* ſed & *facere ſe* pro venire, aut ſiſtere ponebant. Apul. initio V. *intra limen ſeſe facit.* Nam mali critici ſunt, qui putant mendoſum & mutant. Terentius : *Huc te fac*, pro veni, vel accede, ut explicat Donatus. Affinis ſignificatio verbi ποιεῖν apud Græcos, ut in Actis, ἔξω ποιήσατε τοὺς ἀποστόλους. quod potes ad verbum interpretari, *facite extra Apoſtolos.* Ariſtoteles in Oeconom. Τοὺς ἀποσταλέντας ἐς φυλακὴν ποιήσας. Cedrenus, Θησεὺς Φαίδραν ἀπὸ ὄψεως ἐποίησε.

Ac die Circenſium proximo.] Vide Dionem in actis anni DCCXIV.

Pompæ ſimulacrum Dei detraxit.] Alludit ad hanc hiſtoriam Julianus in Cæſaribus : Ἐπὶ τὸν Ὀκταβιανὸν, ait, τὴν ὕβριαν ἔφερεν ὁ τοῦ Ποσειδῶνος θεράπων, ἐπιμετρῶν αὐτοῦ τοῦ ὕδατος ἔλασσον διὰ τὸν καιρὸν, ἄλλως τε καὶ μνησικακῶν αὐτῷ τῆς εἰς τὸν θεὸν ὑπερηφανίας.

Trajecto in Siciliam exercitu.] Eo bello, quod geſtum eſt anno DCCXVI. Hiſtoriam hanc diligentiſſime exponit Appianus, ſed paulo aliter.

Cum partem reliquam copiarum continenti repeteret.] Ita Viterb. & alii optimi codd. quidam tamen, *cum ad partem reliquam copiaru[m] continentem repeteret :* quæ lectio planior. atque ita in editione Rob. Steph.

VARIOR.

Sub horam pugnæ.] Hic intelligendum de inſtante jam tempore pugnæ. Nam *ſub horam* cum dicimus, inſtantis jam temporis vicinitatem deſignamus. Ut cum Virgilius lib. IV. dixit, *ſub lucem exportant apes.* &c. id non plane lucem, aut in luce, ſed adventante jam luce intelligendum. FULVIUS URSINUS.

Tam arcto repente ſomno.] Idem Alexandro Magno & Franciſco primo Galliarum regi ad Marignanum omine felici eveniſſe traditum eſt. GUJETUS.

ex improviſo a Demochare & Apollophane, præfectis Pompeji, uno demum navigio ægerrime effugit. Iterum cum præter Locros Rhegium pedibus iret, & proſpectis biremibus Pompejanis terram legentibus, ſuas ratus, deſcendiſſet ad littus, pæne exceptus eſt. Tunc etiam per devios tramites refugientem, ſervus Æmilii Paulli, comitis ejus, dolens proſcriptum olim ab eo patrem Paullum, & quaſi occaſione ultionis oblata, interficere conatus eſt. Poſt Pompeji fugam, collegarum alterum M. Lepidum, quem ex Africa in auxilium evocarat, ſuperbientem xx. legionum fiducia, ſummaſque ſibi partes terrore ac minis vindicantem, ſpoliavit exercitu : ſupplicemque conceſſa vita Circeos in perpetuum relegavit. M. Antonii ſocietatem ſemper dubiam & incertam, reconciliationibuſ- 17 que

TORRENT.

Item cum præter Locros.] Tres codices, *Iterum cum pr. Loc.*

Terram legentibus.] Sic Livius lib. v. *terram legens.* & *oram Italiæ legens.* Virgil. *Litoraque Epiri legimus.* ubi Donatus nauticum eſſe vocabulum annotavit, ut & *funem legere.*

Exceptus eſt.] Horat. lib. III. Od. XII. *latitantem fruticeto excipere aprum.* Virgil. Bucol. *caprum Excipere inſidiis.* Plura exempla apud Nonium.

Circejis relegavit.] Melius tres MSS. *Circejos.*

CASAUBON.

Dolens proſcriptum olim ab eo patrem Paullum.] Is eſt, opinor, cujus nomen refert in proſcriptorum album, & cædem narrat Appianus lib. IV. etſi Æmilius illi tantum dicitur.

Circeos in perpetuum relegavit.] Oroſius: *Lepidus ſupplex Cæſari factus vitam & bona impetravit, perpetuo emendatus exilio.* longe mitius, ut plerique alii narrant. Vellejus hoc tantum : *Vita rerumque ſuarum dominium conceſſa ei ſunt : ſpoliata, quam tueri non poterat, dignitas.* Dio in Italia fuiſſe habitum non ſine cuſtodia. Appianus aperte Suetonio repugnat : vult miſſum a Cæſare non in exilium, ſed Romam, ut privatus degeret, pontificatu maximo, quem gerebat, contentus, Ἐμφυλίων lib. v. Et alibi quoque idem Romæ eum in ſumma ἀδείᾳ eſſe verſatum narrat, de Lepidi junioris & matris conjuratione in Auguſtum loquens lib. IV. Mihi hic Appiani ſuſpecta fides : nam Dio anno demum DCCXXXVI. duodecimo poſt conſpirationem anno, ab Auguſto in urbem retractum, auctor eſt : niſi dicamus poſt mortem filii, non neceſſitate, ſed voluntate ſua in agros ſeceſſiſſe & ſolitudinem : quod videtur innuere etiam Dio.

17. *M. Antonii ſocietatem.*] Fecerant ineptiſſime, qui ſuperioribus iſta conjunxerant.

Reconciliationibus variis male focillatam abrupit tandem.] Dictum eſt elegantiſſimum Appiani de Octavio & Antonio : Συνεχὴς ἦν αὐτοῖς ἡ μεταβολὴ πρός τε τὰς ὑπονοίας ἐκ φιλαρχίας, καὶ ἐς τὰς πίστεις ὑπὸ χρείας. Afferemus & huic loco lucem ex notatione temporum.

A. U. C. DCCX. Cædes Julii : reditus Octavii ab Apollonia, & cum Antonio contentiones variæ in urbe. Antonius tandem urbem relinquit.

A. U. C. DCCXI. Bellum & pax Mutinenſis : fœdus factum inter Cæſarem & Antonium affinitate confirmatur, Clodia Fulviæ filia ex primo marito, (tres enim habuit) Octavio deſponſata.

A. U. C. DCCXIII. Cæſar Romam reverſus ex bello Philippenſi, exorta cum Fulvia ſocru ſimultate, Clodiam dimittit adhuc virginem. Peruſinum bellum.

A. U. C. DCCXIV. Cæſar & Antonius Brundiſii conveniunt : reconciliantur affinitate redintegrata per Octaviam, quæ Antonio nubit : Romam ſimul ingrediuntur : Antonius redit in Aſiam.

A. U. C. DCCXV. Antonius iterum venit in Italiam, & ad Miſenum promontorium cum Octavio depoſitis ſimultatibus fœdus renovat.

A. U. C. DCCXVI. Antonius ex Græcia repetit Italiam, ſpecie opem ferendi Cæſari contra Pompejum : ſed portento territus, priuſquam Cæſarem alloqueretur, Brundiſio ſolvit.

A. U. C. DCCXVII. Antonius tertio redit in Italiam : amicitiam cum Cæſare Tarenti redintegrat, & tertiam cum eo jungit affinitatem, deſponſa Julia Octavii Antyllo filio ſuo. Inde abit in Aſiam, & bellum Perſicum.

A. U. C. DCCXIX. Octavia cum muneribus & legionibus ad Antonium reducem in Ægyptum ex Armenica expeditione tendit : Antonius eam domum redire jubet, amore Cleopatræ occupatus.

A. U. C. DCCXXI. Reverſo Antonio ab expeditione Armenica in Ægyptum, recrudeſcunt ſimultates inter eum & Cæſarem, fruſtra tentata pace amicorum interceſſione.

A. U. C. DCCXXII. Inimicitiæ inter Cæſarem & Antonium creſcunt, Octavia ſuas res habere juſſa: Antonius hoſtis pop. Rom. appellatus, vel Cleopatra potius.

A. U. C. DCCXXIII. Hoc anno a. d. IV. Non. Septemb. victus Antonius ad Actium, ſequenti periit

VARIOR.

Patrem Paullum.] Per *patrem* intellige Æmilii iſtius junioris patrem. non enim ipſius ſervi, ne erres cum eruditiſſimo A. Schotto. BERNECC.

TOR-

que variis male focillatam abrupit tandem. Et quo magis degeneraſſe eum a civili more approbaret, teſtamentum, quod is Romæ etiam de Cleopatra liberis inter heredes nuncupatis

Torrent.

17. *Male focillatam.*] Liber unus *follitam. Folcitam* igitur aut *foltam* pro *fultam* legendum eſt. ſic enim ſæpe Cicero fulciendi vocabulo utitur. Horat. epiſt. III. *male ſarta Gratia nequicquam coït, & reſcinditur.* Ad crebras autem Auguſti & Antonii ſimultates referendus & ille Horatii locus lib. I. Sat. V. de Mæcenate & Coccejo:

- - -*magnis miſſi de rebus uterque*
Legati, averſos ſoliti componere amicos.

Quod is Romæ etiam de Cleop. lib.] Liber unus, *Rom. & de Cleopatræ liberis.* Lego, *quod is Romæ etiam Cleopatræ lib.* nam *de* præpoſitio omnino ſuperflua eſt, loco particulæ *&* aſſcripta. Reliquerat autem teſtamentum ſuum Antonius apud virgines Veſtales. Auctor ejus vita Plutarch.

Casaubon.

Male focillatam.] Sic omnes noſtri: nec mutanda vox elegans *focillatam* aut *focilatam* uno *l.* ſic enim ſcribitur in Turonenſi. Gloſſarium: *Focilat*, θωπεύει. Lucanus ſeu quis alius ad Piſonem, ex veteri lectione: *ſed miſerum parva ſtipe focilat.* Varro *focillor* aliter quam Suetonius uſurpavit, de Vita populi Rom. lib. II. *Propter res ſecundas ſublato metu non in commune ſpectant: ſed ſuum quiſque diverſi commodum focillantur.* Proprie *focillare* eſt ægras fauces lana appoſita fovere, ut fuit moris. contra *effocare* dicimus fauces premere ad perniciem.

Degeneraſſe eum a civili more.] Intelligit facta Antonii contra majorum inſtituta & gravitatem Romanam, quæ pluribus explicantur ab hiſtoricis. Vide Dionem initio lib. L.

Teſtamentum aperiendum recitandumque pro concione curavit.] De hoc Auguſti facto equidem ſic exiſtimo, ut inter exempla magnæ cujuſdam immanitatis referendum cenſeam. Primum quia contra jus naturæ eſt, ut rebus alienis nos immiſceamus, quæ ad nos nihil pertinent: neque id ſolum, ſed etiamſi vel maxime ad nos pertinerent, humanitatis tamen lex eſt, multa neſcire velle. Inde eſt quod in cœlum tolluntur laudibus Athenienſes, Pompejus, Julius Cæſar, Antonius, & alii, qui hoſtium ſuorum literas in caſtris repertas, aut alio caſu captas, legere noluerunt. Simili ratione, paullo qui ſit humanior, nemo delatorum voces admittat. Multo minus æquum videtur, quæ ſit alicujus viventis valentiſque voluntas, ſuper iis quæ poſt mortem ſuam fieri velit, ſatagere. Itaque ait Plutarchus: viſum hoc factum ἀλλόκοτον καὶ δεινόν. Dio quoque ἔργον παρανομώτατον vocat. Amplius dico, capitale admiſſum, ſi æſtimetur hoc factum legibus Romanis: teneretur enim pœna legis Corneliæ de falſis l. I. D. ad Legem Corneliam de falſis. l. XXXVIII. D. de pœnis. Taceo violatam deorum religionem, quorum ſacerdotibus ſanctiſſimis, virginibus Veſtalibus, Antonius hoc teſtamentum commiſerat. neque illæ ſane prodiderunt: ſed majori vi, quia reniti non poterant, invitæ ceſſerunt. Non me fugit, quid pro Auguſto dici queat, ſed verius hoc nihil quiſquam dixerit: voluiſſe illum in odium & invidiam Antonium adducere. Erant autem capita teſtamenti Antonii, quæ maxime exagitavit Octavius, hæc tria. Primum, quod Cæſarioni redderet teſtimonium, quaſi filio Cæſaris naturali & legitimo: quum is matrimonio ortus non legitimo, jure civis eſſe non poſſet, ſed peregrinus tantum, proinde capere quidquam de bonis civis Romani non poterat. Alterum, quod reliquos Cleopatræ liberos ſummis affeciſſet elogiis & honoribus, iiſque plurima contra leges reliquiſſet. Poſtremo, quod juſſiſſet corpus ſuum, ubicunque mori ipſi contigiſſet, Alexandriam deferri, & cum Cleopatra, quandoque fato functa, ſepeliri.

Quod is Romæ etiam.] Teſtamentum Antonii factum eſt Alexandriæ, ſed pluribus exemplis: eorum unum ibi cuſtoditum, alterum Romam miſſum. vide Dionem. Non igitur ſatis apte aut vere noſter, *reliquerat*: nam dubium non eſt, quin poſt ea tempora ſcripſerit Antonius id teſtamentum, quibus noviſſime in urbe fuit.

De Cleopatræ liberis inter heredes nuncupatis.] Scripta lectio, *& de Cl. lib.* ſic optimi quique codd. an verum eſt, *quod is Romæ etiam de Cleopatra, & de Cleop. lib.?* neque enim de liberis tantum Cleopatræ in teſtamenti ſui tabulis egerat Antonius, ſed multo etiam pluribus de ipſa Cleopatra: ut cum illi bibliothecam regum Pergami, velut legati jure, donabat: & cum corpus ſuum, ubicunque ipſi contigiſſet mori, Alexandriam mandabat deferri, ut eodem tumulo cum Cleopatra conderetur. lege Plutarchum & Dionem lib. L.

Varior.

17. *Male focillatam.*] i. e. fotam. a *foveo*, *focus*, *foculo*, *focillo*. Onomaſticum: *Focillo*, *or*, ἀναλαμβάνω. Idem: *Foculo*, τιθηνέω. hoc eſt, foveo. Gujet.

Male focillatam.] Caſaubonus a faucibus videtur declinare, ſed alii fortaſſe probabilius *focillare* diminutivum faciunt a *foculare* (ſeu *focilare*) apud Nonium, hoc eſt, fovere, blando calore permulcere ac reficere. id autem non a *faux*, ſed a *focus*, *foculus*, oritur. Bernec.

Quod is Romæ etiam de Cleopatræ liberis.] Torrentius expungit τὸ *de*. Caſaubonus, *de Cleopatra & de Cleopatræ liberis.* Freinshemius: *Cleopatra & liberis.* Ego, *de Cleopatra*: & diſtinguo: *quos is Romæ,*

cupatis reliquerat, aperiendum recitandumque pro concione curavit. Remiſit tamen hoſti judicato neceſſitudines, amicoſque omnes, atque inter alios C. Soſium & T. Domitium, tunc adhuc coss. Bononienſibus quoque publice, quod in Antoniorum clientela antiquitus erant, gratiam fecit conjurandi cum tota Italia pro partibus ſuis. Nec multo poſt navali prælio apud Actium vicit, in ſerum dimicatione protracta, ut in navi victor pernoctaverit. Ab Actio cum Samum in hiberna ſe recepiſſet, turbatus nuntiis de ſeditione

mæ, etiam de Cleopatra liberis inter heredes nuncupatis, reliquerat. id eſt, in quo teſtamento etiam liberi, quos e Cleopatra ſuſtulerat, heredes declarati erant. GRONOVIUS. Hanc emendationem comprobat codex Salmaſii, in quo plane: *Quod is Romæ etiam de Cleopatra, liberis inter heredes nuncupatis, reliquerat.*

TORRENT.

T. Domitium.] Codex Ferrarienſ. *C. Domitium.* Sed Cn. Domitium vocant lapides Capitolini, & alioqui Domitii non niſi Cn. & L. prænomina uſurparunt. Sueton. Ner. cap. I. & de hoc ipſe Domitio cap. III.

Gratiam fecit conjurandi cum tota Italia pro partibus ſuis.] Id eſt, permiſit, ne conjurarent pro ſeſe cum reliqua Italia. Male igitur, qui dictionem *ſuis* delendam cenſent. ſic enim & alibi loquitur Sueton. Tib. cap. XXXV. *Equiti Romano jurisjurandi gratiam fecit*, & *criminum gratiam fecit*, Calig. cap. XV. & *edicti gratiam fecit*, Domit. cap. XIV. Plautus quoque *jurisjurandi gratiam facere*, extremo Rudente, pro a juramento abſolvere, & *pecuniæ gratiam facere* pro remittere dixit, ut Annæus Seneca: *Dis votorum gratiam facere*, epiſt. X. ad Lucilium.

Cum Samum inſulam.] Sic inf. cap. XXVI. *quintum in inſula Samo conſulatum iniit.* Samum autem, quæ inter Miletum & Chium eſt, atque Aſiæ attribuitur, intelligit. alii enim auctores eum obtenta hac victoria in Græciam profectum tradunt. Eſt & alia eodem nomine inſula Cephaleniæ vicina, quam Servius tamen ad alterius differentiam Samen vocat. Alii Samen urbem eſſe volunt. Multa Strabo de utroque nomine lib. XII. Adde, ſi lubet, Plinium lib. IV. cap. XII. Virgil. III.

Dulichiumque, Sameque, & Neritos ardua ſaxis.

CASAUBON.

Et T. Domitium.] Omnino, ut erudite Torrentius obſervavit, *Domitium* vel *Cn. Domitium* ſcribi debet: tamen ſcripti libb. omnes ita habent.

Bononienſibus quoque.] Contrarium plane affirmat Dio: eum vide. Ego ſuſpicor Dionem in hac hiſtoria lapſum, quum non ſatis intelligeret, quid eſſet, Bononienſes in clientela Antoniorum antiquitus fuiſſe: propterea dixiſſe, Antonium fuiſſe Bononiæ κτίστην. quod falſum puto.

Gratiam fecit conjurandi pro partibus ſuis.] Reſpexit ad hanc hiſtoriam Ovidius Triſt. lib. I.

Sæpe fidem adverſis etiam laudavit in armis:
Inque ſuis amat hanc Cæſar, in hoſte probat.

Et alio loco ejuſdem libri:

Sed tamen in duris remanentem rebus amicum,
Quamlibet inviſo Cæſar in hoſte probat.
Nec ſolet iraſci (nec enim moderatior alter)
Cum quis in adverſis, ſi quid amavit, amat.

Potes referre & ad hiſtoriam T. Vinii Philopœmenis, de quo cap XXVII.

Navali prælio apud Actium vicit.] A. d. IV. Non. Sept. A. U. C. DCCXXIII. ætatis ſuæ XXXII. diebus demptis XXII. Atque ab hoc principio numerati anni imperii Auguſti, inquit Dio. Sed notum eſt, docente eodem Dione atque aliis, non idem initium imperii Auguſti omnes conſtituiſſe.

Ab Actio cum Samum inſulam in hiberna ſe recepiſſet.] Auguſtum trajeciſſe in Aſiam mox a victoria Actiaca teſtatur Dio lib. LI. Veniſſe Samum Jonicam, ex iis colligimus, quæ narrat Appianus lib. IV. de duobus Metellis proſcriptis, patre & filio. Ait ibi Cæſarem in hac inſula διακρίναι τοὺς αἰχμαλώτους. Venit eodem & anno poſt, confecto bello Alexandrino, quando V. conſulatum ibi ſuſcepit; & idem poſtea bis, quum Græciam & Aſiam luſtraret. Vide Dionem in rebus geſtis anno DCCXXIV. meminit & Strabo lib. XIII.

VARIOR.

T. Domitium.] Gruterus in Palatino tertio *Cajum* eſſe dicit, ut videatur ſcribendum ſecundum faſtos *Cnæum.* BERNEC.

Bononienſibus quoque.] Pro Dione dici forte queat non ignoraſſe quidem eum, quid ſit *in clientela eſſe*, ſed diverſam a Suetonio rationem adducere: quæ tamen in eo conveniant, quod utrobique meritum Antonii cauſſa fuerit, ob quam in hoc indulſerit Cæſar. Sed in Suetoniana ratione patrocinium majorum & familia, in Dionis autem proprium hujus Antonii, deductionem in coloniam: quæ acciderit poſt reconciliationem Cæſaris & Antonii interveniente Lepido factam. Eo enim tempore XVIII. Italiæ coloniæ militibus diſtributæ ſunt (interque illas haud dubie hæc ipſa Bononia) auctore quidem Appiano Civil. IV. pag. 590. f. Sed in hoc contrarium adſtruit auctori Dio, quod ille quidem nec coactos, nec illectos ad partes Cæſareanas ſcribit: hic inter eos, qui beneficiis inducti Cæſari adhæſerunt, etiam

Bono-

ſeditione militum, præmia & miſſionem poſcentium, quos ex omni numero confecta victoria Brundiſium præmiſerat, repetit Italiam, tempeſtate in trajectu bis conflictatus: primo inter promontoria Peloponneſi atque Ætoliæ, rurſus circa montes Ceraunios, utrobique parte Liburnicarum demerſa: ſimulque ejus in qua vehebatur, fuſis armamentis, & gubernaculo diffracto. Nec amplius quam ſeptem & xx dies, donec deſideria militum ordinarentur, Brundiſii commoratus, Aſiæ Syriæque circuitu Ægyptum petit: obſeſſaque Alexandria, quo Antonius cum Cleopatra confugerat, brevi potitus eſt. Et Antonium quidem ſeras conditiones pacis tentantem, ad mortem adegit, viditque mortuum. Cleopatræ, quam ſervatam triumpho magnopere cupiebat, etiam pſyllos admovit, qui venenum ac virus exſugerent: quod periiſſe morſu aſpidis putabatur. Ambobus communem ſepulturæ honorem tribuit, ac tumulum ab ipſis inchoatum perfici juſſit. Antonium juvenem, majorem de duobus Fulvia genitis, ſimulacro D. Julii, ad quod poſt multas & irritas preces confugerat, abreptum interemit. Item Cæſarionem, quem ex Cæſare Cleopatra concepiſſe prædicabat, retractum e fuga ſupplicio affecit. Reliquos Antonii reginæque communes liberos, non ſecus ac neceſſitudine junctos ſibi
18 & conſervavit, & mox pro conditione cujuſque ſuſtinuit ac fovit. Per idem tempus, con-

Bononienſes numeret, colonia eorum, confirmatione & quadam quaſi novatione, Octaviani muneris facta. BERNECC.

TORRENT.

Gubernaculo diffracto.] Sic & noſtri codices. Alii, *defracto.* Cæſ. cap. XXXVII. *Axe diffracto.*

Viditque mortuum. Cleopatræ, &c.] Duo lib. MSS. & nonnulli in Gallia typis editi, *viditque mortuam Cleopatram, quam ſervatam triumpho magnopere cupiebat, & pſyllos admovit.* Et de conſpecto quidem Antonii corpore nihil apud auctores reperio. Quin etiam, ſi Plutarcho credimus, Cæſar viſo quo ille ſe percuſſerat gladio, cum mortuum crederet, in interiorem tentorii partem ſe ſubduxit, atque ibidem lacrymavit. de Cleopatra vero varie traditur. Plutarchus enim ad eam moribundam accurrere primum voluiſſe Cæſarem, ſed mutato conſilio alios miſiſſe qui aſpicerent, narrat. Dion vero attonitum mortis nuncio acceſſiſſe, & vidiſſe corpus, quin & pſyllos admoviſſe ſcribit. Ego tamen Plutarcho magis aſſentior. Atque adeo facile adduci poſſim, ut verba hæc *viditque mortuum*, adulterina eſſe credam. De pſyllis autem, qui plura velit cognoſcere, Dionem & Zonaram legat, ac Plinium lib. VII. cap. II. & lib. VIII. cap. XXV. Celſum lib. V.

Abreptum interemit.] An quia nefas videbatur ad ſimulacrum eum trucidare? Statuæ certe Principum poſtea tutiſſimum ad eas confugientibus aſylum fuere. qua de re apud J. C. l. II. de his qui ſui, vel al. juris ſunt. l. I. de Off. Præf. Urb. & titul. Cod. Juſtinianei, de his qui ad ſtatuam confug. Quem autem Antonium juniorem vocat Sueton. Græci Atyllum & Antyllum appellant, cui Cæſaris filia ante deſponſata fuerat. de quo inf. cap. LXIII. Ut veriſimile ſit Atylli cognomen tuliſſe, cum nomen ei eſſet Antonius.

CASAUBON.

Inter promontoria Peloponneſi atque Ætoliæ.] Inter Rhium opinor & Antirrhium, qui erat breviſſimus ſimul & æſtuoſiſſimus ex Ætolia in Peloponneſum trajectus.

Nec amplius quam ſeptem & viginti dies.] Dio tamen ait triginta: Ἐς τὴν Ἑλλάδα αὖθις τριακοστῇ μετὰ τὴν ἄφιξιν ἡμέρᾳ ἀπῆρε. Ad hanc celeritatem reſpicit Germanicus apud Tacitum I. Annal. 42. *Divus Auguſtus vultu & aſpectu legiones Actiacas exterruit.*

Donec deſideria militum ordinarentur.] Viterb. & Cujacii codd. *donec & deſid.* Pithœi, Turonenſis, *donec ad de.* quam lectionem probat idem ille Cujacius in Obſerv. lib. de quo ſtatuat per me eruditus elector. *Deſideria* ſunt ἀξιώσεις. ſic apud Tac. *deſideria militum*, & *deſideria legionum.* apud JCtos aliquando pro libellis ſupplicibus, ut infra cap. LIII. *adeuntium deſideria excipiens.*

Viditque mortuum.] Non aliter Mſs. recte prima editio, *viditque mortuam Cleopatram.* Dio fere ad verbum: Τό τε σῶμα αὐτῆς εἶδε, καὶ φάρμακα αὐτῷ καὶ ψύλλους, εἴπως ἀνασφήλειε, προσήνεγκε.

Quod periiſſe morſu aſpidis putabatur.] Præter hiſtoricos Galenus hiſtoriam mortis Cleopatræ fuſe narrat, in libro de Theriaca ad Piſonem. Quum autem tres ibi dicantur eſſe ſpecies aſpidum, ptyadem, terreſtrem, & chelidoniam; quo genere perierit Cleopatra, non dicit Galenus. Solinus & Iſidorus *hypnalen* appellant.

Quem ex Cæſare Cleopatra concepiſſe prædicabat.] Vulgo *ex Cæſare patre.* Sic alibi, ut cap. XLV. hic tamen Mſs. vocem *patre* non habent.

VARIOR.

Majorem de duobus.] Codex Salmaſ. *majorem duobus.*

TOR-

conditorium & corpus Magni Alexandri, cum prolatum e penetrali ſubjeciſſet oculis, corona aurea impoſita ac floribus aſperſis veneratus eſt : conſultuſque, num & Ptolemæum

TORRENT.

18. *Floribus aſperſis veneratus eſt.*] Plinius lib. XXI. cap. III. *Jam tunc coronæ deorum honos erant, ac larium publicorum, privatorumque, ac ſepulcrorum, & manium.* Juvenal. Sat. VIII.

Dii majorum umbris tenuem & ſine pondere terram,
Spiranteſque crocos, & in urna perpetuum ver. &c.

Virgil. de Ænea ad Anchiſæ ſepulcrum : *Purpureoſque jacit flores.* & Idem pulcherrime ex perſona ipſius Auguſti libro VI.

---- *manibus date lilia plenis,*
Purpureos ſpargam flores.

Sed & Capitolin. vita M. Aurelii : *Tantum honoris magiſtris ſuis detulit, ut imagines eorum aureas in larario haberet, ac ſepulcra eorum additis hoſtiis & floribus ſemper ornaret.* Adde exemplum Germanici Calig. cap. III. Ut omittam antiquas marmorum inſcriptiones, quæ defunctorum urnas roſis ſpargi ornarique quotannis ex teſtamento jubent. Quo referendum illud Tibulli e libro II. Eleg. IV.

Atque aliquis ſenior veteres veneratus amores,
Annua conſtructo ſerta dabit tumulo.

Poſſem & Græcos hac de re citare auctores, ſed de re ſatis nota jam dicta ſufficiunt. Illud peculiare Græcis, quod apii coronas ſepulcris imponebant. Unde apio indigere dicebant eos, qui periculoſe ægrotabant. Plutarch. Quæſt. Convival. & vita Timoleontis, & ex Græcorum libris Plin. lib. XX. cap. XI.

Conſultusque, num & Ptolemæum.] *Conſultus* hic pro interrogatus. Quod juris verbum eſt. de quo ad illud Horatii lib. II. Sat. III.

Ergo conſulere, & mox reſpondere licebit?
Conſule.

Libenter autem *Ptolemæûm* legerim, ultima ſyllaba circumflexa, pro Ptolemæorum. ſequitur enim, *regem ait ſe voluiſſe videre, non mortuos.* Et alioqui ſic legendum eſſe ex Dione lib. XLI. & Zonara deprehendes ; neque, ſi aliter legas, quem, cum plures Ptolemæi fuerint, hic ex eis ſignificet, intelligere poſſis.

CASAUBON.

18. *Conditorium & corpus Magni Alexandri.*] Quid appellat *conditorium?* an quem Strabo lib. ultimo πύελον? Ea erat arca olim ex auro, poſtea e vitro, in qua ſervatum Alexandri M. corpus. Sic ait Plinius lib. XXXV. *defunctos multos fictilibus doliis condi voluiſſe.* Inde conditorium, θήκη, λάρναξ. An potius quem Strabo περίβολον vocat, intelligit? Locus fuit urbe media, ſepulturæ regum deſtinatus, quem vocari ait Strabo Σῆμα. Sic enim legimus, non Σῶμα : ut habent etiam manu exarati. Didymus in proverbio Ἔυνους ὁ σφακτής· ἐν μέσῃ τῇ πόλει μνῆμά οἱ οἰκοδομήσας, ὃ νῦν Σῆμα καλεῖται, πάντας ἐκεῖ τοὺς προπάτορας σὺν αὐτῇ κατέθετο, καὶ Ἀλέξανδρον τὸν Μακεδόνα. Atque hoc melius. Petronius : *Jacuerunt ergo una præcluſis conditorii foribus.* Seneca *conditivum* pro eo dicit epiſtola LXII. & LXXXIV. Plinius uterque *conditorium.* Ammianus Marcellinus libro XVIII. *conditorium muralium tormentorum* pro ὁπλοθήκη. Cæterum fuiſſe in media urbe Alexandria conditorium Alexandri, etiam ex hodierna ſpecie illius ſemirutæ urbis poteſt conſtare, ſi vera ſunt quæ leguntur apud Leonem Africanum, non contemnendum ſcriptorem. cujus verba ſunt e libro VIII. in deſcriptione illius urbis : *Neque prætermittendum videtur*, ait, *in medio Alexandriæ ruderum, ædiculam inſtar ſacelli conſtructam adhuc ſupereſſe, inſigni ſepulcro, magno a Machumetanis honore affecto, memorabilem, quo Alexandri Magni corpus ſummi prophetæ ac regis, velut in Alcorano legunt, aſſervari contendunt. Concurrit autem ingens eo peregrinorum vulgus ex longinquis etiam regionibus, colendi ac reverendi ſepulcri gratia; cui quoque magnas frequenter largiuntur eleëmoſynas.* De eodem conditorio vide quæ ſcribit Suidas in Severo Sophiſta.

Floribus aſperſis.] Pars Mss. *aſperſum.*

Num & Ptolemæum.] Torrentius corrigit *Ptolemæûm.* Placet : niſi intelligas de Ptolemæo Lagi, qui fuit regni illius conditor, & ſupra omnes inſignis.

VARIOR.

18. *Conditorium.*] Per *conditorium* hic intelligi non Strabonis περίβολον, hoc eſt, circuitum, in quo regiæ erant ſepulturæ, ſed thecam ſive loculamentum ipſum, argumento eſt, quod illud cum corpore Alexandri *prolatum e penetrali* ſcribit auctor. Lucanus X. 19. ſimilia de Cæſare patre. BERNEC.

Corona aurea.] Vereor, ne quis mutaverit veram auctoris ſcripturam ex noſtris moribus, quibus coronas aureas regibus imponunt. quod tunc temporis ſecus erat. Quapropter plane mihi perſuadeo fuiſſe *corona laurea.* Cur enim coronavit Alexandrum Auguſtus? honoris puto gratia. quod ſi fecit, ut fecit, cur potius aurum, quod & ipſi Romani Imperatores aſpernabantur, quam laurum, quam tantopere æſtimabant, impoſuiſſet? Præterea aureæ coronæ nullus erat locus. non enim poterat teſtari regem, cum illa nemo eorum uteretur, ſed diademate potius, quæ faſcia erat : at laurus loquebatur fuiſſe ſummum imperatorem, eoque corona tali digniſſimum. Hinc eſt, quod apud Val. Max. V. 1. 6. ext. *Annibal M. Marcellum Punico ſagulo & corona donatum laurea, rogo impoſuit.* quamvis, ut & hoc obiter moneam, non ibi ſcribendum ſit *Punico ſag.* ſed

mæum inſpicere vellet : *Regem ſe voluiſſe* ait *videre*, *non mortuos*. Ægyptum, in provinciæ formam redactam, ut feraciorem habilioremque annonæ urbicæ redderet, foſſas omnes, in quas Nilus exæſtuat, oblimatas longa vetuſtate, militari opere deterſit. Quoque Actiacæ victoriæ memoria celebratior in poſterum eſſet, urbem Nicopolim apud

ſed *puniceo*, h. e. purpureo, qui color erat imperatoriis dicatus paludamentis. Sic apud Silium 10. 569. idem Annibal Æmilium funerans,

------fulgentia pingui
Murice ſuſpirans inicit velamina, & auro
Intextam chlamydem------

Quin amplius crediderim, eam coronam aut ſibi detraxiſſe Auguſtum, aut fortaſſe faſcibus : ſed magis putem, ut ſibi. Simillimo officii genere eundem Alexandrum honoravit Caracallus, nempe ornamentis ſibi detractis. Herodianus IV. 15. *Ad Alexandri monumentum ſe contulit* (Baſſianus) *paludamentumque purpureum, & claris ſpecioſiſque gemmis anulos conſpicuos, balteumque, & ſi qua alia geſtabat elegantioria, demta ſibi, illius impoſuit tumulo.* Hæc itaque plane ſimilia ſunt. nam & Caracallus, & Auguſtus, quæ eorum quiſque æſtimabat, contulerunt. Coronam lauream, quæ eadem librariorum ſollertia auro mutata fuerat, etiam Pompejo reddidit Lipſius apud Vellejum II. 40. 7. Porro videtur Auguſtus hoc facto imitatus ipſum Alexandrum. nam & hic Achillis tumulum coronavit. Vide Plutarch. Alex. cap. 24. BERNEC.

18. *Ptolemæum.*] *Ptolemæûm* legendum eſſe ex Dione lib. LI. pag. 520. & Zonara tom. 2. pag. 161. deprehendes : & docuit Torrentius. Venit & illud in mentem, ſicut *Mauſoleum Cæſarum* dicit Suetonius Veſp. XXIII. 9. ita forte *Ptolemæeum*, vel etiam *Ptolemæum*, Ptolemæorum conditorium appellatum eſſe. BERNECC.

TORRENT.

Ægyptum in provinciæ formam.] Conſtituto ibi præfecto, qui inde Auguſtalis appellatus fuit. Strabo lib. VII. Ulpian. lib. I. Pandectar. de Off. Præf. Auguſt. Tacitus lib. II. Annal. Et, ut arbitror, Cornelius Gallus poëta, primus Ægypto præfuit. De Nili vero foſſis atque aggeribus videri poterit Ulpian. l. IX. de Extraord. criminibus, ac titulus Cod. Juſtinianei de Nili aggeribus non rumpendis.

CASAUBON.

Urbem Nicopolim apud Actium condidit.] *Apud*, id eſt, e regione. Græci modo πρὸς τῷ Ἀκτίῳ, modo ὑπὲρ τοῦ Ἀκτίου. Sinum Ambracium ingredientibus ad dextram eſt Actium, vetuſtiſſimum Apollinis templum ab Auguſto inſtauratum, & magnis reditibus ditatum : ad ſiniſtram Nicopolis, libera civitas, Auguſti opus & κτίσμα. Itaque ut κτίστῃ divini honores illi Nicopoli habebantur, eratque ibi apex honorum omnium, Auguſti ſacerdotium. Quare etiam anno nomen dabat ſacerdos Auguſtalis, & in ſcribendis publicis aut privatorum contractuum inſtrumentis, ad tempus notandum nomen ejus adſcribebant : quo modo fieri ſolitum in pleriſque Græciæ urbibus ſatis conſtat. Hæc nos ita eſſe colligimus ex eo loco Arriani Diſſertationum Epicteti lib. I. cap. XIX. quem ante nos attigerunt magis quam explicaverunt Juſtus Lipſius, & πολυμαθέστατος ille Petrus Faber. Sic autem habet : Σήμερόν τις ὑπὲρ ἱερωσύνης ἐλάλει μοι τοῦ Ἀυγούστου· λέγω αὐτῷ. Ἄνθρωπε, ἄφες τὸ πρᾶγμα· δαπανήσεις πολλὰ εἰς οὐδέν· ἀλλ' οἱ τὰς φωνάς φησι γράφοντες γράψουσι τὸ ἐμὸν ὄνομα· μήτι οὖν συ τοῖς ἀναγινώσκουσι λέγεις παρών, Ἐμὲ γεγράφασιν; εἰ δὲ καὶ νῦν δύνασαι παρεῖναι πᾶσιν, ἐὰν ἀποθάνῃς, τί ποιήσεις; μενεῖ μου τὸ ὄνομα· γράψον αὐτὸ εἰς λίθον, καὶ μενεῖ· ἄγε, ἔξω δὲ Νικοπόλεως τίς σοι μνεία; ἀλλὰ χρυσοῦν στέφανον φορήσω· εἰ ἅπαξ ἐπιθυμεῖς στέφανον, ῥόδινον λαβὼν περίθου· ὄψει γὰρ κομψότερον. Dixerat aliquis in ſermonibus Epicteto, velle ſe fieri ſacerdotem Auguſti : Epictetus ea ratione diſſuaſit, quod magnos ſumptus eſſet facturus nulli bono. Sumptus intellige, vel ludorum qui in honorem Auguſti Nicopoli celebrabantur, maximis eorum impenſis, qui præditi eſſent ſacerdotio. neque aſſentior iis, qui ad curam ludorum Actiacorum hoc referunt : quia non Auguſto illi ſacri, ſed Apollini. neque putandum eſt ludis Apollinis præfuiſſe alium potius quam ſacerdotem ejus dei, in cujus honorem edebantur. Deinde Actiacus ἀγὼν ἱερὸς fuit, & habuit σίτησιν, quod obſervat Dio : Auguſtalis, ut videtur, non item. Vel potius intellige ſumptus, quos facere conveniebat iis, qui hunc honorem ambiebant : eos enim fuiſſe maximos conſtat. Vide lib. V. ad cap. IX. Quæ ſequuntur in narratione Arriani, ſunt corrupta : quid enim eſt οἱ τὰς φωνὰς γράφοντες ? nam doctis viris, qui conantur ea verba interpretari quaſi ſana, oleum & opera, me judice, perit. Nos autem legimus, οἱ τὰ σύμφωνα γράφοντες : & eam ſententiam eruimus, quam initio retulimus. Eſt vero illuſtris hic locus, ex quo attentus lector diſcat, non pauca vulgo haud ita nota : ut quod de anno in inſtrumentis notari ſolito diximus. Multæ enim civitates ſub imperio Romano proprios annorum characteres habuerunt, & neque coſs. Romanos indices cujuſque anni ſcripſerunt, neque Juliani rationem ſunt ſecutæ. Infra cap. LIX. *Quædam Italiæ civitates diem, quo primum ad ſe veniſſet, initium anni fecerunt.* Sic igitur Nicopolitani annos numerarunt ab Auguſtali ſuo. quod & Alexandriæ factum. fuiſſe enim illis quoque Auguſtalem ſuum anni indicem, &

S τοῦ

apud Actium condidit : ludoſque illic Quinquennales conſtituit : & ampliato vetere Apollinis templo, locum caſtrorum, quibus fuerat uſus, exornatum navalibus ſpoliis, Neptuno

τῦ ἐνιαυτῦ ἄρχοντα, ut loquitur Theodoretus, Cujacio ex non editis ejus urbis Chronicis notatum eſt. Habeo etiam in antiquiſſimis ψῆφον πασχαλίων, id eſt, canonem paſchalem, ſcriptum Græce, ubi anni caput eſt non Januarius, ſed September : quod in Alexandrina eccleſia aliiſque ſcimus obtinuiſſe. Exſtat tamen Novella, qua jubentur omnes omnium partium imperii Rom. συμβολαιογράφοι in ſcribendis inſtrumentis annum Imperatoris & coss. annotare: qua conſtitutione videntur æræ civitatum propriæ ab uſu omni ſummotæ. Præterea obſervandum, inter alios honores fuiſſe hunc deferri ſolitum ſummis ſacerdotibus, ut de illorum nomine contractus inſignirentur. Auctor Maccabæorum lib. I. cap. XIV. Καὶ εὐδόκησαν οἱ Ἰουδαῖοι καὶ οἱ ἱερεῖς, τῦ εἶναι αὐτῶν Σίμωνα ἡγούμενον καὶ ἀρχιερέα. Deinde: καὶ ὅπως γράφονται ἐπὶ τῷ ὀνόματι αὐτῦ πᾶσαι συγγραφαὶ τῇ χώρᾳ. Nemo vero dubitare poteſt recte a nobis eum locum eſſe conſtitutum : nam σύμφωνα Græcis JCtis aliiſque ſcriptoribus τὰ συμβόλαια dicuntur. Gloſſarium Græco-Lat. Σύμφωνον, συνθήκη, *pactum, compactum, conventum, conventiculum, pactio*. & σύμφωνα ποιεῖν apud mediæ ætatis Græcos, pro contrahere & pactum facere. Obſervatione etiam dignum eſt, quod ait paulo poſt, de corona aurea iſtorum Auguſtalium : nam tales erant provincialium ſacerdotum. Tertullianus de Idololatria cap. XVIII. *Igitur purpura illa & aurum cervicis ornamentum eodem more apud Ægyptios & Babylonios inſignia erant dignitatis, quo more nunc prætextæ, vel trabeæ, vel palmatæ, & coronæ aureæ ſacerdotum provincialium.* ejus coronæ meminit & Dio Chryſoſtomus. In fine ſuperioris loci, illa ῥόδινον λαβὼν περιϐῦ, cave vertas cum viro magnæ famæ, *roſeam indutus circumi.* quod excuſari non poteſt : ſed *roſeam ſume* & capiti *circunda.*

VARIOR.

In quas Nilus exæſtuat.] Palatinus primus & ora tertii : *in quibus.*

TORRENT.

Veteri Apollinis templo.] Plin. lib. IV. cap. I. de Epeiro loquens : *In ore* (inquit) *ipſo colonia Auguſti Actium, cum Apollinis templo nobili, & civitate libera Nicopolitana.* Auguſtus igitur & Apollinis templum vetus ampliavit, & Nicopolin condidit, & Actium coloniam miſit. de quo Dion initio lib. LI. Ad ludos autem ibidem, & poſtea etiam Romæ, ut auctor eſt idem lib. LIII. inſtitutos Virgil. reſpicit procemio lib. III. Georg. Sed quia (quod etiam Strabo ſcribit) ludos non tam ibi primus inſtituit Auguſtus, quam celebriores reddidit, egregie apud eundem poëtam Æneas :

Actiaque Iliacis celebramus litora ludis.

Nec minus artificioſe, de Actio loquens, *parvæ ſuccedimus urbi.* Actium enim ante coloniam eo ab Auguſto deductam, revera parvum erat atque obſcurum. Exſtant & veteres Auguſti nummi cum imagine Actii Apollinis, citharœdi, ut videtur, habitu. Niſi quis Muſam eſſe contendat.



CASAUBON.

Ludoſque illic Quinquennales conſtituit.] De agone Actiaco multa erudite obſervat Joſephus Scaliger : quem ſtudioſus lector conſulat, cum in libris de Emendatione, tum etiam ad Euſebii Chronicon numero MDCCCLXXXVIII.

Locum caſtrorum, quibus fuerat uſus.] Viderit lector, utri potius aſſentiendum putet, Suetonio an Dioni. Tranquillus locum caſtrorum totum in templum ait verſum, & hic & capite XCVI. Dio, in caſtrorum loco urbem Nicopolim fuiſſe ædificatam: templum, de quo loquitur Suetonius, in loco, in quo fuerat Auguſti tabernaculum. Ego Dionem potius ſequar : video enim factum etiam alias, ut quo in loco caſtra habuerant, ibi urbem mox conderent Romani. Strabo lib. IV. de Auguſta apud Salaſſos : Τρισχιλίυς Ῥωμαίων πέμψας ᾤκισε τὴν πόλιν Αὐγῦσταν ὁ Καῖσαρ, ἐν ᾧ ἐστρατοπέδευσε χωρίῳ Οὐάρρων. Sunt & exempla alia non pauca. Non enim aliunde eſt, quod tam multæ Hiſpaniæ, Africæ, aliarumque regionum urbes ſub *Caſtrorum* appellatione repeřiuntur. At Suetonius non in hoc tantum errare videtur, ſed etiam quum dicit templum hoc ab Auguſto fuiſſe Neptuno & Marti conſecratum : nam & Strabo & Dio ajunt, Apollini. quibus potius habendam fidem aſſentietur mihi, opinor, qui meminerit & qua ſemper religione Apollinem Auguſtus, ut omnium ſibi bonorum auctorem, vereque parentem coluerit : & contra, quam parum ſibi amicum numen Neptunum crediderit, quamque ipſe parum Neptuno amicus. Suetonio, qui locum, ut puto, non viderat, & Actiacam victoriam in mari quæſitam noverat, impoſuit mos communis, cujus in hiſtoriis multa teſtimonia.

Exornatum navalibus ſpoliis.] Philippus in epigrammate :

Ἔμβολα χαλκογένεια, φιλόπλοα τείχεα νηῶν,
Ἀκτιακῦ πολέμυ κείμεθα μαρτύρια.

VARIOR.

Ampliato.] Palatinus primus : *applicato.*

TOR-

19 Neptuno ac Marti conſecravit. Tumultus poſt hæc, ac etiam rerum novarum initia, conjurationeſque complures, prius quam invaleſcerent, indicio detectas compreſſit. & alias alio tempore : Lepidi juvenis, deinde Varronis Murenæ, & Fannii Cæpionis, mox M. Egnatii, exin Plautii Rufi, Lucique Paulli progeneri ſui : ac præter has L. Audaſii falſarum tabularum rei, ac neque ætate neque corpore integri : item Aſinii Epicadi ex gente Parthyna

Torrent.

19. *Lepidi juvenis.*] Fuit is M. Lepidi III-viri ex Bruti ſorore filius, Antonii gener, Mæcenatis, tunc præfecti Urbis, conſilio oppreſſus. de quo Vellejus Paterculus. Toties vero inſidiis petitam Auguſti vitam inter ejus infortunia Plinius enumerat lib. VII. & eadem de re multa præclare Seneca lib. I. de Clementia, & lib. de Brevitate vitæ. Mirum vero eſt, nullam a Suetónio conjurationis L. Cornelii Cinnæ, Pompeji ex filia nepotis, mentionem fieri, ex qua ob inſignem clementiam Auguſtus vel præcipuam laudem tulit. Vide Senecam & Dionem, quamvis de prænomine diſſentiant. ille enim L. hic C. appellat.

Varronis Murenæ.] Fuit is L. Licinius Varro Murena. De quo, & Fannione Cæpione inf. cap. LXVI. & Tib. cap. VIII. Dion, Paterculus, Macrob. etiam l. I. Saturn. cap. XI.

M. Genutii.] Liber unus *M. Genati.* Hinc Turneb. *M. Genutii* reſcripſit. Sed edit. Germanica *M. Egnatii* habet, & M. Egnatius Rufus ejus conſpirationis caput fuit. quem ſecuti ſunt M. Genutius & Plautius Rufus. Seneca, Dion, Paterculus. De L. Paullo, progenero Auguſti, inf. cap. LXIV. Quare *M. Egnatii* retineo.

Aſinii Epicadi ex gente Parthina hybridæ.] Recte ſic Pulmannus, Turnebi auctoritatem ſecutus. De Parthinis enim, quæ gens in Illyrico eſt, triumphavit Aſinius Pollio A. U. C. DCCXIV. Ex qua gente Epicadus iſte, Pollionis ſervus, poſtea manumiſſus, patroni nomen tulit, & propter obſcurum jus civitatis, aut aliam forte ob cauſam Hybrida vocatus eſt, ut Q. Varius tribunus pl. apud Valer. Max. lib. VIII. cap. VI. Adde de C. Antonio, Ciceronis collega, locum Plinii lib. VIII. cap. LIII. &, ſi lubet, Epigramma Martial. in Cinnam lib. VI. Fuit & Cornelius Epicadus, Syllæ libertus, nobilibus Grammaticis additus a Suetonio. Ejuſdem, ni fallor, hiſtoriam fabularem citat Macrob. lib. I. cap. XI. Parthinorum meminit & Livius lib. XXVII. & XXIX.

Casaubon.

19. *Lepidi juvenis.*] A. U. C. DCCXIV. dum Auguſtus reliquias belli Actiaci conficit : exſtinctus eſt vigilantia Mæcenatis Urbis cuſtodiæ propoſiti.

Deinde Varronis Murenæ & Fannii Cæpionis.] Sequitur ordinem, quem Livia apud Senecam. I. de Clem. 9. *Salvidienum Lepidus ſecutus eſt; Lepidum Murena; Murenam Cæpio; Cæpionem Egnatius.* At Dio lib. LIV. unam, non duas facit conjurationes Murenæ & Cæpionis : hunc, præcipuum machinatorem doli : illum, ſeu vere ſeu falſo, creditum participem. Accidit octennio poſt ſuperiorem.

Mox M. Egnatii.] Res novas molitus eſt triennio poſt Murenam & Cæpionem, coss. Q. Lucretio Viſpillone, C. Sentio. Auctor Vellejus II. 93. Dio lib. LIII. ad annum DCCXXVIII. qui coss. habuit Cæſarem VIII. & T. Statilium Taurum II. aut certe ad proximum videtur referre, in quo magna eſt temporum diverſitas, annorum fere ſeptem. Seneca, qui modo Egnatium, modo Egnatios nominat, innuere videtur, conſpiraſſe cum hoc vel fratrem, vel alium ejuſdem gentis. In Mss. pleriſque offendimus *Genatii* vel *Genutii.* apud Dionem : Μάρκος ὁ Γνάτιος Ῥοῦφος.

Exin Plautii Rufi.] Membranæ *Plantii Rufi.* Tempus conjurationis hujus notatum non reperio a veteribus hiſtoricis, nec ſequentium quoque aliquot.

Varior.

Neptuno ac Marti.] Pro Suetonio vero dixerim, ei ſermonem hic eſſe non de templo, (nam illud utique Apollini ſacrum) ſed de caſtrorum loco ſpoliis exornato. Nec adeo mirum, Auguſtum in gratiam rediiſſe cum Neptuno, cujus numen adeo propitium in hac victoria fuit expertus. Bernecc.

19. *Et alias.*] Copula & non viſitur in Palat. prim. aut ſec. teſte Grutero. nec eſt neceſſaria. Idem.

Varronis Murenæ & Fannii Cæpionis.] Hoſce duos auctor ipſe quoque jungere videtur, ut complices unius conjurationis : cujus meminit item infra LXVI. & Tib. VIII. præterea Strabo lib. XIV. p. 461. & Macrobius Saturnal. I. II. Torrentius haud ab re miratur, nullam hic ab auctore mentionem fieri conjurationis L. Cornelii Cinnæ, Pompeji ex filia nepotis, ex qua ob inſignem clementiam Auguſtus vel præcipuam laudem tulit. Vide Senecam Clem. I. 9. & Dionem lib. LV. pag. 638. & ſeqq. quamvis de prænomine diſſentiant. ille enim *Lucium*, hic *Cnæum* appellat. Joan. Brodæus Miſcellan. 2. 27. ad hanc Cinnæ conjurationem refert locum Valerii Max. IX. II. fin. male. nam ibi de Sejano Tiberioque ſermo. Idem.

M. Egnatii.] Palatinus tert. Grutero teſte, *Cenati.* prim. & ſec. ut & Torrent. *Genati.* Unde Turnebus Adverſar. XXV. 15. *M. Genutii* reſcripſit. Bernecc.

Plautii Rufi.] Palat. pr. *Plauti.* ſec. *Plauti.* tert. *Planti.* Gruterus.

Parthyna hybridæ : ad extremum Telephi mulieris ſervi nomenculatoris. Nam ne ultimæ quidem ſortis hominum conſpiratione & periculo caruit. Audaſius atque Epicadus Juliam filiam & Agrippam nepotem ex inſulis quibus continebantur, rapere ad exercitus: Telephus, quaſi debita ſibi fato dominatione, & ipſum & ſenatum aggredi, deſtinaverant. Quin etiam quondam juxta cubiculum ejus lixa quidam ex Illyrico exercitu, janitoribus deceptis, noctu deprehenſus eſt, cultro venatorio cinctus : impos ne mentis, an ſimulata dementia, incertum. Nihil enim exprimi quæſtione potuit. Externa bella duo omnino per ſe geſſit : Dalmaticum, adoleſcens adhuc : & Antonio devicto, Canta-

TORRENT.

Telephi mulieris ſervi nomenclatoris.] Quis mulieri nomenclatoris uſus? Pulmannus in uno cod. repperit, *cui nomen circulatoris.* Mihi ſane locus ſuſpectus eſt. Poterat tamen aliis pro nomenclatore ſervire quam dominæ, operas locanti. Horat. Epiſt.

Mercemur ſervum, qui dictet nomina.

Telephus etiam Horatii rivalis lib. I. Od. XIV. & lib. IV. Od. II. *Circulator* autem agyrtam ſignificat.

CASAUBON.

Hybridæ.] Deeſt in Mss. quibuſdam, non recte. Sic accipe, ut in iſto Hirtii de bello Africano : *Præterea ex fuga prælioque Pompejano, quos ſecum a Brundiſio tranſportaverat, equites Germanos Galloſque, ibique poſtea ex hybridis libertinis ſerviſque conſcripſerat.* Vocat hybridas Numidarum abjectiſſimum quemque e libertinis ſerviſque prognatum.

Ad extremum Telephi.] Refero illa *ad extremum*, non ad inſidiarum ordinem (nam ſi Senecæ fides, poſt Cinnam nemo Auguſti vitæ inſidiatus eſt) ſed ad ordinem narrationis, quæ in hoc deſinit : vel ad perſonæ vilitatem. ideo ſubjicit:

Nam ne ultimæ quidem ſortis hominum conſpiratione & periculo caruit.] De his poſtremis ſentit Livia apud Senecam, quum ait : *Ut alios taceam, quos tantum auſos pudet.* nam ſi pereundum eſt, ἐξ ἀξίου γοῦν ξύλου, inquit vetus dictum. In Telepho omnia indigna : quod ſervus, quod mulieris, quod fartor, ſive, quod idem eſt, nomenculator : ita ſcriptum in antiquiſſimis libb. ut in Pandectis quoque Florentinis, pro *nomenclator*, ut *figulinæ* pro figlinæ, & *exempulum*, *tempulum* ac ſimilia. Hos ſervos fere Afros fuiſſe, conjicio ex Luciano de Mercede conductis, ubi inter miſerias degentium in aulis magnatum, hæc ponit : *περιμένειν ὠθούμενον καὶ ἀποκλειόμενον, καὶ ἀναίσχυντον ἐνίοτε καὶ ὀχληρὸν. δοκοῦντα ὑπὸ θυρωρῷ κακῶς συρίζοντι, καὶ ὀνομακλήτορι Λιβυκῷ ταττόμενον, καὶ μισθὸν τελοῦντα τῆς μνήμης τοῦ ὀνόματος.* Quo ex loco id etiam intelligimus, in potentiorum familiis fuiſſe nomenclatores ut hoſtiarios : quos vides a Luciano jungi, ut ſimilis miniſterii & paris dignationis. Similiter Seneca in libello, In ſapientem non cadere injuriam : *Quidam ſe a cinerario impulſos moleſte ferunt, & contumeliam vocant hoſtiarii difficultatem, nomenclatoris ſuperbiam, cubicularii ſupercilium.* Nomenclatorum miniſterium non ad prenſationes tantum candidatorum pertinuit : ſed ad ſalutationes matutinas, & diſpoſitionem convivarum, aliaque talia. Plinius lib. XXXIV. cap. I. *Hoc perfecere mancipiorum legiones, & in domo turba externa, ac ſervorum quoque cauſa nomenclator adhibendus.* Non jam igitur quiſquam miretur cum eruditiſſimo Torrentio, mulieri ſervum fuiſſe nomenclatorem.

Rapere ad exercitus : Telephus.] Vulgo ſcriptum eſt, *ad extremum Telephus.* ineptiſſime. emendavimus primum ex conjectura : deinde ex editione Rob. Stephani. nam Viterb. ac vett. alii codd. corrupti ſunt.

20. *Dalmaticum adoleſcens adhuc.*] Annum agens trigeſimum. Appianus in Illyricis clare arguit. recte igitur *adhuc* : ut intelligamus de extrema adoleſcentia.

Antonio devicto Cantabricum.] Quod confectum eſt A. U. C. DCCXXX. a morte Antonii, ſexto; Dio lib. LIII. Oroſius auctor eſt, duraſſe id bellum annos quinque, ſuſceptumque ab Auguſto A. U. C. DCCXXVI. Euſebius in Chron. ad annum tertium Olymp. CLXXXIX. *Auguſtus Calabriam & Gallos vectigales facit.* Scribe, *Cantabriam.* Etſi in Faſtis Græcis, ubi exſtant verba ipſa Euſebii, ſic ſcriptum reperi : Ἄυγουστος Καῖσαρ Καλαβρίαν καὶ Γαλάτας ὑποφόρους ἐποίησεν. Sed Κανταβρίαν ſcribendum. Ex eodem Euſebio diſcimus, moviſſe etiam poſtea Cantabros : ſic enim ſcribit ad annum primum Olymp. CXC. *Cantabri res novas molientes opprimuntur.*

VARIOR.

Servi nomenclatoris.] Quod τὸ *mulieris* non placuit Torrentio, quaſi mulieri nullus uſus nomenclatoris eſſet, niſi quæ forſan eum locaret, id leve eſt : neque enim ad prenſationes tantum candidati nomenclatoribus utebantur, ſed ad ſalutationes quoque ac diſpoſitionem convivarum, ut bene Caſaubonus. Mulieres autem locupletes æque ac viri a clientibus colebantur, & reginas agebant, ut viri reges. Qualis Statio & Martiali Polla Argentaria, vidua Lucani. Juſtinus lib. XXX. 2. *Itaque non contentæ rege, jam etiam regnum poſſident, jam in publico viſuntur, jam ſalutantur, jam comitantur.* GRONOVIUS Obſervat. II. 24.

TOR-

Cantabricum. Dalmatico etiam vulnera excepit. una acie, dextrum genu lapide ictus: altera autem, & crus & utrumque brachium ruina pontis conſauciatus. Reliqua per legatos adminiſtravit: ut tamen quibuſdam Pannonicis atque Germanicis aut interveniret, aut non longe abeſſet, Ravennam, vel Mediolanum, vel Aquilejam uſque ab urbe
21 progrediens. Domuit autem partim ductu, partim auſpiciis ſuis Cantabriam, Aquitaniam, Pannoniam, Dalmatiam cum Illyrico omni: item Rhætiam, & Vindelicos, ac Salaſſos, gentes

TORRENT.

20. *Cantabricum.*] Auguſto victori Romam a bello Cantabrico redeunti gratulatur Horat. lib. III. Od. XIV. cumque diutius ejus belli cauſſa abeſſet, populi ac ſenatus ingens deſiderium pulcherrime deſcribit lib. IV. Od. V. Per ſe ergo bellum id Auguſtus geſſit. Cui tandem Agrippa finem impoſuit. qua de re alibi.

Altera autem.] Duo libri non habent dictionem *autem*.

Ruina pontis.] Plinius inter Auguſti adverſitates Pannonico bello ruinam e turri recenſet, Pannonicum vocans, quod Sueton. Dalmaticum. ob gentium (credo) vicinitatem. Vide Dionem ſub finem lib. XLIX.

21. *Auſpiciis ſuis.*] Pulchre Horat. lib. IV. Od. XIV. *Te copias, te conſilium, & tuos Præbente Divos.* id enim eſt *tuis auſpiciis.* Nec minus eleganter ad eundem Ovid. lib. II. Triſtium, de Tiberio loquens:

Per quem bella geris, cujus nunc corpore pugnas,
Auſpicium cui das grande, deosque tuos.

Solius enim Imperatoris erant auſpicia; cæteri, etiam legati & præfecti, ipſius, quamquam abſentis, auſpiciis agere dicebantur.

CASAUBON.

Ruina pontis conſauciatus.] Pontem intellige, qualem deſcribit Vegetius lib. IV. cap. XXI. Plinius turrim appellat: item Dio: Αὐτόν τε ἐκεῖνον ἀπὸ πύργου τινὸς ξυλίνου ἐπιβῆναι τοῦ περιβόλου πειρώμενον κατέτρωσαν. Sic Appianus expreſſius: ex quo etiam apparet in verbis Suetonii ὕστερον πρότερον. prius enim acceptum vulnus, quod ſecundo loco memoratur. Aliter hæc Florus libro IV. cap. 12.

21. *Partim ductu, partim auſpiciis.*] *Ductu*, hoc eſt, per ſe: *auſpiciis ſuis*, id eſt, per legatos. Sic in veteri inſcriptione apud Plinium lib. III. cap. XX. de eodem Auguſto: QUOD. EJUS. DUCTU. AUSPICIISQ. GENTES. ALPINÆ. OMNES. QUÆ. A. MARI. SUPERO. AD. INFERUM. PERTINEBANT. SUB. IMPERIUM. P. R. SUNT. REDACTÆ. Seneca paullo aliter epiſtola XXXIII. de Epicureis, qui omnia ſemper ad unum ſectæ ſuæ ἀρχηγὸν referebant: *Omnia quæ quiſquam in illo contubernio locutus eſt, unius ductu & auſpiciis dicta ſunt.*

Aquitaniam.] De Aquitanis triumphum retulit Meſſala A. DCCXXVI. ut teſtatur vetus, quæ hodieque exſtat, inſcriptio. Tibullum vide Eleg. VIII. lib. I. & lib. IV. & ibi notata a nobiliſſimo Scaligero.

Pannoniam.] Diu tractum bellum. vide Dionem. Initium ejus videtur referre Vellejus in annum DCCXXXV. *Subinde*, ait II. 96. *bellum Pannonicum, quod inchoatum ab Agrippa* (ita docte emendat Lipſius) *M. Vinicio avo tuo coſ. magnum atroxque & perquam vicinum imminebat Italiæ, per Neronem geſtum eſt.* Plura de illo bello, & reliquis quæ deinceps commemorantur, idem Vellejus paulo poſt. Scribit Dio, Pannonios dictos a *pannis*, voce indigena, ex quibus conſuere ſolitus ſibi tunicas manuleatas hic populus. quod mihi videtur mirum. Annon enim vox Latina eſt *pannus*, hac notione? ſane. *pannos* enim Latini appellant ῥάκη. Nævius Tabellaria: *Qui habet uxorem ſine dote, pannum poſitum in purpura eſt. pannum*, id eſt, quod in Euangelio ῥάκος. Horatius:

Purpureus, late qui ſplendeat, unus & alter
Aſſuitur pannus.

Sic Valerius Max. faſciam regiæ coronæ vocat *pannum* lib. VII. & linteamina, quibus vulnera obligantur, *panni* & *pannuli* dicuntur. Inde vox *pannutia* apud Perſium, & apud Terent. *pannis obſita.* apud Senecam grabatus & pannus extremæ paupertatis ſunt indicia. Sic πάνιον accipio apud citimæ vetuſtatis Græcos. ut quum in deſcriptione ἐπικομβίων, quæ pro teſſeris erant, Curopalates ait, τμήματα ἐκ πανίων κόπτοντες. Ergo & Pannonii a pannis quaſi pannoſi, vel pannutii ῥακώδεις, qui veſtes gererent, non ἀρράφους (quales fuiſſe pleraſque omnes apud veteres perſpicue alio opere docemus) ſed ex variis pannis ac plagulis conſutas καὶ ῥαφιδουμένας. Similiter Romani iidem a cultu incolarum Galliam Togatam & Braccatam appellarunt: ne quis miretur de Pannoniis. Litem fortaſſe inter me & Dionem dirimat Vellejus Paterculus, qui Pannoniis tribuit, *non diſciplinæ tantummodo, ſed linguæ quoque notitiam Romanæ.* Illos ego arbitror non ſolum tunicas ex variis pannis conſuiſſe, ſed etiam mulierum ſtolas ex diverſis limbis & pannulis oblongis contexuiſſe, non multo ſecus ac fieri hodie apud Helvetios notum eſt. Conjecturam facio ex his, quæ de veſtibus muliebribus Pæonum (quos cum Pannoniis non confuderim quidem, vetante Dione: ſed pleriſque veterum confundi propter morum & inſtitutorum ſimilitudinem putem) apud Græcos legere memini. Veteres Critici ad illum Heſiodi verſum: μηδὲ γυνή σε νόον πυγοστόλος ἐξαπατάτω, ſic notant: Περὶ πυγὰς ἑαυτῶν αἱ τῶν Παιόνων θυγατέρες ζώνας πλατείας φέρουσι, ῥακω-

gentes Inalpinas. Coercuit & Dacorum incurſiones, tribus eorum ducibus cum magna copia cæſis, Germanoſque ultra Albim fluvium ſummovit : ex quibus Ubios & Sicambros dedentes ſe traduxit in Galliam, atque in proximis Rheno agris collocavit. Alias item nationes male quietas ad obſequium redegit. Nec ulli genti ſine juſtis & neceſſariis cauſſis bellum intulit. Tantumque afuit a cupiditate quoquo modo imperium vel bellicam gloriam augendi, ut quorundam barbarorum principes in æde Martis Ultoris jurare coegerit, manſuros ſe in fide ac pace quam peterent : a quibuſdam vero novum genus obſidum

ῥακώδεις, πολυκρόσσους. καὶ πήχεις δὲ σολίζουτι τοὺς ἑαυτῶν ὁμοίως. Dionis verba de appellatione Pannoniorum ſunt hæc, lib. XL. Ὀνομάζονται δὲ οὕτως, ὅτι τοὺς χιτῶνας τοὺς χειριδωτοὺς ἐξ ἱματίων τινῶν ἐς πάννους ἐπιχωρίως πως καὶ κατατέμνοντες, καὶ προσαγορεύοντες συῤῥάπτουσιν. id eſt, *Sic nominantur, quia tunicas manuleatas ſibi conſuunt, ſectis patrio quodam modo veſtibus certi generis, in eos quos pannos appellant.* Quod ait ἐξ ἱματίων τινῶν, referendum ad multiplicem materiam, ex qua veſtes conſiunt, lana, lino, pellibus, & aliis. Nec probo, quod ἱμάτια *centones* hic nonnulli vertunt : nam integros pannos ſic vocat, ex quibus centones & panni minutiores ſciſſura fiunt. Latini quoque *veſtem* hoc vocant, Galli *une piece entiere.* Similis locus ejuſdem Dionis in fragm. lib. LXXXVIII. de caracalla veſte ab Imperatore ejuſdem nominis inventa : Καί τινα ἰδίαν ἔνδυσιν βαρβαρικῶς πως κατακόπτων καὶ συῤῥάπτων εἰς μανδύης τρόπον, προσεξεῦρε. Non eſſe autem certum veriloquium Pannoniorum Dionis, vidit ipſe, & faſſus eſt verbis ſequentibus. Fatemur & nos, quæ ſupra ſcripſimus, non niſi conjectura niti : quam labefactari eo maxime intelligimus poſſe, quod Pannoniorum nomen cognitione Romanorum antiquius eſſe videatur. exſtat enim in fragmento quodam Polybii apud Suidam in ἑρμητήριον : niſi tamen mendum eſt.

VARIOR.

20. *Altera.*] Abjeci voculam *autem*, quod non agnoſceret ullus Palatinorum : & teſtaretur ſuis etiam duobus abeſſe Torrentius. GRUTERUS.

TORRENT.

Gentes Inalpinas.] Sic duo codd. ex noſtris, & ſic Plinius quoque locutus eſt. Alii *Alpinas*, ut Tib. cap. IX. Vide Plinium lib. III. cap. XX.

Ultra Albim fluvium.] Liber Ferrarienſ. *ultra Albim proprium fluvium.* quod ſi quis ex annotatiuncula aliqua irrepſiſſe contendat, non reluctabor. Haud imperitus tamen ille fuit, quiſquis adſcripſit. Lucan. lib. II.

Fundat ab extremo flavos Aquilone Suevos
Albis, & indomitum Rheni caput.

Novum genus obſidum feminas.] Auctor eſt Tacit. Germanos efficacius obligari, ſi puellæ obſides eis imperentur. Atqui & Romani olim Porſennæ regi nobiliſſimas virgines, inter quas Clœlia illa, obſides dedere. *Marum* autem *pignora* pro *marium* habent opt. codd. alter etiam *pignera.*

CASAUBON.

Ac Salaſſos gentes Inalpinas.] Fortaſſe, *Salaſſos aliaſque gentes Inalpinas.* ex inſcriptione, quam modo protulimus.

Germanoſque ultra Albim fluvium ſubmovit.] Florus lib. IV. 12. *Victor Druſus, in tutelam provinciarum præſidia atque cuſtodias ubique diſpoſuit, per Moſam flumen, per Albim, per Viſurgim.*

Suevos & Sicambros dedentes ſe traduxit in Galliam.] Tacit. lib. II. Annal. 26. ex epiſtolis Tiberii ad Germanicum : *Se novies a Divo Auguſto in Germaniam miſſum, plura conſilio quam vi perfeciſſe. Sic Sugambros in deditionem acceptos, ſic Suevos.* Quod ait Suetonius & Sicambros & Suevos in ripam Gallicam eſſe tranſlatos : de Sicambris facile aſſentior. Ea enim gens, ſicut & Ubiorum ad latus Rheni Teutonicum olim ſita, perpetuis Suevorum incurſionibus vexata facilis tranſduci. Idem & Strabo videtur ſentire, cum ſcribit de ea ripa Rheni : Ταύτης δέ τὰ μὲν εἰς τὴν Κελτικὴν μετήγαγον Ῥωμαῖοι, τὰ δὲ ἔφθη μετανασάντα εἰς τὴν ἐν βάθει χώραν, καθάπερ Μάρσοι· λοιποὶ δέ εἰσιν ὀλίγοι, καὶ τῶν Σιγάμβρων μέρος. Ait partem aliquam Sicambrorum remanere in veteri patria : reliquis videlicet in Galliam tranſductis. De Suevis vellem parcius locutum Suetonium : nam quis veterum geographorum & hiſtoricorum Suevos in Galliam tranſſevit, præter Suetonium ? Sed Pithœi codd. præferunt *Seubos.* in qua ſcriptura veſtigium, ut puto, latet veræ : nam rejecto ſ in finem ſuperioris vocis, mutatione minima feceris *Ubios.* Strabo lib. IV. Οὐβίους μετήγαγεν Ἀγρίππας εἰς τὴν ἐντὸς τοῦ Ῥήνου. Ita igitur legimus, & accuratiſſimum ſcriptorem culpæ abſolvimus : præſertim cum teſtetur Urſinus ita ſcriptum in ſuis Mſs.

Nec ulli genti ſine juſtis & neceſſariis cauſſis bellum.] Non ea ſententia Dionis : qui Pannonios ab Octavio nulla, ne minima quidem re læſo, bello petitos ſcribit lib. XLIX.

Tantumque abſuit a cupiditate quoquo modo imperium augendi.] Hunc Auguſti animum teſtatur ejus de Alexandro dictum, quod Plutarchus refert. Dederat idem & moriens tale conſilium ſuis : quod tamen non defuere, qui ſecus interpretarentur. Tacit. I. Annal. II. *Addideratque conſilium coercendi intra terminos imperii, incertum metu, an per invidiam.* Dio lib. LVI. Γνώμην τε αὐτοῖς ἔδωκε τοῖς τε παροῦσιν ἀρκεσῆναι

obſidum fœminas exigere tentaverit : quod negligere marium pignora ſentiebat. & tamen poteſtatem ſemper omnibus fecit, quoties vellent, obſides recipiendi. Neque aut crebrius aut perfidioſius rebellantes graviore umquam ultus eſt pœna, quam ut captivos ſub lege venundaret, ne in vicina regione ſervirent, neve intra xxx annum liberarentur. Qua virtutis moderationiſque fama, Indos etiam ac Scythas, auditu modo cognitos, pellexit ad amicitiam ſuam populique Romani ultro per legatos petendam. Parthi quoque & Armeniam vindicanti facile ceſſerunt : & ſigna militaria quæ M. Craſſo & M. Antonio ademerant, repoſcenti reddiderunt : obſideſque inſuper obtulerunt : denique pluribus quondam

κεσθῆναι, καὶ μηδαμῶς τὴν ἀρχὴν ἐπαυξῆσαι ἐθελῆσαι. Deinde cauſſas adjicit.

A quibuſdam vero novum genus obſidum fœminas exigerent.] *Novum*, hoc eſt, inuſitatum, ea præſertim ætate. alioquin res non erat nova : neque id Suetonio ignotum puto, ut viſum quibuſdam. Factum olim a Romanis in Clœlia, factum a Græcis non ſemel; item ab Aſdrubale in Hiſpania. Polyb. lib. x. Προσποιηθέντες οἱ περὶ τὸν Ἀσδρούβαν ἀπιστεῖν αὐτοῖς, ᾔτησαν χρημάτων τε πλῆθος, καὶ τὰς θυγατέρας εἰς ὁμηρίας. Et initio VIII. ejuſdem, gravis illa poſita eſt ſententia: Τὸ μὲν μηδενὶ πιστεύειν εἰς τέλος ἄπρακτον· τὸ δὲ λαβόντα τὰς ἐνδεχομένας πίστεις πράττειν τὸ κατὰ λόγον ἀνεπιτίμητον· εἰσὶ δὲ ἐνδεχόμεναι πίστεις, ὅρκοι, τέκνα, γυναῖκες· τὸ μέγιστον, ὁ προγεγονὼς βίος. Tacitus de Moribus Germanorum, hoc in ea gente ut ipſi proprium obſervat.

TORRENT.

Indos etiam ac Scythas.] Hinc Hor. lib. IV. Od. XIV.

Te Cantaber non ante domabilis,
Meduſque, & Indus, te profugus Scythes
Miratur.

Miramur autem ea, quæ pulchra, eximia, atque auguſta ſunt. *mirari* enim, ut inquit Nonius Marcellus, eſt *novo aliquo obſtupefieri.*

Parthi quoque & Armeniam vindicanti.] Libri duo *Parthi & Armenii*, alter etiam *jus dicenti* pro *vindicanti*, ſed nullo ſenſu. Vide Tib. cap. IX.

Signa militaria.] Nulla unquam victoria tam gaviſum fuiſſe Auguſtum, tot tam varie ea de re ſignati nummi veteres teſtantur, cum inſcriptione: SIGNIS RECEPTIS. Vide, quæ ad Horat. notavi lib. IV. Od. ultima.

CASAUBON.

Marium pignora.] Memmii, Liſlæi & Viterb. *marum pignera.* Trogi Breviator libro XXVI. *qui nec ætatis nec pigneris reſpectu timeret.* Aliter Agrætius vetus grammaticus, *pignera rerum, pignera filiorum & affectionum.* Vocat *affectiones*, quos alii *affectus.* Volcatius Gallicanus : *Nec in ejus liberos aut affectus ſæviit.* Capitolinus : *Affectus ſuos unice dilexit: filios & nepotem, ultra morem: filiam & neptem, religioſe.* & ſæpe alibi.

Multatus eſt pœna.] Optimi libri quidam, *ultus eſt p.*

Ut captivos ſub lege venundaret.] Dio lib. LIV. de Scordiſcis, τῆς ἡλικίας τὸ πλεῖον ἐπ᾽ ἐξαγωγῇ ἀπέδοτο. ex venditionibus mancipiorum tractum, ut docemur a J. C.

Neve intra XXX. *annum liberarentur.*] Factum in Salaſſis a Terentio Varrone. Dio lib. LIII. Συνέλαβέ τε τοὺς ἐν ἡλικίᾳ καὶ ἀπέδοτο, ἐφ᾽ ᾧ μηδεὶς σφῶν ἐντὸς εἴκοσι ἐτῶν ἐλευθερωθείη. Quo ex loco ſuſpicio eſt, in Suetonio quoque legendum XX. non XXX. Non ſolum autem ſic alienabantur ſervi, ut non manumitterentur intra certum tempus : ſed etiam ut omnino ne manumitterentur. Vide JCtos.

Indos etiam ac Scythas.] Indorum & Scytharum legatos ſimul veniſſe ad Auguſtum Terraconem uſque, auctor eſt Oroſius. Ego obſervo duas legationes a Poro rege Indorum ad eundem Auguſtum. Alteram, quæ ad eum venit in Hiſpaniis bellum gerentem, cujus Oroſius meminit, & cum eo Euſebius in Chronico: qui id annotat ad annum Auguſti, ut ipſe numerat XVIII. quamvis incidit in tempus belli Cantabrici. Hi legati petendæ pacis cauſſa venerunt. Secuta eſt deinceps altera legatio, quæ ad Auguſtum A. U. C. DCCXXXIV. pervenit : quando ipſe poſt Græciam Aſiamque luſtratam, Samum per hiemem venit. Hi legati cum magnis multiſque muneribus ad ſanciendum fœdus, quod ante petierant, venerunt. De his Strabo lib. XV. & Dio lib. LIV. Regem Indorum, a quo venerunt ad Auguſtum legati, Euſebius Pandionem in Chronico appellat, non Porum. Πανδίων, ait, ὁ τῶν Ἰνδῶν βασιλεὺς φίλος Αὐγούστου καὶ σύμμαχος εἶναι παρεσκευάσαι. Venerunt poſtea & ad Trajanum Indici legati. In hiſtoriis autem Impp. Conſtantinopolitanorum ſæpe memini legere, veniſſe ad Imperatorem legatos Indorum, ut ad Conſtantinum, ad Theodoſium, Heraclium, Juſtinianum, alios.

Parthi quoque & Armeniam vindicanti facile ceſſerunt, & ſigna m.] Et hic Homerica figura eſt : nam ſigna militaria reſtituta ſunt Auguſto, ad ſtatum Orientis componendum in Aſiam & Syriam profecto, A. U. C. DCCXXXIV. Armenia autem ceſſit Phraates, quo tempore C. Cæſar Auguſti F. ad bellum Armeniacum miſſus eſt, circa annum Urbis DCCXLVIII.

Obſideſque inſuper obtulerunt.] Strabo lib. VI. & XVI. Tacitus Annal. lib. II. in principio.


TOR-

dam de regno concertantibus, nonniſi ab ipſo electum comprobaverunt. Janum Quiri- 22
num ſemel atque iterum a condita urbe memoriam ante ſuam clauſum, in multo breviore temporis

TORRENT.

22. *Janum Quirinum.*] Sic libri omnes, quos viderim; nec minore conſtantia, quotquot etiam vidi Horatii codices, eadem de re lib. IV. Od. ult. *Janum Quirini.* Nec vero eos ſequor, qui *Fanum Quirini* ibi legunt, quod in vetuſto exemplari *Eanum* pro *Janum* ſcriptum eſſe affirmant. idem enim Eanus qui Janus eſt, nempe ab eundo (quod Cic. lib. II. de Nat. Deor. tradidit) ſic dictus. Ex quo & tranſitiones perviæ *Jani*, & fores privatarum ædium *januæ* appellantur. *Janum* ergo *Quirinum* vocat Sueton. quod & ipſe bello præſit, ut Junonem quoque Quiritem in veteri marmore legimus. *Janum* vero *Quirini* Horat. quod a Romulo, quem Quirinum vocabant, templum ei Romæ ſit conditum, licet illud Numa claudere atque aperire primus inſtituerit. Livius lib. I. & alii.

In multo breviori temporis ſpatio.] Livius loco, quem modo citavimus, de Jano loquens: *Bis* (inquit) *deinde poſt Numæ tempora clauſus fuit, ſemel T. Manlio cos. poſt Punicum primum perfectum bellum; iterum (quod noſtræ ætati dii dederunt, ut videremus) poſt bellum Actiacum ab Imperatore Cæſare Auguſto, pace terra marique parta.* Ut ergo cum Livio Sueton. conſentiat, totam hanc periodum *in multo breviori temporis ſpatio*, rejiciendam cenſebat Langius, & legendum *tertio clauſit*, vel *cluſit*; non *ter*, ut in quibuſdam exemplaribus. Glareanus vero in eadem videtur fuiſſe ſententia; periodum tamen retinet, ſed eam non recte interpretatur. Alii Oroſium ſecuti, qui Auguſtum ab anno DCCXXV. ad annum DCCLII. ter clauſiſſe Janum ſcribit, nihil immutant, niſi quod *ter* quam *tertio* legere malint. Ego ſane Oroſio, adſtipulante etiam Dione, aſſentior, idemque Lipſio viſum Elector. I. cap. XX. quem ſuadeo legas. non facile tamen mihi quiſquam perſuaſerit, periodum illam germanam eſſe. Exſtant autem & Auguſti, & Neronis num-



mi, in quorum parte altera templum Jani clauſum conſpicitur, cum hac inſcripſione: JAN. CLV. & PACE P. R. TERRA MARIQ. PARTA JANUM CLUSIT.

CASAUBON.

22. *Janum Quirinum ſemel atque iterum a condita urbe clauſum.*] De Jano Quirini & portis templi ejus, deque more eas aperiendi claudendive, res omnibus hodie nota: ſed quoties id acciderit aut ante aut poſt Octavium, paucis habe, quæ quidem in iis memoriis quæ nunc exſtant, legere meminimus. Prima mentio eſt apud Livium & Plutarchum in hiſtoria Numæ: ab eo mos inſtitutus. Hujus temporibus per annos XLIII. Jani portæ clauſæ fuerunt. Anno deinde ab Urbe condita DXIX. coss. T. Manlio Torquato, C. Attilio Balbo II. clauſum eſſe iterum Janum, eodemque anno rurſum apertum multi referunt. Tertium clauſit Auguſtus A. U. C. DCCXXV. coss. ſe V. & Sexto Apulejo, poſt victum Antonium. Quartum idem Princeps coss. ipſo IX. & M. Junio Silano, quum ex bello Cantabrico Romam rediiſſet A. U. DCCXXIX. auctor Dio in ejus anni actis lib. LIII. & Oroſius clare lib. VI. cap. 21. Quintum quoque clauſit idem Imperator circa tempara nativitatis Regis & Pontificis ſummi JESU CHRISTI Domini noſtri. Dio hujus hiſtoriæ non meminit in illius anni rebus exponendis: ſed meminerant veteres alii, ex quibus ſumſiſſe Oroſium, qui diſerte notat lib. VI. cap. XXII. non dubium. Scio viros doctos hanc tertiam κλεῖσιν ad XI. ejus conſulatum referre ex inſcriptione, quæ Emeritæ in Hiſpania. cujus initium: IMP. CÆS. DIVI. F. AUGUSTUS. PON. MAX. COS. XI. TRIBUNIC. POT. X. IMP. VIII. ORBE. MARI. ET TERRA. PACATO. TEMPLO. JANI. CLUSO. Nobis aliter videtur. Putamus enim eo lapide non indicari, quo anno clauſus Janus ab Auguſto fuerit: ſed inter argumenta proſperi ſtatus florentis tum imperii clauſum Janum eſſe poſitum. Quid autem mirum, ſi priore anno clauſus nondum fuerat apertus? non enim aperiebatur niſi cauſſa eſſet. Sic tertium ab eodem clauſus per annos multos (fere duodecim, ait Oroſius) ad Varianam uſque cladem manſit obſeratus. tum apertæ ejus templi fores ad Neronis uſque tempora patuerunt. Sextum clauſit Nero, ſe III. & Valerio Meſſalla coss. anno U. C. DCCCXI. Septimum (Tacitus & Oroſius ajunt ſextum, quia Nero ſine vera cauſſa clauſerat) Veſpaſianus A. U. C. DCCCXXIV. coss. ſe III. & Nerva. Magnum deinceps altumque ſilentium apud hiſtoricos ſuper Jani portis. Manſiſſe tamen conſuetudinem antiquam, teſtatur Capitolinus in Gordiano Juniore. Ait enim coss. Prætextato & Attico, qui eſt annus conditæ Urbis DCCCXCV. Gordianum Jano aperto, quod ſignum erat indicti belli, profectum eſſe contra Perſas. Sed & ſub Chriſtianis Impp. ſervatum aliquamdiu vetus hoc inſtitutum, teſtis locuples Ammianus lib. XVI. qui in hiſtoria rerum geſtarum a Conſtantio, clauſi ab eo Jani mentionem facit. Id accidit poſt victum

temporis ſpatio, terra marique pace parta, ter clusit. Bis ovans ingreſſus eſt urbem, poſt Philippenſe, & rurſus poſt Siculum bellum. Curules triumphos treis egit,
23 Dalmaticum, Actiacum, Alexandrinum: continuo triduo omnes. Graves ignominias cladeſque, duas omnino, nec alibi quam in Germania, accepit, Lollianam & Varianam: ſed Lollianam majoris infamiæ, quam detrimenti: Varianam pæne exitiabilem, tribus legionibus, cum duce legatiſque & auxiliis omnibus, cæſis. Hac nuntiata excubias per urbem indixit, ne quis tumultus exiſteret: & Præſidibus provinciarum propagavit imperium, ut & a peritis & aſſuetis ſocii continerentur. Vovit & magnos ludos Jovi Opt. Max. SI RESPUBLICA IN MELIOREM STATUM VERTISSET: quod factum

ctum Magnentium, cum ſublatis omnibus tyrannis unus ille Romani orbis Dominus exſtitit A. U. C. CIƆ CV.

VARIOR.

22. *Janum Quirinum ſemel atque iterum.*] Vix eſt, ut hinc non ſit corrigendus Horatius lib. 4. Od. ult. Feſtus in *Opima*: TERTIA. SPOLIA. JANO. QUIRINO. AGNUM. MUREM. CÆDITO. Macrobius I. Saturn. 9. *In ſacris quoque invocamus Janum Geminum, Janum Patrem, Janum Junonium, Janum Conſivium, Janum Quirinum.* Nihil ergo mutandum in Suetonio. GRONOVIUS.

TORRENT.

Curules triumphos.] *Curules* vocat ad differentiam ejus, quod paulo ante dixit, *bis ovans ingreſſus eſt.* ſic enim & Tib. cap. IX. *Et ovans, & curru Urbem ingreſſus eſt.*

23. *Lollianam & Varianam.*] Variana omnibus nota, Lolliana non ita. de qua tamen Dion lib. LIV. Et ſane plus terroris quam periculi habuit. Adde, ſi lubet, Euſebium Chronicis, Olymp. cxc.

Ut & a peritis & aſſuetis.] Liber Ferrarienſ. *ut aſſuetis, & a peritis.*

Si rempubl.] Legerim, *Si reſpubl.*

CASAUBON.

Terra marique pace parta.] Formula frequens in Auguſti nummis & ſtatuis olim. Roſtratæ ſtatuæ, quæ ei poſita eſt decreto ſenatus poſt victum Sext. Pompejum, inſcriptio fuit hæc: OB. PACEM. DIU. TURBATAM. TERRA. MARIQUE. PARTAM. Apud Appianum Ἐμφυλίων libro V. ita hunc locum leges: Καὶ ἐπινίκιος ἐν ἀγορᾷ χρύσεος ἑστάναι μετὰ σχήματος ὅπερ ἔχων εἰσῆλθε, περικειμένων τῷ κίονι νεῶν ἐμβόλων· καὶ ἔστη μὲν ἡ εἰκὼν ἐπιγραφὴν ἔχουσα, ΟΤΙ ΤΗΝ ΕΙΡΗΝΗΝ ΕΣΤΑΣΙΑΣΜΕΝΗΝ ΕΚ ΠΟΛΛΟΥ ΣΥΝΕΣΤΗΣΕ ΚΑΤΑ ΤΕ ΓΗΝ ΚΑΙ ΘΑΛΑΣΣΑΝ. vulgo legitur περικειμένῳ τῷ κίονι νεῶν ἐμ, nullo ſenſu. intelligit roſtra captivarum navium circum columnam fuiſſe affixa, cui ſtatua Auguſti ſuperpoſita.

Poſt Philippenſe.] Eſt ita: poſt bellum Philippenſe ovavit primo Octavius. non tamen verum eſt, quod videtur ſenſiſſe Suetonius, ex ea victoria eum ovaſſe. Nam contra ea ovatio titulum & cauſſam habuit, pacem factam cum M. Antonio: qui & ipſe eundem ſimul honorem uſurpavit A. U. C. DCCXXXIV. auctor Dio & Faſti Capitolini: in quibus de duabus Octavii ovationibus hæc leguntur: IMP. CÆSAR. DIVI. F. C. N. III VIR. R. P. C. OV........ QUOD. PACEM. CUM. M. ANTONIO. FECIT. & de ovatione ex Sicilia: IMP. CÆSAR. DIVI. F. C. N. III. V. R. P. C. II. A. DCCXVII. OVANS. EX. SICILIA. IDIBUS. NOVEMBR.

Dalmaticum.] Illyrium quidam appellant. in his Appianus: contra hiſtoriam & veritatem.

23. *Sed Lollianam majoris infamiæ quam detrimenti.*] Vellejus Paterculus lib. II. c. XCVII. *Sed dum in hac parte imperii omnia geruntur proſperrime, accepta in Germania clades, ſub legato M. Lollio, homine in omnia pecuniæ quam recte faciendi cupidiore, & inter ſummam vitiorum diſſimulationem vitioſiſſimo: amiſſaque legionis quintæ aquila, vocavit ab urbe in Gallias Cæſarem.* Dio narrat in anno, qui habuit coſs. L. Domitium, P. Scipionem. Unus, quod ſciam, eſt Euſebius, qui Lollii hujus non cladem in Germania, ſed victoriam de Germanis commemoret. Notat ille ad annum quartum Olympiadis cxc. *Germanicos in arma verſos M. Lollius ſuperat.*

Excubias per urbem indixit.] Ita ſolitum in omni tumultu & ad omnem cladis acceptæ nuntium, ut ſæpe apud Livium. Tum vero cauſſa præcipua fuiſſe videtur, quod erant in urbe Germani Gallique milites non pauci. vide infra cap XLIX.

Vovit & magnos ludos Jovi Opt. Max.] Dio lib. LV. prius factum notat ob aliam occaſionem. Eum lege. Ait autem, κατά τε τῆς πανηγύρεως τῆς μεγάλης ηὔξατο. Eleganter Dio, εὔχεσθαι κατὰ, pro *vovere* dixit, uſitato Demoſtheni & aliis loquendi genere, ut pridem ad Dionyſ. Halicar. notare meminimus. Male igitur interpretes Dionis omnes ſinceram lectionem ſuis emendationibus depravant.

SI REMPUBLICAM IN MELIOREM STATUM VERTISSET.] Lege SI RESP. ex ſuggeſtione libri Memmiani & Pithoei. Elegans & vetus locutio.

factum Cimbrico Marſicoque bello erat. Adeo denique conſternatum ferunt, ut per continuos menſes barba capilloque ſummiſſo, caput interdum foribus illideret, vociferans: Quinctili Vare, legiones redde: diemque cladis quotannis mœſtum habuerit ac lugubrem. In re militari & commutavit multa, & inſtituit: atque etiam ad antiquum 24
morem

TORRENT.

Diemque cladis.] Ante diem IV. Non. Sextil. quo die etiam Cannenſis clades contigit.

CASAUBON.

Quod factum Cimbrico Marſicoque bello erat.] Nempe ut ludi magni voverentur ſub eadem conditione: nam alioquin ſæpe alias ex votis ducum SI HOSTEIS FUDISSENT, iidem ludi ſunt celebrati: ut Q. Servilii Ahalæ dictatoris apud Livium lib. VII. & Camilli item dictatoris, ibidem, & alibi item.

Caput interdum foribus illideret.] Iſtud eſt, quod Græci eleganter dicunt τὴν περιπέτειαν οὐ κατὰ σχῆμα φέρειν, ut Polybius III. qui etiam in VI. idem loquendi genus uſurpat; ſed aliter. M. Tullius vocat *deteſtabilia genera lugendi*, in tertia Tuſculanarum: *Ex hac opinione ſunt illa varia & deteſtabilia genera lugendi, pœdores, muliebres lacerationes genarum, pectoris, feminum, capitis percuſſiones.* Similis ex impatientia ἀσχημοσύνης exempla apud poetas & hiſtoricos paſſim obvia. Seneca de Ira: *Quid opus eſt menſam evertere? quid pocula affligere? quid ſe in columnas impingere?* in Ciceronis Oratore: *Incurriſti amens in columnas.* quanquam ejus facti non tam impatientia quam inſania videtur cauſſa exſtitiſſe. Apud Capitolinum in Maxiininis: *Jaciebat ſe in parietes, nonnunquam terræ ſe proſternebat.* Ibidem: *Incurrere in parietes, veſtem ſcindere videbatur.* Appianus de Carthaginenſib. Ἔς τε τὴν γῆν σφᾶς ἐῤῥίπτουν καὶ χερσὶ καὶ κεφαλαῖς αὐτὴν ἔτυπτον. & ſimilia his multa: ſed quod ait Suetonius *foribus*, neſcio an non ſit in eo aliquid religionis: utique ſi ad fores ædium ſacrarum referas. Tibullus:

Non ego tellurem genibus perrepere ſupplex,
Et miſerum ſancto tundere poſſe caput:
Non ego, ſi merui, dubitem procumbere templis,
Et dare ſacratis oſcula liminibus.

Putabant hac ſui injuria leniri deum iram. Cicero lib. III. Tuſculanarum, cauſſas lugendi enumerans: *Accedit ſuperſtitio muliebris quædam. Exiſtimant enim diis immortalibus ſe facilius ſatisfacturos, ſi eorum plaga perculſi, afflictos ſe & ſtratos eſſe fateantur.* ex qua opinione multa fluxerunt in veteres ritus. Sed Suetonii verba & Florus & Oroſius ſimpliciter acceperunt, & *parietem* pro *foribus* ambo poſuerunt. ſic apud Græcos: παίειν τὴν κεφαλὴν πρὸς τὸν τοῖχον.

Diemque cladis quotannis mœſtum habuerit ac lugubrem.] Nihil variant alii codd. Cujacii ſic: *Diemque cladis, quem damnis mœſtum ac lugubrem habuerat, memorans.* Fortaſſe non male, ſi modo ſcripſeris, *quem damnis aliis mœſt.* Sic fieri ſolet in omni lamentatione, ut ſi quid unquam in longa vita nobis adverſi eodem tempore contigerit, memoremus. Quæ ſint autem illa damna, divinare difficile eſt. Sed cladis ipſius Varianæ quis fuit dies? Quæſivi enim, & cum cura quidem. fruſtra. neminem enim veterum hiſtoricorum exorare potui, ut id me doceret. Non Dionem, non Tacitum, Florum, Zonaram, qui omnes hanc cladem (copioſius alii, alii brevius) commemorant: omnes diem tam inſignem quaſi ex compacto reticent. Video tamen Beroaldum, Torrentium, alioſque, incompertum nobis diem reperiſſe; nempe accidiſſe hanc ſtragem a. d. IV. Non. Sextil. quo etiam die ad Cannas male olim pugnatum a Romanis. Mirabar, quis hoc illos docuiſſet: nam præter ſuperiores hiſtoricos, etiam Plutarchus id nobis invidit, cum in Camillo de diebus atris diſputans, ſimiles hujuſmodi caſus non indiligenter colligeret. ſed animadverti poſtea, manaſſe hoc παράκουσμα ἱστορικὸν ab uno Beroaldo, qui primus id notavit ad hunc Suetonii locum: ex eo reliqui εὐχερῶς nimis & ἀβασανίστως. Beroaldum, qui falſo hiſtoricos id tradere ait, decepit Flori hic locus e libro IV. 12. 35. *Varus perditas res eodem, quo Cannenſem diem Paulus, & fato eſt & animo ſecutus.* Putavit Florum hoc dicere, Varum eo die periiſſe, quo Paulus Cannenſi prælio. Atqui Florus eleganter & εὐφήμως *diem* pro clade uſurpat. Sic plane nos Franco-Celtæ *la journée* pro clade vel pugna decretoria. Sic idem Florus lib. II. cap. VI. de Annibale & Scipione loquens: *Non fuit major ſub imperio Romano dies, quam ille, cum duo omnium & antea & poſtea ducum maximi, ille Italiæ, hic Hiſpaniæ victor, collatis cominus ſignis direxere aciem.* olim ſeu ferro, ſeu judicio controverſia diſceptanda erat, dies certus aſſignari ſolitus: ex eo more cœpit vox *dies* pro die prælii aut clade ea die accepta uſurpari. & ſimiliter pro *judicio*: quod in Cilicum idiotiſmo familiare fuiſſe teſtis Hieronymus. inde illud Pauli Apoſtoli: ἀνακρίνεσθαι ὑπὸ ἀνθρωπίνης ἡμέρας.

24. *In re militari & commutavit multa & inſtituit.*] Exempli gratia, quod notat Iſidorus libro XVIII. cap. III. *Pilam in ſigna conſtituiſſe fertur Auguſtus, propter nationes in cuncto orbe ſubjectas, ut magis figuram orbis oſtenderet.* Cujus tamen hiſtoriæ βεβαιωτὴν idoneum poſcerem libens Iſidorum.

TOR-

morem nonnulla revocavit. diſciplinam ſeveriſſime rexit, ne legatorum quidem cuiquam, niſi gravate, hiberniſque demum menſibus, permiſit uxorem interviſere. Equitem R. quod duobus filiis adoleſcentibus, cauſſa detrectandi ſacramenti pollices amputaſſet, ipſum bonaque ſubjecit haſtæ: quem tamen, quod imminere emtioni publicanos videbat, liberto ſuo addixit, ut relegatum in agros pro libero eſſe ſineret. Decimam legio-

nem

TORRENT.

24. *Hiberniſque demum menſibus.*] Lib. unus ſic, *hiberniſque permiſit menſibus domum uxorem interviſere.* Et quoniam hic diſciplinæ militaris Auguſti fit mentio, libet adſcribere Macri J. C. verba l. XII. de Re milit. *In diſciplina Auguſti ita cavetur*, &c.

Pollices amputaſſet.] Arrius Menander J. C. l. III. de Re militari: *Qui filium ſuum ſubtrahit militiæ belli tempore, exilio, & bonorum parte multandus eſt; ſi in pace, fuſtibus cædi jubetur.* & paulo poſt: *Eum, qui filium debilitavit delectu per bellum indicto, ut inhabilis militiæ ſit, præceptum Divi Trajani deportavit.* Fortunatianus Rhetor: *Decem milites tempore belli pollices ſibi amputaverunt. Rei ſunt læſæ reipub.* Marcellinus de Gallorum moribus loquens: *Neque illorum quiſquam, ut in Italia, munus Martium extimeſcens pollicem ſibi præcidit, quos jlocaliter murcos appellant.* Apud Val. Max. ſenatus C. Vettienum, qui ſiniſtræ manus digitos, ne militaret, abſciderat, publicatis bonis, æternis vinculis puniendum cenſuit. Idem auctor narrat, Athenienſes Æginenſium juventuti pollicem abſcidiſſe, ne ſecum claſſe contenderent. qua de re etiam Ælianus Variar. hiſt. lib. II. & Cic. de Off. lib. III. Inf. Tib. cap. VIII.

Imminere emptioni publicanos.] Publicani, ut ex equeſtri erant ordine, faventes equiti, emere eum ſub haſta, ac continuo dimittere volebant. quod ut caveret Auguſtus, ſuo ipſum liberto addixit.

Decimam legionem.] Ut nonam Julius apud Placentiam. ſup. cap. LXIX.

CASAUBON.

Diſciplinam ſeveriſſime rexit.] Urſini codd. ut ipſe teſtatur, *exegit*: quod etſi non improbo, pluris tamen apud me eſt tot libb. conſenſus. Sic *regere diſciplinam* leges & apud alios inferioris ævi hiſtoricos, hujus plerumque æmulos.

Ne legatorum quidem cuiquam.] Non ſolum ergo militum uxores, ſi qui forte per illa tempora uxores habuere, ſed ne legatorum quidem, maritos in provincias comitari ſolitæ. Quod poſtea tamen licentia temporum vivo adhuc Auguſto (imo ipſius Auguſti exemplo, qui in occidentem atque orientem ſæpius meavit comite Livia) mutari cœpit: & magis Tiberii principatu. Apparet ex ea relatione Cæcinæ, cujus Tacitus meminit libro III. Annal. XXXIII. *Inter quæ Severus Cæcina cenſuit, ne quem magiſtratum, cui provincia obveniſſet, uxor comitaretur.* Juvenalis Sat. VIII. de rectoribus provinciarum loquens:

Si tibi ſancta cohors comitum, ſi nemo tribunal
Vendit acerſecomes, ſi nullum in conjuge crimen:
Nec per conventus, & cuncta per oppida curvis
Unguibus ire parat nummos raptura Celæno:
Tunc licet a Pico numeres genus.

Niſi gravate.] Sic prima editio. ſcripti fere *gravato*, quod idem eſt. μόλις, χαλεπῶς. non, ut quidam explicant, graviter affecto.

Ipſum bonaque ſubjecit haſtæ.] Ut in aliis, ita in hoc quoque veterem morem retulit Auguſtus: teſtes Livius, Dionyſius, Cicero, Valerius Max. & JCti lege quarta Dig. de re militari §. *Gravius.* Vide amplius Feſtum in *portiſculus*, & quæ ad eum locum magnus interpres notat. Vetus ſcriptor apud Suidam: Ἐμαστιγοῦτο ῥάβδοις, εἶτα ἐπ' ἐξαγωγῇ ἐπιπράσκετο, δειλίας καὶ ἀποδράσεως τίμημα φερόμενος, δοῦλος εἶναι. Videntur Polybii eſſe verba, & ad Romanos mores referenda. Sed hæc fuſe ad Polybii lib. I.

Relegatum in agros.] More ſervorum, qui dominum offenderant. Ulp. l. XXXV. Dig. de hered. inſt. *Si ſervus fuerit miſſus in villam, interim illic futurus, quia dominum offenderat, quaſi ad tempus relegatus.* Livia quoque cara illa fœmina, apud Dionem inter leviores pœnas, quibus civium delicta caſtigari vult ab Octavio, κατάκλεισιν ἐν ἀγρῷ non permitit.

VARIOR.

24. *Pro libero.*] Sed ut tamen non eſſet liber. Sic *pro uxore peregrinam haberi*, queritur apud Terentium ſenex, quæ habebatur loco uxoris, nec eſſet tamen uxor legitima. Qualis & ea, quæ pleno honore diligitur, nec tamen liberos edit legitimos, cujus mentionem facit Papinianus l. 16. §. 1. ff. de his, quæ ut indign. Quæ lex, ejecta gloſſa, ita legenda eſt: *Quoniam ſtuprum in ea contrahi non placuit, quæ ſe non patroni concubinam eſſe patitur, ejus, quod teſtamento relictum eſt, actio non denegabitur. Idque in teſtamento Cocceji Caſſiani, clariſſimi viri, qui Rufinam ingenuam honore pleno dilexerat, optimi maximique Principes noſtri judicaverunt: cujus filiam, quam alumnam, teſtamento Caſſianus nepti coheredem datam, vocaverat, vulgo quæſitam apparuit.* Et forte ſcripſit hic etiam Papinianus, *quam quod alumnam*: quoniam ſic deprehendetur manifeſtius mens Juriſconſulti. Sed ſive ea emendatio recipiatur, ſive non, ſententia tamen erit,

 quamvis

nem contumacius parentem, cum ignominia totam dimiſit: item alias immodeſte miſſionem poſtulantes, citra commoda emeritorum præmiorum exauctoravit. cohortes, ſi quæ ceſſiſſent loco, decimatas hordeo pavit. centuriones, ſtatione deſerta itidem, ut manipulares, capitali animadverſione puniit: pro cætero delictorum genere variis ignominiis affecit: ut ſtare per totum diem juberet ante Prætorium: interdum tunicatos, diſcin-

quamvis Caſſianus Rufinam pleno dilexerat honore, ex eo tamen, quod filiam ex ea prognatam ſibi vocarit alumnam, ſatis manifeſte conſtitiſſe, non legitimum cum ea fuiſſe conjugium. Nam quamvis alumnus proprie ſit, vel qui nutrit, vel qui nutritur, antiquitus tamen obtinuit, quorum ob natales parentes puderet, quos tamen affectu complecterentur, ut eos non filios dicerent, ſed alumnos. Et hinc vocat Virgilius, illegitimo ex Jove natum concubitu:

----*Tityum, Terræ omniparentis alumnum,*

non filium; quamvis Nonius Marcellus *alumnum* iſto loco ſimpliciter interpretetur de filio, & Servius notet: *Tityus ſecundum alios filius Terræ fuit, ſecundum alios a Terra nutritus. Unde elegit ſermonem, quo utrumque ſignificaret.* Sed nemo fuit, qui filios, ex legitimo concubitu natos, unquam alumnos vocarit. Atque ita ex eo, quod Caſſianus ex Rufina prognatam ſibi, nominarit *alumnam*, non juſtum ſibi cum Rufina fuiſſe connubium apparuit. Et hæc, ſi quid video, eſt vera ſententia iſtius legis, quæ varie exercuit Cujacium v. Obſervat. 6. Ranchinum III. Variar. Lection. & Merillum III. Obſervat. 17. GOESIUS.

TORRENT.

Citra commoda emeritorum præmiorum.] Sic omnes codd. & tamen non dubito, quin dictio *præmiorum* adulterina ſit; niſi interpoſita copula *& præmiorum* præſtat legere. aliud enim *præmia*, aliud *emerita*. nam *præmia* ultra *emerita* dabantur. Modeſtinus l. III. de Re milit. *Qui militiæ tempus in deſertione implevit, emerito privatur.* & iterum: *Ut veteranus reſtituetur, & emerita accipiet.* Item Arrius Menander l. v. eod. tit. *Et præmia, & emeritum capiet.* Ipſe Sueton. inf. cap. XLIX. *ſtipendiorum, præmiorumque.* & Calig. cap. XLIV. *commoda emeritæ militiæ.* Vide inf. cap. XLIX.

Hordeo pavit.] Ignominiæ cauſa ſcilicet, hordeum pro tritico dari jubens. Sic & Marcellus bello Punico ſecundo, ut in ejus vita refert Plutarchus, & Livius l. XXVII. cohortibus, quæ ſigna amiſerant, hordeum præbuit. Idem de Antonio Dion lib. XLIX. & Plutarch. ejus vita. Bello autem Dalmatico id feciſſe Auguſtum, apud Dionem legimus. Sed & Vegetius lib. I. De Re militari cap. XIII. *Ita ſevere* (inquit) *apud majores exercitii diſciplina ſervata eſt, ut & doctores armorum duplicibus remunerarentur annonis, & qui parum in illa præluſione profecerant, pro frumento hordeum cogerentur accipere, &c.*

Statione deſerta.] Modeſtinus l. III. de Re milit. *Qui ſtationis munus relinquit, pluſquam emanſor eſt. Itaque pro ratione delicti caſtigatur, aut gradu militiæ dejicitur.* Auguſtus hoc delictum capite puniit.

Variis ignominiis.] Quales apud Frontinum ſæpe legimus, ut lib. IV. cap. I. & apud Valer. Maximum lib. II. cap. VII. Gellium lib. X. cap. VIII. Feſtum in *Cenſio* & *Dirutum.* Neque ſane militi ulla gravior contumelia eſt, quam ſi pagani loco habeatur, diſcinctuſque ac tunicatus incedere, aut ſtare, aut foſſam fodere cogatur. De quo animadverſionis genere etiam Plutarch. Lucullo.

CASAUBON.

Citra commoda emeritorum præmiorum exauctoravit.] Sic & noſtri libb. ut Torrentii, omnes.

Cohortes, ſi quæ ceſſiſſent loco, dec.] Habes exemplum in ea cohorte, quæ ad Promonam loco ceſſiſſet bello Dalmatico. Appianus in Illyricis. De ignominia κριθοφαγίας nemo melius Polybio lib. VI. meminit etiam Dio libro XLIX. non uno loco.

Ut ſtare per totum diem juberet.] Inter leniores animadverſiones veterum fuerunt & ἕδραι & ςάσεις ἄτιμοι. Ac videtur ejus moris auctor fuiſſe Charondas, quem ait Diodorus Siculus lib. XII. genus hoc ignominiæ, ſummi ſupplicii loco in eos ſtatuiſſe, qui vel ordinem in acie deſeruiſſent, vel qui in delectu ad nomina non reſponderent. Προσέταξεν, ait, τοὺς τοιούτους ἐν τῇ ἀγορᾷ ἐφ᾽ ἡμέρας τρεῖς καθῆσθαι ἐν ἐσθῆσι γυναικείαις. Livia apud Dionem lib. LV. in præcipienda clementia Auguſto, ſic loquitur: Καὶ ἤδη γέ τινες καὶ ὑπὸ τοῦ μὴ τυχεῖν ὧν ἤλπιζον, καὶ ὑπὸ τοῦ διαμαρτεῖν ὧν ἐφίεντο, ἐσωφρονίσθησαν· ἕδραι τε ἄτιμοι, καὶ ςάσεις ἐπονείδισοι, τό, τε προλυπηθῆναι, καὶ τὸ προφοβηθῆναι συχνοὺς βελτίους ἐποίησε. Vult animum conjugis a gravioribus ſuppliciis avertere & leniores malorum pœnas proponit, quibus potius utatur: in his ἕδρας ἀτίμους καὶ ςάσεις ἐπονειδίςους, *ſeſſiones inhoneſtas & ſtationes ignominioſas.* Plato de Leg. IX. ἀμόρφους ἕδρας, καὶ ςάσεις καὶ παραςάσεις in eandem rem commemorat: cujus locum videtur Livia, vel Dio potius, imitari. quod ſi obſervaſſent Xiphilini interpretes, non tam turpiter erraſſent. Plutarchus in Antonio, κλισίαις ἀτίμοις προπηλακίζεσθαι non diſſimiliter dixit. Reperio in diſciplina militari Dacorum ſimilem animadverſionis modum. Juſtinus lib. XXXII. 3. *Daci ſuboles Getarum ſunt: qui cum Orole rege adverſus Baſtarnas male pugnaſſent, ad ultionem ſegnitiæ, capturi ſomnum capita loco*

25 diſcinctoſque, nonnumquam cum decempedis, vel etiam ceſpitem portantes. Neque poſt bella civilia, aut in concione, aut per edictum, ullos militum, commilitones appellabat, ſed milites : ac ne a filiis quidem, aut privignis ſuis, imperio præditis, aliter appellari paſſus eſt : ambitioſius id exiſtimans, quam aut ratio militaris, aut temporum quies, aut ſua domuſque ſuæ majeſtas poſtularet. Libertino milite, præterquam Romæ incendiorum cauſſa, & ſi tumultus in graviore annona metueretur, bis uſus eſt : ſemel

loco pedum ponere juſſu regis cogebantur. Sed genere iſto objurgandi, quod plus habet ignominiæ quam cruciatus, plurimum uſi veteres Romani in diſciplina militari ſancienda. exempla ſunt apud Livium lib. XXVII. & Valer. Max. lib. II. de C. Titio equitum præfecto, qui arma hoſtibus tradiderat, & alibi alia.

Interdum tunicatos.] Demptis ſagulis, quibus militiæ Romani utebantur. Lampridius in Alexandro c. 54. de exauctoratis militibus loquens : *Depoſitis etiam ſagulis militaribus, omnes non ad caſtra, ſed ad diverſoria varia receſſerunt.* De iiſdem ſentit Herodianus lib. II. XIII. in exauctoratione prætorianorum, qui Pertinacem neci tradiderant, τάς τε ζώνας καὶ τὰς ἐσθῆτας καὶ εἴ τι σύμβολον ἔφερον στρατιωτικὸν, ἀφαρπάσαντες, γυμνοὺς ἐξέπεμπον. Tunicatum apparere in publico, magnum Romæ & in caſtris fuit vilitatis & humilis ſortis argumentum. Contra, interdum toga ignominiæ cauſſa ſumi juſſa : ſed abſciſſis laciniis deformis, ut apud Valer. Max. lib. II. Nec diſſimilis hiſtoria eſt, quæ narratur primo Paralipomenων, cap. XX. nam ibi quoque ignominiæ cauſſa veſtis præciditur.

TORRENT.

25. *Incendiorum cauſa.*] Pluribus una die exortis incendiis, ſeptem cohortes opportunis locis conſtituit Auguſtus, ut binas regiones Urbis unaquæque cohors tueretur, præpoſitis eis tribunis, & ſuper omnes ſpectabili viro, qui præfectus vigilum appellabatur. Paullus & Ulpianus lib. I. Pandectar. de Officio Præfecti vigilum. Hos initio libertini generis fuiſſe oſtendit Sueton. de eadem re loquens, inf. cap. XXX.

CASAUBON.

Diſcinctoſque.] Plut. ἀζώστους, Polyænus λυσιζώνους. Olim qui aliquid ſerii facere parabant, cingulo veſtes alias fluxas conſtringebant : quod proprie Latini dicunt *accingere ſe operi.* inde homo navus εὔζωνος dictus. Sed, ſi res urgeret, diſcincti opus aggrediebantur. Heſiodus : Γείτονες ἄζωστοι ἔκιον, ζώσαντο δὲ πηοί. Valet ibi ἄζωστος, ſine mora ulla, aut tergiverſatione. Ideo notant Græci litteratores, poni ζώσασθαι interdum ἐπὶ ἀργίας. Adimebantur autem militibus ignomiæ cauſſa cum cingulo interdum & calcei, ſive caligæ. Valerius Max. lib. II. cap. VII.

Cum decempedis vel etiam ceſpitem portantes.] Hoc pacto indicabatur regradatio. In militia Romana ſua cuique pro loco, quem obtinebat in matriculis, dignitas : ut quiſque fortiter fecerat, aut flagitium admiſerat, ita vel præponebatur aliis, vel poſtponebatur, ut leg. III. Cod. de Commeatu. Infimus gradus erat tironum militiam auſpicantium, & caligatorum, quos nullum adhuc facinus egregium in altiorem promoverat gradum. His omnia fere incumbebant militiæ munia : nam in multis eorum opera utebantur tribuni & centuriones, plane in modum ſervorum, ut ipſi queruntur apud Tacit. prim. Annal. Inde ſunt iſti *munifices* appellati : quibus opponebantur *beneficiarii*, qui vacationem munerum militarium habebant. Qui igitur contra militarem diſciplinam aliquid admiſerant, ii regradatione puniebantur, fiebantque amiſſo ordine in quem promoti fuerant, pro *beneficiariis munifices.* Sic refert Val. Max. ſenatum permiſiſſe M. Marcello, ut eorum opera in expugnatione Syracuſarum uteretur, qui apud Cannas rempub. deſeruerant : ſed ita, *dum ne quis ex eis munere vacaret.* Inde eſt, quod Auguſtus centuriones ignominiæ cauſſa jubet cum decempedis ſtare ceſpitem portantes : quorum multus uſus in tabernaculis conficiendis, aliiſque obeundis militiæ muneribus.

Ceſpitem portantes.] Polyænus : Ἐκέλευσε πλινθοφορεῖν δι᾽ ὅλης ἡμέρας. non exprimit vocem Latinam *ceſpes* : neque enim eſt πλίνθος, ſed γῆς ἐκτομὴ βαθεία, ut Plutarchus vertit in Pompejo. Gloſſarium : *Ceſpes*, χορτόχλινθος, χορτότολος, πλῆθος. legendum χορτόπλινθος, χορτόβωλος, πλίνθος. Poterat omittere tertiam interpretationem. Animadvertimus & alios auctores Græcos in ea voce exprimenda laborare.

25. *Ambitioſius id exiſtimans, quam aut ratio mil.*] *Ambitioſius*, hoc eſt, blandius & κολακικώτερον. nam appellare milites *commilitones* ejus ducis eſt, qui per blanditiam ſuos in officio velit retinere. Juſtinus libro XIV. 2. 8. *Itaque Eumenes blandimentis agere, ſuppliciter ſingulos alloqui, nunc commilitones ſuos, nunc patronos appellans.*

Libertino milite.] Servis in id ipſum manumiſſis. Vetuſtiores *libertos* vocabant, poſterior ætas etiam *libertinos.*

Si tumultus in graviore annona metueretur.] Qui metus frequens in Urbe : utique poſtquam populus Rom. ſuffragii jure amiſſo cœpit curare panem & Circenſes ſolum. Vide Suetonium in Claudio, Symmachum locis plurimis, & Ammianum Marcell.

Bis uſus eſt.] Dio in actis anni DCCLIX & DCCLXII. Macrobius lib. III. *Cæſar Auguſtus in Germania & Illyrico cohortes libertinorum complures legit, quas voluntarias appellavit.*

ſemel ad præſidium coloniarum Illyricum contingentium: iterum ad tutelam ripæ Rheni fluminis. eoſque ſervos adhuc viris fœminiſque pecunioſioribus indictos, ac ſine mora manumiſſos, ſub priore vexillo habuit, neque aut commiſtos cum ingenuis, aut eodem modo armatos. Dona militaria aliquanto facilius, phaleras & torques, quidquid auro argentoque conſtaret, quam vallares ac murales coronas, quæ honore præcellerent, dabat: has

TORRENT.

Periculoſioribus.] Edit. Frobeniana, & tres MSS. *pecunioſioribus.* atque ita omnino legendum, niſi *peculioſioribus* quis fortaſſe mallet.

Sub priore vexillo.] Quod (ut arbitror) prima acie eos collocaret, uti & accenſos ſolebant, ac minimæ fiduciæ manum. Mallem tamen *ſub proprio vexillo.*

Vallares ac murales.] Vallaris eadem quæ caſtrenſis eſt, inſigne valli habens, qua donatur is, qui primus hoſtium caſtra pugnans introivit. Cum autem, teſte Gellio lib. V. c. VI. & caſtrenſis ſeu vallaris, & muralis quoque, uti & navalis, aureæ fuerint, pro *quicquid auro argentoque conſtaret*, legere malim *quanquam auro argentoque conſtaret.* torques ſcilicet & phaleræ, tralatitia militum dona. Juvenal. Sat. ultima:

Ut læti phaleris omnes, & torquibus omnes.

CASAUBON.

Servos adhuc viris pecunioſioribus indictos.] Quæ, malum! iſta dementia eorum, qui *periculoſioribus* hoc loco ſcripſerunt? quæ porro doctos viros ſuperſtitio inceſſit, ut ineptiſſimam lectionem tam diu retinerent? Neque illos probo, qui *peculioſioribus* legunt. nam ea vox neque ferri poteſt, neque ullius ἀξιοπίστου libri auctoritate nititur. in omnibus enim, noſtris quidem, eſt vera lectio, *pecunioſioribus.* Dio lib. LV. Παρά τε τῶν ἀνδρῶν καὶ παρὰ τῶν γυναικῶν δούλους πρὸς τὰ τιμήματα αὐτῶν σὺν τροφῇ ἑκμήνῳ λαβὼν ἠλευθέρωσεν. Ubi πρὸς τὰ τιμήματα verte *ex cenſu.* Vellejus in eadem hiſtoria II. III. *Viri fœminæque ex cenſu libertinum coactæ dare militem.* Supina prorſus negligentia interpretum Dionis eum locum perperam interpretantium. Iterum vero teſtificari cogimur, *pecunioſioribus* ſcriptum in melioris notæ libris omnibus, ut Viterb. Pithœi, Liſſæi, cæteris: id ut non eſſet, tamen ex Dione facile erat videre intelligenti harum literarum, ſic legi debere. Hæc nobis animadverſa nuper & liquido probata. Quod nunc repetimus, in cauſſa eſt viri docti, quam hiſce diebus non ſine admiratione legebamus, diſputatio, contendentis *peculioſioribus* recte ſcribi. Quæſo autem, quo argumento? non alio validiore, quam quod Sidonio dicatur *ager peculioſus in paſcoribus.* Epiſtol. lib. III. Sed profecto ἄλλο γλαὺξ, ἄλλο κορώνη φθέγγεται: aliter, inquam, loquitur Suetonius, aliter Sidonius. Mihi vero is ſcriptor in re Latinitatis, *improbus inteſtabiliſque eſt.*

Sub priore vexillo habuit.] Malim *ſub primore vex.*

Quicquid auro argentoque conſtaret.] Lege, *&* *quicquid.* nam omnino ita poſtulat ſententia. Militarium donorum atque adeo omnium præmiorum duo ſunt genera: quædam τιμῆς σημεῖον ſolum habent, ut palma, θαλλός, haſta pura, corona graminea, vel querna, & id genus per ſe nullius pretii vel parvi: ſed quæ in pretio habentur propter id, quod per illa ſignificatur. In quibuſdam ineſt & κτήματος δόσις & τιμῆς σημεῖον conjunctim. Hæc proprie δῶρα appellat Ariſtoteles: ac notat vere propterea & opum & gloriæ cupidos doni eſſe appetentes: Ἀμφοτέρους γὰρ ἔχει, ὧν δέονται· καὶ γὰρ κτῆμά ἐστιν, οὗ ἐφίενται οἱ φιλοχρήματοι· καὶ τιμὴν ἔχει, οὗ οἱ φιλότιμοι. Hujus generis ſunt torques ac phaleræ aliaque multa, quæ Auguſtum facilius dediſſe notat Suetonius quam vallares coronas. erant iſtæ quoque ex auro: ſed, ut aperte indicat Suetonius, pauco; ut pretio comparandæ non eſſent cum torquibus ac phaleris. quare ad prius genus pertinent. amplius enim erat in eis τιμῆς σημεῖον, quam κτήματος δόσις: contra in phaleris ac torquibus aliiſque multis. Doctum virum non audio emendantem, *quanquam auro arg.*

Quam vallares ac murales coronas.] Quare omiſit civicas? Hæ, ſi materiæ æſtimationem ſpectes, omnium viliſſimæ. fuerunt enim initio ilignæ, poſtea ex eſculo, tandem quernæ: ſi honorem eis habitum, omniumglorioſiſſimæ & ſuperbiſſimæ, præter obſidionalem. Quare parciſſime omnium datæ iſtæ ab Auguſto: quem & alii poſtea Principes ſunt ſecuti. Videtur *civica*, poſtquam cœpit appendi foribus Impp. quaſi propria eorum habita & pars majeſtatis ipſorum. Ex his lucem accipit jocus Auguſti apud Quintilianum libro VI. c. *D. Auguſtus*, ait, *cum ei Galli torquem aureum centum pondo dediſſent, & Dolabella per jocum, tentans tamen joci ſui eventum, dixiſſet, Imperator, torque me dona: Malo te, inquit, civica donare.* cum Dolabellæ torquem maximæ indicaturæ petenti, civicam potius ſe daturum ait Auguſtus, hoc ipſo ſatis indicat, quanti faceret donum civicæ, quam niſi coactus non daret.

VARIOR.

15. *Eoſque ſervos adhuc viris fœminiſque peculioſioribus.*] Hoc ſtare nequit: ſed aut *pecunioſioribus*, ut voluit Caſaubonus, ſcribendum; aut *peculioſiores*, ut intelligat, non accepiſſe promiſcuos, ſed lectos, quique frugi eſſent, & digni libertate, ad quam per militiam propioribus lineis admovebantur. Tales enim fere peculioſi

has quam parciſſime, & ſine ambitione, ac ſæpe etiam caligatis tribuit. M. Agrippam in Sicilia poſt navalem victoriam cæruleo vexillo donavit. Solos triumphales, quamquam & ſocios expeditionum, & participes victoriarum ſuarum, numquam donis impertiendos putavit: quod ipſi quoque jus habuiſſent tribuendi ea quibus vellent. Nihil autem minus in perfecto duce, quam feſtinationem temeritatemque convenire arbitrabatur. Crebro itaque illa jactabat:

Σπεῦδε

culioſi. Plautus Rudente: *Peculioſum eſſe decet ſervum & probum, quem hero præſente prætereat oratio.* Sic in Nerone cap. 44. *Certum dominus ſervorum numerum indixit: nec niſi ex tota cujuſque familia probatiſſimos, ne diſpenſatoribus quidem aut amanuenſibus exceptis, recepit.* GRONOVIUS.

Ac ſine mora manumiſſos ſub priore vexillo.] Quod explicuerunt male τὸ *priore*, aut pro eo ſubjecerunt Torrentius *proprio*, Caſaubonus *primore*. animadverterunt illi quidem hoc univerſum in mendo eſſe, ſed propriam vitii ſedem non attigerunt. Scribe: *nec ſine mora manumiſſos, ſub priore vexillo habuit.* Hoc eſt, & non manumiſſos, niſi poſtquam aliquantum temporis militia probati eſſent, tamen etiam, poſtquam jam manumiſerat, habuit ſub eodem vexillo, ſub quo fuerant nondum mutato ſtatu militantes. Quod ait, non ſine mora manumiſſos, idem factum in Volonibus bello Punico ſecundo ſub Ti. Sempronio Graccho merentibus. Quod retentos ſub priore vexillo, decet Principem delectus in rebus perſoniſque elegantiſſimi. Adde cap. 40. GRONOVIUS.


TORRENT.

Caligatis.] Atqui omnes milites caligati incedebant. caliga enim, ut lib. XLVIII. inquit Dion: ϛρατιωτικὸν ὑπόδημα. Unde caligatus proprium militis epipheton eſt. Sic l. IX. de cuſtod. & exhibit. reorum: *Qui exercitum accipit, jus animadvertendi in milites caligatos habet.* Quin & *caligatus* per ſe pro milite accipitur, ut l. VI. de re milit. *Caligatus, qui metu hoſtium languorem ſimulavit.* Juvenal. Sat. ultima:

Cum duo crura habeas, offendere tot caligatos.

Sueton. tamen hic *caligatorum* nomine eoſdem, quos ante manipulares vocavit, hoc eſt, gregarios tantum milites, intelligit, uti & Calig. cap. IX. *Caligulæ cognomen caſtrenſi joco traxit, quia manipulario habitu inter milites educabatur.* & Vitell. cap. VII. atque ipſe (ni fallor) Modeſtinus l. X. de excuſat. tutorum, & Ulpianus l. II. de his, qui notantur infamia, & apertiſſime Theodoſius & Valentin. l. XXI. C. De nuptiis, ac Juſtinianus Novella: *Quibus modis natur. efficiuntur legitimi.* Id vero inde factum arbitror, quod qui gradum aliquem militiæ tenebant, ornatiore quam manipularii caliga utebantur, & clavis argenteis aureiſque effulgebant. Quales autem clavi fuerint, qui militum caligis ſuffigebantur, ex Plinio colligimus lib. IX. cap. XVIII. *Duo*, inquit, *lacus Italiæ in Alpium radicibus, Larius & Verbanus appellantur. In quibus piſces omnibus annis Vergiliarum ortu exiſtunt ſquamis conſpicui crebris, atque peracutis, clavorum caligarium effigie.* Hoc ergo eſt, quod *millia clavorum*, & *in digito hærere clavum militis* dixit Juvenalis, & *Marium a caliga ad conſulatum perductum*, Seneca de Benef. lib. V.

Crebro itaque illa jactabat.] Vetus codex *crebroque ita jactabat.* Lego *crebroque illa jactabat.* quæ ſequuntur ſcilicet; præſertim, quod & in ſermonibus, & in epiſtolis ſæpe uſurpat, Σπεῦδε βραδέως, ut ad rem agendam adhiberetur & induſtriæ celeritas, & diligentiæ tarditas. Sic Gellius lib. X. cap. XI. Quod dictum Auguſtus nummis quoque ſuis expreſſit, cum Terminum fulmini conjunxit, ut anchoram delphino Titus, Imperator Auguſto ſimillimus. Verſus autem Græcus trochaïcus eſt, ex Euripidis Phœniſſis, quo Auguſtus illud ſuum *Feſtina lente* confirmabat; quemadmodum & Catonis verbo, *Sat cito, ſi ſat bene.* De quo D. Hieronymus in Epiſtolis, ut Beroaldus quoque nos docuit.



CASAUBON.

Et ſine ambitione.] Οὐ χάριτι. Impp. Honorius & Arcadius Stiliconi magiſtro mil. *Honoris augmentum non ambitione, ſed labore ad unumquemque convenit devenire.*

Quod ipſi quoque jus habuiſſent tribuendi ea, quibus vellent.] Id jus libera republ. penes eos erat, quorum auſpiciis bellum gerebatur: poſtea ſublata libertate, duces cum auſpiciis hoc quoque jus amiſerunt. non tamen repente, nec ἀθρόως, ſed primum ea deſierunt donare, quæ honore præcellebant: deinde etiam alterius generis. civicam ſane ſub Auguſto jam & Tiberio raro dederunt, Tacitus III. Annal. 21. *Quo prælio Rufus Helvius gregarius miles ſervati civis decus retulit, donatuſque eſt ab Apronio torquibus & haſta: Cæſar addidit civicam coronam, quod non eam quoque Apronius jure proconſulis tribuiſſet, queſtus magis quam offenſus.*

TOR-

Σπεῦδε βραδέως. &
Ἀσφαλὴς γάρ ἐστ' ἀμείνων, ἢ θρασὺς στρατηλάτης.

et : *Sat celeriter fieri, quidquid fiat ſatis bene.* Prælium quidem aut bellum ſuſcipiendum omnino negabat, niſi cum major emolumenti ſpes quam damni metus oſtenderetur. Nam *minima commoda non minimo ſectantes diſcrimine, ſimiles* ajebat *eſſe aureo hamo piſcantibus : cujus abrupti damnum nulla captura penſari poſſet.* Magiſtratus atque hono- 26
res, & ante tempus, & quoſdam novi generis, perpetuoſque cepit. Conſulatum xx ætatis anno invaſit, admotis hoſtiliter ad urbem legionibus, miſſiſque qui ſibi nomine exercitus depoſcerent. Cum quidem cunctante ſenatu, Cornelius centurio, princeps legationis, rejecto ſagulo, oſtendens gladii capulum, non dubitaſſet in curia dicere : *Hic faciet, ſi vos non feceritis.* Secundum conſulatum poſt IX annos, tertium anno interjecto geſſit : ſequentes uſque ad undecimum continuavit : multiſque mox, cum deferrentur, recuſatis, duodecimum magno, id eſt, ſeptemdecim annorum intervallo, & rurſus tertiumdecimum biennio poſt ultro petiit : ut Cajum & Lucium filios ampliſſimo præditus magiſtratu, ſuo quemque tirocinio deduceret in forum. Quinque medios conſulatus

TORRENT.

26. *Conſulatum vigeſimo æt. anno invaſit.*] Contra leges annales, ſeu annarias, ut eas Feſtus vocat, ætate illa factus conſul, qua ante eum nemo ne optare quidem auſus fuiſſet. Vide Dionem lib. XLVI. & Cicer. Philip. V.

Magno, id eſt, XVII *annorum.*] Liber unus *magno decem & ſeptem an.* ſine *id eſt.* & mox, *cæteros aut novem,* pro *cæteros autem ſex aut novem*, utrumque melius. De Auguſti autem conſulatibus non ſatis convenit. Dion XIV. fuiſſe vult, Tacitus & Suetonius XIII.

CASAUBON.

Ἀσφαλὴς γὰρ ἐστ' ἀμείνων ἢ θρασὺς στρατηλάτης.] Dux *ἀσφαλὴς* Latine *cautus*, cui opponitur *audens*, ut libro ſuperiore : *Dubium, cautior an audentior.* Tacitus de Suetonio Paulino II. H. 25. 3. *Contator natura, & cui cauta potius conſilia cum ratione, quam proſpera ex caſu placerent.* Ammianus Marcellinus lib. XVI. 3. *Julianus nec itinera nec flumina tranſiri poſſe ſine inſidiis putans, erat providus & cunctator : quod præcipuum bonum in magnis ductoribus, opem ferre ſolet exercitibus & ſalutem.* Appianus in Ἀννιβαϊκοῖς refert, Auguſtum, Fabii Maximi, qui Cunctator dictus eſt, factum in ore ſæpe habuiſſe. Idem Ἐμφυλίων lib. V. verbum Auguſti memorat : Οὐκ εὔδοξον εἶναι τὸ ῥιψοκίνδυνον. In Viterb. ubi pleraque Græca eleganter ſunt perſcripta, hic tamen verſus deſideratur, relicto vacuo ejus ſpatio. In ora vero hæc adſcripta eſt interpretatio ad verbum, ut ubique Græci, quod abeſt : *Accelera tarde ſciens optime manentia in pugna bellatorem.* Quid dicemus ? an nugas eſſe meras hominis Græce indocti ? an talem aliquam Græcam lectionem reperit auctor hujus interpretationis :

——σπεῦδε βραδέως· τοῦτο γιγνώσκων, ὅτι
Τὰ λῷστα μίμνει ἐν μάχῃ τοὺς ἀσφαλεῖς.

Sed recta eſt lectio vulgata, quam & Memmianus confirmat.

26. *Conſulatum* XX *ætatis anno invaſit.*] A. d. XIV. Kal. Septem. nec amplius deerant XX anno Octavii, quam XXXVI dies. non enim errant, neque Dio, neque Suetonius, ut ſcribit Vir magnus, ſed, ut opinor, aliud agens : nam res clara eſt, & certa. Factum autem hoc ab Octavio ſine exemplo ullo, ait Dio lib. XLVI. recte ſane : niſi unum Marium juniorem excipias, qui & ipſe *conſul ante annos viginti per vim creatus eſt*, inquit Florus, epit. lib. LXXXVI. ſed quia mera vi id factum, cum eo noluit fortaſſe Dio Auguſtum comparare : qui per ſpeciem ſaltem aliquam liberorum ſuffragiorum conſul eſt creatus. Solinus : *Cæſar Auguſtus conſul creatus nonum decimum annum agens.* Tironi in hiſtoria Romana non imponant centuriones Cæſariani, qui apud Appianum, libro III. Ἐμφυλίων, petitionem illius defendere conantur, exemplo Corvini & Scipionis, qui inferiores ætate facti ſint conſules. nam id falſum eſt & commentitium : ſive Appiano hoc imprudenter exciderit, ſive centuriones imprudenter jactarint. M. Valerius Corvinus annorum ſaltem duorum & viginti fuit : Scipio Africanus ſuperior (nam illum intelligit) tam fere ultra ætatem Octavii, quam citra legitimam.

Hic faciet.] Jul. Cæſarem ajunt, cum audiret negari ſibi conſulatum, dixiſſe : κόπτοντα τὴν λαβὴν τοῦ ξίφους, Ἣ δέ μοι δώσει. Appianus II. Ἐμφυλίων. Alii hoc aliter.

Suo quemque tirocinio deduceret in forum.] Mos ex Cicerone, Suetonio, & aliis multis Latinorum notus, Appiano notatur, Ἐμφυλ. lib. IV. Ἀτίλιος δὲ ἄρτι τὴν τῶν τελείων περιθέμενος στολὴν ᾔει, ὡς ἔθος ἐστὶ, σὺν πομπῇ φίλων ἐπὶ θυσίας ἐς τὰ ἱερά. Idem mos per provincias ſervatus, ut docet Apologia Apuleji. At Spartæ longe aliter. Trogi Breviator libro III.

cum

latus a ſexto ad undecimum annuos geſſit : cæteros aut novem aut ſex aut quatuor aut tribus menſibus; ſecundum vero, pauciſſimis horis. Nam die Kalendarum Januarii, cum mane pro æde Capitolini Jovis paullulum curuli ſella præſediſſet, honore abiit, ſuffecto alio in locum ſuum. Nec omnes Romæ, ſed quartum conſulatum in Aſia, quintum in
27 inſula Samo, octavum & nonum Tarracone iniit. Triumviratum Reip. conſtituendæ per decem annos adminiſtravit : in quo reſtitit quidem aliquamdiu collegis, ne qua fieret proſcriptio, ſed inceptam utroque acerbius exercuit. Namque illis in multorum ſæpe perſonam per gratiam & preces exorabilibus, ſolus magnopere contendit, ne cui parceretur : proſcripſitque etiam C. Toranium tutorem ſuum, eundemque collegam patris ſui Octavii in ædilitate. Junius Saturninus hoc amplius tradit. Cum peracta proſcriptione, M. Lepidus in ſenatu excuſaſſet præterita, & ſpem clementiæ in poſterum feciſſet

cum alluſione ad morem Romanum : *Pueros puberes non in forum, ſed in agrum deduci præcepit.*

VARIOR.

26. *Cæteros aut novem, aut ſex.*] Haud aliter Palatini. Retro vulgati, *cæteros autem ſex, aut novem, aut ſex*, &c. minus recte; ſane contra membranas, a quibus ne latum quidem unguem abeundum. GRUTER.

TORRENT.

Pro æde Capitolini Jovis.] Sic enim mos erat ad ſtrenas accipiendas Kal. Januariis. Inf. cap. LVII.

27. *C. Toranium tutorem ſuum.*] Procuratorem vocat Appianus. Veriſimile autem eſt, ab Octavio patre tutorem teſtamento datum fuiſſe. Ad hunc Toranium exſtat, ni fallor, Ciceronis epiſtola lib. VI. Famil. ex qua magnum & ſapientem virum fuiſſe colligimus. Male tamen vulgata Ciceronis exemplaria Toranum vocant, veluti id ejus cognomen eſſet. Et fortaſſis cujuſpiam e libertis hujus Toranii filius fuit ille C. Toranius, qui, cum tribunus pl. eſſet, patrem ſuum mira pietate ductum in theatrum in ſubſellio tribunitio juxta ſe collocavit. Dion lib. LIII. Toranii autem mangonis mentio inf. cap. LXIX. ejuſdemque meminit Plinius l. VII. cap. XII. Macrobius vero Saturnal. II. cap. IV. *Toronium* vocat, mendoſe.

CASAUBON.

Cæteros autem ſex.] Lege, inductis vocibus *autem ſex*, ita, *cæteros, aut novem aut ſex.* ita Viterb. Pithoei, Liſlæi, & ex editis optimus quiſque, ut Robert. Steph. nec poteſt aliter.

Cum mane pro æde Capitolini Jovis.] Ex more omnium conſulum, conſulare ſacrum facturus aſcenderat in Capitolium.

Paullulum curuli ſella præſediſſet.] Ut magiſtratum auſpicaretur, præſedit curuli ſella, & ſui adeundi poteſtatem fecit. Viro docto, qui ad ſtrenas refert, non aſſentior : non enim ea cauſſa conſuli veniendi in Capitolium. quæ autem de Auguſti ſtrenis alibi narrantur, nihil huc pertinent.

27. *Triumviratum Reip. conſtituendæ.*] Græci hiſtorici triumviros Reip. conſtituendæ ἁρμοστὰς appellant : notatque Appianus ſimilem magiſtratum fuiſſe eorum, quos Lacedæmonii mittebant in captas a ſe urbes. Verius dixeris, decemviros illos, quos Romani in ſubactas provincias ad earum ordinationem mittere ſoliti, ſimiles fuiſſe ἁρμοσταῖς Spartanorum, τοῖς καθισταμένοις σφὶν τὰ ὑπήκοα, ut idem auctor loquitur. at triumviris iſtis, ut & dictatoribus, ſimiles apud Græcos fuiſſe, qui turbato inteſtinis malis Reip. ſtatu, ad eam conſtituendam ſoliti creari. Hos Theſſali ἀρχοὺς, Lacedæmonii ἁρμοστὰς (ſed qui a ſuperioribus harmoſtis longe differrent) appellarunt, φοβούμενοι βασιλεῖς ἢ τυράννους καλεῖν, ait Dionyſ. Halicarnaſ. etſi revera tyrannica aut regia poteſtate erant præditi. Agathias lib. I. Φράγγων ἁρμοστὰς imitatione veterum vocat, quos Franci captis a ſe urbibus in Italia præficiebant : ſic accipiendum & lib. IV. ejuſdem. Iſtos veros triumviros Græci Latinorum imitatione τριῶν ἀνδρῶν appellant, ut in nummis Auguſti : Γ. ΙΟΥΛΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΤΡΙΩΝ ΑΝΔΡΩΝ. item in alio : ΚΑΙΣΑΡ ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΤΡΙΩΝ ΑΝΔΡΩΝ L. Δ. Exſtant & alii ad hunc modum. Dio libro XLI. triumviratum vertit τριαρχίαν.

Reſtitit quidem aliquamdiu.] Ad tertium uſque diem. Plutarchus. cauſſam pete ex Dione.

Magnopere contendit, ne cui parceretur.] Si prudentia ab honeſtate & probitate ſeparari poteſt, dicam conſilium prudentiſſimum fuiſſe, etſi impium & ſæviſſimum. Geminum huic illud fuit, quod olim ſapientiſſimus ſenex Herennius Pontius pater filio dedit, conſultus ab eo, cum ad Furculas Caudinas inter duos ſaltus clauſos exercitus Romanos teneret. Adi ad Livium libro IX. At de Octavio longe alia narrat Dio : nempe ſervatos ab eo, quotquot ſervari potuerint.

C. Toraniam tutorem ſuum.] Dubitanter Appianus : λεγόμενον, ait, ὑπό τινων ἐπιτροπεῦσαι Καίσαρος. Vir doctus, qui notat procuratorem vocari ab Appiano, non attendit ad ſignificationem vocis Græcæ.

V TOR-

ciſſet, quoniam ſatis pœnarum exactum eſſet; hunc e diverſo profeſſum, ita modum ſe proſcribendi ſtatuiſſe, ut omnia ſibi reliquerit libera: in cujus tamen pertinaciæ pœnitentiam, poſtea T. Junium Philopœmenem, quod patronum ſuum proſcriptum celaſſe olim diceretur equeſtri dignitate decoravit. In eadem hac poteſtate multiplici flagravit invidia. Nam & Pinarium equitem R. cum concionante ſe admiſſa turba paganorum apud milites ſubſcribere quædam animadvertiſſet, curioſum ac ſpeculatorem ratus,

TORRENT.

T. Junium.] *Vinius* Dioni nominatur lib. XLVII. quem vide ad hiſtoriæ hujus lucem.

Equeſtri dignitate decoravit.] Libri tres, *honoravit.*

Paganorum apud milites.] Male, qui *paganos* hic pro agreſtibus, aut ruſticis accipiunt. nam Juriſconſultorum more *paganos* militibus opponit. Exempla paſſim obvia, ubi de caſtrenſi peculio, vel militari teſtamento agitur, & Juvenal. Sat. XVI. *Contra paganos.* Hinc majores noſtri ad Chriſtianorum differentiam *paganos* vocabant, qui Chriſti militiæ nondum nomen dederant. Adde locum Suetonii Galb. cap. XIX.

Curioſum ac ſpeculatorem.] Sic Spartian. Hadriano: *Erat curioſus non ſolum domus ſuæ, ſed etiam amicorum.* Imperatorum vero conſtitutiones *curioſos* vocant, qui crimina magiſtratibus deferebant, quique curſus publici curam habebant. leg. XIII. Cod. de curſu publ. & tit. de Curioſis & ſtationariis lib. XII. Atque ita uſus Tertullian. lib. de Fuga, & Suidas, ubi de Johanne Chryſoſtomo.

CASAUBON.

In cujus tamen pertinaciæ pœnitentiam.] Sic fere, loquitur de eodem Auguſto Appianus lib. IV. Ἀυτὸν ὁ Καῖσαρ ἐς ἀπολογίαν τῆς Κικέρωνος ἐκδόσεως, &c.

T. Junium Philopœmenem.] Dio tantum Philopœmenem vocat, Appianus Philemonem, quo modo ſcriptum offendi in quibuſdam optimæ notæ Latinis codd. Patronum hujus Dio T. Vinium nominat: quam lectionem probo, & lego hic quoque *T. Vinium.* atque ita jam inveni in cod. Memmiano. Liberti enim δύο τοῦ ἀπελευθερώσαντος προσέλαβον ὀνόματα, ait Artemidorus, & hodie omnibus notum. Quare omnino ita edendum fuit. Lego etiam apud Appianum IV. Ἐμφυλ. ſic: Οὐΐνιον δὲ ἀπελεύθερος αὐτοῦ Οὐίνιος Φιλοποίμην.

Equeſtri dignitate decoravit.] Noſtri quoque Mss. *honoravit*, ἐτίμησε: ſed prima editio, *decoravit.*

In eadem hac poteſtate.] Viterb. *tempeſtate*, καιρῷ. ferri poteſt,

Nam & Pinarium.] Lego, *nam & T. Pinarium:* ac de eo T. Pinario interpretor, cujus non infrequens apud Ciceronem mentio: ex quo auctore ſatis liquet, bonarum artium & partium fuiſſe hunc virum.

Curioſum ac ſpeculatorem ratus.] Proprie curioſus eſt πολυπράγμων. Plautus Sticho: *Curioſus nemo eſt, quin ſit malevolus*, hoc eſt, πᾶς πολυπράγμων κακοήθης, ex Plutarcho, Περὶ πολυπραγμοσύνης. Nolo excuſare ſcelus Auguſti: ſed & ille peccavit, qui vel curioſus fuit, vel cur exiſtimaretur, commiſit. *Speculatores* fuiſſe milites, quos Plutarchus in Galba διόπτρας καὶ διαγγέλλους vocat, pridem docti ſumus a doctis. Horum munus erat, ut ubicunque eſſent, vicem fungerentur ὠτακουστῶν, ac ſi quid ducum vel principum cognitione dignum intellexiſſent, ad eum ſtatim iter inſtituerent. Iidem a celeritate, qua utebantur in conficiendis itineribus, πτεροφόροι dicti. Heſychius: Πτεροφόροι τέλος τι στρατιωτικόν. Plutarchus Galba: Καὶ πτεροφόροι συνεχῶς ἐφοίτων, ἀεί τι προσχωρεῖν ἐκείνῳ φράζοντες. Juvenalis Satyra IV.

- - -feſtinare coactos,
Tanquam de Cattis aliquid torvisque Sicambris
Dicturus: tanquam e diverſis partibus orbis
Anxia præcipiti veniſſet epiſtola pinna.

Somnia ſunt, opinor, quæ ad hunc locum effutit editus nuper a doctiſſimo Pithœo Scholiaſtes, de pinna in literis coss. ſuper re triſti. Vetus tamen id commentum eſt, & cui fingendo anſam Virgilii locus hic dedit, e libro nono:

Interea pavidam volitans pennata per urbem
Nuntia fama ruit.

Nam ad eum locum ſic notatum invenias in veterum interpretum farragine: *Quidam volunt ideo hic famam pinnatam a poëta inductam, quæ tumultum & res adverſas nuntiet, ut illud tangere videretur, quod qui bellum nuntiaret* pinnatas literas *diceretur afferre.* Melius Ariſtides in illo excellentiſſimo Romæ panegyrico: epiſtolas, quæ de publicis rebus mittebantur, tanta celeritate perlatas, ut pennis ferri viderentur. Imperatori, ait, εὐμαρία πολλὴ καθημένῳ πᾶσαν ἄγειν τὴν οἰκουμένην δι' ἐπιστολῆς· αἱ δὲ μικρὸν φθάνουσι γραφεῖσαι, καὶ πάρεισιν, ὥσπερ ὑπὸ πτηνῶν φερόμεναι. Speculatores Dio vocat διόπτας & ἐρευνητὰς, & ſeparat eam militum τάξιν ab ordine tabellariorum, quibuſcum videntur docti illos confundere. locus eſt in fragmentis Urſini LXXXIII. Ταῦτά τε οὖν αὐτοῦ πολλοὶ ᾐτιῶντο, καὶ τὸν Ἀδουεντον ἐν τοῖς διόπταις τε καὶ ἐρευνηταῖς μεμισθοφορηκότα, καὶ τὴν ἐν αὐτοῖς τάξιν λελοιπότα, ἔς τε τοὺς γραμματοφόρους τελέσαντα, καὶ πρόκοιτον ἀποδειχθέντα. Speculatores,

ut

tus, coram confodi imperavit. Et Tedium Afrum coſ. deſignatum, quia factum quodadam ſuum maligno ſermone carpſiſſet, tantis perterruit minis, ut is ſe præcipitaverit. Et Q. Gallium prætorem, in officio ſalutationis, tabulas duplices veſte tectas tenentem, ſuſpicatus gladium occulere: nec quidquam ſtatim, ne aliud inveniretur, auſus inquirere, paullo poſt per centuriones & milites raptum e tribunali, ſervilem in modum torſit: ac fatentem nihil, juſſit occidi, prius oculis ejus ſua manu effoſſis. quem tamen ſcribit colloquio petito inſidiatum ſibi, conjectumque a ſe in cuſtodiam, deinde urbe interdicta dimiſſum, naufragio vel latronum inſidiis periiſſe. Tribunitiam poteſtatem perpetuam recepit:

ut ex hoc loco apparet, inferiores ordine tabellariis: quos etiam milites fuiſſe, declarat alter locus ejuſdem: 'Οχημάτων τε ἐνταῦθα, ὡς καὶ στρατιώτης τις τῶν ἀγγελιαφόρων ὤν, ἐπέβη.

TORRENT.

Q. Gallum pr.] Mallem *Q. Gallium*, ut in Vaticano, & aliis duobus MSS. ejus (ni fallor) Q. Gallii filium, qui & ipſe prætor per M. Calidium de ambitu accuſatus, a Cicerone eſt defenſus. Cujus orationis meminere Quinctilian. lib. XI. cap. III. Aſconius Verrina II. & in Corneliana, & in Toga candida, Valer. lib. VIII. cap. X. ipſe Cicero in Bruto. Sed & D. Hieronymus Epiſt. ad Nepotianum, mendoſus tamen, (nam *Q. Gallum* vocat, pro *Gallium*) his verbis: *M. Tullius in orat. pro Q. Gallo quid de favore vulgi. & de imperitis concionatoribus loquatur, attende.* M. Gallii, cujus heres Tiberius, mentio infra Tib. cap. VI.

Ac fatentem nihil.] Duo libri, *fantem nihil.*

CASAUBON.

Et Tedium Afrum.] Scripti quidam *Rhedium.* Eſt ſane obſcura hæc gens Tedia. Legi tamen apud Juvenalem in antiquis membranis: *Tedia non lambit:* non *Media,* ut in editione optimi doctiſſimique *Pithœi.* vulgo *Tædia.*

Q. Gallium prætorem.] Sic legendum ex Mss. & Appiano, apud quem ſolum hanc hiſtoriam legas. periit anno DCCXI. extremo.

Oculis ejus ſua manu effoſſis.] O feritatem! ſed fecit non primus. Sylla, ait Valerius, M. Marium *non prius vita privavit, quam oculos infelicis erueret.*

Urbe interdicta dimiſſum.] Appianus ex Auguſti libris, vel alicujus Cæſariani: ὁ δὲ Καῖσαρ ἐς τὸν ἀδελφὸν ἐκέλευσε χωρεῖν· καὶ δοκεῖ νεὼς ἐπιβὰς οὐδαμοῦ ἔτι φανῆναι.

Tribunitiam poteſtatem perpetuam recepit.] Tribunitia poteſtas Auguſto decreta anno DCCXXIV. poſt victum Antonium, Dio libro LI. ſuſcepta tamen ab eo, anno tantum DCCXXXI. idem. lib. LIII. & veterum Faſtorum fragmenta. Species tamen quædam tribunatus jam ante fuerat eidem tributa, victo Sex. Pompejo, anno DCCXVIII. Dio lib. XLIX. Exemplum primum eſt a Julio, cui S. C. delata ἡ ἐξουσία τῶν δημάρχων διὰ βίου. Dio lib. XLII. & XLIV. Hujus dignitatis ea fuit vis, ut ſacroſanctus Auguſtus efficeretur inſtar tribunorum: utque appellantibus ipſum & intra pomœrium (quod jus tribuni habuerunt) & intra proximum miliare (quod nulli unquam tribuno jus fuit) opem ferre poſſet. Tacitus: *Tiberius poteſtatem tribunitiam Druſo petebat. Id ſummi faſtigii vocabulum Auguſtus reperit, ne regis aut dictatoris nomen adſumeret, ac tamen appellatione aliqua cætera imperia præmineret.* Quod diximus de opis latione, habemus a Dione, cujus verba ſunt lib. LI. Καὶ τὸν Καίσαρα τήν τε ἐξουσίαν τὴν τῶν δημάρχων διὰ βίου ἔχειν, καὶ τοῖς ἐπιβοωμένοις αὐτῶν, καὶ ἐντὸς τοῦ πωμηρίου, καὶ ἔξω μέχρι ὀγδόου ἡμισταδίου ἀμύνειν, ὃ μηδενὶ τῶν δημαρχούντων ἐξῆν. in his verbis & ſimili loco, qui habetur lib. LIV. ὄγδοον ἡμιστάδιον *ſeptem ſtadia cum dimidio* interpretamur, hoc eſt, miliare unum. ſic ſemper apud Dionem ſtadia ſeptem cum dimidio unum miliare efficiunt, qui fuit quorundam veterum podiſmus, ut ex multis ſcriptoribus liquet. Genus loquendi, quo Dio uſus, fuſe nobis expoſitum nuper, ad Theophraſti Characteres. Quod eo moneo, quia interpretes ejus non intellecto eo, plurimos Dionis locos vel depravarunt correctionibus ſuis, vel depravatos ante non emendarunt, aut certe perperam interpretati ſunt. Quædam obiter viſum annotare libro LII. Verba ſunt Mecænatis de præfecto Urbi loquentis: Ἵνα τὰς τοῦ θανάτου τοῖς τε ἐν τῇ πόλει, πλὴν ὧν ἂν εἴπω, καὶ τοῖς ἔξω αὐτῆς μέχρι πεντήκοντα καὶ ἑξακοσίων σταδίων οἰκοῦσι, κρίνῃ. non eſt dubium, Dionem exprimere hic voluiſſe intervallum, quod apud J. C. de Offic. præf. Urbi legitur. Quare ſcribendum ajo μέχρι πεντήκοντα καὶ ἑπτακοσίων σταδίων, hoc eſt, intra centeſimum lapidem. Auctor ipſe Dio ita emendandi. ſubdit enim, τήν τε Ἰταλίαν πᾶσαν τὴν ὑπὲρ πεντήκοντα καὶ ἑπτακοσίοις ἀπὸ τῆς πόλεως σταδίοις. Simile mendum obſidet hunc quoque locum e lib. LV ubi inter remedia laborantis annonæ refertur decretum Auguſti: Τὸ τὰ ἀνδράποδα τὰ ὤνια ὑπὲρ πεντήκοντα καὶ ἑξακοσίους σταδίους ἐξωσθῆναι. ſcribi debet hic quoque ἑπτακοσίους. male enim χ' poſuerunt pro ψ'. At Xiphilini codd. veram lectionem adhuc retinent.

VARIOR.

27. *Tabulas duplices.*] Hic impegit Vir ille doctus, qui

recepit : in qua ſemel atque iterum per ſingula luſtra collegam ſibi cooptavit. Recepit & morum legumque regimen æque perpetuum : quo jure, quamquam ſine cenſuræ honore, cenſum tamen populi ter egit : primum ac tertium cum collega, medium ſolus.
De reddenda rep. bis cogitavit : primo poſt oppreſſum ſtatim Antonium, memor objectum 28
ab eo ſibi ſæpius, quaſi per ipſum ſtaret, ne redderetur : ac rurſus tædio diuturnæ valetudinis, cum etiam magiſtratibus ac ſenatu domum accitis Rationarium imperii tradidit. Sed reputans & ſe privatum non ſine periculo fore, & illam plurium arbitrio temere committi, in retinenda perſeveravit : dubium, eventu meliore an voluntate. Quam

qui expuncta voce *tabellas*, ſubjicit : *duplices veſte tectas.* Quaſi non Ovidius de quibus dixerat, *Vos rebus duplices pro nomine ſenſi*, de iiſdem diceret: *triſtes rediere tabellæ.* Gronov. Obſervat. II. cap. 24.

Torrent.

Morum legumque regimen.] Hinc illud Horatii ad Auguſtum epiſtolæ initium :

Cum tot ſuſtineas ac tanta negotia ſolus,
Res Italas armis tuteris, moribus ornes,
Legibus emendes.

Et Carm. IV. Od. V.

Mos & lex maculoſum edomuit nefas.

Præfecturam autem morum ſuſcepit Auguſtus A. U. C. DCCXXXIV. cum triennio ante cenſuram in perpetuum repudians, creari tunc cenſores curaſſet Paullum Æmilium Lepidum, & L. Munatium Plancum. Poſt quos nulli ſub Cæſarib. fuere cenſores. Inf. cap. XXXVII.

28. *De reddenda rep.*] Quod ut faceret, ſuaſiſſe Agrippam; Mæcenatem vero diſſuaſiſſe, auctor eſt Dion, utriuſque orationem referens. Sed regnandi avidiſſimus, Mæcenatem ſecutus eſt. Donatus etiam Virgilium, ſi diis placet, huic conſilio immiſcuit.

Magiſtratibus ac ſenatu.] Liber unus *e ſenatu.* Nec male, mea quidem ſententia, ut eos tamen qui magiſtratu fungebantur, non ſenatum omnem domum ſuam accerſiverit.

Illam plurium arbitrio temere committi.] In duobus optimis libris deeſt dictio *temere*, neque eam ego deſideraverim. ſenſus enim eſt, unius loco plures dominos remp. invaſuros. res enim Romana eo devenerat, ut æquabili ac civili more regi non poſſet tantum imperium.

Casaubon.

Quanquam ſine cenſuræ honore.] Vide ad lib. I. cap. LXXVI.

Cenſum tamen populi ter egit.] Habes in lapide Ancyrano.

28. *De reddenda rep. bis cogitavit.*] Intellige τὸ *cogitavit* cum effectu : nam alioquin & ſimulavit ipſe ſemper ſe rempub. velle reddere : & tandem, ut poſſet, optavit non ſimulate, ſed ex animo, ſi fides ulla ipſi habenda. verba ejus exſtant apud Senecam in libro de Brevitate vitæ : *Divus Auguſtus, cui dii plura quam ulli præſtiterunt, non deſiit quietem ſibi precari, vacationem a republ. petere. omnis ejus ſermo ad hoc ſemper revolutus eſt, ut ſibi pararet otium.* Mox : *In quadam ad ſenatum miſſa epiſtola, cum requiem ſuam non vacuam fore dignitatis, nec a priore gloria diſcrepantem pollicitus eſſet, hæc verba inveni : Sed iſta fieri ſpecioſius quam promitti poſſunt : me tamen cupido temporis optatiſſimi mihi provexit, ut cum rerum lætitia moretur adhuc, perciperem aliquid voluptatis ex verborum dulcedine.* Suetonio *reddere remp.* eſt, quod pluribus Dio dicit, ἀποδιδόναι τῷ δήμῳ καὶ τὰ ὅπλα, καὶ τὰ ἔθνη, καὶ τὰς ἀρχὰς, καὶ τὰ χρήματα. Sic apud Senecam, *poſſidere rempubl.*

Tædio diuturnæ valetudinis.] Septimo ſuo conſulatu, ut narrat Dio initio lib. LIII. niſi aliquis malit ad ea referre quæ in XI. conſulatu geſſit, de quo quidem Dio in eodem libro extremo.

Magiſtratibus ac ſenatu domum accitis.] Dio : Τὰς ἀρχὰς τούς τε ἄλλους τοὺς πρώτους καὶ τῶν βουλευτῶν καὶ τῶν ἱππέων ἀθροίσας. Errat igitur vir eruditus, cum emendat *magiſt. e ſenatu.*

Varior.

28. *Temere.*] Propter hanc, quam allegavit Torrentius, cauſſam, vocem *temere* (Palatinis quoque codd. probatam) neceſſariam putem. Temerarium ſcilicet fuiſſet, rem Romanam, hoc ſtatu, plurium arbitrio committere. Unde quoque Seneca Benefic. II. 20. Bruti conſilium de occidendo Cæſare damnat. Adde Tacit. I. 9. 10. & Hiſt. I. I. 2. Berneccerus.

Eventu meliore.] Hanc bigam verborum probabiliter eliminat Freinshemius in Indice Floriano, voce, *Dubium.* Nam hoc dubitabatur, an ſerio voluerit Rempub. reddere : an vero voluntatem illam (quod mox ſequitur) tantum *præ ſe tulerit.* Berneccerus.

Tor-

Quam voluntatem cum præ ſe idemtidem ferret, quodam etiam edicto his verbis teſtatus eſt : *Ita mihi ſalvam ac ſoſpitem remp. ſiſtere in ſua ſede liceat, atque ejus rei fructum percipere, quem peto, ut optimi ſtatus auctor dicar : & moriens, ut feram mecum ſpem, manſura in veſtigio ſuo fundamenta Reipub. quæ jecero.* Fecitque ipſe ſe compotem voti, niſus omni modo, ne quem novi ſtatus pœniteret. Urbem neque pro majeſtate imperii ornatam, & inundationibus incendiiſque obnoxiam, excoluit adeo, ut jure ſit gloriatus, marmoream ſe relinquere, quam lateritiam accepiſſet. Tutam vero,

Torrent.

Quam voluntatem cum præſidens idemtidem præ ſe ferret.] Sic Pulmannus, & duo libri noſtri. Sed mira aliorum in legendo varietas, quæ me adducit, ut omiſſis cæteris ſic legendum exiſtimem : *Quam voluntatem quodam etiam edicto.* ſic enim & Pulmanni codex unus. Saltem verbum *præſidens* omnino amovendum eſt, aut ſcribendum *præſens*, ut edictum ſcilicet abſens propoſuerit.

Siſtere in ſua ſede.] *Sedem* pro firmo ac ſtabili rerum ſtatu dixit, ſicut & Horat. Epod. XIII.

> - - - *Deus hæc fortaſſe benigna*
> *Reducet in ſedem vice.*

Nec multum diſſimile illud pro Archia : *Sedem omnium rerum ac fortunarum Romæ collocavit.* Hinc *ſedere* pro firmiter placere. Virgil.

> *Idque pio ſedet Æneæ.*

Et :

> - - - *certa ſedet Patribus ſententia pugnæ.*

Urbem namque.] Sic omnia, quæ vidimus, exemplaria, & tamen affirmare auſim legendum eſſe : *Urbem, neque* &c.

Casaubon.

Ita mihi ſalvam ac ſoſpitem rempub.] Dignum Principe jusjurandum. Ammianus lib. XXIV. *Animabat Julianus exercitum, cum non per charitates, ſed per inchoatam negotiorum magnitudinem dejeraret aſſidue : Sic ſub jugum mitteret Perſas : Ita quaſſatum recrearet orbem Romanum. Ut Trajanus fertur aliquoties jurando dicta conſueviſſe firmare. Sic in provinciarum ſpeciem redactam videam Daciam : Sic pontibus Iſtrum, Euphratem ſuperem : & ſimilia plurima.* Hactenus Ammianus. Tale illud Planci Imperatoris in epiſtola ad Ciceronem : *Ita ab imminentibus malis reſp. me adjuvante liberetur.* At in Octavio, quando remp. primum capeſſebat, damnatum illud a bonis : *Ita mihi parentis honores conſequi liceat.*

Rempub. ſiſtere in ſua ſede.] *Sedes* eſt baſis, κρηπίς. *Siſtere*, ἀνορθοῦν, ἱστάναι. Eſt enim (quod non advertunt interpretes) tranſlatum e columnis vel coloſſis, qui magno niſu in ſuam baſim (βωμὸν interdum Græci vocant) reſtituuntur, ut in eo exemplo quod narrat Socrates lib. I. cap. XX. Ita loquitur Iſocrates Archidamo : Ἐὰν κατορθώσωμεν καὶ τὴν πόλιν εἰς ταυτὸ καταστῆσαι δυνηθῶμεν, ἐξ ὧν περ ἐκπέπτωκε. Eadem tranſlatio in illis mox, *manſura in veſtigio ſuo fundamenta reip.* Symmachus epiſt. XLVI. libro III. *Ita volvenda attulit dies, ut domini noſtri Gratiani fortiſſima ſimul ac feliciſſima manu nutantia reip. pondera fulciantur.* Sic obiter emendabis illum locum : nam vulgo *gratiam* pro *Gratiani.*

Fecitque ſe compotem voti.] Audax dictum. Statius IX. Thebaid. de Capaneo :

> *Sic ait, & voti ſeſe facit ipſe potentem.*

Vetus dictum eſt Romanorum : *Sapiens ipſe fingit fortunam ſibi.* apud Plautum, Ciceronem, Salluſtium, & Cornelium Nepot. Seneca epiſtola XXXI. *Quid votis opus eſt ? fac te ipſe felicem.* & ad hoc exemplum multa apud Stoicos impietati proxima.

Urbem neque pro.] Corruperant hunc locum, qui putabant a ſuperioribus iſta pendere. falſo. nam ſi in capita ſecari debuit Suetonius, hinc erat ducendum principium eorum, quæ vulgata diviſione capitibus continentur XXIX & XXX. More enim ſuo auctor, toti illi ſermoni iſtud veluti caput & breve præpoſuit.

Pro majeſtate imperii.] Sic in veteri lapide poſito in honorem Auguſti ob munitas vias, PRO DIGNITATE IMPERII.

Inundationibus incendiiſque obnoxiam.] Tacitus de incendio Neroneo : *Ignis anteiit remedia velocitate mali, & obnoxia urbe arctis itineribus huc & illuc flexis atque enormibus vicis, qualis Roma fuit.* Sed vide Strabonem lib. V. De inundationibus ſubit mirari, cum ea res cauſſas naturales & manifeſtas haberet, ſemper tamen Tiberim exundantem pro magno prodigio habitum & in Acta relatum.

Jure ſit gloriatus, marmoream ſe relinquere, quam lateritiam accepiſſet.] Alivorſum trahit Dio Auguſti dictum, quem morientem dixiſſe refert : ὅτι τὴν Ῥώμην γηΐνην παραλαβὼν, λιθίνην ὑμῖν καταλείπω. & addit ſuum interpretamentum, τοῦτο μὲν οὖν οὐ πρὸς τὸ τῶν οἰκοδομημάτων αὐτοῖς ἀκριβὲς, ἀλλὰ πρὸς τὸ τῆς ἀρχῆς ἐχυρὸν ἐνεδέξατο. At Suetonius non de imperii firmitudine, ſed de publicis ædeficiis accipit. Julianus in Cæſaribus ad Dionis mentem accedit, qui ſic gloriantem inducit Auguſtum, reſpiciens haut dubie illius hoc dictum : Ὑπὸ τῶν ἐμφυλίων στάσεων τὴν Ῥώμην ὁρῶν εἰς ἔσχατον ἐλαύνουσαν πολλάκις κίνδυνον, οὕτω διεθέμην τὰ περὶ αὐτὴν, ὥστε εἶναι δι' ἡμᾶς, ὦ θεοὶ, τὸ λοιπὸν ἀδαμαντίνην. Idem Julianus Auguſti vocem ſpectaſſe videtur, cum diceret Antiochenis, velle ſe ipſorum urbem facere marmoream. Libanius legatione

ro, quantum provideri humana ratione potuit, etiam in poſterum præſtitit. Publica opera 29
plurima exſtruxit : ex quibus vel præcipua, Forum cum æde Martis Ultoris, templum Apollinis in Palatio, ædem Tonantis Jovis in Capitolio. Fori exſtruendi cauſſa fuit, hominum & judiciorum multitudo, quæ videbatur, non ſufficientibus duobus, etiam tertio indigere. Itaque feſtinantius, nec dum perfecta Martis æde, publicatum eſt, cautumque, ut ſeparatim in eo publica judicia & ſortitiones judicum fierent. Ædem Marti bello Philippenſi pro ultione paterna ſuſcepto voverat. Sanxit ergo, ut de bellis triumphiſque heic conſuleretur ſenatus : provincias cum imperio petituri, hinc deducerentur : quique victores rediſſent, huc inſignia triumphorum inferrent. Templum Apollinis in ea parte Palatinæ domus excitavit, quam fulmine ictam deſiderari a Deo haruſpices

tione ad Julianum de Antiochia : *Σὺ γάρ τι τῇ πόλει πρώην μεμφόμενος, Ἐγὼ δὲ, ἔφης, αὐτὴν διενοούμην ποιῆσαι μαρμαρίνην· οὕτω γὰρ εἶπες τῷ ῥήματι.* Notabis, quomodo verterit illa Dio *latericiam & marmoream* : alii Græci pro *latericiam* dixerunt *πηλίνην*. Alluſit autem Auguſtus ad antiquiſſima Romanorum ædificia, de quibus Varro *Ταφῇ Μενίππου*. *Antiqui noſtri domibus lateritiis paullulum modo lapidibus ſuffundatis, ut humorem effugerent, habitabant.* De iis Plinius libro XXXV. cap. XIV.


VARIOR.

Quam voluntatem cum præ ſe ident. fer. quodam.] Non aliter optima exemplaria ſcripta & edita. Pulmanni tamen codex unus : *Quam voluntatem quodam*, &c. omiſſis intermediis. BERNECC.

TORRENT.

29. *Forum cum æde Martis Ultoris.*] Ut Divus Julius ædem Veneris Genitricis, ſic foro ſuo Auguſtus






ædem Martis Ultoris adjunxit. Atque una cum foro Romano tria in Urbe fora fuere. Martial :

Atque erit in triplici par mihi nemo foro.

Papin.

Quæ trino juvenis foro tenebas.

Martis autem Ultoris meminerunt Plin. lib. XXXIII. cap. XIV. Ovid. Faſt. V. Juvenal. Satyr. XIV. Dion lib. LIV. Et ejus templi effigies in veteribus nummis cernitur, uti & Jovis Tonantis. de quo hic etiam Sueton. Verum de Marte Ultore, notandum etiam alterum in Capitolio ſignis a Parthis receptis ab Auguſto inſtar Jovis Feretrii templum ei exſtructum



fuiſſe. Quæ cauſa eſt, quod non eadem in nummis omnibus ejus templi forma cernitur.

Hinc deducerentur.] Ab his, qui officii cauſa proſequebantur. De quo more Cæſ. cap. LXXI.

Templum Apollinis in ea parte Pal.] Ad ejus templi dedicationem referendum illud Horatii lib. I. Od. XXXI. *Quid dedicatum poſcit Apollinem Vates*, &c. Nam de bibliotheca ibidem ab Auguſto inſtituta notiſſimus ejuſdem poëtæ verſus :

- - - tangere vitet
Scripta Palatinus quæcunque recepit Apollo.

Vide Dionem initio lib. LIII.

CASAUBON.

Quantum provideri humana ratione potuit.] *Ὅσον ἦν προόρατον ἀνθρωπίνῃ προνοίᾳ*, Xenophon. hoc autem ideo additum, quia fati neceſſitas humanis conſiliis rumpi non poteſt, ut ait Livius.

29. *Forum cum æde Martis Ultoris.*] De Auguſti foro apud Ovidium in V. Faſtorum, atque apud ſcriptores alios multa. Sed notanda verba Servii recens a Daniele editi, ad illa :

- - - Furor impius intus
Sæva ſedens ſuper arma, &c.

notat enim Servius : *In foro Auguſti introeuntibus ad ſiniſtram fuit Bellum pictum, & Furor ſedens ſuper arma æneis vinctus, eo habitu, quo poëta dixit.*

Ut de bellis triumphisque hic conſuleretur ſenatus.] Ovidius de hoc templo :

Hinc fera Gradivum bella movere decet.

olim in Capitolio. Appianus : *Ἡ δὲ βουλὴ ἐξέφαινέ τε τὴν γνώμην, καὶ ἐς τὸ Καπιτώλιον, ὅπερ εἰώθασι περὶ πολέμου σκοπεῖν, συνελθοῦσα ἐψηφίσατο.*

Templum Apollinis in ea parte Palatinæ domus excitavit.] Vir doctus, qui *exertavit* pro *excitavit* repertum in uno fortaſſe aut altero cod. amplectitur, non magis mihi ſententiam ſuam probat, quam doctus alter ille, qui apud A. Gellium mavult legi in verbis Quadrigarii, lib. IX. cap. XIII. *lingua exerrare*, quam *linguam exertare*. quæ lectio & elegantiſſima eſt, & omnium aliorum hiſtoricorum narratione confirmatur, qui in ea re uſi plerique verbo *exerere*. nec aliter Plinius quoque lib. XXXV. Nec moveor, ſi in uno aut altero

ſpices pronuntiarant. Addita porticus cum bibliotheca Latina Græcaque. quo loco jam ſenior ſæpe etiam ſenatum habuit, decuriaſque judicum recognovit. Tonanti Jovi ædem conſecravit, liberatus periculo, cum expeditione Cantabrica per nocturnum iter lecticam ejus fulgur præſtrinxiſſet, ſervumque prælucentem exanimaſſet. Quædam etiam opera ſub nomine alieno, nepotum ſcilicet & uxoris ſororiſque, fecit: ut porticum baſilicamque Lucii & Caji: item porticus Liviæ & Octaviæ, theatrumque Marcelli. Sed & cæteros principes viros ſæpe hortatus eſt, ut pro facultate quiſque monumentis vel novis, vel refectis & excultis, urbem adornarent. Multaque a multis exſtructa ſunt: ſicut a Marcio Philippo, ædes Herculis Muſarum: a L. Cornificio, ædes Dianæ: ab Aſinio Pollione,

altero cod. ſic ſcriptum exſtat: nam in pluribus multo aliter eſt. Sic ſane antiquiſſimum exemplar, quod ipſi vidimns.

TORRENT.

Servumque prælucentem.] Sup. Cæſ. cap. XXXI. *luminibus exſtinctis.*

Theatrumque Marcelli.] Tarpejo monti accubans, eo nempe loco, quo Cæſar dictator illud deſtinaverat. Cæſ. cap. XLIV.

A Marcio Philippo ædes Herculis & Muſarum.] Marcius Philippus Auguſti vitricus fuit, ut ante vidimus cap. VIII. In optimo autem codice *Herculis Muſarum* legitur. Et ædem quidem hanc Herculi ac Muſis communem fuiſſe, auctor eſt Plutarch. Probl. Rom. LIX. *διὰ τί κοινὸς ἦν βωμὸς Ἡρακλέους, καὶ Μουσῶν* (*βωμὸς* enim eo loco pro æde, ſive templo potius, quam pro ara interpretandum cenſeo) ſed tamen ſicut geminis fratribus ædes in foro conſtituta tantum Caſtoris vocabatur, ſic iſta Herculis. Neque abſolute, verum Herculis Muſarum dicta eſt, quo ad Muſas quoque pertinere cognoſceretur. Hanc vero M. Fulvius Nobilior, qui A. U. DLXVI. de Ætolis triumphavit, triennio poſt cenſor exſtruxit, in eaque Muſarum ſigna quæ capta Ambracia Romam tranſtulerat, poſuit, ac faſtos quoque populi Romani publicavit. Hiſtoriam refert Livius lib. XXXVIII. De Muſis Plinius lib. XXXV. cap. X. De faſtis Macrobius lib. I. Saturn. cap. XII. ipſe etiam ædem Herculis Muſarum appellans. Sed omnium pulcherrime Eumenius Rhetor orat. de Scholis inſtituendis, quæ cum diverſorum auctorum Panegyricis edita invenitur, his verbis: *Ædem Herculis Muſarum in Circo Flaminio Fulvius ille Nobilior ex pecunia cenſoria fecit, non id modo ſecutus, quod ipſe litteris, & ſumma poëtæ amicitia duceretur; ſed quod in Græcia cum eſſet Imperator, acceperat Herculem Muſageten eſſe, id eſt, comitem ducemque Muſarum. Idemque primus ſigna novem, hoc eſt, omnium Camœnarum, ex Ambracienſi oppido tranſlata, ſub tutela fortiſſimi Numinis conſecravit, quia mutuis operis & præmiis juvari ornarique deberent, Muſarum quies defenſione Herculis, virtus Herculis voce Muſarum.* Sic ille, haud dubie rectius quam Plutarchus, qui eam adfert cauſam, quod Hercules olim Evandrum litteras docuiſſet. Quaſi vero id tot poſt ſæculis reſpexerit Fulvius, & non Ennii potius amicitiam, qui Fulvium expeditione illa comes fuit, & amici victoriam, per ſe magnificam, inſigni laude celebravit. Auctor is, qui de Viris illuſtribus libellum ſcripſit cap. LII. Ennio igitur, epicorum ante Virgilium principi, hoc pulcherrimum firmiſſime inter doctos ac fortes viros amicitiæ ſymbolum debemus. Atque hinc Ciceronis loco pro Archia lumen acceſſerit, ait: *Jam vero ille, qui cum Ætolis Ennio comite bellavit Fulvius, non dubitavit Martis manubias Muſis conſecrare.* At durus ille & ſeverus Cato huic Fulvio, ſi diis placet, ut crimen objecit, quod conſul in provinciam poëtas duxiſſet. Teſtis Cicero Tuſculana I. Denique veteres exſtant denarii Q. Pomponii Muſæ, quales & ego ſervo, qui non modo ſingulas Muſas diverſo quamque habitu nobis repræſentat, ſed & Herculem *Μουσηγέτην*, cum



inſcriptione, HERCULES MUSARUM. *Μουσηγέτης* autem vel præcipuum Apollinis cognomen fuit, cujus Pauſanias in Atticis, & Plutarch. Quæſt. Convival. meminere.

CASAUBON.

Lecticam ejus fulgur perſtrinxiſſet.] Vel ut alii libri *præſtrinxiſſet.* Fulgur autem pro fulmine, ut in Domitiano, *tot fulgura facta auditaque ſunt.* & ita ſemper in libris olim aruſpicum: ſæpe etiam Plinius, & optimus quiſque Latinitatis auctor. Gloſſarium: Κεραυνοβόλιον ἡμερινὸν, *fulgurium.* Lege, *fulgur dium.* Feſtus: *Dium fulgur appellabant diurnum, quod putabant Jovis, ut nocturnum Summani.* Gloſſæ: Κεραυνοβόλιον ἀπὸ πρωῒ νυκτερινὸν, *fulgor ſubmanum.* ita accipe vocem *fulgor*, in Conſtantini conſtitutione, Cod. Theodoſ. de Paganis ſacrificiis & templis: *Si quid de palatio noſtro aut cæteris operibus publicis deguſtatum fulgore eſſe conſtiterit, retento more*

Pollione, atrium Libertatis : a Munatio Planco, ædes Saturni : a Cornelio Balbo, theatrum : a Statilio Tauro, amphitheatrum : a M. vero Agrippa, complura, & egregia. Spatium urbis in regiones vicoſque diviſit : inſtituitque, ut illas annui ma- 30
giſtratus ſortito tuerentur, hos magiſtri e plebe cujuſque viciniæ electi. Adverſus in-

more veteris obſervantiæ, quid portendat, ab haruſpicibus requiratur.

Sed & cæteros viros principes ſæpe hortatus eſt.] Notemus igitur in his Taciti verbis magnam μείωσιν. Annal. lib. III. cap. LXXI : *Erat etiam tum in more publica munificentia : nec Auguſtus arcuerat Taurum, Philippum, Balbum, hoſtiles exuvias, aut exundantes opes, ornatum ad Urbis & poſterum gloriam conferre.*

Ædes Herculis Muſarum.] Suſtulimus τὸ &, ſecuti libb. noſtros & hiſtoriam. Hæc ædes in regione nona fuit. Vide Urbis deſcriptionem. Ovidius de ea :

- - - clari monumenta Philippi
Aſpicis : unde trahit Martia caſta genus.

VARIOR.

29. *Addita.*] Al. *addidit.* al. *addita.*

Fulgur.] i. e. Fulmen. Horat. *feriuntque ſummos fulgura montes.* A fulgur *fouldre* Gallice, pro foulgre. GUJET.

Perſtrinxiſſet.] Palat. prim. & tert. *præſtrinxiſſet.*

TORRENT.

30. *Annui magiſtratus.*] Si Suetonium recte intelligo, non novos ad id, de quo loquitur, magiſtratus inſtituit Auguſtus; ſed ordinariis, ut puta prætoribus, tribunis, atque ædilibus, hanc quoque curam extra ordinem demandavit, facta ſortitione, quam quiſque regionem tueretur. Sicut neque Urbem in regiones vicoſque primus diviſit, ſed cum ante ſic diviſa eſſet, quis quamque regionem aut vicum curaret, conſtituit. Vide l. III. de Offic. Præf. vigilum. Inf. Claud. cap. XVIII. *Auxilio plebem per magiſtratus ex omnibus vicis convocavit.* De vicorum autem magiſtris Tib. capite ultimo. Victor *vico magiſtros* vocat, Dion στενωπάρχους lib. LV. quem vide.

CASAUBON.

Atrium Libertatis.] Fuit in Aventino. Vide Livium & Ovidium in Idib. Aprilis. Eo docti tanquam ad λέσχην conveniebant. Ovidius :

Nec me, quæ doctis patuerunt prima libellis
Atria, Libertas tangere paſſa ſua eſt.

Ibidem fuit tabularium, in quo ſervata acta publica, Livius lib. XLIII. *Cenſores ex templo in atrium Libertatis aſcenderunt, & ibi ſignatis tabellis publicis, clauſoque tabulario, & dimiſſis publicis ſervis,* &c. Hinc etiam intelligimus loci formam : erat enim ſimilis atriis ædium privatarum, quæ habebant tablina & pinacothecas adjunctas. in medio erat area ſub dio columnis cincta : ideo is locus etiam *periſtylium* appellatus. idem quoque *impluvium* dicebatur. Atque hoc proprie atrium eſt, non atrii pars : nam *atrium* ab αἴθριον, ſignificat locum in ædibus ſub dio. Græci ὕπαιθρον frequentius vocant : ſed αἴθριον pro atrio notavimus ſæpe apud LXX. & Joſephum. Tertullianus in loco Ezechiel. cap. IX. *ſubdival* vertit. Exſtat & apud Lucianum, neque dubium eſſe poteſt inde dictam vocem Latinam. Nam Varronis aliorumque veterum notationes quis non rideat? Etiam illi errant, qui atria fuiſſe tecta volunt, quia dixit Auſonius, *laqueata atria.* neque animadvertunt eam vocem, ut apud Græcos μέγαρον & αὐλὴ, pro palatiis procerum poni : at in iis quæ proprie atria dicebantur, non aliud tectum erat, præter alas ædificii, quæ velut porticus circa medium ſubdival efficiebant. Ideo docte auctor Gloſſarum : *Atrium*, περίστωον, μέσαυλον.

30. *Spatium Urbis in regiones vicosque diviſit.*] Regiones quidem XIV. vicos vero CCCXXIV. ſi ſatis certa hæc in fragmento Rufi lectio : nam Victor aperte vitiatus. Non aſſentior interpretibus, qui Auguſtum negant fuiſſe diviſionis Urbis in regiones in XIV auctorem : nam ſi ea partitio Auguſto antiquior, cur ejus non meminit Varro de Lingua Latina lib. IV. Dionis tamen ambigua verba, ex quibus expreſſe eam ſententiam non elicias. Regiones autem ille μέρη vocat ſimpliciter. Socrates in Eccleſiaſt. hiſt. κλίματα. Alii Græci ῥεγεῶνας, unde in Suida ῥεγεωνάρχης dicitur, & apud Heſych. ῥεγεωνάριος, *curator regionis.* nam male ipſe interpretatur γειτονίαρχος : is enim eſt *vico magiſter.*

Inſtituitque, ut illas annui magiſtratus ſortito tuerentur, hos magiſtri e plebe cujusque viciniæ electi.] Viterb. *lecti.* Suetonium brevitas interdum reddit obſcura, ut hic : quod enim ait de annuis magiſtratibus, quibus commiſſæ regiones urbis, tam de novis magiſtratibus in eam rem creatis poteſt intelligi, quam de ordinariis. quæ ſententia verior. neque enim novi magiſtratus creati ex inſtitutione Auguſti, qui curarent regiones, ut falſo docti quidam tradunt : ſed eam curam curavere ædiles, tribuni, prætores. Idque ad Severi tempora ſervatum. Hæc omnia Dio in actis anni DCCXLVII. clariſſime docet, libro LV. cujus verba ſic ſcribenda : Καί τοι καὶ ἐκείνων (nempe τῶν ἀγορανόμων, non, ut Xylander, τῶν στενωπάρχων) καὶ τῶν δημάρχων τῶν τε στρατηγῶν πᾶσαν τὴν πόλιν εἰς δεκατέσσαρα μέρη νεμηθεῖσαν, κληρῶν προσταχθέντων· ὃ καὶ νῦν ἔτι γίνεται. Legitur vulgo κλήρῳ mendoſe; nam vel κληρῶν ſcribendum; vel ſic, κλήρῳ σφίσι διανέμειν προστάχθ. In deſcriptionibus Urbis Victoris & Rufi, duo curatores Urbis regioni cuique aſſignantur : quod cujus Principis ſit inventum, neſcio. Auguſti non eſſe, hoc ſcio. Vicorum magiſtros autem, ſive viocuros, jam inde ab antiquiſſimis temporibus Romæ fuiſſe, certum

incendia excubias nocturnas, vigileſque commentus eſt. Ad coercendas inundationes, alveum Tiberis laxavit, ac repurgavit, completum olim ruderibus, & ædificiorum prolapſionibus coarctatum. Quo autem facilius undique urbs adiretur, deſumta ſibi Flaminia via Arimino tenus munienda, reliquas triumphalibus viris ex manubiali pecunia ſternendas diſtribuit. Ædes ſacras vetuſtate collapſas, aut incendio abſumtas, refecit: eaſque & cæteras opulentiſſimis donis adornavit: utpote qui in cellam Capitolini Jovis ſedecim milia pondo auri, gemmaſque ac margaritas quingenties HS. una donatione contulerit.

certum eſt. Fuit & nova Roma in regiones XIV diviſa, habuitque ſuos curatores & vico-magiſtros.

VARIOR.

Lecti.] Ita Palatini tres, aliique Mss. cum editionibus Aldi & Sabellici, aliæ *electi*. BERNEC.

TORRENT.

Gemmasque & margaritas.] Auctores fere his vocabulis ſic utuntur, ut *gemma* omnis lapillus pretioſus ſit, *margarita* concharum partus. JCti vero *gemmas* eſſe volunt, quæ pellucidæ ſint materiæ, velut ſmaragdi, chryſolithi, amethyſti; lapillos vero contrariæ ſuperioribus naturæ, ut Obſidiani, Vejentani. *Margaritas* autem nec gemmis, nec lapillis annumerant. l. XV. De auro, & argento legato. Sic Horat. Carm. III. Od. XXIV. *Gemmas & lapides, aurum & inutile.* & Plin. initio lib. XXXVII. *gemmas violari ſignis nefas ducebant.* id enim de pellucidis intelligo.

CASAUBON.

Adverſus incendia excubias nocturnas vigilesque commentus eſt.] Strabo lib. V. Dio lib. LV. in anno DCCLIX. & J. C. Dig. De offic. præf. vigil. Ante ædiles incendiorum curam habuerunt, ut ex variis ejuſdem Dionis & Appiani locis conſtat. Erant autem cohortes præfecti vigilum e libertinis conſcriptæ: propterea alii milites per contemptum eos vocabant *ſparteolos*. Ut opinor, a funibus, quorum multus uſus in reſtinguendis incendiis: vel a ſparteis tunicis, quibus erant amicti: vel etiam a genere calceamentorum. nam hujuſmodi hominum ſoleæ e ſparteis funibus contexebantur interdum, ut docemus alibi. Sic eos nominat vetus Juven. Scholiaſtes ad hæc verba ex lib. V.

Diſpoſitis prædives hamis.

notans, *per tranſlationem diſciplinæ militaris ſparteolorum Romæ, quorum cohortes in tutelam urbis cum hamis & cum aqua vigilias curare conſueverunt vicinis.* Sic accipio apud Tertullianum in Apologia: *Ad fumum cœnæ Serapicæ ſparteoli excitabuntur: de ſolo triclinio Chriſtianorum retractatur.* Innuit elegantiſſime ſcriptor Afer, tantum apparatum cœnæ Serapicæ eſſe ſolitum, ut milites cohortium præfecti vigilum, illum locum ubi parabatur, obſervandum haberent: non enim magnum convivium ſine magno igne paratur: inde incendii metus, quem ait excitare ſparteolos. Nihil etiam vetat eam vocem ibi interpretari de guniis, lurconibus, & paraſitis, quos certum eſt omnes epularum occaſiones ſectari. Hujuſmodi hominum proprium eſt *omnis fumi eſſe non imperitos*, ut ait Apulejus in Apologia; & nos ibi nuper expoſuimus. itaque ſparteoli venuſtiſſime dicentur: quia ſparteoli, id eſt, vigiles dum intenti ſunt ad omnem incendii caſum, fumos caminorum ſollicite obſervant. Seneca epiſtola LXVIII. *Intervenerunt quidam amici, propter quos major fumus fieret: non hic, qui erumpere e lautorum culinis & terrere vigiles ſolet: ſed hic modicus, qui hoſpites veniſſe ſignificaret.*

Quo autem facilius urbs adiretur.] Dio in anno U. C. DCCXXVII. lib. LIII. & in anno DCCXXXIV. lib. LIV. Strabo lib. V. Exſtant & nummi in memoriam ejus rei cuſi, cum hac inſcriptione S. P. Q. R. CÆS. AUGUSTO QUOD VIÆ MUN. SUNT. Fuerunt & ſtatuæ variis locis cum in urbe tum per provincias ob eam curam eidem Auguſto poſitæ, ut Dio quoque teſtatur. Tale eſt iſtud monumentum, quod hodieque Emeritæ in Hiſpania reperitur:

IMP. CÆS. DIVI. F. AUGUSTUS. PONT. MAX. COS. XI. TRIBUNIC. POTEST. X. IMP. VIII. ORBE. MARI. ET. TERRA. PACATO. TEMPLO. JANI. CLUSO. ET. REP. P. R. OPTIMIS LEGIBUS. ET. SANCTISSIMIS. INSTITUTIS. REFORMATA VIAM. SUPERIOR. COS. TEMPORE. INCHOATAM. ET. MULTIS. LOCIS. INTERMISSAM. PRO. DIGNITATE. IMPERII. P. R. LATIOREM. LONGIOREMQUE. GADEIS. USQ. PERDUXIT.

Reliquas triumphalibus viris ex manubiali pecunia.] Hoc verius quam, ut Dio ait, quibuſdam e ſenatoribus: neque ex pecunia manubiali, ſed propriis impenſis. τὰς ἄλλας ἄλλοις τισὶ τῶν βουλευτῶν ἐπισκευάσαι οἰκείοις τέλεσι προσέταξε.

Ædes ſacras vetuſtate collapſas, aut incendio abſumptas, refecit.] Vide inſcriptionem Lapidis Ancyrani. Ovidius II. Faſtorum:

Cætera ne ſimili caderent labefacta ruina,
Cavit ſacrati provida cura ducis:
Sub quo delubris ſentitur nulla ſenectus:
Nec ſatis eſt homines, obligat ille deos.
Templorum poſitor, templorum ſancte repertor,
Sit ſuperis opto mutua cura tui.

Verſu penultimo puto legendum *refector*, non *repertor*.

tulerit. Poſtquam vero pontificatum maximum, quem nunquam vivo Lepido auferre 31
ſuſtinuerat, mortuo demum ſuſcepit, quidquid fatidicorum librorum Græci Latinique generis, nullis vel parum idoneis auctoribus vulgo ferebatur, ſupra duo milia contracta undique cremavit, ac ſolos retinuit Sibyllinos : hos quoque delectu habito : condiditque duobus forulis auratis ſub Palatini Apollinis baſi. Annum a D. Julio ordinatum, ſed poſtea negligentia conturbatum atque confuſum, rurſus ad priſtinam rationem redegit:

tor. Livius Auguſtum *templorum omnium conditorem aut reſtitutorem* vocat. Imitatus eſt hunc locum ut alios multos ex hoc præſertim libro, Eginhartus de Vita Caroli Magni. *Præcipue tamen*, ait, *ædes ſacras ubicunque in toto regno ſuo vetuſtate collapſas comperit, pontificibus & patribus, ad quorum curam pertinebant, ut reſtaurarentur, imperavit.*

Gemmasque aut margaritas.] Manilius lib. V.

Hinc auguſta nitent ſacratis munera templis
Aurea phœbeis certantia lumina flammis,
Gemmarumque illi radiantes lucibus ignes.

Vide Macrobium Saturnal. lib. III. cap. XVII. & quæ ad Manilii ſuperiorem locum Joſephus Scaliger de harum gemmarum & margaritarum uſu adnotavit.

TORRENT.

31. *Nunquam vivo Lepido.*] Quem tamen ſpoliatum exercitu Circeios in perpetuum relegaverat. Sup. cap. XVI. Verum quia pontificatus non niſi cum vitæ munere ponebatur, Auguſtus (quod lib. I. de Clementia tradit Seneca) honorem illum vocari, non ſpolium voluit. Nec vero pontificatus tantum, ſed & cætera ſacerdotia perpetua fuere, ut ne exules quidem ſacerdotio privarentur. quod de Arvalibus a Romulo inſtitutis tradit Plin. lib. XVIII. cap. II. Sed aliter ejus nepos Plin. Secundus epiſt. VIII. lib. IV. Mortuus autem Lepidus A. U. DCCXI. honoremque Auguſtus prid. Non. Martias ingreſſus eſt.

Sub Palatini Apollinis baſi.] Recte, ut fatidicorum librorum cuſtos eſſet, qui & vatibus, & vaticiniis omnibus præfuit. De quo eleganter Macrob. Saturn. extremo lib. V. Sic porro Cæſari dictatori decretos a ſenatu honores, literis aureis in columnas argenteas inſcriptos, ſub pedibus Jovis Capitolini collocatos fuiſſe, auctor eſt Dion lib. XLIV. *Fatidicos* autem *libros* vocat, ut *fatidicæ vatis*, *fatidicæ Mantus*, *fatidici oracula Fauni* dixit Virgil. Livius *vaticinos* lib. XXV. & XXXIX. male enim vulgati codices *vaticinios* ſcribunt. Sueton. Cæſ. cap. LXXIX. *fatales*, ſicut & Vopiſcus Aureliano, & *fatalia carmina* Auſonius, quod populi Romani fata continebant. Eos Claudian. intellexit, de Bello Getico, cum ait : *Quid carmine poſcat Fatidico cuſtos Romani carbaſus ævi.*

CASAUBON.

31. *Pontificatum maximum ſuſcepit.*] Hoc deerat ad implendum omni ex parte jus ἀυτοκρατορίας. duobus enim continetur reſpub. omnis, religionum cærimoniis, & legibus humanis : quorum utriuſque cura & poteſtas olim penes Reges fuit. eſtque is mos antiquiſſimus, ut ex Ariſtotelis lib. III. Polit. notare olim meminimus ad XIV. Strabonis. Vide eundem Philoſophum lib. VI. cap. ult. & Syneſium epiſt. CXXI. Poſtea cum rebus mutatis vetera regna defeciſſent, veſtigium nihilominus ejus rei in pleriſque rebuſpub. ſervatum eſt : in quibus creati ſunt reges ſacrificuli, qui poteſtate cætera privati, religiones curabant : regium vero nomen ὁσίης ἕνεκα, ait Dionyſius lib. IV. retentum eſt. Hi ſunt, quos Græci ἀνακτοτελεστὰς & βασιλεῖς ἱερέας vocant : quales diu fuiſſe in multis Græcorum civitatibus, certiſſimum eſt ex Ariſtotele & veteri hiſtoria. At barbarorum plerique, ait Clemens Alexand. priſcum inſtitutum conſtanter retinuerunt. Ὅπερ, inquit, hoc ipſum intelligens, ἔτι καὶ νῦν παρὰ τοῖς λογιωτάτοις τῶν βαρβάρων σώζεται, τὸ ἱερατικὸν γένος εἰς βασιλείαν προσαγόντων. Romani Græcos per omnia ſunt ſecuti: nam & primi reges ipſorum augures, & poſtea privati ſacerdotiis præditi rempub. religionum auctoritate rexerunt, ut ſcrib Citicero I. de Divinat. Auguſtus ergo ne quid illi ad ſummam poteſtatem deeſſet, Pont. Max. anno DCCXI. prid. Non. Martii creatus eſt. Dio lib. LIV. & Ovidius in Martio. Permanſit mos ab eo traditus ad Gratianum uſque : qui primus ex Impp. Chriſtianis deſcivit ab hoc majorum inſtituto, Conſtantini, Conſtantii & cæterorum exemplo neglecto. Auctor Zoſimus lib. IV.

Quem nunquam vivo Lepido auferre ſuſtinuerat.] Plutarchus Quæſt. Rom. auguribus hoc jus proprium eſſe ait, ut ne damnati quidem ſacerdotio priventur: de reliquis vero negat diſerte. quod miror. Caſſiodorus in Patritiatus formula : *Mox ut datus fuerit, in vitæ tempus reliquum homini ſit coævus, ornatus individuus, cingulum fidele, quod neſcit ante deſerere quam de mundo homines contingat exire. credo ad ſimilitudinem pontificatus, unde venerat, rem fuiſſe formatam : quia ſacerdotium non deponunt, niſi quum vitæ munera derelinquunt.* Eo alludunt Imperatores, cum ſcribunt ſic : *Hi veluti dicati infulis myſterium perenne cuſtodiant.* nam *dicati infulis* ſunt pontifices leg. CXXII. de Decurionibus. in Theodoſ. C.

Annum a D. Julio ordinatum.] Quia anni ratio in poteſtate Pontificis fuit, propterea hic de emendatione anni agit.

egit : in cujus ordinatione Sextilem menſem e ſuo cognomine nuncupavit, magis quam Septembrem, quo erat natus : quia hoc ſibi & primus conſulatus & inſignes victoriæ obtigiſſent. Sacerdotum & numerum & dignitatem, ſed & commoda, auxit: præcipue Veſtalium virginum. cumque in demortuæ locum aliam capi oporteret, ambirentque multi, ne filias in ſortem darent : adjuravit, ſi cujuſquam neptium ſuarum competeret ætas, oblaturum ſe fuiſſe eam. Nonnulla etiam ex antiquis cærimoniis paullatim abolita reſtituit : ut Salutis augurium, Diale flaminium, ſacrum Lupercale, ludos Seculares & Compitalicios. Lupercalibus vetuit currere imberbes : item, Secularibus ludis juvenes utriuſque ſexus prohibuit ullum nocturnum ſpectaculum frequentare, niſi cum aliquo majore natu propinquorum. Compitales Lares ornare bis anno inſtituit, vernis

TORRENT.

Sextilem menſem a ſuo cognomine.] Tres libri optimi *e ſuo nomine*, ut non ſemel etiam Varro, & ipſe Cicero nomen pro cognomine poſuerunt. Non ſolum autem eodem menſe, ſed & die quo capta fuit Alexandria, alia Auguſto feliciter eveniſſe, teſtatur Horat. Carm. IV. Od. XIV. Sed & Dion lib. LI. inter alios poſt bellum Actiacum decretos ei honores recenſet, ut dies quo capta eſt Alexandria, feſtus haberetur, & ab eo anni numerari inciperent. verum quo menſe, aut die capta fuerit, non addit : tantum initio ejus libri pugnatum ſcribit apud Actium IV. Non. Septembris, a quo die Auguſti imperium cœperit.

Aliam capi.] Libri duo *capi aliam.* Verbum autem pontificium eſt. proprie enim virgines Veſtales, uti & Flamines, capi dicebantur. De quo Gellius lib. I. cap. XII. quem vide.

Salutis augurium.] Auguſtus poſt tres illos celeberrimos triumphos ſuos eodem tempore, quo Janum clauſit, etiam Salutis augurium fecit. neutrum enim niſi quieto imperio fieri poterat. Idem vero, intermiſſum annis quinque & viginti, placuiſſe continuari ſub Claudio, auctor eſt Tacit. lib. XII. Annal. Meminit ejus Cicero lib. I. de Divinatione. Qui plura volet, Dionem videat lib. XXXVII. & Politianum Miſcellan. cap. XIII. De Diali quoque Flaminio idem Dion lib. LIV.

Ludos Sæculares.] Hos celebravit Auguſtus A. U. DCCXXXVI. C. Furnio & C. Junio Silano coss. Quo tempore Horat. annos natus XLVIII. carmen quod Seculare inſcribitur, in Auguſti gratiam fecit. Exſtant etiam ea de re Auguſti nummi complures, inter quod unus cum hac inſcriptione: IMP. CÆS. AUG. LUD. SÆC. XV. S. F. id eſt, XV-viri ſacris faciundis.



Compitales lares.] Sic dicti, quod (ut Ovid. cecinit)

- - - compita ſervant,
Et vigilant noſtra ſemper in æde Lares.

Tertullian. de Spectaculis : *Ara Conſi, qui Neptunus eſt, in Circo defoſſa eſt ſub terra ad primas metas, cum inſcriptione hujuſmodi : Conſus conſilio, Mars duello, Lares comitio potentes.* Quo loco ſunt, qui *compito* pro *comitio* legendum putent. Verum ut *compita*, ſic *comitia*, quod plures in unum viæ confluant, appellantur. Vide Macrobium lib. I. cap. VII. Varronem lib. IV. Ling. Lat. Feſtum in *Compitalia*, & in *Lanea*, item *Maniæ*; Plinium extremo lib. XXXVI. Dionyſium Antiquit. Roman. lib. IV.

CASAUBON.

In cujus ordinatione Sextilem menſem.] Cenſorinus: *Qui autem ita Sextilis fuerat, C. Martio Cenſorino, C. Aſinio Gallo coss. in Auguſti honorem dictus eſt Auguſtus, anno Auguſtorum viceſimo.*

Magis quam Septembrem, quo erat natus.] Soliti veteres eum diem, qui ſibi ad honores aditum patefeciſſet, non minore aut etiam majore colere religione, quam illum, quo ſolem primum viderant. Ea cauſſa eſt, cur Sextilem menſem præferat Octavius Septembri. Sic Cicero diem quo redierat ab exilio & prioribus honoribus fuerat reſtitutus, modo παλιγγενεσίαν ſuam vocat, ut ad Atticum VI. epiſt. VI. modo *natalem reditus ſui*, ut lib. III. epiſt. XX.

In demortuæ locum aliam capi oporteret.] Κυριολογία, ut ex A. Gellio & aliis notum. ſic *dictus dictator*, *flamen proditus* dicuntur proprie, ut notat Curius Fortunatianus lib. III. etſi hoc non perpetuum. In gloſſis ſcriptum eſt : *Captam*, τὴν ἀπὸ προγόνων οἰκίαν. mirum interpretamentum. ſcio, quid ſit in ritibus ſacris *captus locus* : hic magiſter quid ſibi voluerit, neſcio. Puto tamen ſcriptum ab eo non οἰκίαν, ſed οἰκείαν. exiſtimavit captam dici eam, quæ per parentes in ea cauſſa ſit, ut capi ſacerdos poſſit. Verum alia quoque multa ſpectata fuiſſe in legenda virgine Veſtali, liquet. Vide apud Gellium lib. I. cap. 12. Non igitur tam male quam parum dixerit Græcus ille magiſter.

Salutis augurium.] Intermiſſum per annos XLIV a Ciceronis & Antonii conſulatu, ad V conſulem Auguſtum & S. Apulejum. Auctor Dio, qui ſine ratione, ut arbitror, & lib. XXXVII. & LI. Ὑγιείας οἰώνισμα

Græce

vernis floribus, & æſtivis. Proximum a Dis immortalibus honorem memoriæ ducum præſtitit, qui imperium populi R. ex minimo maximum reddidiſſent. Itaque & opera cujuſque, manentibus titulis, reſtituit : & ſtatuas omnium triumphali effigie in utraque Fori ſui porticu dedicavit. Profeſſus eſt edicto, *commentum id ſe, ut illorum velut ad exemplar & ipſe dum viveret, & inſequentium ætatum Principes exigerentur a civibus.* Pompeji quoque ſtatuam contra theatri ejus regiam, marmoreo Jano ſuppoſuit, tranſla-

Græce vertit : nam *Salus* hic, vel ipſo teſte, non ὑγίεια, ſed σωτηρία.

Diale Flaminium.] Vide inſcriptionem Ancyranam.

Sacrum Lupercale.] Celebratum paucis diebus ante Julii Cæſaris necem, poſtea neglectum.

Ludos ſeculares.] Coss. C. Furnio C. F. & C. Judio C. F. Silano.

Compitales lares ornare bis anno inſtituit.] Veteres quidam *compitalitiis*, ut Urſini & editi quidam. Placet : repetendum enim ex ſuperioribus *ludis* : & ſic dictum eſt *lupercalibus* & *ſecularibus*. Mos Suetonii fere perpetuus, ut quæ junctim propoſuit, ea exſequatur ſigillatim eodem ordine. ſed an fuerunt gemina compitalia? in veteri Kalendario ſemel notata ſunt ſexto Non. Maj. in eodem tamen Larentinalia annotantur inter Decembris feſtos dies : & ſatis conſtat ex Dionyſ. Halicarnaſ. non longo intervallo a Saturnalibus acta quondam compitalia : Varro lib. V. de Lingua Lat. *Compitalia dies attributus Laribus : quotannis is dies concipitur.* unde diſcimus, ætate Varronis non fuiſſe niſi una compitalia : eorumque diem, ut fere conceptivarum omnium feriarum, fuiſſe incertum. Proprie autem *Lares ornare* dixit, vel *ornari*, ut in Viterb. aliiſque ſcriptum. lib. VI. *Kal. Janu. exornati lares in ipſo ſacrificii apparatu conciderunt*, quod interpretor de privato Larium cultu, non publico per compitalia. Feſtus : *Donaticæ coronæ dictæ, quod his victores in ludis donabantur, quæ poſtea magnificentiæ cauſſa inſtitutæ ſunt ſuper modum aptarum capitibus, quali amplitudine fiunt, cum lares ornantur.*

TORRENT.

Vernis floribus & æſtivis.] Plautus prologo Aulul. ſub perſona Laris de Euclionis filia : *Aut ture, aut vino, aut aliquo ſemper ſupplicat, Dat mihi coronas.* Horat. lib. II. Epiſt. ad Auguſtum : *Floribus, & vino Genium.* &c. Sueton. Ner. cap. XLVI. *Kal. Januariis exornati Lares.* Quanquam eum locum ad Auguſti præſcriptum non retulerim.

Marmoreo Jano ſuppoſuit.] Lib. unus *ſuperpoſuit.* Hinc Scoppa, Collectaneis, legendum putat *ſuperimpoſuit*, ſed male. *Janos* enim vocabant tranſitiones pervias, quales multas Domitianus tota Urbe exſtruxit. Sub tali igitur Jano, aut fornice, ſi mavis, pervia Pompeji ſtatuam Auguſtus poſuit. Non ſatis autem intelligo, quam Pompeji regiam hic dicat Sueton. Senſus exigit, ut e regione theatri poſita fuerit. Interpretes pro baſilica exponunt, ſed addere debebant, quæ illa fuerit. nam de curia Pompeji certe non loquitur. Quare exiſtimo theatrum ipſum, uti opus regale, vocari regiam.

CASAUBON.

Vernis floribus & æſtivis.] Nam ver atque æſtas floribus coronariis generandis aptiſſimæ ſunt tempeſtates. Ideo Theophraſtus & alii ſapientes στεφανωματικὰ ἄνθη diſtinguunt in ἐαρινὰ & θερινά. etſi certum, in ἐυηλίοις præſertim locis, etiam autumno, etiam hieme flores naſci.

Itaque & opera cujusque manentibus titulis reſtituit.] De his titulis ſentit Vellejus Paterculus lib. II. cap. 39. *D. Auguſtus, præter Hiſpanias, aliasque gentes, quarum titulis forum ejus prænitet, pæne idem facta Ægypto ſtipendiaria, quantum pater ejus Gallia, in ærarium reditus contulit.*

Statuas omnium.] Ab ipſo Ænea & Romulo. Ovid. lib. V. Faſtorum, de Marte Ultore loquens, cui ædes in foro Auguſti :

Hinc videt Æneam oneratum pondere charo,
Et tot Iuleæ nobilitatis avos.
Hinc videt Iliaden humeris ducis arma ferentem,
Claraque diſpoſitis acta ſubeſſe viris.

Ut illorum velut ad exemplar.] Sic prima editio : Mss. plerique ſic, *ut ad illorum velut ad exemplar.* ſcripſerim, *ut ad illos velut ad exemplar.*

Contra theatri ejus regiam.] Pompejus poſt exſtructum famoſiſſimum illud theatrum, circumdedit ei cum alia opera, quod Vellejus ait, tum etiam domum, ut illa erant tempora, admodum magnificam : ipſo mortuo videtur, aut illa aut aliud quoddam ædificium ex iis, quæ theatro adjuncta (quorum præter Vellejum etiam Appianus meminit) *regiæ* nomine affectum. Ait autem *regiam theatri Pompejani*, quia, ut Plutarchus ait, quaſi appendix theatri fuit ea domus & ἐφόλκιον, ut ipſe nominat. ſic potius hunc locum interpreter, quam ut Torrentius, *theatri regia*, hoc eſt, *theatrum regale opus.*

Marmoreo Jano ſuppoſuit.] Hæc omnium veterum lectio. *Jani*, quos *tranſitiones pervias* Tullius interpretatur, magna hominum frequentia ſoliti celebrari, ut fora. Ammianus Marcellinus lib. XXVIII. *Potiores auctoritate longæva, per Janos & fora clamitant ſæpe, Rempub. ſtare non poſſe.* Livius lib. XLI. de colonia quadam loquens : *Fulvius Flaccus locavit forum porticibus tabernisque claudendum, & Janos tres faciendos.* Sunt codices non poſtremæ notæ, in quibus

32 tranſlatam e curia, in qua C. Cæſar fuerat occiſus. Pleraque peſſimi exempli correxit, quæ in perniciem publicam, aut ex conſuetudine licentiaque bellorum civilium duraverant, aut per pacem etiam exſtiterant. Nam & graſſatorum plurimi palam ſe ferebant ſuccincti ferro, quaſi tuendi ſui cauſſa: & rapti per agros viatores ſine diſcrimine, liberi, ſervique, ergaſtulis poſſeſſorum ſupprimebantur: & plurimæ factiones, titulo collegii novi, ad nullius non facinoris ſocietatem coibant. Igitur graſſatores

quibus eſt *Jano ſuperpoſuit*, ut intelligamus, Jano ſuperpoſitam Pompeji ſtatuam tanquam arcui triumphali, vel alicui columnæ: quod ſcimus & Romæ & Conſtantinopoli ſæpe factum in Principum ſtatuis.

TORRENT.

32. *Per pacem exſtiterant.*] Id eſt, emerſerant, exorta fuerant. Lucret. lib. III. *pallorem exſiſtere toto corpore.* & lib. VI. *Exſiſtit ſacer ignis.* lib. I. Rhetoricor. ad Herennium: *Si furioſus exſiſtet, agnatorum, gentiliumque in eo, pecuniaque ejus poteſtas eſto.* Quod Tuſcul. III. veluti interpretans ipſe Cicero: *Si furioſus* (inquit) *eſſe incipit.*

Graſſatorum plurimi p. ſ. f. ſuccincti ferro.] Id ſuis temporibus Juvenal. conqueritur Sat. III.

Interdum & ferro ſubitus graſſator agit rem.

Adde Suetonium Tib. cap. XXXVII. Sunt autem *graſſatores*, de quibus facete Plautus Amphit. *pugni dant ventri victum.* De iiſdem Tibull. lib. I. El. II.

Nec ſinit occurrat quiſquam, qui corpora ferro
Vulneret, aut rapta præmia veſte petat.

Unde & *præmiatores* dicti apud Nonium. Calliſtrat. l. XXVIII. de pœnis: *Graſſatores, qui prædæ cauſa id faciunt, proximi latronibus habentur: & ſi cum ferro aggredi & ſpoliare inſtituerunt, capite puniuntur. utique ſi ſæpius, atque in itineribus id admiſerunt. Graſſari* ergo proprie eſt ſine ferro aggredi, prædæ plerumque, aut etiam laſciviæ cauſa. Eleganter itaque Horat. lib. II. Sat. IX. *Obſequio graſſare.* & Livius lib. XLV. *qui aſſentando multitudini graſſantur.* Unde *graſſari* pro adulari apud Feſtum. Et hoc eſt, quod *rixas* a *graſſaturis* diſtinguit Saturnin. l. XVI. de pœnis.

Ergaſtulis poſſeſſorum.] *Poſſeſſio* & jus poſſidendi, & rem ipſam quæ poſſidetur, ut puta villam, aut fundum, ſignificat. Hinc *poſſeſſiones* (inquit Feſtus) *appellantur agri late patentes, publici, privatique. Poſſeſſores* itaque vocat Sueton. dominos ipſos poſſeſſionum, ut ſup. XIII. De ergaſtulis vero villarum Columella lib. I. cap. VIII. Adde locum Suetonii Tib. cap. VIII. Atque hinc commodius Juvenalem intelligemus Sat. XIV.

Quem mire afficiunt inſcripta ergaſtula, carcer
Ruſticus.

& Sat. VIII.

Nempe in Lucanos, aut Tuſca ergaſtula mittas.

CASAUBON.

32. *Graſſatorum plurimi.*] Et Roma & circumjecta Italia perpetuo obnoxiæ huic periculo, quo ne nunc quidem carent. Refero huc Appiani locum Ἐμφυλ. lib. V. Λῃστευομένους δὲ κατὰ συστάσεις τῆς τε Ῥώμης αὐτῆς καὶ τῆς Ἰταλίας (vel τῆς ἄλλης Ἰταλίας) περιφανῶς. In vulgatis editionibus ſcriptum eſt τῆς Σικελίας. eamque lectionem videntur confirmare, quæ deinceps narrantur: ſed qui attentius locum legerint, mihi aſſentientur. Juvenalis querela eſt de ſuis temporibus:

- - - *nam qui ſpoliet te*
Non deerit, clauſis domibus poſtquam omnis ubique
Fixa catenatæ ſiluit compago tabernæ.
Interdum & ferro ſubitus graſſator agit rem.
Armato quoties tutæ cuſtode tenentur
Et Pomptina palus & Gallinaria pinus.
Sic inde huc omnes tanquam ad vivaria currunt.

Appianus alibi graſſatorem hac periphraſi deſcribit, ἄνδρα λῃστεύειν τοὺς παροδεύοντας καὶ ἐπὶ ἔργῳ καταδεῖν εἰθισμένον. Cæterum de hujuſmodi latrunculatoribus, & eorum inhibitione, lege quæ obſervata ſunt Jacobo Cujacio libro XIX. cap. XI.

Rapti per agros viatores ſine diſcrimine, liberi, ſervique, ergaſt. poſſ. ſuppr.] Similis improbitas exſtitit mancipum panis gradilis temporibus Theodoſii, ut plures illorum temporum ſcriptores oſtendunt. Auctor Hiſtoriæ miſcellæ: *Horum panum mancipes tempore procedente piſtrina publica latrocinia eſſe fecerunt. cum enim eſſent molæ in locis ſubterraneis conſtitutæ per ſingula latera earum domuum tabernas inſtituentes.* Mox: *Arte mechanica in molam de taberna cadebant, & hoc patiebantur maxime peregrini: & ita latebant clauſi, ut multi uſque ad ſenectutis tempus laborantes, inde non permitterentur exire, exiſtimantibus eorum propinquis eſſe defunctos.*

Ergaſtulis poſſeſſorum ſupprimebantur.] Ergaſtulum, vox Græcæ originis, non Græca. illi ἐργάτωνας vocabant. Heſychius: Ἐργάτωνες οἱ ἐν τοῖς ἀγροῖς τόποι, ἔνθα οἱ οἰκέται κοιμῶνται. ſed accommodatius mori Romano Scriptor Gloſſarum: *Ergaſtulorum*, ἐλευθέρων φυλακῶν. *Ergaſtula*, τόποι, ἐν οἷς πεδῆται ἐργάζονται, δεσμωτήριον, δεσμός. Vetuſtiores Græci & uſum horum notant & ἐρκίτας appellabant. Athenæus lib. VI. Ἀμερίας δὲ ἐρκίτας φησὶ καλεῖσθαι τοὺς κατὰ τοὺς ἀγροὺς οἰκέτας.

VARIOR.

32. *Quæ in perniciem publicam duraverant.*] Sic Ulpianus l. 82. ad l. Falc. *Reſidua centum durabunt in obligationem.* GOESIUS.

Ergaſtulis poſſeſſorum.] An *obſeſſorum*? GUJET.

tores diſpoſitis per opportuna loca ſtationibus, inhibuit: ergaſtula recognovit: collegia, præter antiqua & legitima, diſſolvit: tabulas veterum ærarii debitorum, vel præcipuam calumniandi materiam, exuſſit. Loca in urbe publica juris ambigui poſſeſſoribus adjudicavit. Diuturnorum reorum, & ex quorum ſordibus nihil aliud quam voluptas inimicis

TORRENT.

Collegia præter antiqua & legitima.] Duæ dictiones poſtremæ, *& legitima*, abſunt a duobus codicib. ut ſenſus ſit, Auguſtum nova omnia collegia diſſolviſſe, quemadmodum & Cæſar dictator ſup. cap. XLII.

Tabulas veterum ærarii debitorum exuſſit.] Tres libri non habent verbum *ærarii*. quos non ſequor. In omnibus autem MSS. quos viderim pro *exuſſit*, *excuſſit* reperi. Sed Hadriani & Gratiani Cæſarum de exuſtis publicorum debitorum tabulis exempla, a Beroaldo hic relata, & Dionis auctoritas initio lib. LIII. receptam lectionem confirmant. Excutere autem minus magnificum, & laborioſum magis.

Diuturnorum reorum.] Modeſtin. l. XXV. de Pœnis: *Si diutino tempore aliquis in reatu fuit, aliquatenus pœna ejus ſublevanda erit.* Auguſtus, accedente accuſantium malitia, diuturnos reos etiam liberos dimiſit.

CASAUBON.

Ergaſtula recognovit.] Per Tiberium libro ſequenti cap. VIII. ſed quin ſæpius factum etiam per alios, non ambigo.

Præcipuam calumniandi materiam.] Τȣ̃ ἐπηρεάζειν, non τȣ̃ συκοφαντεῖν. Sic in Domitiano, *fiſcales calumniæ.* & in Julio, *calumniarum metum injecit.* Quid appellet *calumniandi materiam*, declarat eximie lex Impp. Theodoſ. & Valent. AA. in Cod. Theodoſ. titulo de Indulgentiis reliquorum. Reliqua hujus periodi pæne ad verbum expreſſit Dio: Τὰ παλαιὰ συμβόλαια τῶν τῷ κοινῷ ὀφειλόντων ἔκαυσε. Unde merito probata eruditiſ. Torrentio quorundam libb. lectio *exuſſit*: cum in pleriſque ſcriptum & nos invenerimus *excuſſit*. Confirmant illam ſcripturam ſimilia inſequentium Principum exempla non pauca. Spartianus de Hadriano: *Ex reliquiis ingentes ſummas remiſit, ſyngraphis in foro divi Trajani, quo magis ſecuritas omnibus roboraretur, incenſis.* Flavius Vopiſcus de Aureliano: *Tabulas publicas ad privatorum ſecuritatem exuri in foro Trajani ſemel juſſit.* Auſonius in Panegyrico: *Tu argumenta omnia flagitandi publicitus ardere juſſiſti. Videre in ſuis quæque foris omnes civitates conflagrationem ſalubris incendii: ardebant ſtirpes fraudum veterum, ardebant ſeminaria futurarum.* Vide libro IV. ad cap. XV. Appiani narratio lib. V. Ἐμφυλ. utrique lectioni accommodari poteſt. In antiquis nonnullis eſt, ut dixi, *excuſſit*. Nobis placet *exuſſit*, quam ſcripturam præter allata jam exempla ſtabilit lex Impp. Arcad. & Honor. AA. Cod. Theodoſ. De Indulgentiis debitorum. ea lege jubentur chartæ iſtiuſmodi cremari. Etiam Juſtini Imp. ſimilem liberalitatem multis verſibus decantat Corippus antiquus & elegans poëta. In ejus verbis caute iſta accipe:

> - - - *quod nullus avorum*
> *Auguſtos unquam cecinit feciſſe priores.*

Nam id, niſi commoda interpretatione mollias, falſiſſimum eſt.

Loca in urbe publica juris ambigui.] Id eſt, quæ publica eſſe dicebantur magis quam probabantur: alioquin vel ablata poſſeſſoribus, vel non niſi impoſito ſolario eſſent conceſſa. Simile judicium Domitiani, ut narrat Suetonius in ejus vita cap. IX. Ad hoc controverſiarum genus inſtituti ſunt poſtea, quos *Curatores locorum publicorum judicandorum* nominabant. Vetus lapis:

T. QUINCTIUS. CRISPINUS. VALERIANUS.
C. CALPETANUS. STATIUS RUFUS.
C. PONTIUS PELIGNUS.
C. PETRONIUS UMBRINUS.
M. CRASSUS. FRUGI.
CURATORES.
LOCOR. PUBLICOR. JUDICAND.
EX. S. C. CAUSA. COGNITA.
EX PRIVATO. IN PUBLIC. RESTITUER.

Exſtat memoria ſimilium judiciorum in aliis inſcriptionibus, quas miſſas facio.

Diuturnorum reorum.] Variis olim legibus ac S.C. accuſantium temeritas & improbitas coercita fuit, ut lege Remmia & S.C. Turpilliano, de quibus habes apud J.C. in Pandect. Tandem vero prodiit ſaluberrima conſtitutio, quæ anno terminari juſſit quæſtiones criminales. Exſtat ea lex hodieque in Cod. Theodoſ. lib. IX. tit. XXXVI. Juſtinianus tempus ampliavit, & biennium præfiniit, leg. III. Cod. *Ut intra certum tempus criminalis quæſtio terminetur.*

VARIOR.

Diſpoſitis per opportuna loca ſtationibus.] Id eſt, ſtationariis militibus, & qui eis præeſſent, latrunculatoribus. nam & *latrunculatores*, quos Græci vocant ληϛοδιώκτας, ex illo inſtituto Auguſti profectos opinor. Diſpoſitæ ſunt etiam in provinciis. Tertullianus in Apol. *Latronibus veſtigandis per univerſas provincias militaris ſtatio ſortitur.* Idem Auguſtus inhibendis latronibus, vel τῇ καταλύσει τῶν ληϛῶν, ut Strabo ſcribit lib. IV. conſtituendarum publicarum viarum curam ſuſcepit, ne arctæ eſſent, nec præruptæ, nec fallaces, & ponendis graſſatorum ſubſeſſis accommodæ. Illa quoque ratio inhibendorum graſſatorum valde placet, quam Ariſtoteles notavit in Admirandis ſuis,

ut

inimicis quæreretur, nomina abolevit: conditione propoſita, ut ſi quem quis repetere vellet, par periculum pœnæ ſubiret. Ne quod autem maleficium negotiumve impunitate vel mora elaberetur, xxx amplius dies, qui honorariis ludis occupabantur, actui

ut qui loco, in quo latrocinium factum eſt, ſunt proximiores oppidani, aut municipes, aut vicani, latrones exhibere, aut damnum ſarcire compellantur: nam & ſimile quiddam apud Joſephum legi de B. Jud. lib. II. cap. XX. Cujac.

Torrent.

Qui honorariis lud. occup.] *Honorarii ludi* (inquit Feſtus) *quos & Liberalia dicebant. Liberalia autem Liberi feſta, quæ apud Græcos dicuntur Διονύσια.* Sed non exiſtimo tot dies ſolis Liberalibus occupatos fuiſſe. Verius fortaſſis *honorarios* interpretabimur, honoris ſeu dicis cauſa ſic dictos, non quod ludi vere ederentur; vel eos, quibus prætor præerat. nam & jus prætorium (quod norunt omnes) *honorarium* appellatur. Prior ſententia verior eſt.

Casaubon.

Si quem quis repetere vellet.] Poſt accuſationis abolitionem vel ex S. C. vel indulgentia Principis, vel ob ferias lætitiamve aliquam aut quamcunque aliam ob cauſſam, repeti rei poſſunt intra dies xxx. de quibus vide J.C. Dig. ad S. C. Turpillianum leg. x. & ſeqq. Hujus juris auctorem facit hic Suetonius clare Auguſtum: obſcure Paulus Juris conſultus lege tertia Dig. de Accuſat. & Inſcript. *Si accuſator deceſſerit aliave quæ cauſſa impedierit, quo minus accuſare poſſit, & ſi quid ſimile, nomen rei aboletur poſtulante reo: idque & lege Julia de vi, & ſenatusconſulto cautum eſt. ita ut liceat alii ex integro repetere reum. ſed intra quod tempus, videbimus. Et utique triginta dies utiles obſervandi ſunt.* Similem Domitiani conſtitutionem refert auctor in ejus vita capite nono.

Par periculum pœnæ ſubiret.] Vide in Domitiano, capite IX. Calumniatorum pœna legitima talio, hoc eſt, ſimilitudo ſupplicii leg. ult. Cod. de Calumniatoribus. Olim lege Remmia calumniæ damnatorum fronti inurebatur litera K. Cicero pro Roſcio Amerino, & Plinius in Panegyr. unde apud Papinianum, *calumniæ damnatus* & *homo integræ frontis* opponuntur, lege XIII. Dig. de Teſtibus.

Triginta amplius dies actui rerum accommodavit.] In multis olim rebuſpublicis, ut Athenienſi, Tarentina, aliiſque, eveniſſe legimus, ut creſcente variis occaſionibus dierum feſtorum numero, tandem plures voluptatibus dicati reperirentur, quam negotioſi & juridici. Idem Romanis evenerat ante Auguſtum. quod non una Ciceronis in Verrinis querela declarat. Auguſtus primus, ſicut hic narrat Suetonius, huic malo medicinam fecit: idem poſtea factum a Claudio, ut narrat idem libro quinto. Simile eſt, quod in vita optimi principis Marci Antonini Philoſophi refert Capitolinus: Judiciariæ rei ſingularem diligentiam eum adhibuiſſe: faſtis dies judiciarios addidiſſe, *ita ut ducentos triginta dies annuos rebus agendis, litibusque diſceptandis conſtitueret.* quod non temere ab eo hiſtorico notatum. vix enim ullo alio tempore, ſi antiquiſſima excipias, tot dies negotioſi in anno Romano fuerunt. Poteſt iniri ratio ex Kalendario veteri, quod hodieque exſtat, & hiſtoriis. Quid? noſter hodie annus quam procul ab eo numero abeſt? cum quidem jam inde a temporibus Juſtiniani, dies feriati in anno eſſent circiter CLX. clara res ex illius Codice, titulo de Feriis. quantum poſt illa numerus auxerit, videmus. Digna res animadverſione alicujus Antonini, ſi minus Philoſophi, ſaltem Pii.

Qui honorariis ludis occupabantur.] Feſti verba ſunt: *Honorarios ludos, quos & Liberalia dicebant.* Ego vero hoc loco honorarios ludos interpretor, qui ad honorem edentium pertinerent. Triplex olim ludorum & agonum exhibendorum cauſſa: deorum religio, mortuorum ὁσία, & edentium honos. qui ex duabus prioribus cauſſis exhibebantur, ſacri fere erant & inviolabiles, eorumque origo prior eſt & antiquior: *Sero enim tranſierunt ludi ab honoribus deorum & mortuorum ad honores viventium: quæſturas dico, magiſtratus, & flaminia ac ſacerdotia,* inquit Tertullianus. Poſtea autem ita res in frequenti uſu fuit, ut temporibus Auguſti nemo aliquem locum honeſtiorem in rep. ſortiretur, quin magnam patrimonii partem in editione ſpectaculorum impenderet, aut impendiſſet. Merito igitur Auguſtus hos potius ludos coercuit, qui ex ambitione prava originem habebant, quam illos priores. Ita hunc locum interpretor ex Tertulliani lib. de Spectaculis, ubi hæc diſtinctio ludorum & agonum aperte explicatur. Poteſt & alia afferri ratio præter ſuperiorem, cur hi ludi a Suetonio honorarii cognominentur: nam quia Auguſti temporibus plurimi magiſtratus prætores erant (ſedecim enim ab eo conſtat fuiſſe aliquando creatos) a majori parte *honorarii ludi*, quaſi prætorii, ita potuerunt dici, ut *jus honorarium* κατ' ἐξοχὴν appellarunt jus prætorium: nam alioquin proprie loquendo, etiam jus ædilitium & aliorum magiſtratuum, qui honores obtinebant, jura honoraria dici potuerunt. Sic ipſos prætores *honoratum magiſtratum*, dixerit Ovidius I. Faſtorum:

Verbaque honoratus libera prætor habet.

etſi, ut ante diximus, non de ſolis prætorum ludis accipere debemus: ſed eorum omnium, qui eo modo propriæ ambitioni, & populi voluptatibus ſerviebant. Cæterum ad hos ludos refero & eorum pleroſque, quos vocat Suetonius in Nerone *privatos.* Intelligo enim ludos a magiſtratibus aut ſacerdotibus propria

actui rerum accommodavit. Ad tres judicum decurias, quartam addixit ex inferiore cenſu, quæ ducenariorum vocaretur, judicaretque de levioribus ſummis. Judices a viceſimo ætatis anno allegit: id eſt, quinquennio maturius quam ſolebant. At pleriſque judicandi munus detrectantibus, vix conceſſit, ut ſingulis decuriis per vices annua vacatio eſſet:

propria pecunia honoris ſui gratia edi ſolitos: nam privati omnes dicuntur etiam ſummi magiſtratus reſpectu Principis, & ita ſæpe accipiendum in Suetonio & Tacito. ſed & eos ludos poſſumus, ni fallor; ad hoc genus referre, quos extra ordinem in honorem Principis ex ambitioſo aliquo decreto ſenatus fuiſſe editos legimus: cujus rei exempla in hiſtoriis plurima.

TORRENT.

Actui rerum.] Sic Claud. cap. XV. & XVII. Ner. XVII. Quibus omnibus locis *rerum actus* nihil aliud quam tempus ipſum ſignificat, quo judicia exercentur, ac de rebus agitur, uti & apud Plin. lib. IX. epiſt. XXV. *Nunc me rerum actus modice, ſed tamen diſtringit.* Idque apertiſſime ſic eſſe oſtendit Capitolin. M. Antonino. *Faſtis* (inquit) *dies judiciarios addidit, ita ut ducentos triginta dies annuos rebus agendis litibusque diſceptandis conſtitueret. Dies judiciarios* vocat, quos *negotioſos* alicubi Tacitus, & *rerum actum* Suetonius.

Quartam addixit.] Sic libb. MSS. omnes. Sunt tamen qui *addidit*, & qui *adduxit* legendum putent. *Addici* autem *judices arbitrique* dicebantur, cum vel à prætore dabantur, vel à litigantibus ſumebantur. Exempla ſæpe obvia apud JCtos noſtros, ut leg. XXXIX. XLVI. & LXXX. De judiciis; eoſque qui de agrorum limitibus ſcripſere. Sueton. tamen Calig. cap. XVI. *Ut levior* (inquit) *judicantibus labor fieret, ad quatuor priores quintam decuriam addidit.* Neque eo loco diſſentiunt codices. Item Galb. cap. XIV. *Judicibus ſextam decuriam adjici precantibus.* Et ſane aliud eſt judicem addicere, aliud decuriam novam judicum inſtituere. Non repugnabo igitur ei, qui *addidit* pro *addixit* legendum eſſe contendat. nam & ex illis tribus prætoris verbis *do, dico, addico*, non tam ultimum, quam primum ad judicis arbitrive dationem referimus. Illud potius inquirendum, quo modo tribus judicum decuriis quartam addidiſſe Auguſtum Sueton. ſcribat, cum Divus Julius judicia ad duo tantum judicum genera redegerit, equeſtris ordinis, ac ſenatorii, remotis tribunis ærarii. Sup. Cæſ. cap. XLII. Et Antonius quidem interfecto Cæſare centuriones militeſque legionis Alaudæ duabus illis centuriis adjecit, quo nomine eum exagitat Cicero Philipp. I. magis tamen crediderim hoſte judicato Antonio judicia ad tribunos rediiſſe. Illud etiam exponi velim, quæ res Novembri, & Decembri menſe agi ſolitæ, deinceps omitterentur. An forte tunc ceſſabat rerum actus, neque judicia fiebant? Quod non exiſtimo. quid enim proderat rerum actui adjeciſſe dies tringinta, ſi adempti menſes duo? Sed tamen hi duo menſes pæne toti feriis occupabantur.

CASAUBON.

Ad tres judicum decurias quartam addixit.] Quæ ratio Auguſtum impulit, ut tempora judiciorum amplificaret, eadem ut judicum numerum augeret. Quot & quales Romæ mutationes in re judiciaria acciderint, quia ex Cicerone & Aſconio diligenter docti viri expoſuerunt, pluribus perſequi non eſt operæ. Tandem Octavius ad quatuor decurias omnem judicum numerum redegit. *Decuria* in hoc loquendi genere non eſt δεκάς. nam ſingulæ decuriæ ſingula minimum millia continebant, quod ex Plinio conſtat. non eſt etiam ordo, ut quodam apud Ciceronem loco Aſconium exponere memini. nam decuriæ quatuor fuerunt, poſtea etiam plures: ordines in civitate non niſi tres, ſenatorius, plebejus, & qui illis maxime temporibus conſtitutus formatuſque fuit, equeſter. Eſt vero decuria hac notione idem fere ac λεύκωμα, *album.* Quæ fuerit differentia inter has decurias, & ut ita dicam, quæ εἰδοποιϊκὴ διαφορὰ, nondum inveni: nam cenſum ſolummodo ſpectatum non puto: de quo tamen alibi, ſi Deo placuerit, quæremus. ſed quæcumque ea tandem fuerit, per illam quatuor τάξεις diverſæ judicum ſunt conſtitutæ: quæ ea ratione decuriæ dictæ ſunt, qua & equitum decuriæ dicuntur apud Tacitum & Suetonium. Quod enim apud eos legimus, *ordinare decurias equitum*, id ſignificat, omnes equites recenſere, & eum cuique locum aſſignare, qui ei conveniebat. Erant quippe decuriæ aliæ aliis honeſtiores, cujuſmodi decuria quæſtoria erat, inter equeſtres vel honeſtiſſima: quam ſi quis erat nactus, ejus fuit ſedere in quatuordecim inter primores. Scholiaſtes Juvenalis ad Satyram V. *Sarmentus natione Tuſcus, e domo M. Faboni, incertum, libertus an ſervus, plurimis forma & urbanitate promeritis, eo fiducia venit, ut equitem Romanum ageret: decuriam quoque quæſtoriam compararet. Quare per ludos, quibus primus in quatuordecim ordinibus ſedit, hæc a populo in eum dicta ſunt.*

Judices a triceſimo ætatis anno allegit.] Lego *a viceſimo.* nuſquam enim reperio ante Auguſtum non allectos in decurias judicum minores annis XXXV. contra, annum XXV. legitimum ei muneri obeundo, ut pleriſque aliis, fuiſſe finitum, perſuadet mihi lex VIII. Dig. De muner. & honorib. Ita emendabat hunc locum etiam Jacobus Cujacius, judicii vir acerrimi, aquila juriſconſultorum.

33 eſſet : & ut ſolitæ agi Novembri ac Decembri menſe res omitterentur. Ipſe jus dixit aſſidue, & in noctem nonnunquam : ſi parum corpore valeret, lectica pro tribunali collocata, vel etiam domi cubans. Dixit autem jus non diligentia modo ſumma, ſed & lenitate : ſiquidem manifeſti parricidii reum, ne culeo inſueretur, quod non niſi confeſſi afficiuntur hac pœna, ita fertur interrogaſſe : Certe patrem tuum non occidiſti?

TORRENT.

33. *Culeo inſueretur.*] Liber opt. *culleo*, & mox. *afficiuntur*, pro *afficiebantur*, & pro *patrem parentem*. Nota autem parricidarum pœna.

CASAUBON.

Ut ſolitæ agi Novembri ac Decembri menſe res omitterentur.] Hoc eſt, ut rerum actus, qui certis diebus menſe Novembri & Decembri celebrari ſolebat, omitteretur, eſſentque omnes eorum menſium dies nefaſti, nulli ἀγόραιοι. Docti viri, quia non animadvertebant, *res agi* ſic dici hoc loco ut paullo ante *rerum actus*, mentem Suetonii non videntes, inani quæſtione ſeſe fatigarunt, quænam eſſent illæ res menſe Novembri & Decembri agi ſolitæ : atqui ut ad Theophraſti Characteres notabamus, *& rerum actus & res agi* dicunt Romani de eo tempore, ὅτε αἱ δίκαι εἰσί. Quinam autem dies illis duobus menſibus eſſent utiles, qui feriati, ex Kalendario veteri & Cicerone, Aſconio, cæteriſque ſcriptoribus poteſt intelligi. December præcipue voluptatibus deputatus fuit. Senecam lege initio epiſt. XVIII. Videtur autem Octavius hoc inſtituto auctor fuiſſe ejus, quod in Claudio notat Suetonius, ut rerum actus in menſes æſtivos & hibernos eſſet diviſus : nam Octobrem fere ceſſiſſe feriis vindemialibus, vetus Kalendar. ruſticum, & paullo poſt Tranquillus ſuadent. Quin & Septembrem pene totum ludis fuiſſe occupatum, ex altero Kalendario & Cicerone conſtat.

33. *Ipſe jus dixit aſſidue.*] Duravit hic mos admodum laudabilis & Romæ & Conſtantinopoli per multa ſæcula; ut Imperatores non ſolum in curia ſenatorum cognitionibus intereſſent, verum etiam in foro prætorum judiciis intervenirent, ac ſæpe in eodem tribunali ſederent. de Auguſto obſervat Suetonius, de Tiberio Tacitus primo Annalium, etſi non cum ejus laude : agit enim ibi de lege majeſtatis a Tiberio reducta. Sic ille : *Nec patrum cognitionibus ſatiatus, judiciis adſidebat in cornu tribunalis, ne prætorem curuli depelleret.*

Et in noctem non nunquam.] Contra conſuetudinem veterum : nam & in curia & in foro ſervata lex XII. tabularum : SOL OCCASUS SUPREMA TEMPESTAS ESTO. Similem aſſiduitatem requirit a judicibus Imperator Juſtinianus, Novella LXXXII. Καθεδοῦνται οἱ διαιτηταὶ διηνεκῶς ἐπὶ τῆς βασιλείου στοᾶς, ἐν οἷς καὶ νῦν εἰκίσκοις δικάζουσιν ὄρθριοί τε εὐθὺς καὶ εἰς δείλην ὀψίαν. Agathias Conſtantinopolitanus cauſſidicus lib. III. Ἀλλ' ἐγὼ ἥμενος ἐν τῇ βασιλείῳ στοᾷ βιβλίδια πολλὰ δικῶν ἀνάπλεα καὶ πραγμάτων ἐξ ἑωθινοῦ μέχρι καὶ ἐς ἥλιον καταδύντα ἐκμελετῶ καὶ ἀνελίττω. Quin diſertim teſtatur Auguſtinus Donatiſtis reſpondens, qui noctu prolatam a Marcellino adverſus ſe ſententiam calumniabantur, ſolitum ſæpe fieri, *ut judices uſque ad multam partem noctis ſederent.*

Vel etiam domi cubans.] Reperio notatum a Dione in anno penultimo vitæ Auguſti lib. LVI. οὕτω τὰ πλείω καὶ κατακείμενός ἐστιν, ὅτε ἐχρημάτιζεν.

Parricidii reum.] Similis in ſimili cauſſa clementia ejuſdem Auguſti, cum Tario affuit in cognitione de filio. Seneca narrat de Clementia lib. I. cap. XV.

Ne culleo inſueretur.] Res nota : præter cæteros vide Gloſſarii caput, cui index Ἀδριανοῦ ἀποφάσεις, ubi fuſe deſcribitur. Iſidorus vero non audiendus, qui in Gloſſis ait : *Culleum tunicam fuiſſe ex ſparto in modum cruminæ factam, & ſolitam liniri a populo pice & bitumine.* Imperite nimis confundit culleum cum tunica. Ille, quod certum eſt, corium fuit & ἀσκὸς vel βόειος vel ὄνειος, in quem parricidæ inſuebantur. Tunica, ut ex ipſius deſcriptione apparet, ab eis induebatur, qui erant igne cremandi. Seneca epiſtola XIV. *Cogita illam tunicam alimentis ignium & illitam & intextam.* Juvenalis : *Tunica punire moleſta.* De hac loquitur Tertullianus ad Martyres : *Jam & ad ignes quidam ſe auctoraverunt, ut certum ſpatium in tunica ardente conficerent.*

Ita fertur interrogaſſe.] Judiciorum criminalium pars non minima erat rei interrogatio. Multum autem intererat in peragendis interrogationibus, quo animo eſſet is, qui interrogabat. Exemplum illuſtre hic in Auguſto, qui ſua interrogatione tacite viam ſalutis reo aperuit. Hæc enim interrogatio, *Certe patrem tuum non occidiſti?* eandem vim habet, ac ſi ita eſſet concepta : *Nonne verum eſt, te patrem tuum non occidiſſe.* At legitima formula ita potius erat concipienda, *Parricidium, quod objicitur tibi, feciſti?* Simile eſt, quod narrat Livius lib. VIII. cum de Privernatibus triſtes ſententiæ a ſenatoribus pleriſque dicerentur, & legatus ipſorum ferociter reſponderet : *Conſul*, inquit Livius, *benigna interrogatione mitius reſponſum elicere conatus eſt.* Simile idem, quod de Cincio Severo narrat Tertullianus ad Scapulam : *Qui* (ait ille) *Thiſtri ipſe dedit remedium, quomodo reſponderent Chriſtiani, ut dimitti poſſent.* Contra qui perditum reum volebant, omnibus modis il-

 lum

cidiſti? Et cum de falſo teſtamento ageretur, omneſque ſignatores lege Cornelia tenerentur, non tantum duas tabellas, damnatoriam & abſolutoriam, ſimul cognoſcentibus dedit: ſed tertiam quoque, qua ignoſceretur iis quos fraude ad ſignandum, vel errore inductos, conſtitiſſet. Appellationes quotannis urbanorum quidem litigatorum prætori delegavit urbano: at provincialium conſularibus viris, quos ſingulos cujuſque provinciæ negotiis præpoſuiſſet. Leges retractavit, & quaſdam ex integro ſanxit: ut ſumtuariam, & de adulteriis, 34
&

lum in fraudem ſuis interrogationibus inducere conabantur.

VARIOR.

33. *Ne culeo inſueretur.*] In VV. CC. ſcriptum eſt conſtanter *culleo* geminata *l* littera. F. URSINUS.

TORRENT.

Fraude vel errore.] De lege Cornelia de falſis, quæ & teſtamentaria dicebatur, Pauli JCti verba ſunt hæc: *Qui teſtamentum falſum ſcripſerit, ſignaverit, recitaverit, dolo malo, cujuſve dolo malo id factum erit, lege Cornelia damnatur.* Si ergo dolus requiritur, quorſum tertia illa Auguſti tabula? Sed Auguſti tempore lex non tam aperte id ita caverat.

Appellationes quotannis.] Appellationis uſus ante Cæſarum tempora Romæ minus frequens fuit, poſtea vero magis ac magis deficiente prætorum tam in ſortiendis quam dandis judicibus poteſtate, provocandi licentia in immenſum crevit; præſertim ubi ex reſcripto Principis peti, darique judices cœpere. A quibus, uti & a magiſtratibus, ad Principem poterat appellari. Has ergo appellationes Auguſtus quotannis aut prætori urbano, ſi urbani erant litigatores; aut ſi provinciales, viris conſularibus, quos ei curæ præfecerat, delegavit. Cajus vero Caligula initio imperii magiſtratibus liberam juriſdictionem conceſſit. Teſtis Sueton. cap. XVI. Verum id non diu manſit. nam & ad Principem paſſim appellabatur. Sed cum ad Principem appellantibus certa ſi ſuccumberent propoſita eſſet pœna, Nero ſtatuit, ut ejuſdem pecuniæ periculum facerent & qui ad ſenatum appellaſſent, & qui ad Principem. De quo Ner. cap. XVII. A ſenatu vero ne appellaretur ad Principem, Hadriani oratione effectum eſſe, Ulpian. tradidit l. 1. A quibus appell. non licet. Atque adeo ad vitandas appellationum ambages M. Antoninus multis cognitionibus ad ſe pertinentibus ſenatum judicem dedit. Teſtis Capitolin.

34. *Et de adulteriis & de pudicitia.*] Deleo prius *&*, ut in vetuſto codice, quo apertius lector intelligat unam eandemque eſſe legem, quæ de adulteriis & de pudicitia inſcribitur. additum enim *& de pudicitia*, quod lege Julia puniebantur etiam ii, qui cum maſculis nefariam exercebant libidinem. Teſtis Juſtinian. Inſtit. lib. IV. tit. De publicis judiciis. Quanquam delictum hoc & alia peculiari lege, Scantinia, coercebatur, ſed leniore pœna, quam lex Julia capitalem ſtatuit. Verum de Scantinia alibi. *Pudicitiæ* certe *quæſtionem* vocat Valerius lib. VI. cap. I. quæ de pueri ſtupro habebatur, & peculiariter *impudicitia* crimen ipſum dicitur; ut *impudici*, qui eo vitio laborant. Inf. cap. LXXI. *Infamiam impudicitiæ facillime refutavit, circa libidines hæſit.* & Veſpaſ. cap. XIII. *Licinium Mucianum, notæ impudicitiæ, &c.* Catullus Epigr. in Cæſarem: *Es impudicus, & vorax, & aleo.* Et notum eſt illud Catonis dictum in effeminatum quendam: *Et adverſus, & averſus impudicus es.* Notum & illud Haterii oratoris apud Senecam lib. IV. Controverſ. *Impudicitia in ingenuo crimen eſt, in ſervo neceſſitas, in liberto officium.* Auguſti autem hanc legem fuiſſe, quanquam Julia inſcribitur, & Ulpian. atteſtatur, & Sex. Aurelius probat, Auguſtum reprehendens, quod, cum eſſet luxuriæ ſerviens, ejus tamen vitii acerrimus ultor erat. Adde, ſi lubet, Horat. Carm. IV. Od. V. ubi in Auguſti laudem ſic canit: *Nullis polluitur caſta domus ſtupris*; & quæ ad eundem poëtam annotavimus ejuſdem libri Od. XV. *Edicta rumpent Julia.* ſic enim Auguſti leges vocat.

CASAUBON.

Omneſque ſignatores lege Cornelia tenerentur.] Ut referuntur hujus legis verba in Pandect. & Inſtit. nemo ea teneri poterat, niſi qui ſciens dolo malo ſignaſſet. nam ea verba legi adduntur, ſed ut hic locus docet, ex interpretatione ſapientum eſt illa adjectio: non minus quam hæc altera in ejuſdem legis recitatione apud Juſtinianum, *qui teſtamentum vel aliud inſtrumentum falſum ſcripſerit.* nam lege Cornelia de falſo tantum quod in teſtamentis & nummis eſſet admiſſum, cautum fuerat: unde appellatur ab antiquis *Cornelia teſtamentaria, & nummaria.*

Prætori delegavit urbano.] Omnino doctis viris aſſentior ſcribentibus, PR. *delegavit* UR. interpretantibuſque: *Præfecto delegavit Urbis.* nemo in hiſtoria verſatus negabit. Melius autem membranæ *delegabat*, quam *delegavit.*

VARIOR.

Signatores.] Codex Salmaſ. *ſenatores.*

TOR-

& de pudicitia, de ambitu, de maritandis ordinibus. Hanc cum aliquanto quam cæteras ſeverius emendaſſet, præ tumultu recuſantium perferre non potuit: niſi ademta demum lenitave parte pœnarum: & vacatione triennii data, auctiſque præmiis. Sic quoque abolitionem ejus, publico ſpectaculo pertinaciter poſtulante equite, accitos Germanici liberos, receptoſque partim ad ſe, partim in patris gremium, oſtentavit: manu vultuque ſignificans, ne gravarentur imitari juvenis exemplum. Cumque etiam immaturitate ſponſarum, & matrimoniorum crebra mutatione vim legis eludi ſentiret, tempus

TORRENT.

De maritandis ordinibus.] Hanc quoque Auguſtus legem non ex integro ſanxit, ſed retractavit. nam orationis, quam Metellus Numidicus cenſor de ducendis uxoribus, ſeu de prole augenda ad populum habuit A. U. DCLI. meminit Gellius lib. I. cap. VI. & Sueton. ipſe inf. cap. LXXXIX. Diu autem multumque hæc cura Auguſtum Cæſarem exercuit. nam ab anno DCCXXXIV. quo præfecturam morum ſuſcepit, ad annum uſque DCCLXI. in quem M. Papii Mutili, & Q. Poppæi Secundi conſulatus incidit, nunquam res perfici potuit. Tunc vero lex Papia Poppæa finem impoſuit, eadem quidem, ſi materiam ſpectes, quæ lex Julia de maritandis ordinibus, ſed tempore diverſa. Quod ita eſſe ex Tacito convincitur. is enim lib. III. Annal. *Relatum* (inquit) *deinde de moderanda Papia Poppæa, quam ſenior Auguſtus poſt Julias rogationes incitandis cælibum pœnis, & augendo ærario ſanxerat.* Convincitur & ex Horatio. is enim Carmine Sæculari, quod A. U. DCCXXXVI. cecinit, ſic precatur:

Diva producas ſobolem, patrumque
Proſperes decreta ſuper jugandis
Feminis, proliſque novæ feraci
Lege marita.

Felici enim, ut ſolet, audacia legem maritam, & quidem novæ prolis feracem, vocat, quam Auguſtus ſobolis cauſa de maritandis ordinibus tulerat. Atqui idem Horatius diu ante Papium & Poppæum coss. mortem obierat. Hinc porro factum, ut tot Juriſconſultorum libri hunc paſſim in Pandectis titulum præferant: *Ad legem Juliam & Papiam.* Tertullian. quoque Apologetico eas diſtinguit, cum ait: *Nonne vaniſſimas Papias leges, quæ ante ſuſcipi liberos cogunt quam Juliæ matrimonium contrahi, poſt tantæ auctoritatis ſenectutem heri Severus, conſtantiſſimus Principum, excluſit?* Verum hæc omnia peculiari de lege Julia, & Papia commentario declaravi. Quod



autem de Germanici liberis hic Sueton. ſcribit, declarat (ni fallor) Auguſti nummus argenteus, qualis & apud me ſervatur, quem oculis ſubjicere volui. Sed, ut redeam ad ſuperiora, Julia de maritandis ordinibus vocatur etiam ab Ulpiano l. I. Unde vir & uxor, & Inſtit. tit. II. nec non a Paullo l. VI. de Jure patronatus.

Vacatione triennii.] A die mortis defuncti conjugis.

Sponſarum immaturitate.] Dion lib. XLIV. ſtatutum refert, ne qua deſponſatio rata eſſet, quam exacto biennio nuptiæ non conſequerentur. Ante Auguſtum vero nulla definita in contrahendis ſponſalibus ætas, uti nec poſtea. quod e Modeſtino J.C. conſtat. cap. XIV. de Sponſalibus. Cui adde cap. XVII. eod. tit. Pandectar. lib. XXIII.

CASAUBON.

34. *Hanc cum aliquanto quam cæteras ſeverius emendaſſet.*] Auguſtus igitur legem de maritandis ordinibus emendavit, non autem primus tulit, quod video doctos viros affirmare. reperio ſane aqud Dionyſ. Halicar. mentionem legis, quæ cives Romanos cælibes eſſe prohiberet. Locus eſt libro IX. ubi futile illud παράκȣσμα de exſtincta gente Fabia ad Cremeram refellens: Ὁ ἀρχαῖος, inquit, ἀυτῶν νόμος γαμεῖν τε ἠνάγκαζε τȣ̀ς ἐν ἡλικίᾳ καὶ τὰ γενόμενα ἅπαντα ἐπάναγκες τρέφειν.

Vacatione triennii data.] Hoc prius: poſtea biennii tantum. Teſtis ipſe apud Dionem initio l. LVI. Utrum vero de viris, an de fœminis intelligi debet? an de utriſque? nam ex Suetonio quidem & Dione nihil colligas. Ex Ulpiano vero ſuſpicari aliquis poſſit, fœminis tantum hanc vacationem datam. ſic enim ſcribit titulo XIV. *Fœminis lex Julia a morte viri anni tribuit vacationem: a divortio ſex menſium. Lex autem Papia a morte viri triennii,* (ita lego cum Cujacio, non *biennii*) *a repudio anni & ſex menſium.*

Cumque etiam immaturitate ſponſarum.] Dio lib. LIV. in actis anni DCCXXXVI. Ὡς δὲ ȣ̓͂ν βρέφη τινὲς ἐγγυώμενοι τὰς μὲν τιμὰς τῶν γεγαμηκότων ἐκαρπȣ̂ντο, τὸ ἔργον δ᾽ ἀυτῶν ȣ̓ παρείχοντο, προσέταξε μηδεμίαν ἐγγύην ἰσχύειν, μεθ᾽ ἣν ȣ̓δὲ δυοῖν ἐτοῖν διελθόντων γαμήσει τις· τȣτέςι δεκέτιν πάντως ἐγγυᾶσθαι τόν γέ τι ἀπ᾽ ἀυτῆς ἀπολαύσοντα· δώδεκα γὰρ ταῖς κόραις ἐς τὴν τȣ̂ γάμȣ ὥραν ἔτη πλήρη νομίζεται. Hæc Dionis verba ſi contuliſſet Xylander & Leunclavius cum iſto Suetonii loco, non tam procul abiſſent ab auctoris ſui mente. ſaltem Zonaram conſuluiſſent, qui Dionis locum ſic refert, ut ejus ſententiam explicet, ac fi-

nem

tempus ſponſas habendi coarctavit: divortiis modum impoſuit. Senatorum affluentem 35
numerum deformi & incondita turba, (erant enim ſuper mile, & quidam indigniſſimi, & poſt necem Cæſaris per gratiam & præmium allecti, quos Orcinos vulgus voca-

nem legis manifeſte aperiat. Mirum vero, Auguſtum, qui hanc licentiam ita coercuit, imputare tamen ſuis civibus indulgentiam ſuam apud Dionem, non ſecus ac ſi plane libera hujuſce rei facultas ipſis eſſet ab eo relicta. Sic enim ait: Καί τοι καὶ μνηστεύειν ὑμῖν ἁπαλὰς ἔτι κόρας καὶ μηδέπω γάμων ὡραίας ἐπέτρεψα, ἵνα τὸ ὄνομα τῶν μελλονύμφων ἔχοντες οἰκωφελῶς βιώητε.

TORRENT.

35. *Quos abortivos.*] Codex unus *Orcinos*, alter *Orcivos*. quod poſtremum Victorius, Sigonius, & Turnebus probant, ut obſcuros, velut Orco & Terra natos, intelligamus. Plutarchus ſane Χαρωνίτας vulgo dictos fuiſſe tradit, *Orcum* fortaſſis Latine vocari exiſtimans, quem Græci Charontem vocant. nam & Χαρώνεια illi dicunt, quæ nos *Orci* ſive *Ditis*, ut Virgilii utar verbis, *oſtia*. *Orcivus* autem dicitur, ut *internecivus* in MSS. Livii, Plinii, Feſti, & Gellii codicibus reperias. Et *abortivos* quidem (ut vulgata habet lectio) magis Romanum eſt, quaſi imperfecto partu editos dicas; ſed Plutarchi auctoritas me movet, ut *Orcivos* præferam, vel *Orcinos*. nam quare *Orcivos* potius quam *Orcinos* recipiamus, neſcio. ſic enim *Orcinus* libertus apud JCtos noſtros, qui domini teſtamento directo, ſive eo ipſo quod moritur dominus, libertatem adeptus eſt, haud dubie ab *Orco* ſic dictus, quaſi *Orci* libertus; cum is, quem fideicommiſſarium vocant, heredi obſtrictus maneat. Andreas tamen Alciatus ab ὀρθὸς deduci maluit, ut *orthinus* ſcribatur. Quaſi vero *Orcinus* tot Pandectarum locis mendoſe ſcriptum ſit.

CASAUBON.

Tempus ſponſas habendi coarctavit.] Biennii ſpatio tempus illud Auguſtum definiſſe modo narrabat Dio. qua de re vide, quæ obſervat Jacobus Cujacius Obſervationum libro XVI. cap. XXXV.

35. *Senatorum affluentem numerum.*] Adi lib. LII. extremum & LIV. Dionis. Erant Romæ ſenatorum omnium nomina in album relata, unde citati ordine ſuo quiſque procedebant publicarum ſolennitatum diebus. Corippus lib. III.

Inde ſenatorum ſacro recitantur ab albo
Nomina, conſcripti Patres: qua voce citati
Accedunt hilares.

Erant enim ſuper mille.] Cum a Tarquinii Priſci temporibus ad Syllam uſque CCC. tantum ſenatores fuiſſent: poſt illa cœpit augeri numerus, qui jam temporibus Julii ad DCCC. creverat, ut auctor eſt Dio. eo mortuo ducenti acceſſere, per factiones bellorum civilium admiſſis omnibus, qua dignis, qua indignis. Dio lib. LII. Πολλοὶ μὲν γὰρ ἱππεῖς, πολλοὶ δὲ καὶ πεζοὶ παρὰ τὴν ἀξίαν ἐκ τῶν ἐμφυλίων πολέμων ἐβούλευον. ὥστε καὶ ἐς χιλίους τὸ πλήρωμα τῆς γερουσίας αὐξηθῆναι.

Poſt necem Cæſaris.] Antonius fuit, qui Cæſaris tabulas nactus, hanc turpem nundinationem inſtituit & exercuit. Hiſtoria nota ex Cicerone, Appiano, Dione & Plutarcho in ejus vita.

Quos Orcinos vulgus vocabat.] Ita ſcriptum eſt in quibuſdam Mss. ita omnino ſcribendum, vel per *v*, ut in Memmiano *orcivos*, ſicut etiam in Ciceronis Oratore *orcivus* ſcribitur, non *orcinus*; licet ab *orcus* ita formandum videatur *orcinus*, ut *Paulinus* a *Paulus*, & ſimilia. Plutarchus in Antonio Χαρωνίτης expreſſit, ut *orcinum libertum* apud Juſtinianum lib. II. Theophilus Χαρωνιανὸν dixit, uſus in voce Græca formatione Latina. In vulgatis libris & pleriſque MSS. ſcribitur *abortivos*. quomodo Paulus vocat ſe ἔκτρωμα, & Simeo ille Ἐπικιόνιος, vel Stelites in epiſtola ad Baſilium: Ἐγὼ, ait, ὁ ταπεινὸς καὶ εὐτελὴς τὸ ἔκτρωμα τῶν μοναχῶν. Sed non dubium illam priorem lectionem eſſe veram, hanc falſam. ortus error a veteri ſcriptura *horcinus* pro *orcinus*: nam veteres *horcus* ſcribebant pro *orcus*, teſte Mario Victorino: ſic idem *ortus* & *hortus* eſſe Græcorum ἔρκος, *e* & *o* litteræ permutabiles, ut loquuntur Hebræi magiſtri. Similiter mutatur *υ* in *o*. ut cum *orcas* dixerunt, quas Græci ὄρχας vulgo, Jones ὔρκας. Non clam me eſt ſcripſiſſe virum in omni genere literarum maximum, *orcum* eſſe a Græco ὄρκος, prolato Menandri hoc loco:

Οὐ πώποτ' ἐζήλωσα πολυτελῆ νεκρὰ
Εἰς τὸν ἴσον ὄρκον τῷ σφόδρ' ἔρχετ' εὐτελεῖ.

nec refragor: etſi ſuſpicor iſtum verſiculum bis corruptum eſſe, & ita ſcribendum:

Εἰς τὸν ἴσον ὀρχὸν τῷ σφόδρ' ἔρχετ' εὐτελής.

Ὀρχὸς, ut ſciunt Græce docti, eſt fovea, in qua conduntur mortui, quaſi ὀρυχὸς ab ὀρύσσω. inde potius eſt orcus. nam & *orchus* cum aſpiratione in medio Probus & plerique alii omnes e veteribus Criticis ſcribunt. Cicero quoque vocem *orcivus* inter eas ponit, quæ aſpirationem ratione originis ſuæ deſiderent; licet vulgo aliter pronuntiaretur. atque ita *orcam* & *orcham* τὴν ὄρχην vertentes dixerunt.

VARIOR.

34. *Divortiis modum impoſuit.*] Caput de divortiis in lege Papia Poppæa ſanciebat, ut dotem amitteret, cujus culpa divortium factum eſſet. Eoque de dote multa in Comment. J. C. ad Papiam legem. LIPSIUS.

TOR-

vocabat) ad modum priſtinum & ſplendorem redegit, duabus lectionibus: prima ipſorum arbitratu, quo vir virum legit: ſecunda ſuo & Agrippæ, quo tempore exiſtimatur lorica ſub veſte munitus, ferroque cinctus præſediſſe, decem valentiſſimis ſenatorii ordinis amicis ſellam ſuam circumſtantibus. Cordus Cremutius ſcribit, ne admiſſum quidem tunc quenquam ſenatorum, niſi ſolum, & prætentato ſinu. Quoſdam ad excuſandi ſe verecundiam compulit: ſervavitque etiam excuſantibus inſigne veſtis, & ſpectandi in orcheſtra epulandique publice jus. Quo autem lecti probatique & religioſius

&

TORRENT.

Duab. lectionib.] Ter ſenatum ab Auguſto lectum, ſuadet Ancyranus lapis, in quo verba ipſius Auguſti hæc: *Conſul V. juſſu S. P. Q. ſenatum ter legi.* Notandumque priorem fuiſſe lectionem eam quam Sueton. ſecundam vocat, ac decennio toto anteceſſiſſe. *Exiſtimatur* etiam pro *æſtimatur* equidem reſcripſerim.

Quo vir virum legit.] Quem maxime ſcilicet eo locum dignum judicaret, a Romanæ militiæ conſuetudine, de qua vir doctiſſimus P. Victorius Variar. Lection. lib. XVI. cap. XIX. Eleganter igitur apud Tacitum Galba in militum concione adoptari a ſe Piſonem dicit, more Divi Auguſti, & exemplo militari, quo vir virum legeret. Vide inf. cap. LIV. Late de hac re Dion lib. LIV.

Sellam ſuam circumſtantibus.] Liber opt. *ſellam circumſtantibus*, ſine *ſuam*, & mox alio verborum ordine, *ne admiſſum quidem ſcribit Cordus Cremutius tunc quenquam.* De Cremutio Cordo Sueton. Calig. cap. XVI. & eundem intelligit Tib. cap. LXI. ut ibi ex Tacito oſtendimus.

Epulandi publice jus.] Ut puta cum Jovis epulo (quam *cœnam Dialem* vocat alicubi Seneca) ſenatus in Capitolio cœnabat, aut triumphali, & pontificali, vel augurali cœna. Exempla apud Valerium lib. II. c. I. & lib. IV. cap. II. Gellium lib. XII. cap. VIII. Livium lib. XXXVIII. Quod vero de inſigni veſtis dicit, ad latum clavum & calceos lunatos referre licebit. qua de re ad Horat. lib. I. Sat. VI.

CASAUBON.

Ad modum priſtinum.] Non qui olim fuerat ante Sullam: ſed qui, ut videtur, ante bellum civile inter Cæſarem & Pompejum. Dio planius & melius: *Ἐβουλεύσατο μὲν τριακοσίους αὐτοὺς κατὰ τὸ ἀρχαῖον ποιῆσαι, δυσχερανάντων δὲ πάντων ὁμοίως τοὺς ἑξακοσίους κατελέξατο.*

Duabus lectionibus.] In Ancyrano lapide ait Auguſtus, ter a ſe lectum ſenatum. Dio Nicæus plurimas illius *ἐξετάσεις* commemorat. Suetonius abſque numeri adjectione lectum ab eo ſenatum refert. Nam qui ſic verba illius interpretantur, ut duas has lectiones diverſis temporibus factas autument, ii, niſi animi fallor, cum ea ſcriberent, *τὸν κάλαμον εἰς τὸν νοῦν οὐκ ἔβαψαν.* non enim indicare Suetonius voluit, quoties ſenatum Auguſtus recenſuerit, ſed quomodo: rationem, inquam, legendi ordinis ampliſſimi expreſſit.

Quo tempore exiſtimatur lorica ſub veſte munitus.] Aliter Dio: non enim hoc tempore, ſed ſæpe alias lorica munitum fuiſſe illum, ob inſidiantium vitæ ſuæ metum. Loricatum igiter ſæpe prodire ſolitum in publicum, & in ſenatum item loricatum ventitaſſe: Ὁ Αὔγουστος, ait, *θώρακα ὑπὸ τῇ στολῇ πολλάκις καὶ ἐς αὐτὸ τὸ συνέδριον εἰσιὼν εἶχεν.*

Quoſdam ad exc.] Dio ſub finem libri LII.

Etiam excuſant.] Vetus membrana, *etiam excuſatis.*

Spectandi in orcheſtra.] Hoc eſt, *in ſenatu*, ut alibi loquitur. Dio hæc omnia lib. LIV. totidem verbis.

Quo autem religioſius & minore moleſtia ſenatoria munera fungerentur.] Illud *minore moleſtia* cave referas ad proxime ſequentia de ſuffitus inſtitutione. quid enim hoc ad levandam ſenatoriorum munerum moleſtiam? ſed more ſuo Suetonius ſimul proponit res diverſas, quas deinceps ſigillatim explicat. nam ſequitur ſtatim, *& ne plus quam bis in menſe legitimus ſenatus ageretur.* Non annotaſſem iſta, niſi vidiſſem, Dionis interpretes familiarem Tranquillo conſuetudinem non obſervantes alivorſum hæc traxiſſe, & ea propter peſſimam peſſime affecto Dionis loco medicinam feciſſe. Verba Dionis ſunt lib. LIV. in actis anni DCCXLII. *Αὔγουστος ἐπιμελητής τε καὶ ἐπανορθωτὴς τῶν τρόπων εἰς ἕτερα πέντε ἔτη αἱρεθεὶς θυμιᾷν τε τοὺς βουλευτὰς ἐν τῷ συνεδρίῳ, ὁσάκις ἂν ἕδρα αὐτὸ, καὶ τὴν ἄφιξιν πρὸς ἑαυτὸν ποιεῖσθαι, τὸ μὲν, ἵνα θεοσεβῶσι, τὸ δὲ, ἵνα ἀπονητὶ συνιῶσιν, ἐκέλευσεν.* Locus corruptiſſimus: quid enim illud *ἕδρα αὐτό.* deinde ubi eſt alterum membrum, quod neceſſario poſtulat adjectum *τε* voci *θυμιᾷν*? planiſſime inſtituit duo Auguſti inſtituta referre, quorum alterum eſt *τοῦ θυμιᾷν*, alterum in hac lectione non comparet. Neque hunc locum ſanat illa nupera quorundam emendatio, *ἔδει αὐτὸ ποιεῖσθαι, ἢ καὶ τήν.* neque eorundem verſio recta, quæ hæc eſt: *Juſſit, ut ſenatores, quoties in curiam convenire, aut ſe accedere deberent, ſuffitum adolerent, partim ut ſe religioſe gererent, partim ut eo minore cum moleſtia convenirent.* Exiſtimarunt illi, in hoc Suetonii loco verba illa *minore moleſtia* ad inſtitu-

ſtitu-

& minore moleſtia ſenatoria munera fungerentur, ſanxit, ut prius quam conſideret quiſque, thure

ſtitutum adolendi referri : & illam Tranquilli, vel ſuam potius ſententiam a Dione eſſe expreſſam adnotarunt. Sed neque ea eſt Suetonii mens, quam illi putarunt, ut ante monuimus; neque ad Suetonii verba oculos intendit Dio, cum hæc ſcripſit. Similia quidem narrant, ſed non eadem omnia. Voluit uterque, ut ex eorum verbis planum eſt, indicare, quomodo Auguſtus ſenatorum religioni & commodo conſuluerit. de religione eadem ambo referunt: non item in altero faciunt. nec mirum: cum variis rationibus ſenatorum commodis ſit ab Auguſto conſultum. ſcribo igitur in Dione : Θυμιᾶν τε τοὺς βουλευτὰς ἐν τῷ συνεδρίῳ ὁσάκις ἂν ἕδρα αὐτῶν ᾖ, καὶ τὴν ἄφιξιν πρὸς ἑαυτὸν οὐ ποιεῖσθαι. hoc eſt, *juſſit ſenatores, quoties ſenatus ageretur, adolere in curia, neque ad ſe venire: illud, ut religioſius ſe gererent, hoc ut ſine moleſtia convenirent.* Ex ἕδρα αὐτὸ ᾖ fecimus, ἕδρα αὐτῶν ᾖ certiſſima conjectura. Sic diem ſenatus ſolent exprimere Græci. Idem Dio lib. LV. Τὰς τῆς γερουσίας ἕδρας ἐν ῥηταῖς ἡμέραις γίγνεσθαι ἐκέλευσε. lib. LVI. in ſimillimo iſto loco : Τὸ μὲν γὰρ πλεῖστον ἄλλως τε καὶ ὁσάκις ἕδρα αὐτῶν ἐγίγνετο ἔν τε τῇ ἀγορᾷ καὶ ἐν αὐτῷ γε ἔστιν ὅτε τῷ συνεδρίῳ, καὶ ἐσιόντα αὐτὸν καὶ ἀπιόντα αὖθις ἠσπάζοντο. ἤδη δὲ καὶ ἐν τῷ παλατίῳ καὶ καθήμενόν γε ἔστι δ' ὅτε καὶ κατακείμενον οὐχ ὅτι ἡ γερουσία, ἀλλὰ καὶ οἱ ἱππεῖς, τοῦ τε δήμου πολλοί. & alibi multis locis. Jam habes orationis τὸ κατάλληλον, hoc eſt, alterum membrum, quod in vulgata lectione & aliorum emendationibus non comparere ante diximus. Sed veram lectionem non habebimus, niſi negationem ante verbum ποιεῖσθαι adjecerimus : ita erunt omnia plana. Senſus enim eſt, Auguſtum ut laborem ſenatorum levaret, inſtituiſſe, ne die ſenatus, Ave matutini ferendi cauſſa, venire ipſius domum neceſſe haberent. Probamus ex modo allato Dionis loco, & ex Suetonio, qui hanc ipſam ſententiam aliis verbis retulit infra cap. LIII. *Die ſenatus*, ait, *nunquam patres niſi in curia ſalutavit.* Tiberius in oratione funebri Auguſti : Ἐν ταῖς ἄλλαις ἡμέραις καὶ τὴν γερουσίαν ἐν αὐτῷ τῷ βουλευτηρίῳ ἠσπάζετο.

VARIOR.

35. *Servavitque etiam excuſantibus.*] Ms. I. Palat. æque ut Caſauboni, *excuſatis.* quod recepit GRUTERUS. nec longe abeunt ſecundus & tertius : *excuſantis.*

CASAUBON.

Ut priuſquam conſideret quiſque, thure ac mero ſupplicaret.] More eorum temporum, quoties ſerii quid aggrederentur. Ovidius præcipiens uxori ſuæ, quomodo Liviam adiret :

Sed prius impoſito ſanctis altaribus igni,
Thura fer ad magnos vinaque pura deos.

Notemus vero duplicem circa introitum curiæ Romanorum morem : nam & magiſtratus ſoliti rem divinam facere, atque exta conſulere, priuſquam ingrederentur. Appianus Ἐμφυλ. lib. II. Ἔθος ἐστὶ τοῖς ἄρχουσιν, ἐς τὴν βουλὴν ἐσιοῦσιν οἰωνίζεσθαι προεσιοῦσιν. Eum morem ſervat Cæſar, quando in curiam noviſſime ingreditur, Suetonius I. cap. 81. *Dein pluribus hoſtiis cæſis, cum litare non poſſet, introiit curiam ſpreta religione.* & in ea hiſtoria alii plures. Diverſus ab hoc ritus eſt, cujus auctor iſto loco dicitur Auguſtus : ut ſenatores, priuſquam conſiderent, thure & mero ſupplicarent. Simile jam olim factitatum ab exterarum gentium legatis curiam introeuntibus reperio. Apud Polyb. lib. XV. legati Romanorum Carthaginienſibus tumore vano ſe efferentibus, & rebellare parantibus in primis objiciunt, quod legati ipſorum paullo ante παρελθόντες εἰς τὸ συνέδριον, οὐ μόνον τοῖς θεοῖς σπείσαντο καὶ τὴν γῆν προσκυνήσαιεν, καθάπερ ἐστὶν ἔθος τοῖς ἄλλοις ἀνθρώποις, ἀλλὰ καὶ πεσόντες ἐπὶ τὴν γῆν ἀγεννῶς τοὺς πόδας καταφιλοῖεν τῷ συνεδρίῳ. Ait plane morem eſſe omnium hominum (de exteris hoc audio & eorum legatis) in ingreſſu curiæ diis libare & limen adorare. legatos autem Carthaginienſium, huic conſuetudini, ipſius conſeſſus adorationem adjeciſſe, fœdam, & dimiſſi fractique animi indicem. Idem alibi de Pruſia rege Bithyniæ, qui Romam venerat : Τότε κατὰ τὴν εἴσοδον τὴν εἰς τὴν σύγκλητον, στὰς κατὰ τὸ θύρετρον ἀντίος τοῦ συνεδρίου, καὶ καθεὶς τὰς χεῖρας ἀμφοτέρας προσεκύνησε τὸν οὐδὸν καὶ τοὺς καθημένους, ἐπιφθεγξάμενος, ΧΑΙΡΕΤΕ ΘΕΟΙ ΣΩΤΗΡΕΣ. Quod ad ſenatores, antiquiſſima Romæ ea fuit conſuetudo, ut de majore negotio, & in quo ipſorum animi eſſent ſuſpecti, ſenatus juratus ſententiam diceret. Exempla ex Livio & aliis poſſem proferre, niſi factum id jam eſſet a Lipſio ad IV. Annal. Taciti. Plinii locum non omitto, nec meam de eo conjecturam. Epiſt. lib. V. epiſt. 14. *Flavius interdicendum ei advocationibus in quinquennium cenſuit : & quamvis neminem auctoritate traxiſſet, conſtanter in ſententia manſit : quin etiam Dextrum, qui primum diverſum cenſuerat, perlata lege de ſenatu habendo jurare coegit, e Republ. eſſe quod cenſuiſſet.* Sic legitur vulgo hic locus : cum ſcribendum ſit, niſi animi fallor, *prolata lege.* Nam hoc vult Plinius, Aprum in illa acri cum Dextro altercatione, repente adegiſſe illum jusjurandum : *Eſſe e repub. quod cenſuiſſet* : idque beneficio legis de ſenatu habendo, quæ ideo ab ipſo eſt prolata. ejus legis auctorem facit Lipſius Trajanum, argumento iſtius loci. Ego antiquiorem puto, atque adeo Auguſti ipſius fortaſſe : nam de Trajano qui colligi ex hoc Plinii loco queat, nullus video.

TOR.

thure ac mero ſupplicaret apud aram ejus dei, in cujus templo coiretur: & ne plus quam bis in menſe legitimus ſenatus ageretur, Kalendis & Idibus: neve Septembri Octobrive menſe

Torrent.

Neve Septembri Octobrive menſe.] An forte ob vindemiam? nam quod ante cap. XXXIII. de Novembri, ac Decembri dixit, non ſatis aſſequor.

Casaubon.

Apud aram ejus dei, in cujus templo coiretur.] Quid ſi autem in curia, non in templo coiretur? ſed puto & in ſingulis curiis fuiſſe aram alicujus numinis, ut in Julia Victoriæ. de qua multa Dio lib. LI. & noſter hoc ipſo libro extremo. Appoſitus ad hanc rem Symmachi locus de illa ara ad tres Augg. qui tolli eam juſſerant: *Illa ara concordiam tenet omnium: illa ara fidem convenit ſingulorum: nec aliud magis auctoritatem facit ſententiis noſtris, quam quod omnia quaſi juratus ordo decernit.*

Legitimus ſenatus ageretur.] Sic omnes vett. ſic omnes editi, pro *haberetur.* dictum, ut agere conventum. *Senatus legitimus* opponitur ei, qui indicitur a conſulibus, aliove cui competit id jus. Capitolinus in Gordianis: *Non legitimo, ſed indicto ſenatus die cos. venit in curiam.* Hæc proprie βουλὴ σύγκλητος Græcis dicitur: nam indicere dicunt συγκαλεῖν βουλὴν vel προγράφειν βουλὴν, ut Plutarchus in Bruto. *edicere ſenatum*, Suetonius in Julio. *At ſenatus legitimus* Græcis eſt βουλὴ καθήκουσα, νόμιμος aut ἔννομος, vel κυρία. Dio lib. LV. hoc ita narrat: βουλὰς κατὰ μῆνας κυρίας ἀπέδειξε. ubi puto ſcribendum ex Suetonio β' βουλὰς ſive δύο βουλάς. Sic accipiendum apud Spartianum in Adriano: *Senatui legitimo, cum in urbe vel juxta urbem eſſet, ſemper interfuit.*

Et idibus.] Martias excipe, lib. ſuper. cap. LXXXVIII.

Neve Septembri, Octobrive menſe.] Omnino propter vindemias hoc inſtitutum, quarum gratia feriæ menſtruæ conceduntur in Codice. *Juſtum autem vindemiæ tempus*, inquit Plinius, *ab æquinoctio ad vergiliarum occaſum dies* XLIV. In Italia fieri ſolitæ vindemiæ menſe Octobri, aliquanto poſt æquinoctium autumnale: in frigidioribus locis, ut in climate quod & ducitur & dicitur διὰ Βυζαντίου, menſe Novembri ſub autumni exitum, non multo ante ſolſtitium hibernum. Hoc ideo dicimus, ut obiter Agathiæ locum emendemus e libro quinto. Verba ejus ſunt hæc: Ἡνίκα γὰρ ἐκείνου τοῦ ἔτους ἡ φθινοπώρου ἔληγεν ὥρα, ἔτι τὰ ὑπὲρ τῶν ὀνομάτων συμπόσια ἐτελεῖτο ἥπερ τοῖς Ῥωμαίοις νενόμισται. Merito quærunt eruditi, quænam ſint iſta τῶν ὀνομάτων συμπόσια. Cæterum ad Nominalia Romanorum hoc referre aut ad Græcorum ἀμφιδρόμια, par & ſimilis ratio, imo ἀλογιστία. de publico enim feſto, non privorum ſolennitatibus ſentire Agathiam conſtat: neque huc facit hilum locus Tertulliani, quem proferunt iidem. Legendum ajo, τὰ ὑπὲρ τῶν οἰνωμάτων συμπόσια, id eſt, *feſtos vindemiarum dies.* de hoc feſto, quæ ſunt pridem aliis obſervata, non repenam.

Varior.

Ne plus quam bis in menſe.] Senatus legitimus eſt, cujus agendi ſtati dies ac ſolennes, olim plures, ſed bini ſingulis menſibus, ex inſtituto Auguſti, ut ſenatores minore moleſtia ſenatoria munera fungerentur. Quam ego rationem, a Suetonio adductam, ſpecioſam magis, quam veram puto. Vera forte fuerit, quod minus expediret Principi ſæpius, ut in veteri repub. convenire ſenatum. Eadem de cauſſa *collegia omnia, præter antiqua & legitima, diſſolvit Auguſtus.* Id enim paullo ante dixit Suetonius. Specioſa ratio, quod non antiqua ea & legitima, id eſt, antiquioribus legibus approbata. Vera autem, quod plurimæ factiones titulo collegii novi ad nullius non facinoris, præſertim in Principem, ſocietatem coituræ tandem metuerentur. quod non obſcure etiam indicat noſter. Sic idem Auguſtus, prætextu oneris, laboris, ac diſcriminis maximi in ſe derivati, pacatas provincias ſenatui & populo dedit, ſibi autem eas ſervavit, in quibus uſus eſſet ac vis legionum. Revera autem, quia in his præcipuum erat Principis munimentum. Senatus legitimi multa mentio eſt in veteri kalendario Romano: in quod, paucis viſum, cum incidiſſem nuper, operæ pretium putavi ex eo ad hunc locum enotare fixos dies, quibus ea, qua id ſcriptum eſt, tempeſtate, ſenatus legitimus ageretur, in gratiam Antiquitatis ſtudioſorum. Menſes igitur ſingulos videamus:

	Januarius.
Kal. Januar.	SENATUS LEGITIMUS.
V. *Id.*	SENATUS LEGITIMUS.
X. *Kal. Febr.*	SENATUS LEGITIMUS.
	Februarius.
III. *Non.*	SENATUS LEGITIMUS.
Idib.	SENATUS LEGITIMUS.

Deerant in Ms. quatuor menſes, Martius, Aprilis, Majus, Junius. Reliquorum legitimi ſenatus dies iſti ſunt:

	Julius.
Kal. Jul.	SENATUS LEGITIMUS.
XVI. *Kal. Aug.*	LUDI. SENAT. LEGIT.
	Augustus.
III. *Non.*	SENATUS LEGITIMUS.
XVIII. *Kal. Sept.*	SENATUS LEGITIMUS.
	September.
Kal. Sept.	SENATUS LEGITIMUS.
Idib.	LUDI. SENAT. LEGIT.
	October.
V. *Non.*	SEN. LEGIT. DIES ÆGYP.

No-

menſe ullos adeſſe alios neceſſe eſſet, quam ſorte ductos, per quorum numerum decreta confici poſſent: ſibique inſtituit conſilia ſortiri ſemeſtria, cum quibus de negotiis ad frequentem ſenatum referendis ante tractaret. Sententias de majore negotio, non more, atque ordine, ſed prout libuiſſet, perrogabat: ut perinde quiſque animum intenderet, ac ſi cenſendum magis quam aſſentiendum eſſet. Auctor & aliarum rerum fuit: 36
in

	NOVEMBER.
Prid. Id.	SENATUS LEGITIMUS.
	DECEMBER.
III. *Non.*	SENATUS LEGITIMUS.
Idib.	SENATUS LEGITIMUS.

Id Kalendarium ſub Conſtantio, Conſtantini Magni filio, editum videtur, circa annum Chriſti vulgarem CCCLIV. Ex eo apparet, pleriſque menſibus, ut inſtituerat Auguſtus, bis; quibuſdam ſemel, ter etiam, legitimum ſenatum actum fuiſſe. Huic opponitur ille, qui extra ordinem ab iis, quibus ejus rei poteſtas, quoties neceſſe erat, indicebatur. Unde *indictus* dicitur, alius a legitimo. BOXHORN.

TORRENT.

Conſilia ſortiri ſemeſtria.] Liber opt. *ſemenſtria.* Auguſtus autem primum ex magiſtratibus (demptis tamen conſulibus) ſingulos, & ſenatores XV ſorte legit, qui per ſenos menſes ſibi in conſilio eſſent: ſenior vero, L. Munatio Planco & C. Silio Cæcina coss. XX. ſibi conſiliarios annuos petivit, decretumque ut quæcunque cum his conſulibuſque, & qui deſignati eſſent conſules, egiſſet, non minus rata eſſent quam ſi in ſenatu acta fuiſſent. Dion lib. LIII. & LVI.

Non more neque ordine.] Melius libb. MSS. omnes, *non more atque ordine*, & mox *perrogabat*, non *prærogabat*. Sup. Cæſ. cap. XXI.

CASAUBON.

Per quorum numerum decreta confici poſſent.] Ante Auguſti conſtitutionem SCtum a paucioribus quadringentis perfici non potuit. Dio lib. LIV, Ὁρῶν ὅτι οὐκ ἀεὶ συχνοὶ συνελέγοντο, ἐκέλευσε τὰ δόγματα αὐτοῖς καὶ ἐν ἐλάττοσιν ἢ τετρακοσίοις γίγνεσθαι· οὐ γὰρ ἐξῆν, τινὰ ἐκ τοῦ πρὶν ἄλλως κυροῦσθαι. Erat autem numerus neceſſarius alias alius pro vario genere rerum, de quibus decernebat ſenatus. Dio lib. LV. Τόν τε ἀριθμὸν τὸν ἐις τὴν κύρωσιν τῶν δογμάτων ἀναγκαῖον καθ' ἕκαστον εἶδος αὐτῶν ὥς γε ἐν κεφαλαίοις εἰπεῖν, διενομοθέτησε. Huc refero legem Conſtantini in Theodoſiano Codice, cujus verba ſunt: *Placet, ne minus quinquaginta clariſſimi veniant in ſenatum: certum eſt namque, hoc numero large abundare ſubſtantiam virtutis honoranda.*

Conſilia ſortiri ſemeſtria.] *Conſilia* pro conſiliariis, ut matrimonia pro uxoribus & alia multa. Dionem vide in actis anni DCCXXIX. lib. LIII. & lib. LXI. in anno DCCLXVI.

Cum quibus de negotiis ad frequentem ſenatum referendis ante tractaret.] Hoc eſt, quod Græci προβουλεύειν vocant. libera rep. hæ erant ſenatus partes, deinde res in concionem ad populum deferebantur, quæ quidem majoris momenti eſſent: ideo Græci rerum Romanarum ſcriptores ſenatores aliquando προβούλους, & SCta προβουλεύματα nominant. Auguſtus vindicat ſibi, quod erat ſenatus: illi tribuit, quod erat populi. plebis Rom. ut olim Megarenſium, οὐδεὶς λόγος. Ex eo ſub Impp. aut raro aut nulla plebiſcita.

Non more atque ordine.] Ordo quem intelligit, ex lib. LIV. Dionis utcumque intelligi poteſt, ubi de Lepido ſermo eſt, & ex lib. LVI. ubi de Germanico & Druſo Tiberii filiis. in Viterb. eſt *perrogabat*, ut in pleriſque aliis Mss.

Ac ſi cenſendum magis quam aſſentiendum eſſet.] Proprie igitur *cenſere* non dicitur, niſi qui novam ſententiam in ſenatu dicit, eamque vel oratione, vel de ſcripto pluribus explicat: quod tamen *decernere* dici ſolet. Unde in faciendo SC. notari ſolitum, quo referente, quo decernente, & quo primum aſſentiente id ſit factum. *Aſſentiendi* autem in ſenatu triplex modus, voce, manu, pede. Porro ad aſſentiendum alteri & mediocris attentio deſideratur, & induſtria quoque mediocris: quum ad cenſendum oporteat venire meditatum, aut ſolerti ingenio eſſe præditum, idoneo conſilium in arena capere. Auguſtus vero, inſtituto more ſententias prærogandi & quidem nullo certo ordine, ſingulos cogebat attendere, & ad dicendam ſententiam ſe parare. Simile eſt, quod in re longe diverſa Quintilianus ſcriptor optimus præcipit: ut præceptor ſuos frequenter interroget, & judicium diſcipulorum experiatur: cauſſam adjicit quam & Auguſtus, cum hoc inſtitueret, eſt ſecutus: *Sic audientibus ſecuritas aberit: nec quæ dicentur, perfluent aures: ſimulque ad id perducentur quod ex hoc quæritur, ut inveniant ipſi & intelligant.*

VARIOR.

Cum quibus de negotiis ad frequentem ſenatum referendis ante tractaret.] In Tacito eſt, *prætractare*, in re prope ſimili, libello de Majorum noſtrorum moribus. *Prætractare* eſt προβουλεύεσθαι. Cæterum hoc quoque reponendum eſt inter callida illa conſilia Auguſti, quibus *munia ſenatus invaſit*, ut loquitur Tacitus Annal. I. Quæ enim reliqua vis frequenti, legitimo, aut indicto ſenatui, ubi præcipuam ejus partem ſuarum partium jam ante fecerat Auguſtus? BOXHORN.

Prærogabat.] Recepi lectionem codicis Salmaſiani, Caſau-

in queis, ne acta ſenatus publicarentur : ne magiſtratus depoſito honore ſtatim in provincias mitterentur : ut proconſulibus ad mulos, & tabernacula, quæ publice locari ſolebant, certa pecunia conſtitueretur : ut cura ærarii a quæſtoribus urbanis ad prætorios prætoreſve tranſiret : ut centumviralem haſtam, quam quæſtura functi conſuerant cogere, decem-

Caſaub. Urſini & trium Palatinorum cum Grutero, qui legunt *perrogabat*. Tacit. IV. Hiſt. 9. *Cum perrogarent ſententias conſules.* Et ſic quoque editiones optimæ, Romana, Aldina, Stephaniana.

Torrent.

36. *Ne acta ſenat. publ.*] Quod initio conſulatus ſui Cæſar ſtatuerat. Sup. Cæſ. cap. XX. De actis autem ſenatus, non de ſenatus conſultis loquitur Sueton. ut Beroaldus credidit.

Ne ſtatim in provinc. mitterentur.] Ut eo nempe intervallo remitterent animos, quos continuata imperia extollere ſolent. Sic & Pompejus conſulatu, quem ſolus geſſit, ſi Dioni credimus lib. XL. inſtituit, ut qui magiſtratu abiſſent, intra quinquennium proximum exteras provincias ne ſortirentur. ſublata enim provinciarum ſpe, minus ambibant magiſtratus.

Ut proconſulibus ad mulos & tabern.] Num proconſulibus tantum ? an potius omnibus provincias regentibus ? Quod ſi recipimus, (nam omnium eadem ratio eſt) magis proprie loqueretur Sueton. ſi præſides, non proconſules diceret. Proconſulis enim appellatio ſpecialis eſt, præſidis vero generalis, qua & proconſules, & proprætores, & legati Cæſaris, & quicunque alii provincias regunt, continentur. l. 1. de Officio Præſidis. Et ſic quidem JCti. Alii vero auctores ut olim prætoris, ſic proconſulis nomine generaliter uſi ſunt. Quod autem Auguſtus conſtituit, ut ituris in provinciam non res ipſæ, ſed pro rebus pecunia daretur, id antea quoque ſæpius obſervatum fuiſſe, non ex uno Ciceronis loco colligitur, ſed Auguſtus perpetuum eſſe voluit. Poſtea tamen Alexander, ſi Lampridio credimus, & ſumptum moderatus eſt, & res ipſas attribuit, vetuſto ſcilicet more. nam & Labeo originem *ſupellectilis* fuiſſe ait, quod olim his, qui in legationem proficiſcerentur, locari ſolerent, quæ ſub pellibus uſui forent, l. VII. de Supell. leg. Eademque ratione *Vaſarium* appellat Cicero in Piſonem. nam & hoc militare verbum eſt. Unde *vaſa colligere*, *conclamare vaſa*, & *referre vaſa.* Verba autem Ciceronis explicavimus Veſpaſ. cap. VIII.

Cura ærarii a quæſtoribus.] Claudius vero eam quæſtoribus reddidit. Sueton. Claud. cap. XXIV. Qui etiam inde appellati ſunt, quod acquirendæ & conſervandæ pecuniæ publicæ præeſſent, ut Pomponius tradidit l. II. de Orig. juris. Dion initio lib. LIII.

Casaubon.

36. *Ne magiſtratus depoſito honore ſtatim in provincias mitterentur.*] Dio lib. LIII. Κοινῇ δὲ δὴ πᾶσιν αὐτοῖς ἀπηγόρευσε, μηδένα, πρὸ πέντε ἐτῶν μετὰ τὸ ἄρξαι, ἐν τῇ πόλει κληροῦσθαι. Cauſſam libro priore indicavimus.

Quæ publice locari ſolebant.] M. Tullius paſſim. Vide Livium initio lib. XLII. in re nota erraſſe Dionis interpretes omnes miror, eoque monere obiter viſum. quare hæc illius verba lib. LIII. Τὸ μὲν γὰρ πάλαι ἐργολαβοῦντές τινες παρὰ τοῦ δημοσίου, πάντα σφίσι τὰ πρὸς τὴν ἀρχὴν φέροντα παρεῖχεν. ita verte : *Nam olim quidam erant, qui præbenda* ituris in provincias *publice redimerent, & quicquid iis muneris ſui cauſſa opus eſſet, exhiberent.* Notum de Ventidio Baſſo, qui fuit ἐργολάβος & præbendorum manceps. Ea veteris reip. conſuetudo non circa rectores tantum provinciarum ab Auguſto ſublata eſt, ſed reliquos quoque magiſtratus urbicos, quibus de publico data merces annua & cibaria. Circa eoſdem tamen ſervatus ex parte mos vetus in tabulis, chartis, cæteriſque aliis hujuſmodi. Exſtat S. C. de curatoribus aquarum publicarum Auguſto Principe factum, in quo ſcriptum : *Ut qui ita delati eſſent, iis prætores ærarii mercedem, cibaria, quanta præfecti frumento dando, dare deferreque ſolent, annua darent & attribuerent. iiſque eas pecunias ſine fraude ſuas facere liceat : utique tabulas, chartas, cæteraque quæ ejus curationis cauſſa opus eſſet, iis curatoribus præbenda. Q. Ælius, P. Fabius coss. ambo, alterve ſi iis videbitur, adhibitis prætoribus qui ærario præſint, locent.*

Ut centumviralem haſtam decemviri cogerent.] Lucanus Panegyrico ad Piſonem :

Seu trepidos ad jura decem citat haſta virorum,
Et firmare jubet centeno judice cauſſas.

Vetus conſuetudo Romæ eſt, ut quotannis viginti ſex viri populi ſuffragiis crearentur : e quibus conſtituebantur decemviri ſtlitibus judicandis, triumviri monetales, triumviri capitales, quatuorviri curatores viarum intra Urbem, duumviri curatores extra Urbem, & quatuor præfecti, qui in Campaniam mittebantur. quæ vetus conſuetudo ſub Auguſto partim ſervata, partim abolita eſt. Dio lib. LIV. fuſe meminit eorundem viginti ſex virorum & Feſtus in *præfecturæ*, cujus locum cum verbis Dionis confer. nam maximi viri in eorum expoſitione mihi non ſatisfaciunt.

decemviri cogerent. Quoque plures partem adminiſtrandæ Reip. caperent, nova officia 37
excogitavit: curam operum publicorum, viarum, aquarum, alvei Tiberis, frumenti populo dividundi, præfecturam urbis, triumviratum legendi ſenatus, & alterum recognoſcendi

TORRENT.

Decemviri cogerent.] Pomponius l. II. de Origine juris, decemviros litibus judicandis, qui haſtæ præeſſent centumvirali, eodem ferme tempore conſtitutos tradit, quo prætor peregrinus primum factus eſt, quoque triumviri monetales, & capitales, circa annum DXII. ab U. C. An igitur alios creavit Auguſtus? Quod ego ſane non exiſtimo. iidem enim fuere, & quidem (ni fallor) ex corpore centumvirorum, quanquam alios convocandi jus habebant. Auguſto enim priores fuiſſe, non ſolum Pomponii evincit auctoritas, ſed ipſa nominis ſcribendi ratio, cum hodieque exſtent antiqua marmora, in quibus, X-VIRI STILITIBUS JUDICANDIS ſcribitur, ut *ſtlocum*, & *ſtlatum*, & *ſtritavum* dicebant veteres. Contigerat autem medio tempore, ut quæſtura functi eorum muneri præficerentur. Quod Auguſtus abrogavit. Vide inf. Veſp. cap. x.

37. *Curam operum publicorum.*] Eam L. Vitellius adminiſtravit. Sueton. Vitell. cap. v. Olim cenſorum erat, aut ædilium etiam, niſi cuipiam extra ordinem demandaretur.

Viarum & aquarum & alvei Tiberis.] Melius MSS. duo, *viarum, aquarum, & alvei Tib.* Cujus officii, ac nominatim riparum, & alvei Tiberis, frequens in antiquis marmoribus mentio. Sed & Pompon. l. II. de Orig. juris, quatuorviros olim inſtitutos fuiſſe tradit, qui curam viarum gererent. *Aquarum* autem, puta Marciæ, Virgineæ, &c.

Frumenti pop. dividundi.] *Dividundi* tantum? an emundi etiam? exſtant enim veteres denarii, in quorum parte altera Cereris effigies cum his verbis: PISO. CÆPIO. Q. in altero vero duo viri inter ſpicas. Aſſcriptum, AD FRU. EMU. EX. S. C. Addam & hanc inſcriptionem: L. CASURIO L. F. CLU. SPECULATORI. ÆD. IV-VIR. I. D. Q. ARG. PUBL. ET. PEC. ALIMENTAR. DEFENSORI. REIP. CUR. ANN. POPULO. PRÆBITÆ. COSCONIUS. SECUNDINUS. Sed Dion lib. LIV. prætorios ab Auguſto conſtitutos dicit tam eos qui frumenti dividundi, quam qui viarum muniendarum curam gererent.



Præfecturam urbis.] Hanc non tam inſtituit Auguſtus, quam auxit atque ornavit, cujus poſtea in immenſum crevit auctoritas. De qua, uti & de prætorum numero, vide Pomponium de Origine juris. Addam interim Euſebii locum Olymp. CLXXXVIII. *Meſſala Corvinus primus præfectus Urbi factus, ſexto die magiſtratu ſe abdicavit, incivilem poteſtatem eſſe conteſtans.*

Triumviratum legendi ſen.] Et ſenatum legere, & equitum turmas recognoſcere, cenſorum munus erat. Et Sueton. quidem cenſores creaſſe Auguſtum hic commemorat, verum hi, ut ante notavimus cap. XXVII. neque in cenſura quicquam memorabile geſſerunt. neque poſt ipſos creati alii. Sed Auguſtus ſuſcepta morum præfectura triumviros, de quibus hic Sueton. in partem muneris cenſorii adhibuit, veluti ſubcenſores quoſdam, idque ex conſilio Mæcenatis, apud Dionem. De equitum autem cenſione, quam recognitionem Tranquillus vocat, Plutarchus Pompejo, Gellius lib. IV. cap. XII. Feſtus in *Cenſio*, & *Impolitias.* Differt etiam cenſio a tranſvectione, de qua cap. ſequenti.

CASAUBON.

37. *Quoque plures partem adminiſtrandæ reipub. caperent.*] Mæcenatis prudens præceptum eſt apud Dionem lib. LII. quod videtur ſecutus Auguſtus: Καλῶς ἔχει, inquit, διὰ πλειόνων πάντα τὰ τῇ ἀρχῇ προσήκοντα διάγεσθαι, ὅπως καὶ ὠφελῶνται μάλα συχνοὶ, καὶ ἔμπειροι τῶν πραγμάτων γίγνωνται.

Curam operum publicorum.] Pereunte cenſura ſimul cum libertate, in plures διακονίας ἐπιμελείας diviſus eſt is magiſtratus, factique ſunt curatores plures pro una cenſura. non infrequens in antiquis monumentis lapideis titulus, CURATOR OPERUM PUBLICORUM; & nonnunquam, CUR. SARTORUM. TECTORUM. OPERUM. PUBLICORUM. Hi ſicut cæteri omnes, qui curam aliquam publice curabant, non magiſtratus erant, ſed *quaſi magiſtratus*, ſicut vocantur a Frontino: ex quo uno optime intelligimus, quo jure fuerint, & quæ honorum inſignia pleriſque ipſorum conceſſa.

Viarum, aquarum, alvei Tiberis.] Hæc ita ἀσυνδέτως in membranis & prim. edit. De curatoribus viarum ab Auguſto conſtitutis, erudite Lipſius ad III. Taciti Annal. at ejuſdem conjectura *riparum* pro *aquarum* ſubſtituentis, meo judicio non proba. Nam cui fiat veriſimile, omiſſum a Suetonio in hoc albo curatorem aquarum? de quo officio vide in elegantiſſimo Frontini libello.

Frumenti populo dividundi.] Videtur, qui hanc curam ſuſtinebat, alio nomine dictus *Minutiæ curator.* ſic interpretor in lapide veteri, ubi ſculptum: CURATOR. AQUARUM. ET. MINUTIÆ. CUR. ALBEI. TIBERIS. ET. CLOACARUM. URBIS. De Minutia frumentaria alii monuerunt.

Triumviratum legendi ſenatus & alterum rec.] Utrum-

ſcendi turmas equitum, quotieſcumque opus eſſet. Cenſores creari deſitos longo intervallo creavit, numerum prætorum auxit. Exegit etiam, ut quoties conſulatus ſibi daretur, binos pro ſingulis collegas haberet: nec obtinuit, reclamantibus cunctis, ſatis maje-
38 ſtatem ejus imminui, quod honorem eum non ſolus, ſed cum altero gereret. Nec parcior in bellica virtute honoranda, ſuper xxx ducibus juſtos triumphos, & aliquanto pluribus triumphalia ornamenta decernenda curavit. Liberis ſenatorum, quo celerius Reip. adſueſcerent, protinus virilem togam, latum clavum induere, & curiæ intereſſe permiſit: mili-

Utrumque munus olim cenſorium. Tacitus de Voluſio Annal. lib. IV. *Cenſoria etiam poteſtate legendis equitum decuriis functus eſt.*

VARIOR.

37. *Alvei Tiberis.*] Repurgandi, & laxioris faciendi. Priſci locare ſolebant flumina *retanda*, (hoc enim verbum legitur in edicto prætorum) quod ſignificat purganda. *Retas* enim arbores vocaverunt, quæ aut ex ripis fluminis corruerent, aut in alveis eorum exſtarent. A retibus autem dicuntur, quod prætereuntes naves impedirent, & inſtar retium retinerent, ut docet Gell. XI. 2. BEROALD.

TORRENT.

Cum altero gereret.] Duo MSS. *ageret.* honorem ſcilicet.

38. *Virilem togam.*] Duo pervetuſti codices, *virili toga lat. cla. inducere.* quam lectionem etiam Hubert. Giſanius affirmat, nec mihi diſplicet. Sunt qui *a virili toga latum clavum induere* legant, ſed prior lectio magis Suetonii dictionem ſapit. Veſpaſ. cap. 11. *Sumpta virili toga latum clavum, quanquam fratre adepto, diu averſatus eſt.* & apertius Aug. cap. XCIV. *Sumenti virilem togam tunica lati clavi reſuta ex utraque parte ad pedes decidit.* Diſtinguit autem tunica lati clavi ſenatum ab equite, ut annuli equeſtrem ordinem a plebe, Plin. lib. XXXIII. cap. II.

CASAUBON.

38. *Nec parcior in bellica virtute honoranda.*] Inſigne eſt in hoc genere, quod de L. Tario Ruffo notat Plinus lib. XVIII. cap. VI.

Super triginta ducibus juſtos triumphos.] Velim, notent diligenter hunc locum Romanæ hiſtoriæ ſtudioſi. Eſt enim res quæſtione digna, quomodo ab eo tempore, quo rerum potitus eſt Auguſtus, ad annum DCCXL. (eo deſiere triumphi; cœpere ornamenta triumphalia decerni) triginta triumphi in Urbe acti ſint. Et profecto aut valde negligenter ſcriptæ eorum temporum res ad nos pervenerunt, aut hic aliquid mendi latet: ſive alibi mentem habuit Suetonius, quum hæc ſcriberet, eoque offendit, quod non facile putem, de tam accuratæ diligentiæ viro: ſive hic aliquis deſcriptor ceſpitavit, de quo nihil pronuntio. Sane cum omnes veteres memorias excuſſeris, vix reperias ad dimidium numeri hujus, qui triumphum eo ſpatio egerint. Et tamen ait, non *triginta*, ſed *ſuper triginta ducibus*; nec ſimpliciter *triumphos*, ſed *juſtos*: quæ tam diligens aſſeveratio ægre permiſit nobis, ut de *minutis* quibuſdam *triumphis* hunc locum exponamus, quos ſæpe & facile ab Auguſto ſolitos concedi, variis locis ſcribit Dio lib. LIV. de Agrippæ moderatione loquens in petendis honoribus: Τῶν δὲ δὴ ἄλλων τινὲς οὐχ ὅτι τὰ αὐτὰ οὕτω πράσσοντες, ἀλλ' οἱ μὲν λῃστὰς συλλαμβάνοντες, οἱ δὲ πόλεις στασιαζούσας καταλλάσσοντες, καὶ ἐπωρέγοντο τῶν νικητηρίων, καὶ ἔπεμπον αὐτά· ὁ γὰρ Αὔγουστος καὶ ταῦτα ἀφθόνως τισὶ τήν γε πρώτην ἐχαρίζετο. Ex eodem optimo ſcriptore diſcimus, quod olim in Julio Cæſare viſum fuerat, cum Hiſpanienſis triumphi honorem ambitioſe legatis ſuis, qui propriis auſpiciis nihil egiſſent, communicavit: id Auguſtum interdum eſſe imitatum, ut de Carinate narratur lib. LI. qua fortaſſe ratione defendi hujus loci ſcriptura ac ſententia poſſit.

Liberis ſenatorum, quo celerius reipubl. aſſueſcerent, protinus virilem togam, latum clavum induere, & curiæ intereſſe permiſit.] Jus veniendi in ſenatum habebant olim, primum ii quos legerant cenſores, deinde ii, qui mandatos ſibi a populo (cujus fuit proprium jus ſuffragiorum) magiſtratus curules obtinebant, poſtremo prætextati ſenatorum filii. licuit enim patribus quoties in curiam venirent, ſuos ſecum filios adducere. Cauſſam ejus moris aperit Suetonius. Manſit ea conſuetudo uſque ad tempora Papyrii prætextati, cujus nota hiſtoria. Ab eo tempore intermiſſus mos longo intervallo ab Auguſto reſtituitur. etſi Auguſtus non tam priorem morem revocaſſe, quam imitatione majorum novum jus invexiſſe in civitatem videtur: neque enim curiæ aditum tantum liberis ſenatorum aperuit, ſed etiam ſenatorum inſignibus decoravit, ac quodammodo in ſenatorium ordinem allegit. Veteri jure tantum equites erant: Iſidorus l. IX. c. 4. *Quamvis ſenatoria quis origine eſſet, uſque ad legitimos annos eques Romanus erat: deinde accipiebat honorem ſenatoriæ dignitatis.* Appellat *legitimos annos* ætatem ſenatorium, quam illis temporibus fuiſſe XXV annum, ex Dione pridem ſcimus. Non igitur poterant ſenatorum liberi tunicam lati clavi induere: id enim erat ſenatorii ordinis inſigne. Ex hoc vero Auguſti inſtituto tunica laticlavia cum virili toga ſumpta a liberis ſenatorum, quibus & curiæ

curiæ intereſſe permiſſum. An hoc ante Octavium Romæ jus non fuit ? Haut temere quærat hoc aliquis : nam de veſte quidem palam eſt, quod ipſe aliis tribuit, id ei contigiſſe. manifeſto declarant hæc Suetonii infra : *Sumenti virilem togam, tunica lati clavi reſuta ex utraque parte ad pedes decidit.* quorſum enim iſto loco & tempore ea tunica, niſi vel cum virilis toga eſſet induenda, vel cum prætexta deponenda ? Id ætatis vero ſenatorum liberos laticlavia tunica ornari ſolitos nuſquam invenio ita clare expreſſum, ut fuiſſe eum publicum morem omnium, poſſe inde colligi exiſtimem. ſunt, quæ id ſuadeant loca nonnulla : ut hæc apud Statium lib. v. Sylvarum, in Proptreptico ad Criſpinum :

> *Sic te, clare puer, genitum ſibi curia ſenſit,*
> *Primaque patritia clauſit veſtigia luna:*
> *Mox Tyrios ex more ſinus, tunicamque potentem*
> *Agnovere humeri.*

Non igitur primus Auguſtus hoc inſtituit. Ego vero quod in Auguſto factum eſt, non jus commune fuiſſe, ſed privilegium puto. Videtur enim Julius Cæſar, qui tunc temporis in repub. pro libidine omnia gerebat, cum de nepote hoc ſuo (quod tradunt hiſtorici) maximam ſpem concepiſſet, & brevi eum ad rerum adminiſtrationem admoveri cuperet, ſuaque id putaret referre, hoc primus inſtituiſſe, & in eo uſurpaſſe : fortaſſe & in aliis idem facturus, ſi diutius rempubl. rexiſſet. quod ipſi non licuit, Auguſtus filius non tam majorum, ut ante dicebamus, quam patris veſtigia premens, ut in aliis pleriſque, hoc primus ſanxit, & in mores recepit. Fieri etiam poteſt, ut hic mos per confuſionem bellorum civilium inſtitutus, ad ea tempora duraverit, quibus ceſſit omne imperium Auguſto : qui quod licentia temporum fiebat, ut jure fieri liceret, inſtituerit: ut non male etiam ſic rei auctor dici queat. Magnum hujus rei argumentum quod de Julio Cæſare narratur, quem ſcribit noſter *uſum lato clavo ad manus fimbriato: nec ut unquam aliter quam ſupra eum cingeretur, & quidem fluxiore cinctura.* unde manaſſe Syllæ dictum conſtat, optimates ſæpius admonentis, *ut male præcinctum puerum caverent.* Ecce, puerum vocat Sylla, quem latum clavum geſtare dixit : ergo ante ætatem ſenatoriam geſtavit. Illud certum, quocunque tempore id cœperit, ſub initia principatus Auguſti ita fieri ſolitum in ſplendidiorum equitum liberis. arguit Ovidius de ſe minurriens Triſtium lib. iv.

> *Interea tacito paſſu labentibus annis,*
> *Liberior fratri ſumpta mihique toga eſt:*
> *Induiturque humeris cum lato purpura clavo.*

Id quod factum eſſe certum eſt tertio vel quarto anno circiter poſt Auguſti in urbem reditum a victo Antonio. Hoc jus præclare expreſſit Statius Sylvarum lib. iv. in carmine ad Julium Menecratem :

> *Quippe & opes & origo ſinunt hos lampade prima*
> *Patritias intrare fores : hos pube ſub ipſa*
> *(Si modo prima bonis invicti Cæſaris adſunt*
> *Numina) Romulei limen pulſare ſenatus.*

Ait tali proſapia ortum, poſſe cum virili toga latum clavum ſumere, & intereſſe curiæ : ſi tamen, inquit, ea fuerit voluntas Principis : quod non temere ab eo adjectum. ſive enim ex Auguſti conſtitutione, ſive ex alius Imperatoris innovatione, non ita fuit hoc jus promiſcuum, ut ſine cognitione Principis uſurpari poſſet : quin patres id ab eo liberis ſuis, quos deſtinabant reipubl. adminiſtrationi, petebant : propterea *munus* hoc vocat idem Statius alibi : *Notus adhuc tantum majoris munere clavi.* Sæpeque evenit, ut fratrum alter beneficio Principis uteretur, abſtineret alter, pro patris voluntate, vel ingenii diverſitate. Suetonius in Veſpaſiano, cap. 3. *Sumpta toga virili latum clavum, quamquam fratre adepto, diu averſatus eſt, neque ut tandem appeteret, compelli niſi a matre potuit.* Sæpe item accidit, ut quos vota parentum curiæ deſtinaſſent, eos vel fortuna adverſa cogeret, vel propria voluntas impelleret retrocedere, & inferiore gradu ſubſidere : iis ponendus latus clavus erat elapſa ætate ſenatoria. teſtis locuples Ovidius, qui, poſtquam latum clavum a ſe ſumptum dixit, & vitam ſuam ad ætatem uſque ſenatoriam deſcripſit, ſubdit:

> *Curia reſtabat : clavi menſura coacta eſt :*
> *Majus erat noſtris viribus illud onus.*

Poſtea eo ventum, ut etiam eorum qui equites tantum erant, quidam latum clavum retinerent, & veſte ſenatoria decorarentur : quod ex Dione aliiſque ſcriptoribus docti viri ante nos monuerunt. Ab hoc more manavit illa ſenatorum diſtinctio in juvenes, & honoribus perfunctos. Tiberius apud Tacitum vi. Annal. cap. 2. de ſenatoribus loquens : *Sed quos omitti poſſe, quos diligi? ſemperne eoſdem, an ſubinde alios? & honoribus perſunctos, an juvenes? privatos, an e magiſtratibus?* Idem lib. xiii. 25. *Julius quidam Montanus ſenatorii ordinis, ſed qui nondum honorem capeſſiſſet.* Juvenem tum fuiſſe Montanum hunc ſuadet hoc ipſum, quod de eo narrat ibi Tacitus. talis fuit & Julius ille Calvaſter, quem Suetonius in Domitiano vocat *tribunum laticlavium* : Dio quaſi explicans, νεανικὸν κεχιλιαρχηκότα ἐις βȣλείας ἐλπίδα. *juvenem, qui in ſpem ſenatorii ordinis tribunatu militum fuerat functus.* Iſti ſunt, quos *juvenes ſecundi ordinis* appellabant : primo gradu iis conceſſo, qui domum Auguſtam, vel ſanguine, vel affinitate, aut aliqua neceſſitudine contingerent. Statius præfatione lib. iv. Sylvarum : *Proximum eſt Lyricum carmen ad Septimium Severum juvenem (uti ſcis) inter ornatiſſimos ſecundi ordinis.* Cauſſam accipe ex ipſo carmine ad Septimium miſſo :

> *Hic parvus inter pignora curiæ*
> *Contentus arcto lumine purpuræ*
> *Creſcis, ſed immenſos labores*
> *Indole patritia ſecutus.*

Ait inter juvenes ſenatorios adoleviſſe iſtum, etſi contentum anguſtiore purpura : recte enim *arcto* lumine emendavit magnus olim Turnebus in ſuis Adverſariis, non *alto.*

Pro-

militiamque auſpicantibus, non tribunatum modo legionum, ſed & præfecturas alarum dedit: ac ne quis expers caſtrorum eſſet, binos plerumque laticlavios præpoſuit ſingulis alis. Equitum turmas frequenter recognovit, poſt longam intercapedinem reducto more

Protinus virilem togam latum clavum induere, curiæ intereſſe.] Hæc lectio cod. Viterb. ſcribo, *virilem togam ac latum clavum. Protinus* ſignificat continue, eodem tempore. Virgilius:

Nam memini Heſiones viſentem regna ſororis
Laomedontiadem Priamum Salamina petentem,
Protinus Arcadiæ gelidos inviſere fontes.

Id eſt, uno eodemque tempore, ut recte Servius. Gallice, *tout d'une tire.* Id κυρίως eſt *protinus*, quod & *protelo* dicitur. Adi Varronem, Servium, Nonium. Non igitur ſequimur alios codd. in quibus ſcriptum, vel *virili toga*, ut in Turonenſi & Liſlæi: unde aliquis putet ſcribendum *protinus a virili toga* vel *virili togæ latum clavum induere*, ut habent editiones quædam veteres.

Varior.

38. *Super* XXX *ducibus juſtos triumphos.*] Hærent alii in ſalebris hujus loci, qui forte inde liberabuntur, ſi juſtos triumphos accipiant, non de iis quibus parta erat inſignis aliqua victoria multis hoſtibus cæſis, ſed ubi nihil deerat eorum, quæ alioquin requirerentur ad pompam triumphalem: adeo ut nihil vetet arbitrari ex iſtis triumphatoribus aliquos fuiſſe, qui ne ſuis quidem auſpiciis quicquam geſſerant, imo qui ne geſſerant quidem magnum quid auſpiciis aliorum, ambitione ſcilicet & gratia provecti. Gruterus.

Protinus virilem togam.] Senatorum, qui patritii erant, filii in puerili prætexta latum clavum portarunt, ut oſtendetur inferius ad cap. 94. Aliorum vero ſenatorum filii, qui non erant patritii, non fuerunt laticlavii, niſi poſtquam ad honores pervenerant. Iſidorus lib. IX. 4. *Quamvis autem ſenatoria quiſquam origine eſſet, uſque ad legitimos annos eques Romanus erat: deinde accipiebat honorem ſenatoriæ dignitatis.* Mutavit hoc Auguſtus, qui *liberis ſenatorum, quo celerius reipublicæ aſſueſcerent, protinus virilem togam latum clavum induere & curiæ intereſſe permiſit.* Ubi cum in multis MSS. ſcriptum ſit, quod Caſaubonus notat, *virili toga*, malim legere: *a virili toga.* Nec enim cum toga virili latum clavum ſimul accipiebant, ſed tunicam rectam. Auguſtus autem permiſit, ut ſtatim poſt virilem togam ſumtam ante geſtos honores latum clavum geſtarent. Latum clavum autem ſumebant, cum ſe ad rempublicam gerendam, & honores capeſſendos accingerent. Plinius VIII. ep. 23. *Latum clavum in domo mea induerat: ſuffragio meo adjutus in petendis honoribus fuerat.* A. Rubenius de Lato clavo lib. I. c. 14.

Torrent.

Binos plerumque laticlavios.] Sic *Tribunus laticlavius*, Domit. cap. X. & ad ejus differentiam *Tribunus anguſticlavius.* Oth. cap. X. Vide Ner. cap. XXVI. *a quodam laticlavio*, & infr. cap. XL.

Equitum turmas freq. recognovit.] An una cum III-viris illis, de quibus paulo ante? an vero ita officia illa inſtituit, ut nihilominus cum vellet, inter eſſet, atque præeſſet etiam ſolus? Ac de priſco quidem tranſvectionis more Livius lib. IX. Dionyſ. VI. Valer. Maximus lib. II. cap. II. Plin. lib. XV. cap. IV. & auctor libri de Viris Illuſtribus cap. XXXII. ſatis multa tradidere omnibus obvia. Quod vero adjungit Sueton. non paſſum eſſe Auguſtum in tranſvehendo ab accuſatore quemquam detrahi, id ita intelligo, ut e pompa illa ſolenni nemo equitum in jus vocari, aut rapi poſſet. *accuſator* enim, teſte ipſo Cicerone lib. de Partition. pro omni actore & petitore accipitur. Idque Ulpianus voluit l. II. De in jus vocando, cum inter illos quos in jus vocari non oportet, etiam eum, qui equo publico in Capitolium tranſvehebatur, annumerat. ſic enim ibi legendum eſſe, Jacobo Rævardo, inſigni noſtræ ætatis Juriſconſulto, aſſentior, cum notarum errore pro *in Capitolium, in cauſa publica* nunc ibi ſcriptum ſit. hæ enim notæ, CA. P. utrovis modo accipi poſſunt.

Casaubon.

Militiam auſpicantibus, non tribunatum modo legionum.] Libro III. de Tiberio: *Stipendia prima expeditione Cantabrica tribunus militum fecit.*

Sed & præfecturas alarum.] Ipſum loquendi genus indicat, præfecturas alarum honore tunc anteiſſe tribunatum militum: contra Claudii tempore. Suetonius lib. V. *Equeſtres militias ita ordinavit, ut poſt cohortem alam, poſt alam tribunatum legionis daret.*

Varior.

Præfecturas alarum.] Alæ in veteri republica dicebantur ſocii Latini nominis, tam equites quam pedites, poſtea auxiliaribus copiis hoc nomen ceſſit. Sub Imperatoribus vero alæ dicebantur manus equitum ex ſociis collectorum, quæ legioni jungebatur loco triginta turmarum, quæ ex equitibus Romanis olim conſcriptæ legionibus addebantur. Quoniam equeſtris ordinis viri tum temporis non niſi ſplendidis curationibus præficiebantur, priſcuſque ille mos turmas ex iis conficiendi plane exoleverat, ut multis docet Vir genere, ingenio, & doctrina magnus, Rabodus Schelius, in cujus acerbo obitu ingentem jacturam fecerunt non ſolum omnes præclaræ artes, ſed & ipſa reſpublica, in eruditiſſimis notis ſuis ad Hyginum de Caſtrametatione, quem omnino vide.

more tranſvectionis. Sed neque detrahi quemquam in tranſvehendo ab accuſatore paſſus eſt; quod fieri ſolebat : & ſenio vel aliqua corporis labe inſignibus permiſit, præmiſſo in ordine equo, ad reſpondendum quoties citarentur, pedibus venire : mox reddendi equi gratiam fecit eis, qui majores annorum quinque & triginta retinere eum nollent. Impetratiſ- 39
que a ſenatu decem adjutoribus, unumquemque equitum rationem vitæ reddere coegit: atque ex improbatis alios pœna, alios ignominia notavit : plures admonitione, ſed varia. Leniſſi-

Torrent.

Majores an. quinque & triginta.] Non male de hac ætate cogitandum eſſe, monet Beroaldus. nam ad annum uſque xlv. aut, ut alii volunt, xlvii. juniores vocabantur. Gellium lege Attic. Noct. x. cap. xxviii.

39. *A ſenatoribus.*] Legendum puto *a ſenatu.* ſolent enim hujuſmodi voces non integræ perſcribi. Hinc mendum emanavit. Non repugnaverim tamen, ſi *e ſenatoribus* quis malit.

Alios pœna, alios ignominia.] *Pœna*, a puniendo dicta, generale quidem nomen, neque aliud quam noxiæ vindicta, & quorumcunque delictorum coercitio eſt : ſed vel damnum irrogat, & tunc proprie *multa* dicitur ; vel dolorem infert, & *ſupplicium* quoque appellatur. *Ignominia* vero, ut inquit Nonius, nominis tantum nota eſt, quod honeſtatis nomen habere deſinat, qui ignominia notatur. ſic enim non malus auctor Iſidorus lib. v. cap. xxvii. Pulchre apud Nonium Cicero lib. iv. de Republ. *Cenſoris judicium nihil fere damnato adfert præter ruborem. Itaque, ut omnis ea judicatio verſatur tantummodo in nomine, animadverſio illa ignominia dicta eſt.* Adde, ſi lubet, JCtos l. cxxxi. & ccxliv. de Verborum ſignif.

Casaubon.

Senio vel aliqua corporis labe inſignibus.] Puta, quibus nares præciſæ, vel aures, aut aliud quod vulnus impoſitum ἀεικέλων, ut poetæ vocant. Appianus in Mithridat. ἀσχήμονας ὠτειλάς. ita affectos norat Auguſtus urbanis hominibus dicteriorum eſſe materiam. clarum exemplum in Horatio Coclite. Unde eſt illud ab eo dictum, cum ei in comitiis coxæ vitium objiceretur: *Per ſingulos*, inquit, *gradus, admoneor triumphi mei.* item Sext. Tidio veniente ad Pompejum, cum eſſet ſilicernium, & utroque crure debilis : apud Plutarchum in Pompejo. Perverſiſſimi moris eſt, debiles & aliqua corporis labe inſignes deridere : cujus rei etiam in iis, quos vocant Apoſtolorum Canones, mentio eſt Canone lvii.

In ordine.] Explicat Dionyſ. Halicar : Οἱ (intellige equites equo publico) κατὰ φυλάς τε καὶ λόχους κεκοσμημένοι στοιχηδὸν ἐπὶ ἵππων ὀχούμενοι πορεύονται.

Mox reddendi equi gratiam fecit eis, qui majores annorum quinque & triginta retinere eum nollent.] Sic ſcriptum in Viterb. & vetere Romana, aliiſque multis : Liſlæi cod. *vellent* pro *nollent*, longe diverſa ſententia. Eſt vero hoc loco aliqua & rerum & verborum difficultas. Beroaldus intelligit factam poteſtatem equitibus ſenioribus reddendi equum, quem ex publico accepiſſent, ſi vellent : & ita ab equeſtris militiæ munere ſolverentur. quæ ſententia ex his verbis elici non poteſt. Quid enim eſt *gratiam facere alicujus*, niſi permittere, ne aliquid fiat, quod alias neceſſum erat? ſic ante dictus Auguſtus *Bononienſibus gratiam feciſſe conjurandi pro partibus ſuis*, id eſt, remiſiſſe neceſſitatem, qua alioqui tenebantur : ſic *gratiam facere jurisjurandi*, & alia ſimilia his. Ita igitur *reddendi equi gratiam facere*, κατὰ τὸ ἀνάλογον, erit permittere, ne reddatur equus, ſed retineatur. Plane manifeſta ἀτοπία. Quare ſcribendum, ut ea ſententia efficiatur, *retinendi equi gratiam fecit.* Id erit, liberare neceſſitate retinendi equi. Olim qui equites equo publico dicebantur, ii aſſignatum ſibi equum a cenſore, dum viverent, retinebant; niſi idem qui aſſignaverat cenſor, vel præteritione vel notatione adimeret ; inde eſt, quod modo dictum de tranſvectione equitum ſenio inſignium. Etſi autem alendo equo ſtipendium accepere hi equites, eratque res non parvi honoris : nihilominus tamen durum onus multis hoc fuiſſe, ex eo colligimus, quod populus in beneficii parte ſolitus eſt dare vacationem hujus muneris. Exemplum in Livii libro xxxix. ubi P. Ebutio indici Bacchanaliorum inter alia præmia decretum narratur, *ne cenſor ei equum publicum aſſignaret.* Hoc vetus inſtitutum princeps Auguſtus immutavit : quem conſtat plurimas partes militiæ in mitiorem formam redegiſſe. Nemo autem miretur reddendi equi poſt annum xxxv factam poteſtatem : cum eis annum illum potuerint equeſtria ſtipendia eſſe peracta. Quare non dubitem ſequi eos codd. qui hanc lectionem habent. etſi teſtantur docti in aliis legi xlv.

39. *Impetratiſque a ſenatu decem adjutoribus.*] An potius *adjuratoribus*? quæ fuit aliquando ſummi viri conjectura. nam qui cenſori aderant cenſum agenti, *adjuratores* ſive *juratores* e re dicebantur. Plautus Trinummo : *Cenſus juratori ſi recte rationem dedi.* alludit obſcure & in Pœnuli prologo :

> - - - *argumentum hoc hic cenſebitur,*
> *Vos juratores eſtis, quæſo operam date.*

Sed quum omnes veteres aliter habeant, nihil mutandum.

Atque ex improbatis.] Viterb. *In exprobatis.* Liſlæi, *in exprobratis.* Cujacii, Pithœique *ex improbratis.* fortaſſe,

Leniſſimum genus admonitionis fuit traditio coram pugillarium, quos taciti, & ibidem ſtatim legerent. Notavitque aliquos, quod pecunias levioribus uſuris mutuati, graviore
40 fœnore collocaſſent. Comitiis tribunitiis, ſi deeſſent candidati, ſenatores ex equitibus Romanis creavit: ita ut poteſtate tranſacta, in utro vellent ordine, manerent. Cum autem plerique equitum, attrito bellis civilibus patrimonio, ſpectare ludos e quatuordecim non auderent,

fortaſſe, *atque ex improbratis.* καινοπρεπῶς, pro *notatis probro.*

V A R I O R.

39. *Traditio coram pugillarium, quos.*] Longe præfero lectionem Torrentiani codicis: *tradito coram pugillari, quod taciti & ibidem ſtatim legerent.* Auſonius: *Bipatens pugillar expedi.* GRONOVIUS.

Graviore fœnore collocaſſent.] Et erat certe improbum genus quæſtus. Simile in Tiberio leges c. 35. & Veſpaſ. c. 16. GRUTERUS.

T O R R E N T.

Traditio coram pugil.] Liber unus e noſtris, *tradito coram pugillari, quod taciti,* &c. & *leniſſimum*, non *leviſſimum.*

40. *Comitiis tribunitiis.*] Beroaldus comitia tribunorum militum, de quibus Cæſ. cap. v. intelligit: Dion autem tribunorum plebis, his verbis, de Auguſto loquens, lib. XLV. Ἀλλὰ καὶ τοῖς ἱππεῦσι δημαρχίαν αἰτῆσαι ἐπέτρεψε. Quod ſi recipimus, fatendum erit, eum, qui ſenator non ſit, nec tribunum fieri poſſe. Beroaldum movit, quod tribunatus plebejus erat magiſtratus. Sed hoc nihil eſt. idem enim plebejus, ſi familiæ originem; & ſi ordinem reſpicias, ſenator eſſe poterat. Dioni itaque aſſentior, cum ob ea quæ ante diximus cap. x. tum quia tribuni militum haud dubie etiam alii quam ſenatores populi ſuffragiis creabantur. nam is primus fuiſſe videtur honorum gradus, ut C. Marii, & M. Porcii Catonis, & C. Julii Cæſaris exemplis jam docuimus. Cæſar enim tribunus militum ante quam quæſtor fuit.

C A S A U B O N.

40. *Comitiis tribunitiis, ſi deeſſent candidati ſenatores.*] Nihil abſurdius quam ad tribunos militares hæc referre, contra Dionis auctoritatem, & rem ipſam. Tribuni plebis quanta invidia apud optimates eſſent, ſatis notum eſt; unde factum videtur perſæpe, ut eum magiſtratum plerique refugerent. Ideo lata vetus lex, quæ populo libertatem conceſſit, ſi comitiis tribunitiis deeſſent candidati, ex omni populo & quocunque ordine, quos vellet tribunos creandi. Appianus lib. I. Ἐμφυλ. de C. Graccho iterum tribuno: Καὶ εὐθὺς ἐπὶ τῷδε, καὶ ἐς τὸ μέλλον ᾕρητο δημαρχεῖν· καὶ γάρ τις ἤδη νόμος ἐκεκύρωτο, εἰ δήμαρχος ἐνδέοι ταῖς παραγγελίαις, τὸν δῆμον ἐκ πάντων ἐπιλέγεσθαι. Interpretes Appiani longe aliter hæc verba ſunt interpretati: nos putamus eampſe ſententiam eſſe, quam ante expreſſimus. Poſtea vero, ſive Sylla, ſive alius, ait idem Appianus, tribunatum a plebejis ad ſenatores tranſtulit: ex quo tempore tribunus nemo fieri potuit niſi ſenator. ut merito notatum in Auguſto ante fuerit, quod tribunatum petiiſſet, quamquam patritius necdum ſenator. Sanctionem Auguſti pluribus refert Dio lib. LIV. in anno DCCXLII. meminit & alibi.

In utro vellent ordine, manerent.] Nec dubium, multos equeſtri ordine contentos, altiorem gradum inſuper habuiſſe: quod per Claudium poſtea non licuit. Suetonius lib. v. *Senatoriam dignitatem recuſantibus, equeſtrem quoque ademit.*

Attrito bellis civilibus patrimonio.] Teſtor hanc eſſe lectionem & Turonenſis, & Mss. omnium, non *matrimonio.* quam vocem etſi doctiſſimis viris probatam hic non agnoſcimus: nec fortaſſe in tota lingua Latina eo ſenſu agnoſci debet. quæ proferuntur exempla ei aſſerendæ, omnia mihi ſuſpecta ſunt: quædam manifeſto inania. cujuſmodi eſt Valerii Max. locus ex libro VII. cap. VIII. nam *patrimonio* ſcribi, non *matrimonio* diſcimus ex teſtimonio diligentiſſimorum virorum, qui vetera exemplaria contulerunt. cujuſmodi item Auguſtini locus ex ſermone CLXXXV. quem profert Cujacius: *Ibant ad paſſiones, obliviſcentes facultates & affectiones, patrimonia ac matrimonia ſua*: quo loco, mirum eſt, tantum virum non attendiſſe, *matrimonium* pro uxore poni, triſtiſſimo loquendi genere. Suetonius lib. IV. cap. XXV. *edixiſſe, matrimonium ſibi repertum exemplo Romuli*, id eſt, uxorem. Juſtini Trogus, lib. III. de Lycurgo: *Ut ſeverius matrimonia ſua viri coercerent.* aliquanto poſt: *Ut ſervis interfectorum matrimonia pollicerentur.* Sic etiam Impp. in Codice ſæpius. ſic *clientela*, pro clientibus, & id genus infinita. Ita autem interpretandum apud Auguſtinum arguunt præcedentes voces, *facultates & affectiones*, quibus iſtæ *patrimonia ac matrimonia* ſunt ἀντίστοιχοι. declarant magis adhuc ſequentia, ſi quis locum perlegat.

V A R I O R.

40. *Attrito bellis civilibus patrimonio.*] Sic & omnes Pall. ut minime auſcultandum ſit iis, qui adſeverant perſtare in libris ſuis *matrimonio.* GRUTERUS.

TOR-

audérent, metu pœnæ theatralis; pronuntiavit, non teneri ea, quibus ipſis parentibuſve equeſter cenſus umquam fuiſſet. Populi recenſum vicatim egit: ac ne plebs frumentationum cauſſa frequentius a negotiis avocaretur, ter in annum, quaternum menſium teſſeras dare deſtinavit: ſed deſideranti conſuetudinem veterem conceſſit rurſus, ut ſui cujuſque menſis acciperet. Comitiorum quoque priſtinum jus reduxit: ac multiplici pœna coercito ambitu, Fabianis & Scaptienſibus tribulibus ſuis die comitiorum, ne quid a quoquam candidato deſiderarent, ſingula milia numum a ſe dividebat. Magni præterea exiſtimans, ſincerum, atque ab omni colluvione peregrini ac ſervilis ſanguinis incorruptum ſervare populum: & civitatem Romanam parciſſime dedit, & manumittendi modum terminavit.

TORRENT.

Vicatim egit.] Uti & Divus Julius, cap. XLI. Idemque hic *cenſus* quod illic *recenſus*, ne quis juſtum aliquem cenſum ab Auguſto actum ſomniet. ſubjicit enim de frumentatione, cui rei hic, ſeu *cenſus*, ſeu *recenſus*, inſtitutus.

Sui cujusque menſis.] Liber unus MS. & nonnulli typis editi, *ſui quisque menſis.* Memini Suidam in Νῶναι, tradidiſſe dictas eſſe annonas quaſi ἀνὰ τὰς νώνας διδομένας. Quod quanquam ridiculum eſt, (annona enim ab anno, quaſi annalis alimonia, dicitur) ex eo tamen oſtenditur nonis cujuſque menſis frumentum populo dividi ſolere. Quare ſuſpicor pro *ſui cujusque menſis* legi debere: *Nonis cujusque menſis.* Natus inde error, quod dictionem *Nonis*, una tantum atque altera notatam litera, ſcriba non intellexerit.

Priſtinum jus.] Intelligit, quod a Divo Julio inſtitutum, cap. XLI. per civilia bella & triumviratum abolitum erat.

Fabianis & Scaptienſibus tribulibus ſuis.] Duas ergo tribus habuit Auguſtus, alteram Octaviorum, in qua natus, Scaptiam, opinor; alteram Juliorum, Fabiam ſcilicet, per adoptionem.

A ſe dividebat.] Liber unus *aſſe dividebat.* Verum qui ſic ſcripſit, non intelligebat veterem loquendi formulam *a ſe ſolvere*, pro de ſuo ſolvere, ut a Sempronio, a Titio ſolvere.

Sincerum atque ab omni.] Melius liber Tornacenſ. *ſincerum ab omni.* Hinc pulcherrime Horatius quavis occaſione Auguſtum laudans, lib. III. Od. VI.

Fœcunda culpæ ſæcula nuptias
Primum inquinavere, & genus, & domos.
Hoc fonte derivata clades
In populum patriamque fluxit.

CASAUBON.

Metu pœnæ theatralis.] Lege, *pœnæ theatralis legis.* quis enim ita loquitur?

Sui cujusque menſis.] Conjectura docti viri ex Suida emendantis *Nonis cujusque menſis* ratione caret: neque enim quod ille vult, Suidas dicit, ſed ut ariolus tantum conjectat.

Comitiorum quoque priſtinum jus reduxit.] Caute accipe illa *jus priſtinum*: neque enim jus illud intelligit, quod ſtante rep. obtinuit: ſed illud ipſum quod libro ſuperiore cap. LXI. a patre Auguſti Julio Cæſare docuit fuiſſe inſtitutum. id jus per bella civilia & III-virorum tyrannidem omiſſum, reducit nunc Auguſtus. Dio clare explicat libro LIII. in octavo Auguſti conſulatu: Ὅτε δῆμος ἐς τὰς ἀρχαιρεσίας καὶ τὸ πλῆθος αὖ συνελέγετο. οὐ μέντοι καὶ ἐπράττετό τι, ὃ μὴ καὶ ἐκείνῳ ἤρεσκε. τοὺς γοῦν ἄρξοντας, τοὺς μὲν αὐτὸς ἐκλεγόμενος προεβάλλετο, τοὺς δὲ καὶ ἐπὶ τῷ δήμῳ τῷ τε ὁμίλῳ κατὰ τὸ ἀρχαῖον ποιούμενος ἐπεμελεῖτο, ὅπως μήτ᾽ ἀνεπιτήδειοι, μήτ᾽ ἐκ παρακελεύσεως, μήτ᾽ ἐκ δεκασμοῦ ἀποδεικνύωνται. *Populus & multitudo iterum ad comitia conveniebant: neque enim fiebat quicquam, niſi quod ipſi placebat. Igitur magiſtratus quoſdam ipſe electos a ſe creabat: quorundam delectum populo & plebi permittens, id curabat, ne vel parum digni renuntiarentur, vel per factionem vel ambitum.*

Fabianis.] Prima edit. *Sabotinis.* Nota tribus Sabatina ex Feſto & lapidibus. ſed alteram lectionem ſuper Mss. confirmat vetus lapis:

C. JULIO. C. F.
FAB. SCAPT.
CÆSARI
AUGUSTO.

Singula millia numum a ſe dividebat.] Viterb. *aſſe dividebat.* mendoſe pro *a ſe.* hoc eſt, de ſuis nummis. ſic loqui Plautum, Ciceronem, Juriſconſultos, alioſque, pueris notum. At vir doctus ſcribendum nuper cenſuit, *a ſe aſſe dividebat.* vellem planius ſententiam ſuam interpretatus eſſet, & docuiſſet nos, quid ſit *aſſe dividere.* tamen, ne quid diſſimulemus, ineptum putamus.

Ab omni colluvione peregrini ac ſervilis ſanguinis.] Dionyſ. Hal. lib. IV. aperit cauſſam & neceſſitatem hujus legis Auguſti: quam nondum latam deſiderat ut plane neceſſariam. apud Dionem lib. LV. in narratione ejuſdem legis ſcribo, πολλῶν τε πολλοὺς ἀκρίτως ἐλευθερούντων. non ἀκριβῶς. niſi ſi ἀκριβῶς ἐλευθεροῦν poſuit pro donare libertate, non qualicumque, ſed plena & juſta. illud melius.

TOR-

minavit. Tiberio pro cliente Græco petenti reſcripſit : *Non aliter ſe daturum quam ſi præſens ſibi perſuaſiſſet, quam juſtas petendi cauſſas haberet.* Et Liviæ pro quodam tributario Gallo roganti, civitatem negavit, immunitatem obtulit : affirmans, *Se facilius paſſurum fiſco detrahi aliquid, quam civitatis Romanæ vulgari honorem.* Servos non contentus multis difficultatibus a libertate, & multo pluribus a libertate juſta, removiſſe : cum & de numero, & de conditione ac differentia eorum qui manumitterentur, curioſe caviſſet, hoc quoque adjecit, ne vinctus umquam tortuſve quis, ullo libertatis genere civitatem adipiſceretur. Etiam habitum veſtitumque priſtinum reducere ſtuduit. Ac viſa quondam pro concione pullatorum turba indignabundus & clamitans ; En ait :

Romanos

TORRENT.

A libertate juſta.] Placet lectio, quæ Pulmanno in veteribus aliquot libris inventa, *mult. difficult. a libertate, & multo pluribus a libertate juſta removiſſe*, quo modo eſt & in cod. Vaticano. Manumiſſionibus autem modum lex Julia impoſuit, ab ipſo, ut creditur Auguſto lata. De qua Dion lib. LV. & Paulus J.C. l. XIV. De manumiſſ. Quam ſecuta eſt Furia, ſeu Fuſia Caninia, nulli qui JCtos attigerit, ignota. Verum ut quam juſtam libertatem vocet Sueton. intelligamus, ſciendum eſt libertinorum tria fuiſſe genera. Optimo jure erant, qui cives Romani efficiebantur, ita ut jus teſtamentorum, connubiorum, uſucapionum, nexorum, tutelarum denique, ac jus patriæ poteſtatis conſequerentur : peſſimo vero dedititii, ex lege Ælia Sentia, Sex. Ælio Cato, & C. Sentio Saturnino coss. auctore Auguſto lata A. U. C. DCCLVI. Medii autem inter utroſque Latini. De dedititiis ſic Ulpianus tit. de Libertis : *Dedititiorum numero ſunt, qui pœnæ cauſa vincti a dominō, qui inſcripti ſtigmata, qui propter noxam torti nocentes inventi ſunt, aut traditi ad ferrum, aut ut cum beſtiis depugnarent.* Hi omnes lege Ælia Sentia a vera libertate arcebantur. Ac ne Latini quidem, dicti poſtea Juniani, deſtituti & ipſi jure civium plenam libertatem conſequebantur ; ſed tamen eam conſequi poterant, ut puta ſi inter amicos, vel in convivio, aut per epiſtolam quis manumiſſus, (his enim modis libertas data, Latina tantum vocabatur) poſtea vindicta, teſtamento, aut etiam cenſu, quæ ſpecies juſtæ libertatis ſunt, jus Quiritium acciperet, aut id illi lege, vel Principis indulgentia contingeret, uti infr. Claud. cap. XIX. & epiſtolis Plinii ad Trajanum. Dedititii vero a plena libertate in perpetuum repellebantur, dicti ad eorum ſimilitudinem, qui bello victi ſe ſuaque victori dedunt, quorum in fœderibus peſſima conditio eſt. Qua de re alibi plura. Nunc Zonaræ de Joſepho, nobili illo hiſtorico, locum adjeciſſe ſufficiat. hunc enim ſcribit a Veſpaſiano emiſſum e vinculis, ſed catena ſecuri diſciſſa, ut una cum vinculis ignominia ſolveretur. Qua de re Joſephus ipſe Belli Judaici libro V. Adde Suetonium Claud. cap. XIX.

Pullatorum turba.] Tres libri *bullatorum*. Sunt qui *palliatorum* legant, ut Romanos Græco veſtitos habitu intelligamus. non recte. *pullatos* enim ſordidos neglectoſque, atque adeo fæcem plebis vocat, qui præter Romani habitus dignitatem, ſic in publicum veniebant, ut vel in reatu, vel in luctu eſſe videri poſſent. Inf. cap. XLIV. *Sanxit, ne quis pullatorum in media cavea ſederet.* Quinctilian. quoque lib. VI. cap. V. *Imperitis, ac ſæpe pullatæ turbæ relinquunt.* & lib. II. cap. XIII. *Collidere manus, terræ pedem incutere, femur, pectus, frontem cædere, mire ad pullatum circulum facit.* Plin. quoque Epiſt. lib. VII. *illos quoque ſordidos pullatoſque reveremur. Tunicatum popellum* appellat Horat. epiſtolis, ut *vulgus imperitum, populumque tunicatum* Tacit. lib. de Oratorib. Denique Verrem non uno in loco accuſat Cicero, quod tunica pulla, ac pallio in officina quadam ſedere ſit ſolitus. Erudite itaque Calpurnius :

- - - ſed mihi ſordes,
Pullaque paupertas, & adunco fibula morſu
Obſuerant.

CASAUBON.

Ac viſa quondam pro concione pullatorum turba.] Reprehendit in aliis colorem veſtis : in aliis colorem & genus veſtis. Pullati dicuntur, & qui togam ſordidam & coloris obſoleti gerunt : & qui penulas, quæ pullo colore erant. Propria civium Romanorum veſtis forenſis toga fuit, eaque alba. contra hanc obſervationem majorum varie peccatum per illa tempora, & magis deinceps. tenuiores, poſita toga in tunicis prodire non ſunt veriti : inde apud Horatium, Tacitum, alios, *tunicatus populus* plebs infima idiotarum. alii penulam pro toga geſtabant, vel togæ ſuperinjectam. multi togam retinebant, ſed ſordidam & obſoletam. & hi & illi pullati vocantur a ſcriptoribus. Pullus & φαιὸς ancipitis ſignificationis voces ſunt : nam & αὐτοφυῆ atque ingenuum colorem notant. qualis ferme penularum erat, inde φαιὰ μανδύη apud Dionem : & eum, quem veſtis alba habendo contrahit. Talis Romæ veſtis reorum, qui Latinis ſcriptoribus *ſordidati* & *eſſe in ſordibus* dicuntur : Græcis φαιὰ ἐσθής. Plutarchus in Cicerone : Μίλωνος

 κομῶν

Romanos rerum dominos, gentemque togatam.

Negotium ædilibus dedit, ne quem poſthac paterentur in Foro Circove, niſi poſitis la-
cernis, togatum conſiſtere. Liberalitatem omnibus ordinibus per occaſiones frequenter 41
exhibuit. Nam & invecta urbi Alexandrino triumpho regia gaza, tantam copiam nummariæ
rei effecit, ut fœnore diminuto, plurimum agrorum pretiis acceſſerit. Et poſtea
quoties

κόμην θρέψαι καὶ μεταλαβεῖν ἐσθῆτα φαιὰν, ἀπαξιώσαντος. magis proprie dixiſſet *πιναρὰν*, ut ſæpe Græci: vel *πιναρὰν* & *κοινήν*. Diodorus Siculus de Saturnino reo: *Πτήξας κατέφυγεν ἐπὶ τὸν κοινὸν τῶν ἀκληρούντων ἔλεον, καὶ τὴν ἐσθῆτα τὴν πολυτελῆ κατέθετο, πιναρὰν δὲ μεταμφιασάμενος καὶ κοινὴν, καὶ πώγωνα τρέφων περιήει.* Falluntur qui pullatos dici putant ſolum ob pulli coloris veſtem: nam etiam qui togam ſordibus infectam geſtabant, eo nomine comprehenſi ob ſimilitudinem albi coloris obſoleti, & pulli *αὐτοφυοῦς*. quare auctores modo *pullatos*, modo *ſordidos* vocant: interdum *ſordidos pullatosque*, ut Plinius ſeptimo epiſtolarum, & Calpurnius ecloga VII:

Venimus ad ſedes, ubi pulla ſordida veſte
Inter fœmineas ſpectabat turba cathedras.

Paullo poſt:

- - - ſed mihi ſordes,
Pullaque paupertas & adunco fibula morſu
Offuerant.

Simili ratione Julius Pollux veſtimenta aſſignat calamitoſis vel *λευκὰ δυσπινῆ*, vel *φαιὰ*, aut *μέλανα*. & qui Latinis dicitur *panis ſordibus*, Græcis & *φαιὸς* appellatur & *ῥυπαρὸς*, ut in tertio Athenæi.

TORRENT.

Niſi poſitis lacernis togatum conſiſtere.] Locus ſubdifficilis eſt. Quem ut declaremus, in memoriam revocabimus, quanta olim fuerit togæ dignitas; & quam pudendum Romano, ſi alia quam Romani civis geſtans inſignia, palliatus puta, aut cum ſoccis, & Gallicis maxime, in publico conſpiceretur. Docet id Ciceronis oratio pro Rabirio, & quæ Philipp. II. in Antonium ſcripſit, quæque in Verrem Actione IV. & V. & inter alios Gellius lib. XIII. cap. XX. Permittebatur tamen, ut pluviæ ac frigoris cauſa, præſertim in theatro, ludorumque ſpectaculis, ob repentinam ſæpe cœli injuriam, togæ lacernam, quæ non multum a pænula diſtabat, ſuperinducerent, quo & togam conſervarent, & ſe quoque tuerentur. Declarant id complura Martial. epigrammata, ut II. lib. IV. & VIII. lib. V. & elegans Juvenal. locus Sat. IX. cum lacernas *munimenta togæ* vocat. Neque ineleganter Plin. lib. XVIII. cap. XXV. ubi de Vergiliarum ſidere: *Quoniam id* (inquit) *etiam veſtis inſtitor eſt.* ſic enim exemplar meum MS. non *inſtitoris*. haud dubie melius. nam ſidus illud, quo exoriente æſtas, occidente hiems oſtenditur, quia utroque tempore veſtem mutamus, veluti inſtitor eſt. Sequitur apud Plin. *Ergo ex occaſu ejus de hieme augurantur, quibus eſt cura inſidiandi negotiatoris avaritiæ. Nubilo occaſu pluvi ſam hiemen denunciant, ſtatimque augent lacernarum pretia; ſereno aſperam, & reliquarum veſtium accedunt.* ſic namque in meo illo codice, pro *accendunt.* Senſus eſt, nubilo illius ſideris occaſu lacernarum pretia creſcere, ſereno autem etiam veſtium aliarum. nam, ut ante dixi, lacernæ adverſus frigora quoque parabantur. Non tamen repugno, ſi quis forte *accendunt* malit. Loquitur autem de his, qui confectas a ſe veſtes negotiatoribus vendunt. *Negotiator* vero eum ſignificat, qui non minutim, ſed, ut locupletiores ſolent, generatim mercaturam aliquam tractat. De quo Veſpaſ. cap. XXVI. Sed ad Suetonium redeo. Auguſtus igitur lacernarum quidem uſum non ſuſtulit, ut ego quidem exiſtimo, ſed neceſſitati tantum ſervire voluit: vetuitque in foro, & in Circo alios quam togatos conſiſtere. ad ea enim Urbis loca fere conveniebant Romani, ut de ſe ait Horat. Sat. VI. lib. I.

Fallacem Circum, veſpertinusque pererro
Sæpe forum.

& Livius lib. XXXIX. *Sacrificulos vatesque foro, Circo, Urbe prohiberent.* Foro & Circo nominatim dicit, quod ibi potiſſimum in hominum multitudine verſarentur. Conſiſtere autem eos in foro ac Circo intelligo etiam, qui obambulent. Verum ſi quis alio per forum, aut Circum inducta togæ lacerna tranſiiſſet, id crediderim licuiſſe. Ad togæ quoque honeſtatem ſpectat, quod refert Sueton. Claud. cap. VI. ei ſcilicet ſpectaculis advenienti equeſtrem ordinem depoſitis lacernis aſſurgere conſueviſſe. Spectat etiam quod tradit Spartian. Hadriano, juſſiſſe eum ſenatores, & equites in publico ſemper togatos eſſe, niſi cum a cœna reverterentur. Spectat & illud quod initio ejus libri ſcribit, Hadriano omen ad imperium fuiſſe quod tribunus pl. effectus pænulas amiſerat, quibus tribuni quidem pluviæ tempore uti ſolebant, ſed Imperatores nunquam. Addam & Lampridium Commodo, inter prodigia mortis ejus referentem, quod contra conſuetudinem pænulatos juſſit ſpectatores, non togatos ad munus convenire, ipſe in pullis veſtimentis præſidens. Adde locum Calig. cap. LII.

CASAUBON.

41. *Fœnore deminuto plurimum agrorum pretiis acceſſerit.*] Et quotidiana experientia, & vetus omnis hiſtoria hoc docet. Plinium lege ep. XIX. lib. VI. Auctor Dio, tunc temporis Romæ tantam pecuniæ copiam

quoties ex damnatorum bonis pecunia ſuperflueret, uſum ejus gratuitum iis qui cavere in duplum poſſent, ad certum tempus indulſit. Senatorum cenſum ampliavit : ac pro octingentorum milium ſumma duodecies HS. taxavit, ſupplevitque non habentibus. Congiaria populo frequenter dedit, ſed diverſæ fere ſummæ : modo quadringenos, modo tricenos : nonnumquam ducenos quinquagenoſque numos. ac ne minores quidem pueros

piam fuiſſe, ut agrorum pretia plurimum intenderentur, & uſuræ trienti ſive trientali vix locus eſſet. ſic debent accipi hæc illius verba, in quibus cæcutiunt interpretes : *Τοσοῦτον τὸ πλῆθος τῶν χρημάτων διὰ πάσης ὁμοίως τῆς πόλεως ἐχώρησεν, ὥστε τὰ μὲν κτήματα ἐπιτιμηθῆναι· τὰ δὲ δανείσματα ἀγαπητῶς, ἐπὶ δραχμῇ πρότερον ὄντα, τότε ἐπὶ τριτημορίῳ αὐτῆς γενέσθαι.* Cæterum Tranquilli vocem *plurimum*, qua certi nihil definitur (& revera nihil poteſt definiri) circumſcribit Paulus Oroſius, cujus ſunt verba : *Roma in tantum opibus Alexandriæ aucta eſt, ut propter abundantiam pecuniarum duplicia quam uſque ad id fuerant, poſſeſſionum aliarumque rerum venalium pretia ſtatuerentur.*

Varior.

41. *In foro circove.*] Cod. Salmaſ. *circave.*

Torrent.

41. *Senatorum cenſum.*] Inſignis de cenſu ſenatorio locus, ſed qui Lipſio viſus parum firmus Elector. II. cap. XVII. ex Dione lib. LIV. ubi duobus in locis XXV. myriadum cenſum hunc fuiſſe tradit, hoc eſt, (ut in vita Antonii teſtatur Plutarch.) quod Romani dicunt, decies HS. At noſter duodecies edit. Ego tamen cum Budæo, a Tranquilli ſumma non recedo. nihil enim de cenſu hoc Plutarch. loco quem diximus, & Dion non ſatis rem explicat. Ac fieri potuit, ut Auguſtus plus una vice eum ampliaverit. Juvenalis certe tempore triplo majorem fuiſſe conſtat ex his verſibus pulcherrimis Sat. XIV.

> - - -*menſura tamen quæ*
> *Sufficiat cenſus, ſi quis me conſulat, edam.*

Et poſt paullum :

> - - -*effice ſummam*
> *Bis ſeptem ordinibus quam lex dignatur Othonis.*
> *Hoc quoque ſi rugam trahit, extenditque labellum,*
> *Sume duos Equites, fac tertia quadringenta.*

En ſolidum tibi duodecies. Et niſi ad cenſum referas ſenatorium, perit ſua poëtæ gratia.

Tricenos, non nunquam ducenos quinquagenosque.] Liber Ferrarienſ. quem ſequor, *trecenos, nonnunquam ducenos quinquagenos.* Alioquin ſumma nimis fuiſſet exigua. Quanquam Quinctilian. lib. VI. refert, Fabium Maximum ea quæ donabat Auguſtus, heminaria, non congiaria vocare ſolitum, ob exiguitatem ſcilicet, quod heminæ potius quam congii menſura darentur. Vide Caſ. cap XXXVIII.

Ne minores quidem pueros.] Sic Trajanum prolixe laudat Plinius, quod ad congiaria ſua infantes quoque admitteret.

Casaubon.

Iis qui cavere in duplum poſſent.] Explicat hunc locum Juriſconſultiſſimus Cujacius Obſerv. lib. V. cap. XXXVIII.

Ac pro octingentorum millium ſumma duodecies HS. taxavit.] Conſtans hæc lectio eſt omnium librorum. Dio libro LIV. in utraque ſumma diſſentit. Priore, quam facit *δέκα μυριάδων.* ea ſunt HS. quadringenta millia. Poſteriore, quam ait fuiſſe *πέντε καὶ εἴκοσι μυριάδων*, hoc eſt, decies HS. In promptu ſunt doctiſſimorum virorum ſuper hac tanta, in re tanti momenti, diverſitate ſententiæ non minus diverſæ: dum alii Græco ſcriptori rerum Romanarum imperitiam *ἀποτόμως* objiciunt : alii verecundius culpam in librarios declinant, & in Suetonio legunt *decies.* Ego adhuc *ἐπέχω.*

Nonnunquam ducenos, quinquagenosque.] Non placet lectio, quam proferunt quidam *ducenos quinquagenos.* Primum quia aliter optimi codd. deinde quia nihil in noſtra lectione abſurdi, quod inconſultius quidam pronuntiarunt : nam ſi Auguſtus amicis ſuis (diſerte notat Quintilianus) congiaria tam exigua dedit, ut ea ipſi vocarent heminaria, non congiaria; cur dubitemus in tanta largitionum frequentia plebeculæ illi prope infinitæ viritim dediſſe aliquando nummos quinquagenos. Vide vero lapidem Ancyranum.

Varior.

Senatorum cenſum ampliavit, ac pro octingentorum millium ſumma duodecies HS. *taxavit, ſupplevitque non habentibus.*] Dio, *Ἐκ δὲ τούτων,* inquit, *ἐξέτασις αὖθις τῶν βουλευτῶν ἐγένετο· ἐπειδὴ γὰρ τὸ μὲν πρῶτον δέκα μυριάδων τὸ τίμημα αὐτοῖς ὥριστο διὰ τὸ συχνοὺς τῶν πατρῴων ὑπὸ τῶν πολέμων ἐστερῆσθαι· προϊόντος δὲ τοῦ χρόνου καὶ τῶν ἀνθρώπων περιουσίας κτωμένων ἐς πέντε καὶ εἴκοσι προήχθη, οὐκέτι οὐδεὶς ἐθελοντὴς βουλεύσων εὑρίσκετο.* En clare adfirmat de myriadibus viginti quinque (ita computatio Græca eſt) atqui eæ ſane Latinis legitimum illud decies efficiunt, non duodecies, quod in Tranquilli libris. Plutarchum audi in M. Antonio, pro te ſummas has æquante. Τὰς, inquit, *πέντε καὶ εἴκοσι μυριάδας οἱ Ῥωμαῖοι δέκιες καλοῦσι. vigintique myriadas Romani decies appellant & efferunt.* Igitur aut Dio

in

pueros præteriit, quamvis nonniſi ab undecimo ætatis anno accipere conſueſſent.
Frumentum quoque in annonæ difficultatibus ſæpe leviſſimo, interdum nullo pretio,
viritim admenſus eſt, teſſeraſque numarias duplicavit. Sed ut ſalubrem magis quam am- 42
bitioſum principem ſcires, querentem de inopia & caritate vini populum, ſeveriſſima
coercuit voce: *Satis proviſum a genero ſuo Agrippa, perductis pluribus aquis, ne homines ſitirent.* Eidem populo promiſſum quidem congiarium repoſcenti, *Bonæ ſe fidei eſſe reſpondit:* non promiſſum autem flagitanti, turpitudinem & impudentiam edicto exprobravit: affirmavitque, non daturum ſe, quamvis dare deſtinarat. Nec minore gravitate atque conſtantia, cum propoſito congiario multos manumiſſos, inſertoſque civium numero, comperiſſet, negavit accepturos quibus promiſſum non eſſet: cæteriſque minus quam promiſerat, dedit, ut deſtinata ſumma ſufficeret. Magna vero quondam

in hac tota re turpiter falſus, aut ſcriptura in Suetonio, quod magis cenſeam, ſcribamque *decies.* Nam quod idem Dio diſſentit etiam de quadringentis (in Suetonio enim duplo numero legis, octingenta antea fuiſſe) non moveor: aſpexit enim mutationem poſt bella civica ab eodem Auguſto factam, ſed leviter nec in longum. Itaque ſubterhabuit eam Suetonius, quaſi nec fuiſſet. Haud aliter concilio. Lipsius.

Torrent.

Teſſeraſque nummarias.] *Teſſeras frumentarias, olearias, & cœnarias* quoque legiſſe memini, quas reddentibus frumentum, oleum, aut cœna præberetur. Sic igitur & *nummarias* interpretor, quibus allatis promiſſi pro congiario nummi præſtarentur. Quas Auguſtus nonnunquam duplicavit. Atque ita intelligo Juvenal. locum:

Summula ne pereat, qua vilis teſſera venit.

teſſera enim nummis redimebatur ab eo, qui congiarium dabat.

42. *Severiſſima coercuit voce.*] Tres libri *oratione*, haud dubie melius. ſolebat enim Auguſtus non ſolum orationes, ſed & libros totos in ſenatu recitare, vel populo per edictum notos facere. Inf. cap. lxxxix. Simile autem, quod de Peſcennio Nigro tradit Spartianus. cum enim milites limitanei Ægypti vinum peterent, reſpondit, Nilum habetis, & vinum quæritis?

Eidem populo.] Verbum *populo* ex gloſſematio irrepſit.

Casaubon.

42. *Severiſſima coercuit voce.*] Mss. *voce* pr. ed. & aliæ quædam *oratione*: quod non male interpreteris de edicto, quo Auguſtus populum increpuerit, ut ſolitum fieri a Principibus. Dio alteram lectionem potius confirmat.

Populo promiſſum congiarium repoſcenti.] Inſolens factum & præter conſuetudinem. Cicero: *Munus flagitare, quamvis quis oſtenderit, ne populus quidem ſolet niſi concitatus.*

Quamvis dare deſtinarat.] Mss. *deſtinaret.* hoc eſt, quamvis in dandi voluntate nihilominus maneret.

Multos manumiſſos inſertosque civium numero.] Non ſtatim ut aliquis manumiſſus erat, ad congiarium aliaſve liberalitates admittebatur; ſed in tribum prius deſcribi oportuit. Benigniores patroni quos manu emiſerant, iis tribum ſtatim emebant, aut ſi teſtamento libertas daretur, emi mandabant, ut ſcriptum eſt in lege xxxv. Dig. de legat. iii. emtionem tribus ſignificat illis verbis Suetonius, *inſertos civium numero.* Referri etiam poteſt ad eos, qui ſuis ſibi pecuniis libertatem redimebant, aut ad gratos alias ſuis heris: nam & hi & illi videntur de induſtria appetente congiarii die fuiſſe liberati. Similis fraus notata Dioni lib. xix. in Pompejana diviſione frumenti. ait enim πολλὺς πρὸς τὰς ἀπ᾽ ἀυτῦ ἐλπίδας ἐλευθερωθῆναι. Sed verum eſt occaſionem hujus emendationis præbuiſſe Auguſto illiberalem lucelli cupiditatem, quæ multos temporibus illis impellebat, ut ſervos ſuos nullo diſcrimine manumitterent. Hi in tribus diviſi, ad frumentationem, congiaria, & id genus alia legitimorum civium commoda admittebantur: ac mox ad patronos ſuos omnia deferebant. Non tunc primum Romanorum moribus ea macula adhærere cœpit. Dionyſ. Hal. multos ſua ætate libertate donatos queritur: ἵνα τὸν δημοσίως διδόμενον σῖτον λαμβάνοντες κατὰ μῆνα, καὶ ἔιτις ἄλλη παρὰ τῶν ἡγυμένων γίγνοιτο φιλανθρωπία, φέρωσι τοῖς δεδωκόσι τὴν ἐλευθερίαν. *Ut frumentum publice dari ſolitum, ſingulis menſibus accipientes, aut ſi qua alia largitio a principibus vel magiſtratibus fuerit celebrata, auctoribus libertatis ſuæ id ſtatim afferant.* locus eſt libro iv.

Magna vero quondam ſterilitate ac difficili remedio.] Euſebius in Chronico ad numerum mmxxii. *Fames Romæ ita ingens facta, ut quinque modii venderentur denariis* xxvii *ſemis.* nam hæc verba ad hunc Suetonii locum pertinere, obſervat ibi doctiſſimus Scaliger.

Tor-

quondam ſterilitate, ac difficili remedio, cum venalitias & laniſtarum familias, peregrinoſque omnes, exceptis medicis & præceptoribus, partemque ſervitiorum, urbe expuliſſet: ut tandum annona convaluit, *impetum ſe cepiſſe* ſcribit, *frumentationes publicas in perpetuum abolendi, quod earum fiducia cultura agrorum ceſſaret: neque tamen perſeveraſſe, quia certum haberet, poſſe per ambitionem quandoque reſtitui.* Atque

TORRENT.

Vænalitias, ac laniſtarum familias.] *Familiam* vocant JCti, plures ſimul perſonas ſub unius poteſtate, & quidem ſervos fere. Qui ſi publici ſint, quales qui ædilibus aderant, ut aquarum curatoribus, *familia publica* dicitur. Alioqui *urbana*, & *ruſtica*. *Laniſtarum* ergo *familia* vocantur hi, qui ad ferrum atque arenam parati ſunt: *vænalitia* mangonum eſt, ipſi nempe vænales. quanquam enim *vænalia* multa ſunt, *vænalium* tamen nomine, ut Quinctilian. tradidit lib. VIII. cap. II. peculiariter ſervi dicuntur, maxime novitii. Quos & veteratoribus opponunt l. XXVII. & l. ult. de Ædilitio edicto. Horat. Sat. I.

- - - ut ſi
Reticulum panis vænales inter onuſto
Forte vehas humero.

Cic. pro domo: *Ille novitius Ligur vænalis, aſſcriptor, & ſubſcriptor tuus.* Plin. Epiſt. XXI. lib. I. *Credo decentes eſſe ſervos, qui mihi ſunt empti conſilio tuo; ſupereſt ut frugi ſint, quod de vænalibus melius auribus quam oculis judicatur.* Hinc ergo *vænalitius*, non tantum adjective, ut dicunt Grammatici, ut cum *familiam*, aut *gregem vænalitium* dicimus, ſed pro ipſo mangone. Sueton. lib. de Claris Rhetor. *Vænalitii cum Brundiſii gregem vænalium navi educerent.* Cicero fragmento orationis Cornelianæ, quod in oratore ad Brutum nunc legitur, atque exſtat etiam apud Nonium, & Quinctilianum: *Neque me divitiæ movent, quibus omnes Africanos, & Lælios multi vænalitii, mercatoresque ſuperarunt.* Quo tamen loco Dionyſius Lambinus *vænalitiarii* legendum exiſtimat. nam *vænalitiarii* (inquit) mangones ſunt, *vænalitii* ſervi ipſi vænales. Sed errat, & quidem inſigniter. nam ſi in illis verbis vel ſyllabam immutes, quod ipſe affirmat Cicero, minus concinna, & numeroſa erit oratio. Et *vænalitiarios* quidem vocari a JCtis noſtris mangones ipſos non diffiteor, ſed *vænalitios* abſolute pro ſervis accipi, conſtanter nego. Veteres certe non ita uſi ſunt. Et ut Suetonii, quem aſſcripſi, locum omittam, major profecto Quinctiliani & Nonii, quam Lambini eſſe debet auctoritas. *Vænalitia* ſane pro vænalibus, ut *ſervitia* pro ſervis, Ulpian. dixit l. V. De jure deliberandi, & *e vænalitio novitiorum emere* Venulejus l. ult. de Ædilit. edicto, pro ex corpore ſeu grege vænalium. Sed hoc nihil Lambinum adjuvat. Egregie autem Cicero *vænalitiis* mercatores adjungit. nam, ut l. CCVII. de Verborum ſignif. Africanus tradidit, mercis appellatione homines non continentur. Eamque ob rem mangones, non mercatores, ſed *vænalitiarii* appellantur. *Vænalitiarios* igitur vocant J. C. quos alii *vænalitios*. *Vænalitiam* tamen *vitam exercere* dixit Ulpian. l. LXXIII. de Legat. & fideicom. lib. III.

Frumentationes.] *Frumentari*, unde *frumentator*, & *frumentatio*, caſtrenſe verbum eſt. Sueton. pro annona populo diſtributa paſſim utitur.

Cultura agrorum ceſſarat.] Libri MSS. *ceſſerat*, nec diſplicet. Nihil muto tamen. Verum ut hujus loci ſententiam melius explicemus, lectorem obiter monebimus, conſueviſſe Romanos vectigalia ſua publicanis, qui fere ex equeſtri erant ordine, per cenſores elocare. Qui ſi frumenti decumam conduxiſſent, *decumani*; ſi portoria, *portitores*; ſi paſcua, *pecuarii* dicebantur. Et ea omnia, quoniam res immenſa erat, aut per familias ſuas exercebant, aut aliis porro civibus concedebant. Qui & *aratores*, & *coloni*, & *agricolæ*, & *paſtores* ſæpe a Cicerone, atque aliis appellantur; non quod ipſi vel ararent, vel paſcerent, ſed quod obſtricti publicanis circa eadem negotia verſabantur, eo utiliores reipubl. quo in opere quiſque ſuo diligentius negotiabantur. Sed quia res magni laboris erat, & incertum ſæpe lucrum, cum de honoribus contendentium ambitione, ac virorum principum largitione annona publica, quam *frumentationem* vocat Sueton. cotidie creſceret, multi eo confiſi beneficio, nec labore quærendum rati quod otioſis quoque de publico præſtabatur, agrorum culturam negligebant. Auguſtus vero rem ſic temperavit, ut & plebi urbanæ ſatisfieret, & negotiantium quoque ratio haberetur. *Negotiantium* autem verbo omnes quos diximus, continentur, *aratorum* non ita. Hinc *arationes*, & *aratiunculæ* apud Plautum Trucul.

CASAUBON.

Vænalitias & laniſtarum familias.] Dio, τοὺς τε μονομαχοῦντας καὶ τὰ ἀνδράποδα τὰ ὤνια.

Urbe expuliſſet.] Ultra centeſimum lapidem.

Impetum ſe cepiſſe ſcribit, frumentationes publicas in perpetuum abolendi.] Phraſis Suetonii, ut in Caligula: *Expeditionis Germanicæ impetum cepit.* in Othone: *Impetum cepit moriendi.* Seneca ad Helviam: *Sæpe jam mater optima impetum cepi conſolandi te.*

Atque ita poſt, hanc rem temperavit, ut non minorem aratorum ac negotiantium quam populi rationem deduceret. Spectaculorum & aſſiduitate, & varietate, atque magnificen- 43
tia, omnes anteceſſit. Feciſſe ludos ſe ait ſuo nomine quater : pro aliis magiſtratibus, qui

TORRENT.

Populi rationem deduceret.] Liber unus, *duceret.* quod interpretes ſequi videntur.

43. *Suo nom. quater.*] Non immerito diſplicet Lipſio Elector. II. cap. XVII. hoc tantum *quater.* quomodo enim non ſæpius, ter decies conſul? Ut aliæ omittantur occaſiones, quibus more ac lege ludos dare cogebatur. Itaque legendum putat *quater & vicies*, repetita hac dictione ex linea ſequente, vel etiam *quadragies.* Ego non auſim tam liberalis eſſe. nec quiſquam (puto) qui quæ de Auguſti conſulatibus ſcribit Tranquill. cap. XXVI. penitius expenderit, quam varie ſcilicet, quantoque intervallo, plerumque abſens, nec toto anno eos geſſerit. Adde, quod ambitioſus cum eſſet, videri tamen noluit, alienæ prætextu gloriæ quærens ac ſtabiliens ſuam. Neque a conſulibus munera, ac ludi flagitabantur, ſed a quæſtoribus, ædilibuſque. At Auguſtus a conſulatu per vim pæne contra leges incepit.

CASAUBON.

Atque ita poſt hanc rem temperavit.] Placet magis, quod in aliis exſtat, ut in edit. Rob. Steph. *Atque ita poſthac rem temperavit.*

Ut non minorem aratorum ac negotiantium quam populi rationem deduceret.] Nove dictum, ut alia multa in Suet. *rationem deducere*, pro habere, ducere. Compoſitum loco ſimplicis, ut apud Columell. *deputare vites* pro putare, & lib. ſuperiore *rebus decedentibus* pro cedentibus. Mox *crus effregerat*, pro fregerat; quod tamen in membranis reperi, non compoſitum. hic quoque *duceret*, non *deduceret* habetur in quibuſdam libris cap. XLIII. *tenſas deducere* pro ducere. ſenſus eſt, Auguſtum in diviſione frumenti non minus aratorum ac negotiantium commodis conſuluiſſe, quam plebis otioſæ, quæ in urbe morabatur. Populum appellat, ut ſæpe alibi, plebem quæ Romæ frumento publico alebatur. hæc fere otioſorum hominum fuit, & magna ex parte functorum militia : cives enim Romani artes βαναύσȣς plerique a ſe ſpernebant, & ſolis ſervis dignas judicabant, ipſi bellis vacabant : unde peractis ſtipendiis egeni plerumque quod ſupererat vitæ, degebant. Quod ut caveret Auguſtus, commoda miſſionum & militiæ tempora definiit, *ne aut ætate aut inopia poſt miſſionem ſollicitari ad res novas poſſent.* ut eſt infra ſcriptum. Hæc vel præcipua olim cauſſa excogitandarum legum Agrariarum : ita enim exhauriebatur famelica illa multitudo, vere ſentina urbis. Alterum mali remedium fuit, publica frumenti largitio. Sed præclarum hoc inſtitutum ſecuta ſunt non levia incommoda. Plerique enim de plebe in re facienda omiſſiores παρὰ τȣ̃το facti ſunt, neglectum negotiandi ſtudium, ſpreta agrorum cura & ſervis vinctiſque commiſſa. ex quo illa Livii gravis querela libro ſexto : *Olim multitudinem innumerabilem liberorum capitum in eis fuiſſe locis, quæ nunc vix ſeminario exiguo militum relicto, ſervitia Romana ab ſolitudine vindicant.* vide etiam Appianum libro primo de Bellis civilibus. Hæc ratio eſt, cur Auguſtus & tollendi primo omnem frumentationem ceperit impetum : & cum poſtea e re non fore id judicaſſet, κατὰ δεύτερον πλȣ̃ν, quod ajunt, ut vulgi ſocordiam excitaret, ad frumentationem non minus eos admiſerit qui agros colerent & mercimonia exercerent, quam pauperes illos urbicos, qui ſoli, ut videtur, ante Auguſtum publico frumento ali ſoliti. Negotiantes ſunt, non quos putat Torrentius; ſed quicunque aliquam negotiationem exercerent, cujuſmodi erant centonaria, ſagaria, lignaria, carbonaria, cœnacularia, & ſimiles his aliæ in veterum libris & antiquis lapidibus nominatæ. Hi ſunt qui Imperatoribus in Codice dicuntur *negotium gerere*, vel *in negotiis pecuniam tractare*, aut *mercimonia agitare.*

43. *Feciſſe ludos ſe ait.*] In breviario, ni fallor, rerum ſuarum.

Suo nomine quater.] Mihi quoque ſuſpectus hic numerus, etſi omnium libb. conſenſu confirmatus: & quod majus eſt, inter legendum Dionis hiſtoriam, ludos ab Auguſto ſuo nomine editos non adeo multos obſervare viſus ſum. nam alii potius ejus nomine edebant. Sed verius eſt, repetendum ex ſequenti periodo verbum *vicies.* quæ βραχυλογία Græcis Latiniſque uſitata eſt : verum ita fere, ut major numerus in priore commate poſitus etiam ſequenti ſerviat, contra quam hic fit. Plinius lib. XVIII. *In Tranſpadana Italia ſcio vicenas quinas libras farris modios pendere, circa Cluſium & ſenas.* Repete *vicenas.* Ariſtoteles in libello de Miraculis auditis : Τὸ δ' ἐν τῇ Λιπάρᾳ ποτὲ καὶ ἐκλείπειν φησὶ Ξενοφάνης ἔτει ἑκκαιδεκάτῳ, τῷ δ' ἑβδόμῳ ἐπανελθεῖν. *ſeptimo* id eſt, decimo ſeptimo. Sive igitur quater ſuo nomine ludos Auguſtus edidit, ſive, quod potius puto, ſæpius, nihil hic mutandum cenſemus.

VARIOR.

Deduceret.] Miror, cur magnus interpres hoc obſervet nove dictum. Nam & ante ſic Manilius libro III.

Sic erit ad ſummam ratio deducta priorem.

Imperator in §. XXIII. de Action. *In qua actione earum*

qui aut abeſſent, aut non ſufficerent, ter & vicies. Fecitque nonnunquam vicatim, ac pluribus ſcenis per omnium linguarum hiſtriones : non in Foro modo, nec Amphitheatro, ſed in Circo & in Septis, & aliquando nihil præter venationem edidit : Athletas exſtructis in campo Martio ſedilibus ligneis : item navale prælium circa Tiberim cavato ſolo : in quo nunc Cæſarum nemus eſt. Quibus diebus cuſtodes in urbe diſpoſuit, ne raritate remanentium graſſatoribus obnoxia eſſet. In circo aurigas curſoreſque & confectores ferarum, & nonnunquam ex nobiliſſima juventute, produxit. Sed & Trojæ ludum edidit frequentiſſime, majorum minorumve puerorum delectu : priſci decorique moris exiſtimans, claræ ſtirpis indolem ſic noteſcere. In hoc ludicro C. Nonium Aſprenatem lapſu debilitatum, aureo torque donavit : paſſuſque eſt ipſum poſteroſque Torquati ferre cognomen. Mox finem fecit talia edendi, Aſinio Pollione oratore graviter invidioſeque in curia queſto Æſernini nepotis ſui caſum, qui & ipſe crus effregerat. Ad ſcenicas quoque & gladiatorias operas, etiam equitibus Romanis aliquando uſus eſt : verum prius quam ſenatuſconſulto interdiceretur. Poſtea nihil ſane, præter-

earum etiam rerum, quas fugiendo ſervus abſtulerit, æſtimatio deducitur. Id eſt, fit vel ducitur. Nempe compoſitum pro ſimplici *ducere* accipiunt. Quod verbum Arithmetices & ratiocinii proprium. Proſper de promiſſ. & prædict. *Ter enim quadragies ducta centum viginti faciunt.* Hinc illa tralatio in phraſi ſane frequenti, *rationem ducere.* Et alias *deducere* quid ſit in ratiociniis, notum ex formula, *Sine deductione.* Ex his credo patet, quomodo phraſibus illis, quibus domicilium proprium in ratiociniis, migrationes in alienum multæ contingant. Gronovius.

Torrent.

Sed in Circo & in Septis.] Libri mss. mire variant. Omnium optimus ſic : *ſed & in Circo. In Septis nihil unquam præter venationes edidit, athletaſque, exſtructis*, &c. Notum autem theatra proprie ludis ſcenicis dedicata fuiſſe, quos Auguſtus in foro quoque, & amphitheatro, & circo edidit. Similis locus Calig. cap. xviii.

Et nonnunquam ex nobiliſſ.] Mallem abeſſe &.

Magnorum minorumve.] Lego, ut in vetuſtiſſimo codice, *majorum minorumque.* ſic enim Cæſ. cap. xxxix. & Tib. cap. vi. Mallem etiam *frequentiſſimo* pro *frequentiſſime*, modo libri ſuffragarentur.

Indolem ſic noteſcere.] Duo libri *eniteſcere.* quod probo.

C. Nonium Aſprenatem.] Libri mss. *Nonium Aſpr.* ſine prænomine, unus vero *Sex.* pro *C.* Inf. cap. lvi. *Cum Aſprenas Nonius arctius ei junctus*, &c.

Æſernini nepotis ſui.] Æſernini nepotis Aſinii Pollionis meminit Seneca iv. Declam. & in Controverſiis. Vitam ejus incorruptam, & facundiam laudat Tacit. Annal. xi.

Casaubon.

Athletas exſtructis in campo Martio ſedilibus ligneis.] Factum ſexto Auguſti conſulatu. Dio : *Καὶ γυμνικὸς δὲ τότε ἀγὼν, σταδίου τινὸς ἐν τῷ Ἀρείῳ πεδίῳ ξυλίνου κατασκευασθέντος, ἐποιήθη.* Ex collatione horum locorum apparet, quæ fuerit ſtadiorum Græciæ forma.

Tiberim cavato ſolo, in quo nunc Cæſarum nemus eſt.] Eadem verba in breviario Ancyrano, unde ſumſit Suetonius. quod moneo, ne quis *τὸ nunc* reſtringat ad tempora auctoris. Tacitus Annal. lib. xii. *Lacu in ipſo navale prælium adornatur, ut quondam Auguſtus ſtructo cis Tiberim ſtagno, ſed levibus navigiis & minore copia ediderat.* Frontinus de aqua Alſietina loquens : *Auguſtus, cum opus naumachiæ aggrederetur, ne quid ſalubrioribus aquis detraheret, hanc proprio opere perduxit : & quod naumachiæ cœperat ſupereſſe, hortis ſubjacentibus & privatorum uſibus ad irrigandum conceſſit.*

Aureo torque donavit.] In ſolatium debilitatis honos hic eximius Nonio habitus : nam cæteri pueri qui Trojam luſerant, galeis, haſtilibus, talibuſque ſolum præmiis affecti. Bæbius Macer : *Cæſar Auguſtus pueris qui luſere [illegible] Trojam, donavit galeas & bina haſtilia.* Virgilius libro quinto obiter ad hanc hiſtoriam alluſit : ut alibi paſſim ad Julii Cæſaris & Auguſti res geſtas.

Qui & ipſe crus effregerat.] Memmianus & quidam alii *crus fregerat*, idque melius. initio libelli de Grammaticis : *Quum in regione palatii prolapſus in cloacæ foramen, crus fregiſſet.*

Ad ſcenicas quoque & gladiatorias operas.] De ſcenicis reperio notatum a Dione ludis Marcelli lib. liii. de gladiatoriis lib. lvi.

Senatuſconſulto interdiceretur.] Auctorem hujus rei facit Auguſtum hiſtoria Dionis lib. liv. initio.

Tor-

præterquam adoleſcentulum Lucium honeſte natum, exhibuit: tantum ut oſtenderet, quod erat bipedali minor, librarum ſeptemdecim, ac vocis immenſæ. Quodam autem muneris die, Parthorum obſides tunc primum miſſos, per arenam mediam ad ſpectaculum induxit: ſuperque ſe ſubſellio ſecundo collocavit. Solebat etiam citra ſpectaculorum dies,

TORRENT.

Adoleſcentulum Lucium.] Certum eſt ſubeſſe mendum. Duo codd. habent *Lytium*, unus *Licitum*, optimus *Litium*. Scribo igitur *L. Itium.* Itia enim gens Romana, ut ex nummo veteri videre licet, quem apud me ſervo. Apud Horatium quoque, tam in Odis quam Epiſtolis, male Ictius pro Itius ſcribitur.



Iti, beatis nunc Arabum
invides Gazis.

Et:

Fluctibus Agrippæ Siculis
quos colligis, Iti.

Simile, ut ſuſpicor, mendum in Macrobio lib. Saturn. II. cap. IV. *Lucius, gravis tragœdiarum ſcriptor.* Eſt & C. Ictius apud Plin. inter auctores libri XXXVI. pro C. Itius, ut arbitror. Non male igitur, qui lib. V. de bello Gallico *portum Itium* pro *Iccio* reſtituunt.

Bipedali minor.] Ad hunc Auguſti nanum videri poteſt reſpexiſſe Horat. lib. II. Sat. III.

Ædificas, hoc eſt, longos imitaris, ab imo
Ad ſummum moduli bipedalis.

Plinius quoque lib. VII. cap. XVI. ex Varrone Manium Maximum & M. Tullium equites Rom. binûm cubitorum fuiſſe auctor eſt.

Superque ſe ſubſellio ſecundo collocavit.] Interpretes ſecundo ſupra Auguſtum cuneo ſediſſe intelligunt, ego eodem quidem cuneo, ſed ſecundo a latere ſedili collocatos fuiſſe arbitror, ut ad illum Horatii locum notaſſe me memini lib. II. Sat. VIII.

Nomentanus erat ſuper ipſum, Porcius infra.

ſic enim cap. proximo *primus ſubſelliorum ordo* pro primo cuneo, & Plautus Prol. Amphit. *Ut conquiſitores ſingula in ſubſellia Eant per totam caveam.* ſubſellia enim pro cuneis dixiſſe videtur.

CASAUBON.

Adoleſcentulum Lucium.] Varias γραφὰς hujus loci annotavit Torrentius: ecce autem novam præter illas omnes ex cod. Viterb. *Adol. Hirtium.* Ego rectum puto *Lycium*, non *Lucium.* nam quæ hæc eſſet deſignatio ſolo prænomine? eſt vero nomen ἐθνικόν. neque aliter membranæ regiæ & Memmianus.

Bipedali minor librarum ſeptemdecim.] Mira levitas, nec pro illa ipſa magnitudine ejus corpuſculi. Uſitata ſtatura, ut alibi notamus, erat pedum fere ſex; pondus librarum Romanarum centum plus minus. Plaut. Aſin. *Nudus vinctus centum pondo es.*-locum vide. Hac proportione homo bipedalis alterum fere tantum pendere debuit: non igitur nanus ſolum hic fuit, ſed & monſtroſe gracilis ac levis: tertii miraculi loco vox ſtentorea in tantulo homuncione. De gracilitate ne nimis miremur, faciunt quæ Athenæus lib. XII. & Ælianus lib. X. Ποικίλης de Archeſtrato narrant. At quæ in Græcis epigrammatis lib. II. titulo. Εἰς λεπτοὺς leguntur, non ſolum poëtica, ſed pleraque inepta ſunt, paucis exceptis; cujuſmodi hoc Lucilii ſane venuſtiſſimum:

Ἐξ ἀτόμων Ἐπίκουρος ὅλον τὸν κόσμον ἔγραψεν
Εἶναι, τοῦτο δοκῶν, Ἄλκιμε, λεπτότατον.
Εἰ δὲ τότ' ἦν Διόφαντος, ἔγραψεν ἂν ἐκ Διοφάντου,
Τοῦ καὶ τῶν ἀτόμων πουλύ τι λεπτοτέρου.
Ἢ τὰ μὲν ἄλλ' ἔγραψε συνεστάναι ἐξ ἀτόμων ἄν,
Ἐκ τούτου δ' αὐτὰς, Ἄλκιμε, τὰς ἀτόμους.

Quæ obiter ita vertebamus:

Mundum omnem ex atomis Epicurus credidit ortum.
Cur? atomis credens nil magis exiguum.
Tunc, Diophante, fores: atque omnia de Diophanto
Orta forent, vincis qui brevitate atomos.
Aut ſi cuncta alia ex atomis conflata putaret:
Certe atomis ortum tu, Diophante, dares.

Per arenam mediam.] Ut ſpectarentur prius a populi corona. θεατρίζειν Græci hoc vocant: ac quia in ſupplicio afficiendis potiſſimum id fiebat, verbum alias μέσον in malam partem tantum cœpit accipi.

Superque ſe ſubſellio ſecundo locavit.] Orcheſtram ſedem ſenatorum in theatro Romano, (nam aliter in Græco) Suetonius *primum ſubſelliorum ordinem* vocat paullo poſt. Ea vero pluribus conſtitit ſubſelliis, ſed uni ordini dicatis. Id appellat auctor *ordinem ſubſelliorum*, item *ordines.* ſequitur ſtatim, *maritis e plebe proprios ordines aſſignavit.* id eſt, propria ſubſellia, ſive proprium ſubſelliorum ordinem. ſubſellium eſt ſedes ſive lignea ſive lapidea κύκλῳ τοῦ θεάτρου, in orbem extenſa. Græce ſubſellium ex Pauſania dixeris θρόνον συνεχῆ πολλὰς ἔχοντα καθέδρας. In Heronis mathematici libello, quem habemus Ms. ubi problemata quædam de theatris explicantur, βαθμοὶ & βαθμίδες τῶν θεάτρων appellantur. Scenæ & podio proximum ſubſellium, Principum & magiſtratuum: ſecundum & reliqua quibus conſtitit orcheſtra, ſenatorum. in primo ſedit Auguſtus: in ſecundo legatos collocavit. *ſuper ſe* ait Suetonius: quia ratio ſubſelliorum ea fuit, ut imo ſive primo ſecundum eſſet altius, ſecundo tertium & ſic deinceps.

Vel

dies, ſi quando quid inuſitatum dignumque cognitu advectum eſſet, id extra ordinem
quolibet loco publicare : ut rhinocerotem, apud Septa : tigrim, in ſcena : anguem
quinquaginta cubitorum, pro Comitio. Accidit votivis Circenſibus, ut correptus valetudi-
ne, lectica cubans, thenſas deduceret : rurſus commiſſione ludorum, quibus theatrum
Marcelli dedicabat, evenit, ut laxatis ſellæ curulis compagibus caderet ſupinus. Nepotum
quoque ſuorum munere, cum conſternatum ruinæ metu populum retinere, & con-
firmare nullo modo poſſet, tranſiit e loco ſuo, atque in ea parte conſedit, quæ ſuſpecta
44 maxime erat. Spectandi confuſiſſimum ac ſolutiſſimum morem correxit ordinavitque:
motus injuria ſenatoris, quem Puteolis per celeberrimos ludos conſeſſu frequenti nemo
receperat. Facto igitur decreto patrum, ut quoties quid ſpectaculi uſquam publice
ederetur, primus ſubſelliorum ordo vacaret ſenatoribus : Romæ legatos liberarum ſocia-
rumque gentium vetuit in orcheſtra conſidere : cum quoſdam etiam libertini generis
mitti

Vel ſimpliciter accipe *ſuper ſe* pro pone ſe & *ὑπὲρ νῶτον*. Alio ſenſu in triclinio dicitur aliquis alium ſuper ſe collocare, quando in eodem ſcamno ambo ſedent, aut in eodem lecto diſcumbunt, ut in XIV. Annal. Taciti. Quid hoc loco planius? Interpretes tamen omnes mire turbant, aliud nihil.

Torrent.

Laxatis ſell. cur. compag.] Non diſplicet quidem, ſed nec *luxatis* male reſcribetur, ſi cui libido ita legere. Inf. Ner. cap. XXXIV.

44. *Quoties quid ſpectandum.*] Tres libri *quoties quid ſpectaculi*, duo *quoties ſpectandi*, ſine *quid*. quod monitum lectorem volui.

Casaubon.

Quolibet loco publicare.] Ἐκτίθεσθαι vel *προτίθεσθαι εἰς ἐπίδειξιν*, & ut loquitur ſtatim, ſpectandum publice edere. Ex eo more eſt, quod notat Solinus de muliere tricies enixa, a Pompejo publicata cum xx liberis: quodque Tacitus libro XII. Annal. de Mithridate Armeniæ rege captivo : *Roſtra juxta cuſtodibus circumdatus viſui populo prebetur.* quod idem poſtea de Caractaco narrat.

Laxatis ſellæ curulis compagibus.] Bene *laxatis*, non *luxatis*, ut quibuſdam viſum. Sella curulis quatuor lignis pluribuſve conſtabat incurvis, in modum fere literæ S productæ & minus curvatæ ab utraque parte. Hæc funibus ita compacta erat, ut aperiri claudique poſſet. in aperta ſedebatur ſuper loris & linteis. Martialis : *Recenſque ſella linteiſque loriſque.* meminit & Quintilianus alicubi. Lignorum formam egregie explicant Græci cum *δίφρον ἀγκυλόποδα* nominant, ut Plutarchus in Mario bis, & alibi, & ita in Gloſſario. Hujuſmodi ſellarum fabrica hodieque in uſu eſt. Similis autem artificii fuiſſe videntur illæ, quibus olim tanquam laqueis uſi qui alienæ vitæ inſidiabantur. Pauſanias in Atticis vocat *θρόνον ἀφανεῖς δεσμοὺς ἔχοντα*. Res hodie non incognita. Reperio & *σιδηρῶν καθέδρων* in cruciatibus Chriſtianorum uſurpatam. Euſebius Hiſtoriarum lib. quinto.

44. *Ut quoties quid ſpectandum uſquam publice ederetur.*] Spectacula olim edebantur in Urbe, Italia & in provinciis: & in Urbe quidem, alia in theatro, alia in circo, alia in amphitheatro, quædam in foro aliiſque locis publicis. Quod ergo ait *uſpiam*, quomodo accipiemus? puto de Urbe, Italia, & provinciis intelligendum : id enim arguere manifeſto videtur, quod modo dictum eſt de occaſione facti decreti hujus, quæ Puteolis data fuit : & quod dicit, *quoties quid ſpectandum publice ederetur*, de theatro & ſcenicis gymniciſque ludis aut rebus admirandis quæ ſpectandæ proponebantur, maxime interpretor : nam ea ætate extra Romam raræ venationes, rari circenſes, ut pluribus alibi docemus. Nihil ergo Auguſti temporibus de circi, nihil de amphitheatri ſedibus decretum? de hoc quidem, quod ſciam, nihil : de ſeſſione in circo refert Dio lib. LV. anni Urbis DCCLVIII. cœpiſſe *χωρὶς μὲν τοὺς βουλευτάς, χωρὶς δὲ τοὺς ἱππεῖς ἀπὸ τοῦ λοιποῦ πλήθους* circenſes ſpectare : quod in Claudio & Nerone qui ſit intelligendum, dicemus. verum arbitror Suetonium hoc loco inſtitutum illud non reſpicere. Simile eſt, quod narrat Dio lib. LIII. de Polemone rege, ſocio pop. Rom. appellato : *Καὶ προεδρίαν*, inquit, *τοῖς βουλευταῖς ἐν πάσῃ τῇ ἀρχῇ αὐτοῦ ἐς πάντα τὰ θέατρα ἔδοσε.*

Varior.

Lectica cubans thenſas deduceret.] Thenſas deducere eſt pompam Circenſem in ludis ſolennibus ducere. quod qui faciebant, induti erant veſtitu triumphali, vehebanturque curru triumphali aurato; ideo hic tanquam inſolitum notatur a Suetonio, quod Auguſtus lectica cubans thenſas duxerit, ut erudite docet *χαριέστατος* Rubenius de Re Veſtiaria lib. I. cap. 21. quem vide.

mitti deprehendiſſet. Militem ſecrevit a populo. Maritis e plebe proprios ordines aſſignavit: prætextatis cuneum ſuum, & proximum pædagogis: ſanxitque, ne quis pullatorum media cavea ſederet. Fœminis ne gladiatores quidem, quos promiſcue ſpectari ſolenne olim erat, niſi ex ſuperiore loco ſpectare conceſſit. Solis virginibus Veſtalibus locum

Torrent.

Maritis e plebe.] Id honoris cauſa fecit Auguſtus, & fortaſſe ex lege Papia Poppæa, de qua ſup. c. XXXIII.

Ne quis pullatorum.] Libri duo *bullatorum.* Sup. vide cap. XL. Sed quare pullatos media cavea ſedere vetuit? Ut orcheſtra ſenatorum, & equeſtria equitum, ſic cavea, ſi Servio credimus in VIII. Æneid. populi ſeu plebis potius conſeſſus dicebatur. Et ea quidem ſic diſtincta, ut alii in prima, alii in media, alii in ſumma cavea conſidere dicerentur, idque pro ſpectatorum e populo vel dignitate, vel gratia. Auguſtus igitur non niſi in ſumma, ſive ultima cavea pullatos ſpectare permiſit. Hinc porro Senecæ locum intelligo lib. de Tranquill. vitæ cap. XI. *Mimicas* enim *ineptias, & verba ad ſummam caveam ſpectantia* appellat, quæ viliſſimæ tantum plebis ſumma cavea ſpectantis auribus conveniant. Plura ad Horat. Epiſt. I.

Ut propius ſpectes lacrymoſa poëmata Pupî.

Solenne olim erat.] Cic. ad Atticum lib. VII. *Tantum illud noſtrum ſolenne ſervemus, ut ne quem iſtuc euntem ſine litteris dimittamus.* Male igitur, qui legunt, *ſolenni die olim mos erat.* Plura ad Horat. Ep. I. *Inſanire putas ſolennia me.*

Casaubon.

Militem ſecrevit a populo.] Ad legis hujus ſimilitudinem excogitata illa a Junio Gallione, nobili adulatore, qui anno Urbis DCCLXXXV. *cenſuit,* inquit Tacitus ſexto Annal. 3. *ut prætoriani, actis ſtipendiis, jus apiſcerentur in quatuordecim ordinibus ſedendi.* quem virum increpans Tiberius, ait, *reperiſſe prorſus, quod divus Auguſtus non providerit.* Ubi non dubium, alludi ad hanc ordinationem Auguſti, quæ hic commemoratur.

Maritis e plebe proprios ordines.] Martialis:

Sedere in equitum an tibi liceat ſcamnis,
Videbo, Dindyme: non licet maritorum.

Olim hæc diſtinctio ignorabatur. poſt legem Papiam Poppæam multa, quæ ſenibus honoris cauſſa deferri ſolebant, ad maritos ſunt tranſlata. A. Gellius lib. II. cap. XV. & paſſim in hiſtoria.

Prætextatis cuneum ſuum & proprium pædagogis.] Scio, quid ſit cuneus in theatro, neque hanc lectionem improbo. tamen videtur Auguſtus facturus fuiſſe commodius, ſi ſcamnum ſuum prætextatis aſſignaſſet, & proximum pædagogis: ita potuiſſent illi mores diſcipulorum ſuorum obſervare, quod fuit ipſorum munus. ſed quia pædagogi ſervi fere erant, propterea ſeparatim illis ſuus cuneus aſſignatus. Cuneum theatri Græcus magiſter vertit φυλὴν θεάτρου, quia certis perſonis certi cunei ſoliti aſſignari. Quanta petulantia verſaretur in theatris, omnis Græca Latinaque hiſtoria loquitur: propterea qui ſeverius juventutem inſtituebant, a theatris arcebant. Julianus in Miſopogone: Ἐμὲ ὁ παιδαγωγὸς ἐδίδασκεν εἰς τὴν γῆν βλέπειν εἰς διδασκάλους φοιτῶντα, θέατρον οὐκ ἰδεῖν, πρὶν μᾶλλον κομῆσαι τῆς κεφαλῆς τὸ γένειον. negat ſibi per pædagogum licuiſſe prius theatris intereſſe, quam pilorum plus in mento quam in capite haberet. Cur ita loquatur, norunt qui ſciunt, quid ſit exoletum eſſe in nequitiis veterum. Sic autem ille locus emendandus: nam vulgo νομῆσαι ſcriptum eſt. neque dubito noſtram emendationem, C. Cantoclaro ejus libri interpreti, probatum iri, quæ eſt ampliſſimi illius & mihi amiciſſimi Viri in ſumma dignitate doctrina, candore & probitate admirabili condita. Porro lege trium Auguſtorum, qui ſtudiis liberalibus operam dant, non illi quidem theatris penitus arcentur, ſed tamen vetantur ſpectacula frequentius adire. exſtat lex in Cod. Theodoſiano, titulo VIII. Quando autem in theatrum veniebant prætextati, pædagogos ſuos habebant comites, ut hic dicitur. Theophraſtus in Charact. *Solet,* inquit, *ad ſpectandum* ἄγειν τοὺς υἱοὺς καὶ τὸν παιδαγωγόν. ſoliti etiam adeſſe educatores ſive τροφεῖς, quos cum pædagogis Julianus in Cæſaribus, & Juſtinianus in Inſtitut. conjungunt. Græci etiam βαιούλους vocant.

Fœminis ne gladiatores quidem.] Nedum ludos ſcenicos: quibus tamen & ipſis interfuiſſe jam olim fœminas conſtat, ſed non ſine eorum permiſſu, in quorum poteſtate erant. Valer. Max. VI. 3. 13. *Pub. Sempronius Sophus conjugem repudii nota affecit, nihil aliud quam ſe ignorante ludos auſam ſpectare.* Per leges Auguſti ad omnia ſpectacula Romani moris admiſſæ mulieres, ſed non promiſcue. Quod ſubjicit de athletis, non mirum: id enim ludicri genus Græcum fuit, non Romanum.

Niſi ex ſuperiore loco.] Neroni ὁ ἄνω βαθμός. Ea extrema cavea & ſedes pullatorum erat. Calpurnius:

Venimus ad ſedes, ubi pulla ſordida veſte
Inter fœmineas ſpectabat turba cathedras.

Ex his verſibus apparet, ſpectaſſe promiſcue plebem & fœminas. An ita inſtituit Auguſtus? videtur ex hoc loco poſſe colligi. Sed hoc quam alienum a gravitate & prudentia Auguſti? illene qui militibus, maritis e plebe, prætextatiſque ſuos cuneos aſſignavit, fœminis permiſerit cum ſordida plebe promiſcue ſpectare? nunquam putem. Lego igitur in Suetonio *ſpectare conceſſit ſolis. Virginibus Veſt.* ita duplici ratione pudori mulierum conſulitur: nam & in extremam caveam

locum ſeparatim, & contra prætoris tribunal, dedit. Athletarum vero ſpectaculo muliebrem ſexum omnem adeo ſubmovit, ut Pontificalibus ludis pugilum par poſtulatum diſtulerit in ſequentis diei matutinum tempus: edixeritque, *Mulieres ante horam quintam venire in theatrum non placere.* Ipſe Circenſes ex amicorum fere libertorumque cœnaculis ſpectabat, interdum e pulvinari, & quidem cum conjuge ac liberis ſedens. Spectaculo plurimas horas, aliquando totos dies aderat: petita venia, com-

caveam ſummotæ, pæne theatro ejectæ videri poterant; & ibi quoque ſolæ ſeorſim a viris collocatæ.

TORRENT.

Muliebrem ſexum omnem.] Turnebus Adverſar. XIV. cap. XV. *muliebre ſexus omne*, ex veteri, ut inquit, codice. Et ſane ſic locutos veteres tradunt Priſcianus & Cariſius.

45. *E pulvinari.*] Sabellico aſſentior, qui *pulvinar* locum fuiſſe vult, ad quem Circenſibus deferebantur ſacra. Feſtus: *Tenſam vocari ait Sinnius Capito vehiculum, quo exuviæ Deorum ludicris Circenſibus in circum ad pulvinar vehuntur.* Huc ſpectare videtur, quod ſup. cap. XLIII. dixit, *tenſas deducere*, nempe ad pulvinar. Qui locus obſcurus eſt. Aliquid Claud. cap. IV.

CASAUBON.

Contra prætoris tribunal.] Proxime ſcenam & podium; atque ut Prudentius ait, *podii meliore in parte ſedebant.* Vide amplius Tacitum lib. IV.

Athletarum vero ſpectaculo.] Infamis Nero contra, *ad athletarum ſpectaculum invitavit & virgines Veſtales.* lib. VI.

Muliebrem ſexum omnem.] Lectionem a Turnebo inventam & annotatam *muliebre ſexus omne*, inveni notatam in ſchedis Liſlæi: in libro optimo Turonenſi & Pithœi, *muliebre ſecus*, quam vocem pridem explicarunt viri doctiſſimi: ſed quæ huic loco non convenit.

Pontificalibus ludis.] Quos, ut videtur, edidit pontificatu maximo ſuſcepto.

Mulieres ante hor.] Ipſa ſunt edicti verba: MULIERES ANTE HORAM QUINTAM VENIRE IN THEATRUM NON PLACET. familiaris Principi illi ſermo: ſic in epiſtola ad Liviam de Claudio: *Spectare eum Circenſes ex pulvinari non placet nobis.*

45. *Ipſe Circenſes ex amicorum fere libertorumque cœnaculis ſpectabat.*] In Circo ſedes ſeparatas neque ſenatus ante Claudium, neque equites ante Neronem habuerunt: propterea ne Principi quidem certa ſedes fuiſſe videtur, utique Auguſti tempore naſcente adhuc imperio. Is igitur ut majeſtatis ſuæ rationem haberet, e pulvinari ſpectavit, hoc eſt, ex Circi loco, ubi ſimulacra deorum magna pompa inferri & circum metas geſtari ſolita, collocabantur. quæ pars Circi ea eſſet, mirum non explicaſſe Dionyſ. Hal. in eo ſermone: ſed dubium non eſt, quin ut in theatro honeſtiſſimus locus erat ad podium, ſic in Circo ad euripum, qui medium ſtadium cingebat. Auguſtus in epiſt. ad Liviam ſuper Claudio, *primam frontem ſpectaculorum* eum locum vocat: *Spectare eum Circenſes ex pulvinari non placet nobis: expoſitus enim in prima fronte ſpectaculorum conſpicietur.* Inde ſpectavit Auguſtus *ſedens*, ait Suetonius: non ut Nero poſtea accubans, ceu deus aliquis vivus inter ſimulacra mortua. Et, *cum uxore & liberis*, non inter imagines ipſas deorum. Interdum, ut Suetonius hic notat, ſolitus idem Princeps, invidiæ, ut arbitror, declinandæ cauſſa, non e pulvinari, ſed e cœnaculis amicorum aut libertorum eos ludos ſpectare. idem factitatum Tiberio docet Dio lib. LVII. Καὶ τοὺς γε τῶν ἵππων ἀγῶνας ἐξ οἰκίας καὶ αὐτὸς τῶν ἀπελευθέρων τινὸς πολλάκις ἑώρα. cum dicit καὶ αὐτὸς, innuit eis verbis idem ante ſe ſcripſiſſe de Auguſto: ſed locus hodie non exſtat. Cœnacula fuiſſe in ſupremis ædium partibus, imo, ut loquitur Livius lib. XXXIX. ſupra ædes, ex Martiale aliiſque notum. An autem ex cœnaculis Circo vicinarum domorum commode ſatis ſpectari Circenſes poterant? an iſta potius, de quibus ſentit Suetonius, in ipſo Circo erant? ſiquidem ſuper illa porticu, quæ ab exteriore Circi Romani parte adſtructa illi fuit, & officinæ & cœnacula erant: quæ ut arbitror CÆSS. ſoliti locare cœnaculariam facientibus: a quibus poſtea inquilini & qui ſine laribus erant. Dionyſ. Hal. lib. III. Ἐπὶ δὲ καὶ περὶ τὸν ἱππόδρομον ἔξωθεν ἑτέρα στοὰ μονόστεγος, ἐργαστήρια ἔχουσα ἐν αὐτῇ καὶ οἰκήσεις ὑπὲρ αὐτά.

Spectaculo plurimas horas, aliquando totos dies aderat.] Lego, membranis reclamantibus, *aberat.* ſcio Auguſtum ſpectaculis deditum vel fuiſſe, vel videri voluiſſe, ut hac civilitate gratior eſſet vulgo: ſed id profecto non eſt, quod his verbis Suetonius ſignificare voluit: quod manifeſtiſſime arguunt ſequentia. Poſtquam enim dixit auctor, unde ludos ſpectaret Auguſtus, commode ſubjicit, ſæpe ſolitum illum abeſſe alio ſubſtituto, qui vice ipſius præſideret. quod & Dio variis locis notat. deinde ſubdit, *verum quoties adeſſet.* quæ verba ita clare noſtram emendationem aſtruunt, ut mirer non ſolum interpretes, ſed & eruditiſſimum Lipſium, alioſque viros doctos, qui hunc locum tractarunt, mendum non animadvertiſſe.

commendatiſque qui ſuam vicem præſidendo fungerentur. Verum quoties adeſſet, nihil præterea agebat : ſeu vitandi rumoris cauſſa, quo patrem Cæſarem vulgo reprehenſum commemorabat, quod inter ſpectandum, epiſtolis, libelliſque legendis, ac reſcribendis vacaret : ſeu ſtudio ſpectandi, ac voluptate, qua teneri ſe neque diſſimulavit umquam, & ſæpe ingenue profeſſus eſt. Itaque corollaria & præmia alienis quoque muneribus ac ludis & crebra & grandia de ſuo offerebat : nullique Græco certamini interfuit, quo non pro merito certantium quemque honorarit. Spectavit autem ſtudioſiſſime pugiles, &

TORRENT.

Suam vicem fungerentur.] Duo codd. *ſua vice*, ſed nihil muto.

Patrem Cæſarem.] Idem de M. Antonino Capitolinus : *Fuit conſuetudo Marco, ut in Circenſium ſpectaculo legeret, audiretque, ac ſubſcriberet. Ex quo quidem ſæpe jocis popularibus dicitur laceſſitus.*

Græco certamini.] Non in Græcia, ut vult Beroaldus, ſed Romæ Græcorum more edito. qualia fere omnia ſcenica, muſica, gymnica, exceptis gladiatoribus. Quæ *Græca* vero vocat Sueton. etiam *ſacra* appellabantur. Vide Ulpianum l. IV. De his qui not. infamia.

CASAUBON.

Qui ſuam vicem præſidendo fungerentur.] In vita Galbæ, *A. C. Cæſare ludis ſubſtitutus poſtridie quam ad legiones venit.* Sed quam parum vulgo probaretur, ſi Princeps alium ſubſtitueret, qui ſuam vicem ludis præeſſet, declarat egregius Taciti locus lib. I. 76. quem libet adſcribere : *Edendis gladiatoribus quos Germanici fratris ac ſuo nomine obtulerat, Druſus præſedit, quanquam vili ſanguine nimis gaudens, quod vulgus formidoloſum & pater arguiſſe diceretur. Cur abſtinuerit ſpectaculo ipſe, varie trahebant : alii tædio cœtus, quidam triſtitia ingenii, & metu comparationis, quia Auguſtus comiter interfuiſſet.* Julianus quoque Miſopogone, parum ſe vulgo gratum fuiſſe indicat, quod ἐν ταῖς ἱπποδρομίαις διημερεύειν non ſoleret modo priorum Principum. Ideo Impp. in Codice aſſiduitatem in ſpectandis ludis, nominant *popularitatem*. lege II. Cod. Theodoſ. de Officio Rectoris prov. Contra eos, qui ſpectacula averſabantur, βαρεῖς vocabant, *triſtes & ſeveros*, ut ait Simplicius.

Nihil præterea agebat.] Hoc eſt, quod modo vocabat Tacitus, *comiter intereſſe*.

Epiſtolis libelliſque legendis ac reſcribendis vacaret.] More, qui etiam in ſenatu a patribus ſervatus : nam ibi & libros lectitare, quod de Catone eſt notiſſimum, & epiſtolas ſcribere ac reſcribere fuit nonnullorum conſuetudo, ut vel ex M. Tullii epiſtolis ſatis liquet.

Seu ſtudio ſpectandi, ac voluptate, qua teneri ſe.] Tacitus lib. I. 54. *Indulſerat ei ludicro Auguſtus, dum Mæcenati obtemperat, effuſo in amorem Bathylli; neque ipſe abhorrebat talibus ſtudiis, & civile rebatur miſceri voluptatibus vulgi.* quam vocat hoc loco Tacitus civilitatem, Græci συμπεριφοράν. ut cum Simplicius in Epictetum inter cauſſas quæ poſſunt ſapientem impellere, ut ludos aliquando ſpectatum veniat, hanc refert, τὴν πρὸς τοὺς πολλοὺς συμπεριφοράν. Βαρεῖς γάρ, inquit, φαίνονται ἀυτοῖς οἱ τὴν συνήθη διαγωγὴν ὑπερτρέχειν δοκοῦντες, *graves & odioſi vulgo habentur, qui vitæ communis conſuetudinem ſubterfugere videntur.*

Græco certamini.] Quod vel in Græcia celebraretur, aut Græcis Italiæ urbibus, ut Neapoli; vel Romæ, Græco more & per Græcos ſcenicos. Utro modo accipiat aliquis, non intereſt pili. quin illud prius, quod damnat adeo Torrentius, melius convenire menti Suetonii putem : nam hoc tantum probare vult, Auguſtum fuiſſe natura φιλοθεάμονα. Quis dubitat autem illum in peragranda Græcia, Aſia, aliiſque provinciis, ludis præſertim ſacris interfuiſſe, quoties occaſio eſſet?

Spectavit autem ſtudioſiſſime pugiles.] Quod apud Romanos gladiatores, id fere apud Græcos pugiles ſive πυκτομάχοι. In Hiſtoria Eccleſiaſt. fit aliquoties mentio damnatorum ἐις τὸ πυκμῆ μονομαχεῖν. ut in VIII. Euſebii.

VARIOR.

45. *Corollaria.*] Vocabulum corollarii eſt a corollis, quod eæ, cum placuerant actores in ſcena, dari ſolitæ ſint : unde & corollaria dicuntur ipſæ coronæ. Plinius lib. XXI. ſic ſcribit : *Paulatim & Romæ ſubrepſit appellatio corollis inter initia propter gracilitatem nominatis; mox & corollariis, poſtquam e lamina ærea tenui inaurata aut inargentata dabantur.* Senſus eſt Tranquilli, Auguſtum etiam in alienis ſpectaculis dediſſe grandia & crebra corollaria ſcenicis & hiſtrionibus, id eſt, ea munera, quæ ultra legitima præmia illis dono dari ſolebant, de quibus Cicero in Frumentaria : *Noli hos colligere, qui nummulis corrogatis de nepotum bonis, ac de ſcenicum corollariis decumam emerunt.* Hæc autem, cum pretii haud magni forent, factum eſt, ut corollarium pro re leviori, &, ut ita dicam, ſupernumeraria accipiatur. BEROALDUS.

TOR-

& maxime Latinos : non legitimos atque ordinarios modo, quos etiam committere cum Græcis ſolebat : ſed & catervarios oppidanos inter anguſtias vicorum pugnantes temere ac ſine arte. Univerſum denique genus operas aliquas publico ſpectaculo præbentium, etiam cura ſua dignatus eſt. Athletis & conſervavit privilegia, & ampliavit. Gladiatores ſine miſſione edi prohibuit. Coercitionem in hiſtriones, magiſtratibus in omni tempore & loco lege vetere permiſſam, ademit : præterquam ludis & ſcena. Nec tamen eo minus aut xyſticorum certationes, aut gladiatorum pugnas ſeveriſſime ſemper exegit. Nam hiſtrionum licentiam adeo compeſcuit, ut Stephanionem togatarium, cui in puerilem habitum circumtonſam matronam miniſtraſſe compererat, per trina theatra

TORRENT.

Committere cum Græcis.] An ergo huc reſpicit Horat. Epiſt. ad Auguſtum, cum ait:

Venimus ad ſummum fortunæ : pingimus, atque
Pſallimus, & luctamur Achivis doctius unctis?

Catervarios.] Quos *catervarios* vocet, ipſe exprimit. Similis autem Senecæ locus lib. de Brev. vitæ cap. XII. ubi deſidioſam divitis occupationem deſcribens : *Qui ſpectator* (inquit) *puerorum rixantium ſedet, qui vinctorum ſuorum greges metatur, & colonorum paria deducit, qui athletas noviſſimos poſcit.* ſic enim Senecam reſtituo, cum in vulgatis exemplaribus *vicorum* pro *vinctorum*, & *paſcit* & *poſcit* legatur. Paulatim autem Seneca a puerorum rixantium lucta ad ſervorum, & colonorum paria, demum ad athletas uſque, tanquam legitimos ordinarioſque, ut hic loquitur Suetonius, progreditur. Male igitur qui pro *vinctorum*, *victorum*, *vicinorum*, aut *jugorum* etiam ſubſtituunt.

Coercitionem in hiſtr.] Recte ſic Pulmannus, ut in vetuſtiſſimis quibuſque libris, & in Pand. Florentinis, *coercitio capitalis*, *coercitio levis*, *modica*.

Præterquam in ludos, & ſcenam.] Liber unus *præterquam in ludos, & ſcenam.* Mallem *præterquam ludis, & ſcena*, ut ſenſus ſit, coercitionem eorum tantum, quæ ludis & in ſcena committerentur, permiſſam magiſtratibus, prætoribus puta, & ædilibus.

Xyſticorum.] Quid *xyſtus*, & *xyſtum*, & hinc dicti *xyſtici* athletæ, qui in *xyſto*, hiberno præſertim tempore, exercebantur, vide Vitruvium lib. V. cap. XI. & lib. VI. cap. X. Sueton. Galb. cap. VI. *Si quid ſcenici, aut xyſtici donatum olim vendidiſſent.* Vetus item inſcriptio : ATHENODORUS XYSTICUS PARIDI THYMELICO BENE MERENTI FECIT.

Stephanionem togatarium.] De hoc Plin. lib. VII. cap. XLVIII. *Qui primus* (inquit) *togatas ſaltari inſtituit.* ſic enim legendum, non *togatus*. Unde hic quoque *togatarum*, actorem ſcilicet, quam *togatarium* legere malim, ut *primarum*, & *ſecundarum* dicimus, non addito actoris nomine. Sueton. Calig. cap. LVII. Vide Feſtum in *Prætexta*. Legendum etiam *cui*, pro *cum*.

Per trina theatra.] Pompeji, Balbi, & Marcelli, ut puto. ea enim Auguſti tempore fuerunt, præter amphitheatrum Statilii Tauri. Strabo lib. V. & Ovid. lib. III. de Arte amandi : *Viſite conſpicuis terna theatra locis.*

CASAUBON.

Coercitionem in hiſtriones.] Hoc eſt, *jus virgarum.* Tacitus lib. I. Annal. cap 77. *Actum de ea ſeditione apud patres : dicebanturque ſententiæ, ut prætoribus jus virgarum in hiſtriones eſſet : interceſſit Haterius Agrippa tribunus plebis : increpitusque eſt Aſinii Galli oratione, ſilente Tiberio, qui ea ſimulacra libertatis ſenatui præbebat. Valuit tamen interceſſio, quia divus Auguſtus immunes verberum hiſtriones quondam reſponderat.*

Præterquam ludos & ſcenam.] Refer *ludos* ad *tempore* : *ſcenam* ad *loco*. Omnino autem legendum, vel *præterquam ludis & ſcena*, ut in quibuſdam Mss. offendiſſe teſtantur docti : vel, *præter ludos & ſcenam.* Ita loqui memini Impp. lege III. Cod. de Spectaculis & ſcenicis & len. *Eos qui agitandi munus exercent, illuſtris auctoritas tua nullis præter Circenſe certamen affici noverit oportere ſuppliciis.* Non parum legem hanc illuſtrabit collatio iſtorum Suetonii verborum.

Stephanionem togatarium.] Ita omnes libb. nec placet emendatio non neceſſaria *togatarum*. Ut actorem ſecundarum Tullius in Bruto *ſecundarium* dixit, tertiarum actorem Valerius Max. *tertiarium* (ſic enim veteres codd. habent lib. IX. cap. XIV.) ita noſter actorem togatarum, *togatarium*. Sic dicuntur exodiarius, embolarius, unde *embolaria mulier* Plinio libro XLVIII. utricularius : & uno verbo, nomina ἐπιτηδευμάτων hoc typo Latini efferunt. vel Plautum adi in Aulul.

In puerilem habitum circumtonſam matronam.] Pueri delicati olim ſoliti circumtonderi, hoc eſt, περικείρεσθαι. Dio Chryſoſtomus de regno, oratione II. Μόνους αὐτοὺς τῶν Ἑλλήνων περιέκειρεν, αἴσχιστα κομᾶν ὄπισθεν ἀφεὶς, ὥσπερ οἱ νῦν παῖδας τοὺς ἁπαλούς. item meretrices : quod diſerte teſtatur Heſychius : Σκαφίον, εἶδος κουρᾶς τῆς κεφαλῆς, ὃ κείρεσθαί φασι τὰς ἑταιρευούσας. εἶναι δὲ περιτρόχαλον. Varro : *Alii ſunt circumtonſi & torti atque unctuli, ut mangonis videantur eſſe ſervi.* Inde apud Senecam epiſtola CXV.

theatra virgis cæſum relegaverit: Hylam pantomimum, querente prætore, in atrio domus ſuæ, nemine excluſo, flagellis verberarit: & Pyladem urbe atque Italia ſubmoverit, quod ſpectatorem, a quo exſibilabatur, demonſtraſſet digito, conſpicuumque feciſſet. Ad hunc modum urbe urbaniſque rebus adminiſtratis, ITALIAM duodetriginta colonia- 46
rum

Oratio circumtonſa & fucata, de effœminata & molli. videtur id eſſe tonſuræ genus, quod Græci περίτροχον vel περιτρόχαλον vocant: nam ita tonderi ſolitos ephebos attendentibus liquebit ex his Plutarchi de Ariſtodemo tyranno Cumanorum: Ἰσόρηται, ait, ὅτι τοὺς μὲν ἄῤῥενας παῖδας ἤσκει κόμαις καὶ χρυσοφορεῖν. τὰς δὲ θηλείας ἠνάγκαζε περιτρόχαλα κείρεσθαι, καὶ φορεῖν ἐφηβικὰς χλαμύδας καὶ τῶν ἀνακώλων χιτωνίσκων. Exſtant hæc verba in libello de mulierum virtutibus: ea nos explicamus alibi fuſius. Quæcunque autem fœminis a tyranno imperata ait Plutarchus, ea intelligere debemus epheborum fuiſſe propria. ſimile factum a Stephanione, ut merito in eum Auguſti ira exarſerit. Apud veteres vero Francos non ejus ætatis propria, ſed omnium fuit ea tonſura communis: nam præter regem omnes erant ita circumtonſi. Agathias lib. I. Τοῦτο δὲ ὥσπερ τὶ γνώρισμα, καὶ γέρας ἐξαίρετον τῷ βασιλείῳ γένει ἀνεῖσθαι νενόμισαι· ἐπεὶ τό γε ὑπήκοον περίτροχον κείρονται, καὶ κομᾶν αὐτοῖς περετέρω οὐ μάλα ἐφεῖται. Puto & alias pleraſque gentes quæ per ea tempora Romanum imperium lacerarunt, eam tonſuram uſurpaſſe. Sane in exercitu Gulielmi regis Siciliæ, qui temporibus Andronici Comneni in Theſſalonicenſes flamma & ferro graſſatus eſt, pleroſque ἀποθριχθῆναι περιτρόχαλα Nicetas auctor eſt. Lege Dei prohibita res olim Judæis quos Chœrilus vetus poëta appellat αὐχμαλέους, κεφαλὰς τροχοκουράδας, Moſes refert Levitici cap. XIX. commate XXVII. ex interpretatione veteri Latina: *Neque in rotundum attondebitis comam, nec radetis barbam.* LXX. interpretes longe aliter acceperunt priora ejus commatis verba Hebræa, & ita verterunt: Οὐ δὲ ποιήσετε σισόην ἐκ τῆς κόμης τῆς κεφαλῆς ὑμῶν. Suidas σισόην interpretatur τὸ πλεξείδιον. Sic vocat certam comæ complicationem, aut fortaſſe in ſpiras collectionem & colligationem. Beatus Cyprianus *cirrum* vertit lib. III. Teſtimoniorum. Vox illa Græcorum non eſt, ſed Alexandrinorum, ut alia multa in interpretatione Bibliorum Græca: vel Cilicum Phaſelitarum. Collige ex Heſychio, cujus verba ita emendabis: Σισόη κουρὰ ποιὰ, Φασηλῖται. i. ineptiſſime hodie in omnibus libb. Σισόκουρα ποιὰ Φασηλῖται.

V A R I O R.

Cui in puerilem habitum circumtonſam matronam miniſtraſſe compererat.] Videntur duo fuiſſe genera & modi circumtondendi capilli, unum barbaricum, alterum antiquis Græcis uſurpatum, & inter delicias cultus habitum. Hinc *circumtonſi mangonum pueri.* Hinc *oratio circumtonſa* pro elegante ac venuſta, ac concinna, beneque depexa. Hæc tonſura formam alveoli referebat inverſi, hoc eſt, σκαφίου. Unde & σκαφιόκουροι, qui ſic tonſi. Crines in eo genere undique æqualiter deſcendentes in orbem ibant. Ea uſi ſunt inter Græcos veteres qui elegantiæ ſtudebant, ephebi, viri, & apud Romanos etiam miniſtri lautiores. Teſtis & præſens Suetonii locus. Meretrices etiam eo habitu crinium ſæpe ornabantur, ut ex Heſychio conſtat, in voce σκαφίον. Hæc eſt circumtonſio, quam, exceptis regii generis hominibus qui intonſi erant, Francos noſtros olim uſurpaſſe vulgo, teſtatur Agathias. Alia fuit βαρβαρικωτέρα, quam Phœnices, Arabes, Thraces & plures barbaræ nationes frequentarunt: de qua diximus in Epiſtola de Coma. SALMASIUS.

T O R R E N T.

Querente prætore.] Hylas forte ſibi conſcius ad domus Auguſti atrium conceſſerat. Cum vero prætor qui ludis præerat, de eo conquereretur, Auguſtus palam, excluſo nemine, quo major eſſet ſpectantium frequentia, flagellis eum cædi juſſit. Hylæ autem hujus, uti & Pyladis, meminit Macrob. lib. II. cap. VII. & Seneca lib. III. Controverſ. *Pylades in comœdia, Bathyllus in tragœdia multum a ſe aberant.* Pyladem autem poſtea reſtituit Auguſtus. Vide Dionem lib. LIV.

C A S A U B O N.

Per trina theatra virgis cæſum.] Hoc proprie θεατρίζειν dicunt Græci & παραδειγματίζειν, ut ſupra monebamus. Moris hujus & in Græcis & Latinis ſcriptoribus multa mentio. Apud Lucianum imperitus & vanus citharœdus ὑπὸ τῶν μαστιγοφόρων σύρεται διὰ πάσης τῆς σκηνῆς. Philo παράγειν & εἰσάγειν εἰς τὸ θέατρον dixit, hoc intelligens contra Flaccum. Non prætermittam egregium locum ſuper hac conſuetudine, qui in eodem Philonis lib. habetur: Τὰ μὲν πρῶτα, inquit, τῶν θεαμάτων ἄχρι τρίτης ὥρας ἢ τετάρτης ἐξ ἑωθινοῦ ταῦτα ἦν, Ἰουδαῖοι μαστιγούμενοι, κρεμάμενοι, τροχιζόμενοι, δικαζόμενοι, διὰ μέσης τῆς ὀρχήστρας ἀπαγόμενοι τὴν ἐπὶ θανάτῳ. τὰ δὲ μετὰ τὴν καλὴν ταύτην ἐπίδειξιν, καὶ ὀρχησταὶ καὶ μῖμοι καὶ αὐληταὶ, καὶ ὅσα ἄλλα σκηνικῶν ἀθυρμάτων καὶ ἀγώνων. Ait matutina ſpectacula a Flacco exhiberi ſolita, fuiſſe cædes & cruces varias Judæorum: meridiana, ludos ſcenicos.

Querente Prætore.] Scripti quidam, *quærente.* non probo. tale illud in Julio cap. XLVIII. *Libertum quamvis nullo querente capitali pœna affecit.*

Demonſtraſſet digito conſpicuumque feciſſet.] Græcis καταδακτυλίζειν, σκιμαλίζειν, σιφνιάζειν.

46. ITA-

rum numero deductarum ab ſe frequentavit, operibuſque ac vectigalibus publicis plurifariam inſtruxit: etiam jure ac dignatione urbi quodam modo pro parte aliqua adæquavit: excogitato genere ſuffragiorum, quæ de magiſtratibus urbicis decuriones colonici, in ſua quiſque colonia ferrent, & ſub diem comitiorum obſignata Romam mitterent. Ac necubi

46. ITALIAM *duodetrig.*] Imperium Romanum triplici hominum genere Auguſti temporibus conſtabat, civium, Italicorum populorum, & provincialium. horum diverſa longe conditio erat. alio enim jure utebantur cives, alio Itali, alio qui in provinciis erant. Hac diſtinctione uſus Suetonius in hac vita ſcribenda: dixit hactenus de iis, quæ circa jura civitatis nova inſtituit, aut abolita reſtituit Auguſtus: ſubjicit nunc de iis, quæ circa jura Italicorum populorum ſanxit idem, mox de inſtitutis illius circa provinciarum jura pauca dicturus.

TORRENT.

46. *Quodammodo pro parte.*] Verbum *quodammodo* ut gloſſematium ejectum Lipſio Elector. II. cap. XVII. neque, ſi abeſſet, ego id advocarem. Mentem tamen ſcriptoris noſtri fuiſſe credo, ne in ea quidem parte, in qua videri poterat præſtitiſſe aliquid, id conſecutum Auguſtum quod voluit. reſpectu enim pop. Rom. reliqui omnes privatorum loco habebantur, ſcitumque illud Virgilii:

Urbem, quam dicunt Romam, Melibœ, putavi
Stultus ego huic noſtræ ſimilem.

& quæ ſequuntur.

Decuriones colonici.] Dictio *colonici*, ut urbicis reſpondeat, & per ſe inſolens, & hoc loco minime neceſſaria eſt. Relinqui tamen poterit, ut apertius quemadmodum in urbe Roma, ſic & in coloniis ſuos cuique magiſtratus fuiſſe videamus. Quos inter decuriones cum duumviris id ferme erant, quod Romæ ſenatores cum conſulibus, inde dicti, ut ſcribit Pompon. l. CCXXIX. de Verb. ſignif. quod initio cum coloniæ deducerentur, decima pars eorum qui deducerentur, conſilii publici cauſa conſcribi ſolita ſit. Hos in coloniis ſuis Auguſtus per jus ſuffragii Romanis pæne exæquavit. ſiquidem & tribum habebant, & ſuffragia. Ceterum ut hic *decuriones colonici*, ſic *colonicæ leges* dictæ Varroni, *colonicæ cohortes* Cæſari, *colonicum pecus* Plinio.

In ſua quiſque colonia ferrent.] Liber opt. *in ſuam quiſque coloniam*, & mox *aſſignata* pro *obſignata*. Sed recepta lectio apertior eſt.

Ac necubi aut honeſtorum.] Ita libri MSS. noſtri, & ſic recte Pulmannus, cum in aliis *aut* deſideretur. Sed idem non bene diſtinxit: interpungendum enim poſt dictionem *ſoboles*, & *petentes* accuſandi caſu legendum, ſublata dictione *etiam*.

CASAUBON.

Deductarum ab ſe.] Solone, an etiam cum aliis? nam & multas Auguſtus colonias triumvir deduxit ſuo & collegarum ſuorum nomine: plures poſtea ſolus. Utrum igitur has tantum intelligit Suetonius, an etiam illas? probabile eſt de iis tantum illum loqui, quas rerum potitus Auguſtus ſuis unius auſpiciis deduxit: has tamen, qui nominent aut numerent, ex antiquis ſcriptoribus nullus eſt.

Operibuſque.] Teſtes antiqui lapides paſſim in Italiæ municipiis olim poſiti in honorem Auguſti: quorum hodie non pauci exſtant, quos huc afferre nihil neceſſe.

Vectigalibus publicis.] Abſque his nullum commune poterat conſtitui. In lapidibus non rara eorum mentio, qui publica vectigalia municipiorum conſtituerunt, auxerunt, vindicarunt. Non ſolum autem in ſuis agris Italici populi vectigalia ſua habuerunt, ſed etiam in remotiſſimis interdum. Cicero de Arpinatibus municipibus in epiſtolis ad D. Brutum Galliæ Ciſalpinæ proprætorem: *Arpinatium omnia commoda omneſque facultates, quibus & ſacra conficere, & ſarta tecta ædium ſacrarum locorumque communium tueri poſſint, conſiſtunt in his vectigalibus, quæ habent in provincia Gallia.* Atellam item municipii Campani agrum vectigalem fuiſſe in Gallia eadem, ex alia ejuſdem epiſtola intelligimus. Campanæ coloniæ reditus publici in Creta, ait Vellejus Paterculus.

Etiam jure ac dignatione Urbi quodammodo pro parte aliqua adæquavit.] *Coloniæ*, ut ait Gellius lib. XVI. cap. XIII. *quaſi effigies parvæ ſimulacraque erant populi Romani.* Beroaldus ad colonias Auguſteas hoc refert. Non probo, nec verum eſt. de tota Italia potius accipiendum facile aſſentietur mihi, qui diligentius mentem auctoris exquiſiverit. An autem Italiæ datum jus ſuffragiorum ab Auguſto? nequaquam: longeque ab ea mente mens Suetonii eſt. Civitas & jus ſuffragiorum ſic ἀντιςρέφουσιν, ut definitio & definitum. Civis enim Romanus pleno jure is eſt, qui vel in urbe vel in agro Rom. habitans, tribum cum honorum petitione, aut ſaltem ſuffragiis habet. Univerſa Italia ante Auguſtum civitatis jus habuit, ergo & ſuffragiorum: ſed quia propter rei difficultatem, & moleſtiam veniendi Romam ſingulis comitiis, pæne inane id jus fuit, nullique uſui populis Italicis; propterea Auguſtus ſolerter genus hoc ſuffragiorum colonicorum excogitavit.

Quodammodo pro parte aliqua.] Dictum ἐκ παραλλήλου ut multa alia: nam conſenſu librorum firmata hæc lectio non videtur ſollicitanda.

VARIOR.

Quodammodo.] *Quodammodo* tanquam gloſſam rejicit Lipſius, Gruterus *pro parte aliqua*: utrumque tamen Palatinos codices retinere ait.

TOR-

necubi aut honeſtorum deficeret copia, aut multitudinis ſoboles, equeſtrem militiam petentes etiam ex commendatione publica cujuſque oppidi ordinabat: at iis qui e plebe regiones ſibi reviſenti filios filiaſve approbarent, ſingula numorum milia pro ſingulis dividebat. Provincias validiores, & quas annuis magiſtratuum imperiis regi nec facile nec 47
tutum erat, ipſe ſuſcepit: cæteras proconſulibus ſortito permiſit: & tamen nonnullas commutavit interdum: atque ex utroque genere pleraſque ſæpius adiit. Urbium quaſdam fœderatas, ſed ad exitium licentia præcipites, libertate privavit: alias, aut ære alieno laborantes levavit, aut terræ motu ſubverſas denuo condidit: aut merita erga pop. Roman. allegantes Latinitate, vel civitate donavit. Non eſt, ut opinor, provincia, excepta duntaxat Africa & Sardinia, quam non adierit. In has, fugato Sexto Pompejo, trajicere ex Sicilia apparantem, continuæ & immodicæ tempeſtates inhibuerunt, nec

TORRENT.

Per ſingulos dividebat.] Duo libri *pro ſingulis*, ſed utrumque rejiciendum eſſe nemo paulo doctior negaverit.

47. *Provincias.*] De provinciarum diſtributione Auguſti Strabo lib. XVII. ſub finem, & Dion lib. LIII. Adde Sueton. Tib. cap. XXI. & Claud. cap. XXV. Inventum id autem ſpecie quidem ut imperium defenderet, ſed re ipſa, ut exercitus omnes in ſua haberet poteſtate.

Commutavit interdum.] Sic M. Antoninus provincias ex proconſularib. conſulares, aut ex conſularibus proconſulares, vel prætorias, pro belli neceſſitate, fecit. Alexander quoque Severus prætorias præſidiales provincias multas fecit, proconſules vero ex ſenatus voluntate ordinavit. Adde Sueton. Claud. cap. XXV. Et nomina quidem hæc confuſa ſæpe reperias; fere tamen præſidiales vocarunt eas, quæ Principi attributæ fuerunt, reliquas proconſulares, aut prætorias. Vide omnino Dionem.

Libertate privavit.] Ut Cyzicenos, quod in ſeditione cives quoſdam Rom. flagris cæſos necaſſent. Dion lib. LIV. Quibus tamen poſtea libertatem reſtituit. Auctor idem lib. LIV. Sed eam Tiberius iterum ademit. Sueton. cap. XXXVII. Quod vero contra urbes bene meritas vel Latinitate, vel civitate donavit, ut nempe vel Latinorum, vel civium Romanorum jure cenſerentur, id ante Auguſti tempora in provinciis aut nunquam, aut raro admodum factitatum fuiſſe reperias. Auguſtus, quique eum ſecuti ſunt, plus ſatis liberales fuere.

CASAUBON.

Equeſtrem militiam petentes.] Sic recte prima editio & membranæ. vulgo *petentis*, ex veteri conſuetudine eos caſus plurales ſcribendi. Multa ad illuſtrationem hujus loci & totius militiæ veteris Romanæ dicemus, ſi Deus volet, in editione Polybii.

Cujuſque oppidi.] Non male membranæ noſtræ *cujuſcumque*, hoc ſenſu: tam patuiſſe aditum ad equeſtrem militiam ei, qui Ulubris aut Gabiis publice commendatus veniſſet: quam illi quem florentiſſima quævis colonia vel municipium commendaſſet.

At iis qui.] Malim abeſſe, *at*: & natum videtur ex præcedentis dictionis fine. ac nota trajectionem verborum pro *iis e plebe qui.*

Singula nummorum millia pro ſingulis dividebat.] Hoc dicit: data fuiſſe cuique patri tot millia nummum, quot ille haberet liberos. ſine cauſſa hanc veterum & Mss. editionem quidam improbant.

47. *Nonnullas commutavit interdum.*] Ut Cyprum & Galliam Narbonenſem, quas populo tradidit recepta Dalmatica. Dio lib. LIII. & lib. LIV. item Strabo libro ultimo.

Ad exitium licentia præcipites libertate privavit.] Ut Cyzicum, Sidonem, Tyrum, alias: Dio & Strabo.

Terræ motu ſubverſas.] Ut Tralleis, de qua vide Agathiam lib. II. fuſe.

Trajicere ex Sicilia apparantem.] Notat Dio lib. XLIX.

VARIOR.

47. *Cæteras proconſulibus ſortito permiſit.*] Conſulares, qui populi provincias adminiſtrabant, dicebantur proconſules, & ſortito in eas proficiſcebantur, antiquo ſcilicet more, qui ſtante Republica obtinebat; qui vero provincias Cæſaris, legati conſulares vel conſulares ſimpliciter, nec illos proconſules dici moris erat, ne confunderentur cum populi proconſulibus: alias nihil prohibebat & eos appellari legatos Cæſaris pro conſule, ut legati pro prætore dicebantur prætorii viri, quos provinciis ſuis nomine ac jure prætorio gubernandis præficiebat Cæſar. Hinc quoties leges in veteribus monumentis conſularem provinciæ, ſemper de legato Cæſaris conſulari intelligas licebit. Strabo ὑπατικοὺς ἡγεμόνας eos vocat, & ὑπατικοὺς δικαιοδότας, lib. IV. Atque hi originem habent, non ab Hadriano vel Conſtantino, ut volunt, ſed ab Auguſto ipſo. SALMASIUS.

Et tamen nonnullas commutavit interdum.] Pro arbitrio ſuo Imperatores provinciarum jura & adminiſtrationem ſæpe mutarunt, & quæ populi erant, ſuas

48 nec mox occaſio aut cauſſa trajiciendi fuit. Regna, quibus belli jure potitus eſt, præter
pauca, aut iiſdem, quibus ademerat, reddidit, aut alienigenis contribuit. Reges ſocios
etiam inter ſemetipſos neceſſitudinibus mutuis junxit, promtiſſimus affinitatis cujuſque atque amicitiæ conciliator & fautor: nec aliter univerſos, quam membra parteſque
imperii, curæ habuit, rectorem quoque ſolitus apponere ætate parvis, aut mente
lapſis, donec adoleſcerent aut reſipiſcerent: ac plurimorum liberos & educavit ſimul cum
ſuis & inſtituit. Ex militaribus copiis legiones & auxilia provinciatim diſtribuit:
49 claſſem Miſeni, & alteram Ravennæ, ad tutelam ſuperi & inferi maris, collocavit.
Certum numerum partim in urbis, partim in ſui cuſtodiam allegit: dimiſſa Calagurritanorum manu, quam uſque ad devictum Antonium: item Germanorum, quam uſque ad
cladem Varianam, inter armigeros circa ſe habuerat. Neque tamen umquam plures
quam tres cohortes in urbe eſſe paſſus eſt, eaſque ſine caſtris. reliquas in hiberna & æſtiva,

ſuas eſſe voluerunt, ſuas autem populo tranſcripſerunt. & ſic de conſularibus proconſulares, & contra de præſidalibus prætorias, & de prætoriis præſidiales fecerunt. Quarum mutationum exempla tam multa reperiuntur, in antiquis præſertim inſcriptionibus, ut ea huc afferre nihil ſit neceſſe. Salm.

Torrent.

Nec mox.] *Mox* pro deinde, aut poſtea, ut cum alibi, tum Oth. c. x. Atque ita, ni fallor, Cic. extrema orat. ad Quirites poſt red. ſuum, his verbis: *Poſtremo qui in ulciſcendo remiſſior fuit, mox aperte laudatur.* Quem locum Dion. Lambinus ignoratione hujus vocabuli corrupit.

48. *Reges, ſocios etiam, inter ſ.*] Ego ſine interpunctione lego, *Reges ſocios etiam inter ſemetipſos.* ſenſus enim eſt Reges, qui ſocii P. R. erant, inter ſeſe eum conjunxiſſe.

Rectorem quoq.] Sic & Virg. Æneid. ix.

Rectores juvenum, & rerum dedit eſſe magiſtros.

JCti *curatorem* vocant.

49. *Partim in Urbis, partim in ſui.*] In duob. libb. deſiderantur illa verba, *partim in Urbis*; in alio legitur, *in Urbis partim.* Lego igitur, *in Urbis partim, partim in ſui cuſtodiam.*

Calagurritanorum.] Sic & D. Julius Hiſpanorum cuſtodia uſus. cap. lxxxvi.

Casaubon.

48. *Regna, quibus belli jure potitus eſt.*] Hæc oratio non longe abeſt, quin tantundem valeat, ac ſi diceret, omnia quæ tum fuerunt regna in orbe Romano: nam omnibus πολέμȣ νόμῳ potitus eſt. Bello quippe Actiaco reges omnes, pauciſſimis exceptis, ſtetiſſe ab Antonio, Plutarchus, Dio, Appianus, cæteri hiſtorici docent.

Promptiſſimus affinitatis conciliator.] Exempli gratia: Salome ſoror Herodis Magni, auctoribus, ſuaſoribus, & impulſoribus Auguſto & Livia, Alexæ nupſit, non ut cupiebat, Arabi Syllæo. Joſephus lib. xviii. cap. ii.

Atque amicitiæ.] Grande documentum pii affectus lis inter Herodem & filios ab Auguſto diſceptata. Joſephus lib. xvi. cap. vii.

Nec aliter univerſos.] Ecquid hanc vocem ad cunctos Imperii Romani cives, aut alios ſubditos extendere debemus? ita erit egregia concluſio totius tractatus, quo illa recenſuit, quæ ab Auguſto geſta in adminiſtratione politica rerum urbanarum, Italiæ, provinciarum, & ſociorum. Sed & ſtrictius accipere poſſumus de regibus ſociis, de quibus proxime actum.

Parvis ac mente lapſis.] Nempe e filiis vel filiabus regum: neque enim de civibus loquitur.

Educavit ſimul cum ſuis & inſtituit.] In his Agrippam Ariſtobulo Herodis filio natum, Joſephus lib. xviii. cap. viii. Ἀγρίππας ἐν τῇ Ῥώμῃ διαιτώμενος, καὶ ὁμοτροφίας καὶ συνηθείας αὐτῷ πολλῆς γενομένης πρὸς Δρȣ̃σον τὸν Τιβερίȣ τȣ̃ αὐτοκράτορος ὑόν. Vide ejuſdem magni ſcriptoris lib. xv. cap. xiii. Sed & cives quidam cum Auguſti liberis & nepotibus educati: etſi eum honorem non temere cuivis ille detulit. Suetonius libro de Illuſtribus Grammaticis: *Verrius Flaccus ab Auguſto nepotibus ſuis præceptor electus, tranſiit in palatium cum tota ſchola: verum ut ne quem amplius poſthac reciperet.*

49. *Ex militaribus copiis.*] Hæc quoque omnia explicamus ad Polybii tractatum de Militia Romana.

Alteram Ravennæ.] Loco oppertuniſſimo. Præ cæteris deſcribit accuratus Jordanus in Gothicis: qui locus ſumptus ab eo ex Dione, hodie in libris nobiliſſimi ejus hiſtorici non exſtat.

Partim in Urbis.] Dio: Οἱ τῆς πόλεως φρȣροὶ ἑξακισχίλιοί τε ὄντες καὶ τετραχῆ νεμημένοι. Tacitus Annal. lib. iv. cap. 5. *Tres urbanæ cohortes.*

Partim in ſui cuſtodiam.] Dio: Οἱ σωματοφύλακες μύριοι ὄντες καὶ δεκαχῆ τεταγμένοι. Tacit. dicto loco: *Prætoriæ cohortes novem.*

Calagurritanorum manu.] Id eſt, cohorte. Sic cohors Germanorum. In Galba: *Germanorum cohortem a Cæſaribus olim ad cuſtodiam corporis inſtitutam diſſolvit.*

va, circa finitima oppida dimittere aſſuerat. Quidquid autem ubique militum eſſet, ad certam ſtipendiorum præmiorumque formulam adſtrinxit : definitis pro gradu cujuſque, & temporibus militiæ, & commodis miſſionum : ne aut ætate aut inopia poſt miſſionem ſolicitari ad res novas poſſent. Utque perpetuo ac ſine difficultate ſumtus ad tuendos eos proſequendoſque ſuppeteret, ærarium militare cum vectigalibus novis inſtituit. Et quo celerius, ac ſub manum annuntiari cognoſcique poſſet, quid in provincia quaque gereretur, juvenes primo modicis intervallis per militares vias, dehinc vehicula, diſpo-

TORRENT.

Et comm. miſſ.] *Commoda emeritæ militiæ* vocat Calig. cap. XLIV. Quæ ſub Auguſto (ſi Dioni credimus lib. LV.) fuere pro prætorianis poſt ſtipendia XVI annorum, drachmarum quinque millia ; pro reliquis vero poſt annos X. tria, hoc eſt, illis XX. M. nummorum, his XII. Quam ſummam Caligula ad VI. M. reduxit. Auctor Sueton. loco citato.

Tuendos proſequendoſque.] Sic cap. LXVI. *virtutes ac merita cujusque proſecutus*, abſolute, cum *proſequi amore, benevolentia, officio*, dicamus.

Ærarium militare.] Sic Tacitum intelligo, cum legem Papiam Poppæam incitandis cælibum pœnis, & augendo ærario ſanxiſſe Auguſtum ſcribit. ſup. cap. XXXIV. Sic Zonaram quoque, cum Agrippæ abdicati & relegati in inſulam pecuniam ad ærarium militare relatam narrat. Exſtant & inſcriptiones antiquæ quibus hujus ærarii memoria conſervatur. Præfectorum quoque ejus fit mentio, ut P. Vitellii apud Tacitum lib. V. Annal.

Celerius ac ſub manum.] Liber unus *ſub manu*. Seneca lib. X. Epiſt. ad Lucil. *Conſilium naſci ſub die debet. Et hoc quoque tardum eſt nimis, ſub manu, ut ajunt, conſilium naſcatur.*

Per militares vias.] Cum viæ aut publicæ ſint aut privatæ : publicæ, nunc *militares*, nunc *conſulares*, nunc *prætoriæ* vocantur. Græce *βασιλικαί*. Siculus Flaccus de Condit. agrorum, *regales* vertit. Et dictæ publicæ, vel quod in ſolo publico ſunt, vel quod publice muniuntur, & curatores accipiunt. l. III. De loc. & itiner. publ. l. II. Ne quid in loco publ. vel itin.

Dehinc vehicula.] Hinc *curſus vehicularis*, & *cura rei vehicularis* l. I. & l. ult. de Muner. & honor. Uſi etiam equis ſine vehiculo. Quos Caſſiodorus lib. IV. Variarum, *curſuales* vocat, ad differentiam ſcilicet eorum qui juncti redæ veredi inde appellantur. Spart. Severo : *Cum ſe vellet commendare hominibus, vehicularium munus a privatis ad fiſcum traduxit.* Capit. Pertinace : *A præſide Syriæ, quod ſine diplomatibus curſum uſurpaverat, pedibus iter facere coactus.* Qui plura velit, JCtos adeat lib. XII. Cod. de curſu publico.

CASAUBON.

Ærarium militare cum vectigalibus novis inſtituit.] Dio refert in anno U. C. DCCLIX. lib. LV. Vectigalia novi hujus ærarii fuere ducenteſima rerum venalium, bona damnatorum, quinquageſima venalium : Tacitus, Dio, Zonaras.

Celerius & ſub manum.] Ὑπογύως vel ὑπὸ χεῖρα, ut LXX. Interpret. bis cap. XXI. I. Sam. ſimile genus loquendi Hebraicum exprimunt. Vitruvius : *Non ſolum laudes aut vitia animorum ad manum aſpicerentur.*

Quid in provincia quaque gereretur.] Hinc manavit ille mos quem notat Euſeb. lib. II. Hiſtoria Eccleſ. referens, Pilatum de Chriſti Servatoris noſtri reſurrectione Tiberium feciſſe certiorem. Παλαιοῦ, inquit, κεκρατηκότος ἔθους τοῖς τῶν ἐθνῶν ἄρχουσι τὰ παρὰ σφίσι καινοτομούμενα τῷ τὴν βασίλειον ἀρχὴν ἐπικρατοῦντι σημαίνειν, ὡς ἂν μηδὲν αὐτὸν διδράσκοι τῶν γινομένων. Hæc ſunt, quorum meminerunt Juſtinus Martyr & Epiphanius lib. II. adverſus Teſſarescaidecatitas, Πιλάτου ἄκτα. Poſterioribus temporibus cum Roma ut plurimum abeſſent Principes, inſtitutum eſt, ut quotlibet menſibus ſenatus & populi acta ad Imperatorem mitterentur ex urbe. Auctor Symmachus lib. X. epiſt. XXXVII.

Juvenes primo modicis intervallis.] Res antiquiſſimæ originis, nedum ab Auguſto primo excogitata. Nam hi ſunt Perſarum *angari* & *aſtandæ*, & Græcorum *hemerodromi*.

Dehinc vehicula diſpoſuit.] Cyrus Rex Perſarum primus hoc excogitavit, auctore Xenophonte lib. VIII. Auguſtus hoc adinvenit, ne in ſingulis manſionibus veredarii mutarentur cum veredis : cujus inventi manifeſta utilitas ea eſt, quam ſtatim Suetonius explicat.

VARIOR.

49. *Ærarium militare.*] Id factum anno DCCLIX. Zonaras Agrippæ Poſthumi damnati bona in ærarium militare relata ait. Propriique huic ærario præfecti. Lapis in Samnio, L. NERATIO. C. F. VOL. PROCULO. PRÆF. ÆRARI MILITARIS. *LIPSIUS.*

Sub manum.] Palat. prim. accedit Torrentii libro, habetque *ſub manu*. GRUTERUS.

Dehinc vehicula diſpoſuit.] Videtur eo tantum vehicularium illum curſum inſtituiſſe, ut quid in provinciis gereretur, cognoſcere celerius poſſet : non ut etiam magiſtratibus aliiſque paſſim hominibus exhiberetur : quod poſtea factum eſt, ex inſtituto Adriani, quemadmodum oſtendit in ejus vita Spartianus, qui ejuſ-

diſpoſuit. commodius id viſum eſt, ut, qui a loco perferunt litteras, iidem interrogari
50 quoque, ſi quid res exigant, poſſent. In diplomatibus, libelliſque & epiſtolis ſignandis, initio Sphinge uſus eſt : mox imagine Magni Alexandri : noviſſime ſua, Dioſcoridis manu ſculpta, qua ſignare inſecuti quoque Principes perſeverarunt. Ad epiſtolas omnes, horarum quoque momenta, nec diei modo, ſed & noctis, quibus datæ
51 ſignificarentur, addebat. Clementiæ civilitatiſque ejus multa & magna documenta ſunt. Ne

ejuſmodi curſum publicum *curſum fiſcalem* appellavit. SALMASIUS.

TORRENT.



50. *Sphinge uſus eſt.*] De hoc Plin. lib. XXXVII. cap. I. Et eodem fortaſſis referendum quod T. Cariſii, qui ſub Auguſto III-vir monetalis fuit, numiſmata Sphingem præferunt. Pro *Dioſcoridis* autem libri duo *Dioſcuridis.* Adde Dionem initio lib. LI.

51. *Civilitatiſque.*] Cæſ. cap. LXXI. Adde, ſi lubet, Lampridium Alexandro : *Cum & mater & uxor nimiam illi civilitatem objicerent, & ſæpe dicerent, Molliorem tibi poteſtatem & contemptibiliorem imperii feciſti, ille reſpondit, Sed firmiorem & diuturniorem.*

CASAUBON.

Ut qui a loco eidem.] Alii libb. *iidem.* nove autem *a loco* pro alicunde, & fortaſſe ſcriptum fuerat *a loco eoque,* id eſt, quoque pro quocunque. vel *alicunde ei.* deinde ſcriptum in Mss. *ſi quid res exigant, poſſint.*

50. *In diplomatibus libelliſque & epiſtolis ſignandis.*] Superioribus ſubjicitur hic ſermo occaſione diplomatum. Diplomata ab eo, qui tenet rempub. maxime propter publicum curſum dari petique ſolita. Libera republ. conſulum & ſenatus ea fuit poteſtas : cum omnia in unius manum ceſſere, Principis hoc quoque fuit, aut ejus qui ab eo dandarum evectionum, ut loquuntur Impp. poteſtatem accepiſſet. Imp. Fredericus regalia pleraque omnia recenſens conſtitutione quadam, ponit inter alia angariarum, parangariarumque, & plauſtrorum, & navium præſtationes. Apud Plutarchum in Galba Nymphidius candidatus Imperatoriæ majeſtatis, diplomata data eſſe a conſulibus fert iniquiſſime, tanquam partes Imperatorias illis occupantibus. Falſum eſt, quod doctiſſimos viros ſentire video, diplomata ſola illa dici, quæ dantur ad curſum publicum. Ἃ γνωρίζοντες, inquit eo loco Plutarchus, *οἱ κατὰ πόλιν ἄρχοντες ἐν ταῖς τῶν ὀχημάτων ἀμοιβαῖς ἐπιταχύνουσι τὰς προπομπὰς τῶν γραμματηφόρων.* Fecit hæc perſuaſio, ut acutiſſimus doctiſſimuſque Boſius locum Ciceronis ad Atticum male interpretaretur lib. x. quem alibi explicamus. At diplomata dici etiam alias literas indices ac teſtes conceſſi beneficii ab eo, qui præeſt reip. vel unus Suetonii locus doceat, qui *diplomata civitatis Romanæ* libro ſexto appellat, codicillos quibus delatum erat jus civitatis. Sunt autem a forma *diplomata* appellata : nam formabantur in modum tabellarum duplicium. quare etiam *διπλᾶς* Græci vocant. Apollonius Tyanæus in epiſt. ad Euphratem : *Ἐπῆλθες ἔθνη τὰ μεταξὺ τῆς Ἰταλίας ἀπὸ Συρίας ἀρξάμενος ἐπιδεικνὺς σεαυτὸν ἐν ταῖς τοῦ βασιλέως λεγομέναις διπλαῖς.* Intelligit diplomata ab Imperatore Euphrati data, quibus commendabatur regionum & urbium præfectis. de iiſdem in alia epiſtola ſic ſcribit : *Εἰ δὲ ἀντιλέγων προκομιεῖς τὰς Χρυσίππου σχολὰς καὶ δόγματα, γέγραπταί τε καὶ ἐν τοῖς βασιλικοῖς γράμμασιν, Εὐφράτης ἔλαβε, καὶ πάλιν, ἔλαβε.* vocat *γράμματα,* quas prius vocaverat *διπλᾶς.* atque ex illius verbis intelligimus ſolitum annotari in hujuſmodi literis, quicquid occaſione illarum acciperetur. At literæ aliæ Principum, quibus aliquid jubebatur aut vetabatur, *ἁπλᾶ* vocabantur, ut videtur innuere Euſebius lib. VIII. ſcribens : *Ἥπλωτο πανταχόσε βασιλικὰ γράμματα τὰς ἐκκλησίας εἰς ἔδαφος φέρειν* : & iterum, *ἥπλωτο κατὰ πόλεις βασιλικὰ διατάγματα.* Prioris generis epiſtolas principales Themiſtius oratione quarta vocat, *δέλτους σφυρηλάτους.* *Οὐ ταῦτα μόνα,* inquit, *ἐξὸν παρὰ βασιλέως καρποῦσθαι, ἀλλ᾽ ἐκεῖνα τοῦ μακροῦ καταλόγου τῆς τρυφῆς, καὶ τῆς εὐπαθείας, ὁπόσα ταῖς δέλτοις ἀκολουθεῖ ταῖς σφυρηλάτοις.* Unde apparet, non encauſto ſolum decoratas Imperatorias literas, ſed etiam ex ſolida materia factas : puta, argento vel auro. unde appellata *χρυσόβουλα.* Idem Themiſtius orat. ſexta : *Ἐγὼ μέντοι οὐκ ἐπ᾽ ἐκείνῃ τῇ δέλτῳ, ἀλλ᾽ ἐπ᾽ ἄλλῃ μείζονι καὶ τελεωτέρᾳ, ἣ καὶ τὰς δέλτους ἐκείνας ἤδη ἔχει ἐπ᾽ ἐξουσίας· ἣν οὐκ ἐποίησαν ἐλεφαντουργοὶ οὐδὲ χρυσοχόοι.*

Ad epiſtolas omnes.] Intellige, quæ de publicis rebus eſſent.

51. *Clementiæ civilitatiſque.*] Hactenus expoſitum Suetonio, quid in adminiſtranda repub. pace belloque Auguſtus geſſerit : nunc quaſdam ejus, ut ſic dicam, publicas virtutes enarrat, alias in privata illius vita expoſiturus. Eæ de quibus hic tractat, ſunt clementia & civilitas : de priore agit ad initium capitis LII. de poſteriore ad finem cap. LVI. More enim ſuo, quod interpretes non obſervant, conjungit in propoſitione, quæ deinde ſeparatim exſequitur. Etſi autem affines virtutes ſunt hæ duæ, longæ tamen differunt. Ac clementia quidem nota virtus : civilitas vero,

Ne enumerem, quot & quos diverſarum partium venia & incolumitate donatos, principem etiam in civitate locum tenere paſſus ſit: Junium Novatum & Caſſium Patavinum, e plebe homines, alterum pecunia, alterum levi exſilio punire ſatis habuit: cum ille Agrippæ juvenis nomine, aſperrimam de ſe epiſtolam in vulgus edidiſſet: hic convivio pleno proclamaſſet: *Neque votum ſibi neque animum deeſſe confodiendi eum.* Quadam vero cognitione, cum Æmilio Æliano Cordubenſi inter cætera crimina vel maxime objiceretur, quod male opinari de Cæſare ſoleret: converſus ad accuſatorem, commotoque

vero, quam Græce dixeris ἰσονομίαν, virtus eſt quæ civi convenit, qua civis eſt. Cum enim civitas æquo jure conſtet, civis ἡ civis virtus eſt, æquabilitatem juris tueri cum cæteris. Plato videtur πολιτικὴν appellare, cum ita definit: Ἡ πολιτική ἐστιν ἐπιστήμη ποιητικὴ δικαιοσύνης ἐν πόλει: tamen πολιτικὴ vulgo apud philoſophos & rhetores, itemque *civilitas* apud Quintilianum alius generis virtus eſt. Hanc qua de agimus, Antoninus Imp. lib. I. appellat πολιτείαν ἰσόνομον κατ' ἰσότητα καὶ ἰσηγορίαν διοικουμένην. de hac enim ſentiebat, cum ſcriberet, dediciſſe ſe a fratre φαντασίαν λαβεῖν πολιτείας ἰσονόμου κατ' ἰσότητα καὶ ἰσηγορίαν διοικουμένης καὶ βασιλείας τιμώσης πάντων μάλιστα τὴν ἐλευθερίαν τῶν ἀρχομένων. Dio civilitatem hanc ἰσομοιρίαν ἐξ ἰσονομίας appellat, & alibi τὸ δημοκρατικὸν, egregia voce. ſimili ratione Theophraſtus in fragmento Characterum nondum edito ὀλιγαρχικὸν vocat hominem non civilem: de quo apte dixeris, quod de Julio Cæſare Lucanus:

Conceſſa pudet ire via civemque videri.

Dio idem lib. XLIII. elegantiſſime ἀδημοκράτητα vocat honores inciviles, id eſt, qui excedunt faſtigium civis ἰσονόμου, ſive ut loquitur Vellejus lib. II. cap. 7. *civilis dignitatis modum.* Latini interdum *æqualitatem* indigitant: vel *æqualitatem civilis juris*, ut Seneca. Juvenalis, *ſenſum communem*, acute: nam de hac virtute accipi debet hic locus Satyræ VIII.

Rarus enim ferme ſenſus communis in illa
Fortuna.

Virtutem hanc, fuere qui negarent, Imperatori convenire: & refert Lampridius objectam Alexandro Mammeæ nimiam civilitatem. jure quidem, ſi nimia fuit: cæterum ἁπλῶς civilitatem in Principe damnare, eſt negare civem eum eſſe. Quo poſito ſequitur, quemadmodum docet Ariſtoteles, ut ſit vel deus vel fera: quare nullum erit jus commune Principi cum ſubditis. Melius Plinius, qui in laudatione Trajani aliquoties eum *civem* appellat, & in Novell. ipſi ſe Impp. πολίτας.

Torrent.

Aſperrimam de ſe.] Sic MSS. omnes, uno dempto, qui *de eo* habet, idque ſequuntur interpretes. Simile Auguſti clementiæ exemplum apud Senecam lib. III. de Ira cap. XXIII.

Casaubon.

Ne numerem, quot & quos diverſarum part.] Seneca de Clementia, de Nerone: *Ignovit abavus tuus victis: nam ſi non ignoviſſet, quibus imperaſſet? Salluſtios, & Coccejos, & Dellios, & totam cohortem primam interioris admiſſionis ex adverſariorum caſtris conſcripſit.* & quæ ſequuntur.

Alterum levi exſilio punire ſatis habuit.] Vir doctus emendat *leni*, ſine applauſu meo. Non enim *exſilium lene* ita dici poteſt, ut *vinum* Horatio dicitur *lene tormentum*, ſed *leve* potius; ſicut *levis jactura*, *levis pœna*, aliaque facilius feram. infra cap. LXV. *Ex inſula in continentem lenioribusque paullo conditionibus tranſtulit eam.* quanquam ibi quoque malim *levioribus*. Quod affertur libro III. *Nihilo lenior in convictores Græculos fuit*, totum aliud eſt plane.

Quod male opinari de Cæſare ſoleret.] *Opinari* eſt δοξάζειν, intra ſe aliquid ſentire: *opinio* enim ſive δόξα ſapientibus definitur λόγος ὃν αὐτὴ πρὸς αὑτὴν ἡ ψυχὴ διεξέρχεται περὶ ὧν ἂν σκοπῇ, ut docemur in Theæteto. Sed ut *opinio* Latine loquentibus pro fama paſſim capitur: ſic hoc loco *male opinari*, maledicere ſignificat, & ad λόγον προφορικὸν referri debet, non ad ἐνδιάθετον. niſi malis utrumque: ut in Julio: *Si qua aut cogitarentur gravius adverſus ſe aut dicerentur.* Sic junguntur alibi *opinio* & *ſermo*, ut libro III. cap. XXXIX. item *mens* & *lingua*, ut lib. eodem cap. XXXVIII. Ita autem alibi verbum *opinari* uſurpat Suetonius infra cap. LXVII. *Servum graviſſime de ſe opinantem non ultra quam compedibus coercuit.* In Caligula: *Nec omnes gravibus ex cauſſis, verum male de ſuo munere opinatos.* Alibi pro eodem dixit, *exiſtimatione aliqua lædere.* libro III. capitale erat, dictum ullum factumve ejus *exiſtimatione aliqua læſiſſe.* ſed & *exiſtimare* pro loqui obſervamus poſitum. Macrobius lib. II. cap. IV. *Venit forte Auguſtus in domum, in qua Cato habitaverat: deinde Strabone in adulationem Cæſaris male exiſtimante de Catonis pervicacia:* hoc eſt, λοιδοροῦντος. ſic fortaſſe accipiendum apud Senecam, & ſcribendum de Ira lib. III. cap. 22. *Quid facilius fuit Antigono quam duos manipulares duci jubere, qui excubantes regio tabernaculo, faciebant, quod homines & periculoſiſſime & libentiſſime faciunt, ut de rege ſuo male exiſtiment?* Idem ſcriptor epiſtola XXXI. *Nemo novit Deum: multi de*

illo

que ſimilis : *Velim*, inquit, *hoc mihi probes : faciam, ſciat Ælianus & me linguam habere : plura enim de eo loquar.* Nec quidquam ultra, aut ſtatim aut poſtea inquiſivit. Tiberio quoque de eadem re, ſed violentius apud ſe per epiſtolam conquerenti, ita reſcripſit : *Ætati tuæ, mi Tiberi, noli in hac re indulgere, & nimium indignari quemquam eſſe, qui de me male loquatur. Satis eſt enim, ſi hoc habemus, ne quis nobis male*
52 *facere poſſit.* Templa quamvis ſciret etiam proconſulibus decerni ſolere, in nulla tamen provincia, niſi communi ſuo Romæque nomine recepit : nam in urbe quidem pertinaciſſime

illo male exiſtimant & impune. In epiſtola LXVIII. clare *loqui* & *exiſtimare* pro eodem ponuntur. & in fine epiſt. CVII. Hieronymus contra Luciferianos : *Cogor de beato Lucifero ſecus quicquam, quam & ipſius meritum & mea humanitas poſcit, exiſtimare.* id eſt, loqui. ſequitur enim : *Quid faciam? veritas os reſerat & invitam linguam conſcium ad eloquendum pectus impellit.*

TORRENT.

Sedulo violentius.] Turnebus *lentius* legit, ego utrumque rejiciendum cenſeo. Si *lentius* retines, pro pertinacius interpreteris licet. Sueton. Tib. *ſæva ac lenta natura.*

52. *Etiam proconſulibus decerni ſolere.*] In optimo cod. deſideratur verbum *ſolere*, nec male.

Communi ſuo Romæque nomine.] Hinc numiſmatum inſcriptio, ROM. ET. AUG. marmorum quoque, SACERDOS ROM. ET. AUG. Sed & apud Sex. Rufum templum Romæ & Auguſti regione templi Pacis. Auguſti vero ſolius apud eundem regione fori Rom. cujus & Plin. meminit lib. XXXV. cap. IV. in fine. Idem lib. XII. cap. XIX. *In palatii* (inquit) *templo, quod fecerat Divo Auguſto conjux Auguſta.* Exſtat & Antonini Pii apud me nummus cum templo, atque inſcriptione, TEMPLUM DIV. AUG. REST. id eſt, Auguſto reſtituit. Omitto, quæ in provinciis, & peculiariter in Aſia Pergami, in Bithynia Nicomediæ, viventi, & conſentienti etiam, ut tradit Dion lib. LI. exſtructa fuere, quorum memoriam nummi ſervant. Templi quod Nolæ ipſi dedicavit Tiberius, meminit Sueton. Tib. cap. XL. Alterum Tarracone Hadrianus collapſum reſtituit. Quod cum rurſus ſe reſtituere miſſus ante imperium in Hiſpaniam Severus ſomniaſſet, pro felici augurio habitum fuit. Auctor Spartian. De ſtatuis vero argenteis Auguſto poſitis Plin. lib. XXXIII. cap. XII. Merito igitur Horat.

Cœlo tonantem credidimus Jovem
Regnare, præſens divus habebitur
Auguſtus.

& iterum :

Præſenti tibi maturos largimur honores.

Adde Odam V. lib. IV.

CASAUBON.

Nec quicquam ultra aut ſtatim, aut poſtea inquiſivit.] Domitius Afer olim vere : *Princeps, qui vult omnia ſcire, neceſſe habet multa ignoſcere.* Caſſiodorus in Formulis : *Nulla poteſtas eſt, quæ qualitatem famæ ſuæ de ore hominum poſſit auferre.*

De eadem re ſedulo violentius apud ſe per epiſtolam conq.] Sic Viterb. Liſſæi, & prima editio, aliique codd. *ſedulo* ſignificat non ſolum ſine dolo, ſed etiam aſſidue : ita hic accipiendum. ſed in Turnebi libris *lentius* ſcriptum eſt, non *violentius.* Petrus quoque Pithœus ex ſuo hanc lectionem annotarat *ſedulo lentius*, & conjecturam ſuam adjecerat : Forte legendum, *ſed violentius.* εὐςόχως, prorſuſque bene. Sic enim in vett. libb. exſtare teſtatur Urſinus.

Ætati tuæ, mi Tiberi.] Quaſi ſævitia quæ tum in Tiberio ſe prodebat, vitium eſſet ætatis, non naturæ, ut in Claudio noſter ait. Ac videtur Auguſtus faciens de ſe conjecturam, ita opinatus de Tiberio : fore, ut quandoque matureſceret ſimul & miteſceret ejus ingenium. ſed quam falleretur ille in hoc ſuo judicio, eventus demum docuit. *Ætati* autem ſcribitur in omnibus Mss. uno excepto F. Pithœi, ubi *pietati tuæ.*

52. *Templa quamvis ſciret.*] Hinc orditur de civilitate Auguſti memorare : cujus hoc primum documentum ponit, quod honores a civibus ſuis ſupra humanum faſtigium non admiſerit. dico a civibus : nam quod in provinciis aras & templa ſibi poni ſiverit, non putavit Suetonius id eſſe incivile. adeo Quirites iſti cæteros mortales ne hominum quidem loco habuerunt. Melius Tacitus, qui generaliter illud in Auguſto culpatum notat, *quod templis coli voluerit.*

Proconſulibus decerni ſolere.] Fidem fecerit vel illud Hadriani Imperatoris de Pompejo mortuo jactatum : Τῷ ναοῖς βρίθοντι πόση σπάνις ἔπλετο τύμβου! Jam olim invaluerat hæc ἀρέσκεια, ut vocat Polyb. lib. V. apud Aſiaticos, Græcos, Syros, & alios, honorandi τοὺς εὐεργέτας θυσίαις καὶ βωμοῖς. Cicero ad Atticum : *Nullos honores mihi niſi verborum decerni ſino : ſtatuas, fana,* τέθριππα *prohibeo.* quod vere nec ſine cauſſa & Cicero gloriatur, & in Auguſto hic a Suetonio laudatur : nam legibus Romanorum cautum erat diſerte, ut proconſulibus jus eſſet permittendi quo templa ſibi & monumenta ponerentur. M. Tullius ad Q. fratrem : *In Aſia,* inquit, *neſcio quonam modo, Romæ quidem non mediocri cum admiratione laudatur, quod cum ad templum monumentumque noſtrum civitates pecunias decreviſſent : cumque id & pro meis magnis meritis, & pro tuis maximis beneficiis, ſumma ſua*

ciſſime abſtinuit hoc honore. Atque etiam argenteas ſtatuas olim ſibi poſitas conflavit omnes : exque iis aureas cortinas Apollini Palatino dedicavit. Dictaturam magna vi offerente

ſua voluntate feciſſent : nominatimque lex exciperet, ut ad templum monimentumque capere liceret, &c. Sed provinciales cum ſuis proconſulibus templa erigebant, non ipſos, verum illorum virtutes conſecrabant : quod longe aliud eſt. Hic honos & Q. Ciceroni Aſiam adminiſtranti eſt habitus. M. Tullius ad Fratrem : *In illis urbibus cum ſummo imperio & poteſtate verſaris, in quibus tuas virtutes conſecratas, & in deorum numero collocatas vides.*

Niſi communi ſuo Romæque nomine.] Quod olim Bibulus de templo Caſtoris & Pollucis dixit, idem iſtis Romæ & Auguſto eveniſſe videtur : ut duobus ſacra de unius nomine appellarentur. Joſephus certe Cæſaris templum nominat, in quo Romæ etiam erat ſimulacrum, Originum libro XV. cap. XIII. & alibi quoque. Ejus magni ſcriptoris locum ex libro primo Ἁλώσεως, cap. XVI. apponam, ut utriuſque ſimulacri forma intelligatur. loquitur autem de condita ab Herode Magno Cæſarea : Τοῦ ςόματος ἀντικρὺς ναὸς Καίσαρος ἐπὶ γηλόφου κάλλει καὶ μεγέθει διάφορος. ἐν δὲ αὐτῷ κολοσσὸς Καίσαρος οὐκ ἀποδέων τοῦ Ὀλυμπιάσι Διὸς, ᾧ καὶ προσείκασαι. Ῥώμης δὲ ἴσος Ἥρᾳ τῇ κατ' Ἄργος. Ex quibus verbis intelligitur, moris fuiſſe, ut qui ſimulacrum Imperatori conſecrare vellent, in exemplar ſumerent nobile aliquod alicujus dei ſignum. Nihil autem per ea tempora illuſtrius apud Græcos Olympiaco Jovis coloſſo & Junonis Argivæ ſtatua. Quare Cæſarem ad illius, Romam ad hujus ſimilitudinem formarunt. Fuiſſe autem in multis urbibus templa Auguſto & Romæ communia, ex hiſtoricis veteribuſque inſcriptionibus notæ.

Nam in Urbe quidem pertinaciſſime abſtinuit hoc honore.] Lege Dionis hiſtorias. Victor in Auguſt : *Hinc uti deo Romæ provinciiſque omnibus per urbes celeberrimas vivo mortuoque templa, ſacerdotes, & collegia ſacravere.* ſed templa vivo Auguſto fuiſſe in urbe exſtructa, falſum eſt : aræ tantum ei genioque ejus poſitæ.

VARIOR.

52. *Nam in Urbe quidem pertinaciſſime hoc honore abſtinuit.*] De Urbe ait : Dio etiam de Italia. Tacitus auctor eſt, *effigie numinum* coli eum voluiſſe : id valet in eam mentem, ut ſigna adpoſita Auguſti ſtatuis ſint, quæ ſolent deorum, puta radius, haſta, fulmen. Itaque nummi etiam hodie, in quibus Auguſti caput radiatum. LIPSIUS.

CASAUBON.

Argenteas ſtatuas olim ſibi poſitas conflavit omnes.] Olim igitur ab iſtiuſmodi adulatione non fuerat averſus, quod videtur magnam illi invidiam conflaſſe : vulgo enim jactatum, *argenti uſum in ſtatuas primum ad honorem illius, in adulationem temporum tranſiſſe,* inquit Plinius : quem lege lib. XXXIII. cap. XII. Merito igitur eas conflavit, ſecutus Mæcenatis conſilium, quod narrat Dio lib. LII. De his ſtatuis loquitur ipſe breviario rerum ſuarum, quod eſt Ancyræ, STATUÆ ---- QUADRAGENIS. ARGENTEIS. QUA. DE. PECUNIA. DONA. AUREA. IN. ÆDEM. APOLLINIS. MEO. NOMINE. ET. FILIORUM. QUÆ. MIHI. STATUERUNT. HONOREM. HABUERUNT. POSUI. Dio tamen lib. LIII. in alios uſus has ſtatuas conflatas ſcribit.

Exque iis aureas cortinas Apollini Palatino dedicavit.] Cortinarum frequentiſſimus olim uſus in ornandis deorum templis, Apollinis præſertim, ut Plinius ſcribit lib. XXXIV. & Bacchi. In pleriſque enim certaminibus (Baccho potiſſimum ſacris, ut notat lib. II. Athenæus) præmium fuit τρίπους, quem victor non auferebat domum, ſed ei deo conſecrabat, in cujus honorem celebrabatur id ludicrum. Herodot. Clio : Ἐν τῷ ἀγῶνι τοῦ Τριοπίου Ἀπόλλωνος ἐτίθεσαν τὸ πάλαι τρίποδας χαλκέους τοῖσι νικῶσι. καὶ τούτους χρῆν λαμβάνοντας ἐκ τοῦ ἱεροῦ μὴ ἐκφέρειν, ἀλλ' αὐτοῦ ἀνατιθέναι τῷ θεῷ. In epitaphio Simonidis Cei legimus : Ἓξ ἐπὶ πεντήκοντα Σιμωνίδη ἤραο νίκας καὶ τρίποδας. hos omnes ille diis conſecravit, quorum ludis vicerat. Similiter iis qui ludorum impenſas faciebant, præmii loco data cortina deo conſecranda. Hi ſunt τρίποδες χορηγικοὶ, quorum mentione Græca omnis hiſtoria, maxime autem Attica refertiſſima eſt. Vide præcipue Iſæi orationem de Hereditate Dicæogenis, Lyſiam in Apologia δωροδοκίας, Demoſthenem in Midiana & in eandem Ulpianum, ac Plutarchum Andocide. Grammatici veteres : Πύθιον ἱερὸν Ἀπόλλωνος Ἀθήνησιν ὑπὸ Πεισιστράτου γεγονὸς εἰς ὃ τοὺς τρίποδας ἐτίθεσαν οἱ τῷ κυκλίῳ χορῷ νικήσαντες τὰ Θαργήλια. In his varia argumenta cælabant, quæ ad honorem dantis, aut dei cui dabantur, pertinerent : quales aliquot tripodum inſcriptiones apud Herodotum & Pauſaniam hodieque exſtant, & ex Latinis apud A. Gellium lib. III. cap. XI. & Priſcianum lib. I. ac lib. VI. Ariſtides Sacrarum orationum IV. Περανθέντων δὲ τούτων ἐδόκει χρῆναι ἀναθεῖναι τρίποδα ἀργυροῦν, ἅμα μὲν τῷ θεῷ χαριστήριον, ἅμα δὲ μνημεῖον τῶν χορῶν οὓς ἐστήσαμεν. Perlege totum locum : multa enim eo loci Sophiſta de inſcriptione ejus tripodis. Eſt & epigramma iſtud Theocriti tripodis χορηγικοῦ inſcriptio :

Δαμοτέλης ὁ χορηγὸς ὁ τὸν τρίποδ' ὦ Διόνυσε
Καί σε τὸν ἥδιστον θεῶν μακάρων ἀναθεὶς,
Μέτριος ἦν ἐν πᾶσι, χορῷ δ' ἐκτήσατο νίκην
Ἀνδρῶν, καὶ τὸ καλὸν καὶ τὸ προσῆκον ὁρῶν.

Brevior hæc apud Plutarchum initio Ariſtidis : ANTIC-

offerente populo, genu nixus, dejecta ab humeris toga, nudo pectore deprecatus eſt.
53 Domini appellationem, ut maledictum & opprobrium ſemper exhorruit. Cum ſpectante eo ludos, pronuntiatum eſſet in mimo, *O dominum æquum & bonum!* & univerſi quaſi de ipſo dictum exſultantes comprobaſſent: & ſtatim manu vultuque indecoras adulationes repreſſit, & inſequenti die graviſſimo corripuit edicto, dominumque ſe poſthac appellari, ne a liberis quidem aut nepotibus ſuis, vel ſerio vel joco, paſſus eſt: atque hujuſmodi blanditias etiam inter ipſos prohibuit. Non temere urbe oppidove ullo egreſſus, aut quoquam ingreſſus eſt, niſi veſpere aut noctu: ne quem officii cauſſa inquietaret. In

ΑΝΤΙΟΧΙΣ ΕΝΙΚΑ ΑΡΙΣΤΕΙΔΗΣ ΕΧΟΡΗΓΕΙ ΑΡΧΕΣΤΡΑΤΟΣ ΕΔΙΔΑΣΚΕ. De his accipiendus eſt alius ejuſdem locus initio Niciæ: quem per ſe ſubobſcurum, interpretes obſcurarunt amplius, cum non intelligerent, quid eſſet τρίποδες χορηγικοί. eum nos alibi fuſe tractamus.

Dictaturam magna vi offerente populo.] Anno Urbis DCCXXXII. Dio lib. LIII.

TORRENT.

53. *Pronunciatum eſſet a mimo.*] Libri MSS. omnes *in mimo.* quod malim, vel *e mimo*, ut verba ſint e mimo petita.

Atque ejuſmodi blanditias.] Domini igitur appellatione varie uſi ſunt Romani. De imperio quidem adeo id nomen apud ipſos odioſum fuit, ut (quod Macrobius & Seneca tradiderunt) etiam in re domeſtica, quo omnem dominis invidiam, omnem ſervis contumeliam detraherent, dominum patrem familias, ſervos familiares appellare conſueverint. Et hoc eſt quod Tiberius dominus a quodam appellatus, denunciavit ne ſe amplius contumeliæ cauſa nominaret. Sueton. Tib. cap. XXVII. Ad blanditias vero etiam referri ſolere cum ex hoc loco manifeſtum eſt, tum ex eo, quod amicas ſuas ii qui amant, dominas vocant. Adde Sueton. Claud. cap. XXI. *Hortando rogandoque ad hilaritatem homines provocans, dominos identidem appellabat.* Atque hinc natum arbitror, ut, ſi occurrerent, quorum quis nomina vel ignorabat, vel non meminerat, dominos eos vocarent. Auctor Seneca lib. I. Epiſtol. Quo referendum Martial. epigramma:

Cum te non noſſem, dominum regemque vocabam.

Alterum vero illud:

Cum voco te dominum, noli tibi Cinna placere:
Sæpe etiam ſervum ſic reſaluto meum.

Irriſio eſt.

Aut quoquam ingreſſus.] Duo codices non habent hæc verba. Sed omnino retinenda ſunt. ſic enim non peſſimus auctor Zonaras: *Reverſus ex Græcia Auguſtus noctu ingreſſus eſt, ne obviam venire volentibus moleſtus eſſet. Idque deinceps ſæpius fecit tam ingrediendo, quam egregdiendo.*

Inquietaret.] Lib. vetuſtiſſimus *ſolicitaret*, pro ſolicitum redderet. Et ſane mira fuit veterum hac in re ſolicitudo, quam exagitat Juven. Sat. V.

— *habet Trebius propter quod rumpere ſomnum*
Debeat.

CASAUBON.

Genu nixus.] Sic Gordianus, cum Imperator ſalutaretur, reclamans ſe terræ affigebat. Capitolinus.

Dejecta ab humeris toga, nudo pectore.] Hebræorum, Græcorum, & Romanorum mos τῇ γυμνότητι ταπεινοῦν ἑαυτὸν, ut loquitur Plutarchus. Quare in omni graviore commotione veſtes lacerabant, ut paſſim in omnibus ſcriptoribus. Auguſtus vero etiam dejicit veſtem & nudat pectus, ut ſignificet, malle ſe occidi quam eum titulum recipere.

53. *Domini appellationem.*] Alia ſpecies civilitatis Auguſti: cujus moderati animi hæc eſt, inquit Philo: πίστις ἐναργεστάτη, τὸ μὴ δεσπότην μήτε θεὸν ἑαυτὸν ἐθελῆσαι προσειπεῖν, ἀλλὰ κ᾽ ἂν εἰ λέγοιτό τις, δυσχεραίνειν. Inſecutos Principes etiam bonos, & *domini*, & *rerum domini* & *heri* appellationem admiſiſſe palam eſt. Sero Julianus Auguſti & Tiberii conſuetudinem revocare conatus eſt, & dominum ſe appellari vetuit: quæ ejus εἰρωνεία a pleriſque eſt irriſa, ut ipſe teſtatur.

Atque hujuſmodi blanditias.] Inter fratres ſunt blanditiæ, adverſum poteſtates meræ ſunt adulationes. Sic recte modo vocavit Suetonius, proprietatis ſermonum diligentiſſimus. Alibi monemus has voces, ut apud Græcos ἀρέσκεια & κολακεία, ſæpe confundi. Martialis:

Fruſtra blanditiæ venitis ad me,
Attritis miſerabiles labellis.
Dicturus dominum deumque non ſum.

B. Hieronymus vocat *officia, quibus nos invicem palpare ſolemus.* Hujuſmodi autem blanditiis nulla lingua venuſtius aut frequentius uſa quam vetuſtiſſima Hebræorum, ut ſacrarum literarum lectio docet: & recentior quoque, ut paſſim in Rabbinorum libris.

Niſi veſpere aut noctu.] Ita Romam ſunt ingreſſi Octavius & Antonius pace orbi reddita DCCXV. τὸ φορτικὸν ἐκκλίνοντες, ait Appianus V. Ἐμφυλ. quod Suetonius dicit *officii cauſſa inquietare.* de Pompejo ſimile narrat Plutarchus. Refert Dio lib. LI. inter alios honores Auguſto decretos fuiſſe, ut qua die Urbem ingrederetur, feſtum eſſet: quo honore tamen uſum

In conſulatu, pedibus fere; extra conſulatum, ſæpe adoperta ſella per publicum inceſſit. Promiſcuis ſalutationibus admittebat & plebem: tanta comitate adeuntium deſideria excipiens, ut quemdam joco corripuerit, quod *ſic ſibi libellum porrigere dubitaret, quaſi elephanto ſtipem.* Die ſenatus numquam patres niſi in curia ſalutavit, & quidem ſedentes, ac nominatim ſingulos, nullo ſubmonente: & diſcedens eo modo ſedentibus ſingulis valere dicebat. Officia cum multis mutua exercuit: nec prius dies cu-

uſum eum non eſſe, lib. LIV. eidem notatum: Τὴν ἐπάνοδον, inquit, τοῦ δήμου καὶ τότε ἐξίστη. νυκτὸς γὰρ ἐς τὴν πόλιν ἐσεκομίσθη. ὅπερ που καὶ ἀεὶ, ὡς εἰπεῖν, εἴτε ἐς τὰ προάστεια, εἴτε καὶ ἄλλοσέ ποι ἐκδημοίη, καὶ ἀφορμώμενος, καὶ ἐπανιὼν ὁμοίως ἐποίει, ἵνα μηδενὶ ἀστῶν ὀχληρὸς εἴη.

TORRENT.

Elephanto ſtipem.] Hoc lepidiſſimum Auguſti dictum refert Quinctilian. lib. VI. & Macrob. lib. II. Addam Plinium lib. VIII. cap. V. ubi amatorem quendam elephantum narrat ſtipes, quas populus dederat, ſervaſſe, & in amicæ ſinum effudiſſe.

CASAUBON.

Sæpe adoperta ſella.] Placet *adaperta*, ut conjiciunt eruditiſſimi quidam viri. Hoc eſt, aliqua ex parte aperta. nam adaperire eſt ὑπανοίγειν, ſicut nuper ad Æneam noſtrum dicebamus.

Promiſcuis ſalutationibus admittebat & plebem.] Dies feſtos intelligit. Dio de ſalutationibus Auguſti lib. LVI. Ἐν ταῖς ἑορταῖς καὶ τὸν δῆμον οἴκαδε προσεδέξατο.

Quaſi elephanto ſtipem.] Mos agyrtarum, & eorum omnium, qui ejuſmodi belluas oſtentant. Ælianus de Animalibus lib. VI. cap. X. appellat *ſtipem*, quæ Galenus σμικρότατα νομίσματα initio Ἐπῳδοῦ, ſive poſtremi libri de Uſu partium: Ὁ ἐλέφας, ait, ἐκείνῳ τῷ μορίῳ κατὰ τὸ πέρας ἅπαντα μεταχειρίζεται, περιπλυσσομένῳ τοῖς λαμβανομένοις ἄχρι τῶν σμικροτάτων νομισμάτων, ἃ καὶ τοῖς ἐπικαθεζομένοις αὐτῷ δίδωσιν. *Elephas extrema proboſcide omnia tanquam manu contrectat, res acceptas involvens ea parte, etiam minima æra: quæ ſolet ſeſſoribus ſuis porrigere.*

Die ſenatus.] Vide notata ad cap. XXXV.

Et quidem ſedentes.] Ingrediebatur curiam noviſſimus, egrediebatur primus. Sedentes igitur ſenatores ingrediens & exiens, dum ipſorum præterit ſubſellia, ſalutat. Sed an vetuit ſibi ſenatores aſſurgere? an potius ſedens ipſe ſedentes ſalutavit? Mihi non ſatis de hoc more liquet, neque apud alios quicquam obſervo, quod eum mihi penitus aperiat.

Nullo ſubmonente.] Nihil muto. tamen in Pithœi codd. *nullo ſe movente. etiam di[illegible].*

Sedentibus ſingulis valedicebat.] Viterb. & Memmii, *ſedentibus valere dicebat*, ſine voce *ſingulis*.

Officia cum multis mutua exercuit.] Lib. III. *Mutua cum Græcis officia exercens prope ex æquo.* Et iterum: *Totum ſe ad quietem contulit, privata modo officia obiens.* Symmachus, *familiaria officia* nominat. Auctor paullo poſt, *cujusque ſolemnitates.* A graviore ſignificatu tranſlata hæc vox poſt Ciceronem. Apud Ariſtotelem IV. Nicomacheorum, τὰ ἔντιμα de his officiis interpretor: quo loco ait χαρακτηρίζων virum, qui magnos gerat ſpiritus, eum εἰς τὰ ἔντιμα μὴ ἰέναι, ἢ οὗ πρωτεύουσιν οἱ ἄλλοι. Tertulliani appoſitus locus huic Suetonii explicando in lib. de Idololatria: *Circa officia privatorum & communium ſolemnitatum, ut togæ puræ, ut ſponſalium, ut nominalium, nullum putem periculum.* Paulo poſt eidem *officii titulus* dicitur pro cauſſa, ut apud Juvenalem:

- - - officium cras
Primo ſole mihi peragendum in valle Quirini.
Quæ cauſſa officii? quid quæris? nubit amicus.

Sunt autem celeberrimæ illæ officiorum cauſſæ, quæ verbis ſuperioribus Tertulliani continentur: erant tamen & aliæ multæ, ut deductio magiſtratuum, candidatorum, & funeris, ſalutationes, recitationes, & aliæ, quarum libro eodem cap. X. Tertullianus meminit. Horum officiorum pleraque noctu vel prima luce ſolita celebrari obſervavimus: cujus rei teſtimonia de pluribus pauca proferemus lib. V. *Toga virilis circa mediam noctem ſine ſolemni officio lectica in Capitolium latus eſt.* Non enim ut inſolens notat ratione temporis, ſed quod officii ſolemnitate caruit. Feſtus: *Prima aut ſecunda diei hora dicata ſponſalibus.* Lucianus Nigrino de ſalutatoribus Romæ: Πολὺ δὲ τούτων οἱ προσιόντες αὐτοὶ καὶ θεραπεύοντες γελοιότεροι, νυκτὸς μὲν ἐξανιστάμενοι μέσης, περιθέοντες δὲ ἐν κύκλῳ τὴν πόλιν. Symmachus lib. VIII. *Nondum ante januam eminentium poteſtatum vigilem noctem ſalutator expertus.* Juvenalis, aliorumque poëtarum locos prætermitto. Martialis vero etiam deſerendæ Romæ cauſſam hanc ſibi ait fuiſſe:

Otia me ſomnusque juvant, quæ magna negavit
Roma mihi: redeo, ſi vigilatur & hic.

Jam funeris officium noctu fuiſſe celebratum, vel ipſum nomen indicio ſit. Vide vero Juliani conſtitutionem, quæ habetur in Cod. Theodoſ. lib. nono tit. XVII. lege V. Atque hæc ſunt, quæ vocat Plinius *officia antelucana* epiſt. XII. lib. III. propter iſta erant Romæ antipodes, qui noctu vigilarent, ſterterent interdiu: de quibus Seneca epiſt. CXXII. talis vita *Petronii, cui*, auctore Tacito, *dies per ſomnum, nox officiis & oblectamentis vitæ tranſigebatur.* Ex hac obſervatione intelligimus, quod infra hoc libro de Auguſto narratur: Ma-

cujuſque ſolennes frequentare deſiit, quam grandi jam natu, & in turba quondam ſponſaliorum die vexatus. Gallum Terrinium ſenatorem, minus ſibi familiarem, ſed captum repente oculis, & ob id inedia mori deſtinantem, præſens conſolando revocavit ad vitam. In ſenatu verba facienti dictum eſt, *Non intellexi :* & ab alio, *Contradicerem tibi, ſi locum haberem.* Interdum ob immodicas altercationes diſceptantium e curia per iram ſe proripienti, quidam ingeſſerunt, *Licere oportere ſenatoribus de Republ. loqui.* Antiſtius Labeo ſenatus lectione, cum vir virum legeret, M. Lepidum, hoſtem olim ejus, & tunc exſulantem, legit : interrogatuſque ab eo, an eſſent alii digniores, Suum quem-

Matutina vigilia offendebatur : ac ſi vel officii vel ſacri cauſſa maturius evigilandum eſſet, ne id contra commodum faceret, in proximo cujuſcunque domeſticorum cubiculo manebat.

VARIOR.

53. *Nullo ſubmonente.*] Ita diſerte Palat. primus. Nam ſecundus *ſubmovente*, quod alibi locum habere poſſit, hic minime. tert. ſervat, *nullo ſe movente.* Sed retinenda ſcriptura prima, ut innuat ſine nomenclatore ſingulos atque univerſos ſalutaſſe nomine. GRUTERUS.

Et diſcedens.] Gruterus ex tribus Palatinis repoſuit : *etiam diſcedens.*

Officia cum multis mutuo exercuit.] Haud dubie *mutua*. Ut apud Juſtinum XVII. 2. *Naves mutuas petit.* non *mutuo*. Deinde *grandi jam natu*, ex Torrentiano. ut Cornelius Nepos & Livius *magno natu* dicere ſolent. Livius lib. II. *Magno natu quidam cum omnium malorum ſuorum inſignibus ſe in forum projecit.* Lib. XXI. *Magno natu principes caſtellorum oratores ad Pœnum veniunt.* Varro lib. I. de Re ruſt. 17. *Qui præſint, eſſe oportere ætate majore quam operarios : facilius enim his, quam minore natu, ſunt dicto audientes.* Sic enim Mſs. & Fruterius Scaligerque probarunt. Intellige, qui ſunt minore natu. Neque aliter accipio noſtri cap. 31. *niſi cum aliquo majore natu propinquorum.* nempe cum aliquo propinquorum, qui eſſet majore natu. Neque ignoro, alibi apud Suetonium etiam *grandis natu* legi. GRONOVIUS.

TORRENT.

Dies cujusque ſolennes.] Tibull. lib. IV.

Eſt qui te, Cerinthe, dies dedit : hic mihi ſanctus,
Atque inter feſtos ſemper habendus erit.

Grandior jam natu.] Liber unus *grandi jam natu*, alter *ornatu*, & pro *ſponſaliorum*, *ſponſalitiorum*.

Gallum Terrinium.] Notiores mihi *Tetinnii*, atque id fortaſſe hic præſtet reſcribere.

54. *Antiſtius Labeo.*] De hoc (ut opinor) in Auguſti gratiam Horat. Sat. I. *Labeone inſanior.* Plura Dion lib. LIV. Atejus Capito epiſtola quadam de hoc ipſo Labeone : *Sed agitabat* (inquit) *hominem libertas quædam nimia & vecors,* &c. Citat Gell. lib. XIII. cap. XII. Antiſtiæ autem gentis cognomina Vetus, & Reginus.

Cum triumvirum legeret.] Non puto, quemquam negaturum me monente, quin *cum vir virum legeret* ſcribendum ſit. accidit enim ea ſenatus lectione, de qua ante cap. XXXV.

CASAUBON.

Ob id inedia mori deſtinantem.] More qui per illa tempora vigebat, ut debilitatem vel morbum immedicabilem ἀποκαρτερήσει effugerent : ſic Atticus obiit, de quo Cornelius Nepos : ſic Corellius Rufus, de quo Plinius epiſt. lib. I. & alii multi. Hic fructus Stoicæ doctrinæ tum maxime florentis. quanquam & aliæ ſectæ nonnullæ, & quidem voluptuariæ, impellebant homines ad mortem. exemplo ſit Hegeſias ſecta Cyrenaicus, e re Πεισιθάνατος dictus, quod vulgo hominibus mortem ſuaderet, cujus olim liber de eo argumento exſtabat Ἀποκαρτερῶν inſcriptus : de quo M. Tullius in primo Tuſculanarum.

54. *Contradicerem tibi, ſi locum haberem.*] Objicit occupatam rempub. ſive, quod idem eſt, omnia in rep. loca. *Locus* apud ſcriptores Romanos ita interdum accipitur. ſic in Veſpaſiano : *Præturæ ſextus locus.* Livius lib. VI. *Duobuſne in locis ſua voluntate impertituros plebi honorem, qui octona loca tribunis militum creandis occupare ſoliti ſint?* lib. VII. *Cum eo anno primum placuiſſet tribunos militum ad legiones ſuffragio fieri, ſecundum in ſex locis tenuit.* lib. IX. *Ut tribuni militum ſenideni in IV. legiones a populo crearentur, quæ antea perquam paucis ſuffragio populi relictis locis dictatorum & conſulum ferme fuerant beneficia.* lib. X. *Vir acer & ambitioſus non ſui magis honoris cauſſa, quam ut patritii recuperarent duo conſularia loca, cum ſuis tum totius nobilitatis viribus incubuit.* Sic apud Lampridium, *præpoſituræ locorum civilium*, & apud Dionem, lib. LIV. χώρα eodem ſenſu. Qui acumen hujus dicti exponeret, hactenus neminem vidi.

Licere oportere ſenatoribus de rep. loq.] Frequens formula in ejuſmdi contentionibus : ut apud Livium libro IV. *Oportet licere populo Rom. ſi velit, jubere legem.* In actis ſenatus apud Cælium : *Omnes oportere ſenatui dicto audientes eſſe.*

VARIOR.

Quondam ſponſaliorum die.] Forte : *quodam ſponſaliorum die.* GOESIUS.

quemque judicium habere reſpondit. Nec ideo libertas, aut contumacia fraudi cuiquam fuit. Etiam ſparſos de ſe in curia famoſos libellos, nec expavit, nec magna cura redar- 55
guit. Ac ne requiſitis quidem auctoribus, id modo cenſuit, cognoſcendum poſthac de
iis, qui libellos aut carmina ad infamiam cujuſpiam ſub alieno nomine edant. Jocis 56
quoque quorundam invidioſis aut petulantibus laceſſitus, contradixit edicto. Et tamen de inhibenda teſtamentorum licentia, ne ſenatus quidquam conſtitueret, interceſſit. Quo-

TORRENT.

55. *Neque expavit & mag. cur.*] Liber Ferrar. *neque expavit, nec magna cura redarguit, ne requiſitis quidem auctoribus. Id modo,* &c. quam lectionem ſequor. Inquiſitionis autem de famoſis libellis per Auguſtum factæ meminit Dion lib. LVI. Vide apud eundem hac de re Mæcenatis conſilium lib. LII.

Sub alieno nomine edant.] Quid ſi ſuo nomine edant? an minus tenebuntur? Lego igitur, *ſuo alienove nomine*, quanquam nullo adjutus codice, ſed ſola ratione. ſive enim ſuo, ſive alieno, vel etiam ſine nomine (dummodo de auctore conſtet) famoſum quis carmen ediderit, inteſtabilis ex lege eſſe jubetur. Sic Ulpian. l. V. De injuriis & famoſis libellis. Idque etiam XII. tabulis vetitum fuit, ne quod condere carmen liceret ad alterius injuriam. Cic. Tuſcul. IV. & Horat. Epiſt. ad Auguſtum:

Pœnaque lata, malo quæ nollet carmine quemquam
Deſcribi.

Ad novum vero Auguſti hac de re edictum reſpexit haud dubie Horat. lib. II. Sat. I. ad Trebatium:

Si mala condiderit in quem quis carmina, jus eſt
Judiciumque.

56. *De inhibenda teſtamentorum licentia.*] *Scommatorum* pro *teſtamentorum* legit Car. Sigonius lib. I. Diſputat. Patavinarum. Cui tamen non aſſentior. nam *licentiam teſtamentorum* pro teſtandi quoquo modo poteſtate, ſeu permiſſione poſuit. Qua cum ſenatus eos privare vellet, qui aut famoſos libellos ſcriberent, aut jocis quoque petulantibus ad invidiam Auguſto faciendam uterentur, ipſe interceſſit. Exiſtimo autem hujus capitis principium uſque ad verba *Quoties magiſtratuum*, ſuperiori capiti annectendum eſſe; ut ſenſus ſit, Auguſtum quidem quæſtionem de famoſis libellis permiſiſſe, & jocis quoque petulantioribus contradixiſſe edicto, verum obſtitiſſe, quo minus hi, qui deliquiſſent, ſenatuſconſulto inteſtabiles fierent, hoc eſt, teſtamenti factionem non haberent. Dion certe lib. LVI. ea de re ſcribens, conquiſitos tantum, combuſtoſque libellos refert, & in auctores quoſdam animadverſum; ſed qua pœna, non addit. Quod ergo paulo ante ex Ulpiano attulimus, ad Auguſtum auctorem referri nequit: quemadmodum nec ſenatuſconſultum illud, de quo idem Ulpian. l. XVIII. De teſtamentis, cum ait: *Si quis ob carmen famoſum damnetur, ſenatuſconſulto expreſſum eſt, ut inteſtabilis ſit. Ergo nec teſtamentum facere poterit, nec teſtamentis adhiberi.* Si quis tamen Auguſti id temporibus tribuat, neceſſe eſt, ut adverſus Auguſti interceſſionem latum eſſe fateamur. Adi quæ ad Horat. notamus lib. II. Sat. I. ne ſit neceſſe cum *licentiam* Sueton. dicit, pro petulanti quadam teſtamentaria libertate capere, quam inhibitum ierit ſenatus. Cujus non ſum neſcius exſtare apud Tacitum aliquod exempla: ſed nec hæc noſtra quidem pœnitenda mens & expoſitio, interceſſiſſe Auguſtum, ne ex S. C. inteſtabiles eſſent, qui eum liberius inceſſiſſent.

CASAUBON.

55. *Et magna cura redarguit.*] Per edictum, ut opinor: ſic mox, *jocis laceſſitus contradixit edicto.* hæc eſt lectio plerorumque codd. in nonnullis: *Nec magna cura red.* cui videntur favere ſequentia.

Id modo cenſuit, cognoſcendum poſthac de iis, qui.] Tacitus, Annal. I. cap. 72. de lege majeſtatis a Tiberio reducta: *Apud veteres facta arguebantur, dicta impune erant. Primus Auguſtus cognitionem de famoſis libellis ſpecie legis ejus tractavit, commotus Caſſii Severi libidine, qua viros fœminaſque illuſtres procacibus dictis diffamaverat.* Adi, ſi libido eſt, Dionem libro LVI. & J. C. quorum hæc propria cognitio eſt.

Alieno nomine edant.] Melius *ederent*, ut ex ſcriptis prodit Urſinus.

56. *De inhibenda teſtamentorum licentia.*] Romanorum mos fuit in teſtamentis increpare alios, maledicere aliis, & liberam de quibuſcunque vellent, vocem edere. Ideo dicebat Nigrinus apud Lucianum: *Μίαν φωνὴν οἱ Ῥωμαίων παῖδες ἀληθῆ παρ' ὅλον τὸν βίον προΐενται (τὴν ἐν ταῖς διαθήκαις λέγων) ἵνα μὴ ἀπολαύσωσι τῆς σφετέρας ἀληθείας.* Per hanc licentiam factum ſæpe, ut in teſtamentis ſuis multi Auguſtum jocis laceſſerent. Senatus in gratiam Auguſti voluit decreto inhibere hanc petulantiam: Auguſtus interceſſit. Hæc eſt vera ſententia hujus loci, quam viderunt ante nos docti viri. At Torrentius, qui aliter interpretatur, non ſatis attendiſſe videtur, quid interſit inter libertatem teſtamentorum, & eorundem licentiam. Scio, in quibuſdam codd. pro *teſtamentorum*, legi *jocorum*: verum illam ſcripturam meliorum librorum auctoritas confutat.

VARIOR.

Fraudi cuiquam fuit.] Ulpianus l. 32. §. 2. D. de Ædilitiis edict. *Capitalem fraudem admittere, eſt tale aliquid delinquere, propter quod capite puniendus ſit.*

Quoties magiſtratuum comitiis intereſſet, tribus cum candidatis ſuis circuibat: ſupplicabatque more ſolenni. Ferebat & ipſe ſuffragium in tribubus, ut unus e populo. Teſtem ſe in judiciis & interrogari & refelli æquiſſimo animo patiebatur. Forum anguſtius fecit, non auſus extorquere poſſeſſoribus proximas domos. Numquam filios ſuos populo commendavit, ut non adjiceret: *Si merebuntur.* Eiſdem prætextatis adhuc aſſurrectum ab univerſis in theatro, & a ſtantibus plauſum, graviſſime queſtus eſt. Amicos ita magnos & potentes in civitate eſſe voluit, ut tamen pari jure eſſent, quo cæteri, legibuſque judiciariis æque tenerentur. Cum Aſprenas Nonius arctius ei junctus, cauſſam veneficii, accuſante Caſſio Severo, diceret: conſuluit ſenatum, quid officii ſui putaret: *Cunctari enim ſe, ne, ſi ſupereſſet, eriperet legibus reum: ſin deeſſet, deſtituere ac prædamnare amicum exiſtimaretur.* Et conſentientibus univerſis, ſedit in ſubſelliis per aliquot

ſit. Veteres enim fraudem pro pœna ponere ſolebant. GOES.

55. *Carmina ad infamiam cujuſpiam ſub alieno nomine ederent.*] Vocem ultimam repræſentavi, ut erat in cod. Urſini. nam aliorum mſſ. ſtabiliunt vulgatam *edant.* Torrentius cur hic malit *ſuo alienove nomine*, non video: neque enim protervum illud hominum genus tantis fuit cervicibus, ut nomen adponeret. non. ſed abutebatur magnis nominibus, ſub quibus exercebat effrenem petulantiam ſuam. Sic apud Tacit. lib. V. cap. 4. *Ferebantur etiam ſub nominibus conſularium ficta in Sejanum ſententiæ, exercentibus pleriſque per occultum, atque eo procacius, libidinem ingeniorum.* Ita ſub Publii Ruffi nomine multa in vulgum ſparſa, auctor Dio Caſſius lib. LV. GRUTERUS.

56. *De inhibenda teſtamentorum licentia.*] Quæ adeo recepta, ut plerique ingeniorum petulantiam non alio velo exercerent. Ita *Fulcinius Trio ſupremis tabulis multa & atrocia in Macronem compoſuit*, ait Tacitus Annal. VI. Ab hac mente Suetonius: nec virum doctum C. Sigonium quiſquam audiat corrigentem, *de inhibenda ſcommatorum licentia.* Enimvero exempla hujus libertatis in extrema tabula regulaque, habes in Tacito plura. LIPSIUS ad Tacit. VI. Annal. c. 38.

TORRENT.

Suff. in tribu.] Duo codd. *in tribus*; lego itaque *in tribu ſua.*

Aſprenas Nonius.] Hoc judicio, ut tradit Plin. lib. XXXV. cap. XII. Aſprenati reo Caſſius Severus accuſator objiciebat, una ejus patina interiiſſe CXXX convivas. Ipſum vero Caſſium celebrem oratorem vocat lib. VII. cap. XII. Ejuſdem meminere Seneca, Quinctilian. Macrob. & Sueton. Calig. cap. XVI. Vitell. cap. 11. Plura noſtris in Horat. commentariis Epod. VI. quod carmen in hunc Caſſium ſcripſiſſe Poëtam tradunt.

Ne ſi ſupereſſet.] *Supereſſe* pro adeſſe & defendere dixit, contra Gellium lib. I. cap. XXII.

Laudatione judiciali.] Cum rei ſæpe propinquorum amicorumque, qui illis aderant in judicio, laudatione ac precibus liberarentur, Pompejus tertio ſuo conſulatu inſtituit, ne quis laudator aut deprecator accederet. At cum ipſemet poſtea laudaturus Munatium Plancum in judicium veniſſet, Cato cauſæ judex aures oppoſitis manibus obturavit. Auctor Dion lib. XL. & ejus vita Plutarchus.

CASAUBON.

Ferebat & ipſe ſuffragium in tribu.] Lege *tribubus* vel *tribus*, ut in membranis. Nam Auguſtus duabus in tribubus ſuffragium tulit.

Eiſdem prætextatis adhuc aſſurrectum.] Cauſſam diſce ex verbis Taciti Annal. lib. IV. 17. *Tiberius in ſenatu oratione monuit in poſterum, ne quis mobiles adoleſcentium animos præmaturis honoribus ad ſuperbiam extolleret.* ſed de theatro quod ait Suetonius & querela Auguſti, quia populus ejus liberis plauſum dederat, referendum ad hiſtoriam de Cajo filio ejus, quæ narratur Dioni lib. LIV. Τῷ Τιβερίῳ ἐπετίμησεν, ὅτι τὸν Γάϊον ἐν τῇ πανηγύρει τῇ εὐκταίᾳ, ἣν ἐπὶ τῇ ἐπανόδῳ αὐτοῦ διετέλει, παρεκαθίσατο, καὶ τῷ δήμῳ, ὅτι καὶ κρότοις καὶ ἐπαίνοις αὐτὸν ἐτίμησαν. Suſpecta autem fuiſſe & Caji & Lucii ingenia patri Auguſto, docet Idem lib. LV.

Sedit in ſubſelliis.] Judicum, ait Beroaldus: imo vero rei & patronorum ejus. A me ſtat Dio, ſi verba ejus attente legantur, breviter hanc hiſtoriam ſic narrantis: Φίλῳ τινὶ δίκην φεύγοντι συνεξετάσθη προεπικοινώσας αὐτὸ τοῦτο τῇ γερουσίᾳ. Nec moveor altero ejuſdem Principis facto, qui ut amicis opem ferret, venit in forum, & in ſella prætoris conſedit, ut narrat idem lib. LIV. nam in ea hiſtoria omnia diverſa: ibi Principem, hic amicum agit. De laudatione judiciali Cicero lib. V. in Verrem, & Plutarchus in Pompejo.

VARIOR.

Sin deeſſet.] *Deeſſe* hic nihil valet aliud quam *abeſſe*, ut in l. LV. ff. de Evict. *Si ideo contra emptorem judicatum eſt, quod defuit, non committitur ſtipulatio: magis enim propter abſentiam victus videtur, quam quod malam cauſam habuit.* Sed & conditio

aliquot horas: verum tacitus, ac ne laudatione quidem judiciali data. Affuit & clienti-
bus: ſicut Scutario cuidam, evocato quondam ſuo, qui poſtulabatur injuriarum. Unum
omnino e reorum numero, ac ne eum quidem, niſi precibus, eripuit, exorato coram
judicibus accuſatore, Caſtricium, per quem de conjuratione Murenæ cognoverat. Pro 57
quibus meritis quantopere dilectus ſit, facile eſt æſtimare. Omitto ſenatuſconſulta, quæ
poſſunt videri vel neceſſitate expreſſa, vel verecundia. Equites Romani natalem ejus
ſponte atque conſenſu, biduo ſemper celebrarunt. Omnes ordines in lacum Curtii
quo-

conditio defuiſſe dicitur Paulo l. VI. ff. de Naut. fœn. quæ tempore, quo debebat, aberat. GOESIUS. Sicut *adeſſe* reis dicebantur advocati, qui eis præſentiam ſuam commodabant, ſic *deeſſe*, qui eam non commodabant. Atque hæc eſt hoc loco iſtius verbi vera ſignificatio.

TORRENT.

Sicut ſcrutario cuidam.] Mihi liquet *ſcutario* legendum. Militum autem genus fuiſſe, quos *ſcutarios* vocabant, & Ammianus Marcellinus non uno in loco oſtendit, & Paulus Diaconus initio Supplementi in Eutropium probat, cum ait Valentinianum *ex tribuno ſcutariorum* Auguſtum factum fuiſſe.

CASAUBON.

Adfuit & clientibus.] Dio lib. LIV. Ἐν τοῖς ἄλλοις ἐμετρίαζεν, ὥϛε καὶ φίλοις εὐθυνομένοις παραγίγνεσθαι.

Sicut Scutario cuidam evocato quondam ſuo.] Non conſentiunt hic libri. Membranæ quædam *ſcrutario.* id eſſet perinde ac ſi diceret, homini cuidam infimæ ſortis. *Scrutarius*, qui popello ſcruta vendit, γρυτοπώλης. ſed princeps editio legit aliter, *Scutario evocato quondam ſuo*, cum litera majuſcula, ut videatur eſſe proprium nomen. in Gloſſario *ſcutarius* exponitur ἀξίωμα ϛρατιωτικὸν φέρων, *qui dignitate militari eſt præditus.* quo modo hodie in hoc regno *Eſcuier*, gradus eſt nobilitatis, originem habens a re militari. Dio ſimpliciter, τινὰ τῶν συϛρατευσαμένων ποτὲ αὐτῷ. Evocato ſuo dixit, ut in lapidum monumentis non raro, EVOK. AUG. Hyginus lib. II. *Nuper quidam evocatus Auguſti, cum in Pannonia agros veteres ex voluntate & liberalitate Imp. Trajani aſſignaret in ære.* Alii ab iſtis *evocati* Galbæ, de quibus Suetonius cap. X.

57. *Pro quibus meritis quantopere.*] Egregium colophonem imponit parti libri hujus, quæ eſt de publice geſtis ab Auguſto. Bene autem, quod ultimo loco de his agit. nam hoc eſt ſuperius expoſitarum virtutum ἀποτέλεσμα. Utinam ita bene cum rebus humanis ageretur, ut magni Principes, qui ſe gaudent appellari Auguſtos, hæc legerent & meditarentur.

Equites Romani.] Qui Liviam ſimiliter poſtea coluerunt. Tacitus III. Annal. 7. 11. *Donum pro valetudine Auguſtæ equites Rom. voverant.*

Natalem ejus ſponte atque conſenſu biduo ſemper celebrarunt.] Auguſti natalem & circenſibus & venatione fuiſſe celebratum quotannis per unum aliquem e prætoribus narrat Dio lib. LIV. extremo. Idem libri ſequentis initio decretos in eam rem annuos circenſes ἀϊδίȣς auctor eſt. meminit & alibi. non ſolum autem equeſter ordo, ſed etiam collegia pleraque eum diem feſtivum habere ſolita: eratque arca ipſis communis ad feſtivitatis ejus impenſas. Declarat vetus inſcriptio Romæ:

COLLEGIO.
CENTONARIORUM.

* * * *
CUM. BASI. MARMOREA. ET. CERIOLARIB.
DUOBUS. ÆREIS. HABENTIBUS. EFFIGIEM. CUPIDINIS. TENENTES. CALATHOS.
L. SEXTILIUS. SELEUCUS. DECURIO. D. D.
HOC. AMPLIUS. ARK. REP. P. COLLEGI. SS.
DONUM. DEDIT. X. V. UT. EX. USURIS.
CENTESIMIS. EJUS. QUANTITATIS.
QUÆ. EFFICIT. ANNUOS. X. DC. DIE.
VIII. KAL. OCTOB. NATALI. DIVI.
AUGUSTI. EROGENTUR. EX. ARK.

In lacum Curtii.] Septum intelligit in medio foro Romano, ubi olim fuit lacus Curtius: nam tunc quidem lacus nullus erat, teſte Dionyſ. Halicar. lib. II. De ſepto docuit nos Varro lib. IV. Quod autem ſtipem in lacum jaciunt Romani, veteris ſuperſtitionis ritus fuit. Sic enim ſolebant loca hominum opinione ſacra, ut lacus, puteos, venerari. Pauſanias Atticis de fonte quodam apud Oropios: Νόϛȣ δὲ ἀκεσθείσης ἀνδρὶ μαντεύματος γενομένȣ, κατέϛηκεν ἄργυρον ἀφεῖναι καὶ χρυσὸν ἐπίσημον ἐς τὴν πηγήν. Similia narrat & alibi. item Plinius VIII. epiſt. de Clitumno fonte. Notat hunc gentium morem Sozomenus lib. II. ubi de quercu Mamre loquitur, & puteo ad eam olim effoſſo ab Abrahamo. Verba ejus ſunt: Περὶ δὲ τὸν καιρὸν τῆς πανηγύρεως ȣ̓δεὶς ἐντεῦθεν ὑδρεύετο. Νόμῳ γὰρ Ἑλληνικῷ οἱ μετὰ λύχνȣς ἡμμένȣς ἐνθάδε ἐτίθεσαν, οἱ δὲ οἶνον ἐπέχεον ἢ πόπανα ἔρριπτον· ἄλλοι δὲ νομίσματα, ἢ μύρα, ἢ θυάματα. νομίσματα ſunt ſtipes. Eadem fuit & gentium Gothicarum conſuetudo. Arguit Ladiſlai regis Ungariæ decretum de ſynodi ſententia ante annos quingentos factum: *Quicunque ritu genti-*

quotannis ex voto pro ſalute ejus ſtipem jaciebant: item Kalendis Januariis ſtrenam in Capitolio, etiam abſenti: ex qua ſumma pretioſiſſima deorum ſimulacra mercatus, vicatim dedicabat: ut Apollinem Sandaliarium, & Jovem Tragœdum, aliaque. In reſtitutionem Palatinæ domus incendio abſumtæ, veterani, decuriæ, tribus, atque etiam ſingillatim e cætero genere hominum, libentes ac pro facultate quiſque pecunias contulerunt: delibante tantummodo eo ſummarum acervos, neque ex quoquam plus denario auferente. Revertentem ex provincia, non ſolum fauſtis ominibus, ſed & modulatis carminibus proſequebantur. Obſervatum etiam eſt, ne quoties introiret urbem, ſupplicium de quo-

gentilium juxta puteos ſacrificaverint, vel ad arbores & fontes & lapides oblationes obtulerint, reatum ſuum bene luant.

TORRENT.

57. *Ex voto pro ſalute ejus ſtipem.*] Stipem pro ſalute Cæſaris in lacum Curtii jaciebant, ut eo loci, quo hiatus ad inferos patuerat, dii Manes propitii redderentur. De ſtipe vero kal. Januarii collata exſtat vetuſti marmoris Romæ, non procul ab arcu Septimii Severi eruti, inſcriptio:

IMP. DIVI. F. AUGUSTUS.
PONTIFEX MAXIMUS.
IMP. XIII. COS. XI. TRIB. POTEST. XV. EX STIPE QUAM POPULUS ROMANUS ANNO NOVO APSENTI CONTULIT
NERONE CLAUDIO DRUSO
T. QUINCTIO CRISPINO COSS.
VOLCANO.

Apollinem Sandaliarium, & Jovem Tragœdum.] Sex. Rufus regione templi Pacis vicum *Sandaliarium*, & regione Eſquilina vicum *Tragœdum* commemorat. Hinc Apollinis, Joviſque cognomina. Sed & in antiquo marmore ſic legitur: MAGISTRI VICI SANDALIARI REG. IV.

Aliaque in reſt.] Male hæc diſtincta. Lego igitur hoc modo: *& Jovem Tragœdum, aliaque. In reſtitutionem Pal. dom. inc. abſumptæ veterani, dec.* &c.

Sed & modulatis carminibus.] Qualia ante deorum effigies canebantur. Sueton. Calig. cap. XVI. *Nobilibus pueris, ac puellis carmine modulato laudes virtutum ejus canentibus.* De abſentis Auguſti deſiderio elegantiſſima Horatii Oda V. lib. IV. *Fauſtis* etiam *nominibus* pro *ominibus* legere malim, ut Calig. cap. XIII.

CASAUBON.

Kal. Januarii ſtrenam.] Mos ſub Auguſto inſtitutus, ſub Tiberio intermiſſus. reſtitutus ſub Cajo, ſublatus per Claudium. Auctores Suetonius, Dio.

Ex qua ſumma pretioſiſſima deorum ſimulacra mercatus, vicatim dedicabat.] Exempli cauſſa ex ea ſtipe, quæ conlata eſt anno DCCXIV. Vulcano poſitum donum aut ædes ei facta eſt, vel refecta, teſte veteri inſcriptione, quam profert Torrentius: ea, quam contulit populus an. DCCL. Laribus publicis conſecrata eſt. Vetus lapis:

LARIBUS. PUBLICIS. SACRUM.
IMP. CÆSAR. AUGUSTUS.
PONTIFEX. MAXIMUS.
TRIBUNIC. POTEST. XVIII.
EX. STIPE. QUAM. POPULUS. EI.
CONTUTIT. K. JANVAR. APSENTI.
C. CALVISIO. SABINO.
L. PASSIENO. RUFO. COSS.

In reſtitutionem Palatinæ domus incendio abſumtæ.] Narrat Dio pluribus libro LV.

Fauſtis ominibus.] Εὐφημίαις, quam vocem hoc loco per *fauſta nomina* vel *omina* vertere poſſis eodem ſenſu. nihil igitur hic muto, neque lib. IV. c. 13. ubi *fauſta nomina* antiqui libb. habent.

Supplicium de quoquam ſumeretur.] Diem reditus Auguſti in urbem ἱερὸν in perpetuum factum decreto ſenatus narrat Dio. feſtis autem diebus ſupplicio abſtinuerunt veteres Græci & Romani. Philo contra Flaccum: Τοῖς γὰρ ὀρθῶς πολιτευομένοις τῶν ἀρχόντων, καὶ μὴ προσποιουμένοις τὸ τιμᾷν (ita lego, non τολμᾷν) ἀλλ᾽ ὄντως τιμῶσιν εὐεργέτας, ἔθος ἐστὶ μηδένα κολάζειν τῶν κατακρίτων, ἄχρις ἂν αἱ ἐπιφανεῖς γενέθλιοι καὶ πανηγύρεις αὗται τῶν ἐπιφανῶν Σεβαστῶν διεξέλθωσιν.

VARIOR.

57. *Sponte atque conſenſu.*] MS. Salmaſii: *conceſſu.*

Strenam.] MS. Salmaſii: *ſtrenuam.*

Ut Apollinem Sandaliarium.] Apollo Sandaliarius poteſt videri dictus, quod ſandaliis indutus eſſet. Sic Jupiter Tragœdus apud Plautum in Amphitruone, quod hiſtrionicam fecerit. Apollo Sandaliarius in regione IV. ponitur a P. Victore. & item Vicus Sandaliarius in veteri inſcriptione. F. URSINUS.

Decuriæ.] Decuriæ hic ſunt operæ magiſtratuum, ſive collegia, in quibus ſcribæ, lictores, viatores, nomenclatores, & accenſi magiſtratuum cenſebantur, ut multis docet Vir ſummus H. VALLESIUS ad Amm. Marcell. lib. XXVIII. ubi male Caſaubonum ſuperius ad caput XXXII. in Juvenalis Scholiaſte *decuriam quæſtoriam* expoſuiſſe oſtendit, decuriam equeſtrem

quoquam ſumeretur. Patris patriæ cognomen univerſi repentino maximoque conſenſu detulerunt ei. Prima plebs, legatione Antium miſſa: dein quia non recipiebat, ineunti Romæ ſpectacula frequens & laureata: mox in curia ſenatus: neque decreto, neque acclamatione, ſed per Valerium Meſſallam id mandantibus cunctis: *Quod bonum*, inquit, *fauſtumque ſit tibi, domuique tuæ, Cæſar Auguſte, (ſic enim nos perpetuam felicitatem* 58

equeſtrem, cum ſit decuria, in quam ſcribæ quæſtorii referantur.

Supplicium de quoquam ſumeretur.] Ita in Græcia, cum legati aut Delon, aut Epheſon, aut in alias urbes, religionum nomine celebres, adveniſſent, mos erat, nulla ſupplicia de ſontibus ſumi: nec quenquam fas tum fuit etiam capitis condemnare. Ceſſabant tum judicia publica, eorumque exſecutiones: ac, cum hic mos violaretur, ἡ θεωρία λύεσθαι dicebatur. Salmasius.

Torrent.

58. *Quod bonum fauſtumque ſit.*] Solennis conſulum in relationibus faciendis præfatio. Inf. Calig. cap. xv. Ner. cap. xxxvii. Claud. cap. vii. Domit. cap. xv.

Casaubon.

58. *Patris patriæ cognomen.*] Dies, quo hic honos Auguſto delatus, certus ex Ovidio, qui Non. Febr. id factum canit ii. Faſtorum. De anno quæri poteſt. Doctiſſimi viri, qui faſtos concinnarunt, referunt ad DCCLVIII. quippe eo anno conſul Valerius Meſſalla, de quo hic Suetonius. Id ſi certum, qui conſtare poterit fides vetuſtiſſimæ inſcriptioni, quæ Seduni in Valleſia hodieque viſitur, ad majorem ſummi templi portam:

P. CÆSARI DIVI J.
UGUSTO. COS. XI.
RIBUNICIA POTESTATE XV.
PATRI PATRIÆ
TIFICI MAXIMO
*AS. SEDUNORUM
** PATRONO.

Sed puto numeros in hac inſcriptione eſſe corruptos & ex fide hiſtoriæ emendandos: nam male ſuppleverunt viri docti, prorſuſque in Auctario veterum inſcriptionum corrupte hoc egregium vetuſtatis monumentum eſt deſcriptum: non enim minus falſum, fuiſſe Auguſtum Pont. Max. undecimo ſuo conſulatu, quam fuiſſe tum Patrem Patriæ ſalutatum. quare ita potius emendandum:

IMP. CÆSARI. DIVI. JULI. F.
AUGUSTO. COS. XIII.
TRIBUNICIA POTESTATE XXVIII.
PATRI PATRIÆ.
PONTIFICI. MAXIMO.
CIVITAS. SEDUNORUM.
* PATRONO.

Scio exſtare lapides, qui vulgatam iſtius ſculpturam firmare videantur: ſed plus apud me hiſtoricorum in veritate valet conſenſus, quam paucorum lapidum in errore συγκυρία.

Neque acclamatione.] Sæpe honores maximi ita tributi impetu magis quam conſilio. expreſſit Livius lib. 1. cap. 16. hanc conſuetudinem in conſecratione Romuli: *Romana pubes ſedato tandem pavore, poſtquam ex tam turbido die ſerena lux rediit, ubi vacuam ſedem regiam vidit, mœſtum aliquamdiu ſilentium obtinuit: deinde a paucis initio facto, deum deo natum, regem parentemque urbis Romanæ ſalvere univerſi Romulum jubent.* Et exempla pluria in hiſtoria Auguſtorum.

Sic enim nos perpetuam felicitatem.] Plinius in Panegyrico cap. 23. *Ut in unius ſalutem collata omnium vota? cum ſibi ſe ac liberis ſuis intelligerent precari quæ pro te precarentur.* cap. 72. *Debemus obſecrare, ut omnia quæ facis quæque facies, proſpere cedant tibi, reip. nobis: vel, ſi brevius ſit optandum, ut uni tibi, in quo & reſp. & nos ſumus.*

Felicitatem reip. & læta huic.] Trajectio Suetonii, ut ante monebamus, pro *felicitatem & læta reip. huic.* ſic ſtatim, *ut prælato victimæ titulo in Capitolium ducerentur*; pro *prælato titulo victimæ in Cap.* Nihil ergo mutemus.

Cui lacrymans reſpondit Auguſtus.] Repente exortum gaudium ingens lacrymæ ſæpe conſequuntur. Multa paſſim exempla, ut dicebamus ad Athenæum libro quinto cap. xix. Sed non poſſum prætermittere ſimillimum exemplum, de lacrymis magni principis Ptolemæi Philadelphi. Hic cum allata recens e Judæa Legis Dei ſacra volumina venerabundus tractaret, eoque nomine Deo Opt. Max. gratias ageret: fauſta omnium qui aderant acclamatione dilaudatus, lacrymas non tenuit. Joſeph. xi. 2. eleganter: Ἐκβοησάντων δ' ὑφ' ἓν τῶν πρεσβυτέρων καὶ τῶν συμπαρόντων, γίνεσθαι τὰ ἀγαθὰ τῷ βασιλεῖ, δι' ὑπερβολὴν ἡδονῆς εἰς δάκρυα προὔπεσε φύσει τῆς μεγάλης χαρᾶς πασχούσης καὶ τὰ τῶν λυπηρῶν σύμβολα. Idem aliis verbis Ariſteas & antiquus & non inelegans ſcriptor: Ὁμοθυμαδὸν δὲ πάντων εἰπόντων ὑπὸ μίαν φωνὴν τῶν τε παραγεγονότων καὶ τῶν συμπαρόντων, Εὖ βασιλεῦ! προήχθη δακρῦσαι, τῇ χαρᾷ πεπληρωμένος· ἡ γὰρ τῆς ψυχῆς ἔντασις καὶ τὸ τῆς τιμῆς ὑπερτεῖνον δακρύειν ἀναγκάζει κατὰ τὰς ἐπιτυχίας. Sic Trajanus ad voces dilaudantis populi & fauſta comprecantis *lacrymis etiam & multo pudore ſuffundebatur*, inquit Plinius. Lege ſi lubet, quæ de hujuſmodi lacry-

tatem Reipubl. & læta huic precari exiſtimamus) Senatus te conſentiens cum pop. Rom. conſalutat PATRIÆ PATREM. Cui lacrymans reſpondit Auguſtus, his verbis (ipſa enim, ſicut Meſſallæ, poſui) *Compos factus votorum meorum, Patres C. quid habeo aliud deos immortales precari, quam ut hunc conſenſum veſtrum ad ultimum vitæ finem mihi per-*
59 *ferre liceat.* Medico Antonio Muſæ, cujus opera ex ancipiti morbo convaluerat, ſtatuam, ære collato, juxta ſignum Æſculapii ſtatuerunt. Nonnulli patrum familiarum, teſtamento caverunt, ut ab heredibus ſuis, prælato victimæ titulo, in Capitolium ducerentur, votumque pro ſe ſolveretur, QUOD SUPERSTITEM AUGUSTUM RELIQUISSENT. Quædam Italiæ civitates diem, quo primum ad ſe veniſſet, initium anni fecerunt. Provinciarum pleræque ſuper templa & aras, ludos
60 quoque quinquennales pæne oppidatim conſtituerunt. Reges amici atque ſocii, & ſinguli in

crymis ex lætitia fluentibus diſputat Philo Judæus in lib. *Περὶ ἀποικίας.*

TORRENT.

Et læta huic.] Reipub. ſcilicet, quanquam hoc duriuſculum eſt. Aut expungendæ igitur tres illæ voces, aut addendum *ordini.* quod notatum tantum, neque intellectum, ſcriba omiſit.

Sicut Meſſalla poſui.] Longe melius MSS. duo *ſicut Meſſallæ, appoſui.* ante enim Meſſallæ verba poſuerat, nunc Auguſti ponit.

59. *Antonio Muſæ.*] Muſa Pomponiorum cognomen. Nummi veteres. Huic vero Antonio manumiſſo ex ſervitute adhæſerat. Meminit ejuſdem Suetonius inf. cap. LXXXI. Plin. lib. IX. cap. VIII. & lib. XXIX. cap. I. Horat. Epiſtol. ad Vahalam. Dion lib. LIV. Fratrem habuit Euphorbum, regis Jubæ medicum. a quo Euphorbiæ herbæ nomen. Plinius lib. XXV. cap. VII.

Prælato victimæ titulo.] Libri MSS. *prælato tit. victimæ in Capit. ducer.* qui verborum ordo ſenſum magis aperit.

Votumque ſolveretur.] Magno optimi Principis laus, de quo quis merito dubitet, ipſumne populus, an populum magis ipſe ſalvum eſſe voluerit. Quod ſuo more oſtendit Horat. Epiſtol. ad Quinctium:

Si quis bella tibi terra pugnata marique
Dicat, & his verbis vacuas permulceat aures:
Tene magis ſalvum populus velit, an populum tu,
Servet in ambiguo, qui conſulit & tibi & Urbi,
Jupiter: Auguſti laudes agnoſcere poſſis?

Sic enim Horatio ex hiſtoria lumen accedit.

CASAUBON.

59. *Statuam ære collato.*] Formula non infrequens in lapidib. antiquis: qua declaratur populi affectio & conſenſus: Græci *ἀνδριάντα ἐκ συντελείας* vertunt. De ſtatua Muſæ decreta nihil Dio lib. LIII. Naufragio eum periiſſe, teſtis Euſeb. in Chronico.

Provinciarum pleræque ſuper templa & aras.] Aliaque omnis generis monumenta, quæ in honorem *ἐυεργετῶν* ſolita exſtrui. Mirum hunc populorum in Auguſtum amorem exprimit eleganter Philo Legatione ad Cajum: Auguſto, inquit ille, *πᾶσα ἡ οἰκουμένη τὰς ἰσολυμπίους τιμὰς ἐψηφίσατο, καὶ ναοὺς, προπύλαια, προτεμενίσματα, στοάς· ὡς ὅσα τῶν πόλεων ἢ νέα ἢ παλαιὰ, τῷ κάλλει καὶ μεγέθει ὑπὸ τῶν Καισαρείων παρευημερεῖσθαι.* Aræ ante alias nobiles fuere quæ Lugduni poſita, quæque Narbone. cujus exſtat hodieque conſecratio.

Ludos quoque quinquennales oppidatim conſtituerunt.] Tanquam Heroi, ut de Julio Cæſare notat Dio lib. XLIV. Auguſto autem conſtituerunt *ἀγῶνας πενταετηρικοὺς* & in Italia quidam, ut Neapolitani, Suetonius infra, capite XXVIII. & in provinciis multi ut Pergameni, Dio lib. LI. aliique multi. quos imitatus Herodes Magnus, Hieroſolymis tale ludicrum inſtituit. Joſephus libro XV. Originum cap. XI. *Πρῶτον μὲν ἀγῶνα πενταετηρικὸν ἀθλημάτων κατεστήσατο Καίσαρι καὶ θέατρον ἐν Ἱεροσολύμοις ᾠκοδόμησεν.* Item Cæſareæ, lib. XVI. ejuſdem operis cap. X. *Ἀνετίθει δὲ καὶ τοῦτον τὸν ἀγῶνα Καίσαρι κατὰ πενταετηρίδα παρεσκευασμένος ἄγειν αὐτόν.* Ego vero etiam in Urbe quinquennales ludos decretos in Auguſti honorem poſt victoriam Actiacam, apud Dionem lego lib. LI. *καὶ πανήγυρίν οἱ πενταετηρίδα ἄγεσθαι ἔγνωσαν.* Propter hanc quinquennalium ludorum frequentiam, qui ad Olympici agonis imitationem inventi, etiam *ὀλυμπιάδες* dicebantur, factum tandem ut *ὀλυμπιὰς* pro qualicumque victoria, aut adorea & gloria quocumque modo parta poneretur. Philoſtratus de vita Apollonii lib. IV. *Παρεσκεύαστο δὲ καὶ κατήγορος ἐς αὐτὸν, πολλοὺς ἀπολωλεκὼς ἤδη, καὶ τοιούτων ὀλυμπιάδων μεστός.* Idem lib. V. *Τοῦτό σοι πολλῶν μὲν τυραννίδων, πολλῶν δὲ ὀλυμπιάδων μεῖζον· καὶ πανταχοῦ μὲν γεγράψῃ τῆς πόλεως, πανταχοῦ δὲ ἑστήξεις χαλκοῦς.* Nicephorus Gregoras lib. IV. *Καὶ περὶ ὅσων ἄλλων εἰκὸς ἦν περιεργάζεσθαι στρατηγὸν ἄνδρα, καὶ πολλῶν ὀλυμπιάδων τοιούτων μεστόν.*

TOR-

in ſuo quiſque regno, Cæſareas urbes condiderunt: & cuncti ſimul ædem Jovis Olympii, Athenis antiquitus inchoatam, perficere communi ſumptu deſtinaverunt, Genioque ejus dedicare: ac ſæpe regnis relictis, non Romæ modo, ſed provincias peragranti quotidiana officia togati, ac ſine regio inſigni, more clientium præſtiterunt.
Quoniam qualis in imperiis ac magiſtratibus regendaque per terrarum orbem pace belloque Rep. fuerit, expoſui: referam nunc interiorem ac familiarem ejus vitam, quibuſque moribus atque fortuna domi & inter ſuos egerit, a juventa uſque ad ſupremum vitæ diem. Matrem amiſit in primo conſulatu, ſororem Octaviam quinquageſimum & quartum agens ætatis annum. Utrique cum præcipua officia vivæ præſtitiſſet, etiam defunctæ honores maximos tribuit. Sponſam habuerat adoleſcens P. Servilii Iſaurici filiam: ſed reconciliatus poſt primam diſcordiam Antonio, & poſtulantibus utriuſque militibus, ut & neceſſitudine aliqua jungerentur, privignam ejus Claudiam, Fulviæ ex P. Clodio

61

62

TORRENT.

60. *Cæſareas urbes.*] Qualis Cæſarea Palæſtinæ, & altera Mauritaniæ, illa ab Herode, hæc a Juba condita. Joſephus, Egeſippus, Stephanus, Plinius. Hinc & Sebaſta, & Sebaſtopolis.

Ædem Jovis Olympici.] Jupiter Olympius, ſeu Olympicus mavis, (vel ab Olympio, a quo eruditus atque inſtitutus fuit, ut Diod. Siculus l. IV. Biblioth. tradit, vel ab Olympo monte, in quo verſabatur, ut vult Lactantius, ſic dictus) plura tota Græcia, præſertim Lacedæmone & in Elide, templa araſque habuit, ſed Athenis præcipuum. De quo Thucyd. l. II. & Plin. l. XXXVI. c. 6. inchoatum olim dicens, uti & Sueton. reges non perfeciſſe, ſed deſtinaſſe perficere hoc loco ſcribit. Perfectum vero, dedicatumque ab Hadriano apud nos Spartian. tradidit, apud Græcos Pauſanias in Atticis, addens a ſingulis Græciæ urbibus poſitas in eo Hadriano ſtatuas. Quas omnes poſtea Athenienſes ſuperarunt mirandi operis coloſſo.

61. *Matrem amiſit.*] Atiam ſcilicet, de qua ſup. c. 4. Dion lib. XLVII. fervente triumvirorum ſævitia exſtinctam, & publico funere honoratam ſcribit. De Octavia vide eundem extremo lib. LIV.

62. *Sponſam habuerat.*] Tres libb. *Sponſam habuit.*

Ut ex neceſſitudine.] Lib. unus. *ut & neceſſ.* quod probo. Sed & pro *expoſtulantibus* legendum arbitror *& poſtulantibus.* De Clodiæ vero ſponſalib. Dion extremo l. XLVI. de repudio autem ſub initium l. XLVII. Fulvia igitur illa (ut hoc quoque obiter addam) ante Antonium alios duos maritos habuit, P. Clodium, Ciceronis inimicum, & eo defuncto Curionem, qui in Africa periit. Proinde quod tribus pernicioſiſſimis maritis nupſerat, acerbe quidem, ſed eleganter Cic. Philipp. II. *Etenim* (inquit) *iſta tua minime avara conjux, quam ego ſine contumelia deſcribo, nimium debet diu populo Romano penſionem tertiam.*

CASAUBON.

60. *In ſuo quiſque regno Cæſareas urbes condiderunt.*] Notemus vocem *quiſque*: nam apud Geographos tot Cæſareas vel Sebaſtas, eo tempore conditas non invenias. Eutropius duo tantum exempla ponit: *Sicut*, inquit, *in Mauritania a rege Juba, & in Palæſtina, quæ nunc urbs eſt clariſſima.*

Perficere communi ſumptu deſtinaverunt.] Aptius ad fidem hiſtoriæ *deſtinaverant*: nam hoc conſilium exitum non habuit. De Jovis Olympici æde apud Athenienſes videndi Strabo & Pauſanias, & quæ notamus ad Spartiani Hadrianum.

Quotidiana officia togati.] Eutropius: *Multi reges ex regnis ſuis venerunt, ut ei obſequerentur: & habitu Romano, togati ſcilicet, ad vehiculum vel equum ipſius cucurrerunt.*

61. *Referam nunc interiorem ac familiarem ejus vitam.*] Τὰ ἔνδον. Julianus in Miſopogone: Τὰ μὲν ἔξω ταῦτα· καί τοι πόσον εἴρηταί μοι μέρος τῶν ἐμῶν εἰς ὑμᾶς ἀδικημάτων; τὰ δὲ ἔνδον, ἄγρυπνοι νύκτες ἐν στιβάδι, καὶ τροφὴ παντὸς ἥττων κόρου. Sic apud Lucianum Ῥητόρων διδασκάλῳ: Τὰ φανερὰ καὶ τὰ ἔξω, pro *vita publice acta.* Imitatus eſt hunc locum Eginhardus in Caroli Magni vita: *Talem eum in tuendo & ampliando ſimulque ornando regno fuiſſe conſtat: cujus animi dotes & ſummam in qualicunque & proſpero & adverſo eventu conſtantiam, cæteraque ad interiorem atque domeſticam vitam pertinentia, hinc dicere exordiar.* videtur & diſertiſſimus ſcriptor Sulpitius in vita beati Martini: *Interiorem vitam illius, & quotidianam converſationem nulla unquam explicabit oratio.*

VARIOR.

62. *Poſtulantibus.*] Ms. Salmaſii *expoſtulantibus.*

Privignam ejus Claudiam.] Fulviæ & Pub. Clodii filiam, Antonii privignam. Nam Fulvia tres habuit maritos, P. Clodium illum Ciceronis inimicum, ex quo erat hæc Claudia: ſecundum Curionem: tertium Marcum Antonium. Unde ait Cicero in ſecunda Antoniana: *Etenim iſta tua minime avara conjux, quam ego ſine contumelia deſcribo, nimium debet diu populo Romano penſionem tertiam.* BEROALD.

TOR-

P. Clodio filiam, duxit uxorem, vix dum nubilem. Ac ſimultate cum Fulvia ſocru exorta, dimiſit intactam adhuc, & virginem. Mox Scriboniam in matrimonium accepit, nuptam ante duobus conſularibus, & ex altero etiam matrem. Cum hac etiam divortium fecit, pertæſus, ut ſcribit, morum perverſitatem ejus: ac ſtatim Liviam Druſillam matrimonio Tiberii Neronis, & quidem prægnantem, abduxit, dilexitque & probavit unice ac
63 perſeveranter. Ex Scribonia Juliam, ex Livia nihil liberorum tulit, cum maxime cuperet. Infans, qui conceptus erat, immaturus eſt editus. Juliam primum Marcello Octaviæ ſororis ſuæ filio, tantum quod pueritiam egreſſo: deinde ut is obiit, M. Agrippæ nuptum dedit: exorata ſorore, ut ſibi genero cederet. Nam tunc Agrippa alteram

TORRENT.

Mox Scriboniam.] L. Scribonii Libonis, qui Sex. Pompeji ſocer erat, filiam, ut ea affinitate Pompejum ſibi adjungeret. Dion.

63. *Ex Livia nihil liberorum.*] Plin. lib. VII. cap. XIII. *Eſt quædam privatim diſſociatio corporum, & inter ſe ſteriles, ubi cum aliis junxere, gignunt, ſicut Auguſtus & Livia.* Qua de re etiam Lucret. lib. V.

Tantumque pueritiam egr.] Liber unus *tantum puer. egreſſo.* Sed legendum, *tantum quod puer. egreſſo*, ut inf. cap. XCVIII. *quæ tantum quod appulerat.* & Veſpaſ. cap. V. *tantum quod exemptum*, &c. & Ner. cap. VI. *tantum quod exoriente ſole.* Turneb. Adverſar. XXVII. cap. XVIII. Memini & Senecam ita loqui etſi corruptum. Nec mirum ſane, cum quatuor hiſce locis idem paſſus ſit Sueton. At vero integer Paterculus lib. II. *Tantum quod ultimam impoſuerat Pannonico ac Dalmatico bello Cæſar manum.* & Corn. Nepos, Datame: *Qui tantum quod ad hoſtes pervenerat.*

Nuptui dedit.] Duo codices, *nuptum dedit*, ut Terent. loquitur.

Exorata ſorore.] Imo Octavio ultro id ſuaſit, ſi Plutarcho credimus.

CASAUBON.

62. *Nuptam ante duobus conſularibus.*] Unum teneo, Scipionem illum Corneliæ ejus patrem, quam mortuam extremo lib. IV. deflet Propertius: alterum adhuc quæro.

Ac ſtatim Liviam Druſillam.] Dio in anno DCCXVI. qui fuit ætatis Auguſti XXV. lib. XLVIII.

Et quidem prægnantem abduxit.] Idque ex reſponſo Apollinis. Prudentius:

- - - *mox editur inter*
Feſcennina novo proles aliena marito:
Idque deum ſortes & Apollinis antra dederunt
Conſilium: nunquam melius nam cædere tædas
Reſponſum eſt, quam cum prægnans nova nupta jugatur.

Tacitus & Dio non Apollinem, ſed *pontifices conſultos* ſcribunt.

63. *Tantum quod pueritia egreſſo.*] Ita & noſtri. Gloſſarium: *Tantum quod*, ἀρτίως. M. Tullius ad Atticum lib. IX. *Hæc cum ſcriberem, tantum quod exiſtimabam ad te orationem eſſe perlatam.*

Nam tum Agrippa alteram Marcellarum habebat, & ex ea liberos.] Utrum plures? ita vir doctus & amicus ad Tacitum accipit, & Suetonium μνημονικοῦ ἁμαρτήματος inſimulat: neque enim ullam ex hoc conjugio niſi forte unam aliquam prolem natam. Utri potius credemus? Suetonio, me auctore: quem adverſus hanc reprehenſionem valide tuemur nos. nam quod de brevitate ejus conjugii affertur, ſomnium merum. Clarum ex hiſtoria Dionis, qui ſexto conſulatu Auguſti nuptias Agrippæ cum Marcella refert: a quo tempore ad Marcelli mortem anni minimum quinque inveniuntur. At laudatur Plutarchus ejus ſententiæ auctor & fundus. Videamus ejus verba, quæ in extremo Antonio, ubi de Octavia loquitur, hæc ſunt: Ἐκ δὲ Μαρκέλλου δυοῖν αὐτῇ θυγατέρων οὐσῶν, ἑνὸς δὲ υἱοῦ Μαρκέλλου, τοῦτον μὲν ἅμα παῖδα καὶ γαμβρὸν ἐποιήσατο Καῖσαρ, τῶν δὲ θυγατέρων Ἀγρίππᾳ τὴν ἑτέραν ἔδωκεν. ἐπεὶ δὲ Μάρκελλος ἐτελεύτησε νεόγαμος κομιδῇ καὶ Καίσαρι γαμβρὸν ἔχοντα πίστιν οὐκ εὔπορον ἦν ἐκ τῶν ἄλλων φίλων ἑλέσθαι. lege, relege totum locum. nego eſſe in eo quicquam, unde conjectura ulla fieri de brevitate earum nuptiarum poſſit. ſed manifeſto lapſus Vir eruditiſſimus in voce νεόγαμος, quam ad Agrippam retulit contra auctoris clariſſimam mentem. Quid quod ne tum quidem reprehenſioni iſti eſſet locus, ſi quod de una prole dicitur, certum eſſet. Quare enim Suetonio non idem jus, quod cæteris Quiritibus, quos vocem *liberos* etiam ſic uſurpare certum eſt?

VARIOR.

Simultate cum Fulvia.] Exſtat epigramma Auguſti Cæſaris, quo cauſa ſimultatis inter ipſum & Fulviam exortæ obſcœna refertur. Sic enim ait:

Quod futuit Galphyram Antonius, hanc mihi pœnam
Fulvia conſtituit, ſe quoque uti futuam:
Aut futue, aut pugnemus ait: quid, quod mihi vita
Charior eſt ipſa mentula, ſigna canant. BEROALD.

Abduxit.] Abducere proprie eſt per vim, ſicut etiam *perducere* interdum ſignificat: inde *perductores* a Cicerone in Verrinis dicti, qui, ut inquit Aſconius, in hoc differunt a lenonibus, quod lenones ſunt ſcortorum, perductores etiam invitarum perſonarum.

alteram Marcellarum habebat, & ex ea liberos. Hoc quoque defuncto, multis, ac diu, etiam ex equeſtri ordine, circumſpectis conditionibus, Tiberium privignum ſuum legit: coegitque prægnantem uxorem, & ex qua jam pater erat, dimittere. M. Antonius ſcribit, *Primum eum Antonio filio ſuo deſpondiſſe Juliam: dein Cotiſoni Getarum regi: quo tempore ſibi quoque invicem filiam regis in matrimonium petiiſſet.* Nepotes 64
ex Agrippa & Julia tres habuit, Cajum, Lucium, & Agrippam: neptes duas Juliam

& in quibus ſtupra exercitata legibus vindicantur. Beroald.

63. *Ut is obiit.*] Propertius contra receptam opinionem, atque adeo contra verum ſcribit lib. III. Marcellum in aquis Bajanis ſubmerſum interiiſſe, quum conſtet ab Antonio Muſa medico aquarum frigidarum lotionibus enectum fuiſſe. Nam Muſæ & ejus fratris Euphorbi inventum fuit *a balineis frigida multa corpora adſtringi*, inquit Plinius lib. xxv. cap. VII. Quare credibile, iiſdem frigidis Marcellum, quum curare vellet, occidiſſe. Nempe gratificari Poëta voluit ei, quæ de ejus morte ſuſpecta fuit, Liviæ Auguſtæ. quæ quum videret Marcellum ita omnibus carum eſſe, ut deſcribitur a Virgilio VI. Æn. muliebriter atque impotenter ζηλοτυπήσασα, curavit eum clandeſtino mortis genere de medio tollendum. Jos. Scaliger.

Nam tum Agrippa alteram Marcellarum habebat, & ex ea liberos.] M. Agrippæ tres uxores fuerunt. Prima Pomponia Attici filia, conciliante eas nuptias M. Antonio triumviro: ex ea genuit Vipſaniam Druſi matrem. Altera, Marcella Octaviæ filia: ex ea quoque liberi, ſi Suetonio fides. Tertia uxor Julia: ex ea nati Cajus & Lucius Cæſares, Poſtumus Agrippa, Agrippina, & Julia. In his plerisque verum, quod Tacitus notat Ann. III. *Una omnium Agrippæ liberorum Vipſania miti obitu.* Cajus enim & Lucius veneno crediti periiſſe, Agrippina fame, Poſtumus ferro. Juliam excipio, cujus mortem lib. IV. ita narrat ipſe Tacitus, ut ex natura videatur, ferri aut veneni nulla mentione. Lipsius.

Torrent.

Alteram Marcellarum.] Filiæ igitur paternis quoque cognominibus vocabantur, ut Fauſtæ, Fauſtinæ, Agrippinæ. Interdum a nomine ac cognomine ſimul, ut Vipſania Agrippina; Tib. cap. VII. Livia Druſilla hic, Munatia Plancina apud Dionem. Interdum duarum gentium nomine, ut Junia Claudia, Ennia Nævia, Caji Cæſaris conjuges, Calig. cap. XII. Quos autem Agrippæ ex Marcella liberos hic dicat Sueton. ignoro.

Multis ac diu.] Tres codices *multis diu circumſp.* ſine copulatione.

Prægnantem uxorem.] Agrippinam. Inf. Tib. cap. VII.

Cotiſoni Getarum regi.] Horat. lib. III. Od. VIII. *Occidit Daci Cotiſonis agmen*, vel, ut in MSS. codicibus, *Cotiſontis.* iidem igitur Daci, qui Getæ. Quod autem primum Antonio filio deſponſam fuiſſe traditur, hoc tunc factum narrat Zonaras, cum Antonius pater mortua jam Fulvia Octaviam duxit. Græci Antyllum appellant. Vide ſup. cap. XVII.

Casaubon.

Etiam ex equeſtri ordine.] Sejanus apud Tacitum lib. IV. Annal. 39. in codicillis ad Tiberium: *Audivi in conlocanda filia non nihil etiam de equitibus Romanis conſultaviſſe Auguſtum.* Quibus ita reſpondet Tiberius: *At enim Auguſtus filiam ſuam equiti Romano tradere meditatus eſt. Mirum hercle ſi cum in omnes curas diſtraheretur, immenſumque attolli provideret, quem conjunctione tali ſuper alios extuliſſet, C. Proculejum & quoſdam in ſermonibus habuit, inſigni tranquillitate vitæ nullis reipub. negotiis permixtos.*

Dein Cotiſoni Getarum regi.] Magna librorum varietas in hoc nomine. quidam corrupti palam, *Marco Tiſoni.* Turonenſis, *deinde Coſoni.*

Quo tempore ſibi quoque invicem filiam regis in matrimonium petiiſſe.] Male in quibuſdam libris *petiiſſet.* Hæc enim verba de Antonio ſunt, non de Auguſto accipienda. nam falſum eſt Auguſtum ullam unquam regis filiam in uxorem petiiſſe: ſemel enim ductam Liviam unice ac perſeveranter amavit. Antonii igitur hæc ſunt, ſuis & Cleopatræ nuptiis cauſſam prætexentis factum Cæſaris modo expoſitum, quod Cotiſoni Getarum regi Juliam deſpondiſſet. Poſſumus etiam ad hiſtoriam de Jotapa Medi regis Armeniæ filia referre, quam narrat Dio lib. XLIX. petitam ab Antonio in uxorem filio ſuo. atque hoc, niſi fallor, rectius.

Varior.

In matrimonium petiiſſe.] Cod. Salmaſ. *petiiſſet.* Hæc enim verba de Auguſto potius, quam de Antonio ſunt interpretanda, cum τὸ *invicem* ad Cotiſonem commodiſſime referatur, ut, cui filiam deſponderat Cæſar, ejus eodem tempore filiam ambiiſſe intelligatur. Obduci poteſt, Auguſtum nullam unquam regis filiam in uxorem petiiſſe: ſemel enim ductam Liviam unice ac perſeveranter amaſſe.

At

Juliam & Agrippinam. Juliam L. Paullo cenſoris filio, Agrippinam Germanico ſororis ſuæ nepoti collocavit. Cajum & Lucium adoptavit domi per aſſem & libram emtos a patre Agrippa: teneroſque adhuc ad curam Reip. admovit: & conſules deſignatos circum provincias exercituſque dimiſit. Filiam & neptes ita inſtituit, ut etiam lanificio aſſue-

At non id quæritur, quam vera ſint, quæ inimicus Octavio impegit Antonius. SCHILDIUS. Sic & alii libri plerique omnes, quod non fuit mutandum.

TORRENT.

64. *Juliam L. Paullo cenſoris filio.*] Hinc natam Æmiliam, Claudii poſtea Principis ſponſam. Auguſti proneptem vocat Sueton. Claud. cap. XIX. minoris ſcilicet Juliæ, neptis ejus, filiam. Vide ſup. cap. XIX.

Germanico ſororis ſuæ nepoti.] Libri a Frobenio in Germania editi *uxoris ſuæ nep.* Utrumque verum eſt. Germanicus enim Druſi, & junioris Antoniæ filius fuit. Atqui Druſus matrem habuit Liviam, Auguſti uxorem, Antonia vero Octaviam ſororem Auguſti. Et libri quidem MSS. omnes *ſororis* habent: mallem tamen *uxoris*, ut ad paternum Germanici genus referatur.

Adoptavit domi per aſſem & libram.] Sic omnes libri, quos ego quidem viderim; nec tamen dubito, quin per *æs & libram* Juriſconſultorum more, ſcripſerit Sueton. ut enim Boethius nos docuit, is qui rem aliquam mancipio accipiebat æs tenens ita dicebat: HUNC EGO HOMINEM EX JURE QUIRITIUM MEUM ESSE AIO, ISQUE MIHI EMPTUS EST HOC ÆRE, ÆNEAQUE LIBRA. Deinde ære percutiens libram, æs alteri dabat. Unde eleganter Horat. Epiſt. lib. II. ad Florum:

Si proprium, eſt quod quis libra mercatur & ære.

Illud magis obſervandum, quod Cajum & Lucium domi adoptatos dicit, & quidem per æs & libram a patre emptos; ſequenti vero cap. tertium nepotem Agrippam, & privignum Tiberium in foro, idque lege Curiata. Cujus diverſitatis ratio eſt, quod illi, cum adhuc in patris eſſent poteſtate, ſolo ejus conſenſu per mancipationem rite factam Auguſto tradi poterant, quæ proprie adoptio eſt: hi vero, morte parentum ſuorum jam patres familias effecti, non niſi in foro, conſenſu populi, coram pontificibus, lege Curiata, in alterius tranſire poteſtatem permittebantur. homo liber enim caput mutare nequit, niſi populo conſentiente; cives quippe ipſius reip. ſunt. Qua ratione Ariſtot. lib. V. De moribus, eum qui ſibi vim infert, non ſibi ipſi facere injuriam tradidit, ſed civitati, cujus pars eſt. Simile autem exemplum apud Tacitum lib. XII. Annal. de adoptione Domitii: *Rogata*, inquit, *lex eſt, qua in familiam Claudiam, & nomen Neronis tranſiret.* & de Piſonis adoptione per Galbam lib. I. Hiſt. Atque hæc quidem proprie *arrogatio* appellatur. De qua JCti noſtri, præſertim Ulpian. tit. VIII. & tit. X. Cajus Inſtitut. cap. V. Cic. orat. pro Domo ſua ad Pontifices, Gellius lib. V. cap. XIX. De familiæ vero mutatione per teſtamentum alibi diximus.

Lanificio aſſuef.] Duo MSS. *ad lanificium.*

CASAUBON.

64. *Adoptavit domi.*] An *domi*, id eſt, *in domum?* ſicut dici ſolet *adoptare in domum & familiam*: ita *humi* ſæpe valet in humum. an potius hæc vox a Tranquillo adjecta, ut id præter conſuetudinem factum indicaret. Cajus J. C. titulo VI. *Quæ tamen mancipatio ſolebat ante præſidem fieri, modo ante curiam facienda eſt.*

Per aſſem & libram.] Libb. omnes & ſcripti & editi hanc lectionem habent. At docti viri affirmant legendum *per æs*, non *per aſſem*: quibus non aſſentior. quid enim? non ergo aliter loqui licet, quam per æs & libram? Erravint igitur Græci, qui ζυγὰ καὶ ἀσσάρια vertunt. Neutiquam vero. Sed & illi & hic rem potius quam verba expreſſerunt: nam æs in hac formula vere aſſem notabat, ut Varro declarat lib. VIII. & Feſtus, in *Rodus.* Atque hic eſt qui dicebatur in veteribus mancupiis *aſſis Cajanus.* Statius:

Emptum plus minus aſſe Cajano.

Cajus JC. pro eo dixit, *unum aut duos nummos.*

Et conſules deſignatos.] Tacitus I. A. 3. 3. *Genitos Agrippa Cajum ac Lucium, in familiam Cæſarum induxerat: necdum poſita puerili prætexta Principes juventutis appellari, deſtinare conſules ſpecie recuſantis flagrantiſſime cupiverat.*

Filiam & neptes ita inſtituit, ut etiam lanificio aſſuefaceret.] Egregium & in primis laudabile Græcorum & Romanorum inſtitutum: cujus teſtes tot ferme ſunt, quot ſcriptores in utraque lingua. Nos vero plura aliquando de his in accuratiſſimis rei veſtiariæ commentariis, ſi Deo viſum, ut pridem inchoatum & prope affectum opus detexamus. Hanc porro Auguſti diſciplinam domeſticam Carolus Magnus, Princeps æterna memoria dignus, imitatus eſt. niſi Suetonium Eginhardus nimis imitatur. Sic ille: *Filias lanificio aſſueſcere, coloque ac fuſo, ne per otium torperent, operam impendere, atque ad omnem honeſtatem erudiri juſſit.*

aſſuefaceret : vetaretque loqui, aut agere quidquam, niſi propalam, & quod in diurnos commentarios referretur. Extraneorum quidem cœtu adeo prohibuit, ut L. Vinicio, claro decoroque juveni, ſcripſerit quondam, *Parum modeſte feciſſe eum, quod filiam ſuam Bajas ſalutatum veniſſet.* Nepotes, & litteras & natare aliaque rudimenta per ſe plerum-

TORRENT.

L. Tunicio.] Sic Beroaldi editio, & pleræque aliæ, uti & in uno exemplari noſtro MS. Alii codd. *Vicinio*, & *Vicino* habent, unde *Vinicio* fecit Frobenius. Sunt etiam qui *L. Titinio* reperiri affirment. Et Titinia quidem gens Romana eſt, ut ex nummo C. Titinii cujuſdam oſtenditur, verum cum Sueton. juvenem hunc clarum, decorumque appellet, mallem Vinicii nomen ipſi tribuere. Vinicii enim, quanquam Calibus orti, & equeſtri tantum familia, ut Vellejus tradit, ſub Auguſto plurimum floruerunt. nam M. & P. Vinicii conſules fuere, Marco vero etiam decreta ornamenta triumphalia ex Germania. De Publio celebre Auguſti dictum, ingenium eum in numerato habere. Vinicii etiam Auguſti convivæ mentio inf. cap. LXXI. Exſtat & Auguſti a L. Vinicio III-viro monetali percuſſus nummus cum hac inſcriptione : S. P. Q. R. IMP. CÆ. QUOD. V. M. S. EX. EA. P. Q. IS. AD. A. D. hoc eſt, quod viæ munitæ ſunt ex ea pecunia, quam is ad ærarium detulit.



Et litteras & natare.] Notum omnibus proverbium, μήτε νεῖν, μήτε γράμματα, non minus Romanis quam Græcis uſurpatum : altera enim pars animi, altera corporis curam cultumque reſpicit. nandi enim vocabulo cetera id genus exercitia continentur. Utrumque igitur nepotes ſuos, quos ad tanti ſpem alebat imperii, ipſe per ſe docuit Auguſtus, nec majus ullum bonum. Sic autem per ſe docuit, ut aliis etiam magiſtris uterentur. Qualis tunc Lollius ille, ad quem non una Horatii epiſtola. Quæ ſane ratio me movet, ut Juſto Lipſio non aſſentiar, Elect. II. cap. XVII. & libello de recta pronunciat. ling. Lat. cap. II. pro *natare* hic *notare* reponenti, hoc eſt, notas intelligere, aut notis ſcribere. Quod verbum eo ſenſu mihi quidem peregrinum eſt. Et notis ſcribere ut Auguſti ætate fuerit receptum, litterarum ſtudio comprehenditur. Jungatur Suetonii de Caligula locus cap. LIV. *Hic tam docilis ad cetera, natare neſciit.* nempe enim turpe hoc in Romano Principe. Et peregregie Terent. *Fac periculum in litteris, fac in palæſtra, in muſicis : Quæ liberum ſcire æquum eſt, ſolertem dabo.* Ad palæſtram porro ſpectat & natatio.

CASAUBON.

Et quod in diurnos commentarios referretur.] O virum! Stupeo enim ad hanc tam exactam domus Auguſtæ diſciplinam. Qui hæc non mirantur, quid miraturi ſunt ἐν τοῖς οἰκονομικοῖς, equidem non video. *Diurni* iſti *commentarii* ſunt privatæ domus Auguſtæ ephemerides, quas ſervus vel libertus aliquis curabat; qui a memoria vel a commentariis dicebatur. At *diurni* illi *actus*, quos ipſe quotidie in lecticula ſua lucubratoria ſolitus conficere, alterius generis erant : continebant enim, quæ ad imperii rationarium pertinebant. Mos iſte a Græcis ortus: quorum tamen ſolutior ſemper quam Romanorum diſciplina fuit. Exſtat apud Lucianum in Demoſthenis encomio Philippi regis Macedonum cum Antipatro familiare colloquium, quod deſcripſiſſe ait ille ex commentariis domus regiæ Macedonum, in quæ forte fortuna inciderat. Habetur etiam apud Plutarchum in Alexandro pars noviſſima diurnorum commentariorum magni illius Principis. Lege etiam Ælianum libro tertio, cap. XXIII. Ephemeridas Alexandri quinque libris olim perſecutus erat Srattis Olynthius. vide & Philoſt. in Ariſtide Adrianenſi.

Ut L. Ticinio.] Sic vetus editio Romana. In Viterb. *Lucinio*, ſine prænomine. Liſlæi, *Turinio*. Memmii & Pithœi, *Vicinio*. In tanta inconſtantia non invitus cum Torrentio ſcribam *T.* vel *L. Vinicio*.

Nepotes & litteras & natare.] Conſtantiſſime omnes antiqui præferunt hanc ſcripturam : *natare*, inquam, non *notare*. quæ tamen lectio non ita abſurda, ut quibuſdam eſt viſa. Prudentius :

Raptimque punctis dicta præpetibus ſequi,
Fictis notare verba ſignis imbuens.

Quod autem pueri ludum frequentarent, ut notis ſcribere diſcerent, quod indicat hic Suetonius, declarant ejuſdem Prudentii verba :

- - - *magiſter literarum ſederat,*
Verba notis brevibus comprendere cuncta peritus.

VARIOR.

64. *Niſi propalam & quod in diurnos.*] Sic & inter Nicoſtrati præcepta apud Stobæum legimus : Ἀλλὰ καὶ περὶ σωφροσύνης πάλιν τοὺς οἰκέτας ἐθιστέον οὕτως ὅπως ὁμιλεῖν μηδενὶ ἔξεσω αὐτῶν πρὸς τὸ οὓς αὐτῇ διαλέγεσθαι λάθρα. ἐνίοτε δὲ καὶ σοῦ βλέποντος. ὃ γὰρ ἀκούειν οὐκ ἄγαν τὸν ἄνδρα λυσιτελεῖ, ἄνισον καὶ ἄδικον, ἀλλ᾽ ἐκείνῃ ταῦτα οὐ συμφέρει. ὁπότε δὲ ἐν οἰκίᾳ τὸ λάθρα διαλέγεσθαι ἀπήλλακται, πολλὴ ἐλπίς ἐστι μὴ ἄν τινα τολμῆσαι τῶν θεραπόντων, μοιχικόν τινα τῇ δεσποίνῃ διακονήσασθαι. ἀκοῦσαι γὰρ ἀνάγκη τὸν δεσπότην, εἰ νόμος ἐστὶ πάντως φανερῶς διαλέγεσθαι. οἶδα μὲν οὖν καὶ ταῦτα ἅπαντα ἰσχύοντα πρὸς τὸ ποιῆσαί τινα βιοῦν σωφρόνως. *Quin etiam domeſtici omnes hoc pacto ſunt*

plerumque docuit : ac nihil æque laboravit, quam ut imitarentur chirographum ſuum. Neque cœnavit una, niſi ut in imo lecto aſſiderent: neque iter fecit, niſi ut vehiculo
65 anteirent aut circa adequitarent. Sed lætum eum atque fidentem & ſobole & diſciplina domus, Fortuna deſtituit. Julias, filiam & neptem, omnibus probris contaminatas, relegavit. Cajum & Lucium in duodeviginti menſium ſpatio amiſit ambos, Cajo in Lycia, Lucio Maſſiliæ defunctis. Tertium nepotem Agrippam, ſimulque privignum Tiberium adoptavit in foro, lege Curiata. Ex quibus Agrippam, brevi, ob ingenium ſcordalum ac ferox, abdicavit, ſepoſuitque Surrentum. Aliquanto autem patientius mortem

ſunt ad temperantiam aſſuefaciendi, ut nulli ipſorum confabulari, aut in aurem clam aliquid dicere concedatur, præſertim te vidente. Injuſtum enim & iniquum quidpiam, quod virum audire inutile eſt, id ne uxori quidem emolumento erit. Ubi vero clancularia collocutiones non locum habent in ædibus, bona ſpes eſt nullum ex famulis tam audacem fore, ut adulterum aliquem dominæ conciliet. Omnino enim a domino audietur, ſi nefas ſit aliter quam aperte loqui. Profecto in omnibus iſtis vim ineſſe ſcio ad efficiendum, ut aliqua honeſte vivat. GRUTERUS.

Lucio Ticinio.] Palat. prim. *Lincinio:* ſecundus: *Lucinio.* tert. *Licinio.* & Salm. Torrentii, & Urſini libri *Vicinio.* unde recte reſcripſerunt Torrentius & Urſinus, *L. Vinicio*, ſicut & olim Frobenius expreſſerat. vulgo: *L. Tucinio.*

TORRENT.

Nihil æque laboravit.] *Elaboravit* habent tres codd. *Chirographum* autem *imitari* dixit, quod Cicero *manum ſe Alexis amare.* Sic *chirographum Auguſti* inf. cap. LXXXVII. Adde locum Ner. cap. LII.

In imo lecto.] Libb. MSS. quatuor *in uno lecto*, male. unus vero *niſi imo lecto*, ſine præpoſitione *in.* Probaverim legi, *niſi ut imo*, ut mox, *niſi ut vehiculo anteirent.* Iterum Claud. cap. XXXV. *Niſi ut ſpeculatores cum lanceis circumſtarent.* Valer. Max. lib. II. cap. II. *Feminæ cubantibus viris ſedentes cœnitabant.* Hoc ergo eſt, quod *aſſidendi* verbo utitur Sueton. Nam quod *imo lecto* adjecit, de eo ſic idem Claud. cap. XXXII. *Cum pueris, puelliſque nobilibus, qui more veteri ad fulcra lectorum ſedentes veſcerentur.* Vide, quæ ad Horat. notavi lib. II. Sat. ult. *ſecutis omnibus imis.*

65. *Julias, filiam & neptem.*] Liber opt. *& filiam & neptem.*

Amiſit ambos.] De his optime Zonaras, addens Liviam & Tiberium non caruiſſe ſuſpicione. Unde Plin. lib. VII. cap. XLV. *Accuſatæ liberorum mortes, luctuſque non tantum orbitate triſtes. liberos* enim Cajum & Lucium intelligit.

Ob ingenium ferox abdicavit.] Quinctilian. Declamat. inſtitutam tradit abdicationem contra filiorum ferociam, qua vivo ſcilicet adhuc patre & bonis paternis privantur, & ab omni filiorum jure repelluntur. Dion & Zonaras abdicatum prius ob morum pertinaciam, . n inſulam quoque relegatum tradunt, pecunia ejus relata in ærarium militare, de quo ſup. cap. XLIX.

CASAUBON.

Quam ut imitarentur chirographum ſuum.] Credo, quia eorum opera in ſcribendis ſecretioribus epiſtolis uti deſtinabat : non enim legimus Auguſtum eorum miniſterio uſum, qui e re appellabantur *a cura epiſtolarum* vel *ab epiſtolis :* etſi habuit *a manu*, ut Thallum. Vide etiam Horatii vitam a Suetonio ſcriptam.

Neque cœnavit una, niſi ut in imo lecto aſſiderent, neque iter fecit, niſi ut veh.] Eginhardus: *Filiorum & filiarum tantam in educando curam habuit, ut nunquam domi poſitus ſine ipſis cœnaret, nunquam iter ſine illis faceret.*

65. *Julias filiam & neptem omnibus probris contaminatas relegavit.*] Filiam quidem in inſulam Pandateriam. Dio in anno DCCLVIII. neptem vero in inſulam Trimerum, haut procul Apulis littoribus. Tacitus lib. IV. Annal. 71. 5.

In duodeviginti menſium ſpatio.] Adi hiſtoricos, imprimis Vellejum II, 102. In definitione temporis nonnullus mihi ſcrupulus, quem evelli cupio magis quam poſſum evellere.

Ob ingenium ſordidum ac ferox abdicavit.] Suſpicor legendum, *ſtolidum ac ferox*, vel *horridum ac f.* Nam quæ tantæ ſordes eſſe potuerint, ut propter eas pater in filium tantas iras conciperet ? Tacitum I. A. 3. 6. *Nepotem unicum Agrippam Poſtumum in inſulam Planaſiam projicit : rudem ſane bonarum artium, & robore corporis ſtolide ferocem, nullius tamen flagitii compertum.* Sic apud Livium libro VII. duæ illæ voces junguntur, & apud veterem Juvenalis Scholiaſten bis. Cauſſam abdicati Agrippæ omnium optime declarat Dio in anno DCCLX.

VARIOR.

65. *At nihil æque laboravit.*] Non debuit faſtidiri trium Torrentianorum, *elaboravit.* Eſt enim Ciceroni frequens *elaborare* pro laborare. GRONOVIUS.

66. *Ob ingenium ſordidum ac ferox.*] Codex Salmaſ. *ſcordalum & ferox.* atque ita legendum judicabat Salmaſ. Gloſſ. Iſidori: *Scordalus, ferox.* Seneca Epiſt. LV. *Adjice nunc ſcordalum & furem deprehenſum.* Petronius : *Nactus occaſionem vindictæ, Eumolpum excludo, redditaque ſcordalo vice.*

mortem quam dedecora ſuorum tulit. Nam Caji Luciique caſu non adeo fractus, de filia, abſens, ac libello per quæſtorem recitato, notum ſenatui fecit: abſtinuitque congreſſu hominum diu, præ pudore: etiam de necanda deliberavit. Certe cum ſub idem tempus una ex conſciis liberta, Phœbe nomine, ſuſpendio vitam finiſſet: *Maluiſſe ſe*, ait, *Phœbes patrem fuiſſe.* Relegatæ, uſum vini, omnemque delicatiorem cultum ademit: neque adiri a quopiam libero ſervove, niſi ſe conſulto, permiſit: & ita ut certior fieret, qua is ætate, qua ſtatura, quo colore eſſet, etiam quibus corporis notis vel cicatricibus. Poſt quinquennium demum ex inſula in continentem, lenioribuſque paullo conditionibus, tranſtulit eam: nam ut omnino revocaret, exorari nullo modo potuit: deprecanti ſæpe populo Romano & pertinacius inſtanti, *tales filias taleſque conjuges* pro concione imprecatus. Ex nepte Julia, poſt damnationem, editum infantem agnoſci alique vetuit. Agrippam nihilo tractabiliorem, immo in dies amentiorem, in inſulam tranſportavit, ſepſitque inſuper cuſtodia militum. Cavit etiam ſenatuſconſulto, ut eodem loci in perpetuum contineretur: atque ad omnem & ejus & Juliarum mentionem ingemiſcens, proclamare etiam ſolebat:

Ἀιθ'

Non poteſt autem deduci a σκῶρ: eſt enim σκόρδαλος, a Græco σκόρδον vel σκόροδον. Gallis gallinaceis, ut magis audaces & pugnaces redderentur, roſtra aliis ſucco ungebantur, qui & vocabantur ex eo *ſcordali.* Inde pro audace hæc vox vulgo trita eſt. SCHILDIUS.

TORRENT.

Per quæſtorem.] Sic Ner. cap. xv. *Orationes ad ſenatum miſſas, præterito quæſtoris officio, per coss. plerumque recitabat.* & Tit. cap. VI. *Orationeſque in ſenatu recitaret etiam quæſtoris vice.* Tacit. lib. XVI. *Oratio Principis per quæſtorem ejus audita eſt.* Vellejus etiam Paterculus lib. II. ſe fratremque ſuum eo functos officio ſcribit. Sed & *candidati Principis* vocabantur, Ulpian. l. I. De officio Quæſt. Dion lib. LIV. & LV. communi nomine ταμίας appellat. Quia vero Auguſtum ſcribit hic Sueton. filiæ ſuæ probra etiam ſenatui peculiari libello indicaſſe, omittere non poſſum, quin Plinio eadem de re loquenti, ſed corrupto, ni fallor, opem feram. Igitur lib. XXI. cap. III. *Apud nos* (inquit) *exemplum licentiæ hujus non eſt aliud quam filia Divi Auguſti, cujus luxuria noctibus coronatum Marſyam litteræ illius dei gemunt.* cum ex codice meo MS. legendum ſit *litteræ illius deſcribunt.* Auguſti nimirum, ſive hunc ad ſenatum libellum, ſive ad alios amicos litteras intelligit, quibus ille conquerebatur de illata Marſyæ per filiam injuria, quod non eloquentiæ, ut alii, ſed libidinis ſuæ coronas ei contuliſſet. nam ad Marſyæ ſtatuam judicia fere exercebantur. Rem autem omnem apertiſſime narrat Seneca lib. de Beneficiis VI. cap. XXX. Ac ſcio equidem amiciſſimo M. Antonio Mureto ad hunc ipſum Senecæ locum probatum, & expoſitum *illius Dei*, quod nec me quidem, qua mente dictum ſcriptumque, ſugerat; ſed parum hic mihi quadrare viſa ambitioſa ea nomenclatura, maxime cum præcedat, & paucis adeo ante verbis, *filia Divi Auguſti.* Neque eum juverit, quod ex ejuſdem Plinii lib. VII. cap. XLV. advocatur, *Deus ille, cœlumque neſcio adeptus magis, an meritus*, &c. non enim hoc agitur, ut Auguſtus Deus audiſſe approbetur, quod latere poteſt neminem, ſed quid quoque loco, inquam, conveniat. Alius eſt autem Pliniani hujus loci Genius, ut ſic dixerim, quam prioris.

Liberta Phœbe.] Recte ſic Pulman. cum plures libri aut *Fede*, aut *Fœde* habeant. Phœben vocat etiam Dion. Sed & Phœbus liberti Neronis nomen apud Tacitum lib. XVI. & in antiquo quodam marmore.

Etiam quibus corporis notis.] Quorſum? an ut inde forte adulterinos poſtea partus cognoſceret? Atqui Agrippæ omnes dum vixit, ſimiles fuere, quamvis illa tum quoque vulgo corporis ſui poteſtatem faceret, quod, ut de ea re mirantibus reſpondebat, non niſi navi plena tolleret vectorem. Macrob. lib. II. cap. V.

Ex inſula in continentem.] Tacit. lib. I. Pandataria primum inſula, mox oppido Rheginorum, qui Siculum fretum accolunt, clauſam ſcribit.

Imprecatus eſt.] Tres codd. non habent *eſt*, nec diſplicet puncto poſt *potuit* in ſectionem commutato, & *deprecanti* minuſculo *d.* & mox *eodem loci*, pro *eodem loco.*

CASAUBON.

Notum ſenatui fecit.] Et pœnituit: ut fere in iis accidit, quæ ſuadente ira facimus. narrat Senec. VI. Benefic.

Etiam de necanda deliberavit.] Obſcure innuit Tacitus I. A. 6. his verbis: *Auguſtus in nullius unquam ſuorum necem duravit.*

Phœbe nomine.] Conſtanter MSS. *Fœde*, & *Fœdes* mox: placet tamen *Phœbe*, ut apud Dionem.

Cavit

Αἴθ' ὄφελον ἄγαμός τ' ἔμεναι, ἄγονός τ' ἀπολέσθαι!

66 nec aliter illos appellare quam tres vomicas aut tria carcinomata ſua. Amicitias neque facile admiſit, & conſtantiſſime retinuit: non tantum virtutes ac merita cujuſque digne proſecutus, ſed vitia quoque & delicta dumtaxat modica perpeſſus. Neque enim temere, ex omni numero, in amicitia ejus afflicti reperientur, præter Salvidienum Rufum, quem ad conſulatum uſque; & Cornelium Gallum, quem ad præfecturam Ægypti, ex infima utrumque fortuna, provexerat. Quorum alterum res novas molientem, damnandum ſenatui tradidit: alteri ob ingratum & malevolum animum, domo & provinciis ſuis interdixit.

Cavit etiam S. C.] Cujus etiam exſtat apud Tacitum mentio

TORRENT.

Ἄγαμός τ' ἔμεναι.] Sic vulgati libri, & unus MS. Pulm. ἔμμεναι, edit. Frobeniana μένειν, ut in trib. MSS. Scribendum ἄγαμός τ' ἔμεναι. Verſus eſt ex III. Iliad.

Neque aliter eas appellare.] Melius MSS. tres, *eos.* nam & Agrippam comprehendit. Item, *ac tria carcinomata* pro *aut.*

66. *Et non tantum virt.*] Dele *&*. ſic enim plures MSS. Ad hunc vero Auguſti morem reſpexit haud dubie Horat. Sat. III. lib. I. *Amicus dulcis, ut æquum eſt.*

Salvidenium Rufum.] Sic libri MSS. aut *Salvidenum*, ſed perperam, pro *Salvidienum*, ut Allienus, Naſidienus, Pupienus, Gallienus, a Salvidius, Allius, Naſidius, Pupius, Gallius, & ſimilia. Hujus vero Salvidieni præter alios illorum temporum ſcriptores meminit etiam Seneca lib. de Clementia. Refert Dion. lib. XLVIII. cum obſcuriſſimo genere natus eſſet, paſcenti gregem flammam e vertice emicuiſſe, ac proinde ad tantam veniſſe dignitatem, ut necdum ſenator conſul ab Auguſto deſignaretur, utque fratris ejus funus ponte in Tiberi ſtructo efferretur. Tandem vero accuſatum in ſenatu tanquam Cæſaris, & populi Rom. hoſtem, jugulatum fuiſſe. Adde, ſi lubet, epitomen Livii lib. CXXVII. Sed & Brutus ſua illa præclara ad Atticum epiſtola quam obnoxius etiam tunc temporis Octaviano fuerit, oſtendit. male tamen ibi quoque *Salvidenus* ſcribitur. Cornelius vero Gallus, primus Ægypti præfectus, neque ipſe fortunam ferens, ſimilem ferme exitum ſortitus eſt. De quo Dion. lib. LIII. & Euſeb. Chronicis, & Ecl. X. Virgilius.

CASAUBON.

Tres vomicas & carcinomata ſua.] Agnoſce magni Principis frontem non philoſophicam: nam ſapientius Stilpo, qui cum filiæ impudicitiam loco probri audiret objici: *Illa vero*, inquit, *non magis dehoneſtamento mihi eſt, quam ego illi honeſtamento.* Græci melius: Τῆς θυγατρὸς ȣ̓ κατὰ τρόπον βιȣ́σης, εἶπέ τις πρὸς τὸν Στίλπωνα, ὡς καταισχύνοι. ὁ δὲ, ȣ̓ μᾶλλον, εἶπεν, ἢ ἐγὼ ταύτην κοσμῶ.

66. *Sed vitia quoque & delicta dumtaxat modica perpeſſus.*] Gloſſographus: *Dumtaxat*, μόνον καὶ μέχρι τȣ́τȣ. δηλαδή. Poſtremam interpretationem huic loco aptaverim. In membr. ſcriptum erat, *ſed vitia quoque dumtaxat, & modica delicta perpeſſus.* ex eo adducor, ut ita cenſeam legendum, *nec vitia quoque dumtaxat, ſed & delicta modica perpeſſus.*

Et Cornelium Gallum.] Cui prænomen alii tribuunt *Cnæus*, ut Eutropius: alii *Cajus*, ut Euſebius in Chronic. & Pæanius apud Eutropium: alii *Ælius:* ſic enim Straboni nominatur, & Joſepho quoque Γάλλος Αἴλιος Orig. XV. Hoc verius: neque aliter magnus Galenus in libris de Antidotis: ubi de hoc Gallo plura.

Alterum res novas molientem damnandum ſenatui tradidit.] Dio libro XLVIII. & Appianus Ἐμφυλ. V.

Ob ingratum & malevolum animum.] Non ergo ſatis ad fidem hiſtoriæ Ammianus Marcell. lib. XVII. eum lege. Ovidius propter linguæ petulantiam periiſſe vult videri, cum per ebrietatem de Auguſto temere quædam effutiſſet:

Nec fuit opprobrio celebraſſe Lycorida Gallo:
Sed linguam nimio non tenuiſſe mero.

Nec abhorrent verba Dionis: Πολλὰ καὶ μάταια ἐς τὸν Αὔγȣςον ἀπελήρει. Uſque adeo verum eſt, quod dixit ſcenicus Philoſophus: Ἀχαλίνων ςομάτων τὸ τέλος δυςυχία. Et quod magnus Plato bis inculcat: Κȣ́φȣ πράγματος, λόγȣ, βαρυτάτη ζημία. *Verba, rem leviſſimam, pœna ſequitur graviſſima.*

Domo & provinciis ſuis interdixit.] Dignus mos generoſitate Romana, palam indicere inimicitias & domo interdicere. Livius, Cicero, Seneca, alii, teſtes. Eo more Auguſtus adverſus Gallum uſus, non ut Imperator, ſed ut privatus, niſi quod ad provinciarum interdictionem: nam iſtud quidem jam non amplius civile. Dio ſic vertit: Ἠτιμώθη ὑπὸ τȣ̃ Αὐγȣ́ςȣ, ὥςε καὶ ἐν τοῖς ἔθνεσιν αὐτȣ̃ κωλυθῆναι διαιτᾶσθαι. Omiſit Græcus ſcriptor *domo:* incogitantia fortaſſe priſci moris.

VARIOR.

Delicta dumtaxat modica perpeſſus.] Hoc eſt, delicta ſi non omnia, certe modica. Sic ſane δηλαδὴ & Græcis, per quam vocem interpretatur particulam *dumtaxat* Gloſſarium. In quo acquieſcendum, nec cum ſummo viro de mutatione hic cogitan-

terdixit. Sed Gallo quoque & accuſatorum denuntiationibus & ſenatuſconſultis ad necem compulſo, laudavit quidem pietatem tantopere pro ſe indignantium: cæterum & illacrymavit, & vicem ſuam conqueſtus eſt, *quod ſibi ſoli non liceret amicis, quatenus vellet, iraſci.* Reliqui potentia atque opibus ad finem vitæ ſui quiſque ordinis principes floruerunt: quamquam & offenſis intervenientibus. Deſideravit enim nonnumquam, ne de pluribus referam, & M. Agrippæ patientiam, & Mæcenatis taciturnitatem: cum ille ex levi rigoris

cogitandum. GRONOVIUS, quem vide ad Senec. v. de Beneſ. cap.

Cornelium Gallum.] Fallitur Caſaubonus, ſcribens hunc etiam dictum Ælium Gallum. Nam ita res comparata fuit. Cornelius Gallus Poëta primus fuit Ægypti præfectus, Cornelio Gallo ſucceſſit Petronius, Petronium excepit Ælius Gallus. Conſule Valeſ. ad Ammianum Marcellinum p. 159. Voſſium de natura Rhetorices p. 188. ORTWYNIUS.

TORRENT.

Ad finem vitæ ſuæ cujusque ord.] Melius MSS. duo, & edit. Frobeniana, *ſui quisque ordinis principes.*

M. Agrippæ patientiam.] Plin. lib. VII. cap. VIII. & XLV. illic inter Agrippæ incommoda prægrave ſoceri ſervitium, hic vero inter Auguſti adverſitates ſuſpecta Marcelli vota, ac pudendam Agrippæ ablegationem enumerat. Et Sueton. quidem hoc loco cum ex levi ſuſpicione rigoris abiiſſe Agrippam Mitylenas ſcribit, ſatis cum Plinio conſentit, rigorem vocans quod alter ſervitium, ſed in eo diſſentit, quod ultro abiiſſe narrat, quem Plin. ablegatum ab Auguſto ſignificat. Dion extremo lib. LIII. ſic hiſtoriam recenſet, ut neque ſponte abierit, neque ab Auguſto ablegatus fuerit; ſed orta inter Marcellum atque ipſum ſimultate, ne, ſi uno ambo manerent loco, contentio creſceret, in Syriam miſſus, Lesbi permanſerit. Cum itaque, ſive Suetonium, ſive Dionem ſequimur, nulla Auguſti ne leviſſima quidem culpa id factum fuerit, cumque Plin. Auguſti illic, non Agrippæ infortunia commemoret, locus mihi de mendo ſuſpectus eſt, ut pro *ablegatio*, *alienatio* legendum eſſe exiſtimem. Quam propterea pudendam vocat, quod pudorem Agrippæ attulerit, Auguſto nihil tale de ipſo merente. Occaſionem fortaſſis errori dedit, quod non prorſus imperitus aliquis Plinium de Poſtumo Agrippa relegato illic quoque loqui exiſtimans, cum *alienatio* ſcriptum repperiſſet, *ablegatio* ſcribendum eſſe crediderit. Adde Suetonium Tib. cap. X. Quod attinet autem ad *rigoris ſuſpicionem*, neſcio an non *frigoris* præſtet legere, quod Lipſio viſum Notis ad Vellejum Paterculum. Favent tum quod e Seneca advocatur Epiſt. CXXIII. *Votienus Montanus & amicitia Tiberii notus, & frigore.* tum quod Ulpiano l. XXXII. De donat. inter virum & uxorem, *fribuſculum*, ſeu emendatius, *friguſculum*, diſſenſiuncula eſt conjugum non diuturna, & languor quidam in amore & caritate mutua.

CASAUBON.

Laudavit quidem pietatem.] Maledicere Principi crimen *impietatis*, contrarium affectum *pietatem* nominant hiſtorici. Tacitus in ſimili Tiberii mimo Annal. lib. III. 51. *Id Tiberius ſolitis ſibi ambagibus apud ſenatum incuſavit, cum extolleret pietatem quamvis modicas Principis injurias acriter ulciſcentium, deprecaretur tam præcipites verborum pœnas.*

Ex levi rigoris ſuſpicione.] Rigorem vocat, quod in Julio, *vultu minus familiari reſpicere*: cui opponitur ſalutatio cum quibuſdam familiaritatis notis. Plinius in Panegyrico: *Gratum, quod tantum non ultro clientibus ſalutatis quaſdam familiaritatis notas adderet.* Galenus hoc dicit, φιλικοῖς ἐνιδεῖν ὄμμασιν, initio libri ad Piſonem de Theriaca. Jam rigoris ſuſpicionem interpretor conceptam ab Agrippa opinionem, quaſi ſe Auguſtus minus familiari vultu reſpexiſſet. Eſt autem effectus pro cauſſa. non enim ſuſpicio oritur de rigore, qui in oculos incurrit: ſed de animi mutatione, cujus effectus eſt rigor & vultus adductus. Sic multa dicuntur: ut cum *opinio* pro ſermone ponitur: nam ex opinione, hoc eſt, ἐκ τοῦ πληρώματος τῆς καρδίας naſcitur ſermo. Præter exempla quæ ſupra attulimus, ſic loquitur Suetonius etiam in Nerone: *Exiit opinio, poſt ſcenicas coronas proximo luſtro deſcenſurum eum ad Olympia inter athletas.* Quid eſt exiit opinio? quod Græci dicere ſolent λόγος ἐξέπεσε. nam docti viri, qui vocem illam cenſent eo loco amovendam, prorſus errant. Sic *fama exiit*, apud Cornelium Nepotem in Ageſilao & Annibale. Contra apud Plinium initio lib. XVII. *affectare diligentiam*, pro affectare laudem ex diligentia. Cauſſam poſuit pro effectu. Mitto poëtas, qui has ſermonum vices plurimum amant. Ita interpretamur hunc locum, quia ſedet nobis, librorum omnium conſenſum omni ope & opere, modo ne contra rationem, tueri. Alioquin placeat nimis acutiſſima Lipſii, conjectura, *ex levi frigoris ſuſpicione.* Nam *frigora* ſive *friguſcula* amicorum vel amantium offenſiones dici eruditis pridem notum. Ptolemæus friguſcula hujuſmodi appellare ſolet παρασιωπήσεις. elegantiſſime. quam illius vocem explicat locus Chryſoſtomi ex Homilia XIV. ad populum Antiochenum: Ὃ φίλοι πρὸς φίλους ποιοῦσιν, ἐπειδὰν ὑβρισθῶσι, τοῦτο πρὸς τὸν δοῦλον ὁ δεσπότης ἐποίησε· παρεσιώπησε μόνον διὰ τῆς σιγῆς φθεγγόμενος, καὶ πᾶσαν ἐνδεικνύμενος

rigoris ſuſpicione, & quod Marcellus ſibi anteferretur, Mitylenas ſe relictis omnibus
contuliſſet: hic, ſecretum de comperta Murenæ conjuratione uxori Terentiæ prodidiſſet.
Exegit & ipſe invicem ab amicis benevolentiam mutuam, tam a defunctis quam a
vivis. Nam quamvis minime appeteret hereditates, ut qui numquam ex ignoti teſta-
mento capere quidquam ſuſtinuerit: amicorum tamen ſuprema judicia moroſiſſime
penſitavit: neque dolore diſſimulato, ſi parcius, aut citra honorem verborum: neque
gaudio, ſi grate pieque quis ſe proſecutus fuiſſet. Legata, vel partes hereditatum, a
quibuſcumque parentibus relicta ſibi, aut ſtatim liberis eorum concedere, aut, ſi pu-
pillari ætate eſſent, die virilis togæ, vel nuptiarum, cum incremento reſtituere conſue-
verat. Patronus dominuſque non minus ſeverus quam facilis & clemens, multos liberto-
67 rum in honore & uſu maximo habuit: ut Licinium, Enceladum, alioſque. Coſmum
ſervum

κνύμενος αὐτῷ τὴν ὀργήν. Obſervabamus & in voce ψύγμα eandem elegantiam in ſermone Græco. Joſephus Ἁλώσεως, lib. I. cap. XVI. loquens de alienato Herodis animo a filiis: Ὀυδενὶ ὁ πατὴρ φανερῶς ἀπεμέμφετο· συνίει δὲ (intelligit τὰ μειράκια) κατὰ μικρὸν ἐκ τοῦ ψύγματος, καὶ ὅτι πρὸς τὸ λυποῦν (ſic eſt ſcribendum) μᾶλλον ἐτραχύνετο. *Pater de nemine aperte conqueſtus erat: ſed adoleſcentes ex illius frigore paullatim rem intellexerant, & ex eo quod ad omnem moleſtiam magis exaſperabatur.* In Sacris literis & apud Patres ψυγῆναι τὴν ἀγάπην, & ψύξις vel ψυγμὸς paſſim.

VARIOR.

66. *Mæcenatis taciturnitatem.*] Atqui Horat. Mæcenatis ſui taciturnitatem commendare videtur, cum negat de aliis ſecum ipſum colloqui, *quam quæ rimoſa bene deponuntur in aure.*

Ex levi frigoris ſuſpicione.] Non dubitavi recipere contra codicum antiquorum fidem emendationem ingenioſiſſimi Lipſii, quam præter alios confirmat etiam Muretus, ſibi illam vindicans ad Taciti I. Annal. Quid ſit, inquit, levis illa rigoris ſuſpicio, nunquam quiſquam recte explicarit. Neque enim recte explicari depravata poſſunt. Legendum addita una littera *frigoris.* Frigere enim dicuntur, qui apud alium minus valent quam ſolebant, minuſque ab eo magni fiunt, qui negliguntur. Terentius: *Nimirum hicce homines frigent.* cum Phædria, qui Thaidi omnia fuerat, admiſſo Thraſone excluderetur. Idem: *Ubi friget, huc evaſit.* Hoc vocabant *frigus.* Horat.

- - - O puer, ut ſis
Vitalis metuo & majorum ne quis amicus
Frigore te feriat.

Hoc igitur dicit Suetonius, Agrippam, qui ſemper apud Auguſtum primus fuerat, cum levi ſuſpicione tactus eſſet Marcellum ſibi anteferri, ejus rei impatientia Mitylenas ſe contuliſſe. Hæc MURETUS.

TORRENT.

Et hic ſecretum.] Lego *hic ſecretum* ſine &.

Uxori Terentiæ.] Cujus frater erat Murena, ſi Dioni credimus initio lib. LIV.

Invicem ab amicis benevolentiam mutuam.] Dictio *invicem* non eſt in optimo cod. nec male. mutuam enim cum dicit, rem ſatis exprimit.

Relicta ſibi.] Lib. unus *relictas.* Quo retento ſic lego: *Legata, vel partes hereditatum a quibuſcumque parentibus relictas ſibi*, deleta ſcilicet & particula, quæ ſenſum pervertit.

67. *Licinium Enceladum.*] Sic quidem libri omnes; lego tamen, *Licinum, Enceladum, alioſque*, ut duo ſint. nam & *Celadum* mendoſe, ni fallor, pro *Enceladum.* Auguſti libertum commemorat Joſeph. ſub finem lib. XVII. Antiq. & de Licino ſimile in Macrobio mendum lib. II. cap. IV. & in vulgatis Ciceronis exemplaribus ad Q. fratrem lib. I. epiſt. II. *Licinus Æſopi ſervus, tibi notus.* & lib. III. de Orat. *Licinum ſervum ſibi Gracchus habuit ad manum.* non *Licinium.* De Licino autem Auguſti liberto Horat. de Arte, *Tonſori Licino* &c. Adde Helenum, Marathum, Thyrſum, Epaphroditum, Polybium, Auguſto cariſſimos. Fuit & Licinnius, aut, ut ego ſcribendum puto, Lycimnius, C. Cæſaris dictatoris libertus, qui ſub Auguſto Galliæ procurator provinciam eam ſpoliavit, ut narrat Dion lib. LIV. Ejuſdem meminit & Seneca de morte Claudii; Licinium tamen vocat, ſed, ut puto, mendoſe. Verum hic Auguſto utilior quam honeſtior, aut carior. Vide Dionem.

CASAUBON.

Mitylenas ſe relictis omnibus contuliſſet.] Longe aliter Dio lib. LIII. Ἐς τὴν Συρίαν εὐθὺς τὸν Ἀγρίππαν ἔστειλε. καὶ ὃς ἐκ μὲν τῆς πόλεως εὐθὺς ἐξώρμησεν, οὐ μέντοι καὶ ἐς τὴν Συρίαν ἀφίκετο· ἀλλ᾽ ἔτι καὶ μᾶλλον μετριάζων, ἐκεῖσε μὲν τοὺς ὑποστρατηγοὺς ἔπεμψε, αὐτὸς δὲ ἐν Λέσβῳ διέτριψε. Vult in Syriam miſſum Agrippam, ut ei provinciæ præeſſet: ipſum per legatos illam rexiſſe, in Lesbo inſula remanentem, moderationis cauſſa. Vide Joſephum lib. XVI. cap. II. & III.

Hic ſecretum.] Mæcenas enim quondam *præcipuus fuit, cui ſecreta Imperatoris innitterentur.* Tacitus lib. III. A. 30. Qui contra quam Suetonius ſcribit frigore

gore

ſervum graviſſime de ſe opinantem, non ultra quam compedibus coercuit. Diomedem diſpenſatorem, a quo, ſimul ambulante, incurrenti repente fero apro per metum objectus eſt, maluit timiditatis arguere quam noxæ: remque non minimi periculi, quia tamen fraus aberat, in jocum vertit. Idem Proculum ex acceptiſſimis libertis mori coegit, compertum adulterare matronas: Thallo a manu, quod pro epiſtola prodita denarios quingentos accepiſſet, crura effregit. Pædagogum miniſtroſque Caji filii, per occaſionem valetudinis mortiſque ejus, ſuperbe avareque in provincia graſſatos, oneratis gravi pondere cervicibus, præcipitavit in flumen. Prima juventa variorum dedecorum infa- 68
miam

gore tandem percuſſum Mæcenatem tradit, & *ætate provecta ſpeciem magis in amicitia Principis quam vim obtinuiſſe.* Dio idem narrat, ſed aliter: cauſſam enim imminutæ amicitiæ fuiſſe certamen de forma inter Liviam & Terentiam. lib. LIV.

Die virilis togæ, vel nuptiarum.] Dio in teſtamento Auguſti hæc verba ponit, ex quibus mos illius intelligitur: Τοῖς παισὶν, ὧν μικρῶν ἔτι ὄντων τοὺς πατέρας τῶν οὐσιῶν ἐκεκληρονομήκει, προσέταξε πάντα μετὰ τῶν προσόδων, ἐπειδὰν ἀνδρωθῶσιν, ἀποδοθῆναι. ὅπερ που καὶ ζῶν ἐποίει. Idem refert etiam Tiberius in laudatione funebri Auguſti libro eodem.

67. *Ut Licinium Enceladum, aliosque.*] Mss. & prima editio *Lucinium.* probo *Licinium.* Licinius Enceladus ejuſdem liberti ſunt appellationes. ut Tullius Laurea, & qui in veteri lapide nominantur Auguſti liberti, C. Julius Hilarus, ac C. Julius Elainus. qui fortaſſe Ἕλενος ille eſt, quem Dio lib. XLVIII. nominat ἐξελεύθερον Καίσαρος. Nominantur eidem vel aliis liberti Auguſti, Thyrſus, Eros, Proculus, Epaphroditus, Polybius, Julius Marathus, & apud Joſephum Orig. lib. XVII. Celadus. unde non abſurde ſuſpicetur aliquis, legendum hic eſſe, *ut Licinium & Celadum aliosque.*

TORRENT.

Diomedem diſpenſatorem.] *Diſpenſatores* dicebantur, quibus familiæ rationes commiſſæ erant, quique domini pecuniam collocabant. Cicero apud Nonium in *Æra*: *Quid? tu* (*inquam*) *ſoles, cum rationem a diſpenſatore accipis, ſi æra ſingula probaſti, ſummam quæ ex his confecta eſt, non probare?* Adde Pomponium J.C. l. CLXVI. de Verb. ſignif. Sed & Macrob. lib. II. cap. III. de Auguſto loquens: *Diſpenſatorem* (inquit) *vocavit, & centum ſeſtertia Græculo numerari juſſit.* & Juven. Sat. I.

Prælia quanta illic diſpenſatore videbis Armigero?

Sueton. ipſe Ner. cap. XLIV. Galb. cap. XII. Veſpaſ. cap. XXII. Unde *diſpenſatio* pro diſpenſatoris functione, ſeu officio. Inf. Oth. cap. V. Ibi vide, & Veſpaſ. cap. XXIII. Adde Feſtum.

Incurrenti repente fero apro.] Duo libri non habent *repente.* Ego *fero* abeſſe malim. Quanquam & ferus abſolute pro apro interdum ponitur, ut apud Ovidium Metamorph. V.

Fixa ſub aure feri ſummum perſtrinxit arundo
Corpus.

ſicut & pro cervo apud Virgilium Æneid. VII. *Pectebatque ferum.* pro equo etiam, & quidem durateo illo:

- - - inque feri curvam compagibus alvum
Contorſit.

Sed hæc Poëtis licent.

Idem Proculum.] Turnebi liber *Polum*, unus e noſtris *Procillum*, quod magis libertum ſapit. nam Proculus Romanorum, & quidem Plautiorum, ni fallor, cognomen eſt. Ad Procillum quendam notum Epigramma Martial. XXVII. lib. I. & alibi alia. Poſſet etiam *Pholum* legi.

Graſſantes oneratos.] Melius MSS. duo *graſſatos, oneratis gravi pondere cervicibus,* &c.

CASAUBON.

Idem Proculum.] Memmianus & alii quidam *Polum.* Græcum eſt nomen Πῶλος.

Thallo a manu.] Membr. *Tallo.* id eſſet nomen Sabinum: Feſtus. Melius *Thallus*, ut in Apologia Apuleji, & in veteri lapide Thalluſa libertæ nomen.

Crura effregit.] Minus recte in Mss. *ei fregit.* Crurifragium olim ſervorum & ancillarum pœna erat. Meminit iterum Suetonius lib. III. cap. XLIV. Fuit publicum maleficorum hominum ſupplicium: ut delatorum ſub Commodo. Euſebius lib. V. Ὁ δείλαιος παρὰ καιρὸν τὴν δίκην εἰσελθὼν αὐτίκα κατάγνυται τὰ σκέλη. de crurifragio etiam Agathias ſentit lib. IV. ſcribens: Πολλαχοῦ κατὰ τὰς πόλεις ἀγύρτας τινὰς τυχὸν ἢ καὶ λωποδύτας, ἢ καὶ ἄλλο τι τῶν ἀνοσίων πεπλημμεληκότας ὁρῶντες, νῦν μὲν τῆς κεφαλῆς ἀφαιρουμένους, νῦν δὲ τὼ πόδε διατεμνομένους. Sed exempla in Martyrologiis & apud alios etiam ſcriptores paſſim.

Graſſantes oneratis gravi pondere cervicibus præcipitavit in flumen.] Viterb. *in flumen jactavit. Graſſantes* autem quam *graſſatos* maluimus cum melioribus libb. ex ipſo enim genere ſupplicii conjicio, iſtos in provincia Syria vel Lycia (nam inter auctores non convenit) ubi Cajus obiit, pœnas rapinarum dediſſe: permittente hoc illis Auguſto, pro cætera ſua lenitate, ut ſuis legibus atque moribus in eos animadverterent. Fuit autem hoc ſupplicii genus Romanis parum in uſu, etſi ejus iterum mentio habetur lib. IV.
cap.

miam ſubiit. Sex. Pompejus ut effœminatum inſectatus eſt. M. Antonius adoptionem avunculi ſtupro meritum. Item Lucius Marci frater, quaſi pudicitiam delibatam a Cæſare, A. etiam Hirtio in Hiſpania CCC milibus numum ſubſtraverit: ſolituſque ſit crura ſuburere nuce ardenti, quo mollior pilus ſurgeret. Sed & populus quondam univerſus ludorum die, & accepit in contumeliam ejus, & aſſenſu maximo comprobavit verſum in ſcena pronuntiatum de Gallo matris Deum tympanizante,

Videſne, ut cinædus orbem digito temperet?

69 Adulteria quidem exercuiſſe, ne amici quidem negant: excuſantes ſane, non libidine, ſed ratione commiſſa, quo facilius conſilia adverſariorum per cujuſque mulieres exquireret. M. Antonius ſuper feſtinatas Liviæ nuptias objecit, & fœminam conſularem e triclinio viri coram in cubiculum abductam, rurſus in convivium rubentibus auriculis, incomtiore capillo reductam: & dimiſſam Scriboniam, quia liberius doluiſſet nimiam potentiam pellicis: & conditiones quæſitas per amicos, qui matres familias & adultas ætate virgines denudarent, atque perſpicerent, tanquam Thoranio mangone vendente. Scribit

cap. XIX. Græcis fuiſſe non incognitum, teſtes Polybius, Diodorus, Plutarchus. De Syris ex Euangelio & Hieronymo cuivis liquet. Matthæi cap. XVIII. *καταποντισμȣ̃* (ita Græci hoc ſupplicium vocant) modus is deſcribitur, quo Thallus iſte periit: *Συμφέρει αὐτȣ̃, ἵνα κρεμασθῇ μύλος ὀνικὸς περὶ τὸν τράχηλον αὐτȣ̃ καὶ καταποντισθῇ ἐν τῷ πελάγει τῆς θαλάσσης.* Græci aliter, qui ſontes in ſaccum, vel plumbeum dolium, ceu in culleum conjiciebant, ut ex Athenæi x. & XIV. palam eſt. Similia in Martyrologiis multa. Nec diſſimilis modus apud Ægyptios. Lyſimachus: *Τȣ̀ς λεπρȣ̀ς εἰς μολυβδίνȣς χάρτας ἐνέδυσαν, ἵνα καθῶσιν εἰς τὸ πέλαγος.* Alibi gravia pondera non cervicibus, ſed pedibus appendebantur. Euſebius lib. VIII. *Τῇ ἑξῆς ἡμέρᾳ λίθων αὐτȣ̃ προσαρτηθέντων τοῖς ποσὶ, μέσῳ πελάγει καταποντȣ̃ται.*

TORRENT.

68. *Dedecorum infamiam.*] *Dedecorum* pro impudicitiæ dixiſſe videtur etiam Horat. lib. III. Od VI. *Dedecorum pretioſus emptor.*

Eum ut effeminatum.] Tres libri non habent *eum.*

Solituſque ſit.] Scribe *ſolitus*, ſine *que*, & mox pro *verſum pronunciatum*, *verſu pronunciato*, ex duob. MSS. & *Viden'* pro *Videſne.*

69. *E Triclinio viri coram.*] Interpretes *viro coram*, recte. Horat. lib. III. Od. VI. *Sed juſſa coram non ſine conſcio Surgit marito.*

Rubentibus auriculis.] Iſtiuſmodi recentis laſciviæ notas refert etiam Juven. Sat. VI.

Vexataſque comas, vultumque, auremque calentem.

Adde Suet. Calig. c. 36.

Thoranio mangone.] Meminit hujus Plin. lib. VII. c. 12. Macrob. quoque lib. II. cap. 4. Sup. cap. 27.

CASAUBON.

68. *Marcus Antonius adoptionem avunculi ſtupro meritum.*] In epiſtola ad Octavium, quæ Ciceronis eſſe dicitur: *Cui nulla dignitas majorum conciliaſſet eam potentiam, ſed forma per dedecus pecuniam, nomen nobile conſceleratum impudicitia dediſſet.*

Crura ſuburere nuce ardenti.] Pilos antiqui ſuburere ſoliti, vel metu, ut olim Dionyſius tyrannus, de quo eſt apud Tullium: & Commodus, de quo Lampridius: *Adurebat comam & barbam timore tonſoris*; vel deliciarum cauſſa, ut hic de Auguſto dicitur. Tertullianus lib. de Pallio, *uſtriculas* vocat mulieres, quarum opera in hanc rem uti moris erat: *Achilles*, inquit, *patiens jam uſtriculas, jam virum alicujus clanculo functus.* tamen illum locum docti viri aliter accipiunt: quod, ut puto, non oportuit.

69. *Excuſantes ſane non libidine, ſed ratione commiſſa.*] Apage iſtam rationem contra rationem. Ita quondam Alcibiades factum excuſabat ſceleſtiſſimum cognita ſibi per adulterium Agidis Spartæ regis uxore: Athenæus libro XII. *Ἐν Σπάρτῃ ὢν ἔφθειρε τὴν Ἄγιδος τȣ̃ βασιλέως γυναῖκα Τίμαιαν. ἐπιπληττόντων δ' αὐτῷ τινῶν, ȣ̓κ ἀκρασίας ἕνεκεν συνελθεῖν ἔφη, ἀλλ' ἵνα ὁ γενόμενος ἐξ αὐτȣ̃ βασιλεύσῃ τῆς Σπάρτης.*

Quo facilius conſilia adverſariorum per cujuſque mulieres exquireret.] Scelus pridem notum hominibus ſacerrimis, notat Ariſtoteles v. Politicorum: & exempla apud hiſtoricos non deſunt.

E triclinio viri coram in cubiculum abductam.] Hæc omnium libb. lectio: docti emendant *viro coram.* ſi placeat nihil mutare, intelligemus convivium in ædibus illius ipſius celebratum fuiſſe, cujus uxor abducta.

Rurſus in convivium rubentibus auriculis reductam.] Theocritus Idyll. II.

---- *καὶ τὰ πρόσωπα*
Θερμότερ' ἦ ἢ πρόσθε.

Denudarent atque perſpicerent, tanquam Thoranio mangone vendente.] Libro IV. capite XXXVI. *Illuſtriores*

bit etiam ad ipſum hoc familiariter adhuc, nec dum plane inimicus, aut hoſtis: *Quid*
te mutavit? quod reginam ineo? uxor mea eſt. Nunc cœpi, an abhinc annos novem? tu
deinde ſolam Druſillam inis? ita valeas, uti tu hanc epiſtolam cum leges, non inieris
Tertullam, aut Terentillam, aut Ruſillam, aut Salviam Titiſceniam, aut omnes. Anne
refert, ubi & in quam arrigas? Cœna quoque ejus ſecretior in fabulis fuit, quæ vulgo
δωδεκάθεος vocabatur: in qua deorum dearumque habitu diſcubuiſſe convivas, & ipſum 70
pro Apolline ornatum, non Antonii modo epiſtolæ ſingulorum nomina amariſſime an-
numerantis, exprobrant, ſed & ſine auctore notiſſimi verſus:

Cum primum iſtorum conduxit menſa choragum,
Sexque deos vidit Mallia, ſexque deas:

Impia

res feminas plerumque diligenter ad cœnam vocatas, præterque pedes ſuos tranſeuntes, diligenter ac lente mercatorum more conſiderabat. Vænales olim, cum emebantur de mangone, denudare mos fuit. Seneca pater Controverſiarum libro primo, de ſacerdote proſtituta: *Nuda in littore ſtetit: ad faſtidium emtoris omnes partes corporis & inſpectæ & contrectatæ ſunt.* Lucianus Βίων πράσει, conſuetudinem hanc ſolens more ſuo expreſſit: inducit enim mercatorem, qui Pythagoram empturus erat, ſic loquentem, Ἀλλ᾽ ἀπόδυθι· καὶ γυμνὸν γάρ σε ἰδεῖν βȣ́λομαι. Menander Ἐφεσίῳ:

Ἐγὼ μὲν ἤδη μοι δοκῶ νὴ τȣ̀ς θεȣ̀ς
Ἐν τοῖς κύκλοις ἐμαυτὸν ἐκδεδυκότα
Ὁρᾷν κύκλῳ τρέχοντα καὶ πωλȣ́μενον.

Male vulgo in ſecundo verſiculo ἐνδεδυκότα apud Harpocrationem ſcribitur. unde hunc locum deſcripſimus. In tertio quid ſit κύκλῳ τρέχοντα declarat Lucianus eodem loco. ſic enim præco mancipium quod vænibat, alloquitur, Ἐλθὲ καὶ περίιθι ἐν κύκλῳ τὸ συνέδριον. Experiebantur & ſaltu. Propertius:

Calati medio cum ſaliere foro.

TORRENT.

Necdum plene inimicus.] Liber unus *necdum plane.*

Salviam Titiſceniam.] Sic Turneb. & Pulmannus, & duo e noſtris codicibus. Alii *Ciriſeniam*, unus etiam *Titiſeniam.* Sænia certe gens Romana eſt. Unde legendum quidam exiſtimant, *Salviam Titi, Sæniam, aut omnes*, ſed non placet. Dion lib. XLIX. Τετισίηνον quendam Gallum memorat, qui, cum aliarum eſſet partium, ad Auguſtum transfugerit. Hujus fortaſſis filiam corruperit Auguſtus, ut proinde legamus, *aut Salviam, aut Titiſienam.* Terentillam vero Mæcenatis intelligit, de qua ante ex Dione.

Ubi & in quam.] Sic libri tres, unus *in qua*, alius *ubi, & qua arrigas*, ſine præpoſitione.

70. *Annumerantis.*] Liber unus *enumerantis*, alter *enumerantes*, epiſtolæ ſcilicet, tertius *nominantis.*

Cum primum iſtorum.] Non exiſtimo epigramma hoc integrum exſtare. Quæ cauſa eſt, quod primum diſtichon non ſatis commode intelligimus. *Choragum* autem, ni fallor, Cæſarem appellat, aut alium quemcumque ejus epuli inventorem, qui deos non aliter in convivium quam in ſcenam choragi ſolent, induxerit. *Mallia* vero, ſeu *Manlia* alii mulieris eſſe nomen volunt, quæ, ut Poſtumia illa apud Catullum, magiſtra fuerit, alii pro arce Capitolina accipiunt. non quod in Capitolio cœna hæc data fuerit, ſed (ut ego interpretor) quod locus, in quo cœnabant, Capitolii ſimulacrum expreſſerit. Jam *cœnare* etiam *adulteria* eleganter dictum, quando non tam ad epulas, quam ad ſtupra convenerant. ſic enim & Tertull. Apologet. *Non tam cœnam cœnaverunt, quam diſciplinam.* Ipſe Cicero Topicis: *Sed quoniam avidum hominem ad has diſcendi epulas recepi, ſic accipiam, ut reliquiarum ſit potius aliquid, quam te hinc patiar non ſatiatum diſcedere.* & libro I. de Divinat. *Bonarum cogitationum epulis ſaturari. Phœbi* quoque *mendacia ludere* Cæſarem non minus venuſte dixit, quod Cæſar illudens hominibus nunc Phœbus, nunc Phœbi filius videri voluit. Poſtremo pro *thronos*, quamquam ſic habent omnia exemplaria, *toros* legendum puto, cum alterum illud Latinum non ſit, & de Jove Capitolino loquatur, qui inductis aliis numinibus ſua lectiſternia ac pulvinaria iratus fugerit. Neque improbaverim, ſi quis *tholos* præferat, ab ea quidem mente qua cœnationem ad Capitolii ſimulacrum effictam diximus. *Tholi* autem quid ſint, nulli dubium.

CASAUBON.

Tertullam aut Terentillam aut Ruffillam.] Amantium ὑποκορισμὸς: nam vera nomina fuere, Tertia, Terentia, Rufa. Tertulla ὑποκοριστικὸν a Tertia, ſicut a Mario fit Marullus, a Lucio Lucullus, a Catio Catullus.

70 *Ipſum pro Apolline ornatum.*] Auguſtus enim ſatus Apolline exiſtimatus eſt: infra cap. XCIV. Propterea etiam factum illi ſimulacrum eſt cum Apollinis cunctis inſignibus, ſi ſatis vera Servii nota ad illud Virgilii:

Caſta fave Lucina, tuus jam regnat Apollo.

Cum primum iſtorum conduxit menſa choragum.]

Id eſt

Impia dum Phœbi Cæſar mendacia ludit,
Dum nova divorum cœnat adulteria:
Omnia ſe a terris tunc Numina declinarunt:
Fugit & auratos Juppiter ipſe thronos.

Auxit cœnæ rumorem ſumma tunc in civitate penuria ac fames. Acclamatumque eſt poſtridie, *frumentum omne deos comediſſe:* & *Cæſarem eſſe plane Apollinem, ſed Tortorem.* quo cognomine is Deus quadam in parte urbis colebatur. Notatus eſt & ut pretioſæ ſupellectilis Corinthiorumque præcupidus, & aleæ indulgens. Nam & proſcriptionis tempore ad ſtatuam ejus adſcriptum eſt:

Pater argentarius, ego Corinthiarius:

cum exiſtimaretur, quoſdam propter vaſa Corinthia inter proſcriptos curaſſe referendos. Et deinde bello Siciliensi epigramma vulgatum eſt,

Poſt-

Id eſt, ubi primum pacti ſunt iſti cum chorago, de ornamentis præbendis ad cœnam δωδεκάθεον. In hiſtoriis Græcorum χορηγὸς honeſtiſſimum nomen eſt, quod de eo dicitur, qui ſumptus de ſuo præbet ad ludos ſacros. Plauto aliiſque Latinis *choragus* is dicitur, qui ſcenicis hiſtrionibus locat ornamenta fabulæ docendæ neceſſaria. Inde apud Ciceronem, *choragium* falſæ gloriæ, ſupellex & reliquum inſtrumentum ad pompam ſolitum comparari. Ita igitur hic quoque accipiendum: ac fortaſſe etiam *choragium* ſcribi melius, ut ſit in poſtremo pede συνίζησις. nam quod eruditiſſimus Torrentius choragum interpretatur Auguſtum, tam eſt a ratione alienum, quam parum meo judicio verum quod idem ait, quia deſit aliquid initio horum verſuum, propterea vix poſſe eorum mentem percipi. Malliam in ſecundo verſu unam e ſex illis fœminis fuiſſe, quæ dearum habitu convivio interfuerunt, neque ajo neque nego: tamen quin pro uxore choragi queat accipi, non dubito. Beroaldus Capitolium ea voce putat ſignificari, ſed ut J. C. ſine lege, ita nos ſine auctoritate erubeſcimus loqui.

VARIOR.

69. *Silviam Titiſceniam.*] Palatini tres, ſed a ſecunda manu primus: *Titiſeniam.* GRUTERUS.

TORRENT.

Eſſe Apollinem, ſed Tortorem.] Vetus cod. *Cæſarem eſſe plane Apollinem, ſed Tortorem.* optime. perit enim dicti gratia retento &. *Apollo* autem *Tortor*, ut *Apollo Sandaliarius*, & *Jupiter Tragœdus*, ſub cap. LVII. cognomine a vicis indito. Martial. lib. II. Epigr. XVII.

Tonſtrix Suburræ faucibus ſedet primis,
Cruenta pendent qua flagella tortorum.

Eo autem dictum illud acerbius, quod divinitatem ſibi Cæſar arrogabat. De quo inf. cap. XCIV.

Colebatur.] Liber unus *celebratur.*

CASAUBON.

Cœnat adulteria.] Cœnando exprimit & repræſentat, atque adeo imitatur. Vox prægnans, ut loquuntur γραμματικῶν παῖδες. Non diſſimile eſt, *epulari iniquitatem* apud beatiſſimum Auguſtinum in libris Confeſſionum, & *magna vivere* apud Minutium Felicem: *Nos non loquimur magna, ſed vivimus.* Sic πηδῶν ποταμὸν apud Juſtinum, de Achille, qui ſaltu vehementiore aquam ſalientem e terra expreſſit. Ita etiam dicatur Servio Heliades *fleviſſe ſuccina.*

Fugit & auratos Juppiter ipſe thronos.] In MSS. utrumque invenimus & *toros* & *thronos*: quæ poſterior lectio plurium conſenſu & in his Memmiani confirmata jure placuit. In Pervigilii Veneris:

Cras Dione jura dicet fulta ſublimi throno.

etſi malim ibi *toro.* At iſto loco qui *thori* vel *tholi* legi debere contendunt, unde obſecro habent fuiſſe tum in Capitolio lectiſternium, quando hæc cœna cœnata?

Ego Corinthiarius.] Hic nomen eſt artificii, poſtea fuit miniſterii in familia Principum. Vetus Lapis:

CALLITYCHE ZOILI.
CORINT. AGRIPP.

Vaſa Corinthia.] Criticorum veterum placitum eſt, ut *Corinthiaca vaſa*, non *Corinthia* dicatur: cui obſervationi MSS. libri multorum ſcriptorum non conſentiunt.

VARIOR.

70. *Juppiter ipſe thronos.*] Sic duo Palatini. At primus retinet *thoros.* qui bonitate alioqui binos alios antecellit. GRUTERUS.

Notatus eſt, ut pretioſæ ſupellectilis.] Mss. duo Palat: *Notatus eſt & ut pretioſæ ſupellectilis.* At tert. non habet voculam *ut.* non male. GRUTERUS.

Poſtquam bis claſſe victus naves perdidit,
Aliquando ut vincat, ludit aſſidue aleam.

Ex quibus ſive criminibus ſive maledictis, infamiam impudicitiæ facillime refutavit, & 71
præſentis & poſteræ vitæ caſtitate. Item lautitiarum invidiam, cum & Alexandria capta, nihil ſibi præter unum murrhinum calicem, ex inſtrumento regio, retinuerit, & mox vaſa aurea aſſiduiſſimi uſus conflaverit omnia. Circa libidines hæſit: poſtea quoque, ut ferunt, ad vitiandas virgines promptior, quæ ſibi undique etiam ab uxore conquirerentur. Aleæ rumorem nullo modo expavit: luſitque ſimpliciter & palam oblectamenti cauſſa, etiam ſenex: ac præterquam Decembri menſe, aliis quoque feſtis profeſtiſque diebus. Nec id dubium eſt: autographa quadam epiſtola, *Cœnavi*, ait, *mi Tiberi, cum iiſdem. Acceſſerunt convivæ Vinicius & Silvius pater. Inter cœnam luſimus* γεροντικῶς *& heri & hodie. Talis enim jactatis, ut quiſque canem, aut ſenionem miſerat, in ſingulos*

TORRENT.

71. *Infamiam impudicitiæ.*] Vide ſup. cap. XXXIV.

Præterquam Decembri menſe.] Quo, ut quadam ad Lucilium epiſtola ſcribit Seneca, *jus luxuriæ publice datum eſt, ingenti apparatu ſonant omnia.* Macrob. Saturnal. I. cap. V. *Vultiſne diem, quem omnes plerique abaco & latrunculis conterunt,* &c. Saturnalia enim XIV. Cal. Jan. Romani ſumma animi remiſſione celebrabant, ut & aliæ nationes, de quibus Athenæus lib. XIV. Plura ad Horat. lib. II. Sat. VII.

- - - age libertate Decembri,
Quando ita majores voluerunt, utere, narra.

Pulchre Juvenal Sat. VII.

- - - tunc utile multis
Pallere, & vinum toto neſcire Decembri.

tunc enim *Invitat genialis hiems, curaſque reſolvit.* Adde locum Suetonii Calig. *Duravitque etiam per feſtos menſis Decembris dies.* Loquitur de luctu ob Germanici mortem.

Cœnavi cum iiſdem.] Liber pervetuſtus ſuperſcriptum habet, *alias cum Iſide.* An forte cum Iſide Auguſtus, ut cum Cithæride Cicero apud Volumnium Eutrapelum accubuit lib. Famil. IX. epiſt. ult.

Convivæ Vinicius & Silvius.] De *Vinicio*, ſeu *Vinucio*, (nam utroque modo ſcribitur) ſup. cap. LXIV. Pro *Silvius* autem *Salvius* ſcribendum puto, quandoquidem M. Salvius Otho, Othonis Principis avus, cujus uti III-viri monetalis exſtant nummi ærei, ſub Auguſto Liviæ familiaritate floruit. Et alioqui frequens mendum eſt, ut Othones fere Silvii in vulgatis exemplarib. vocentur. Codex tamen Patavin. *Silius* habet. Eſt & alius Auguſti III-viri R. P. C. nummus, in quo a parte altera legitur. Q. SALVIUS IMP. COS. DE. qualem ſervo. Sed alii Q. Salvidieno Rufo, de quo paulo ante, illum nummum attribuunt, an recte, nec dum compertum habeo. Lector cogitet, nam & Silia gens Romana eſt.

CASAUBON.

Aliquando ut vincat, ludit aſſidue aleam.] Vetus verſus eſt apud Ariſtotelem: Ἂν πολλὰ βάλλῃς ἄλλοτ' ἄλλον ἂν βαλεῖς. Nec minus vere quam eleganter Galienus Imperator: *Taurum toties non ferire difficile eſt.*

71. *Circa libidines hæſit.*] Ductum a re nautica, ut apud M. Tullium *ad columnam adhæreſcere*, pro Sextio: *Ne Scyllæo illo æris alieni in freto, ad columnam adhæreſceret, in tribunatus portum perfugerat.*

Silvius pater.] Scribo *Silius* ut in Cod. Viterb. & Liſlæi, vel *Salvius*: nam Silvia gens Romana mihi nulla cognita.

Inter cœnam luſimus γεροντικῶς.] Liberaliores potationes talorum inſititiis luſionibus diffindebant. Plautus, Propertius, alii. Ideo inter alia apophoreta dati etiam tali: Martialis & Athenæus. Ait autem luſiſſe γεροντικῶς, hoc eſt, ut faciunt ſenes otio redditi. Non omnes qui alea ludunt, aleatores ſunt, quod peſſimum hominum genus eſſe inter ſapientes convenit. Ludunt pueri, ludunt & ſenes: ſed ſimpliciter & oblectamenti cauſſa, non cupiditate lucri.

Talis enim jactatis, ut quiſque canem aut ſenionem miſerat.] Luſus quem deſcribit Auguſtus, is eſt, quem Græci πλειστοβολίνδα nominarunt. Ludebatur & talis & teſſeris. Pollux: Ἡ πλειστοβολίνδα οὐ μόνον ἡ διὰ τῶν κύβων, ἀλλὰ καὶ διὰ τῶν ἀστραγάλων, ἐπὶ τὸν πλεῖστον βαλεῖν ἀριθμόν. Talis ita ludebant: quatuor talos vel ex auro factos, aut argento, aut ebore, vel revera talos alicujus animalis, in fritillum conjiciebant, eoque concuſſo ſuper tabulam fundebant. Talorum πτώσεις, hoc eſt, varietates quas jactu caſuque exhiberent, erant numero triginta quinque: id enim obſervatum eſt a veteribus aleæ magiſtris, non poſſe ultra eum numerum diverſas ſpecies exhiberi jactu quocumque quatuor talorum. Dico talorum: nam in teſſeris plures conſpectus diverſi reperiri poſſunt. Ratio diverſitatis eſt, quia plures ſunt πτώσεις teſſeræ quam tali. hic quatuor tantum habet partes, quibus inſiſtat & incumbat: cum ab utraque longitudinis ſuæ extremitate rotundetur: illa ſex. hoc optime doceat αὐτοψία. Quin, etſi talus habere quatuor πτώσεις

gulos talos ſingulos denarios in medium conferebat : quos tollebat univerſos , qui Venerem jecerat. Et rurſus aliis litteris : *Nos , mi Tiberi , Quinquatrus ſatis jucunde egimus. Luſimus enim per omnes dies , forumque aleatorium calfecimus. Frater tuus magnis clamoribus*

πλώτεις dici poteſt , fere tamen cum jacias , non aliter cadere videas quam duobus modis : vel in eam faciem e duabus quas habet latiores , quæ cava eſt : vel in oppoſitam , quæ eminet & protuberat. Has talorum *πλώτεις* Græci ajunt , *ἐξ ἑϐδομάδος κατ᾽ ἀντίθετον συγκειμένας* fuiſſe : hoc eſt , puncta vel numeros habuiſſe ſic diſpoſitos , ut qui in oppoſitis duobus lateribus eſſent , juncti ſemper efficerent ſeptem hoc
* modo. * *Ἀντέκειτο γὰρ*, ajunt, *μονὰς καὶ ἑξὰς,*
1-----6 *εἶτα τριὰς καὶ τετράς.* In teſſeris amplius fuerunt
3-----4 *δυὰς καὶ πεντάς.* Qui *πλειστοϐολίνδα* ludebant, ſingulis jactibus infelicibus certam pecuniam , prout convenerat, in medium conferebant : aliquando in ſingulos talos ſingulos nummos , ut hic Auguſtus ait : aliquando in ſingulas unitates quas jactus oſtendebat , ſive in punctum , ut loquitur Suetonius in Nerone , ſingulos nummos. hoc innuit Pollux in deſcriptione iſtius luſus, verbis hiſce : *Ἀργυρίου τινὰ ἀριθμὸν ἐπιφημίσαντες καθ᾽ ἑκάστην μονάδα διῃρημένην, δραχμὴν, ἢ στατῆρα ἢ ὁποσονοῦν.* Sic ille locus ſcribi debet. Atque iſtæ ſunt *manus* quas vocat Auguſtus , cum ait in ſequenti epiſtola : *Si quas manus remiſi cuique, exegiſſem, aut retinuiſſem quod cuique donavi , viciſſem vel quinquaginta millia.* Duplicem ſuam benignitatem refert : alteram , quod colluſoribus ſuis, qui ex jactu infeliciore tenebantur pecuniam in medium conferre , remiſerit conferendi neceſſitatem : alteram , quod iiſdem pecunia deſtitutis ad conferendum de ſuo ſit largitus. Porro vincebat is , qui Venerem jaciebat : ita vocabant jactum , qui talos omnes diverſa figura oſtendebat. Lucianus in Amoribus : *Οἱ ποτε τὴν θεὸν αὐτὴν*, Venerem intellige , *εὐϐολήσεις μηδενὸς ἀστραγάλου πεσόντος ἴσῳ σχήματι προσεκύνει, τῆς ἐπιθυμίας τεύξεσθαι νομίζων.* Vincendi rationem paullo aliter explicare Pollucem video : *Ὁ περιϐαλλόμενος τῷ πλήθει τῶν μονάδων , ἔμελλεν ἀναιρεῖσθαι τὸ ἐπιδιακείμενον ἀργύριον.* Sic cum non in pecuniam facta erat conventio , ſed in aliam conditionem, ſemper vincebatur *ὁ ἐλάττω βάλλων τοῖς ἀστραγάλοις*, ut loquitur Athenæus lib. x. Sed non dubium *πλειστοϐολίνδα* & ſimiles luſiones variis modis ſolitas exerceri.

VARIOR.

71. *Murrhinum calicem.*] Nihil verius quam antiqua murrhina eſſe *porcellanea* noſtra, quocunque modo hodie fiant. quod enim ex luto quodam albo & in fornacibus cocto apud Chinas porcellanea vaſa fieri contendunt , hoc nihil prohibet , quin veterum murrhina fuerint. quod enim veteres quidam lapidem *murrham* ſcripſerunt , alii humorem ſub terra denſatum , certe ex eo patet ignoraſſe illos , quid eſſent aut quomodo fierent murrhina. Non recte porro inde colligitur , diverſa eſſe porcellanea & murrhina. SALMASIUS.

Talis jactatis.] Pluribus videntur veteres luſiſſe talis, quam teſſeris : tribus enim teſſeris , quatuor talis luſitabant , cum Martialis ſcribat :

Non ſim talorum numero par teſſera.

In teſſera ſex latera , quatuor in talo erant. itaque in talo neque binio , neque quinio erat , ſed tantum ternio & quaternio & ſenio & canis : id eſt , unitas. Ternionem & quaternionem etiam *ſuppum* & *planum* vocatos eſſe legimus. TURNEBUS. De talorum ludo vide Ferrarii lib. Elect. 16.

TORRENT.

Venerem jecerat.] Jactus feliciſſimus , qualis & ille Græcorum proverbio celebratus , *τρὶς ἓξ βάλλειν*, ter ſex jacere. De quo , ne quem ſua defraudem gloria , Petr. Victorius Variar. Lect. xxv. cap. XIV. & Hadr. Junius Adag. LXII. cent. v.

Nos , mi Tiberi , Quinquatrib.] Liber opt. *Quinquatris , mi Tiberi , ſatis jucunde egimus*, veteri more, pro *quinquatriis*. Dictæ autem Quinquatrus , ſeu Quinquatria, quod erant poſt diem quintum Idus Martii. Varro lib. v. Ling. Lat. Gellius lib. II. cap. XXI. Inf. Ner. cap. XXXIV. Plura ad Horat. Epiſt. II. ad Florum : *Puer & feſtis Quinquatribus olim.*

Forum aleatorium.] Quo nimirum tanquam ad celebrem aliquem conventum luſuri alea confluebant. Similis , ni fallor , Senecæ locus conſolatione ad Polybium cap. XXXVI. corruptus tamen. nam de Caji Cæſaris amiſſa ſorore Druſilla dolore loquens : *In Albano* (inquit) *ſeceſſit , ac foro & advocatis & hujuſmodi aliis occupationibus acerbiſſimi funeris levabat mala. Proh pudor imperii ! Principis Romani lugentis ſororem alea ſolatium animi fuit.* His in verbis quiſpiam, quid forum aleatorium eſſet non intelligens , foro advocatos adjunxit. Lego igitur , conjectura pæne neceſſaria, *ac foro aleatorio , & hujuſm.* ſic enim quod de alea ſequitur , optime convenit.

CASAUBON.

Tollebat univerſos.] Pollux modo : *Ἔμελλεν ἀναιρεῖσθαι τὸ ἐπιδιακείμενον ἀργύριον.*

Quinquatriis ſatis jucunde egimus.] Placet Memmii & Liſlæi codd. lectio *Quinquatrus.*

Forumque aleatorium calfecimus.] In pleriſque urbibus inter loca ædilem metuentia fuit is, quo convenire ſoliti aleatores : quem Cicero *ludum talarium* , Quintilianus *ludum talarem* , Auguſtus *forum aleatorium* vocat. Forum enim dicitur locus omnis concurſu negotiantium celebris. ubicumque autem

moribus rem geſſit. Ad ſummam tamen perdidit non multum : ſed ex magnis detrimentis præter ſpem paullatim retractus eſt. Ego perdidi viginti milia numum, meo nomine : ſed cum effuſe in luſu liberalis fuiſſem, ut ſoleo plerumque. Nam ſi, quas manus remiſi cuique, exegiſſem, aut retinuiſſem quod cuique donavi, viciſſem vel quinquaginta milia. Sed hoc malo. Benignitas enim mea me ad cœleſtem gloriam efferet. Scribit ad filiam : *Miſi tibi denarios ducentos quinquaginta, quos ſingulis convivis dederam, ſi vellent inter ſe inter cœnam vel talis vel par impar ludere.* In cæteris partibus 72
vitæ

autem conveniatur aleæ cauſſa, ibi erit forum aleatorium, non in foro tantum : etſi ibi quoque alea ſolita exerceri, ſed non niſi ab hominibus perditis & profligatis, qui omnem exiſtimationis ſuæ curam poſuiſſent. Cicero Philipp. II. *Hominem omnium nequiſſimum, qui non dubitaret vel in foro alea ludere, lege, quæ eſt de alea, condemnatum, qui in integrum reſtituit, is non apertiſſime ſtudium ſuum ipſe profitetur?* Ex his apparet, quam grave flagitium cenſeretur Romæ alea in foro ludere. Quare Auguſti verba non ita accipio, quaſi ille in foro luſiſſet : ſed ita locutum arbitror, ad declarandum ſuum in ludendo ſtudium, & eorum qui non parvo numero feſti celebrandi gratia ad ipſum convenerant. ideo ait *forum calſecimus*, venuſtiſſima tranſlatione, qua exprimitur ἐμφατικώτατα & ſtudium ſimul & frequentia ludentium. Cicero ad Atticum : *Cum Romæ a judiciis forum refrixerit, excurremus menſe Septembri legati ad Piſonem.* Sic dixit Tertullianus, *æſtuare carcerem*, pro plenum eſſe. Apologetici cap. XLIV.

VARIOR.

Venerem jecerat.] Venus erat jactus, cum tali quatuor diverſo erant omnes numero, id eſt, cum jacti erant omnes talorum numeri. Martialis :

Cum ſteterit nullus vultu tibi talus eodem,
Munera me dices magna dediſſe tibi.

TURNEBUS.

Forum aleatorium calfecimus.] Forus aleatorius eſt alveus luſorius. Nam forus & tabula idem. Unde *fori navium* ſunt tabulata, & *fori torcularium.* qui forum ibi aleatorium τὴν ἀγορὰν κυβευτικὴν interpretantur, miſere falluntur. SALMASIUS. ad Flav. Vopiſc. p. 4. 62.

TORRENT.

Si quas manus remiſi.] *Remittere manum* (inquit Beroaldus) eſt condonare colluſoribus jactum, quem damnoſum fecerint. Sabellicus vero *manus* exponit pecuniarum grumos in aleam conjectos. Vulgari quoque ſermone *bonam* vocamus *manum*, cum feliciter jaciendo multum a colludentibus auferimus. Nec diſſimili ratione Martial. Apophoretis *alea parva nuces*, & paulo ante de teſſera *alea major* dixit, prout minore, majoreve ludentium damno agitur. & JCti *aleam emere*, & *vendere aleam*, quoties incertum aliquid, quid quantumve futurum ſit, nundinamur, ut puta jactum retis, capturam aucupis, aut miſſilium jactum, l. VIII. De contrah. emptione, l. VII. & l. XI. De hered. vel actio. vend. De talis autem teſſeriſque Turneb. lib. I. Adverſ. cap. VI.

Benignitas enim mea.] Sic Horat. diligens verborum Auguſti imitator, Epod. I. ad Mæcenatem : *Satis ſuperque me benignitas tua Ditavit.*

Inter ſe inter cœnam.] Duo priora verba *inter ſe*, ut ſupervacanea rejicienda cenſeo. nam & paulo ante, *inter cœnam luſimus γεροντικῶς.* Hinc porro colligimus, Romanos cœnam diutius protrahentes ferculis hujuſmodi intermiſcuiſſe voluptates. Adde mox Suetonii locum c. 74. *Quot* etiam, non *quos* equidem legerim.

72. *Juxta Romanum forum ſupra ſcalas anularias.*] Mallem *juxta forum.* nam cum forum dicimus abſolute, Romanum intelligimus; hoc præſertim loco, quo de Scalis anulariis additur, quas regione fori Rom. etiam Onufrius Panvinius collocat.

CASAUBON.

Si quas manus remiſi cuique, exegiſſem.] Expoſuimus jam hæc verba : nempe *manum* vocat, quam conferebat quiſque pecuniam poſt jactum infelicem. Proprie tamen manus eſt jactus ipſe : nam in alea ſinguli jactus ſic dicuntur manus, ut in re gladiatoria ſingulæ manus & ſinguli ictus. Quintilianus lib. IX. cap. I. *In armorum certamine adverſos ictus & rectas manus, cum videre, tum etiam propulſare facile eſt, averſæ tectæque minus ſunt obſervabiles.* Et alibi apud eundem *manus gladiatorum ſecundæ, tertiæ, quartæ.* Cave confundas, ut quidam, manum cum univerſa illa pecunia, quam ſingulis commiſſionibus victor auferebat, quamque vocari diximus Polluci τὸ ἐπιδιακείμενον ἀργύριον. Hæc eſt opinor pecunia, quam A. Gellius *æs manuarium* vocat, quaſi ex pluribus manibus collectum, lib. XVIII. cap. XIII. quamque σύνθεσιν Imperator lege prima Cod. de Aleatoribus : Οἱ σφόδρα, inquit, πλούσιοι νομίσματος ἑνὸς ἑκάστην σύνθεσιν παίζουσιν : nam ſi σύνθεσιν ibi *manum* interpreteris, erit immenſa ſumma, quam poterit aliquis una commiſſione, quæ pluribus jactibus abſolvitur, perdere.

Vel talis, vel par impar ludere.] Non quin & talis par impar luderetur : nam ἀρτιασμοῦ per talos exemplum habes in Platonis Lyſide, & notat Pollux lib.

IX.

vitæ continentiſſimum fuiſſe conſtat, ac ſine ſuſpicione ullius vitii. Habitavit primo juxta Romanum forum ſupra Scalas anularias, in domo quæ Calvi oratoris fuerat: poſtea in Palatio, ſed nihilominus ædibus modicis Hortenſianis, & neque laxitate neque cultu conſpicuis: ut in quibus porticus breves eſſent Albanarum columnarum, & ſine marmore ullo aut inſigni pavimento conclavia. Ac per annos amplius quadraginta eodem cubiculo hieme & æſtate manſit: quamvis parum ſalubrem valetudini ſuæ urbem hieme experiretur, aſſidueque in urbe hiemaret. Si quando quid ſecreto aut ſine interpellatione agere propoſuiſſet, erat illi locus in edito ſingularis, quem Syracuſas & τεχνόφυον vocabat: huc tranſi-

ix. Sed & teſſeris, & ipſis nummis, & nucibus etiam, ut apud Ovidium, & Ariſtophanis Scholiaſten, legere memini. Similis luſio erat, quando quærebant *caput aut navim.* Auctor libri de Origine urbis Romæ, & Macrob. I. Saturnal. cap. VII. ſic apud Græcos *ζυγὰ ἢ ἄζυγα.* ſcholia Ariſtophanis ad Plutum.

TORRENT.

In urbe hiemaret.] *Hiemare* exponit Eraſmus pro affligi hiemis incommodo, non recte. ſenſus enim eſt, Auguſtum, quamvis parum ſalubrem hieme ſibi Urbem experiretur, nihilominus tamen hiemem illic peregiſſe aſſiduo, & ne mutato quidem unquam cubiculo. Itaque legerim, *aſſidue quoque in Urbe hiemans.* nam alioqui verborum ſtructura luxa eſt. Quæ ſane admiranda tanti Principis continentia eſt. nam & pauper, quod ridere nos jubet Horatius,

- - - *mutat cœnacula, lectos,*
Balnea, tonſores.

Quam Syracuſas, *& τεχνόφυον vocabat.*] *Syracuſas*, quod locus ipſi, cum ſolus eſſet, non minus arrideret quam delicato cuipiam Syracuſæ, urbs Siciliæ amœniſſima: *τεχνόφυον* vero, quod ad artes excogitandas, excolendaſque conduceret. Locum autem hunc *ſingularem* vocat, quod ſolus, & undique ab aliis ſeparatus eſſet.

CASAUBON.

72. *Poſtea in Palatio.*] Vide Suetonii Grammaticos in Verrio Flacco, & Dionis notam lib. LIII. itemque libro LV. Refert & Servius, Auguſtum ædificatam a ſe domum publicam feciſſe. cauſſa eſt apud Dionem; quia pontificem maximum in aliis quam publicis ædibus habitare fas non erat. ideo Palatii publicationem Nerva quoque fecit renovato Auguſti exemplo: quod alii Principes neglexerant. Docet ſubobſcure Plinius in Panegyrico: *Magno*, inquit, *animo parens tuus hanc ante vos Principes arcem, publicarum ædium nomine inſcripſerat.*

Sed nihilominus ædibus modicis Hortenſianis.] Palatium & regionem in urbe interdum deſignat, & ſæpius domum principalem. Hæc ex pluribus domibus minoribus in unius maximæ ſpeciem fuerat conſtructa. Itaque Palatii pars fuit vetus Hortenſii domus: ut hinc liquet. Pars alia fuit Catilinæ domus, quæ tamen poſtea ſeparata eſt a Palatio, ut indicat Suetonii locus in Verrio Flacco.

Eodem cubiculo hieme & æſtate manſit.] Contra conſuetudinem hominum ejus temporis, qui in ædibus ſuis alia habebant hiberna, alia æſtiva cubicula & triclinia. Varro de lingua Latina lib. VII. & Plinius in epiſtolis lib. II. & Columella in deſcriptione villæ. De triclinio hiberno Juvenalis loquitur Satyra VII.

- - - *algentem rapiat cœnatio ſolem.*

Mos antiquiſſimus, cujus inventores delicati & principes in Aſia viri: nam ut de regibus Perſarum nihil dicam, etiam in Sacris literis ejus conſuetudinis fit mentio, lib. Judicum, cap. III. commate XX. & propheta Amos, has populi Iſraelitici delicias graviter objurgat cap. III. comm. XV. Tandem fuiſſe hominibus luxurioſis, præſertim Romanis, non triclinia ſolum pro tempore diverſa: ſed & ſupellectilem totam, & ea maxime quæ auro argentoque conſtabant, etiam anulos alios æſtivos, alios hibernos, teſtis Juvenalis Satyra I. & de Græcis Alexis in Hippiſco apud Athenæum lib. VI.

Parum ſalubrem valetudini ſuæ urbem.] Præter medicinæ auctores Græcos & Latinos, qui hoc teſtantur, Frontini verba ſunt in lib. de Aquæduct. *Ne pereuntes quidem aquæ otioſæ ſunt: nam immunditiarum facies & impurior ſpiritus, & cauſſæ gravioris cœli, quibus apud veteres urbis infamis aër fuit, ſunt remotæ.* Adulatur vero Imperatori Nervæ Frontinus, cum illa ſcribit.

Quem Syracuſas & Technophyon vocabat.] Hoc illud eſt, quod Varro notat in ſui temporis hominibus: quos ait ſuis villis delicata nomina uſque inde e Græcia petita imponere. Sic Pauſilypum, Academia, aliaque villarum celebria nomina.

VARIOR.

72. *Per annos amplius quadraginta.*] Ellipſis, quæ & noſtris Juris conſultis non infrequens. Utitur enim ea Julianus l. LXXXI. §. 4. D. de Legat. I. *Titius non amplius quincuncem in ſervis vindicare poſſe.* & Javolenus l. XXX. §. 4. D. de Legat. 3. *Negavi amplius partem deberi.* GOESIUS.

tranſibat, aut in alicujus libertorum ſuburbanum: æger autem in domo Mæcenatis cubabat. Ex ſeceſſibus præcipue frequentavit maritima, inſulaſque Campaniæ, aut proxima urbi oppida, Lanuvium, Præneſte, Tibur: ubi etiam in porticibus Herculis templi perſæpe jus dixit. Ampla & operoſa prætoria gravabatur. Et neptis quidem ſuæ Juliæ, profuſe ab ea exſtructa, etiam diruit ad ſolum: ſua vero quamvis modica, non tam ſtatuarum tabularumque pictarum ornatu, quam xyſtis & nemoribus excoluit, rebuſque vetuſtate ac raritate notabilibus: qualia ſunt Capreis immanium belluarum ferarumque

TORRENT.

Libertinorum.] Meliores codices *libertorum.* Sed Suetonii ætas, uti & JCti noſtri, promiſcue his verbis uſa eſt.

Æger in domo Mæcenatis.] Turrem (opinor) Mæcenatis, hortoſque in Eſquiliis intelligit. Unde Horat. quavis occaſione Auguſto blandiens:

Nunc licet Eſquiliis habitare ſalubribus.

Infr. Tib. cap. xv.

In porticibus Herculis templi.] Tibur in tutela Herculis erat. Inf. Calig. cap. VIII. Unde Herculeum vocant Strabo, Martialis, & alii. Templi pulchritudinem oſtendit Juvenalis, cum ait, *vincens Fortunæ atque Herculis ædem.*

Xyſtis & nemoribus.] *Xyſta* Romanorum more ambulationes ſub divo vocat, quas Græci παραδρομίδας, non porticus illas ſpatioſas. Unde *xyſtici* athletæ dicti, quod ante notavimus. *Nemora* autem (inquit Feſtus) *ſilvas amœnas ſignificant.* qualia etiam intra domorum ſepta veteres habuerunt. Horat. lib. III. Od. x.

Audis, quo ſtrepitu janua, quo nemus
Inter pulchra ſitum tecta remugiat
Ventis?

& Epiſt. ad Fuſcum:

Nempe inter varias nutritur ſilva columnas.

Tibul. quoque lib. III. Eleg. III.

Et nemora in domibus ſacros imitantia lucos,
Aurataque fores, marmoreumque ſolum.

Vetuſt. ac rarit. notabilib.] Liber opt. *vetuſtate, ac venuſtate, ac raritate nobilibus.*

CASAUBON.

In alicujus libertorum ſuburbanum.] Ita lego cum Liſlæi cod. & edit. Lugdun. veteri, non *libertinorum*, ut in vulgatis codd. habetur, ſimilis locus cap. XLV.

Æger autem in domo Mæcenatis cubabat.] Mira conſuetudo. Plinius epiſtolarum lib. VII. ep. XVI. *Ego in villas ejus ſæpe ſeceſſi, ille in domo mea ſæpe convaluit.* Lege etiam de Ptolemæo Lagi F. ſimile quid: notat enim Plutarchus in Apophtheg. ſolitum illum τὰ πολλὰ παρὰ τοῖς φίλοις δειπνεῖν καὶ καθεύδειν.

Ex ſeceſſibus præcipue frequentavit maritima.] Romani proceres, quod ex Cicerone aliiſque notum, ſoliti Roma per æſtatem exire, & in aliquod Campaniæ oppidum ſecedere, in quo tractu ſua prætoria habebant: præcipue vero frequentabant oram maritimam. quare etiam *amœna* hujuſmodi loci κατ' ἐξοχὴν dicti. Gloſſarium: *Amœnia*, αἱ ἀκταί. Scribe, *Amœna:* & ἀκταὶ accipe non pro quovis littore, ſed quo modo a Latinis uſurpatur, ut Cicerone in Verrinis. Veteres Gloſſæ Turnebo deſcriptæ: *Acta, littora amœna.* Servius: *Amœna ſunt loca ſolius voluptatis plena, quaſi amunia.* Tacitus III. Hiſtoriarum 76. *Noctu dieque fluxi & amœna littorum perſonantes.* Victor in Aurelio Antonino: *Quæ in tantum petulantiæ proruperat, ut in Campania ſedens, amœna littorum obſideret.* Propter hanc littoralem amœnitatem conqueritur Horatius ſubmoveri maria: quod & Themiſtius oratione quadam novæ Romæ civibus objicit, qui amore deliciarum hoc genus veteribus Romanis nihil ceſſerunt. Pro Campaniæ ora fuit iis Propontis vicina, & Princeps, Prota aliæque adjacentes inſulæ. In ora illa æſtivabant Imperatores in magnificentiſſimis prætoriis: quorum amorem & deſiderium rebus magnis ſæpe impedimento fuiſſe queritur Nicetas. Obſervat autem Heſychius, ab hoc principio obtinuiſſe, ut omnes loci, in quibus genio indulgetur, *actæ* vulgo dicantur, licet a mari procul: Ἡ συνήθεια τοὺς ἐπ' εὐωχίαις ἀφωρισμένους τόπους ἀκτὰς καλεῖ, κἂν τύχωσι μὴ παραθαλλάσσιοι ὄντες.

Lanuvium.] Liſlæi cod. *Lavinium.*

Quam xyſtis & nemoribus.] Quæ ad uſum & feria magis commodarent, quam ad voluptatem & elegantiam. in xyſtis per hibernum ſolem de rebus gravibus, vel inter ambulandum, vel ſedentes tractabant: in nemoribus per æſtatem umbram & opacitatem captabant. Adeo autem nemoribus capiebantur vulgo elegantiores Romani & φιλόκαλοι, ut etiam in urbanis ædibus, ſi alio loco nequirent, ſaltem in tectis haberent. Seneca teſtis eſt variis locis.

Qualia ſunt Capreis.] In Auguſti prætorio, quod in ea inſula exſtruxit. Mſs. noſtri habent, *in Capreis.* Urſini, *capita.*

VARIOR.

Qualia ſunt Capreis.] Tertius Palatinus legit cum Urſiniano codice, *capita.*

TOR-

73 rumque membra prægrandia, quæ dicuntur Gigantum oſſa, & arma Heroum. Inſtrumenti ejus & ſupellectilis parcimonia apparet etiam nunc, reſiduis lectis atque menſis, quorum pleraque vix privatæ elegantiæ ſint. Ne toro quidem cubuiſſe ajunt, niſi humili & modice inſtrato. Veſte non temere alia quam domeſtica uſus eſt, ab uxore & ſorore & filia neptibuſque confecta: togis, neque reſtrictis neque fuſis: clavo, nec lato nec anguſto:

TORRENT.

Quæ dicuntur gigantum oſſa.] Idem liber *gigantium.* Bellum autem adverſus gigantes campis Phlegræis in Campania, ſi Straboni & Diodoro credimus, confecit Hercules. Hinc de eorum oſſibus fabula ad noſtrum uſque ſæculum dimanavit.

73. *Reſiduis lectis atque menſis.*] Lectos triclinares intelligit, poſtquam menſas adjungit; ut de toro quod ſequitur ad cubicularem lectum referatur. Plura in Horatium notavi Epiſt. ad Torquatum:

Si potes Archiacis conviva recumbere lectis.

Veſte non temere alia quam domeſtica.] Malim tranſpoſitis verbis ita legere: *Veſte non temere alia domeſtica uſus eſt quam ab uxore, & ſorore*, vel, ut in MS. legitur, *ab ſorore, & uxore, & filia, neptibuſque confecta.* Atque ita *domeſticam* vocabit veſtem qua domi utebatur, ad *forenſium* differentiam. Infra Vitell. cap. IX. *Ita ut erat, in veſte domeſtica Imperator eſt conſalutatus.* Cicero II. de Finibus: *Aut etiam ut veſtitum, ſic ſententiam habeam aliam domeſticam, aliam forenſem.* Seneca de Tranquill. vitæ: *Placet veſtis domeſtica, & vilis, nec ſervanda ſollicite.* ut enim inquit Cato, *veſtiri in foro honeſte mos erat, domi quod eſſet ſatis.* Inter domeſtica autem veſtimenta cœnatoria habenda ſunt. de quibus Martial. Apophor. CXXXV De forenſibus vero Sueton. hic, & iterum Calig. cap. XVII. Columella quoque lib. XII. cap. IV. *Quales* (inquit) *ſunt arculæ, in quibus veſtimenta forenſia conduntur.* Inter forenſia vel præcipue toga eſt. Quod ſi quis forte nihil immutari hic patiatur, *domeſticam* vocari veſtem dicemus, quæ domi confecta ſit, qualiſcunque illa fuerit. Quod ſane de forenſibus non crediderim; quamquam priſci illi Heroës, ſi poetis credimus, non temere aliis utebantur quam feminarum manu confectis.

CASAUBON.

Quæ dicuntur gigantum oſſa.] In Mss. ſine diſtinctione ita legitur, *ferarumque membra prægrandia, quæ dicuntur gigantum oſſa.* Quæ de gigantibus prodita ſunt ab antiquis poetis & λογογράφοις, ea ſunt ita fabuloſa, ut merito Suetonius iis nullam fidem habuerit. Sed quod propterea gigantes nullos fuiſſe, aut nulla eorum oſſa reperiri exiſtimaſſe videtur, in eo fugit eum ratio. Illud manifeſto Sacræ literæ arguunt, hoc αὐτοψία multorum: ſuntque etiam nobis aliquando viſa. Vide Auguſtin. de Civitat. Dei libro XV. cap. XXIII.

Et arma Heroum.] Qualia multa recenſentur a Pauſania, quæ ejus adhuc ætate inter donaria templorum Græciæ viſebantur.

73. *Nec toro quidem cubuiſſe ajunt niſi humili.*] Veteres lecti alii erant non alti, in quos ſcanſione ſimplici & ſcamno aſcendebant: alii altiores, in quos ſubſelliis conſcendere oportebat: in alios duplicata ſcanſione, hoc eſt, gradibus veniebatur. In lectis erant tori, quos alte ſuffultos habere & ſublimes elegantiæ erat: prorſus ut hodie in quibuſdam locis fieri cernimus, ubi culcitæ plumeæ tantum paleæ ſupponitur, ut in altitudinem magnam aſſurgat torus. Tales Auguſtus gravabatur, humiles probabat. In quo fuiſſe aliquod ſpecimen morum declarant ea, quæ alibi cum cura diſputamus de lectis veterum.

Veſte non temere alia quam domeſtica uſus eſt.] Nihil mutandum. Fruſtra eſt vir doctus, cui mirum adeo videtur veſtes forenſes a fœminis fuiſſe contextas. non meminerat tot veterum teſtimoniorum, quibus hoc de facili probari poteſt. Mitto Alexandri exemplum, qui apud Curtium libro V. veſtem qua indutus erat, *ſororum non donum ſolum, ſed etiam opus eſſe*, ſerio affirmat. Apud Statium IV. Sylvarum optat Roma Imperatori Domitiano:

- - - Da gaudia faſtis
Continua: hos humeros multo ſinus ambiat oſtro,
Et properata tuæ manibus prætexta Minervæ.

Ecce optat, ut quotannis fiat conſul, & ſemper conſulari prætexta manib. uxoris confecta decoretur. Ex hoc more interpretandum, quod refert Tacitus lib. II. Annal. 14. Germanicum *per quietem vidiſſe ſe operatum, & ſanguine ſacro reſperſa prætexta, pulchriorem aliam manibus aviæ Auguſtæ accepiſſe.* non enim ſine re hoc ſomniavit, ſed cauſſam habuit ex eo, quod Auguſtus & filii tam ipſius quam Liviæ togas, prætextas, & id genus veſtes forenſes confectas Liviæ, Octaviæ, & Juliarum manibus geſtare eſſent ſoliti. Verum de his affatim alibi.

Togis neque reſtrictis nec fuſis.] Illæ erant præparcorum & μικρολόγων, hæ diſcinctorum & nepotum.

Clavo nec lato nec anguſto.] Caute accipe. an non enim lato clavo uſus Auguſtus? Sane. ſed ita ut purpuram, ex qua clavus fiebat, ſupra modum non dilataret quorundam more, qui τῷ πλάτει τῆς πορφύρας, ut Lucianus ait, ſeſe apud vulgus venditabant. Horum reſpectu anguſticlavius Auguſtus appellari potuit, qui tamen ratione inferioris ordinis laticlavius erat. In vita Alexandri Severi legere memini, mitiſſimum illum

anguſto: calceamentis altiuſculis, ut procerior, quam erat, videretur. Et forenſia autem,
& calceos numquam non intra cubiculum habuit, ad ſubitos repentinoſque caſus parata.
Convivabatur & aſſidue, nec umquam niſi recta: non ſine magno ordinum hominum- 74
que delectu. Valerius Meſſalla tradit, neminem umquam libertinorum adhibitum ab eo
cœnæ, excepto Mena, ſed aſſerto in ingenuitatem, poſt proditam Sex. Pompeji claſſem.
Ipſe ſcribit invitaſſe ſe quendam, in cujus villa maneret, qui ſpeculator ſuus olim fuiſ-
ſet. Convivia nonnumquam & ſerius inibat, & maturius relinquebat: cum convi-
væ & cœnare inciperent, prius quam ille diſcumberet, & permanerent digreſſo eo.
Cœnam

lum Principem *tunicis aſemis vel macrocheris ex purpura non magna uſum.*

VARIOR.

73. *Clavo nec lato nec anguſto.*] Qua latitudine purpura illa fuerit, quæ veſti laticlaviæ inſerebatur, haut bene definiri poteſt. Quidam enim, qui modeſtiam affectabant, quamvis laticlavii eſſent, tamen purpura non magna utebantur. ut h. l. Auguſtus, & Spartianus de Severo: *Hic tam exiguis veſtibus uſus eſt, ut vix tunica ejus aliquid purpuræ haberet. Chlamydes hirtas Severi, & tunicas aſemas, vel macrocheras ex purpura non magna ad uſum revocavit ſuum.* Errant, qui hinc credunt Severum anguſticlavias tunicas portaſſe. Contra alii ambitioſiores purpuram ſuam admodum dilatabant, ut ex Luciani Demonacte oſtendit A. RUBENIUS de Re Veſtiaria lib. I. c. II.

TORRENT.

74. *Convivabatur aſſidue.*] Duo libri, *& aſſidue, neque umquam niſi recta.* Sic Veſpaſ. cap. XIX. *& convivabatur aſſidue, & ſæpius recta, ac dapſile, ut macellarios adjuvaret. Cœna* autem *recta* inde dicta, quod ordine diſcumbentibus præberetur, cum ſportulæ ſine ordine ac ſplendore promiſcue clientibus auferendæ præſtarentur. Budæus in Pandectas, Turneb. Adverſar. XVIII. cap. XI.

Valerius Meſſalla.] Hujus (ut opinor) commentarii citantur aliquoties a Plinio. Meminit etiam ſcriptorum ejus Quinctilian. lib. X. Vide ſup. cap. LVIII.

Excepta Mena.] De Mena, Sex. Pompeji liberto, plura ad Horatium Epod. IV. Male autem hic interpungitur. ſcribendum enim: *excepto Mena, ſed aſſerto in ingenuitatem poſt proditam Sex. Pompeji claſſem. Ipſe ſcribit*, &c. hoc enim proditionis præmium tulerat Menas, ut donatus anulis aureis inter ingenuos haberetur. Dion, & alii.

Ipſe ſcribit.] De vita ſua ſcripſiſſe Auguſtum videbimus cap. LXXXV.

Speculator.] Sic omnes MSS. De quo vocabulo inf. Calig. cap. LII. & Oth. cap. V. Vulgati *ſpiculator.*

CASAUBON.

Ut procerior quam erat, videretur.] Mos antiquiſſimus Græcorum & Romanorum, ſed magis fœminarum, ſtaturam adjuvare ſubere in calceos infarto: cujus rei teſtimonia multa. Norat magnus Princeps formæ amplitudinem apud ſtultum vulgus gratiæ & auctoritatis plurimum mereri: quam ſtultitiam elegantiſſime philoſophus ſcenicus increpat in Electra:

Ὀυ μὴ φρονήσεθ᾽ οἱ κενῶν δοξασμάτων
Πλήρεις πλανᾶσθε· τῇ δ᾽ ὁμιλίᾳ βροτοὺς
Κρινεῖτε, καὶ τοῖς ἤθεσιν τοὺς εὐγενεῖς;
Ὀυ γὰρ τοιοῦτοι τὰς πόλεις οἰκοῦσιν εὖ
Καὶ δώμαθ᾽, αἱ δὲ σάρκες αἱ κεναὶ φρενῶν,
Ἀγάλμα τ᾽ ἀγορᾶς εἰσίν.

Et forenſia autem & calceos numquam non intra cubiculum habuit.] Intra ædes, inque omni remiſſione raro togati calceative erant Romani. Antoninus Philoſophus de ſe teſtatur libro I. non ſolitum ſe ἐν στολῇ κατ᾽ οἶκον περιπατεῖν. quod de toga accipio. Calceorum loco ſumebantur ſoleæ viris, fœminis ſandalia. Propterea σανδάλια olim in nuptiis adhibita σύμβολον οἰκουρίας, ut docet Plutarchus in Quæſt. Rom.

74. *Nec umquam niſi recta.*] Sic εὐτελὲς δεῖπνον Luciano, cui opponitur ſportula, ſeu δεῖπνον ὑπὸ σπυρίδος.

Excepto Mena, ſed aſſerto in ingenuitatem.] Ante Juſtinianum & editam ab eo Novellam LXXVIII. aſſertis in libertatem ac manumiſſis alio actu legitimo opus fuit, quo jura ingenuitatis conſequerentur, & natalibus reſtituerentur. Lege tit. Cod. De jure aureorum anulorum, & De natalibus reſtituendis. At dicta Novella conceditur omnibus libertinis ingenuitas, & jus aureorum anulorum & reſtitutio natalium. Menam ab Auguſto in ingenuitatem fuiſſe aſſertum refert Appianus lib. Ἐμφυλ. V. ſed obſcuriuſcule: Μηνόδωρον ἐλθόντα ἐλεύθερον εὐθὺς ἀπέφηνεν ἐξ ἀπελευθέρου. Dio lib. XLVIII. jure aureorum anulorum fuiſſe donatum ſcribit, quod minus erat quam reſtitui natalibus, ut continetur in diſciplina juris.

Ipſe ſcribit invitaſſe ſe quendam.] Repete ex ſuperioribus *libertinum*: nam de eo agit. Emendavimus ſic corruptiſſimam priorum libb. lectionem, quæ hoc cum ſuperioribus confundebat.

In cujus villa maneret.] Supra cap. LXXII. *Huc tranſibat aut in alicujus libertorum ſuburbanum.*

TOR-

Cœnam ternis ferculis, aut, cum abundantiſſime, ſenis, præbebat, ut non nimio ſumtu, ita ſumma comitate. Nam & ad communionem ſermonis tacentes vel ſubmiſſim fabulantes provocabat, & aut acroamata, & hiſtriones, aut etiam triviales ex circo ludios interponebat, ac frequentius aretalogos. Feſtos & ſolennes dies profuſiſſime, non-

TORRENT.

Ternis ferculis.] Liber opt. *trinis*, & mox *ſummiſſim*, pro *ſubmiſſim*. Et ſane magna tanti Principis abſtinentia, qui ternis tantum, aut, cum abundantiſſime, ſenis ferculis cœnabat, cum Juvenal. Sat. I. ætatis ſuæ divites notaverit, quod etiam privatis epulis ſeptem ſibi fercula apponerent. ſic enim locum illum interpretor, *quis fercula ſeptem Secreto cœnavit avus?*

Acroamata.] Frequens Ciceroni verbum. Significare autem pueros ſymphoniacos oſtendit lepidiſſimum Turonii, ſeu (ut ego illic lego) Toranii mangonis in Auguſtum dictum apud Macrob. lib. II. Saturnal. cap. IV

Triviales ex circo ludos.] Tale illud ante cap. XLV. *Pugiles non legitimos atque ordinarios modo, ſed & catervarios*, &c. *Ex circo* autem dicit, quod eo loci maxime verſabantur ludiones, aſtrologi, ſortilegi, aretalogi. Quare fallacem Circum vocat Horat. lib. I. Sat. VI. Ibi vide commentarios noſtros. Mallem etiam *ludios* reſcribi, pro *ludos*.

Frequentiſſime aretalogos.] Libb. quatuor *frequentius*. Dicti autem *aretalogi* non tam a virtute, quæ Græcis ἀρετὴ dicitur, quam ab ἀρεςὸν, hoc eſt, gratum ac placens, quod auditoribus grata loquantur. Turneb. Adverſar. X. cap. XII. Juvenal. Sat. VI.

> - - - *riſum fortaſſe quibuſdam*
> *Moverat, ut mendax aretalogus.*

CASAUBON.

Cœnam trinis ferculis.] Eginhardus: *Cœna quotidiana quaternis tantum ferculis præbebatur, præter aſſam quam venatores verubus afferre ſolebant.* Ferculum eſſe παράθεσιν, menſam unam, omnes norunt: ſed rationem nominis non omnes obſervarunt. Proprie ferculum eſt τρόπαιον, cujus forma nota ex nummis & hiſtoria. His ſimilia erant menſarum fercula. non enim lances menſis imponebant elegantiores: ſed machinulis quibuſdam venuſto artificio elaboratis partim imponebant, partim appendebant. In Satyrico Petronii cœna lautiſſima deſcribitur, cujus guſtatio, ſive promulſis menſæ, ita fuerat exhibita: *In promulſidari* (menſam intellige, quam & *guſtatoriam* vocant) *aſellus erat Corinthius cum biſſaccio poſitus, qui habebat olivas in altera albas, in altera nigras. Tegebant aſellum duæ lances, in quarum marginibus nomen Trimalcionis inſcriptum erat & argenti pondus. Ponticuli etiam ferruminati ſuſtinebant glires melle & papavere ſparſos: fuerunt & tomacula ſupra craticulam ferventia argenteam poſita: infra craticulam Syriaca pruna cum granis punici mali.* Deinde remota guſtatoria ſequitur ferculum, quod ita exhibetur: *Repoſitorium rotundum duodecim habebat ſigna in orbem diſpoſita: ſuper quæ proprium convenientemque materiæ ſtructor impoſuerat cibum: ſuper Arietem cicer arietinum, ſuper Taurum bubale fruſtum.* ſimilia apud Græcos legas.

Ad communionem ſermonis tacentes provocabat.] Invitatus ad menſam Imperatoris modeſtiſſimus quiſque reverentia linguam tenebat. ideo ſoliti Principes benigni & comes ad loquendum convivas provocare. De Auguſto teſtatur hic Suetonius: de Trajano Plinius Paneg. 49. *Non tibi ſemper in medio cibus ſemperque menſa communis? non ex convictu noſtro mutua voluptas? non provocas reddiſque ſermones?*

Acroamata & hiſtriones.] Plutarchus Galba: Κάνυ αὐλήσαντος αὐτῷ παρὰ δεῖπνον (ἀκρόαμα δὲ ἦν ὁ Κάνος εὐδοκιμούμενον) ἐπῄνεσε. Paſſim ita accipi vocem ἀκρόαμα notum eſt: ſed & ἄκουσμα pro eo dixerunt, ut Lucianus Ῥητόρων διδασκάλῳ. Eginhardus & iſtud imitatus eſt: *Inter cœnandum, aut aliquod acroama aut lectorem audiebat: legebantur ei hiſtoriæ & antiquorum regum geſta.*

Triviales ex circo ludios.] Viliſſimi homines & ἀνέςιοι, ut ludii, aſtrologi, conjectores, fanatici, popæ, & ſimiles, in circo morabantur. Inde eſt apud Ciceronem *de circo*, pro *vilis* & *abjectis*. Sic in nova Roma. Nicetas: ἦν δὲ ὁ Ζιντζιφίτζης ἀνδράριον εἰδεχθέςατον ταῖς τῶν ςαδιοδρόμων ἵππων ἀμφιπεριςρεφόμενον ἄντυξι.

Interponebat.] Non ſuper cœnam, ſed inter cœnam iſtos adhibebant. Plinius de Spurinna lib. III. Epiſtol. *Frequenter comœdis cœna diſtinguitur, ut voluptates quoque ſtudiis condiantur.* Vide ejuſdem epiſtolam XXXVI. lib. IX.

Ac frequentius aretalogos.] Liſlæi, & prima edit. *frequentius.* alii *frequentiſſime* cum vulgat. Aretalogos cenſeo appellatos, miſeros quoſdam philoſophos, mera hominum mendicabula, ſectæ fere Cynicæ, vel Stoicæ, qui cum ſcholam & ſectatores non haberent, convivia beatorum frequentabant, & Romulidas ſaturos variis de virtute & vitio diſputationibus oblectabant Ita multos vixiſſe philoſophos ex Laertii & Luciani ſcriptis aliorumque apparet. Seneca in epiſtola XXIX. *circulatores philoſophos* nominat. Vox eſt Romæ nata: & niſi fallor, Criſpino illi primum attributa hæc appellatio, de quo Horatius ſatyra prima: poſt illa in uſu remanſit & res & nomen, ſed apud Romanos tantum, quod ſciam: etſi vocis origo Græca eſt, & forma. Sic apud Ariſto-

nonnunquam jculariter tantum, celebrabat. Saturnalibus, & ſi quando alias libuiſſet, modo munera dividebat, veſtem, & aurum, & argentum: modo numos omnis notæ, etiam veteres regios ac peregrinos: interdum nihil præter cilicia, & ſpongias, & rutabula, & forpices, atque alia id genus, titulis obſcuris & ambiguis. Solebat & inæqualiſſimarum rerum ſortes,

ſtotelem ἀνθρωπολόγος, qui multus eſt in hominum laudibus, Nicomacheorum lib. IV. & Chreſtologus apud Spartianum in Pertinace. Heſychius: Ἠθολόγος, θεατριστής. Videtur deſignare philoſophos, qui de virtute ad ravim uſque declamare ſoliti in theatris, quorum meminit Philo, περὶ ἀποικίας. Narrat vero idem diſertiſſimus ſcriptor, Legatione ad Cajum, morem ſibi habuiſſe Auguſtum, ſuper cœnam viris doctis operam dare, ut ſimul cum corpore animum quoque convenientibus paſceret cibis: Κατὰ τὰς ἐνδείπνῳ συνουσίας, inquit, ὁ πλεῖστος χρόνος ἀπενέμετο τοῖς ἀπὸ παιδείας, ἵνα μὴ τὸ σῶμα μόνον, ἀλλὰ καὶ ἡ ψυχὴ τοῖς οἰκείοις ἀνατρέφοιτο. quos Suetonius voce minus honeſta *aretalogos* nominat, Philo τοὺς ἀπὸ παιδείας: niſi potius intelligit Philo eruditos & philologos, quibuſcum ſolitus Auguſtus inter cœnandum de literis diſceptare, vel inter ſe diſceptantes audire. Ptolemæus Hæpheſtionis filius τῆς εἰς πολυμάθειαν καινῆς ἱστορίας libro quinto: Ὅτι τὸ Ὁμηρικὸν τιτρώσκεσθαι μέλλοντος τοῦ Μενελάου, Οὐδὲ σέθεν Μενέλαε θεοὶ μάκαρες λελάθοντο· προετάθη δὲ τὸ ζήτημα παρὰ δεῖπνον Αὐγούστου τοῦ βασιλέως, ποῖον στίχον παρῳδήσειν ὁ χρησμός. καὶ τίς ἐστιν ὁ ἐν τῷ χρησμῷ ἱστορούμενος.

75. *Feſtos & ſolennes dies profuſiſſime, nonnunquam jocalariter tantum celebrabat.*] Sententia imperfecta, meo quidem animo: expleo, inſerta voce quæ excidit, & lego, *profuſiſſime nonnunquam, nonnunquam joc. tan. cel.*

VARIOR.

74. *Acroamata.*] Codex Salmaſ. *cromata.* Acroma dicitur pro acroama, ut ἀκρωτήριον pro ἀκροατήριον. Sed & apud Plutarch. Sympoſ. I. κρούματα dici invenies ἀντὶ τῶν αὐλημάτων.

Aretalogos.] Quod multa falſa de virtutibus ſuis prædicarent ad riſum tollendum, ſic ſcurrarum quoddam genus appellatum. Tales & Ὁμηρισταὶ in veteribus Gloſſis. nam ὁμηρίζειν ἀντὶ τοῦ ψεύδεσθαι ponebant veteres, ut & ἡσιοδίζειν. νεανικολόγοι iidem, qui ἀρεταλόγοι. quid νεανικὸν Græci appellent, notum eſt Græce peritis. *Paradoxos* etiam & *paradoxologos* ejuſmodi mortales vocat Scholiaſtes Juvenalis. SALMASIUS.

TORRENT.

75. *Veteres regios, ac peregrinos.*] *Regios*, qui Romanorum regum fuerint intelligo, ſola vetuſtate, non pretio æſtimandos. ſiquidem, ut Plin. tradidit lib. XXXIII. cap. 3. Servius rex primus æs ſignavit, cum rudi antea uterentur. Argentum vero ſignatum A. U. C. DLXXXV. aurum poſt argentum annis LXII. Quin & ligneos, ſcorteoſque nummos a Numa Pompilio diviſos fuiſſe populo Romano pro congiario legimus: peregrini autem, quales Darii, Philippi, Sicli, Tetradrachmum, Victoriatus, ex Illyrico advectus, necdum lege Clodia percuſſus, de quo Plin. jam dicto cap. 3. lib. XXXIII. Hujuſmodi autem nummi loco mercis interdum vendebantur, ut nunc quoque vetuſta numiſmata, qua de re Ulp. l. 9. Ad leg. Corn. de falſis, & titulus De veteris numiſmatis poteſtate. Cod. Juſtin. lib. II.

Cilicia & ſpongias & rutabula & forpices.] Hæc joci cauſa dies feſtos celebrans dividebat Auguſtus: & recte Beroaldus monet, in his vocabulis ſubeſſe obſcœni aliquid, quo verbis obſcuris & ambiguis major excitaretur hilaritas, *ſpongiæ* enim & *rutabula* id quo viri ſumus, occulte ſignificant; *cilicia & forpices* ad feminas ſpectant. De *rutabulo* ſane id Feſtus confirmat, & ſpongiarum eſſe genus, ex quo penicilli fiant, apud Plinium legimus lib. IX. cap. XLV. De peniculo vero, & penicillo nihil dicere opus eſt, neque cur *cilicia* ac *forpices* ad feminas referantur. Alia Saturnalitia munera apud Papinium, & Martialem cochleæ, coctona, pilei, cerei.

Inæqualiſſimarum rerum ſortes.] Liber unus *inæquarum.* Sortes autem vocat, quæ convivis domum ferenda donabantur, unde ἀποφόρητα vocant Græci. ſic enim & Martial. opuſculi, quod Apophoreta inſcribitur, initio:

Divitis alternas, & pauperis accipe ſortes:
Præmia convivæ det ſua quiſque ſuo.

Et eleganter in Exhortatione ad virgines D. Ambroſius: *Qui ad convivium magnum invitantur, apophoreta ſecum reportare conſueverunt.* Sueton. item Calig. cap. LV. *Agitatori Eutycho comeſſatione quadam in apophoretis vicies* HS. *contulit.*

CASAUBON.

Etiam veteres regios.] Viterb. non habet τὸ *regios.*

Cilicia.] Latet obſcœnitas. Perſius:

- - - *balanatum gauſape pectas.*

Sic de cæteris, quæ alium malo quam me explicare.

Titulis obſcuris & ambiguis.] Puta ſuper forfice ſcriptum erat: *Edentulo detur*: quia forfex eſt ὀδοντάγρα, eique utilis, cui vitioſi dentes ſunt. ſuper ſpongia: *Lippo detur*: quia ſpongiæ olim uſus in effingenda oculorum lippitudine. vel ſic: *Peſſime omnium affecto*: quia medici πρὸς τὰς καταιονήσεις, aliaque, ſpongia utebantur: cujus moris teſtes præter medicos Theodoretus Θεραπευτικῆς lib. IV. & Arrianus Diſſertat. lib. I. cap. XI. Potuit & ad alios

ſortes, & averſas tabularum picturas in convivio venditare: incertoque caſu ſpem mercantium vel fruſtrari vel explere: ita ut per ſingulos lectos licitatio fieret, & ſeu jactura ſeu lucrum
76 communicaretur. Cibi (nam ne hoc quidem omiſerim) minimi erat, atque vulgaris fere. Secundarium panem, & piſciculos minutos, & caſeum bubulum manu preſſum, & ficos virides biferas maxime appetebat: veſcebaturque & ante cœnam, quocumque tempore & loco, quo ſtomachus deſideraſſet. Verba ipſius ex epiſtolis ſunt: *Nos in eſſedo panem & palmulas guſta-*

alios uſus ſpongiæ fieri alluſio, ut eum, quem notat Feſtus in *penicillus*. vel illum, quem Ariſto in epigrammate de culinæ inſtrumento: *Σπόγγον ὑπὸ σιδαρχῶ κεκλιμένον κοπίδι.* vel illum longe fœdiſſimum & obſcœniſſimum, de quo Seneca epiſtola LXX. ſuper cilicio: *Omnium frigidiſſime:* vel *alſioſiſſimo*, aut *hirſutiſſimo*. ſuper rutabulo: *Optime vaſato.* Similibus titulis inſcripta munuſcula ſorte dividebantur: inde cachinnorum materia in ſingulos, quaſi talis eſſet quiſque, quale erat muneris elogium, quod ſortito obtigerat.

Solebat & inæqualiſſimarum rerum ſortes.] Latini *ſortes* vocant res omnes, quæ ſorte dividuntur: hic ita appellantur etiam, quæ joculariter væneunt in auctione. Falluntur interpretes, qui has ſortes cum apophoretis confundunt, quæ gratis donabantur, non venditabantur, ut fit ab iſtis in Auguſto. Magis affines ſunt illæ ſortes convivales, de quibus ſcribit Lampridius in tam ridiculo illo quam tetro monſtro Heliogabalo.

VARIOR.

75. *Spongias.*] Codex Salmaſ. *ſphongias*. Sic & Græci *σφόγγος* uſurpant pro *σπόγγος*.

TORRENT.

Per ſingulos lectos.] Liber non malus *lotros*, aſſcriptumque, Alias *lectos*; & mox pro *communicaretur*, *comitaretur*. quod monere tantum volui, non mutare quicquam. At Juſtus Lipſius, ingenio juxta ac doctrina admirabili, ſemigræcam illam vocem *lotros* retinet, niſi qui *lotus* mallet, eo ſenſu, ut quoties mutarentur fercula, & de more manus lavarent, licitatio iſta ex intervallo fieret, & ſua quemque ſors comitaretur. Lector cogitet, & acumen laudet, tametſi forte diſſentiat.

76. *Manu preſſum.*] Placet *mane preſſum*, ut recentiuſculo delectatus ſit.

Ficos virides, biferas.] Adeundus Plinius lib. XVI. cap. XXVI. & XXVII. Et ficus quidem inter biferas eſt, vel Columella teſte, cum ait: *Tum præcox bifera deſcendit ab arbore ficus.* *biferas* tamen hoc loco pro certo ejus pomi genere accipere malim. nam & Macrob. biferam ficum ceteris generibus annumerat. Atque ita, ut arbitror, intelligendus Horatii locus lib. II. Sat. II.

—— tum fertilis uva ſecundas,
Et nux ornabat menſas, cum duplice ficu.

Adde quod refert Dion, Liviam in ſuſpicionem veniſſe, quaſi infeciſſet ficus quibus Auguſtus oblectabatur, cum videret reconciliatum ei Agrippam nepotem. Mox ubi legitur, *loco quo ſtom.* &c. emendem *loco ſtom.* &c. deleto *quo*. Quod ego, parum abeſt, quin ex diverſa ſeu ſcriptura ſeu pronunciatione ſyllabæ *co* remanſiſſe arbitrer. ita enim paſſim *coquus* ac *cocus*, *quotidie* ac *cotidie*, & ſimilia.

Panem & palmulas.] Cariotas vocat Plin. lib. XIII. cap. IV. & quidem peculiari nomine Nicolaos, ab ejuſdem nominis philoſopho, patria Damaſceno, Auguſto Cæſari gratiſſimas. Plutarch. Convival. & Athenæus lib. XIV. Adde Suidam, qui tamen non tam palmulas, quam placentæ, aut cruſtuli genus fuiſſe tradit. Nicolai vero hujus frequens apud Joſephum mentio.

CASAUBON.

In convivio venditare.] Reperio obſcurum veſtigium hujus moris exhilarandi convivia facta licitatione, in commentariis Græcorum. Athenæus lib. XIII. *Εἶθ' ὕστερον πωλουμένης τῆς αὐλητρίδος, καθάπερ ἔθος ἐστὶν ἐν τοῖς πότοις γίνεσθαι, ἐν τῷ ἀγοράζειν πάνυ νεανικὸς ἦν, καὶ τῷ πωλοῦντι ἄλλῳ τινὶ θᾶττον προσθέντι ἠμφισβήτει, καὶ οὐκ ἔφη αὐτὸν πεπρακέναι, καί τέλος εἰς πυγμὰς ἦλθεν ὁ σκληρὸς ἐκεῖνος φιλόσοφος.*

76. *Caſeum bubulum manu preſſum.*] Memb. *Caſeum bubalum & m. p.* alii corruptius *bibulum*. Scripſerim cum prima edit. *caſ. bub. manu preſſum.* Erat autem caſeus manu preſſus non multum diverſus, ut videtur, ab eo, quem minima forma conficiunt apud Gallos Allobrogas, & *tomas* vocant veteri voce pro *τόμους*. Columella lib. VII. cap. VIII.

Quocunque tempore & loco.] In Claudio: *Cibi vinique quocunque & tempore & loco appetentiſſimus.* In memb. paullo aliter. *& ante cœnam quocumque tempore & quo loco ſtomachus deſideraſſet.* Ita autem olim multi, quibus curæ valetudo ſua erat, etiam inter urbis vicos cibum ſumere, ſi ſtomachus deſideraſſet; quod de Antiocho medico teſtatur Galenus.

VARIOR.

76. *Palmulas guſtavimus.*] Palmulæ ſunt palmæ fructus, qui Græcis *βάλανοι* dicuntur. Iſidorus nomen generale ſtatuit *dactylos*, quorum tres differentias nominibus diſtinctas exponit, *palmulas* myrobalanis ſimiles, *Thebaicos*, & *nucales*, ſive *καρυω-*

guſtavimus. Et iterum: *Dum lectica ex regia domum redeo, panis unciam cum paucis acinis uvæ*

καρυωτȣ̃ς. *Palmulas* vocat, quas Plinius *palmas.* Dioſcorides φοίνικα, id eſt, palmulam in Ægypto naſci tradit, & eſſe παρεμφέροντα τῇ μυροβαλάνῳ. SALMASIUS.

TORRENT.

Ex regia domum.] Regiam Numæ intelligit Beroald. Sabellicus regis ſacrorum, ſeu ſacrificuli domum. Ego, cum eadem ſit, utrique aſſentior. Sed & de regia Numæ loquitur Horat. lib. I. Od. II. cum ait: *Ire dejectum monumenta regis, Templaque Veſtæ.* Eadem curia Pompiliana dicta, apud templum Veſtæ regione Urbis VIII. In ea Pontifex Maximus, ut in loco publico, habitabat. Probat ac Sueton. Cæſ. cap. XLVI. & Dion lib. LIV. cum de Auguſto Pontificatum morte Lepidi adepto, *Nec domum,* inquit, *publicam accepit, ſed cum omnino neceſſe eſſet in publico habitare pontificem, partem domus ſuæ publicavit, ac regis ſacrorum domum virginibus Veſtalibus, quibus erat contigua, donavit.* Poſtea vero, ut idem libro ſequente refert, Auguſtus univerſam ſuam in Palatio domum, quam incendio abſumptam refecerat, publicavit.

Cum paucis acinis uvæ duracinæ.] Non ſolum *uvas*, ſed & *ceraſa*, & *perſica duracina* legimus apud Plinium lib. XIV. cap. I. & lib. XV. cap. XI. & cap. XXV. Ut non ab acini duritia, quod vulgo putant, ſed a callo ipſo, ac fructus firmitate, quam guſtu maxime percipimus, nomen acceperint, ſic enim & ficus duricorias habebant. Alfenus J. C. l. CCV. De verb. ſignif. *duracinas* vocare videtur, quas non vini cauſa habemus, ſed *edules*, ſive *eſcarias*, aut *cibarias* mavis, quas (inquit ille, Græci τρωξίμȣς appellant. Eas Plin. lib. XIV. cap. III. in pergulis ſervari ſcribit. Et hæc quidem recte. Sed cur acinos uvæ duracinæ comedit Auguſtus? Mihi ſane locus iſte Suetonii admodum ſuſpectus eſt, cum uva ipſa duracina, non acini ejus, edundo ſit. Quam ſane ob cauſam *cum paucis duracinis uvis*, pro *cum paucis acinis uvæ duracinæ*, legendum exiſtimo, atque eo quidem confidentius, quod ſimile mendum in Plinium irrepſerat dicto cap. I. lib. XIV. *Uva non alibi gratior callo, ut inde poſſit inveniſſe nomen Duracina.* nam antea ibi legebatur, *ut inde poſſit inveniſſe nomen duracini durus acinus.* Erat quidem & vinum acinatitium, de quo Caſſiodor. lib. XII. Variar. & Ulpian. l. IX. De trit. vin. & ol. legato, ſed non ideo acini edules.

CASAUBON.

Cum paucis acinis uvæ duracinæ comedi.] Quis non miretur virum doctiſſimum hanc integerrimam lectionem ſollicitaſſe, & legendum cenſuiſſe *cum paucis uvis duracinis.* Putavit homo linguæ Latinæ adeo peritus, acinos in uva eſſe τὸν πυρῆνα, nucleum, neque edendo eſſe, ut ipſe loquitur: abſurde prorſus. *Uva* & βότρυς totius fructus nomina ſunt; qui partibus conſtat *ſcapo*, *pediculo*, *acino* ſive *grano*, ut vocatur ab Ovidio, Columella, Scribonio. *Racemum*, qui idem eſt cum uva, male quidam docti putant eſſe ſcapum: quos facile ſit refellere infinitis Latine loquentium χρείαις, qui aliter nunquam eam vocem accipiunt, ſive de fructu vitis, ſive de hedera loquantur. Nam & uva & βότρυς & racemus ἀναλόγως dici ſolent de aliis quoque multis: ut & acinus pro baccis & corymbis hederæ vel ſambuci ſæpe uſurpatur. *Acini* partes ſunt *folliculus*, *ſuccus*, *caro* (qui & callus Plinio in uvis duracinis) *fibræ* ſive ἶνες & quædam veluti filamenta (veteres, opinor, *floces* vocabant) *nucleus.* Folliculum Græci ςέμφυλον nominant; Plinius modo *corium*, modo *corticem*, interdum *cutem.* Succum quidam e veteribus, ἱδρῶτα βρομάδος πηγῆς, ut eſt apud Athenæum: alii *ſanguinem terræ* appellarunt, (nam *ſanguis* appellatur ἀναλόγως plantarum ſuccus. Manilius lib. V. *Et viridis nemori ſanguis decedit & herbis*) ut Andocydes in epiſtola ad Alexandrum. Plin. lib. XIV. cap. V. multi auctores *ſanguinem uvæ.* Caſſiodorus lib. XII. *Hiemale muſtum uvarum, frigidus ſanguis, in rigore vindemia, cruentus liquor, purpura potabilis, violeum nectar.* Nemeſianus Ecloga II.

Nam dum Pallas amet turgentes ſanguine baccas.

Auctor Sophiæ Sirach: Καὶ ἔσπεισεν ἐξ αἵματος ςαφυλῆς. Maccab. lib. I. Καὶ τοῖς ἐλέφασιν ἔδειξας αἷμα ςαφυλῆς καὶ μόρων. Euſtathius explicans vocem μιλτοπάρῃος apud Poetam Ἰλιάδ. β. Καὶ αἷμα δὲ ςαφυλῆς τὸν οἶνον λέγειν ἐντεῦθεν ἤρτηται. Sed fallitur Euſtathius, quod eo gravius in eo homine, qui epiſcopus fuit: debuit enim meminiſſe ſic locutum eſſe longe ante Homerum, optimum Jacobum, Geneſεως cap. XLIX. commate XI. Heſiodus δρόσον αἱματόεντα vocavit verſiculo quodam a Fulgentio prolato in ſermone de Bellerophonte, Mythologiarum lib. III. Sic ille: *Pratos Pamphyla lingua ſordidus dicitur, ſicut Heſiodus in Bucolico ſcribit.* ---------- *id eſt, ſordibus* (lege *ſordidus*) *uvarum bene calcatarum ſanguineo rore.* Verſum Heſiodi, qui excidit, ita reſtituendum cenſeo:

Προῖτος ἐυςιβέων βοτρύων δρόσῳ αἱματόεντι.

Et nota ſis rarum vocis προῖτος interpretamentum, quod alibi non memini legere: nam Græci Critici, quorum libri ad nos pervenerunt, aliter tradunt. Simile eſt, quod oleum poetæ αἷμα ἐλαίης, vel quod idem ſignificat, εἶαρ dixerunt. Nicander:

Τῷ καὶ πρημαδίης ἢ ὀρχάδος εἶαρ ἐλαίης,

Scholiaſtes ibi: Εἶαρ ὑπὸ τῶν νεωτέρων τὸ αἷμα. καὶ Καλλίμαχος, ἐλαίας αἷμα τὸ ἔλαιον εἶπε. Πολλάκε δ' ἐκ λύχνȣ πῖον ἔληξεν ἔαρ. Sic legendum: cum

peſſime

uvæ duracinæ comedi. Et rurſus: *Ne Judæus quidem, mi Tiberi, tam diligenter ſabbatis jejunium ſervat, quam ego hodie ſervavi: qui in balineo demum poſt horam primam noctis duas bucceas manducavi prius, quam ungi inciperem.* Ex hac inobſervantia nonnum-

peſſime] vulgo ſcriptum ſit, ἐλαίας τὸ αἷμα τὸ δᾶνον εἶπε. *Nucleum*, non autem *acinum*, appellari in uvis τὸ γίγαρτον, & quod in olea σίμνον, *ſamſa*, miror in Plinio non obſervaſſe virum erudititſimum, & illius auctoris adeo ſtudioſum, ut in eum ſcripſiſſe profiteatur. Columella & eum ſecutus Palladius nucleos etiam *vinacia* vocant nove: nam *vinacia* potius ſunt στέμφυλα. Notabis tamen *acinum* etiam pro nucleo uſurpatum; ſed mutata vetere Latinitate. Hieronymus in Iſaiæ caput primum: *Pro ſcoria, quod interpretatus eſt Symmachus, & Aquila στέμφυλα, id eſt, vinacia: Theodotion τὸ γιγαρτῶδες, id eſt, acinum uvæ interpretatus eſt.* Hæc obiter explicare viſum, quia in propriis harum vocum uſurpationibus etiam doctiſſimos viros errare obſervavimus.

TORRENT.

Sabbatis jejunium ſervat.] *Sabbatum*, id eſt, ſeptimum quemque diem Judæi religioſe colebant. Unde *Sabbatarii* vocantur a Martiale, & Sabbata ipſa *recutita* a Perſio, quod a *curtis* (ut Horatiano verbo utar) Judæis ſervabantur. Non tamen diem illum ſollemnem ac lætum jejunio contriſtabant, ſed quia ſtatis diebus jejunabant, præſertim ante magnum illud Sabbatum quo Paſcha ſuum celebrabant, qui religionem ipſorum deteſtabantur tanquam ſingulis Sabbatis jejunantes irridebant. Sic igitur intelligo locum Suetonii hic, & Martialem, *Quod jejunia Sabbatariorum.* Nec diſſimile illud, quod licet non Sabbatis ipſis, ſed diebus tantum, quibus jejunabant, nudis pedibus incedebant, Juvenalis tamen Sat. VI. perinde ac ſi Sabbatis id facerent, ita ſcribit:

Obſervant ubi feſta mero pede Sabbata reges,
Et vetus indulget ſenibus clementia porcis.

Rem vero propius attigit Horat. lib. I. Sat. IX.

--- *hodie triceſima Sabbata:*
Vin'tu curtis Judæis oppedere.

Nam ſi, ut Judæi faciunt, annum a Septembri incipiamus, circa triceſima Sabbata magnum illud Paſcha incidet. Pulchre admodum Juvenal. Sat. XIV.

Quidam ſortiti metuentem Sabbata patrem, &c.

In balneo.] Liber opt. *balineo*, & mox *ungui*, pro *ungi*.

Ex hac obſervantia.] Codex unus e noſtris *inobſervantia.* quam lectionem Beroaldus & agnoſcit & probat, eandemque aſſerit Obertus Giſanius, nec mihi diſplicet. ſic enim Cæſ. cap. LXXXVII. *Circa victum C. Oppius adeo indifferentem docet*, &c.

CASAUBON.

Ne Judæus quidem, mi Tiberi, tam diligenter Sabbatis jejunium ſervat.] Sabbatis jejunaſſe Judæos verum eſt, ſi Sabbatum pro hebdomade accipiamus. Publicanus Phariſaici fermenti plenus apud Lucam: Νηστεύω δὶς τοῦ σαββάτου. Sin, ut ſolet, de ſeptimo die hebdomadis (quæ dies etiam ἑβδομὰς dicitur Philoni & Joſepho) intelligamus, falſum omnino eſt. Neque enim aut in Sacris literis, aut in Judæorum commentariis ullum hujus moris exſtat, quod quidem ſciamus, veſtigium. At Romani qui norant crebra ab iis uſurpari jejunia, cum præcipua caſtimonia ſabbatum ab iiſdem celebrari viderent, ignari morum ejus gentis, iſtud ſibi temere perſuaſerunt: non enim ſolus Auguſtus in hoc eſt hallucinatus, ſed omnium ea fuiſſe opinio videtur: Juſtinus lib. XXXVI. 2. *Moſes ſeptem dierum jejunio per deſerta Arabiæ cum populo ſuo fatigatus cum tandem veniſſet, ſeptimum diem more gentis Sabbatum appellatum in omne ævum jejunio ſacravit: quoniam illa dies famem illis erroremque finierat.* Tacitus V. H. 4. paullo conſideratius, hac quidem in re: *Longam famem crebris adhuc jejuniis fatentur.* Meminerunt & poetæ: ſed Petronii unius epigramma recitabimus, ut obiter emendemus: nam vulgo non ſine errore editur:

Judæus licet & porcinum numen adoret,
Et cœli (vel *cilli*) *ſummas advocet auriculas:*
Ni tamen & ferro ſucciderit inguinis oram,
Et niſi nodatum ſolverit arte caput,
Exemptus populo grata migrabit ab urbe,
Et non jejuna Sabbata lege premet.
Una eſt nobilitas argumentumque coloris
Ingenui, timidas non habuiſſe manus.

Duas bucceas.] Panes in quadras, quadras in bucceas ſecabant. Inde *buccellatus* panis, qui ante *nauticus* vocabatur: vulgo *biſcoctus*: Græci interpretantur ξηρὸν ἄρτον. Et videntur eo uſi Chriſtiani in ſuis *Xerophagiis*, ut Tertullianus nominat: etſi ſcio non inde tantum dictas eſſe τὰς ξηροφαγίας. A buccea Græci vocem duxerunt βουκκίζειν, quam de jentaculo uſurparunt. Gloſſarium: Βουκκισμὸς, *Jantuculum.* Alterum Gloſſarium: *Jantare*, βουκκίσαι. Ibidem ſcriptum eſt: *Jantaculum*, ἀκράτισμα, ἐνάγισμα. ſcribendum, καὶ γεῦσμα.

Priuſquam ungi inciperem.] Poſtquam exierant e balineis, ante unctionem aliquid eſitabant: ea dicebatur guſtatio. Plinius lib. III. Epiſt. *Poſt ſolem plerumque frigida lavabatur, deinde guſtabat dormiebatque minimum: mox quaſi alio die ſtudebat in cœnæ tempus.* Seneca de Conſolatione ad Martiam in narranda morte Cremutii.

Ex hac obſervantia.] Probavi olim hanc ſcripturam, omnium noſtrorum tunc Mss. & editorum conſenſu firmatam. *Ex hac obſervantia* eſt

in

nonnunquam vel ante initum, vel poſt dimiſſum convivium ſolus cœnitabat, cum pleno convivio nihil tangeret. Vini quoque natura parciſſimus erat. Non amplius ter bibere 77
eum ſolitum ſuper cœnam in caſtris apud Mutinam Cornelius Nepos tradit. Poſtea, quoties largiſſime ſe invitaret, ſenos ſextantes non exceſſit, aut, ſi exceſſiſſet, rejiciebat. Et maxime delectatus eſt Rhætico, neque temere interdiu bibit. Pro potione ſumebat perfuſum aqua frigida panem, aut cucumeris fruſtum, vel lactuculæ thyrſum, aut recens acidumve pomum

ἐκ ταύτης τῆς συνηθείας. *Obſervantia*, conſuetudo, quæ longo uſu & obſervatione in habitum vertit. Sed docti viri laudant ex ſuis Mss. *inobſervantia*. quod nec nos in Turonenſi inventum repudiare poſſumus. interpretamur autem *inobſervantiam*, indifferentem circa rationem victus animum; quæ contraria eſt moroſitati certis legibus adſtrictæ.

TORRENT.

77. *Senos ſextantes.*] Sextarius inde dictus, quod ſexta eſſet pars congii, ut congius octava amphoræ. (amphora autem, ſive quadrantal, pondo XXC) ea erat vini menſura, quæ honeſte bibenti in cœnam ſufficeret. quod Horat. oſtendit Sat. I. cum ait: *Panis ematur, olus, vini ſextarius.* Cum autem, quod prolixe lib. V. de Aſſe Budæus docet, ſextarius, cujus dimidium hemina, XII. cyathos contineat, ſextans vero duos, ſeni ſextantes, quos vel largiſſime ſeſe invitans Auguſtus non excedebat, ſextarium tantum faciebant. Similis Vopiſci de Tacito Imperatore locus: *Fuit vita parciſſimus, ita ut ſextarium vini tota die nunquam potaverit.* Porro *ſextantes* dixit Sueton. *ut trientes, quadrantes, quincunces, ſeptunces, beſſes* quoque, & *deunces* de potatione Martial. & alii, quaſi tot cyathos dicas. Omittere autem non poſſum, quin admoneam, duo illa verba *ſe invitaret*, abeſſe a duobus codd. MSS.

Delectatus eſt Rhætico.] Atqui Plin. lib. XIV. cap. VI. *Divus Auguſtus* (inquit) *Setinum prætulit cunctis, & fere ſecuti Principes.* Sed ita prætulit fortaſſis, ut Rhætico tamen magis delectaretur. Recte igitur in Auguſti gratiam Virgil. *nam quo te carmine dicam Rhætica?* Verum quo veritatem aſſerat, ſubjungit poeta ingenioſus, *nec cellis ideo contende Falernis.*

Recens acidumve pomum.] Sic tres libri MSS. & Sabellicus. & ſane inter pomorum ſapores etiam enumerat Plin. mihi tamen *aridum* magis placet, ut recenti opponatur. ſaporem enim ſatis exprimit, cum *ſucci vinoſioris* dicit, qui acido & jucundior & ſalubrior eſt. Plin. lib. XV. cap. XXVIII. *Succorum vinoſus pyro, moro, myrto.* Quod ſi *acidum* quis malit, *acidumque* rectius legat. Arida ſane ſuo illo in convivio Sat. XI. laudat Juvenal.

- - - nec odoris mala recentis,
Nec metuenda tibi, ſiccatum frigore poſtquam
Autumnum, & crudi poſuere pericula ſucci.

Auguſtus promiſcue uſus eſt,

CASAUBON.

Solus cœnitabat, cum pleno convivio nihil tangeret.] *Interdum*, inquit Vellejus, *perſona invidiam auget aut levat.* Sic eſt: ſæpe non tam intereſt, quid aliquis agat, quam quis ſit qui agat. Auguſtus ecce ſine invidia idem facit, quod poſtea Domitiano uſurpatum magnam ei conflavit invidiam. Plinius in Laudatione, cap. 49. *Non enim ante medium diem diſtentus ſolitaria cœna, ſpectator adnotatorque convivis tuis immines: nec jejunis & inanibus plenus ipſe & ructans non tam apponis quam objicis cibos, quos dedigneris attingere.* Similis arrogantiæ nota in Theophraſteis Characteribus capite nondum edito: Περὶ ὑπερηφανίας. Ὅταν δὲ αὐτῷ δόξῃ ἑςιᾶν τοῖς φίλοις, αὐτὸς μὴ συνδειπνεῖν, ἀλλὰ τῶν ὑφ' αὐτὸν τινὶ συντάξει αὐτῶν ἐπιμελεῖσθαι.

77. *Cucumeris fruſtum vel lactuculæ thyrſum.*] Ratio eſt: nam cucumeris & lactucæ natura refrigeratrix. Lactucæ thyrſum cave cum ſcapo vel caule confundas: eſt enim in lactuca, quod cyma in braſſica. Qui veteris thyrſi Bacchici formam noverint, & in lectione Plinii non oſcitanter ſunt verſati, hoc ſatis intelligunt. Scio tamen etiam pro caule interdum uſurpari: & ita hic quoque videtur accipiendum. nam, ut ait Diphilus apud Athenæum, lactucæ pars ad ſitim tollendam apta eſt caulis. Sic ille lib. II. Ὁ καυλὸς τῆς θρίδακος ἄδιψος εἶναι δοκεῖ. Quod alii tamen medici generalius de lactuca tota pronuntiant, ut Ægineta: Ὁ θρίδαξ, ὑγρὸν ἐςι λάχανον. ἔςι δὲ καὶ ἄδιψος.

Aut recens acidumve pomum ſucci vinoſioris.] *Acidum* probat editio vetus Romana. membranæ *aridum*. utramque lectionem poſſis non ineptis rationibus tueri. Senſus eſt, Auguſtum autumno quidem recentibus & viridibus adhuc pomis, quando eorum eſt *ſuccus vinoſiſſimus*, ut loquitur Tertullianus libro de Anima, uti ſolitum nullo diſcrimine pomo aliquo recenti cujuſcumque ſaporis: reliquis vero anni temporibus, cum arida ſunt poma & ſiccata frigore, non aliis quam ſucci vinoſi. Quare & *aridum* recte ſcribes pro condito & ſervato: & *acidum*. erit autem ἐκ παραλλήλω acidum pomum & ſucci vinoſi: nam apud Plinium acida poma & vinoſa eadem nominantur. Quare etiam ex his fructibus, qui acidi ſaporis ſunt, ut pomis, pyris, ſorbis, aliiſque, ſubditititium quoddam vinum conficitur. Virgilius:

- - Atque acidis imitantur vitea ſorbis.

Acida

78 pomum ſucci vinoſioris. Poſt cibum meridianum, ita ut veſtitus calceatuſque erat, retectis

Acida ſunt, quæ Græci τὸ οἰνῶδες ἔχειν dicunt, vel ὀξίζειν τὴν γεῦσιν: quo ſenſu *acidæ aquæ* ac *fontes* a Latinis nominantur. Ex his intelligimus, quis ſit Latinis ſapor acidus. Verum iſta, quia difficultates non paucas habent, ſubtilius alibi tractanda, propitio numine. Poma acida etiam uvida & ſunt & dicuntur. Arnobius lib. v. *Addite huc etiam idcirco eſſe uvida poma, idcirco vinoſa, quod ex ſanguine ſaburrato genus ducunt.* His abſtinebant veteres quidam Chriſtiani in ſtationibus jejuniorum. Tertullianus adverſus Pſychicos: *Arguunt, quod xerophagias obſervemus, ſiccantes cibum ab omni carne & omni jurulentia, & uvidioribus quibuſque pomis, ne quod vinoſitatis vel edamus vel potemus.* Operæ pretium eſt videre, quam ingenioſe hunc locum Eginhardus imitatione expreſſerit: *Æſtate poſt cibum meridianum pomorum aliquid ſumens ac ſemel bibens, depoſitis veſtibus ac calceamentis, velut noctu ſolitus erat, duabus aut tribus horis quieſcebat.* Negligenter legerat verba hæc Suetonii, quæ cum ſequentibus cohærere credidit: ita res alieniſſimas inepta æmulatione hujus ſcriptoris in unam periodum commiſcuit.

VARIOR.

77. *Recens acidumve pomum.*] Ita videtur primo fuiſſe in Palatino primo, ſed deinde mutatum in *aridum*, quod retinent duæ reliquæ membranæ. GRUTERUS. Codex quoque Salmaſii: *aridumve.*

TORRENT.

78. *Poſt cibum meridianum.*] Atqui Feſtus in *Prandium*, *Meridianum* (inquit) *cibum cœnam votabant*, cum Sueton. mox etiam cœnam ponat. Credendum igitur prandium, quo ſobrie admodum ac parce utebantur Romani, Auguſtum tardius ſumere conſuevisse. Horat. lib. I. Sat. VI.

Pranſus non avide, quantum interpellet inani
Ventre diem durare.

Optime Plinius: *Venter inſtat ut creditor, & ſæpius die appellat.* Appellanti igitur incertis horis alii alias obſequebantur. ut Perſæ, quibus, ſi Ammiano credimus, *nulla præſtituta prandii hora, unicuique venter ſolarium eſt, eoque monente, quod inciderit, editur. Nec quiſquam poſt ſatietatem ſuperfluos ſibi ingerit cibos.* Domitianus prandebat ad ſatietatem, cœnans parciſſime. Domit. cap. XXI. Contra Seneca Epiſt. LXXXIII. *Panis deinde ſiccus, & ſine menſa prandium, poſt quod non ſint lavandæ manus.*

CASAUBON.

78. *Poſt cibum meridianum, ita ut veſtitus calceatuſque erat, retectis pedibus pauliſper conquieſcebat.*] Antiquorum alii *diem inter otium & curas dividebant*, ut Seneca teſtatur, de Tranquillitate vitæ lib. I. Hi ſex ſeptem horas negotiis tribuebant, reliquas otio & curæ corporis. Plutarchus in Quæſtionibus Roman. Ἡ μεσημβρία πέρας ἐςὶ τοῖς πολλοῖς τῶ τὰ δημόσια καὶ σπȣδαῖα πράττειν: negatque idem Romanos poſt meridiem ſolitos ποιεῖσθαι συνθήκας μήδε ὁμολογίας, *fœdera aut pactiones contrahere.* Propterea dixit Poeta Epigrammatarius:

Ἓξ ὧραι μόχθοις ἱκανώταται· αἱ δὲ μετ' αὐτὰς
Γράμμασι δεικνύμεναι ΖΗΘΙ λέγȣσι βροτοῖς.

Alii, inquit idem Seneca, *medio die interjungebant.* Iſti peractis negotiis majoris momenti, circa meridiem cibum ſumebant, ſed leviter: deinde meridiabantur, ac pauliſper conquieſcebant, quod Græcis quoque μεσημβριάζειν dicitur: poſtmodum ad negotia redibant, ſc. *quæ levioris fere operæ erant*, ut idem Seneca loquitur. Alii diem totum curis impendebant: ut philoſophi, & qui occupatiorem vitam vivebant. Horatius:

Impranſi correptus voce magiſtri.

Perſius:

Hoc eſt quod palles, cur quis non prandeat, hoc eſt.

Quod ait Suetonius, *ita ut veſtitus calceatuſque erat.* indicat ita leviter prandere ſolitum, ut non accumberet, aut certe non ita ut ſolebant ad cœnam: ideo calceos non ponebat, ſoleas non ſumebat. Addit: *retectis pedibus*, quod nos interpretamur bene tectis & diligenter. ſic ſolent meridiaturi pedes, ut ſint bene tecti, curare. Ita autem habent membr. noſtræ, non *rectis pedibus* ut prima editio: quod eſſet, ſtans, & capite tantum ac corporis trunco in lectum reclinato. In aliis ſcribitur *rejectis pedibus*: id erit, quod apud Græcos ἀφειχῶς τȣ̀ς πόδας, vel καθεύδει ἐκταθεὶς, *dormit extenſus*, vel *extenſis membris*, quæ dici ſolent ad declarandam ſecuritatem ἀμερίμνȣ hominis καὶ ἀφροντίςȣ. Lucianus de paraſito: Οὐδενὸς αὐτῷ τοιȣ́τȣ παρενοχλȣ̃ντος, ἐσθίει καὶ κοιμᾶται ὕπτιος, ἀφεικὼς τȣ̀ς πόδας καὶ τὰς χεῖρας ὥσπερ Ὀδυσσεὺς ἐπὶ σχεδίας ἀποπλέων οἴκαδε. Idem in de Mercede ſervientibus, ἀποτείνοντα τὼ πόδε καθεύδειν. Philoſtratus de Apoll. lib. II. Ἐςι φάρμακα ὕπνȣ μεμηχανημένα τοῖς ἀνθρώποις, ὧν πίοντες, καὶ ἀλειψάμενοι, καθεύδȣσιν ἐκτείναντες αὐτȣ̀ς ὥσπερ ἀποθανόντες. Idem in Heroïcis de Proteſilao: Κατὰ μεσημβρίαν ἀφικνεῖται καὶ καθεύδει ἐκταθεὶς. Illi ſimile apud Menandrum & Terentium, *in aurem utramvis dormire*, ἐπ' ἀμφότερα τὰ ὦτα καθεύδειν. Reperi etiam in quibuſdam codicibus *retractis pedib.* non male, ſi de jacente intelligas. Cornelius Celſus pro eo dixit, *paullum reductis* (Hippocrates dixit, τὰ σκέλεα ὀλίγον ἐπικεκαμμένα ἔχοντα) & addit ex eodem Hippocrate, *qui fere ſani jacentis habitus eſt.* Nos *retectis* probamus cum Turonenſi: ac videntur mutaſſe eam lectionem. qui non obſervabant τὸ *re* in hac voce intendere, non autem negare, ut vulgo ſolet accipi verbum *retegere.* Id vero mirum videri non debuit, in hoc præſertim

 ſcriptore

tectis pedibus paulliſper conquieſcebat, oppoſita ad oculus manu. A cœna lucubratoriam ſe in lecticulam recipiebat. Ibi donec reſidua diurni actus, aut omnia, aut ex maxima

ſcriptore, qui dictionibus non paucis aliter utitur quam vulgo ſolent. Sic autem in multis τὸ *re* modo eſt ἐπιτατικὸν μόριον, modo στερητικόν, ut *recondere* apud Propertium ἀντὶ τοῦ προαιρεῖν, *promere*, cum alias ſit ταμιεύειν. *reſtringere* apud Lucretium pro aperire, ut legit & interpretatur doctiſſimus Turnebus. Sic apud Propertium *impreſſa ubera* pro non preſſis recte nobiliſſimus Scaliger expoſuit: & nos apud Perſium docemus *expertem* Latine dici & τὸν πεῖραν ἔχοντα, & τὸν μὴ ἔχοντα. ejuſmodi ſunt voces ancipites *inauratus*, *edurus*, *egelidus*, aliæque veteribus criticis notatæ.

TORRENT.

Retectis pedibus.] Sic libri omnes, & tamen qui calciatus ſit, retectis pedibus eſſe nequit. Interpretes & *rejectis*, & *rectis*, & *retractis* etiam legi affirmant, ac *retractis* magis probant. Ego *rejectis* malim, ut exporrectis pedibus conquieverit. Niſi forte detexerit tantum pedes, non etiam exuerit.

Lecticulam lucubratoriam.] Lectica igitur apud veteres aliud etiam quam qua per publicum deferebantur, ſignificat, ut puta conclave aliquod anguſtius, quo ſe ſubducebant. quale illud, de quo Juvenal. Sat. VII.

Qui facis in parva ſublimia carmina cella.

CASAUBON.

A cœna ſe in lecticulam lucubratoriam recipiebat.] Inobſervantia priſci moris coegit doctos viros quærere, quid eſſet *lecticula* hoc loco. Et eſt in promptu expoſitio eruditiſſimi Torrentii, lecticam pro cella capientis. abſit ut tanto viro juveniliter inſultemus: fallitur tamen & ipſe, & qui *cellulam* vel zeteculam putant eſſe legendum. nihil enim mutari debet: ſed mos potius obſervandus antiquorum, qui meditationi aut ſcriptioni operam daturi, in lectulis ſuis ſe componebant: cui rei parata erat hæc, quam vocat Suetonius *lecticulam lucubratoriam*. Cicero de Oratore, lib. III. *Cum dedita opera quieſcentibus aliis in eam exhedram veniſſet, in qua Craſſus lectulo poſito recubuiſſet: cumque eum in cogitatione defixum eſſe ſenſiſſet, ſtatim receſſiſſe.* Seneca epiſtola LXXII. *Quædam ſunt, quæ poſſis & in ciſio ſcribere; quædam lectum & otium & ſecretum deſiderant.* Plinius Epiſtolarum lib. V. epiſt. V. *C. quidem Fannius, quod accidit, multo ante præſenſit. Viſus eſt ſibi per nocturnam quietem jacere in lectulo ſuo, compoſitus in habitum ſtudentis, habere ante ſe ſcrinium (ita ſolebat) mox imaginatus eſt veniſſe Neronem, in toro ſediſſe, prompſiſſe primum librum quem de ſceleribus ejus ediderat, eumque ad extremum revolviſſe: idem in ſecundo ac tertio feciſſe, tunc abiiſſe.* Ovidius Triſt. lib. I.

Non hæc in noſtris, ut quondam, ſcribimus hortis:
Nec conſuete meum lectule corpus habes.

Perſius:

- - Non quicquid denique lectis
Scribitur in citreis.

Juvenalis de Poetis & Hiſtoricis Satyr. VII.

Eſt genus ignavum, quod lecto gaudet & umbra.

Themiſtius Oratione prima: Ἐάν τις ὑπὸ φιλολογίας και ἅμα οὐκ ἔχων ἕτερόν τι περιεργάζεσθαι, ἐν τῷ δωματίῳ τῷ αὐτοῦ καὶ τῷ κλινιδίῳ διαδυσκολεῖται Ἀριστέλει καὶ Θεοφράστῳ ὀξέως ἐπύθοντο κλινίδιον. Eundem morem Græcis hominibus fuiſſe in ſcribendo & commentando, non mihi, ſed Ariſtophani credi par eſt. ejus verba ſunt Veſpis, de formulariis & cauſſidicis:

Κατακλινόμενοι τ' ἐπὶ ταῖς κοίταις, ἐπὶ τοῖσιν
ἀπράγμοσιν ὑμῶν
Ἀντωμοσίας καὶ προσκλήσεις καὶ μαρτυρίας συνεκόλλων.

In eadem paullo poſt, Βδελυκλέων magiſtrum fungens, Philocleonem ſic alloquitur:

Πᾶυ' ἀλλὰ δευρὶ κατακλινεὶς, προσμάνθανε.

Jubet bonus magiſter diſcipulum recumbere in lectulo, nempe alludit ad morem ſervari ſolitum in ſcholis quorundam philoſophorum; qui diſcipulos ſuos ſtudentes continebant in hujuſmodi lectulis, qui ipſis erant inſtar ſcamnorum. In Nebulis Socrates Strepſiadem μαθητιῶντα ita componit ad diſcendum:

Κάθιζε τοίνυν ἐπὶ τὸν ἱερὸν σκίμποδα.

Scio Suidam interpretari σκίμποδα, σκάμνον: ſed de vero grabato, quod erat lecti genus, quin ſit accipiendum, dubitabit nemo, qui ſequentes locos conſideraverit. ſequitur enim non longe:

---- ---- Σω. ἔξει τὸν ἀσκάντην λαβών.

Ἀσκάντης eſt grabatus, non δίφρος, ut dubitat Scholiaſtes: nam vel cimicum proxima mentio de lecto accipiendum docet. reſpondet ſiquidem Strepſiades:

Ἀλλ' οὐκ ἐῶσί μ' ἐξενεγκεῖν οἱ κόρεις.

In eadem mox:

Σω. Ἀλλὰ κατακλινεὶς δευρί. Στρ. τί δρῶ;
Σω. Ἐκφρόντισόν τι τῶν σεαυτοῦ πραγμάτων.
Στρ. μὴ δῆθ' ἱκετεύω σ' ἐνθάδ'. ἀλλ' εἴπερ γε χρὴ
Χαμαί μ' ἔασον αὐτὰ ταῦτ' ἐκφροντίσαι.

Alibi in eadem re ἀρνακίδων & στρωμάτων meminit, ut nemini dubium eſſe poſſit, quid appellet σκίμποδα in ſuperioribus. Quod autem veteres ſcriptioni operam daturi in hujuſmodi lecticulas ſe reciperent, cauſam aperit Galenus lib. III. de Uſu partium non uno loco, ſignificans ſcriptitaſſe illos non ſuper menſis vel pluteis, ut nos hodie: ſed ſuper femore collocata charta,

xima parte, conficeret, ad multam noctem permanebat. In lectum inde tranſgreſſus, non amplius, cum plurimum, quam ſeptem horas dormiebat: ac ne eas quidem continuas, ſed ut in illo temporis ſpatio ter aut quater expergiſceretur. Si interruptum ſomnum recuperare, ut evenit, non poſſet: lectoribus, aut fabulatoribus arceſſitis, reſumebat, producebatque ultra primam ſæpe lucem. Nec in tenebris vigilavit umquam, niſi aſſidente aliquo. Matutina vigilia offendebatur: ac ſi vel officii, vel ſacri cauſſa maturius evigilandum eſſet, ne id contra commodum faceret, in proximo cujuſcumque domeſticorum cœnaculo manebat. Sic quoque ſæpe indigens ſomni, & dum per vicos deportaretur, & depoſita lectica inter aliquas moras condormiebat.
79 Forma fuit eximia, & per omnes ætatis gradus venuſtiſſima: quamquam & omnis lenocinii negligens, & in capite comendo tam incurioſus, ut raptim compluribus ſimul tonſoribus operam daret: ac modo tonderet, modo raderet barbam: eoque ipſo tempore aut legeret aliquid, aut etiam ſcriberet. Vultu erat, vel in ſermone vel tacitus, adeo tranquillo ſerenoque, ut quidam

charta, atque ut ejus verbis dicam, ἐκτείναντας κατὰ τοῦ μηροῦ τὸ βιβλίον. Nec ſolum ſcripturi ad lecticulas ſe recipiebant; ſed etiam audituri recitantem & ſcholam habentem magiſtrum. itaque in Platonis Protagora pars illius conſeſſus ἀντιλαμβάνεται τῶν βάθρων, pars τῶν κλινῶν.

VARIOR.

Lucubratorium lecticulam.] Non fuit portatilis, ſed fixa eodem ſtabat loco, nec a lecto differebat alio, unde & lectus dicitur Plinio lib. v. cap. 5. vide Scheffer. de Re vehiculari, lib. II. p. 113. & Buchner. ad Plin. p. 31. ORTWYN.

TORRENT.

Ultra primam.] Placet, quamvis ſine ducibus libris, *ultra plurimam*, &c.

Vel officii, vel ſacri cauſa.] *Officia* fere amicorum, *ſacra* deorum erant. Juvenal. Sat. III. inter divitum commoditates ponit, quod, cum aliis luctandum eſſet in turba, ipſi lectica ad officia deferebantur:

Si vocat officium, turba cedente feretur Dives.

iterumque de lecticæ uſu:

Atque aliquid leget, aut ſcribit, vel dormiet intus:
Namque facit ſomnum clauſa lectica feneſtra.

quibus verſibus Sueton. explicatur.

CASAUBON.

Sed ut in illo temporis ſpatio ter aut quater expergiſceretur.] Eginhardus: *Noctibus ſic dormiebat, ut ſomnum quater aut quinquies non ſolum expergiſcendo, ſed etiam deſurgendo interrumperet.* Quis neget aut Magnum Carolum Auguſti genium atque ingenium in pleriſque expreſſiſſe, aut ſcriptorem illum dum inepte Suetonii veſtigia premit, multa affinxiſſe illi Principi inſulſe, & παρὰ τὸ ὄν?

Producebatque ultra primam ſæpe lucem.] Viri docti emendatio *plurimam* pro *primam* reſcribentis, nec ſatis Latina eſt, nec ullius cod. auctoritate fulta: & omnino vera non eſt.

Si vel officii vel ſacri cauſſa maturius evigilandum eſſet.] Vulgata lectio *vigilandum* non eſt Latina: quare ſcripſimus & hic & duobus aliis locis *evigilandum*, quantumvis reclamantibus pleriſque libris. Fuiſſe officii cauſſa mature evigilandum notavimus ante ad cap. LIII. Fuit vero & ſacrorum cauſſa publicorum. Cenſorinus: *Romani a media nocte ad mediam noctem diem eſſe exiſtimaverunt: indicio ſunt ſacra publica, & auſpicia etiam magiſtratuum, quorum ſi quid ante medium noctis eſt actum, diei qui præteriit aſcribitur: ſi quid autem poſt mediam noctem & ante lucem factum eſt, eo die geſtum dicitur, qui eam ſequitur noctem.* Plautus Pœnulo:

AN. *Nimia nos ſocordia hodie tenuit* AD. *Qua de re obſecro?*
AN. *Quia non jam dudum ante lucem ad ædem Veneris venimus?*
Primæ ut inferremus ignem in aram. AD. *Ah non facto eſt opus.*
Quæ habent nocturna ora, noctu ſacrificatum ire occupant.
Priuſquam Venus expergiſcatur, prius deproperans ſedulo
Sacrificare.

Sic accipe ſequentia poſt paullo verba de Atia matre Auguſti: qui locus cum iſto collatus & dabit & accipiet mutuam lucem. *Lego*, inquit, *Atiam, cum ad ſolemne Apollinis ſacrum media nocte veniſſet, poſita in templo lectica, dum ceteræ matronæ dormirent, obdormiſſe.*

Ne id contra commodum faceret.] Hoc eſt, contra valetudinem, ut loquitur Auctor Rhetoricorum ad Herennium lib. IV. *contra valetudinem ſuam ſe ad multam noctem expectaſſe.*

Sic quoque ſæpe indigens ſomni.] Legerat negligenter hæc verba Victor Aurelius, qui inter Auguſti vitia *ſomni intemperantiam ponit.* Non ea unquam Suetonio mens οὐδ' ἐν ὀνείροις fuit.

dam e primoribus Galliarum confeſſus ſit inter ſuos, eo ſe inhibitum ac remollitum, quo minus, ut deſtinarat, in tranſitu Alpium per ſimulationem colloquii propius admiſſus, in præcipitium propelleret. Oculos habuit claros ac nitidos: quibus etiam exiſtimari volebat ineſſe quiddam divini vigoris: gaudebatque, ſi quis ſibi acrius contuenti, quaſi ad fulgorem Solis, vultum ſubmitteret: ſed in ſenecta ſiniſtro minus vidit. Dentes raros & exiguos, & ſcabros: capillum leviter inflexum & ſufflavum, ſupercilia conjuncta, mediocres aures: naſum & a ſummo eminentiorem, & ab imo deductiorem: colorem inter aquilum

TORRENT.

79. *Inhibitum ac remollitum.*] Liber opt. *remolitum*, a *remolior*, quo utitur Seneca Hercule Furente:

- - - nullis eripiet Deus
Te mihi, nec orbe ſi remolito queat
Ad ſupera victor Numina Alcides vehi.

ſic enim legendum, non *revoluto*. Sed nihil muto.

Propius admiſſus.] Idem liber *admiſſus*, ſine *propius*.

Oculos habuit.] De Auguſti oculis idem Sex. Aurelius quod Sueton. hic, & Serv. lib. I. Æneid. At Plin. lib. VII. cap. XXXVII. *Divo Auguſto* (inquit) *equorum more glauci fuerunt, ſupraque hominem albicantis magnitudinis. Quam ob cauſam diligentius ſpectari eos iracunde ferebat.* Ego Suetonio idcirco libentius aſſentior, quod Virgilium ſub Æneæ perſona Auguſto placere voluiſſe arbitror, cum ita ſcripſit:

- - - namque ipſa decoram
Cæſariem nato genitrix, lumenque juventæ
Purpureum, & lætos oculis afflarat honores.

Neque ſic tamen ab aliis diſſentit Plin. quin hæc controverſia facile componatur. glaucis enim oculis, ſive cæruleis, quales Minervæ tribuuntur, ineſſe fulgor poteſt. Neque ſpectari eos, ſed diligentius ſpectari, & non ſtatim ſubmitti intuentium vultus, ægre ferebat Auguſtus. Juven. Sat. XIII. cærula lumina Germanis dat. At Florus. lib. III. Cimbris horrendos oculos aſſcribit. Atqui & hi Germani ſunt.

Inter aquilum candidumque.] De aquilo colore pulchre Feſtus. ab aqua enim, cujus incertus eſt color, ſic dictus, nec albo, nec nigro ſimilis eſt ut tamen ab utroque proprietatem trahat.

CASAUBON.

Remollitum.] Ὑγρανθέντα, τεγχθέντα, τὶ παθόντα. Livius lib. I. *Mollirent modo iras, & quibus ſors corpora dediſſet, darent animos.*

79. *Oculos habuit claros ac nitidos.*] Philoſopho oculi ϛιλπνοὶ ſunt indicium λαγνείας. Ἀναφέρεται, inquit, ἐπὶ τȢ̀ς ἀλεκτρυόνας καὶ κόρακας. Plinius Auguſto tribuit oculos *glaucos & ſupra hominem albicantis magnitudinis*: quos timiditatis eſſe indices, Ariſtoteles ait.

Quibus etiam exiſtimari volebat ineſſe quiddam divini vigoris.] Eadem ſcabies Cæſarem titillavit, quem ait Dio voluiſſe, ut homines exiſtimarent, ὅτι καὶ ἄνθος ὥρας ἀπ᾽ Ἀφροδίτης ἔχει.

Gaudebat, ſi quis ſibi acrius contuenti quaſi ad fulgorem ſolis vultum ſubmitteret.] Julianus Cæſaribus: Εἶναι δὲ ἤθελε τὰς βολὰς τῶν ὀμμάτων, ὁποῖός ἐϛιν ὁ μέγας Ἥλιος. Ȣ̓δένα γὰρ οἱ τῶν πάντων ἀντιβλέπειν ἠξίȢ. pæne ad verbum Suetonii ſententiam expreſſit.

Et ſcabros.] Scabrities inter vitia dentium. Martianus Capella lib. III. *Protulit quoque limam, ex qua ſcabros dentes, vitiliginesque linguarum & ſordes purgabat.*

Capillum leniter inflexum.] Eſt, quem probant phyſiognomonici inter εὐθότριχα & Ȣ̓λότριχα. *Leniter* autem ſcribi debet, ut in omnibus melioribus libb. Græcum fuerit πράως vel ἠρέμα. in hujuſmodi deſcriptionibus voces frequentes, & apud Salluſtium, *clemens rumor*. non vehemens, ac mediocris.

Subflavum.] Polemo: Τὸ πράως ὑπόξανθον εἰς εὐμάθειαν καὶ ἡμερότητα καὶ εὐτυχίαν τείνει. omnia Auguſto competunt eximie: *docilitas, manſuetudo, felicitas.*

Supercilia conjuncta.] Qui carent intercilio. Græcis συνόφρυες dicuntur. Latini eam partem etiam *glabellam* vocant. Martianus Capella lib. II. *Quarum una deoſculata Philologiæ frontem illic, ubi pubem ciliorum diſcriminat glabellæ medietas.* Ariſtoteles iſta forma homines pronuntiat δυσανίȢς.

Naſum & a ſummo eminentiorem.] Hoc initium eſt naſi aquilini. talem Græci intelligunt, cum dicunt τῆς ῥινὸς τὸ πρὸς τὸ μέτωπον διηρθρῶσθαι. Brevius Ariſtoteles, unde cæteri: Οἱ γρυπὴν ἔχοντες καὶ τȢ͂ μετώπȢ (malim ἀπὸ τȢ͂ μετώπȢ) διηρθρωμένην, μεγαλόψυχοι. ἀναφέρεται ἐπὶ τȢ̀ς ἀετȢ́ς.

Et ab imo deductiorem.] Tenuem, λεπτόν. male interpretes *depreſſum*. Ariſtoteles: Οἱ τὴν ῥῖνα ἄκραν λεπτὴν ἔχοντες ὀρνιθώδεις.

Colorem inter aquilum candidumque.] Aquilus color in Gloſſis exponitur μέλας. ſi ita eſſet, poterat parcere verbis & ſubnigrum colorem dicere. ſed non ita eſt: neque *aquilus color* proprie eſt niger (non enim nigræ ſunt aquilæ) accedit tamen ad nigredinem, ut is qui veteribus Græcis πέλας dicebatur, unde πελιτά & πελιδνός. talis fere color aquæ præſertim concitatæ, quæ poetis μέλαν ὕδωρ dicitur. Color quem

lum candidumque: ſtaturam brevem, (quam tamen Julius Marathus libertus etiam in memoriam ejus quinque pedum & dodrantis fuiſſe tradit) ſed quæ commoditate & æquitate membrorum occuleretur: ut nonniſi ex comparatione adſtantis alicujus procerioris intelligi poſſet.
80 Corpore traditur maculoſo, diſperſis per pectus atque alvum genitivis notis, in modum & ordinem ac numerum ſtellarum cœleſtis Urſæ: ſed & callis quibuſdam ex prurigine corporis, aſſiduoque & vehementi ſtrigilis uſu, plurifariam concretis, ad impetiginis formam. Coxendice, & femore, & crure ſiniſtro, non perinde valebat, ut ſæpe etiam inde claudicaret: ſed remedio harenarum atque arundinum confirmabatur. Dextræ

quem intelligit Suetonius, eſt, niſi fallor, qualis in iis apparet, quos ſolis æſtus torruit: quos lingua vernacula vocat *baſſanez*. Marcellino, *color oblividus*.

TORRENT.

Libertus etiam in memoriam ejus.] Juſto Lipſio Elector. I. cap. XII. viſum emendare, *libertus, & a memoria ejus.* Et notum quidem aulæ officium *a memoria.* ſed an eo functus hic Marathus? Mihi non liquet. facilius crederem a ſtudiis, vel a libellis, vel a litteris eum fuiſſe, qui Auguſti hiſtoriam magno (ut videtur) favore ad æternam ejus memoriam diligentiſſime ſcripſerit. Qualis & Polybius. Ejuſdem memio & inf. cap. XCIV.

80. *Plurifariam contractis.*] Libri quatuor *concretis.*

Remedio arenarum, atque arundinum.] Libb. vetuſtiſſimi *harenarum*, & *harundinum*, unus etiam *herenarum.* Porro os illud, quod femoris caput excipit, & coxa vel coxendix Latine dicitur, Græci ἰσχίον vocant. Unde ἰσχιὰς coxendicis dolor, arthritidis nempe ſpecies coxam invadentis. Quo malo qui laborant, Iſchiadici etiam a Gellio appellantur lib. IV. cap. XIII. Auguſtus igitur & ipſe id patiens, arenarum atque arundinum remedio utebatur. Sic nimirum & apud Gellium lib. XIX. cap. VIII. vir quidam eruditus ab aquæ intercutis morbo liberatus dicitur, quod arenis calentibus eſſet uſus. utrumque enim malum cruditates progenerant, ac proinde calida remedia ſunt adhibenda. Et de arena quidem Celſus lib. IV. cap. XXII. *Siccus (inquit) calor eſt & arenæ calidæ, & Laconici, & clibani.* Plin. quoque lib. XXXI. cap. VI. *Spuma aquæ affrictu verrucas tollit, nec non arena litorum maris, præcipue tenuis, & ſolibus candens, in medicina eſt ſiccandis corpor bus hydropicorum, & rheumatiſmos ſentientium.* Plura Aetius lib. III. cap. IX. De arundine vero, quod eundem in medicina uſum præſtat, & Dioſcorid. lib. I. cap. XCVII. Galen. lib. VII. Simpl. medicam, tradiderunt, præſertim de cortice ejus combuſto. Quibus adde Plinium lib. XXIV. cap. XI. Sed de his medicos conſulamus.

CASAUBON.

Julius Marathus libertus etiam in memoriam ejus.] Omnes libb. hic corrupti. non diſplicet Lipſii conjectura, *& libertus & a memoria ejus. A memoria*, nomen officii vel miniſterii in aulis Principum & magnatum, etiam Judæorum olim, qui videntur vocaſſe *hammazkir*, etſi LXX. vertunt ὑπομνηματογράφους, & Hieronymus *a commentariis.* Magis tamen aliquanto placet nobis noſtra *J. Marathus libertus in memoria vitæ ejus.* Non dubitamus Julium Marathum de Auguſti rebus aliquos ſcripſiſſe commentarios, quos auctor vocat *memoriam*: ſic fere lib. V. cap. I. *Nec contentus elogium tumulo ejus verſibus compoſitis a ſe inſculpſiſſe, etiam vitæ memoriam proſa oratione compoſuit.* Bæbius Macer apud Servium: *Hoc etiam Auguſtus in libro ſecundo memoriæ vitæ ſuæ complexus eſt.*

Quinque pedum & dodrantis.] Non igitur brevi ſtatura fuit, ſed prope juſta. vide ad librum ſequentem cap. LXVIII. Verùm falſo hoc ſcriptum a Maratho fuiſſe, innuit Suetonii oratio.

Sed quæ commoditate & æquitate membrorum occuleretur.] Lego, *æqualitate.* Eginhardus: *Tamen hæc cæterorum membrorum celabat æqualitas.* lib. III. de Tiberio: *Cæteris membris uſque ad imos pedes æqualis & congruens.* Ita exprimit auctor Græcas voces συμμετρία & σύμμετρος. Vitruvius Græcos propius imitatus συμμετρίαν, *commenſum* dicit: A. Gellius aptiſſime, *membrorum omnium competentiam.*

80. *Genitivis notis.*] Σημείοις συμφύτοις, ut exponebamus ad Theophraſteos Characteres. Sic *genitiva imago* apud Ovidium.

In modum & ordinem ac numerum ſtellarum cœleſtis Urſæ.] Sidonius Apollinaris in Anthemii panegyrico, has notas draconem potius repræſentaſſe auctor eſt:

Magnus Alexander, nec non Auguſtus, habentur
Concepti ſerpente deo, Phœbumque Jovemque
Diviſere ſibi: namque horum quæſiit unus
Cinyphia ſub Syrte patrem maculis genetricis;
Alter Phœbigenam ſeſe gaudebat haberi
Pœonii jactans Epidauria ſigna draconis.

Sed remedio harenarum atque harundinem confirmabatur.] Remedium harenarum varie accipi poteſt. Vel enim de fomentis calidis affectæ parti admotis. *Sunt autem*, ait Celſus lib. II. *fomenta calida, milium, ſal, harena, quodlibet eorum calefactum, & in linteum conjectum.* Vel de ambulatione in alta harena

Dextræ quoque manus digitum ſalutarem, tam imbecillum interdum ſentiebat, ut torpentem contractumque frigore vix cornei circuli ſupplemento ſcripturæ admoveret. Queſtus eſt & de veſica, cujus dolore, calculis demum per urinam ejectis, levabatur. Gra- 81

ves

harena. Hanc interpretationem amplectuntur eruditiſſimi viri, etiam medici. Poſſumus tamen & de volutatione in harena calida, vel etiam litorali aut fluviali accipere. Hujus remedii plurima in libris veterum medicorum mentio: in multis enim morbis eo utebantur. Serenus Samonicus capite de Hydropiſi:

Nec non & tepidis convolves corpus harenis.

Symmachus contra podagram eo ſe uſum ſcribit: ita enim accipi debent hæc illius verba lib. VIII. epiſt. XLV. *Sed valetudo ſaucia obſtrepit voluntati. Humor enim noxius articulis illapſus, etiam nunc me tenet lectulo, & vix litorali ſiccitate tenuatur.* Apud Græcos medicos Aëtium, Æginetam, alios, legas multa περὶ ψαμμισμοῦ καὶ ψαμμοχωσίας. Talem aliquam vim ineſſe pulveri palæſtrico exiſtimavit Lucanus: videtur enim alluſiſſe ad hoc genus remedii, cum de fabuloſo Antæo caneret lib. IV.

Auxilium membris calidas infudit harenas.

Obſervavimus veteres in exercendo corpore etiam extra morbi neceſſitatem volutaſſe ſe ſuper candente harena, ut corpus ferendo calori aſſuefacerent: contra ut ad tolerandum frigus præpararent, vel in nive ſe verſabant, vel ſtatuas nive obductas nudi amplexabantur. Laertius de Diogene Cane: Καὶ θέρους μὲν ἐπὶ ψάμμου ζεστῆς ἐκυλινδεῖτο· χειμῶνος δὲ ἀνδριάντας κεχιονισμένους περιλάμβανε πανταχόθεν ἑαυτὸν συνασκῶν. Suidas de Antiocho Cilice philoſopho Cynico, qui caſtra Severi Imp. aliquando eſt ſecutus: Ἐπαλγοῦντας τοὺς στρατιώτας ὑπὸ τοῦ πολλοῦ ῥίγους, ἐπερώννυεν εἴς τε τὴν χιόνα ῥιπτῶν καὶ ἐν αὐτῇ κυλινδούμενος. Hanc ſtultam conſuetudinem reprehendit graviſſimus auctor Epictetus apud Arianum lib. III. Diſſertationum cap. XII. Τούτου ἕνεκα δεῖ καὶ ἡμᾶς μελετᾷν ἐπὶ σχοινίου περιπατεῖν, ἢ φοίνικα ἱστάνειν, ἢ ἀνδριάντας περιλαμβάνειν; οὐδαμῶς. *Remedium arundinum*, quid appellet hoc loco Suetonius, ne medicos quidem, viros eruditione præſtantiſſimos, ſatis exploratum habere ſcimus. Equidem non aliud remedium fuiſſe ſuſpicor, quam cujus Cato meminit cap. CLX. & ex Catone Plinius extremo libro XVII.

VARIOR.

80. *Remedio arenarum atque harundinum.*] Ψαμμισμὸν vocat P. Ægin. l. 3. c. 48. alii ἀμμοχωσίαν, cum ægroti vel ſuper arenam litoralem marinam fluvialemve ſive a ſole calentem ſive ignitam decumbere, vel in eadem profunda deambulare jubebantur: vel cum corporibus eorum in arena defoſſis obrutiſque novam ſubinde calentem adaggerabant; quod remedii genus hydropicis ad exſorbendas aquoſitates adhibuerunt Celſus l. III. c. 21. Dioſcor. l. V. c. 167. Aët. t. 3. ſ. 2. c. 28. & t. 1. ſ. 3. c. 9. Gariop. l. V. c. 11. Plin. l. XXXI. c. 6. *Arena litorum maris præcipue tenuis & ſolibus ardens in medicina eſt ſiccandis corporibus hydropicorum & rheumatiſmos ſentientium.* Auguſto, quia rheumatiſmo ad coxam ſiniſtram tentaretur familiariter, tam ad epotandam fluxionis materiam, quam ad roborandum articulum, laxitate ejus per arenæ vim ſiccatoriam correcta, arenationem conduxiſſe oportuit. Et hoc recte a Perſiis animadverſum eſt; ſed in *harundinum* remedio ἀλαοσκοπίη eſt Lynceorum. Quod enim ad Plinium l. 17. extr. & Catonem c. 160. ubi contra luxata membra carmen, ἐπῳδὴ verborum barbaricorum, jungendum fiſſuræ harundinum, *luxum uti excantantes*, nos remittunt, quod *remedium harundinum* fuerit, non videntur percepiſſe. Excantatio quippe proprie non eſt remedium, ſed magica vi verborum potius apud male credulos quam naturali poteſtate ſimplicium experientia ac ratione cognita conficitur. Satius igitur fuerit de radice harundinis, quam luxatis & ſpinæ doloribus ob vim extractoriam mederi, ſi trita cum aceto illinatur, tradidere Dioſc. l. 1. c. 115. & Plin. XXIV. c. 11. intelligere. Cum enim deſtillationes anniverſarias & certo tempore recurrentes valetudines expertus ſit Auguſtus, Plinio, Suetonio, Dione, Solino teſtibus; ob crebriores autem catarrhi ad coxam decubitus & dolorum ὑποτροπιασμοὺς articulos adeo debilitari, ut luxetur & excidat os femoris mucoribus ſupervenientibus, Hipp. 6. aph. 59. conſtet, medicinam ex arundine trita adplicare locis oblæſis & minitantibus ἐξαχνίσασιν non inconveniebat. Potuit etiam ſubclaudo ex imbecilli & luxo crure arundo ea ratione remedium expeti, quod σκινδαλμοὶ ſeu aſſulæ ejus fiſſæ manu repoſitum in ſedem ſuam caput femoris continere aptæ natæ eſſent, ſi commode per habenas additas alligarentur; quod corticibus arborum vel lignis excavatis alii præſtiterunt. Sane materies harundinum gratiſſima fabricis & ſectiles earum laminæ ad quæcunque liberet opera aptiſſimæ fuerunt: Plin. l. 16. c. 36. THOMAS REINESIUS Var. Lect. II. cap. 18.

TORRENT.

Digitum ſalutarem.] Quem & indicem vocamus, pollici proximum. Tertium vero medium, infamem, impudicum. Quartum medicum, & anularem. Sequitur minimus.

TOR-

ves & periculoſas valetudines per omnem vitam aliquot expertus eſt: præcipue Cantabria domita, cum etiam diſtillationibus jecinore vitiato, ad deſperationem redactus, contrariam & ancipitem rationem medendi neceſſario ſubiit: quia calida fomenta non proderant, frigidis curari coactus: auctore Antonio Muſa. Quaſdam & anniverſarias, ac tempore certo recurrentes, experiebatur. Nam ſub natalem ſuum plerumque languebat: & initio veris præcordiorum inflatione tentabatur: auſtrinis autem tempeſtatibus gravedine. Quare
82 quaſſato corpore, neque frigora neque æſtus facile tolerabat. Hieme quaternis cum pingui toga tunicis, & ſubuculæ thorace laneo, & feminalibus, & tibialibus muniebatur: æſtate

TORRENT.

81. *Auctore Antonio Muſa.*] De hoc ante cap. LIX. Corruptus autem eſt Plinii locus lib. XXIX. cap. I. ubi hanc Muſæ curationem refert. Notandumque, quod, cum lib. XIX. cap. VIII. lactuca conſervatum Auguſtum Antonii Muſæ prudentia ſcribat, lib. XVIII. cap. XV. *per ervum* (inquit) *curatum D. Auguſtum epiſtolis ipſius memoria exſtat.* Ervum tamen eodem loco gravedinoſum appellat. At morbi omnes Auguſti ex deſtillationibus, & gravedine proveniſſe videntur.

82. *Quaternis cum pingui toga tunicis.*] *Pinguem togam* vocat, ut *pingues tunicas* Martial. & *pingues lacernas* Juvenal. hibernas ſcilicet craſſioreſque, quæ frigori melius reſiſtant. Horat. lib. I. Sat. III.

- - - *toga, quæ defendere frigus*
Quamvis craſſa queat.

Seneca lib. I. de Benef. de Gratiis loquens, quas Heſiodus veſte pellucida depingit: *Inveniam* (inquit) *alium poetam, apud quem præcingantur, ac ſpiſſis & Phrygianis prodeant.*

Et ſubuculæ thorace laneo.] *Subucula*, viris feminiſque communis, ſic dicta eſt, quod ſubtus geſtetur. Varro. Idem exprimit Horat. Epiſt. I.

- - - *ſi forte ſubucula pexæ*
Trita ſubeſt tunicæ.

Varro item apud Nonium: *Poſtquam duas tunicas habere cœperunt, inſtituerunt vocare ſubuculam, & induſium. Thoracem* autem *ſubuculæ* intelligo, quatenus ea pectus tegitur. Male igitur, qui *ſubucula & thorace* legunt.

Feminalibus, & tibialibus.] Cum Auguſtum hieme tantum his uſum ſcribit, clare indicat, reliqua anni parte abſtinuiſſe. Nudis ergo cruribus feminibuſque incedebant Romani. Quod etiam ex C. Cæſaris facto conſtat, quem ſcribit Suetor. togæ ſinum ad ima crura deduxiſſe, quo honeſtius caderet.

CASAUBON.

81. *Tempore certo recurrentes.*] Περιοδικὰς νόσους Græci. Ægineta ad verbum περιοδιζούσας κατὰ τινὰς καιρούς. Philo vero Judæus, ſimpliciter περιοδιζούσας νόσους.

Initio veris præcordiorum inflatione tentabatur.] Invenio medicos, qui prodiderunt memoriæ Auguſtum doloribus laterum & thoracis tentatum, mitioris cujuſdam theriacæ uſu convaluiſſe, quam Damocrates apud Galenum in ſecundo de Antidotis deſcribit: qui poſtea addit:

Ταύτῃ λέγουσι τὸν Σεβαστὸν ἡδέως
Χρησάμενον ὑγιᾶ γεγονέναι ἐν βραχεῖ χρόνῳ,
Πλευροῖς τε καὶ θώρακι δυσχρηστούμενον.

82. *Pingui toga.*] Et Græci παχὺ ἱμάτιον hibernum vocant, & non multo aliter στερεόν. Porro *pingue* hic opponitur λεπτῷ. nam ſi in propria ſignificatione accipias, ἐλαιοπινέα veſtimenta æſtate geſtari vult Hippocrates: καθαρὰ vero hieme, contra apud Trebellium Pollionem Saturninus: *Diſcumbere milites cum ſagis jubet, hieme gravibus, æſtate perlucidis.*

Et feminalibus & tibialibus muniebatur.] In veſtitu veterum Judæorum, Græcorum & Romanorum nihil tam alienum fuit a noſtris moribus, quam quod eorum uſum ignoraverint quæ hodie appellamus *femoralia* & *tibialia.* Quod etſi certiſſimum eſt, reperias tamen doctos viros, qui aliter ſentiant ſcribantque. Sunt enim qui femoralia cum legunt in libris veterum, & tibialia, non alia fuiſſe illa putent ab iis quæ nos ita indigitamus. falſo & imperite. nam illis vocibus non intelligunt veteres Latini id, quod ipſi putant: ſed faſcias, quibus antiqui pedes, tibias, crura & femora ſive femina involvebant. Noſtras braccas non fuiſſe Græcis Latiniſque in uſu, eo probamus, quod nulla apud ullum Græcum aut Latinum ſcriptorem vetuſtiorem exſtet eorum mentio, ac ne appellatio quidem niſi barbara. Alterum validiſſimum eſt argumentum: quod in cultu Græcorum & Romanorum, breviore veſte amicti eas partes oſtenderent, quæ honeſte nominari non poſſunt: Theophraſtus in deſcriptione hominis inepti: Καὶ ἀναβεβλημένος ἄνω τοῦ γόνατος καθίζανει, ὥστε τὰ γυμνὰ αὐτοῦ φαίνεσθαι. Similis ἀσχημοσύνη eorum, qui veſtem vel conſulto conſilio adducebant, quod ἀνασύρεσθαι & ἀνελκύειν Græcis dicitur: cujus rei exemplum in eodem libello Theophraſti in deſcriptione hominis βδελυροῦ, quem ait ſolitum, ἀνασυράμενον δεῖξαι τὸ αἰδοῖον: vel imprudentia, quod notavit olim in Philippo rege captivus ejus, cum ſub haſta venderetur. præerat auctioni Philippus ἀνεσταλμένῳ τῷ χιτῶνι καθήμενος οὐκ εὐπρεπῶς, inquit Plutarchus: acceſſit ad eum captivus, &

monuit, ut veſtem demitteret. Μικρὸν, inquit, ille, κατωτέρω τὴν χλαμύδα ποίησον· ἀσχημονεῖς γὰρ οὕτω καθήμενος. Simile eſt, quod de Tuſco haruſpice facete narrat Martialis lib. III.

Ipſe ſuper virides aras lactantia pronus
Dum reſecat cultro colla, premitque manu:
Ingens iratis apparuit hernia ſacris.

Trebellius Pollio de Saturnino tyranno: *Hujus inſigne eſt, quod convivio diſcumbere milites, ne inferiora nudarentur, cum ſagis juſſit.* Hinc eſt quod metu talis ἀσχημοσύνης Cæſar in ipſo caſu cum occideretur, ſinum veſtis ad ima crura deduxit. Tertium ſuperiori affine argumentum eſt, quod in mentione τῶν περὶ κοιλιολυσίαν ὄντων, veſtis ſemper καθέλκεσθαι καὶ ἀνέλκεσθαι dicitur: Hebræi honeſtiſſime *tegere pedes*. Herodianus in Macrino: Τὰς ἐσθῆτας τῶν μηρῶν καθέλκειν. cujus loci interpretes non ſunt interpretes. Non igitur braccas antiqui noverunt, ſed earum loco, ut diximus, faſcias, quibus varias corporis partes involvebant. Uſus primus harum faſciarum fuit in ægrotis & imbecillibus, a quibus ſumſerunt poſtea homines delicati & molles. Horatius:

- - - ponas inſignia morbi,
Faſciolas, cubital, focalia.

Vetus interpres ad illum locum: *Faſciolæ ornamenta quædam ſunt brachiorum, pedum, articulorum, velut vittæ.* ita legendum, non *vel vittæ*. De cruralibus Quintilianus lib. XI. *Palliolum ſicut faſcias, quibus crura veſtiuntur, & focalia, & aurium ligamenta ſola excuſare poteſt valetudo.* Cœperunt Romani his faſciis extra valetudinem uti Ciceronis temporibus. Varro, Cato, vel de liberis educandis: *Mihi puero modica una fuit tunica, & toga, ſine faſciis calceamenta, equus ſine ephippio, balneum non quotidianum, alveus rarus.* Faſcias intelligit pedules, quas Pollux alicubi περιειλήματα ποδῶν. De iis Ulpianus lege XXV. Dig. De auro, argento, mundo: *Faſciæ crurales peduleſque & impilia veſtis loco ſunt, quia partem corporis veſtiunt.* Videntur per ea tempora & crurales ac pedules in frequentiore uſu fuiſſe, quando Juriſconſultus eas numerat inter veſtes ordinarias. At Varronis ætate adeo res nova fuit, ut Pompejo ab ejus obtrectatoribus inter alia objectum ſit, quod faſcias geſtaret, & quidem cretatas. quorum alterum laſcivi hominis indicium, alterum etiam τυραννιῶντος videri volebant. Cicero ad Atticum lib. III. *Epicratem* (ſic Pompejum vocat) *ſuſpicor, ut ſcribis, laſcivum fuiſſe: etenim mihi caligæ ejus & faſciæ cretatæ non placebant.* Valerius Max. lib. VI. *Pompejo candida faſcia crus alligatum habenti Favonius, Non refert, inquit, qua in parte corporis ſit diadema.* Objicit aperte regni ſuſpicionem, non propter faſciam (falluntur eruditiſſimi viri, qui id exiſtimant) ſed propter talem faſciam, hoc eſt, candidam. in promptu ratio eſt: quia diademata nihil aliud quam candidæ faſciæ erant, ut ad ſuperiorem librum notavimus. Cæterum Pompejus quod faſciam geſtaret, ſolitus id excuſare, quaſi tegendi ulceris cauſſa deformis, crus colligaret. Auctor Ammianus Marcellinus lib. XVII. Objectæ ſunt & Clodio faſciæ, ſed purpureæ non candidæ: quare nequitiæ ſolum id eſt attributum; ſuſpicione rerum novarum caruit. Cicero de Haruſpicum reſponſis: *P. Clodius a crocota, a mitra, a muliebribus ſoleis, purpureiſque faſciolis, a ſtrophio, a pſaltrio, a flagitio, a ſtupro eſt factus repente popularis.* Idne eſt, quod in tragœdia Hippolyto tribuuntur Herculi apud Omphalen agenti inter alia nequitiæ inſtrumenta & faſciæ crurales:

Crura diſtincto religavit auro,
Luteo plantas cohibente ſocco.

Non dubium mihi eſt, quin & Græci ſimiliter faſcias iſtas in uſu habuerint. pedules illi περιπεζίδας appellarunt, crurales περισκελίδας. quas tamen etiam a puellis fuiſſe geſtatas, ex Menandro annotat Julius Pollux, & ex Horatio nobis conſtat: ideo Græci poetæ fœminas appellarunt εἰλίποδας, διὰ τὴν ἔνδυσιν τῶν μηρῶν inquit Pauſanias. Alibi docuimus ſero veteres calceamentis aſſueviſſe: cum per longa ſæcula nudis pedibus, niſi cogeret neceſſitas, egiſſent. At poſteaquam in frequenti uſu calcei cœperunt eſſe, paulatim etiam pedules atque crurales faſciæ ſunt aſſumtæ. Temporibus Dionis Chryſoſtomi, qui Trajano imperante vixit, faſcias adhuc mediocris fortunæ homines ignorabant. Clarum hoc ex hiſce illius verbis in ſermone de Tyrannide: Ἔφη δὲ τοὺς πλουσίους ὁμοίους εἶναι τοῖς νεογνοῖς βρέφεσι· δεῖσθαι γὰρ ἀεί ποτε σπαργάνων. cum dicit ſcriptor hic excellens, proprium eſſe divitum uti hoc genus faſciis, tacite ſignificat, id quod dicebamus. Reperio & Aſiaticos faſciis feminalibus uſos. De iis enim debet intelligi hic locus Juſtini lib. XXXVIII. *Mithridates incertum belli timens conſilia ad inſidias transfert: ſollicitatoque juvene ad colloquium, cum ferrum occultatum inter faſcias gereret, ſcrutatori ab Ariarathe regio more miſſo, curioſius imum ventrem pertractanti, ait, Caveret, ne aliud telum inveniret quam quæreret.* Neſcio tamen, an non ſit verius, Mithridatem more multarum gentium barbararum braccas geſtaſſe, quas ſcriptor Romanus faſcias appellet non κυρίως, ſed ἀναλόγως: quia Romæ id erant faſciæ, quod alibi braccæ: feminum nempe tegimen & involucrum. ſed braccarum uſum ita averſati ſunt Græci Romanique, ut non ſine indignitate referat Ovidius, Ponti accolas quoſdam braccas geſtaſſe, cum eſſent a Græcis oriundi: locus eſt Triſt. lib. V.

Quos ut non timeas, poſſis odiſſe videndo
Pellibus & longa corpora tecta coma.
Hos quoque, qui geniti Graja creduntur ab urbe,
Pro patrio cultu Perſica bracca tegit.

Exiſti-

Exiſtimabant enim inclementiſſimi cœli id eſſe argumentum. Hyginus Poetico aſtronomico lib. 1. *Hinc intelligimus illic maximum frigus, & in æſtivo circulo calorem eſſe, quod qua terra habitatur, eos videmus, qui proxime ſunt arcticon finem, uti braccis, & ejuſmodi veſtitu veſtiri.* Sunt vero alii, qui ſubligacula apud veteres noſtris braccis putent reſpondere: cum certum ſit & ſubligacula & campeſtria non aliud fuiſſe, quam pannum, quo verenda velabant ephebi exercentes, luperci currentes, ſcenici, athletæ, popæ, coci & alia vilia ſervitia inter miniſtrandum, & cauponum οἱ ἀσελγέστατοι, ut notat Philoſtratus lib. IV. in vita Apollonii. Sed omnium craſſiſſime errant, qui *caligas* veterum Romanorum volunt eſſe noſtra hodie femoralia. Legi id nuper in notis viri docti ad Dionis locum hunc lib. XLVIII. Διέσκωπτον γοῦν σφᾶς ἄλλά τε καὶ βουλὴν καλλίγαν ἀπὸ τῆς τῶν στρατιωτικῶν ὑποδημάτων χρήσεως ἀποκαλοῦντες. loquitur Dio de militib. qui ſua interceſſione pacem conciliare ſtudebant Octavium inter & Fulviam, Luciumque Antonium. ait & Antonium & Fulviam irriſui illos habuiſſe, ut parum dignos Palæmones, qui tantas controverſias diſceptarent. Propterea cum aliis ſcommatis ipſos affeciſſe, tum etiam appellaſſe per contumeliam *ſenatum caligatum*, a calceamentorum genere, inquit Dio, quo milites utuntur. Hic ſenſus eſt abſque dubio ſuperiorum verborum Dionis: in quibus ſcribo βουλὴν καλλιγάταν, non καλλίγαν. neque poteſt hoc loco planius quicquam eſſe. Caligam fuiſſe quod Dio ait στρατιωτικὸν ὑπόδημα, id vero hodie ita omnibus notum, ut vix alicui tironi ejus ignorantiæ veniam arbitrer dandam. Præter alia ejus rei certiſſima teſtimonia ſexcenta, Capitolinus in explicanda adagione *Caliga Maximini*, apertiſſime *caligam*, *calciamentum*, & *campagum*, ut voces ejuſdem ſignificationis uſurpat. mira vero docti illius viri in ſuperioribus Dionis verbis explicandis incuria. Primum vult ſubligaculis, hoc eſt, braccis noſtris uſos eſſe veteres Romanos: deinde eas braccas cenſet caligas fuiſſe appellatas: poſtremo pronuntiare non veretur, ὑποδήματα non calceos ſignificare, ſed ejuſmodi femorum tegmen. Putes de alia qua lingua eum loqui, non de Latina & Græca. ita nova effata hæc ſunt. Quid? nonne idem Dio Caligulam Imperatorem id nomen inveniſſe ſcribit diſerte, quod educatus in caſtris militaribus calceis uteretur, non iis quorum erat in urbe uſus? ſic enim ille libro LVII. Ὅτι ἐν τῷ στρατοπέδῳ τὸ πλεῖστον τραφεὶς τοῖς στρατιωτικοῖς ὑποδήμασιν ἀντὶ τῶν ἀστικῶν ἐχρῆτο. Quando cœperint Romani braccis uti, obſcura quæſtio eſt, neque hujus loci. Nos non dubitamus paullo poſt Auguſti tempora braccis cœpiſſe aſſueſcere Romanos, qui bella cum Germanis aliiſque ſeptemtrionalibus populis gerebant, aut limites imperii in illis oris tuebantur. Inde eſt quod Alienus Cæcina legatus ſuperioris Germaniæ, braccas geſtare etiam Italiam ingreſſus non erubuit. Tacitus Hiſtoriarum libro ſecundo, cap. 25. *Cæcina velut relicta poſt Alpes ſævitia ac licentia modeſto agmine per Italiam inceſſit. Ornatum ipſius municipia & coloniæ in ſuperbiam trahebant: quod verſicolore ſagulo braccas tegmen barbarum indutus togatos alloqueretur.* Sed diu etiam poſt hæc tempora ignotum vulgo fuiſſe Romanis etiam militibus braccarum uſum, clare docet locus Trebellii Pollionis, quem ante poſuimus. Verum hæc alibi diligentius. poſtquam igitur Romani uſum braccarum partim a Gallis braccatis, partim a Germanis, Gothis aliiſque populis ſeptemtrionalibus didicerunt, cœpere nova notione accipi femoralia & tibialia. Iſidorus: *Femoralia appellata eo quod femora tegant: ipſa & braccæ, quod ſint breves & verecunda corporis iis velentur.* Ubi vides acumen grammatici, braccas dici quaſi βραχεῖς ἐσθῆτας. Imo vero braccæ ſunt βράκη vel βράκια, hoc eſt, ῥάκη vel ῥάκια. Ita primum Græci Aſiatici Perſarum ἀναξυρίδας vocarunt: deinde Maſſilienſes Græci vicinorum Gallorum femoralia ita nominarunt: & inde etiam appellata ab iiſdem Gallia braccata. *b* in hac voce eſt ex Æolica dialecto, qua plurimum uſos Phocæenſes, quorum traduces erant Maſſilienſes, argumento ſit vel locorum ſitus: nam Phocæa Jonicarum urbium extrema in Æolidis confinio ſita erat. Diodoro enim Siculo non aſſentior, qui βράκας vocem Gallicam facere videtur: neque Heſychio ſcribenti: Βράκκαι αἴγειοι διφθέραι παρὰ Κελτοῖς. In eodem legimus βράκες, ἀναξυρίδες, quaſi pluralis hujus ſingulare eſſet βρὰξ, non βράκος, ut ῥάκος: ſed id per metaplaſmum ex licentia poetica. Aut etiam fortaſſe ſcribendum βράκεα. idem grammaticus βράκος alibi exponit πολυτελὲς ἱμάτιον: quo modo accipitur a Theocrito in Colo, οἷα γυναῖκες φορέοισ' ὑδάτινα βράκη. Sed hoc nihil ad eas de quibus agimus braccas, quarum uſum cum Græci didicerunt, videntur voce Romana φιμινάλια appellaſſe. Suidas: Φιμινάλια, ἀναξυρίδες, βράκια. & Heſychius: Ἀναξυρίδες φημινάλια, βράκια βαρβαρικά. Tibialia, quæ nos appellamus, Græci recentiores κουρτζουβάκια nominabant: quæ vox apud Curopalatam exſtat. Sed hæc iſto loco nimium multa: nam in commentariis de Re Veſtiaria, Deo dante, accuratius iſta petractabimus, & multos multorum auctorum utriuſque linguæ locos, ubi faſciarum fit mentio, exponemus atque illuſtrabimus.

VARIOR.

82. *Hieme quaternis cum pingui toga tunicis, & ſubuculæ thorace laneo*, &c.] Lege: *Subucula, & thorace laneo.* Thorax tunc non niſi inter munimenta pectoris ad ictus repellendos, & ex ære, ferro, & corio, ut lorica. Hoc ergo peculiare in Auguſto notavit Tranquillus, quod thorace laneo uteretur

æſtate apertis cubiculi foribus, ac ſæpe in periſtylio ſaliente aqua, atque etiam ventilante aliquo

præter ſubuculam & tunicas. Fruſtra Torrentius ſubuculæ thoracem explicat, quia ſubucula pectus tegebat. quod ut verum ſit, tamen a thorace erat diſtincta. OCTAV. FERRARIUS.

Cum pingui tunica.] Pingue pro craſſo dixit: quomodo Cicero de Divinat. *Pingue & concretum eſt cœlum.* Martialis:

Et pingues tunicas ſerra ſecare poteſt.

Et Juvenalis *pingues lacernas* munimenta togæ dixit. Hujuſmodi autem pinguiorem togam fuiſſe eam, quam lænam Romani appellavere, credibile eſt. Varro: *Læna, quod de lana multa. duarum enim togarum inſtar.* MARC. DONATUS.

CASAUBON.

Æſtate apertis cubiculi foribus.] Ad perflatum æſtivum. Celſus lib. I. *Habitare vero ædificio lucido, perflatum æſtivum, hibernum ſolem habente.*

In periſtylio.] In atrii parte, quam e re periſtylium dicebant. vide, quæ notamus ſupra de *Atrio libertatis.*

Saliente aqua.] Statius Papinius de Tiburtio Vopiſci:

An picturata lucentia marmora vena
Mirer? an emiſſas per cuncta cubilia lymphas?

Idem in epithalamio Violantillæ:

Excludunt radios ſylvis decuſſa vetuſtis.
Frigora: perſpicui vivunt in marmore fontes.

Simili artificio & theatra refrigerarunt: ejuſque rei primus auctor Pompejus Magnus, Valerius Maximus lib. II. *Cn. Pompejus ante omnes, aquæ per ſemitas decurſu æſtivum minuit fervorem.* Eo etiam ſpectat Circi irrigatio, de qua Frontinus de Aquæductibus: *Quantopere curæ eſſet, ne quis violaret ductus, aquamve non conceſſam derivare auderet, cum ex multis apparere poteſt, tum ex hoc, quod Circus maximus ne diebus quidem ludorum Circenſium, niſi ædilium aut cenſorum permiſſu irrigabatur.* Tranſtulit hoc omne artificium Plinius Secundus in hippodromum, quem habuit in Tuſculano ſuo, ut hæc ejus declarant: *E ſtibadio aqua velut expreſſa cubantium pondere, ſipunculis effluit, cavato lapide ſuſcipitur, gracili marmore continetur, atque ita occulte temperatur, ut impleat, nec redundet.*

Atque etiam ventilante aliquo cubabat.] Quia lecti veterum non erant vulgo ut noſtri pannis oppanſis clauſi, ideo moris fuit ditioribus, ut quando meridianum ſomnum maxime captarent, adſtans aliquis ventulum faceret: ſimul refrigerandi cauſſa, & muſcarum ac culicum abigendorum. Terentius:

Cape hoc flabellum & ventulum huic ſic facito.

Poeta Epigrammatarius:

Ῥιπίζων ἐν ὕπνοις Δημήτριος Ἀρτεμιδώραν
Τὴν λεπτὴν, ἐκ τοῦ δώματος ἐξέβαλεν.

& ſæpe Nonnus in Dionyſiacis. Claudianus in Eutropium lib. III.

Et cum ſe rapido feſſam projecerat æſtu,
Patricius roſeis pavonum ventilat alis:

erant enim flabella elegantiorum ſive muſcaria, pavonina, ut etiam Martialis indicat. Propertius:

Et modo pavonis caudæ flabella ſuperbæ.

tenuioribus pro flabellis caudæ erant bubulæ, ut ex eodem Martiale notum & Æliano lib. XV. cap. XIV. interdum agitatio manus pro flabello erat. Gregorius Nazianz. De largiendo mendicis, deſcribens divitis accumbentis apparatum: Δεῖ δὲ ἡμῖν τοὺς ὑπὲρ κεφαλῆς ἄνεμον ταῖς ῥιπῖσι σοφιζομένους, καὶ ταῖς ἐκ χειρῶν αὔραις τὸ πλῆθος τῶν σαρκῶν ἀναψύχοντας. Ex Ariſtophanis Equitibus poteſt colligi, corollam myrteam aut ſimile quid Athenis flabelli uſum præſtitiſſe. Ut plurimum flabella erant e pennis inter ſe colligatis in unum faſciculum. quare elegantiſſimus poeta Euripides appellat ἐυπαγῆ κύκλον πτερινον, *circulum*, id eſt, *faſcem plumeum bene compactum.* & notat ibi morem eſſe barbaricum a Phrygia ad Græcos allatum. Poetæ verba ſunt in Oreſta:

Φρυγίοις ἔποχον, Φρυγίοισι νόμοις,
Παρὰ βόστρυχον αὔραν αὔραν
Ἑλενας Ἑλένας ἐυπαγεῖ κύκλῳ,
Πτερίνῳ πρὸ παρηΐδος ἀΐσσων
Βαρβάροισι νόμοισι.

Plura de his Athenæus. poſtea vero quam lectos velis obtegere cœperunt, ventilationis mos deſiit. Paulus Silentiarius epigrammate εἰς κωνωπεῶνα.

Ὕπνου δ' ἀσυμφέλικτον ἄγω χάριν· ἀλλὰ καὶ αὐτοὺς
Δμῶας μυοσόβου ῥύομαι ἀτμενίης.

Loquitur ipſe κωνωπεὼν, qui erat lecto oppanſus, & ait ſe fungi vicem ſervi ventulum facientis. Primus Romanis uſus fuit conopeorum ad ægrotos & fœtas mulieres, ut ex Varrone conſtat de Re Ruſtica libro II. cap. X. Porro qui molliores erant, præſertim autem virgines delicatæ, iis non cubantibus tantum ventilatores aderant, ſed etiam incedentibus per urbem ſervi cum flabellis ſimul & umbellis latus cingebant. Dionyſ. Hal. lib. VII. Ἠκολούθουν τε αὐτοῖς τὰ διδασκαλεῖα τῶν ὀρχηστῶν καὶ αὐλητῶν, καὶ τῶν παραπλησίων τούτοις μουσοκολάκων, παραπορευόμεναι παιδαγωγοὶ γυναῖκες σκιάδια καὶ ῥιπίδας κομίζουσαι. Claudianus jam dicto libro:

- - - - *flabella peroſi*
Aſpirant trabeis. Jam non umbracula geſtant.
Virginibus, Latias auſi vibrare ſecures.

De antiquitate hujus τρυφῆς poſſimus conjecturam facere, cum e verſiculis Euripidis, quos ſupra deſcripſimus, tum ex argumento ejus tumuli a Nicia vetuſtiſſimo pictore depicti: quem non penicillo, ſed ſtylo expreſſit Pauſanias in Achaicis: ubi inter alia ſic ſcriptum: Θρόνος τε ἐλέφαντος καὶ γυνὴ νέα καὶ εἴδους εὖ ἔχουσα ἐπὶ τῷ θρόνῳ· θεράπαινα δὲ αὐτῇ προέστηκε σκιά-

aliquo cubabat. Solis vero ne hiberni quidem patiens, domi quoque non niſi petaſatus ſub divo ſpatiabatur. Itinera lectica, & noctibus fere, eaque lenta ac minuta faciebat, ut Præneſte vel Tibur biduo procederet. Ac ſi quo pervenire mari poſſet, potius navigabat. Verum tantam infirmitatem magna cura tuebatur, in primis lavandi raritate. Ungebatur enim ſæpius, & ſudabat ad flammam: deinde perfundebatur egelida aqua vel ſole multo calefacta. At quoties nervorum cauſſa marinis Albu-

σκιάδιον φέρουσα. Anacreon hymnis in Artemonem illum delicatum, qui *περιφόρητος* eſt dictus:

------- ------- *παῖς κύκης*
Καὶ σκιαδίσκην ἐλεφαντίνης
Φορεῖ γυναιξὶν ἄυτως.

Expoſuimus pluribus hunc antiquorum morem: cujus ignorantia Plutarchi interpretes hunc illius locum corruperunt in libello, *εἰ πρεσβυτέρῳ πολιτευτέον. Ἔνιοι τὸν Ἡρακλέα παίζοντες οὐκ εὖ γράφουσιν ἐν Ὀμφάλης κροκωτοφόρον, ἐνδιδόντα Λυδαῖς θεραπαινίσι ῥιπίζειν καὶ παραπλέκειν ἑαυτόν.* Mens auctoris clara: *Herculem*, inquit, *male quidam pingunt apud Omphalem muliebri palla veſtitum, & Lydis ancillulis ſe permittentem ventilandum comendumque.* At docti viri conſentiunt emendandum eſſe *ῥαπίζειν.* an quia ſandalio caput Herculi commitigatum fuiſſe ab Omphale Gnatho Terentianus ipſos docuerat? Specioſa ratio, ſed prorſus tamen falſa: nam omnino *ῥιπίζειν* legi debet, ut omnes libri habent. In verbis Plutarchi *ἐνδιδόναι παραπλέκειν ἑαυτὸν*, eſt quod de eodemque Hercule ait Seneca in Hippolyto:

Paſſus aptari digitis ſmaragdos,
Et dari legem rudibus capillis.

Malim etiam *ἐκδιδόντα* ſcribere: ita enim potius auctores loquuntur. Philoſtratus in Timocrate: *Ἐκδεδωκὼς ἑαυτὸν πίτλη καὶ παρατιλτρίαις.* Athenæus: *Ἐκδοὺς ἑαυτὸν ἐρῶσιν ἀλογίστοις.* alii *παραδιδόναι.* Plato in Phædone: *Παραδιδόναι ταῖς ἡδοναῖς ἑαυτόν.*

TORRENT.

Petaſatus ſub dio.] Vetuſtiſſimus codex *ſub divo*, ut ſemper, quanquam *ſubdiales ambulationes* & *ſubdialia pavimenta* dicimus.

Ungebatur etiam ſæpius, ſud.] Libri quatuor, *Ungebatur enim ſæpius, & ſudabat ad flammam.* optime, ut raro balneis, ſæpius vero ſicco calore uſum ſignificet Auguſtum. Vide Celſum lib. II. cap. XVII.

Egelida aqua, vel ſole multo calefacta.] Libri duo *tepefacta.* *Egelidam* autem intelligo, quæ neque frigida, neque calida ſit.

Marinis Albulíſque calidis.] Atqui Albulæ, quas hodieque in agro Tiburtino cernimus, ſuapte natura calidæ ſunt, ut puta ſulfureæ. Martial. lib. I. Epigr. XIII:

Itur ad Herculei gelidas qua Tiburis arces,
Canaque ſulfureis Albula fumat aquis.

& Statius lib. I. Silv. III.

Illic ſulfureos cupit Albula mergere crines.

Plura Strabo lib. V. & Plin. lib. XXXI. cap. VI ubi *egelidas* vocat, cum Cutiliæ in Sabinis gelidiſſimæ ſint. Inani igitur epitheto utitur Sueton. Albulis enim dixiſſe ſufficeret. Lego itaque, *marinis calidis, Albulíſque.* de marina enim aqua ſic Plin. loco jam citato: *Medendi modus idem & in marinis erit, quæ calefiunt ad nervorum dolores. Ferruminant & fracturas, oſſaque contuſa, item corpora ſiccant. Qua de cauſa & frigido mari utuntur.* Vides marinam aquam ſimpliciter ſiccare, ſed cum calefacta eſt maxime prodeſſe nervis? Quod cum medici omnes tradant, non dubito, quin eo quo jam dixi modo Sueton. ſcripſerit. Niſi Albulis alio forte quam quo oriuntur loco, uſus fuerit Auguſtus. nam tunc calefactas oportuit. Nero certe in domo illa aurea balneas marinis, & Albulis fluentes aquis inſtituit, Ner. cap. XXXI. Martial. autem lib. I. Epigr. CXL. *laudatas* vocat Albulas, ob inſignem medendi uſum.

CASAUBON.

Ut Præneſte vel Tibur biduo procederet.] Hac ratione ſtadia centum indies, vel paſſuum circiter octo millia conficiebat: nam Præneſte ſtad. CC. Roma diſtat, nec multo minus Tibur.

In primis lavandi raritate.] Celſus, aliique veteres medici, ita faciendum præcipiunt iis, qui nervorum dolore laborant, ut Auguſtus. Nunquam autem fere difficilius obſequentes ægrotos habuere olim medici, quam ubi imperata erat balneorum abſtinentia, ut ipſorum libri teſtantur: quæ cauſa eſt, cur hoc Suetonius notet. Perſius contra de ægro intemperante:

Turgidus hic epulis atque albo ventre lavatur.

Et apud Græcos *θερμολουσίαι* inter argumenta vitæ diſſolutæ ponuntur.

Ungebatur enim ſæpius.] Minus recte quidam libb. *ungebatur etiam.* Indicat Auguſtum ſæpius uſum *ξηραλοιφίαις* & aſſiduis ſudationibus.

Perfundebatur egelida aqua.] Cellæ tepidariæ ſolio inſidebat, & tepida perfudebatur. *Perfundi aqua* Hippocrati dicitur, *περικλύδην λοῦσθαι.* Nihil hoc pertinet ad eam capitis perfuſionem aqua frigida, quam tot locis tam diligenter commendat Celſus: nam huic loco ex iis potius lux danda eſt, quæ ſcribit idem Celſus lib. IV. cap. XXIV. *Debet, ſi podagra eſt, interpoſitis temporibus exiguis, invicem modo ingredi, tum antequam cibum capiat, ſine balneo loco calido leniter perfricari, ſudare, perfundi aqua*

Albulisque calidis utendum eſſet, contentus hoc erat, ut inſidens ligneo ſolio, quod ipſe Hiſpanico verbo *duretam* vocabat, manus ac pedes alternis jactaret. Exercita- 83
tiones campeſtres equorum & armorum ſtatim poſt civilia bella omiſit: & ad pilam primo folliculumque tranſiit: mox nihil aliud quam vectabatur & deambulabat, ita ut in extremis ſpatiis ſubſultim decurreret, ſeſtertio vel lodicula involutus. Animi laxandi

egelida, deinde cibum ſumere. Omnia hæc ita Auguſtus, ut narrat Suetonius.

Quoties nervorum cauſſa, marinis Albulisve calidis utendum eſſet.] Celſus: *Si tumor nullus eſt, calidis fomentis opus eſt: aquam marinam vel muriam duram fervefacere oportet: deinde in pelvim conjicere, & cum jam homo pati poteſt, pedes demittere.*

TORRENT.

Ligneo ſolio.] Solium, ni fallor, balneare intelligit, quo nobiles mulieres Romanæ ad luxum etiam argenteo utebantur. Uſi ſunt autem eo vocabulo Cato, Plinius, Celſus, Martialis.

83. *Ad pilam folliculumque.*] Non quod follis pila non ſit, ſic loquitur, ſed cum pilam abſolute dicimus, puſilla illa intelligitur, de cujus ludo Galen. ſcripſit. Oſtendit autem, Auguſtum modicis exercitationibus uſum. nam de folle Martial.

- - - mitis mihi convenit ætas,
Folle decet pueros ludere, folle ſenes.

Campeſtres vero *exercitationes* appellat, quæ in campo Martio fiebant, ut Ner. cap. X. Plura ad Horat. lib. I. Od. VIII.

Seſtertio vel lodicula.] *Seſticula* legit Beroaldus, quam veſtem Suidas ait eſſe Imperatoriam. Quaſi vero Imperatoriis veſtibus, & quidem curriculo ſe exercens, uſus fuerit Auguſtus. Putat etiam *xyſto* pro *ſeſtertio* legi poſſe, quæ veſtis eſt viris ac feminis communis. Mihi, donec aliquid occurrat melius, Turnebi Adverſar. III. cap. XVIII. expoſitio placet, ut veſtis ſit duum in omnem partem pedum & ſemiſſis, qualis nimirum exercitio apta eſt. Liber unus habet *ſextercitio.*

CASAUBON.

Inſidens ligneo ſolio.] Hæc ſunt Auguſti lautitiæ: at illis temporibus etiam ex argento fiebant ſolia balinearum. Plinius lib. XXXIII. cap. XII.

83. *Ad pilam primo folliculumque tranſiit.*] Ita ut paullo antequam lavaret, pila ſe exerceret, vel folle: nam ea fere hora erat hujuſmodi exercitationum campeſtrium. Martialis lib. VII. ad Atticum:

Non pila, non follis, non te paganica thermis
Præparat, aut nudi ſtipitis ictus hebes.

Pilam ἁπλῶς cum dicant Romani, ut multis locis Martialis, quin trigonalis intelligatur, dubium non eſt: de ea videtur & Suetonius ſentire.

Ita ut in extremis ſpatiis ſubſultim decurreret.] Hoc eſt, cum levi ſaltatione curreret: idque ex præcepto medicorum dubio procul. nam veterum Aſclepiadarum divina ſolertia, quæ ambulatio cuique morbo conveniret, ſubtiliſſime veſtigaverat. Itaque alium jubebant per plana, alium per clivoſa, alium brevioribus ſpatiis, alium longioribus ambulare: quoſdam contento curſu, quoſdam leni, nonnullos ſubſiliendo: ſic ut duo vel tria exercitationis genera miſcerent, ambulationem, curſum, ſaltum. Hujus porro (ſaltum dico) ſpecies multæ: in longum, in altum, ſaliaris ſive *fullonius*, ut Seneca appellat epiſtola XV. Erant & aliæ pæne innumeræ ambulationum ſpecies, quarum Hippocrates ſecundo & tertio de Diæta, Oribaſius lib. VI. aliique medici paſſim meminerunt.

Seſtertio vel lodicula involutus.] Qui in campo ſe vel gymnaſio exercebant, cætera nudi, τὴν αἰδῶ campeſtri tegebant: aut ſi corpore infirmiore erant, gauſapam vel pallam, vel lodiculam, vel ſabana ſumebant. Itaque plurimus horum uſus fuit in gymnaſiis & balneis: ſic apud Petronium Trimalcio involutus coccina gauſapa lecticæ imponitur poſt curatum in balneo corpus. Et Seneca epiſtola LIII. *pſychrolutes gauſapatus* dicitur, qui aqua exiens poſt natationem gauſapa ſe involvebat. In libris medicorum multa hujus moris eſt mentio: qui etiam docent, in eum uſum adhiberi ſolitas veſtes potiſſimum ἀγνάπτους, quæ fullonis arte non eſſent politæ. Galenus tertio Commentario in Περὶ διαίτης ὀξέων νόσ. Hippocratis: Οὐδὲ οἱ νῦν ἰατροὶ χρῶνται στελεγγίσιν ἐπὶ τῶν ἀσθενούντων, οὐ μὴν οὐδὲ σπόγγῳ, ἀλλ' ἐνειλίττουσιν αὐτοὺς μετὰ τὸ λουτρὸν εἰς ὀθόνην. οἱ δὲ εἰς ἱμάτια, καὶ μάλιστά γε τὰ ἄγναπτα περιστέλλουσι πανταχόθεν, ὡς ἱδρῶσι πλεῖστον. Fuere in hunc uſum linteamina quædam dicta poſterioribus Hebræis, Græcis, ac Latinis *ſabana.* Ad hunc igitur modum Auguſtus dum ſe exercet, corpus lodicula tegit aut *ſegeſtri.* ita enim legendum eſſe vel *ſegeſtro*, aſſentior phœnici quondam Juriſconſultorum Jacobo Cujacio. nam quidquid ad explicandam vulgatam lectionem *ſeſtertio* hactenus docti attulerunt, ea partim incerta ſunt, partim etiam inepta. Lodix & ſegeſtre junguntur, quia pertinent ambo ad lectorum ſupellectilem. In itinere faciendo cum lecti olim eſſent circumferendi, ut monebamus ad Theophraſtum, beatioribus geſtabantur culcitæ, vel pro culcitis tapetes, Syneſius epiſt. LXI. Δαπίδα μεγάλην τῶν Αἰγυπτίων οὐχ οἵαν ὑποβεβλῆσθαι στρωμνῇ, ἀλλ' οἵαν αὐτὴν εἶναι καὶ μόνην στρωμνὴν, Ἀστέριος ὁ ταχυγράφος ἰδὼν ᾔτησε παρ' ἡμῶν, ὁπηνίκα με πρὸ τῶν μεγάλων ἀρχείων ἔδει καθεύδειν. ταύτην ὑπεσχό-

laxandi cauſſa modo piſcabatur hamo, modo talis, aut ocellatis, nucibuſque ludebat cum

σχόμενη ἐξιὼν ἀπολείψειν αὐτῷ δῶρον. οὐ γὰρ ἦν πρὸς τὴν Θρακῶν χιόνα παραβαλλόμενον, τοιαῦτα χαρίζεσθαι. pauperibus culcitarum ſive tapetum uſum præbebant ſegeſtria. quæ propterea Lucilius inter viæ inſtrumenta refert:

Penula, ſi quæris, canteriu', ſervu', ſegeſtre,
Utilius mihi quam ſapiens.

Plutarchus Craſſo, de Alexandro philoſopho in comitatu Craſſi: Ὀυκ ἦν ἀποφήνασθαι ῥαδίως, πότερον προσῆλθεν αὐτῷ πενέστερος, ἢ προσελθὼν ἐγίνετο. μόνος δ᾽ οὖν ἀεὶ διὰ φίλων αὐτῷ συναποδημῶν στέγαστρον ἐλάμβανεν εἰς τὴν ὁδὸν, καὶ τοῦτ᾽ ἐπανελθὼν ἀπῃτεῖτο. φεῦ τῆς ὑπομονῆς. Errant docti, qui putant στέγαστρον iſto Plutarchi loco lecticam ſignificare, & Varronis auctoritate male ſuum interpretamentum tuentur. Gloſſarium: *Segeſtrum*, στέγαστρον, τεράδερμον: lego, στεγάδερμον. nam plane *ſegeſtrum* eſt στεγαστρὶς διφθέρα, vel teges, ut indicat Varro: tegetem autem pro culcita fuiſſe uſurpatam a pauperibus ad Theophraſtum notamus. quam etiam ad rem uſos eſſe veteres non dubito illis Gallicis ſagis, quæ in octavo libro Polyæni vocantur σισύραι Γαλατικαί. Scribit eruditiſſimus Cujacius in Obſervationibus ſegaſtria, Suidæ dici *egeſta*: fierique eo auctore, ἐξ αἰγείων τριχῶν τῶν λεγομένων Κιλικίων. Atqui Suidæ ἔγεστα, vel ἄγεστα, ut ipſe notat, ſegeſtria non ſignificat, verum aggerem. ita enim Græci vocem illam Latinam enuntiant. Neque ἔγεστα ex pilis caprinis fieri unquam dixit Suidas, ſed hoc potius, pluteo, quem ſic deſcribit, tegi eos qui aggerem faciant. quod ex Latinis ſcriptoribus ſatis certum eſt.

VARIOR.

Albuliſque calidis.] Albulæ aquæ ſulfureæ, ergo & calidæ. Nullæ enim ſulfureæ niſi calentes. Quod experientia ubique terrarum oſtendit, & res ipſa docet. Martialis:

Canaque ſulfureis Albula fumet aquis.

Crudas tamen alio loco idem appellat: *Crudarum nebulæ quod Albularum.* Quæ appellatio videtur calori non ſuffragari. Plinius lib. XXXI. cap. II. *Albulæ aquæ vulneribus medentur. Egelidæ hæ, ſed Cutiliæ in Sabinis gelidiſſimæ.* Vox *egelidum* & pro tepido ponitur, & pro frigido. Utroque ſenſu uſurpavit Ovidius hoc verſu:

Egelidum Boream, egelidumque Notum.

Notus tepidus, frigidus boreas, uterque egelidus, ſi egelidus utrumque ſignificat. Clare Strabo gelidas facit Albulas. Plures ibi fontes eſſe ait hoc nomine. Fortaſſe an alii ex his frigidi, alii tepidi. Non poſſum aliter conciliare. SALMASIUS.

83. *Seſtertio vel lodicula involutus.*] Bene emendavit Cujacius Obſervat. XIII. 13. *ſegeſtrio.* quid autem ſit ſegeſtre, vel ſegeſtrium, docet Varro & ex eo Scaliger. Varro de Vita P. R. *Hoc, quod injicitur, toral dicitur: lecticam, qui involvebant, ſegeſtria appellabant.* De ſegeſtri Lucilius:

Penula, ſi quæris, canteriu', ſervu', ſegeſtre,
Utilius mihi quam ſapiens.

Erat enim teges, quæ a ſegetibus (ut vult Varro) quod ex eis fieret, dicta fuit. Poſtea factam eſſe ex pellibus, teſtatur Plautus apud Porphyrionem. Certe στέγαστρον pelles ſignificat. Et noſtrum *dormio* ἀπὸ τῶν δερμάτων. nam *dormio* veteres dicebant. JOS. SCAL.

TORRENT.

Talis, aut oſcillatis.] Libri noſtri *occellatis*, & *ocillatis*, unus etiam *ocellatis*. quod poſtremum amplectitur Turneb. Adverſar. III. cap. XVIII. eo enim uſus Varro apud Nonium in *Margaritum.* Johannes Brodæus Miſcel. lib. IV. cap. VII. *oſſillis*, vel *oſſiculis* legit, ut ludus ille ſignificetur, quem Græci ὀστομαχίαν vocant, de quo Auſon. præfatione Eidyllii quod Cento inſcribitur. Alii *oſcillis* malunt. de quo ludo Feſtus, Macrob. Serv. etiam in illud Virgilii II. Georg.

Oſcilla ex alta ſuſpendunt mollia pinu.

Ego ob Varronis, quem dixi, locum, & librorum conſenſum *ocellatis* retineo, & pro globulis accipio, quibus nunc quoque omnibus in provinciis puellæ ludunt; nam de nucibus quæ ſic vocentur, non placet. Talos vero, nuceſque, notiſſimam ludi puerilis materiam, refert etiam Horat. lib. II. Sat. III.

- - - te talos, Aule, nuceſque
Ferre ſinu laxo, donare, & ludere vidi.

CASAUBON.

Talis aut ocellatis nucibuſque ludebat.] Hæ fuerunt pueris olim conſuetæ luſiones: eſtque talorum παιδιὰ cujus hic fit mentio, alia longe ab ea, de qua dictum ante. *Ocellatis* autem legendum, ut habent omnes meliores libb. non *oſcillatis*: quam lectionem qui defendunt, ſuam rerum antiquarum οὐκ ἐμπειρίαν ſatis produnt. Nam prorſus ratione omni caret illa lectio, neque defendi prudenter poteſt. Fruſtra etiam doctiſſimus Brodæus fuit, cum *oſſiculis* legi voluit: neque enim ulla fuit apud veteres ὀστομαχία, ut ipſe putavit, inductus loco Auſonii corrupto. Ocellata ſunt, & hic & apud Varronem, globuli vel lapidei vel eburnei, vel ex alia qua materia, quibus olim puellæ ludebant, ut nunc quoque fit. Ovidius X. Metamorphoſeon:

- - - modo grata puellis
Munera fert illi conchas, tereteſque lapillos.

Græci καλολαΐγγας appellant. Joannes Tzetzes Chiliade lib. VII. Λεῖαι λίθοι στιλπνόταται καὶ μέλαιναι εἰς ἄκρον καλολαΐγξιν, αἷς παίζουσιν αἱ κόραι. *Ocellata* autem dicta, quod ocellum referrent: ſicut *oculati circuli*

cum pueris minutis, quos facie & garrulitate amabiles undique conquirebat, præcipue Mauros & Syros. Nam pumilos, atque diſtortos, & omnes generis ejuſdem, ut ludibria

circuli apud Solinum. Beroaldus auctor eſt, repertum eſſe in vetuſtiſſimo codice, *caſtellatis nucibus ludebant.* quod genus luſionis ex veteri conſuetudine pueri noſtri hodieque uſurpant. Ovidius:

Quatuor in nucibus non amplius alea tota eſt:
Cum ſibi ſuppoſitis additur una tribus.

At illa caſtella, quæ ſolitus de pomis componere Galienus Imperator, referente Pollione, nihil cum hac luſione puerili commune habuerunt.

TORRENT.

Garrulitate amabiles.] Hujuſmodi puerorum apud Romanos uſum oſtendit etiam Seneca his verbis: *Pueros quidam in hoc mercantur procaces, & eorum impudentiam acuunt, & ſub magiſtro habent qui probra immeditata effundant.* Exemplum P. Syri apud Macrobium lib. II. cap. VII. Adde Domitiani puerulum, de quo Sueton. Domit. cap. IV.

Pumilios.] MSS. codices *pumilos*, ut & Papinius lib. I. Silv. *Hic audax ſubit ordo pumilorum.* Alii fere pumiliones vocant non ſolum in hominibus, ſed & ceteris animantibus. Vide Gellium lib. XIX. cap. XIII. & Fulgentium de Priſco Sermone, qui pumilos & pumilios (utrumque enim in codicib. MSS. reperi) molles & enerves dici tradidit.

CASAUBON.

Cum pueris minutis, quos facie & garrulitate amabiles undique conquirebat, præcipue Mauros & Syros.] Mos fuit veterum Romanorum ſtudioſe conquirendi pueros minutos & procaces, atque ut Suetonius ait, *garrulitate* ipſa *amabiles.* Iſtos Latini *delicias* vocant, non quos nequiſſimi Græci παιδικά. non enim idem ſunt *puer delicatus* & *deliciæ*: etſi interdum confundi has voces non negaverim. Talem habuit Auguſtus *Sarmentum.* Plutarchus in Antonio: Ο δὲ Ζαρμεντος ἦν τῶν Καίσαρος παιγνίων παιδάριον, ἃ δηλίκια Ῥωμαῖοι καλȣ̃σιν. Appellat παιδάριον ut Suetonius *pueros minutos.* Apud Jeremiam prophetam cap. XXXI. *Jeled ſchahaſchuhim*, Hieronymus vertit, *puer delicatus.* Græci παιδίον ἐντρυφῶν. Videturque propheta delicias hoc genus alludere. fortaſſe etiam Salomon Proverb. cap. VIII. commate trigeſimo & ſequenti. In antiquis pleriſque lapidibus DELICIÆ & DELICIUM ita accipere malim. Statius Epicedio in filium:

Non ego mercatus Pharia de puppe loquaces
Delicias, doctumque ſui convitia Nili
Infantem, lingua ſimium, ſalibuſque protervum
Dilexi.

De his loquitur Seneca lib. II. de Tranquillitate vitæ: *Pueros quidam in hoc mercantur procaces, & eorum impudentiam acuunt & ſub magiſtro habent, qui probra meditate effundant: nec has contumelias, ſed argutias.* Matronæ nobiles his ſolitæ otium ſuum oblectare. Dio lib. LVIII. de nuptiis Auguſti & Liviæ loquens, παιδίον τι τῶν ψιθύρων, ὃια αἱ γυναῖκες γυμνὰ, ὡς πλήθει, ἀθύρȣσαι τρέφȣσι. Quod ait Dio nudos ſolitos haberi, intellige nudos a veſte: nam alias multo auro gemmiſque exornabantur. Herodianus in Commodo: Ἦν δὲ καὶ παιδίον πάνυ νήπιον, τȣ́των δὴ τῶν γυμνῶν μὲν ἐσθῆτος, χρυσῷ δὲ καὶ λίθοις πολυτίμοις κεκοσμημένον, οἷς ἀεὶ χαίρȣσι Ῥωμαίων οἱ τρυφῶντες. paullo mox appellat παιδίον ἄθυρον. Philoſtratus in Sophiſtis παιδία ψελλιζόμενα: unde intelligas etiam inter viros eruditos hujuſmodi delicias eſſe verſatas. Locus eſt in Herode. Nicetas de Iſacio Angelo ſcribit, ſolitum eum ἐγερσιγέλωσιν ἀνθρωπίσκοις συμπαραθύρειν, vel de pueris minutis iſtis, vel de nanis ſentiens. Excelluiſſe autem garrulitate pueros Syros, Alexandrinos, & Mauros, ex Luciano, Petronio, Martiale, Statio Papinio & aliis notum. Lucianus ſcribit hos ab Alexandrinis πήχεις fuiſſe vocitatos, in Ῥητόρων διδασκ. Philoſtratus in Nili imagine: Περὶ τὸν Νεῖλον οἱ πήχεις, παιδία σύμμετρα τῷ ὀνόματι. *Pumilos pueros vix cubitum altos, e re cubitos vocarunt.* Athenæus libro III. σπερμολόγα παιδάρια eleganter.

Nam pumilos.] Inter miniſteria magnatum nani & nanæ ſemper fuerunt: etiam Auguſti, licet contrarium affirmare videatur Suetonius. fuit enim in ejus domo Conopas ille minimus homo, duorum pedum & palmi, Juliæ neptis cura & amor. Plinius lib. VII. cap. XVI. Græci iſta ἀνθρωπάρια μικρὰ vocant νάνȣς & σκωπαίȣς ac σίλπωνας. Fuerunt autem pumili non ſolum natura, ſed & cura atque inſtitutione. Mangones enim, ut efficerent nanos, concluſos alebant in arca pueros & faſciis revinctos. Longinus in doctiſſimo περὶ ὕψȣς libello: Τὰ γλωττόκομα ἐν οἷς οἱ πυγμαῖοι νάνοι τρέφονται, ȣ̓ μόνον κωλύει τῶν ἐγκεκλεισμένων τὰς αὐξήσεις, ἀλλὰ καὶ συνάγει διὰ τὸν περικείμενον τοῖς σώμασι δεσμόν. Nanos & nanas aula ejecit Alexander Severus.

Diſtortos & omnes generis ejuſdem, ut ludibria naturæ malique ominis abhorrebat.] Nihil perverſius corrupto luxuria homine. Romani miniſteria & pædagogia ſoliti habere forma exquiſitiſſima: poſtea luxus invexit conſuetudinem quærendi diſtortos & quocunque modo prodigioſis corporibus inſignes. Hi maxime placebant & in pretio erant. Quintilianus Declamat. CCXCVIII. *Habent hoc quoque deliciæ divitum, malunt quærere omnia contra naturam. Gratus eſt ille debilitate, ille ipſa infelicitate deſtorti corporis placet: alter emitur, quia alieni coloris eſt. Hæc, ut*

84 dibria naturæ maliqne ominis, abhorrebat. Eloquentiam ſtudiaque liberalia ab ætate
prima & cupide & laborioſiſſime exercuit. Mutinenſi bello in tanta mole rerum, &
legiſſe & ſcripſiſſe & declamaſſe quotidie traditur. Nam deinceps neque in ſenatu, neque
apud populum, neque apud milites locutus eſt umquam, niſi meditata & compoſita oratione:
quamvis non deficeretur ad ſubita extemporali facultate. Ac ne periculum memoriæ adiret,
aut in ediſcendo tempus abſumeret, inſtituit recitare omnia. Sermones quoque cum ſingu-
lis, etiam cum Livia ſua graviores, nonniſi in ſcriptis, & e libello habebat: ne plus mi-
nuſve loqueretur ex tempore. Pronuntiabat dulci & proprio quodam oris ſono: dabat-
que aſſidue phonaſco operam: ſed nonnumquam infirmatis faucibus, præconis voce ad
85 populum concionatus eſt. Multa varii generis proſa oratione compoſuit, ex quibus non-
nulla

ut res eſt, acceſſit nova elegantia, inter perverſas delicias habere ruſticum. Ridiculum hoc, quod durus, quod inhabilis. Quintilianus item Inſtitut. lib. II. cap. V. *Illa quæ utcunque deflexa ſunt, tanquam exquiſitiora miramur: non aliter quam diſtortis, & quocunque modo prodigioſis corporibus apud quoſdam majus eſt pretium, quam iis quæ nihil ex communis habitus bonis perdiderunt.* Talis ille puerulus portentoſo parvoque capite, quem Domitianus coccinatum ſolitus ſecum circumducere, teſte Tranquillo. Clemens Alexandrinus de ſui temporis mulieribus: Ἀλλ' αἵγε ἀστειότεραι τούτων, ὄρνεις Ἰνδικοὺς καὶ ταῶνας Μηδικοὺς ἐκτρέφουσι, καὶ συνανακλίνονται τοῖς φοξοῖς παίζουσαι, σικίννοις τέρασι γαννύμεναι καὶ τὸν μὲν Θερσίτην ἀκούουσαι γελῶσιν. αὐταὶ δὲ πολυτιμήτους ὠνούμεναι Θερσίτας, οὐκ ἐπ' ἀνδράσιν ὁμοζύγοις, ἀλλ' ἐπ' ἐκείνοις αὐχοῦσιν, ἃ δὴ ἄχθος ἐστὶ γῆς. Appellatione *diſtortorum* continentur, me quidem interprete, & ſpadones. Ammianus Marcellinus lib. XIV. deſcribens comitatum matronarum Romanarum: *Poſtrema multitudo ſpadonum a ſenibus in pueros deſinens, coloris oblividi, diſtortaque lineamentorum compage deformis.* Cyrillus iſtis τερατόμορφα πρόσωπα tribuit apud Suidam, in Σπάδων. Iſtis vero naturæ ludibriis, ἀνθρώποις οὐκ ἀνθρώποις, ut appellantur ab Athenæo, affines ſunt fatui, quos jam olim proceres domi alere ſoliti, ſapientibus eo nomine reprehenſi. Seneca epiſtola L. *Harpaſten uxoris meæ fatuam ſcis hereditarium onus in domo mea remanſiſſe. Ipſe enim averſiſſimus ab iſtis prodigiis ſum.* Talis ille Denderis, de quo Cedrenus in rebus Theophili Imperatoris. Beatus Chryſoſtomus in priorem ad Timotheum paucis verbis omnes iſtas divitum delicias complexus. Οἱ μὲν, ait, πόρναις διδόασιν, οἱ δὲ παρασίτοις, οἱ δὲ κόλαξιν, οἱ δὲ τέρασι, καὶ μωροῖς καὶ νάνοις. καὶ γὰρ τὰ φύσεως ἁμαρτήματα ταῦτα φέρουσιν εἰς τέρψιν. vocat τέρατα, quos Auguſtus *mali ominis:* & *naturæ peccata* illi, quæ Auguſto *ludibria.* Vide eundem Patrem in eam ad Timotheum homilia XVII.

TORRENT.

84. *Cupide & laborioſiſſime.*] Melius libri vett. *& cupide, & labor.*

Non deficeret.] Malim *deficeretur.*

In ediſcendo.] Liber opt. *ediſcendo*, & mox pro *in ſcriptis*, *ſcriptis*, expuncta utrobique præpoſitione. hujuſmodi enim particulæ omiſſæ tametſi adferunt obſcuritatis aliquid, augent gratiam. Inf. cap. LXXXVI.

CASAUBON.

84. *Niſi meditata & compoſita oratione & quidem de ſcripto fere.*] Vide Dionis lib. LIII. initio.

Quamvis non deficeret ad ſubita extemporali facultate.] Lego cum Viterb. *non deficeret a ſubita & ext. fac.* vel ut in aliis, *deficeretur.* Memmianus: *non deficeretur ad ſubita, extemp.*

Dabatque aſſidue Phonaſco operam.] Gloſſarium: Φωνασκὸς, *vocalis.* idem: Φωνασκητὴς, *vociferarius.* uſus auctorum alius eſt: nam ipſi artifices vocis, *phonaſci* vocantur, non *phonaſcetæ.* φωνασκητὴς tamen, ut σωμασκητής. De hac re Perſius Satyra prima.

Præconis voce ad populum concionatus eſt.] Tenuerunt deinceps morem Principes, ut populum vel per edictum alloquerentur, vel per præconem ſive *cocionem*, ut in Galieno vocat Trebellius. At in ſenatu eorum orationes recitabant quæſtores candidati Cæſaris.

VARIOR.

84. *Non deficeretur.*] Quid ſit *deficere*, nemo ignorat; ſed notandus tamen eſt varius ejus verbi uſus. Non enim utimur illo tantum præciſe, ut hic utitur Noſter, nec dicimus tantum *deficit* ſive *deficit me conditio, petitio, facultas, viſus*, &c. Et *defici a petitione, facultate* &c. Ut l. 92. D. de Condit. & demonſtr. *Et retineo me dixiſſe, defici a conditione fideicommiſſi.* Aut ſublata præpoſitione, ſicut: *Mulier audacia abundat, conſilio & ratione deficitur.* quod Ciceronis eſt. Sed & dicimus, *deficitur petitio, facultas*, &c. ita nimirum Paulus l. 2. D. Si quis al. teſt. proh. *Si quis dolo malo fecerit, ut teſtes non veniant, & per hoc deficiatur facultas teſtamenti faciendi.* Et Scævola l. 48. D. de Vulg. & pup. ſubſt. *Poteſt ex inſtitutione defici conditio.* GOESIUS.

nulla in cœtu familiarium, velut in auditorio recitavit: ſicut *Reſcripta Bruto de Catone.* Quæ volumina cum jam ſenior ex magna parte legiſſet, fatigatus, Tiberio tradidit perlegenda. Item *Hortationem ad philoſophiam:* & aliqua *de vita ſua*, quam tredecim libris, Cantabrico tenus bello, nec ultra expoſuit. Poeticam ſummatim attigit. Unus liber exſtat ſcriptus ab eo hexametris verſibus, cujus & argumentum & titulus eſt *Sicilia.* Exſtat alter æque modicus *Epigrammatum*, quæ fere tempore balnei meditabatur. Nam tragœdiam magno impetu exorſus, non ſuccedente ſtylo, abolevit: querentibuſque amicis *quidnam Ajax ageret*, reſpondit, *Ajacem ſuum in ſpongiam incubuiſſe.* Genus 86
eloquendi ſecutus eſt elegans & temperatum: vitatis ſententiarum ineptiis, atque inconcin-

TORRENT.

85. *De vita ſua.*] Sic & Tiberius commentarium de vita ſua ſcripſit. Inf. Tib. cap. LXI. & Domit. cap. XX. Scripſit & Claudius de vita ſua octo volumina. Inf. Claud cap. LXI. Idem Hadrianus, M. Aurelius, & Septimius Severus factitarunt, ſi Spartiano, & Lampridio credimus. Nam de Auguſto teſtatur etiam Ulpian. l. I. De cadaveribus punitorum his verbis: *Corpora eorum qui capite damnantur, cognatis eorum neganda non ſunt, & id ſe obſervaſſe Divus Auguſtus lib.* X. *de vita ſua ſcribit.* Sed & Macer J. C. l. XII. De re milit. verba ex Diſciplina Auguſti citat. Ut præter opera a Suetonio hic commemorata de Diſciplina quoque Militari ſcripſiſſe videatur. Adde Vegetium de Re Militari I. cap. VIII.

XXX *Libris.*] Diſſidet Suidas, qui in Αὔγουστος XIII ſolos numerat, ſi ſcriptura non fallit.

Ajacem ſuum in ſpongiam incubuiſſe.] Lepide ſane, ob dictionis ſpongiæ ambiguitatem, quæ & deletilis eſt, *Utilis*, ut inquit Martial. *quoties ſcripta novare voles*, & gladium etiam ſignificat. Refertur idem a Macrobio lib. II. cap. IV. quem locum mendoſum eſſe monuimus ſupra cap. XLIII.

Elegans, & temperatum.] De eo ſic Gell. lib. XV. cap. VII. *Cum librum Epiſtolarum Divi Auguſti, quas ad Cajum nepotem ſuum ſcripſit, legeremus, duceremurque elegantia orationis, neque moroſa, neque anxia, ſed facili hercle & ſimplici.* Idem lib. X. cap. XXIV. *Divus etiam Auguſtus, memoriarum veterum exſequentiſſimus, linguæ Latinæ non neſcius, munditiarum patris ſui in ſermonibus ſectator, in Epiſtolis plurifariam,* &c. Sed & Tacit. *Auguſti prompta ac profluens, quæ deceret Principem, eloquentia fuit.* Adde Quinctilianum lib. I. cap. X. *Auguſtus in Epiſtolis ad Cajum ſcriptis emendat, quod is calidum dicere quam calidum malit, non quia illud non ſit Latinum, ſed quia ſit odioſum & περίεργον.* Epiſtolas autem Sueton. inter Auguſti opera non recenſuit, quod omnibus eſſent notæ.

CASAUBON.

85. *Reſcripta Bruto de Catone.*] *Reſcribere* pro *ſcribere contra.* Suetonius De illuſtribus Grammat. Scribonio: *Verrii libris de orthographia reſcripſit non ſine inſectatione ſtudiorum morumque ejus.*

Hortationes ad philoſophiam.] Ad cæteras in omni genere ſummas Auguſti laudes acceſſit hic cumulus, quod ſtudia ſapientiæ non neglexit, ſed magno ſtudio coluit. Agrippa in libello ad Cajum miſſo, quem recitat Philo, de Auguſto loquens, Φιλοσοφίας οὐκ ἄκροις χείλεσι γευσάμενος, ἀλλ' ἐπὶ πλέον ἑστιαθεὶς καὶ σχεδὸν τι καθ' ἑκάστην ἡμέραν ἑστιώμενος, τὰ μὲν μνήμαις ὧν ἡ διάνοια προμαθοῦσα τὰ φιλοσοφίας ἀνεπόλει, τὰ δὲ καὶ ταῖς τῶν συνόντων ἀεὶ λογίων συνδιαιτήσεσι. Et in epiſtola Caji Norbani ad Epheſiorum magiſtratus, de eodem ſunt hæc verba: Ὁ τοσοῦτος ἡγεμὼν κατὰ φιλοσοφίας οὐδενὸς δεύτερος.

De vita ſua, quam tredecim libris expoſuit.] Non aliter libb. vet. omnes, qua ſcripti, qua editi, cum Suida conſentientes. nec ſcio, unde orta ſit illa, quam & Torrentius ſequitur, corrupta lectio *xxx libris.* Horum librorum meminit præter alios Appianus in Illyricis & alibi, vocatque ὑπομνήματα.

Poeticam ſummatim attigit.] Sic *panis ſummatim fermentatus*, apud Marcellum Empiricum. Gloſſarium: Ἀκροθιγῶς, *ſummatim, carptim.* in altero ſic: *Summatim*, κεφαλαιωδῶς, συλλήβδην. apud Lucianum, ἐν κεφαλαίῳ εὐφραίνεσθαι. B. Baſilius ἐν κεφαλαίῳ interpretatur ἀθρόως καὶ ἐν ὀλίγῳ.

Cujus & argumentum & titulus eſt, Sicilia.] Ex his verbis non aliud colligas, quam fuiſſe id carmen deſcriptionem Siciliæ & eorum quæ habet miraculoſa, qualis Ætna eſt inprimis, ſolennis omnibus poetis locus. Tamen ut addubitem, facit Senecæ epiſtola LXXIX. non enim videtur in eo ſermone de hoc poemate Auguſti fuiſſe taciturus.

Quidnam Ajax ageret.] Suidas: ἔγραψε τραγῳδίαν Αἴαντα.

In ſpongiam incubuiſſe.] Pingentibus & ſcribentibus ſemper erat ad manum ſpongia deletilis. Poeta epigrammatarius ſcribæ inſtrumentum recenſens non prætermiſit:

Καὶ βυθίην τρίτωνος ἁλιπλάγκτοιο χαμεύνην
Σπόγγον, ἀκεστορίην πλαζομένης γραφίδος.

Auſonius: *Poeticæ ſcabiei quoniam facile contagium eſt, utinam quoque ad te prurigo commigret, ut fuco tuæ emendationis adjecto impingas ſpongiam.* Idem Theoni:

Aut

cinnitate, *reconditorum verborum*, ut ipſe dicit, *fœtoribus.* Præcipuamque curam duxit, ſenſum animi quam apertiſſime exprimere. Quod quo facilius efficeret, aut necubi lectorem vel auditorem obturbaret, ac moraretur, neque præpoſitiones urbibus addere, neque conjunctiones ſæpius iterare dubitavit, quæ detractæ afferunt aliquid obſcuritatis, etſi gratiam augent. Cacozelos & antiquarios, ut diverſo genere vitioſos, pari faſtidio ſprevit. Exagitabat nonnumquam inprimis Mæcenatem ſuum, cujus μυροϐρεχεῖς, ut ait, *cincinnos* uſque quaque perſequitur, & imitando per jocum irridet. Sed nec Tiberio parcit exoletas interdum, & reconditas voces aucupanti. M. quidem Antonium ut inſanum increpat: quaſi ea ſcribentem, quæ mirentur potius homines quam intelligant. Deinde ludens malum & inconſtans in eligendo genere dicendi ingenium ejus, addidit hæc,

Aut cunctis pariter verſibus oblinat
Fulvam lacticolor ſpongia ſepiam.

Inde Græcorum proverbium σπόγγῳ ἰᾶσθαι, *ſpongia curare*, ſive emendare: quod venuſte Auguſtus inflexit, faciens alluſionem ad cædem Ajacis.

Torrent.

Cacozelos, & antiquarios.] De orationis vitio, quod κακόζηλον vocant, Quinctilian. lib. VIII. cap. III. *Antiquariam* vero eodem quo Auguſtus ſenſu dixit Juven. Sat. VI. *Ignotoſque mihi tenet antiquaria verſus.*

Exagitabat nonnumquam.] Vetus codex *exagitabatque*, ſine E majuſcula. adhæret enim prioribus, ac ſenſus eſt, ſpreviſſe cacozelos & antiquarios, atque interdum exagitaſſe eos, in primis Mæcenatem. De Mæcenate notum illud Senecæ Epiſt. cxv. *Non oratio ejus æque ſoluta eſt quam ipſe diſcinctus? non tam inſignita ipſius verba ſunt quam cultus, quam comitatus, quam domus, quam uxor?* & mox, *Videbis eloquentiam ebrii hominis, involutam, & errantem, & licentiæ plenam.* Adfert etiam quædam verba ejus, ut ex Auguſto Sueton. hic. quale illud, μυροβρεχεῖς *cincinnos*, cum ex Cicerone *delibutos capillos* dicere potuiſſet. Exſtat etiam Auguſti ad Mæcenatem epiſtolæ pars apud Macrobium lib. II. c. 4. Adde Epiſt. Sen. XIX. & XCIII.

Sed nec Tiberio parcit.] Hunc nempe ut antiquarium, illum ut κακόζηλον reprehendens.

Casaubon.

86. *Cujus* μυροϐρεχεῖς*, ut ait, cincinnos uſquequaque perſequitur.*] Mæcenas hic eſt exemplum cacozeli: Tiberius mox antiquarii. Ita autem elumbis, fracta, & mollis fuit Mæcenatis oratio, ut videatur omnes ſuperaſſe κακοζηλίᾳ. Vide Senecam epiſtola XIX. & CIↃ, nec non CXIV. falluntur autem interpretes, qui verba Suetonii ita accipiunt, quaſi in oratione Mæcenatis vocem Græcam μυροϐρεχεῖς reprehenderit: nam contra ea voce ipſe Auguſtus more ſuo uſus eſt, ad exprimendum genus dicendi Mæcenatis. Solens, inquam, fecit more ſuo Auguſtus, quod Græco verbo uteretur. Arguunt quotquot fere hodie ſuperſunt ſcriptorum ejus fragmenta, in quibus aliquod ſemper verbum Græcum inſertum reperias. Exſtant exempla, ſi quis requirat, infra lib. III. cap. XXI. Et plura lib. V. cap. IV. Quinctilianus lib. I. *Auguſtus in epiſtolis ad C. Cæſarem ſcriptis emendat, quod is caldum quam calidum malit: non quia illud non ſit Latinum, ſed quia ſit odioſum, & ut ipſe Græco verbo ſignificavit*, περίεργον. Exſtat apud A. Gellium pars epiſtolæ ejuſdem Principis ad eundem C. Cæſarem: in qua leges hæc Græce κλιμακτῆρα *annum*, & ἀνδραγαθούντων ὑμῶν καὶ διαδεχομένων *ſtationem meam.* Poſſem plura proferre: ſed qui attenderit quæ notavi, is neque de hoc Auguſti more poterit dubitare; neque de errore eorum, qui vocem μυροϐρεχεῖς in Mæcenatis oratione ab Auguſto putant exagitatam.

Et imitando per jocum irridet.] Macrobius lib. II. Saturn. cap. 4. *Auguſtus quia Mæcenatem ſuum noverat eſſe ſtylo remiſſo, molli & diſſoluto, talem ſe in epiſtolis, quas ad eum ſcribebat, ſæpius exhibebat: & contra caſtigationem loquendi, quam alias ille ſcribendo ſervabat, in epiſtola ad Mæcenatem familiari, plura in jocos effuſus ſubtexuit: Vale mel gemmeum Medulliæ, ebur ex Hetruria, laſer Aretinum, adamas ſupernas, Tiberinum margaritum, Cilniorum ſmaragde, jaſpis figulorum, berylle Porſennæ, carbunculum Italiæ,* καὶ ἵνα συντέμω πάντα, μάλαγμα *mœcharum.* Ita lego lepidiſſimum Auguſteæ epiſtolæ fragmentum, quod in vulgatis codicibus Macrobii multifariam corruptum editur.

Sed nec Tiberio parcit.] Soſipater Chariſius lib. II. *Divus Auguſtus reprehendens Tiberium Claudium ita loquitur: Scribis enim per viam,* ἀντὶ τοῦ *obiter.*

Quæ mirentur potius homines quam intelligant.] M. Tullius idem objicit Philippica III. *Nonne ſatius eſt eſſe mutum, quam loqui ea, quæ nemo intelligat?*

Deinde ludens malum.] Fort. *deinde ludens in m.*

hæc, *Tuque dubitas Cimberne Annius, an Veranius Flaccus imitandi ſint tibi? ita ut verbis quæ C. Salluſtius excerpſit ex Originibus Catonis, utaris? an potius Aſiaticorum oratorum inanibus ſententiis, verborum volubilitas in noſtrum ſermonem transferenda?* Et quadam epiſtola Agrippinæ neptis ingenium collaudans: *Sed opus eſt*, inquit, *dare te*

TORRENT.

Cimberne Annius, an Verrius Flaccus.] Sic primus Beroaldus. nam libri tres ex noſtris hoc modo habent, *Cimberne Annæus, an Veranius Flaccus*, alius *Cimberne amens, an Veranius Flaccus.* Beroaldum movit Gellii auctoritas, quo teſte Verrius libros de Obſcuris Catonis ſcripſerit, eo nomine ſcilicet Antonio obſcura affectanti gratus, & ad imitandum propoſitus. Cæterum cum Sueton. de Claris Grammaticis ab Auguſto electum nepotibus hunc Verrium præceptorem ſcripſerit, mihi non fit veriſimile id facturum fuiſſe Auguſtum, ſi eo, quod maxime oderat, orationis vitio ille laboraſſet. Et alioquin obſcura Catonis explicare poterat, apertus ipſe & facilis. Quare hanc lectionem retinemus, reprehenſum potius Antonium crediderim, quod alios magis quam Verrium ſequeretur. Si vero *Veranium* quis malit, is eo nomine quendam non ignobilem citari auctorem ſciat a Macrobio lib. III. cap. II. De *Annio* autem, vel Annæo, quod huc ſpectet, nihil memini me legiſſe. Utraque gens Romana, & Cimber alterutrius cognomen eſſe potuit. Tulliorum fuiſſe alibi monſtravimus. *Annium Fœcialem* inter auctores ſuos enumerat Plin. lib. 36. Antonium quoque Aſiaticum ſcribendi genus ſecutum refert Plutarch. ejus vita.

Quæ C. Salluſtius.] Sic, neque male quidem, Pulmannus, noſtri tamen libri omnes *Criſpus* habent. Quinctilianum vide lib. VIII. cap. III. quæque de Lenæo, Pompeji liberto, Salluſtii inimico, & de altero Philologo narrat Sueton. lib. de Clar. Grammatic.

Agrippinæ neptis ingenium.] Nempe quæ & ipſa ſcripſerit commentarios, quibus vitam ſuam, caſusque ſuorum memoriæ commendavit Tacit. lib. IV. Annal. Plin. lib. VII. cap. VIII.

CASAUBON.

Tuque dubitas, Cimberne Annæus, an Verranius Flaccus imitandi ſint tibi.] Expreſſimus lectionem quam magno conſenſu ſervant libb. vett. & ſcripti & editi. Cimber hic ille eſt rhetor antiquarius, in quem luſit Virgilius epigrammate eo, quod hodieque exſtat in Catalectis, & apud Quintilianum. *Annæus* is vel *Annæus*, non *Annius* habuit nomen, ſi fides libris antiquis: nam quod *Tullius* nominatur idem a doctiſſimis viris, auctoritate caret, niſi fallimur: nemo enim veterum ſic eum vocat. & ſane longe diverſus ab iſto rhetore dictis factiſque barbaro fuit Tullius, quem conjuratorum in Cæſarem unum fuiſſe conſtat. *Veranius Flaccus* iſte mihi eſt incognitus. Veranium quendam laudant ſæpe Feſtus, Macrobius, alii, in explicatione verborum antiquorum. illi non male conveniat, quod hic de eo Auguſtus innuit, antiquarium & obſoletorum verborum amore ineptum in loquendo ſcribendove fuiſſe. ſed illi Veranio an fuerit cognomen Flacco, neſcio. Beroaldus, qui *Verrius Flaccus* emendat, etſi non ineptis rationibus movetur, tamen quod ei objiciatur, non deeſt, ut erudite obſervatum eſt a Torrentio. nam ſatis liquet eum, qui hic cum Cimbro nominatur ab Auguſto, ipſi fuiſſe ἀπὸ θυμȣ̃, ingratumque atque adeo exoſum ejus dicendi genus. ut parum ſit probabile illius opera, quicunque tandem fuerit is, uſurum Auguſtum in liberis ſuis erudiendis. Non ergo Verrius Flaccus eſt, quem ille Princeps præceptorem ſuis nepotibus elegit, teſte Suetonio. Putem haut temere affirmari poſſe, hunc eſſe Granium Flaccum, qui de jure Papiriano ſcripſerat: cujus auctoris, & in Pandecte veterum Juriſconſultorum fit mentio, & apud Arnobium libro tertio. nam & in horum libris pro *Granius* alii codices præferunt *Uranius*, aut *Veranius*: quod teſtatur & Jacobus Cujacius. Lepidiſſime vero Auguſtus irridet Antonium, deliberare eum dicens, utrum debeat ad imitandum ſibi proponere Cimbrum Anniumve, an Aſiaticos oratores: cum & horum & illorum diverſo genere vitioſa ſit ἡ ἰδέα τȣ̃ λόγȣ. quare neutrum horum in deliberationem venire debuit: nunquam enim homo φρενήρης & ſuæ ſpontis de electione alterius e duobus malis deliberat, niſi ſi incumbat neceſſitas, & urgeat vis major: quod hic dici nequit. Videtur autem Antonius utrumque malum habuiſſe: nam & voces amabit ab uſu communi tum alienas, ut *adivi, piiſſimus*: & totius orationis ejus idea & character erat Aſiaticus καὶ κομπώδης. Vere Plutarchus & eleganter de eo: Ἐχρῆτο δὲ τῷ καλȣμένῳ μὲν Ἀσιανῷ ζήλῳ τῶν λόγων ἀνθοῦντι μάλιστα κατ᾽ ἐκεῖνον τὸν χρόνον, ἔχοντι δὲ πολλὴν ὁμοιότητα πρὸς τὸν βίον αὐτȣ̃, κομπώδη καὶ φρυαγματίαν ὄντα, καὶ κενȣ̃ γαυριάματος καὶ φιλοτιμίας ἀνωμάλȣ μεστόν. Omnino uti vixit, ita dixit.

Et quadam epiſtola Agrippinæ neptis ingenium collaudans.] Hæc eſt Agrippina M. Vipſanii Agrippæ & Juliæ filia, Auguſti neptis. Hujus Agrippinæ ex Cæſare Germanico filia fuit altera Agrippina Claudii uxor, Auguſti vero proneptis, non neptis. Quare fallitur vir doctus, qui locum hunc Suetonii ex epiſtola Auguſti de illa Agrippina interpretatur, quæ hiſtoriam

87 *te operam, ne moleſte ſcribas aut loquaris.* Quotidiano ſermone quædam frequentius & notabiliter uſurpaſſe eum, litteræ ipſius autographæ oſtentant. In quibus identidem cum aliquos numquam ſoluturos ſignificare vult, *Ad Kalendas Græcas ſoluturos* ait: & cum hortatur ferenda eſſe præſentia, qualiacumque ſint, *Contenti ſimus hoc Catone:* & ad exprimendam feſtinatæ rei velocitatem, *Velocius quam aſparagi coquantur.* Ponit aſſidue & pro ſtulto, *baceolum:*

ſtoriam ſcripſerat, cujus meminit Plinius libro VII. nam iſta, ut oſtendit Plinius, mater Neronis fuit, uxor Claudii. proneptis igitur Auguſti, non ut Suetonius ait, neptis.

TORRENT.

Ne moleſte ſcribas.] Horat. lib. I. Sat. X.

- - - *ut currat ſententia, neu ſe*
Impediat verbis laſſas onerantibus aures.

87. *Contenti ſimus hoc Catone.*] Recte exiſtimat Beroaldus id Auguſti dictum ab honore, quem Catoni detulit, ſumpſiſſe originem. De quo elegans Macrobii locus lib. II. cap. IV. Et fortaſſis in eam ſententiam Bruto de Catone reſcripſit, cujus libri mentio ante cap. LXXXV. Turneb. Adverſar. XXIV. cap. XV. *Contenti ſimus hoc Catone*, valet (inquit) ac ſi dicas, feramus hæc æquo animo, nec nobis mortem conſciſcamus: ſatis ſit unum hoc feciſſe Catonem. Sed prior expoſitio magis placet. non ſolus enim Cato, ſed infiniti pæne bellis civilibus ſibi manus intulere.

Pro ſtulto baceolum.] Sic plures libri, aut *bacceolum.* duo tamen *bateolum.* quod & Beroaldus agnoſcit, addens non deeſſe, qui *bliteolum* legant, ut & *bliteos* dicimus, a *blito* viliſſimo olere, ſine ſapore, aut acrimonia ulla, de quo Feſtus, Nonius, & Plin. lib. XX. cap. XXII. Ipſe autem Beroaldus *blaceolum* legere mallet, a Græco βλὰξ: unde Feſtus *blitum*, & *blaterare.* deducit, pro ſtulte & percupide loqui. Tandem etiam Græcorum parœmiam citat, Βάκηλος εἶ. Et Suidas quidem Βακηλός ἐςι proverbio dici ſcribit ἐπὶ τῶν ἐκλύτων καὶ ἀνάνδρων. quod & alii prodiderunt, & Phrynichus βάκηλον dici, quem Aſiani γάλλον vocent; ſed idem reprehendit eos, qui ἐπι βλακὸς illud uſurpent. Atqui βλὰξ apud claſſicos auctores eum proprie ſignificat, quem Latini inertem, ſtolidum, ſupinum, ſocordem, atque ignavum vocant. Quare a βλὰξ ſuum feciſſe *baceolum* Auguſtum crediderim, Feſti præſertim patrocinio adjutus: ut tamen illos non damnem, qui a βάκηλος formare malunt. nam, adverſus Phrynichi ſententiam, id quoque verbum idem ſæpe quod βλὰξ ſignificat.

CASAUBON.

87. *Litteræ ipſius autographæ.*] Quæ per ea tempora in eruditorum manibus adhuc verſabantur. Quintilianus lib. I. cap. VII. *Here nunc e littera terminamus: at in veterum comicorum adhuc libro invenio, Heri ad me venit. Quod idem in epiſtolis Auguſti, quas ſua manu ſcripſit aut emendavit, deprehenditur.*

Contenti ſimus hoc Catone.] Qui ſæculum ſuum vituperabant, dicere ſoliti, *Jam nullus Cato.* nam Cato non hominis nomen, ſed ipſius virtutis eſſe, propter ejus viri præſtantiam, videbatur. Valerius Maximus libro ſecundo, in elogio de Catone: *Omnibus numeris perfecta viri virtus. Quæ quidem effecit, ut quiſquis ſanctum & egregium civem ſignificare velit, ſub nomine Catonis definiat.* Seneca: *Omne tempus Clodios, non omne Catones feret.* Caſſiodorus: *Fuit quidem noſtrorum temporum Cato, qui abſtinendo vitiis, alios formaret exemplis.* Notum illud: *Tertius e cœlo cecidit Cato.* Auguſtus vero qui tales voces non nimis libenter audiebat, quando aliquos non ſapientiſſimos & quorum mores non probatiſſimi, vel in ſenatum legebat, vel ſenatui aut tribubus commendabat, dicere ſolebat, *Contenti ſimus hoc Catone.* Idem dictum poſtea ab eo in epiſtolis ad alia quoque tranſlatum, cœptumque uſurpari, quoties, ut ait Suetonius, hortari voluit *ferenda eſſe præſentia, qualiacunque ſint.* Eadem ſententia proverbii Græci: Ἂν μὴ παρῇ κρέα τῷ ταρίχῳ ϛερκτέον. & illius, --- Ἀγαθὴ καὶ μᾶζα μετ' ἄρτον. Romani dicebant: *Quomodo quiſque poteſt.* Seneca epiſtola L.

Velocius quam aſparagi coquuntur.] Simile illi, εἶδεν ἀφύη τὸ πῦρ. Pro *velocius* libri habent *celerius.*

**Et pro ſtulto bateolum.*] Legitur in multis libris, atque in his in Turonenſi, per *c*, *baceolum:* tum putarem eam vocem eſſe omnino e Græca βάκηλος fictam paullo licentius. Scio criticos quoſdam Græcos non pati, ut ita ea dictio accipiatur: eſſe enim, τὸν ἀνδρόγυνον & *impudicum.* Sed ego illis potius aſſentior, qui utramque ſignificationem ei tribuunt. Heſychius: Βάκηλος, ὁ μέγας καὶ ἀνόητος. Ita accepit Oenomaus in vituperatione oraculorum: Εἶτ' ἐγὼ ἀκȣ́σας ὁ βάκηλος, καὶ ἀυτὸς ἀπὸ τȣ̃ Ἡρακλέος ἐφυσήθην. ita etiam Teles antiquus ſcriptor in libro de Exilio: Ἀλλὰ εἰ μήτι δυσχερὲς ἀυτοῖς εἴη, εἰ ὠδυνῶντο ἐπὶ τȣ́τῳ, ȣ̉ν ἂν ἦσαν βάκηλοι; Verum non eſt rejicienda lectio plurium exemplarium, *bateolum.* In ore infantium frequens vocula eſt *ba* vel *bat* aut *bad.* Inde multæ voces fictæ per ὀνοματοποιΐαν, partim ad exprimendam infantiam, partim ad alia

ceolum: & pro pullo, *pulleiaceum*: & pro cerito, *vacerroſum*: & *vapide ſeſe habere*, pro male: & *betizare*, pro languere: quod vulgo *lachanizare* dicitur. Item *ſimus*, pro

vitia denotanda pueritiæ affinia. Hujus generis ſunt apud Græcos βάζειν, βαβάζειν, & βάβαξ ὁ φλύαρος, ut exponunt veteres grammatici: item βαμβαίνειν, & *Bambalio* apud Ciceronem: & βάττος, unde βαττολογία & βατταρίζειν, ut placet doctioribus grammaticis: non a Batto, ſicut ſomniant poetæ. item βάταλος & βατὰς, quæ vocabula de homine diſſoluto & remiſſo primum, deinde etiam voluptuoſo dicta ſunt. Inde ergo vox Auguſti *bateolus* vel a βάταλος licentius, ut a Principe deducta, vel nata in cœlo Romano, aut ab ipſo Auguſto conficta per μίμησιν vel ab aliquo veteri comico: nam & Nævius ab eadem origine *buttubata* pro nugatoriis poſuit. Vide Feſtum. Et ætate Senecæ notæ fatuitatis homo fuit, quem *Babam* nuncuparunt, cujus ipſe non ſemel meminit. Athenis Βαβὼ muliercula quædam dicta. Βάβης vero ſervi nomen apud Pollucem, & in Græcorum epigrammatis. Syri infantes atque etiam adoleſcentes βάβιας dixerunt: & deam *Babiam*, quæ pueritiæ credebatur præeſſe, ut ſcriptum eſt apud Photium. Cæterum *bateolus* dictum, ut *foriolus*: utraque vox de infantibus proprie uſurpatur. Sunt & in lingua vernacula noſtra ſimiliter ὀνοματοπεποιημέναι voces, *badin*, *babouin*, *baveur*, *bavard*, aliæque.

TORRENT.

Pro pullo pulleiaceum.] Liber unus *pro pullum pulleiaceum*, tres *apud pullum pulleiaceum.* quod Turneb. Adverſar. XXIV. cap. XV. recipit, & interpretari conatur, ſed infeliciter, ni fallor. In codice illo, in quo *pro pullum pulleiaceum* ſcriptum reperiri diximus, ſupra ſcriptum fuit, *alias puleum*. Unde Car. Langius *puleium* faciebat, & legendum eſſe cenſebat, *pro puleio puleiaceum*. *Puleium* autem vocabant veteres, quod *pulegium* frequentius dicimus. Cicero lib. II. de Divinatione: *Puleium enim aridum ipſo brumali die floreſcere ſolet.* ſic enim ibi legitur in emendatis exemplaribus, ſicut & apud Martialem lib. XII. Epig. XXXII. *Quadrima nigri nec corona puleii.* Arnob. quoque Adv. Gentes VII. *rutam, mentam, ocymum, puleium, porrumque ſectivum.* Sic nimirum & *betaceum*, & *malvaceum*, a beta & malva. Quod qui ignorabant, *pullum* ſubſtituerunt. Seneca procemio lib. VII. Controverſ. *puleium* inter ſordida enumerat, qui locus tamen mendoſus eſt.

Pro cerito vaceroſum.] Lego, *pro cerrito vacerroſum*, & ex libris MSS. & ex Feſto, uti & apud Horat. lib. II. Sat. III. *Cerritus fuit.* quanquam a Cerere deducitur, & *ceritus* ſcribit Nonius Marcellus. *Vacerra* vero ſtipitem, ad quem equi religari ſolent, ſignificat. Unde & maledicti loco dicitur in vecordes atque inſanos. Hinc *vacerroſus*. Vide Feſtum. Vacerra quoque cognomen eſt apud Martialem XII. Epigr. XXXII.

Vapide ſe habere, pro male.] A *vappa*, ut opinor, quo non vinum modo jam evanidum ſignificatur, ſed & homo nullius pretii apud Horat. diligentiſſimum verborum Auguſti imitatorem. nam vapidus a vapore non idem notat.

Betizare pro languere.] Notus omnibus elegans ille Catulli verſus: *Languidior tenera cui pendens Sicula beta.* Quo delectatum equidem Auguſtum crediderim formaſſe illud ſuum *betizare*, quod, ut ſubjicit Sueton. vulgo *lachanizare* dicebant. λάχανον enim olus, atque herbam omnem quæ edundo ſit, ſignificat. De quo ad Horat. lib. I. Sat. VI. *lachanique catinum.* Et ſane *languidum* pro molli atque effeminato dici ſæpius obſervavi.

CASAUBON.

Pro pullo, pulleiaceum.] In vetuſtis membr. reperi lectionem, quam & Turnebus annotavit, *apud pullum pulleiaceum*; alii libb. *pro pullum pulleiaceum.* & ita fere pr. edit. ſunt qui corrigant *pro puleio puleiaceum.* & puleium quidem eſſe βλήχωνα idem ac pulegium, vel ex Gloſſario ſcimus. mihi non probatur, ut contra omnium libb. conſenſum in prima ſyllaba quicquam mutetur. Puto autem ſcripſiſſe Suetonium, *ac pro pullum pulleiaceum*: quod τεχνικῶς, ut loquuntur, enuntiatum eſſe qui non videbant, ex *ac pro* fecerunt *apud*. Quid autem intellexerit iſta voce Auguſtus, incertum facit latiſſima vocis *pullus* ſignificatio: nam & inter colores τὸ φαιὸν pullum nominamus, & in plantis τὴν παραφυάδα, & in humano genere τὸ παιδίον, & in avitio τὸ ὀρνίθιον, & in cæteris omne genus animantibus *pullos* dicimus recentes partus. An igitur pullum gallinaceum intelligi voluit Auguſtus, cum laſcivia quadam ingenii *pulleiaceum* diceret? an potius coloris pulli veſtimentum *pulleiaceum* appellavit, formato ad ſimilitudinem aliorum colorum nomine? is enim τύπος in re colorum frequens eſt: violaceus, miniaceus, hederaceus, herbaceus, galbaneus, ferrugineus, luteus, cereus, multa alia. Confirmat hanc ſententiam & ratio: nam *pulleiaceum* ita dixit Auguſtus veſtimentum pulli coloris, ut *heluaceum* veteres ornamentum coloris helui Feſtus.

Pro cerrito vacerroſum.] Mss. *territo.* male. in voce vacerroſus nihil Auguſti præter τύπον: nam alii *vacerram* dicebant. Livius poeta antiquus, *Vecors & malefice vacerra.*

Et betiſſare pro languere, quod vulgo lachaniſſare dicitur.] Ita ſcripſimus hæc verba, non ut in vulgatis libb. *betizare* & *lachanizare*. Iſidorus: *A Græcis duas litteras mutuavit Latinitas y & z, propter nomina Græca: & hæ apud Romanos uſque ad Auguſti*

pro ſumus: & *domos* genitivo caſu ſingulari, pro domus. Nec umquam aliter hæc duo, ne quis mendam magis quam conſuetudinem putet. Notavi & in chirographo ejus illa præcipue: non dividit verba, nec ab extrema parte verſuum abundantes litteras in alterum
88 transfert, ſed ibidem ſtatim ſubjicit, circumducitque. Orthographiam, id eſt, formulam rationemque ſcribendi a grammaticis inſtitutam, non adeo cuſtodiit: ac videtur eorum

guſti tempus non ſcribebantur, ſed pro z, ſſ ponebant, ut hilariſſat: pro y vero i ſcribebant. Priſcianus: *Sæpe pro z litteram ſ ſolemus geminatam ponere, ut patriſſo pro πατρίζω, pitiſſo pro πιτίζω, maſſa pro μάζα.* Sic etiam *malaciſſo*, pro μαλακίζω, apud Plautum & Caſſiodorum de Orthographia. & *tabliſſare* apud Diomedem e ſemigræco ταβλίζειν. Porro vertiſſe Auguſtum Græcum λαχανίζειν, *betiſſare*, non mirum: nam λάχανον Atticis beta eſt. Legitur in veteri Gloſſario: *Vacillant*, λεχανίζουσι, βαμβαίνουσι. perperam. lego, λαχανίζουσι, βαμβ.

Item ſimus pro ſumus: & domos genitivo caſu ſingulari pro domus.] Marius Victorinus de Orthographia lib. 1. *Divus Auguſtus genitivo caſu hujus domos meæ, per* o, *non ut nos per* u *litteras ſcripſit. Meſſala, Brutus, Agrippa, pro ſumus, ſimus.* Mirari ſoleo, Priſcianum, Velium Longum, Caſſiodorum, alioſque artigraphos hæc prætermiſiſſe.

VARIOR.

87. *Pro pullo pulleiaceum.*] Probo *pulleiaceum* pro pullum, ut de colore intelligatur. Sed fortaſſe melius ſcriberetur *pullaceum.* Alioquin ſi *pulleiaceum* legatur, non abhorremus ab eorum ſententia, qui *pulleium* legunt. Sic enim pulleiaceum pro pulleio dixere, ut *betaceum* dixere pro beta. SALMASIUS.

Et betiſſare.] *Betizare* & *lachanizare*, quod non improbo, ut *colaphizare.* Et notandum, quod ait Iſidorus, ante Auguſti tempora *y* & *z* non fuiſſe in uſu apud Romanos Ergo ante Auguſtum dicebant Latini *lachaniſſare*, a λαχανίζειν, ut *comaſſari* a κομάζειν, *pitiſſare* a πιτίζειν. Sub Auguſto receperunt litteram Græcam ζ, & dicere cœperunt, *lachanizare, colaphizare*, & ſimilia. SALMASIUS.

CASAUBON.

Non dividit verba.] Craſſus error omnes pene libb. invaſit, in quibus ſcriptum eſt *dividere.* nimis ἀτόπως.

Ibidem ſtatim ſubjicit circumducitque.] Circumductio hæc, cujus hodieque uſum retinemus, in ſcribendis ſaltem verſibus, ſpeciem majuſculæ litteræ L. præbet. Servius ad tertiam Æneidem: *Hi verſus circumducti inventi dicuntur, & extra paginam in mundo.* & ita alibi. Monendi hic obiter antiquarii noſtri erroris ſui, qui cum in nummis hanc notam reperiſſent, nimis inepte illam ſunt interpretati. putarunt eſſe litteram Latinam pro Græca Λ. deinde Λυκάβαντα ea littera notari divinarunt: quorum alterum ἀπίθανον, alterum nimis abſurdum. Scilicet in nummis poeticæ voces (qualem eſſe hanc vel Artemidori teſtimonio ſcimus) ab uſu communi remotiſſimæ ſculpi ſolitæ: ac ne ſculpi quidem, ſed notari litterula una: quod nunquam fiebat, niſi in notiſſimis vocibus & ad conjiciendum facillimis. putamus igitur notam illam in nummis, non litteram eſſe, ſed circumductionem tantum quandam, cujus uſus, quoties ambitus non capiebat omnes litteras. Nam in omnibus quos vidimus nummis, in medio ſculptus is character pleno margine: prorſus in modum ejus circumductionis, de qua hic Suetonius loquitur. Tales nummi ſunt hi: ΚΑΙΣΑΡ ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΤΡΙΩΝ ΑΝΔΡΩΝ LΔ. hoc eſt, τῷ τετάρτῳ ſupple ἔτει. item ΑΥΤ. ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΑΡΧΙΕΡ. ΜΕΓ. Ο ΥΠΑΤΟΣ ΔΗ. ΕΞ. LΙΖ. id eſt, Αὐτοκράτωρ Καῖσαρ Ἀρχιερεὺς μέγας ὁ ὕπατος δημαρχικῆς ἐξουσίας τῷ ἑβδόμῳ καὶ δεκάτῳ, nempe ἔτει. Ita autem in multis nummis Græcis, Ο ΥΠΑΤΟΣ vel cum adjectione numeri, vel ſine adjectione reperitur. Ac videtur quando numerus non eſt adjectus, intelligi proconſulare imperium, quod in Auguſtis erat perpetuum. De nota ſuperiore legant ſtudioſi, quæ diſſerit Joſephus Scaliger in libris de Emendatione Temporum.

88. *Orthographiam non adeo cuſtodiit.*] Placuit hæc ſecuritas olim viris magnis. Porphyrius de Plotino ſcribit, nihil penſi eum habuiſſe, ut nitide aut eleganter ſcriberet: diviſionem ſyllabarum neglexiſſe: orthographiæ regulas parum curaſſe: ad ſolam denique mentem animum attendiſſe. ἔγραφε δὲ οὔτε εἰς κάλλος ἀποτυπούμενος τὰ γράμματα, οὔτε εὐσήμως τὰς συλλαβὰς διαιρῶν, οὐδὲ τῆς ὀρθογραφίας φροντίζων, ἀλλὰ μόνου τοῦ νοῦ ἐχόμενος.

VARIOR.

Domos.] Poſito nempe O pro U, quod apud antiquos frequens, & in Pandectis Florentinis etiam ſæpe occurrit. In quibus etiam invenias, *domi meæ, de domu, domuum, domus meas.* l. 39. ff. de Aur. & arg. leg. l. 41. §. 4. l. 61. l. 65. ff. de Leg. 3. l. 92. §. 2. eod. l. 32. §. 2. ff. de uſu uſufr. & red. GOESIUS.

Non dividit verba, nec ab extrema parte verſuum abundantes litteras in alterum transfert: ſed ibidem ſtatim ſubjicit circumducitque.] Exemplo ex Auguſti epiſtola deprompto res clarior fiet: *Nos, mi Ti- Quinquatrus ſatis jucunde egimus. Luſimus (beri, enim per omnes dies, forumque aleatorium calfeci- Frater tuus magnis clamoribus rem geſſit*, &c. (*mus,*

Hæc

eorum ſequi potius opinionem, qui perinde ſcribendum ac loquamur, exiſtiment. Nam quod ſæpe non litteras modo, ſed ſyllabas aut permutat aut præterit, communis hominum error eſt. Nec ego id notarem, niſi mihi mirum videretur, tradidiſſe aliquos, legato eum conſulari ſucceſſorem dediſſe, ut rudi & indocto, cujus manu *ixi* pro *ipſi* ſcriptum animadverterit. Quoties autem per notas ſcribit, *b* pro *a*: *c* pro *b*, ac deinceps eadem ratione ſequentes litteras ponit, pro *z* autem duplex *aa* Ne Græcarum quidem 89
diſciplinarum leviore ſtudio tenebatur: in quibus & ipſis præſtabat largiter, magiſtro dicendi uſus Apollodoro Pergameno, quem jam grandem natu, Apolloniam quoque ſecum ab urbe juvenis adhuc eduxerat. Deinde etiam eruditione varia repletus, Sphæri, Arei

Hæc vera eſt Auguſti ſcriptura, quæ cum verbis Suetonii, & iis, quæ ex Acyrano monumento alibi producimus, omnino congruit. A conſuetudine enim vulgo in ſcribendo recepta, & nobis adhuc retenta, receſſit Auguſtus, ac contrariam plane viam ingreſſus eſt. Vulgo a fine verſus ad alterius initium abundantes litteras transferre mos erat. Ea diviſio immanis, & nimia & lectoribus moleſta viſa Auguſto, ac idcirco improbata eſt. Ipſe vero eiſdem illis litteris ſtatim ibidem in fine verſus ſequentis locum fecit, atque ita eas circumduxit, ut a reliquis non diviſæ aut avulſæ, ſed cum iis quam proxime cohærere viderentur. BOXHORNIUS.

TORRENT.

88. *Ixi pro ipſi.*] Atqui crediderim veteres vocem hanc *ipſi* mollius pronunciaſſe, ut *iſſi.* *x* autem littera duplex eſt, ac proinde ſic ſcribebat conſularis ille, ut loquebantur. Quare merito miratur Sueton. tradidiſſe aliquos Auguſtum inde offenſum fuiſſe.

Per notam.] Melius MSS. duo *per notas*, ut Cæſ. cap. LVI.

Apollodoro Pergameno.] Hunc Cæſaris Auguſti Apolloniæ præceptorem fuiſſe, præter Euſebium in Chronicis, auctor eſt etiam Quinctilian. initio lib. III. & Auguſti gratia claruiſſe eundem ſcribit Strabo lib. XIII. Ab hoc ſecta Apollodorea inter Rhetores initium ſumpſit. De Apollonia autem ante diximus cap. VIII.

CASAUBON.

Cujus manu ixi pro ipſi ſcriptum animadverterat.] Severe quidem Auguſtus: ſed tamen quid iſti in mentem venerat, ut *x* pro *pſ* ſcriberet? an fuit inſanus novitatis amor? nam ad Auguſti fere tempora ignorata *x* littera fuit, ſi fides Iſidoro: quod etſi merito ſuſpectum, tamen inter legitimas litteras Romanas a pleriſque tum non habitam certum eſt. Varro: *Litterarum partim ſunt & dicuntur, ut A & B. partim dicuntur, & non ſunt, ut H & X: partim ſunt neque dicuntur, ut* ϕ, ψ. Ideo, ut Victorinus ait, *Higidius in ſuis libris ea littera non eſt uſus, antiquitatem ſequens.* Et Auguſtus, ut hinc colligimus, eam gravatus eſt, præſertim tam alieno loco poſitam. Reperio & *ſc* pro *x* in quibuſdam dictionibus, ut apud Marcellum Empiricum, *aſcella* pro axilla cap. XVIII. In veteribus monumentis mirum quam ſæpe aut ex fabrili imperitia, aut prava vulgi conſuetudine & ſcribendi & pronuntiandi, litteræ hujus ſonus aſperior ſit factus adjectione ſibili. Scribunt enim *dixſerit*, *proxſumus*, *uxſor*, *exſigatur.* Simile eſt in antiquis libris *ſancxerit*, & id genus.

Quoties autem per notas ſcribit.] Ita membranæ, non ut male vulgatum ante, *per notam.* Dio: Ἐπέστελλε δὲ καὶ ἐκείνοις, καὶ τοῖς ἄλλοις τοῖς πάνυ φίλοις, ὁπότε τὶ δέοιτο δι᾽ ἀποῤῥήτων σφίσι δηλῶσαι, τὸ δεύτερον ἀεὶ στοιχεῖον τοῦ τῷ ῥήματι προσήκοντος ἀντ᾽ ἐκείνου ἀντεγγράφων.

Pro z autem duplex aa.] Male omnes libb. *pro x.* res ipſa arguit ultimam litteram intelligi: & ita recte ſcriptum in illa inſipida & inſulſa epiſtola, quam εὐήθως plane Iſidorus ut Auguſti ad Cajum profert libro I. capite XXIV.

89. *Magiſtro dicendi uſus Apollodro Pergameno.*] Quintilianus lib. III. *Apollodorus Pergamenus præceptor Apolloniæ Cæſaris Auguſti fuit.* plura de hoc Strabo.

Eruditione varia repletus Sphæri.] Hoc eſt, φιλολογίαν καὶ πολυμάθειαν ἀσκήσας, doctore Sphæro. Hoc vult Tranquillus, quod pauci obſervarunt: Auguſtum in eloquentia Græca uſum præceptore Apollodoro, in philologia Sphæro, in philoſophia Areo & filiis ejus. Appello φιλολογίαν hiſtoriæ & rerum antiquarum cognitionem litteraſque humaniores; quas qui tenent eruditi proprie vocantur, ut docet M. Tullius, Inde Suetonio φιλολογία, *eruditio varia* nuncupatur, ut hic: vel ἁπλῶς *eruditio.* Lib. IV. *E diſciplinis liberalibus minimum eruditioni, eloquentiæ plurimum attendit.* Sphærum hunc eumſe eſſe, quem Dio Octavii libertum & pædagogum nominat, quemque ab eo publico funere elatum notat lib. XLVIII. non dubitandum.

VARIOR.

89. *Eruditione varia repletus Sphæri.*] Legendum ex veſtigiis veteris codicis, *eruditione varia repletus, ut Arei philoſophi, filiorumque ejus Dionyſii & Nicanoris contubernium.* Nam membranæ non habent, *iniit.* Et Sphærus ille philoſophus nihil ad Auguſtum. SALMAS.

TOR-

Arei philoſophi, filiorumque ejus Dionyſii & Nicanoris contubernium iniit: non tamen ut aut loqueretur expedite, aut componere aliquid auderet. Nam & ſi quid res exigeret, Latine formabat, vertendumque alii dabat. Sed plane poematum quoque non imperitus, delectabatur etiam comœdia veteri, & ſæpe eam exhibuit publicis ſpectaculis. In evolvendis utriuſque linguæ auctoribus, nihil æque ſectabatur quam præcepta & exempla publice vel privatim ſalubria: eaque ad verbum excerpta, aut ad domeſticos, aut ad exercituum provinciarumque rectores, aut ad urbis magiſtratus plerumque mittebat: prout quique monitione indigerent. Etiam libros totos & ſenatui recitavit, & populo notos per edictum ſæpe fecit: ut orationes Q. Metelli *De prole augenda*, & Rutilii *De*

TORRENT.

Sperarei philoſophi.] Sic MSS. omnes, aut *Sperarci*. Sabellicus *Aræi* legit, quod Quinctilian. ubi de Apollodoro ſcribit, etiam Aræi meminerit. Verum is rhetor fuit. Alterius vero Arei, ſive Arii, philoſophi, cujus amicitiæ Cæſar Auguſtus Alexandriam ingreſſus multorum civium & vitam & bona condonarat, celebrem mentionem facit Plutarch. Politicis, & in vita Antonii, Dion quoque lib. LI. & Seneca lib. de Clementia. Addit Dion, Auguſtum olim ejus in philoſophia opera & converſatione uſum fuiſſe, eundemque hoc nomine commendat iterum una cum Athenodoro lib LII. Et fortaſſis is ipſe eſt, cui opus ſuum tunc florens Dioſcorides dedicavit. Sed & Sphærum, Auguſti libertum, eundemque pædagogum, quem defunctum publico extulit funere, idem Dion commemorat lib. XLVIII. Quæ cum ita ſint, nihil equidem dubito, quin hunc Suetonii locum ſic reſtituam, *eruditione varia repletus, Sphæri, Arei philoſophi, filiorumque ejus, Dionyſii & Nicanoris, contubernium iniit. Contubernium ejus iniiſſe* dicit, quem perpetuum ſibi comitem aſſumpſit Auguſtus, ſecretorum omnium conſcium. ſic enim de Areo Seneca Conſolatione ad Marciam cap. IV. Sphæri quidem philoſophi, bene in primis definientis, meminit Cicero Tuſcul. IV. verum is, patria Boryſthenites, de repub. Laconica libros ſcripſit, & Cleonem inſtituit. Auctor Plutarch. Quare ad Auguſti tempora referri nequit.

Comœdia veteri.] Cujus principes Horat. uno verſu complexus eſt: *Eupolis, atque Cratinus, Ariſtophaneſque poetæ.* Vide Quinctilianum lib. X.

Orationes Q. Metelli.] De his cap. XXXIV.

CASAUBON.

Arei philoſophi, filiorumque ejus Dionyſii & Nicanoris contubernium iniit.] In quibuſdam libb. *contubernio* ſine voce *iniit:* quam nec codd. Liſlæi, Pithoei, & Urſini agnoſcunt. exſtat tamen in Viterb. & pleriſque aliis: ſed inſolens merito videatur genus loquendi, *contubernium alicujus inire*, pro adſciſcere in ſuum contubernium, vel contubernio ſuo admovere: nam ita potius dicendum erat, ut lib. III. *Thraſyllum ut ſapientiæ profeſſorem contubernio admoverat.* Auguſti & Arei amicitiam & συμβίωσιν celebrant plurimi ſcriptores, Strabo, Seneca, Plutarchus, Dio, Themiſtius, & Julianus, cum in Cæſaribus, tum in epiſtola ad Alexandrinos.

Si quid res exigeret.] Ut cum Alexandriæ Græcam orationem habuit, cujus Dio meminit lib. LI.

Eaque ad verbum excerpta, aut ad dom.] Hæc fuit olim conſuetudo virorum magnorum, qui in rebus agendis ea exercebant, quæ prius in umbra & otio legerant & didicerant. Polybius Romæ Demetrium Seleuci F. fugam ex urbe meditantem, atque in ipſo rei articulo ceſſantem increpiturus, mittit illi pittacium, in quo ad verbum hæ gnomæ erant deſcriptæ, nihil amplius:

Ὁ δρῶν τὰ τοῦ μέλλοντος οἴχεται φέρων
Εἰς ὃ φέρει νύξ. τοῖς δὲ τολμῶσι τὶ πλέον.

Τόλμα τὶ, κινδύνευ᾽, ἀποτύγχανε,
Ἐπίτυχε, πάντα μᾶλλον ἢ σαυτὸν πρόου.

Νῆφε καὶ μέμνησ᾽ ἀπιστεῖν· ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν.

Prorſus ad hoc exemplum erant Auguſti libelli. At eruditiſſimus ille vir, qui fragmenta Polybii edidit, verſus hos eſſe non videtur attendiſſe: qui etiam in eo peccat vehementer, quod πιττάκιον germaniſſimam vocem Polybii, ter in πινάκιον vertit: nam hujuſmodi tabellas, qualis hæc Polybii, & Auguſti quas Tranquillus commemorat, Græci πιττάκια vocant: eſtque ea vox non infrequens in libris prudentum, & aliorum ſcriptorum Græcorum ac Latinorum. Petronius Arbiter: *Statim allatæ ſunt amphoræ vitreæ diligenter gypſatæ, quorum in cervicibus pittacia erant affixa cum hoc titulo:* FALERNUM OPIMIANUM ANNORUM CENTUM. Pittaciis, de quibus loquitur Polybius, ſimiles erant illæ, e philyra tabellæ, quarum in voce Μάρκελλος Suidas meminit.

C. Metelli de prole augenda.] Præter A. Gellium, Florus in epitome Livii lib. LIX. *C. Metellus cenſor cenſuit, ut ducere uxores omnes omnino cogerentur liberorum creandorum cauſſa. exſtat oratio ejus: quam Auguſtus Cæſar, cum de maritandis ordinibus ageret, velut eo tempore ſcriptam, in ſenatu recitavit.* Fuit cenſor anno U. C. DCXXIII.

De modo ædificiorum: quo magis perſuaderet, utramque rem non a ſe primo animadverſam, ſed antiquis jam tunc curæ fuiſſe. Ingenia ſeculi ſui omnibus modis fovit. Recitantes & benigne & patienter audivit: nec tantum carmina & hiſtorias, ſed & orationes & dialogos. Componi tamen aliquid de ſe, niſi & ſerio, & a præſtantiſſimis, offen-

TORRENT.

Rutilii de modo ædificiorum.] Beroaldus Rutilium de architectura ſcripſiſſe exiſtimat, adducens Martialis verſum, *Famæ Rutilium ſuæ relinquat.* Atqui ut hoc verum ſit, nihil ad rem. Veriſimile eſt P. Rutilium Rufum, toties a Cicerone laudatum, cum homo doctus ac philoſophiæ deditus fuerit, atque idem exemplum innocentiæ, quo nemo integrior eſſet in civitate, neque ſanctior, (hæc enim omnia de illo Cicero libro I. de Oratore) aut ſcripſiſſe, aut etiam habuiſſe ſive in ſenatu ſive ad populum, orationem de Modo Ædificiorum, quo luxus inhiberetur & incendiis obviam iretur. Idem, ut multæ erat operæ multæque induſtriæ, etiam tractandorum armorum meditationem militibus primus tradidit. ſic enim Val. Max. lib. II. cap. III. Auguſtus igitur Q. Metelli, & P. Rutilii orationibus fretus, & conjugia ſuaſit, & ædificiis modum impoſuit. De conjugiis ante dictum. De ædificiis probat Strabo lib. V. conſtitutum ab eo referens, ne ædes altius pedes LXX. tollere liceret. Trajanus poſtea, ſi Sex. Aurelio credimus, ad pedes LX. reduxit. Addam Ulpianum l. I. De operis novi nunciatione. ſcribit enim, ſi quid contra leges edictave Principum, quæ ad modum ædificiorum facta ſunt, fiat, novum opus nunciari poſſe. Adde & Plinium lib. XXXV. cap. XIV.

CASAUBON.

Rutilii de modo ædificiorum.] De Rutilio nihil ad ea, quæ diligenter annotarunt Jacobus Cujacius in ſecundo Obſervationum, & Tortentius, poſſumus addere: nam omnino quod certum ſit, eruere nihil queas. Solitas vero etiam de hujuſmodi rebus haberi ad populum conciones, indicat locus Frontini de Aquæductibus: *Ac de vitiis ejuſmodi,* inquit, *nec plura nec meliora dici poſſunt, quam a Cælio Rufo dicta ſunt in ea concione, cui titulus eſt de Aquis.* Videntur & Catonis Cenſorii pleræque orationes, quarum præter indices nihil fere ſupereſt, non diſſimilis argumenti fuiſſe. Porro legis hujus de modis ædificiorum neceſſitatem, nemo melius exprimit Ariſtide Sophiſta, oratione εἰς Ῥώμην, cujus verba libet apponere: Καὶ ὥσπερ τις ἀνὴρ πολὺ νικῶν τοὺς ἄλλους μεγέθει τε καὶ ῥώμῃ, οὐκ ἀγαπᾷ μὴ καὶ ἄλλους ὑπὲρ αὐτῶν ἀράμενος φέρειν. ὧδε καὶ ἥδε ἐπὶ τοσαύτης τῆς γῆς ᾠκισμένη οὐκ ἀγαπᾷ, ἀλλ᾽ ἑτέρας ἰσομετρήτους ὑπὲρ αὐτὴν ἀραμένη, φέρει ἄλλας ἐπ᾽ ἄλλαις. ὡς ἄρα ἐπώνυμον αὐτῇ τ᾽ οὔνομα, καὶ οὐδὲν ἀλλ᾽ ἢ ῥώμη τὰ τῇδε. ὥστ᾽ εἴ τις αὐτὴν ἐθελήσειε καθαρῶς ἀναπτύξαι, καὶ τὰς νῦν μετεώρους πόλεις ἐπὶ γῆς ἐρείσας θεῖναι ἄλλην παρ᾽ ἄλλην, ὅσον νῦν Ἰταλίας διάλοιπόν ἐστιν, ἀναπληρωθῆναι τοῦτο πᾶν ἂν μὴ δοκεῖ, καὶ γενέσθαι πόλις συνεχὴς μία ἐπὶ τὸν Ἰόνων τείνουσα. Quæ verba propter ſummam elegantiam verterem Latine, niſi id doctiſſimus vir Guilelmus Canterus, cui vitam ille auctor debet, jam feciſſet pari fide atque elegantia. ejus interpretationem tironum cauſſa ſubjicere non pigebit: *Sicut vir aliquis qui cæteris magnitudine ac robore multum præſtet, alios quoque in ſe ſublatos ferre gaudeat: eodem modo & hæc, cum tantum terræ ſpatium contineat, non tamen quieſcit, antequam & alias æquales ſibi ſuperimpoſitas urbes, alteram ſuper alteram ferat, ut ejus fert nominis ratio: totumque, quod hic videmus, robur eſt. Quocirca ſi quis eam diligenter vellet evolvere, & quæ nunc in ſublimi ſunt urbes, humi juxta ſe invicem deponere, exiſtimarem fore, ut omnis Italiæ reliqua pars compleretur, atque una urbs ad Jonium uſque mare continua protenderetur.*

Sed & orationes & dialogos.] Orationes recitari quibuſdam olim non probatum, ut docet Plinius epiſtola XVII. libri VII. Poematum potius & hiſtoriarum ſolebant τὰς ἀναγνώσεις ποιεῖσθαι, quemadmodum Athenæus alicubi loquitur. ideo auctor φιληκοΐαν Auguſti notandam duxit: qui etiam orationum & dialogorum recitationibus intereſſet.

Niſi & ſerio & a præſtantiſſimo, offendebatur.] Norat hunc animum Cæſaris Ovidius, cum caneret:

Denique Cæſareo, quod non deſiderat ipſe,
Non caret e noſtris ullus honore liber.

Idem poeta alibi factum ſuum defendit, quaſi excuſatione opus eſſet, quod toties Auguſti laudes attingeret:

Ipſe pater patriæ (quid enim civilius illo?)
Suſtinet in noſtro carmine ſæpe legi.
Nec prohibere poteſt: quia res eſt publica Cæſar,
Et de communi pars quoque noſtra bono eſt.
Jupiter ingeniis præbet ſua numina vatum,
Seque celebrari quolibet ore ſinit.

Quare hæc dicat poeta, nemo ſatis intelligit, qui horum Suetonii verborum non ſit memor. poteſt eodem referri & illud Horatii in epiſtola ad Auguſtum:

- - - Sed neque parvum
Carmen majeſtas recipit tua, nec meus audet
Rem tentare pudor, quam vires ferre recuſent.

TOR-

offendebatur: admonebatque Prætores, ne paterentur nomen ſuum commiſſionibus
90 obſoleſieri. Circa religiones talem accepimus. Tonitrua & fulgura paullo infirmius
expaveſcebat: ut ſemper & ubique pellem vituli marini circumferret, pro remedio:
atque ad omnem majoris tempeſtatis ſuſpicionem, in abditum & concameratum locum
ſe reciperet: conſternatus olim per nocturnum iter tranſcurſu fulguris, ut ſupra dixi-
91 mus. Somnia neque ſua, neque aliena de ſe, negligebat. Philippenſi acie quamvis
ſtatuiſſet

TORRENT.

Nomen ſuum commiſſionibus obſoleſieri.] *Committere* eſt duos, pluresve in certamen conjicere. Nec ſolum de athletis, aut gladiatoribus, ſed de mimis etiam, oratoribuſque, ac poetis dicitur. Sueton. ſup. cap. XLV. *committere cum Græcis.* Virgil. Æneid. V.

Et tuba commiſſos medio canit aggere ludos.

Et eleganti tralatione Catullus Epithalamio:

Quare nunc animos ſaltem committite veſtros.

Nec minus eleganter Veget. lib. II. cap. VII. *Tubicines, cornicineſque & buccinatores committere prælium* dixit, hoc eſt:

Ære ciere viros, Martemque accendere cantu.

Et nove quidem, ſed venuſte Ulpian. l. I. Si quadrupes pauperiem fec. dicatur, *Cum arietes, vel boves commiſiſſent*, abſolute, pro concertaſſent. Hinc ergo *commiſſiones* apud Plinium lib. VII. Epiſt. & Macrobium lib. II. cap. VII. ac Suetonium hic. monitos enim ab Auguſto prætores ſcribit, ne ſuper iis quæ ad ipſum pertinerent, poetæ temere committerentur. Simile verbum *componere.* Unde *compoſitiones gladiatorum* apud Ciceronem lib. II. epiſt. ad Cœlium. De recitationibus vero infr. Claud. cap. XLI.

90. *Pellem vituli marini.*] Idem de Severo tradit Spartian. Tiberius vero, & ipſe tonitrua præter modum expaveſcens, lauream pro remedio cervice geſtabat. Rationem adfert Plin. lib. II. cap. LV. quod neque lauri fruticem, neque id ſolum animal ex omnibus marinis fulmen attingit.

Abditum & concameratum locum.] Duo codd. *concavernatum.* Verbum quidem inſolens, ſed non indignum Suetonio, & rei de qua agit aptiſſimum. ſic enim de fulmine Plin. lib. II. cap. LV. *Neque unquam quinque altius pedibus deſcendit in terram. Ideo pavidi altiores ſpecus tutiſſimos putant.*

Ut ſupra diximus.] Liber opt. *ut prædiximus*, cap. 29.

CASAUBON.

Nomen ſuum commiſſionibus obſoleſieri.] *Commiſſiones* ſunt, quas Græci dicunt δείξεις, ἐπιδείξεις, vel ἀγῶνας. Tertullianus adverſus Gnoſticos: *Ita ab ævo digniſſimum creditum eſt ſtudiorum experimentum; committere artes, corporum & vocum præſtantiam expendere, præmio indice, ſpectaculo judice, ſententia voluptate.* Juvenalis:

Securus licet Æneam Rutulumque ferocem
Committas.

Auctor antiquus, qui ſcripſit vitam ejus poetæ, qui fortaſſe Suetonius ipſe eſt: *Et tamen diu ne modico quidem auditorio quicquam committere eſt auſus: mox magna frequentia magnoque ſucceſſu bis ac ter auditus eſt.* committebant autem vel in loco privato, hoc eſt, in auditorio, lib. V. *Cum primum frequenti auditorio commiſiſſet, ægre perlegit.* vel in loco publico, puta odeo, theatro, amphitheatro, baſilicarum aliqua, vel Atrio libertatis, & ſimilibus locis. De his commiſſionibus loquitur Tranquillus, maxime de iis, quæ in theatro vel amphitheatro: nam hæ ſunt, quæ pertinuerunt ad curam prætoris, qui ludis præerat. Obſervandum eſt, commiſſiones opponi a Suetonio ſeriis ſcriptis. Sic prorſus in Plinii Panegyrico commiſſionibus *ſeria carmina* opponuntur. Locum vide: eſt enim iſti par & geminus. Nam qui legunt apud Plinium *comeſſationibus*, falli eos nullus dubito.

90. *Circa religiones talem accepimus.*] Religio Latinis dicitur & θρησκεία, ſive pietas, & δεισιδαιμονία, ſive meticuloſa obſervatio eorum, quæ a diis prædici videbantur. De Auguſti pietate erga deos indicavit ſupra, cum de ejus pontificatu ſcriberet. nunc de ejuſdem δεισιδαιμονίᾳ, ſive ſuperſtitione agit.

Ut ſemper & ubique pellem vituli marini circumferret.] Magicæ hujus vanitatis & perſuaſionis ineptæ, quæ olim mentes omnium tenuit, teſtes præter Plinium & Spartianum in Severo, Plutarchus Sympoſiac. libro V. problemat. IX. ubi eadem vis ineſſe & ficis traditur. Geoponiorum auctor libro I. cap. de Grandine, & in ſimillimo argumento Palladius lib. I. cap. XXXV.

Somnia neque ſua neque aliena de ſe, negligebat.] Οὐκ ἀπεγίγνωσκε. Hippocrates de ſe, οὐκ ἀπογιγνώσκω τὰ ὀνείρατα. ſed ille de ſuis loquitur: Auguſtus etiam aliena de ſe curabat. Sic olim ſolitum fieri ab hominibus ſuperſtitioſis: non enim tantum ad ſua ſomnia attendebant, ſed etiam aliena de ſe. Ex ea ſuperſtitione ortus mos, ut qui de re publica aliquid ſomniaſſent, id ſuſque deque non haberent, ſed notum omnibus facerent, vel præconis voce, vel propoſito pittacio, quo id contineretur. Artemidorus lib. I. cap. II. Ἀλλά φησιν ὅτι ἤδε τινὲς ἰδιῶται

Ll 2 καὶ

ſtatuiſſet non egredi tabernaculo, propter valetudinem; egreſſus eſt tamen amici ſomnio monitus: ceſſitque res proſpere, quando captis caſtris, lectica ejus, quaſi ibi cubans remanſiſſet, concurſu hoſtium confoſſa atque lacerata eſt. Ipſe per omne ver, plurima, & formidoloſiſſima, & vana, & irrita videbat: reliquo tempore rariora, & minus vana. Cum dedicatam in Capitolio ædem Tonanti Jovi aſſidue frequentaret, ſomniavit queri Capitolinum Jovem, cultores ſibi abduci: ſeque reſpondiſſe, Tonantem pro janitore ei appoſitum: ideoque mox tintinnabulis faſtigium ædis redimivit, quod ea fere januis dependebant. Ex nocturno viſu etiam ſtipem quotannis die certo emendicabat

καὶ πένητες εἶδον ὀνείρους δημοσίους, οὓς προκηρύξαντες, ἢ γράψαντες καὶ προθέντες ἐπιστεύθησαν, τῷ τὰς ἀποβάσεις ἐοικέναι τοῖς ὀνείροις. Meminit & Apollonius in Admirandis hiſtoriis, ejus moris, niſi fallit memoria.

VARIOR.

90. *Circa religiones.*] Cod. Salmaſ. *religionis*, & ita ſemper.

TORRENT.

61. *Medici ſomnio monitus.*] Sic Dion, ſic Vellejus, ſic Valer. Maximus. Medicum etiam Artorium vocant, quo tunc Auguſtus utebatur. Omnes tamen lib. MSS. *amici* legunt. At contra Cæſ. cap. IV. pro *amico*, *medico* legitur. Potuit autem hic Artorius honoris cauſa, quanquam medicus eſſet, in amicorum cohorte cenſeri, ne ab aliis quos dixi, Plutarch. diſſentiat. is enim amicum vocat. Huc etiam ſpectat quod Auguſtum ſomnio monitum Epheſiis reſtituiſſe Apollinem, ab Antonio ſublatum, narrat Plin. lib. XXXIV. cap. 8.

Formidoloſiſſima.] Melius in MS. *formidoloſa.*

Januis dependebant.] Ut eorum nempe ſonitu janitores, qui catenis vincti januas ſervabant, excitarentur. Vide Dionem.

CASAUBON.

Amici ſomnio monitus.] Satis ad librum primum eorum retudimus audaciam, qui hoc loco invitis omnibus libris *medici* pro *amici* παρεδιόρθωσαν. Appianus Ἐμφυλ. lib. IV. ex ipſis Auguſti commentariis De vita ſua obſcurius narrat: quare ex aliis hiſtoricis lux facienda.

Et formidoloſiſſima.] Ἀλλόκοτα καὶ δεινά, & ut vocat Hippocrates ἀλλόμορφα. ea ſunt ſomnia naturalia quidem: ſed quæ exhibeant rerum ſpecies falſas & οὐκ οὔσας, ac proinde terribiles.

Tintinnabulis faſtigium ejus redimivit.] Dio ſimpliciter κώδωνα αὐτῷ περιῆψε. nempe Jovi Capitolino. Sed puto legendum κώδωνας. nempe oculis ſubjiciunt veteres nummi, qui hodieque exſtant & a doctis viris ſunt expreſſi.

Quod ea fere januis dependebant.] In ædibus magnatum amplis & ſpatioſis uſus tintinnabulorum fuit. Dio ait illis uſos τοὺς τὰς συνοικίας νύκτωρ φυλάττοντας, hoc eſt, cuſtodes inſularum & vaſtarum ædium, quas habuere Romani proceres. Gloſſarium: *Inſula*, νῆσος, συνοικία. ſed & ad alia utebantur. Lucianus de Mercede conductis indicat, ita familiæ ſignum dari ſolitum ad evigilandum: Ἔωθέν τε ὑπὸ κώδωνι ἐξαναστὰς ἀποσεισάμενος τοῦ ὕπνου τὸ ἥδιστον συμπεριθεὶς ἄνω καὶ κάτω. Ibidem aliquanto poſt: Ἔτι αὐτοῦ ταῦτα διαλογιζομένου, ὁ κώδων ἤχησε, καὶ χρὴ τῶν ὁμοίων ἔχεσθαι καὶ περινοστεῖν. De hoc ſigno, vel tuba, qua etiam utebantur, Seneca epiſtola XCV. *Tranſeo piſtorum turbam, tranſeo miniſtratorum, per quos ſigno dato ad inferendam cœnam diſcurritur.* Idem de Brevitate vitæ: *Quanta celeritate ſigno dato glabri ad miniſteria decurrunt.*

Ex nocturno viſu etiam ſtipem quotannis die certo emendicabat.] Dio notat lib. LI. extremo. cave confundas cum ea ſtipe, quam ſtrenæ nomine ſolitam eidem conferri ante dictum.

VARIOR.

Stipem quotannis.] Hinc veteribus inſcriptionibus in ſacra via Romæ repertis eſt:

IMP. CÆSAR. DIVI. F. AUGUSTUS
PONTIFEX. MAXIMUS.
IMP. XIII. COS. XI. TRIB. POTEST. XV.
EX STIPE. QUAM. POPULUS. ROMANUS.
ANNO. NOVO. ABSENTI. CONTULIT.
NERONE. CLAUDIO. DRUSO. COS.
T. QUINCTIO. CRISPINO.
VOLCANO.

Item in Fragmento:

. . . .

EX. STIPE. QUAM. POP. . . .
KALENDIS. JANUAR. . . .
C. MARCIO. CENSORINO COS.
C. ASINIO. GALLO.
. . . . . .

Item

LARIBUS. PUBLICIS. SACRUM.
IMP. CÆSAR. DIVI. F. AUGUSTUS.
PONTIFEX. MAXIMUS.
TRIBUNIC. POTESTAT. XVIII.
EX. STIPE. QUAM. POPULUS. EI.
CONTULIT. K. JANUAR. APSENTI.
C. CALVISIO. SABINO. L. PASSIENO. RUFO. COS.

F. URSINUS.

TOR-

92 dicabat a populo, cavam manum aſſes porrigentibus præbens. Auſpicia quædam & omina pro certiſſimis obſervabat. Si mane ſibi calceus perperam ac ſiniſter pro dextero, induceretur, ut dirum: ſi terra marive ingrediente ſe longinquam profectionem, forte roraſſet, ut lætum, maturique & proſperi reditus. Sed & oſtentis præcipue movebatur. Enatam inter juncturas lapidum ante domum ſuam palmam in compluvium deorum Penatium

TORRENT.

92. *Si mane ſibi calceus.*] Plin. lib. XI. cap. VII. *Auguſtus lævum prodidit ſibi calceum inductum præpoſtere, quo die ſeditione militari prope afflictus eſt.* *Inducere* igitur *calceum* Auguſti verbum eſt, ex his, ut arbitror, libris quos de vita ſua ſcripſit, quo etiam Sueton. hic utitur.

Sed & oſtentis.] Tres libri: *Sed oſtentis*, ſine &.

In compluvium deorum penatium.] Quid Penatibus cum compluvio? Feſtus, *Herceus* (inquit) *Jupiter intra conſeptum domus cujuſque, quem etiam Deum penetralem appellabant.* Cum quo convenit Dionyſ. lib. I. Antiq. Rom. Penates a quibuſdam Herceos nominari tradens. Jovi autem Herceo impluvium conſecrabant. Ad cujus aram Priamum interfectum fuiſſe, a nonnullis traditur.

CASAUBON.

Cavam manum aſſes porrigentibus præbens.] Geſtu plane & more mendicorum: ita enim oportuit ad exorandam Nemeſin. Eam deam formidabant, ut comitem perpetuam rerum lætarum καὶ ὑπερόγκων: quare ut ejus tela effugerent, ipſi ſibi propriæ felicitatis quaſi cumulum diruebant. Multa Plutarchus de hac veterum opinione philoſophatur, & in Camillo, & in Æmilio Paulo, & in Apophtegmat. & alibi. Propterea quæ ſupra modum læta erant, ea rerum triſtiſſimarum mentione temperabant. Sic triumphantibus a tergo adſtabat in eodem curru ſervus publicus, qui coronam illam auream immenſi ponderis & amplitudinis ſuſtinebat, & ſimul attendere triumphantem ad ultimi ſupplicii inſtrumenta currui appenſa jubebat. Illa erant tintinnabulum & flagellum. Ἐνδεικτικὰ, inquit Zonaras, τοῦ καὶ δυστυχῆσαι αὐτὸν δύνασθαι, ὥστε καὶ αἰκισθῆναι, ἢ καὶ δικαιωθῆναι θανεῖν, Id quod Horatio illi, qui Curiatios occidit, evenit. Et fortaſſe dedit is caſus originem iſti conſuetudini. Tangit hunc morem & Tertullianus Apologetici cap. XXXIII. Nota ſunt, quæ de Epaminonda victore narrantur non ſolum ab hiſtoricis, verum etiam ab Iſidoro Peluſiota epiſtola LXXIV. Non alia ratio eſt, cur Auguſtus Urbis & Orbis dominus mendici perſonam ſemel in anno aſſumeret. Sic enim θεῶν νέμεσιν, & ut loquuntur veteres, deum invidiam ſe evitaturum ſperabat. Ideo notat Suetonius de cava manu. Ita manum componere proprium eſt ſtipem emendicantium: quo verbo etiam Suetonius utitur, item Dio, ὡς καὶ προσαιτῶν. Balſamo in Photii Nomocanonem: Τοῦ αἰτοῦντος καὶ λαμβάνοντος ἐγγὺς ἵσταται ὁ Χριστὸς, συγκοιλαίνων τούτῳ τὴν χεῖρα. hominibus liberis & honeſtis cavare manum etiam, cum aliquid acciperent, probro vertebatur. Eucrates vetus comicus in Antilaide loquens de Laide anu & omnibus ſpreta:

Οὕτω δὲ τιθασσὸς γέγον', ὥστ', ὦ φίλτατε,
Τ' ἀργύριον ἐκ τῆς χειρὸς ἤδη λαμβάνει.

Sententiam pluribus ibi declaravimus. Ammianus Marcell. lib. XVI. *Inductis quadam ſolennitate Agentibus in rebus in conſiſtorium, ut aurum acciperent, inter alios quidam ex eorum conſortio non, ut moris eſt, expanſa chlamyde, ſed utraque manu cavata ſuſcepit; & Imperator, Rapere, inquit, non accipere ſciunt Agentes in rebus.* Hinc eſt quod Ruffini præfecti prætorio Orientis ſub Honorio manus poſt ejus cædem per novam Romam ita formata ludibrii cauſſa eſt circumlata. Hiſtoria exſtat apud Hieronymum & Zoſimum. ſed quod diximus de cavata manu, unus exprimit Claudianus in ejus cæde:

Dextera quin etiam ludo conceſſa vagatur
Æra petens, pœnaſque animi perſolvit avari
Terribili lucro, vivoſque imitata retentus
Cogitur adductis digitos inflectere nervis.

Elegantiſſime poeta *cavam manum*, quam Græci κυλλὴν χεῖρα vocant, circumloquitur. Simul oſtendit, avaro & αἰσχροκερδεῖ ſolitam objici cavam manum: quod Græci dicere ſolent ὑπέχειν τὴν χεῖρα τῷ λήμματι. Libanius progymnaſmate contra proditorem: Πρατὴρ ὑπέμεινας γενέσθαι τῶν τιμιωτάτων, ὑπέσχες τὴν χεῖρα τῷ λήμματι. & de avaritia Athenienſium exſtat proverbiale dictum Græcorum: Τὴν χεῖρ' ὑπίσχει καὶ ἀποθνήσκων Ἀττικός. *Athenienſis vel moriens cavat manum.* Seneca Naturalium lib. IV. *In tanto avaritiæ certamine nunquam ſuppoſitam manum lucro.* Vide Suetonium in Veſpaſiano, cap. XXIII. Explicavimus pluribus cauſſam hujus mendicationis Auguſti cava manu factæ: qua non intellecta vix eſt, ut quiſquam facile in animum inducat rem factam fuiſſe: cum tamen Suetonius hoc narret, ut certum & indubitatum. Neque videtur aliam ob cauſſam Dio ſic hanc hiſtoriam narraſſe quaſi fide caſſam, quam quod cauſam ejus facti ignoraret, mutatis, ut fit, tractu temporis moribus.

92. *In compluvium deorum penatium tranſtulit.*] Penatium & Larium ſedes in privatis ædibus non una. colebantur maxime in foco. Plautus:

natium tranſtulit: utque coaleſceret, magnopere curavit. Apud inſulam Capreas, veterrimæ ilicis demiſſos jam ad terram languenteſque ramos convaluiſſe adventu ſuo, adeo lætatus eſt, ut eas cum republica Neapolitanorum permutaverit, Ænaria data. Obſervabat & dies quoſdam, ne aut poſtridie nundinas quoquam proficiſceretur: aut Nonis quidchoanda diem cavere atrum, eligere album & fauſtum. Exemplum notatum Appiano lib. v. ſuper die, qua claſſem ſolvit contra Sex. Pompejum.

Hæc imponentur in foco noſtro lari. Valerius Maximus lib. II. *Valeſius aquam calidam iis a foco petens, genibus nixus lares familiares, ut puerorum periculum in ipſius caput transferrent, oravit.* Item in cubiculo, Suetonius Domitiano: *Puer qui curæ larium cubiculi ex conſuetudine aſſiſtens adfuit cædi.* Sæpe in aliqua parte atrii: puta in compluvio (quod videtur idem eſſe atque impluvium apud Vitruvium libro VI. cap. IV.) ut hic: vel in porticu compluvio adjuncta. Petronius: *Notavi etiam in porticu gregem curſorum cum magiſtro ſe exercentem. Præterea grande armarium in angulo vidi, in cujus ædicula erant lares argentei poſiti.* Locus Feſti de Jovis Hercei ara, quem huc interpretes afferunt, nihil ad rem facit: neque item, quæ de eadem ara notat Athenæus lib. V.

TORRENT.

Cum repub. Neapolitanorum.] Aliquid hac de re Dion extremo lib. LII. & plura Strabo lib. V.

Poſtridie nundinas.] Recte Pulmannus. ſic enim & noſtri MSS. omnes, & qui in Gallia editi ſunt. Primus Beroaldus *nonas fecit*, quanquam & *nundinas* admittit, & explicare conatur, ſed non nimis feliciter. Turneb. Adverſar. XXIV. cap. 15. δυσφημίαν ominis in verbo *poſtridie* conſtituit, quod poſtridie omnia ſera & intempeſtiva ſunt. Quare & poſtridiani Calend. Id. & Nonarum dies inominati habentur. Atqui ſi hoc reſpexit Auguſtus, nullo horum dierum proficiſci quoquam debuit. Mallem igitur in re ipſa, atque in verbo *nundinas* omen conſtituere, quod cum fere proficiſcantur homines, ut ipſis nundinis interſint, qui poſtridie iter inſtituat, præpoſtere agere, ac veluti poſt bellum machinas parare videatur.

Aut nonis quicquam rei ſeriæ inchoaret.] Libri duo opt. *inchoaret.* Nonis vero aliquid aggredi inominatum eſſe, vox ipſa per ſe ſatis oſtendit, nempe quæ te non ire, eoque quo velis pertendere haud poſſe admoneat. Simile illi, quod de eo, qui Cauneas venales clamabat, refert Plin. lib. XVI. cap. IX. Cauneas, cave ne eas.

CASAUBON.

Obſervabat & dies quoſdam.] Intellige de diebus, quos peculiari ſuperſtitione obſervavit Auguſtus: nam alioquin commune hoc illi cum cæteris fuit, τὸ αἱρεῖσθαι τὰς ἡμέρας & in omni re majoris momenti inchoanda diem cavere atrum, eligere album & fauſtum. Exemplum notatum Appiano lib. v. ſuper die, qua claſſem ſolvit contra Sex. Pompejum.

Ne aut poſtridie Nundinas quoquam proficiſceretur.] Dies cujuſque menſis dividebant Romani bifariam: erant Nonæ, Idus, Kalendæ. erant præterea nundinæ, ut in noſtro menſe hebdomades. Obſervatum autem eſt publico more, ut dies poſtridie Nonas, Idus, Kalendas, atri haberentur, ἀνέξοδοι καὶ ἀνεκδήμητοι. quod docent nos præter veteres Grammaticos Ovidius, Livius, Plutarchus, alii. Auguſti vero propria ſuperſtitio fuit, ut etiam poſtridie nundinas diem haberet infauſtum & inominatum. Quare? fortaſſe ab eventu, quia aliquoties erat expertus res poſtridie nundinas inceptas non vertiſſe bene: vel ad imitationem ſuperioris obſervationis hoc ab eo excogitatum, ut eſt ſuperſtitio ingenioſa & ſolers. Nam & pertinet eodem, quod poſt Latinas ferias duos dies obſervabant ut religioſos & rebus inchoandis infauſtos. M. Tullius ad Q. fratrem: *De noſtra Tullia tui mehercule amantiſſima, ſpero cum Craſſipede nos confeciſſe. Dies erant duo, qui poſt Latinas habentur religioſi. cæteroqui confectum erat.* Meminit B. Ambroſius hujuſmodi obſervationum explicans Pauli verba ad Galatas cap. IV. ἡμέρας παρατηρεῖσθαι καὶ μῆνας, καὶ καιροὺς καὶ ἐνιαυτούς. *Dies*, inquit, *obſervant, qui dicunt: ut puta, Craſtino proficiſcendum non eſt: poſt craſtinum enim non debet aliquid inchoari.* Mox: *Tempus vero ſic obſervant, cum dicunt: Hodie veris initium eſt, feſtivitas eſt. poſt cras Vulcanalia ſunt. & talia iterum ajunt: Poſterum eſt, domum egredi non licet.* Manifeſte poſtremis verbis talem aliquam αἰσίωσιν καὶ εὐλάβειαν notat, qualis ea eſt, quæ hic Auguſto tribuitur. Videtur autem & nundinarum dies parum utilis rebus inchoandis habitus. Ideo quoties in Kalendas Januarias incidebant, intercalatione extra ordinem συνέμπτωσιν illam pontifices declinabant. Dio lib. XLVIII. Καὶ ἡμέρα ἐμβόλιμος παρὰ τὰ καθεστηκότα ἐνεβλήθη, ἵνα μὴ ἡ νουμηνία τοῦ ἐχομένου ἔτους τὴν ἀγορὰν τὴν διὰ τῶν ἐννέα ἡμερῶν ἀγομένην λάβῃ· ὅπερ τοῦ πάνυ ἀρχαίου σφόδρα ἐφυλάσσετο. Cauſſa ejus perſuaſionis fortaſſe fuit, ſimilitudo nominum in diebus novendialibus (qui mortuis ſacri erant, ideoque atri) & nundinalibus Propter eandem rationem puto & nonas Auguſtum in ſeriis rebus inchoandis devitaſſe: nam nonæ, nundinæ, & novendial indidem etſi diverſa ratione dicuntur. Quare legi etiam malim, δυσφημίαν *nominis* quam *ominis:* quanquam non multum ſane intereſt. Porro hujuſmodi obſervationum ſuperſtitioſarum, plura exempla

quidquam rei ſeriæ inchoaret: nihil in hoc quidem aliud devitans, ut ad Tiberium
93 ſcribit, quam δυσφημίαν nominis. Peregrinarum cæremoniarum, ſicut veteres ac præceptas reverentiſſime coluit, ita cæteras contemtui habuit. Namque Athenis initiatus, cum poſtea Romæ pro tribunali de privilegio ſacerdotum Atticæ Cereris cognoſceret, & quædam ſecretiora proponerentur, dimiſſo concilio & corona circumſtantium, ſolus audiit diſceptantes. At contra non modo in peragranda Ægypto paulum deflectere ad viſendam Apin ſuperſedit: ſed & Cajum nepotem, quod Judæam prætervehens, apud Hieroſolymam

exemp'a ſi quis deſiderat cognoſcere, legat homiliam de Rectitudine Catholicæ Converſationis, quæ inter B. Auguſtini opera habetur, etſi non eſt, ut videtur, Auguſtini.

TORRENT.

Δυσφημίαν ominis.] *Nominis* habent meliores codd. uti & apud Horat. lib. III. Od. XIV. *male nominatis Parcite verbis.* nihil tamen muto. Quanquam & hic *nominis*, & ibi *ominatis* malim.

93. *Veteres ac præceptas.*] Sic Pulmannus, & libri noſtri omnes. Eraſmus & Beroaldus *receptas* ſubſtituere, ſed male. *præceptas* enim vocat, quas jam mente atque animo vel ob aliorum præſtantium virorum exempla, vel ob alias rationes præcepiſſet, qualia erant Cereris ſacra, quibus ſe initiari paſſus eſt, cum Apim Ægyptiorum, Judæorumque myſteria contemneret. Sic nimirum Hadrianus ſacra Romana diligentiſſime coluit, peregrina contempſit. E quibus tamen Eleuſinia exemplo Herculis, Philippique ſuſcepit. Alioqui Judæorum, Ægyptiorumque ſacra nec minus recepta fuerunt quam Athenienſium, & vetuſtiora etiam. Porro de Auguſti initiatione ſic Dion initio lib. LI. τῶν ταῖν θεαῖν μυστηρίων μετέλαβε. quod equidem de Cerere, & Proſerpina intelligo, non de Minerva, ut alii voluerunt.

Secretiora quædam.] Atticæ Cereris myſteria nulla re magis quam ſilentio ſacra fuere, præcepta quadam opinione, qui vel ea divulgaſſent, vel cum nocentes eſſent, frequentaſſent, male perituros. qua de re multa ad Horat. lib. III. Od. II. *vetabo qui Cereris ſacrum Vulgarit arcana.* Nero ſane, ut Sueton. refert, ſacris illis initiari auſus non eſt. At M. Antoninus Auguſtus & templum adiit, &, ut ſe innocentem probaret, ſacrarium ſolus ingreſſus eſt. Auguſtus itaque cognitioni illi ſolus adfuit, ne quis ſcilicet audiret *Orgia, quæ fruſtra cupiunt audire profani.*

CASAUBON.

Quicquam rei ſeriæ inchoaret.] In duabus fere rebus iſta temporum obſervatio locum habuit, in ſuſcipienda profectione, & inchoandis rebus ſeriis: ſic apud Plutarchum, Ὅθεν, inquit, οὐκ ἄρχονται πράξεως οὐδ' ἀποδημίας ἐν ταύταις. At quidam fuere ea ſuperſtitione, qui etiam in rebus prope nugatoriis dies obſervarent. In mulieribus ſuorum temporum rident hoc Juvenalis & Lucianus: & nonne pluſquam ridiculum eſt, quod refert Vopiſcus de Tacito Imperatore? *Nunquam*, inquit, *noctem intermiſit, qua non aliquid vel ſcriberet, vel legeret, præter poſterum Kalendarum diem.*

93. *Peregrinarum cæremoniarum.*] Ita a majoribus inſtituti Romani fuerant, ut a peregrinis cæremoniis abhorrerent. Dilaudat eos hoc nomine Dionyſius Halicarn. lib. II. qui ab ipſo conditore Romulo hoc eſſe inſtitutum, atque ab ejus poſteris ſancte ſervatum ſcribit. Inde eſt, quod cum tam paucis deis teſtamenti factionem habuerunt iidem veteres Romani. Ulpianus in Sententiis, titulo XXII.

Sicut veteres ac præceptas.] Vel ut alii codd. *receptas.*

Quod Judæam prætervehens apud Hieroſolymam non ſupplicaſſet.] Credo Auguſtum, ne cuiquam videretur ſectæ Judæorum ullo modo addictus, contra animi ſui ſententiam ſcripſiſſe hoc, vel dixiſſe: nam ipſum quidem aliter ſenſiſſe, neque ita a religione Judæorum abhorruiſſe, cum alia plurima declarant; quæ de ejus in illam gentem indulgentia narrant Philo, & Joſephus: tum illud unice, quod Legatione ad Caligulam refert idem ille Plato ἰουδαΐζων. Ejus verba adſcribam, quia hiſtoriam continent ſcitu digniſſimam: Διετάξατο ἐκ τῶν ἰδίων προσόδων ἀνάγεσθαι θυσίας ἐντελεῖς ὁλοκαύτους τῷ ΥΨΙΣΤΩ ΘΕΩ καθ' ἑκάστην ἡμέραν, αἳ καὶ μέχρι νῦν ἐπιτελοῦνται· ἄρνες εἰσὶ δύω, καὶ ταῦρος, τὰ ἱερεῖα οἷς Καῖσαρ ἐφαίδρυνε τὸν βωμόν. id eſt, *Conſtituit de ſuo certos reditus, ut admoverentur quotlibet diebus* DEO ALTISSIMO *ſacrificia integra, ac penitus adolenda, quod hodieque ſervatur. victimæ, quibus aram honorari voluit Cæſar, agni duo ſunt & taurus.* reperias & in ejuſdem aliquot edictis Deum Judæorum, Θεὸν ὕψιστον appellari. Poteſt etiam dici, Auguſtum, quum prius fuiſſet iniquior religioni Judæorum, poſtea mitiorem eſſe factum, feritate gentium paulatim in eorum animis miteſcente, poſtquam cœpit Dominus noſter ὁ Θεάνθρωπος Jeſus Chriſtus in terris verſari, etſi nondum illis cognitus.

TOR-

mam non ſupplicaſſet, collaudavit. Et quoniam ad hoc ventum eſt, non ab re fuerit 94
ſubtexere, quæ ei prius quam naſceretur, & ipſo natali die, ac deinceps evenerint, quibus futura magnitudo ejus, & perpetua felicitas ſperari animadvertique poſſet. Velitris antiquitus tacta de cœlo parte muri, reſponſum eſt, ejus oppidi civem quandoque rerum potiturum: qua fiducia Veliterni, & tunc ſtatim & poſtea ſæpius pæne ad exitium ſui cum pop. Rom. belligeraverant. ſero tandem documentis apparuit, oſtentum illud, Auguſti potentiam portendiſſe. Auctor eſt Julius Marathus, ante paucos, quam naſceretur menſes, prodigium Romæ factum publice, quo denuntiabatur regem pop. Rom. Naturam parturire: ſenatum exterritum cenſuiſſe, ne quis illo anno genitus educaretur: eos qui gravidas uxores haberent, quod ad ſe quiſque ſpem traheret, curaſſe, ne ſenatusconſultum ad ærarium deferretur. In Aſclepiadis Mendetis Θεολογȣμένων libris lego, Atiam

TORRENT.

Non ſupplicaſſet.] Liber opt. *ne ſupplicaſſet.* Quod monitum volui. ſenſus enim eſt, ne id quidem quod in veneratione leviſſimum eſt, feciſſe Cajum, ut ſolummodo ſupplicaret. Atqui Alexander Macedo, ſi Joſepho credimus lib. XI. Antiq. Jeroſolymis & Pontificem veneratus eſt, & Deo immolavit, & Judæis quæcunque petivere, conceſſit.

94. *Tacta de cœlo parte muri.*] Tacta, & quidem ſine ulla læſione, quo nomine felicitas urbi portendebatur. nam & apud Feſtum *pullus Jovis* dictus eſt Q. Fabius, cui etiam Eburno cognomen erat propter candorem, quod ejus natis fulmine icta erat; & magnus ille Mithridates bis fulmine appetitus, Dionyſius ideo cognominatus eſt, quod Dionyſio quoque ſimile aliquid accidiſſet. Qua de re Plutarch. Convival. Tangi ergo fulmine, & nihilominus evadere incolumem felicitatem portendit. Cui tamen interpretationi repugnare videtur Virgilii auctoritas, apud quem ſic Anchiſes:

Jampridem inviſus Divis, & inutilis annos
Demoror, ex quo me Divum pater atque hominum rex
Fulminis afflavit ventis, & contigit igni.

quid enim levius dici potuit quam afflare, & contingere?

Velitrini.] Liber unus, *Veliterni.*

Regem populi Rom. naturam parturire.] Idem e libris Sibyllinis creditum fuiſſe, & quidem eo naſciturum tempore, quo Ægyptus in Romanorum poteſtatem veniſſet, probat certiſſimus auctor Cicero lib. I. epiſt. ad Lentulum, & lib. II. De divinat. Verum illum orbis terrarum Regem ac Dominum fuiſſe JESUM CHRISTUM etiam adverſariorum teſtimoniis convincitur.

In Aſclepiadis Mendetis ΘΕΟΛΟΓΟΥΜΕΝΩΝ *lib.*] Quis hic Aſclepiades fuerit, ignoro. Athenæus non ſemel, & Plin. inter auctores libri ſeptimi Aſclepiadem commemorant, qui Τραγῳδȣ́μενα ſcripſerit. Et ſane hæc etiam tragica ſunt. Sed nihil muto. De Atia vero (ſic enim ſcribendum) Auguſti matre, ſup. cap. IV.

CASAUBON.

Tacta de cœlo parte muri, reſponſum eſt, ejus oppidi civem quandoque rerum potiturum.] In Etruſca diſciplina de jactibus fulminum, iſtud vocatur *fulmen regale.* De eo Seneca ex Cæcinna Natural. lib. II. cap. XLIX. *Regalia fulmina ſunt, quorum vi tangitur, vel comitium, vel principalia urbis liberæ loca, quorum ſignificatio regnum civitati minatur.*

94. *In Aſclepiadis Mendetis* Θεολογȣμένων *libris lego.*] Satis mirum mihi videtur, Suetonium hominem Romanum in tanti momenti hiſtoria Romana Ægyptio homini teſtimonium denuntiaſſe, eoque ſolo fuiſſe contentum, Sed videntur Romani rerum Auguſti ſcriptores noluiſſe hac fabella Auguſto divinitatem adſtruere, ne eadem pudicitiam matris ejus in dubium vocarent. nam in prodendis credendiſve ejuſmodi deorum ἐπιφανείαις parcius Romani, ea præſertim ætate, inſanierunt, quam aliæ multæ gentes. At Aſclepiades hic, cur iſtud exemplum laudaverit in ſuis ſcriptis, ſatis poſſumus ex ipſa re & libri indice facere conjecturam. Ægyptius is fuit ex Ægyptiaco nomo ſive præfectura, quæ ab urbe præcipua Mendete Mendeſia dicebatur. Erat quidem univerſa Ægyptiorum religio fœda, ſtulta, & ridicula: ſed enim nihil tota Ægypto monſtroſius infamia Mendeſiorum, qui hircum pro numine colentes, excellentiſſima forma mulieres illius libidini ſubſternere ſoliti: atque ut prurigæ boni, ceſſantem lege naturæ beſtiam, proh fidem hominum! contra naturam inſtigare. Nota res eſt ex Herodoto qui teſtis oculatus fuit, Pindaro, Strabone, Plutarcho, Gryllo, Ariſtide rhetore, aliis. Hanc ſuorum irreligioſam religionem defendens Aſclepiades in libris Θεολογȣμένων, non uſque adeo miram videri illam ἀθέμιτον μίξιν debere dicebat, cum ex tali concubitu ortos maximos viros hiſtoriæ teſtentur. In hoc album referebantur ab illo, cum ex fabulari hiſtoria multi, tum ex vera aut verum profeſſa Alexander, Scipio, & hic Auguſtus. Oportet autem hominem fuiſſe nugatorem magnum, & quod de Timæo olim dictum,

Atiam, cum ad ſolenne Apollinis ſacrum media nocte veniſſet, poſita in templo lectica, dum cæteræ matronæ dormirent, obdormiſſe; draconem repente irrepſiſſe ad eam, paulloque poſt egreſſum: illamque expergefactam quaſi a concubitu mariti purificaſſe ſe: & ſtatim in corpore ejus exſtitiſſe maculam, velut depicti draconis; nec potuiſſe umquam exigi: adeo

dictum γραοσυλλεκτρίαν ineptum qui auſus ſit, fortaſſe ſolus, de Auguſti conceptu fabulam anilem, ut rem veram, memoriæ tradere. Male autem interpretes Aſclepiadem hunc cum alio confundunt, cujus meminit Athenæus, qui ſcripſerat τραγῳδουμένων libros ſex. Nam eum fuiſſe Tragileſium ex oppido Thraciæ Tragilo, Stephanus auctor. Hunc Mendeſium fuiſſe & ex libri argumento conjicias, & indicat Suetonius, qui Mendetem vocat: etſi parum, ut videtur, recte: non enim Μένδης eſt ἐθνικὸν, ſed Μενδήσιος, vel Μενδίτης. Sic Athenæo nominatur Harpocratio Μενδήσιος: Columellæ, *Dolus Mendeſius*, & paſſim ita: vel Μενδαῖος; ut in Protagora Platonis: Ἀντίμοιρος ὁ Μενδαῖος. Sed ne quid diſſimulem, ſuſpicor ſcripſiſſe Suetonium *in Aſclepiadis Mendeſii* (aut *Menditæ*) *Mendetis* θεολογουμένων *libris lego*. Libri ab Aſclepiade ſcripti index, ni fallor, fuit, *Mendetis* θεολογούμενα: quaſi aliquis Latine dixerit, *De diis qui Mendete coluntur & religionis eorum ritibus vel cauſſis*. Amant Græci librorum ſuorum titulos ita concipere, ut Artemidorus, qui Γεωγραφούμενα ſcripſerat, Nicander Ἑτεροιούμενα, & ante omnes Ariſtoteles, qui Θεολογούμενα. Sic etiam Cælius Aurelianus medicus Χειρουργούμενα ediderat, quorum ipſe meminit libro II. Tardarum paſſionum: nam faciunt inepte, qui illius operis titulum concipiunt Χειρουργούμενοι.

TORRENT.

Dum cetera matronæ dormirent.] Mallem abeſſe hæc verba, infarta ab aliquo, qui verebatur, ne matronæ conſpecto vigilantibus dracone diffugerent. Atqui Atia ipſa obdormiſſe fato quodam poterat, ſed in pervigilio, & quidem tam ſollemni Apollinis ſacro, ſimul dormiſſe matronas omnes neutiquam veriſimile eſt. Verſus vero ille Virgilii,

Pellibus incubuit ſtratis, ſomnumque petivit.

a Beroaldo adductus, nihil ad rem facit. Dion certe ſolam Atiam dormientem inducit. Porro ut hic Apollo, ſic & Fortuna pervigilio colitur a Galba cap. IV. & a Vitellio Mars, ni fallor, cap. X.

Draconemque.] Particula *que* abeſt in omnibus MSS. uti etiam ad verbum *paullo*, & ad verbum *illam*, quæ mox ſequuntur adjuncta.

Purificaſſe ſe.] Ne ſacra ſcilicet polluerentur. Tibull.

- - - - *pureque lavari*
Te memini, & puro ſecubuiſſe toro.

Perſius item:

- - - - *& noctem flumine purgat.*

Plura Cicero lib. II. de Legib. Sacra adeunto caſte.

Eximi.] Libri duo optimi *exigi*.

CASAUBON.

Cum ad ſolenne Apollonis ſacrum media nocte veniſſet.] Factum menſe Novembri anno U. C. DCXC. Sed cur media nocte in templum venit Atia? quia ſacrorum publicorum cauſſa interdum ita opus facto. hoc jam ante docuimus ad cap. LXVIII. ubi hæc verba expoſuimus: ex illo etiam loco intelligimus, quod hic de matronis dicitur dormientibus in lecticis ſuis: nam hoc illud eſt ipſum quod ſupra de Auguſto dictum, ſi ſacri cauſſa maturius evigilandum eſſet, depoſita lectica inter aliquas moras condormiſſe. Non igitur audiendus Beroaldus, qui hanc dormitionem ad divinitatem refert per incubationem: quæ interpretatio falſa eſt multis modis. nam illæ ἐγκοιμήσεις privata religione ab iis ſuſcipiebantur, qui vel morbo vel alii cui malo remedium quærebant: Suetonius ſolenne ſacrum ait fuiſſe. Deinde qui ſomnia captabant, ſoli in templum accedere ſoliti. Atia cum magna turba ſacrum hoc concelebrat. Adde quod capturi inſomnia caſtu prius præparabantur & jejuniis: quorum de Atia nihil narratur. Poſtremo quis dixit Beroaldo, Apollinem illum, in cujus templo hæc geruntur, conſulentibus per inſomnia ſolitum reſpondere? neque enim omnia omnium locorum & templorum ſimulacra ejuſdem numinis, eandem vim habuere: itaque diligenter annotarunt geographi & hiſtorici, quibus locis eo modo oracula peti reddique mos eſſet. Fallitur etiam vir ille doctus, qui de pervigilio quodam Apollinis hanc hiſtoriam interpretatur: ubi enim lectum Apollinem pervigilio cultum? præſertim apud Romanos, qui nocturna ſacra pauciſſima admiſerunt, διαπαννυχισμοὺς Græcorum, & nocturnas pervigilationes abominati, ut & Dionyſius Halicar. fatetur in ſecunda hiſtoria, & Cicero ſcribit de Legibus lib. II. Sed demus, fuiſſe aliquod pervigilium Apollinis: non tamen propterea concedam de eo hic agi. Non enim media nocte, ut facit Atia, ſed prima luce περὶ λυχνῶν ἁφὰς, *hora lucernari*, ut vocat Auguſtinus, in templum erat veniendum. Jam quid abſurdius dici poteſt quam pervigilium fuiſſe, in quo matronæ aut omnes aut pleræque omnes dormiant? nam verba illa *dum cateræ matronæ dormirent*, non eſſe eradenda, ut illi cenſent, & expoſitio noſtra indicat, & conſenſus omnium codd. evincit.

In corpore ejus exſtitiſſe maculam velut depicti draconis.] De Atia ſermo eſt: atqui de Auguſto id refert

adeo ut mox publicis balneis perpetuo abſtinuerit: Auguſtum natum menſe decimo, & ob hoc Apollinis filium exiſtimatum. Eadem Atia prius quam pareret, ſomniavit inteſtina ſua ferri ad ſidera, explicarique per omnem terrarum & cæli ambitum. Somniavit & pater Octavius, utero Atiæ jubar ſolis exortum. Quo natus eſt die, cum de Catilinæ conjuratione ageretur in curia, & Octavius ob uxoris puerperium ſerius adfuiſſet, nota ac vulgata res eſt, P. Nigidium comperta moræ cauſſa, ut horam quoque partus acceperit, affirmaſſe, dominum terrarum orbi natum. Octavio poſtea cum per ſecreta Thraciæ exercitum duceret, in Liberi patris luco barbara cærimonia de filio conſulenti, idem affirmatum eſt a ſacerdotibus: quod infuſo ſuper altaria mero, tantum flammæ emicuiſſet ut ſupergreſſa faſtigium templi ad cælum uſque ferretur: unique olim omnino Magno Alexandro apud eaſdem aras ſacrificanti, ſimile proveniſſet oſtentum. Atque etiam ſequenti nocte ſtatim videre viſus eſt filium mortali ſpecie ampliorem, cum fulmine & ſceptro, exuviiſque Jovis Opt. Max. ac radiata corona ſuper laureatum currum, bis ſenis equis candore eximio trahentibus. Infans adhuc, ut ſcriptum apud C. Druſum exſtat, repoſitus veſpere in cunas a nutricula, loco plano, poſtera luce non comparuit: & diu quæſitus, tandem in altiſſima turri repertus eſt, jacens contra Solis exortum. Cum primum

refert Sidonius Apollinaris iis verſibus, quos ex Anthemii panegyrico ante recitavimus.

VARIOR.

Eximi.] Codex Salmaſ. *exigi.* & duo Torrentii, quod merito probat Gronovius. Sic enim & Plautus Captiv. IV. 2. 61: *Jam ego ex corpore exigam omnes maculas mœrorum tibi.* Loquitur enim de corpore tanquam de veſte: ut corpus humanum veſtis eſt animi eumque ægrum maculis, id eſt, pallore, illuvie, rugis probat. Exiguntur maculæ e veſtibus, cum a fullonibus ſubiguntur veſtes. GRONOVIUS.

TORRENT.

Apollinis filium exiſtimatum.] Imo & ipſe ſic credi voluit, ut ſup. cap. LXX. Extant numiſmata argentea Auguſti, in quorum parte averſa Apollo ſedens. Aſſcriptum hinc inde, CÆSAR DIVI F. Ut ambiguum ſit Divine Julii, an Apollinis, qui medius eſt inter verba, ſe filium dicat. Tam autem fuit Apollinis filius, quam Hammonis Alexander, aut Africanus Jovis.



P. Nigidium.] Qui (quod initio libri XLV. Dion. refert) uſque adeo cœli peritia excelluit, ut prohibitis quibuſdam ſtudiis dare operam crederetur. Plura ex Lucano, Gellio, Auguſtino Beroaldus. *Accepit* etiam pro *acceperit* lego.

Tantum flammæ emicuiſſet.] Simile Tiberio oſtentum evenit, cap XIV. Felix nimirum flammæ effulgentis ſemper augurium, ut de Ser. Tullio dormiente, de L. Marcio concionante Livius lib. I. & XXV. & Valer. Max. lib. I. cap. IV. tradiderunt, & de Q. Salvidieno gregem paſcente ante retulimus ex Dione, cap. LXVI.

Exuviiſque Jovis Opt. Max.] Quales Romani triumphantibus dabant, togam pictam, tunicam palmatam. De quibus Livius lib. x. Juvenal. Sat. x. *In tunica Jovis*, &c. De Jovis vero curru, qui & ipſe hoc Octavii ſomnio deſcribitur, Turneb. Adverſar. IX. cap. IX. & XXIV. cap. XXXI. Inf. Claud. cap. XVII. *Super* etiam (ne quis erret) pro ultra, aut præter dixit, quod alibi quoque occurrit.

CASAUBON.

Auguſtum natum menſe decimo.] Dio, τῷ ἱκνȣμένῳ χρόνῳ.

Explicari per omnem.] *Explicari eſt* μηρύεσθαι, quod verbum in re militari præclarum uſum habet, alibi explicandum.

Somniavit & pater Octavius.] Dio, qui pleraque hujus capitis verbatim ex Suetonio, ut videtur, tranſtulit, legit, *ſomniavit & pater Octavius eadem nocte ut* &c. Vertit enim: Καὶ τῇ αὐτῇ νυκτὶ καὶ ὁ Ὀκτάβιος ἐκ τȣ̃ αἰδοίȣ αὐτῆς τὸν ἥλιον ἀνατέλλειν ἐνόμισε.

VARIOR.

Publicis balineis.] Publica & gratuita balnea XII. P. Victor agnoſcit Romæ fuiſſe; omitto alia publica, quæ meritoria licet agnominare. Sed ideo tam multa balnea Romæ, quia aſſidua lavatio, & quotidie de more lavabant, ituri jam ad cœnam. Hinc Artemidorus ſcripſit, balneum nihil aliud ſuo ævo fuiſſe, quem tranſitum ad cœnam. LIPSIUS.

Laureatum currum.] V. C. URSINI: *deauratum.*

TOR-

primum fari cœpiſſet, in avito ſuburbano obſtrepentes forte ranas ſilere juſſit: atque ex eo negantur ibi ranæ coaxare. Ad quartum lapidem Campanæ viæ, in nemore prandenti, ex improviſo aquila panem ei e manu rapuit: & cum altiſſime volaſſet, rurſus ex improviſo leniter delapſa reddidit. Q. Catulus poſt dedicatum Capitolium, duabus continuis noctibus ſomniavit: prima, Jovem Opt. Max. prætextatis compluribus circum aram ludentibus, unum ſecreviſſe: atque in ejus ſinum ſignum Reip. quod manu geſtaret, repoſuiſſe. At in ſequenti, animadvertiſſe ſe in gremio Capitolini Jovis eundem puerum: quem cum detrahi juſſiſſet, prohibitum monitu Dei, tamquam is ad tutelam Reip. educaretur. Ac die proximo obvium ſibi Auguſtum, cum incognitum alias haberet, non ſine admiratione contuitus, ſimillimum dixit puero, de quo ſomniaſſet. Quidam prius ſomnium Catuli aliter exponunt, quaſi Jupiter compluribus prætextatis tutorem a ſe poſcentibus, unum ex eis demonſtraſſet, ad quem omnia deſideria ſua referrent: ejuſque oſculum delibatum digitis ad os ſuum retuliſſet. M. Cicero C. Cæſarem in Capitolium pro-

TORRENT.

Ad quartum lapidem Camp. viæ.] Mallem *Campana via.* Campanam autem, ut puto, Appiam vocat, quæ recta Capuam ducebat.

Cum altiſſime volaſſet.] Tres libri *evolaſſet.* Sic Tarquinio Priſco Romam migranti ſublatus ab aquila pileus, & mox reſtitutus, regnum portendit. Auctor Livius, & alii, & tale aliquid de Diadumeniano Lampridius.

Signum Reipub.] Interpretes Aquilæ ſignum intelligunt, aut etiam Libertatis. Ego *ſignum Romæ* ſcribendum puto, non *reipub.* id enim notarum errore irrepſit. nam quo ſigno, obſecro, reſpublica exprimetur? At Romæ effigies in Imperatorum nummis paſſim cernitur, nonnunquam etiam dextra geſtata manu, ſicut & Victoria.

Oſculum delibatum digitis.] Sententia eſt, ni fallor, Jovem ſuavioli loco digitos ad os pueri porrectos ſuo mox ori admoviſſe, ut a nimium officioſis hodieque fieri videmus, qui manum qua ejus, cui obſequium deferunt, veſtimenti partem aliquam attigerunt, admotam labris oſculantur. Pulchre Appulejus, quem & Beroaldus citat: *Tunc Jupiter perpreſſa Cupidinis buccula, manuque ad os relata, conſuaviat.* Sueton. Galb. cap. v. *Conſtat Auguſtum puero adhuc ſe ſalutanti inter æquales apprehenſa buccula dixiſſe.* Atque ita intelligendum fortaſſis illud Virgilii: *Oſcula libavit natæ*, qualia ſcilicet Divorum reliquiis priſco more libamus. Nec diſſimile eſt, quod lib. XXVIII. cap. II. *In adorando*, inquit Plinius, *dexteram ad oſculum referimus.* ſic enim legendum, non *oculum*, ut imperiti volunt. Aliud genus oſculi, quod χύτραν, id eſt, ollam, vocabant Græci, quo apprehenſis auriculis, ut nunc quoque ſolent pueri, alter alterum oſculabantur. De quo Julius Pollux lib. x. & inter noſtros, nuper immatura morte ſublatus, Gulielm. Canterus Novar. lect. VI. cap. XXV.

CASAUBON.

Obſtrepentes forte ranas ſilere juſſit.] Olim de Hercule id jactatum. Solinus, de ranis loquens apud Reginos mutis: *Cauſſam Granius tradit, cum obmurmurarent illic, Hercule quieſcente, Deum juſſiſſe, ne ſtreperent: itaque ex eo cœptum ſilentium permanere.*

In nemore prandenti.] Dio, τρεφομένȣ δὲ ἐν ἀγρῷ αὐτȣ̃, hoc eſt, *cum cibum ſumeret*, non ut interpretes Dionis & Zonaræ, *cum educaretur.* Male in cod. Cedreni ϛρεφομένȣ. emenda ex Dione.

In ejus ſinum ſignum, quod manu geſtaret, repoſuiſſe.] Omnes fere libb. quos vidimus, conſentiunt: Memmianus, *quam manuque.* At Dio ſic vertit, quaſi legiſſet *ſignum Romæ*, τὸν θεὸν εἰκόνα τινὰ τῆς Ῥώμης εἰς τὸν ἐκείνȣ κόλπον ἐμβεβληκέναι. Ego *ſignum Reipublicæ* interpreter δημοσίαν σφραγῖδα, qua obſignari ſolita diplomata, & quæcunque alia reip. nomine ſignabantur. Id ſignum viſus ſecundum quietem Catulo reponere Jupiter in ſinum Auguſti, conjecturam ex eo fecit, in illius poteſtatem fore quandoque rempublicam. Symbolum enim dominii & poteſtatis eſt ſigillum. ideo ſoliti morientes anulum ſignatorium dare iis, quibus plurimum vellent, ut de Alexandro narrant Diodorus & Curtius: vel quos hæredes inſtituiſſent, ſicut eſt apud Valerium Max. propterea Tiberio morienti anulus a Cajo adimitur. Interpretes alivorſum hæc trahunt, quos non ſequor. Qua figura autem reipubl. id eſt, publicum ſignum fuerit, niſi ſi fuit ipſius Romæ imago, qualis in nummis ſæpe videtur, neſcio.

Ejuſque oſculum delibatum digitis ad os ſuum retuliſſet.] Quid retuliſſet? nempe *oſculum*: non enim poſſumus aliter exponere: tamen hoc genus loquendi alibi non memini notare. Conſuetudo adorantium fuit, ut manu porrecta, & ad os relata, oſculum labiis imprimerent. *Qui adorant*, inquit Hieronymus adverſus Ruffinum, *ſolent deoſculari*

proſecutus, ſomnium priſtinæ noctis familiaribus forte narrabat: puerum facie liberali demiſſum cælo catena aurea, ad fores Capitolii conſtitiſſe, eique Jovem flagellum tradidiſſe: deinde repente Auguſto viſo, quem ignotum adhuc pleriſque avunculus Cæſar ad ſacrificandum acciverat, affirmavit ipſum eſſe, cujus imago ſecundum quietem ſibi obverſata ſit. Sumenti virilem togam, tunica lati clavi reſuta ex utraque parte, ad pedes decidit. Fuerunt qui interpretarentur, non aliud ſignificare, quam ut is ordo, cujus inſigne id eſſet, quandoque ei ſubjiceretur. Apud Mundam D. Julius caſtris locum capiens, cum ſilvam cæderet, arborem palmæ repertam conſervari, ut omen victoriæ, juſſit: ex ea continuo enata ſoboles, adeo in paucis diebus adolevit, ut non æquipararet modo matricem, verum etiam obtegeret, frequentareturque columbarum nidis: quamvis id avium genus duram & aſperam frondem maxime vitet. Illo & præcipue oſtento motum Cæſarem ferunt, ne quem alium ſibi ſuccedere quam ſororis nepotem vellet. In ſeceſſu Apolloniæ Theogenis mathematici pergulam comite Agrippa adſcenderat: cum Agrippæ, qui prior conſulebat, magna, & pæne incredibilia prædicerentur, reticere ipſe genituram ſuam, nec velle edere perſeverabat, metu ac pudore ne minor inve-

manum, & capita ſubmittere. Eum ritum obſcure hic innuit Tranquillus: de quo plura a viris eruditis ſunt obſervata.

TORRENT.

Tunica lati clavi reſuta.] Hæc & apud Dionem legimus initio lib. XLV. cujus interpres non recte togam vocat, quam tunicam vocare debebat. ὁ χιτὼν, inquit, περιεῤῥάγη. *Tunica* vero *lati clavi* ſenatorum inſigne fuit, ut equitum anulus. Feſtus in Picta: *Tunica palmata a latitudine clavorum dicebatur, quæ nunc a genere picturæ appellatur.*

Æquipararet matricem.] Liber opt *æquiperaret*, ut ſemper. *Matricem* autem *arborem* matrem vocat, ſub qua ſoboles pullulaverat. Virgil. II. Georg.

Pullulat ab radice.

& mox:

Parva ſub ingenti matris ſe ſubjicit umbra.

Matricis vocabulo de gallina & columba utitur eodem ſenſu Columella, quo Tranquil. de arbore.

Columbarum nidis.] Augurium firmabat, quod columbæ Veneri, a qua gens Julia per Æneam, ſacræ ſunt, quodque columbæ nullæ in arboribus nidificant, præter palumbes, & quas livias vocant, & ne iſtæ quidem fronde dura & aſpera, qualis palmæ eſt.

Theogenis mathematici.] De hoc nihil memini me legiſſe. Similem vero in Africa nactus eſt Septimius Severus, teſte Spartiano.

CASAUBON.

Eique Jovem flagellum tradidiſſe.] Hoc ſymbolo peritura libertas ſignificatur: nam libera civitate civem Romanum virgis cædi nefas, nedum flagellis, Juvenalis ideo hac circumlocutione Julium deſignat:

Ad ſua qui domitos deduxit flagra Quirites.

Tunica lati clavi.] Quam dedit ei Cæſar induendam loco tunicæ rectæ, ut ante diximus.

Reſuta ab utraque parte.] Super humeros. Dio: Ὁ χιτὼν περιεῤῥάγη τε ἑκατέρωθεν ἀπὸ τῶν ἐπωμίδων, καὶ μέχρι τῶν ποδῶν κατεῤῥύη. Erant autem tunicæ aliæ ῥαπταὶ, aliæ συμπορπηταὶ, ut alibi pluribus enodamus.

Fuerunt, qui interpretarentur.] Ipſum Octavium temere hoc dixiſſe, auctor Dio.

Apud Mundam D. Julius.] Apud Dionem paullo aliter hanc hiſtoriam narrantem, ita ſcribe libro XLIII. Καὶ ἐ λέγω μὲν, ὅτι ἐκ ἔφερέ πη τῦτο ἀλλ᾽ ἐκ ἐκείνῳ γε ἔτι, ἀλλὰ τῷ τῆς ἀδελφῆς αὐτῦ ἐγγόνῳ τῷ Ὀκταουΐῳ· peſſime edunt vulgo, ὅτι συνέφερέ πη τῦτῳ. Sic accipiunt verbum φέρειν Græci pro σημαίνειν, vel φέρειν τέκμαρσιν, ut loquitur idem Dio lib. XLV. Idem lib. L. Ταῦτα μὲν ἐν ἐπι πάντας αὐτῦς ἔφερε. Lib. XLVI. Ἐς πάντας ὁμοίως ἤνεγκεν. & paullo ante, ἐς μόνον ἂν αὐτὸν ἔτεινεν. Philoſtratus in Apollonii vita lib. VIII. Εἰς νεώτερον ἔφερεν ἡ διοσημία.

Ut non æquipararet modo matricem.] Matrix eſt arbos, quæ fuit τύπος Julii Cæſaris patris, ſicut ejus ſoboles Octavii filii.

Comite Agrippa.] Fuiſſe Agrippam cum Octavio Apolloniæ ſub tempus cædis Julianæ, & Vellejus indicat.

VARIOR.

Tunica lati clavi reſuta ex utraque parte, ad pedes decidit.] Reſutam ibi non eſt aliter exponere quam refibulatam, nodis ſcilicet ſolutis, quibus tenebatur in humeris ex utraque parte: σχιστὴ enim fuit illa lati clavi tunica & ῥαπτή. nam ῥαπταὶ & συμπορπηταὶ eædem fuere; eæ ſcilicet, quæ fibulis, hoc eſt, ῥαφαῖς continebantur & ſtringebantur. Hinc ῥαφίδα, περόνην exponunt grammatici. Heſychius: Ῥαφὶς, ὑπόδημα, περόνη. SALMAS.

TOR-

inveniretur. Qua tamen poſt multas adhortationes vix & cunctanter edita, exſilivit Theogenes, adoravitque eum. Tantam mox fiduciam fati Auguſtus habuit, ut thema ſuum vulgaverit, numumque argenteum nota ſideris Capricorni, quo natus eſt, percuſ-
95 ſerit. Poſt necem Cæſaris reverſo ab Apollonia & ingrediente eo urbem, repente liquido ac puro ſereno, circulus ad ſpeciem cœleſtis arcus orbem ſolis ambiit: ac ſubinde Juliæ Cæſaris filiæ monumentum fulmine ictum eſt. Primo autem conſulatu ei augu-

TORRENT.

Ut thema ſuum vulgaverit.] Geneſin vocat Juvenalis:

Nota mathematicis geneſis tua.

Sueton. paulo ante, & Spartianus Severo *genituram*, aſtrologi *horoſcopum*. *Thema* vocat etiam Sidon. Apollinaris, cujus verba mox apponam, ut & apud Græcos quicquid in medium proponitur, *thema* appellatur.

Nummum argenteum.] Quales apud me diverſa forma ſervantur complures. Similem vero etiam Veſpaſianus percuſſit.

95. *Repente liquido ac puro ſereno.*] Liber opt. non habet *repente*. Quod tamen ſi retineas, ita locum hunc intelligo, ut circulus ille repente ſolem ambierit. non ut cœlum repente effulſerit: cum enim hujuſmodi, ſive circuli, ſive areæ, & coronæ, ut appellant phyſici, humida fere nube ſe ſpargente exiſtant, nihil mirandum foret cœlo repente ſereno effecto id contigiſſe. Sic nempe & fulmina, quæ ſerena tempeſtate fiunt, prodigioſa magis, ac ſignificantia habentur. Quod Horat. quoque oſtendit lib. I. Od. XXXIV. *per purum tonantes Egit equos.* Circuli autem hujus meminit Plin. lib. II. cap. XXIV. & egregie Seneca lib. I. Quæſt. Natur cap. II.

Ac ſubinde.] Pro mox, ſtatim. Horat. Epiſt. ad Celſum:

- - - *primum gaudere, ſubinde*
Præceptum auriculis hoc inſtillare memento.

Alias pro frequenter & identidem utuntur auctores.

CASAUBON.

95. *Ingrediente eo urbem.*] Mane hora diei tertia, incipiente luce ſolis, aerem forte tum ſpiſſiorem factum, ut plagam ſentire poſſet, ferire.

Circulus ad ſpeciem cœleſtis arcus orbem ſolis ambiit.] Ambitioſius hoc narrat Vellejus lib. II. 59. *Cum intraret urbem, ſolis orbis ſuper caput ejus curvatus æqualiter, rotundatuſque in colorem arcus veluti coronam tanti mox viri capiti imponens conſpectus eſt.* faciunt inepte, qui eum locum cum alio Suetonii comparant, & diſſonantiam in hac hiſtoria inter duos hoſce ſcriptores notant. Dio breviter: Ἐς τὴν Ῥώμην ἐσιόντος αὐτοῦ ἶρις πάντα τὸν ἥλιον πολλὴ καὶ ποικίλη περιέσχεν, idque ait ille ſignum adeo editum, non futuræ Auguſteæ magnitudinis, ſed futurarum mox turbarum. Oroſius lib. VI. poſtquam verbis noſtri rem expoſuit, ita interpretatur: *Quaſi unum eum ac potiſſimum in hoc mundo ſolumque clariſſimum in orbe ſol monſtraret, cujus tempore venturus eſſet, qui ipſum ſolem ſolus, mundumque totum & feciſſet & regeret.* Notemus Suetonii accuratam dictionem, qui non arcum dixit, ut Dio & Zonaras ἶριν, ſed *circulum ad ſpeciem cœleſtis arcus.* neque enim arcus eſſe potuit, ut ex Meteorologicis Ariſtotelis & Olympiodoro conſtat. cum Suetonio loquitur Seneca Naturalium Quæſtionum libro I. cap. ſecundo: *Memoriæ proditum eſt*, inquit, *quo die divus Auguſtus urbem ex Apollonia reverſus intravit, circa ſolem viſum coloris varii circulum, qualis eſſe in arcu ſolet: hunc Græci halo vocant, nos dicere coronam aptiſſime poſſumus.* In quibus verbis ſubit duo mirari: nam ex ſententia philoſophorum ἅλως circulus ille non fuit, ut liquebit attendenti, quæ ad tertium Meteorologic. accurate notat Olympiodorus. Deinde ſi ἅλως fuit, cur *coronam* interpretatur? nam Græci hujuſmodi διοσημίας vocant ϛεφάνους. Philoſtratus lib. VIII. de Domitiani morte loquens: Τὸν τοῦ ἡλίου κύκλον περιελθὼν ϛέφανος ἐοικὼς ἴριδι τὴν ἀκτῖνα ἐμαύρου. Hiſtoriæ miſcellæ Auctor de ſigno, quod apparuit Gallo Antiochiam veniente, quando Cæſar factus eſt a Conſtantio: *Columna ſub ſpecie crucis in cœlo viſa eſt, ſpeciem luminis habens extenſam a Golgotha uſque ad montem Olivarum. In circuitu autem ejus corona erat, velut iridis ſpeciem habens.*

Primo conſulatu augurium capiente.] Scio doctiſſimos viros referre hoc ad ſacrum conſulare, quod Kal. Jan. faciebant novi coss. in Capitolio: quorum auctoritati etſi plurimum in his litteris tribuo; tamen ut hic iis aſſentiar, adduci non poſſum. Dionem potius ſequor, qui factum hoc narrat primo die comitiorum, quibus Auguſtus conſulatum eſt adeptus. recte ſine dubio & vere. non enim conſuli Octavio, ſed candidato conſulatus hoc augurium apparuit. Atque hic vetus mos latet, ex prima antiquitate illuſtrandus. *Augurium capere* dicebantur candidati, cum nocte, quæ comitia præcedebat, ſub dio extra urbem cubantes, dein ſolida ſella ſedentes, in loco ei rei deſtinato exſpectarent, dum ipſis deus aliquis bonum ſignum mitteret: quod olim quidem vere ſolitum fieri, eſtque is mos a Romulo ipſo traditus, diutiſſime in Rep. ſervatus. poſtea tantum

augurium capienti, duodecim ſe vultures, ut Romulo, oſtenderunt: & immolanti omnium

tantum umbra in uſu remanſit, re neglecta. planiſſime hæc omnia ita explicat Dionyſ. Hal. lib. II. Ἐπαυλίζονται οἱ τὰς ἀρχὰς μέλλοντες λαμβάνειν, καὶ περὶ τὸν ὄρθρον ἀνιστάμενοι ποιοῦνται εὐχὰς ὑπαίθριοι· τῶν παρόντων τινὲς ὀρνιθοσκόπων μισθὸν ἐκ τοῦ δημοσίου φερόμενοι, ἀστραπὴν αὐτοῖς μηνύειν φασὶν ἐκ τῶν ἀριστερῶν τὴν οὐ γενομένην· οἱ δὲ τὸν ἐκ τῆς φωνῆς οἰωνὸν λαβόντες, ἀπέρχονται ταύτας παραληψόμενοι· οἱ μὲν αὐτὸ τοῦθ' ἱκανὸν ὑπολαμβάνοντες εἶναι, τὸ μηδένα γενέσθαι τῶν ἐναντιουμένων τε καὶ κωλυόντων οἰωνῶν· οἱ δὲ καὶ παρὰ τὸ βούλημα τοῦ θεοῦ κωλύοντος. In quibus verbis ἐπαυλίζεσθαι eſt extra urbem pernoctare, non quod putant interpretes. ita faciendum fuit candidatis. Plutarchus in Marcello: Ὅταν ἄρχων ἐπ' ὄρνισι καθεζόμενος ἔξω πόλεως καὶ οἶκον καὶ σκηνὴν μεμισθωμένην. Sic ſcribendus hic Plutarchi locus: nam καθέζεσθαι οἶκον. Barbarum eſt, non Græcum. Latini eum locum *templum* appellant, ut Seneca epiſtola CXVIII. & Valerius Maximus lib. III. cap. V. quia in eam rem ab auguribus certis cæremoniis effabatur, quas explicant Feſtus Pompejus & Servius. Ibi cubabant in tabernaculo, vel caſa publice conducta, ut indicat Marcelli hiſtoria apud Plutarchum, Ciceronem & Valerium Max. inde viſis auſpiciis tollebant ſe ex templo ac ſurgebant. Unde ſunt verba augurum *tollere ſe & ex templo*, de quibus veteres. Ad ritum hunc refero verba hæc Feſti lib. III. *Cubans auſpicatur, qui in lecto quærit augurium.* E lecto mane ſurgentes ſedebant in ſolida ſella, ut intelligimus ex ruderibus Feſti in voce *Solida* cum ſuperiore Dionyſii loco comparatis. Similiter omina captabant etiam alii ſedentes in ſella. Cicero de Divinat. lib. I. *Audivi, cum diceret Cæciliam Metelli, cum vellet ſororis ſuæ filium in matrimonium collocare, exiſſe in quoddam ſacellum ominis capiendi cauſſa, quod fieri more veterum ſolebat: cum virgo ſtaret & Cæcilia in ſella ſederet, neque diu ulla vox exſtitiſſet.* Quod adjicit Dionyſius de auguribus, quos candidati interrogare ſoliti, lucem accipere ex iis debet, quæ Feſtus notat in *ſilere*, & M. Tullius lib. II. de Divinat. ubi explicat, quid ſit in diſciplina augurali *ſilentium.* Id enim ſucceſſerat in locum eorum ſignorum, quæ prius fuiſſe divinitus data candidatis, veteres hiſtoriæ memorant. Quo magis advertit omnes augurium Octavio datum, quod non ſolum fuit verum, nec ſimulatum, ut erat tum moris: ſed etiam magnificum & plane regium.

CASAUBON.

Duodecim ſe vultures, ut Romulo, oſtenderunt.] Non ita Dio narrat: Πρώτῃ τῶν ἀρχαιρεσιῶν ἐς τὸ πεδίον τὸ Ἄρειον ἐσελθὼν, γῦπας ἕξ, καὶ μετὰ ταῦτα δημηγορῶν τι πρὸς τοὺς στρατιώτας, ἄλλους δώδεκα εἶδε.

Et immolanti omnium vict.] Augurium modo expoſitum contigit Octavio anno DCCXI. menſe Auguſto. Hoc oſtentum, quod hic memoratur, factum anno priore, menſe, ut arbitror, eodem, die primo poteſtatis ejus, cum abſens decretæ ſibi prætoriæ dignitatis ſuſciperet inſignia. Eſt ergo in verbis Suetonii ὕστερον πρότερον, ut ſæpe alibi: niſi diſſentit ille a cæteris hiſtoricis in temporum ratione, & hoc quoque ad primum conſulatum Octavii retulit.

VARIOR.

95. *Augurium capienti.*] Magiſtratum inituri non niſi poſt medium noctis auſpicio operam dabant. teſtatur Dion. Halicar. lib. 2. Ἐπαυλίζονται μὲν γὰρ οἱ τὰς ἀρχὰς μέλλοντες λαμβάνειν, καὶ περὶ τὸν ὄρθρον ἀνιστάμενοι ποιοῦνταί τινας εὐχάς, quem locum Gelenius de candidatis interpretatus eſt. Cujus errorem ſecutus quoque eſt Caſaubonus ad Sueton. Auguſtum cap. 95. Ecquis vero vel mediocriter in Romana hiſtoria verſatus unquam audivit penes candidatos auſpicia fuiſſe, quæ non niſi magiſtratuum erant? Quid quod & Plutarchi locum ſiniſtre interpretatur ibidem Caſaubonus. Verba Plutarchi ſunt in Marcello, ὅταν ἄρχων ἐπ' ὄρνισι καθεζόμενος. &c. hæc de candidatis accipienda eſſe affirmat. At Plutarchus ibi loquitur de conſule, qui comitia habiturus eſt. Ecquando vero ἄρχων apud Græcos pro candidato ſumitur? Proinde emendandus eſt hic error Caſauboni, quem in explicando Suetonii loco nihil vidiſſe conſtat, idque tunc, cum plus ſibi vidiſſe quam cæteri videretur. Porro Dionyſii locum de candidatis non eſſe ſumendum ita evincimus. Οἱ τὰς ἀρχὰς μέλλοντες λαμβάνειν ad verbum ſunt ii, qui magiſtratum inituri ſunt. ii circa diluculum ſilentio pergebant e cubili. Deinde jam candente die urbem ingreſſi ſedebant pauliſper in tribunali, & aliquid agebant pro magiſtratu. & illi auſpicati eſſe & egiſſe eodem die dicebantur. diem N. Romani definiebant a media nocte, ad mediam noctem, ut ait Gell. III. 2. & Cenſor. c. 24. hinc quia conjuncta erant auſpicium & actio, auſpicari dicitur ſæpe, qui agere incipit. Illuſtris eſt Ciceronis locus lib. I. in Verr. qui ad hunc morem pertinet: *Nam ut prætor factus eſt, qui auſpicato a Chelidonide ſurrexiſſet, ſortem nactus eſt urbanæ provinciæ.* ubi Aſconius notat: Auſpicari dicuntur ineuntes magiſtratum. H. VALLESUS ad Dion. Coccejum.

TOR-

omnium victimarum jocinora replicata intrinſecus ab ima fibra paruerunt: nemine peritorum aliter conjectante, quam læta per hæc & magna portendi.
96 Quin & bellorum omnium eventus ante præſenſit. Contractis ad Bononiam Triumvirorum copiis, aquila tentorio ejus ſuperſedens duos corvos hinc & inde infeſtantes afflixit, & ad terram dedit: notante omni exercitu, futuram quandoque inter collegas diſcordiam talem, qualis ſecuta eſt, ac exitum præſagiente. In Philippis, Theſſalus quidam de futura victoria nuntiavit, auctore D. Cæſare, cujus ſibi ſpecies itinere avio occurriſſet. Circa Peruſiam ſacrificio non litante, cum augeri hoſtias imperaſſet, ac ſubita eruptione hoſtes omnem rei divinæ apparatum abſtuliſſent, conſtitit inter haruſpices, quæ periculoſa & adverſa ſacrificanti denuntiata eſſent, cuncta in illos recaſura, qui exſta haberent. Neque aliter evenit. Pridie quam Sicilienſem pugnam claſſe committeret, deambulanti in littore, piſcis e mari exſiluit,

TORRENT.

Victimarum jocinera.] Sic plerumque vetuſtiſſimi codices, non *jecinora.* De hoc vero Plin. lib. XI. cap. XXXVII. *Divo Auguſto Spoleti ſacrificanti primo poteſtatis ſuæ die ſex victimarum jecinora replicata intrinſecus ab ima fibra reperta ſunt, reſponſumque duplicaturum intra annum Imperium.* Adde Val. Maximum de Marcello lib. I. cap. VI. Ceterum merito quis ambigat, quem primum poteſtatis diem vocet Plin. & quomodo tunc Spoleti Auguſtus? Dion. lib. XLVI. locum quidem non addit, ſed tamen eveniſſe id ſacrificanti ſcribit, quo die bellum ſibi contra Antonium una cum poteſtate prætoria decretum intellexit. Fuit autem tunc in Piceno.

Patuerunt.] Sic Pulmannus quidem, ſed MSS. noſtri, & editio Germanica *paruerunt*, quod verbum Augurum & Aruſpicum erat. Virgil. Æneid. X.

Cui pecudum fibræ, cœli cui ſidera parent,
Et linguæ volucrum, & præſagi fulminis ignes.

Et Sidonius: *Utpote quibus themate oblato quaſi ſanguinariæ genituræ ſchema paruiſſet.* Fuit & in Juriſconſultorum formulis uſurpatum. quod Feſtus tradit, dicens prima producta pronunciari oportere, & eleganti admodum epigrammate Petron. Arbiter:

Juriſconſultus paret, non paret habeto,
Atque eſto, quicquid Servius & Labeo.

Adde Ulpianum. l. CLXXIX. De verborum ſignificat. & Sueton. Calig. cap. VIII.

96. *Ac exitum.*] Libri meliores *at exitum.* Lego, *atque exitum.* neque enim temere librum ullum veterem legitimum invenies, in quo ſcribitur *ac* ſequente vocali. Augurium autem illud refert etiam Dion lib. XLVII.

Sacrificio non litante.] Iidem codd. *non litanti*, & mox *in illos recaſura*, pro *ipſos.* haud dubie melius.

Pridie quam Sicil.] De piſcis augurio ſatis convenit inter auctores: de tempore vero augurii non ita. Vide Dionem circa initium lib. XLIX. & Plinium lib. IX. cap. XVI.

CASAUBON.

Omnium victimarum jocinora replicata intrinſecus ab ima fibra paruerunt.] *Omnium*, hoc eſt, duodecim: tot enim tunc mactatæ victimæ. Dio, διττὰ τὰ ἥπατα ἐν πᾶσι τοῖς ἱερείοις δώδεκα οὖσιν εὑρέθη. Ideo Plinius in Panegyrico dicebat, hoc & ſuperius omen tangens: *Cæteros Principes aut largus cruor hoſtiarum, aut ſiniſter volatus avium conſulentibus nuntiavit.* Ex Dione diſcimus, *replicata* exſta & *duplicia* idem eſſe. Ea ſemper habita ſunt lætiſſima ſive *omnino* eſſent replicata, ſive tantum ex parte. Valerius Max. lib. I. *Primæ hoſtiæ jecur ſine capite inventum eſt: proxima, caput jocinoris duplex habuit.* Sic & geminum fel læta portendebat. Plinius lib. XI. *Geminum fel fuit divo Auguſto, quo die apud Actium vicit.* Scribendum autem *paruerunt*, non *patuerunt.* eſt enim, quod dicit Plinius in eadem re lib. XI. cap. XXXVII. *reperta ſunt.* Dio,εὐρέθη. Julius Obſequens, *apparuerunt.* Altera vero lectio ſententiæ plane contraria.

96. *Duos corvos hinc & inde infeſtantes.*] Dio: Δύω κύρακας προσπεσόντας αὐτῷ τίλλειν τε τῶν πτερῶν πειρωμένους.

Afflixit & ad terram dedit.] Σχῆμα ἐκ παραλλήλου. nam *affligere* eſt προσουδίζειν, *ad terram dare.*

In Phil.ppis Theſſalus quidam.] Dio narrat lib. XLVII. cujus verba ſic lego (ſunt enim corrupta) Ἀνὴρ Θεσσαλὸς ἔδοξέν οἱ τὸν Καίσαρα τὸν πρότερον κεκελευκέναι εἰπεῖν τῷ Καίσαρι, ὅτι τε εὐτυχήσει ἡ μάχη γενήσοιτό οἱ, καὶ ἵνα ἀναλάβῃ τι ὧν δικτατωρεύων αὐτὸς ἐφόρει.

VARIOR.

96. *In Philippis Theſſalus.*] Cod. Salmaſ. *Philippo Theſſalus.* Forte: *Apud Philippos Theſſalus.* SALMAS.

TOR-

exſiluit, & ad pedes jacuit. Apud Actium deſcendenti in aciem, aſellus cum aſinario occurrit: Eutychus, homini; beſtiæ, Nicon, erat nomen. Utriuſque ſimulacrum æneum victor poſuit in templo, in quod caſtrorum ſuorum locum vertit. Mors 97
quoque ejus, de qua dehinc dicam, divinitaſque poſt mortem, evidentiſſimis oſtentis præcognita eſt. Cum luſtrum in campo Martio magna populi frequentia conderet, aquila eum ſæpius circumvolavit: tranſgreſſaque in vicinam ædem, ſuper nomen Agrippæ ad primam litteram ſedit: quo animadverſo, vota, quæ in proximum luſtrum ſuſcipi mos eſt, collegam ſuum Tiberium nuncupare juſſit. Nam ſe, quamquam conſcriptis paratiſque jam tabulis, negavit ſuſcepturum quæ non eſſet ſoluturus. Sub idem tempus ictu fulminis ex inſcriptione ſtatuæ ejus prima nominis littera effluxit. Reſponſum eſt, centum ſolos dies poſthac victurum, quem numerum C littera notaret: futurumque ut inter deos referretur, quod ÆSAR, id eſt, reliqua pars e Cæſaris nomine, Etruſca lingua deus vocaretur. Tiberium igitur in Illyricum dimiſſurus, & Beneventum uſque proſecuturus, cum interpellatores aliis atque aliis cauſſis in jure dicendo detinerent, exclamavit, (quod & ipſum mox inter omina relatum eſt,) *Non ſi omnia morarentur, amplius ſe poſthac Romæ futurum.* Atque itinere inchoato, Aſturam perrexit: & inde, præter

TORRENT.

Eutychus homini, beſtiæ Nicon.] Idem Plutarch. Antonio, & Zonaras, Plin. quoque lib. XI. cap. XXXVII. ubi de felle loquitur, *geminum* (inquit) *fuit Auguſto ſacrificanti, quo die apud Actium vicit.*

97. *Conſcriptis paratiſque jam tabulis.*] Solebant veteres vota jam ſuſcepta ſcriptis, ſubſignatiſque tabulis confirmare, atque ipſas ſæpe tabulas deorum, quibus voverant, genibus, cera affigere. Juvenal. Sat. X.

Ergo ſupervacua, aut pernicioſa petuntur,
Propter quæ fas eſt genua incerare deorum.

Plin. Epiſt. ad Trajanum: *Solennia vota pro incolumitate tua, qua publica ſalus continetur, & ſuſcepimus, Domine, & ſolvimus, precati deos, ut velint ea ſemper ſolvi, ſemperque ſignari.* Adde tot veterum numiſmatum inſcriptiones: VOTA PUBLICA, VOTA SUSCEPTA, VOTA SOLUTA. Hinc & votorum tituli aut prælati victimis, ut ſup. cap. LIX. aut publice propoſiti, ut inf. Calig. cap. XIV. & apud Juvenalem:

Legitime fixis veſtitur tota tabellis
Porticus.

Auguſtus igitur vota ſe ſuſcepturum negavit, quæ non eſſet ſoluturus. *Suſcipere* autem *votum* eſt nuncupando voti ſe reum facere. De hoc vero mortis ſigno, uti & de aliis, non ſatis Suetonio convenit cum Dione lib. LVI.

Itinere inchoato.] Liber opt. *incohato*, unus *initiato*. Ut *inito* fortaſſe ſcribendum ſit, ut *inire viam* dicimus. Non ſine cauſa autem notatum Lipſio Elector. I. cap. XII. diſcordem hic ſibi Suetonium videri. ſup. enim cap. LXXXII. de Auguſto loquens, *Itinera* (inquit) *lectica, ac noctibus fere, eaque lenta ac minuta faciebat.* Quod hic negat, & velut rem inſolentem *præter conſuetudinem de nocte evectum* refert. Ego tamen ſic rem explico, ut illud *præter conſuetudinem* non ad nocturnam profectionem, ſed ad itineris magnitudinem referatur. utrumque enim loco, quem dixi, Sueton. expreſſit. Nec valde inſolens correctio, ſi *pro conſuetudine* legatur. Illud melius.

CASAUBON.

Utriuſque ſimulacrum victor poſuit in templo, in quod caſtrorum ſuorum locum vertit.] Glycas parte III. Annalium, de Nicopoli ab Auguſto condita loquens: *Eodem in loco hominis & aſini ſtatuas aheneas impoſuit. Nam perhibetur ea nocte, quæ prælii navalis diem anteceſſit, in hominem quendam incidiſſe, qui aſinum ageret: cumque illius de nomine ſciſcitatus fuiſſet, Mihi quidem, reſpondit ille, nomen eſt Eutyches, hoc eſt, felix: aſino vero, Nicon, id eſt, victor. Atque hæ columnæ deinceps Byzantium deportatæ ſunt, & in Circo equeſtri collocatæ.*

97. *Tranſgreſſaque in vicinam ædem.*] Agrippam mortuum intulit Auguſtus in Mauſoleum ſuum: etſi, inquit Dio, proprium ipſe habuit in campo Martio monumentum. De eo videtur loqui Suetonius.

Quod ÆSAR *Etruſca lingua deus vocaretur.*] Heſychius: Αἰσοὶ θεοὶ ὑπὸ Τυῤῥηνῶν. Eſt vero Græca vox *aſar* Hetruſca terminatione formata. nam αἶσα eſt fatum, id eſt, deus, qui fatorum auctor. & ita in libro de Mundo.

Non ſi omnia morarentur, amplius ſe poſthac Romæ futurum.] Poſtrema verba illa ſunt, quæ poſt in omen verſa. Male autem vir doctus emendat *omina* pro *omnia*. *Non ſi omnia morarentur*, eſt, οὐδ᾽ ἂν εἰ μέλλῃ πάντα αὐτῷ ἐμποδιεῖν. vel κἂν ὁτιοῦν ἐμποδὼν

98 præter conſuetudinem, de nocte ad occaſionem auræ evectus eſt. Cauſſam valetudinis contraxit ex profluvio alvi. Tunc Campaniæ ora, proximiſque inſulis circuitis, Caprearum quoque ſeceſſui quatriduum impendit: remiſſiſſimo ad otium & ad omnem comitatem animo. Forte Puteolanum ſinum prætervehenti, vectores nautæque de navi Alexandrina,

ἐμποδὼν γίγνηται. Non nego inter moræ cauſſas potuiſſe eſſe omina ſive ἀκέλευθα σημεῖα, ut Græci vocant, & religionem objectam, ut in Othone cap. VIII. & apud Tacitum alioſque. Sed propterea legendum eſſe *omina*, id vero nego. Simile in Julio, *per omnes moras exitu prohibere* cap. XXXIV.

Casaubon.

Inde præter conſuetudinem de nocte ad occaſionem auræ evectus eſt.] Veterum ſuperſtitio, quicquid præter conſuetudinem ſuam alicui acciderat ante mortem, a morte id vertebat in omen. Auguſtus firmiore valetudine utens, ſolitus itinera facere & minuta & lenta: idem exacta jam ætate, & vapide ſe habens, ut eſt perveriſimile, noviſſimum hoc iter magna contentione & pene ſine remiſſione confecit. Declarat hoc Suetonius verbo *perrexit*, & eo quod ait, *Aſtura eſſe evectum ad occaſionem auræ.* Quod intelligendum eſt, factum eſſe, cum non multo ante Aſturam veniſſet: prorſus contra commodum valetudinis & conſuetudinem ipſius. hoc illud eſt, quod poſtea verſum eſt in omen; præſertim quum navigatio ad auram nocturnam incerta & infida ſit, ut temere illi ſe prudentes, niſi neceſſitate urgeantur, non committant. Ideo diſertiſſimus ſcriptor Dio Chryſoſtomus in altera Tarſicarum, incertum atque inſtabilem Reip. ſtatum comparat navigationi, quæ fit τοῖς ἀπογείοις vel τοῖς ἀπὸ τῶν γνόφων πνεύμασι.

98. *Puteolanum ſinum prætervehenti, vectores nautæque de navi Alexandrina.*] Navigationis mercaturæ cauſſa temporibus illis palma penes Alexandrinos erat. Ex eo emporio pleræque merces Orientales in Italiam importabantur. Auguſtus vero Ægypto in provinciam redacta, certum frumenti numerum quotannis illi imperavit, egenæ plebi Romanæ dividendum. Hæc eſt claſſis Alexandrina quæ dicitur, cujus tot locis fit mentio. navigabant enim in Italiam ingenti numero, qua mercibus, qua annona onuſtæ naves. vocatus & *commeatus Alexandrinus.* Suetonius Nerone: *Alexandrini, qui de novo commeatu Neapolim confluxerant.* Græci videntur exprimere voluiſſe hanc dictionem duabus ſuis πορευτικὸς σόλος. vetus inſcriptio:

ΥΠΕΡ ΣΩΤΗΡΙΑΣ ΚΑΙ ΔΙΑΜΟΝΗΣ
ΤΟΥ ΚΥΡΙΟΥ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ
ΚΟΜΜΟΔΟΥ ΣΕΒΑΣΤΟΥ
ΟΙ ΝΑΥΚΛΗΡΟΙ ΤΟΥ ΠΟΡΕΥΤΙΚΟΥ
ΑΛΕΞΑΝΔΡΙΝΟΥ ΣΤΟΛΟΥ.

Auctor hujus inſcriptionis, quem Latini vocant *commeatum*, non putavit ſatis poſſe exprimi voce σόλος: addit igitur, πορευτικός. atqui Latinis ipſis ſtolus idem eſt ac commeatus: unde eſt in Codice *ſtolus Alexandrinus.* Dicta eſt hæc claſſis & *cataplus.* Martialis:

Cum tibi Niliacus portet cryſtalla cataplus,
Accipe de Circo pocula Flaminio.

Commeatus & cataplus dicuntur idiomate noſtro vernaculo *la flotte.* Κατάπλους proprie eſt non claſſis ipſa, ſed claſſis appulſus ad portum, ac præſertim mercatorum. Ariſtides in Panathenaica: Τῆς χώρας ἐχούσης τὸν ἀεὶ κατάπλουν τῶν ἐμπόρων. Dio in Boryſthenitica: Τότε οἱ Βορυσθενεῖται πάλιν συνῴκισαν, ἐθελόντων, ἐμοὶ δοκεῖν, τῶν Σκυθῶν διὰ τὸ δεῖσθαι τῆς ἐμπορίας, καὶ τοῦ κατάπλου τῶν Ἑλλήνων. ſic cape in XV. Polybii. Strabo de his ipſis navibus loquens lib. ult Γνοίη δ᾽ ἄν τις ἔν τε τῇ Ἀλεξανδρείᾳ καὶ τῇ Δικαιαρχίᾳ ὁρῶν τὰς ὁλκάδας, ἔν τε τῷ κατάπλῳ καὶ ταῖς ἀναγωγαῖς, ὅσον βαρύτεραί τε καὶ κουφότεραι δεῦρο κἀκεῖσε πλέοιεν. Sed cum circa Puteolos & Neapolim, ubi maximus linguæ Græcæ fuit uſus, plurimum in ore hominum eſſet ea vox, velut cum dicerent, *exſpectari* κατάπλουν *claſſis Alexandrinæ*, & *tardare* κατάπλουν, aliaque hoc genus, tandem cœpit cataplus pro ipſa claſſe accipi. præter Martialem, ſic loquuntur Auſonius in epigrammate de Narbone, & Sidonius duobus locis, & Marcellus Empiricus in eo carmine, quo opus ſuum claudit. tamen non deſunt, qui in ſuperiore loco Martialis *cataſtus* ſcribendum contendant, non *cataplus*: quos in ſua ignorantia inſigniter duræ frontis eſſe omnes vident, quibus *de meliore luto finxit præcordia Titan.* Excipio Brodæum virum eruditiſſimum, qui corruptiſſimam vocem ideo olim conatus eſt exponere, quia veram ignorabat. Simile poſtea accidit in voce ἐμβολὴ, quæ cum ſignificet navis φόρτον, & quicquid mercium illi imponitur, poſtea de hac ipſa claſſe uſurpata eſt a Latinis. Inde *ſacra embola* & *felix embola* in Codice: etſi non ſine cauſſa placebat Scaligero τῷ μακαρίτῃ reſcribi ubique *empola* & ἐμπολή. nam ita Αἰγυπτίαν ἐμπολὴν leges apud Heſychium, & ſimilia apud alios. Solitæ autem naves Alexandrinæ Puteolano portu uti: eo appellebant, inde ſolvebant, ut teſtatur Suetonii iſte locus, & Strabonis, quem modo protulimus. M. Tullius pro Rabirio Poſtumo, Philo contra Flaccum, & Lucas quoque in Actis cap. XXVIII. Prærogativa illius claſſis hæc fuit, ut ſola portum intraret cum

 ſupparo

drina, quæ tantum quod appulerat, candidati, coronatique, & thura libantes, fauſta omina & eximias laudes congeſſerant: *Per illum ſe vivere: per illum navigare: libertate atque fortunis per illum frui.* Qua re admodum exhilaratus, quadragenos aureos comitibus diviſit: juſque jurandum, & cautionem exegit a ſingulis, non alio datam ſummam, quam in emtionem Alexandrinarum mercium abſumturos. Sed & cæteros continuos dies, inter varia munuſcula, togas inſuper ac pallia diſtribuit: lege propoſita, ut Romani Græco, Græci Romano habitu & ſermone uterentur. Spectavit aſſidue & exercentes ephebos, quorum

ſupparo: cæteræ naves cum intraverant Capreas & Minervæ promontorium, velo jubebantur eſſe contentæ: ſupparum Alexandrinarum inſigne erat. auctor Seneca epiſt. LXXVII. *Supparum* eſt veli linei genus, quod non ad uſum, ſed ad indicium gaudii rebus ſecundis attollebant nautæ. Inde manavit proverbium, de eo qui in adverſa fortuna ea potius curat, quæ ad gloriam faciant, quam quæ ad ſalutem, βυθιζομένυ τῦ πλοίυ ἐπαίρει τὺς σιφάρυς. Arrianus Diſſertationum Epicteti lib. III. cap. II. Τοῖς ἐν παθῦσι προσήκει πῦρ καίειν, ἀριςᾷν ἂν ὕτω τύχῃ, καὶ ἄδειν καὶ ὀρχεῖσθαι· βυθιζομένυ δὲ τῦ πλοίυ σύ μοι παρελθὼν ἐπαίρεις τὺς σιφάρυς; id eſt, *Rebus ſecundis convenit ignem accendere, prandere ſi ita contingat, cantare, ſaltare: at quando peſſum it navis, tu mihi ſuppara attolleres?* Ita exponi locus ille debet ac ſcribi. quæ deinceps attexuntur in Græco cod. ad finem ejus capitis, omnia ſunt ſubditia atque etiam corrupta. Lege præterea apud Heſychium in voce Ἐπιδρόμον, hoc modo, καὶ τὸ ἱςίον τὸ ἐν τῇ πρύμνῃ κρεμάμενον, ὃ καλῦσι σίφαρον, καὶ ἔλασσον. Cætera de hac claſſe, quæ inter legendum veteres notata nobis, alio loco exponemus.

TORRENT.

98. *Qua tunc quidem appulerat.*] Mallem *quadam*, aut deleri *quidem*, aut, quod verius puto, pro *tunc quidem* reſtitui *tantum quod*, cujus me Pulmannus poſt editionem ſuam admonuit. Sup. Aug. cap. LXIII. Locum vero illuſtrat Seneca initio Epiſt. LXXVIII. quem vide.

Fauſta omnia.] Libri tres *omina.* quod placet, ut alterum tamen non diſpliceat.

Per iſtum ſe vivere.] Talia & Horat. Auguſto accinit lib. IV. Od. V.

Tutus bos etenim rura perambulat,
Nutrit rura Ceres, almaque Fauſtitas,
Pacatum volitant per mare navitæ,
Culpari metuit fides.

Et exercentes ephebos.] Liber unus ſine *&*. *Ephebi* autem vocantur extrema in pueritia, aut prima adoleſcentia conſtituti. Hinc *ephebeum* apud Vitruvium, ea palæſtræ pars, in qua ſe *ephebi* exercebant. Strabo quoque quod huc propius ſpectat, lib. V. ubi de Neapoli, *Multa*, inquit, *Græcorum ſervabant veſtigia, gymnaſia, & puberum cœtus.* Adde Suetonium Ner. cap. XII.

CASAUBON.

Fauſta omina & eximias laudes congeſſerant.] Ita legendum cum melioribus libb. non *omnia*, ut in vulgat. fauſta omina congerere eſt Græcorum εὐφημεῖν.

Per illum ſe vivere, per illum navigare.] Videtur exprimere modulatas laudationes vectorum nautarumque de navi Alexandrina. In Nerone: *Captus modulatis Alexandrinorum laudationibus, qui de novo commeatu Neapolim confluxerant, plures Alexandria evocavit.* Apud Philonem in virum Judæum natione, habitatione Alexandrinum, congeſtas eaſdem laudes καὶ εὐφημίας offendi, Legatione ad Cajum: Οὗτος ὁ καὶ τὺς φανερὺς καὶ ἀφανεῖς πολέμυς διὰ τὰς ἐκ λῃςῶν ἐπιθέσεις ἀνελών· ὗτος ὁ τὴν θάλατταν πειρατικῶν μὲν σκαφῶν κενὴν ἐργασάμενος, φορτίδων δὲ πληρώσας· ὗτος ὁ τὰς πόλεις ἁπάσας εἰς ἐλευθερίαν ἐξελόμενος, ὁ τὴν ἀταξίαν εἰς τάξιν ἀγαγών. & in hanc ſententiam plura.

Quam in emptionem Alexandrinarum mercium.] Cujuſmodi erant aromata omnis generis, telæ, libri, papirus, chartæ, vitra multifariam formata, lina, ſtuppæ, ſindones, polymita, veſtes Babylonicæ, Ægyptiaca mancipia venuſta, atque alia παντοῖα. addo his & vina: licet ſit certum, Ægyptum non valde Baccho amicam. Statius in Metii Celeris propemptico:

--- *modo nam trans æquora terris*
Prima Dicarchæis Pharium gravis attulit annum:
Prima ſalutavit Capreas, & margine dextra
Sparſit Tyrrhenæ Mareotica vina Minervæ.

Spectavit aſſidue & exercentes ephebos.] Græcum eſt *exercentes* pro exercentes ſe: Græci magiſtri vocant σχῆμα κατ᾽ ἀντιπάθειαν. ſic ἀσκεῖν pro ἀσκεῖν ἑαυτόν. Dio lib. LVIII. τὺς ςρατιώτας ἀσκῦντας ἰδῦσα αἰτίαν ἔσχεν. ſupra lib. I. *dictata gladiatoribus exercentibus dare.* ſic apud poetam, *tondent hirci*, & *accingunt omnes operi*, & ſimilia paſſim apud optimos auctores.

TOR-

quorum aliqua adhuc copia ex vetere inſtituto Capreis erat. Iiſdem etiam epulum in conſpectu ſuo præbuit, permiſſa, immo exacta jocandi licentia, diripiendique pomorum & obſoniorum, rerumque miſſilium. Nullo denique genere hilaritatis abſtinuit: Vicinam Capreis inſulam ἀπραγόπολιν appellabat, a deſidia ſecedentium illuc e comitatu ſuo. Sed ex dilectis unum Maſgabam nomine, quaſi conditorem inſulæ, κτιςὴν vocare conſueverat: hujus Maſgabæ, ante annum defuncti, tumulum cum ex triclinio animadvertiſſet magna turba multiſque luminibus frequentari, verſum compoſitum ex tempore clare pronuntiavit,

Κτιςȣ̃

TORRENT.

Diripiendique pomorum.] Vetus locutio. Plautus Captivis, quem citant etiam interpretes: *Nominandi iſtorum tibi erit magis quam edundi copia.* Gell. lib. XVI. cap. VIII. *Feciſſeque videtur eum librum Ælius ſui magis admonendi, quam aliorum docendi gratia.*

Rerumque miſſilium.] Liber vetuſtiſſimus *rerumque miſſilia.* Et ſane *variarum rerum miſſilia* legimus apud Sueton. Calig. cap. XVIII. item *miſſilia omnium rerum* Ner. cap. XI. nihil tamen hic muto, & *res miſſiles* intelligo, quæ de menſa a convivis ſumptæ mittebantur abſentibus, aut alibi accumbentibus. De qua conſuetudine Macrob. Saturnal. lib. II. cap. IV. Curtii cujuſdam, equitis Romani, dicterium referens.

Vicinam Capreis inſulam.] Quanquam ſic habent omnia exemplaria, dubito tamen, an *Capreas* legendum ſit. nam in ora Campaniæ Cæſar tunc verſabatur, non *Capreis*, ubi quatriduum tantum manſerat. Capreæ autem oræ Campaniæ tam vicinæ ſunt, ut a Surrento non niſi VII. M. P. diſtent, teſte Plinio. Capreas ergo ἀπραγόπολιν appellabat, ut Horat. Epod. V. *otioſam Neapolim.* De qua Ovid. quoque lib. XV. Metam. *& in otia natam Parthenopen.* Lector cogitet, ac geographos conſulat. nam & altera quædam inſula eo in mari Capreis adjacet, ipſa quoque vicina Campaniæ.

Multiſque luminibus.] Lector non oſcitabundus cereorum in funeribus, ac parentalibus uſum annotet, de quo alibi. Vide Senecam extremo lib. de Brevit. vitæ, & de Tranquill. vitæ cap. XI. Nec diſſimilis de tædis ardentibus in Tiberii funere locus Tib. cap. XIII.

CASAUBON.

Quorum aliqua adhuc copia ex vetere inſtituto Capreis erat.] Caprearum priſci incolæ Græci erant. Tacitus Annalium IV. *Græcos ea tenuiſſe Capreasque Telebois habitatas, fama tradit.* Argumentum Græcæ originis fuerit, vel, quod hic commemoratur, vetus inſtitutum exercendi ephebos: cujus moris apud Artemidorum alioſque Græcos ſcriptores frequens mentio.

Diripiendique pomorum.] Plautus Captiveis: *Nominandi iſtorum tibi erit magis quam edundi copia.* Varro de Re Ruſtica lib. II. cap. I. *Sive enim aliquod fuit principium generandi animalium.* Imperator Julianus: *Sed quia leges Romanæ hujuſmodi contractus penitus ignorant, omnem repetendi eorum, quæ prodige nefarieque projecerint, copiam prohibemus.*

Vicinam Capreis inſulam Apragopolim appellabat.] Vetus Juvenalis interpres ad Satyram X. laudans hunc locum, *Capreas* legit: quæ lectio nuſquam exſtat in noſtris libb. nec nobis probatur. Nam ex præcedentibus colligi poteſt dixiſſe hæc Auguſtum, cum eſſet Capreis. Initio hujus capitis inſtituit Suetonius referre, quæ fecit Auguſtus in ora Campaniæ proximiſque inſulis, & illo quatuor dierum ſeceſſu apud Capreas. De eo ſeceſſu loqui videtur ab illis verbis *ſpectavit aſſidue*, ad illa *mox Neapolim trajecit.* Quare quæ in medio narrantur, ea puto geſta dictave ab Auguſto Capreis, vel in aliqua e vicinis inſulis.

Ex dilectis unum Maſgabam nomine quaſi conditorem inſulæ.] Auguſtus Capreas a Neapolitanis redemptas incolis frequentavit & reſtauravit. Ei negotio præfectus eſt Maſgabas e dilectis ejus unus: quem eo miſiſſe cum aliqua manu videtur. Propterea illum vocat κτιςὴν per jocum & facetias: nam verus κτίςης & conditor ejus inſulæ non Maſgabas fuit, ſed Auguſtus ipſe, qui fecit eam ἴδιον κτίσμα, ſicut ait Strabo. Vulgo tamen habitum pro conditore a ſuis popularibus, apparet ex eo honore, qui ipſi mortuo habetur. inſtitutum enim fuit, ut ejus defuncti memoria quotannis die, quo obierat, coleretur: qui honos, ut ante notabamus, κτίςαῖς exhiberi ſolitus. Etſi autem quis fuerit hic Maſgabas, ſilentibus omnibus hiſtoricis, divinari non poteſt: Afrum tamen fuiſſe ex ipſo nomine ſuſpicamur. id enim nomen uſurpatum in Africa ſcimus ex hiſtoria. Sic apud Livium Maſgaba memoratur Maſaniſſæ filius. Vox eſt, ſi originem ſpectes, Hebræa, ut ſi Græce dicas Ὑψαῖος. nam שגב eſt ὕψȣ̃ν.

VARIOR.

98. *Rerumque miſſilium.*] Cod. Salmaſ. *rerumque miſſilia.*

Κτιϛου δὲ τύμβον εἰσορῶ πυρούμενον.

Converſuſque ad Thraſyllum Tiberii comitem, contra accubantem, & ignarum rei, interrogavit, cujuſnam poetæ putaret eſſe: quo hæſitante, ſubjecit alium:

Ὁρᾷς φάεσσι Μασγάβαν τιμώμενον;

de hoc quoque conſuluit: cum ille nihil aliud reſponderet, quam cujuſcumque eſſent, optimos eſſe: cachinnum ſuſtulit, atque in jocos effuſus eſt. Mox Neapolim trajecit, quamquam & tum infirmis inteſtinis morbo variante; tamen & quinquennale certamen gymnicum honori ſuo inſtitutum perſpectavit, & cum Tiberio ad deſtinatum locum contendit. Sed in redeundo, aggravata valetudine, tandem Nolæ ſuccubuit: revocatumque ex itinere Tiberium, diu ſecreto ſermone detinuit, neque poſt ulli majori negotio animum accommodavit. Supremo die idemtidem exquirens, an jam de ſe tumul- 99
tus foris eſſet, petito ſpeculo, capillum ſibi comi, ac malas labentes corrigi præcepit. Et amicos admiſſos percunctatus, *Ecquid iis videretur mimum vitæ commode tranſegiſſe*, adjecit & clauſulam:

Δότε

TORRENT.

Cachinnos ſuſtulit.] Duo libri, *extulit.* De Thraſyllo autem, Tiberii comite, Sueton. Tib. cap. XIV. Tacit. Annal. V. Dion, Zonaras, Juvenal. Sat. VI. *numeris revocata Thraſylli.*

Quinquennale certamen.] Vide Domit. cap. IV. & Claud. cap. XII.

99. *Sibi corrigi.*] Dele *ſibi*, ut in quatuor MSS. præcedit enim.

CASAUBON.

Κτιϛου δὲ τύμβον εἰσορῶ πυρούμενον.] In voce πυρούμενον eſt καινοπρέπεια; vel potius faceti ſenis jocus. non enim ita ſolet accipi, ut hic, pro *luminibus frequentari*, ſed pro incendi & conflagrare. Fuit autem moris, in tumulis cereos ponere: quæ conſuetudo poſtea ad honorem martyrum a Chriſtianis eſt tranſlata, ut indicat ſæpe Hieronymus. Sic in omnibus locis, quibus aliquid religionis tribuebant, lumina ponebant. Unde, ut ait Servius, lucos quidam putarunt dictos, quod ſint ibi lumina cauſa religionis: quod etymum etſi aliis criticis non eſt probatum, morem tamen arguit antiquum. pro πυρούμενον Joſepho Scaligero placebat πυρσούμενον.

Revocatumque ex itinere Tiberium.] Literis maris. Tacitus.

Diu ſecreto ſermone detinuit.] Ita quidam tradunt: alii aliter. Tacitus I. A. 5. *Neque ſatis compertum eſt, ſpirantem adhuc Auguſtum apud urbem Nolam, an exanimem reppererit.* Suetonius iterum affirmat lib. ſequenti. item Vellejus, qui Tiberio tum comes adfuit. Græci, quorum princeps Dio, prorſus negant: Οὕτω γὰρ, inquit ille, τοῖς πλείοσι καὶ ἀξιοπιϛοτέροις γέγραπται.

99. *Capillum ſibi comi ac malas labentes corrigi præcepit.*] An ut diſſimularet vim morbi, & ſpem viſentibus faceret longioris vitæ? an potius ex veteri Græcorum & Romanorum conſuetudine, qui id diligenter caverunt, ut membris decenter & κατὰ φύσιν compoſitis abirent ad plures? Euripides Hippolito:

Αἶ αἶ, κατ' ὄσσων κιχάνει μ' ἤδη σκότος.
Λαβοῦ, πάτερ μου, καὶ κατόρθωσον δέμας.

Κατορθοῦν eſt corrigere: alibi ὀρθοῦν pro eodem poſuit. Scholiaſtes explicat ὀρθὸν κατακλίνειν. idque in morientibus ſervatum ſcribit: quam vere, ipſe viderit? nam Euripides etiam verbo ἐκτείνειν, quod eſt dirigere, in ea re utitur, fabula eadem. Apud principem poetam ϛόμα συνερεῖσαι interpretor, malas deformatas ἐκ τοῦ σφαδασμοῦ, hianteſque corrigere, & claudere. locus eſt Ὀδυσσ. λ. ubi de Clytemneſtra loquitur Agamemnon:

---- ---- οὐδέ μοι ἔτλη ἰόντιπερ εἰς ἀΐδαο
Χερσὶ κατ' ὀφθαλμοὺς ἑλέειν, σύν τε ϛόμ' ἐρεῖσαι.

Scholiaſtes: ἐρεῖσαι· ἁρμόσαι ἢ ἐπικλεῖσαι. Alluſio ad hunc morem eſſe videtur in illis Satyrographi: *Patior ego vinculum extremum, & veluti lecto funebri aptatus exſpecto mortem jam non moleſtam.* Scripſimus autem *labantes*, ut in Viterb. non *labentes*, ut eſt in vulg. quod tamen non damno. Seneca Hippolyto:

- - - - - - *lapſæ genæ*
Lucem recuſant.

Mimum vitæ commode tranſegiſſe.] Vetus Græcorum dictum eſt, μίμος ὁ βίος. Ad quod plurimi ſcriptores alluſerunt, quorum referendis verbis ſuperſedeo. Vide epiſtolam Senecæ LXXX. & Lucianum in Nigrino, & Simplicii commentarium in Epicteti Enchiridion. Beatus Chryſoſtomus: Σκηνή τις ἐϛιν ὁ βίος, καὶ ὄναρ.

Adjecit & clauſulam.] Solebant diſcedentes hiſtriones plauſum petere, eaque erat extrema fabulæ clauſula, ut apud Terentium. Horatius:

- - - *do-*

Δότε κρότον, καὶ πάντες ὑμεῖς μετὰ χαρᾶς κτυπήσατε.

Omnibus deinde dimiſſis, dum advenientes ab urbe de Druſi filia ægra interrogabat, repente in oſculis Liviæ, & in hac voce defecit: *Livia noſtri conjugii memor vive, ac vale*, ſortitus exitum facilem, & qualem ſemper optaverat. Nam fere quoties audiſſet, cito ac nullo cruciatu defunctum quempiam, ſibi & ſuis εὐθανασίαν ſimilem (hoc enim & verbo uti ſolebat) precabatur. Unum omnino ante efflatam animam ſignum alienatæ mentis oſtendit, quod ſubito pavefactus, a quadraginta ſe juvenibus abripi queſtus eſt. Id quoque magis præſagium quam mentis diminutio fuit: ſiquidem totidem milites Prætoriani extulerunt eum in publicum. Obiit in cubiculo eodem quo pater Octavius,
100 duobus Sextis, Pompejo & Appulejo COSS. XIV. Kal. Septembris, hora diei nona, ſeptuageſimo & ſexto ætatis anno, diebus quinque & triginta minus. Corpus Decuriones

- - - *donec cantor, Vos plaudite, dicat.*

Lucianus mortem Demonactis philoſophi prope Chriſtiani referens, πόδα κηρύκων vocat clauſulam ſimilem. Sic ille: Ὅδε δὲ συνῆκεν οὐκέθ᾽ οἷός τε ὢν ἑαυτῷ ἐπικουρεῖν, εἰπὼν πρὸς τοὺς παρόντας τὸν ἐναγώνιον τῶν κηρύκων πόδα:

Λήγει μὲν ἀγὼν τῶν καλλίστων ἄθλων ταμίας.
Καιρὸς δὲ καλεῖ μηκέτι μέλλειν.

καὶ πάντων ἀποσχόμενος, ἀπῆλθε τοῦ βίου φαιδρός. Atque hæc clauſula, quam uſurpat Auguſtus, comicorum hiſtrionum videtur propria fuiſſe. Similis illa fuit, qua uſi Rhapſodi: Σκὺ δὲ θεοὶ μάκαρες. Citharœdorum: Ἀλλ᾽ ἄναξ μάλα χαῖρε. quanquam alibi lego tragœdos clauſula hujuſmodi uſos: Νῦν δὲ θεοὶ μάκαρες τῶν ἐσθλῶν ἄφθονοι ἔστησαν. Facit huc imprimis Senecæ locus epiſtola LXXVII. *Quomodo fabula, ſic vita: non quamdiu, ſed quam bene acta ſit, refert. Nihil ad rem pertinet, quo loco deſinas. quocunque voles deſine: tantum bonam clauſulam impone.* Cæterum clauſulas metrici appellant non illas ſolum, quibus fabula clauditur: ſed cantici cujuſvis ἀπόθεσιν, quæ fere minuſculis colis conſtare ſolita. Lege Marium Victorinum lib. II. capite de Anapæſtico metro.

VARIOR.

Honori ſuo.] Codex Salmaſ. *honori ſui.*

TORRENT.

Δότε κρότον.] Libri noſtri vel non habent hæc, vel ita habent, ut legi commode nequeant. Turneb. Adverſar. XXIV. c. XV. longe aliter recenſet; ſed non video, cur a recepta lectione recedamus.

Druſi filia.] Ex Antonia minore, quam nunc Livillam appellant, de qua Claud. cap. I. *Interrogat* etiam pro *interrogabat* legerim.

Εὐθανασίαν.] Qualis contingit illis, qui ex hac vita tanquam e convivio jam ſaturi diſcedunt. Horat. lib. I. Sat. I. *exacto contentus tempore vitæ Cedat, uti conviva ſatur*, ex Lucretii libro III. Græco autem vocabulo uſus etiam Cic. ad Attic. XVI. epiſt. VI.

CASAUBON.

Δότε κρότον, καὶ πάντες ὑμεῖς μετὰ χαρᾶς κτυπήσατε.] Prima edit. leviter emendata habet, δίδοτε κρότον καὶ πάντες ὑμεῖς μετὰ χερός. abſque verbo κτυπήσατε. Turnebus eruit ex ſuis codd. Εἰ δὲ πᾶν ἔχει καλῶς, τῷ παιγνίῳ δότε κρότον, καὶ πάντες ὑμᾶς μετὰ χαρᾶς προπέμψατε. quam lectionem & nos reperimus leviſſime mutatam in codice Memmiano: & præterea ex vacuo ſpatio, quod relictum erat in cod. Viterb. plura videntur verba Græca fuiſſe olim ſcripta, quam exſtant hodie in vulgatis libb.

Ac vale.] Vale & χαῖρε noviſſima verba morientium. Hippolytus apud Euripid. renuntians rebus humanis,

Ὦ χαῖρε καὶ σὺ, χαῖρε πολλά μοι πάτερ.

& ſæpe alibi.

Sortitus exitum facilem.] Εὐθανατήσας: mox aliter vertit, *cito ac nullo cruciatu defungi*, & melius: tot enim verbis opus, ut vim Græcæ dictionis exprimas: quod declarat Galenus, qui apud Hippocratem δυσθάνατον dici notat καὶ τὸ βραδυθάνατον καὶ τὸ σὺν ὀδύνῃ θνήσκειν. apud hiſtoricos tamen εὐθανατεῖν eſt, quod ait Poeta,

- - - *pulcrumque mori ſuccurrit in armis.*

At ejus εὐθανασίας, de qua hic loquitur Suetonius, contrarium eſt ψυχομαχεῖν; cum per graves ac longos cruciatus mors obitur. ita accipitur ea vox in Quæſtionibus ſub Athanaſii nomine publicatis: ubi quærit auctor, πόθεν ὁρῶ μέν τινας δικαίους ψυχομαχοῦντας ἐπὶ ἡμέρας καὶ κρινομένους. apud Polybium longe aliud vox ψυχομαχεῖν ſignificat, ut ibi σὺν Θεῷ exponemus.

100. *Obiit in cubiculo eodem, quo pater.*] Idem Tacitus: & ſimile libro ultimo de Tito. ſed miror non hoc potius Suetonio obſervatum, quod Dio ait die eo Auguſtum obiiſſe, quo primum conſulatum inierat. Tacitus I. A. 9. *Multus hinc ipſo de Auguſto ſermo, plerique vana mirantibus, quod idem dies accepti quondam imperii princeps & vitæ ſupremus.*

Diebus quinque & triginta minus.] Ζήσας, inquit Dio, πέντε καὶ ἑβδομήκοντα ἔτη καὶ μῆνας δέκα καὶ ἡμέρας

nes municipiorum & coloniarum a Nola Bovillas uſque deportarunt: noctibus, propter anni tempus, cum interdiu in baſilica cujuſque oppidi, vel in ædium ſacrarum maxima reponeretur. A Bovillis equeſter ordo ſuſcepit, urbique intulit, atque in veſtibulo domus collocavit, ſenatus & in funere ornando, & in memoria honoranda eo ſtudio certatim progreſſus eſt, ut inter alia complura cenſuerint quidam funus triumphali porta ducendum, præcedente Victoria, quæ eſt in curia, canentibus næniam principum liberis utrius-

ἡμέρας ἓξ καὶ εἴκοσι. ſed ἑπτὰ potius καὶ εἴκοσι ſcribere debuit Dio: tot enim ſunt dies.

Torrent.

In æde ſacrarum maxima.] Melius MSS. duo *in ædium ſacr. max.*

Victoria, quæ eſt in curia.] Curiam Juliam intelligo, quam in honorem D. Julii factam Auguſtus poſt triumphos ſuos dedicavit, in eaque imaginem Victoriæ poſuit, atque Ægypti ſpoliis decoravit, Tarento olim Romam advectam. ſic enim Dion lib. LI. ſua adhuc ætate manſiſſe atteſtans. Cujus aram poſtea invaleſcente Chriſtianorum religione ſublatam graviſſime conqueritur Symmachus, & Symmacho elegantiſſima epiſtola reſpondet Ambroſius. quod etiam Turneb. annotavit.

Casaubon.

Vel in æde ſacrarum maxima reponeretur.] Mirum non impediſſe religionem. Notum enim pleraſque omnes olim gentes, & ſe & quidquid erat ſacrum diis ſuperis, vel ſolo rei funeſtæ contactu contaminari exiſtimaſſe. Ex ea opinione multa inſtituta manarunt, cum aliorum, tum etiam populi Romani & Judaici. Quare etiam rex pius Joſias, cum vellet idolorum templa contra Dei legem in Judæa exſtructa profanare, omnemque locis religionem adimere, mortuorum oſſa in illas ædes intulit. II Reg. cap. XIII. XIV. & XV. Romanis vero legibus ne admitti quidem in urbes ſolita cadavera, quæ aliquo transferuntur. Paulus Juriſconſultus Sententiarum libro primo: *Corpus in civitatem inferri non licet, ne funeſtentur ſacra civitatis: & qui contra ea fecerit, extra ordinem punitur.* & in hanc ſententiam plura in libris Juris. Ideo notatum, ut ſingularis argumentum honoris, ſi cujus corpori hoc conceſſum, ut in urbes, per quas iter erat, reciperetur. Factum id aliquando reperio in Sanctorum reliquiis, ut Amelii, cum Antiochiam deportaretur. Teſtatur Sozomenus lib. VII. cap. X. Λέγεται δὲ διὰ πάτης τῆς λεωφόρυ κατὰ βασιλέως πρόςαγμα ἐντὸς τειχῶν εἰς τὰς πόλεις εἰσδεχθῆναι παρὰ τὸ νενομισμένον Ῥωμαίοις. Diſerte ait contra mores Romanos id eſſe: neque aliter licitum quam expreſſio Principis juſſu. ex quibus jam intelligimus, cur hoc notatu dignum Tranquillus exiſtimarit. non enim tranſlatitium, aut vulgare genus honoris, qui hoc privilegio delatus Auguſto eſt: ſive a Tiberio id profectum, ſive a ſenatu, quod potius videtur. Nam & Tiberio ipſi, ut funus ducere pontifex maximus poſſet, venia a ſenatu & collegio pontificum fuit impetranda: quod non prætermiſit notare Dio.

A Bovillis equeſter ordo ſuſcepit.] Re a conſulibus impetrata, ad quos legationem equitum Claudius pertulerat Suetonius lib. V.

Urbique intulit.] Repete ex ſuperioribus, noctu. ita Dio.

Atque in veſtibulo domus collocavit.] Ita enim fuit moris. Perſius:

> - - - *tandemque beatulus alto*
> *Compoſitus lecto, craſſiſque lutatus amomis*
> *In portam rigidos calces extendit.*

Ad quem locum plura notavimus non protrita.

Funus triumphali porta ducendum.] Quod etiam factum eſt, teſte Dione: tamen ex verbis Suetonii potius contrarium elicias. Viro docto, qui ad Tacitum ſuum miratur, perperam acceptum a nobis locum Dionis, cum hæc ſcribebamus; reſpondeat pro nobis ipſe Dio, cujus verba ſunt iſta poſt recitatam orationem Tiberii in funere Auguſti: Μετὰ τῦτο τήν τε κλίνην οἱ αὐτοὶ, οἵπερ καὶ πρότερον ἀράμενοι διὰ τῶν ἐπινικίων πυλῶν κατὰ τὰ τῇ βυλῇ δόξαντα διεκόμισαν. *Lectum*, ait, *iidem, qui prius* urbi intulerant (ii erant equites) *ſuſtulerunt, & porta triumphali, ſicut erat a ſenatu decretum, funus duxerunt.*

Canentibus næniam princip. liber.] Quia Auguſtus pater patriæ, & communis omnium parens: nam ex ritu næniam cantabant tantum, qui propinqui mortuis erant, vel eorum loco præficæ, ut innuit Nonius in *Nænia*.

Varior.

101. *In ædium ſacrarum maxima.*] Cod. Salmaſ. *vel in ædi ſacrarum maxima.*

In veſtibulo domus collocavit.] Ad oſtium deponi cadaver ſolebat, pedibus & facie foras verſis. Seneca Ep. 12. *Quis eſt, inquam, iſte decrepitus, & merito ad oſtium admotus? foras enim ſpectat.* Ludens ait: Merito iſte janitor eſt, & oſtium ſervat; nam mox ita locandus & efferendus. Virgil. eo reſpexit lib. VIII. Æn.

> - - - *recipitque ad limina greſſum,*
> *Corpus ubi exanimi poſitum Pallantis.*

Lipsius.

utriuſque ſexus. Alii exſequiarum die ponendos anulos aureos, ferreoſque ſumendos: nonnulli legenda oſſa per ſacerdotes ſummorum collegiorum. Fuit & qui ſuaderet, appellationem menſis Auguſti in Septembrem transferendam: quod hoc genitus Auguſtus, illo defunctus eſſet. Alius, ut omne tempus a primo die natali ad exitum ejus, ſeculum Auguſtum appellaretur, & ita in faſtos referretur. Verum adhibito honoribus modo, bifariam laudatus eſt, pro æde D. Julii a Tiberio: & pro Roſtris ſub veteribus, a Druſo Tiberii filio, ac ſenatorum humeris delatus in Campum, crematuſque. Nec defuit vir

TORRENT.

Ferreoſque ſumendos.] Liber opt. *ſumendoſque ferreos.* Ordinis autem dignitatiſque inſignia in luctu deponi ſolere tam ab equite, quam a ſenatu, nemo eſt qui ignoret, ſi vel Livium, vel Ciceronem unquam attigerit. Sed de Auguſti ob mortem luctu peculiariter Tacitus.

Sac. ſummorum coll.] Mallem *ſacerdotes ſummos collegiorum*, ut primores ſacerdotum intelligamus id facturos fuiſſe, quod primores equeſtris ordinis, ut mox ſequitur, præſtiterunt. Poſſumus etiam *ſumma collegia* accipere, quæ ceteris eſſent honeſtiora.

In ſeptembrem transferendam.] Idem cod. *in Sept. transferrent.* Natus autem Auguſtus IX. Cal. Octob. vita exceſſit XIV. Cal. Septemb. ut diſerte Dion & Sueton. cum hic, tum ſup. cap. XXXI.

A primo die natali uſque ad exitum ejus.] Rectius duo MSS. *a die natali ad exitum ejus.*

Pro roſtris ſub veteribus.] Libri duo *pro Roſtris veteribus*, ſed nihil muto. qui enim de urbe Roma ſcribunt regione fori Rom. Roſtra vetera, & Roſtra nova recenſent. *ſub veteribus* quoque, & *ſub novis* abſolute legimus. Quanquam hoc ad tabernas potius referendum. Sueton. igitur recte hic diſtinxit. Cum quo ſi Dionem lib. LVI. ubi de Auguſti funere ſcribit, conferamus, Roſtra nova ad ædem D. Julii fuiſſe, unde & Julia appellata ſint, reperiemus. Sueton. enim Tiberium pro æde Julii orationem habuiſſe dicit, ille vero Druſum quidem ἀπὸ τοῦ δημηγορικοῦ βήματος, ἀπὸ δὲ τῶν ἑτέρων ἐμβόλων τῶν Ἰουλίων Tiberium.

Delatus in campum crematuſque.] Melius MSS. duo, *crematus eſt.*

CASAUBON.

Ponendos anulos aureos.] A ſenatu & equite: nam plebs ferreis uſa.

Legenda oſſa per ſacerdotes ſummorum collegiorum.] Hoc erat plane contra veteres religiones; quare merito non obtinuit. Summa autem collegia fuere quatuor, Pontificum, Augurum, Septemvirorum epulonum, & Quindecimvirorum S. F. His ſolitum committi quicquid eximium fuit, quod ad curam ſacerdotum pertineret. Sic ait Dio lib. LIII. ludos ob victoriam Actiacam, μέλειν ταῖς τέσσαρσιν ἱερωσύναις ἐκ περιτροπῆς· λέγω δὲ τοὺς ποντίφικας καὶ οἰωνιστὰς, τούς τε ἑπτὰ καὶ τοὺς πεντεκαίδεκα ἄνδρας καλουμένους. Poſtea ſodalium Auguſtalium acceſſit collegium: nam & Dio lib. LVIII. ad quatuor ſumma ſacerdotia Auguſtales adjicit, & Tacitus lib. III. Annal. Recte igitur libb. omnes *per ſacerdotes ſummorum collegiorum*, non, ut placet quibuſdam, *ſacerdotes ſummos collegiorum.*

Seculum Auguſtum appellaretur, & ita in faſtos referretur.] Arbitror veniſſe hoc in mentem ſententiæ ejus auctoribus, ex eo quod in contrarium ſolitum obſervari: nam cum aliquis contra leges Rempub. invaſerat, tenueratque, ſublata tyrannide, tyranni nomen de faſtis delebatur, totumque id tempus appellabatur Ἀναρχία, itaque in faſtos referri ſolitum. Videtur horſum alluſiſſe Corippus in Juſtini laudibus lib. IV.

Salve Auguſtorum numeri non ordine prime,
Sed meriti: largitor opum, largitor honorum,
Libertatis apex, mundi caput, unica virtus,
Et rerum manifeſta ſalus, reparator opimi
Nominis antiqui, redeunt nova ſecula faſtis:
Auguſti primum revocaſti Cæſaris ævum.

Bifariam laudatus eſt.] Auctor ipſe Auguſtus hujus moris. primus enim, niſi fallor, eo uſus eſt in ſuorum funeribus ornandis: exemplum in Octavia apud Dionem lib. LIV. in fine, & in Druſo lib. LV. ejuſdem.

Pro roſtris ſub veteribus.] Et Viterb. & Liſlæi codd. τὸ *ſub* non agnoſcunt. nihil tamen muto: Varronem vide & in deſcriptionibus Urbis.

Delatus in campum crematuſque.] In medio campo Martio fuit culina Auguſti, ſive uſtrina. Strabo in deſcriptione ejus campi: Ἐν μέσῳ δὲ τῷ πεδίῳ ὁ τῆς καύστρας αὐτοῦ (Auguſti) περίβολος καὶ οὗτος λίθου λευκοῦ, κύκλῳ μὲν περικείμενον ἔχων σιδηροῦν περίφραγμα, ἐντὸς δ' αἰγείροις κατάφυτος.

Nec defuit vir prætorius, qui ſe effigiem cremati euntem in cœlum vidiſſe juraſſet.] Melius *juraret*: vel *juraſſit*, ἀρχαϊκῶς. Porro videtur in omnibus conſecrationibus jam inde ab exemplo Romuli, quaſi aliquod carmen legitimum, hoc jusjurandum fuiſſe neceſſarium. Juſtinus Martyr Apologia altera: Καὶ τί γὰρ τοὺς ἀποθνήσκοντας παρ' ὑμῖν αὐτοκράτορας ἀεὶ ἀπαθανατίζεσθαι ἀξιοῦντες, καὶ ὀμνύντα τινὰ προάγετε ἑωρακέναι ἐκ τῆς πυρᾶς ἀνερχόμενον εἰς τὸν οὐρανὸν τὸν κατακαέντα Καίσαρα.

TOR-

vir prætorius qui ſe effigiem cremati euntem in cœlum vidiſſe juraſſet. Reliquias legerunt primores equeſtris ordinis, tunicati, & diſcincti, pedibuſque nudis, ac in Mauſoleo condiderunt.

TORRENT.

Vir prætorius.] Dion Numerium Atticum vocat, quem Livia dono vicies LLS corruperit, ut idem de Auguſto juraret, quod olim de Romulo Proculus. Aliud exemplum Druſillæ, Caji ſororis, apud Dionem lib. LIX. Placet etiam *juraret* legi, non *juraſſet*.

Tunicati & diſcincti.] Perinde ſcilicet ac ſi rei militaris diſciplina atque auctoritas una cum Auguſto periiſſet. Vide ſup. cap. XXIV. Non diſſimile, quod narrat Dion convocato ob Auguſti mortem ſenatu, Patres reliquos equeſtri habitu, magiſtratus ſenatorio, ſed ſine prætextis conveniſſe.

In Mauſoleo condid.] Liber opt. ſine *in*. Mauſolei autem hujus eo, quo Sueton. deſcribit, loco, hodie quoque monumenta cernimus. De quo plura Strabo lib. V.

CASAUBON.

Reliquias legerunt.] Cum ſuos defunctos cremabant, ſic eos in pyra collocabant, ut cineres oſſaque ſeparata manerent, neque aut ligni cineribus, aut animalium, quæ ſæpiſſime ſimul comburebantur, oſſibus commiſcerentur. Quare non abeſt, quin ſit inanis illa quæſtio, quæ multos viros dictos habuit exercitos, *ecqua ratione poſſent reliquiæ illius dignoſci, cui honorem habitum volebant?* nam & oſſa fere, quod certum eſt & indubitatum, legebant: eaque nondum plane diſſoluta, nec in pulverem redacta, in urnam condebant: & ſitus ac collocatio cremandi cadaveris ejuſmodi fuit, ut diſcernendi facultas eſſet. Clare hunc morem docet Q. Smyrnæus in deſcriptione funeris Achillei lib. III. ſic ille:

> Δὴ τότε πυρκαΐην οἴνῳ σβέσαν. ὀςέα δ' αὐτȣ͂
> Φαίνετ' ἀριφραδέως. ἐπεὶ ȣ̓χ ἑτέροισιν ὅμοια
> Ἦν, ἀλλ' οἷα γίγαντος ἀτειρέος. ȣ̓δὲ μὲν ἄλλα
> Σὺν κείνοις ἐμέμικτο. ἐπεὶ βόες ȣ̓δὲ καὶ ἵπποι
> Καὶ παῖδες Τρώων μίγδα κταμένοισι καὶ ἄλλοις
> Βαιὸν ἄπωθε κέοντο περὶ νέκυν. ὃς δ' ἐνὶ μέσσοις
> Ῥιπῇ ὑφ' Ηφαίςοιο δεδμημένος οἷος ἔκειτο.

Hoc puto verius, quam quod comminiſcuntur alii de linteo lini ἀσβέςȣ: cujus ſententiæ veterum nemo auctor laudari poteſt: male enim quidam Plinii auctoritate abutuntur. In poſtremo poetæ verſu οἷος ἔκειτο, *ſolus jacebat igne confectus*, de reliquiis cremati corporis accipiendum: numquam enim cadaver ita igne abſumitur, ut non ejus aliquid remaneat. unde illa quæſtio veteribus philoſophis tractati, cur igne cremati maneant reliquiæ, in ſarcophago abſumpti non maneant. Vide Theophraſtum de Igne, ubi quæſtio ita concipitur: Διά τι τὸ μὲν ἐν πυρὶ κατακαόμενον νεκρὸν γίνεταί τι λείψανον· ὁ δὲ ἐν τῇ Ἄσσῳ λίθος ἐξ ȣ͂ τὰς σορȣ̀ς ποιȣ͂σι, καὶ ὅπȣ ἄλλοθι τοιȣ͂τος, ἀφανίζει πάντα καὶ ἐν ἑαυτῷ τέφραν ποιεῖ.

Tunicati & diſcincti pedibuſque nudis.] Omnia hæc reverentiæ & ταπεινοφροσύνης, vel, ut loquitur Tertullianus, ταπεινοφρονήσεως indicia: nec recte ſentiunt, qui aliam cauſſam eſſe putant. qui etiam in eo falluntur, quod peculiarem Auguſto habitum hunc honorem cenſent, ut a diſcinctis reliquiæ ejus legerentur. Nam in aliorum quoque funeribus idem factitatum. Tibullus:

> *Pars quæ ſola mei ſuperabit corporis, oſſa*
> *Incinctæ nigra candida veſte legant.*

Imo vero in pleriſque religionis ſuperſtitioniſve ritibus obeundis calceos ponebant. Plinius lib. XVIII. extremo: *Privatim autem contra erucas ambiri arbores ſingulas a muliere incitati menſis, nudis pedibus, recincta.* Sic matronæ Veſtæ ædem nudis pedibus adibant. Ovidius VI. Faſtorum:

> *Huc pede matronam nudo deſcendere vidi.*

Sic etiam bello Gallico, *Virgines ex ſacerdotio Veſtæ, nudo pede fugientia ſacra comitantur*, ait Florus. Et cum aquilitia Jovi immolabant, nudipedalia populo denuntiabant. Tertullianus: *Cum ſtupet cœlum, & aret annus, nudipedalia denunciantur.* ſic accipio verbum *nuda* in hoc verſu Juvenalis Satyra VI.

> - - - *Inde ſuperbi*
> *Totum regis agrum, nuda ac tremebunda cruentis*
> *Erepet genibus.*

Talia multa in veteribus ritibus notari poſſunt, quæ prætermitto. Atque hunc ritum didiciſſe gentiles a Moſe, ſcribit Juſtinus in Apologia ſecunda. Quare etiam Chriſtianos veteres in clamanda litania idem aliquando factitaſſe, Eccleſiæ hiſtoria teſtatur.

VARIOR.

Euntem in cœlum] Hinc de flaminibus & ſacerdotibus Auguſti plena omnia monumenta. Nec viri ſolum ad ſacerdotium adſcripti magni hujus Divi, ſed, quod rideamus, fœminæ. Marmor: P. POSTUMIÆ. P. F. PAULLÆ. SACERD. D. JULI. AUGUST. exemplum hujus rei a Livia, quæ, miro exemplo, ſacerdos ſui viri: & quidem ex decreto ſenatus. Et Ovidius IV. de Ponto:

> *Stans pariter natuſque pius, conjuxque ſacerdos,*
> *Numina jam facto non leviora Deo.*

LIPSIUS.

TOR-

diderunt. Id opus inter Flaminiam viam, ripamque Tiberis, ſexto ſuo conſulatu exſtruxe-
101 rat: circumjectaſque ſilvas & ambulationes in uſum populi tunc jam publicarat. Teſtamentum, L. Planco C. Silio COSS. III Nonas Aprilis, ante annum & quatuor menſes quam decederet, factum ab eo, ac duobus codicibus, partim ipſius, partim libertorum

CASAUBON.

Circumjectaſque ſylvas & ambulationes.] Melius capies, ſi cum Strabonis verbis conferas. eum adi lib. v. Sylvæ autem & nemora circa Mauſoleum inſtituta ex antiquorum ſuperſtitione, qui defunctorum heroum animas in hujuſmodi locis morari exiſtimabant. Virgilius in epitaphio Daphnidis, vel ut exiſtimarunt alii, Julii Cæſaris:

- - - *inducite fontibus umbras.*

Servius: *Hoc ideo, quia heroum animæ habitant vel in fontibus, vel in nemoribus, ut Lucis habitamus opacis.*

101. *Teſtamentum.*] Per æs & libram factum eſt, inque eo fuit familiæ pecuniæque emptor Domitius Ahenobarbus Neronis Auguſti avus. Suetonius lib. VI.

Ac duobus codicibus ſcriptum.] *Teſtamentum facere pluribus codicibus*, apud J. C. plurimis locis eſt plura exemplaria ejuſdem teſtamenti relinquere. Suetonius paullo aliter extremo lib. III. *Teſtamentum duplex fecit, ſed eodem exemplo.* Attici hoc venuſte dicunt τὰς διαθήκας ἀντίγραφα ποιήσασθαι, ut Demoſth. κατὰ Στεφάνου oratione altera. ubi quod negat διαῤῥήδην orator, factum unquam, ut teſtamenti ſui plura exemplaria aliquis relinqueret, oratoria fide dictum eſſe vel Theophraſti unius exemplum arguit: qui ultimæ ſuæ voluntatis tria, ut veteres Græci loquuntur, ἀντίγραφα, ut recentiores, ἰσότυπα vel ἶσα confecit, ac ſuo anulo obſignata totidem amicis ſervanda tradidit. auctor Laertius. Similiter Auguſtus duos codices ſive exemplaria ſui teſtamenti reliquit. Sed quæro, ſi ita eſt, (quod neque Tacitus neque Dio annotarunt,) cur utrumque ἀντίγραφον apud eaſdem Veſtales eſt depoſitum? nam contrario fieri ſolitum videas, ut diverſa exemplaria diverſis locis majoris ſecuritatis cauſſa deponerentur. Sic Theophraſtus unum Hegeſiæ, alterum Olympiodoro, tertium Adimanto tradidiſſe ſcribitur. Et Tiberius, teſte Dione, πολλαχῇ ταυτὰ γράψας κατέλιπε: quod interpretor, plura teſtamenta (Suetonius duplex feciſſe ſcribit) ſed eodem exemplo facta, diverſis reliquerat locis. propter hæc putavi aliquando verba Suetonii aliter eſſe exponenda: ut *teſtamentum duobus codicibus ſcriptum* ſit, quod propter prolixitatem non una membrana aut tabula contineretur, ſed duabus: nam id quoque ſolitum fieri, ex J. C. libris probari facile poteſt. Juvant nonnihil hanc interpretationem, quæ ſequuntur verba, *partim ipſius, partim libertorum manu ſcriptum*: quæ videntur de uno teſtamento commodius, quam de duplici poſſe accipi. neque ita locutus in Tiberio.

VARIOR.

101. *Ac duobus codicibus ſcriptum.*] Hoc aliter non debet accipi quam ex duobus illis codicibus alterum, id eſt, quod primo loco ſcriptum eſt, manu ipſius Auguſti fuiſſe exaratum, alterum vero a liberto deſcriptum ex prototypo exemplari. Nec aliter, cum bina eodem tempore ſcribenda forent teſtamenta, videntur feciſſe. Sic & Tiberius fecit, eodem Suetonio in vitæ ejus memoria narrante, *teſtamentum duplex fuiſſe, alterum ſua, alterum liberti manu, ſed eodem exemplo, obſignaſſeque etiam humillimorum ſignis.* Nempe alterum prius ſua manu exaravit, & hoc deſcribendum liberto dedit. Sic duo teſtamenta facta, ſive duo teſtamenti exemplaria eodem exemplo. Sic & Cajus Inſtitutis, *plures codices* pro pluribus exemplaribus poſuit: *Sed & unum teſtamentum pluribus codicibus conficere quis poteſt.* pro quo & potuiſſet dicere *pluribus tabulis*, ut in l. ult. D. de his quæ in teſtamento delentur: *Pluribus tabulis eodem exemplo ſcriptis unius teſtamenti eodem tempore dominus ſollemniter complevit.* & *duobus exemplaribus* Ulpianus in alia lege: *Si quis in duobus exemplaribus ſcripſerit teſtamentum, & aliud exſtet, alius non exſtet, exſtare tabulæ teſtamenti videntur.* SALMASIUS de ſubſcribendis & ſignandis teſtamentis.

Partim ipſius.] Non hæc ita accipio, ac ſi Auguſtus prius totum teſtamentum ſua exaraſſet manu, quod poſt deſcribendum dederit libertis. Quorſum enim duo liberti unum ſcripſiſſent exemplar, quod tam facile ab uno, imo facilius expediri poterat, atque ab Auguſto? Item ſi alterutrum exemplar manu Auguſti perſcriptum fuit, verum non erit, teſtamentum partim ipſius manu ſcriptum fuiſſe, partim libertorum, ſed ſinguli exaraſſent totum. Totum ſcilicet Auguſtus, totum liberti. Quapropter voluiſſe potius videtur, ut pars per hunc, pars per illum libertorum, & pars item per ſe ſcriberetur, ne illi totum noſcerent, effutiendique haberent occaſionem. Eſt igitur admodum veriſimile, cum tres gradus heredum inſtituerit, unumquemque gradum diverſum habuiſſe ſcriptorem, tabulamque diverſam. Nam ut heredum inſtitutiones primis tabulis faciebant prudentes patres familias, ita ſubſtitutiones ſecundis. Nam ita Papinianus l. 64. D. de Leg. 2. *Cum proponebatur, in ſcriptura fideicommiſſi, quod pluribus ſub conditione fuerat relictum, per errorem omiſſam mutuam ſubſtitutionem,* quam

torum Polybii & Hilarionis manu ſcriptum, depoſitumque apud ſe virgines Veſtales, cum tribus ſignatis æque voluminibus protulerunt. Quæ omnia in ſenatu aperta atque recitata ſunt. Heredes inſtituit primos, Tiberium ex parte dimidia & ſextante, Liviam ex parte tertia,

quam teſtator in ſecundis tabulis, cum eoſdem ſubſtitueret, expreſſit. Cui conſequens eſt, ut ſi quis plures quam duos heredum gradus facere vellet, plures tabulæ deſiderarentur, quod in Auguſti teſtamento uſu venit, in quo tres inſtitutionum gradus fuere. Goesius.

Torrent.

101. *Polybii & Hil.*] Libri omnes *Polibi*, uti & Dion eum appellat. Et ſane magis libertum ſapit. Fuit tamen & Polybius Claudii libertus.

Apud ſex virgines Veſtales.] Atqui ſeptem fuiſſe, comprehenſa Veſtali Maxima, præter alios oſtendit etiam D. Ambroſius epiſtola quadam ad Valentinianum Aug. his verbis: *Vix ſeptem Veſtales capiuntur puellæ. En totus numerus, quem inſulæ vittati capitis, purpuratarum veſtium murices, pompa lecticæ miniſtrorum circumfuſæ comitatu, privilegia maxima, lucra ingentia, præſcripta denique pudicitiæ tempora coëgerunt.* Lego igitur, ut in optimo cod. *apud ſe, virg. Veſtales.* Sic autem & de Cæſaris cap. LXXXIII. & de Antonii teſtamento Dion & Plutarch.

Tiberium ex parte dimidia, & ſextante.] Ex beſſe dicere poterat, niſi forte ultro eam vocem ſubterfugerit.

Liviam ex parte tertia.] Hoc eſt, triente. Qua de re loquens Dion, Auguſtum a ſenatu impetraſſe, ait, ut ei liceret tantum adverſus legem relinquere, legem Voconiam intelligens, *ne quis cenſus*, id eſt, qui centena millia poſſideat, *mulierem ultra quadrantem*, puta XXV M. *heredem faciat.* Cic. pro Balbo, Flor. epit. XLI. Gell. lib. XVII. cap. V. & alii.

Casaubon.

Polybii.] In MSS. *Polibi*, Dio Πολύβιος, non Πόλυβος, ut falſo vir doctus notat.

Depoſitumque apud ſe, virgines Veſtales.] Emendavimus ex membran. Viterb. & Groſlotii, quibus conſentit Memmianus. neque aliter Robert. Stephanus olim ediderat. in pleriſque tamen codd. ſcriptum *apud ſex V. V.* Fortaſſe pro *apud ſe VI. Virg. V.* ſenſu non improbo: depoſitum enim apud ſe teſtamentum intuliſſe videntur in ſenatum omnes ſimul Veſtales, una dempta, quæ maxima & erat & vocabatur. Zonaras Druſum ait fuiſſe, non Veſtales. Errat vero Zonaras, vel is potius, unde ſumſit.

Cum tribus ſignatis æque voluminibus.] Quatuor Dio ait: *quartum* fuit, quod continebat providi ſenis Tiberio & Reip. relicta præcepta bene gubernandi. Id volumen prætermittit Suetonius, quia partem tertii magis quam ſeparatum corpus eſſe credidit. Apparet hoc ex verbis Taciti I. A. II. quæ adſcribo: *Tiberius proferri libellum, recitarique juſſit. opes publicæ continebantur: quantum civium ſociorumque in armis, quot claſſes, regna, provinciæ, tributa aut vectigalia, & neceſſitates ac largitiones, quæ cuncta ſua manu perſcripſerat Auguſtus: addideratque conſilium coërcendi intra terminos imperii, incertum metu, an per invidiam.* Confer nunc cum Dionis verbis, intelliges librum unum, imo quod mireris, libellum appellari a Tacito, quod *tertium & quartum volumen* Dio. Cum Tacito igitur ſenſit Tranquillus. At ſuper tempore, quo prolati & recitati hi libri in ſenatu, Dioni conſentiens Suetonius a Tacito diverſus abit.

Atque recitata ſunt.] Reliqua Druſus recitavit: teſtamentum Polybius libertus Auguſti. Cauſſam Dio narrat. Vide & libri ſequentis cap. XXIII.

Ex parte dimidia & ſextante.] Ipſa ſunt Auguſti verba, qui ſic maluit ſcribere quam ex beſſe, quod erat brevius. Magis mirum, quod olim notabamus ex Theophraſto δύο ἡμιεκτέα pro ἑκτέας. Teſtamenti Auguſti initium fuit: *Quoniam ſiniſtra fortuna Cajum & Lucium filios mihi eripuit, Tiberius Cæſar mihi ex parte dimidia & ſextante heres eſto.* Recitantur hæc verba lib. ſequente, ex quo conjecturam facere debemus, non ſolum viſum lectumque Suetonio Auguſti teſtamentum: ſed etiam mentem ejus ipſis Auguſti verbis fuiſſe expreſſam. quod ad ſequentium lucem valde notari velim. Nec mirum, ſcriptorem hunc tabulas teſtamenti Auguſti eſſe nactum, cum etiam Soſipater Chariſius, tanto poſterior natu, eaſdem habuiſſe videatur. Laudat ille ex Auguſti teſtamento hæc verba: *Gauſapes, lodices purpureas & coloreas meas.*

Liviam ex parte.] Scribit Dio petiiſſe impetraviſſeque Auguſtum a ſenatu, ut ſibi contra leges veteres tantum Liviæ relinquere liceret. locus animadverſione dignus. ſic ille: Κατελέλειπτο δὲ ἐν αὐταῖς τὰ μὲν δύο μέρη τοῦ κλήρου τῷ Τιβερίῳ, τὸ δὲ λοιπὸν τῇ Λιουΐᾳ, ὥς τινες λέγουσιν. ἵνα γάρ τι καὶ ἐκείνη τῆς οὐσίας αὐτοῦ ἀπόνηται, παρὰ τῆς βουλῆς ᾐτήσατο, τοσοῦτον αὐτῇ καὶ παρὰ τὸν νόμον καταλιπεῖν δυνηθῆναι. Lex, quam Dio intelligit, Voconia eſt: cujus capite uno fuit cautum, ut ne quis cenſus mulierem heredem faceret ultra quadrantem.

tertia, quos & ferre nomen ſuum juſſit: ſecundos Druſum Tiberii filium ex triente, & ex partibus reliquis Germanicum, liberoſque ejus tres ſexus virilis: tertio gradu, propinquos amicoſque complures. Legavit populo Rom. quadringenties, tribu-

TORRENT.

Ferre nomen ſuum.] Vide Cæſ. cap. LXXXIII. Ab eo igitur tempore, quod etiam nummi teſtantur, & lapides, Julia appellata fuit. Auguſtæ vero nomen, quanquam matrimonio merita, (ut inquit Plin. lib. XV. cap. ult.) tamen recuſavit. Sueton. Claud. cap. XI. Quod equidem vivente Auguſto factum crediderim. nam vita functo recepit, ut paſſim ex vetuſtis cum lapidum, tum nummorum inſcriptionibus conſtat. Quanquam ne vivente quidem vitare potuit, quin Auguſta vocaretur. An vero etiam quia teſtamento eam nomen ſuum ferre Auguſtus juſſit, aut (ut loquitur Tacit.) in familiam Juliam aſſumpta eſt, Auguſti filia dicta ſit, quod ex inſcriptione ac nummo veteri affirmat Lipſius, non tam facile dixerim, nec publica honeſtas patitur. Tiberius autem non teſtamento tantum, ſed & adoptione, de qua ſup. cap. LXV. & Tib. cap. XV. Julii nomen accepit. Auguſti vero cognomen non ipſe ſolum tanquam patrium & hereditarium, ſed cæteri quoque Principes aſſumpſerunt.

CASAUBON.

Quos & ferre nomen ſuum juſſit.] De Tiberio mirum merito videatur, cum is multo ante ab Auguſto adoptatus, filius illius eſſet. Sed ut videtur, cætera quidem nomina adoptione erat conſecutus, Auguſti vero cognomen ſibi uni proprium pater ſervaverat, ut in quo vis magna potentiæ ipſius eſſet ſita. Quare communicari cuiquam eam appellationem æquum non erat. propterea hoc nomen hereditarium fuiſſe Tiberio dicitur. Suetonius libro ſequente: *Ac ne Auguſti quidem nomen, quamquam hereditarium, ullis niſi ad reges, & dynaſtas epiſtolis adjecit.* De Livia certum eſt, poſt mariti exceſſum non Liviam, ſed Juliam fuiſſe vocatam: etſi ſcriptores Latini fere nomen vetus retinuerunt. rarenter enim in eorum libris Juliam videas appellari: niſi tamen, quod puto, multis locis corrupta ea appellatio fuit. At Græci etiam in eorum narratione, quæ vivo Auguſto contigerunt, Liviam κατὰ πρόληψιν more poetarum Juliam appellant. Joſephus lib. XVI. cap. IX. Ἰδίᾳ δὲ καὶ ἡ γυνὴ Καίσαρος Ἰελία τὰ πολλὰ τῶν ἐκεῖ πολυτελεστάτων ἀπέστειλεν. Sic & lib. XVII. cap. I. notavimus, & alibi. In nummis quoque multis exſtant hæ ſimileſque inſcriptiones: ΙΟΥΛΙΑ ΣΕΒΑΣΤΗ, & ΘΕΙΑΣ ΙΟΥΛΙΑΣ ΣΕΒΑΣΤΗΣ, & Latine JULIA AUGUSTA GENITRIX ORBIS. Nam etiam Auguſtæ nomen ab eadem aſſumptum fuiſſe, certum eſt ex hiſtoricis & lapidibus inſcriptis.

Liberoſque ejus tres.] Adi librum IV. capite VII.

Amicoſque complures.] Quoſdam & inimicos. Tacitus: *Tertio gradu primores civitatis ſcripſerat, pleroſque inviſos ſibi, ſed jactantia gloriaque ad poſteros,*

Legavit populo Romano quadringenties, tribubus tricies quinquies HS.] Palam eſt his verbis duo legata contineri: quorum alterum populo, alterum plebi relictum. Plebem appello, quas Suetonius *tribus.* Tacitus hanc partem teſtamenti Auguſti ita exprimit: *Legata non ultra civilem modum: niſi quod populo & plebi* CCCCXXXV *dedit.* Videtur confundere hæc duo legata: quod in errorem quoſdam induxit: ſed notanda figura in ejus verbis, qualis in illis Ciceronis, *Urbem & cives integram incolumeſque ſervavi.* ergo in oratione Taciti CCCC ad populum: XXXV ad plebem referendum: & fortaſſe ſcripſerat auctor CCCC & XXXV. Suetonium putamus ipſa Auguſti verba retinuiſſe, ut ante monebamus. Duo legata eſſe diverſa, declarat & Dio, qui alterum poſuit, alterum penitus omiſit. Legavit τῷ δήμῳ, ait Dio, χιλίας μυριάδας, id eſt, *populo quadringenties ſeſtertium.* ſilet de tribubus aut plebe: quare & de relicto illi legato tricies quinquies tacet. de hoc genere præteritionum diximus ſatis ad libri I. cap. XXXVIII. & alibi. errant late doctiſſimi viri, qui Dionis auctoritate moti, adulterina cenſent eſſe in Suetonio illa verba, *tribubus* XXXV. mitto alias clariſſimorum hominum ſuper his verbis ſententias: nam omnes falli, qui in Suetonio aut Tacito quicquam cenſuerunt mutandum, non dubito. Quid autem mirum diverſa eſſe legata populi & plebis, cum aliud populum eſſe, aliud plebem, ſit τῶν ἀναμφισβητήτων? nam etſi verum eſt, confundi ſæpe has voces, tamen proprie illas diverſum ſonare, etiam pueris notum. Accipiamus igitur hic propria ſignificatione, & legatum populi interpretemur, quod publice relictum eſt civibus Romanis omnibus, qui conſortes eſſe talium liberalitatum aut vellent aut ſolerent. plebis vero illud, quod vico-magiſtris relictum eſt, vel in communia cujuſque tribus commoda impendendum: vel in tenuiſſimos quoſque ſingularum tribuum erogandum. Similia Tiberii legata, qui patris exemplum in pleriſque ſecutus, *legavit plebi Romanæ viritim atque etiam ſeparatim vicorum magiſtris.* verba ſunt Suetonii libro ſequente extremo. qui locus omnino cum iſto conferendus erat interpretibus, ſi ſuum munus fungi vellent. diligenter enim notandum, *plebis* appellatione intelligi in Tiberii teſtamento idem, quod hic populi. ne id quidem mirum: jam enim diximus, duo hæc vocabula *populus* & *plebs* apud optimos ſcriptores, Tacitum præſer-

tribubus tricies quinquies HS. Prætorianis militibus ſingula milia numorum, cohortibus urbanis

tim, Suetonium, Plinios, & alios item, confundi. quare etiam libro III. cap. LVII. Tranquillus in mentione horum legatorum Auguſti, *plebem* pro populo uſurpat. *Scurram*, ait, *qui prætereunte funere elato mortuo mandarat, ut nunciaret Auguſto nondum reddi legata, quæ plebi reliquiſſet.* neque enim ibi capiendum, ut apud Tacitum, de legato tribubus relicto: ſed de populi legato. quod autem vico-magiſtris reliquiſſe Tiberius libro ſequente dicitur, tantumdem valet, ac ſi tribubus ſcriptum eſſet, aut plebi, ut quidem Tacitus accipit. abſurdum enim ſit putare, cedere in propriam vico-magiſtrorum utilitatem illud legatum. nam contra, eos fuiſſe velut adminiſtratores, & iſtiuſmodi ſimiliumque largitionum diviſores, Aſconius alicubi indicat, & ex Plauto probat: quanquam ille non de vico-magiſtris, ſed curiarum id ſcribit. Verum arbitror, poſtquam creari cœpere annui illi vicorum curatores ab Auguſto inſtituti, pleraque veterum curiarum magiſtrorum munia in hos fuiſſe tranſlata. Nec illud quidem novum, quod tribus appellet Suetonius, vel Auguſtus potius, populi viliſſimam partem, quam Tacitus plebem κυρίως. obſervare enim licet, cum populus Rom. a ſcriptoribus modo in tres ordines diſtinguatur, modo in quatuor, modo in plures, appellatione tribuum perſæpe ultimum ordinem notari. Statius Sylvarum libro IV.

Moribus atque tuis gaudent turmæque tribuſque
Purpureique patres,

Vult dicere, ſenatus populuſque Rom. & equeſter ordo. populum appellat *tribus*. Sic Florus libro II. cap. VI. aliique. alii plebem a populo ſeparant, & illam tribuum appellatione notant. Exſtat Vetus inſcriptio, quæ hoc manifeſto docet. ita autem habet:

IMP. T. CÆSARI
DIVI. F.
VESPASIANO. AUG.
PLEBS URBANA
QUÆ FRUMENTUM
PUBLICUM ACCEPIT
ET TRIBUS.

Plinius Panegyrico: *Niſi vero leviter attingi placet, locupletatas tribus datumque congiarium populo.* Martialis libro VIII.

Dat populus, dat gratus eques, dat thura ſenatus,
Et libant Latiæ tertia dona tribus.

Inde eſt, quod *tribulis* pro paupere & egeno ac capite cenſo ſumitur. Horatius:

Ut cum pileolo ſoleas conviva tribulis.

Martialis:

Nunc anus & tremulo vix accipienda tribuli.

Idem:

Nec pallens toga mortui tribulis.

Manilius eleganter iſtos tribules *turbam ſine nomine* vocat ſub finem lib. V.

Utque per ingentem populus deſcribitur urbem,
Præcipuumque patres retinent, & proximum equeſter
Ordo locum, populumque equiti, populoque ſubire
Vulgus iners: videas etiam ſine nomine turbam.

Vulgus iners, plebs eſt: *ſine nomine turba*, ſunt tribus.

VARIOR.

Ferre nomen ſuum.] Nullus dubitationi locus, Liviam ſcilicet aſſumptam in familiam Juliam ab Auguſto in teſtamento, ſi Tacito & Vellejo credere malimus quam Torrentio. Tacitus Annal. VI. *Pater ei* (Tiberio) *Nero, & utrinque origo gentis Claudiæ, quanquam mater in Liviam & mox Juliam familiam adoptionibus tranſierit.* Vellejus etiam multo clarius: *Livia Romanarum eminentiſſima, quam poſtea conjugem Auguſti vidimus, quam tranſgreſſi ad deos ſacerdotem ac filiam.* SCHILDIUS.

TORRENT.

Tribubus tricies quinquies.] Hæc verba mihi merito ſuſpecta ſunt. præcedit enim, *Legavit populo Romano quadringenties.* Atqui populus Rom. omnis in tribus XXXV diviſus erat. Ut idem ſit legare XXXV tribubus, quod legare populo Rom. Nam quod interpretes adferunt, per *tribus* intelligi eos qui Romani non erant, ſed in tribubus tamen ſuffragia ferebant, id merum ſomnium eſt. Beroaldus affirmat dictionem *tribubus* non eſſe in quibuſdam libris. Quo facilius ſane adducor, ut totum hoc *tribubus tricies quinquies*, expungendum eſſe cenſeam, legendumque, *Legavit pop. Rom. quadringenties*, quod cum Dione convenit, τῷ δήμῳ χιλίας μυριάδας, aut ſi id minus placet, *Legavit pop. Rom. per tribus* XXXV *quadringenties HS.* Niſi quis Lipſium ſequi malit Elector. I. cap. XII. *tribulibus* pro *tribubus* emendantem, eo ſenſu, ut Fabianis & Scaptienſibus (hi enim Auguſti tribules ſup. cap. XL.) tricies quinquies reliquerit per præceptionem, ſive extra ſortem. Quod Dionem tamen, ſcriptoresque alios vix crediderim, ſi verum foret, tacituros fuiſſe. nam & ipſe Tacit. nulla tribulium mentione, *Legata* (inquit) *non ultra civilem modum, niſi quod populo & plebi* CCCCXXXV. Quem tamen locum Muretus Variar. XI. ex Suetonio corrigit. Tutiſſimum fuerit vel cum Dione *quadringenties*, vel cum Tacito legere *quadringenties tricies quinquies.* Ipſe certe Lipſius ſibi non conſtat. Nemo melius Beroaldo, qui verbum *tribubus* reperiri negat in quibuſdam MSS. Quo ſublato, conciliabitur Suetonio Tacitus, neque metuendum a Dione.

Prætori. militib. ſingula millia nummorum.] Mallem *nummum*. Notandumque prætorianos ab urbanis cohortibus diſtingui. Tacitus prætorias, & legionarias

urbanis quingenos, legionariis trecentos numos: quam ſummam repræſentari juſſit: nam & confiſcatam ſemper repoſitamque habuerat. Reliqua legata varie dedit: produxitque quædam ad vicena ſeſtertia: quibus ſolvendis annuum diem finiit, excuſata rei familiaris mediocritate: nec plus perventurum ad heredes ſuos, quam milies & quingenties, profeſſus: quamvis viginti proximis annis quaterdecies milies ex teſtamentis amicorum percepiſſet: quod pæne omne cum duobus paternis patrimoniis, cæteriſque hereditatibus in Remp. abſumpſiſſet. Julias, filiam neptemque; ſi quid his accidiſſet; vetuit ſe-

gionarias tantum civium Romanorum cohortes commemorat. Ego *urbanas* a Tranquillo vocari arbitror, quæ prætorianis ignobiliores, vel graſſatorum, vel incendii arcendi cauſa ſub præfecto vigilum in Urbe habebantur. Sed & de præfecto Urbi verba Ulpiani aſcribam: *Et ſane debet etiam diſpoſitos milites ſtationarios habere ad tuendam popularium quietem, & ad referendum ſibi, quid ubi agatur.*

TORRENT.

Nam & confiſcatam.] Duo codd. ſine &. *Confiſcatam* autem fiſcis aſſervatam vocat. ſunt enim *fiſci*, quibus pecuniæ publicæ apportari, ac concludi ſolent. Aſcon. & Iſidor. Sueton. quoque Claud. cap. XVIII.

Reliqua legata varie dedit.] Liber opt. *varia edidit*, pro pronunciavit. Auctor eſt Dion, etiam regibus eum nonnulla legaſſe.

Produxitque quædam ad vicena ſeſtertia.] Horum verborum, ut puto, ſententia eſt, Auguſtum legatorum, quæ vicena excederent ſeſtertia, diem protuliſſe ad annum, ut *producere legata* Sueton. dixerit pro legatorum diem.

Si quid his accidiſſet.] His verbis modeſte vitandi ominis cauſa ſic pronunciatis mors ſignificatur. l. CLXII. De verb. ſignif.

CASAUBON.

Cohortibus urbanis quingenos.] Tacitus hanc partem omiſit: neque aſſentior iis, qui negligentiæ ſcribarum id acceptum ferunt, & locum interpolant ex Suetonio. Paſſim in optimæ notæ auctoribus tales omiſſiones obſervamus: quæ ſi ad inſtitutum ſermonem non ſunt penitus neceſſariæ, cur ſcribis potius quam ſcriptoribus eas tribuamus, cauſſa non eſt. De errore interpretum Dionis, qui in hac ſententia πολιτικὸν πλῆθος partim vertunt perperam, partim emendant prave, affatim cum Deo dicemus ad Polybium.

Quam ſummam repræſentari juſſit.] An dicit, ſummam illam tantum, quæ legionariis eſt legata? an potius de omnibus legatis intelligit, quæ hactenus ſunt expoſita? Hoc puto verius: inde illa ſcurræ, imo vulgi querela lib. III. cap. LVII.

Confiſcatam ſemper repoſitamque habuerat.] *Confiſcatam*, ἀποτεθησαυρισμένην, in fiſcis conditam & ſervatam. Gloſſarium: *Confiſcat*, ταμιοῖ, δημεύει. In altero: Ταμιοῦχος, *penarius*, *confiſcator*, *cellarius*.

Reliqua legata varie dedit.] Ita omnes libb. noſtri. Alii, *varia edidit*. nihil muto, & ſimpliciter ad diem refero præfinitam ſolvendis legatis reliquis. Placet, ſi codd. addicerent, *varia varie edidit*. Sed cum acrius hunc locum intueor, non abeſt, quin ita ſcribendum ſit, *reliqua legata varie dedit*, *produxitque quædam ad vicena ſeſtertia*: *quibus ſolvendis annuum diem finiit*. vel potius annuam. ſic enim J. C. loquuntur: & ita hic quidam libb. Reperi in quibuſdam pro *vicena ſeſtertia*, *vicies ſeſtertium*.

Quibus ſolvendis annuum diem finiit.] Ut tribus penſionibus ſolverentur: quæ fuit uſitata teſtamentorum clauſula.

Nec plus perventurum ad heredes ſuos.] Detracto ſi quid fuit æris alieni, & legatis perſolutis, redditiſque ſuis bonis eorum liberis, qui Auguſtum heredem fecerant. qua de re ante diximus.

Quam millies & quingenties.] Æſtimatione Budæi, quæ ſi non exactiſſime vera, proxima tamen veræ eſt, fuerint tricies ſepties centena millia.

Quamvis viginti proximis annis quaterdecies millies teſtamentis amicorum percepiſſet.] Quis non ſtupeat ad hanc ſummam? quam idem ille profundiſſimæ eruditionis vir non minorem exiſtimabat quinquies & tricies centenis myriadibus aureorum coronatorum: hoc eſt, trecenties & quinquies centenis millibus.

Julias, filiam neptemque.] Melius quam Dio, qui de nepte ſilet. Rurſus eo auctore, Juliæ filiæ teſtamento patris legati nomine aliquid ſaltem adſperſum: quod tacet Suetonius.

VARIOR.

Confiſcatam.] In fiſcis adſervatam, uti Tertullianus eleganti metaphora, de Fuga: *Felices itaque pauperes, qui animam totam in confiſcato habent.* LIPSIUS.

Ad vicena ſeſtertia.] Id eſt, quingentos coronatos.

Quibus ſolvendis annuum diem finiit.] Annuum diem pro tribus penſionibus & ſummis accipio: nam hæc erat vulgaris clauſula teſtamentorum, l.

 Talis

ſepulchro ſuo inferri. De tribus voluminibus, uno, mandata de funere ſuo complexus eſt: altero, indicem rerum a ſe geſtarum, quem vellet incidi in æneis tabulis, quæ ante Mauſoleum ſtatuerentur: tertio, breviarium totius imperii, quantum militum ſub ſignis ubique eſſet, quantum pecuniæ in ærario & fiſcis, & vectigaliorum reſiduis. Adjecit & libertorum ſervorumque nomina, a quibus ratio exigi poſſet.

Talis. l. *Cum vulgari.* D. de dot. præl. erat & cæterorum negotiorum. Alia legata, ut idem Suetonius ait, Auguſtus repræſentari juſſit, hoc ſcilicet adjecto verbo *præſentia*, quod efficit, ut vulgari clauſula non contineantur, ex Servii & Labeonis ſententia d. l. *Talis.* CUJACIUS.

TORRENT.

De tribus voluminibus.] Melius tres lib. MSS. ſine præpoſitione *de*. Dion quatuor volumina ponit, quem vide.

Breviarium totius imperii.] Sueton. Galb. cap. XII. *Diſpenſatori breviarium rationum afferenti*, &c. Plin. lib. XVIII. *Ut omnis culturæ quoddam breviarium peragatur.* Sic *breviariæ rationes* apud Scævolam l. ult. De peculio legato. Seneca libro V. Epiſt. *ſummarium* ante vocatum fuiſſe ſcribit, quod tunc *breviarium* vulgo vocabant. Sup. cap. XXVIII. *rationarium Imperii* appellat, quo Imperii rationes continebantur, ut & inf. Calig. cap. XVI. Tale aliquid liber ille, qui Notitia Imperii Romani inſcribitur: rectius fortaſſis Formula appellaretur.

CASAUBON.

Vetuit ſepulcro ſuo inferri.] Veteres, quos oderant, a ſuo ſepulcro & mortuos arcebant & vivos. Iſæus oratione de hereditate Aſtyphili: Ὅτε ἀπέθνησκεν Εὐθυκράτης ὁ πατὴρ Ἀστυφίλου, ἐπέσκηψε τοῖς οἰκείοις μηδένα ποτὲ ἐάσειν ἐλθεῖν τῶν Θουδίππου ἐπὶ τὸ ἑαυτοῦ.

Uno, mandata de funere complexus.] *Uno*, ut apud Hebræos *primo*. Dio: Ἐγέγραπτο δὲ ἐν μὲν τῷ πρώτῳ, ὅσα τῆς ταφῆς εἴχετο.

Altero, indicem rerum a ſe geſtarum.] Eodem ordine Dio: Ἐν δὲ τῷ δευτέρῳ τὰ ἔργα ἃ ἔπραξε πάντα. Hujus indicis exemplum olim in Aſiam allatum, indeque clariſſimi viri Augerii Busbequii beneficio in Europam relatum, ſi infra deſcriberem, & notis illuſtrarem, recte & pro bono facturum me putavi. Eſt enim prorſus, quod ajunt, ex triſtiſſimo naufragio quantivis pretii ſuperſtes tabula.

Quem vellet incidi in æneis tabulis.] Appellat tabulas καταχρηστικώτερον, quæ potius pilæ erant dicendæ: ita enim in lapide Ancyrano. Dio quoque στήλας nominat: nihil tamen mutandum cenſeo, omnibus MSS. mordicus hanc lectionem retinentibus. nempe tabulæ appellantur quadratæ pilæ facies, quæ præſtant uſum tabularum, etſi proprie tabulæ non ſunt. Græci quoque στήλας appellant λίθους κυβοειδεῖς. Sic plurima dicuntur ex antiqua conſuetudine, ut notum eſt. Polyb. lib. III. pilas æreas hujuſmodi, modo στήλας nominat, modo χαλκώματα. Movet tamen nonnihil verbum *ſtatuerentur*, quod videtur pilis potius convenire.

Quantum militum ſub ſignis ubique eſſet.] Viterb. & Memmianus, *eſſent*, πρὸς τὸ σημαινόμενον. ut *turba ruunt*, ὡς φάσαν ἡ πληθύς.

C. SUETONII TRANQUILLI DE XII. CÆSARIBUS

LIBER TERTIUS.

TIBERIUS NERO CÆSAR.

CAPUT I.

PATRICIA gens Claudia (fuit enim & alia plebeja, nec potentia minor nec dignitate) orta eſt Regillis, oppido Sabinorum. Inde Romam recens conditam, cum magna clientum manu commigravit, auctore Tito Tatio conſorte Romuli: vel, quod magis conſtat, Atta Claudio gentis principe, poſt reges



TORRENT.

1 A*Lia plebeja.*] Quam Marcellorum vocat Cic. lib. I. de Oratore, nobilem illam inter Marcellos Claudioſque patricios controverſiam recenſens. Notandumque complures ejuſdem nominis, ac fortaſſis etiam originis familias eodem tempore & patricias, & plebejas fuiſſe, ut de Cornelia quoque teſtatur Cicero II. de Legibus, & de Papiria Famil. epiſt. lib IX. de aliis alii. Quod evenire neceſſe erat, cum non tota gens aliqua, verum certa tantum ejus gentis familia vel a plebe tranſibat ad patricios, vel a patriciis ad plebem.

Ex Regillis.] Lib. unus *Regillis*, ſine præpoſitione. Livius, & Dionyſ. Regillum tam oppidum, quam lacum vocant. Unde cognomen Regillenſis, &, ut Sueton. loquitur, Regillanus.

Clientum.] Libri duo *clientium*. Horat. lib. II. Od. VIII. *ultra Limites clientium*, &c. At idem lib. III. Od. V. *clientum longa negotia*, &c.

Atta Claudio.] Sic Turneb. quidem quem Pulmannus ſequitur; at vulgati libri *Appio Claudio* habent, manuſcripti vero omnes variant. Sed Turnebum ne ſequamur, facit, quod cum ratio exigat, ut utrumque tam nomen, quam prænomen aut Romanum, aut Sabinum ſit, ipſe hunc gentis Claudiæ auctorem tanquam hybridam reddens, utrumque cum altero confundit. Accedit, quod Atta apud Feſtum & Horatium epiſt. ad Auguſtum, Quinctii poetæ cognomen eſt. Atqui hic de prænomine agi videtur. Juſtus Lipſius, elegantis ingenii vir, ſuis in Tacitum notis lib. XII. locum huic noſtro ſimilem ex codice Vaticano ſic reſtituit: *Annotabant periti nullam antehac adoptionem inter patricios Claudios reperiri, eoſque ab Atto Clauſo continuo duraviſſe.* Quod cum ita ſit, & noſtri quoque codices vel *Atta*, vel *Acta* habeant, *Atta Clauſo* legendum exiſtimo, uti & duobus apud Livium locis, ubi *Attio*, vel *Actio* nunc legitur. Addam, non obſtare, quod Atta cognomen eſſe diximus. nam ipſa verbi ratio, quam Feſtus notat, ſuapte natura prænomen eſſe oſtendit, quod (ut arbitror) poſtea in cognomen quoque tranſiit, ut Agrippa. Omittere vero nolim in uno codice *Acto Tatio Clauſo*, in altero *Acta Tatio Claudio* legi. Ut fortaſſis tria etiam apud Sabinos nomina habuerit, Atta Tatius Clauſus. Illud vero in primis notandum eſt, eos qui olim Romam commigrabant, nomina ſua edere debuiſſe, ſi jus civitatis adipiſci vellent, atque ea plerumque mutata fuiſſe, quo magis Romani viderentur. Sic Atta Clauſus Ap. Claudius factus eſt, & Lucumo ille,

Demarati

reges exactos ſexto fere anno, a patribus in patricios cooptata. Agrum inſuper trans Anienem clientibus, locumque ſibi ad ſepulturam ſub Capitolio publice accepit. Deinceps procedente tempore, duodetriginta conſulatus, dictaturas quinque, cenſuras ſeptem, triumphos ſeptem, duas ovationes adepta eſt. Cum prænominibus cognominibuſque variis diſtingueretur, Lucii prænomen conſenſu repudiavit, poſtquam e duobus gentilibus præditis eo, alter latrocinii, cædis alter convictus eſt. Inter cognomina autem, & Nero-

Demarati filius, cum Tarquiniis Romam veniſſet, comparato ibi domicilio, L. Tarquinii nomen edidit. Recte igitur omnis antiquitatis peritiſſimus Virgil.

Ecce Sabinorum priſco de ſanguine magnum
Agmen agens Clauſus, magnique ipſe agminis inſtar,
Claudia nunc a quo diffunditur & tribus, & gens
Per Latium.

CASAUBON.

1. *Atta Claudio gentis principe.*] Secuti ſumus Vaticanum cod. cui & Pithœanus conſentit, & Memmianus. Viterb. Liſlæi, & princeps Rom. *a Tatio*, adſtipulante nonnihil & Dionyſ. Hal. qui Claudiæ gentis auctorem nominat Τίτον Κλαύδιον lib. v. Liviani codd. vulgo *Appium*, alii *Attium*, ut Julius Paris, & veteres Taciti libri: ut de Vaticanis teſtatur Lipſius. In re tam vaga & crepera nihil pro certo poſſe affirmari puto. Eſt vero Atta vox vetus Sabina originis Græcanicæ, ut pleræque Sabinorum: nam & ipſi abſque dubio ἀνέκαθεν Dores fuerunt e Peloponneſo orti. Doctiſſimi viri prænomen id fuiſſe ſcribunt: ego cognomen potius arbitrer, & ita Feſtus vocat. Atta eſt παρὰ τὸ ἄττειν, quod ſubſilire ſignificat, nuſquam ferme pedem figere. unde ἄττειν δεῦρο κἀκεῖσε. & apud Julianum, ὥσπερ οἱ ταχύτατοι τῶν ὀρνίθων ᾗ ἂν ἐθέλωσιν ἄττοντες. ex eo intelligimus, qui proprie dicantur *attæ*: nempe οἱ ἄττοντες, qui inter ambulandum ſtare neſciunt, ſed ſemper quaſi ſubſiliunt: quod neceſſario iis evenit, qui non ὅλῳ ποδὶ βαδίζουσι, ſed in primos pedes exiſtunt. Feſtum emenda in hac voce. Ait, *Attæ appellantur, qui propter vitium crurum aut pedum plantis inſiſtunt: & attingunt magis terram quam ambulant.* Scribe *plantis non inſiſtunt*, prorſus neceſſaria emendatione: niſi malis reſtituta in integrum voce, quæ excidit, ſcribere, *aut pedum primis plantis inſiſtunt.* Atque hoc melius: nam & in Petri Danielis Aureliani Onomaſtico ita ſcriptum: *Atta, qui primis plantis ambulat: quod nomen ab attingendo impoſitum videtur.* ridicula ſane nominis originatio. Cæterum attarum vitio contrarium eſt τὸ τῶν πτερνοβατῶν, quorum Hippocrates meminit: iſtos veteres Latini *talipedare* dixerunt.

TORRENT.

Sexto fere anno a Patribus in Patricios.] Liber Tornacenſ. ſic habet: *fere anno ſexto, atque in patricias cooptata, agrum,* &c. quæ lectio & apertior eſt, & cum Livio magis convenit. *In patricias* quoque, cum de gente loquatur, longe elegantius eſt.

Locumque.] Duo meliores codd. *lucumque.* Quod ſane auguſtius, & religioſius eſt. luci enim non tantum numinibus, ſed & mortuorum memoriæ conſecrabantur, & ab heroum animis habitari credebantur. Sic Auguſti Mauſoleo Tiberius ſilvas adjecit ſup. cap. c. Adde epigramma Martial. LXXVI. lib. VI. de Fuſco. Simile mendum animadvertit Petr. Victorius apud Tacitum lib. III. Annal. *Eſſe apud ſe Cenchrium amnem, lucum Ortygiam.* ubi libri excuſi *locum* habent.

Triumphos VI. VII.] VII. habent MSS. & edit. Gryphii. Idemque docent Faſti Capitolini.

Lucii prænomen conſ. rep.] Sic gentis Manliæ decreto cautum fuit, ne quis M. Manlius vocaretur. Liv. lib. VI. & Feſtus in *Manliæ gentis* &c. Dion quoque lib. LI. *Edicto* (inquit) *cautum, ne quis ex ea familia M. prænomen ferret.* Loquitur autem de honoribus Auguſto, jam devicto Antonio, decretis. Adde Gellium lib. IX. cap. II. Suetonium Ner. cap. I.

CASAUBON.

Poſt reges exactos ſexto fere anno.] Ad unguem ferme quadrat ſupputatio Dionyſii: qui Claudii ſive Clauſi adventum refert in anno U. C. CCL. regifugium, CCXLIV.

Locumque ſibi ad ſepulturam.] Reperi annotatam in Viterb. alteram lectionem *lucum*: quæ mihi non placet, nec convenit, ut puto, veterum theologicis opinionibus.

VARIOR.

1. *Locumque ſibi ad ſepulturam ſub Capitolio publice accepit.*] Speciali populi Romani ſtudio. Alioquin extra urbem ſepelire, moris fuit. Cicero II. de LL. legis XII. tabb. meminit: HOMINEM. MORTUUM. IN. URBE. NE. SEPELITO. NEVE. URITO. & I. Tuſcul. Quæſt. *An tu*, inquit, *egreſſus porta Capena, quum Collatini, Scipionum, Serviliorum, Metellorum ſepulchra vides, miſeros putas illos?* Igitur intra urbem tumulari, magnum & eximium quiddam fuit. Unde & Plutarchus in Problem. ait, cineres eorum, qui triumphaſſent, in urbem ferre licuiſſe. E Veſtalibus quoque virginibus permiſſum, ut intra urbem ſepulturæ traderentur, teſtis eſt Servius ad XI Æn. MARC. DONATUS.

TOR-

2 Neronis aſſumpſit, quo ſignificatur lingua Sabina fortis ac ſtrenuus. Multa multorum
Claudiorum egregia merita, multa etiam ſecus admiſſa in Remp. exſtant. Sed ut præ-
a. cipua commemorem, Appius Cæcus ſocietatem cum rege Pyrrho, ut parum ſalubrem
b. iniri diſſuaſit. Claudius Caudex, primus freto claſſe transjecto, Pœnos Sicilia expulit.
c. Claudius Nero advenientem ex Hiſpania cum ingentibus copiis Aſdrubalem, prius quam
d. Hannibali fratri conjungeretur, oppreſſit. Contra Claudius Appius Regillianus decemvir
legibus ſcribendis virginem ingenuam per vim, libidinis gratia, in ſervitutem aſſerere
conatus, cauſſa fuit plebi ſecedendi rurſum a patribus. Claudius Druſus, ſtatua ſibi cum
diademate ad Appii Forum poſita, Italiam per clientelas occupare tentavit. Claudius Pul-
e. cher apud Siciliam non paſcentibus in auſpicando pullis, ac per contemtum religionis
mari demerſis, quaſi ut biberent, quando eſſe nollent, prælium navale iniit: ſupera-
tuſque, cum dictatorem dicere a ſenatu juberetur, velut iterum illudens diſcrimini pu-
blico,

TORRENT.

Significatur fortis.] Gellius lib. XIII. cap. XXI. ubi de Neriene, Martis conjuge.

2. *Secus admiſſa.*] Liber unus *ſecius*, Tornacenſ. *ſequius.* quod Turnebus quoque, & Giſanius probant.

Claudius Caudex.] Hujus nominis ratio cum hiſtoria convenit. *Caudex* enim plurium tabularum contextus apud veteres dicebatur. Unde Claudio huic, qui primus bello apud Romanos navem conſcendit, id cognominis adhæſit. Seneca de Brevitate Vitæ cap. XIII. Hinc & *caudicariæ naves* apud Nonium.

Claudius Nero advenientem.] Libri duo *Tiberius Nero*: optimus, quod miror, *Tribunus Nero.* Nihil tamen hic muto. nam qui Aſdrubalem devicit, C. Claudius, Ti. F. Ti. N. Nero appellatus fuit. Faſti A. U. C. DXLVI. Liv. lib. XXVIII. Valer. lib. II. cap. IX. & lib. IV. cap. I. Plura ad Horat. lib. IV. Od. IV.

Quid debeas, ô Roma, Neronibus
Teſtis Metaurum flumen, & Aſdrubal
Devictus.

Claudius Regillanus.] Mallem, ut in vulgatis, *Ap. Claudius Regill.* aut vero, ut in duobus MSS. *Claudius Regillanus*, ſine prænomine.

Cauſa fuit plebi.] Liber unus, *cauſa plebei fuit.*

CASAUBON.

Quo ſignificatur lingua Sabina fortis ac ſtrenuus.] Gloſſarium: *Nero*, ἀνδρεῖος. Jam diximus Sabinam veterem linguam non aliam fuiſſe a Græca. Græci hominem bonis lacertis vocant νευρώδη.. Dicæarchus in Clementis Protreptico Herculem deſcribit, σχιζίαν, νευρώδη, μέλανα. & νευρȣ̃ν accipiebant pro robuſtum reddere & validum. Verbum eſt artis gymnaſticæ, quo uſus eleganter Chryſoſtomus in poſteriorem ad Corinthios: Εἰς τὸ ἑτέρȣς ἀλείφειν πρόεισι καὶ νευρȣ̃ν. utraque vox proprie de gymnaſtis uſurpatur. Inde Νεύρων, ut Γάςρων, Κεφάλων, Χείλων. Nero a Νεύρων, ſicut & A. Gellius innuit, diſſoluta diphthongo & imminuta. ut *periri*, unde experiri, πειρᾶν. ſic *nervus* a νεῦρον.

2. *Multa etiam ſecus admiſſa in Remp.*] Pithœi & Turnebi libri, *ſequius.* Vaticanus *ſecius.* noſtri *ſecus.* Viri docti alii aliud probant. Atqui non magni intereſt, aut potius nihil, quomodo ſcribatur. *Secus* eſt ἑκὰς, ut ἓξ, ſex, aliaque multa. in Gloſſario exponitur ἑτέρως, καὶ πλησίον. non male. nam vicina non dicuntur, niſi quæ ſunt ἑκὰς, & naturam ſeparatam habent. Porro ut Græcis ἄλλο & ἕτερον, Latinis *aliud*, per ἐυφημισμὸν ponitur in ſignificatione mali, ſic & *ſecus* uſurparunt pro κακῶς. Salluſtius: *Si ſecus accidat huic Reipub.* & paſſim. At *ſecius* & *ſequius* promiſcue ſcribebant, ut *cocus* & *coquus*, & his ſimilia, vel Quintiliano monente.

Claudius Nero advenientem ex Hiſp.] In codd. nonnullis exſtat ea lectio, quam teſtatur Torrentius in optimis libris ſibi repertam: *Tiberius Nero.* certum eſt, Claudium eum, qui conſul Aſdrubalem devicit, Caji prænomine ab hiſtoricis affici vulgo, non Tiberii. exſtatque id prænomen etiam in fragmento faſtorum Capitolinorum: ſed in nominibus non ſemel diſſentit ab aliis Suetonius, ſive id factum ejus incuria, ſive quod ita ſentiret.

Claudius Appius Regillianus.] Viterb. *Claudius Regillanus.* Turneb. *Claudius Rigillianus.*

VARIOR.

2. *Claudius Regillanus decemvir.*] Ita etiam Palat. prim. & ſecundus, non ut vulgati, *Contra Claudius Appius Regillanus*, quomodo nec Palat. tert. quippe qui tranſpoſita voce, *Contra Appius Claudius Regillanus.* nimirum cum decemvir iſte vulgo potior eſſet prænomine Appii, id etiam Suetonio donarunt librarii. GRUTERUS.

Pp TOR-

a) *A.U.C.* CDLXXIV. (*b*) *A.U.C.* CDXC. (*c*) *A.U.C.* DXLVII. (*d*) *A.U.C.* CCCIV. (*e*) *A.U.C.* DV.

blico, Ilyciam viatorem ſuum dixit. Exſtant & fœminarum exempla diverſa æque: ſiquidem gentis ejuſdem utraque Claudia fuit, & quæ navem cum ſacris matris deum Ideæ obhærentem Tiberino vado extraxit, precata propalam, *ut ita demum ſe ſequeretur, ſi ſibi pudicitia conſtaret*: & quæ novo more judicium majeſtatis apud populum mulier ſubiit, quod in conferta multitudine ægre procedente carpento, palam optaverit, *ut frater ſuus Pulcher reviviſceret, atque iterum claſſem amitteret, quo minor turba Romæ foret.* Præterea notiſſimum eſt, Claudios omnes, excepto dumtaxat P. Clodio, qui ob expellendum urbe Ciceronem, plebejo homini, atque etiam natu minori, in adoptionem ſe dedit, optimates aſſertoreſque unicos dignitatis ac potentiæ patriciorum ſemper fuiſſe, atque adverſus plebem adeo violentos ac contumaces, ut ne capitis quidem quiſquam reus apud populum mutare veſtem aut deprecari ſuſtinuerit: nonnulli in altercatione & jurgio tribunos plebis pulſaverint. Etiam virgo Veſtalis fratrem injuſſu populi triumphantem, adſcenſo ſimul curru, uſque in Capitolium proſecuta

a. b. c.

TORRENT.

Iliciam viatorem ſuum.] MS. *Ilyciam*, vel *Hyliciam.* Unde manifeſtum eſt *Gliciam* legi debere. nam M. Claudius Glicia, ultimæ ſortis homo, Ap. Pulchri ſive viator, ut vult Sueton., ſive ſcriba, ut epitome Livii, Dictator dictus fuit, & mox abdicare coactus, A. U. C. DIV. Alii Glauciam vocant, ſed male.

Adhærentem.] Libri quatuor *obhærentem.* Hiſtoriæ vero hujus præter alios meminere Tertullian. Apologetico, Hieronym. contra Jovinianum: & Auguſtin. de Civitate Dei lib. x. cap. XVI. Herodianus Hiſtoriarum poſt Marcum Imperatorem I. Sed & *Deum*, ut gloſſema, lubens expunxerim. idem enim bis dicitur, planeque & cum matrem deum, & cum Idæam matrem nominat, tantundem eſt.

Quæ novo more jud. majeſt. apud populum mulier ſubiit.] *Novo more* dicit, & quia mulier & quia ob votum tantum. ut enim Valer. lib. VIII. cap. I. de ea ſcribit, inſontem crimine votum impium ſubvertit. Gellius libro X. VI. Ap. Claudii Cæci filiam vocat, uti & fratrem ejus Ap. Cæci filium Cicer. libro I. de Divinat. Quem tamen Plin. lib. XV. cap. I. nepotem facit, quod obiter annotatum volui.

Notiſſimum eſt.] Codex Vatican. *notatiſſimum.* Et ſane notatu digniſſimum eſt, quod Sueton. tradit: *notiſſimum* tamen magis placet, non tam ob vocis inſolentiam, quam ob rumores, qui mortuo ſtatim Auguſto de gentis Claudiæ ſuperbia ſparſi fuere. Dion & Tacit.

Virgo Veſtalis fratrem.] Patrem vocant Cicero pro Cœlio, Valer. lib. V. cap. IV. Oroſ. lib. V. Ut fateri neceſſe ſit, aut erraſſe Suetonium, aut ſubeſſe mendum.

Interdicere.] MSS. omnes *intercedere*, recte. nam interdicere ſolenne prætorum eſt, intercedere tribunorum.

CASAUBON.

Ilyciam viatorem ſuum.] Memm. *Ilycian.* Viterb. *Iliciam.* Liſlæi *Ilyriam.* In Faſtis Capitolinis *Glicias* vocatur.

Navem obhærentem Tiberino vado.] Plinius lib. VII. cap. XXXV. Simile factum Silvani epiſcopi narrat Socrates Scholaſticus lib. VII. cap. XXXVII. *obhærentem* autem, non adhærentem omnes libb. habent.

Palam optav.] Memmii liber, & Liſlæi, *optaverat.*

Præterea notiſſimum eſt.] Memmii, Pithœi & Liſlæi codd. cum Vaticano *notatiſſimum.*

Virgo Veſtalis fratrem.] Nil cenſeo mutandum in tanto MSS. conſenſu: nam in omnibus noſtris ita ſcriptum, non *patrem*, ut apud Ciceronem, & alios hiſtoricos.

VARIOR.

Natu minori.] Libro primo Inſtitutionum: *Minor natu majorem adoptare non debet. Adoptio enim naturam imitatur: & pro monſtro eſt, ut major ſit filius, quam pater.* Unde Cicero in Oratione pro domo ſua ad Pontifices, accuſat non minus vere, quam luculenter P. Clodium, quod jus adoptionis polluerit, cum ſe in adoptionem dederit Fontejo, qui annos viginti vix natus erat, factuſque ſit ejus filius contra fas, cujus per ætatem pater eſſe potuerit. BEROALD.

Fratrem.] Legendum: *Etiam virgo Veſtalis patrem injuſſu populi triumphantem*, &c. non, ut in vulgatis, *fratrem.* Nam Cicero pro Cæcina, & Val. Max. lib. V. cap. 4. patrem fuiſſe tradunt. URSINUS. Palatini tres quoque *fratrem*, non *patrem*, ut alios auctores ſequutus videatur Suet. quam Cicero & Val. Max. GRUTERUS.

TOR-

(*a*) *A. U. C.* DVIII. (*b*) *A. U. C.* DCXCV. (*c*) *A. U. C.* DCXI.

3 cuta eſt, ne vetare aut intercedere fas cuiquam tribunorum eſſet. Ex hac ſtirpe Tiberius Cæſar genus trahit, & quidem utrumque: paternum, a Tiberio Nerone; maternum, ab Appio Pulchro: qui ambo Appii Cæci filii fuerunt. Inſertus eſt & Liviorum familiæ, adoptato in eam materno avo. Quæ familia, quamquam plebeja, tamen & ipſa admodum floruit, octo conſulatibus, cenſuris duabus, triumphis tribus: dictatura etiam ac magiſterio equitum honorata: clara & inſignibus viris, ac maxime Sa-
a. linatore, Druſiſque. Salinator univerſas tribus in cenſura notavit levitatis nomine, quod cum ſe poſt priorem conſulatum multa irrogata condemnaſſent, conſulem iterum cenſoremque feciſſent. Druſus hoſtium duce Drauſo cominus trucidato, ſibi poſteris-
b. que ſuis cognomen invenit. Traditur etiam pro prætore ex provincia Gallia retuliſſe aurum, Senonibus olim in obſidione Capitolii datum: nec, ut fama, extortum a Ca-
c. millo. Ejus abnepos, ob eximiam adverſus Gracchos operam *patronus ſenatus* dictus, filium reliquit, quem in ſimili diſſenſione multa varie molientem, diverſa factio per
4. d fraudem interemit. Pater vero Tiberii, quæſtor C. Cæſaris, Alexandrino bello claſſi præpoſitus, plurimum ad victoriam contulit. Quare & Pontifex in locum P. Scipionis ſubſtitutus, & ad deducendas in Galliam colonias, in queis Narbona & Arelate erant,
e. miſſus eſt. Tamen Cæſare occiſo, cunctis turbarum metu abolitionem facti decernen-
f. tibus, etiam de præmiis tyrannicidarum referendum cenſuit. Prætura deinde functus, cum exitu anni diſcordia inter Triumviros exorta eſſet: retentis ultra juſtum tempus inſignibus, L. Antonium conſulem Triumviri fratrem ad Peruſiam ſecutus, deditione a cæteris facta, ſolus permanſit in partibus, ac primo Præneſte, inde Neapolim evaſit: ſerviſque ad pileum fruſtra vocatis, in Siciliam profugit. Sed indigne ferens, nec ſtatim ſe

TORRENT.

3. *Ambo Ap. Cæci filii.*] His tertium adjunge P. Claudium, qui claſſem perdidit, ut paulo ante oſtendimus. Tres igitur filios ille reliquit, quorum hic fit mentio, Tiberium, Appium, Publium. Primo cognomen Nero, aliis Pulcher. At vero Cic. Catone, *Quatuor* (inquit) *robuſtos filios, & filias quinque, tantam domum, tantas clientelas Appius regebat & ſenex & cæcus.*

Inſertus eſt & Liviorum fam.] Vide Valerium lib. II. cap. IX. ubi de concordia C. Neronis, & M. Salinatoris.

Salinatore Druſiſque.] Mallem *Druſoque.* nam unum tantum præcipue laudat, a quo deſcendit alter quem mox prædicat, qui Gracchorum ſeditione egregius pro ſenatu tribunus, filium reliquit Gracchis ipſis pernicioſiorem. Cic. lib. 1. de Oratore, Sueton. hic, & egregie Seneca de Brevit. Vitæ cap. VI.

4. *Pater vero Tiberii.*] Duo libri *Pater Tiberii,* ſine *vero.*

In queis Narbona.] MS. *Narbo, & Arelate.* Plin. lib. III. cap. IV. *Narbo Martius Decumanorum colonia.*

Abolitionem facti.] Non male quis ſuſpicetur verbum *facti* adulterinum eſſe. nam ἀμνηστίαν illam intelligit Sueton. qua cædes C. Cæſaris, multarumque aliarum rerum oblivio ſuadebatur auctore Cicerone, cujus orationem Dion recenſet.

Serviſque ad pileum.] Libri duo opt. *ſervis ad pileum,* ſine *que.*

CASAUBON.

3. *Inſertus eſt & Liviorum familiæ.*] Res nota eſt, neque dubia lectionis hujus fides. codex tamen optimus Memmii, *interſertus eſt & Læviorum f.* quod & Pithœus ex eodem libro vel aliis adnotaverat.

4. *Pater vero Tiberii.*] Viterb. Cujacii, & Pithœi & Liſlæi, *Pater Tiberii Nero quæſ.*

In queis Narbona.] Scribe *Narbo,* & ita volueramus: nam præter hiſtoricos etiam MSS. omnes ſic habent.

VARIOR.

4. *Pater vero Tiberii*] Si ſpectetur conſenſus librorum meliorum, ſcribendum erit: *Pater Tiberii Nero Quæſtor.* Neque enim a vulgata lectione ſtat membrana ulla quam Palat. tert. notæ, ut diximus, vetuſtæ. GRUTERUS.

(a) *A.U.C.* DL. (b) *A.U.C.* DCLXXI. (c) *A.U.C.* DCLXXXIII. (d) *A.U.C.* DCCVII. (e) *A.U.C.* DCCX. (f) *A.U.C.* DCCXIII.

in conſpectum Sex. Pompeji admiſſum, & faſcium uſu prohibitum, ad M. Antonium
trajecit in Achaiam. Cum quo brevi reconciliata inter omnes pace, Romam rediit, uxo-
remque Liviam Druſillam, & tunc gravidam, & ante jam apud ſe filium enixam, petenti
Auguſto conceſſit. Nec multo poſt diem obiit, utroque liberorum ſuperſtite, Tiberio
Druſoque Neronibus. Tiberium quidam Fundis natum exiſtimaverunt, ſecuti levem 5
conjecturam, quod materna ejus avia Fundana fuerit, & quod mox ſimulacrum Felici-
tatis ex ſenatusconſulto publicatum ibi ſit. Sed ut plures, certioreſque tradunt, natus
eſt Romæ in Palatio, XVI. Kal. Decemb. M. Æmilio Lepido iterum, L. Munatio
Planco COSS. poſt bellum Philippenſe. Sic enim in faſtos actaque publica, re-
latum eſt. Nec tamen deſunt qui partim antecedente anno, Hirtii ac Panſæ: partim
inſequente, Servilii Iſaurici Antoniique conſulatu, genitum eum ſcribant. Infantiam 6
pueritiamque habuit laborioſam, & exercitam: comes uſquequaque parentum fugæ:
quos

Torrent.

Tiberium enixam.] Libri MSS. omnes *filium enixam*, atque ita legendum. ſequitur enim, *Tiberio Druſoque*.

Neronibus.] Ambo igitur Liviæ filii Nerones vocati ſunt, ſed Tiberio pro cognomine, Druſo vero pro prænomine id datum fuit. ſic enim in nummo veteri, NERONI CLAUDIO DRUSO GERMAN. COS. DES. &, NERO CLAUDIUS DRUSUS GERMAN. IMP. Sic igitur & Horatium interpretabimur lib. IV. Od. IV.

- - - *Auguſti paternus*
In pueros animus Nerones.

5. *Simul felicitatis.*] Mallem *fecunditatis*, ſi libri ſuffragarentur, ut in Juliæ Severi, & Fauſtinæ M. Aurelii nummis legitur, *fecunditas Auguſtæ*. Niſi tamen eo trahimus, ut adulatorie ſignificaverit ſenatus, Tiberium natum felicitate ac bono Urbis, & orbis. quod in Imperatoribus ſæpe factum.

Poſt bellum Philipp.] Tres libri *per bellum Philipp.* Et ſane bellum hoc iis, quos Suetonius dicit, coss. geſtum eſt: ceterum quia ſub finem anni natus eſt Tiberius, utraque lectio defendi poteſt.

In faſtos actaque publica.] Sic Calig. cap. VIII. *Ego in actis Antii editum invenio.* Mos igitur erat, ut parentes natos ſibi liberos apud acta profiterentur, idque a Serv. Tullii temporibus obſervatum. hic enim (ut lib. IV. Dionyſ. Halicarn. ſcribit) in ſingula recens natorum capita Junonis Lucinæ templo inferri aliquid juſſit, & in cenſu agendo non ſolum facultates, ſed & liberorum nomina, atque ætatem referri voluit. Quod vel maxime poſt leges Julias, & Papias obſervatum fuit, ob eorum qui liberos haberent, commoda, & orborum pœnas. Hinc Juvenal. Sat. IX.

- - - *libris actorum ſpargere gaudes*
Argumenta viri.

Appulejus quoque lib. II. de Aſino: *Pater natum ſibi filium ceterorum more profeſſus eſt.* Capitolin. de M. Aurelio ita ſcribit, tanquam is primus juſſerit apud præfectos ærarii Saturni unumquemque civium natos ſibi liberos intra diem triceſimum nomine impoſito profiteri, ac per provincias tabulariorum publicorum uſum inſtituerit, apud quos illic quoque idem fieret, quod apud ærarii præfectos Romæ. Res ipſa tamen, ut oſtendi, antiquiſſima eſt. Sed M. Aurelius neglectam diutius conſuetudinem revocavit. Similis vero locus in vita Gordiani. Adde Servium in illud Virgilii II. Georg. *aut populi tabularia vidit.* & JCtos l. XVI. & l. XXIX. De probationibus. Exſtant etiam marmorum inſcriptiones, in quibus tabulariorum mentio.

6. *Luxurioſam & exercitatam.*] Dubitavi ſæpius, anne melius *luctuoſam* legeretur, ſed quoniam conſentiunt codices, *luxurioſam* interpretor exuberantem, magniſque (ut recte exponit Sabellicus) incrementis præditam. *luxuria* enim, quod Nonius annotavit, intempeſtivam abundantiam ſignificat. Virgil. Georg.

Aut ſi luxuria foliorum exuberat umbra.

Et:

Luxuriem ſegetum tenera depaſcit in herba.

Hinc *luxurioſa frumenta* Cicer. Oratore. Lambin. *laborioſum & exercitam* legit ad Æmil. Probum, Cimone.

Casaubon.

Faſcium uſu prohibitum.] Contra morem rectorum provinciarum, qui comiores erant & haberi volebant. Cicero in epiſtola ad Cornificium, qui ei Anitium commendat negotiorum ſuorum cauſſa legatum in Africam legatione libera: *In primis, quod ei chariſſimum eſt, dignitatem ejus tibi commendo: idque a te peto, quod ipſe in provincia facere ſum ſolitus non rogatus, ut omnibus ſenatoribus lictores darem: quod idem acceperam & noveram a ſummis viris eſſe factitatum.*

5. *Kal. Decemb.*] Dio, τῇ ἕκτῃ ἐπὶ δέκα τοῦ νοεμβρίου μηνός. lib. LVII.

6. *Infantiam pueritiamque habuit luxurioſam & exercitatam.*] Nihil variant libb. veteres, non placet

quos quidem apud Neapolim ſub irruptionem hoſtis navigium clam petentes, vagitu ſuo pæne bis prodidit: ſemel, cum a nutricis ubere, item cum a ſinu matris raptim auferretur ab iis, qui pro neceſſitate temporis mulierculas levare onere tentabant. Per Siciliam quoque & per Achaiam circumductus, ac Lacedæmoniis publice, qui in tutelam Claudiorum erant, demandatus, digrediens inde itinere nocturno, diſcrimen vitæ adiit: flamma repente e ſilvis undique exorta, adeoque omnem comitatum circumplexa, ut Liviæ pars veſtis & capilli amburerentur. Munera, quibus a Pompeja Sext. Pompeji ſorore in Sicilia donatus eſt, chlamys & fibula, item bullæ aureæ, durant, oſtenduntur-

cet tamen hæc lectio: nam ut concedamus *luxurioſam infantiam* poſſe dici τὴν ἔχυσαν ταχεῖαν εἰς αὔξην τελείωσιν, tamen Suetonii ea mens non eſt: qui non aliud notare voluit, quam quod Tac. l. VI. Annal. in elogio Tiberii: *Caſus prima ab infantia ancipites: nam proſcriptum patrem exſul ſecutus, ubi domum Auguſti privignus introiit, multis æmulis conflictatus eſt.* plane geminus huic locus. Doctiſſimi viri, Pithœus & Urſinus, emendabant *laborioſam:* Sic apud Plinium in Panegyrico *laborioſus & exercitus* junguntur: *Intelligimus, Cæſar, quantum tibi pro laborioſa iſta ſtatione & exercita debeamus.* ego tamen non improbem Torrentii conjecturam, fuiſſe olim *luxurioſam:* videtur enim corrupiſſe hunc locum prava conſuetudo ſcribendi *x* pro aliis litteris, quemadmodum libro ſuperiore diximus. Habent etiam MSS. *exercitatam*, non *exercitam*, quod potius poſtulet traditio veterum literatorum. Caper, *exercitus laboribus, exercitatus ſtudiis.* Idem tradit Servius ad III. Æneid. ſed hæc obſervatio magnis ſcriptoribus negligitur: niſi mendoſe multa hodie ſcribantur, ut apud Tacitum XIV. Annal. *Factus natura & conſuetudine exercitus*, pro exercitatus. Hiſt. I. *Juventus ſueta armis & more militiæ exercita*, & aliis multis locis.

VARIOR.

5. *M. Æmilio* II. *& Munatio Planco* Coss.] Vetus codex habet *Numatio*, pro *Munatio*. Eſt autem & Numatii celebris viri mentio apud Horatium libro Epiſtol. I. epiſtola tertia, & alterius Numatii Galli apud Martialem libro X. GLAREANUS.

TORRENT.

Qui in tutela Claudiorum.] Melius liber opt. *quod in tut.* Sic in clientela Antoniorum Bononienſes fuiſſe ſcribit Sueton. Aug. cap. XVI. quodque ibi clientelam, hic tutelam vocat. Ut patroni clientium ſuorum tutores ac defenſores fuiſſe intelligantur. Livius lib. XXV. *Incolumeſque Syracuſas familiæ veſtræ ſub clientela nominis Marcellorum tutelaque habendas tradi.* Adde Ciceronis locum ex Philipp. cum Puteolanos ab Antonio vexatos ſcribit, quod C. Caſſium, quodque Brutos patronos adoptaſſent.

Chlamys & fibula.] Sic Andromache apud Virg. III. Æneid. *Phrygiam Aſcanio chlamydem* donat. Chlamys enim, quanquam militare veſtimentum erat, (unde Plautus chlamyde, machæra, & petaſo militi opus eſſe ait) inter puerilia quoque ponitur ab Ulpiano l. XXIII. De auro & arg. legato. Quo loco pro *aliculæ*, ni fallor, *caligulæ* legendum eſt. nam & hæ pueris ad fauſtum militiæ omen ferendæ donabantur. Aliis *alliculæ* probatur. ἀλλὶξ enim Heſychio eſt χιτὼν χειριδωτὸς, id eſt, tunica manicata, pueris quam viris decentior, de qua Gell. lib. VII. cap. XII. Eadem ratio, quod & togæ prætextæ, & pallia, puerorum cauſa parata, inter puerilia recenſentur, quod eis ſcilicet pueri, pro ſua quiſque indole, aut parentum ſtudio, nonnunquam induebantur.

Bullæ aureæ.] *Bullas* hoc loco non tam pro notis puerorum inſignibus accipio, quam pro illis veluti clavorum capitibus, quæ cingulis militarib. adornatum apponebantur. id n. cum chlamyde, & fibula rectius convenit. Virgil. Æn. IX.

- - - *phaleras Rhamnetis, & aurea bullis*
Cingula.

& extremo XII.

- - - *notis fulſerunt cingula bullis.*

CASAUBON.

Flamma repente ſilvis undique exorta.] Quod non raro in montibus evenire ſolet. Thucydides lib. II. Ἤδη γὰρ ἐν ὄρεσιν ὕλη τριφθεῖσα ὑπ᾽ ἀνέμων πρὸς αὐτὴν, ἀπὸ ταυτομάτυ πῦρ καὶ φλόγα ἀπ᾽ αὐτῦ ἀνῆκε. Lucretius lib. I.

At ſæpe in magnis fit montibus, inquit, ut altis
Arboribus vicina cacumina ſumma terrantur
Inter ſe, validis facere id cogentibus auſtris:
Donec fulſerunt flammai flore coorto.

Idem lib. IV.

Et ramoſa tamen cum ventis pulſa vacillans
Æſtuat in ramos incumbens arboris arbor,
Exprimitur validis extritus viribus ignis,
Et micat interdum flammai fervidus ardor.

Manilius lib. I.

Sunt autem cunctis permiſti partibus ignes,
Ac ſilice in dura viridique in cortice ſedem
Inveniunt, tum ſylva ſibi colliſa crematur.

dunturque adhuc Bajis. Poſt reditum in urbem a M. Gallio ſenatore teſtamento adoptatus, hereditate adita, mox nomine abſtinuit: quod Gallius adverſarum Auguſto partium fuerat. Novem natus annos, defunctum patrem pro Roſtris laudavit. Dehinc pubeſcens, Actiaco triumpho currum Auguſti comitatus eſt, ſiniſteriore funali equo, cum Marcellus Octaviæ filius dexteriore veheretur. Præſedit & Actiacis ludis,

&

TORRENT.

M. Gallio.] Q. Gallii Prætoris, quem Auguſtus occidi juſſerit, mentio ſup. cap. XXVII. Marcus igitur ob occiſum fratrem, aut certe gentilem atque agnatum ſuum, Auguſto & ipſe adverſabatur. Quæ cauſa fuit, ut Tiberius, quanquam teſtamento adoptatus, teſtatoris nomine abſtinuerit, hereditatem tamen adierit. An recte, Juriſconſulti judicent Exſtat etiam nummus æreus cum inſcriptione: C. GALLIUS LUPERCUS III-VIR AAA FF. idem fortaſſe cum eo, de quo Val. Maximus VI. cap. I. in fine.

Siniſteriore funali equo.] Sic Statius lib. VI.

Nominibuſque ciet Pholoën Admetus, & Irin,
Funalemque Thoën.

Verum *funalem* illic vocat, qui duobus una junctis tertius antecedens adjungitur, qualem in vetuſtis denariis adhuc cernimus, & Dionyſ. Antiq. Rom. extremo lib. VII. nobis egregie deſcribit, παρήωρον appellans. Sueton. autem cum ſiniſteriorem addit, aliud haud dubie intelligit. Onufrius Panvinius libro quem de Triumpho ſcripſit, *funales* appellare videtur exteriores duos, quos inter alii duo medii incedunt, nec diſſentit Turneb. Adverſar. XIV. cap. XVII. Ut *funalis* ſit, qui extra jugum incedit, & jugali opponitur, quem Græci σειραῖον, & σειραφόρον appellent. nam qui jugum ſubit, ζύγιος illis dicitur, ὁ ὑπὸ τῷ ζυγῷ ἵππος. Ex his porro intelligimus *funalem equum* appellari, qui extra jugum ſit, ſive ante, ſive a latere jungatur, inde dictus, quod fune, ſive habena, aut catena etiam exterius regatur, (ſic enim malo quam a funalibus, quæ in eo triumphanti præferrentur, ut quidam cenſuere) in heroum curribus, & Circenſibus ludis, ut Dionyſ. tradit, ante jugales junctus; in triumpho vero ab utroque duorum, qui medii ſint, latere. Suetonio autem



lumen addit, quod pro Murena ſcribit Cicero, filios prætextatos ſedere in equis triumphantium ſolitos: quodque exſtant Auguſti numiſmata aurea, in quibus quatuor junctis ad currum elephantis totidem pueri inſident. At Domitianus, ætate jam major, triumphum patris ac fratris Judaicum equo albo comitatus eſt. Sueton. Domit. cap. II.

Præſedit & Actiacis ludis.] Libri duo *Atticis*, unus *Aſticis*, ſicut & Vatican. unde *haſticos* nonnulli *ludos* inducunt. Verum cum, teſte Dione initio lib. LIII. Auguſtus ſexto ſuo conſulatu ludos ob Actiacam victoriam decretos Romæ exhibuerit, qui deinceps quinto quoque anno celebrati fuere; cumque in illis equeſtre certamen exſtiterit per viros ac pueros nobiles, nihil dubito, quin vulgata lectio ſit retinenda. Adde locum Suetonii Calig. cap. XX. Quod vero præſediſſe Tiberium ſcribit, & nihilominus ductorem turmæ facit, rem non diſſimilem de Antonio refert Plutarch. cum *Poſitis*, inquit, *magiſtratus inſignibus ludis præfuit, & aſſumptis adoleſcentibus una cum illis ſaltavit.* Sic igitur Tiberius, cum præſideret, turmam etiam ipſe duxit. Trojæ autem ludi ab Aſcanio originem traxere. Cæſ. cap. XXXIX. & Aug. cap. XLIII.

CASAUBON.

Præſedit & Actiacis ludis.] Plerique omnes MSS. *haſticis*: alii *Atticis*, quidam *Actiacis*, quos ſecuti ſumus, ut in dubio: etſi nihil Dio de Tiberio in mentione ludorum Actiacorum, quos ait per ipſum Auguſtum & Agrippam, ipſius in conſulatu ejus anni collegam, fuiſſe curatos. ſic ille initio lib. LIII. Τὴν πανήγυριν τὴν ἐπὶ τῇ νίκῃ τῇ πρὸς τῷ Ἀκτίῳ γενομένην ψηφισθεῖσαν ἤγαγε μετὰ τοῦ Ἀγρίππου.

VARIOR.

6. *Mox nomine abſtinuit.*] Ergo primum cum hereditate etiam Gallii ſuſcepit nomen, quo poſt demum abſtinuit, quod Gallius adverſarum Auguſti partium fuerat. Sed quod iſtarum fuerit partium, non tamen hinc ſequitur, Gallii damnatum eſſe nomen. Neque item puto, Tiberii cauſam illius ſimilem fuiſſe, cui ſub conditione ferendi nominis hereditas relicta eſt, quamvis hæc ita videantur Heraldo Obſ. 20. Cum enim extra controverſiam ſit, unicuique nomen ſuum mutare licere, dum non fiat in fraudem alterius, non tamen idem de eo tam eſt expeditum, cui ſub conditione ferendi nominis hereditas relicta eſt. GOESIUS.

Siniſteriore funali equo.] *Moris erat, ut qui triumphans in Urbem introibat, liberos ac cognatos utriuſque ſexus, ſiquidem prætextati adhuc eſſent in curru juxta ſe haberet, ſin grandiores eſſent, equis jugalibus funalibuſve imponeret. Quod ſi plures eſſent, equis ſingularibus vecti currum proſequebantur*, ut ſcribit Zonar. Tom. 2. Annal. ex Dione. Cui adſtipulatur Appianus in Lybic. his verbis: Ἐπιβαίνουσι δ' ἀυτῶν ἐπὶ τὸ ἅρμα παῖδές τε καὶ παρθένοι, καὶ ἐπὶ τῶν παρηόρων ἑκατέρωθεν ἠΐθεοι συγγενεῖς. Quod igitur Zonaras ſeu Dio dixerat, ἐπὶ τῶν ζυγίων καὶ σει-

ρα

7 & Trojanis Circenſibus, ductor turmæ puerorum majorum. Virili toga ſumta, adoleſcentiam omnem, ſpatiumque inſequentis ætatis uſque ad principatus initia, per hæc fere tranſegit: Munus gladiatorium in memoriam patris, & alterum in avi Druſi dedit, diverſis temporibus, ac locis: primum in foro, ſecundum in amphitheatro: rudiariis quoque quibuſdam revocatis, auctoramento centenum milium. Dedit & ludos, ſed abſens, cuncta magnifice, impenſa matris ac vitrici. Agrippinam M. Agrippa genitam, neptem Cæcilii Attici equitis Romani, ad quem ſunt Ciceronis epiſtolæ, duxit uxorem: ſublatoque ex eo filio Druſo, quamquam bene convenientem, rurſumque gravidam, dimittere, ac Juliam Auguſti filiam confeſtim coactus eſt ducere: non ſine magno angore animi, cum & Agrippinæ conſuetudine teneretur, & Juliæ mores improbaret; ut quam ſenſiſſet, ſui quoque ſub priore marito appetentem, quod ſane vulgo etiam exiſtimabatur. Sed Agrippinam & abegiſſe poſt divortium doluit: & ſemel omnino ex occurſu viſam, adeo contentis & tumentibus oculis proſecutus eſt, ut cuſtoditum ſit, ne umquam

ϱαφόρων. id Appianus ἐπὶ τῶν παρηόρων dicit, omiſſa jugalium mentione, in quibus ſediſſe adoleſcentes vix crediderim. In funalibus equis dexterior habebatur honoratior, teſtis eſt Sueton. in Tib. c. 6. cum ait: *Dehinc pubeſcens Actiaco triumpho currum Auguſti comitatus eſt ſiniſteriore funali equo, cum Marcellus dexteriore veheretur.* Sic Domitianus *Judaicum patris ſimul ac fratris triumphum equo albo comitatus eſt*, teſte Suetonio ac Dione. H. VALLESIUS ad N. Damaſcenum.

Præſedit Actiacis.] Palat. prim. & ſec. *Acticis*, tert. *Atticis.* Codex Salmaſ. *aſticis.* De ludis autem aſtycis plura dicentur ad cap. xx. Caligulæ. Alii *haſticis* reponunt.

TORRENT.

7. *Rudiariis quibuſdam.*] *Rudiarios*, non uſitato aliis vocabulo, rude donatos appellat, de quo Calig. cap. XXXII.

Auctoramento centum mill.] MS. *centenum millium.* Sic autem etiam milites perfuncti militia, emeritis jam ſtipendiis, magna ſæpe largitione ad bellum rurſus aſſumebantur, quos & *evocatos* appellabant. Vide, quæ notavi ad Horatium lib. II. Sat. VII. *Auctoratus eas.* & Turnebum Adverſar. II. cap. XX.

Neptem Pomponii Attici.] Libri MSS. omnes *Cæcilii Attici.* Quo nomine poſt avunculi teſtamentum vocatus fuit, ſed priore tamen notior eſt. Notandum vero, quod Agrippinam vocat Sueton. quam Tacit. Vipſaniam, ut eadem patris non nomen tantum, ſed & cognomen tulerit. Poſt Tiberium Aſinio Gallo, Aſinii Pollionis filio, nupſit. Vide Tacitum lib. I. Annal. & Nepotem vita Attici.

Non ſine magno angore animi.] Tres libri *languore.*

Contentis & tumentibus oculis.] Placet Turnebi interpretatio, ut *tumentes oculos* prominentes ac veluti erumpentes e capite appellet. Duo codices noſtri habent *contumentibus.* Sunt etiam, qui *conniventibus* legant. *Contentis* quoque *oculis* dixit, in *contento poplite* Horat. lib. II. Sat. VII. & *Contenta cervice feram.* Auſon. Epiſt. x. ſic enim amatoribus accidit, quando, ut ait Virgil. *oculos in virgine figunt*, qui Theocrito κυλοιδιόωντες.

CASAUBON.

Et Trojanis Circenſibus ductor turmæ puerorum m.] Dio ibidem: Καὶ ἐν αὐτῇ τὴν ἱπποδρομίαν διά τε τῶν παιδίων τῶν εὐγενῶν καὶ διὰ τῶν ἀνδρῶν ἐποίησε. Sed quæro, ſi in hoc ludicro præſedit Tiberius, qui potuit turmæ ductorem agere: aut igitur vicarii opera uſum oportuit, aut excidit e contextu Suetonii verbum *fuit.*

Puerorum majorum.] Hi ſunt, qui Græcis dicebantur ἀγένειοι, mediæ inter puerilem & virilem ætatis. ita Græci ſæpiſſime ſeparant ἀθλήματα ἀνδρῶν ſive τελείων, ἀγενείων, & παιδίων. Ipſe Tiberius, ſi, ut videtur, de primis ludis Actiacis ſentit Tranquillus, annum ætatis decimum tertium nondum compleverat. Sin de ſecundis capiamus, annum tunc agebat decimum ſeptimum. Porro Trojæ ludus majorum minorumque puerorum edi ſolitus ab Auguſto, ut ſcribit Suetonius.

7. *Adeo contentis & tumentibus oculis proſecutus eſt.*] Expreſſit pluribus verbis, quod uno Græcorum ditiſſima lingua, κυλοιδιᾷν: quod de eo dicunt, quibus e contento intuitu rei amatæ oculi tument. Theocritus:

— — οἱ δ' ὑπ' ἔρωτος
Δηθὰ κυλοιδιόωντες ἐτώσια μοχθίζοντι.

Scholiaſtes minus recte, qui tumentium oculorum cauſſas facit inſomniam, cui amor occaſionem præbuerit. Συμβαίνει, ait, τοῖς ἀγρυπνοῦσιν ὡς ἐπίπαν οἰδαίνειν τὰ κοῖλα, ἤγουν τοὺς ὀφθαλμοὺς, ὅπερ οἱ πολλοὶ ἀναγκαίως δι' ἔρωτα πάσχουσι. Verius eſt, cauſſam συνοχὴ hujus tumoris eſſe, ſpirituum opticorum collectionem & contentionem: quæ naſcitur ex affectus vehementia.

TOR-

umquam in conſpectum ejus poſthac veniret. Cum Julia primo concorditer, & amore
mutuo vixit: mox diſſedit, & aliquanto gravius, ut etiam perpetuo ſecubaret, inter-
cepto communis filii pignore, qui Aquilejæ natus infans exſtinctus eſt. Druſum fratrem a.
in Germania amiſit, cujus corpus pedibus toto itinere prægrediens, Romam uſque per-
vexit. Civilium officiorum rudimentis regem Archelaum, Trallianos & Theſſalos, varia 8
quoſque de cauſſa Auguſto cognoſcente defendit. Pro Laodicenis, Thyatirenis, Chiis
terræ motu afflictis, opemque implorantibus, ſenatum deprecatus eſt. Fannium Cæpionem,
qui cum Varrone Muræna in Auguſtum conſpiraverat, reum majeſtatis apud judices fe-
cit, & condemnavit. Interque hæc duplicem curam adminiſtravit annonæ, quæ ar-
ctior inciderat: & repurgandorum tota Italia ergaſtulorum, quorum domini in invidiam
venerant: quaſi exceptos ſupprimerent, non ſolum viatores, ſed & quos ſacramenti me-
tus ad hujuſmodi latebras compuliſſet. Stipendia prima expeditione Cantabrica tribunus b. 9
militum fecit; deinde ducto ad Orientem exercitu, regnum Armeniæ Tigrani reſtituit, c.
ac pro tribunali diadema impoſuit. Recepit & ſigna quæ M. Craſſo ademerant Parthi.
Poſthæc comatam Galliam anno fere rexit, & barbarorum incurſionibus, & principum
diſcordia inquietam. Exhinc Rhæticum Vindelicumque bellum, inde Pannonicum, in-
de Germanicum geſſit. Rhætico atque Vindelico, gentes Alpinas: Pannonico, Breucos
&

Torrent.

Mox diſſedit.] Proprie. Unde *diſſidium*, pro divortio. Male, qui *diſcidium* ſcribunt.

Druſum fratrem.] Mortuum in conſulatu. A. U. C. DCCXLIV. Ad quem quanta feſtinatione profectus ſit Tiberius, vide Plinium lib. VII. cap. XX.

8. *Regem Archelaum.*] De hoc judicio Euſeb. Chronicis, & Eccleſ. hiſt. lib. I. ac late Joſeph. Antiq. XVII. cap. XI.

Fannium Cæpionem.] Aug. cap. XIX.

Sacramenti metus.] Ne militiæ dare nomen cogerentur. De quo ad Aug. cap. XXIV. quemadmodum & de ergaſtulis cap. XXXII.

9. *Regnum Armeniæ Tigrani reſt.*] De hoc Tacit. initio lib. II. Annal. Plura ad Horat. Epiſt. ad Itium:

--- Claudi virtute Neronis
Armenius cecidit.

Summa autem ea gloria fuit. Unde ſuperbæ illæ inſcriptiones veterum numiſmatum: REGNA ADSIGNATA. REX PARTHIS DATUS.

Exhinc Rhæticum Vindelicumque.] Libri meliores *Exin*, & *Ræticum*, ſine adſpiratione. Quo ordine vero hæc bella Tiberius geſſerit, quæve cum fratre Druſo, quæve non, declarant, qui Faſtos nobis concinnarunt, Sigonius, & alii. Sed & Horat. Od. IV. & XIV. lib. IV. horum laudes decantavit.

Pannonico Breucos.] Mira exemplarium tam Horatii lib. IV. Od. XIV. quam Suetonii hoc loco varietas. nam & *Brennos*, & *Brencos*, & *Breunos* ſcriptum reperi. Verum cum Plin. lib. III. cap. XX. tropæi de gentibus Alpinis, a mari ſupero ad inferum ſub poteſtatem pop. Rom. redactis, verba recenſeat, & inter eas *Breunos* conſtituat, apud Horatium quidem, qui de Vindelico loquitur bello, *Breunos* legendum cenſeo; apud Suetonium vero, qui de Pannonico, *Breucos*, quos idem Plin. lib. III. cap. XXV. in Pannonia collocat. Ptolemæus etiam *Breunos* in Lepuntiis ac Vindelicis, *Breucos* in Pannoniis idem nominat, & Dion lib. LV.

Casaubon.

8. *Regem Archelaum.*] Meminit Dio obiter lib. LVII.

Curam adminiſtravit annonæ] Vellejus II. 94. *Quæſtor undeviceſimum annum agens capeſſere cœpit remp. maximamque difficultatem annonæ ac rei frumentariæ inopiam ita Oſtiæ atque in Urbe mandato vitrici moderatus eſt, ut per id quod agebat, quantus evaſurus eſſet, eluceret.*

9. *Deinde ducto ad orientem exercitu.*] Anno U. C. DCCXXXIV. Dio lib. LIX. Vellejus lib. II.

Et barbarorum incurſionib. & principum diſcordia inquietam.] Narrat Dio in actis anni DCCXXXV. miſſum in Gallias Agrippam plane eaſdem ob cauſſas, ἔν τε γὰρ ἀλλήλοις ἐστασίαζον, καὶ ὑπὸ τῶν Κελτῶν ἐκακοῦντο. Agrippæ ſucceſſiſſe videtur Tiberius. Vellejus omiſit hanc hiſtoriam, qui ſtatim reverſum Tiberium ex oriente, bello Rhætico Vindelicoque præfectum fuiſſe narrat.

Exin Ræticum Vindelicumque.] Dio in actis anni DCCXXXVIII. lib. LIV.

Inde Pannonicum.] Vide ad librum ſuperiorem cap. XXI.

Inde Germanicum geſſit.] Narrat Tiberius apud Tacitum, *ſe novies a D. Auguſto in Germaniam miſſum.*
prima

(a) *A. U. C.* DCCXXXV. (b) *A. U. C.* DCCXXVIII. (c) *A. U. C.* DCCLIV.

& Dalmatas ſubegit. Germanico, quadraginta milia dedititiorum trajecit in Galliam, juxtaque ripam Rheni ſedibus aſſignatis collocavit. quas ob res, & ovans, & curru urbem ingreſſus eſt primus, ut quidam putant, triumphalibus ornamentis honoratus, novo nec antea cuiquam tributo genere honoris. Magiſtratus & maturius inchoavit, & pæne junctim percucurrit, quæſturam, præturam, conſulatum: interpoſitoque tempo- a. re, COS. iterum, etiam tribunitiam poteſtatem in quinquennium accepit. Tot proſperis confluentibus, integra ætate ac valetudine ſtatuit repente ſecedere, ſeque e medio quam longiſſime amovere. Dubium, uxoriſne tædio, quam neque criminari aut dimittere auderet, neque ultra perferre poſſet; an ut vitato aſſiduitatis faſtidio, auctoritatem abſentia tueretur, atque etiam augeret, ſi quando indiguiſſet ſui Reſpubl. Quidam exiſtimant, adultis jam Auguſti liberis, loco & quaſi poſſeſſione uſurpati a ſe diu ſecundi gradus, ſponte ceſſiſſe, exemplo M. Agrippæ, qui M. Marcello ad munera publica admoto, Mitylenas abierit: ne aut obſtare, aut obtrectare præſens videretur. Quam cauſſam & ipſe, ſed poſtea, reddidit. Tunc autem hono-

rum

prima vero illius trajectio Rheni ea eſt, quam refert Dio in actis anni DCCXLVI.

Breucos.] Viterb. & Liſl. *Brennos:* Memmii & Pithœi, *Breucos.* Alii *Brencos.* Eadem diverſitas obſervata nobis in veter: codd. Græcorum hiſtoricorum.

TORRENT.

Ovans & curru.] Et ovavit igitur de Dalmatis, & triumphavit de Germanis. ſic enim Aug. cap. XXII. *Bis ovans ingreſſus eſt Urbem, curules triumphos tres egit.* ſiquidem ovatio & ipſa triumphus eſt, ſed minor. Ideo primum pedibus, deinde equo, nunquam vero curru acta. Nec taurus in ea, quæ maxima eſt victima, ſed ovis, unde & nomen traxit, immolari ſolita. Myrtea quoque corona, Veneri ſacra, non laurea, ovantis capiti imponebatur.

Primus ut quidam putant.] Recte additum, *ut quidam putant.* nam non Tiberio, ſed Agrippæ primo triumphalia ornamenta, ſi Dioni ſcriptori diligentiſſimo credimus, ſub Auguſto decreta fuerunt. Idque & ex Suetonio manifeſtum eſt, qui cum Auguſtum pluſquam XXX ducibus juſtos triumphos, & aliquanto pluribus triumphalia ornamenta decerni curaſſe ſcripſerit, fieri nequit, ut non multi ante Tiberium ea ſint conſecuti. Quare adducor, ut *prius* pro *primus*, quemadmodum in veteri quodam cod. ſcribitur, legendum hic eſſe cenſeam; ut ante ovationem ſcilicet ac triumphum ornamenta triumphalia acceperit, eodem nempe tempore, quo fratri ejus Druſo decreta fuere, A. U. DCCXLII.

Tribunitiam poteſt.] Quo id tempore contigerit, vide Sigonium, ad A. U. DCCLII.

10. *Integra ætate ac valet. proſpera.*] Dele *proſpera*, ut tres MSS.

Neque ultra perferre.] Liber opt. *ferre*, & ſane melius.

Exemplo M. Agrippæ.] Aug. cap. LXVI.

Sed poſtea reddidit.] Mallem abeſſe particulam *ſed.* Vide Tacitum.

CASAUBON.

XL. millia.] Sunt codices, in quibus ſcriptum CX. perperam: præter ſcriptos codd. Eutropius firmat hanc lectionem.

Trajecit in Galliam.] Vide ad lib. ſuperioris cap. XXI.

Et ovans.] Dio lib. LV. in anno DCCXLV. Ὁ Τιβέριος τῶν τε Δαλματῶν καὶ τῶν Παννονίων ὑποκινησάντων τὶ αὖθις, κρατήσας, τὰ ἐπὶ τοῦ κέλητος ἐπινίκια ἔπεμψε. Vide eundem & ſub finem lib. prioris.

Et curru urbem ingreſſus eſt.] Kal. ipſis Januariis, anno conſulatus ſui ſecundi & Cn. Piſonis, U. C. DCCXLVII. Dio lib. LV. & Vellejus.

Etiam tribunitiam poteſtatem in quinquennium accepit.] Videtur dicere Suetonius, delatam fuiſſe Tiberio tribunitiam poteſtatem anno DCCXLVIII. in quem incidit alter ejus conſulatus. Dio lib. LV. in ſequentem annum conjicit: ac ſtatim accepta tribunicia poteſtate Rhodum ſeceſſiſſe indicat. Quare ordinem temporum ſequitur Suetonius.

10. *Vitato aſſiduitatis faſtidio.*] Aliquoties hoc factum ab Auguſto notat Dio, ut in anno DCCXXXVIII. cum abiit in Gallias. Εἰς τὴν Γαλατίαν, inquit, ὥρμησε πρόφασιν τοὺς πολέμους τοὺς κατ᾽ ἐκεῖνο κινηθέντας λαβὼν, ἐπειδὴ ἐπαχθὴς πολλοῖς ἐκ τῆς ἐν τῇ πόλει χρονίου διατριβῆς ἐγεγόνει. Atque hoc inter inſtrumenta conſervandæ augendæque majeſtatis a multis ſcimus & traditum & uſurpatum.

Quidam exiſtimant.] Hæc cauſſa vulgo credita. Dio dicto loco, & ſimiliter Vellejus II. 99: *Cum C. Cæſar ſumpſiſſet jam virilem togam, Lucius item maturus eſſet viris, ne fulgor ſuus orientium juvenum obſtaret initiis, diſſimulata cauſſa conſilii ſui, commeatum ab ſocero atque eodem vitrico acquieſcendi a continuatione laborum petiit.*

Qq TOR-

(a) *A.U.C.* DCCXXXI. DCCXXXVIII. DCCXL. DCCXLVII. DCCXLVIII.

rum ſatietatem, ac requiem laborum prætendens, commeatum petiit. Neque aut matri ſuppliciter precanti, aut vitrico, deſeri ſe etiam in ſenatu conquerenti, veniam dedit. Quin & pertinacius retinentibus, cibo per quatriduum abſtinuit. Facta tandem abeundi poteſtate, relictis Romæ uxore & filio, confeſtim Oſtiam deſcendit: ne verbo quidem cuiquam proſequentium reddito. paucoſque admodum in digreſſu
oſculatus. Ab Oſtia oram Campaniæ legens, imbecillitate Auguſti nuntiata, paullum 11
ſubſtitit. Sed increbreſcente rumore, quaſi ad occaſionem majoris ſpei commoraretur, tantum non adverſis tempeſtatibus Rhodum enavigavit, amœnitate & ſalubritate inſulæ jam inde captus, cum ad eam ab Armenia rediens appuliſſet. Heic modicis contentus ædibus, nec multo laxiore ſuburbano, genus vitæ civile admodum inſtituit, ſine lictore aut viatore gymnaſia interdum obambulans, mutuaque cum Græculis officia uſurpans, prope ex æquo. Forte quodam in diſponendo die mane prædixerat, quidquid ægrorum in civitate eſſet, viſitare ſe velle: id a proximis aliter exceptum eſt: juſſi-

que

Torrent.

Proſequentium.] De proſequendi officio ante diximus. Notandus & de oſculo locus, quo digreſſuri invicem valedicebant. Sed & reverſi peregre oſculabantur. Adi Horat. lib. I. Od. XXXVI.

11. *Sed & increbreſcente.*] Particula & ſupervacanea eſt. Plures etiam libri *increbeſcente.* Verum *r* illud geminatum vim vocabuli magis exprimit. ut in illo artificioſiſſimo Virgilii verſu, *nemorum increbreſcere murmur,* I. Georg. quo loco ſi *increbeſcere* legas, perierit gratia. Nec minus in altero ejuſdem poëtæ verſu lib. VIII. Æneidos, *late Latio increbreſcere nomen.* duplex enim ſyllabarum annominatio, & colliſio quædam eſt, *late Latio,* & *increbreſcere.*

Genus vitæ civile.] Cæſ. cap. LXXV. *civili animo tulit.*

Gymnaſio int. obambul.] Liber opt. *gymnaſia.* Verum Strabo unum tantum, idque egregie Romanorum ornatum donis, Rhodi commemorat.

Quicquid ægrorum.] Sic MS. non *ægrotorum.* ut in vulgatis. unus etiam *agrorum,* quemadmodum & edit. Gallica. Nec male fortaſſis, ut, cum agros ſe velle viſere dixiſſet, qui id perperam intellexerant, ægros ei obtulerint. Sed neſcio, an in urbe tam celebri ac frequenti tantum agrorum fuerit. Et alioqui laudata multorum Principum pietas, quod ægrotos viſerint. ſic enim de Claudio Dion, de Hadriano Spartianus, de Trajano & Gratiano Auſonius Panegyrico, quin & de Tiberio ipſo jam Principe Dion lib. LVII. Adde, quod ſcribit Strabo, felicem quidem eſſe ejus inſulæ regionem, urbem tamen æſtate graviorem propter æſtum, & pomorum copiam. Lector cogitet. Ego certe *ægrorum* malim.

Casaubon.

11. *Rhodum enavigavit, amœnitate & ſalubritate inſulæ captus.*] Ea cauſſa eſſe videtur, cur Rhodum fere ſoliti Romani proceres, qui præſenti ſtatu rerum non lætarentur, ſecedere. D. Brutus in epiſtola ad M. Brutum & C. Caſſium: *Quid ergo eſt, inquis, tui conſilii? Dandus eſt locus fortunæ: cedendum ex Italia, migrandum Rhodum.* C. Mutius Ciceroni: *Mihi quidem ſi optata contingent, quod reliquum eſt vitæ, in otio Rhodi degam: ſin caſus aliquis interpellarit, ita ero Romæ, ut recte fieri ſemper cupiam.* De ſeceſſu Tiberii in hanc inſulam præter alios Manilius lib. IV.

Virgine ſub caſta felix terraque marique
Es, Rhodos, hoſpitium recturi Principis orbem:
Tuque domus vere Solis, cui tota ſacrata es,
Cum caperes lumen magni ſub Cæſare mundi.

Forte quodam in diſponendo die.] Scribe cum Memmiano, *Forte quondam in d. d.*

In diſponendo die.] Notemus utiliſſimum morem: neque enim aliter temporis ratio conſtare poteſt. ſic & apud Græcos diligentiſſimus quisque & prudentiſſimus. Vetus ſcriptor apud Stobæum: Ξενοκράτης διαιρῶν ἕκαςον μέρος τῆς ἡμέρας εἰς πρᾶξίν τινα καὶ τῇ σιωπῇ μέρος ἀπένεμε. Sic *diſponere ætatem* apud Senecam Epiſt. LI.

Quicquid ægrorum in civitate eſſet, viſitare ſe velle.] Comitas non abhorrens a moribus Tiberii. Vellejus narrat ſimile quid de eodem, II. 114. *Nemo e nobis gradumve noſtrum aut præcedentibus aut ſequentibus imbecillus fuit, cujus ſalus aut valetudo non ſuſtentaretur Cæſaris cura: tanquam diſtractiſſimus ille tantorum onerum mole huic uni negotio vacaret animus.* Quare non probo lectionem quorumdam librorum doctis nonnullis probatam *agrorum,* quam in nullo noſtrorum reperimus. Taceo, quod verbum *viſitare* de agris parum apte diceretur.

Varior.

10. *Oſculatus.*] Codex Salmaſ. *exoſculatus.*

11. *Sine lictore aut viatore.*] Vim terroremque imperii Romani oſtendebant lictores, ſecures, faſces: ideo, cum adempto illo metu magiſtratus quaſi ad

amicos

que ſunt omnes ægri in publicam porticum deferri, ac per valetudinum genera diſponi. Perculſus igitur inopinata re, diu quid ageret incertus, tandem ſingulos circuit: excuſans factum etiam tenuiſſimo cuique, & ignoto. Unum hoc tantummodo, neque præterea quidquam notatum eſt, in quo exercuiſſe jus tribunitiæ poteſtatis viſus ſit: Cum circa ſcholas & auditoria profeſſorum aſſiduus eſſet, moto inter antiſophiſtas graviore jurgio, non defuit qui eum intervenientem & quaſi ſtudioſiorem partis alterius convitio inceſſeret. Senſim itaque regreſſus domum, repente cum apparitoribus prodiit, citatumque pro tribunali voce præconis convitiatorem rapi juſſit in carcerem. Comperit deinde Juliam uxorem ob libidines atque adulteria damnatam, repudiumque ei ſuo nomine, ex auctoritate Auguſti, remiſſum: & quamquam lætus animo, tamen officii duxit, quantum in ſe eſſet, exorare filiæ patrem frequentibus litteris, & vel utcumque meritæ, quidquid umquam dono dediſſet, concedere. Tranſacto autem tribunitiæ poteſtatis tempore, confeſſus tandem nihil aliud ſeceſſu devitaſſe ſe quam æmulationis cum Cajo Lucioque ſuſpicionem, petiit, ut ſibi ſecuro jam ab hac parte, corroboratis his, & ſecundum locum facile tutantibus, permitteretur reviſere neceſſitudines, quarum deſiderio teneretur. Sed neque impetravit: ultroque etiam admonitus eſt, dimitteret omnem curam ſuorum, quos tam cupide reliquiſſet.
12 Remanſit ergo Rhodi contra voluntatem: vix per matrem conſecutus, ut ad velandam ignominiam, quaſi legatus ab Auguſto abeſſet. Enimvero tunc non privatum modo, ſed etiam obnoxium, & trepidum egit, mediterraneis agris abditus, vitanſque præter-

amicos adire volebant, removebant inſignia poteſtatis. Tacitus Ann. II. de Germanico: *Hinc ventum Athenas, fœderique ſociæ & vetuſtæ urbis datum, uno ut lictore uteretur.* Et ſimilia de Antonio Appianus lib. IV. Ἐμφ. LIPSIUS.

Gymnaſio.] Sic & Palatini tres, non *gymnaſia*, quod in uno ſuo invenit Torrentius, aliique invexerant editionibus ſuis, nulla tamen reddita cauſa. GRUTERUS. Sane *gymnaſio* eſt in Roberti Stephani omnibusque editionibus antiquioribus, pro in gymnaſio. Codex tamen Salmaſii: *gymnaſia.*

TORRENT.

Tamen ſingulos.] Libri duo *tandem ſingul.*

Exorare filiæ patrem.] Lib. unus *patrem filiæ.* Sunt etiam qui verbum *filiæ* abeſſe malint, a quibus diſſentio.

Dono dediſſet.] Prohibitæ quidem inter virum & uxorem donationes, verum hoc civiliter intelligendum. Et (ut puto) de his loquitur Sueton. quæ ſoluto uxoris culpa matrimonio per virum repeti atque auferri poterant.

12. *Legatus ab Auguſto.*] Liber opt. *legatus Auguſti.* placet. & mox: *privatum modo ſe, ſed etiam,* &c. *ſe* enim particula in aliis libris deſideratur. *Obnoxius* autem libero opponitur. De quo vocabulo Gell. lib. VII. cap. XVII.

CASAUBON.

Citatumque pro tribunali voce præconis.] Mos Plutarcho notatus in Bruto: *Λέγεται τοῦ κήρυκος, ὥσπερ εἴωθεν, ἀπὸ τοῦ βήματος τὸν Βροῦτον ἐπὶ τὴν δίκην καλοῦντος, τὸ πλῆθος ἐπιδήλως στενάξαι.*

Vel utcumque meritæ.] Tacitus III. Annal. *Ipſius, quoquo modo meriti, gravem caſum miſeratus.*

Secundum locum facile curantibus.] Ita Viterb. & prima edit. quæ lectio placuit. *curare* vox familiaris Salluſtio & Tacito, & cum quarto caſu & ſine eo. Ut in Jugurthino: *In poſtremo C. Marius cum equitibus curabat.* iterum: *Ubi quiſque legatus aut tribunus curabat, eo acerrime niti:* & ſtatim: *Nam is in ea parte curabat.* Propertius, *paſtorem ac bajulum poſſum curare.* Alii codd. etiam Memmianus *tutantibus.* ſic fere *tueri ſcholam* in lib. de Grammaticis.

12. *Ad velandam ignominiam.*] Appianus IV. Ἐμφυλ. in ſimili re *εἰς εὐπρέπειαν.*

VARIOR.

Lætus animo.] Codex Salmaſ. *lætus nuncio*, ut omnes editiones ante Caſaubonum, qui hoc ſine ullo indicio mutavit.

Secundum locum facile curantib.] Novimus *curare* Salluſtii & Taciti: ſed ſive Tiberius ſive Suetonius imitabantur Terentium in Hecyræ prologo altero: *Ego interea meum non potui tutari locum.* Cicero pro Cluentio: *Præterea nobilitatem illam inter ſuos locumque a majoribus traditum ſic tuetur, ut majorum gravitatem, conſtantiam, gratiam, liberalitatem aſſequatur.* Pro Quinctio: *Ne locum ſuum, quem adhuc honeſtiſſime defendit, obtineat.* Bruto:

ternavigantium officia, quibus frequentabatur aſſidue: nemine cum imperio, aut magiſtratu tendente quoquam, quin diverteret Rhodum. Et acceſſerunt majoris ſollicitudinis cauſſæ. Namque privignum Cajum, Orienti præpoſitum, cum viſendi gratia trajeciſſet Samum, alieniorem ſibi ſenſit ex criminationibus M. Lollii comitis & rectoris ejus. Venit etiam in ſuſpicionem, per quoſdam beneficii ſui centuriones, a commeatu caſtra repetentes, mandata ad complures dediſſe ambigua, & quæ tentare ſingulorum animos ad novas res viderentur. De qua ſuſpicione certior ab Auguſto factus, non ceſſavit efflagitare aliquem, cujuſlibet ordinis, cuſtodem factis atque dictis ſuis. Equi quoque & armorum ſolitas exercitationes omiſit: redegitque ſe, depoſito 13
patrio habitu, ad pallium & crepidas: atque in tali ſtatu biennio fere permanſit, contemtior in dies, & inviſior: adeo ut imagines ejus & ſtatuas Nemauſenſes ſubverterint: ac familiari quodam convivio mentione ejus orta exſtiterit qui Cajo polliceretur,

L. Paullus Africani pater perſonam principis civis facile dicendo tuebatur. Maneat ergo Suetonio *tutantibus.* GRONOVIUS. Stant etiam pro hac lectione Palat. ſecundus & tertius, & codex Salmaſ.

TORRENT.

Criminationibus M. Lollii.] Ad hunc (ut opinor) Lollium exſtant duæ Horatii Epiſtolæ, & Oda IX. lib. IV. ubi multa notavimus. Vide interim Vellejum, & Plinium lib. IX. cap. XXXV.

Beneficii ſui centuriones.] Id eſt, quos ſuo beneficio ad eum militiæ ordinem promoverat. Sic & *milites beneficiarii*, qui & ipſi ob gratiam tribuno, aut centurioni ſuo obnoxii ſunt. Vegetius lib. II. cap. VII. Quo vocabulo utitur etiam Cæſar Commentar.

A commeatu.] *Commeatus* (inquit Feſtus) *tempus illud ſignificat, quo quis ire, & redire poſſit.* Quod ſpatium excedens miles emanſoris aut deſertoris loco habendus eſt. ad diem enim commeatus adeſſe debet. Qua de re JCti l. I. l. II. & l. XIV. de Re militari. Itaque non ſatis proprie Sueton. *a commeatu* dixit, pro ad commeatus diem. Mallem ſane abeſſe præpoſitionem *a*. ut inf. *commeatu abſuturus*, cap. LXXII.

Cuſtodem factis.] Sic *cuſtodiendi* verbo uſus eſt ante cap. VII. *ut cuſtoditum ſit, ne unquam*, &c. Et cuſtodes tenuioribus in divitum menſis admoveri conqueritur Juvenal. Sat. V.

13. *Nemauſenſes.*] Nemauſus nobilis Galliæ Narbonenſis civitas, olim jus Latii adepta, ubi in honorem Plotinæ Auguſtæ baſilicam mirabili opere exſtruxiſſe Hadrianum, auctor eſt Spartian., hodieque admirandæ exſtant adhuc theatri reliquiæ. Et Tiberius fortaſſis, ex quo Comatæ Galliæ præfuerat, Nemauſenſibus inviſus erat; ſed tamen (quod mireris) exemplaria omnia MSS. *Remanſenſes*, aut *Reimanſenſes* habent, Vatic. *remanſiſſes.*

CASAUBON.

Nemine cum imperio aut magiſtratu tendente quoquam.] Vellejus: *Ita ſeptem annos Rhodi moratus eſt, ut omnes, qui proconſules legatique in tranſmarinas profecti provincias, viſendi ejus gratia ad eum convenientes, ſemper privato (ſi illa majeſtas privata unquam fuit) faſces ſuos ſummiſerint, faſſique ſint otium ejus honoratius imperio ſuo.*

Quin diverteret Rhodum.] Groſlotii codd. *deverteretur Rhodum.*

Cum viſendi gratia trajeciſſet Samum.] Aliter ille inſignis Tiberii adulator Vellejus II. 101: *C. Cæſar in Syriam miſſus, convento prius Tiberio Nerone, cui omnem honorem ut ſuperiori habuit.* Dio item aliter, qui Chium veniſſe Tiberium ait, non Samum: Τȣ̃ δὲ Καίȣ ϛαλέντος ἐς τὸν πρὸς Ἀρμενίȣς πόλεμον, ὁ Τιβέριος ἐς Χῖον ἐλθὼν, αὐτὸν ἐθεράπευσε. & mox verbum ἐθεράπευσε, ac cum Vellejo confer.

Per quoſdam beneficii ſui centuriones.] Ad lucem ſententiæ ponenda ὑποϛιγμὴ ante hæc verba. *Beneficia* in re militari ſunt provectiones ad altiorem gradum. Eſt autem loquendi genus venuſtum. Sic fere Ovidius:

Digna eſt, quam jubeas muneris eſſe tui.

Hæc beneficia ſtante Rep. a rectoribus provinciarum conceſſa, non aliter rata erant, quam ſi iidem rectores Romam reverſi, triginta diebus poſt rationes relatas, ſua beneficia ad ærarium detuliſſent. Quod lege Julia cautum teſtatur Cicero epiſt. quadam ad Meſſenium, idque vocabant *deferre aliquem in beneficiis ad ærarium.* Vide eundem pro Archia.

VARIOR.

13. *Et crepidas.*] Ut calcei togæ proprii, ſic ſoleæ vel crepidæ pallii. Cæterum Latini calceos & ſoleas ita diſtinguunt, ut Græci ὑπόδημα & σανδάλιον. ad ſuendos & concinnandos calceos ſive κοῖλα ὑποδήματα forma lignea opus erat, quam Græci καλόποδα vel καλοπόδιον vocant. at ſandalia ſive ſoleæ circum formam non ſuebantur: nam concava non erant, ſed plana, & ſolum πέλμα ſive κάττυμα habebant

tur, *Confeſtim ſe, ſi juberet, Rhodum navigaturum, caputque exſulis* (ſic enim appellabatur) *relaturum.* Quo præcipue, non jam metu, ſed diſcrimine, coactus eſt tam ſuis quam matris impenſiſſimis precibus reditum expoſtulare: impetravitque, adjutus aliquantum etiam caſu. Deſtinatum Auguſto erat, nihil ſuper ea re, niſi ex voluntate majoris filii, ſtatuere. Is forte tunc M. Lollio offenſior, facilis exorabiliſque in vitricum fuit. Permittente ergo Cajo, revocatus eſt: verum ſub conditione, ne
14 quam partem curamve Reipubl. attingeret. Rediit octavo poſt ſeceſſum anno, magna, nec incerta ſpe futurorum, quam & oſtentis, & prædictionibus ab initio ætatis conceperat. Prægnans enim Livia, cum an marem editura eſſet, variis captaret ominibus, ovum incubanti gallinæ ſubductum, nunc ſua, nunc miniſtrarum manu per vices uſque eo fovit, quoad pullus inſigniter criſtatus excluſus eſt. Ac de infante Scribonius mathematicus præclara ſpopondit: *etiam regnaturum quandoque, ſed ſine regio inſigni:* ignota ſcilicet tunc adhuc Cæſarum poteſtate. Et ingreſſo primam expeditionem, ac per Macedoniam ducente exercitum in Syriam, accidit, ut apud Philippos ſacratæ olim

bebant, quod ad pedem habenis quibuſdam religabatur circa digitos primores. SALMASIUS.

TORRENT.

Familiari quodam convivio.] Liber opt. *quondam*, pro *quodam*. Frequens Suetonio pro aliquando.

M. Lollio offenſior.] Ideo quod regum totius Orientis muneribus infamis erat. Atque adeo interdicta ſibi Caji amicitia venenum hauſit. Plin. lib. IX. cap. XXXV.

14. *Prægnans enim Livia.*] Paulo aliter narrat hoc Plin. lib. X. cap. LV.

Scribonius mathematicus.] Hic (quiſquis fuit) una cum Nigidio Figulo tanto illuſtrior habendus, quod Romanus. nam mathematici fere Græculi erant, aut Judæi, atque Ægyptii. Romanus etiam Sylla quidam Calig. cap. LVII.

CASAUBON.

13. *M. Lollio offenſior.*] Qui in eo itinere exſtinctus eſt, morte incertum, fortuita, an voluntaria. Lege Vellejum.

14. *Variis captaret ominibus.*] Captare omen proprium eſt μαντικῆς τῆς διὰ κληδόνων, quam deſcribit elegantiſſime Pauſanias in Achaicis: Ὁ ἀφικόμενος ἐρωτᾶ πρὸς τὸ οὖς τὸν θεὸν, ὁποῖόν τι καὶ ἑκάστῳ τὸ ἐρώτημά ἐστι· τὸ ἀπὸ τούτου δὲ ἄπεισιν ἐκ τῆς ἀγορᾶς ἐπιφραξάμενος τὰ ὦτα· προελθὼν δὲ ἐς τὸ ἐκτὸς τὰς χεῖρας ἀπέσχεν ἀπὸ τῶν ὤτων· καὶ ἧς τινος ἂν ἐπακούσῃ φωνῆς μάντευμα ἡγεῖται. *qui ad conſulendum venit, deum ad aurem interrogat, prout habet unuſquiſque argumentum ejus interrogandi. deinde aures manibus obturans, exit e foro: ubi autem foras ventum, manus aufert ab auribus: & quam primam audiverit vocem, eam oraculi loco habet.* Apulejus de Deo Socratis: *Videmus pleroſque, qui non ſuopte corde, ſed alterius verbo reguntur: qui ex angiportu reptantes, conſilia ex alienis vocibus colligunt, &, ut ita dixerim, non animo, ſed auribus cogitant.* Similes modi captandi omina & in templis deorum, & alibi in veterum ſcriptis poſſunt obſervari. Sed hic καταχρηστικώτερον pro quovis genere μαντικῆς uſurpatur.

Ignota ſcilicet tum adhuc Cæſarum poteſtate.] Quæ poteſtas ſpeciem principatus habuit, non regni formam. vide libro ſequente cap. XXII.

Apud Philippos ſacratæ olim victricium legionum aræ.] Dio in anno DCCXXXIV. Καὶ ἤδη γε ὁ Τιβέριος καὶ περὶ μοναρχίας ἐνενόει, ἐπειδὴ πρὸς τοὺς Φιλίππους αὐτῷ προσελαύνοντι θόρυβός τέ τις ἐκ τοῦ τῆς μάχης χωρίου, ὡς καὶ ἐκ στρατοπέδου ἠκούσθη, καὶ πῦρ ἐκ τῶν βωμῶν τῶν ὑπὸ τοῦ Ἀντωνίου ἐν τῷ ταφρεύματι ἱδρυθέντων αὐτόματον ἀνέλαμψε.

VARIOR.

14. *Prægnans enim.*] Codex Salmaſ. *prægnans eum.*

Sine regio inſigni.] Tacitus de illo ipſo Tiberio: *Signum prætoriis cohortibus, ut Imperator, dederat, excubiæ, arma, cætera aulæ. Cætera aulæ:* nempe lictores, faſces laureati, & ſi quid præterea tunc receptum Principi diſtinguendo. Neque enim adhuc illa Principatus inſignia, ignis, diadema, purpura, quæ reperta ſequenti ævo, ad exemplum regum. Ignis originem antiquum video, & a temporibus Antoninorum. Herodianus ſane in Commodo ſtatim meminit, ut rei vulgatæ. Idem de Pertinace: Οὔτε τὸ πῦρ ἐάσας ἑαυτοῦ προπομπεῦσαι, οὔτε τι ἄλλο τῶν βασιλικῶν συμβόλων εἰς ὕψος ἀρθῆναι. Ignis tamen ille non e carbonibus aut ligno: lampas tantum fuit. Docet M. Antoninus in libris ſuæ vitæ. Opinor autem Romam traductum morem e Perſis. Illorum enim regi prælatus ignis. Diadema primus Romanorum Principum uſurpavit Aurelianus: uti in vita ejus Victor. Etſi alibi male id refert ad Caligulam. LIPSIUS.

olim victricium legionum aræ, ſponte ſubitis collucerent ignibus: & mox cum Illyricum petens juxta Patavium adiſſet Geryonis oraculum, ſorte tracta, qua monebatur, ut de conſultationibus in Aponi fontem talos aureos jaceret: evenit, ut ſummum numerum jacti ab eo oſtenderent: hodieque, ſub aqua viſuntur ii tali. Ante paucos vero quam revocaretur dies, aquila, numquam antea Rhodi conſpecta, in culmine domus ejus aſſedit: & pridie quam de reditu certior fieret, veſtimenta mutanti, tunica ardere viſa eſt. Thraſyllum quoque mathematicum, quem ut ſapientiæ profeſſorem

TORRENT.

Sponte ſubitis colluc. ignib.] Liber unus *ſubductis* pro *ſubitis*: quale illud Horatii lib. I. Sat. V.

Dum flamma ſine tura liqueſcere limine ſacro
Perſuadere cupit.

Geryonis oraculum.] De hoc oraculo nihil equidem memini me legiſſe. De Aponi vero fonte elegans Claudiani poetæ carmen:

Fons, Antenoreæ vitam qui porrigis urbi, &c.

Et ubicunque de aquis Patavinis loquitur Plin. eundem (ut puto) fontem intelligit, ut lib. II. cap. CIII. & lib. XXXI. cap. VI. Eumque locum (nam & vicum ipſum, in quo fons erat, Aponum vocant) Theodoricus rex, ut Caſſiodorus tradit, ob celebritatem mœnibus cinxit. Sane Lucan. lib. VII. ait,

Euganeo (*ſi vera fides memorantibus*) *augur*
Colle ſedens, Aponus terris ubi fumifer exit.

iis verſibus deſcribere aliquem videtur, qui oraculo huic præfuerit.

Thraſyllum.] Thraſylli mentio Aug. cap. XCVIII. Plura de eo Dion, & Tacit. Juvenal. Sat. VI. hoc verſu, *numeris revocata Thraſylli*, Thraſylli nomen pro quovis mathematico poſuit. Niſi forte ephemeridas, aut quid aliud eam ad artem pertinens, Thraſyllus ſcripſerit.

CASAUBON.

Sponte ſubitis collucerent ignibus.] Hoc magni alicujus venturi boni indicium habitum. Apud Appianum inter ſigna futuræ Seleuci potentiæ recenſetur ἡ ἑςία αὐτȣ͂ ἡ πατρῴα, ȣ̓δενὸς ἅψαντος ἐκλάμψασα πῦρ μέγα. Virgilius:

Aſpice, corripuit tremulis altaria flammis
Sponte ſua, dum ferre moror, cinis ipſe: bonum ſit.

Servius ad hunc locum: *Hoc uxori Ciceronis dicitur contigiſſe: cum poſt peractum ſacrificium libare vellet, in cinere viſa eſt flamma, quæ flamma eodem anno conſulem futurum oſtendit ejus maritum: ſicut Cicero in ſuo teſtatur poemate.* Narrat & Plutarchus in Cicerone hanc hiſtoriam: ſed multa in ejus narratione diverſa. Vide amplius Euſtath. ad principium Ῥαψῳδίας ε, ubi & Tiberii meminit, ſed, ut videtur, non iſtius.

Ut in conſultationibus in Aponi fontem talos aureos jaceret.] Explorandi futurorum cauſſa ſoliti veteres in certos fontes varia conjicere: exemplum habes apud Pauſaniam in Laconicis de aqua Inus dicta. Aliud genus ὕδατος μαντικȣ͂ fuit, cujus meminit Sozomenus V. cap. XIX. fuere item genera alia, quorum geographi meminerunt & hiſtorici. Talos vero in conſultationibus ejuſmodi ſolitos adhiberi, declarat ἀςραγαλομαντέων appellatio. ſed de his alibi fuſius.

Aquila, nunquam antea Rhodi conſpecta, in culmine domus ejus aſſedit.] Plinius lib. X. cap. XIX. *Rhodus aquilam non habet.* Sic de aliis animalibus in literas relatum eſt, nunquam in certa loca eſſe illa ingreſſa. *Avem noctuam Creta non habet*, inquit Solinus. Fuit & Romæ Herculis ſacellum in foro Boario, quo neque canibus, neque muſcis erat ingreſſus. & ſimilia his apud veteres non pauca. de iſta aquila Apollonides poeta, ut videtur, æqualis illorum temporum:

Ὁ πρὶν ἐγὼ Ῥοδίοισιν ἀνέμβατος ἱερὸς ὄρνις,
Ὁ πρὶν κερκαφίδαις αἰετὸς ἱςορίη,
Ὑψιπετῆ τότε ταρσὸν ἀνὰ πλατὺν ἠέρ᾽ ἀερθεὶς,
Ἤλυθον, Ἡλίȣ νῆσον ὅτ᾽ εἶχε Νέρων.
Κείνȣ δ᾽ αὐλίσθην ἐνὶ δώμασι, χειρὶ συνήθης
Κράντορος, ȣ̓ φεύγων ζῆνα τὸν ἐσσόμενον.

Veſtimenta mutanti tunica ardere viſa eſt.] Simile oſtentum non ſemel ſibi oblatum Damaſcius ſcripſit in vita Iſidori philoſophi. Ἐμοὶ, ait, ἐνδυομένῳ τε καὶ ἐκδυομένῳ, εἰ καὶ σπάνιον τȣ͂το συμβαίνει, συμβαίνει δ᾽ ȣ͂ν σπινθῆρας ἀποπηδᾶν ἐξαισίȣς, ἔσθ᾽ ὅτε καὶ κτύπον παρέχοντας, ἐνίοτε δὲ καὶ φλόγας ὅλας καταλάμπειν τὸ ἱμάτιον, μὴ μέντοι καιȣ́σας, καὶ τὸ τέρας ἀγνοῶ, ἐφ᾽ ὃ τελευτήσει, eo loco ſcriptor ille, ut apparet ex reliquiis apud Photium, eruditiſſimus, plura ſimilium oſtentorum exempla de veteri hiſtoria collegerat. quare ne iſtud quidem, quod Tiberio Rhodi evenerat, prætermiſſum ab eo fuerat. Sed aliter Græcus rem narrat, quam Suetonius: non enim tunicam, ſed aſinum Tiberii viſum ardere ſcribit ex Plutarcho. Sic ille poſt expoſitam de Severi equo ſimilem hiſtoriam: Καὶ Τιβερίῳ ὄνον, ὡς Πλȣ́ταρχος ὁ Χαιρωνεὺς φησιν, ἔτι μειρακίῳ ὄντι, καὶ ἐν Ῥόδῳ, ἐπὶ λόγοις ῥητορικοῖς διατρίβοντι, τὴν βασιλείαν διὰ τȣ͂ αὐτȣ͂ παθήματος (σπινθῆρας ἀφιεὶς ἀπὸ τȣ͂ σώματος) προτεμήνυτε.

Thraſyllum quoque mathematicum.] Hic philoſophiam

rem contubernio admoverat, tunc maxime expertus eſt, affirmantem nave proviſa gaudium afferri, cum quidem illum durius, & contra prædicta cadentibus rebus, ut falſum & ſecretorum temere conſcium, eo ipſo momento dum ſpatiatur una, præcipitare in mare deſtinaſſet. Romam reverſus, deducto in forum filio Druſo, ſtatim e Carinis ac Pompejana domo, Eſquilias in hortos Mæcenatianos tranſmigravit: totumque ſe ad quietem contulit, privata modo officia obiens, ac publicorum munerum expers. Cajo & Lucio intra triennium defunctis, adoptatur ab Auguſto ſimul cum fratre eorum M. Agrippa: coactus prius ipſe Germanicum fratris ſui filium adoptare. Nec quidquam poſtea pro patrefamilias egit: aut jus, quod adoptione amiſerat, ex ulla parte retinuit. Nam neque donavit, neque manumiſit: ne hereditatem quidem, aut legata percepit ulla

phiam profitebatur, non curioſas iſtas artes: eoque nomine primum fuiſſe in contubernium Tiberii admiſſum, innuit Themiſtius oratione XII. & Suetonius ipſe hoc loco, *Thraſyllum, ut ſapientiæ profeſſorem, contubernio admoverat.* De eo vetus Scholiaſtes Juvenalis: *Thraſyllus multarum artium ſcientiam profeſſus, poſtremo ſe dedit Platonicæ ſectæ, ac deinde matheſi: qua præcipue viguit apud Tiberium, cum quo ſub honore ejuſdem artis familiariter vixit. quem poſtea Tiberius in inſula Rhodo præcipitare voluit in pelagum, quaſi conſcium promiſſæ dominationis. Quem dolum cum præſenſiſſet, fugit.* Experimentum, quod hic narrat Suetonius, referunt paullo aliter Tacitus VI. Annal. Dio lib. LV. & Cedrenus.

TORRENT.

15. *Deducto in forum filio Druſo.*] Id tirocinii die fiebat, quo adoleſcentes poſita prætexta, ſumptaque virili toga, quam & puram vocabant, tanquam forenſibus jam apti negotiis, in forum deducebantur. Sup. Aug. cap. XXVI. inf. Calig. cap. X. de Ner. cap. VII. Plura ad Horat. lib. I. Sat. II.

Nomina ſectatur modo ſumpta veſte virili.

E Carinis ac Pompejana domo.] Sic Sueton. de Lenæo Grammatico, Pompeji liberto: *Docuit in Carinis ad Telluris ædem, in qua regione Pompejorum domus fuerat.* Eam bello civili Antonius occupavit. Quod Sex. Pompejo occaſionem dedit ſcommatis in Antonium, de quo Plutarch. Antonio, & Dion lib. XLVIII. in triremem namque eum una cum Auguſto inito jam fœdere convivio excipiens, in carinis cænaturos dixit.

Triennium.] Biennium ſolum eſt, ſi Vellejum audimus, & Dionem lib. LIII.

Adoptatur ab Auguſto.] Aug. cap. LXV. Hinc Juſtin. Imp. titul. de Adoptionibus: *Sic Divus Auguſtus non ante Tiberium adoptavit, quam is Germanicum adoptaſſet, ut protinus adoptione facta inciperet Germanicus ei nepos eſſe.* Sed & Hadrianus Antoninum Pium ea lege adoptavit, ut ille Marcum & Verum ſibi adoptaret. Teſtis Capitolin.

Jus, quod adoptione amiſerat.] Capitis nempe deminutionem paſſus, ac ſub alterius conſtitutus poteſtate. Sic nimirum Antoninus, cum recens ab Hadriano adoptatus reprehenderetur ab uxore, quod nimis exigua largiretur, *Atqui, ſtulta,* (inquit) *poſtquam ad imperium venimus, etiam quod ante habuimus, perdidimus.* Auctor idem Capitolin.

Ex ulla parte retinuit.] Quod facile poterat, tot rebus, ac magiſtratibus præclare geſtis, neque Auguſto aliquod ex adoptione lucrum quærente.

CASAUBON.

15. *Statim e Carinis ac Pompejana domo, Eſquilias in hortos Mæcenatianos tranſmigravit.*] Ex Ciceronis ad Atticum epiſtolis ſcimus, morem fuiſſe nobilium adoleſcentum, ut mox a virili ſumta toga in proprias ædes a patre emigrarent: non enim aliter ſuam dignitatem ſatis tueri poſſe videbantur. Propterea Domitianus a patre correptus, *quo magis ætatis & conditionis admoneretur, habitabat cum patre una.* Quod igitur Tiberius filio poſt aſſumtam liberam togam domo ſtatim ei cedit, dignitati illius conſultum hac ratione voluit, quando ſibi omnes ad rempublicam aditus præcluſos videbat.

Cajo & Lucio intra triennium defunctis.] Non diſpliceat *biennium*, ut docti emendant ex ipſo Suetonio lib. II. cap. LXV. vel interpretare triennium de intervallo temporis a reditu Tiberii ab exilio voluntario ad illud, quo uterque horum jam exceſſerat: huic interpretationi eruditorum hominum ut potius aſſentiar, conſenſus facit omnium librorum cum edita lectione, quam & Memmianus agnoſcit.

Adoptatur ab Auguſto.] Dio lib. LV. & fuſiſſime mancipium Tiberianum Paterculus.

VARIOR.

15. *Pro patrefamilias.*] Paterfamilias eſt, quicunque exemptus e patria poteſtate, licet vel impubes ſit. l. 50. ff. de Leg. 3. *Si quis patrifamilias impuberi leget.* &c. GOESIUS.

Nec hereditatem quidem.] Vitium frequens etiamnum in noſtro & aliorum veterum ſcriptis. cap. 21. *Nec illud quidem ignoro.* Caligula cap. 11. *Naturam tamen ſævam atque probroſam nec tunc quidem inhibere poterat.* Nerone cap. 10. *Neque liberalitatis,*

ulla aliter quam ut peculio referret accepta: nihil ex eo tempore prætermiſſum eſt ad majeſtatem ejus augendam, ac multo magis poſtquam, Agrippa abdicato atque ſepoſito, certum erat, uni ſpem ſucceſſionis incumbere. Data rurſus poteſtas tribunitia in 16
quinquennium: delegatus pacandæ Germaniæ ſtatus: Parthorum legati, mandatis Auguſto Romæ redditis, eum quoque adire in provinciam juſſi. Sed nuntiata Illyrici defectione, tranſiit ad curam novi belli: quod graviſſimum omnium externorum bellorum poſt Punica, per XV. legiones, paremque auxiliorum copiam, triennio geſſit: in magnis omnium rerum difficultatibus, ſummaque frugum inopia. Et quamquam ſæpius revocaretur, tamen perſeveravit; metuens, ne vicinus & prævalens hoſtis inſtaret ultro cedentibus. Ac perſeverantiæ grande pretium tulit: toto Illyrico, quod inter Italiam, regnumque Noricum, & Thraciam, & Macedoniam, interque Danubium flumen, & ſinum maris Adriatici patet, perdomito & in ditionem redacto.
Cui gloriæ amplior adhuc ex opportunitate cumulus acceſſit. Nam ſub id fere tem- 17
pus Quintilius Varus, cum tribus legionibus in Germania periit: nemine dubitante, quin victores Germani juncturi ſe Pannoniis fuerint, niſi debellatum prius Illyricum eſſet. Quas ob res triumphus ei decretus eſt, multique & magni honores. Cenſuerunt etiam quidam, ut Pannonicus, alii ut Invictus, nonnulli ut Pius cognominaretur. Sed de cognomine interceſſit Auguſtus, eo contentum repromittens, quod ſe defuncto

tis, neque clementiæ, nec comitatis quidem exhibendæ ullam occaſionem omiſit. Quibus omnibus locis, ut & apud Juſtinum 7. 5. & 38. apud Florum 2. 5. & 17. *ne* pro *nec* ſcripſiſſe auctores puto. Illud forte morari aliquem poſſit Tiber. 37. *per legatos compeſcuit, nec per eos quidem.* Quaſi ſit, *et ne per eos quidem.* Tamen & hic cenſeo Suetonium ſcripſiſſe, *ne per eos quidem*: & uſum aſyndeto, quali ſolebant ante τὰ *in his*, de quo ad Livium 27. 12. Gronov.

Torrent.

Ut peculio referret accepta.] Atqui ne peculium quidem ullum eſt, niſi patris ac domini conſenſu, ut JCti noſtri tradiderunt. Nec male Iſidor. lib. V. cap. XXV. *peculium* eſſe dicit, *quod pater vel dominus filium ſuum, vel ſervum pro ſuo jure tractare patitur.*

16. *Inter Italiam regnumque Noricum.*] Recte ſic Pulm. cum in vulgatis codicib. *intra Italiam* legatur. Quin ſi meo arbitrio fieret, illud *regnumque* expungeretur, additum ab eo, qui *Noricum* abſolute dici, uti & *Illyricum*, ignorabat.

17. *Juncturi ſe Pannoniis.*] Pannonios, Germanis proximos, Illyrici finibus comprehendit, uti & Appian.

Eo contentum repromittens.] *Repromittere* JCtis eſt nuda pollicitatione, nec ſatisdato promittere. Ut *repromiſſio* & *ſatiſdatio* inter ſe opponantur.

Casaubon.

Aliter quam ut peculio referret accepta.] Significat Tiberium ea bona, quæ ſibi teſtamentis amicorum relinquerentur, poſſediſſe, non tanquam legatarium aut heredem, (nam eo titulo acquiſiſſet patri, non ſibi) verum jure peculii, quaſi accepta a patre & conceſſa ſibi fuiſſent.

16. *Data rurſus poteſtas tribunitia in quinquennium.*] Dio lib. LV. τὴν ἐξουσίαν αὐτῷ τὴν δημαρχικὴν εἰς δέκα ἔτη δούς. videtur legendum ex Suetonio εἰς πέντε ἔτη.

Delegatus pacandæ Germaniæ ſtatus.] Vix ſatis Latinum videtur. Lego, *delegatus pacando Germaniæ ſtatui*, vel *delegatus pacandus Germaniæ ſtatus.* Sic fere in Caligula: *Ad componendum Orientis ſtatum expulſus.* Trogus ſive Juſtinus libro XLII. *Quum in Syriam ad componendum Orientis ſtatum veniſſet.* Utrumque dicimus, & delegare alicui negotium, & delegare aliquem negotio.

Et quanquam ſæpius revocaretur, tamen perſeveravit.] Unde nata illa ſuſpicio Auguſti, quam tangit Dio lib. LV. Ὁ Αὔγουστος ὑποπτεύσας εἰς τὸν Τιβέριον, ὡς δυνηθέντα μὲν ἂν διὰ ταχέων αὐτοὺς κρατῆσαι, τρίβοντα δὲ ἐξεπιτηδὲς, ἵνα ὡς ἐπὶ πλεῖστον ἐν τοῖς ὅπλοις ἐπὶ τῇ τοῦ πολέμου προφάσει ᾖ.

Regnumque Noricum.] Meminit Vellejus libro II. *Ipſe a Carnunto, qui locus Norici regni proximus ab hac parte erat, exercitum, qui in Illyrico merebat, ducere in Marcomannos orſus eſt.*

17. *Quas ob res triumphus ei decretus eſt, multique & magni honores.*] Refert Dio lib. LVI. in anno DCCLXII. Triumphavit autem Tiberius anno tantum DCCLXV.

Tor-

ćto ſuſcepturus eſſet. Triumphum ipſe diſtulit, mœſta civitate clade Variana. Nihilo minus urbem prætextatus, & laurea coronatus intravit: poſitumque in Septis tribunal, ſenatu adſtante, conſcendit: ac medius inter duos COSS. cum Auguſto ſimul ſedit: unde, populo conſalutato, circum templa deductus eſt. Proximo anno repetita

18 Germania, cum animadverteret, Varianam cladem temeritate & negligentia ducis accidiſſe, nihil non de conſilii ſententia egit: ſemper alias ſui arbitrii, contentuſque ſe uno, tunc præter conſuetudinem cum pluribus de ratione belli communicavit. Curam quoque ſolito exactiorem præſtitit. Trajecturus Rhenum, commeatum omnem ad certam formulam adſtrictum non ante tranſmiſit, quam conſiſtens apud ripam exploraſſet vehiculorum onera: ne qua deportarentur, niſi conceſſa aut neceſſaria. Trans Rhenum vero eum vitæ ordinem tenuit, ut ſedens in ceſpite nudo cibum caperet: ſæpe ſine tentorio pernoctaret: præcepta ſequentis diei omnia, ſi quid ſubiti muneris injungendum eſſet, per libellos daret: addita monitione, ut de quo quiſque dubitaret, ſe, nec alio interprete, quacumque vel noctis hora uteretur. Diſciplinam acerrime exegit:

19 animadverſionum & ignominiarum generibus ex antiquitate repetitis: atque etiam legato legionis, quod paucos milites cum liberto ſuo trans ripam venatum miſiſſet, ignominia notato. Prælia, quamvis minimum fortunæ caſibuſque permitteret, aliquanto conſtantius inibat, quoties lucubrante ſe ſubito ac nullo propellente, decideret lumen, & exſtingueretur: confidens, ut ajebat, oſtento, ſibi ac majoribus ſuis in omni ducatu expertiſſimo. Sed re proſpere geſta, non multum affuit, quin a Bructero quodam occideretur:

TORRENT.

Deductus eſt.] Liber unus *devectus eſt*, ſed non placet. cum enim neque ovans, neque curru ingreſſus eſſet, peditem obiiſſe deorum templa vel religionis cauſa credendum eſt.

18. *Ne qua deponerentur.*] Melius MSS. omnes *deportarentur.*

Sedens in ceſpite nudo.] Horat. lib. II. Od. XV.

Nec fortuitum ſpernere ceſpitem
Leges ſinebant.

& eleganter Tibull.

At ſibi quiſque dapes, & feſtas exſtruet alte
Ceſpitibus menſas, ceſpitibuſque toros.

19. *Trans ripam venatum.*] Libet aſſcribere Macri JCti l. XII. de Re Militari verba. *Debet* (inquit) *qui meminerit ſe armatis præeſſe, parciſſime commeatum dare, equum militarem extra provinciam duci non permittere, ad opus privatum, venatum, piſcatum militem non mittere. nam in diſciplina Auguſti ita cavetur.*

Parum abſuit, quin a Rutheno.] Meliores duo codices *a Bructero*, & *afuit*, pro *abſuit*, veteri more, ut in Pand. Flor. Alii *Ructerum*, & *Ruterum*, & *Ruthenum* vocant. Et Rutheni quidem Galli ſunt, ſed Bructeri ex Cæſaris Commentariis notiores. Ruteros etiam Germani patrio nomine omnes equo merentes vocant. Hinc factum, ut Romani tanquam proprium viri nomen expreſſerint.

CASAUBON.

Poſitumque in Septis tribunal.] Dio in actis anni DCCLXXII. initio lib. LVI. Ὁ Τιβέριος ἐς τὴν Ῥώμην ἀνεκομίσθη, καὶ αὐτῷ καὶ ὁ Αὔγουστος ἐς τὸ προάστειον ἀπαντήσας ἦλθέ τε μετ᾽ αὐτοῦ ἐς τὰ Σέπτα, κἀνταῦτα ἀπὸ βήματος τὸν δῆμον ἠσπάσατο. Ex Suetonio diſces, quomodo hæc verba accipienda ſint. Et fortaſſe ſcripſerat ἀπήντησε, non ἀπαντήσας.

18. *Semper alias ſui conſilii.*] Ἰδιογνώμων καὶ αὐθάδης.

Ut ſedens in ceſpite nudo cibum caperet.] Catonem Uticenſem imitatus, de quo Plutarchus: Ἐδείπνει δὲ καθήμενος ἀφ᾽ ἧς ἡμέρας τὴν κατὰ Φάρσαλον ἔγνω ἧτταν, καὶ τοῦτο τῷ λοιπῷ προσέθηκε πένθει, τὸ μὴ κατακλιθῆναι πλὴν καθεύδων.

Præcepta ſequentis diei omnia per libellos daret.] Ita ſoliti etiam in urbe, qui diligentius curam aliquam publice adminiſtrabant. Julius Frontinus de Aquæduct. Urb. Romæ: *Tam amplum numerum utriuſque familiæ, ſolitum ambitione aut negligentia præpoſitorum in privata opera diduci, revocare ad aliquam diſciplinam & publica miniſteria inſtituimus, ut pridie quid eſſet actum, dictaremus; & quid quaque die egiſſet, actis comprehenderetur.*

19. *Quamvis minimum fortunæ caſibuſque permitteret.*] Non prætermittit hanc vere magnam boni ducis laudem Vellejus: *Peragratuſque victor omnes partes Germaniæ ſine ullo detrimento commiſſi exercitus, quod præcipue huic duci ſemper curæ fuit.* Et alio loco idem plenis velis: *Nihil in hoc tanto bello, nihil in Germania aut videre majus, aut mirari magis potui, quam quod Imperatori nunquam adeo ulla*

retur: cui inter proximos verſanti, & trepidatione detecto, tormentis expreſſa confeſſio eſt cogitati facinoris. A Germania in urbem poſt biennium regreſſus, triumphum, 20
quem diſtulerat, egit: proſequentibus etiam legatis, quibus triumphalia ornamenta impetrarat. Ac prius quam in Capitolium flecteret, deſcendit e curru, ſeque præſidenti patri ad genua ſubmiſit. Batonem Pannonium ducem ingentibus donatum præmiis, Ravennam tranſtulit: gratiam referens, quod ſe quondam cum exercitu iniquitate loci circumcluſum, paſſus eſſet evadere. Prandium dein populo mile menſis, & congiarium trecenos numos viritim dedit. Dedicavit & Concordiæ ædem: item Pollucis & Caſtoris, ſuo fratriſque nomine, de manubiis. Ac non multo poſt lege per COSS. 21
lata, ut provincias cum Auguſto communiter adminiſtraret; ſimulque cenſum ageret, condito luſtro in Illyricum profectus eſt. Et ſtatim ex itinere revocatus, jam quidem affectum, ſed tamen ſpirantem adhuc Auguſtum reperit: fuitque una ſecreto per totum diem. Scio vulgo perſuaſum, quaſi egreſſo poſt ſecretum ſermonem Tiberio, vox Auguſti per cubicularios excepta ſit: *Miſerum populum Romanum qui ſub tam lentis maxillis*

opportuna viſa eſt victoriæ occaſio, quam damno amiſſi penſaret militis. ſemperque viſum eſt glorioſum, quod eſſet tutiſſimum: &c.

TORRENT.

20. *Legatis.*] Inter quos fuit L. Domitius, Neronis Cæſaris avus. Ner. cap. IV. Incidit autem hic triumphus in A. U. DCCLXVI.

Batonem.] Sic & Turnebi cod. & noſtri duo, vulgati *Bationem* appellant. Meminit etiam Dion lib. LV. Batonem vocans.

Prandium dein populo.] Vide Cæſ. cap. XXXVIII.

21. *Lege per Coſſ. lata.*] De provinciarum diviſione ante diximus, Aug. cap. XLVII. Hujus autem loci ſententia eſt, adminiſtrationem provinciarum, quas Auguſtus ſibi ſervaverat, Tiberio communicaſſe, idque lege per COSS. lata, quo ſenatum demereretur, & Tiberii inde creſceret auctoritas.

Per totum diem.] Sic ſup. Aug. cap. XCVIII. Sed Dion celatam referta Livia mortem, donec Tiberius adveniſſet. Tacit. quoque non ſatis compertum ſcribit, ſpirantemne invenerit, an jam exanimum.

Sub tam lentis max. erit.] Duo MSS. & edit. Gryphii, *edit*, nec male fortaſſis, pro *edat*, ut Horat. Epod. II.

Edit cicutis allium nocentius.

Sed nihil muto. obſervatum enim eos qui triſtiores ſunt natura, lente edere. At Tiberium Plinius *omnium hominum triſtiſſimum* vocat. Adde ex Tacito, *verba eum expendere ſolitum, variis ſemper ſenſibus, conſulto ambiguum.*

CASAUBON.

20. *Batonem Pannonium ducem.*] Dio Dalmatiæ, non Pannoniæ regem facit. perperam: ut obſervat & Scaliger, quem vide ad numerum Chronici Euſebiani MMXXIII.

Dedicavit & Concordiæ ædem.] Anno DCCLXIII. Dio libro LVI. Τῷ δὲ ἑξῆς ἔτει τό, τε ὁμονόειον ὑπὸ τοῦ Τιβερίου καθιερώθη, καὶ αὐτῷ τό, τε ἐκείνου ὄνομα, καὶ τὸ τοῦ Δρούσου τοῦ ἀδελφοῦ καὶ τεθνηκότος ἐπεγράφη.

21. *Ac non multo poſt lege per conſules lata.*] Quibus conſulibus lata hæc lex ſit, notatum non reperio. Ex Vellejo colligas latam anno DCCLXV. COSS. Germanico Cæſare Tib. F. & C. Fontejo Capitone: nam in eum annum incidit triumphus Tiberii. Ita autem Vellejus: *Cum ſenatus populuſque Rom. poſtulante patre ejus* (Tiberii) *ut æquum ei jus in omnibus provinciis exercitibuſque eſſet, quam erat ipſi, decreto complexus eſſet: in urbem reverſus, jam pridem debitum, ſed continuatione bellorum dilatum ex Pannoniis Dalmatiſque egit triumphum.*

Spirantem adhuc Auguſtum reperit.] Vide lib. ſuperiore ad cap. XCVIII.

Qui ſub tam lentis maxillis erit.] Viterb. lectio, *qui ſub tam lentis vexillis erit.* Perſpicue male: nam vulgatam retinent omnes ad unum bonæ notæ codices. Non etiam probo *edit* pro *erit*, ut habetur in quibuſdam libris, aut *ederet*, ut in vett. editis nonnullis. Declarat providus ſenex ἐμφατικώτατα futurum ſtatum populi Rom. ſub Tiberio. fore enim ſimilem ei, quem beſtia aliqua ſæva dentibus prehenſum tenet, & longo cruciatu vexat prius quam conficiat. hoc vocat *eſſe ſub maxillis lentis.* At *ſub lentis maxillis edere*, affine eſſet illi Græcorum ἀμύλοις γνάθοις ἀλήθειν, quod huic loco non videtur convenire.

VARIOR.

20. *Priuſquam in Capitolium flecteret.*] Triumphantes, peracta triumphandi pompa, Capitolium ingrediebantur, ibique hoſtiis immolatis in Palatium recedebant: ut docet Joſephus lib. VII. belli Judaici. BEROALD.

Batonem Pannonium ducem, ingentibus donatum præmiis Ravennam tranſtulit.] Cum ſe Tiberio dediſſet

maxillis erit. Nec illud quidem ignoro, aliquos tradidiſſe, Auguſtum palam nec diſſimulanter morum ejus diritatem adeo improbaſſe, ut nonnumquam remiſſiores hilarioreſque ſermones ſuperveniente eo abrumperet: ſed expugnatum precibus uxoris adoptionem non abnuiſſe: vel etiam ambitione tractum, ut tali ſucceſſore deſiderabilior ipſe quandoque fieret. Adduci tamen nequeo, quin exiſtimem, circumſpectiſſimum & prudentiſſimum principem, in tanto præſertim negotio, nihil temere feciſſe: ſed vitiis virtutibuſque Tiberii perpenſis, potiores duxiſſe virtutes: præſertim cum & *Reip. cauſſa adoptare ſe eum* pro concione juraverit: & epiſtolis aliquot, ut peritiſſimum rei militaris, unicum populi Rom. præſidium proſequatur. Ex quibus in exemplum pauca hinc inde ſubjeci. *Vale jucundiſſime Tiberi, & rem gere feliciter,* ἐμοὶ καὶ ταῖς Μούσαις στρατηγῶν. *Jucundiſſime, &, ita ſim felix, vir fortiſſime, & dux* νομιμώτατε. *Vale*

diſſet, teſte Dione, in triumpho ductus eſt, ut conſtat ex Ovidio hunc triumphum deſcribente lib. II. Ponti, Elegia,

Huc quoque Cæſarei pervenit fama triumphi.

Infra in ſcriptis codicibus legitur:

Maximapars horum vitam veniamque tulere:
In quibus & belli ſumma caputque Baton.

Eſt autem Bato nomen populare Pannonum. In Pannonia exſtat lapis, in quo inciſum: BATO. BULLI. F. COL. AP. EQ. ALÆ. PANNONIORUM. TUR. SCENI. *Joſ. Scaliger.*

TORRENT.

Morum ejus diritatem.] Lib. duo *duritatem.* Utroque verbo uſus eſt etiam Cicero, mallem tamen *duritas* hoc loco, quæ comitati opponitur. Cic. de Senectute: *Quanta in altero duritas, in altero comitas?*

Rem gere feliciter.] Tres cod.l. *feliciter rem gere.* unus *rege felic.*

Ἐμοὶ καὶ ταῖς Μούσαις στρατηγῶν.] Turneb. καλὰ στρατηγῶν, vel ἄριστε στρατηγῶν, & tale aliquid in duobus noſtris. Sed quid Muſis cum Marte? Interpretes affirmant in quibuſdam exemplaribus τοῖς σοῖς, & ταῖς σαῖς legi, ut ad matrem Liviam, atque uxorem Juliam referatur. Sed quare non etiam Druſum filium comprehenderet? Illud igitur τοῖς σοῖς magis placet. Verum ſi Muſas retinebimus, ita interpretemur, ut (quod ait Horat.) ad dicenda Muſis prælia eum exhortetur, quæque per ora doctorum eant. Poterat etiam eum tunc forte in hibernis agentem ſuo exemplo ad Muſarum commercia provocaſſe. nam ad Muſas ſic de Auguſto Horat.

Vos Cæſarem altum, militia ſimul
Feſſas cohortes abdidit oppidis,
Finire quærentem labores
Pierio recreatis antro.

lib. III. Od. IV.

Νομιμώτατε.] Νομιμώτατον appellat ducem, ut Latini *legitimum*, quidquid in ſuo genere perfectum eſt, ut *legitimos pugiles*, quos *catervariis* opponit, Suet. Aug. cap. XLV. & *penem legitimum* Juvenal. Sat. IX. Beroaldo magis placet εὐβουλέστατε. quod nos quoque in duobus MSS. reperimus, ſed imperfecta ſcriptum.

CASAUBON.

Morum ejus diritatem.] Scripti quidam *duritatem.* minus recte. Infra cap. LI. Auguſtus vocat *acerbitatem & intolerantiam morum.*

Vel etiam ambitione tractum.] Tacitus lib. I. *Ne Tiberium quidem charitate aut Reip. cura ſucceſſorem aſcitum, ſed quoniam adrogantiam ſævitiamque ejus introſpexerit, comparatione deterrima ſibi gloriam quæſiviſſe.* Dio lib. LVI. Τοσοῦτον δ' οὖν τὸ σύμπαν ἀλλήλων διήνεγκαν, ὥστε τινὰς καὶ ἐς τὸν Αὔγουστον ὑποπτεῦσαι, ὅτι ἐξεπίτηδες τὸν Τιβέριον, καίπερ εὖ εἰδὼς ὁποῖος ἦν, διάδοχον ἀπέδειξεν, ἵνα αὐτὸς εὐδοξήσῃ.

Ut tali ſucceſſore deſiderabilior ipſe quandoque fieret.] Livius libro XXIV. *Verumenimvero Hieronymus velut ſuis vitiis deſiderabilem efficere vellet avum Hieronem, primo ſtatim conſpectu omnia quam diſparia eſſent, oſtendit.*

Reip. cauſſa adoptare ſe eum.] Vellejus: *In Neronis adoptione illud adjectum, his ipſis Cæſaris verbis:* HOC, inquit, REIP. CAUSSA FACIO.

Ἐμοὶ καὶ ταῖς Μούσαις στρατηγῶν.] Hæc Viterb. & aliorum codd. ſcriptura. quam reddunt ſuſpectam vetuſtiora omnia exemplaria, quæ litteras plures exhibent. Memmianus ita, ἐμοὶ καὶ ταῖς μούσαις (pro μούσαις) δὶς τε τρατηγῶν. fortaſſe corrigendum ἄριστα στρατηγῶν. Reperiſſe ajebat in uno Franciſcus Pithœus, ἄριστε στρατηγῶν: ego in nonnullis regiæ bibliothecæ, καλὲ στρατή. Sed non convenit ille caſus. in aliis legitur, ἐμοὶ καὶ τοῖς ἄλλοις στρ. In Viterbienſ. erat hæc interpretatio: *mihi & meis tuiſque commilitonibus:* quaſi inventum eſſet in Græco, ἐμοὶ καὶ τοῖς ἐμοῖς τε καὶ σοῖς συστρατιώταις. quod non video, qui quadrare huic loco queat.

Dux νομιμώτατε.] Quid eſt dux νόμιμος? An qui diſciplinam militarem ſeveriſſime regit? atqui νόμιμος eſt potius legitimus, & ſecundum leges con-

Vale. &, *Ordinem æſtivorum tuorum? Ego vero, mi Tiberi, & inter tot rerum difficultates,* καὶ τοσαύτην ῥαθυμίαν τῶν ϛρατευομένων *non potuiſſe quemquam prudentius gerere ſe, quam tu geſſeris, exiſtimo. Hi quoque, qui tecum fuerunt omnes, confitentur verſum illum in te poſſe dici,*

Unus homo nobis vigilando reſtituit rem.

Sive, inquit, *quid incidit, de quo ſit cogitandum diligentius, ſive quid ſtomachor valde, medius fidius Tiberium meum deſidero: ſuccurritque verſus ille Homericus:*

Τȣ́τȣ δ' ἑσπομένοιο καὶ ἐκ πυρὸς αἰθομένοιο
Ἄμφω νοϛήσαιμεν, ἐπεὶ πέρι οἶδε νοῆσαι.

Attenuatum te eſſe continuatione laborum, cum audio & lego, Dii me perdant, niſi cohorreſcit corpus meum: teque rogo, ut parcas tibi: ne ſi te languere audierimus, & ego & mater tua exſpiremus, & de ſumma imperii ſui populus Rom. periclitetur. Nihil intereſt, valeam ipſe nec ne, ſi tu non valebis. Deos obſecro, ut te nobis conſervent, & valere nunc & ſemper patiantur, ſi non populum Rom. peroſi ſunt. Exceſſum Auguſti non prius pa- 22
lam fecit quam Agrippa juvene interemto. Hunc tribunus militum cuſtos appoſitus occidit, lectis codicillis, quibus, ut id faceret, jubebatur. Quos codicillos dubium fuit, Auguſtuſne moriens reliquiſſet, quo materiam tumultus poſt ſe ſubduceret: an nomine Au-

conſtitutus. Sic fere νόμιμος μάχη apud Plutarchum, juſta & legitima acies: cui opponuntur κλοπαὶ πολέμȣ, quæ etiam Latinis *furta* & *latrocinia* vocantur. Fortaſſe ſcripſerat Auguſtus, dux γονιμώτατε, quod idem eſt ac γνησιώτατε: aut dux μονιμώτατε, conſtantiſſime & fortiſſime. At ex veſtigiis primæ edit. ſuſpicetur aliquis ſcribendum: εὐφυέϛατε aut εὐβȣλέϛατε.

VARIOR.

21. *Juraverit.*] U. C. Salmaſ. *juraverat.*

Ἐμοὶ καὶ ταῖς Μȣ́σαις ϛρατηγῶν.] Legendum ex veſtigiis libri veteris, ἐμοί τε καὶ τοῖς ἐμοῖς, ὦ ἄριϛε, ϛρατηγῶν. SALMASIUS.

TORRENT.

Vale & ordinem æſtivorum.] Dictio *vale* præcedentibus adjungenda eſt, quod etiam Glarean. annotat; ac particula &, quæ tamen abeſt e duobus libris, litera majuſcula inchoanda hoc modo, *vale. Et, Ordinem æſtivorum.* nam alterius epiſtolæ articulum ſubjungit. illa enim verba *Ordinem æſtivorum tuorum*, ex Tiberii epiſtola, ad quam reſpondebat Auguſtus, repetita videntur. Quæ ſententia apertior eſſet, ſi *ad* pro & legeretur, aut *de*, hoc modo, *De ordine æſt. tuor. ego vero*, &c.

Cohorreſcit corpus.] Liber unus *coheſcit*, alter *cohoeſcit.* quod ſilere nolui. Nam alioqui *cohorreſcere* etiam Ciceroni frequens. Verſus autem Homerici, quos adducit, ſunt ex Iliad. x.

Si tu non valebis.] Melius, *ſi tu modo valebis*, ut in duob. MSS.

CASAUBON.

Et ordinem æſtivorum tuorum.] Reſtituimus hunc locum peſſime acceptum in omnibus editionibus.

Καὶ τοσαύτην ῥαθυμίαν.] Liber Fr. Pithœi, ἀπροθυμίαν. Memmianus ἀπροθυμίαν pro ἀποθυμίαν. ſignificat animos legionariorum in præſentis militiæ conditionibus non acquieſcentes ſub extrema Auguſti tempora. quod ſtatim poſt ejus obitum Pannoniæ & Germanicæ legiones declararunt.

Succurritque verſus ille Homericus.] Atqui duos ponit; ſed non dubito, Auguſtum Ciceronis aliorumque more ſolum principium Homerici loci poſuiſſe: quem poſtea margini adſcriptum ſcribarum περιεργία integrum inſeruit.

Si tu non valebis.] Malim (quod & Torrentio placere video) *ſi tu modo valebis.* in MSS. *modo* & *non* ſimili fere compendio notantur.

22. *Quos codicillos dubium fuit, Auguſtuſne moriens reliquiſſet.*] Omnes hos rumores tangit Dio lib. LVII.

VARIOR.

Vale, &, Ordinem æſtivorum tuorum?] In vetuſto codice ita legitur: *Et dux* νομιμώτατε *vale: ordinem æſtivorum tuorum.* Hæc verba abſque conjunctione, & initio hujus clauſulæ leguntur, ut admirative dicta intelligantur, hoc ſenſu: Quid dicam ordinem æſtivorum tuorum? GLAREANUS. Sic etiam diſtinguendum cenſuit Salmaſius.

Τοσαύτην ῥαθυμίαν.] Lege ἀποθυμίαν ex V. C. SALMASIUS.

Sive, inquit, quid incidit.] *Inquit* non legit V. C. Salmaſ.

Si tu non valebis.] Vere codd. Torrentii, *ſi tu modo valebis.* V. lib. Abb. Gandenſ. *ſi tu valebis.* SCRIVER.

22. *Tribunus militum.*] A centurione interfectnm Tacitus

Auguſti Livia, & ea conſcio Tiberio an ignaro, dictaſſet. Tiberius renuntianti tribuno factum eſſe quod imperaſſet, *Neque imperaſſe ſe, & redditurum eum ſenatui rationem reſpondit:* invidiam ſcilicet in præſentia vitans. Nam mox ſilentio rem oblitteravit.
23 Jure autem tribunitiæ poteſtatis coacto ſenatu, inchoataque allocutione derepente velut impar dolori congemuit: utque non ſolum vox, ſed & ſpiritus deficeret, optavit: ac perlegendum librum Druſo filio tradidit. Illatum deinde Auguſti teſtamentum non admiſſis ſignatoribus niſi ſenatorii ordinis, cæteris extra curiam ſigna agnoſcentibus, recitavit per libertum. Teſtamenti initium fuit: *Quoniam ſiniſtra Fortuna Cajum & Lucium filios mihi eripuit, Tiberius Cæſar mihi ex parte dimidia, & ſextante heres eſto.* Quo & ipſo aucta eſt ſuſpicio opinantium, ſucceſſorem adſcitum eum neceſſitate magis quam
24 judicio: quando ita præfari non abſtinuerit. Principatum, quamvis neque occupare con-

citus voluit: item Dio, ὁ ἑκατόνταρχος ὁ τὴν φρουρὰν αὐτοῦ ἔχων καινοτομοῦντά τι ἀπέσφαξεν. Credo verum eſſe, ut a centurione occiſus ſit, at juſſu tribuni. LIPSIUS.

Lectis codicillis.] Ita receptum, quo magis cautum militibus eſſet, cædem mandari per libellum. Scilicet ne Imperator auctoritatem poſſet defugere. Pulchre Herodianus lib. III. de Saturnino & Plautiano: Ὅδε Σατουρνῖνος γραμματεῖον ᾔτησε τοῦ φόνου φέρον τὰς ἐντολάς· ἔθος γὰρ τοῦτο τυραννικὸν, εἴ τινα ἐκπέμποιεν ἐπὶ φόνον ἄκριτον, ἐντέλλεσθαι τοῦτο διὰ γραμμάτων, ἵνα μὴ γιγνόμενον ᾖ ἀκαταστήμαντον. LIPSIUS.

TORRENT.

22. *Renunciant tribuno.*] Tacit. ferme totidem verbis: *Nuncianti centurioni, ut mos militiæ, factum eſſe quod imperaſſet, Neque imperaſſe ſeſe, & rationem facti reddendam in ſenatu reſpondit.* Leviter tantum diſſentit, quod a centurione obitam cædem, non tribuno, memorat, in quo ei ſuffragatur & Dion. Similis vero locus Claud. cap. XXIX.

Silentio rem oblitteravit.] Dictio *rem* abeſt e tribus exemplarib.

23. *Allocutione de repub.*] Verba hæc *de rep.* ſemper mihi ſuſpecta fuere, non tam ob κακοφωνίαν, (ſequitur enim *derepente*) quam quod ſcribit Tacit. nihil primo ſenatus die agi paſſum Tiberium quam de ſupremis Auguſti. Cum vero poſtea intelligerem Oberti Giſanii codicem ea non habere, nihil equidem dubitavi, quin expungerem. *Allocutionem* vero priſca elegantia vocat Sueton. ſermonem, quem Tiberius de conſolatione mortis Auguſti conceperat, ut Catull. Epigr. ad Cornificium: *Qua ſolatus es allocutione?* Adde Varronem lib. VI. De Ling. Lat. *Adlocutum mulieres ire ajunt, cum eunt ad aliquam locutum conſolandi gratia.*

Sed ut & ſpiritus.] Tres libri, *ſed & ſpiritus,* ſine *ut.*

Recitavit per libertum.] Atqui ne ſignatores quidem admiſit niſi ſenatorii ordinis. Dion ait, Auguſti libertum, nomine Polybium, recitaſſe, quod non deceret a ſenatore fieri. An ob luctum forte?

Siniſtra fortuna.] Duo libb. *atrox fortuna,* ex gloſſematio, opinor.

CASAUBON.

Tiberius renuntianti tribuno factum eſſe, quod imperaſſet.] Mos militiæ, ut ſive tribunus ſive centurio, juſſus aliquid exſequi, id factum Imperatori vel duci teneretur renuntiare. Eum morem diſerte Tacitus in hac re notat. tangit iterum Suetonius in Claudio, ſectione XXIX. quibus omnibus in locis formula ſolennis uſurpatur: IMPERATOR, FACTUM QUOD IMPERASTI.

Jure autem tribunitiæ poteſtatis coacto ſenatu.] Tacitum lege. Tribuni jus habuerunt cogendi ſenatus, A. Gellius libro XIV. cap. VII. & VIII. ſed non quoties vellent. Ideo Auguſto jam tribunitia poteſtate prædito alio decreto patrum opus fuit, ut quoties vellet, ſenatum cogere poſſet jure. Dio in actis anni DCCXXXII. Ἐπὶ τούτοις ὑπὸ τῶν εὐφρονούντων ἐπῃνεῖτο, ὥστε καὶ τὸ τὴν βουλὴν ἀθροΐζειν, ὁσάκις ἂν ἐθελήσῃ, λαβεῖν. Poſtea periit hoc jus iis, qui veteris tribunatus ſpeciem retinebant. Dio notat in fragmentis: Μετὰ τοῦτο ὅτε τὰ περὶ τοὺς νέας ἔπεμψεν, οὔτε ὑπὸ τῶν ὑπάτων, οὔθ' ὑπὸ τῶν στρατηγῶν συνήλθομεν. οὐ γὰρ ἔτυχον παρόντες, ἀλλ' ὑπὸ τῶν δημάρχων, ὅπερ ἐν τῷ χρόνῳ τρόπον τινὰ ἤδη κατελέλυτο.

Quoniam ſiniſtra fortuna.] Memmianus & alii veteres, *Q. atrox fort.*

24. *Principatum, quamvis neque occupare confeſtim.*] Veteres quidam, *neque occupare aperte confeſtim.* tuetur eam vocem, quod ſubjicit de ſpecie dominationis aſſumta. Id enim niſi aperte fieri non poterat.

Neque agere dubitaſſet.] Scribens etiam ad milites & rectores provinciarum tanquam certus Imperator: quum privato id eſſet nefas. lege Tacitum.

Vi & ſpecie dominationis.] *Speciem* refer ad ſtationem militum; *vim* ad ſuperiora.

VARIOR.

23. *Siniſtra fortuna.*] V. C. Salmaſ. *atrox.*

confeſtim, neque agere dubitaſſet, & ſtatione militum, hoc eſt, vi & ſpecie dominatio-
nis aſſumta, diu tamen recuſavit impudentiſſimo animo: nunc adhortantes amicos in-
crepans, ut ignaros, quanta bellua eſſet Imperium: nunc precantem ſenatum, & pro-
cumbentem ſibi ad genua, ambiguis reſponſis & callida cunctatione ſuſpendens: ut
quidam patientiam rumperent, atque unus in tumultu proclamaret, *Aut agat, aut de-
ſiſtat:* alter coram exprobraret, *Cæteros quod polliciti ſint, tarde præſtare: ſed ipſum quod
præſtet, tarde polliceri.* Tandem quaſi coactus, & querens *miſeram & oneroſam injungi
ſibi ſervitutem*, recepit imperium: nec tamen aliter quam ut depoſiturum ſe quan-
doque ſpem faceret. Ipſius verba ſunt hæc: *Dum veniam ad id tempus, quo vobis
æquum poſſit videri, dare vos aliquam ſenectuti meæ requiem.* Cunctandi cauſſa erat, 25
metus undique imminentium diſcriminum: ut ſæpe *lupum ſe auribus tenere* dice-
ret. Nam & ſervus Agrippæ, Clemens nomine, non contemnendam manum in
ultionem domini compararat: & L. Scribonius Libo vir nobilis res novas clam
moliebatur: & duplex ſeditio militum in Illyrico & in Germania exorta eſt. Fla-
gitabant ambo exercitus multa extra ordinem: ante omnia, ut æquarentur ſtipendio
prætorianis Germaniciani. Quidam etiam principem detrectabant non a ſe datum:
ſum-

Torrent.

24. *Et ſtatione militum.*] Mallem nulla pæne mutatione, *etiam ſtatione militum aſſumpta*, quo ſane ſenſus erit apertior. *Principatum* vero *agere* dixit, ut *agere conſulatum, regnum, rempub. Stationem* quoque *militum* intelligo ad corporis cuſtodiam, quod vel manifeſtiſſimum dominationis indicium eſt. De *ſtationibus* autem alibi erit dicendi locus.

25. *L. Scribonius Libo.*] Cujus amita Scribonia, Auguſto quondam nupta, Juliæ mater, Caji, Lucii, & Agrippæ poſtumi avia. Tacit. lib. II. Eleganter autem de ejus morte Seneca Epiſt. LXXI. quo loco pro *Druſii*, & *ſolidi*, legendum *Druſi*, & *ſtolidi*. nam præter Libonis etiam Druſi cognomen ſumpſerat.

Prætoriani Germanicianis.] Sic etiam Gryphii codices; at Frobenii *Prætorianis Germanici*. Lib. Tornacenſ. *Prætorianis Germaniciani quidem*, non *quidam*, ut in vulgatis. Unde locum hunc aliter interpungendo ſic reſtituo, *ante omnia ut æquarentur Prætorianis. Germaniciani quidem etiam Principem detrectabant.* ſententia enim eſt utrumque exercitum in eo conveniſſe, ut Prætorianis æquarentur; Germanicianos vero etiam imperium detrectaſſe, quod Germanicum peterent. Adde Suetonium Calig. cap. I. Prætoriani autem non ſolum majora ſtipendia merebant, ſed & citius mittebantur, cum aliis præfiniti eſſent ab Auguſto anni XVI. ipſis tantum XII. Dion lib. LIV. Vide Galb. cap. XX.

Casaubon.

Diu tamen recuſavit impudentiſſimo animo.] Ita diſtinguitur hic locus in vetuſtiſſ. libb. tamen non diſplicet altera lectio, quæ poſt verbum *recuſavit* ponit diſtinctionem &c. Ovidius de Tiberio:

> *Eſſe parem virtute patris, qui fræna rogatus*
> *Sæpe recuſati ceperit imperii.*

alibi:

> *Inde nepos natuſque dei, licet ipſe recuſet,*
> *Pondera cœleſti mente paterna feret.*

Ut ignaros, quanta bellua ſit imperium.] Vopiſcus Saturnino tyranno: *Et cum eum animarent vel ad vitam vel ad imperium qui induerant purpuram, in hæc verba diſſeruit: Neſcitis, amici, quid mali ſit imperare. Gladii & tela noſtris cervicibus impendent, imminent haſtæ undique, undique ſpicula, ipſi cuſtodes timentur, ipſi comites formidantur: non cibus pro voluptate, non iter pro auctoritate, non bella pro judicio, non arma pro ſtudio. Adde, quod omnis ætas in imperio reprehenditur.*

Callida cunctatione ſuſpendens.] Tacitus: *Tiberio ſuſpenſa ſemper & obſcura verba.*

Cæteros quod polliciti ſint, tarde præſtare: ſed ipſum quod præſtet, tarde polliceri.] Simile eſt Ciceronis iſtud de Epicureis, II. De finib. *Cæteri*, inquit, *exiſtimantur dicere melius quam facere: hi mihi videntur facere melius quam dicere.*

Sed ipſum quod præſtet.[Ita Liſlæi cod. nec aliter Rob. Steph. editio.

25. *Ut æquarentur ſtipendio prætorianis Germaniciani.*] Sic melius quam ut vulgo, etiam in MSS. habetur *prætoriani Germanicianis.* ſed omnino legendum ut reperi poſtea in veteri editione optime de litteris meriti viri Rob. Steph. *ut æq. ſtip. prætorianis. Germaniciani quidem etiam principem detrectabant.* Aliter ſententia non conſtat. Exercitus in Germania poſitus *Germanicus*, non *Germanicianus* Tacito aliiſque antiquioribus dicitur: at milites ejus exercitus, & ut Græci dicunt οἱ ἐκ τῶν στρατοπέδων τῶν ἐν Γερμανίᾳ,
Ger-

ſummaque vi Germanicum, qui tum iis præerat, ad capeſſendam Remp. perurgebant, quamquam obfirmate reſiſtentem. Quem maxime caſum timens, partes ſibi, quas ſenatui liberet, tuendas in Rep. depopoſcit: quando univerſæ ſufficere ſolus nemo poſſet, niſi cum-altero, vel etiam cum pluribus. Simulavit & valetudinem, quo æquiore animo Germanicus celerem ſucceſſionem, vel certe ſocietatem principatus operiretur. Compoſitis ſeditionibus, Clementem quoque fraude deceptum, redegit in poteſtatem. Libonem, ne quid in novitate acerbius fieret, ſecundo demum anno in Senatu coarguit, medio temporis ſpatio tantum cavere contentus. Nam & inter pontifices ſacrificanti ſimul, pro ſeceſpita plumbeum cultrum ſubjiciendum curavit: & ſecretum petenti nonniſi adhibito Druſo filio dedit: dextramque obambulantis, veluti incumbens,
26 quoad perageretur ſermo, continuit. Verum liberatus metu, civilem admodum inter initia ac paullo minus quam privatum egit. Ex plurimis maximiſque honoribus, præter paucos & modicos non recepit. Natalem ſuum plebejis incurrentem Circenſibus, vix unius bigæ adjectione honorari paſſus eſt. Templa, flamines, ſacerdotes decerni ſibi

Germaniciani iiſdem appellantur. poſteriores ſcriptores hanc diſtinctionem non obſervant.

VARIOR.

24. *Impudentiſſimo animo.*] Scribo, *impudentiſſimo mimo.* Hoc eſt, quod ait Tacitus 1. hiſtor. 73. *Stultu & indecora ſimulatione:* Cicero 10. ad Attic. ep. 1. *ſimulatione aperta.* Lucianus Piſcatore: ἐκ ἤνεγκα τὴν αἰσχύνην τῆς ὑποκρίσεως. Calig. 45 *in hoc quoque mimo præter modum intemperans.* Othone 3. *ne pœna acrior mimum omnem divulgaret.* GRONOV.

25. *Germaniciani.*] Suetonius Tacito σύγχρονος etiam *Germanicianum exercitum* dixit Oth. cap. VIII. *Germaniciani exercitus in Vitellii verba jurarant.* iterum Veſpaſ. cap. VI. *Neque enim deteriores eſſe, aut Hiſpanienſi exercitu, qui Galbam; aut Prætoriano, qui Othonem; aut Germaniciano, qui Vitellium feciſſent.* SCHILD.

TORRENT.

Solus nemo poſſet.] Mallem abeſſe *ſolus.* ſequitur enim, *niſi cum altero.*

Celerem ſucceſſorem.] Lego *ſucceſſionem.* ſequitur enim, *ſocietatem.*

Pro ſeceſpita plumbeum cultrum.] Seceſpita enim, ut ex Feſto conſtat, erat ferrea. Ac recte Sueton. non plumbeam ei ſeceſpitam, ſed pro ſeceſpita cultrum plumbeum datum dicit. ſeceſpita enim tantum in ſacris dicitur, ac niſi talis ſit, qualem egregie deſcribit Feſtus, nomen perdit.

Secretum petenti.] Sic Calig. *Aviæ ſecretum petenti denegavit,* cap. XXIII.

26. *Civilem ſe admodum.*] Particula *ſe* non eſt in duob. MSS. neque eam habet interpretum editio, ut *civilem ac privatum agere* dixerit, pro æquabiliter converſari. Nove quoque & illud a Suetonio dictum, *paulo minus quam privatum,* pro tantum non. Cæſ. cap. LXXV.

Natalem ſuum.] XVI. Cal. Decemb. Sup. cap. V. Plebeji igitur ludi in Circo, ut ex hoc loco conſtat, medio Novemb. menſe agebantur, ut Romani Septembris initio, quod etiam ex Cicerone oſtenditur Act. 1. in Ver. Et ſic in antiquo marmore, quo Calendarium urbanum, ſeu Faſti Pontificum deſcribuntur.

CASAUBON.

Summaque vi Germanicum.] Auctior lectio Liſlæi cod. *Germanicum filium Druſi, qui tum.*

Partes ſibi, quas ſenatui liberet, tuendas in Rep. depopoſcit.] Tangit hiſtoriam Aſinii Galli, quæ apud Tacitum & Dionem.

Simulavit & valetudinem.] Liſlæi cod. *aſſimulavit,* hoc eſt: ἔτι δὲ προσεποιήσατο.

Secundo demum anno in ſenatu coarguit.] Tacitus & Dio in anno DCCLXIX.

Pro ſeceſpita.] Sic Romani vocant, quod Græci μαχαιρίδιον θυτικὸν, ut Lucianus in Piſcatore. Pollux, σφαγίδας, κοπίδας, & πελέκεις in eum uſum recenſet. Veteribus Latinis *acieris* propria ei miniſterio fuit, quam ἀξίνην ἱεροφάντε vertunt Græci magiſtri.

16. *Paullo minus quam privatum egit.*] Poteſt tolli τὸ *quam.* lib. VI. *Talem principem paullo minus* XIV. *annos perpeſſus terrarum orbis.* ſed & retineri: Petronius: *Qui ignotos lædit, latro appellatur; qui amicos, paullo minus quam parricida.* niſi ibi quoque & ſimilibus in locis tollenda ea vocula *paullo minus* ὀλίγε δεῖν. aliquanto poſt, *quod paullo minus utrumque evenit.*

Vix unius bigæ adjectione honorari paſſus eſt.] Ne id quidem permiſſum fuiſſe ſcribit Dio. Οὕτως, inquit, διὰ πάντων ὁμοίως δημοτικὸς ἦν, ὥστε ἔτι ἐν τοῖς γενεθλίοις αὐτῶ γίνεσθαι τι παρὰ τὸ καθεστηκὸς ἐπέτρεπεν.

bi prohibuit: etiam ſtatuas, atque imagines, niſi permittente ſe poni: permiſitque, ea
ſola conditione, ne inter ſimulacra deorum, ſed inter ornamenta ædium ponerentur. In-
terceſſit & quo minus in acta ſua juraretur: & ne menſis September, Tiberius: Octo-
ber, Livius, vocarentur. Prænomen quoque IMPERATORIS, cognomenque PA-
TRIS PATRIÆ, & civicam in veſtibulo coronam recuſavit. Ac ne AUGUSTI
quidem nomen, quamquam hereditarium, ullis niſi ad reges ac dynaſtas epiſtolis addi-
dit. Nec amplius quam mox tres conſulatus, unum paucis diebus, alterum tribus men-
ſibus, tertium abſens uſque in Idus Majas geſſit. Adulationes adeo averſatus eſt, ut 27
neminem ſenatorum aut officii aut negotii cauſſa ad lecticam ſuam admiſerit: conſula-
rem vero ſatisfacientem ſibi, ac per genua orare conantem, ita ſuffugerit, ut caderet
ſupinus: atque etiam ſi quid in ſermone, vel in continua oratione blandius de ſe dice-
retur, non dubitaret interpellare, ac reprehendere, & commutare continuo. *Domi-
nus* appellatus a quodam, denuntiavit, ne ſe amplius contumeliæ cauſſa nominaret. Alium
dicentem, *ſacras ejus occupationes:* & rurſus alium, *auctore eo ſenatum ſe adiiſſe*, verba
mutare, & pro *auctore*, *ſuaſorem:* pro *ſacris*, *laborioſas* dicere coegit. Sed & adverſus 28
convitia

TORRENT.

Civicam in veſtib. cor.] In veſtibulo dixit Sueton. quod Dion præ foribus: & Ovid. II. Metam.

Poſtibus Auguſtis eadem fidiſſima cuſtos
Ante fores ſtabis, mediamque tuebere quercum.

Querna enim civica ob cives ſervatos data, qualem in Cæſarum etiam peſſimorum nummis cernimus. Pulchre itaque Plin. lib. XVI. cap. IV. *Hinc civicæ coronæ, militum virtutis inſigne clariſſimum, jampridem vero & clementiæ Imperatorum, poſtquam civilium bellorum profanatione meritum cœpit haberi civem non occidere.*

Quam omnino tres conſul.] Libri duo *quam mox tres*, pro *quam omnino tres.*

27. *Conſularem ſatisfacientem ſibi.*] Tacit. Q. Haterio, cum deprecandi cauſa Palatium introiſſet, id accidiſſe ſcribit; & quidem prope a militibus interfectum fuiſſe, quod Tiberius, caſu, an manibus ejus impeditus, prociderat. De ſatisfactione autem Cæſ. cap. LXXIII.

Dominus appellatus.] Aug. cap. LIII.

Sacras ejus occupation.] Merito Tiberius res ſuas ſacras appellari noluit. Poſteriores vero Cæſares non ſolum cetera ſua omnia, domos, cubicula, ſcrinia, lectos, comitatum, ſed & ſacrum ſtabulum dici voluere. Nam eorum conſtitutiones, aut monetam dici ſacram aliquo modo ferendum eſt.

Auctore eo ſenatum.] Atqui Cicero & alii, libera tum republ. *auctoris* vocabulo ſic uſi ſunt, ut etiam *ſenatui auctores ſe fuiſſe* dictitent, ac ſæpe eadem de re utrumque verbum, tam *auctoris*, quam *ſuaſoris* conjungant. *auctor* enim dicitur, cujus conſilium ſecuti ſumus; neque quicquam a *ſuaſore* differt, quam quod hujus conſilium non ſemper ſequimur. Tum vero in *auctoris* nomine dignitas ac poteſtas conſideratur. cum aut *Patres auctores fiunt*, ut ſæpe de Senatu Livius, aut tutor pro pupillo, aut pro uxore maritus, quorum nempe ſine auctoritate nihil gerere illi poſſint. Item cum *auctore prætore quid factum* dicimus. Et quoniam reſponſa prudentum juris vim obtinebant, factum ut hi *auctores* appellarentur. L. II. de Orig. juris. Unde natum puto elegantem illum loquendi modum, cum *non defugere auctoritatem* dicebant, pro non recuſare auctorem ſequi aliquem. Terent. Eunucho, Plautus Pœnulo, Cicero pro P. Sylla.

28. *Sed adverſus.*] Lego, *Sed & adv.* vel *Adverſus*, ſine *ſed.*

CASAUBON.

Et ne menſis September, Tiberius; Livius, October vocarentur.] Ex Dione legendum, *Et ne menſis November, Tiberius; September, Liv. voc.* Sic ille lib. LVII. Τῷ Τιϐερίῳ τῆς βȣλῆς ἐγκειμένης, καὶ τὸν γȣ̃ν μῆνα τὸν Νοέμϐριον, ἐν ᾧ τῇ ἕκτῃ ἐπὶ δέκα ἐγεγένητο, Τιβέριον καλεῖσθαι ἀξιȣ́σης, Καὶ τί, ἔφη, ποιήσετε, ἂν δεκατρεῖς Καίσαρες γένωνται;

Civicam in veſtibulo coronam.] Dio lib. LIII. Valerius Maximus libro II. *Ceterum ad quercum pronæ manus porriguntur, ubi ob cives ſervatos corona danda eſt. quæ* poſtea *Auguſtæ domus ſempiterna gloria triumphant.*

27. *Ut neminem ſenatorum aut officii aut negotii cauſſa ad lecticam ſuam admiſerit.*] Ne equitem quidem ex illuſtribus. Dio: Εἴποτε ἐπὶ τȣ̃ δίφρȣ ἐκομίζετο, ȣ̓δένα οἱ παρακολȣθεῖν ȣ̓χ ὅπως βȣλευτὴν, ἀλλ' ȣ̓δ' ἱππέα τῶν πρώτων εἴα.

28. *Sed adverſus convitia.*] Melius cod. Liſlæi: *Sed & adv. conv.*

VARIOR.

27. *Auctore eo ſenatum ſe adiiſſe.*] V. C. *audiſſe.* leg. *adiſſe.* SALMAS.

TOR-

convitia maloſque rumores & famoſa de ſe ac ſuis carmina firmus ac patiens, ſubinde jactabat, *In civitate libera linguam mentemque liberas eſſe debere.* Et quondam ſenatu cognitionem de ejuſmodi criminibus ac reis flagitante: *Non tantum*, inquit, *otii habemus, ut implicare nos pluribus negotiis debeamus. Si hanc feneſtram aperueritis, nihil aliud agi ſinetis: omnium inimicitiæ hoc prætextu ad vos deferentur.* Exſtat & ſermo ejus in ſenatu percivilis: *Siquidem locutus aliter fuerit, dabo operam, ut ratio-*
29 *nem factorum meorum dictorumque reddam: ſi perſeveraverit, invicem eum odero.* Atque hæc eo notabiliora erant, quod ipſe in appellandis venerandiſque ſingulis, & univerſis, prope exceſſerat humanitatis modum. Diſſentiens in curia a Q. Haterio, *Ignoſcas*, inquit, *rogo, ſi quid adverſus te liberius, ſicut ſenator, dixero.* Et inde omnes alloquens, *Dixi & nunc & ſæpe alias P. C. bonum & ſalutarem Principem, quem vos tanta & tam libera poteſtate inſtruxiſtis, ſenatui ſervire debere & univerſis civibus ſæpe, & plerumque etiam ſingulis: neque id dixiſſe me pœnitet, & bonos & æquos &*
30 *faventes vos habui dominos, & adhuc habeo.* Quin etiam ſpeciem libertatis quandam induxit, conſervatis ſenatui ac magiſtratibus & majeſtate priſtina & poteſtate: neque tam parvum quidquam, neque tam magnum publici privatique negotii fuit, de quo non ad P. C. referretur. De vectigalibus ac monopoliis, de exſtruendis reficiendisve operibus, etiam de legendo vel exauctorando milite, ac legionum & auxiliorum deſcriptione: denique quibus imperium prorogari, aut extraordinaria bella mandari, quid & qua forma regum litteris reſcribi placeret. Præfectum alæ, de vi & rapinis reum, cauſſam in ſenatu dicere coëgit. Numquam curiam niſi ſolus intravit: lectica quon-

TORRENT.

Ad vos deferentur.] Liber unus *ad nos*, recte. nam & ipſe tunc pro ſenatore, non pro Principe haberi voluit.

Invicem eum odero.] Urbanius Auguſtus, *Faciam Ælianus ſentiat, & me linguam habere.*

29. *Singulis, & univerſis.*] Liber opt. *& ſingulis, & univerſis.*

Dixit, Et nunc.] Duo vetuſtiſſimi codic. *dixi.* Lego igitur, *Et inde omnes alloquens, Dixi & nunc, & ſæpe alias.*

30. *Quid & quam formam regum lit.*] MSS. omnes, & qui a Frobenio ſunt editi, *quid, & qua forma regum literis.*

Cauſam in ſenatu dicere.] Cum militiæ jure, ſi non ad eum ſub quo militabat, at certe ad Principem ſpectaret cognitio. L. III. De re milit. Juvenal. Sat. ult.

Legibus antiquis caſtrorum, & more Camilli
Servato, miles ne vallum litiget extra,
Et procul a ſignis.

CASAUBON.

Si hanc feneſtram aperueritis.] Eleganter: ſic etiam Græci: Clemens Pædagog. lib. III. Ὃς μὴ ἀκόλαστον αὐτῶν τὸ λάγνον γενόμενον πλατείας ἀναπετάσῃ κλισιάδας τοῖς εἰς ἡδυπάθειαν φερομένοις. Paullo aliter Caſſiodorus lib. VIII. *Ideo beneficiis noſtris quaſi quandam januam cogitavimus dare quæſtorem.* Legas & *januam cogitationis ingredi* lib. V. ejuſdem prudentiſſimi ſcriptoris.

30. *Et qua forma regum literis reſcribi placeret.*] Scripta lectio, *& ad quam formam regum.*

Lectica quondam introlatus æger, comites a ſe removit.] Lectica vehi ætate Tiberii vulgata res fuit & uſurpata etiam mediocribus civibus: in aditu tamen curiæ nemini temere uſurpata, niſi cauſſa cogeret ſontica, hoc eſt, vel animi, vel corporis ægritudo nimia. ideo ſcribit Tacitus de Libone Druſo II. Annalium: *Die Senatus metu & ægritudine feſſus, ſive ut tradidere quidam, ſimulato morbo, lectica delatus ad fores curiæ, inniſusque fratri, &c.* De Tiberio commemorat Dio in anno DCCLXX. Οὕτω κακῶς διέκειτο, ὥστε ἐν σκιμποδίῳ κατεστέγῳ ἐς τὸ συνέδριον ἐσκομισθῆναι· νομιζόμενον γάρ που καὶ τοῖς ἄνδρασιν, ἤν ποτέ τις αὐτῶν ἀσθενῶς ἔχων ἐκεῖσε ἐσίοι, κατακείμενον αὐτὸν ἐσφέρεσθαι, καὶ τοῦτο καὶ ὁ Τιβέριος τότε ἐποίησε καὶ διελέχθη γέ τινα ἐκ τοῦ σκιμποδίου προκύψας.

VARIOR.

28. *Senatu cognitionem de ejusmodi criminibus & reis flagitante.*] V. C. Salmaſ. *Senatu, flagitantem.*

30. *Quid & qua forma.*] Cod. Salmaſ. *quid & quam formam.* Hinc legendum cenſuit Salmaſius, *quid ad quam formam.*

Præfectum alæ.] Alæ in veteri republica dicebantur ſocii Latini nominis, tam pedites, quam equites. poſtea

quondam introlatus æger, comites a ſe removit. Quædam adverſus ſententiam ſuam 31
decerni ne queſtus quidem eſt. Negante eo, deſtinatos magiſtratus abeſſe oportere, ut præſentes honori acquieſcerent, prætor deſignatus liberam legationem impetravit. Iterum cenſente ut Trebianis legatam in opus novi theatri pecuniam ad munitionem viæ transferre concederetur, obtinere non potuit, quin rata voluntas legatoris eſſet. Cum ſenatuſconſultum per diſceſſionem forte fieret, tranſeuntem eum in alteram partem, in qua pauciores erant, ſecutus eſt nemo. Cætera quoque nonniſi per magiſtratus & jure ordinario agebantur: tanta COSS. auctoritate, ut legati ex Africa adierint eos, querentes trahi ſe a Cæſare ad quem miſſi forent. Nec mirum, cum palam eſſet
ipſum quoque eiſdem & aſſurgere & decedere via. Corripuit conſulares exercitibus præ- 32
poſitos, quod non de rebus geſtis ſenatui ſcriberent: quodque de tribuendis quibuſdam militaribus donis ad ſe referrent: quaſi non omnium tribuendorum ipſi jus haberent.

poſtea his civitate donatis omnes auxiliares & externæ copiæ *alæ* dictæ. Tempore vero Cæſarum priorum alæ κατ' ἐξοχὴν vocabantur equites ex provinciis conſcripti, qui ſingulæ legioni addebantur loco decem turmarum, quæ olim ex equitibus Romanis collectæ has partes ſuſtinebant, ut præclare docuit Vir ſummus RHABODUS SCHELIUS in notis ad Hyginum. Singulæ vero alæ præerat præfectus, ſicut ſingulæ legioni tribunus. Alæ autem non erant connexæ legioni tum temporis, ſed ab alia ad aliam traducebantur. Dignitas præfectorum tanta illa ætate, ut vel tribunis legionum præferrentur. vide quæ notavit ad illum ſcriptorem pag. 75.

TORRENT.

31. *Ut præſentes honori acquieſcerent.*] Sic cap. LVI. *Nihilo lenior in convictores Græculos, quibus maxime acquieſcebat*, id eſt, quibus ſe accommodabat, cum quibus oblectabatur. Et ſane deſignati magiſtratus majorem aliis reipubl. curam debent. Vide Calig. cap. LI.

Cenſente ut Trebianis.] Hi qui fuerint, neſcio. Trebia enim flumen, non oppidum eſt. Plin. Trebanos & Trebulanos in Latio collocat, illos etiam in Sabinis. Trebulani etiam caſei in xeniis celebrantur. Liber opt. *Utribianis* habet. Ut *Otriculanis* fortaſſis legendum ſit. nam Otriculum, non ignobile Etruriæ oppidum, etiam nunc nomen ſervat. Ut magis ſane quam Trebulæ, aut Trebiæ illæ, quæcunque fuerint, theatro ornari mereretur.

Rata voluntas legatoris.] Recte. nam, ut ex XII. Tabb. JCti referunt, *uti quiſque legaſſet rei ſuæ, ita jus eſto.* Quibus verbis latiſſima poteſtas tribuitur, ut ſuprema voluntas pro lege habenda ſit. L. CXX. de Verb. ſign.

Eiſdem aſſurgere.] Rectius duo MSS. *& aſſurgere, & decedere via.*

CASAUBON.

Comites a ſe removit.] Ita moris fuit, ut qui ſella aut in lectica veherentur, non Principes ſolum, ſed & alii, turbam comitum τῷ φορείῳ παρεπομένων, ut loquitur Lucianus, haberent. Juvenalis:

Reſpicit hæc primum qui litigat, an tibi ſervi
Octo, decem comites, an poſt te ſella, togati
Ante pedes.

31. *Iterum cenſente.*] Cod. Liſ. *item cenſens ſe*, nec diſpliceat *cenſens*. Idem mox, *non obtinuit*, pro *obtinere non potuit*. Aut ſcribam *obtineri*, retenta voce *cenſente*.

Ut legati ex Africa adierint eos.] Dubito, an huc pertineant Taciti verba Annal. lib. III. 35. *Proximi ſenatus die, Tiberius per literas caſtigatis oblique patribus, quod cuncta curarum ad Principem rejicerent, M. Lepidum & Junium Blæſum nominavit, ex queis proconſul Africæ legeretur.*

32. *Quod non de rebus geſtis ſenatui ſcriberent.*] Mos ſub libera Republ. perpetuo ſervatus, cum eadem exſtincta ſublatus. Notant Tacitus & Dio non uno loco. Exemplum dedit primus Agrippa, de quo ſcribit Dio in anno DCCXL. Οὔτε ἔγραψεν ἀρχὴν ἐς τὸ συνέδριον ὑπὲρ τῶν πραχθέντων οὐδέν· ἀφ' οὗ δὴ καὶ οἱ μετὰ ταῦτα νόμῳ τινὶ τῷ ἐκείνου τρόπῳ χρώμενοι, οὐδ' αὐτοὶ τῷ κοινῷ ἐπέστελλον.

Quodque de tribuendis quibuſdam militaribus donis ad ſe referrent.] Tacit. Annal. III. 21. *Eo prælio Rufus Helvius gregarius miles ſervati civis decus retulit, donatuſque eſt ab Apronio torquibus & haſta. Cæſar addidit civicam coronam, quod non eam quoque Apronius jure proconſulis tribuiſſet, queſtus magis quam offenſus.*

VARIOR.

31. *Trebianis.*] Torrentius ex V. C. *Utribianis* legit, & reponendum ait *Otriculanis.* At *Trebiam* locum fuiſſe non multum Roma diſtantem, colligimus ex Livio lib. II. atque hanc aliam fuiſſe a Trebula, conſtat ex eodem Livio, ſcribente, Trebulam a Romanis receptam: item, Trebulanos civitate Romana donatos. Quamobrem *Trebianis* legendum facile convincitur, ſicut etiam Trebianos legi obſervamus apud Plinium lib. III. cap. V. in aliqui

rent. Prætorem collaudavit, quod honore inito, conſuetudinem antiquam retuliſſet de majoribus ſuis pro concione memorandi. Quorundam illuſtrium exſequias uſque ad rogum frequentavit. Parem moderationem minoribus quoque & perſonis & rebus exhibuit: cum Rhodiorum magiſtratus, quod litteras publicas ſine ſubſcriptione ad ſe dederant, evocaſſet, ne verbo quidem inſectatus, ac tantummodo juſſos ſubſcribere, remiſit. Diogenes grammaticus diſputare ſabbatis Rhodi ſolitus, venientem eum,

aliquibus codicibus, ubi alii Trebulanos habent. MARC. DONATUS.

Non potuit.] Codex Salmaſ. ut veteres editiones multæ, *non obtinuit.* R. Steph. editio: *obtineri non potuit.*

TORRENT.

32. *De majoribus ſuis.*] Ut inituro magiſtratum major inde accederet auctoritas.

Minoribus quoque perſonis.] Duo libri *& perſon. & rebus.*

Ac tantummodo.] Mallem abeſſe *ac.*

Diſputare ſabbatis.] De Judæorum ſabbatis diximus Aug. cap. LXXVI. & ad Horat. lib. I. Sat. IX. Verum quid Diogeni huic grammatico cum ſabbatis, & quidem Rhodi? An forte, cum Judaica religione imbutus eſſet, de divinitate ac rerum principiis, quod Judæis ſolenne erat, ſabbatis tantum inter ſuos Græce diſputabat, atque ideo extra ordinem ad ſe venientem Tiberium in diem ſeptimum, proximum quippe ſabbatum, rejiciebat? Potuit ſane tunc Tiberius iſtiuſmodi diſputationibus oblectari. Quo magis credendum eſt, quod Apologetico ſuo ſcribit Tertullianus, ad ſenatum aliquando ſcripſiſſe eum de Chriſto Servatore noſtro conſecrando, idque cum prærogativa ſuffragii ſui, ſed ſenatum obſtitiſſe. Alioqui Judæis iniquiorem fuiſſe, monſtrat paullo poſt Sueton. cap. XXXVI. Quod autem de Rhodiorum literis ſine ſubſcriptione hic dicit, declarat Dion, cum ait ſolenne illud omiſſum fuiſſe, quod vota facerent.

CASAUBON.

Conſuetudinem antiquam retuliſſet de majoribus ſuis memorandi.] Hoc ea oratione fiebat, qua populo poſt initum honorem novi magiſtratus gratias agebant: Plutarchus in Æmilio: Εἰωθότων τῶν τὴν ὑπατείαν λαβόντων οἷον ἀνθομολογεῖσθαί τινα χάριν, καὶ προσαγορεύειν φιλοφρόνως τὸν δῆμον ἀπὸ τοῦ βήματος, Αἰμίλιος εἰς ἐκκλησίαν ἐναγαγὼν τοὺς πολίτας, ἔφη. Ab hoc fonte manarunt orationes panegyricæ, quibus Principi gratias in ſenatu agebant Kal. Jan. novi conſules. Plinius in libro Panegyrico auctor eſt, factum fuiſſe ſuper hoc ſenatus conſultum, cujus alibi mentionem factam non reperio. Sic autem ille: *Sed parendum eſt ſenatusconſulto, quo ex utilitate publica placuit, ut conſulis voce, ſub titulo gratiarum agendarum, boni Principes quæ facerent, recognoſcerent: mali, quæ facere deberent.* Idem mos etiam in præſidibus provinciarum ſervatus, ad tempora Claudii: de quo Dio lib. LVIII. Κατέδειξε τοὺς αἱρετοὺς μηδεμίαν οἱ χάριν ἐν τῷ συνεδρίῳ γινώσκειν, ὅπερ κατά τι ἔθος ἐποίουν.

Exſequias uſque ad rogum frequentavit.] Videntur Imperatores in funeribus virorum illuſtrium ad laudationem tantum, quæ fiebat in foro, venire ſoliti, nec intereſſe officio, cum efferrentur e roſtris ad buſtum extra urbem. propterea civile & δημοτικὸν in Tiberio habitum, quod ad rogum uſque ſe cum cæteris conferret. ſic accipiendum, quod de Druſo ejus filio obſervat Dio: Ὁ Δροῦσος τὰ τῇ ὑπατείᾳ προσήκοντα ἐξ ἴσου τῷ συνάρχοντι ἐξετέλεσε, καὶ κληρονόμος γε ὑπό τινος καταλειφθεὶς, τὸ σῶμα αὐτοῦ συνεξήνεγκε. Ubi συνεκφέρειν ſignificat, exſequias uſque ad rogum cum aliis frequentare. Nec ſoli Imperatores funus extra urbem ſequi ſpernebant: ſed multi alii. Cynthia apud Propertium de ſuo funere loquens:

Si piguit portas ultra procedere; at illud
Juſſiſſes, lectum lentius ire meum.

Literas publicas ſine ſubſcriptione ad ſe dederant.] Quænam iſta ſubſcriptio ſit, unus me docuit Dio. non enim eſt nominum, ut putare aliquis poſſit: ſed præteritionem intelligit clauſulæ ſolitæ adjici litteris ad Principem, qua felicitas illi optaretur. verba Dionis ſunt: Οἱ Ῥοδίων ἄρχοντες ἐπιστείλαντές τι αὐτῷ οὐχ ὑπέγραψαν τῇ ἐπιστολῇ τοῦτο δὴ τὸ νομιζόμενον, εὐχὰς αὐτῷ ποιούμενοι. Privatarum literarum ſubſcriptio apud Græcos eſt: Ἔρρωσο, ut apud Latinos *Vale.* ſimilis ſententiæ formula epiſtolas ad Imperatores claudebat. Puto fuiſſe, Εὐτύχει διὰ παντός. ut in extrema relatione Demetrii Phalerei ad Ptolemæum Philadelphum.

Diogenes grammaticus diſputare ſabbatis Rhodi ſolitus.] Etſi obſervatio hebdomadum, quæ hodie obtinet, ante tempora Theodoſii vulgo recepta non fuit: annotare tamen licet multo ante tale aliquid Græcos, præſertim & Aſiaticos, in functionibus vitæ quotidianæ ſolitos obſervare. Quod quia imitatione Judæorum, qui jam tum per orbem ſparſi erant, inſtitutum eſt, etiam ſabbati nomen multi retinuerunt. Ejuſmodi eſt, quod hic Suetonius ait, Diogenem grammaticum ſolitum Rhodi ſabbatis diſputare: ſic ſeptimo quoque die feriæ pueris ſolitæ in ſcholis concedi. Lucianus, Pſeudologiſta: Καὶ ὁ μὲν Κοθορνόν τινα εἶπεν, ὁ δὲ Ἑβδόμην, ὅτι ὥσπερ οἱ παῖδες

eum, ut ſe extra ordinem audiret, non admiſerat: ac per ſervulum ſuum in ſeptimum diem diſtulerat. Hunc Romæ ſalutandi ſui cauſſa pro foribus adſtantem, nihil amplius quam ut poſt ſeptimum annum rediret, admonuit. Præſidibus onerandas tributo provincias ſuadentibus reſcripſit, *Boni paſtoris eſſe tondere pecus, non deglubere.*
Paullatim principem exeruit, præſtititque: etſi varium diu, commodiorem tamen ſæpius, 33
&

ἐν ταῖς ἑβδόμαις κἀκεῖνος ἐν ταῖς ἐκκλησίαις ἔπαιζε, καὶ διεγέλα. A. Gellius lib. xv. cap. 11. *Is in conviviis juvenum, quæ agitare Athenis hebdomadibus lunæ ſolenne nobis fuit, ſimulatque modus epulis factus, & utiles delectabileſque ſermones cœperant, tum ſilentio ad audiendum petito loqui cœptabat.* Idem ſervatum etiam in aliis rebus. Vulcatius Gallicanus in Avidio Caſſio: *Exercitium ſeptimi diei fuit omnium militum, ita ut ſagittas mitterent, & armis luderent.* Lampridius in Alexandro Severo: *Capitolium ſeptimo die cum in urbe eſſet, aſcendit, templa frequentavit.* Diſputat etiam Clemens Alexandrinus Stromatum libro v. ὅτι τὴν ἑβδόμην ἱερὰν ἐ μόνον οἱ Ἑβραῖοι, ἀλλὰ καὶ οἱ Ἕλληνες ἴσασι. Sed ante Clementem ſcripſit Joſephus jam ſua ætate adeo increbuiſſe ſeptimi diei obſervationem, ex Judaico ritu: ut neget urbem ullam aut Græcorum aut Barbarorum, hoc eſt, non Græcorum, vel gentem omnino ullam poſſe reperiri, quæ ceſſationem ab opere diei ſeptimi in ſuos mores non recepiſſet. Inſignis plane locus: ideo verba ipſa Joſephi proferam: Οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ πλήθεσιν ἤδη πολὺς ζῆλος γέγονεν ἐκ μακρȣ̃ τῆς ἡμετέρας εὐσεβείας· ἐδ᾽ ἔςιν ἐ πόλις Ἑλλήνων ἐδ᾽ ἡτισȣ̃ν, ἐδὲ βάρβαρον ἐδὲ ἓν ἔθνος, ἔνθα μὴ τὸ τῆς ἑβδομάδος, ἣν ἀργȣ̃μεν ἡμεῖς, τὸ ἔθος ἐ διαπεφοίτηκεν. libro poſteriore contra Appionem.

T O R R E N T.

Tondere pecus, non deglubere.] Κείρασθαι, ἀλλ᾽ ἐκ ἀποξύρασθαι, vertit Dion.

33. *Principem exercuit.*] Turneb. Adverſar. xiv. cap. xvii. ex vetuſtis codicibus legit *exeruit præſtititque*, quod probo. Similis Spartiani locus Septimio Severo: *Tribunatum plebis promeruit, eumque ſeveriſſime, exertiſſimeque egit,* pro *exercitiſſime*, ut vulgata habent exemplaria.

C A S A U B O N.

In ſeptimum diem diſtulerat.] Sic etiam rhetores declamationibus ſuis certum diem ſoliti aſſignare. Juvenalis:

> *Nil ſalit Arcadico juveni, cujus mihi ſexta*
> *Quaque die miſerum dirus caput Annibal implet.*

Suetonius in libello de Illuſtribus grammaticis de M. Antonio Gniphone: *Docuit & rhetoricam, ita ut quotidie præcepta eloquentiæ traderet, declamaret vero non niſi nundinis.*

Hunc Romæ ſalutandi ſui cauſſa pro foribus adſtantem.] Simillima huic hiſtoria eſt, quam de Polemone ſophiſta & Imperatore Antonino Philoſtratus narrat in Sophiſtis.

Boni paſtoris eſſe tondere pecus, non deglubere.] Batonis Dalmatæ interrogati a Tiberio, cur rebellaſſet, reſponſum fuit: Ἐπὶ γὰρ τὰς ἀγέλας ὑμῶν φύλακας ἐ κύνας, ἐδὲ νομέας, ἀλλὰ λύκȣς πέμπετε. Dio lib. LV. & iterum lib. LVI. omnino videtur id reſponſum Tiberio occaſionem hujus dicti dediſſe: quod idem Dio lib. LVII. ita vertit, Αἰμιλίῳ Ῥήκτῳ χρήματά ποτε αὐτῷ πλείω παρὰ τὸ τεταγμένον ἐκ τῆς Αἰγύπτȣ ἧς ἦρχε πέμψαντι, ἀνταπέςειλεν, ὅτι κείρεσθαί μȣ τὰ πρόβατα, ἀλλ᾽ ἐκ ἀποξύρεσθαι βȣ́λομαι. pro *deglubere* dixit ἀποξύρεσθαι. At Latina vox proprie ἐκδέρειν ſignificat, ut in Gloſſ. vertitur: ſed ad ſententiam potius Dio, quam ad proprietatem verborum attendit. nam etſi minus eſt ἀποξύρεσθαι quam deglubere, ſi ſpectetur propria vocum ſignificatio, tamen tranſlatæ hæ voces idem ſignificant: nam etiam κείρειν quod tondere eſt, interdum pro eo, quod deglubere Tiberius dixit, Græci ponunt. Maximus Tyrius ſermone XL. Καμβύσης δ᾽ ἦν καὶ αὖθις Ξέρξης ἐκ ποιμένων ἀγαθῶν πονηροὶ λύκοι, κείροντες τὴν ἀγέλην, καὶ τῆς ἐπιςήμης ἀπεληλαμένοι. Dio Chryſoſtomus Περὶ βασιλείας orat. IV. Tiberianum hoc apophthegma pulcherrime illuſtrat: Αὐτὸ δὲ τȣ̃το ἔοικε δηλȣ̃ν Ὅμηρος καὶ ὅταν ἐγκωμιάζων τινὰ λέγει τῶν βασιλέων ποιμένα λαῶν· τȣ̃ γὰρ ποιμένος ἐκ ἄλλό τι ἔργον ἢ πρόνοια καὶ σωτηρία, καὶ φυλακαὶ προβάτων ὥςε κατοπλεύειν, ἐ μὰ Δία καὶ σφάττειν καὶ δέρειν, καίτοι ἐνίοτε πολλὰ πρόβατα ἐλαύνει μάγειρος εἰς ὠνησάμενος, ἀλλὰ πλεῖςον διαφέρει μαγειρικὴ καὶ ποιμενική. pro *deglubere* dixerunt & *reglubere* veteres. Gloſſar. *Regluvo*, ἐκδείρω. In Liſſ. cod. non *deglubere* ſcriptum erat, ſed *deglutire*. perperam. etſi offendere memini eam lectionem etiam alibi.

33. *Paullatim principem exercuit.*] Viterb. *exemit*, ſine dubio ex ea lectione, quam nos in Memmiano, Turnebus olim in ſuis reperit & annotavit, *exeruit*, quam & Pithœi codd. habent: in quibus libris etiam locus hic ex capite XI. *in quo exeruiſſe jus tribuniciæ poteſtatis viſus ſit*, corruptus ita *ex ſervis ejus*, veterem lectionem arguit fuiſſe, *exercuiſſe jus.* Neque aliter hic codices regiæ bibliothecæ. Sic *divinitas exerta* apud Tertullian. &c. *hoſtes exerti*, & *exerta auctoritate* aliquid facere. Codice Theodoſ. titulo de Hæreticis. Eſt vero elegans loquendi genus, *principem exerere* ſive *exercere* pro facere τὰ τȣ̃

& ad utilitates publicas proniorem. Ac primo eatenus interveniebat, ne quid perperam fieret. Itaque & conſtitutiones quaſdam ſenatus reſcidit: & magiſtratibus pro tribunali cognoſcentibus plerumque ſe offerebat conſiliarium, aſſidebatque miſtim, vel ex adverſo in parte primori: & ſi quem reorum elabi gratia rumor eſſet, ſubitus aderat: judiceſque aut e plano, aut e quæſitoris tribunali, legum & religionis, & noxæ de qua cognoſcerent, admonebat:

τῦ αὐτοκράτορος, gerere ſe pro principe. quam φράσιν miror cuidam viro docto ſic viſam inſolentem, ut ferre apud Tacitum nequiverit *exulem agere*, & mutandum cenſuerit. Atqui ſic & Latini & Græci loquuntur, ut apud Maximum Tyrium ἀποϐέμενος τὸν θεατὴν, apud Dionyſ. Halicarn. διασημαίνειν τὸν ὀρρωδῦντα, apud Philonem τὸν κατήγορον ὁμολογεῖν, & e recentioribus Græcis apud Nicetam fere ſingulis paginis: cujuſmodi ſunt τὸν ὅλον ςρατιώτην ἀποσεισάμενος, & ὑποσημαίνειν τὸν ζῶντα. item ὑποδῦναι τὸν πρεσϐευτήν. & lib. I. vitæ Andronici Comneni, ὀ περὶ πολλῦ τὸν ἡγεμόνα ἐτίθετο, id eſt, *non magnifecit ducatum ſuum.* Nec minus eleganter Latini, ut noſter in Vitellio: *miniſtratorem exhibere.* Seneca epiſt. XXXI. *Quem promiſerat, exhibet.* Plinius in Panegyr. *recipere ſe in principem.* Valer. Max. lib. I. *Exuit patrem, ut conſulem ageret.* lib. VIII. *In rebus ſeriis Scævolam, in ſcurrilibus luſibus hominem agebat.* lib. IX. *Nec fuit ei pudori filium, civem, hominem diſſimulare.* & paſſim poetæ.

VARIOR.

32. *Deglubere.*] V. C. Salmaſ. *degluvere.*

TORRENT.

Se offerebat conſiliarium.] Mos erat magiſtratibus, judicibuſque, ut de re aliqua cognituri nonnullos ſibi in conſilium aſſumerent. Cic. de Amicitia: *Aderam Lanati, & Rutilio, Coſs. in conſilio.* Sueton. Domit. cap. VIII. *Nummarios judices cum ſuo quemque conſilio notavit.* Spartian. Hadriano: *Erat tunc mos, ut cum Princeps cauſas cognoſceret, & ſenatores, & equites Rom. in conſilium vocaret, ſententiamque ex omnium deliberatione proferret.* Quam Principum conſuetudinem fluxiſſe ab Auguſto, auctor eſt Dion. decem enim ille ſenatores in conſilium adhibuit. Iſque numerus Antoninorum tempore permanſit, ſed tunc partim ſenatores, partim equites fuere. Quorum Ulpian. quoque in fragm. meminit, addens ut Romæ decem, ſic in provinciis viginti fuiſſe cives Romanos, quorum conſilio præſides uterentur. Hinc igitur in notis D. S. C. id eſt, de ſententia conſilii. Adde Juvenalis locum Sat. III. *Quando in conſilio eſt ædilibus.* Corruptus locus Suetonii Claud. cap. XII.

Miſtim vel ex adverſo in parte primori.] Libri duo *juxtim, vel exadverſum*, unus etiam *vel exadverſim*, una dictione. ſic enim & apud Terentium. *Primorem* autem *partem* honoratiorem intelligo, vel prima ſubſellia.

E plano aut e quæſitoris tribunali.] Plana clivoſis & ſublimibus opponuntur. ſic enim apud Ulpianum l. V. Commodati, *de plano opus facere*, & *in machina operari* contraria ſunt, ut *de plano cognoſcere*, & *pro tribunali.* Paullus l. XVIII. de Quæſtionibus: *Cuſtodiæ non ſolum pro tribunali, ſed & de plano audiri poſſunt, & damnari.* Nec JCti tantum, ſed & Cicero, & Seneca, & alii ſic locuti ſunt. *de plano* enim *fieri* dicitur, quando judex aut magiſtratus ſine forma (quod ajunt) ac ſtrepitu judicii, non editiore loco ſedens, ſed & in via ac tranſitu, aut inter deambulandum de levioribus negotiis, his maxime quæ voluntariæ juriſdictionis ſunt, decernit ac ſtatuit. *De plano*, autem, non *e plano*, fere ſcribitur, ut *de tranſverſo, de proximo, de improviſo, de ſubito, de integro, de nihilo. Quæſitorem* autem vocat eum, qui judicio præerat. Cæſ. cap. XII.

Legum & religionis.] Addit *religionis* propter jusjurandum. judices enim in leges jurabant. Quod Aſcon. Pedianus ex Cicerone nos docuit, & de Tiberio loquens Tacit. lib. I. Annal. his verbis: *Ad quod exarſit adeo, ut rupta taciturnitate proclamaret, ſe quoque in ea cauſa laturum ſententiam palam, & juratum.* Sed & Juſtinianus Imp. l. ult. Cod. De judiciis, *Cui* (inquit) *non eſt cognitum antiquos judices non aliter judicialem calculum accepiſſe, niſi prius juramentum præſtitiſſent, omnimodo ſe cum veritate, & legum obſervatione judicium eſſe diſpoſituros?*

CASAUBON.

Magiſtratibus pro tribunali cognoſcentibus, plerumque ſe offerebat conſiliarium.] Tacitus lib. I. Annal. 75. *Nec patrum cognitionibus ſatiatus, judiciis adſidebat in cornu tribunalis, ne prætorem curuli depelleret, multaque eo coram adverſus ambitum & potentium preces conſtituta: ſed dum veritati conſulitur, libertas corrumpebatur.*

Aſſidebatque mixtim.] Reperimus & *juxtim.*

Vel ex adverſo parte primori.] Tacitus modo: *In cornu tribunalis.* Dio ſic: Ἐδίκαζε μὲν ὖν ὥσπερ εἶπον, ἐπεφοίτα δὲ καὶ ἐπὶ τὰ τῶν ἀρχόντων δικαςήρια, καὶ παρακαλύμενος ὑπ' αὐτῶν, καὶ ἀπαράκλητος, καὶ ἐκείνυς μὲν ὖν τῇ ἑαυτῶν χώρᾳ καθῆσθαι εἴα, αὐτὸς δὲ ἐπὶ τῦ βάθρυ τῦ κατάντικρυς σφῶν κειμένυ καθίζων, ἔλεγεν ὅσα ἐδόκει αὐτῷ. Habes elegantiſſime expreſſum & Taciti ſuperiorem locum, & Suetonii quoque.

monebat: atque etiam ſi qua in publicis moribus deſidia aut mala conſuetudine labarent, corrigenda ſuſcepit. Ludorum ac munerum impenſas corripuit: mercedibus ſcenicorum 34
reſciſſis, paribuſque gladiatorum ad certum numerum redactis. Corinthiorum vaſorum pretia in immenſum exarſiſſe, treſque mullos XXX milibus numum veniſſe, graviter conqueſtus, adhibendum ſupellectili modum cenſuit: annonamque macelli, ſenatus arbitratu, quotannis temperandam: dato ædilibus negotio, popinas, ganeaſque uſque eo inhibendi, ut ne opera quidem piſtoria proponi venalia ſinerent. Et ut parcimoniam publicam

VARIOR.

33. *Aſſidebatque miſtim.*] Codex Salmaſ. *juxtim*, hoc eſt prope, quod non temere rejecerim.

Ex adverſo.] Codex Salmaſ. *exadverſum.* ut *inante*, & multa ſimilia.

TORRENT.

In publicis moribus.] Dictio *moribus* non eſt in cod. Ferrar. quam tamen rejectam nolim. Inf. cap. XLII.

34. *Impenſas corripuit.*] Nove dictum, pro contraxit atque imminuit, ut *corripere viam*, *corripere ſpatium* Virgil. & alii, & *correptas ſyllabas* vocant grammatici, quod, breves cum ſint, citius pronuncientur.

Mercedib. ſcenicor. reſciſſis.] Duo optimi codd. *reciſis*, ut Calig. cap. XLIV. *commoda emeritæ militiæ ad ſummam ſexcentorum millium recidit.* & cap. LV. *mirmillonum armaturas recidit*, non *reſcidit*, ut in vulgatis. Horat. lib. II. Sat. II.

Integris opibus novi non latius uſum
Quam nunc acciſis.

Sed & Capitolin. M. Antonino ſic ſcribit: *Temperavit etiam ſcenicas donationes, jubens ut quinos aureos ſcenici acciperent, ita tamen, ut nullus editor decem aureos egrederetur. Scenicas donationes* vocat, quas Sueton. *mercedes*, Ulpian. *præmia* l. II. De his qui notantur infamia. Quod vero *editores* a *ſcenicis* diſtinguit, id ita intelligendum eſt, ut *ſcenici* ſint, qui rei ludicræ cauſa in ſcenam ipſi acturi prodeunt; *editores* vero (ni fallor) qui ſuſcepta edendæ fabulæ provincia, puta ab ædilibus, hiſtrionum porro opera mercede utebantur. Quales forte in Terentii fabulis L. Ambivius Turpio, L. Atilius Præneſtinus, Minucius Protimus. Non ignoro tamen Donatum aliter ſenſiſſe. *Scenici* ergo merces aurei quinque, *editoris* decem. Qua de re viri docti cogitent.

Treſque mullos XXX M. *nummum.*] Miror id Plinium tacuiſſe, cum Cajo Principe ab Aſinio Celere emptum unum VIII. millibus ſcripſerit lib. IX. cap. XVII. & ut Juvenal. de Criſpino, *mullum ſex millibus emit.* Vide, ſi lubet, Beroaldum hic, & quæ notata mihi ad Horat. lib. II. Sat. II.

Senat. arbitr. quotannis temp.] Sic Tiberio Principe inopia chartæ factum eſt, ut e ſenatu darentur arbitri diſpenſandi. Plin. lib. XIII. cap. XIII. Verum id extra ordinem tunc factum. Sed enim reip. tempore annonam macelli cenſores temperabant, dicti ab eo, ut ait Feſtus, *quod rem ſuam quiſque ſolitus ſit tanti æſtimare, quantum illi cenſuerant.* Exemplum de P. Craſſo & L. Cæſare cenſoribus apud Plinium lib. XIV. cap. XIV. Quanquam & ædiles ejus rei curam gerebant, & interdum etiam præfecti annonæ extra ordinem creabantur. Sub Cæſarib. vero ad præfectum Urbis ſpectabat cognitio, ut res juſto pretio venderentur. L. I. De off. Præf. Urb.

Ne opera quidem piſtoria.] Opera intelligo a piſtoribus, quos dulciarios vocabant, confecta. Martial. Apophor CCXXII.

Mille tibi dulces operum manus iſta figuras
Exſtruit, huic uni parca laborat apis.

Lamprid. Elagabalo: *Dulciarios, & lactarios tales habuit, ut quæcunque coqui de diverſis edulibus exhibuiſſent, vel ſtructores, vel pomarii, illi modo de dulci, modo de lacte exhiberent.* Adde Julium Firmicum lib. VIII. cap. II.

CASAUBON.

34. *Corinthiorum vaſorum pretia.*] Vide Tacitum II. Annal. in actis anni DCCLXXV.

Annonamque macelli ſenatus arbitratu quotannis temperandam: dato ædilibus negotio, pop.] Prorſus contraria his ſcribit Tacitus III. A. 55. *Auditis Cæſaris literis, remiſſa ædilibus talis cura: luxuſque menſæ, a fine Actiaci belli ad ea arma, quis Ser. Galba rem R. adeptus eſt, per annos centum profuſis ſumptibus exerciti, paulatim exolevere.*

Pridiana ſæpe ac ſemeſa obſonia appoſuit.] Sextus Aurelius de Alexandro Severo: *Hujus mater eo filium coegerat, ut illata quamvis permodica, ſi menſæ prandioque ſupereſſent, quamvis ſemeſa, alteri convivio reponerentur.* Sic ſcribendus ille locus ex Hiſtoria miſcella.

VARIOR.

34. *Ganeaſque.*] Loca illa, in quibus homines vino & epulis & veneri deſidiæque operam dabant, veteribus *luſtra* & *ganea*, recentioribus Latinis *tabernæ* dicebantur. Sed male *ganeum* antiquiores grammatici ἀπὸ τῆς γᾶς deducunt. nam *ganeum* pura puta vox Græca eſt. dicunt enim illi γάνειον. γάνος & γάνειον idem, ut δάνος & δάνειον. γάνεια autem vocabant loca voluptaria, in quibus lætæ vitæ homines

blicam exemplo quoque juvaret, ſolennibus ipſe cœnis prædiana ſæpe ac ſemeſa obſonia appoſuit, dimidiatumque aprum: affirmans, *omnia eadem habere quæ totum.* Quotidiana oſcula prohibuit edicto: item ſtrenarum commercium, ne ultra Kalend. Januarias exerceretur. Conſueverat & quadruplam ſtrenam & de manu reddere: ſed offenſus interpellari ſe toto menſe ab iis, qui poteſtatem ſui die feſto non habuiſſent, ultra

nes ventri & libidini vacabant. *γάνος* enim lætitiam & gaudium etiam vocabant, & *γάνυμαι gaudeo.* Heſychius: *Γάνεια, κήπους· γάνος, παράδεισος, χάρμα, ἡδονή.* SALMASIUS.

TORRENT.

Semeſa obſonia appoſ. dimidiatumque aprum.] E lib. uno abeſt dictio *obſonia*, alter etiam *dimidiatum* habet, ſine *que*. Lego igitur: *Solennibus ipſe cœnis pridiana ſæpe ac ſemeſa appoſuit, dimidiatum aprum: affirmans omnia eadem habere, quæ totum.* Non immerito igitur Juvenal. exclamat,

--- *quanta eſt gula, quæ ſibi totos*
Ponit apros?

Et veteres laudat Horat. qui vel rancidum aprum advenienti de improviſo hoſpiti ſervare mallent, quam integrum una cœna devorare, ac nihil inde ſeponere. hæc enim loci illius ſententia eſt, *Rancidum aprum antiqui laudabant*, &c. lib. II. Sat. II. *Solennes* vero *cœnas* vocat Sueton. cum privatas, tum publicas, quæ recepto civitatis more communi lætitia celebrabantur. Horat. dicta jam Sat. II.

- - - *licebit*
Ille repotia, natales, aliosve dierum
Feſtos albatus celebret.

Adde Saturnalia, Hilaria, Apollinaria.

Quotidiana oſcula.] Beroaldo aſſentior, ut ea tantum oſcula prohibuerit Tiberius quæ paſſim ab obviis ſumma, ut Martial. lib. XI. Epigr. XXIX. conqueritur, moleſtia dabantur. Atqui cognatorum oſcula ſemper honeſtiſſima fuere, uti & amicorum. Plutarch. Probl. VI. Cic. ad Atticum lib. XII. epiſt. I. Capitolin. M. Antonino, *Junium Ruſticum præcipue reveritus eſt, cui etiam ante præfectos prætorio oſculum dedit.* Adde Suetonium Cæſ. cap. XIII. Claud. cap. XXVI. Ner. cap. XXXVII. Oth. cap. VI. Domit. cap. XII. Tiberium ſane in dandis oſculis parciorem fuiſſe, jam ante didicimus, cum Rhodum iturus paucos admodum oſculatus ſit in digreſſu. At Cajus plane præpoſterus, qui cum palam quotidie hiſtrionibus oſcula daret, ac nonnullis e populo, pleriſque ſenatorum manum tantum, aut pedem porrexerit. Dion. Contra de Trajano Plin. Panegyr. *Gratuum erat cunctis, quod ſenatum oſculo exciperes, ut dimiſſus oſculo fueras.* & paulo poſt: *Non tu civium amplexus ad pedes tuos deprimis, neque oſculum manu reddis.*

CASAUBON.

Affirmans, omnia eadem habere quæ totum.] Ex intima philoſophia promptum eſt hoc dictum: & profecto videtur Tiberius ingenioſe ad ciborum ſapores referre ſcholæ Hippocraticæ dogma, de quo medicos diſſerentes audiverat. Hippocratis placitum eſt, omnium in animali partium eam eſſe conſenſionem inter ipſas, ut nulla pars ſit aliarum principium, ſed in ſingulis omnia ineſſe quæ in una aliqua. Initio libri de Locis in Homine, ſcribit divinus ſenex: *Ἐμοὶ δοκέει ἀρχὴ μὲν οὖν οὐδεμια εἶναι τοῦ σώματος, ἀλλὰ πάντα ὁμοίως ἀρχὴ καὶ πάντα τελευτή· κύκλου γὰρ γραφέντος ἀρχὴ οὐχ εὑρέθη.* Hanc autem partium mutuam affectionem ipſe appellat *ὁμοεθνίην*, quaſi *gentilem quandam cognationem* dicas. Ait igitur libro eodem: *Τοῦ σώματος τὸ σμικρότατον πάντα ἔχει ὅσα περ καὶ τὸ μέγιστον.* & mox: *Ἐν τῷ σμικροτάτῳ πάντα ἔνι τὰ μέρεα.* quæ fere ſunt Tiberii verba, etſi mens alia.

Quotidiana oſcula prohibuit edicto.] Arbitror Tiberium *minime comem Imperatorem*, ut eum Plinius vocat, cum oſcula quotidiana gravaretur, ne ſuperbiæ hoc ipſi tribueretur, ſi ſolus conſuetudinem aſpernaretur, edictum hoc promulgaſſe. Puto etiam Valer. Max. qui aſſentatione ejus Principis parum Vellejo concedit, in Tiberii gratiam hæc ſcripſiſſe lib. II. *Ne Numidiæ quidem reges vituperandi, qui more gentis ſuæ nulli mortalium oſculum ferebant. Quicquid enim in excelſo faſtigio poſitum eſt, humili & trita conſuetudine, quo ſit venerabilius, vacuum eſſe convenit.*

Item ſtrenarum commercium.] Strenas & dandi accipiendique ſtrenarum nomine vices. Sic lib. IV. *commercium mutui ſtupri.* & apud Valer. Max. lib. V. *dandi & accipiendi beneficii commercium.* apud Solinum, *ſpiritalia commercia*, pro ſpirationis & reſpirationis viciſſitudine. Paullo aliter dictum a ſummo Vate, *belli commercia Turnus Suſtulit iſta prior.* De hoc autem edicto Tiberii Dionis verba ſunt in anno DCCLXX. *Ὁ Τιβέριος, ἐπειδὴ καὶ μετὰ τὴν νουμηνίαν τινὲς ἀργύριον αὐτῷ προσήνεγκαν, οὔτε ἐδέξατο, καί τι καὶ γράμμα περὶ αὐτοῦ τούτου ἐξέθετο, ῥήματί τινι μὴ Λατίνῳ χρησάμενος.* *Strenas* vocat Dio *ἀργύριον* & hic & alibi, nimis laxa appellatione: ſed vocem Latinæ parem Græci non habent. At Græci magiſtri finxerunt vocem appoſitiſſimam Romanæ conſuetudini exprimendæ. Gloſſarium: *Strenua, εὐχαρισμὸς, θαλλός.* Scribe *Strena*, & confer interpretationem cum verbis Feſti: *Strenam vocamus, quæ datur die religioſo ominis boni gratia.* Vide, quæ obſervamus in Animadverſionibus in Athenæum libro III. cap. XVIII.

ultra non reddidit. Matronas proſtratæ pudicitiæ, quibus accuſator publicus deeſſet, 35
ut propinqui more majorum de communi ſententia coërcerent, auctor fuit. Equiti Rom. jurisjurandi gratiam fecit, ut uxorem in ſtupro generi compertam dimitteret, quam ſe numquam repudiaturum ante juraverat. Fœminæ famoſæ, ut ad evitandas

XVIII. In Liſſ. cod. *ſtrenua* pro *ſtrena* ſcriptum hic reperi, ut in Gloſſ.

TORRENT.

Ultra non reddidit.] Tres libri *ultra non tulit.* Scilicet interpellari ſe ultra Kal. Jan. aut ne Kalendis quidem, ut de manu redderet, acciperetve, quod Dion. videtur innuere. Mirum vero quadruplam ſtrenam dare ſolitum Tiberium, cum Auguſtus tantundem, aut duplum tantum, ſi recte memini. *De manu* autem, id eſt, non per diſpenſatorem.

35. *Majorum more.*] Liber opt. *more majorum.* quo nempe, teſte inter alios Dionyſio, ſervatum fuit, ut maritus una cum cognatis de uxore adultera cognoſceret. At vero legibus, quibus nunc utimur, marito quidem & patri certo tempore accuſandi adulteram poteſtas præ ceteris tribuitur: quin & marito, qui uxorem ſciens delinquere patitur, quive deprehenſam in adulterio retinet, neque matrimonii contaminatione movetur, gravis etiam pœna infligitur: verum ut eam ipſe coërceat, non permittitur, cum ne deprehenſam quidem cum adultero aliter quam certis cautionibus occidere liceat.

Jurisjurandi gratiam fecit.] Vide Aug. cap. XVI. Quanquam hoc loco *jurisjurandi gratiam facere* ſic interpretor, ut declaraverit Tiberius eum jurejurando non teneri, nec non a perjurio abſolverit. nam juramentum de uxore adultera non repudianda, quod turpe ac contra leges ſit, pro nullo habetur. Juriſconſulti tamen *gratiam jurisjurandi facere* dicunt, ſive delatum jam, acceptumque remittitur, ne præſtetur, ſive a jam præſtito quis liberatur. L. VI. De jurejur. & l. XXXVIII. Ad municipalem.

Feminæ famoſæ.] Mulieres infames, tanquam indignæ cenſura legum, lege Julia de adulteriis non tenebantur; eademque ratione & viri, qui infames erant, impune in ſcena atque arena verſabantur. Tiberius vero eos, easve, qui, quæve (ut leges, ac ſenatusconſulta eluderent) ſponte notam infamiæ ſubiiſſent, exilio affecit. Poſtea vero obtinuit, ut nihilominus iis etiam legibus, quas quæſita infamia eludere conati fuerant, tenerentur. Qua de re Papinian. lib. x. de Adult. *Mulier* (inquit) *quæ evitandæ pœnæ adulterii gratia lenocinium fecit, aut operas ſuas ſcenæ locavit, adulterii accuſari, damnarique ſenatusconſulto poteſt.* Senatusconſultum autem de opera ſcenæ non locanda ſub Auguſto factum fuiſſe & Dion alicubi nos docuit, & ex Suetonio colligimus cap. XLIII. his verbis: *Ad ſcenicas, & gladiatorias operas equitibus Romanis uſus eſt, verum priusquam SC. prohiberetur.* Adde Suetonii locum Domit. cap. VIII. De famoſis vero feminis ita Tacit. lib. II. *Eodem anno gravibus ſenatus decretis libido feminarum coërcita, cautumque ne quæſtum corpore faceret, cui avus, aut pater, aut maritus eques Rom. fuiſſet. nam Veſtilia, prætoria familia genita, licentiam ſtupri apud ædiles vulgaverat, more inter veteres recepto, qui ſatis pœnarum adverſus impudicas in ipſa profeſſione flagitii credebant.*

CASAUBON.

Ultra non reddidit.] Quidam codd. *tulit.* Notat eo libro Dio ſub principium: Τȣ́τȣ ἕνεκα ἔξω πȣ ταῖς νȣμηνίαις διῆγε, ἵνα ἀργύριον παρ' αὐτῶν μὴ λαμβάνῃ. ȣ̓δὲ γὰρ ȣ̓δὲ τὸν Ἄυγȣςον ἐπὶ τȣ́τῳ ἐπῄνει διὰ τὸ πολλὴν μὲν δυσχέρειαν ἐν αὐτῷ, πολλὴν δὲ καὶ ἀνάλωσιν ἐκ τῆς ἀντιδόσεως γίγνεσθαι.

35. *Matronas proſtratæ pudicitiæ, quibus acc.*] Nullum jus novum hoc edicto inſtituitur, ſed mos majorum deſuetudine abolitus in uſum revocatur. nam olim liberum fuiſſe maritis & cognatis privato concilio in nocentes fœminas animadvertere, nemo neſcit. huic autem edicto Tiberii videtur præbuiſſe occaſionem Titidius Labeo, quem narrat Tacitus Annal. lib. II. 85. fuiſſe accuſatum, *quod in uxore Veſtiliæ delicti manifeſta ultionem legis omiſiſſet.* Factum id Romæ Coss. Silano & Nolano.

Equiti Rom. jurisjurandi gratiam fecit.] Memini Jacobum Cujacium ad Novellam LI. De mulieribus ſcenicis, tractare hunc locum. Quare inde petatur cenſeo illius explicatio.

VARIOR.

35. *Equiti Rom. jurisjurandi gratiam fecit.*] Nam Principum erat olim gratiam facere jurisjurandi, l. ult. in princ. D. ad municip. ac conſequenter dare reſtitutionem in integrum. Cæterum generaliter proditum eſt, ex turpibus obligationibus actionem non naſci: quia jusjurandum contra bonos mores nullius eſt momenti. Dion. Halic. lib. II. Θεοὶ γὰρ ἐπὶ καλαῖς καὶ δικαίαις παραλαμβάνεσθαι φιλȣ̃σιν ὁμολογίαις, ȣ̓κ ἐπ' αἰσχραῖς καὶ ἀδίκοις. CUJACIUS.

Jurisjurandi.] Cod. Salmaſii *jusjurandi.* & in eodem ſtatim abeſt, τὸ *ut.* ſic enim in illo legitur: *Equiti Romano jusjurandi gratiam fecit, uxorem in ſtupro generi compertam dimitteret.*

Fœminæ famoſæ.] Illud *famoſæ* videtur abundare. Sane non habetur in V. C. in quo paullo poſt pro *refugium* legitur *perfugium.* Et deinde, *Quod uxorem pridie ſortitionis.* F. URSINUS.

TOR-

das legum pœnas jure ac dignitate matronali exſolverentur, lenocinium profiteri cœperant: & ex juventute utriuſque ordinis profligatiſſimus quiſque, quo minus in opera ſcenæ arenæque edenda ſenatuſconſulto tenerentur, famoſi judicii notam ſponte ſubibant. eos eaſque omnes, ne quod refugium in tali fraude cuiquam eſſet, exſilio affecit. Senatori latum clavum ademit, cum cognoviſſet ſub Kal. Julii demigraſſe in hortos, quo vilius poſt diem ædes in urbe conduceret. Alium & quæſtura removit, quod uxorem
36 pridie ſortitione ductam, poſtridie repudiaſſet. Externas cæremonias, Ægyptios Judaïcoſque ritus compeſcuit: coactis qui ſuperſtitione ea tenebantur, religioſas veſtes cum inſtrumento omni comburere. Judæorum juventutem, per ſpeciem ſacramenti, in provincias gravioris cœli diſtribuit: reliquos gentis ejuſdem, vel ſimilia ſectantes, urbe ſubmovit, ſub pœna perpetuæ ſervitutis, niſi obtemperaſſent. Expulit & mathematicos:
37 ſed deprecantibus, ac ſe artem deſituros promittentibus, veniam dedit. In primis tuendæ

TORRENT.

Cum cognoviſſet.] Libri MSS. duo *quem cognoſſet*, unus etiam *Kal. Januarii*, pro *Julii*. Verum ut illud *quem cognoſſet* probo, ſic *Julii* retineo. eo enim fere die ædes a commigrantibus mutabantur. Cic. quadam ad Q. fratrem epiſtola, quam Beroaldus citat, & Martial. pulcherrimo illo Epigrammate, *O Juliarum dedecus Kalendarum!* XXXII libri XII.

Uxorem pridie ſortitione ductam.] Turneb. Adverſar. XIV. cap. XXII. *pridie ſortitionem*, ut *pridie Calendas*, legit, ſortitionem provinciæ intelligens, ex qua quæſtor ille ingens lucrum ſperans, uxorem, quam forte minus locupletem pridie duxerat, poſtridie repudiaverit. Alii ſimiliter *pridie ſortitionis*, aut *ſortitionem* legunt, ſed ad legem Papiam referunt; quæ cum cælibes a magiſtratu arceret, homo hic quam ante ſortitionem provinciarum duxerat, obtenta jam provincia ablegarit. Et non negaverim quidem lege Papia plus commodi etiam ex provinciis accedere illis, qui uxorem & liberos habeant; magis tamen mihi Beroaldi ſententia placet, ut ideo hic (quicunque fuerit) a quæſtura motus ſit, quod pari levitate & ſorte veluti per ludum uxorem duxerit, & ductam rejecerit. ſic enim & apud Plautum Chalinus & Olympio conjectis in ſitellam ſortibus pro Caſina ſortiuntur. Nec diſſimile exemplum refertur apud Sueton. Cæſ. cap. XLIII.

36. *Religioſas veſtes.*] Vide Domit. cap. I. *Iſiaco celatus habitu.*

Provincias gravioris cœli.] Joſephus lib. XVIII. Antiq. quo modo, & qua de cauſa Judaicos, Ægyptioſque ritus compeſcuerit Tiberius, prolixe narrans, inter alia Judæorum quatuor millia miſſa in Sardiniam tradit. Atqui ejus inſulæ æſtivis maxime menſibus intemperies, vel Livio & Strabone teſtibus, in proverbium abiit. Notum illud Martial.

Nullo fata loco poſſis excludere, cum mors
Venerit, in medio Tibure Sardinia eſt.

Tibur ſaluberrimum Sardiniæ opponit peſtilenti.

Artem deſituros.] Sic Gellius loquitur lib. XV. cap. XV. & cap. ult. ipſe Cic. Epiſt. ad Marium lib. VII. *libenter hercle artem deſinerem.* De mathematicis autem eleganter Tacit. lib. II.

CASAUBON.

Lenocinium profiteri cœperant.] Apud ædiles, cujus moris cauſſam erudite explicat Lipſius ad Tacitum II. Annal. vide etiam Tertullianum de Pallio.

Pridie ſortitionem ductam.] Ita Memmianus recte, non *ſortitione.*

36. *Judaicoſque ritus compeſcuit.*] Calumniis Sejani impulſus. fuſe Philo Judæus Orat. ad Cajum. Vide Cornelium Tacitum in anno eorundem Conſulum, & Joſephum.

Coactis qui ſuperſtitione ea tenebantur.] Intelligo de civibus tantum Romanis: neque enim Judæis ſuam religionem ivit ereptum Tiberius.

37. *Inprimis tuendæ pacis a graſſaturis ac latrociniis ſeditionumque licentia curam habuit.*] Huc refero, quod de Tiberio Philo ſcribit: Ὁ μηδὲν σπέρμα πολέμου, μήτε κατὰ τὴν Ἑλλάδα, μήτε κατὰ τὴν βάρβαρον ὑποτυφόμενον ἐάσας, τὴν δὲ εἰρήνην καὶ τὰ τῆς εἰρήνης ἀγαθὰ παρασχόμενος ἄχρι τῆς τοῦ βίου τελευτῆς ἀφθόνῳ καὶ πλευνστίῳ χειρὶ καὶ γνώμῃ.

VARIOR.

Profiteri cœperant.] Apud ædiles. Nam, ut hic de lenocinii, ſic apud Tacitum de ſtupri profeſſione legimus, Ann. II. *Veſtilia licentiam ſtupri apud ædiles vulgaverat, more inter veteres recepto, qui ſatis pœnarum adverſum impudicas in ipſa profeſſione flagitii credebant.* Apparet autem, in ſtupra matronarum ordinis primi aut ſecundi graviter ſemper animadverſum, ad ſervandum publicum decus: non tam graviter in libertinarum aut e plebe, quibus hæc militia Venerea moribus tantum non permiſſa: quod vel ex Horatio, Ovidio, aliiſque liquere poteſt. Sed & illud patet, cuivis fœminæ licitum fuiſſe

dæ pacis a graſſaturis ac latrociniis ſeditionumque licentia curam habuit. Stationes militum per Italiam ſolito frequentiores diſpoſuit. Romæ caſtra conſtituit, quibus Prætorianæ cohortes, vagæ ante id tempus, & per hoſpitia diſperſæ, continerentur. Populares tumultus exortos graviſſime coërcuit: & ne orirentur, ſedulo cavit. Cæde in theatro per diſcordiam admiſſa, capita factionum & hiſtriones, propter quos diſſidebatur, relegavit: nec ut revocaret, umquam ullis populi precibus potuit evinci. Cum Polentina plebs funus cujuſdam primipilaris non prius ex foro miſiſſet, quam extorta pecunia per vim heredibus ad gladiatorium munus: cohortem ab urbe, & aliam a Cottii regno, diſſimulata itineris cauſſa, detectis repente armis, concinentibuſque ſignis, per diverſas portas in oppidum immiſit: ac partem majorem plebei ac decurionum in perpetua vincula conjecit. Abolevit & jus, moremque aſylorum, quæ uſquam erant. Cyzicenis in cives Romanos violentius quædam auſis, publice libertatem ademit, quam Mithridatico bello meruerant. Hoſtiles motus, nulla poſtea expeditione ſuſcepta, per legatos compeſcuit, nec per eos quidem, niſi cunctanter & neceſſario. Reges infeſtos ſuſpectoſque comminationibus magis & querelis quam vi repreſſit. Quoſdam per blanditias atque promiſſa extractos ad ſe non remiſit: ut Maraboduum Germanum, Thraſcypolim Thracem, Archelaum

ſe vulgare corpus, modo apud ædiles id profiteretur. Quæ tamen profeſſio irrita facta poſtea ex nova lege, eleganterque ad hanc rem Papinianus l. x. de Adult. *Mulier quæ evitandæ pœnæ adulterii gratia lenocinium fecit, aut operas ſuas ſcenæ locavit, adulterii accuſari damnarique ſenatusconſulto poteſt.* LIPSIUS.

Alium & quæſtura removit.] MS. Salmaſ. *Alium a quæſtura removit.*

TORRENT.

37. *A graſſaturis.*] Vide Aug. cap. XXXII. & Oth. cap. VI.

Vagæ ante id tempus.] Auguſtus enim, qui primus partim in ſui, partim in Urbis cuſtodiam cohortes allegerat, ſine caſtris per domos diſperſas habuit. Sup. cap. XLIX. & Tacit. lib. IV. ubi de Sejano. Plin. lib. IV. cap. V. caſtra prætoria prope muros Urbis locata fuiſſe indicat. Quod verum eſſe, & quidem non procul a via Nomentana, colligimus ex Suetonio Ner. cap. XLVIII. Adde Capitolini Balbinum, ſi lubet.

Hiſtriones, propter quos diſſidebatur.] Ut olim propter Pyladem & Bathyllum, Aug. cap. XLV.

Cum Polentina plebs.] Meliores codices *Pollentina.* Plures autem Pollentiæ (a pollendo, ut a valendo Valentia, ſic dictæ) fuerunt, ſed eam intelligere Suetonium quæ juxta Alpes erat, indicio eſt id quod de Cotio Rege ſequitur, a quo Alpes Cotiæ appellantur. Hujus vero Pollentiæ lanarum nobilitatem commendat Plin. lib. VIII. cap. XLVIII.

Moremque aſylorum.] Plenius de aſylis Tacit. lib. III. modum aſylis præſcripſiſſe Tiberium, non ea aboleviſſe commemorans.

Cyzicenis.] His libertatem & Auguſtus ademerat, ſed poſtea reſtitutam iterum ademit Tiberius. Aug. cap. XLVII. Vide Dionem.

Maraboduum Germ. Thraſypolin Thracem.] Libri noſtri *Marabodum*, aut *Marobodum*, & *Thraſcypolum*, vel *Raſcipolim.* Melius, ni fallor, Dion & Tacitus *Reſcuporim*, & *Raſciporim* vocant. Cujus nominis, uti & Marabodi, certa noſtro idiomate etymologia eſt. Fuere & ante hunc alii eodem nomine in Thracia reges, quos Cæſar lib. III. de Bello Civili, & Lucan. lib. V. & Appian. & Dion commemorant. Vide, ſi lubet, Turnebum Adverſar. XIV. cap. XVII.

CASAUBON.

Aliam a Cottii regno.] Regnum Cottii eſt, quam Strabo Κοττίου γῆν vocat in gentium Inalpinarum deſcriptione. Male præeunt, qui *Cotis* ſcribi volunt. Cotys longe alius a Cotto, vel Cottio.

Abolevit & jus moremque aſylorum, quæ uſquam erant.] Si vere hæc Suetonius, ſequitur, ut poſt hæc tempora nulla uſquam templa fuerint in toto imperio Romanorum aſyli jure prædita. Sane apud Pauſaniam in deſcriptione Græciæ obſervamus, quoties fere de hoc jure templi alicujus auctor loquitur, dici id olim fuiſſe, hoc eſt, jam non eſſe. an propter hanc Tiberii legem? Sed Tacitus, qui fuſe rem narrat lib. III. modum huic rei dicit adhibitum, non autem jus omne penitus ſublatum: quod nec ſit veriſimile.

Thraſcypolim Thracem.] Scio Græcos Ῥασκύποριν nominare, ut Dionem: ſed conſtanter per *Th.* MSS. noſtri. Liſſ. quidem diſerte *Thraſcypolim.* Viterb. vero *Thraſibolum.*

TOR-

38 chelaum Cappadocem, cujus etiam regnum in formam provinciæ redegit. Biennio continuo poſt adeptum imperium pedem porta non extulit: ſequenti tempore, præterquam in propinqua oppida, & cum longiſſime, Antio tenus nuſquam abfuit: idque perraro & paucos dies, quamvis provincias quoque & exercitus reviſurum ſe ſæpe pronuntiaſſet: & prope quotannis profectionem pararet, vehiculis comprehenſis, commeatibus per municipia & colonias diſpoſitis. Ad extremum vota pro itu & reditu ſuo ſuſcipi paſſus, ut vulgo jam per jocum *Callipides* vocaretur: quem curſitare ac ne cubiti quidem menſuram
39 progredi proverbio Græco notatum eſt. Sed orbatus utroque filio, quorum Germanicus in Syria, Druſus Romæ obierat, ſeceſſum Campaniæ petiit: conſtanti & opinione & ſermone pæne omnium, quaſi neque rediturus umquam, & cito mortem etiam obiturus: quod paullo minus utrumque evenit. Nam neque Romam amplius rediit: ſed & paucos poſt dies juxta Terracinam in prætorio, cui ſpeluncæ nomen erat, incœnante eo, complura & ingentia ſaxa fortuito ſuperne delapſa ſunt: multiſque convivarum & mini-
40 ſtrorum eliſis, præter ſpem evaſit. Peragrata Campania, cum Capuæ Capitolium, Nolæ templum Auguſti, quam cauſſam profectionis prætenderat, dedicaſſet, Capreas ſe contulit:

TORRENT.

38. *Nuſquam abfuit.*] Tres libri *nunquam*, & *afuit*, ut fere ſemper.

Pro itu & reditu.] Frequens in nummis, & marmoribus locutio.

Callipides.] Plutarch. Apophthegm. Cic. lib. XVI. ad Atticum epiſt. XII. *Biennium præteriit, cum ille καλλιπίδης aſſiduo curſu cubitum nullum proceſſerit.*

39. *Sed & paucos poſt dies.*] Liber unus *& paucos poſt dies*, ſine *ſed*.

In prætorio.] Tacit. lib. IV. villam vocat. Sed Juriſconſulti noſtri pro parte villæ ad uſum patrisfamilias lautius ædificata *prætorium* accipiunt, qua ſignificatione uſus eſt hic Sueton. Adde locum Auguſt. cap LXXII. Calig. cap. XXXVII. Tit. cap. VIII. Juvenal. Sat. I.

Criminibus debent hortos, prætoria.

Statius lib. I. Silv. *alternas ſervant prætoria ripas*, & Statium imitatus Auſonius, *alternas comunt prætoria ripas.* Tertullian. quoque lib. de Idololat. *voluptati ſervientia prætoria.* Adde Palladium lib. I. cap. VIII.

Incœnante eo.] More ſuo ſic loquitur Sueton. ut cap. LXXII. *inſtans in triclinio.* Atqui *incœnatus* Plauto & Catoni dicitur is, qui cœnatus non ſit.

Fortuito.] Liber opt. *fortuitu.* *Superne* autem *collapſa* dicit, ut Horat. lib. II. Od. ult. *album mutor in alitem Superne:* & lib. II. Sat. VII. *peccatve ſuperne*, pro de ſublimi loco. Sed & Epod. II. *ſupernum* vocat Tuſculum, quod in edito ſitum ſit.

40. *Capreas ſe contulit.*] Nulla alia re quam Tiberio nobiles, quanquam & Auguſtus ea inſula delectatus ſit, cap. XCVIII.

CASAUBON.

Cujus etiam regnum in provinciæ formam redegit.] Strabo lib. XII. Τελευτήσαντος τὸν βίον Ἀρχελάȣ τȣ͂ βασιλεύσαντος ἔγνω Καῖσαρ τε καὶ ἡ σύγκλητος ἐπαρχίαν εἶναι Ῥωμαίων τὴν μεγάλην Καππαδοκίαν. & Tacitus non uno loco, aliique hiſtorici.

38. *Et prope quotannis profectionem pr æpararet.*] Tacitus non minus eleganter quam vere Annal. lib. I. *Ceterum ut jam jamque iturus legit comites, conquiſivit impedimenta, adornavit naves. Mox hiemem aut negotia varie cauſſatus, primo prudentes, dein vulgum, diutiſſime provincias fefellit.* Vide eundem in actis anni DCCLXIII. lib. III. & lib. IV. initio. ſic ait idem magnus ſcriptor: *Exin vetus & ſæpe ſimulatum proficiſcendi in provincias conſilium refertur.*

39. *Conſtanti & opinione & ſermone pæne omnium, quaſi neque rediturus unquam.*] Tacitus IV. 58. *Ferebant periti cœleſtium, iis motibus ſiderum exceſſiſſe Roma Tiberium, ut reditus illi negaretur. Unde exitii cauſſa multis fuit properum finem vitæ conjectantibus vulgantibuſque.*

Incœnante eo, complura & ingentia ſaxa fortuito ſuperne delapſa ſunt.] Placet nimis iſta lectio, quam adverſus eruditiſſimorum hominum ſententiam firmat ſuper conſenſum MSS. omnium, etiam Turonenſis, auctoritas Latine loquentium: nam ut noſter *incœnare* pro ἐνδειπνεῖν ſive *intus cœnare* poſuit, ſic Columella *impaſci* pro ἐννέμειν, aut ἐννέμεσθαι, lib. II. cap. XVIII. *Ac neque ſuem velimus impaſci, quoniam roſtro ſuffodiat & ceſpites excitet.* lib. VI. cap. V. *Itaque cum ablegabuntur, in ea loca perducendi ſunt, quibus nullum impaſcitur pecus.* Sic apud Statium lib. VIII. Thebaid. *inſervare:*

An tibi felices lucos miſeratus Averni
Rector, & Elyſias dedit inſervare volucres?

tulit: præcipue delectatus inſula, quod uno parvoque littore adiretur, ſepta undique præruptis immenſæ altitudinis rupibus, & profundo maris. Statimque revocante aſſidua obteſtatione populo, propter cladem, qua apud Fidenas, ſupra xx. hominum milia, gladiatorio munere, amphitheatri ruina perierant, tranſiit in continentem, poteſtatemque omnibus adeundi ſui fecit: tanto magis quod ab urbe egrediens, ne quis ſe interpellaret, edixerat, ac toto itinere adeuntes ſubmoverat. Regreſſus in inſulam, Reip. 41
quidem curam uſque adeo abjecit, ut poſtea non decurias equitum umquam ſupplerit: non tribunos militum præfectoſque, non provinciarum præſides ullos mutaverit: Hiſpaniam & Syriam per aliquot annos ſine conſularibus legatis habuerit: Armeniam a Parthis occupari, Mœſiam a Dacis Sarmatiſque: Gallias a Germanis vaſtari neglexerit: magno dedecore imperii, nec minori diſcrimine. Cæterum ſecreti licentiam nactus, & quaſi 42
civitatis oculis remotus, cuncta ſimul vitia, male diu diſſimulata, tandem profudit: de quibus ſigillatim ab exordio referam. In caſtris tiro etiam tum, propter nimiam vini aviditatem, pro Tiberio, *Biberius:* pro Claudio, *Caldius:* pro Nerone, *Mero* vocabatur. Poſtea Princeps in ipſa publicorum morum correctione cum Pomponio Flacco

TORRENT.

XX hom. M.] Sic & Oroſius. Tacit. lib. IV. *L millia occiſa, vel obtrita.*

Ab urbe egrediens.] Duo libb. *Urbe egrediens*, ſine *ab.*

41. *Præfectoſque.*] Præfecti multi ſunt, verum hic (opinor) eos intelligit, qui exercitibus rebuſque bellicis præerant. ſiquidem ingenti ſocordia, ut Eutropius ſcribit, nuſquam ipſe pugnavit, ſed bella per legatos geſſit, quales fuere Junius Blæſus, C. Silius, A. Cæcina, & alii.

Sine conſularib. legatis.] Syria, & Hiſpania omnis, excepta Bætica, inter Cæſaris provincias numerantur. Quibus qui præerant, legati Cæſarum vocabantur. l. penult. de Off. Præf. l. IV. de Off. Aſſeſſ. l. x. de Accuſat. Quos conſulares ideo appellat Sueton. quod conſulari imperio præerant, & e conſularibus plerumque ſumebantur. Sed hæc nomina confuſe admodum & promiſcue ab auctoribus uſurpantur, præfecti, proconſules, proprætores, præſides, legati.

42. *Propter nimiam vini aviditatem.*] Proniorem ad merum fuiſſe Tiberium, & in eo vitio Druſum, ejus filium, patrem regeneraſſe ſcribit Plin. lib. XIV. cap. ult. ubi & L. Piſonis, quem commemorat hic Sueton. fit mentio, & ut Sueton. eum *præfectum Urbis* vocat, ſic Plinius *curatorem Urbis*, Seneca vero Epiſt. LXXXIV. *cuſtodem.* Quibus ſane tam ſpecioſis appellationibus officii ejus dignitas & amplitudo ſignificatur. Sed & Juvenal. Sat. IV. de Pegaſo JCto, cum ait, *attonitæ poſitus modo villicus Urbi*, præfectum Urbis quidem eum fuiſſe oſtendit, non ſine amaritudine tamen Urbem tyrannide oppreſſam villæ quodammodo comparans.

Biberius Caldius Mero.] Idem Sex. Aurelius. Et perelegans ſane ad riſum nominum mutatio eſt, de qua Quinctilian. lib. VI. cap. IV.

In ipſa morum correptione.] Libri MSS. *correctione.* recte. loquitur enim de eo tempore, quo, ut ante cap. XXXIII. dictum eſt, ſi qua in moribus labarent, corrigenda ipſe ſuſceperat. Sic Domit. cap. VIII. *ſuſcepta morum correctione.* Alibi *legum morumque regimen*, & *morum præfecturam* appellat. Cic. quoque frequenter hæc conjungit, *corrector & emendator noſter*, *corrector & emendator civitatis*, *correctio & emendatio philoſophiæ veteris.* Notum autem ex Aſconio Pediano regendis moribus civitatis quinto quoque anno cenſores creari ſolitos, apud quos cives Romani accuſari de moribus poſſent. Poſtquam vero creari cenſores deſiiſſent, ei curæ Imperatores ipſi initio præfuerunt; aut alios qui præeſſent, creaverunt, apud quos de moribus judicium ageretur, & maxime inter conjuges. Qua de re Gell. lib. IV. cap. XX. Ulpian. tit. VI. & Paulus de Pactis dotalibus l. V. Adde, ſi lubet, Conſtantini Cæſaris legem Cod. Theodoſiano de Nuptiis. Frequens etiam in declamationibus conjugum de moribus actio.

Cum Pomponio Flacco.] Liber opt. *Pompejo Flacco.* Sed an Flaccus Pompejorum cognomen ſit, neſcio. Pomponius quidam Flaccus Mœſiæ præfectus fuit a Tiberio, ex Tacito lib. II. ac poſtea fortaſſis etiam Syriæ, quæ (ut paullo ante legimus) annis aliquot ſine legatis manſit.

CASAUBON.

40. *Apud Fidenas ſupra xx. hominum millia.*] Non Fidenatium, ne erres: ſed peregrinorum, qui ludorum cauſſa eo convenerant. Nam Fidenæ ea tempeſtate pæne vacuæ incolis fuerunt. Horatius:

> *Scis, Lebedus quam ſit Gabiis deſertior, atque Fidenis vicus.*

Juvenalis:

Hujus

co & L. Piſone noctem continuumque biduum epulando potandoque conſumſit: quo-
rum alteri Syriam provinciam, alteri præfecturam Urbis confeſtim detulit, codicillis
quoque *jucundiſſimos & omnium horarum amicos* profeſſus. Seſtio Gallo libidinoſo
ac prodigo ſeni, olim ab Auguſto ignominia notato, & a ſe ante paucos dies apud Se-
natum increpito, cœnam ea lege condixit, ne quid ex conſuetudine immutaret aut
demeret: utque nudis puellis miniſtrantibus cœnaretur. Ignotiſſimum quæſturæ candi-
datum nobiliſſimis antepoſuit, ob epotam in convivio, propinante ſe, vini amphoram.
Aſellio Sabino HS. ducenta donavit pro dialogo, in quo boleti, & ficedulæ, & oſtreæ,
& turdi certamen induxerat. Novum denique officium inſtituit a voluptatibus, præ-
poſito equite Rom. T. Cæſonio Priſco. Seceſſu vero Capreenſi etiam ſellariam excogi-
43 tavit, ſedem arcanarum libidinum: in quam undique conquiſiti puellarum & exoletorum
greges, monſtroſique concubitus repertores, quos *ſpintrias* appellabat, triplici ſerie con-
nexi,

Hujus qui trahitur prætextam ſumere mavis,
An Fidenarum Gabiorumque eſſe poteſtas?

Ne quis ſe interpellaret, edixerat, ac toto itinere adeuntes ſubmoverat.] Nempe egreſſum ſemel Urbe. Tacitus: *Cæſar, dedicatis per Campaniam templis, quanquam edicto monuiſſet, ne quis quietem ejus irrumperet, concurſuſque oppidanorum diſpoſito milite prohiberentur.*

41. *Non tribunos militum præfectoſque, non provinciarum præſides ullos mutaverit.*] Tacitus I. 83. *Id quoque morum Tiberii fuit, continuare imperia, ac pleroſque ad finem vitæ in iiſdem exercitibus aut juriſdictionibus habere. Cauſſæ variæ traduntur. alii tædio novæ curæ ſemel placita pro æternis ſervaviſſe: quidam invidia, ne plures fruerentur. ſunt, qui exiſtiment* &c. Vide cap. LXVIII.

42. *Quaſi civitatis oculis remotus.*] Veteres quidam *remotis.* probo *remotus*: ut apud Ciceronem, *locus arbitris remotus.*

Cum Pomponio Flacco.] Is eſt, de cujus obitu Tacit. Annal. lib. VI. 27. ubi Syriæ proprætor appellatur.

TORRENT.

Sextio Claudio.] Libri duo *Seſtio Claudio*, alius *Seſtio Gallio*, quartus *Seſtitio Gallio.* Lego itaque, *Seſtio Gallo.* Gallus enim Seſtiorum cognomen fuit.

Utque nullis puellis.] Melius MSS. quatuor, & Frobenii edit. *nudis puellis.*

Aſellio Sabino.] Lib. unus *A. Sellio Sab.* Aſellii cujuſdam fit mentio Calig. cap. VIII. quanquam & ibi non conſentiunt codices.

Eq. Rom. & Cenſorio Priſco.] Sic quidem unus e noſtris, & edit. Gallica; longe plures vero tam MSS. quam vulgati, *Eq. R. T. Ceſonio Priſco.* De qua lectione nemo paulo doctior dubitabit. *Cæſonius* tamen per *æ* ſcribendum. nomen enim familiæ eſt a prænomine *Cæſo*, unde etiam cognomen *Cæſonius*. *Cæſones* vero, uti & *Cæſares*, a cæſo matris utero dicti ſunt. Plin. lib. VII. cap. IX. Feſtus, & Valer. Max. lib. X.

43. *Sellariam excogitavit.*] Lego ex duob. vetuſtiſſimis exemplaribus, *ſellaria.* quam lectionem fatetur Beroaldus quoque. Tacit. lib. V. *Tunc primum ignota ante vocabula reperta ſunt ſellariorum, & ſpintriarum. Sellaria* autem appellata ſellæ ipſæ ad libidinem diſpoſitæ. ſic enim & *ſellaria domus aureæ Neronis* apud Plinium lib. XXIV. cap. VIII. Et *ſellariolas* vocat *popinas* Martial. lib. V. Epig. CXII. in quibus Syriſcus ille de quo loquitur, centies ſeſtertium non lectis accumbendo, ut honeſtos decet, ſed cum nequiſſimis ac viliſſimis hominibus ſedendo abſumpſerat. A ſedendo igitur *ſella*, & inde *ſellaria*, & *ſellariolus*, & *ſellularius*, qui ſedendo opus facit. Livius lib. VIII. Sunt, qui ad meretricum cellas referre malint, ſed recta ſcribendi ratio repugnat. a *celando* enim & in templis & in domibus *cella* appellatur pars aliqua remotior. Unde factum ut ſervorum, ac meretricum manſiunculæ *cellæ* appellentur. Juvenal. Sat. III.

Et dubitas alta Chionem deducere cella.

Et Sat. VI. - - - *ultima cellam*
Clauſit.

Martial. item:

Intraſti quoties inſcriptæ limina cellæ.

Et hinc quoque *cellarium.* Sed de hoc plus ſatis. Vide Calig. cap. XLI.

Spintrias.] Quos ſic appellaverit Tiberius, ex Suetonio manifeſtum eſt. De ratione vero vocabuli non male Sabellicus, ut, quod veluti ſcintillæ & fomites libidinis ſint, ſic appellentur. σπινθῆρα enim Græci ſcintillam vocant. Plura Turneb. Adverſar. V. cap I. & Hieron. Magius Miſcellan. lib. II cap. III. Utitur eo vocabulo Sueton. Calig. cap. XVI. Vitell. cap. III. & Lamprid. Elagabalo.

Triplici ſerie connexi.] Duo codd. *convexi*, an recte, judicent, qui quid ſymplegade ſua velit Martial. rectius intelligunt.

CASAUBON.

Præfecturam Urbis confeſtim detulit.] Non diſſimile exemplum lib. IV. cap. XVIII.

nexi, invicem inceſtarent ſe coram ipſo, ut adſpectu deficientes libidines excitaret. Cubicula plurifariam diſpoſita tabellis ac ſigillis laſciviſſimarum picturarum & figurarum adornavit, libriſque Elephantidis inſtruxit: ne cui in opera edenda exemplar impetratæ ſchemæ deeſſet. In ſilvis quoque ac nemoribus paſſim Venereos locos commentus eſt, proſtanteſque per antra & cavas rupes, ex utriuſque ſexus pube, Paniſcorum & Nympharum habitu: palamque jam & vulgato nomine inſulæ abutentes, *Caprineum* dictitabant. Majore adhuc & turpiore infamia flagravit: vix ut referri au- 44
dirive-

VARIOR.

43. *Monſtroſique.*] Palatini duo meliores primus ac ſecundus *monſtruoſique*, & ita fere expreſſum paſſim id verbum in MSS. antiquioribus, reperiturque rurſus Calig. cap. 16. GRUT.

TORRENT.

Libriſque Elephantidis.] Horum quoque & Martialis, & auctor obſcœni carminis meminerunt.

Exemplar imparatæ ſcenæ.] Turneb. Adverſar. XIV. cap. XVII. *imperatæ ſchemæ*, ut formam concubitus *ſchema* ſignificet; & ſic habet exemplar Tornacenſe, nec mihi ſane diſplicet. Magis tamen placet, quod in vetuſto cod. repperi, *perpetratæ ſchemæ*, ut peracto ſcilicet operi nefario auctoritas ex libellis picturiſque accederet. Veteres autem (quod lib. VI. teſtatur Priſcian.) *ſchemam* pro *ſchemate* dixere genere feminino, ut *glaucomam*, *diademam*, *dogmam*, *ſyrmam*, & ſimilia. Citat Plautum Amphitruone: *Nunc ne ornatum hunc vos meum admiremini, Quod ego huc proceſſi ſic cum ſervili ſchema.* & eundem Perſa, *theatrum lepida condecorat ſchema.* Male igitur Alciat. Parergon. lib. II. *ſchemate* legendum eſſe contendit loco illo Amphitruonis, & pejus alii *tiara ornatum* pro *theatrum* ſubſtituere, totumque verſum corrupere. Quanquam nec Priſcian. eum integrum recenſet. Vet. codex habet, *theatrum lepide condecorat tuum ſchema.* Lego igitur, *lepida condecoras tua ſchema.*

Caprineum dictitabant.] Vel a caprarum fœtore, vel ἀπὸ τοῦ καπρᾶω, ut volunt interpretes. Quod quidem non improbo, mallem tamen pro *Caprineum* legere *Capron eum*, vel *Caprion eum dictitabant.* nam κάπρος, ſeu κάπριος, præterquam quod ad inſulæ nomen alludit, & aprum & id quo viri ſumus ſignificat. Unde καπρᾶν, quod Latine *ſubare* dicimus. Quæ conjectura ſi cui forte diſpliceat, is nulla pæne mutatione ſic legat, *palamque jam eum vulgato nomine inſ. abut. Caprinicum dictitabant*, ut *Balearicum*, *Creticum*, tanquam & ipſe inſulam deviciſſet, in qua a vitiis omnibus turpiſſime victus eſt.

CASAUBON.

43. *Cubicula plurifariam diſpoſita tabellis ac ſigillis laſc.*] Scribe, *diſpoſitis tabellis.* Clemens Alexandrinus Προτρεπτικῷ ad Græcos: Ἀλλ' οὐ ταῦτα φρονοῦσιν οἱ πολλοί· ἀπορρίψαντες δὲ τὴν αἰδῶ καὶ τὸν φόβον, οἴκοι τοὺς τῶν δαιμόνων ἐγγράφονται πασχητιασμούς· πινακίοις γοῦν τισι καταγράφοις μετεωρότερον ἀνακειμένους προσεσχηκότες ἀσελγείᾳ τοὺς θαλάμους κεκοσμήκασι, τὴν ἀκολασίαν εὐσέβειαν νομίζοντες. κἀπὶ τοῦ σκίμποδος κατακείμενοι, παρ' αὐτὰς ἔτι τὰς περιπλοκὰς, ἀφορῶσιν εἰς τὴν Ἀφροδίτην ἐκείνην, τὴν γυμνὴν τὴν ἐπὶ τῇ συμπλοκῇ δεδεμένην. Propertius veriſſime:

Quæ manus obſcœnas depinxit prima tabellas,
Et poſuit caſta turpia viſa domo:
Illa puellarum ingenuos corrupit ocellos,
Nequitiæque ſuæ noluit eſſe rudes.

Meminit & Ovidius in Matæotechnia & Suetonius in vita Horatii. Pie vero & ſapienter Concilii in Trullo patres vetuerunt tabulas pingi laſcivas & τὴν ὅρασιν καταγοητευούσας, ut ſcribitur Canone centeſimo.

Ne cui in opera edenda exemplar impetratæ ſchemæ deeſſet.] Hæc lectio eſt codd. Viterb. Memmii & Pithœi, nec multo aliter Liſlæi: malim tamen *imperatæ ſchemæ.* Schema hic ſignificat, quod apud Clementem in his verbis: Ἤδη δὲ ἀναφανδὸν τῆς ἀκολασίας ὅλης τὰ σχήματα ἀνάγραπτα πανδημεὶ θεώμενοι οὐκ αἰσχύνεσθε. Deinde, ἐπ' ἴσης ἐγγραφόμενοι τὰ Φιλαινίδος σχήματα, ὡς τὰ Ἡρακλέους ἀθλήματα. Legi etiam in Græcorum commentariis hæc verba: Ἀστυάνασσα Ἑλένης θεράπαινα· ἥτις πρώτη ἐξεῦρεν Ἀφροδίτην καὶ ἀκόλαστα σχήματα. Latinorum poetarum nequiſſimus quiſque *figuram* hoc ſenſu ſæpe uſurpavit. Non celabo lectorem, in optimis codd. ita ſcribi hunc locum: *ne cui in opera edenda impuratæ ſcenæ exempla deeſſent.*

Paniſcorum & Nympharum habitu.] Clemens eodem loco: Οἶαι δὲ αὖ καὶ ἄλλαι ὑμῶν εἰκόνες, πανίσκοι τινες, καὶ γυμναὶ κόραι, καὶ σάτυροι μεθύοντες, καὶ μορίων ἐντάσεις, ταῖς γραφαῖς ἀπογυμνούμεναι, ἀπὸ τῆς ἀκρατίας ἐλεγχόμεναι.

Caprineum dictitabant.] Forte, καπρὸν *eum dictitabant.* Sed totum locum ita ſcribo, *palamque jam & vulgo, nomine inſulæ abutentes, Caprinum* (vel *Caprium*) *eum dictitabant.* Quidam codd. *caprona dict.*

VARIOR.

Paniſcorum.] Pan ὑποκριστικῶς dictus Paniſcus. quod

dirive, ne dum credi fas ſit. Quaſi pueros primæ teneritudinis, quos piſciculos vocabat, inſtitueret, ut natanti ſibi inter femina verſarentur, ac luderent: lingua morſuque ſenſim appetentes, atque etiam quaſi infantes firmiores, nec dum tamen lacte depulſos, inguini ceu papillæ admoveret: pronior ſane ad id genus libidinis & natura & ætate. Quare Parrhaſii quoque tabulam, in qua Meleagro Atalanta ore morigeratur, legatam ſibi ſub conditione, ut ſi argumento offenderetur, decies pro ea HS. acciperet: non modo prætulit, ſed & in cubiculo dedicavit. Fertur etiam in ſacrificando quondam captus facie miniſtri, acerram præferentis, nequiſſe abſtinere, quin pæne vix dum re divina peracta, ibidem ſtatim ſeductum conſtupraret, ſimulque fratrem ejus tibicinem, atque utrique mox, quod mutuo flagitium exprobrarant, crura fregiſſe.
45 Fœminarum quoque, & quidem illuſtrium capitibus quantopere ſolitus ſit illudere, evidentiſſime apparuit, Mallonìæ cujuſdam exitu: quam perductam, nec quidquam amplius pati conſtantiſſime recuſantem, delatoribus objecit: ac ne ream quidem interpellare deſiit, *Ecquid pœniteret*: donec ea, relicto judicio, domum ſe arripuit, ferroque tranſegit, obſcœnitate oris hirſuto atque olido ſeni clare exprobrata. Unde nota in Attellanico exodio proximis ludis aſſenſu maximo excepta, percrebuit: *Hircum*

quod diminutivi genus in gentilibus etiam nominibus frequens, Syrus, *Syriſcus*; Francus, *Franciſcus*; Teuto, *Teutiſcus*. SALMASIUS.

TORRENT.

44. *Parrhaſii quoque tabulam.*] De Parrhaſio quod huic loco ſerviat, ſic Plin. lib. XXXV. cap. X. *Pinxit & minoribus tabellis libidines, eo genere petulantis joci ſe reficiens.* Quo etiam ſpectat, quod paullo ante dixerat, ἀϐροδίαιτον ſe appellaſſe, ab illa nempe vitæ mollitia. Addit Plin. quod & Archigallum pinxit, quam picturam Tiberius amaverit, atque LX. æſtimatam ſeſtertiis cubiculo ſuo incluſerit.

Atalanta ore morigeratur.] Dictio *ore* deſideratur in trib. MSS. omiſſa (opinor) pudore ſcribentium.

Miniſtri acerr. præf.] Liber vetuſtiſſ. *miniſteri.* quod celatum nolui.

45. *Solitus ſit illudere.*] Rem obſcœniſſimam verbo ambiguo texit, ut etiam inf. Claud. cap. XV. *obſcenitatis in feminas reum.* Sed & Lactant. Divin. Inſtitut. VI. *De iſtis loquor, quorum teterrima libido & exſecrabilis furor ne capiti quidem parcit.* Vide ſupr. Cæſ. cap. XXII. Λεσϐιάζειν vocant Græci, Atque hinc intellige Juvenal. verſum Sat. V.

Si tibi contigerit capitis matrona pudici.

Sed hæc exponenti præfanda venia eſſet.

Quam perductam.] Cæſ. cap. L. *Tertia deducta eſt.*

Nec quicquam amplius.] Quam id quod feminarum eſt.

Domum ſe arripuit.] Sic libb. omnes. Mallem tamen *aripuit*, pro *abripuit*, ut *afuit* pro *abſuit* ſemper in optimis codicibus.

Unde nota in Atellanica exodio.] Lib. unus, *Unde mora*, quam lectionem etiam Turneb. ex optimæ (ut ait) fidei cod. aſſerit, & pro intervallo quod exodia, quæ præter argumentum fiunt, adferunt fabulæ, interpretatur, ſed invita (ut ego quidem arbitror) Minerva. Quare *nota* retineo. ſequitur enim *percrebuit*, quod de mora non recte dixeris. *Attellanicum* vero *exodium* dixit, ut *Attellanicum verſum* Cic. lib. II. de Divinat. & *artem Atellanicam* Macrob. lib. I. Saturn. cap. X. *Atellanæ* autem apud Romanos fere extra argumentum exodii loco interponebantur, ut apud Græcos olim Satyræ. Juvenal. Sat. VI.

Ruſticus exodio riſum movet Atellanæ
Geſtibus Autonoës.

CASAUBON.

44. *Quam perductam.*] Membranæ, *praductam*: melius & verius, *productam.* nam lenonium verbum eſt *producere*, Ciceroni, Plinio, aliis, pro προαγωγεύειν. In Veſpaſiano cap. XXII. *producta pro concubitu ſeſtertia quadringenta donavit.*

VARIOR.

44. *Pueros.*] MS. *puros.* forte *puſos.* SALMAS.

45. *Obſcœnitate oris.*] Codex Salmaſ. & Palat. prim. & tert. *obſcœnitatem.*

Nota.] MS. Salmaſ. *mora.*

Atellanico.] Latina Atellana a Græca Satyrica eo tantum differebat, quod in Satyrica Satyrorum fere perſonæ inducebantur, aut aliæ æque ridiculæ; in Atellanis Oſcæ, ut Maccus. Rhintonica autem eſt ἱλαροτραγῳδία vel ἱλαρῳδία. & quid aliud eſt Σατυρικὸν δρᾶμα, quam ἱλαροτραγῳδία? hujus auctor Rhinton Tarentinus. unde apparet genus hoc in majore Græcia viguiſſe: atque inde Oſcorum Atellanæ, ſimiles Rhintonicis. SALMASIUS.

TOR-

cum vetulum capris naturam ligurrire. Pecuniæ parcus ac tenax, comites peregrina- 46
tionum expeditionumque numquam ſalario, cibariis tantum, ſuſtentavit: una modo liberalitate ex indulgentia vitrici proſecutus, cum tribus claſſibus factis pro dignitate cujuſque primæ ſexcenta ſeſtertia, ſecundæ quadringenta diſtribuit, ducenta tertiæ, quam non amicorum, ſed gratorum appellabat. Princeps neque opera ulla magnifica fecit. 47
nam & quæ ſola ſuſceperat, Auguſti templum, reſtitutionemque Pompejani theatri, imperfecta poſt tot annos reliquit. neque ſpectacula omnino edidit: & iis, quæ ab aliquo ederentur, rariſſime interfuit, ne quid expoſceretur, utique poſtquam comœdum Actium coactus eſt manumittere. Paucorum ſenatorum inopia ſuſtentata, ne pluribus opem ferret, negavit ſe aliis ſubventurum, niſi ſenatui juſtas neceſſitatum cauſſas probaſſent. Quo pacto pleroſque modeſtia & pudore deterruit: in quibus Ortalum

TORRENT.

Hircum vet. nat. capreis lig.] Quod ex Atellena de animali dictum fuerat, id populus tanquam de Tiberio dictum maximo applauſu excepit. Catul. Epigr. *putare ceteros hircos.*

46. *Una modo liberal.*] Recte ſic ex Turnebi ſententia Pulmannus, libri tamen omnes noſtri MSS. *unam modo liberalitatem ex indulgentia vitrici proſecutus.* Vulgati *conſecutus.* Vide Turnebum Adverſar. XIV. cap. XVII.

Sed gratorum.] Id quoque recte ex Turnebo, & uno ex noſtris codicib. reliqui *Græcorum* habent. In cohorte principum virorum fere amicos & comites legimus: Tiberius habebat quoſdam, quos peculiari nomine *gratos* appellabat.

Auguſti templum.] De templo Auguſti quod Romæ fuit, loquitur, de quo Aug. cap. LII. Alterum vero quod Nolæ, de quo paullo ante, etiam Tiberius dedicavit. Dedicare autem niſi perfectum non potuit. Sed hoc ideo inter opera publica, uti & Capitolium Capuæ, non recenſet Sueton. quia *publica* proprie ea ſola dicuntur, quæ pop. Rom. ſunt. L. XV. De verb. ſignif. Et alioqui non ſequitur, ut qui ea dedicarit, etiam de ſuo exſtruxerit. Porro de hac re paulo aliter Tacit. lib. V. his verbis: *Ne publice quidem niſi duo opera ſtruxit, templum Auguſti, & ſcenam Pompejani theatri, eaque perfecta (contemptu ambitionis, an per ſenectutem) haud dedicavit.* Sueton. negat perfecta fuiſſe, non ideo tantum quia nondum dedicata, ſed quia ſtructuræ multa defuere, cum (ut alibi loquitur) ſemiperfecta Cajus perfecerit. Calig. cap. XXI.

Comœdum Actium.] Servile aliquod nomen mallem. Libri MSS. *Accium* etiam, & *Accitum* legunt.

Quo peracto.] Libri duo *Quo pacto.* Mallem *Quo facto.* De hac autem Tiberii illiberalitate Senec. lib. II. de Benef. cap. VII.

CASAUBON.

45. *Pecuniæ parcus ac tenax.*] Diſſentit Tacitus non uno loco, ut lib. I. *Reſiſtentibus ærarii prætoribus ſubvenit Cæſar pretiumque ædium Aurelio tribuit, eroganda per honeſta pecuniæ cupiens: quam virtutem diu retinuit, cum cæteras exueret.* Lib. III. *M. Piſonem ignominiæ exemit, conceſſitque ei paterna bona, ſatis firmus, ut ſæpe memoravi, adverſum pecuniam.* Diſſentit & Dio, cujus hæc verba: Ἐλάχιςα ἐς αὐτὸν δαπανῶν, πλεῖςα ἐς τὸ κοινὸν ἀνήλισκε· πάντα μὲν ὡς εἰπεῖν τὰ δημόσια ἔργα, τὰ μὲν ἀνοικοδομῶν, τὰ δὲ ἀποκοσμῶν, πολλὰ δὲ καὶ πόλεσι, καὶ ἰδιώταις ἐπαρκῶν. Et ſtatim, πᾶν τε ὃ ἐδωρεῖτό τισιν, εὐθὺς καὶ ἐν τοῖς ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ ἠριθμεῖτο.

Quam non amicorum, ſed gratorum appellabat.] Impoſuerunt operis noſtris Antverpienſes editt. quæ ex conjectura Turnebi *gratorum* pro *Græcorum* edunt. mihi vero ea lectio non probatur: nam *Græcorum* habent omnes libb. vett. quibus uſi ſumus, etiam Memmianus. Græcos vocat, quos palliatos lib. I. c. XLVIII. qui locus conferri cum iſto debet. In comitatu principum virorum ſemper fuere Græci, iique ut plurimum litterati & philoſophi. ἓν γάρ τι καὶ τοῦτο τῶν καλλωπισμάτων ἐδόκει, ut vere Lucianus ait. Tales erant iſti Græci: de quibus iterum Suetonius cap. LVI. *Nihilo lenior in convictores Græculos, quibus vel maxime acquieſcebat.* quod etſi vere ſcriptum Suetonio, ſcimus tamen, quantum ſemper & Græcos & eorum linguam contempſerit Tiberius. quare non mirum, amicorum nomen iis fuiſſe negatum: & Græcos vel Grajos εὐτελισμοῦ χάριν fuiſſe nuncupatos. Fuit autem mos procerum Romanorum, ut ituri in provincias magnum ſecum amicorum numerum Roma abducerent. Auctor primus, ut videtur, ejus moris Scipio. de quo in Hiſpanias eunte Appiani ſunt verba: Ἐθέλοντάς τινας ἐπηγάγετο καὶ πελάτας ἐκ Ῥώμης, καὶ φίλους πεντακοσίους, οὓς εἰς ἴλην καταλέξας ἐκάλει φίλων ἴλην.

46. *Neque opera ulla magnifica fecit.*] Nova quidem non fecit, ſed facta ornavit magnifice, & vetuſtate dilapſa reſtauravit. ita Dio. aliter Vellejus, inſigni, ut ſemper, adulatione.

Quo peracto.] Omnino ſcribendum, *quo pacto,* nec aliter in MSS. offendimus.

VARIOR.

Capris naturam ligurire.] MS. Salmaſ. *Capreis.*

TOR-

talum Q. Hortenſii oratoris nepotem, qui permodica re familiari, auctore Auguſto,
48 quatuor liberos tulerat. Publice munificentiam bis omnino exhibuit: propoſito milies HS. gratuito in triennii tempus: & rurſus quibuſdam dominis inſularum, quæ in monte Cœlio deflagrarant, pretio reſtituto. Quorum alterum magna difficultate numaria populo auxilium flagitante coactus eſt facere, cum per ſenatusconſultum ſanxiſſet, ut fœneratores duas patrimonii partes in ſolo collocarent, debitores totidem æris alieni ſtatim ſolverent, nec res expediretur: alterum ad mitigandam temporum atrocitatem. Quod tamen beneficium tanti æſtimavit, ut montem Cœlium appellatione mutata vocari Auguſtum juſſerit. Militi poſt duplicata ex Auguſti teſtamento legata nihil umquam largitus eſt, præterquam ſingula milia denariorum prætorianis, quod Sejano ſe non accommodaſſent: & quædam munera Syriacis legionibus, quod ſolæ nullam

TORRENT.

Ortalum, Q. Hortenſii.] M. Ortalum vocat Tacit. Annal. II. Ubi leviter viſum Lipſio eundem eſſe cum eo, cujus mentio Val. Maximo lib. III. cap. V. & Ortalum pro Corbione reſcribendum. nam profecto hic noſter Suetonio inter modeſtia & pudore deterritos refertur. Quorum utrumvis ſpurco illi & infami quis ſanus tribuerit? Quod vero auctore Auguſto, quatuor eum filios tuliſſe ſcribit Sueton. hoc ipſum eſt quod illectum Auguſti liberalitate decies HS. narrat Tacit. ut uxorem duceret, tunc (credo) cum Auguſtus jam ſenior Papiam Poppæam ſuaſit. Sup. Aug. cap. XXXIV. Dion lib. LVI.

48. *Propoſito millies* HS.] Sic *propoſito gladiatorio munere*, Tit. cap. VIII. *proponere edictum, auctionem, argentum, titulum*, pro edere ac publice notum facere. Simile illud, quod legimus de Auguſto cap. XLI. quoties ex damnatorum bonis pecunia ſuperflueret, uſum ejus ad certum tempus indulſiſſe ipſum gratuito iis, qui cavere in duplum poſſent.

In ſolo collocarent.] Expedit enim reip. ut fœnore imminuto agris pretium accedat. Aug. cap. XLI. Uſus eſt autem Suet. Juriſconſultorum verbo. *res ſoli* enim dicuntur ædes, agri, fundi, & ceteræ res immobiles, quæ ſolo conjunguntur. Similis locus Plinii lib. VI. Epiſt. *Patrimonii tertiam partem conferre juſſit in ea, quæ ſolo continerentur.*

Montem Cœlium.] Tacit. lib. IV. incendium hoc ſtatim poſt lapſum Fidenis theatrum accidiſſe ſcribit, cum Principi jam ſuſceptum eſſet conſilium abſentiæ. Quod cum vulgus ad culpam traheret, eum, ut obviam iret, hanc pecuniam pro modo detrimenti tribuiſſe. Quod vero Tacit. de ſenatus ſententia Cœlium montem appellatum fuiſſe Auguſtum ſcribit, id cum Tiberio volente factum ſit, non male Sueton. ſenatus mentionem omittens, ad Tiberium tantum retulit.

CASAUBON.

Pudore deterruit, in his Ortalum.] Non a petendo quidem, ſed a probando deterritus Ortalus.

48. *Publice munificentiam bis omnino exhibuit.*] Miror tam ſeveram adfirmationem, *bis omnino.* atqui Suetonium ratio fugit; ſæpius enim publice munificus Tiberius fuit, ſicuti ſtatim ſumus oſtenſuri.

Propoſito millies HS. *gratuito in triennii tempus.*] Dio lib. LVII. in anno DCCLXXXV. Τὸ πρᾶγμα, τὸ κατὰ τὰ δανείσματ' ἐμετρίασε, καὶ δισχιλίας καὶ πεντακοσίας μυριάδας τῷ δημοσίῳ ἔδωκεν, ὥστε αὐτὰς ὑπ' ἀνδρῶν βουλευτῶν ἀτοκεὶ τοὺς δεομένους ἐς τρία ἔτη ἐκδανεισθῆναι. *Rem fœnebrem moderatus eſt, ac millies* HS. *gratuito propoſuit, ut ex ea pecunia ſenatores in tres annos ſine uſura, quod opus eſſet, egentibus mutuo darent.*

Et rurſus quibuſdam dominis inſularum.] Refert hanc largitionem Tacitus in anno DCCXC. Ego vero aliam Principis ejuſdem reperio iſti ſimillimam: narrat enim Dio Coss. Sex. Papinio, & Q. Plautio, qui erat annus DCCLXXXIX. ſtagnaſſe Tiberim plana urbis juxta Circum & collem Aventinum: eſſeque relabentem ſecutam magnam ædificiorum ſtragem: Tiberium millies HS. contuliſſe ad ſublevandam inopiam eorum, qui damnum feciſſent. Meminit ejuſdem munificentiæ & Tacitus in illius anni actis VI. An. 45. ſed nonnihil a Dione diſſentiens: incendium enim fuiſſe ait, non Tiberis exundationem: in cæteris plane conſentit. Sic ille: *Idem annus gravi igne urbem adficit, deuſta parte Circi, quæ Aventino contigua, ipſoque Aventino. quod damnum Cæſar ad gloriam vertit, exſolutis domuum & inſularum pretiis. millies ſeſtertium ea munificentia conlocatum: tanto acceptius in vulgum, quanto modicus privatis ædificationibus.* Nec mirum ſane Imperatorem damna fortuitis caſibus accepta a civibus aliqua largitione eſſe proſecutum; quum traditum ab Auguſto morem, donandi pecunia urbes terræ motu afflictas, Tiberius tenuerit. ut conſtat factum in XII urbibus Aſiæ.

Poſt duplicata ex Auguſti teſtamento legata.] Id qua ratione acciderit, ex Taciti Annal. lib. I. diſcas.

lam Sejani imaginem inter ſigna coluiſſent: atque etiam miſſiones veteranorum rariſſi-
mas fecit, ex ſenio mortem, ex morte compendium captans. Ne provincias quidem
ulla liberalitate ſublevavit: excepta Aſia, disjectis terræ motu civitatibus. Procedente 49
mox tempore etiam ad rapinas convertit animum. Sat conſtat, Cn. Lentulum augu-
rem, cui cenſus maximus fuerit, metu & angore ad faſtidium vitæ ab eo actum, & ut
ne quo niſi ipſo herede moreretur. Condemnatam & generoſiſſimam fœminam Lepi-
dam, in gratiam Quirini conſularis prædivitis, & orbi, qui dimiſſam eam e matrimo-
nio poſt vigeſimum annum veneni olim in ſe comparati arguebat: præterea Galliarum &
Hiſpaniarum, Syriæque & Græciæ principes confiſcatos ob tam leve ac tam impudens
calumniarum genus, ut quibuſdam non aliud ſit objectum, quam quod partem rei fa-
miliaris in pecunia haberent. Plurimis etiam civitatibus & privatis veteres immunitates
& jus metallorum ac vectigalium ademta. ſed & Vononem regem Parthorum, qui pulſus
a ſuis, quaſi in fidem pop. Romani cum ingenti gaza Antiochiam ſe receperat, ſpo-
liatum perfidia, & occiſum. Odium adverſus neceſſitudines, in Druſo primum fra- 50
tre detexit: prodita ejus epiſtola, qua ſecum de cogendo ad reſtituendam libertatem Au-
guſto

TORRENT.

Sejani imaginem.] Vide Tacitum lib. IV. & Dionem LVII.

Miſſiones veteranorum.] Ultra militiæ merita militibus honeſte miſſis etiam præmia dabantur. Quæ ne daret Tiberius, veteranos ad mortem uſque ſub ſignis tenuit. Adde locum Calig. cap. XLIII. & Aug. cap. XLIX. ubi de commodis miſſionum.

Disjectis terræ motu.] Eo Plinius lib. II. cap. LXXXIV. duodecim civitates proſtratas ſcribit. Euſeb. Chronicis XIII.

49. *Ad rapinas convertit animum.*] Liber unus *convertit*, ſine *animum*.

Cn. Lentulum.] Qui, teſte Seneca lib. II. de Benef. cap. XXVII. ſub Auguſto quater millies HS poſſedit, princeps civitatis & pecunia, & gratia. Qui locus Senecæ corruptus eſt. nam pro *ſub honore nobilitatis*, *ſub onere* legendum eſt; & pro *deriſum a labore*, *deriſu & labore*, ex libro quodam noſtro MS: quod obiter monitum volui.

Quirini conſularis.] P. Sulpicium Quirinum vocant Dion & Tacit. lib. III. Cos. autem fuit A. U. C. DCCXLI. Errantque, qui Quirinium dicunt.

Partem rei famil. in pec.] Contra legem Cæſaris dictatoris, qua de modo credendi poſſidendique cautum fuit, ne quis ſcil. in argento aurove amplius LX. ſeſtertiis teneret. Quanquam id intra Italiam duntaxat ſtatutum Tacit. ſuadet lib. VI. Ann. *Partem* ergo, videl. majorem quam pro ea lege. Poterat & ex eo ſtrui calumnia, quod de fœnebri pecunia ſtatuit Tiberius cap. præcedente. Huc porro ſpectat, quod de Antiocho Comageno refert Suet. Calig. cap. XVI.

CASAUBON.

49. *Quod partem rei familiaris in pecunia haberent.*] Vetus fuit Romæ lex, qua amplius quam ſexaginta ſeſtertia in auro vel argento poſſidere vetitum: eam legem temporis tractu abolitam reſtituit Cæſar dictator, anno DCCV. ut narrat Dio lib. XLI. Puto & Auguſtum aliquid de modo habendarum pecuniarum conſtituiſſe, quod propius ad loci hujus ſententiam faceret: ejus tamen legis mentionem nuſquam reperi apud veteres.

Sed & Vononem regem Parthorum.] Tacitus Annal. lib. II. aliter narrat hanc hiſtoriam, & Tiberium culpa abſolvit.

De cogendo ad reſtituendam libertatem Auguſto.] Tale aliquid cogitaſſe Druſum colligas ex his Taciti lib. I. *Druſi magna apud pop. Rom. memoria, credebaturque ſi rerum potitus foret, libertatem redditurus.* Vide initium lib. V.

VARIOR.

48. *Disjectis terræ motu civitatibus.*] Qua de re Euſebius Pamphilius lib. II. Chronicorum. Adde ad illuſtrationem hujus loci nummum argenteum, in cujus ſuperficie vultus Tiberii, in altera effigies Aſiæ muliebri ſpecie ſedens, cum his litteris: CIVITATIBUS. ASIÆ. RESTITUTIS. *Joſ. Scaliger.*

49. *Ut quibuſdam non aliud objectum ſit, quam quod partem rei famil. in pecunia haberent.*] Viri ſummi locum iſtum trahunt ad modum pecuniæ, quam unicuique habere jus & fas: quod ut omnino non reprehendo, ita minime probabitur, idem præſcriptum Gallis, Syris, Hiſpanis, Græcis, quod in Italia poſſidentibus. putarim potius eis vitio datam grandem iſtam pecuniam, tanquam ea uti vellent ad res novas. ea certe de cauſa *auri vim atque opes Principibus infenſas* pluribus oſtendimus ad Tacitum XI. Annal. cap. I. & certum eſt, hanc interpretationem loco iſti propriam, cum præcedat, *ob tam leve ac impudens calumniarum genus.* GRUTERUS.

TOR-

guſto agebat: deinde & in reliquis. Juliæ uxori tantum abfuit, ut relegatæ, quod minimum eſt, officii aut humanitatis aliquid impertiret, ut ex conſtitutione patris uno oppido clauſam, domo quoque egredi, & commercio hominum frui vetuerit: ſed & peculio conceſſo a patre præbitiſque annuis fraudavit, per ſpeciem publici juris, quod nihil de his Auguſtus teſtamento caviſſet. Matrem Liviam gravatus, velut partes ſibi æquas potentiæ vindicantem, & congreſſum ejus aſſiduum vitavit: & longiores ſecretioreſque ſermones, ne ejus conſiliis, quibus tamen interdum & egere, & uti ſolebat, regi videretur. Tulit etiam perindigne actum a ſenatu, ut titulis ſuis quaſi Auguſti, ita & Liviæ filius adjiceretur. Quare non *parentem patriæ* appellari, non ullum inſignem honorem recipere publice paſſus eſt. Sed & frequenter admonuit, *majoribus nec fœminæ convenientibus negotiis abſtineret:* præcipue ut animadvertit, incendio juxta ædem Veſtæ & ipſam interveniſſe: populumque & milites, quo enixius opem ferrent,
51 adhortatam, ſicut ſub marito ſolita eſſet. Dehinc ad ſimultatem uſque proceſſit, hac ut ferunt de cauſſa: Inſtanti ſæpius, ut civitate donatum in decurias adlegeret, negavit alia ſe conditione allecturum, quam ſi pateretur adſcribi albo, *extortum id ſibi a matre.* At illa commota, veteres quoſdam ad ſe Auguſti codicillos de acerbitate & intolerantia morum ejus e ſacrario protulit, atque recitavit. Hos & cuſtoditos tamdiu,

TORRENT.

50. *Uno oppido clauſam.*] Rheginorum ſcilicet. ſup. Aug. cap. LXV.

Præbitiſque annuis.] *Annua* appellant JCti, & *annuum* ἐλλειπτικῶς & abſolute, id quod alimentorum cauſa in ſingulos annos præſtatur. L. x. & XIV. De annuis legatis. Plin. Epiſt. ad Trajanum, *ut publici ſervi annua accipiant.* Cum igitur Auguſtus, annua filiæ præſtare ſolitus, nihil de eo in teſtamento caviſſet, Tiberius, tanquam morte defeciſſet liberalitas, ac quaſi nefas eſſet, & juri publico adverſaretur contra teſtatoris voluntatem facere, nihil præſtitit.

Matrem Liviam gravatus.] Sic Horat. lib. IV. Od. XI. *terrenum equitem gravatus Bellerophontem.* Virgil. lib. X. *quid ſi qua voce gravaris, Mente dares?* Sueton. Aug. *Ampla & operoſa Prætoria gravabatur.* Duo tamen codd. non habent *gravatus.*

Interdum & ægre uti.] Liber Turnebi, ut & noſtri omnes, *interdum & egere, & uti ſolebat.* De Liviæ autem prudentia Dion & Seneca præclare teſtantur.

Quaſi Auguſti.] Id eſt, quemadmodum Auguſti. Frequens hoc ſignificatu Senecæ.

Nec fœminæ convenientib. negotiis.] Atqui talia ſunt civilia omnia, a quibus fœminæ arcentur. L. II. De Reg. jur. & ad S. C. Vellejanum.

51. *At illa commota.*] Liber unus *commenta.* quod ſilere nolui. *Decurias* autem judicum intelligo, quorum nomina in albo ſcribebantur.

E ſacrario.] Liber opt. *a ſacrario. Sacrarium* autem pro larario dixiſſe videtur, ut etiam privatarum ædium ſacrarium apud Cic. legimus Verr. VI. *Erat apud Heium ſacrarium cum magna dignitate in ædibus.* & Epiſt. ad Memmium, *qui habitat in tuo ſacrario.*

CASAUBON.

50. *Ut titulis ſuis quaſi Auguſti, & ita Liviæ filius adjiceretur.*] Dio lib. LVII. Ἄλλοι καὶ τὸν Τιβέριον ἀπ᾽ αὐτῆς ἐπικαλεῖσθαι ἐσηγήσαντο, ὅπως ὥσπερ οἱ Ἕλληνες πατρόθεν, ὅτω καὶ ἐκεῖνος μητρόθεν ὀνομάζηται. Tacitus: *Multa patrum & in Auguſtam adulatio: alii* PARENTEM, *alii* MATREM PATRIÆ *appellandam, plerique ut nomini Cæſaris adſcriberetur* JULIÆ FILIUS, *cenſebant.*

Quare non parentem patriæ appellari.] Dio de Livia: Καὶ πολλοὶ μὲν ΜΗΤΕΡΑ αὐτὴν ΤΗΣ ΠΑΤΡΙΔΟΣ, πολλοὶ δὲ καὶ ΓΟΝΕΑ προσαγορεύεσθαι γνώμην ἔδωκαν. In antiquis nummis ſuperbiſſimus ſimul & ineptiſſimus hic illius titulus invenitur: JULIA AUGUSTA GENITRIX ORBIS.

51. *E ſacrario protulit.*] Scripſerat Beroaldus videri legendum *e ſecretario.* deinde exſtitere, qui inventam a ſe in veteri libro eam lectionem in litteras referrent. At noſtri omnes *ſacrario.* idque melius. intelligit non tablinum Auguſti, aut Liviæ: ſed vero ſacrarium, id eſt, locum Auguſto conſecratum, ubi ejus imago habebatur a Julia uxore quondam ipſius, tunc ſacerdote: eo loci videtur Julia pretioſiſſima κειμήλια ab Auguſto ſibi relicta habuiſſe. alia notione *ſacrarium Principis*, in leg. ult. §. *Legatis.* D. de Muneribus & honor. & alibi. *Secretarium*, vix ſeculo eo nota vox, in Codice aliud ſignificat.

diu, & exprobratos tam infeſte, adeo graviter tulit, ut quidam putent inter cauſſas
ſeceſſus hanc ei vel præcipuam fuiſſe. Toto quidem triennio, quo vivente matre
afuit, ſemel omnino eam, nec amplius quam uno die, ac pauciſſimis vidit horis: ac
mox, neque ægræ adeſſe curavit, defunctamque, & dum adventus ſui ſpem facit,
complurium dierum mora, corrupto demum & tabido corpore funeratam prohibuit
conſecrari: quaſi id ipſa mandaſſet. Teſtamentum quoque ejus pro irrito habuit,
omneſque amicitias & familiaritates, etiam quibus ea funeris curam moriens deman-
darat, intra breve tempus afflixit: uno ex his equeſtris ordinis viro & in antliam
condemnato. Filiorum neque naturalem Druſum, neque adoptivum Germanicum pa- 52
tria charitate dilexit. Alterius vitiis infenſus: nam Druſus animi fluxioris, remiſſioris-
que vitæ erat. Itaque ne mortuo quidem perinde affectus eſt: ſed tantum non ſtatim a
funere ad negotiorum conſuetudinem rediit, juſtitio longiore inhibito. Quin &
Ilienſium legatis paullo ſerius conſolantibus, quaſi obliterata jam doloris memoria
irridens: *Se quoque* reſpondit *vicem eorum dolere, quod egregium civem Hectorem
amiſiſſent.* Germanico uſque adeo obtrectavit, ut & præclara facta ejus pro ſuper-
vacuis elevarit: & glorioſiſſimas victorias, ceu damnoſas Reipubl. increparit. Quod vero
Alexan-

TORRENT.

Tam infeſte.] Idem cod. *tam manifeſte.*

Viv. mat. adfuit.] Vel *afuit* ſcribendum, veteri more, vel *abfuit*. *Triennium* etiam totum liberaliter dixit, non exacte ad verum. nam cum Tiberius extremo anno DCCLXXIX. diſceſſerit, obieritque mater principio DCCLXXXII. clarum eſt biennio plus paulo interfuiſſe.

Neque ægre abeſſe.] Lib. unus *adeſſe*, ut & edit. Gryphii. *Ægræ* etiam legendum, non *ægre*.

Teſtamentum ejus.] Vide Tacitum initio lib. V. Infr. Calig. cap. XVI.

In antliam condemnato.] Sic Turneb. & Pithœus, & exemplar Vaticanum, ut ad aquam in hortis, aut navibus hauriendam ille condemnatus fuerit. Libri noſtri vel *Antiliam*, vel *Andiam*, vel *mediam* habent. Atqui ſi verum eſt, quod affirmat Beroaldus, in vetuſtis codd. etiam *Anticyram*, & *latumiam* legi, nihil equidem dubitem horum alterutrum amplecti.

52. *Animi fluxioris.*] In lib. optimo deſideratur dictio *animi*, nec ſane neceſſaria eſt. ſequitur enim *vitæ*.

Tantum non ſtatim poſt a funere.] Lego expunctis aliis, *tantum non a funere*. Libri MSS. variant, ut mala in cauſa teſtes ſolent. Poſſet etiam *tantum quod a funere* legi.

Pro ſupervacuis elevaret.] Duo libri *elueret*, unus *eluderet*.

CASAUBON.

Toto quidem triennio, quo vivente matre abſuit.] Ita ſcriptum in Memmiano & Viterb. non ut in pleriſque *adſuit*. De *triennio* interpretibus aſſentior, potius quam erudito viro, qui emendat *biennio*: cum enim neutra lectio exacte tempus definiat, quo vixit Livia poſt exitum Tiberii, quod ſpatium eſt biennii & paucorum menſium, nihil temere mutandum, conſentientibus omnibus MSS. cum vulgata lectione.

Et in antliam condemnato.] Sic omnino legendum: neque multo aliter veteres libb. in quib. *Antiliam* perſcriptum offendimus, in Memmii vero optimo, *in antliam*. Meminit hujus ſupplicii Artemidorus lib. I. cap. L. cujus verba cum pridem ad hunc locum annotaſſemus, reperimus poſtea occupatum id ab erudititiſſ. Lipſio lib. II. Electorum. Sic autem Artemidorus: *Οἶδά τινα ὃς ἔδοξε τοῦ παντὸς σώματος ἀτρέμα μένοντος τοὺς πόδας αὐτοῦ μόνους βαστάζειν, καὶ προβαίνειν μὲν μηδὲ βραχὺ, ὅμως δὲ κινεῖσθαι συνέβη αὐτῷ εἰς ἀντλίαν καταδικασθῆναι· καὶ γὰρ τοῖς ἀντλοῦσι συμβέβηκε, διαβαίνειν μὲν ὡς βαδίζουσιν, ἀεὶ δὲ μένειν ἐν τῷ αὐτῷ τόπῳ.*

52. *Ad negotiorum conſuetudinem rediit.*] Quod Tacitus dicit *repetere ſolemnia*, & *redire ad munia*. B. Chryſoſtomus alicubi, *ἅπτεσθαι τῶν συνήθων*. Ovidius in alia re, *ad ſolitum ibit opus.*

VARIOR.

51. *Prohibuit conſecrari.*] A Claudio tamen religionem cœleſtem eſt conſecuta. In cujus vita ſic Tranquillus capite XI. *Aviæ Liviæ divinos honores, & Circenſi pompa currum elephantorum Auguſtino ſimilem decernendum curavit.* Pleniuſque de eo Dio lib. LX. qui Claudium ait effigiem ejus intuliſſe templo Divi Auguſti, ac tum ſacra ei fieri juſſiſſe per Veſtales, tum ut mulieres per ejus nomen jurarent. Hinc in nummo veteri: S. P. Q. R. DIVÆ. JULIÆ. AUGUSTI. FIL. Conſecrata autem habitu Junonis, ut in ea Juno coleretur. Prudentius:

Adjecere ſacrum, fieret quo Livia Juno. Voſſius.

TOR-

Alexandriam, propter immenſam & repentinam famem, inconſulto ſe adiſſet, queſtus
eſt in ſenatu. Etiam cauſſa mortis fuiſſe ei per Cn. Piſonem legatum Syriæ creditur:
quem mox hujus criminis reum putant quidam mandata prolaturum, niſi ea ſecreta
obſtarent. Per quæ multifariam inſcriptum, & per noctes creberrime acclamatum
eſt, *Redde Germanicum.* Quam ſuſpicionem confirmavit ipſe poſtea: conjuge etiam ac
53 liberis Germanici crudelem in modum afflictis. Nurum Agrippinam poſt mortem
mariti liberius quiddam queſtam, manu apprehendit: Græcoque verſu, *Si non dominaris*, inquit, *filiola, injuriam te accipere exiſtimas?* Nec ullo mox ſermone dignatus eſt. Quondam vero inter cœnam porrecta a ſe poma guſtare non auſam, etiam vocare deſiit, ſimulans, ſe veneni crimine arceſſitum: cum præſtructum utrumque conſulto eſſet,

TORRENT.

Alexandriam adiſſet.] Auguſtus inter alia imperii arcana ſenatoribus, atque illuſtribus equitibus ſine Principis conſenſu permitti noluit in Ægypto eſſe. Tacit. lib. II. Eam ob cauſam igitur de Germanico queſtus eſt Tiberius. Vide Cæſ. cap. XXXV.

Niſi ea ſecreta.] Locus haud dubie mendoſus eſt. Lib. unus *niſi ea ſecreto.* Legendum fortaſſis, *ni Sejanus ſecreto obſtaret.* quæ ſane conjectura cum Taciti hiſtoria optime convenit.

Per quæ multifariam increpitum.] Liber opt. *inſcriptum.* columnis ſcilicet, aut etiam ſtatuis Tiberii, ut Cæſ. cap. LXXX. Ner. cap. XLV. Illud vero *per quæ*, pro *quare* apud Suetonium non ſemel invenias.

Creberrime acclamatum.] Idem liber *celeberrime.*

53. *Græco verſu.*] Sic Tacit. quoque correptam Græco verſu admonuit, ideo quia non regnaret. Sed & Ariſtoteles lib. III. Politic. tale aliquid a poeta quopiam dictum fuiſſe ſignificat. verum & poetæ nomen, & verſus ipſe hactenus ignorantur. Gul. Canterus Novar. VI. cap. XXVI. hunc de ſuo ſubjicit: Εἰ μὴ κρατεῖς, τεκνίον, ὑβρίζεσθαι δοκεῖς. Poterat & ſic conceptus eſſe: Εἰ μὴ τυραννεῖς, θύγατερ, ἀδικεῖσθαι δοκεῖς;

Neque ullo mox ſermone.] *Mox* pro *poſtea* Suetonio familiare.

Cum præſtructum utrumque.] A Sejano ſcilicet, qui & Agrippinæ ſuſpectum Tiberium fecerat, & Tiberio ſuaſerat, ut porrecto illam malo tentaret, ſublato jam ante Eudemi medici opera Druſo. Hæc Tacit. lib. IV. Adde Plinium lib. XXIX. cap. I. Pro *accerſitum* autem *arceſſitum* habet liber unus, *accerſi* meliores codd.

CASAUBON.

Niſi ea ſecreta obſtarent.] Nihil variant vett. codd. ſententia poſtulat ſcribi, *niſi ea ſecreto ablata forent*, vel, ut viſum Torrentio, *ni Sejanus ſecreto obſtaret.* Adi ad Tacitum.

Per quæ multifariam increpitum.] Regium exemplar unum & Politiani, *inſcriptum.* Notus mos ex aliis Suetonii locis. Deinde habent regii codd. *celeberrime acclamatum eſt*, non *creberrime.* pro cœtu celeberrimo & frequentiſſimo coeuntium undique hominum.

53. *Si non dominaris, inquit, filiola, injuriam te accipere exiſtimas?*] Calpurnius Flaccus Declamat. VI. *Sceleratus ingeniis & pluſquam civilia cupientibus, non dominari inſtar ſervitutis eſt.* Eleganter etiam Cyprianus in epiſtola ad Donatum: *Faſcibus ille oblectatus & honoribus, privatus & inglorius eſſe non poteſt: hic ſtipatus clientium cuneis, frequentiore comitatu officioſi agminis honeſtatus, pœnam putat eſſe, cum ſolus eſt.* Nec abludit Senecæ dictum epiſtola XV. *Denique ut nihil illis Fortuna detrahat, quicquid non acquiritur, damnum eſt.* illud Plutarchi Pyrrho de Tarentinis, δουλείαν, τὸ μὴ πρὸς ἡδονὴν ζῆν, ἐκάλουν. neque illud in convivio ſapientum: eſſe quoſdam homines, qui εἰ μὴ τὰ πάντων ἔχουσιν, ἰδιωτῶν ἅμα καὶ βασιλέων, ὑπ' ἐνδείας ἀπολεῖσθαι νομίζουσιν. Paullo aliter Jaſon tyrannus apud Philoſophum Politicorum lib. III. Ἰάσων ἔφη πεινῆν, ὅτε μὴ τυραννοῖ, ὡς οὐκ ἐπιστάμενος ἰδιώτης εἶναι. *eſurire ſe, cum tyrannidem non obtineret: ut qui privatus eſſe neſciret.* Placet autem valde, quod docti viri ante nos annotarunt, verſiculum Græcum quo Tiberius eſt uſus, verbatim a Suetonio eſſe expreſſum, Εἰ μὴ τυραννεῖς, τέκνον, ἀδικεῖσθαι δοκεῖς; quo videtur alluſiſſe Julianus epiſtola quadam ad Boſtrenos: Οἱ δὲ εἰς τοσοῦτον λυσσομανίας ἥκουσιν καὶ ἀπονοίας, ὥς τε ὅτι μὴ τυραννεῖν ἔξεστιν αὐτοῖς, παροξυνόμενοι πάντα κινοῦσι λίθον.

Cum præſtructum utrumque conſulto eſſet.] Tacitus aliter, *donec advertit Tiberius forte, an quia audiverat?* lib. IV.

VARIOR.

52. *Putant quidam.*] Mandata Piſo erat prolaturus, niſi ipſe intellexiſſet, ea ſibi obſtare, quod ſecreta eſſent, ſecretoque ſibi obeundum foret, quod ſibi præcipiebatur. Quod ſi igitur produxiſſet, quid feciſſet aliud quam ſi ipſe gladium in ſuum adegiſſet jugulum? Et tamen cum hæc inter ſuos muſſitaret clanculum, quæ hinc mox in vulgum abibant, factum ut multifariam publice inſcriptum acclamatumque ſit, *Redde Germanicum.* Nam *per quæ* non aliud

eſſet, ut & ipſe tentandi gratia offerret, & illa quaſi certiſſimum exitium caveret. Noviſſime calumniatus, modo ad ſtatuam Auguſti, modo ad exercitus confugere velle, Pandatariam relegavit: convitiantique oculum per centurionem verberibus excuſſit. Rurſus mori inedia deſtinanti, per vim ore diducto, infulciri cibum juſſit. Sed & perſeverantem, atque ita abſumtam, criminoſiſſime inſectatus eſt, cum diem quoque natalem ejus inter nefaſtos referendum ſuaſiſſet. Imputavit etiam, quod non laqueo ſtrangulatam in Gemonias abjecerit: proque tali clementia interponi decretum paſſus eſt, quo ſibi gratiæ agerentur, & Capitolino Jovi donum ex auro ſacraretur. Cum ex Germanico tres nepotes, Neronem & Druſum & Cajum: ex Druſo unum 54
Tiberium haberet, deſtitutus morte liberorum, maximos natu de Germanici filiis, Neronem & Druſum P.C. commendavit: diemque utriuſque tirocinii, congiario plebi dato, celebravit. Sed ut comperit, ineunte anno, pro eorum quoque ſalute publice vota ſuſcepta: egit cum ſenatu, *Non debere talia præmia tribui, niſi expertis & ætate provectis:* atque ex eo, patefacta interiore animi ſui nota, omnium criminationibus obnoxios reddidit: variaque fraude inductos, ut & concitarentur ad convitia, & concitati perderentur, accuſavit per litteras, amariſſime congeſtis etiam probris, & judicatos hoſtes fame necavit: Neronem, in inſula Pontia; Druſum, in ima parte Palatii.

aliud hic valet quam *ob* vel *propter quæ*, ut apud Plautum IV. Sticho 2. *Per hanc cœnam tibi incœnato, Gelaſine, eſſe hodie licet,* Et apud Ciceronem pro Domo: *Factus & ejus filius contra fas, cujus per ætatem pater eſſe potuiſti.* Ut Galba cap. XVI. *Per hæc prope univerſis ordinibus offenſus.* Vitellio cap. IV. *Cajo per aurigandi, Claudio per aleæ ſtudium familiaris.* Domitiano cap. XIV. *Per hæc terribilis cunctis.* GOESIUS.

TORRENT.

Modo ad ſtatuam Aug. modo ad exerc.] Ad ſtatuam confugere proprie ſervorum erat. Quod cum Agrippina vellet facere, Tiberium veluti dominum accuſabat. Exercitus autem adverſus Principem concitare capitale eſt. Sic ferme Beroaldus, & recentiores quidam JCti. Quos tamen meminiſſe oportebat, frequentius quidem ſervos, ſed tamen & alios ad ſtatuas confugere ſolitos. Exemplum Antonii, ejus qui triumvir fuit filii, Aug. cap. XVII. Agrippinam igitur calumniabatur Tiberius, quod iſtiusmodi conſilia ad concitandam ipſi invidiam cogitabat. Unde SCto poſtea prohibitum fuit, ne quis in alterius injuriam ad ſtatuas Principum confugeret, imagineſve eorum portaret; qui ſecus faceret, in vincula publice mitteretur. L. XXXVIII. De injuriis, l. XXVIII. De pœnis.

Imputavit etiam.] Tanquam beneficium ſcilicet. ſic enim eo verbo Quintilian. & alii ea tempeſtate uſi ſunt. Juvenal. Sat. V.

- - - tamen imputat hunc rex;
Et quamvis rarum, tamen imputat.

54. *Neronem & Druſum & Cajum.*] Melius MSS. *Neronem, Druſum, & Cajum.*

Deſtitutus morte liberorum.] *Liberos* vocat filios tantum, Germanicum ac Druſum, & illum quidem adoptivum, cum *liberorum* appellatione nepotes etiam, ac pronepotes, quique ex his deſcendunt, latiſſime comprehendantur; adoptivi vero vix pro *liberis* habeantur. L. CCXX. de Verb. ſignif. L LI. de Legatis lib. II. L. LXXV. de Condit. & demonſt. Tiberius quidem, ex Druſo filio nepos, etiam tum ſuperſtes, a Caligula poſt interemptus, cap. XXIII.

Diem utriuſque tirocinii.] Calig. cap. X.

Animi ſui nota.] Quaſi characterem animi dicas. ſic enim & Cic. lib. V. de Finib. *Nomina ſunt tanquam rerum notæ.*

Fame necavit.] Morte miſerrima, atque adeo deteſtabili, ut his etiam, qui judicum ſententia ſic mori cogebantur, defoſſis ſub terra, ut & virginibus Veſtalibus, cibaria nihilominus apponerentur, ad evitandam ſupplicii diritatem.

CASAUBON.

Per vim ore diducto infulciri cibum juſſit.] Offendit eruditiſſimos viros vox *infulciri*, videturque iis reponendum *inferciri*. mirum quid eos moverit. an negabunt eſſe Latinam vocem *infulciri*, pro *inculcare*? Seneca epiſtola CXIV. *Non deſinit Arruntius omnibus locis hoc verbum infulcire.* omitto, quod *fulcire cibis* diligentiſſimi auctores ſermonis Latini dixerunt.

Imputavit etiam, quod non laqueo ſtrangulatam in Gemonias abjecerit.] *Imputare* Suetonio, Tacito, Juvenali, Plinio, Quintiliano, & aliis ſcriptoribus inferioris ævi valet, poſtulare aliquid gratiæ apponi ſibi. Tacitus verbo *jactare* in eadem ſententia uſus: *Jactavit Cæſar, quod non laqueo ſtrangulata, neque in Gemonias projecta fuerit.*

Proque tali clementia interponi decretum paſſus eſt, quo

tii. Putant Neronem ad voluntariam mortem coactum, cum ei carnifex, quaſi ex ſenatus auctoritate miſſus, laqueos & uncos oſtentaret: Druſo autem adeo alimenta ſubducta, ut tomentum e culcita tentaverit mandere: amborum ſic reliquias diſperſas,
55 ut vix quandoque colligi poſſent. Super veteres amicos ac familiares, viginti ſibi e numero principum civitatis depopoſcerat, velut conſiliarios in negotiis publicis. Horum omnium vix duos aut tres incolumes præſtitit: cæteros, alium alia de cauſa perculit. Inter quos cum plurimorum clade Ælium Sejanum, quem ad ſummam potentiam non tam benivolentia provexerat, quam ut eſſet, cujus miniſterio ac fraudibus liberos Germanici circumveniret: nepotemque ſuum ex Druſo filium naturalem ad
56 ſucceſſionem imperii confirmaret. Nihilo lenior in convictores Græculos, quibus vel maxime acquieſcebat. Zenonem quendam exquiſitius ſermocinantem, cum interrogaſſet

quo ſibi gratiæ agerentur.] Mos tyrannorum, notatus Dioni, non uno loco in hiſtoria proſcriptionis triumviralis.

TORRENT.

Tomentum e culcita.] Recte, ab inculcando nempe, non *culcitra*, ut in vulgatis. Tacit. lib. V. *Druſus deinde exſtinguitur, cum ſe miſerandis alimentis, mandendo e cubili tomento, nonum ad diem detinuiſſet.*

Sic reliquiis diſperſis.] Libri aliquot impreſſi, & plures MSS. *reliquias diſperſas.* Mallem, *Amborum ſic reliquias diſperſit*, &c.

55. *Viginti ſibi e numero principum.*] Exemplo Auguſti, cap. XXXV.

Ælium Sejanum.] Quem æque tam offendiſſe, quam amaſſe periculoſum fuit. Seneca Epiſt. LVI. Plura Tacit. lib. IV. & Dion lib. LVII. L. Ælium vocans.

Liberos Germanici.] At bene ſane quod Sejanus Druſum ipſum, Tiberii filium, Eudemi medici opera ſuſtulit, ut paulo ante diximus. Mox *nepot. ſ. ex Druſo, filio naturali*, equidem legerim. Et *naturali* additum propter Germanicum, qui ei filius adoptivus. Sup. cap. LII.

56. *Acquieſcebat.*] Sic *acquieſcere honori* ſup. cap. XXXI. Iterum cap. LXX. *Nam & grammaticos, quod genus hominum præcipue, ut diximus, appetebat*, &c. *appetere* enim *grammaticos* ibi dixit Sueton. ut hic *Græculis acquieſcere*, & Tit. cap. VII. *quibus etiam poſt eum Principes acquieverunt.*

CASAUBON.

54. *Ut tomentum culcita tentaverit mandere.*] Eſt plane mirum, quod Tacitus VI. An. 23. ait, *Druſum his ſe miſerandis alimentis, mandendo e cubili tomento, nonum diem detinuiſſe.* Simile eſt, quod refert Herodotus Calliope de Perſis Eleunte obſeſſis: Οἱ ἐς πᾶν ἤδη κακȣ̃ ἀπιγμένοι ἔσαν ὄυτω, ὥστε τȣ̀ς τόνȣς ἕψοντες τῶν κλινέων, ἐσιτέοντο. Etiam apud Plutarchum in Bruto milites quidam Cæſariani ὑπὸ λιμȣ̃ τῶν ἰτείων καὶ σχοινίων ἐσθίοντες διαγίνονται. de iiſdem ſcribit Appianus, per quinque dies toleraſſe ipſos famem λιχμωμένȣς τὴν πίτταν, ἢ ἰτίων ἢ κάλων διαμασσωμένȣς.

Amborum ſic reliquiis diſperſis, ut vix quandoque colligi poſſent.] Dio lib. LVII. aliter tradit: ejus enim de Druſo & Agrippina a Tiberio occiſis hæc ſunt verba: Ὥς καὶ ἐκείνȣς πεφονεῦσθαι ἔμαθον. ὑπερήλγησαν διά τε τȣ̃το, καὶ ὅτι καὶ τὰ ὀστᾶ αὐτῶν ȣ̉ μόνον ȣ̉κ ἐς τὸ βασιλικὸν μνημεῖον κατέθετο, ἀλλὰ καὶ κρυφθῆναί πȣ κατὰ γῆς ἐκέλευσεν, ὥστε μηδέποτε εὑρεθῆναι. Fuit autem ſæviſſimorum hominum mos, reliquias eorum poſt obitum ſpargere, quos vivos vehementer odiſſent: cujus rei exempla in hiſtoria Eccleſiaſtica & ſanctorum martyrum, multa. Sic magni illius Pyrrhi disjectæ reliquiæ, ut & hiſtorici teſtantur, & Ovidius in Ibin:

Nec tua quam Pyrrhi felicius oſſa quieſcant,
Sparſa per Ambracias quæ jacuere vias.

Alluſit iterum idem poëta in fine ipſo librorum de Ponto:

Ergo ſummotum patria proſcindere, livor,
Deſine, neu cineres ſparge, cruente, meos.

Poteſt huc referri, quod ſcribit Valerius Max. de Sylla: *Quinque millia Prænеſtinorum interficienda, protinuſque per agros diſpergenda curavit.* In cod. Viterb. ſcriptum erat, *amborum ſic reliquias diſperſas*, pendente oratione a verbo *putant*, quod præceſſit. Eamque lectionem adjuvat cod. Liſſ. ubi mendoſe ſcriptum, *reliqua diſperſa.*

55. *Nepotemque ſuum ex Druſo.*] Tiberium. Vide cap. LXII.

56. *Nihilo lenior in convictores Græculos.*] Quorum tamen quoſdam eximie & conſtanter, ut videtur, amavit. in his vel præcipue Potamonem philoſophum, cui patriam repetenti viatici loco tales dedit literas: Ποτάμωνα τὸν Λεσβώνακτος εἴ τις ἀδικεῖν τολμήσει, σκεψάσθω, εἰ μοι δυνήσεται πολεμεῖν.

Zenonem quendam.] Mss. Viterb. Memmii, Pithœi & Groſlotii conſtanter *Xenomen.* utrumque nomen Græcis in uſu.

TOR-

ſet, *quænam illa tam moleſta dialectos eſſet*: & ille reſpondiſſet, *Doridem*, relegavit Cinariam: exiſtimans exprobratum ſibi veterem ſeceſſum, quod Dorice Rhodii loquantur. Item cum ſoleret ex lectione quotidiana quæſtiones ſuper cœnam proponere: comperiſſetque, Seleucum grammaticum a miniſtris ſuis perquirere, quos quoque tempore tractaret auctores, atque ita præparatum venire: primum a contubernio
removit, deinde etiam ad mortem compulit. Sæva ac lenta natura ne in puero qui- 57
dem latuit: quam Theodorus Gadereus rhetoricæ præceptor & perſpexiſſe primus ſagaciter, & aſſimilaſſe aptiſſime viſus eſt: ſubinde in objurgando appellans eum, πηλὸν

TORRENT.

Relegavit Cynariam.] Sic noſtri tres, aut *Cinariam.* Interpretes *Cynaram* ex Plinio lib. IV. cap. XII. una enim Sporadum eſt. Quæ, ſicut & Cyclades, plenæ tunc exulibus fuere. Auctor Tacit.

Super cœnam.] Cæſ. cap. LXXXVII. Aug. cap. LXXVII.

Seleucum gramm.] Seleucum (ni fallor) Alexandrinum intelligit, cognomento Homericum, quem Romæ ſophiſtam egiſſe auctor eſt Suidas. Fuit & alter Emiſenus.

57. *Sæva & lenta natura.*] *Lentam* malignam (opinor) ac contumacem appellat, ut ſup. Aug. cap. XLI. & Horat. lib. I. Sat. IX.

Et prenſare manu lentiſſima brachia,

quæ omnino ſequi nollent. Cic. lib. I. ad Attic. epiſt. XI. *Nihil ego illo impudentius, aſtutius, lentius novi.* & alibi, *Teucris lentum negotium.*

Theodorus Gadareus.] De hoc ſic Quinctilian. lib. III. *Præcipue in ſe converterunt ſtudia Apollodorus Pergamenus, qui præceptor Apolloniæ Cæſaris Auguſti fuit, & Theodorus Gadareus, qui ſe dici maluit Rhodium; quem ſtudioſe audiſſe, cum in eam inſulam ſeceſſiſſet, dicitur Tiberius Cæſar.*

Proſpexiſſe.] Liber opt. *perſpexiſſe*, & mox *aſſimulaſſe*, pro *aſſimilaſſe*.

In objurgando.] Mirum ſi Tiberium, quanquam Rhodi agentem, tot tamen bellorum ducem, & conſularem, & tribunitia præditum poteſtate, objurgare auſus fuit Theodorus iſte Græculus. Aut ergo alius fuit ab illo, de quo paulo ante ex Quinctiliano, aut fatendum etiam Romæ eo præceptore uſum fuiſſe Tiberium, quod verius eſt.

CASAUBON.

Primum a contubernio removit, deinde etiam ad mortem compulit.] De hoc fortaſſe accipi debet, quod ſcribit Julianus in Cæſaribus de Tiberio: Ἀλλά σε ἐλέγξει τῶν ὤτων· λέγεται γὰρ αὐτὸς καὶ γραμματιστήν τινα τοῦτο ἐργάσασθαι.

57. *Sæva ac lenta natura.*] Putabam ſcribendum, *Sæva ac truculenta nat.* Sed repugnantibus libb. nihil muto. *Lentus* dicitur, qui non facile movetur. unde *lente ferre injurias* apud Ciceronem. Sejanus apud Tacitum lib. IV. Annal. de eodem: *Gnarus lentum in meditando, ubi prorupiſſet, triſtibus dictis atrocia facta conjungere.* Eſt vero *lenta natura*, quæ *lentitudo* una voce dicitur. Ita appellant Romani, quam ἀοργησίαν Græci. Cicero: *Virum videri negant, qui iraſci neſciat, eamque, quam lenitatem nos dicimus, vitioſo lentitudinis nomine appellant.* Recte parens linguæ Latinæ dixit, vitioſum nomen eſſe *lentitudo*. Eſt vero non unum, ſed duplex lentitudinis genus. Nam interdum de eo dicitur, qui præ ſtupore quodam iraſci neſciat: eſtque hæc lentitudo ἀναισθησία quædam. de hac Cicero ſentit, & in parte vitii poni ait. interdum lentitudo, ſive *natura lenta*, eum affectum ac genus iræ deſignat, quem Græci κότον, quaſi *dormientem iram* appellant. Ea eſt, quam Seneca ait, *ſævam manu, verbis parciorem*: nec non *altam gravemque & introrſus verſam.* Hæc ita odioſa eſt, adeoque grande malum, ut ejus comparatione ſimplex ira & quæ ſe ſtatim promit, virtutis nomen invadere non erubeſcat. Inde illud eſt apud M. Tullium primo de Legibus, *bonorum virorum eſſe admodum iraſci.* & ait idem ſcribens ad Atticum, *irritabiles animos eſſe optimorum ſæpe hominum, & eoſdem placabiles: & eſſe hanc agilitatem, ut ita dicam, mollitiamque naturæ plerumque bonitate.* ita Horatius ſeſe ait fuiſſe, *iraſci facilem, tamen ut placabilis eſſet.* Et Auguſtinus in Confeſſionibus, patrem ſuum deſcribit, *ſicut benevolentia præcipuum, ita ira fervidum.* Igitur *lenta natura* in hoc Suetonii loco eſt contrarium ejus, quam Cicero *agilitatem*, Auguſtinus *fervorem* nuncupant. Propertius lib. III.

Non eſt certa fides, quam non injuria verſat:
Hoſtibus eveniat lenta puella meis.

Qui locus huc facit maxime.

Theodorus Gadareus.] Meminit quidem Strabo lib. XVI. Theodori cujuſdam Gadarei rhetoris induſtrii: ſed an de eo hic loquatur Suetonius, quæri poteſt. vix enim per temporum rationem licet. Accedit eo, quod non deſunt e veteribus, qui hujus dicti auctorem non Theodorum Gadareum, ſed Alexandrum Ægæum faciant. quanquam illi de Nerone, non autem de Tiberio pronuntiatum iſtud fuiſſe narrant. Apud Suidam duobus locis ex Dione aut alio ſcriptore antiquo hæc recitantur: Ἀλέξανδρος Αἰγαῖος ἐκάλει τὸν Νέρωνα πηλὸν αἵματι πεφυραμένον.

πηλὸν αἵματι πεφυραμένον. Sed aliquanto magis in Principe eluxit, etiam inter initia, cum adhuc favorem hominum moderationis ſimulatione captaret. Scurram qui prætereunte funere elato, mortuo mandarat, ut nuntiaret Auguſto, *nondum reddi legata, quæ plebi reliquiſſet*, attractum ad ſe, recipere debitum ducique ad ſupplicium imperavit, & patri ſuo verum referre. Nec multo poſt in ſenatu Pompejo cuidam, equiti Romano, quiddam perneganti, dum vincula minatur, affirmavit fore, *ut ex Pompejo Pompejanus fieret:* acerba cavillatione ſimul hominis nomen inceſſens, veterumque partium
58 fortunam. Sub idem tempus, conſulente prætore, an judicia majeſtatis cogi juberet, exercendas eſſe leges reſpondit, & atrociſſime exercuit. Statuæ quidam Auguſti caput demſerat,

TORRENT.

Αἵματι πεφυραμένον.] Recte Pulmannus ex Turnebi ſententia, a φυράω & φυράομαι, quod ſubigere, miſcere, ac macerare ſignificat. Vulgati codd. συμπεφυρμένον, MS. πεφυρμένον.

Patri ſuo verum referre.] Ut apud Virgilium Pyrrhus:

- - - *nuncius ibis*
Peleidæ genitori, illi mea triſtia facta,
Degeneremque Neoptolemum narrare memento.

Veteremque partium fortunam.] Mallem, ut in opt. codice, *veterumque.*

58. *Caput demſerat.*] Libri duo *depreſſerat*, nihil muto tamen. Similis Tiberii ſævitiæ exemplum apud Senecam de Benef. lib. III. Tacit. lib. I. Annal. Granium Marcellum vocat hunc noſtrum, prætorem Bithyniæ. Diſſentit tamen, quod abſolutum refert criminibus majeſtatis, Tiberio patiente, quem damnatum ait Sueton. Hæreo, cui potius accedam. Niſi ſi præſtat dicere damnatum quidem eum fuiſſe, ſed ſententiæ ac damnationis factam gratiam.

CASAUBON.

Πηλὸν αἵματι πεφυραμένον.] Ita omnino melius quam πεφυρμένον: etſi ita bis Suidas & Æſchylus in Agamemnone, αἵματι δ' οἶκος ἐφύρθη. Arrianus Diſſertationum lib. I. Τοῦτο τὸ σωμάτιον οὐκ ἔστι σόν, ἀλλὰ πηλὸς κομψῶς πεφυραμένος. Perſius, *Udum & molle lutum es.* In MSS. Viterb. Pith. & Liſſ. adjecta eſt interpretatio, *id eſt, lutum a ſanguine maceratum.* φύραμα Græcis dicitur *intritum* ſive *harenatum:* & apud Strabonem ac Plutarchum φυρᾶν πηλὸν in lib. de Solertia animalium: quod & φύραμα πλάττειν dicunt. ut Epiphanius contra Ophitas lib. I. Si cui placet πεφυρμένον, favet illud Heſiodi:

Γαῖαν ὕδει φύρειν, ἐν δ' ἀνθρώπου θέμεν αὐδήν.

Scurram, qui prætereunte funere.] Scurræ & mimi olim ad exſequias adhiberi ſoliti. Vide in Veſpaſiano, cap. XIX.

Elato mortuo mandarat.] Ita ſcriptum in Viterb. *elato*, pro qui efferebatur, ut ſimilia lib. I. exponebamus. In aliis libb. eſt *clare*, quod non ſatis convenit narrationi Dionis: Προσελθών τις πρὸς νεκρὸν διὰ τῆς ἀγορᾶς ἐκφερόμενον, καὶ πρὸς τὸ οὖς αὐτοῦ προσκύψας ἐψιθύρισέ τι.

Sub idem tempus conſulente prætore.] Tacitus I. Annal. 72. in anno DCCLXVIII. qui fuit alter annus Tiberiani imperii: *Mox Tiberius conſultante Pompejo Macro prætore, an judicia majeſtatis redderentur, exercendas leges eſſe reſpondit.*

58. *Statuæ quidam Auguſti caput demſerat, ut alterius imponeret.*] Invaluerat ea ætate mos veteres ſtatuas μεταρρυθμίζειν in aliam formam, capite & titulis permutatis, *ſurdo*, ut loquitur Plinius, *figurarum diſcrimine.* Ita Caligula ſimulacra numinum tota Græcia conquiſivit, quibus capite demto ſuum imponeret, ait Suet. l. IV. c. XXII. Nuſquam autem factum id legimus aut frequentius aut inverecundius, quam apud Rhodios: de quorum ſtatuis urbani homines dicere ſoliti, eas eſſe hiſtrionibus ſimiles: ὥσπερ γὰρ ἐκείνων ἕκαστον ἄλλοτε ἄλλον εἶναι, καὶ τοὺς ἀνδριάντας αὐτοῖς ἄλλοτ' ἄλλα λαμβάνειν πρόσωπα, καὶ μικροῦ δεῖν ὑποκρινομένους ἑστάναι. Plura in hanc ſententiam apud Dionem Chryſoſtomum in Rhodiaca oratione, ubi multis rationibus conatur philoſophus ille Rhodios a perverſa ea conſuetudine avertere. Reperio etiam non demto capite titulos mutari ſolitos, quod μεταγράφειν Pauſanias dicit in Atticis. Τὰς Μιλτιάδου, inquit, καὶ Θεμιστοκλέους εἰκόνας ἐς Ῥωμαῖόν τε ἄνδρα καὶ Θρᾷκα μετέγραψαν. & in Corinthiacis refert idem, Oreſtis veterem ſtatuam mutato titulo, Imperatori Auguſto fuiſſe conſecratam. Auctor eſt Hieronymus, moris fuiſſe, ut victorum tyrannorum ſtatuæ mutato capite victoribus conſecrarentur. ſic ille Comm. in Habacuc Prophetam lib. altero: *Si quando tyrannus detruncatur, imagines quoque ejus deponuntur, & ſtatuæ: & vultu tantummodo commutato ablatoque capite, ejus qui vicerit facies ſuperponitur, ut manente corpore capitibuſque præciſis, caput aliud commutetur.*

Ut alterius imponeret.] Ipſius Tiberii, ſi hic eſt Granius Marcellus, de quo Tacitus lib. I. Addubitandi cauſſa eſt non levis, quum damnatum reum ſcribat noſter, Tacitus abſolutum: ſed poteſt non abſurda fortaſſe ex ipſis Taciti verbis peti ſolutio: qui

ſerat, ut alterius imponeret. Acta res in ſenatu. Et quia ambigebatur, per tormenta quæſita eſt. Damnato reo, paullatim hoc genus calumniæ eo proceſſit, ut hæc quoque capitalia eſſent: circa Auguſti ſimulacrum ſervum cecidiſſe, veſtimenta mutaſſe, numo vel anulo effigiem impreſſam latrinæ aut lupanari intuliſſe, dictum ullum factumve ejus exiſtimatione aliqua læſiſſe. Periit denique & is, qui honores in colonia ſua eodem die decerni ſibi paſſus eſt, quo decreti & Auguſto olim erant. Multa præ- 59
terea, ſpecie gravitatis ac morum corrigendorum, ſed & magis naturæ obtemperans, ita ſæve & atrociter factitavit, ut nonnulli verſiculis quoque & præſentia exprobrarent, & futura denuntiarent mala:

Aſper & immitis, breviter vis omnia dicam?
Diſpeream ſi te mater amare poteſt.

Non

qui non ſimpliciter ſcribit reum fuiſſe abſolutum, ſed ſic, *tulit abſolvi reum criminibus majeſtatis.* potuit igitur fieri, ut in gratiam Tiberii damnaretur Granius, etſi alius quæſitus ſit prætextus, quam majeſtatis crimen.

TORRENT.

Paulatim hoc genus.] Lib. unus *confeſtim* pro *paullatim*, in altero utrumque deeſt. Huc ſpectant, quæ de Tiberii temporibus ſcribit Seneca de Benef. lib. III. cap. XXVI.

Servum cecidiſſe.] A *cædo*, non a *cado*. Juven. Sat. III. *ſi nullum forte cecidit, Dat pœnas.* ubi tamen vetuſtiſſ. cod. *cicidit* habet. Nec vero de ſervo, qui ad ſtatuam confugerit, Suetonii locum hic intelligo; ſed quacunque occaſione ad Auguſti ſimulacrum aliquod verberato: ut mutare veſtem nefas habebatur, quovis modo id accidiſſet, quod velut ante Deum ſe denudaſſet ille, qui impietatis hujus reus fieret.

Honores eodem die.] Mss. omnes *honorem*, & mox *quo decretus & Auguſto olim erat*, uno dempto, in quo ſic legitur, *qui honorem in colonia ſua eo die decerni ſibi paſſus eſt, quo decreti & Auguſto olim erant.* quam lectionem probo.

59. *Sed & magis.*] Videtur ſuperfluere &.

Aſper & immitis.] Non puto eodem tempore verſus omnes, qui ſequuntur, tanquam uno eodemque comprehenſos epigrammate, propoſitos fuiſſe. primos enim quatuor ad ea tempora, quibus Rhodi egerit, referendos eſſe ex eo manifeſtum eſt, quod ſubjicitur, *Non ſunt tibi millia centum.* id enim ut de eo dictum, qui in patris ſit poteſtate intelligo; ac proinde ante principatum tantum vere dici de eo potuit. Quin ſingula diſticha priora quatuor diverſorum temporum fuiſſe crediderim.

CASAUBON.

Circa Auguſti ſimulacrum ſervum cecidiſſe.] Voluit enim Tiberius novo numini patri ſuo non minus reverentiæ præſtari, quam cæteris diis, quorum templa, aras, ſtatuas, & effigies perfugium præbuiſſe ſervis, quos inclementes domini perſequerentur, notum eſt.

Veſtimenta mutaſſe.] Pars honoris, qui more majorum diis exhibebatur, erat, ut in eorum conſpectu neque diceretur neque fieret quicquam, in quo eſſet aliquid obſcœnitatis, ut diſputat Athenæus lib. VIII. Arrianus Diſſertationum lib. II. cap. VIII. Ἐν σαυτῷ φέρεις τὸν θεὸν, καὶ μολύνων οὐκ αἰσθάνῃ, ἀκαθάρτοις μὲν διανοήμασι, ῥυπαραῖς δὲ πράξεσι· καὶ ἀγάλματος μὲν τοῦ θεοῦ παρόντος, οὐκ ἂν τολμήσαις τὶ τούτων ποιεῖν, ὧν ποιεῖς· αὐτοῦ δὲ τοῦ θεοῦ παρόντος ἔσωθεν, καὶ ἐφορῶντος πάντα, καὶ ἐπακούοντος, οὐκ αἰσχύνῃ ταῦτα ἐνθυμούμενος καὶ ποιῶν, ἀναίσθητε τῆς σαυτοῦ φύσεως καὶ θεοχόλωτε; Plutarchus in Quæſtionibus Romanis: Ἐν ναῷ καὶ ἱερῷ γυμνοῦν ἑαυτὸν ἀθέμιτόν ἐστιν. Idem tranſlatum ad honorem hominum: Valerius Max. lib. II. *Manifeſtum igitur eſt tantum religionis ſanguini & affinitati, quantum ipſis diis immortalibus tributum: quia inter iſta tam ſancta vincula non magis quam in aliquo ſacrato loco nudare ſe, fas eſſe credebatur.* Inde patuit ad calumniam hic locus: tributum enim impietati, quomodo ante notabamus crimen majeſtatis ſolitum fuiſſe illis temporibus appellari, quod & Dio obſervat lib. LVII. Similis hiſtoria in vita Domitiani apud Xiphilinum de ea muliere, quæ occiditur ἀποδυσαμένη ἐναντίον εἰκόνος τοῦ Δομιτιανοῦ.

Eodem die decerni ſibi paſſus eſt, quo decreti & Auguſto olim erant.] Mira hujus Principis ſemper fuit curioſitas circa obſervationem dierum. Ejus generis eſt, quod refert notatque Tacitus Annal. VI. in Agrippinæ ſupplicio: *Eodem die defunctam, quo biennio ante Sejanus pœnas luiſſet, memoriaque id prodendum addidit Cæſar.*

59. *Specie gravitatis.*] Julianus Cæſaribus: Τιβέριος σεμνὸς τὰ πρόσωπα καὶ βλοσυρὸς, σῶφρόν τε ἅμα καὶ πολεμικὸν βλέπων.

Ut nonnulli verſiculis quoque & præſentia exprobrarent, & fut.] Tacitus I. Annal. *Hunc quoque aſperavere carmina incertis auctoribus vulgata in ſævitiam ſuperbiamque ejus, & diſcordem cum matre*

animum,

Non es eques. quare? non ſunt tibi millia centum:
Omnia ſi quæras, & Rhodos exſilium eſt.
Aurea mutaſti Saturni ſæcula, Cæſar:
Incolumi nam te, ferrea ſemper erunt.
Faſtidit vinum, qui jam ſitit iſte cruorem:
Tam bibit hunc avide, quam bibit ante merum.
Adſpice felicem ſibi, non tibi, Romule, Sullam:
Et Marium, ſi vis, adſpice, ſed reducem.
Nec non AntonI civilia bella moventis,
Nec ſemel infectas aſpice cæde manus.
Et dic, Roma perit: regnabit ſanguine multo,
Ad regnum quiſquis venit ab exſilio.

Quæ primo quaſi ab impatientibus remediorum, ac non tam ex animi ſententia, quam bile & ſtomacho fingerentur, volebat accipi. Dicebatque identidem, *Oderint, dum probent.*

animum. non eſt dubitandum hæc ipſa carmina intelligi, quæ noſter non eſt paſſus interire.

TORRENT.

Sitit iſte cruor.] Liber opt. *bibit iſte cruorem.* quod non diſplicet, ut ſanguine ſaturatus vinum faſtidiat.

Nec non AntonI.] Antonium ob inſignem in triumviratu ſævitiam cum Sulla & Mario comparat, & cum hiſce tribus crudeliſſimis hominibus Tiberium. Quorum mox exemplo crudeliter regnaturum concludit, quicunque ad regnum ab exſilio venerit. nam & Sulla tunc exſul videri potuit, cum Roma abſens ad exercitus confugit: & Antonius quoque eo tempore, quo hoſtis reip. declaratus fuit. De Marii vero, & Tiberii exſilio res omnibus nota.

Ab impatientibus Romæ dominii.] Tres codices non habent dictionem *Romæ*; pro *dominii* vero, *domini.* Et ſane nec dictio *Romæ* neceſſaria eſt, & *domini* longe venuſtius.

Oderint, dumprobent.] Atqui nemo id quod oderit, probat. Verum (ut credo) Tiberius his verbis odia quomodocunque in ſe orta facile contemnebat, dummodo facta ejus vel inviti probare cogerentur. tunc enim hoc dicebat, cum ita moderate ſe gereret, ut a nullo reprehendi poſſet. Beroaldus ut a tyranno dictum accepit, ut, *Oderint, dum metuant.*

CASAUBON.

Adſpice felicem ſibi, non tibi.] Tria hæc poſtrema diſticha conjungi debent, cætera ſeparari: ſeorſim enim quodque eorum ſuam ſententiam abſolvit.

Nec non AntonI.] Reſpicit decretum, quo declaratus hoſtis patriæ Antonius: id enim mire ſævitiam ejus, quando in urbem reverſus eſt, intendit.

Regnabit ſanguine multo, ad regnum quiſquis venit ab exſilio.] Verum & prudens dictum, quod multorum Principum experientia confirmat. Uberrimam exemplorum ſylvam ſuppeditat hiſtoria Imperatorum Conſtantinopolitanorum, qui invicem trudere ſe & ſolio dejicere ſoliti: ſi quando, quod ſæpe accidit, reſtituerentur, nullum ſævitiæ, feritatis & immanitatis genus non exercebant. vel vide quæ de uno Andronico Comneno narrant hiſtorici, præſertim Nicetas, aut quæ de Juſtiniano Rhinotmeto ſcribunt alii. Cauſſas quærere libet. Quibus in exſilium pelli proceribus contigit, eos factione pulſos neceſſe eſt, proindeque multos habere inimicos, quod in Sulla, Mario & Antonio verum eſt: vel magno rerum præſentium faſtidio atque odio ceſſiſſe, quod in Tiberio accidit. deinde certum eſt τοὺς ἀτυχοῦντας (quod Ælianus eleganter ait) ἐξαγριοῦσθαι. atque efferari. Laberius olim vere:

Mens incorrupta miſeria corrumpitur:
Mutat ſe bonitas irritata injuria.

Nec parum prudenter Otho apud Tacitum 1 Hiſtor. inter metus ſui cauſſas ponit, Principis ingenium *longo exſilio efferatum:* & in 1. Annal. ſapienter adæque reformidat populus Rom. *trucem Agrippam, & ignominia accenſum.* Simile quid de Cæſare Gallo etiam Marcellinus initio XIV. Sed interior cauſſa eſt, quod qui patiuntur vel exſilium vel aliam calamitatem, ii dum aſſidue cogitant de vindicta inimicorum ſuorum, paullatim habitum induunt hominis crudelis, ſævi, feri: quem animi habitum poſtea rerum potiti in eos primo, quibus ſunt offenſi, exſerunt, deinde in alios: vel quia ipſis ſemel ἀποτεθηριωμένοις ſævitia placet, & pretium eſt: vel quia dum aliquos occidunt, novos ſubinde ſibi hoſtes creant. Ita quotidie ſeges oleſcit exercendæ illius ferinæ naturæ. Adde quod omnes in adverſis iniqua experiuntur hominum judicia, quaſi digniſſimi ſua pœna ſint, ut veriſſime Vellejus ait: inde vilitas & contemtus calamitoſorum apud omnes, inde calamitoſorum adverſum omnes odium & κότος ac diu τεθησαυρισμένη ὀργή.

bent. Deinde vera plane certaque eſſe ipſe fecit fidem. In paucis diebus quam Capreas 60
attigit, piſcatori, qui ſibi ſecretum agenti grandem mullum inopinanter obtulerat, perfricari eodem piſce faciem juſſit: territus, quod is a tergo inſulæ per aſpera & devia erepſiſſet ad ſe. Gratulanti autem inter pœnam, quod non & locuſtam, quam prægrandem ceperat, obtuliſſet, locuſta quoque lacerari os imperavit. Militem prætorianum, ob ſurreptum e viridario pavonem capite puniit. In quodam itinere lectica, qua vehebatur, vepribus impedita, exploratorem viæ primarum cohortium centurionem ſtratum humi pæne ad necem verberavit. Mox in omne genus crudelitatis erupit, numquam deficiente 61
materia: cum primo matris, deinde nepotum & nurus, poſtremo Sejani familiares atque etiam notos perſequeretur. Poſt cujus interitum vel ſæviſſimus exſtitit: quo maxime apparuit, non tam ipſum a Sejano concitari ſolitum, quam Sejanum quærenti occaſiones ſubminiſtraſſe. Etſi commentario, quem de vita ſua ſummatim breviterque compoſuit, auſus eſt ſcribere, *Sejanum ſe puniſſe, quod comperiſſet furere adverſus liberos Germanici filii ſui:* quorum ipſe alterum ſuſpecto jam, alterum oppreſſo demum Sejano interemit. Singillatim crudeliter facta ejus exſequi longum eſt: generatim velut exemplaria ſævitiæ enumerare ſat erit. Nullus a pœna hominum ceſſavit dies; ne reli-

TORRENT.

60. *In paucis diebus quam Cap.*] Inſolens locutio, pro paucis diebus, ex quo Capreas attigit. Non multum diſſimile illud Horatii, *quinque diebus Nil erat in loculis.*

Locuſtam.] Locuſta enim ex eorum genere eſt, quæ *cruſtis intecta*, & *cruſtata* vocat Plin. lib. IX. cap. XII. & lib. XI. cap. XXXVII. Græci *μαλακόστρακα.* At mullus ſquamam habet aſperam quidem, ſed quæ non ita ut cruſta læderet.

Primarum cohortium.] Liber vetuſtiſſ. *chortium*, ut ſemper. Sic in nummo argenteo Antonii triumviri, CHORTIS SPECULATORUM. Quod autem non *primarum*, ſed *prætoriarum* legendum Elector. II. cap. XVII. Lipſius cenſet, non quin certus fuerit cohortium ordo atque numerus, ſed quia prætorianorum erat Principem uſquequaque comitari, non id mihi perſuadet. neque enim ſcribentis error hic culpari poteſt, cum paulo ante prætoriani meminerit militis. Et ſi prætoriani ubique comites, cur ipſe explorandæ viæ cauſa præmiſſus centurio? Taceo hoc, de quo agitur, ſpeculatorum fuiſſe officium. De quibus ſup. cap. XXV. & Oth. cap. V.

61. *Sejano quærenti.*] Libri duo *Sejanum*, & recte.

Commentario quem de vita ſua.] Liber opt. *quod* pro *quem.* Domit. cap. XX. *Præter commentarios & acta Tiberii nihil lectitabat.* Sup. Aug. cap. LXXXV.

Germanici liberos, filii ſui.] Liber unus *liberos Germanici.* Illud ergo, *filii ſui*, ex gloſſemate adjectum eſt.

CASAUBON.

60. *Perfricari eodem piſce faciem juſſit.*] Alludit hoc factum Julianus: *οἰμώζων μὲν οὖν εἶπεν, ἐν μονῇ νησιδίου (τὰς Καπραίας αἰνιττόμενος) τὸν ἄθλιον ἁλιέα ψηχέτω.*

Exploratorem viæ.] Hoc genere miniſteriorum utebantur proceres Romani non ſolum in viis agrorum, ſed etiam in urbe; puta cum ad balnea irent, aut alio quo. Lucianus Nigrino: Πολὺ δὲ ἐν τῇ πόλει τοῦτο, καὶ τοῖς βαλανείοις ἐπιχωριάζον· προϊόντας γάρ τινας τῶν οἰκετῶν δεῖ βοᾷν καὶ παραγγέλλειν προορᾶσθαι τοῖν ποδοῖν, ἢν ὑψηλόν τι ἢ κοῖλον μέλλωσιν ὑποβαίνειν, καὶ ὑπομιμνήσκειν αὐτοὺς τὸ καινότατον, ὅτι βαδίζουσι,

Stratum humi ad necem verberavit.] Ita moris, & in ſecuri percutiendis, & in fuſti puniendis. Tacitus I. Annal. *proſtratos verberibus multant.*

61. *Nullus a pœna hominum ceſſavit dies, ne religioſus quidem ac ſacer.*] Et Græcorum & Romanorum vetus mos fuit, ut diebus feſtis abſtineretur a ſuppliciis, ut notamus lib. ſuperiore ad cap. LVII. Quin hoc quoque obſervare licet, diebus ſolenniorum feſtorum vinctos fuiſſe ſolutos. Ulpianus ad Demoſthenis illa verba, *πολλὰς πενταετηρίδας ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ διατρίψαντα* ex oratione *κατὰ Τιμοκράτους*, ſic notat: *Οὐχ ἁπλῶς τοῦτο εἶπεν, ἀλλ' ἐπειδὴ κατὰ πέντε ἔτη ἤγετο τὰ παναθήναια· τότε δὲ ἐξῆν ἀφεῖσθαι τοῦ δεσμοῦ τοὺς δεσμώτας διὰ τὴν πανήγυριν, ὡς ἔγνωμεν ἐν τῷ κατὰ Ἀνδροτίωνος.* Idem fiebat & Romæ. Livius lib. V. in deſcriptione lectiſternii, quod primum factum eſt in Urbe, anno CCCLV: *Et cum inimicis quoque benigne ac comiter ſermones habiti, jurgiis ac litibus temperatum, vinctis quoque dempta in eos dies vincula.*

VARIOR.

61. *Generatim velut exemplaria.*] Codex Salmaſ. *genera velut exemplaria.*

Nullus

religioſus quidem ac ſacer. Animadverſum in quoſdam ineunte anno novo: accuſati damnatique multi cum liberis atque etiam uxoribus ſuis. Interdictum, ne capite damnatos propinqui lugerent: decreta accuſatoribus præcipua præmia, nonnumquam & teſtibus. Nemini delatorum fides abrogata. Omne crimen pro capitali receptum, etiam paucorum ſimpliciumque verborum. Objectum eſt poetæ, quod in tragœdia Agamemnonem probris laceſſiſſet: objectum & hiſtorico, quod *Brutum Caſſiumque ultimos Romanorum* dixiſſet: animadverſum eſt ſtatim in auctores, ſcriptaque abolita, quamvis probarentur aliquot ante annos, etiam Auguſto audiente recitata. Quibuſdam cuſtodiæ traditis, non modo ſtudendi ſolatium ademtum, ſed etiam ſermonis & colloquii uſus. Citati ad cauſſam dicendam, partim ſe domi vulneraverunt, certi damnationis, & ad vexationem ignominiamque vitandam: partim in media curia venenum hauſerunt, & tamen colligatis vulneribus, ac ſemianimes palpitanteſque in carcerem rapti. Nemo punitorum non & in Gemonias abjectus uncoque tractus. Viginti uno die abjecti tractique ſunt: inter eos pueri & fœminæ. Immaturæ puellæ, quia more tradito nefas eſſet virgines ſtrangu-

TORRENT.

Religioſus ac ſacer.] Feſtos feriatoſque dies intelligo, quibus (ut inquit Cicero) *liberi jurgiorum ac litium ſervi operum ac laborum requietem habebant.* At Tiberius nullum ſine ſupplicio transmiſit.

Ineunte anno novo.] Atqui diem Kal. Jan. Romani lætiſſimum agebant, eumque ſupplicio funeſtare nefas erat, uti & Saturnalia. Macrob. lib. I. cap. X.

Agamemnonem probris laceſſ.] Duo codd. non habent *probris.* Offenderat autem Tiberium poeta, quod ſub Agamemnonis perſona ipſum, qui Romanis imperabat, laceſſiſſe videretur. Simile eſt quod de M. Æmilio Scauro ſcribit Dion lib. LVIII. is enim ob Tragœdiam quandam ſuam, cui Atreus nomen fecerat, quia Euripidis verbis quidam in ea alterum monuerat, ut ſtultitiam imperantis ferret, a Tiberio mortem ſibi conſciſcere coactus fuit. Lepide igitur Horat. lib. II. Sat. III. Ajacem adverſus Agamemnonem defenſurus veniam præfatur:

Ergo conſulere, & mox reſpondere licebit?
Conſule. Cur Ajax, &c.

Frequens autem apud optimos auctores, ut ſub perſonis Homericis alios intelligant. Perſ.

Ne mihi Polydamas, & Troides Labeonem, &c.

Objectum & hiſtorico.] Is fuit A. Cremutius Cordus. Tacit. lib. IV. de quo Aug. cap. XXXV. Calig. cap. XVI. Seneca Conſolat. ad Marciam cap. XXII.

Ultimos Romanorum.] Ut Philopœmenem Græcorum ultimum vocare ſolitos Romanos refert Plutarch. ejus vita.

Non modo ſtudendi.] Libri duo *ſcribendi.* quod magis placet.

Viginti uno die abjecti tractique] In duobus libris deſideratur *tractique.* Ego etiam *abjecti* lubens rejecerim. jam enim id ante dixerat Sueton. ſtudioſiſſimus brevitatis.

CASAUBON.

Animadverſum in quoſdam ineunte anno novo.] An. DCCLXXXI. Kal. tractus in carcerem inluſtris eques Rom. ac mox ſupplicio affectus. Tacit. vide lib. IV.

Objectum & hiſtorico.] A. Cremutio Cordo.

Quod Brutum Caſſiumque ultimos Romanorum dixiſſet.] Prior iſtud Brutus dixerat in planctu ſuper jacente Caſſio. auctor Plutarchus. Eſt hoc quoque a Græcis acceptum: exſtat enim vetus de Cleomede oraculum in hæc verba apud Pauſaniam, Ὕςατος ἡρώων Κλεομήδης Ἀςυπαλαιεύς. Pauſaniæ dicitur Philopœmen ὕςατος Græcorum εὐεργέτης. Procopius libro II. Perſicorum, de Aëtio & Bonifacio notis ducibus ex hiſtoria: Ἐς τοσȣ͂τον μεγαλοψυχίας καὶ τῆς ἄλλης ἀρετῆς ἡκέτην, ὥςε εἴτις αὐτοῖν ἑκάτερον ἄνδρα Ῥωμαίων ὕςατον εἴποι, ȣ̓κ ἂν ἁμαρτάνοι. ȣ῞τω τὴν Ῥωμαίων ἀρετὴν σύμπασαν ἐς τȣ́τω τὼ ἄνδρε ἀποκεκρίσθαι τετύχηκε.

Viginti uno die abjecti tractique ſunt: inter eos pueri & fœminæ.] Omnino corruptus numerus eſt, etſi quid reſtituendum ſit, difficile eſt affirmare. Magnitudinem ſtragis exprimit Tacitus lib. VI. in anno DCCLXXXVI. *Tiberius incitatus ſuppliciis, cunctos, qui carcere attinebantur accuſati ſocietatis cum Sejano, necari jubet. Jacuit immenſa ſtrages, omnis ſexus, omnis ætas, illuſtres, ignobiles, diſperſi aut aggregati.* Fortaſſe ſcribi debet, CC & viginti.

Immaturæ puellæ.] Notatum Dioni in filia Sejani: Τά τε παιδία αὐτȣ͂ κατὰ δόγμα ἀπέθανε, τῆς κόρης, ἣν τῷ τȣ͂ Κλαυδίȣ υἱεῖ ἐγγεγυήκει, προδιαφθαρείσης ὑπὸ τȣ͂ δημίȣ, ὡς ȣ̓χ ὅσιον ὂν παρθενευομένην τινὰ ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ ἀπολέσθαι. Similis religio triumviros in-

ſtrangulari, vitiatæ prius a carnifice, dein ſtrangulatæ. Mori volentibus vis adhibita vivendi. Nam mortem adeo leve ſupplicium putabat, ut cum audiſſet unum e reis, Carnulium nomine, anticipaſſe eam, exclamaverit, *Carnulius me evaſit*. Et in recognoſcendis cuſtodiis, precanti cuidam pœnæ maturitatem, reſpondit, *Nondum tecum in gratiam redii*. Annalibus ſuis vir conſularis inſeruit, frequenti quondam convivio, cui & ipſe adfuerit, interrogatum eum ſubito & clare a quodam nano adſtante menſæ inter copreas, cur

ceſſit, cum proſcriptionis tempore prætextatum quendam, ut poſſet occidi, juſſerunt induere togam virilem, ut narrant Appianus & Dio. Ex antiquis Martyrologiis ſcimus, in beatiſſimis virginibus, quæ ſanguinem pro Chriſto Domino noſtro fuderunt, idem ſæpe fuiſſe factitatum.

TORRENT.

Carnulium nomine.] Libri MSS. *Carmilium*, & *Cartulum*. Legendum *Carvilium*, aut, ſi quis malit, *Cartilium*. nam utrumque nomen Romanum eſt.

Nondum t. i. g. r.] Mortem ergo tyrannus ut beneficium afflicto imputat. De quo Lycus ille Thebanus apud Senecam Hercule furente:

Qui morte cunctos luere ſupplicium jubet,
Neſcit tyrannus eſſe. Diverſa irroga,
Miſerum veta perire, felicem jube.

A quodam nano.] Liber unus *a quodam Mario*. male. nanum enim ſive pumilionem intelligo, qui menſæ adſtiterit, ut nunc quoque videmus apud divites fieri. Sup. Aug. cap. LXXXIII.

Inter capreas.] Sic omnes codd. magno conſenſu. Beroaldus exponit pro in ſeceſſu Caprearum, inepte. Ego ſcurras ſic vocatos fuiſſe crediderim, vel ab ejus animalis obſcenitate, vel a rodendi conſuetudine. Utitur eo vocabulo etiam Claud. cap. VIII. ubi plura dicemus. Juſtus Lipſius Elector. II. cap. XVII. Joſephi Scaligeri, notis ad Feſtum in *Scurra*, auctoritatem ſecutus, *inter coprias* legit. Non tamen hujus loci Scaliger ibi meminit, ſed Claud. ut diximus, cap. VIII. Verum cum indidem quoque duo optimi codd. MSS. *a capreis* habeant, uti hic magno conſenſu omnes, etſi duobus his rei litterariæ principibus plurimum defero; ab opinione tamen mea non recedo, ac vocem illam immundam non amo; neque quo tempore, quove modo in Latium venerit, ſcio. Illud etiam, quod ex Dionis Pertinace adfert Scaliger, non admodum moror. potuit enim Græcus ille vocabulum Latinum (ni fallor) *capreas* ad ſuæ linguæ fontes leviter deflectere, & *coprias* fecere, ut in Claud. notabimus. Deinde quod ex Lactantio citat Lipſius de homine quodam diſerto, qui religionis noſtræ lumen Cyprianum alludens Coprianum appellavit, id quoque non nimium firmum eſt. Nam Caprianum non uno in Lactantii codice ſcriptum reperitur, eamque lectionem ſequitur Eraſmus. Cedam tamen majoribus lubens volens, cum quibus neque erraſſe in litteris probroſum ſit.

CASAUBON.

Precanti cuidam pœnæ maturitatem.] Imo ſæpius factum patet ex iis, quæ de Aſinio Gallo narrat Dio.

Nondum tecum in gratiam redii.] Dio: Δήσας τινα τῶν ἑταίρων ἔπειτα λόγου περὶ τῆς θανατώσεως αὐτοῦ γενομένου ἔφη, ὅτι οὐδέπω αὐτῷ διήλλαγμαι.

Adſtante menſæ inter copreas.] Copreæ ſunt homines βωμολόχοι, γελωτοποιοὶ, & ſcurræ. Ita autem legendum eſſe, & hic & in Claudio capite VIII. pridem docuit ex Dione Joſephus Scaliger in Caſtigationibus ad Feſtum. tanti viri ſententiam qui refellere conantur, nihil aliud quam in errore pertinaciam produnt: nam certo certius ita ſcripſiſſe Suetonium, fuiſſeque eam vocem in aulis Principum Romanorum jam inde a temporibus triumvirorum in uſu. quod ex ejuſdem Dionis lib. L. conſtat. Vox eſt Græcæ originis, etſi veteribus Græcis non uſitata, ut *arctalogus*, *dicterium*, *elogium*, *cataſta*, & ſexcentæ hoc genus. Græci κοπρίους ἄνδρας vocant, vel κοπρολόγους. ut Suidas: Ἀστυνόμοι, οἷς ἔμελε περὶ τῶν αὐλητρίδων, καὶ ψαλτριῶν, καὶ κοπρολόγων. id eſt, ἀστυνόμοι *dicebantur, quibus curæ erant tibicines, ſaltatrices & copriæ*. ſed & κοπρίας Græci recentiores. In Actis Synodi Oecumenicæ tertiæ Epheſi habitæ, tomo primo, ſectione x: Οὐδὲν θαυμαστὸν εἰ κακῶς ἡμᾶς λέγουσιν οἱ κοπρῖαι τῆς πόλεως, Χαιρήμων, Βίκτωρ, Σωφρονᾶς, καὶ τὸ τοῦ φυρατοῦ Φλαβιανοῦ παιδαρύλλιον. Copreas eleganter Hebraice dixeris גלולים, *gillulim*, qua ejuſdem originis voce Hebræi deos falſos ſignificant. Eſt vero mos Græcorum in omni vilitate explicanda ſimilibus vocibus aut loquendi generibus uti: ut illo improbo dicto Heracliti, quod Strabo, Plutarchus & Cedrenus referunt, Νέκυες κοπρίων ἐκβλητότεροι. Abdias hiſtoriæ Apoſtolicæ libro ſexto: *Audi, domine rex, iſta ſtercora abjicienda ſunt, & ex tuo regno emundanda, ne forte omnibus putredinem generent.* τὰ κόπρια ταῦτα ἐκβλητέα σοι. Romanos voce *copriæ* uſos, nihil mirum: qui dixerint etiam *copron*. Varro apud Nonium: *Non Hercules poteſt, qui Augiæ agebat copron.* neque errant meo judicio, qui ejuſdem Varronis iſta ſic legunt apud Nonium: *Omnes videmur nobis eſſe belli, feſtivi, ſaperdæ, cum ſimus copreæ.* Laudatur etiam Laberius in *Coprino*: nam ita manu exarati, apud Nonium, ubi editum *Cophino*. Gloſſæ Iſidori: *Scurra, qui incopriatur:*

Scurrula

cur Paconius, majeſtatis reus, tam diu viveret: ſtatim quidem petulantiam linguæ objurgaſſe, cæterum poſt paucos dies ſcripſiſſe ſenatui, ut de pœna Paconii quam primum
62 ſtatueret. Auxit intenditque ſævitiam, exacerbatus indicio de morte filii ſui Druſi: quem cum morbo & intemperantia periiſſe exiſtimaret, ut tandem veneno interemtum fraude Livillæ uxoris atque Sejani cognovit, neque tormentis neque ſupplicio cujusquam pepercit: ſoli huic cognitioni adeo per totos dies deditus & intentus, ut Rhodienſem hoſpitem, quem familiaribus litteris Romam evocarat, adveniſſe ſibi nuntiatum, torqueri ſine mora juſſerit, quaſi aliquis ex neceſſariis quæſtioni adeſſet: deinde errore detecto, & occidi, ne divulgaret injuriam. Carnificinæ ejus oſtenditur locus Capreis, unde damnatos poſt longa & exquiſita tormenta, præcipitari coram ſe in mare jubebat: excipiente claſſiariorum manu, & contis atque remis elidente cadavera, ne cui reſidui ſpiritus quidquam ineſſet. Excogitaverat autem inter genera cruciatus, etiam ut larga meri potione per fallaciam oneratos, repente veretris deligatis, fidicularum ſimul urinæque tormento diſtenderet. Quod niſi eum & mors præveniſſet, & Thraſyllus conſulto, ut ajunt, differre quædam ſpe longioris vitæ compuliſſet: plures aliquanto necaturus, ac ne reliquis quidem nepotibus parſurus creditur: cum & Cajum ſuſpectum haberet, & Tiberium ut ex adulterio conceptum aſpernaretur. Nec abhorret a vero: namque identidem *Felicem Priamum vocabat*, *quod ſuperſtes omnium ſuorum exſtitiſſet.*
63 Quam vero inter hæc non modo inviſus ac deteſtabilis, ſed prætrepidus quoque atque etiam

Scurrula, qui incopriat. Quare deſinant poſthac homines eruditi in duobus his Suetonii locis, aut *capreas* aut *tropæos*, aut neſcio quas alias ineptias comminiſci. Mirum ſane poſt tam expreſſam Dionis affirmationem, repertos eſſe, qui in clariſſima luce cæcutirent.

VARIOR.

Carnulium.]. Codex Salmaſ. *Carnulum.* Palat. ſec. *Carmulum.* Primus, *Carrulum.* Sic ſtatim Salmaſianus, *Carrulus me evaſit.*

TORRENT.

62. *Veneno interemptum fraude Livillæ uxoris.*] Tres codices non habent dictionem *veneno*, quam tamen retineo. nam (ut ſcribit Tacit.) Livia, ſoror Germanici, Druſi uxor, a Sejano conſtuprata, adhibito in conſilium Eudemo medico, veneno per Lygdum ſpadonem dato maritum ſuſtulit. Adde Plinium lib. XXIX. cap. I. Liviam autem Tacit. quam Livillam Sueton. vocat. Sic Claudia & Claudilla, Plautia & Plautilla, quod ſupra quoque notaſſe me memini.

Ne divulgaret injuriam.] Libri noſtri omnes, *ne vulgaret.*

Quod & niſi mors.] Lib. unus *Quod niſi*, absque *&*.

Spe longioris vitæ compuliſſet.] Pro, induxiſſet.

Reliquis nepotib.] Quorum Cajus Germanici, Tiberius Druſi filius fuit; ille adoptivus nepos, hic naturalis & legitimus.

Ut adulterio conceptum.] Mater enim Livilla & Sejanum adulterum, & Eudemum amicum habuit. Vide Tacitum.

63. *Sed prætrepidus quoque.*] Fuere viri docti, quibus diſpliceret illud *prætrepidus*, & *præteritus* pro quo contemptus legendum eſſe putarent; verum quæ ſequuntur, trepidationem Tiberii oſtendunt.

CASAUBON.

Cur Paconius.] Hic eſt M. Paconius, qui C. Silano proconſulatum Aſiæ adminiſtranti legatus fuit, ac poſtea inter alios plures eum accuſavit. Tacitus Annal. lib. III.

62. *Veneno interemptum fraude Livillæ uxoris atque Sejani cognovit.*] Indicium fecit Apicata Sejani uxor, poſt mariti & liberorum cædem ſeſe interfectura.

Deinde errore detecto & occidi, ne divulgaret injuriam.] Videtur de eo loqui, cujus ſimilem caſum narrat Dio, etſi paullo aliter: non enim errore factum, ſed injuſte accuſatum eum fuiſſe. Verba ejus: Ἕτερον μέντοι τινα καὶ πάνυ ἰσχυρῶς βασανίσας, ἔπειτα γνοὺς ὅτι ἀδίκως κατηγορήθη, καὶ πάνυ σπουδῇ ἀπέκτεινεν, εἰπὼν ὅτι χαλεπωτέρως ὕβρισαι ἢ ὥστε καλῶς δύνασθαι ζῆν.

Et Thraſyllus conſulto, ut ajunt.] In his eſt Dio, qui pluribus explicat.

Et Tiberium ut ex adulterio conceptum aſpernaretur.] Tangit hoc & Dio: Τιβέριον τὸν ἔκγονον διὰ τὴν ὑποψίαν· οὐ γὰρ ἐπιστεύετο τοῦ Δρούσου παῖς εἶναι.

VARIOR.

62. *Ne divulgaret injuriam.*] Scribimus cum Grutero & vett. edd. & codd. Palatinis, Torrentianis, ac Salmaſiano: *vulgaret.*

63. *Sed prætrepidus atque etiam contumeliis obnoxius*

etiam contumeliis obnoxius vixerit, multa indicia ſunt. Haruſpices ſecreto ac ſine teſti-
bus conſuli vetuit. Vicina vero urbi oracula etiam disjicere conatus eſt: ſed majeſtate
Præneſtinarum ſortium territus, deſtitit: cum obſignatas devectaſque Romam non
reperiſſet in arca, niſi relatas rurſus ad templum. Unum & alterum conſulares, oblatis
provinciis, non auſus a ſe dimittere, uſque eo detinuit, donec ſucceſſores poſt aliquot
annos præſentibus daret: quum interim manente officii titulo, etiam delegaret plurima:
aſſidueque illi per legatos & adjutores ſuos exſequenda curarent. Nurum ac nepotes 64
numquam aliter poſt damnationem, quam catenatos, obſutaque lectica, loco movit:
prohibitis per militem obviis ac viatoribus reſpicere uſquam, vel conſiſtere. Sejanum 65
res novas molientem, quamvis jam & natalem ejus publice celebrari, & imagines aureas
coli paſſim videret: vix tandem & aſtu magis ac dolo quam principali auctoritate, ſub-
vertit. Nam primo, ut a ſe per ſpeciem honoris dimitteret, collegam ſibi aſſumſit in
quinto

noxius vixerit.] Vocem *contumeliis* delendam eſſe, recte viderunt Salmaſius, & Gronovius. *Obnoxius* enim hoc ſenſu accipitur, ut ſuperius cap. 12. hujus vitæ: *Enimvero non privatum modo, ſed etiam obnoxium & trepidum egit.* Obnoxius enim eſt, qui anxius & ſollicitus vivit. Vide, quæ Gronovius notavit ad Senec. III. de Ira cap. 8.

TORRENT.

Niſi relatas.] Legendum puto *relata*, arca nimirum, qua ſortes continebantur. Ea autem ex olea fuit, ut de harum ſortium hiſtoria ſcribit Cic. lib. II. de Divinat. Exſtat etiam denarius Plætorii Ceſtiani



apud me, in cujus parte altera Deæ effigies, Fortunæ, ut arbitror: altera vero pueri comati, ſub pectore arcam tenentis. Aſſcriptum SORS.

Non auſus a ſe dimittere, uſque adeo detinuit.] Liber unus, *non auſus dimittere a ſe, uſque eo detinuit.* Placet.

Delegaret plurima.] Ea ſcilicet, quæ præſidibus ab Imperatore committi ſolebant. *Delegare* autem JCtorum verbum eſt. Unde & *delegati judices.* Quin imo & *legati* proprie vocantur ii, quibus proconſules ſuam juriſdictionem mandant. L. IV. V. & VI. de Off. Proconſ. & Legati. Quamquam apud auctores *legati* fere dicuntur, qui ipſi provinciæ præſunt. Vide ſup. cap. XLI.

64. *Obſutaque lectica.*] Liber opt. *obſitaque*, & mox *unquam*, pro *uſquam.*

CASAUBON.

63. *Unum & alterum conſulares oblatis provinciis, non auſus a ſe dimittere.*] L. Ælium Lamiam & L. Arruntium intelligo, quorum ille anno DCCLVI. conſul fuit, hic anno DCCLIX. De utroque Tacitus Annal. VI. 17. fine anni DCCLXXXVI. *Extremo anni mors Ælii Lamiæ funere cenſorio celebrata; qui adminiſtrandæ Syriæ imagine tandem exſolutus, urbi præfuerat. Genus illi decorum, vivida ſenectus, & non permiſſa provincia dignationem addiderat. Exin Flacco Pomponio Syriæ proprætore defuncto, recitantur Cæſaris literæ, quis incuſabat egregium quemque & regendis exercitibus idoneum, abnuere id munus: ſeque ea neceſſitudine ad preces cogi, per quas conſularium aliqui capeſſere provincias adigerentur. Oblitus Arruntium, ne in Hiſpaniam pergeret, decimum jam annum attineri.* Hunc Tiberii morem notat Dio his verbis, de obitu præfecti urbis, cui Lamia ſucceſſit, loquens: Καὶ Λύκιον ἀνῖ' ἀυτῦ Λαμίαν (inepte vulgo & interpretes ταμίαν) ἀνθείλετο, ὃν πρόπαλαι τῇ ςρατιᾷ (emenda Συρίᾳ) προςάξας, κατεῖχεν ἐν τῇ Ῥώμῃ· τῦτο δὲ καὶ ἐφ' ἑτέρων πολλῶν ἐποίει, ἔργῳ μὲν, μηδενὸς ἀυτῶν δεόμενος, λόγῳ δὲ δὴ, τιμῶν ἀυτῦς προςποιύμενος. Obſervamus Tiberii exemplum multos Principes eſſe ſecutos. Tacitus in rebus Neronis, anno Urbis DCCCVIII. *Syria P. Antejo deſtinata, & variis mox artibus eluſus, ad poſtremum in urbe retentus eſt.* Idem Hiſtor. lib. II. in principatu Vitellii: *Cluvius comitatu Principis adjectus, non adempta Hiſpania, quam rexit abſens, exemplo L. Arruntii, quem Tib. Cæſar ob metum, Vitellius Cluvium nulla formidine retinebat.* Eadem calliditate uſum Domitianum ex eodem Tacito in vita Agricolæ apparet, manſiſſeque eum morem diu ex ſimillimo loco Dionis in fragmentis rerum Macrini Imp. intelligimus.

VARIOR.

Relatas rurſus ad templum.] Codex Salmaſ. *relata*, ut conjecerat Torrentius.

TOR-

quinto conſulatu. quem longo intervallo abſens ob id ipſum ſuſceperat. Deinde ſpe affinitatis ac tribunitiæ poteſtatis deceptum, inopinantem criminatus eſt pudenda miſerandaque oratione: cum inter alia P. C. precaretur, *mitterent alterum e conſulibus, qui ſenem ſe, & ſolum in conſpectum eorum cum aliquo militari præſidio perduceret.* Sic quoque diffidens, tumultumque metuens, Druſum nepotem, quem vinculis adhuc Romæ continebat, ſolvi, ſi res poſceret, ducemque conſtitui præceperat. Aptatis etiam navibus ad quaſcumque legiones meditabatur fugam, ſpeculabundus ex altiſſima rupe identidem ſigna, quæ, ne nuntii morarentur, tolli procul, ut quidque foret factum, mandaverat. Verum & oppreſſa conjuratione Sejani, nihilo ſecurior aut conſtantior,

65 per novem proximos menſes non egreſſus eſt villa quæ vocatur Jovis. Urebant inſuper anxiam mentem varia undique convitia, nullo non damnatorum omne probri genus coram, vel per libellos in orcheſtra poſitos, ingerente. Quibus quidem diverſiſſime afficiebatur: modo, ut præ pudore ignota & celata cuncta cuperet: nonnumquam eadem contemneret, & proferret ultro atque vulgaret. Quin & Artabani Parthorum regis

65. *Pudenda miſerandaque oratione.*] Epiſtolam principalem ad ſenatum, vocant *orationem* ſæpe hiſtorici. Juvenalis de hac oratione:

- - - verboſa & grandis epiſtola venit
A Capreis.

Sic & Dio: ἐν τούτῳ ἡ ἐπιστολὴ ἀνεγνώσθη· ἦν δὲ μακρά.

TORRENT.

65. *Militari præſidio.*] E duobus codd. abeſt dictio *militari.*

Speculabundus.] Lib. MSS. quatuor ante id verbum interpungunt, deinde ſic legunt: *ſpeculabundus ex altiſſima rupe identidem ſigna, quæ, ne nuncii morarentur, tolli procul ut quidque factum foret, mandaverat.* Quam lectionem ſi amplectimur, *ſpeculabundus ſigna,* pro ad ſigna, dixerit Sueton. Id ſi cui duriuſculum videbitur, veteri lectione retenta, pro *ſignaque* legat *ſigna namque,* ut apertior ſit ſententia, difficilis alioqui, & impedita.

Per libellos in orcheſtra poſitos.] Unde ſenatus ſcilicet ludos ſpectabat. Sed quare non plebem quoque adverſus tyrannum concitabant? Idem (credo) ſub Tiberio evenit, quod ſub Domitiano & aliis tyrannis, ut ſi in optimates potiſſimum ſæviant, id impune ferant. Vide Domit. cap. ult. Poterant & in orcheſtra poni hi libelli, ut magis eſſent conſpicui. Lector cogitet. Mihi quidem non liquet.

Artabani.] De hoc nonnulla Tacit. lib. II. ſed plura Joſeph. Antiq. lib. XVIII. Aliquid inf. Calig. cap. XIV.

CASAUBON.

Speculabundus ex altiſſima rupe identidem ſigna.] Emendavimus ex MSS. hunc locum: vulgo enim mendoſiſſime diſtinguunt poſt *identidem,* ac ſcribunt *ſignaque.* Eſt vero ἀρχαϊσμὸς, *ſpeculabundus ſigna* pro ſpeculans. Siſenna in quarto Hiſtoriarum: *Populabundus agros ad oppidum pervenit.* vide A. Gellium.

Signa, quæ, ne nuntii morarentur, tolli procul, ut quidque foret factum, mandaverat.] Signa ſunt faces accenſæ, quibus uſi veteres in ſigno dando, mirabili plane induſtria: nam prorſus, prout quidque factum erat, aut novi acciderat, ita ignibus ſublatis ſignificabant, quaſi litteris ſcriptis. Totum hoc artificium aperuit cum cura nobis Polybius; ſed illa ſummi ſcriptoris diſputatio ita hodie affecta eſt, ut pauciſſimi rem inde poſſint diſcere. nos omnia (φθόνος δ' ἀπέστω καὶ Νέμεσις) purgavimus, & copioſe pridem expoſuimus, remque fecimus planiſſimam, ut amici multi norunt, tu in his, magne Themidis & Muſarum ſacerdos, Philippe Canai, qui mihi ſæpe edendi ejus prudentiſſimi ſcriptoris auctor & ſuaſor exſtitiſti. Animus non deeſt, voluntas etiam ſupereſt: otium καὶ τὸ ἀμέριμνον hactenus ſemper defuerunt, quod noſtra ſcripta produnt nimis.

Villa quæ vocatur Jovis.] Memmianus *Ionis.* ſed quum Tiberius eam inſulam XII. villarum nominibus inſederit, ut loquitur Tacitus, non diſplicet conjectura exiſtimantium, iis villis nomina fuiſſe XII. deorum.

66. *Proferret ultro atque vulgaret.*] Non prætermittit Dio: Ζητῶν καθ' ἕκαστον ἀκριβῶς ὅσα ᾐτιάζοντο φλαύρως περὶ αὐτοῦ εἰρηκέναι, αὐτὸς ἑαυτὸν πάντα τὰ ἐξ ἀνθρώπων κακὰ ἔλεγε· καὶ γὰρ εἰ ἀπορρήτως τις καὶ πρὸς ἕνα διελέχθη, καὶ τοῦτο ἐδημοσίευεν, ὥστε καὶ ἐς τὰ κοινὰ ἀπομνήματα ἐσγράφεσθαι. id eſt, *Inquirens diligenter ſingula quæ de ſe in malam partem locutus eſſe aliquis diceretur, omnia maledicta ipſe ſibi ingerebat, quæ cuiquam mortalium poſſunt competere: nam ſi vel in occulto quis cum quoquam de eo eſſet locutus, id quoque publicabat, adeo ut etiam in acta publica referretur.*

VARIOR.

65. *Qui ſenem ſe & ſolum.*] Codex Salmaſ. *qui ſe ſenem & ſolum.* & paulo poſt legit Salmaſius: *& ducem conſtitui.* *que* in ejus libro deſideratur.

Quem vinculis continebat.] Scripſit, credo, Tranquillus: *quem vinculis.*

regis laceratus eſt litteris, patricidia & cædes & ignaviam & luxuriam objicientis, monentiſque ut voluntaria morte, maximo juſtiſſimoque civium odio quamprimum ſatisfaceret. Poſtremo ſemetipſe pertæſus, talis epiſtolæ principio, tantum non ſummam malo- 67
rum ſuorum profeſſus eſt. *Quid ſcribam vobis, Patres Conſcripti, aut quomodo ſcribam, aut quid omnino non ſcribam, hoc tempore? Dii me, Deæque pejus perdant, quam quotidie perire ſentio, ſi ſcio.* Exiſtimant quidam, præſciſſe hæc eum peritia futurorum: ac multo ante, quanta ſe quandoque acerbitas & infamia maneret, proſpexiſſe. Ideoque ut imperium inierit & PATRIS PATRIÆ appellationem, & ne in acta ſua juraretur, obſtinatiſſime recuſaſſe: ne mox majore dedecore impar tantis honoribus inveniretur. Quod ſane & ex oratione ejus, quam de utraque re habuit, colligi poteſt: vel cum ait, *Similem ſe ſemper ſui futurum: nec umquam mutaturum mores ſuos, quamdiu mentis ſanæ fuiſſet: ſed exempli cauſſa cavendum, ne ſe ſenatus in acta cujuſquam obligaret, qui aliquo caſu mutari poſſet.* Et rurſus: *Si quando autem*, inquit, *de moribus meis, devotoque vobis animo dubitaveritis, quod prius quam eveniat, opto, ut me ſupremus dies*

Torrent.

67. *Dii me deæque pœnis perdant, quem quot.*] Sic edit. Gallica, & libri tres MSS. Turneb. quoque Adverſar. XIV. cap. XVII. Germanica vero, & MSS. duo, *Dii me, Deæque pejus perdant, quam quotidie perire ſentio.* quæ ſane lectio apertior videtur, ac melior.

Ut imperium iniret.] Duo codd. *inierit.* placet. mallem tamen *inierat*, ut clara ſit ſententia, non ob hæc quæ dicit Sueton. eum imperii ſuſceptionem diſtuliſſe, ſed inito jam imperio, quo ſemper adſpiraverat, appellationem Patris Patriæ, & ut in acta ſua juraretur, obſtinatiſſime recuſaſſe. Quam hujus loci ſententiam genuinam eſſe monſtrat, quod mox ſequitur, *de utraque re.* Adde, ſi lubet, Dionem lib. LVII. Qui & illa addit, initio ne Imperatoris quidem prænomen eum tuliſſe, ut nec cognomen Auguſti, neque ut per fortunam ejus juraretur, aut, ſi fieret, perjurii pœna ſequeretur.

Similem ſe ſemper ſui.] Liber opt. *ſe ſui ſemper*, & mox *ſanæ mentis eſſet*, pro *ſanæ mentis fuiſſet*, multo ſane venuſtius.

Si quando autem, inquit.] Nemo non facile animadverterit, illud *inquit* ab infelici aliquo correctore adjectum eſſe.

Casaubon.

Monentiſque ut voluntaria morte, maximo juſtiſſimoque civium odio quam primum ſatisfaceret.] Eadem mens illorum fuit, qui cum in Neronem conjuraſſent, capti non ſolum crimen ultro fatebantur, ſed etiam imputabant: *tanquam aliter illi non poſſent niſi morte ſuccurrere, dedecorato flagitiis omnibus*, ut ſcribit noſter lib. VI. cap. 36. In eam ſententiam legitur in epiſtolis Phalaridis: Σώματος ἀῤῥωσίαν θεραπεύει τέχνη, ψυχῆς δὲ νόσον ἰατρὸς ἰᾶται θάνατος. *Corporis infirmitatem curat ars: animi morbo medicinam facit medicus unus mors.* Nec diſſimilis ſententia apud Tacit. VI. Annal. 49. *Iiſdem diebus, Sext. Papinius conſulari familia, repentinum & informem exitum delegit, jacto in præceps corpore. Cauſa ad matrem referebatur, quæ pridem repudiata, aſſentationibus atque luxu perpuliſſet juvenem ad ea, quorum effugium non niſi morte inveniret.*

67. *Quid ſcribam vobis, Patres conſcripti.*] Adi Tacitum Annal. VI. 6. ubi idem initium epiſtolæ Tiberii, *vere*, ut ille ait, *inſigne habetur*; & quidem paullo aliter ſcriptum.

Præſciſſe hæc eum peritia futurorum.] Fuit enim, ut Joſephus quoque notat, mire deditus curioſis artibus, & ſciendi futura avidiſſimus. Juvenalis:

- - - *tutor haberi*
Principis anguſta Caprearum in rupe ſedentis
Cum grege Chaldæo.

Vide cap. LXIX. Dio: Ὁ Τιβέριος ἐμπειρότατος τῆς διὰ τῶν ἄςρων μαντικῆς ἦν.

Quod ſane ex oratione ejus colligi poteſt.] Exſtat apud Tacitum Annal. IV. 38. civilis admodum Tiberii oratio, cujus poſtrema fere verba ſunt: *Deos deasque precor, ut mihi ad finem uſque vitæ quietam & intelligentem humani divinique juris mentem duint.*

Quod priuſquam eveniat, opto, ut me ſupremus dies huic mutatæ veſtræ de me opinioni eripiat.] Simile ejuſdem votum apud Dionem: *Optabat*, inquit, τοσοῦτον καὶ ζῆσαι καὶ ἄρξαι χρόνον, ὅσον ἂν τῷ δημοσίῳ συμφέρῃ.

Varior.

67. *Exempli cauſa cavendum.*] Codex Salmaſ. & R. Stephani editio: *cavendum eſſe.*

Tor-

dies huic mutatæ veſtræ de me opinioni eripiat, nihil honoris adjiciet mihi PATRIS appellatio: vobis autem exprobrabit, aut temeritatem delati mihi ejus cognominis, aut
86 *inconſtantiam contrarii de me judicii.* Corpore fuit amplo atque robuſto: ſtatura, quæ juſtam excederet. Latus ab humeris & pectore: ceteris quoque membris uſque ad imos pedes æqualis & congruens. ſiniſtra manu agiliore ac validiore. articulis ita firmis, ut recens & integrum malum digito terebraret: caput pueri, vel etiam adoleſcentis, talitro vulneraret. Colore erat candido, capillo pone occipitium ſubmiſſiore, ut cervicem etiam obtegeret, quod gentile in illo videbatur. Facie honeſta: in qua tamen

TORRENT.

Adjiciet Patris appell.] Liber unus *adjecerit*, & mox *exprobrarit* pro *exprobabit*. Pro *patris* etiam *patriæ* in altero cod. repperi. Ut fortaſſis *patris patriæ* legendum ſit, atque ita arbitror.

CASAUBON.

68. *Statura quæ juſtam excederet.*] Tacitus IV. An. 57. *Erant qui crederent in ſenectute quoque corporis habitum pudori fuiſſe, quippe illi prægracilis & incurva proceritas.* Quid eſt autem ſtatura juſta? Auctores ſunt Varro, A. Gellius, & Solinus, ſummum modum adoleſcendi humani corporis eſſe *ſeptem pedes*. Ex quo intelligimus, juſtam ſtaturam longe intra ſeptem pedes fuiſſe. id confirmat mos vetus in tironum dilectu ſervatus, quorum proceritatem fuiſſe ſemper exactam, ita ut *ſenos*, vel certe *quinos pedes*, & *denas uncias* habere probarentur, Vegetius ſcriptum reliquit lib. I. cap. V. Nec multo aliter Impp. Valentinianus & Valens, qui in titulo Cod. Theodoſ. de Tironib. dilectum haberi jubent, *in quinque pedib.* & *ſeptem unciis uſualibus.* Juſta igitur ſtatura æſtimatione Romana ſenum pedum circiter fuit: quem modum ſervatum in Nerone ſcribit Suetonius in conſcribenda *ex Italicis ſenum pedum tironibus nova legione, quam Magni Alexandri phalangem appellabat.* Unde dubium non eſt, pleroſque Italicos ea ſtatura non fuiſſe: qui autem excederent, erant proceritate notabiles. quare etiam qui ſeptimum pedem implebant, gigantum loco habebantur. Sidonius Apollinaris lib. VIII.

Hic Burgundio ſeptipes, frequenter
Flexo poplite ſupplicat quietem.

Idem in carmine ad Catulinum:

Spernit ſenipedem ſtylum Thalia,
Ex quo ſeptipedes videt patronos.

Ibidem mox *gigantes* vocat:

Tot tantique petunt ſimul gigantes,
Quot vix Alcinoi culina ferret.

Quibus in locis videtur Sidonius de pede Romano ſenſiſſe: nam aliarum gentium pes brevior. Quare etiam novem pedes altos in hiſtoria Græca reperimus: cujuſmodi fuit Proæreſius ille ſophiſta inſignis, de quo in vita ſcribit Eunapius, tantæ illum proceritatis fuiſſe, quantam vix animo concipere aliquis valeat, nedum facile credere. tum addit: Ἀνεϛηκέναι γὰρ εἰς ἐνατὸν πόδα κατεφαίνετο· ὥϛε κολοσσὸς ἐδόκει παρὰ τὺς μεγίϛυς ὁρώμενος τῶν καθ᾽ ἑαυτὸν ἀνθρώπων. *Ad nonum enim pedem aſſurgere eum apparebat; adeo ut coloſſus quidam eſſe videretur, cum ejuſdem ætatis hominibus, qui proceriſſimæ ſtaturæ erant, collatus.* Sic corrigendus eſt hic Eunapii locus, in vulgatis libris fœda menda corruptus, quæ virum doctiſſimum ejus interpretem, in errorem induxit. Sed & decem pedum homines hiſtoria Græca memorat, ut Nicetas Andronicum Comnenum: ſed menſuræ diverſæ. Apud Capitolinum legimus, fuiſſe Maximum pedum octo & prope ſemis. quod ſi accipiamus de menſura veteri Romana, valde inſigni proceritate fuerit. Porro hunc locum Suetonii imitans Eginhardus de Carolo Magno ita ſcribit: *Corpore fuit amplo atque robuſto, ſtatura eminenti, quæ tamen juſtam non excederet: nam ſeptem ſuorum pedum proceritatem ejus conſtat habuiſſe figuram.*

Capillo pone occipitium ſubmiſſiore, ut cervicem etiam obtegeret.] Tacitus, *nudus capillo vertex.* Talis fere fuit, quæ vocatur Græcis *Hectorea coma.* Lycophron:

--- νυμφίυς ἀρνύμεναι
Τὺς Ἑκτορείοις ἠγλαϊσμένυς κόμαις.

Scholia: Ἑκτόρειος κόμη, ἡ τὰ ὄπισθεν καθειμένα ἔχυσα, τὰ δὲ ἔμπροσθεν κεκαρμένα.

Quod gentile in illo videbatur.] Capitis capillos alii calamiſtro intorquebant, alii in gradus quoſdam formabant, quidam in σειρὰς diſtinguebant, nonnulli pone cervicem ſubmittebant: quod videtur indicare Suetonius his verbis, fuiſſe factum a pleriſque ex gente Claudia. Lib. VI. cap. LI. de Nerone: *Circa cultum habitumque adeo pudendus, ut comam ſemper in gradus formatam, peregrinatione Achaica etiam pone verticem ſubmiſerit.* Ovidius lib. III. Matæotechniæ:

Alterius crines humero jactentur utroque:
Talis es aſſumpta, Phœbe canore, lyra.

Martialis: - - - *molleſque flagellent,*
Colla comæ: tortas non amo, Flacce, comas.

Facie honeſta, in qua tamen crebri & ſubtiles tumores.] Tacitus: *Ulceroſa facies, ac plerumque medicaminibus interſtincta. Subtiles tumores* interpretor, ut apud Poetam, *ardentes papulas*: puto que intelligi

tamen crebri, & ſubiti tumores, cum prægrandibus oculis: & qui, quod mirum eſſet, noctu etiam & in tenebris viderent, ſed ad breve, & cum primum a ſomno patuiſſent,

telligi eminentias non exulceratas. nam viri docti conjectura emendantis *ſubſtilles tumores* acutior, niſi fallor, quam verior. At in MSS. Viterb. Memmii, Liſſ. *ſubiti* ſcriptum offendimus, non *ſubtiles*: neque aliter olim editum a Robert. Stephano. fortaſſe non male: ut intelligamus iſtas papulas, ſive illæ *ἐκθύματα* fuerunt, ſive *ἱδρῶα*, non ſemper faciem ejus deturpaſſe, ſed per intervalla intumuiſſe aut detumuiſſe. Hanc porro deformitatem cutis, non in facie tantum Tiberii collocat Julianus, ſed toti corpori attribuit: ejuſque cauſſam immodicum Veneris uſum aſſignat. Sic autem ille: *Ἐπιςραφέντος δὲ πρὸς τὴν καθέδραν, ὤφθησαν ὠτειλαὶ κατὰ τὸν νῶτον μυρίαι, καυτῆρές τινες, καὶ ξέσματα, καὶ πληγαὶ χαλεπαὶ, καὶ μώλωπες ὑπὸ τῆς ἀκολασίας καὶ ὠμότητος, ψωραί τινες, καὶ λιχῆνες, οἷον ἐγκεκαυμέναι.*

VARIOR.

Nihil honoris mihi adjiciet Patris appellatio.] Codex Salmaſ. *patria.* forte legendum: *Patris patriæ.* SALMAS.

TORRENT.

68. *Crebri & ſubtiles.*] *Subtiles* intelligo leves obſcuroſque & vix apparentes. Liber opt. tamen & *ſubiti* habet. Quarum ego lectionum utramvis, ad Suetonii certe mentem, facile prætulerim viri docti conjecturæ, cui viſum *ſubſtilles* emendare, & exponere. nam profecto ſi e facie Tiberio liquor ſaniesque quædam crebro & minutatim ſtillabat, quid Suetonio mentis, honeſtam eam appellanti, qua nihil pote deformius?

In tenebris viderent.] Plin. lib. XI. cap. XXXVII. *Tiberio, neque alii mortalium, fuiſſe naturam ferunt, ut expergefactus noctu pauliſper haud alio modo quam luce clara contueretur omnia, paulatim tenebris ſe obducentibus.* Quod ergo *ad breve* dicit Sueton. id *pauliſper* ſignificat. Dion eum in tenebris plurimum, interdiu minimum vidiſſe ſcribit.

CASAUBON.

Oculis qui, quod mirum eſt, noctu etiam & in tenebris viderent.] Magis equidem Plinium miror, diſerte negantem *ulli alii genitorum mortalium fuiſſe hanc naturam.* nam quorſum in ſcriptis veterum mentio fieret hujus oculorum vitii (Dio in Tiberio *ἀμβλυωπίαν* nominat, medicorum nonnulli *νυκταλωπίαν*: cujus proprium eſſe ſcribunt *ἡμέρας μὲν μὴ ὁρᾷν, νυκτὸς δὲ βλέπειν.* verum *νυκταλωπίαν* aliter alii interpretantur) ſi nullum unquam ejus exemplum fuiſſet viſum? Quid? quod de integra gente idem ſcriptum legimus? Solinus cap. XX. *Albanorum glauca oculis, id eſt, picta ineſt pupilla: adeo ut noctе plus quam in die cernant.* Cujus tamen rei penes illum fides eſto.

Sed ad breve, & cum primum a ſomno patuiſſent.] Verba hæc ſuperioribus addita, & fidei plurimum narrationi conciliant, & miraculo, quod tantopere Plinius prædicat, detrahunt non parum. Solet enim multis accidere, ut e ſomno evigilantibus lucis ſtrictura quædam oculis affulgeat. Galenus hoc de ſe & familiari quodam ſuo commemorat. Sic enim ſcribit libro VII. de Hippocratis & Platonis ſcitis: *Καὶ οἶδά γέ τινα τῶν οὕτω παθόντων, διηγούμενον ἡμῖν, ὡς πρὶν παθεῖν ἀνοιχθέντων τῶν βλεφάρων ἑώρα φῶς πολὺ πρὸ τῶν ὀφθαλμῶν· ὅπερ ἀμέλει, κἀμοὶ καὶ πολλοῖς ἄλλοις ὑπάρχει.* Vides rem pro vulgari & quæ pleriſque accidat, haberi. quare etiam Alexander Aphrodiſeus ejus rei, ceu tranſlatitiæ, cauſſam quærit explicatque, Problematum lib. II. quæſtione LXIX. Equidem vix putem reperiri aliquem poſſe, naturæ præſertim calidioris atque igneæ, cui non aliquando in adoleſcentia id evenerit. mihi certe & cum junior eram perſæpe, & nunc quoque aliquando id ipſum ſolet accidere. neque multi dies erant cum hæc ſcribebam, ex quo mihi annis quinquaginta majori, e profundo ſomno atque ſomnio evigilanti, lux clara lectum opplere viſa; ſic ut reducto conopeone explorarem, ecquid in cubiculo lumen aliquod eſſet accenſum. Verum hæc lux, vel potius reſplendeſcentia, ut morulam aliquam fecerit, quod non ita frequenter accidit: diuturna tamen non fuit. Ut igitur diutius aliquis luce illa fruatur, & in tenebris videat, legat, taliaque præſtet; id vero non jam tranſlatitium, ſed plane miraculoſum eſt. Atque hujuſcemodi oculos Tiberius dicitur habuiſſe. fortaſſe & Aſclepiodorus philoſophus, cui præceptor Proclus. Hic enim in denſis tenebris & adſtantes dignoſcebat, & litteras legebat, ut in Bibliotheca narrat Photius: ſed non dicit Photius, evigilanti tantum hanc illi adfuiſſe facultatem. quare diverſa res eſt. Simile quid patri ſuo Julio Cæſari Scaligero, ſibique ad annum duntaxat viceſimum tertium, ſolitum contingere ſcribit Joſephus Scaliger. Idem etiam de ſe narrare mihi ſolitum memini doctiſſimum alium, maximæque famæ virum.

VARIOR.

68. *Oculis & qui, quod mirum eſſet, noctu etiam & in tenebris viderent.*] Plinius: *In Albania gigni quoſdam glauca oculorum acie, a pueritia ſtatim canos, qui noctu plus quam interdiu cernant.* Ut feles, qui quod glauca oculorum acie ſunt prædit, ideo plus nocte cernunt. tales & noctuini. Servius in III. Georg. *Glauci ſunt felineis oculis, id eſt, ſplendore perfuſis.* Gloſſæ: *Glaucis oculis, id eſt, cattineis.* SALMASIUS.

Sed

tuiſſent, deinde rurſum hebeſcebant. Incedebat cervice rigida & obſtipa: adducto fere vultu, plerumque tacitus: nullo aut rariſſimo etiam cum proximis ſermone, eoque tardiſſimo: nec ſine molli quadam digitorum geſticulatione. Quæ omnia ingrata, atque arrogantiæ plena, & animadvertit Auguſtus in eo, & excuſare tentavit ſæpe apud ſenatum ac populum, profeſſus, *Naturæ vitia eſſe, non animi.* Valitudine proſperrima uſus eſt, tempore quidem principatus pæne toto prope illæſa: quamvis a trigeſimo ætatis anno arbitratu eam ſuo rexerit, ſine adjumento conſiliove medicorum. Circa
69 deos ac religiones negligentior, quippe addictus mathematicæ: perſuaſioniſque plenus, cuncta fato agi. Tonitrua tamen præter modum expaveſcebat: & turbatiore cœlo numquam non coronam lauream capite geſtavit, quod fulmine afflari negetur id
70 genus frondis. Artes liberales utriuſque generis ſtudioſiſſime coluit. In oratione Latina

Sed ad breve.] Fuit & pater meus oculis cœruleis dilutioribus, quibus interdum noctu videbat, ut in crepuſculo ſolemus; quod & mihi contigit, a pueritia ad viceſimum tertium annum. Nam poſtea hoc in me, ut alia multa, mutavit ætas. Jos. SCALIGER.

TORRENT.

Adducto fere vultu.] Id eſt, contracto ad ſeveritatem, ut *adducto lacerto, arcu, habena*, apud Virgil.

Naturæ vitia eſſe non animi.] *Animi vitia* vocaſſe videtur Auguſtus, quæ depravato judicio fiunt; *naturæ* vero, quæ inclinatione quadam, veluti innata conſuetudine, coaleſcunt. Horat. lib. I. Sat. III.

- - - denique te ipſum
Conſule, ſi qua tibi vitiorum inſeverit olim
Natura, aut etiam conſuetudo mala.

69. *Addictus mathematicæ.*] Ut qui totus a Thraſyllo penderet. Idem tamen mathematicos abegit ſup. cap. XXXVII. Vide Dionem.

Perſuaſioniſque plenus.] Duo libri *plenuſque perſuaſionis.*

Coronam lauream.] Vide Aug. cap. XC.

CASAUBON.

Incedebat cervice rigida & obſtipa.] Hic eſt, qui Græcis dicitur βυσαύχην: nam βύειν eſt ſtipare. Pollux: Βυσαύχην δὲ ὁ τοὺς ὤμους ἀνέλκων, τὸν δὲ αὐχένα συνέλκων, ὃν ἐπίβουλον Ἀριστοτέλης φυσιογνωμονεῖ. Bene convenit Tiberio. Perſius de ſimili forma:

Obſtipo capite & figentes lumine terram.

Contrarii ſunt his, qui rigida cervice, capite retrorſum adducto incedunt, quos Græci σιμοτραχήλους nominant. Talis inceſſus arrogantium & vana gloria elatorum; quos ait ſumma elegantia Arrianus in Epicteto ſic ambulare, quaſi veru deglutiſſent. Τὶ, inquit, ἡμῖν ὀβελίσκον καταπιὼν περιπατεῖς; ἤθελον ἵνα με καὶ οἱ ἀπαντῶντες θαυμάζωσιν.

Adducto fere vultu plerumque tacitus.] Σκυθρωπὸς ὡς πλήθει, καὶ τὰ πολλὰ σύννους. *Adducere vultum*, Latine ſcribentibus eſt, ad gravitatem componere: qui habitus accedit ad triſtitiæ ſpeciem. at *obducere frontem* ſive *vultum* de mœſto dicitur aptius quam de gravi. Juvenalis:

Occurrit fronte obducta ceu Marſia victus.

Et excuſare tentavit ſæpe apud ſenatum, ac populum.] Tacitus primo Annali: *Etenim Auguſtus, paucis ante annis cum Tiberio tribuniciam poteſtatem a patribus rurſum poſtularet, quanquam honora oratione, quædam de habitu cultuque, & inſtitutis ejus jecerat, quæ velut excuſando exprobraret.*

Naturæ vitia eſſe, non animi.] Hoc vult ille apud Demoſth. in orat. κατὰ στεφάνου ψευδομαρτ. qui ſimiles in habitu & inceſſu ſuo arrogantiæ notas excuſans, Ego, ait, οὐ τῶν εὐτυχῶς πεφυκότων ἐμαυτὸν κρίνω.

Quamvis a trigeſimo ætatis anno arbitratu eam ſuo rexerit, ſive adjumento conſiliove medicorum.] Tacitus VI. Annal. 46. *Graveſcente valetudine nihil e libidinibus omittebat, in patientia firmitudinem ſimulans: ſolituſque eludere medicorum artes, atque eos qui poſt triceſimum ætatis annum ad internoſcenda corpori ſuo utilia vel noxia alieni conſilii indigerent.* Non fero virum doctum ad hæc verba Taciti, Plutarchi locum in libro, qui inſcribitur Ὑγιεινὰ παραγγέλματα emendantem: nam ſcripſiſſe Plutarchum eo loco ὑπὲρ ἑξήκοντα γεγονὼς ἔτη, probamus ipſius teſtimonio: qui in libello, An ſeni capeſſenda ſit reſpublica, manifeſtiſſime vulgatam lectionem tuetur, ſic ſcribens: Οὐ γὰρ ὡς Τιβέριος ὁ Καῖσαρ ἔλεγε τὸ τὴν χεῖρα τῷ ἰατρῷ προτείνειν ὑπὲρ ἑξήκοντα ἔτη γεγονότας, αἴσχρον ἐστιν, ἀλλὰ μᾶλλον τὸ τὴν χεῖρα τῷ δήμῳ προτείνειν, ψῆφον αἰτοῦντας ἀρχαιρεσιάζουσαν. Nihil hic mutandum eſſe, argumentum ipſum diſputationis declarat: de ſenibus enim ſermo eſt. Quare ne altero quidem in loco quicquam vitii ſubeſſe poſſumus ſuſpicari.

Sine adjumento conſiliove medicorum.] Non tamen ut omnem penitus medicinam reſpueret. Nam Damocrates in deſcriptione antidotorum, de una illarum ſpecie loquens, quam ἑφεκτικὴν appellat, quod vim

tina ſecutus eſt Corvinum Meſſallam: quem ſenem adoleſcens obſervaverat. Sed affectatione & moroſitate nimia obſcurabat ſtylum: ut aliquanto ex tempore quam a cura præſtantior haberetur. Compoſuit & carmen lyricum, cujus eſt titulus, *Conqueſtio de L. Cæſaris morte.* Fecit & Græca poemata imitatus Euphorionem, & Rhianum, & Parthenium: quibus poetis admodum delectatus, ſcripta eorum & imagines, publicis bibliothecis inter veteres & præcipuos auctores dedicavit: & ob hoc plerique eruditorum certatim ad eum multa de his ediderunt. Maxime tamen curavit notitiam hiſtoriæ fabularis, uſque ad ineptias atque deriſum. Nam & grammaticos, quod genus

vim ſiſtendi ſanguinis eximiam habebat; teſtatur, ea plurimum eſſe uſum Tiberium, alia autem nulla. Sic ille: *Ταύτῃ Τιβέριον τὸν Σεβαστὸν χρώμενον λέγουσιν, ἄλλῃ μὴ πεπωκέναι ποτέ.*

TORRENT.

70. *Corvinum Meſſallam.*] Is ille M. Valerius M. F. M. N. Meſſalla Corvinus, quem paſſim auctores celebrant. De cujus eloquentia Quinctilian. lib. x. *At Meſſalla nitidus, & candidus, & quodammodo præ ſe ferens in dicendo nobilitatem ſuam.* Horat. de Arte:

- - - conſultus juris, & actor
Cauſarum mediocris abeſt virtute diſerti
Meſſallæ.

Sup. Aug. cap. LVIII.

Conqueſtio de L. Cæſaris morte.] Recte ſic Pulmannus, Turnebi auctoritatem ſecutus. ſic enim & noſtri meliores codd. Dico *L. Cæſaris.* Pro *conqueſtio* etiam *conquiſitio* habent MSS. omnes. Sed *conqueſtionis* vocabulo etiam Cic. uſus eſt, & veriſimile eſt, Tiberium in Auguſti gratiam mortem filii ejus deploraſſe. Quanquam ſi quis *Julii* malit, nolim contentioſe agere. cur enim non Caji etiam mortem luxit, cum eodem tempore ambo exſtincti ſint? & quidem Cajus prior. Aug. cap. LXV.

Euphorionem & Rhianum & Parthenium.] Bene & hoc Pulm. ex Turnebo. nam MSS. variant. Horum vero trium Athenæus, Suidas, & Stobæus meminerunt. Fuit & Arrianus poeta non incelebris, ſed Rhiano favent exemplaria, ut ejus memoria apud Suetonium quoque conſervetur.

Hiſtoriæ fabularis.] Quæ poeticis narrationibus referta eſſet, qualem ſcripſere Diodorus Siculus, Didymus Grammaticus, Heliodorus, Lucianus, & alii.

CASAUBON.

70. *Euphorionem & Rhianum & Parthenium.*] Suſpicabar legendum *Euphronium*, quem ſcripſiſſe Priapeia auctor Strabo: ſed vera eſt lectio vulgata. Sic apud Græcos Parthenius & Euphorion poetæ elegiaci junctim nominantur propter ſimilitudinem poeſεως. Lucianus de Conſcribenda hiſtoria: *Καίτοι ποιητὴς ἂν παραθεῖ τὸν Τάνταλον καὶ τὸν Ἰξίονα, καὶ τοὺς ἄλλους· εἰ δὲ Παρθένιος ἢ Εὐφορίων ἢ Καλλίμαχος ἔλεγε, πόσοις ἂν, οἴει, ἔπεσι τὸ ὕδωρ ἄχρι πρὸς τὸ χεῖλος τοῦ Ταντάλου ἤγαγεν; εἶτα πόσοις ἂν Ἰξίονα ἐκύλισε;* Ex his verbis & aliorum ſcriptorum Græcorum teſtimoniis, poſſumus conjectura aſſequi, qualia fuerint & horum poetarum & Tiberii, qui eos imitatus eſt, poemata. Euphorionis maxime poeſin refertam veteribus fabulis fuiſſe, (quod placebat Tiberio) & Cicero innuit, qui poetam obſcurum nominat lib. II. de Divinatione: & fragmenta, quæ hodie apud poetarum interpretes exſtant. Puto tamen eo potius nomine probatos eſſe hos poetas Tiberio Principi libidinoſiſſimo, quod amatoria tractaverant; quod hodieque teſtantur utcunque tituli poematum ab illis editorum, quæ apud Suidam & alios leguntur. Sane Euphorionis poemata vulgo Romæ ita probata, ut paſſim a parum ſobriis cantarentur. Quare Cicero *cantores Euphorionis* appellat homines, qui mollium id genus ſcriptorum lectione oblectantur. locus eſt in tertia Tuſculana; ubi poſt allatos verſus e tragœdiis Ennii lamentabiles, addit, *o poetam egregium! quanquam ab his cantoribus Euphorionis contemnitur.* Exſtat hodieque Parthenii liber, quo mirabiles amantium caſus recenſet. miſſus eſt ad Cornelium, de quo Suetonius in vita Auguſti.

Inter veteres & præcipuos auctores dedicavit.] Moris fuit magnorum virorum imagines per genera diſtinctas habere: ideo utuntur veteres particula *inter* in hac re. Vitruvius, *inter deorum ſedes dedicari.* Sidonius libro nono Epiſtolarum:

Cum meis poni ſtatuam perennem
Nerva Trajanus titulis videret,
Inter auctores utriuſque fixam
Bibliothecæ.

Scriptorum imagines ac ſtatuæ ſeparatæ erant ab aliorum ſimulacris, qui aliis artibus hoc præmium meruiſſent. Ipſi quoque ſcriptores diſtincti generatim fuerunt: quod eximie declarat locus Taciti de ſtatuis Germanici loquentis lib. ſecundo Annal. Parthenius, qui hic narratur inter veteres dedicatus, adeo tum vetus non fuit, ut Suidas, Tiberio imperante adhuc vixiſſe, tradat.

VARIOR.

70. *Scripta eorum & imagines.*] Codex Salmaſ. *ſcripta omnium.*

TOR-

nus hominum præcipue, ut diximus, appetebat, ejuſmodi fere quæſtionibus experiebatur: *Quæ mater Hecubæ*: *Quod Achilli nomen inter virgines fuiſſet*: *Quid Sirenes cantare ſint ſolitæ*. Et quo primum die, poſt exceſſum Auguſti, curiam intravit: quaſi pietati ſimul ac religioni ſatisfacturus, Minois exemplo, thure quidem ac
71 vino, verum ſine tibicine, ſupplicavit: ut ille olim in morte filii. Sermone Græco, quamquam alias promtus & facilis, non tamen uſquequaque uſus eſt. Abſtinuitque maxime in ſenatu: adeo quidem ut *Monopolium* nominaturus, prius veniam poſtularit, quod ſibi verbo peregrino utendum eſſet: atque etiam in quodam decreto patrum, cum ἔμβλημα recitaretur, commutandam cenſuerit vocem, & pro peregrina noſtra-

TORRENT.

Ejuſmodi fere quæſtionib.] Quales & apud Juvenalem extrema Sat. VII. Pulcherrime etiam Seneca de Brevitate vitæ ad Paullinum, & Quinctilian. lib. I. & Gellius lib. ultimo hanc litteratorum anxiam nimis & inutilem curam merito derident. Neque alienum ab hoc loco, quod de Tiberio operis ſui initio ad Titum narrat Plinius, Appionem Grammaticum cymbalum mundi ab eo vocatum fuiſſe. Vide locum. Appion certe ſub Tiberio, & Cajo Cæſare floruit. Seneca Epiſt. LXXXIX.

Et quo primum die.] Duo codd. *Ex quo primum die.* Mallem, *Quo primum die*, ſine *&*.

Pietati ſimul ac relig.] *Religioni*, quod ſacrificaret: *pietati in parentem*, quod ſine tibicine id faceret. Atqui in funere etiam tibicines adhibebantur. Merito ergo id tanquam inane reprehenditur. Sanxerat autem Auguſtus, ut ſenatores ingreſſi Curiam, antequam conſiderent, ture ac mero ſupplicarent. de quo Aug. cap. XXXV. Neque ibi quidem ulla tibicinis mentio, ſed nulla apud veteres ſacra ſine tibicine peragebantur. Dion lib. LVI. non Tiberium tantum, ſed & Druſum ejus filium idem feciſſe ait.

71. *Alias promptus.*] Libb. duo *alioqui promptus*, & mox *abſtinuit*, pro *abſtinuitque*, & *poſtularet* pro *poſtularit*.

Monopolium.] Atqui id vocabulum ante Tiberium civitate donatum videri potuit, quo (ni fallor) etiam Plautus uſus eſt, poſt Tiberium ſane ab omnibus receptum. Utitur eo Plin. lib. VIII. cap. XXXVII. Eſt & titulus lib. IV. Cod. Juſtiniani, inſcriptus de Monopoliis. Actum autem de monopoliis in ſenatu, jam ante vidimus cap. XXX.

Cum ἔμβλημα.] Scribo *emblema*, ut *monopolium*, Latinis litteris. Mira autem Tiberii ſuperſtitio, verbum evitantis, quo non Lucilius tantum, quem bilinguem vocat Horat. uſus ſit notiſſimis illis apud Cic. lib. I. de Orat. verſibus:

Quam lepide lexeis compoſtæ ut teſſerulæ omnes
Arte pavimento atque emblemate vermiculato!

Sed & Cic. ipſe Verrina, quæ de Signis inſcribitur. *Emblemata* vero JCti noſtri appellant, quæ ſcyphis, ſpeculis, aliiſque rebus ornatus cauſa inſeruntur. l. III. de Vino, tritico, & oleo leg. l. XIX. & XXXII. de Auro, arg. veſte legata.

Cenſuerit.] Mallem *cenſuit*, ut in trib. MSS.

CASAUBON.

Minois exemplo.] Scripti quidam *majorum exemplo*, inepte: nam ad antiquiſſimas fabulas de Minoe reſpicit, ut locum attendenti planum erit. Dio narrat lib. LVI. ſed nulla mentione facta hujus imitationis. Eximie vero rem aperit Plutarchi locus in Comment. ſalubrium præceptor. Ὁ Μίνως, inquit, καὶ τὸν αὐλὸν ἀφεῖλε τῆς θυσίας, καὶ τὸν στέφανον ὑπὸ λύπης. Eſt igitur Minois exemplo rem divinam facere, cum neque tibia adhibetur, neque corona capiti imponitur.

71. *Abſtinuitque maxime in ſenatu.*] Nec minus apud populum. Suave eſt, quod ſuper hoc Dio refert, Tiberium edicto quondam ſtrenas prohibuiſſe, in quo uſus erat voce non Latina, (Græcam fuiſſe ſuſpicamur nos) deinde noctu recordatum ejus dictionis, pœnituiſſe, & ad omnes mox linguæ Latinæ peritos viros retuliſſe.

In quodam decreto patrum, cum ἔμβλημα recitaretur.] Aliud agebat vir doctiſſimus & Italiæ ſuæ ocellus, cum ſcribebat, hoc loco legendum eſſe πρόβλημα, non ἔμβλημα: nam ut taceam libb. veteres, ratio quæ adducitur vana eſt. nempe videre ſe negat, cur in decreto patrum ἔμβλημα nominandum fuerit: id vero facile Tacitus doceat, qui de moderandis ſumptibus conviviorum & ſupellectilis tractatum in ſenatu teſtatur, Annal. lib. III. Sed defendendæ huic lectioni ſufficit unus Dio, cujus hæc ſunt lib. LVII. Ἀπεῖπε δὲ, inquit, καὶ χρυσῷ σκεύει μηδένα, πλὴν πρὸς τὰ ἱερὰ νομίζειν· ἐπεί τε διηπόρησάν τινες εἰ καὶ τὰ ἀργυρᾶ τὰ χρυσοῦν τι ἔμβλημα ἔχοντα ἀπηγορευμένον σφισὶν εἴη κεκτῆσθαι, βουληθεὶς καὶ περὶ τούτου τι δόγμα ποιῆσαι, ἐκώλυσεν ἐς αὐτὸ τὸ ὄνομα τὸ τοῦ ἐμβλήματος, ὡς καὶ Ἑλληνικὸν, ἐμβληθῆναι, καίτοι μὴ ἔχων ὅπως ἐπιχωρίως αὐτὸ ὀνομάσῃ. *Vetuit aureo vaſe quenquam niſi ad res ſacras uti: & cum dubitarent quidam, an etiam argentea, quæ emblema aliquod aureum haberent, eſſent prohibita; cupiens de ea re edictum facere, vetuit in eo uſurpari vocem emblema tanquam Græcam: licet dictionem nullam*

noſtratem requirendam: aut ſi non reperiretur, vel pluribus, & per ambitum verbo-
rum rem enuntiandam. Militem quoque Græce teſtimonium interrogatum, niſi Lati-
ne reſpondere vetuit. Bis omnino toto ſeceſſus tempore, Romam redire conatus, 72
ſemel triremi uſque ad proximos Naumachiæ hortos ſubvectus eſt: diſpoſita ſtatione
per ripas Tiberis, quæ obviam prodeuntes ſubmoveret. Iterum Appia uſque ad ſepti-
mum lapidem, ſed proſpectis modo nec aditis urbis mœnibus rediit. Primo incertum
qua de cauſſa, poſtea oſtento territus. Erat ei in oblectamentis ſerpens draco, quem
ex conſuetudine manu ſua cibaturus, cum conſumtum a formicis inveniſſet, monitus
eſt,

nullam haberet Latinam, qua id ſignificaret. Hæc Dio: ſed cur ἔμβλημα, *inſerta* non dicetur Latine? præſertim cum ea voce priores Tiberio uſi ſint. Lege magnum Scaligerum ad Manilium.

VARIOR.

71. *Atque etiam in quodam decreto patrum cum ἔμβλημα recitaretur.*] Tranſponit codex Salmaſianus hæc verba: *Atque etiam cum in quodam decreto patrum ἔμβλημα recitaretur.* Mox idem Codex: *ut ſi non reperiretur.* vulgati *aut.*

TORRENT.

Græce teſtimonium interrogatum.] Quare Græce eum interrogari magis quam reſpondere paſſus eſt? Car. Langius *Militem quoque Græcum* legebat. id enim fortaſſis prioribus tantum litteris exaratum erat, unde aliquis *Græce* fecerit. Quæ conjectura mihi non diſplicet. Et ſane cum Græci in ipſa Græcia apud Romanos Latine agere pro Imperii majeſtate juberentur, non mirum eſt ſi Romæ id obſervari Tiberius voluit. Vide Val. Max. lib. II. cap. I. & Tryphonium JCtum l. XLIII. de Re judicata, ubi ait, decreta a prætoribus Latine interponi debere. Hinc interpretum uſus in provinciis apud magiſtratus.

72. *Proximos Naumachiæ hortos.*] Cæſaris (ni fallor) hortos trans Tiberim intelligit, de quibus Cæſ. cap. LXXXIII. & Horat. lib. I. Sat. IX.

Serpens draco.] *Serpentem* vocat, ad eorum differentiam, qui volatiles eſſe perhibentur. Talis autem fortaſſis Tiberii draco, quales hodie quoque mulierculæ Romanæ, æſtivis maxime menſibus, in deliciis habent, ut olim Flaccilla apud Martialem:

Si gelidum collo nectit Flaccilla draconem.

Verum hi ſine veneno ſunt.

CASAUBON.

Militem quoque Græce teſtimonium interrogatum, niſi Latine reſpondere vetuit.] Non militem, ſed centurionem, ait Dio. Ἑκατοντάρχου, inquit, ἑλληνιστὶ ἐν τῷ συνεδρίῳ μαρτυρῆσαί τι ἐθελήσαντος, οὐκ ἠνέσχετο, καίπερ πολλὰς μὲν δίκας ἐν τῇ διαλέκτῳ ταύτῃ καὶ ἐκεῖ λεγομένας ἀκούων, πολλὰς δὲ καὶ αὐτὸς ἐπερωτῶν.

72. *Bis omnino ſeceſſus tempore Romam redire conatus.*] Atqui Dio triplicem ejus acceſſum ad urbem narrat ſub finem lib. LVII.

Erat ei in oblectamentis ſerpens draco.] Etiam ſerpentes, inimicum illud humano generi animal, cicurantur, & vel per ſe, vel arte & induſtria hominis manſueſiunt. Hi ſunt quos Plutarchus in Alexandro appellat χειροήθεις ὄφεις. Auctor eſt Philoſtratus, Ajaci Locro fuiſſe draconem manſuetum, cubitorum quinque: quo ille utebatur convictore & comite inſtar canis. Sic ille: Εἶναι δὲ αὐτῷ καὶ χειροήθη δράκοντα, πεντάπηχυν τὸ μῆκος, ὃν ξυμπίνειν τε καὶ ξυνεῖναι τῷ Αἴαντι, καὶ ὁδῷ ἡγεῖσθαι, καὶ ξυνομαρτεῖν, οἷον κύνα. Notum etiam, quod de pariis vel parvis ſerpentibus narrant Græci, ut Ariſtophanis ſcholiaſtes Pluto, Suidas, & alii. Sed qui proprie dracones in genere ἑρπυστικῷ nominantur, ii fere veneno carent. Nicander de hac ſpecie:

------ ὃ μὲν ὄγ' ἄυτως
Ἐγχρίμψας ἤλγυνε, καὶ ἣν ἔκπαγλα χαλεφθῇ.

Lege Plinium libro XXIX. cap. IV. Hujus generis erant, quos nominabant dracones Epidaurios, & quos Pellæos: de quibus illuſtris Luciani locus in Alexandro: Ἐνταῦθα ἰδόντες δράκοντας παμμεγέθεις ἡμέρους πάνυ καὶ τιθασσοὺς, ὡς καὶ ὑπὸ γυναικῶν τρέφεσθαι, καὶ παιδίοις συγκαθεύδειν, καὶ πατουμένους ἀνέχεσθαι, καὶ θλιβομένους μὴ ἀγανακτεῖν, καὶ γάλα πίνειν ἀπὸ θηλῆς κατὰ ταυτὰ τοῖς βρέφεσιν, ὠνοῦνται τῶν ἑρπετῶν ἓν τὸ κάλλιστον, ὀλίγων ὀβολῶν. id eſt, *Cum in Macedonia vidiſſent dracones permagnos, manſuetos admodum & cicures, ut etiam a mulieribus alerentur, cum puerulis cubarent, calcati tolerarent, preſſi non irritarentur, lac etiam e mamma, infantium more, ſugerent, unum iſtorum ſerpentum, eumque pulcherrimum, paucis obolis ſibi comparant.* Iſtius generis dracones Romanis proceribus & nobilibus fœminis fuiſſe in deliciis, præter hunc Tranquilli, teſtantur alii aliorum auctorum loci. Martialis lib. VII. enumerans beſtias voluptatis cauſſa haberi ſolitas:

Si gelidum collo nectit Gracilla draconem:
Luſciniæ tumulum ſi Teleſina dedit.

Nec prætermittendus Senecæ locus e libro II. de Ira, cujus me aliquando admonuit J. Philippus Pareus adoleſcens erudititiſſimus. Sic ille: *Aſpice elephantorum jugo colla ſubmiſſa, taurorum pueris pariter*

eſt, ut vim multitudinis caveret. Rediens ergo propere Campaniam Aſturæ ſtatim in languorem incidit. Quo paullum levatus, Circeios pertendit. Ac ne quam ſuſpicionem infirmitatis daret, caſtrenſibus ludis non interfuit ſolum, ſed etiam miſſum in harenam aprum jaculis deſuper petiit: ſtatimque latere convulſo, &, ut exæſtuarat, afflatus aura, in graviorem recidit morbum. Suſtentavit tamen aliquamdiu, quamvis Miſenum uſque devectus nihil ex ordine quotidiano prætermitteret, ne convivia quidem ac ceteras voluptates, partim intemperantia, partim diſſimulatione. Nam Chariclem medicum, quod commeatu afuturus e convivio egrediens, manum ſibi oſculandi cauſſa apprehendiſſet, exiſtimans tentatas ab eo venas ſibi, remanere ac recumbere hortatus eſt, cœnamque protraxit. Nec abſtinuit conſuetudine, quin tunc quoque inſtans in medio
73 triclinio, adſtante lictore, ſingulos valere dicentes appellaret. Interim cum in actis ſenatus legiſſet, *dimiſſos ac ne auditos quidem quoſdam reos*, de quibus ſtrictim, & nihil aliud quam nominatos ab indice ſcripſerat: pro contemto ſe habitum fremens, repetere Capreas quoquo modo deſtinavit, non temere quidquam niſi ex tuto auſurus. Sed & tempeſtatibus & ingraveſcente vi morbi retentus paullo poſt obiit in villa Lucullana, octavo & ſeptuageſimo ætatis anno, tertio & vigeſimo imperii, decimo ſeptimo

riter ac fœminis perſultantibus tergum impune calcatâ, & repentes inter pocula ſinuſque innoxio lapſu dracones.

TORRENT.

Prope Campaniam Aſturæ.] Duo libri *Rediens ergo propere Campaniam, Aſturæ,* &c. Et ſane Aſtura, ſi Plinio credimus lib. III. cap. V. & VI. ultra oſtia Tiberina in Antiano eſt, ac proinde a Campania longius abeſt. Meminit ejus Sueton. Aug. cap. XCVII.

Caſtrenſib. ludis non interfuit ſolum.] Libri quatuor *non tantum interfuit. Caſtrenſes* vero *ludos* (ut puto) eos appellat, qui a militib. illic in ſtatione manentibus caſtrenſi more edebantur.

Suſtentavit autem.] *Suſtentare* abſolute dixit, non pro dare operam ut valeret, ſed pro durare, ac ſuſtinere, & diſſimulando perpeti.

Ex ordine quotidiano.] *Ordinem* vocat vivendi conſuetudinem.

Chariclem medicum.] Vide Tacitum extremo lib. V.

Commeatu abfuturus.] Sup. cap. XII.

Inſtans in medio triclinio.] Sic. ſup. cap. XXXV. *incœnante eo in prætorio.* Fruſtra eſt ergo, quod in Beroaldo & priſcis editionibus legas, *ut ſtans.* Nec conjecturam ſuam mihi probat vir doctus, qui occaſione ejus ſcripturæ locum hunc omnem ſic refingit, *aut ſtans in med. tricl. aut ſtans in litor.* ſeu brevius, *aut ſtans in med. tricl. aut e litore.* nam cui rei ſtans in littore ſingulos valere dicentes appellet? aut quo pacto e triclinio ſubito in littus ſenex, & affectus extrahitur? Deinde non hæc Capreis geſta, quod nolim ei excidiſſe, ſed itinere Campano apud promontorium Miſeni. Adſtantem vero lictorem quis jure habeat ſuſpectum, cum is Imperatori perpetuum præſto, maxime (quod dicebam) itinere faciendo?

Valere dicentes.] Ut Horat. Epiſt.

Celſo gaudere, & bene rem gerere Albinovano
Muſa rogata refert.

χαίρειν καὶ ἐυπράτ]ειν.

73. *In villa Luculliana.*] Recte, cum exemplaria noſtra omnia aut *Lucullana*, aut *Lucilliana* habeant. Tacit. *Tandem apud promontorium Miſeni conſedit in villa, cui L. Lucullus quondam dominus.*

CASAUBON.

Rediens ergo propere Campaniam.] Ita omnes meliores libri. Viterbienſ. & vulgati *prope Camp.* Urſinus e ſuis *propere in Camp.* ſed *redire Campaniam*, ut *Italiam venit.* & ita loqui ſolitum B. Hieronymum atque alios eximios ſcriptores, obſervat Joſ. Scaliger ad Euſebium ſuum.

Inſtans in medio triclinio.] Magis ex more fuit, ut Princeps ſalutantes ad januam cubiculi ſtans exciperet & dimitteret, ut alicubi notat Dio. Spartianus de Hadriano: *Ad convivium venientes ſenatores ſtans excepit.*

Adſtante lictore.] Et prima editio, & manu exarati libri ſic habent. quod moneo propter virum doctum, cui tolli iſta aut mutari placuit, ſine cauſſa: non enim, ut exiſtimat, otioſa ſunt hæc verba iſto loco. Nam quod adſtitiſſe lictor Tiberio dicitur, vel majeſtati principali conſultum, vel commodi ejus cauſſa factum, ut ei ſenex & infirmus inniteretur.

73. *Octavo & ſeptuageſimo ætatis anno.*] Conſentit etiam Tacitus: at Dio, Ἐβίω, inquit, ἑπτὰ καὶ ἑβδομήκοντα ἔτη, καὶ μῆνας τέσσαρας, καὶ ἡμέρας ἐννέα.

Tertio & vigeſimo imperii.] Satis liberaliter: alii parcius

mo Kalend. Aprilis, Cn. Acerronio Proculo, C. Pontio Nigro coſſ. Sunt qui putant venenum ei a Cajo datum lentum atque tabificum. Alii in remiſſione fortuitæ febris cibum deſideranti negatum: nonnulli pulvinum injectum, cum extractum ſibi deficienti anulum mox reſipiſcens requiſiſſet. Seneca eum ſcribit, Intellecta defectione, exemtum anulum quaſi alicui traditurum parumper tenuiſſe: dein rurſus aptaſſe digito, & compreſſa ſiniſtra manu jacuiſſe diu immobilem: ſubito vocatis miniſtris, ac nemine reſpondente, conſurrexiſſe, nec procul a lectulo deficientibus viribus concidiſſe. Supremo na- 74
tali ſuo Apollinem Temenitem & amplitudinis & artis eximiæ advectum Syracuſis, ut in bibliotheca novi templi poneretur, viderat per quietem affirmantem ſibi, *Non poſſe ſe ab*

parcius, qui ſolos viginti duos annos tribuunt. Joſephus Originum lib. xv. ad biennium adjicit menſes quinque, dies tres. Dio, menſes ſeptem, & dies totidem. Clemens, menſes ſex, dies xix.

VARIOR.

72. *Tentatas ab eo venas ſibi.*] In cod. Salmaſ. deſideratur *ſibi.* & poteſt commode abeſſe.

TORRENT.

C. Portio.] *C. Pontio Nigro* habent MSS. omnes. Legendum vero, *Cn. Acerronio Proculo, C. Pontio Nigrino Coſſ.* ſic enim Tacit. & Dion, & hæc inſcriptio: JOVI CONSERVATORI SACRUM. C. JULIUS C. F. QUIR. ARRIANUS V. S. DON. DEDIT. XVI. KAL. MART. CN. ACERRONIO ET PONTIO NIGRINO COSS.

In remiſſ. fort. febris cib. deſ. negatum.] Conſulunt quidem medici in remiſſione febrium dari cibum: verum ſi negetur, non illico mors ſequitur. Quare locus hic mihi ſuſpectus eſt. Tacit. lib. v. vocatos narrat, qui recreandæ defectioni cibum adferrent, atque aliis trepidantibus Macronem opprimi ſenem injecta multa veſte juſſiſſe. Nec multo aliter Dion. Id ipſum igitur crediderim narrare Suetonium, nempe injectam ei veſtem, vel pulvinum, ſed vel deſideranti cibum, (ut nonnulli tradiderunt) vel (ut alii) cum detractum ſibi anulum reſipiſcens requiſiſſet. Verbum itaque *negatum* a correctore aliquo infartum puto, ac dictionem *nonnulli* non ſuo loco poſitam, ut hoc modo legatur, *Alii in remiſſione fortuitæ febris cibum deſideranti pulvinum injectum, nonnulli cum extractum,* &c. Quæ mea conjectura, ut equidem ſpero, viris doctis non diſplicebit. *Fortuitam* autem *febrim* vocat Sueton. defectionem, quæ repente Tiberio acciderat. Quod vero deficienti anulum detractum dicit, id ex Plinio intelligimus lib. XXXIII. cap. I. ſcribit enim morientibus, uti & ſomno gravatis, religione quadam anulos detrahi ſolere. Errant igitur, qui Tiberium id mutandi heredis cauſa feciſſe volunt. neque enim anulorum traditio id efficere poſſit, ſi teſtamentum exſtiterit. Exempla apud Val. Maximum extremo lib. VII. quem vide.

Subito vocatis.] Liber opt. *ſubitoque vocatis,* quod mallem.

74. *Apollinem Temenitem.*] Signum Apollinis, qui Temenites vocabatur, pulcherrimum & maximum, quod Verres abſtuliſſet ſi portare potuiſſet, commemorat Cic. Accuſ. IV. idem (puto) de quo hic Sueton. Apollo autem a loco Τέμενος id cognomen accepit, qua de re egregie Turneb. Adverſar. VIII. cap. XII. Unde & Temenitis, fons agri Syracuſani. Plin. lib. III. cap. VIII.

Bibliotheca novi templi.] Templum (ni fallor) Apollinis Palatini intelligit, quod ſexto Auguſti conſulatu dedicatum, ſi Dioni credimus initio lib. LIII. poſtea incendio illo, de quo idem Dion lib. LV. quo & domus Auguſti periit, conflagravit. Ideo fortaſſis novum vocat Sueton. Gellius quidem lib. XIII. cap. XIX. & Vopiſcus Probo, bibliothecæ domus Tiberianæ, quæ & ipſa in Palatio fuit, mentionem faciunt; ſed aliud domus, aliud templum eſt.

CASAUBON.

Nonnulli pulvinum injectum.] Tacitus magis probabiliter: *Macro intrepidus opprimi ſenem injectu multæ veſtis jubet, diſcedique a limine.* Dio ſimiliter Ἱμάτια πολλὰ καὶ παχέα ὡς καὶ θερμασίας τινὸς δεομένῳ προσέβαλε. In vitis Imperatorum Germanicorum reperimus ſimilis tragœdiæ exemplum. nam Fredericum II. circa annum Domini MCCL. a Manfredo filio naturali narrant exſtinctum, pulvino in os injecto. quo etiam leti genere vitam ferunt ademtam Johanni X. Romano Pontifici, qui circa annum DCCCCXIII. pontificatum inierat.

VARIOR.

73. *Nonnulli pulvinum injectum.*] Sic Rhadamiſtus ſororem & patruum occidit, Tacit. XII. Annal 47. GRUTERUS.

74. *Apollinem Temenitem.*] Syracuſis adjunctæ Epipolæ erant, queis locus nomine *Temenos* ſuberat: unde, ut conjicio, *Temenites Apollo* vocatus fuit. Stephanus: Τέμενος τόπος Σικελίας ὑπὸ τὰς ἐπιπολὰς πρὸς ταῖς Συρακούσαις. Huic favet & ſuffragatur ſententiæ Suetonius hoc loco. TURNEBUS.

TOR-

ab ipſo dedicari. Et ante paucos, quam obiret, dies, turris Phari terræ motu Capreis concidit. Ac Miſeni cinis e favilla & carbonibus ad calefaciendum triclinium illatus, exſtinctus & jam diu frigidus exarſit repente prima veſpera, atque in multam noctem per-
75 tinaciter luxit. Morte ejus ita lætatus eſt populus, ut ad primum nuntium diſcurrentes, pars *Tiberium in Tiberim* clamitarent; pars *Terram matrem deoſque Manes orarent ne mortuo ſedem ullam niſi inter impios darent:* alii uncum & Gemonias cadaveri minarentur, exacerbati ſuper memoriam priſtinæ crudelitatis, etiam recenti atrocitate. Nam cum ſenatuſconſulto cautum eſſet, ut pœna damnatorum in decimum ſemper diem differretur, forte accidit, ut quorundam ſupplicii dies is eſſet, quo nuntiatum de Tiberio erat. Hos implorantes hominum fidem, quia, abſente adhuc Cajo, nemo exſtabat qui adiri interpellarique poſſet, cuſtodes, ne quid adverſus conſtitutum facerent, ſtrangulaverunt, abjeceruntque in Gemonias. Crevit igitur invidia: quaſi, etiam poſt mortem tyranni, ſævitia permanente. Corpus ut moveri a Miſeno cœpit, conclamantibus pleriſque,
Atellam

TORRENT.

Cinis e favilla.] Favillam viventem (ut ita dicam) ac calentem intelligo, qualis una cum carbonibus inferri ſolet. Et mox *illatis* pro *illatus* legendum arbitror. *Illuxit* etiam pro *luxit* habent duo MSS.

75. *Tiberium in Tiberim clamit.*] Recte, duo codd. tamen *trahi clamitarent.*

Pars terram matrem.] Vide Plin. lib. II. cap. LXIII.

Senatuſconſultum actum eſſe.] Sic quidem libb. nonnulli impreſſi, ſed MSS. omnes *cum ſenatuſconſulto actum*, vel *cautum eſſet.* quod ſane magis placet. Senatuſconſulti autem hujus meminerunt Dion. & Tacitus lib. III. ſed Dion ab Tiberio mandatum ſcribit.

Nemo exſtabat.] Plures libri *adſtabat.*

Conclamantib. pleriſque.] Liber opt. *pleris*, uti & ante non uno in loco. Sed & ſemel *plerum* pro *plerumque* ſcriptum inveni, quod ſilere nolui. Et *plerus* quidem pro plenus dixerunt veteres, ut Lucret. lib. VI.

Corruptus ſanguis pleris ex naribus ibat;

an vero etiam *pleros* pro plures, cogitandum. Pacuvius certe apud Feſtum, cum inquit, *plera pars poſſumdatur*, ſic uti videtur.

CASAUBON.

74. *Cinis e favilla & carbonibus ad calefaciendum triclinium illatus.*] Lego *illatis.* neque enim cinis ad calefaciendum cubiculum inferri ſolet, ſed favilla & carbones. Ita autem calefaciebant triclinia, quoniam in iis camini non erant: Plutarchus de Alexandro: Ἐν χειμῶνι καὶ ψύχει τῶν φίλων τινὸς ἑστιῶντος αὐτὸν, ἐσχάραν δὲ μικρὰν, καὶ πῦρ ὀλίγον εἰσενέγκαντος, ἢ ξύλα ἢ λιβανωτὸν εἰσενεγκεῖν ἐκέλευεν.

Exſtinctus, & jamdiu frigidus exarſit. Plutarchus Erotico: Ἂν ἐν οἰκίᾳ νύκτωρ σέλας ἴδωσιν, θεῖον ἡγοῦνται καὶ θαυμάζουσιν.

75. *Ut ad primum nuntium diſcurrentes, pars Tiberium in Tiberim clamitarent.*] Placet lectio cod. Liſſ. *Tiberius in Tiberim.* De primo nuntio an Suetonio credi par eſt? nonne enim fieri ſolitum, ut primi de morte tyranni nuntii ſuſpenſis auribus excipiantur ob metum? Quare etiam ſcribit Joſephus libro XVIII. de morte Tiberii, Ῥωμαῖοι μὲν δὴ πύστει (male editum, πίστει) τῆς Τιβερίου τελευτῆς, εὐφραίνονται μὲν τῷ ἀγαθῷ τὸν ἀγγελίας, οὐ μὲν πιστεύειν γε θάρσος ἦν αὐτοῖς. Simillima Tranquillus in morte Caligulæ libro proximo cap. ultimo. & de eodem Joſephus.

Nam quum ſonatuſconſulto.] Ante annos XV. factum erat hoc conſultum ſenatus, Coss. Valerio Meſſala & Aurelio Cotta. Dio.

VARIOR.

Turris Phari terræ motu concidit.] Exſtructa iterum, ex his Statii verſibus:

Theloboumque domos: trepidis ubi dulcia nautis
Lumina noctivagæ tollit Pharus æmula lunæ.

LIPSIUS.

75. *In decimum ſemper diem.* Hoc idem Bononiæ obſervatur. BEROALD. Dio. lib. LVII. Καὶ δόγμα τι παραδοθῆναι ἐκέλευσε, μήτ᾽ ἀποθνήσκειν ἐντὸς δέκα ἡμερῶν τὸν καταψηφισθέντα ὑπ᾽ αὐτῶν, μήτε τὸ γράμμα τὸ ἐπ᾽ αὐτῷ γενόμενον, ἐς τὸ δημόσιον ἐντὸς τοῦ αὐτοῦ χρόνου ἀποτίθεσθαι. Nec aliud Seneca ſenſit: de Tranq. lib. I. cap. XLV. *Credisne illum decem medios uſque ad ſupplicium dies ſine ulla ſollicitudine exegiſſe?* Manſiſſe videtur id decretum, donec Theodoſius Imp. clementiſſime convicto & damnato reo dies indulſit triginta vitæ, in L. *Si vindicari. C.* de Pœnis. LIPSIUS.

Atellam potius deferendum, & in Amphitheatro ſemiuſtulandum, Romam per milites deportatum eſt, crematumque publico funere. Teſtamentum duplex ante biennium 76
fecerat: alterum ſua, alterum liberti manu, ſed eodem exemplo: obſignaveratque etiam humillimorum ſignis. Eo teſtamento heredes æquis partibus reliquit, Cajum ex Germanico, & Tiberium ex Druſo, nepotes: ſubſtituitque invicem. Dedit & legata pleriſque: inter quos virginibus Veſtalibus, ac militibus univerſis, plebique Romanæ viritim, atque etiam ſeparatim vicorum magiſtris.

TORRENT.

76. *Dedit & legata.*] Ut Claudio, Druſi fratris filio. Inf. Claud. cap. VI.

Ac militibus.] Tres codd. *ſed & militibus.*

CASAUBON.

Atellam potius deferendum.] Negant dignum, qui Romæ ſepeliatur, quam ita cupide deſeruiſſet, & a qua tam pertinaciter abſtinuiſſet: projiciendum igitur in aliquod Campaniæ municipium, qua tantopere vivus delectabatur. Atellam autem nominant potius quam aliud, alludentes ad flagitioſam ejus vitam. talis enim Atellanorum vita & mores: unde ſunt *Atellanæ fabulæ* nuncupatæ.

Et in amphitheatro ſemiuſtulandum.] Viterb. & Liſſæi, *ſemiuſtillandum.* duplex contumelia his verbis continetur. Voluit enim non cremari Tiberium, ſed amburi tantum & leviter curari ejus funus, ut fiebat in mendicis, qui a veſpillonibus raptim in Eſquiliis cremantur: vide lib. ſequente de Caji funere. graviſſimum vero de amphitheatro. nam ibi ſontes igne conſumi ſoliti, ut infra lib. IV. cap. XXVII. & Philo contra Flaccum, aliique.

76. *Ac militibus univerſis.*] Prætorianis, legionariis, urbanicianis, & vigilibus ſive ſparteolis. Nam his quoque aliquid Tiberii teſtamento fuiſſe legatum auctor Dio: *Τοῖς τε ἀςικοῖς καὶ νυκτοφύλαξι τὰ καταλειφθέντα διέλυσε.*

Plebique Romanæ viritim, atque etiam ſeparatim vicorum magiſtris.] Dio: *Διένειμε τῷ δήμῳ τὰς πέντε καὶ εἴκοσι καὶ ἑκατὸν καὶ χιλίας μυριάδας. τοσαῦτα γὰρ αὐτῷ κατελείφθησαν. Populo diviſit ſeſtertium quadringenties quinquagies. tantum enim illi relictum fuerat.* Videtur ea ſumma utrumque legatum comprehendi, & quod populo viritim datum, & quod vicomagiſtris relictum: de quo diximus libro priore.

VARIOR.

Atellam potius deferendum.] Putant alii Atellam nominaſſe potius, quam aliud municipium Campaniæ, quod alluderent ad flagitioſam Tiberii vitam, tanquam tales quoque fuerint mores Atellanorum. id ipſum cum nuſquam legerim, neque Atellanæ fabulæ uſpiam infament Atellam, ſuſpicer potius voluiſſe homines deferri Tiberium Atellam, quod nuſpiam propius eſſet theatrum, ubi ſumma populi voluptate traduci poſſet cadaver ejus, velut hominis ſontis, ignique publice adjudicati. GRUTERUS.

76. *Sed & militibus univerſis.*] Sic tres quoque Palatini. itaque abjeci vulgatum *ac militibus*, cum neque id ferrent codices Torrentii. GRUTERUS.

C. SUETONII TRANQUILLI
DE
XII. CÆSARIBUS
LIBER QUARTUS.
C. CÆSAR CALIGULA.
CAPUT I.

GErmanicus C. Cæſaris pater, Druſi & minoris Antoniæ filius, a Tiberio patruo
a. adoptatus, quæſturam quinquennio ante quam per leges liceret, & poſt eam,
b. conſulatum ſtatim geſſit. Miſſuſque ad exercitum in Germaniam, exceſſu Auguſti
c. nuntiato, legiones univerſas imperatorem Tiberium pertinaciſſime recuſantes, &
ſibi ſummam Reipubl. deferentes, incertum conſtantia an pietate majore, compeſcuit: atque hoſte



TORRENT.

1. *Druſi & junioris Antoniæ F.*] Duæ fuerunt Antonii III-viri, & Octaviæ, Auguſti ſororis, filiæ, Antonia major, Domitio Ahenobarbo, Neronis Principis avo, nupta; & Antonia minor, pudicitia pariter ac forma inſignis, Druſi, Auguſti privigni, Tiberii fratris, uxor, ex qua Germanicus & Claudius nati ſunt. Plutarch. Antonio. Sueton. Aug. cap. LXIV. & Ner. cap. V.

Per leges.] Leges annales, ſive annarias intellige. De Quæſtoria autem ætate Cæſ. cap. VII.

Incertum conſtantia an pietate.] Lib. MSS. omnes *incertum pietate an conſtantia.* Vide Tib. cap. XXV.

CASAUBON.

1. *Et poſt eam conſulatum ſtatim geſſit.*] Diſtingue ante *ſtatim* ſic: *a Tiberio patruo adoptatus, quæſturam quinquennio ante, quam per leges liceret, & poſt eam conſulatum, ſtatim geſſit.* Leviſſima emendatio grande momentum affert ad hiſtoriæ fidem. quæ ſtare hic non poteſt, ſi τὸ *ſtatim* referatur ad conſulatum. nam inter Germanici quæſturam & ejuſdem conſulatum anni ſeptem interjecti. refer igitur ad ſuperiora, & intellige, ſtatim ut adoptatus eſt Germanicus, quæſturam eum geſſiſſe. hæc germaniſſima eſt hujus loci ſententia. clare arguit ratio annorum, ſi attendimus. nam & adoptio Germanici & quæſtura in eundem incidunt annum DCCLVII. qui coſs. habuit Sex. Ælium Catum & C. Sentium Saturninum. de adoptione liquet ex Velleji ceterorumque hiſtoricorum teſtimoniis. de quæſtura arguit, quod dicitur quinquennio ante quam per leges liceret, eam conſecutus. nempe anno undevigeſimo factus quæſtor Germanicus. ſic enim Tiberius, cui idem contigit privilegium, *quæſtor undevigeſimum annum agens, capeſſere cœpit Remp.* inquit Vellejus. id ætatis Germanicum fuiſſe cum eſt adoptatus, intelliget ſtatim, qui cum dicto anno DCCLVII. vel eum contulerit quo natus eſt, vel eum quo denatus. alter eſt annus urbis DCCXXXVIII. alter DCCLXXII. ætatis ipſius quartus & trigeſimus.

VARIOR.

1. *Incertum pietate an conſtantia majore.*] Sic præter Torrentium etiam Palatini omnes, non ut edd. *incertum conſtantia an pietate majore.* GRUT. Adſtipulatur Roberti Stephani editio.

(*a*) *A.U.C.* DCCLVII. (*b*) *A.U.C.* DCCLXV. (*c*) *A.U.C.* DCCLXVII.

hoſte mox devicto, triumphavit. Conſul deinde iterum creatus, ac prius quam hono-
rem iniret, ad componendum Orientis ſtatum expulſus, cum Armeniæ regem deviciſſet,
Cappadociam in provinciæ formam redegiſſet, annum ætatis agens quartum & trigeſimum,
diutino morbo Antiochiæ obiit, non ſine veneni ſuſpicione. Nam præter livores, qui
toto corpore erant, & ſpumas quæ per os fluebant, cremati quoque cor inter oſſa incor-
ruptum repertum eſt: cujus ea natura exiſtimatur, ut tinctum veneno igne confici ne-
queat. Obiit autem, ut opinio fuit, fraude Tiberii, miniſterio & opera C. Piſonis. Qui 2
ſub idem tempus Syriæ præpoſitus, nec diſſimulans offendendum ſibi aut patrem, aut
filium, quaſi plane ita neceſſe eſſet, etiam ægrum Germanicum graviſſimis verborum ac
rerum acerbitatibus, nullo adhibito modo, affecit: propter quæ, ut Romam rediit,
pæne diſcerptus a populo, a ſenatu capitis damnatus eſt. Omnes Germanico corporis 3
animique virtutes, & quantas nemini cuiquam, contigiſſe ſatis conſtat: formam & for-
titudinem egregiam: ingenium in utroque eloquentiæ doctrinæque genere præcellens:
benivolentiam ſingularem: conciliandæque hominum gratiæ, ac promerendi amoris mi-
rum & efficax ſtudium. Formæ minus congruebat gracilitas crurum, ſed ea quoque
paul-

TORRENT.

Expulſus.] Tacit. initio lib. II. *Ceterum Tiberio haud ingratum accidit turbari res Orientis, ut ea ſpecie Germanicum a ſuetis legionibus abſtraheret, noviſque provinciis impoſitum dolo ſimul & caſibus objectaret.* Hæ ergo ſunt cauſæ, ob quas ſic feſtinavit Tiberius, ut Germanicus quodammodo videri poſſet expulſus ad componendum Orientis ſtatum. Conſulatum autem ſecundum cum Tiberio tertium Conſule geſſit, eumque apud urbem Achajæ Nicopolim iniit. Auctor Tacit.

Armeniæ reg. deviciſſet.] Non tam devicit, quam ut regno cederet, effecit. Itaque *dejeciſſet* ſubſtituit Lipſius Elector. II. cap. XVII. Videndus Tacit. Annal. II.

Diutino morbo.] Libb. duo *diurno*, unus *diuturno*. Sabellicus etiam *divino* legi atteſtatur, quod cardiaco morbo exſtinctus ſit. Plin. lib. XI. cap. XXXVII. *Negatur cor cremari poſſe in iis, qui cardiaco morbo exſtincti obierint; negatur & veneno interemptis. Certe exſtat oratio Vitellii, qua reum Piſonem ejus ſceleris coarguit, hoc uſus argumento, palamque teſtatus, non potuiſſe ob venenum cor Germanici Cæſaris cremari. Contra genere morbi defenſus eſt Piſo.* Hactenus Plin. Verum ut cardiaco obierit morbo, non ideo hic *divino*, pro *diutino* aut *diuturno*, legendum eſt. Græci enim ἱερὰν νόσον ἐπιληψίαν vocant, quod morbus is veluti Dis iratis immitti videatur. Et quanquam epilepſia interdum ex ore ventriculi affecto, hinc per conſenſum (ut loquuntur medici) etiam cerebro, naſcatur, non tamen ob id καρδιαλγία epilepſia eſt. Et alioqui morbus hic plerumque diuturnus eſt. Tacitus quoque longiorem fuiſſe Germanici morbum ſignificat, quanquam qui morbus fuerit, non exprimit.

Propter quæ.] Liber opt. *propter quod.*

A ſenatu.] Idem lib. *& a ſenatu.*

CASAUBON.

Prius quam honorem iniret.] Iniit apud urbem Achajæ Nicopolim, anno DCCLXXI.

Cum Armeniæ regem deviciſſet.] Juſto Lipſio ut aſſentiamur, ac ſcribamus, *regem dediſſet*, vel *dejeciſſet*, flagitat, non poſtulat Taciti narratio. omnium tamen librorum in edita lectione mira conſtantia.

3. *Omnes Germanico corporis animique virtutes.*] Magnum & rarum elogium: in quo tamen conſentiunt hiſtorici. Tacitus lib. II. 37. pluribus perſequitur illius laudes; etiam cum Alexandro Magno comparatione facta. Dio paucis verbis non pauciora dicit lib. LVII. Κάλλιςος μὲν τὸ σῶμα, ἄριςος δὲ καὶ τὴν ψυχὴν ἔφυ, παιδείᾳ τε ἅμα καὶ ῥώμῃ διέπρεπε, πρᾳότατός τε καὶ σωφρονέςατος ἦν. Dilaudat eundem & Joſephus Origin. lib. XVIII. cap. VIII. Unus Vellejus per adulationem Principis turpiſſimam auſus laudato ab omnibus juveni ignaviæ maculam adſpergere.

Formæ minus conveniebat gracilitas crurum.] Quod inter præcipua olim habitum, quæ bonam formam corrumperent: fuitque hic habitus urbanorum dicteriis ſemper obnoxius. Seneca, *In ſapientem non cadere injuriam*, libro ſecundo: *In capitis mei levitatem jocatus eſt, & in oculorum valetudinem, & in crurum gracilitatem, & in ſtaturam.* Infra libro VI. Neroni tribuuntur inter alia vitia corporis, *gracillima crura.* vide & in Domitiano, cap. XVIII. ſic in Ariſtotele notatum, quod eſſet ἰσχνοσκελὴς, id eſt, *perfilis.* nam ita comici vocarunt. Gloſſarium: *Perfilis*, μακροσκελὴς. Plautus, *todella cruſcula.* Eubulus Comicus κοψίχȣ σκέλη. alii ςρȣθόποδας. Contra, quibus inferiores corporis partes erant craſſiores, κλημματίδας Αἰγυπτίας vocabant. quod de Zenone Stoico eſt dictum. Quemadmodum autem crurum gracilitatem, ſic etiam manus vel brachii inter de-

paullatim repleta aſſidua equi vectatione poſt cibum. Hoſtem cominus ſæpe percuſſit. Oravit cauſſas etiam triumphalis: atque inter cætera ſtudiorum monumenta reliquit & comœdias Græcas. Domi foriſque civilis: libera ac fœderata oppida ſine lictoribus adibat. Sicubi clarorum virorum ſepulcra cognoſceret, inferias manibus dabat. Cæſorum clade Variana veteres ac diſperſas reliquias uno tumulo humaturus, colligere ſua manu, & comportare primus aggreſſus eſt. Obtrectatoribus etiam, qualeſcumque & quantacumque de cauſſa nactus eſſet, lenis adeo & innoxius, ut Piſoni decreta ſua reſcindenti, clientelas diu vexanti, non prius ſuccenſere in animum induxerit, quam veneficiis quoque & de-

vo-

deformitatis notas ponebant. Chryſoſt. in epiſtolam Pauli ad Epheſios: *Ὀυχ ὁρᾷς ὅτι καὶ ἐν τῇ σαρκὶ πολλὰ ἔχομεν ἐλαττώματα; ὁ μέν ἐϛι χωλὸς, ὁ δὲ διεϛραμμένȣς ἔχει τȣ̀ς πόδας, ἕτερος χεῖρα ξηράν.*

VARIOR.

Diutino morbo.] Codex Salmaſianus, tres Palatini, & nonnulli alii: *diuturno.*

TORRENT.

3. *Equi vectatione poſt cibum.*] Quo ſanguis ſcilicet, atque alimenti vis eo deflueret, præſertim cum *ſtapiis* quas vocamus, nondum tunc uterentur. Stapias certe, aut quid ſimile neque Xenophon de Arte equeſtri, neque Julius Pollux de equeſtribus inſtrumentis, uſquam commemorant; & nihil in veterum monumentis invenias, quod eo referri poſſit. Neque ea quæ ob aſſiduam equitationem Scytharum refert incommoda Hippocrates libro de Aere, aqua, locis, eis accidiſſent, ſi ſtapiarum uſum habuiſſent. Male autem diſtinguit editio Pulmanni, quaſi poſt cibum non vectatione uſus ſit, ſed hoſtem cominus percuſſerit. Itaque lege, *equi vectatione poſt cibum. Hoſtem*, &c.

Etiam triumphales.] *Triumphales* accipio magnas & eximias, quæ de triumpho decernendo agerentur. qui enim minus *triumphales cauſas* quam *conſulares* dicamus? Beroaldo viſum rectius *triumphalis*, ut triumpho auctus Germanicus cauſas dixerit. Quod vix eſt ut potuerit, extruſus a Tiberio ſtatim a triumpho ad res Orientis componendas. *Centumvirales* autem, quæ publicæ cauſæ, cur recipiamus nulla ratio. Etſi fieri poteſt, ut eas egerit, & Ovid. ſuadet initio primi Faſtor. de hoc ipſo Germanico:

Quæ ſit enim docti facundia, ſenſimus, oris;
Civica pro trepidis cum tulit arma reis.

ſed ea lectio & abit nimium a vulgata, nec vel leviter huc ſollicitant codices antiqui quotquot mihi viſi, & quæ in poſſeſſionem miſſa, ut dicebam, commodum habet ſenſum.

Clientelas diu vexanti.] Sic quidem libb. omnes; non dubito tamen, quin *clientelas divexanti* ſcripſerit Sueton.

Veneficiis & devotionibus.] De hac re ſic Tacit. lib. II. *Reperiebantur ſolo ac parietibus erutæ humanorum corporum reliquiæ; carmina & devotiones, & nomen Germanici plumbeis tabulis inſculptum, ſemiuſti cineres ac tabo obliti, aliaque maleficia, queis creditur animas numinibus infernis ſacrari.*

CASAUBON.

Ea quoque paullatim repleta aſſidua equi vectatione poſt cibum.] Gracilitatem vel corporis totius, vel partis, ut crurum, duobus potiſſimum modis curari poſſe, Galenus docet, *dropace*, & *convenientibus exercitationibus.* Lege illius magni doctoris Ὑγιεινῶν librum quintum. meminit & libro ſexto atque alibi.

Oravit cauſſas etiam triumphales.] Nihil auſi ſumus mutare: Viterb. tamen cod. & Pithœi habent *triumphalis.* quam lectionem amplector ut veriſſimam. Dio jubet, cui refragari durum. notat ille in actis anni DCCLXV. Germanicum etiam conſulem cauſſas oraſſe. *καὶ ἀυτὸς μὲν*, ait, *ȣ̓δὲν ἄξιον μνήμης ἔπραξε, πλὴν ὅτι καὶ τότε ὑπερεδίκησεν.* Lapſi ſunt graviter viri docti, qui hoc loco *ὑπερδικεῖν*, quod lippi norunt & tonſores ſignificare *patrocinio ſuo aliquem defendere:* interpretati ſunt, *potiores ferre partes.* non dubito id notare voluiſſe Dionem verbis illis, quod hic Suetonius obſervat. Sed inſtat erudiſſimus Torrentius, & triumphalem Germanicum oraſſe cauſſas negat, qui ſtatim a triumpho ad Orientis ſtatum componendum ſit pulſus. Reſpondemus viro doctiſſimo, triumphalem dici non eum tantum, qui triumphavit: ſed & illum, qui triumphalia ornamenta ſit conſecutus: quæ nactum eſſe Germanicum ex bello Dalmatico ante conſulatum ſuum primum, teſtis Dio lib. LVI. *Τῷ Γερμανικῷ αἵτε νικητήριοι τιμαὶ ἐδόθησαν καὶ αἱ ϛρατηγικαί.*

Domi foriſque civilis.] Joſephus idem aliis verbis, *τὴν ἀξίωσιν κτώμενος τȣ̃ βȣ́λεσθαι ἴσος πᾶσιν εἶναι.*

Colligere ſua manu & comportare.] Quod Tiberius arripit in occaſionem criminandi alias inviſi juvenis. Tacitus.

Ut Piſoni decreta ſua reſcindenti, clientelas diu vexanti, non prius ſuccenſere in animum induxerit quam.] Aliter Tacitus, II. A. 69. & verius, ut puto: *At Germanicus Ægypto remeans, cuncta quæ apud legiones aut urbes juſſerat, abolita, vel in contrarium verſa, cognoſcit: hinc graves in Piſonem contumeliæ.*

VARIOR.

3. *Nactus eſſet.*] Cod. Salm. *nanctus.* & ita ſemper. *Clientelas diu vexanti.*] Leg. *divexanti.* SAL-

MA-

votionibus impugnari ſe compeiiſſet: ac ne tunc quidem ultra progreſſus, quam ut & amicitiam ei more majorum renuntiaret, mandaretque domeſticis ultionem, ſi quid ſibi accideret. Quarum virtutum fructum uberrimum tulit, ſic probatus & dilectus a ſuis, 4
ut Auguſtus, (omitto enim neceſſitudines reliquas) diu cunctatus an ſibi ſucceſſorem deſtinaret, adoptandum Tiberio dederit. Sic vulgo favorabilis, ut plurimi tradant, quoties aliquo adveniret, vel ſicunde diſcederet, præ turba occurrentium proſequentiumve nonnunquam eum diſcrimen vitæ adiiſſe: e Germania vero, poſt compreſſam ſeditionem, revertenti, prætorianas cohortes univerſas prodiiſſe obviam, quamvis pronuntiatum eſſet, ut duæ tantummodo exirent: populi autem Romani ſexum, ætatem, ordinem omnem uſque ad viceſimum lapidem effudiſſe ſe. Tamen longe majora & firmiora de eo judicia 5
in morte ac poſt mortem exſtitere. Quo defunctus eſt die, lapidata ſunt templa, ſubverſæ Deum aræ, Lares a quibuſdam familiares in publicum abjecti, partus conjugum expoſiti. Quin & Barbaros ferunt, quibus inteſtinum, quibuſque adverſus nos bellum eſſet, velut in domeſtico communique mœrore conſenſiſſe ad inducias. Regulos quoſdam barbam poſuiſſe, & uxorum capita raſiſſe, ad indicium maximi luctus. Regum etiam regem & exercitatione venandi, & convictu Megiſtanum abſtinuiſſe, quod apud Parthos juſtitii

MASIUS. ſicut & ante legendum ſuaſerant Torrentius & Gruterus.

TORRENT.

Amicitiam ei more majorum renunciaret.] Tacit. *componit epiſtolas, queis amicitiam ei renunciabat.* Sic *inimicitias denunciare* Cic. pro Flacco, & Seneca Epiſt. lib. v.

4. *Adoptandum Tiberio.*] Aug. cap. LXV. & Tib. cap. XXV.

E Germania.] Liber opt. *a Germania*, & mox, *populum Romanum*, pro *populi Romani.*

5. *Lapidata ſunt templa, ſubverſæ deum aræ.*] Quaſi pro diis colendi non eſſent, qui mori Germanicum permiſiſſent. Non diſſimile Auguſti factum, qui claſſe tempeſtate perdita proximis Circenſibus Neptuni ſimulacrum pompæ detraxit. Sueton. Aug. cap. XVI.

Regulos quoſdam barbam poſuiſſe.] Atqui Romani barbam in luctu ſummittebant. ut enim recte Problem. cap. XIII. Plutarch. tradit, lugentibus ea accommodata ſunt quæ & inuſitata, ut a viris ali comam, mulieres tonderi, idque pro gentis cujuſque moribus. Exemplum apud eundem Plutarchum Pelopida, & Senecam lib. de Benef. v. cap. VI.

Convictu Megiſtanum.] Male *Megianum* habent exemplaria Gallica, nec recte qui *Artabanum* legunt, ut nomen proprium ſit Parthorum regis, qui regem regum ſe vocabat. ſunt enim *Megiſtanes* Græcis viri ſummi ac proceres cujuſque regni, quibus permiſſum, ut cum regibus epularentur. Quo vocabulo uſus eſt etiam Tacit. & Annæus Seneca Epiſt. ad Lucilium XXI. Unde & D. Marci Evangeliſtæ locum cap. VI. de Herode ſcribentis rectius intelligimus, δεῖπνον ἐποίει τοῖς μεγιςᾶσιν, & Danielis Prophetæ cap. III.

CASAUBON.

Amicitiam ei more majorum renuntiaret.] Et Auguſti quoque exemplo, qui fecit idem in Cornelio Gallo. libro ſecundo, cap. LXVI.

4. *Quarum virtutum fructum uberrimum tulit.*] Fructus virtutum ſuaviſſimus, amor omnium. Genuina ſententia apud optimum poetam Statium Papinium in Soteriis pro Rutilio Gallico:

Quæ tibi ſollicitus perſolvit præmia morum
Urbis amor? quæ tum patrumque equitumque notavi
Lumina, & ignaræ plebis lugere potentes?

5. *Tamen longe majora & firmiora de eo judicia in morte.*] Exſtat in hanc ſententiam Vetus epigramma:

Parce hoſpes tumulo, Cæſar Germanicus hic ſum:
Sæpe etiam ignotis ipſe dedi requiem.
Quod ſi quem tumuli nihil hujus gratia tangit,
Admoneat, patriæ fraude quod hic jaceo:
Sed jaceo, quamvis non vitæ, at plenus honoris:
Hoc uno ingratus, quod genui patriæ.
Teſtata eſt mores lacrymis plebeſque patreſque:
Hæc ſunt ſinceri judicia ingenii.

Secundum horum verſuum explicant ſuperiora Suetonii verba, *Sicubi clarorum virorum ſepulcra cognoſceret, inferias manibus dabat.* quartum verſum ita potius ſcribam, *At moveat, patria fraude quod hic jaceo.* elegantius, & ad fidem hiſtoriæ convenientius.

Lapidata ſunt templa.] Quos honore auctos volebant, ſive deos, ſive homines, ἐφυλλοβόλουν: contra per contumeliam lapidibus petebant & deorum & hominum imagines. Tacitus I. Hiſt. *Primani Quintanique turbidi, adeo ut quidam ſaxa in Galbæ imagines jecerint.* Hinc illa theatralis lapidatio, de qua multa nobis dicta Animadv. in Athenæum lib. VI. cap. XI.

TOR-

5 juſtitii inſtar eſt. Romæ equidem, cum ad primam famam valetudinis attonita & mœſta civitas ſequentes nuntios opperiretur, & repente jam veſperi incertis auctoribus convaluiſſe tandem percrebuiſſet: paſſim cum luminibus & victimis in Capitolium concurſum eſt, ac pæne revulſæ templi fores, ne quid geſtientes vota reddere moraretur. Expergefactus e ſomno Tiberius eſt gratulantium vocibus, atque undique concinentium, *Salva Roma*, *Salva patria*, *Salvus eſt Germanicus*. Sed ut demum fato functum palam factum eſt, non ſolatiis ullis, non edictis inhiberi luctus publicus potuit, duravitque
7 etiam per feſtos Decembris menſis dies. Auxit gloriam deſideriumque defuncti etiam atrocitas inſequentium temporum: cunctis nec temere opinantibus, reverentia ejus ac metu repreſſam Tiberii ſævitiam, quæ mox eruperit. Habuit in matrimonio Agrippinam, M. Agrippæ & Juliæ filiam, & ex ea novem liberos tulit: quorum duo infantes adhuc rapti, unus jam puéraſcens, inſigni feſtivitate, cujus effigiem habitu Cupidinis in æde Capitolinæ Veneris Livia dedicavit. Auguſtus in cubiculo ſuo poſitam, quotieſcumque introiret, exoſculabatur. Ceteri ſuperſtites patri fuerunt. Tres ſexus fœminini, Agrippina, Druſilla, Livilla, continuo triennio natæ; totidem mares, Ne-
8 ro & Druſus & C. Cæſar. Neronem & Druſum ſenatus, Tiberio criminante, hoſtes judicavit. C. Cæſar natus eſt pridie Kalend. Septembres, patre ſuo & C. Fontejo Capitone coſſ. Ubi natus ſit, incertum diverſitas tradentium facit. Cn. Lentulus Gætulicus Tiburi genitum ſcribit: Plinius Secundus in Treveris vico Ambiatino ſupra Confluentes: addit etiam pro argumento aras ibi oſtendi inſcriptas, OB AGRIPPINÆ PUERPERIUM.

TORRENT.

6. *Salva Roma, Salva patria, Salvus eſt Germanicus.*] Verſus eſt integer Trochaicus.

Et ut demum.] Melius *ſed ut demum*, ut in opt. codice.

Per feſtos Decemb.] Vide Aug. cap. LXXI.

7. *Jam pueraſcens.*] Hinc & *repueraſcere*, per *a*, Plauto, Ciceroni, & aliis. De liberis autem, quos moriens reliquit, ſic apud Tacitum ipſe Germanicus, adſtantes jam moriturus alloquens amicos, *Oſtendite pop. Romano Divi Auguſti neptem, eandemque conjugem meam, numerate ſex liberos.*

8. *Pridie Kal. Septemb.*] Hunc & Commodi fuiſſe natalem auctor eſt Lampridius.

Patre ſuo & C. Fontejo Coſſ.] A. U. DCCLXV. De quibus Coſſ. exſtat hæc inſcriptio: GERMANICO CÆSARE C. FONTEJO CAPITONE COSS. K. JAN. SEJÆ FORTUNÆ AUG. SACR.

Cn. Lentulus Gætulicus.] Gætulici hiſtoriæ meminit hic Sueton. at carminum ejus Probus grammaticus in Virgil. Georgica, Martial. præfatione operis ſui, & Sidonius Apollinaris hendecaſyllabo illo, *Non Gætulicus hic tibi legetur.* Ejus carmina quædam citantur lib. III. & lib. VI. Anthologiæ.

Vico Ambiatino.] MSS. omnes *Ambitarino*. quam lectionem etiam Turneb. affirmat. Eſt & qui *Ambitivo* ſuadeat legendum, cujus appellationis adhuc memoria ſuperſtes.

Supra Confluentes.] Hinc hodie quoque urbi Confluentiæ nomen, qua Moſella in Rhenum influit, ſub ditione Treverenſi.

OB AGRIPPINÆ PUERPERIUM.] Venuſtius dixiſſet, *aras ibi oſtendi inſcriptas Agrippinæ puerperio*, aut *puerperii*, ut *ara Concordiæ*, *Virtutis*, *Honoris*, *Clementiæ*, *Pacis*, *Amicitiæ*, *Ultionis*, *Adoptionis*, apud Ciceronem, Livium, Tacitum, & alios.

CASAUBON.

6. *Ne quid geſtientes vota reddere moraretur.*] Pars major libb. & quidem meliorum *morarentur*, hoc eſt, exſpectandum haberent. *Moror* utrumque ſignificat, & facere & pati moram.

Cunctis nec temere opinantibus; reverentia ejus ac metu repreſſam Tiberii ſævitiam.] Eadem ſententia Dionis diſerte ſic ſcribentis: Τιβέριος δὲ ἐπεὶ τὸ ἐφεδρεῦον οὐκέτ' εἶχεν, ἐς πᾶν τ' οὐναντίον τῶν πρόσθεν εἰργασμένων αὐτῷ πολλῶν ὄντων καὶ καλῶν περιέστη. Tacitus: *Morum quoque tempora illi diverſa: egregium vita famaque quoad privatus, vel in imperiis ſub Auguſto fuit: occultum ac ſubdolum fingendis virtutibus, donec Germanicus ac Druſus ſuperfuere.*

VARIOR.

8. *Vico Ambiatino.*] Codex Salmaſ. *Ambiatarnio.* Et ſic ceteri omnes MSS. Sunt qui Confluentes intelligant Saravi fluminis & Moſellæ, ac ſcribendum *Ambitivo*. Cujus pagi mentio in diplomatibus Pipini regis, & filii ejus Caroli Magni. SCRIV.

OB AGRIPPINÆ PUERPERIUM.] Mos Romanus, quo receptum, ut propagandæ memoriæ cauſſa, ara aut templum ſtatueretur virtuti reique, quam cupe-

RIUM. Verſiculi, imperante mox eo, divulgati, apud hibernas legiones procreatum indicant:

In caſtris natus, patriis nutritus in armis,
Jam deſignati principis omen erat.

Ego in Actis Antii invenio editum. Gætulicum refellit Plinius, quaſi mentitum per adulationem, ut ad laudes juvenis glorioſique principis aliquid etiam ex urbe Herculi ſacra ſumeret: abuſumque audentius mendacio, quod ante annum fere natus Germanico filius Tiburi fuerat, appellatus & ipſe C. Cæſar: de cujus amabili pueritia immaturoque obitu ſupra diximus. Plinium arguit ratio temporum. Nam qui res Auguſti memoriæ mandarunt, Germanicum exacto conſulatu in Galliam miſſum conſentiunt, jam nato Cajo. Nec Plinii opinionem inſcriptio aræ quidquam adjuverit, cum Agrippina bis in ea regione filias enixa ſit: & qualiſcumque partus, ſine ullo ſexus diſcrimine, *puerperium* vocetur, quod antiqui etiam puellas *pueras*, ſicut & pueros *puellos* dictitarent. Exſtat & Auguſti epiſtola ante paucos quam obiret menſes, ad Agrippinam neptem ita ſcripta de Cajo

cuperent laudatam. Tacitus Annal. I. *Aramque Adoptionis & alia hujuſcemodi prohibuit.* Ita apud eundem, cum Tiberius publico judicio ultus eſſet Germanici mortem, *Cæcina Severus cenſuit aram Ultioni.* & lib. XV. poſt natam ex Poppæa prolem, *ſupplicationes a ſenatu decretæ, & templum Fecunditati.* Lipsius.

Torrent.

Apud hibernas legiones.] Melius quod in vetuſto cod. ſe repperiſſe Beroaldus affirmat, *apud hiberna legionum.*

Ego in actis Antii ipſum inv. ed.] Libb. duo *Antii editum invenio*, unus vero *in actis ejus Antii inv. ed.* ſed male. de actis enim publicis loquitur, ut ante notavimus Tib. cap. V. Non ſum neſcius vero diſputatum viro docto de natalis Caligulæ ſoli controverſia pro Plinio in Suetonium. Sed (ignoſcat mihi) non perſuadent argumenta, ut auctori noſtro abjudicem, harum rerum diligenti in primis, & optima fide. Et alioqui valida ſunt, quæ pro ſe loquitur: neque equidem in tanta (quod ei præmonitum ſignate) alia & alia tradentium diverſitate facile ſecundum alterutrum litem dederim.

Gætulicum refellit Plinius.] At cum Gætulico facit Tacit. lib. I.

Urbe Herculi ſacra.] Unde *Herculeum*, & *Herculis Tibur.* Sup. Aug. cap. LXXII. Et fortaſſis ut Commodus, ſic Caligula Hercules Romanus videri, ac dici voluit.

Appellatus & ipſe C. Cæſar.] Si vera hæc Suetonii opinio, duo eodem tempore Germanico filii eodem ambo prænomine fuere. ſiquidem prior ille natus Tibure anno uno ante Caligulam pueraſcens exſtinctus eſt.

Puellas pueras.] Priſcian. lib. VI. *Pueri femininum pueram dicebant antiqui ſimi. Unde & puerpera, quæ puerum vel pueram parit.* Idem Donat. tradit ad illud Terentii Andria, *Non imperaſti, eorum quid opus eſſet facto puerperæ.* Adde Nonium, & Feſtum. ut enim *puera* & *pueri*, ſic *puelli* & *puellæ* dicebantur. Porro hinc commodius intelligimus Paulum JCtum l. CLXIII. De verb. ſignif.

Ante paucos quam obiret menſes.] Liber opt. *obiit* pro *obiret*.

Casaubon.

8. *Ego in actis Antii invenio editum.*] Dio quoque in caſtris non natum, ſed eductum ait: verum ſi ex fide eidem traditum, Germanicum primum ſuum conſulatum in otio urbano conſumpſiſſe, cauſſa non eſt meo judicio, cur Plinio potius quam Suetonio in hac controverſia aſſentiamur. Etſi non clam me eſt, virum doctum multis probabilium argumentorum machinis, hujus opinionem prope afflixiſſe. Sed mihi per videtur mirum, ſi poſt cladem Varianam, Tiberium ad Germanicos exercitus ſumma celeritate feſtinantem Germanicus cum uxore ſua ſit comitatus. nonnihil etiam impellit me, ut Suetonio potius aſſentiar, exquiſita hæc diligentia, qua uſum eum patet in perveſtiganda hujus rei veritate: quam quidem ille ſolus ſerio, certe poſt Plinium & Tacitum, quæſivit.

Varior.

Apud hibernas legiones.] Apertior locutio eſt, & in quibuſdam exarata codicibus, ſi dicas, *apud hiberna legionum.* Beroald. *Apud hibernas legiones* id ipſum eſt, quod *hiberna legionum:* ſed forte paullum exquiſitius. Cicero IV. ad Attic. epiſt. ult. *hibernam legionem eligendi optio delata.* Nempe ut præeſſet hibernis legionis cujuſcumque vellet. Ammianus lib. XIV. *collocato apud ſtationes hibernas.* Ergo corrigendum non eſt. Gronovius.

To R-

Cajo hoc (neque enim quiſquam jam alius infans nomine pari tunc ſupererat) *Puerum Cajum xv. Kalend. Junii, ſi Di volent, ut ducerent Talarius & Aſellius, heri cum his conſtitui. Mitto præterea cum eo ex ſervis meis medicum, quem ſcripſi Germanico, ſi vellet, ut retineret. Valebis mea Agrippina, & dabis operam, ut valens pervenias ad Germanicum tuum.* Abunde arbitror parere, non potuiſſe ibi naſci Cajum, quo prope bimulus demum perductus ab urbe ſit. Verſiculorum quoque fidem eadem hæc elevant: & eo facilius, quod hi ſine auctore ſint. Sequenda igitur eſt, quæ ſola reſtat, publici inſtrumenti auctoritas: præſertim cum Cajus Antium, omnibus ſemper locis atque ſeceſſibus prælatum, non aliter quam natale ſolum dilexerit: tradaturque etiam ſedem ac
9 domicilium Imperii tædio Urbis transferre eo deſtinaſſe. Caligulæ cognomen caſtrenſi joco

TORRENT.

Aſellius.] Lib. unus *Aſilius*, aliter *A. Selius*. Aſellii cujuſdam mentio Tib. cap. XLII. Sed & Silia gens Romæ nota.

Arbitror patere.] Turneb. Adverſar. XXII. cap. XXX. ex vetuſto (ut affirmat) cod. legit *parere*. ſic enim veteres, *ſi paret eum dare oportere*. De quo Aug. cap. XCV.

Quod hi ſine auctore.] Liber unus, *quod ſine auctore ſunt*.

Quæ ſola actorum reſtat.] Sic Beroaldus reſtituit. nam MSS. omnes corrupti ſunt.

9. *Caſtrenſi joco.*] Tacit. lib. I. *Militari vocabulo Caligulam appellabant, quia plerumque ad concilianda vulgi ſtudia eo tegmine pedum induebatur.* Idem Dion, Victor, & alii. Vide Aug. cap. XXV.

CASAUBON.

Si vellet, ut retineret.] Memmianus lacunam exhibet ſic, *ſi vellet ..... ut retineret.* Fortaſſe, *ſi vellet uti, ut retineret.*

Quæ ſola actorum reſtat & publici inſtrumenti auctoritas.] In MSS. etiam noſtris locus eſt corruptus: ex veſtigiis Viterb. & Memmiani videtur ſcriptum fuiſſe, *quæ ſola auctoritas reſtat publici inſtrumenti.* nam vox *actorum* ex ſuperſcripta interpretatione orta videtur.

VARIOR.

Eo quod hi ſine auctore ſint.] Salmaſii codex: *Eo quod ii ſine auctore ſunt.*

Quæ ſola actorum, &c.] Nihil auferendum neceſſario, quia *acta & inſtrumentum publicum* ita hic junguntur, ut cap. XX. *Commentarii & acta Tiberii.* ſunt enim eadem *commentarii Tiberii*, quæ *acta Tiberii.* Et ſimiliter cap. XVI. cum dicit Auctor, *cum fide & ſine calumnia*, bis idem dixit. Differunt enim magis verborum ſono quam ſenſu, quoniam qui per calumniam quid ait negatve, facit is contra fidem bonam. Et qui contra fidem bonam, is quoque per calumniam. Sic enim l. I. §. 2. ff. Si mulier ventr. nom. *Per calumniam in poſſeſſione fuiſſe videtur, quæ ſciens prudenſque ſe prægnantem non eſſe, voluit in poſſeſſionem venire.* Et l. 2. ff. De fide inſtrum. *calumnioſa ſcriptura* eſt ea, quæ fide deſtituitur. Et l. 5. §. *Si dies.* ff. Ut legator. *Si heres per calumniam poſtulari contendat & relictum neget*, quod relictum tamen ſciebat. Ut hic dici de Suetonio poſſit, quod dixit Ulpianus de ædilitio edicto. l. I. §. 7. ff. *Ædiles tollendæ dubitationis gratia, bis κατὰ τȣ̃ αὐτȣ̃ idem dixiſſe, ne qua dubitatio ſupereſſet.* GOESIUS.

Omnibus ſemper locis atque ſeceſſibus prælatum.] Sic & de Romanæ gentis conditore Florus l. I. *Ipſe fluminis amator & montium, apud quos erat educatus.* Cicero quoque de Arpino ſuo lib. II. de Legibus cap. I. *Ego vero, cum licet plures dies abeſſe, & amœnitatem & ſalubritatem hanc ſequor: raro autem licet. Sed nimirum me alia quoque cauſſa delectat, quæ te non attingit ita: quia, ſi verum dicimus, hæc eſt mea, & hujus fratris mei patria*, &c. Ammianus de Juliano Imp. lib. XXII. c. 21. *Antiochiam ire contendens, reliquit Conſtantinopolin incrementis maximis fultam. Natus enim illic, diligebat eam ut genitalem patriam & colebat.* GRUTERUS.

9. *Caligulæ nomen caſtrenſi joco traxit.*] Caligulæ, militis calceamenta, etſi tibiatim calcearentur, nunquam tamen pro braccis, aut femorum tegmine apud veteres ſunt acceptæ, ut viri quidam docti falſo ſibi perſuaſerunt. Recentiores non de calceamento tantum militari dixerunt, ſed de omni calceorum genere. D. Hieronymus σανδάλια, *caligas* vertit. vetus interpres Juvenalis Græcorum crepidas, *Grajas caligulas* vocat. nimirum *trechedepna* volebat eſſe apud Juvenalem, quæ Græcis τροχάδες appellantur. auctor veteris Gloſſarii: Τροχάδες *ſunt galliculæ.* Idem *gallicullas*, σανδάλια reddit alio loco. ſic plane gallicæ & caligæ confunderentur. Atqui conſtat gallicam de eo genere calceorum fuiſſe, quod infimas tantum plantarum calces tegeret, quales erant crepidæ & ſoleæ. at caligæ non tales. Quamvis non dubitem, multis auctorum locis caligas, & caligulas, pro gallicis & galliculis irrepſiſſe. Græci quoque dum κάλλικα & καλλίγαν ſcribunt, dubium facere poſſunt, utrum caligam an gallicam exprimere voluerint.

joco traxit, quia manipulario habitu inter milites educabatur. Apud quos quantum præterea per hanc nutrimentorum conſuetudinem amore & gratia valuerit, maxime cognitum eſt, cum poſt exceſſum Auguſti tumultuantes & in furorem uſque præcipites ſolus haud dubie conſpectu ſuo flexit. Non enim prius deſtiterunt quam ablegari eum ob ſeditionis periculum, & in proximam civitatem demandari animadvertiſſent. Tunc demum ad pœnitentiam verſi, repreſſo ac retento vehiculo, invidiam, quæ ſibi fieret, deprecati ſunt. Comitatus eſt patrem & in Syriaca expeditione. Unde reverſus primum in matris, deinde ea relegata, in Liviæ Auguſtæ proaviæ ſuæ contubernio manſit: quam defunctam prætextatus etiam tum pro Roſtris laudavit. Tranſiitque ad Antoniam aviam, & inde viceſimo ætatis anno accitus Capreas a Tiberio, uno atque eodem die togam ſumſit, barbamque poſuit: ſine ullo honore, qualis contigerat tirocinio fratrum ejus. Hic omnibus inſidiis tentatus elicientium, co-

gen-

rint. iidem Καλλιγόλαν ſolent plerumque ſcribere, qui Latinis *Caligula*. Sed certum eſt, de caliga eſſe accipiendum. Salmasius. Verum utique eſt, & caligas fuiſſe ex crepidarum genere, & calces tantum texiſſe digitis pedum haud incluſis, quamvis tibiatim calceabantur. *Crepidæ* enim ſive *ſandalia* appellantur omnia calceamentorem genera, quæ digitos pedum haud includunt, quamvis etiam medium crus tegant: ita & caligæ militum Romanorum crepidæ erant aut ſandalia, quamvis ad mediam uſque tibiam adſcenderent, ut conſtat ex arcu Conſtantini, ubi caligam clavatam videmus, quam exhibet Joſeph. Caſtalio decad. 2. Obſerv. 4. A. Rubenius de Re Veſtiaria lib. II. cap. I.

Torrent.

Ablegari eum.] Omnes MSS. quos equidem viderim, habent *obligari*: atque ita legendum eſt, ne bis idem dicat. ſequitur enim *demandari*. *Proximam* autem *civitatem* Treverorum urbem intellige, ex Tacito lib. I. Annal.

Repreſſo ac retento vehiculo.] Mallem *reprenſo*, *ac ret.* ut in opt. cod. ſic enim *reprehenſi*, ſeu *reprenſi* dicuntur profugi inf. cap. XLV. Vitell. cap. XII.

Invidiam deprecati.] Vide apud Gell. lib. VI. cap. XVI. quid ſit *deprecari*.

10. *Com. eſt pat. & in Syriaca expedit.*] Liber unus ſine &. Ego *in* præpoſitionem abeſſe mallem, retento &.

Liviæ Auguſtæ proaviæ contubernio.] Liviam proaviam vocat, (ea enim Druſi mater erat) Antoniam vero aviam, quia Druſi uxor. Et notandum etiam feminarum contubernium dici. De quo verbo ad Veſpaſ. cap. III.

Inde viceſimo.] Recte Pulman. ſic enim omnes MSS. noſtri. Vulgati vero *undevigeſimo ætatis anno*.

Tirocinio fratrum.] Vide Tib. cap. LIV. Ut autem militiæ, ſic & aliarum artium prima aggreſſio *tirocinium* dicitur, & *tirones* qui rem aggrediuntur. Unde factum, ut *tirones* quoque dicantur ii, qui egreſſi pueritiam, jam majuſculi, ſumpta toga virili, in forum deducti ſunt; & *tirocinium*, illius deductionis dies. Quod cum fere fieret XVII. ætatis anno, Caligulæ ob avi Tiberii cunctationem tardius contigit, atque adeo eodem tempore ſimul barbam depoſuit. Qui dies etiam ſolennis habebatur. Juvenal. Sat. III.

Ille metit barbam, crinem hic deponit amati,
Plena domus libris venalibus.

Aliquid ſup. Aug. cap. XXVI. & Tib. cap. XV.

Inſidiis tentatus.] Ab iiſdem ſcilicet, qui Neronem, ac Druſum, ejus fratres, ad convicia concitaverant, ut concitati perderentur. Tib. cap. LIV.

Casaubon.

9 *Apud quos quantum præterea.*] Forte ſcribendum *propterea*.

Quam ablegari eum.] Etiam in Memmiano ſcriptum *oblegari*, pro *ablegari* ſine dubio.

Repreſſo ac retento vehiculo.] Memmianus *reprenſo*, ut ſit pro ſæpius apprehenſo. Tacitus ſic: *orant, obſiſtunt, rediret, maneret.*

10. *Comitatus eſt patrem & in Syriaca expeditione.*] Viterb. *& in Syriacam expeditionem.*

Et inde viceſimo ætatis anno accitus Capreas a Tiberio.] Convenit cum calculo Taciti, qui in actis anni DCCLXXXVI. VI. Annal. 20. ita ſcribit: *Sub idem tempus C. Cæſar diſcedenti Capreas avo comes, Claudiam M. Silani filiam conjugio accepit.*

Varior.

Ablegari eum.] Adſtipulatur Torrentii codicibus Salmaſianus, qui & ipſe *oblegari*.

10. *Comitatus eſt p trem & in Syriaca expeditione.*] Salmaſ. v. c. & Palat. II. *patrem & Syriaca expeditione*. Prim. & tert. Pal. *patrem in Syriacam expeditionem*. Rob. Steph. *Comitatus eſt patrem in Syriaca expeditione.*

Inde viceſimo ætatis anno accitus.] Codex Salmaſ. *Undeviceſimo ætatis anno accitus.*

Tor-

gentiumque ſe ad querelas, nullam umquam occaſionem dedit, perinde oblitterato ſuorum caſu ac ſi nihil cuiquam accidiſſet: quæ vero ipſe pateretur, incredibili diſſimulatione tranſmittens. Tantique in avum, & qui juxta erant, obſequii, ut non immerito ſit dictum: *Nec ſervum meliorem ullum, nec deteriorem dominum fuiſſe.*

11 Naturam tamen ſævam atque probroſam nec tunc quidem inhibere poterat: quin & animadverſionibus pœniſque ad ſupplicium datorum cupidiſſime intereſſet: & ganeas atque adulteria capillamento celatus, & veſte longa noctibus obiret: ac ſcenicas ſaltandi canendique artes ſtudioſiſſime appeteret: facile id ſane Tiberio patiente, ſi per has manſuefieri poſſet ferum ejus ingenium. Quod ſagaciſſimus ſenex ita prorſus perſpexerat, ut aliquoties prædicaret, *Exitio ſuo omniumque Cajum vivere*: &, *ſe natricem* (ſerpentis

TORRENT.

Et qui juxta erant.] Græco more τὺς περὶ ἐκεῖνον.

Meliorem ſervum.] Dictum Paſſieni oratoris. Tacit. lib. v.

11. *Cupidiſſime intereſſet.*] Optimus cod. *intereſſe*; mox *obire*, & *appetere*, pro *ambiret*, & *appeteret*, poſitis ſcilicet infinitivis pro imperfectis, ut grammatici loquuntur. Quam lectionem ut damnare nolim, ita vulgatam magis Suetonianam puto. *Obiret* autem pro *ambiret* in altero quodam cod. ſcriptum inveni. Non etiam nove *adulteria* pro locis, in quibus adulteria agitarentur.

Capillamento celatus.] *Capillamentum* comam vocat appoſititiam, quali mulieres uti ſolent, (Petronius Arbiter *corymbion* appellat) ut eo, ſicut & veſte longa muliebri, indutus obvios falleret, nec agnoſceretur. Sic ferme Turneb. Adverſ. i. cap. xxi. & iv. cap. xix. nec male ſane. Et tale quid *caliendrum* apud Horat. lib. i. Sat. viii. pro coma appoſititia. Quo vocabulo uſus etiam Varro, ut priſci interpretes ibi annotarunt. Ut autem Cajus capillamento, ſic Nero pileo vel galero ſe texit, Verus (quod de eo Capitolin. ſcribit) cucullione. Idem Otho factitabat. Eodemque ſpectat Juvenalis verſus Sat. viii.

- - - *nocturnus adulter*
Tempora Santonico velas adoperta cucullo.

Sed & Antonio objicit Cicero, quod cum Gallicis & lacerna noctu curreret. Vide Gellium. lib. xiii. cap. xx.

Natricem.] A natando, ut vult Nonius, quod in aquis id ſerpentum genus vivit. ſic enim recte vertit Gaza, quem Ariſtot. ὕδρον vocat. Nocentior eſt, cum terram attingit, & tunc cherſydrus dicitur, ut Nicander, Aëtius, & alii tradidere. Lucan. quoque lib. ix. *Et natrix violator aquæ.* Hinc proverbium, *Hydrus in dolio.*

CASAUBON.

Perinde obliterato ſuorum caſu, quaſi nihil quicquam accidiſſet.] Tacitus ibidem: *Immanem animum ſubdola modeſtia tegens, non damnatione matris, non exſilio fratrum rupta voce.*

Quæ vero ipſe pateretur, incredibili diſſimulatione tranſmittens.] Tacitus libro ſexto, de Cajo: *Nam etſi commotus ingenio, ſimulationum tamen falſa in ſinu avi perdidicerat.* Novi Tiberii ingenium, puto tamen hic ſcribendum *in ſinu aviæ*: intelligit enim, niſi fallor, primam Caji educationem: non autem in ſinu Tiberii avi, ſed Antoniæ aviæ & Liviæ Auguſtæ proaviæ, ad viceſimum ætatis annum fuit educatus. Quare de Livia interpretor, muliere, ut novimus, omnium artium iſtius generis peritiſſima. nec obſtat quod proavia illa fuit, non avia: ſemper enim Romani ſcriptores cognationum appellationes laxe & libere uſurparunt, ut omnibus eſt notum, qui eorum ſcripta ſerio πεπατήκασι.

Ut non immerito ſit dictum.] Ejus dicti auctor Paſſienus Tacitus ibidem.

11. *Et ganeas atque adulteria capillamento celatus & veſte longa, noctibus obiret.*] Memmianus codex, Liſl. & Viterb. ita legunt; non *ambiret*, ut in aliis. *Adulteria* pro fœminis adulteris, ita dictum, ut conjugia pro conjugibus, & alia id genus. At in libb. Urſini ſcriptum *ganeas atque popinas*, quam lectionem nuſquam reperimus, & putamus ab iis eſſe excogitatam, qui inſolentiam vulgatæ lectionis non concoquebant. *Capillamentum eſt* πηνίκη Auctor Satyrici: *Evocatumque me non minus decoro exornavit cappillamento: imo commendatior vultus enituit, quia flaurorum corymbio erat.* Puto ſcribendum, *quia flavo ornatum corymbio erat.* Suetonius in Othone *galericulum* vocat.

Ut aliquoties prædicaret, exitio ſuo omniumque Cajum vivere.] Dio cati ſenis vaticinium ita narrat: Ἠγνόει μὲν γὰρ οὐδὲν οὐδὲ τῶν κατὰ τὸν Γάϊον, ἀλλὰ καὶ εἶπέ ποτε αὐτῷ διαφερομένῳ πρὸς τὸν Τιβέριον, ὅτι σύ τε τοῦτον ἀποκτενεῖς καί σε ἄλλοι. Propterea Philo narrat, ſæpius deliberaſſe Tiberium de tollendo Cajo.

VARIOR.

11. *Natricem.*] Quam eandem cum *boa* faciunt Gloſſæ: *Natrix, boa,* ἔχιος εἶδος. Eſt ex Græco βόης, quod idem eſt ac δύτης. Æoles Bœotii dicebant βύης, inde *boa*, ut φύπης, *popa*. Plinius *boam* dictum autumat, quod alatur bubuli lactis ſucco. falſa ἐτυμότης. nec enim hoc proprium boæ,

tis id genus) *populo Romano, Phaethontem orbi terrarum educare.* Non ita multo poſt Juniam Claudillam M. Silani nobiliſſimi viri filiam duxit uxorem. Deinde augur in locum fratris ſui Druſi deſtinatus, prius quam inauguraretur, ad Pontificatum traductus eſt: inſigni teſtimonio pietatis atque indolis: cum deſerta deſolataque reliquis ſubſidiis aula, Sejano vero tunc ſuſpecto, mox & oppreſſo, ad ſpem ſucceſſionis paullatim admoveretur. Quam quo magis confirmaret, amiſſa Junia ex partu, Enniam Næviam Macronis uxorem, qui tum prætorianis cohortibus præerat, ſolicitavit ad ſtuprum, pollicitus & matrimonium ſuum, ſi potitus imperio fuiſſet: deque ea re & jurejurando & chirographo cavit. Per hanc inſinuatus Macroni veneno Tiberium aggreſſus eſt, ut quidam opinantur: ſpirantique adhuc detrahi anulum, &, quoniam ſuſpicionem retinentis dabat, pulvinum juſſit injici, atque etiam fauces manu ſua oppreſſit, liberto, qui ob atrocitatem facinoris exclamaverat, confeſtim in crucem acto. Nec abhorret a veritate, quum ſint quidam auctores, ipſum poſtea, etſi non de perfecto, at certe de cogitato quondam parricidio profeſſum. Gloriatum enim eſſe aſſidue, in commemoranda ſua pietate, *ad ulciſcendam necem matris & fratrum, introiſſe ſe cum pugione cubiculum Tiberii dormientis: & miſericordia correptum, abjecto ferro receſſiſſe: nec illum, quamquam ſenſiſſet, aut inquirere quidquam aut exſequi auſum.* Sic imperium adeptus, populum Rom. vel, dicam, hominum genus, voti compotem fecit, exoptatiſſimus 12 13

ſed omnium ſerpentium eſſe ſciunt noſtræ ruſticæ. Lactis omnes avidæ ſunt, & colubri plerumque in paſtu, pedibus vaccarum circumvoluti poſterioribus, lac ex uberibus uſque ad ſanguinem ſugunt. SALMASIUS.

TORRENT.

12. *Juniam Claudillam M. Silani.*] Tacit. *Claudiam, M. Silani filiam, uxorem accepit.* Suetonium vero deminutivis mulierum nominibus oblectari jam ante notavimus, Tib. cap. LXII.

Reliquis ſubſidiis.] Solo nempe Cajo cum Tiberio, Druſi filio, adhuc puero, ex omnibus maſculis domus Imperatoriæ ſuperſtite. Quod vero augurem in locum fratris ſui Druſi deſignatum dicit, de Druſi auguratu nihil equidem in antiquis monumentis inveni. At vero ipſe Cajus Cæſar, Germanici Cæſaris F. Divi Auguſti pronepos, & flamen Auguſtalis, & quæſtor in veteri marmore ſcribitur.

Sejano vero tunc ſuſp.] Nihil muto, libri tamen MSS. habent, *Sejano vero tunc hoſte ſuſpecto*, unus etiam *hoſpite* pro *hoſte*.

Enniam Næviam.] Enniam tantum vocat Tacit. ut priorem quoque Claudiam: Sueton. duo utrique nomina tribuit. Nec tam ſolicitatam a Cajo Enniam ſcribit Tacit. quam immiſſam a marito, ut juvenem alliceret.

Manu ſua oppreſſit.] Lib. unus *compreſſit.*

Etſi non de perfecto.] Liber opt. *profundo*, pro *perfecto*, quod miror ſane, & *perfuncto* ſcriptum fuiſſe ſuſpicor.

Gloriatum enim eſſe.] Idem cod. *gloriatum etiam aſſidue.*

Neque illum, quamquam ſenſiſſet.] Lib. unus e vetuſtioribus, *neque illum quemquam ſenſiſſe.* Quod ſane mihi non diſplicet. quis enim credat Tiberium tam mitem eſſe potuiſſe?

13. *Populum Rom. vel ut ita dicam, hominum genus.*] Quaſi parum dixiſſet cum *pop. Rom.* dixit, *hominum genus* addidit, quod tamen ego abeſſe malim.

CASAUBON.

12. *Enniam Næviam Macronis uxorem.*] Liſlæi cod. alterum tantum nomen agnoſcit, quod in mulieribus eſt uſitatius: *Naenniam* enim ſcribit, non ſine vitio. Dio Ἐννίαν Θρασύλλην vocat. maritum vero ejus Νεύϊον Σερτώριον Μάκρωνα. unde ſcripſerim hoc loco *Enniam Nævii Macronis ux.* vel Herennii *Macr.* ita enim nominatur ab aliis. Memmianus, *Enniam Næviam.*

Per hanc inſinuatus Macroni.] Præter hiſtoricos, vide Philonem contra Flaccum.

31. *Populum Rom. vel, ut ita dicam, hominum genus.*] Brevius lib. Pithœi, *vel dicam, hominum genus, comp.*

VARIOR.

12. *Chirographo.*] V. cod. Salmaſ. *cyrographo.*

13. *Populum Romanum, vel, ut ita dicam.*] Auctoribus ſcriptis Pithœi & Barthii LVII. Adver. 1. recidenda τὰ *ut ita*, quæ interjecerunt, qui formulam iſtam correctionis non caperent. Cicero IX. ad Atticum epiſt. 7. *Unum illud extimeſcebam, ne quid turpiter facerem, vel dicam effeciſſem.* Deinde lege, *compotes fecit.* hoc enim duobus vocabulis diverſi generis aptiſſime reſpondet, & ſic, ut ſolet in collectivis

tiſſimus Princeps maximæ parti provincialium ac militum, quod infantem plerique cognoverant: ſed & univerſæ plebi urbanæ ob memoriam Germanici patris miſerationemque prope afflictæ domus. Itaque ut a Miſeno movit, quamvis lugentis habitu, & funus Tiberii proſequens: tamen inter altaria & victimas, ardenteſque tedas, denſiſſimo &

lectivis fieri. Eſt enim *populus Romanus* idem quod *Romani*, & *hominum genus*, quod *omnes homines*. Gronovius. In codice etiam Salmaſiano non legitur *τὸ ut ita*. Merito damnavit tanquam vilem pannum a ſciolis adſutum Gronovius.

Torrent.

Maximæ parti.] Lego, ut in optimo cod. *maximeque parti provincialium.*

Afflictæ domus.] *Affligere* apud claſſicos auctores proprie eſt peſſumdare, & ita dejicere, ut interitus ſequatur. Exempla ſæpe obvia. Sueton. Vitell. cap. III. *ut appellatum Imperatorem mater pro afflicto ſtatim lamentata ſit.*

Ardenteſque tedas.] De luminum in funere uſu Aug. cap. XCVIII.

Casaubon.

Prope afflictæ domus.] *Affligere* Suetonio gravius, quam vulgo apud Ciceronem & alios multos ſonat. In Vitellio cap. III. *Mater miſſum ad legiones & appellatum Imperatorem pro afflicto ſtatim lamentata eſt.* In Veſpaſiano cap. VIII. *Per totum imperii tempus nihil habuit antiquius, quam prope afflictam nutantemque Remp. ſtabilire.* proprie *affligere* eſt cum flictu ſive ſono ad terram dare, quod Græci προσουδίζειν dicunt. Homerus interdum οὐπεῖν, ut δεδουπότος Οἰδιπόδαο. Minus recte in Gloſſario: *Adfligere*, ζημιοῦν, & *Adfligi*, καταπονεῖσθαι. non enim aſſequitur vim vocis, ut fere ſolet.

Inter altaria & victimas ardenteſque tedas.] Ita moris fuit prodire obviam viris principibus. Docuit nuper Lipſius teſtimonio aliquot veterum ſcriptorum: quibus pauca lubet adjicere. Originem rei docet M. Tullius: nam primitus deis hic honos exhibitus, cum transferrentur eorum imagines: ſic ille lib. IV. in Verrem: *Quid hoc tota Sicilia eſt clarius, quam omnes Segeſtanas matronas & virgines conveniſſe, cum Diana exportaretur ex oppido? unxiſſe unguentis? compleſſe coronis & floribus? thure odoribuſque incenſis uſque ad agri fines proſecutas eſſe?* Deinde ad homines idem eſt translatum: eſtque hoc adulationis genus antiquiſſimum. Quintus Curtius libro v. de Alexandri ingreſſu in Babylonem loquens: *Plures obviam egreſſi ſunt: inter quos Bagophanes arcis & regiæ pecuniæ cuſtos, ne ſtudio a Mazæo vinceretur, totum iter floribus coroniſque conſtraverat, argenteis altaribus utroque latere diſpoſitis, quæ non thure modo, ſed omnibus odoribus cumulaverat.* Plutarchus in Dione: Βουλόμενος δὲ καὶ δι' ἑαυτοῦ προσαγορεῦσαι τοὺς ἀνθρώπους, ἀνῄει διὰ τῆς Ἀχραδινῆς, ἑκατέρωθεν παρὰ τὴν ὁδὸν τῶν Συρακουσίων ἱερεῖα καὶ τραπέζας καὶ κρατῆρας ἱστάντων· καὶ καθ' οὓς γένοιτο προχύτας τε βαλλόντων, καὶ προστρεπομένων ὥσπερ θεὸν κατευχαῖς. Juſtin. lib. XXIV. *Arſinoë prægreſſa virum, diem feſtum urbi in adventum ejus indicit; domos, templa, ceteraque omnia exornari jubet; aras ubique hoſtiaſque diſponi.* Religioſius multo Athenienſes, qui excepturi Attalum, ſacerdotes & victimas præpararunt, templaque omnia aperuerunt, ut ipſe diis, non Athenienſes ipſi ut deo ſacrificarent. Polybius: Ἐπεὶ δὲ εἰσῄει κατὰ τὸ Δίπυλον ἐξ ἑκατέρου τοῦ μέρους παρέστησαν τὰς ἱερείας καὶ τοὺς ἱερεῖς. μετὰ δὲ ταῦτα πάντας μὲν τοὺς ναοὺς ἀνέῳξαν, ἐπὶ πᾶσι δὲ θύματα τοῖς βωμοῖς παραστήσαντες, ἠξίωσαν αὐτὸν θῦσαι. quanquam adulationibus fœdis erga potentes nulli populo conceſſiſſe Athenienſes ſatis probavit Athenæus lib. VI. & nos ad illum. Sed redeo ad aliorum adulationem, cujus præterea teſtis Suetonius libro ſuperiore, cap. XCVIII. *Forte Puteolanum ſinum prætervehenti vectores nautæque de navi Alexandrina, quæ tantum quod appulerat, candidati coronatique & thura libantes, fauſta omina & eximias laudes congeſſerant.* mitto locum in Galba cap. XVIII. meminit & Appianus Ἐμφυλίων lib. quinto, narrans Octavii & Antonii in Urbem adventum poſt factam inter ſe pacem, παροδεύουσιν αὐτοῖς οἷα σωτῆρσιν ἐγίγνοντο θυσίαι. Sic interpretor, quod ſcribit Philoſtratus libro quinto: cum Ægyptiacos nomos peragraret Veſpaſianus Imperator, non ſolum prodiiſſe illi obviam omnes cujuſcunque ætatis aut conditionis homines, ſed ſacra etiam detuliſſe: Προσιόντι δὲ τῷ αὐτοκράτορι, τὰ μὲν ἱερὰ πρὸ πυλῶν ἀπήντα, καὶ τὰ τῆς Αἰγύπτου τέλη, καὶ οἱ νόμοι καθ' οὓς Αἴγυπτος τέτμηται, φιλόσοφοί τε ὡσαύτως, καὶ ἡ σοφία πᾶσα. Addit Suetonius, *tædaſque ardentes*: quod erat aliquanto civilius & uſitatius. Servius ad librum v. Æneidos: *In honorem regum cum facibus procedebatur a populo.* Plutarchus in Pompejo: Τοὺς δὲ ἀπαντῶντας πανταχόθεν οὐδεὶς ἐχώρει τόπος, ἀλλὰ ὁδοί τε κατεπίμπλαντο, καὶ κῶμαι καὶ λιμένες εὐωχουμένων καὶ θυόντων· πολλοὶ δὲ καὶ στεφανηφοροῦντες ὑπὸ λαμπάδων ἐδέχοντο, καὶ παρέπεμπον ἀνθοβολούμενον. Herodianus lib. quarto deſcribens ingreſſum Caracallæ in Alexandriam: Ἀρωμάτων δὲ παντοδαπῶν καὶ θυμιαμάτων ἀτμίδες εὐωδίαν παρεῖχον ταῖς εἰσόδοις, δᾳδουχίαις τε καὶ ἀνθέων βολαῖς ἐτίμων τὸν βασιλέα. Ammianus lib. XXI. *Eumque ſuburbanis propinquantem amplis nimiumque protentis, militaris & omnis generis turba cum lumine multo & floribus* vctis-

& lætiſſimo obviorum agmine inceſſit ſuper fauſta nomina, *ſidus* & *pullum* & *puppum* & *alumnum* appellantium. Ingreſſoque urbem, ſtatim conſenſu ſenatus, & irrumpen- 14
tis

votiſque fauſtis Auguſtum *appellans*, *&* Dominum, *duxit in regiam*. Imperatoribus autem Chriſtianis idem genus honoris poſtea eſſe exhibitum, paſſim illorum hiſtoriæ teſtantur. nam ſive ipſos, ſive eorum laurata, ſive cadavera defunctorum ſuffitibus excipiebant. Corippus lib. II. *Tranſitus ob cauſſam multi pia thura cremabant*. Atque idem honos poſtea etiam epiſcopis eſt exhibitus: idque jam inde a temporibus primis florentis eccleſiæ. nam B. Cyrillus in epiſtola ad presbyteros Alexandrinos, quæ exſtat in Actis concilii Epheſini, narrat, ſe a concilio Epheſi habito redeuntem tanta alacritate omnium exceptum eſſe, ut paſſim ſibi mulieres præirent, thuribula manibus tenentes: ὥςε, inquit, καὶ τὰς γυναῖκας θυμιατήρια κατεχȣ́σας προηγεῖσθαι ἡμῶν. Simile eſt quod de cereis accenſis in Hiſtor. Eccleſiaſt. obſervamus, quos initio moris fuit rebus ſacris præire. Sozomenus lib. VIII. de apparatu choreæ ab Johanne Chryſoſtomo inſtitutæ, ςαυρῶν ἀργυρᾶ σημεῖα ὑπὸ κηροῖς ἡμμένοις προηγȣ̃ντο αὐτῶν. mox ad ipſorum epiſcoporum honorem cerei ſunt adhibiti. Sic eidem B. Chryſoſtomo cum cereis obviam procedit populus Conſtantinopolitanus. Theodoretus lib. V. cap. XXXIV. ἅπαντες ὑπήντησαν τὰς ἐκ κηρȣ̃ λαμπάδας προάπτοντες. Sozomenus lib. VIII. Ἐν ψαλμωδίαις δὲ πρὸς τὸ συμβὰν πεποιημέναις ὑπαντήσας ὁ δῆμος, (ἔφερον δὲ κηρȣ̀ς ἡμμένȣς οἱ πλείȣς) ἄγȣσιν εἰς τὴν ἐκκλησίαν. Gregorius in ejus vita capite centeſimo: Ἦν τότε καθορᾶν τὴν πόλιν πᾶσαν χεομένην πρὸς τὴν ἀπάντησιν, καὶ πλήρη μὲν πορθμείων τὴν θάλασσαν, πλήρη δὲ τὰ πορθμεῖα λαμπάδων καὶ ἀρωμάτων καὶ μύρων. B. Cyrillus de ſe in illa epiſtola, cujus modo meminimus: Ἐξελθόντας δὲ ἡμᾶς ἐκ τῆς ἐκκλησίας προέπεμψαν μετὰ λαμπάδων· λοιπὸν γὰρ ἦν ἑσπέρα. videtur quidem Cyrillus dicere, ideo funalia eſſe accenſa, quia nox erat: ſed præter hanc cauſſam alia fuit, quod honoris Cyrilli cauſſa id faciebant, & teſtandæ lætitiæ. ideo ſequitur, καὶ γέγονε πολλὴ θυμηδία καὶ λυχναψία ἐν τῇ πόλει. Talia multa in eadem hiſtoria leguntur: nec non in conciliis Patrum, ut in Nicena ſynodo ſecunda. denique apud Cedrenum & id genus ſcriptores paſſim leges θυμιάμασι καὶ κηροῖς προπέμπειν: & μετὰ κηρȣ̃ καὶ λαμπάδων καὶ ἀρωμάτων.

VARIOR.

Ob memoriam Germanici patris.] Recte Seneca IV. de Benef. cap. 30. *Non ſine ratione ſacra eſt magnarum virtutum memoria: & eſſe plures bonos juvat, ſi gratia bonorum non cum ipſis perit.* GRUTERUS.

TORRENT.

Super fauſta nomina.] Sunt qui *omina* legendum putent, ut Aug. cap. LVII. *Revertentem ex provincia non ſolum fauſtis ominibus, ſed & modulatis carminibus proſequebantur.* Verum ego & ibi *nominibus* legendum exiſtimo, & *fauſta nomina* accipio, qualia ſunt, Pater, Princeps, Magnus, Pius, Felix, & ſimilia. Horat. lib. I. Od. II.

Hic ames dici Pater, atque Princeps.

Seneca lib. I. de Clementia, *Magnos, & Felices, & Auguſtos dicimus.* Similia vero multa de Vero Capitolin. de Pertinace Spartian.

Sidus & pullum & pupum & alumnum.] Hæ propriæ & peculiares de Cajo populi acclamationes. *ſidus* enim (ni fallor) appellabant ob fauſtitatem, aut etiam oris venuſtatem. Horat. lib. III. Od. IX.

Quamvis ſidere pulcrior
Ille eſt.

Et lib. I. Sat. VII.

Solem Aſiæ Brutum appellat, ſtellaſque ſalubres
Appellat comites.

De *pullo*, & *pupo*, idem Horat. lib. I. Sat. III.

- - - *ſtrabonem*
Appellat pætum pater, & pullum male parvus
Si cui filius eſt.

Et lib. II. Sat. III.

- - - *Pupam & pupillam appellet.*

Catull. Epigr.

Deprendi modo pupulum.

Martial. lib. X.

Pupam ſe dicit Gellia, cum ſit anus.

Plautus Caſ. *meus pullus, meus paſſer.* Sic *pullus Jovis, pullus Martis. puerum enim* (inquit Feſtus) *quem quis amabat, pullum ejus vocabant.* Unde *pullipremones* apud Lucilium, & *feles pullaria* apud Auſonium, utrumque obſcenum. De *alumno* etiam res notiſſima eſt. Horat. Epiſt. ad Tibullum:

Quid voveat dulci nutricula majus alumno, &c.

14. *Ingreſſoque urbem.*] Libb. duo *ingreſſo*, ſine *que*.

CASAUBON.

Super fauſta nomina.] Sic placet cum MSS. non *omina*. Joſephus vocat ἐπιβοήσεις εὐφήμȣς, Euſebius βοὰς εὐφήμȣς.

Pullum, & pupum, & alumnum appellantium.] Plane ſunt nutriculis uſitatæ blanditiæ in demulcendis infantulis. *pullus* reſpondet illi Græcorum ὑποκορισμῷ, quo νεοτ]ȣ̀ς & νεόττια puerulos vocabant. Theophraſtus in Characteribus, Χρηςȣ̃ πατρὸς νεόττια!

14. *Conſenſu ſenatus & irrumpentis in curiam turbæ.*] Dio, ὑπὸ τῶν ὑπάτων καὶ ὑπὸ τῶν ἄλλων τῶν προπαρεσκευασμένων οἱ. neque verba Suetonii ita accipienda ſunt, quaſi in ſenatum admiſſa eſſet hæc tumultuans

tis in Curiam turbæ, irrita Tiberii voluntate, qui teſtamento alterum nepotem ſuum prætextatum adhuc coheredem ei dederat, jus arbitriumque omnium rerum illi permiſſum eſt, tanta publica lætitia, ut tribus proximis menſibus, ac ne totis quidem, ſupra centum ſexaginta milia victimarum cæſa tradantur. Cum deinde paucos poſt dies in proximas Campaniæ inſulas trajeciſſet, vota pro reditu ſuſcepta ſunt: ne minimam quidem occaſionem quoquam omittente in teſtificanda ſolicitudine & cura de incolumitate ejus. Ut vero in adverſam valetudinem incidit, pernoctantibus cunctis circa Palatium, non defuerunt qui depugnaturos ſe armis pro ſalute ægri, quique capita ſua titulo propoſito voverent. Acceſſit ad immenſum civium amorem notabilis etiam externorum

multuans turba, quam probabilius eſt, dum patres deliberant, ad fores curiæ manſiſſe: mox, factum decretum applauſu & acclamationibus magnis excepiſſe.

VARIOR.

Super fauſta nomina.] Invitis omnibus ſcriptis lego, *fauſta omina.* & illud in tali re inſolens & non Latinum puto. Εὐφημίαι ſunt *fauſta omina*, non *fauſta nomina.* GRONOVIUS.

TORRENT.



Alterum nepotem.] Naturalem nempe, Druſi filium, Tiberium, cognomine Gemellum, ut volunt. Et ſane gemellum fuiſſe, numiſmata quædam ærea Druſi, Tiberii filii, atteſtantur, hac imagine.

Coheredem ei dederat.] Dion initio lib. LIX. puerum hunc avi teſtamento imperii ſucceſſorem relictum ſcribit. Quod teſtamentum tamen Cajus a ſenatu ſubverti curaverit, tanquam a non ſanæ mentis homine conditum, ei nempe imperium deferente, qui ne in Curiam quidem per ætatem venire poſſet. Coheredem igitur videtur appellare Sueton. eum, qui heres quidem & ipſe ſcriptus ſit, ſed ſecundo loco, ſi quid alteri accidiſſet.

Depugnaturos ſe armis.] Par omnium, qui vel depugnando armis, vel quacunque alia ratione moriendo ſua pro alterius ſalute Diis Manibus capita devoverunt, ſtultitia eſt, quaſi vero alterius fata ſubire poſſent. Minus culpandi, qui amoris impotentia amicis vita functis ſuperſtites eſſe nolunt, ut olim Soldurii apud Gallos. Sed hoc extra rem.

Titulo propoſito.] Publice nempe, ut nemo ejus voti reos eſſe ignoraret. id enim *proponere* ſignificat. Sup. Tib. cap. XLVIII. & mox cap. XVI. *Rationes Imperii, ab Auguſto proponi ſolitas, ſed a Tiberio intermiſſas, publicavit.* De votorum vero ſolennitate, vide quæ notavimus Aug. cap. XLVII. Dion addidiſſe voto jusjurandum ſcribit, coactoſque poſtea a Cajo præſtare promiſſum, ne perjurio ſeſe illigarent.

CASAUBON.

Nepotem ſuum coheredem ei dederat.] An bonorum tantum Tiberii coheredes ſunt relicti, an etiam imperii? non temere quærimus: videntur enim inter ſe non conſentire veteres ſcriptores. Dio quidem initio libri LIII. nepoti traditum imperium ſcribit, τῷ Τιβερίῳ τῷ ἐγγόνῳ τὴν αὐταρχίαν κατέλιπε. contrarium affirmat Joſephus: apud quem Cajo remp. committit Tiberius moriens, & his verbis utitur: ὦ παῖ, καὶ πέρ μοι συγγενεστέρου Τιβερίου ἢ κατὰ σὲ ὄντος, σοὶ φέρων ἐγχειρίζω τὴν Ῥωμαίων ἡγεμονίαν. utrique communicatum tradit Philo, τὸν γὰρ ἀνεψιὸν καὶ κοινωνὸν ἀπολειφθέντα τῆς ἀρχῆς κτείνει. & ſcribit idem, ſi paullulum advixiſſet Tiberius, mutaturum fuiſſe, ac ſublato Cajo ſolum heredem imperii relicturum ſuum nepotem. Philonem arbitror vera dicere, qui cum iis temporibus vixerit, & Romæ etiam Caji temporibus ſit verſatus, ignorare quod factum erat, non potuit. quare interpretationem vocis *coheredem*, quam quidam afferunt, non probo. neque ſane averſus Dio ab hac ſententia, qui delatam Cajo ſucceſſionem imperii a Tiberio alibi expreſſis verbis ſcribit.

Supra centum ſexaginta millia victimarum cæſa tradantur.] Minus mirabitur, qui horum Philonis verborum meminerit: Οὐδὲν ἦν ἰδεῖν ἕτερον κατὰ πόλεις, ἢ βωμοὺς, ἱερεῖα, θυσίας, λευχειμονοῦντας, ἐστεφανωμένους, φαιδροὺς, εὐμένειαν ἐξ ἱλαρᾶς τῆς ὄψεως προφαίνοντας, ἑορτὰς, πανηγύρεις, μουσικοὺς ἀγῶνας, ἱπποδρομίας, κώμους, παννυχίδας μετ᾽ αὐλῶν καὶ κιθάρας, τέρψεις, ἀνέσεις, ἐκεχειρίας, παντοίας ἡδονὰς διὰ πάσης αἰσθήσεως. Ibidem habes de morbo Caji, quæ non ſine fructu & voluptate cum iis conferas.

Qui depugnaturos ſe armis pro ſalute ægri, quique capita ſua titulo propoſito voverent.] Opinio veterum fuit, mortem morte poſſe redimi: ex qua perſuaſione multa introducta. mitto fabulas poetarum, & Deciorum devotiones, aliaque ex antiqua hiſtoria, vel recente barbararum gentium: cujuſmodi eſt mos ille in Canariis obſervatus, devovendi ſeſe, ac ſtatim mortem obeundi pro ſalute novi Principis: ut narrat Aloyſius Cadamuſtus cap. VIII. ex eo fonte iſtud eſt, quod ægrotos periculo poſſe eripi putarent

rum favor. Namque Artabanus Parthorum rex, odium ſemper contemtumque Tiberii præ ſe ferens, amicitiam ejus ultro petiit: venitque ad colloquium legati conſularis: & tranſgreſſus Euphratem, aquilas & ſigna Romana Cæſarumque imagines adoravit. In- 15
cendebat & ipſe ſtudia hominum omni genere popularitatis. Tiberio cum plurimis lacrymis pro concione laudato funeratoque ampliſſime, confeſtim Pandateriam & Pontias, ad transferendos matris fratriſque cineres feſtinavit, tempeſtate turbida, quo magis pietas emineret: adiitque venerabundus, ac per ſemet in urnas condidit. Nec minore ſcena Oſtiam, præfixo in biremis puppe vexillo, & inde Romam Tiberi ſubvectos, per ſplendidiſſimum quemque equeſtris ordinis, medio ac frequenti die duobus ferculis Mauſoleo

tarent, ſi vitam ſuam illius loco projeciſſent. Juvenalis Satyra XII. de heredipeta, qui orbo adulatur ægrotanti:

Alter enim, ſi concedas mactare, vovebit
De grege ſervorum magna & pulcherrima quæque
Corpora, vel pueris, & frontibus ancillarum
Imponet vittas, & ſi qua eſt nubilis illi
Iphigenia domi, dabit hanc altaribus.

Inde eſt etiam quod narrat Suetonius in Nerone, capite trigeſimo ſexto: *Stella crinita, quæ ſummis poteſtatibus exitium portendere vulgo putatur, per continuas noctes oriri cœperat: anxius ea re, ut ex Babilo aſtrologo didicit, ſolere reges talia oſtenta cæde aliqua illuſtri expiare, atque a ſemet in capita procerum depellere, nobiliſſimo cuique exitium deſtinavit.* nec ob aliam cauſſam inſtitutum, ut pro ſalute Principis committerentur gladiatores: quod in Claudio diſerte notat Dio, aliique confirmant. exſtat & inſcriptio vetus quæ continet titulum, quo propoſito duæ legiones capita devoverunt pro ſalute Trajani bello Dacico periclitantis. Bellonarii quoque pro ſalute Imperatoris ſanguinem ſe fundere dicebant, ut eſt apud Tertullian. Apologet. cap. XXV. Poſtremo inde eſt illud loquendi genus frequens in adulationibus Principum, *devotus numini majeſtatique tuæ*, quod explicat Dio, σοὶ καθωσιώμεθα: eum vide lib. LIII. De P. Afranio ac Potito, qui pro ſalute Caji capita ſua devoverunt, idem lib. LVIII.

TORRENT.

Artabanus.] Tib. cap. LXVI. Dion extremo lib. LVIII.

15. *Matris fratriſque.*] Fratrem Neronem intelligit. nam Druſus Romæ in Palatio periit. Tib. cap. LIV. Unde & *Pontiam* reſcribe pro *Pontias*.

Nec minore ſcena.] *Scenam* pro ſpecie & apparatu, ac prætextu, vel obtentu dixere ejus ſeculi auctores. Tacit. lib. XIV. ubi de morte Agrippinæ, *ſcenam ultro criminis parat.* Niſi *ſchema* & hic, & apud Tacitum legamus, ut Tib. cap. XLIII.

Medio ac frequenti die.] Quid ſit *frequenti die* non ſat ſcio. nam ſi ad populi frequentiam referas, non potuit ulla diei parte non eſſe maxima, Cæſare tale munus obeunte. Quid igitur ſi *ferventi* legamus? num & pietatem hoc auget, & cum XVII. Cal. Aprileis obierit Tiberius, exſequiæ de quibus hic Sueton. non parvo poſt tempore celebratæ fuerunt. Quæ conjectura ſi cui, neque immerito, diſpliceat, *frequentem diem* appellemus; qui aliam etiam ob cauſam frequentaretur, ut puta propter nundinas.

Duobus ferculis.] Sic libri omnes, aut *fericulis*. Interpretes etiam *forulis* legi atteſtantur, pro capſulis, ut Aug. cap. XXXI. *condiditque duobus forulis auratis.* Sed *ferculis* retineo, ut duplici pompa intulerit tanquam per triumphum, ut inquit Dion.

CASAUBON.

Aquilas & ſigna Cæſarumque imagines adoravit.] Auguſti & Caji, Dio.

15. *Ad transferendos matris fratriſque cineres feſtinavit.*] Frater hic eſt Nero, de quo capite VII. exſtat hodieque urna, in qua hujus cineres Romæ olim ſervabantur & colebantur, cum hac inſcriptione:

OSSA.
NERONIS. CÆSARIS.
GERMANICI. CÆSARIS. F.
DIVI AUG. PRON. FLAMIN.
AUGUSTALIS. QUÆSTORIS.

Nec minore ſcena Oſtiam.] Similem ſcenam lege apud Plutarchum in Demetrio, cum ejus reliquias filius excipit, & per aliquot Græciæ inſulas atque urbes traducit.

Medio ac frequenti die.] Principis moderatio fuit, quod cives inquietare noluit indicto funebri officio: honori tamen matris fratriſque in eo conſuluit, quod horam diei elegit frequentem. Id tempus Græci vocant πλήθουσαν ἀγοράν: quod Paulus lib. IV. Sententiarum, finit a ſecunda ad decimam horam. Dio quoque Chryſoſtomus in ſecunda de Gloria, πλήθουσαν ἀγοράν circa decimam conſtituit & manifeſto ſeparat a meridie. Verum nihil obſtat, etſi pars ea diei frequentiſſima, quin & medius dies poſſit dici frequens. Itaque nihil mutandum cenſeo.

Duobus ferculis Mauſoleo intulit.] Male, qui mutant in *forulis*. Sic appellat Pompatius, ut dicam cum Tertulliano, inſtrumentum in quo cineres erant, cum inferrentur in Mauſoleum, ob ſimilitudinem aliquam ferculorum triumphalium. utraque enim ſic erant compoſita, ut elata geſtari omnibuſque

ſolco intulit. Inferiaſque his annua religione publice inſtituit: & eo amplius matri Circenſes, carpentumque quo in pompa traduceretur. At in memoriam patris, Septembrem menſem *Germanicum* appellavit. Poſt hæc, Antoniæ aviæ, quidquid umquam Livia Auguſta honorum cepiſſet, uno ſenatuſconſulto congeſſit. Patruum Claudium equitem Romanum ad id tempus collegam ſibi in conſulatu aſſumſit. Fratrem Tiberium die virilis togæ adoptavit, appellavitque *principem juventutis*. De ſororibus auctor fuit, ut omnibus ſacra-

que oſtendi poſſent. Paullo aliter Statius lib. VI. Theb.

Portant inferias arſuraque fercula primi
Grajorum, tituliſque pios teſtantur honores.

At apud Plinium lib. X. cap. X. *fercula funerum* aliter interpretandum. Sueton. vocem *tropæum* non multo aliter uſurpat extrem. lib. I. in funere Julii.

Torrent.



Carpentumque.] Liber opt. *& carpentum.* Quale nunc quoque in Agrippinæ nummis cernitur.

In pompa.] Circenſi ſcilicet, inter Deorum atque Heroum fercula. Cæſ. cap. LXXVI.

Patruum Claudium eq. R.] Equitem tantum vocat, quia nullos ad id tempus honores adhuc geſſerat. Claud. cap. V. & cap. VII. ubi etiam de primo ejus conſulatu. De quo & Dion. lib. LIX. eodem ipſum die ſenatorem, ac conſulem cum Cajo factum narrans, cum in equeſtri antea ordine permanſiſſet.

Fratrem Tiberium.] Fratrem vocat etiam inf. cap. XXIII. Beroaldus vult eos a Tiberio pariter adoptatos fuiſſe, cum etiam coheredes eidem exſtiterint. Verum adoptione nihil opus erat, cum parentum ſuorum, Germanici & Druſi, morte jus filiorum adepti fuerint. Et alioqui de adoptione nulla apud auctores mentio. Dion etiam ſoli Tiberio relictum teſtamento imperium tradit. Quare crediderim fratres appellare Suetonium, qui duorum fratrum erant filii, quos JCti fratres patrueles vocant.

Principem juventutis.] Ut Cajus & Lucius, Cæſares appellati fuere. Qua de re nummi veteres cum hac inſcriptione: C. L. CÆSARES AUG. F. COS. DESIG. PRINC. JUVENT. Quæ appellatio ad omnes poſtea Cæſarum filios defluxit.

Omnib. ſacramentis] Dion ſenatus ac magiſtratuum jusjurandum intelligit, quod ineunte ſcilicet anno de more, ut alibi notavimus, pro imperio Cæſarum præſtabatur. Ego vero etiam de militari ſacramento Suetonium loqui arbitror, ut Cæſ. cap. XLII. Ner. cap. XLIV. & ſæpe alibi. ſic enim fere JCti ac vetuſtiſſimi quique auctores *ſacramenti* vocabulo utuntur, Jevenal. quoque Sat. XVI. cum ait:

Præmia nunc alia atque emolumenta notemus
Sacramentorum;

militiam intelligit, ad quam non niſi jurisjurandi ſacratione interpoſita, ut Feſti utar verbis, qui ſua dederant nomina, admittebantur, neque aliter quam ſoluti ſacramento ab ea liberabantur. Sed & Vegetius lib. II. *Milites* (inquit) *jurare ſolent, & ideo militiæ ſacramenta dicuntur.* Jurabant autem ſtrenue, ſe facturos quæ Imperator eis præciperet, nec militiam deſerturos, atque ea, de quibus Gell. lib. XVI. cap. IV. Cajus autem conſuetæ antea formulæ verba, quæ hic refert Sueton. adjecit. Quod ergo lib. II. Od. XVII. ad Mæcenatem ſuum ſcribit Horat.

- - - non ego perfidum
Dixi ſacramentum,

pulcherrima a re militari tranſlatio eſt.

Casaubon.

Carpentumque quo in pompa traduceretur.] Mos de quo diximus lib. I. cap. LXXVI. ad illa verba, *Tenſam & ferculum Circenſi pompa.*

Die viril. togæ adoptavit, appellavitque princ. juvent.] Dio, Τιϐέριον καίπερ ἔς τε τὺς ἐφήϐυς ἐγγραφέντα, καὶ τῆς νεότητος προκριθέντα, καὶ τέλος ἐσποιηθέντα ἀνεχρήσατο. Sed vide ante omnes Philonem.

Ut omnibus ſacramentis adjiceretur.] Ita libb. quidam optimæ notæ, ut & editio vet. Rob. Stephani. At manu exarati, ut Pithœi, Groſlotii, *afficeretur* vel *afficerentur*, ut Viterb. & Cujacii, quod ipſe teſtatus eſt ad Novell. CXXIV. notans ſimiliter dixiſſe, *adfici jurejurando* Imperatores in Codice. Scribo igitur *omnibus ſacramentis adficerentur*, UT NEQ. ME. Dio explicat τὺς ὅρκυς φέρεσθαι καὶ εἰς ἐκείνας. Declarat planius hunc locum Xiphilinus in Severo, ἡρῷον Περτίνακι κατεσκεύασε, τότε ὄνομα ἀυτȣ̃ ἐπί τε ταῖς εὐχαῖς ἁπάσαις καὶ ἐπὶ τοῖς ὅρκοις ἅπασιν προσέταξεν ἐπιλέγεσθαι Non diſſimilis honos eſt, quo matrem Helenam defunctam adfecit Conſtantin. Magnus. Euſeb. in ejus vita lib. III. ȣ̃τω δὲ ἀξιώματι βασιλικῷ τετίμηκεν, ὡς ἐν ἅπασιν ἔθνεσι παρ' ἀυτοῖς τε τοῖς ϛρατιωτικοῖς τάγμασιν Αὐγοῦϛαν βασιλίδα ἀναγορεύεσθαι. In Novellis Juſtiniani exſtat formula jurisjurandi, ab iis exigendi, qui magiſtratum aliquem adirent. ibi adſtringit ſe, qui jurat, ad fidem ſervandam & omne ſervitium præſtandum non ſolum Imperatori, ſed etiam Auguſtæ uxori. Ὄμνυ-

ſacramentis adjiceretur, NEQUE ME LIBEROSQUE MEOS CHARIORES HABEO QUAM CAJUM HABEO ET SORORES EJUS. Item relationibus conſulum: QUOD BONUM FELIXQUE SIT C. CÆSARI SORORIBUSQUE EJUS. Pari popularitate damnatos relegatoſque reſtituit: criminumque, ſi qua reſidua ex priore tempore manebant, omnium gratiam fecit. Commentarios ad matris fratrumque ſuorum cauſſas pertinentes, ne cui poſtmodum delatori aut teſti maneret ullus metus, convectos in forum, & ante clare obteſtatus deos neque legiſſe neque attigiſſe quidquam, concremavit. Libellum de ſalute ſua oblatum non recepit, contendens, *Nihil ſibi admiſſum, cur cuiquam inviſus eſſet*: negavitque ſe delatoribus aures habere. Spin- 16
trias monſtruoſarum libidinum ægre, ne profundo mergeret, exoratus, urbe ſubmovit. Titi Labieni, Cordi Cremutii, Caſſii Severi ſcripta ſenatuſconſultis abolita, requiri, & eſſe in manibus lectitarique permiſit: quando maxime ſua intereſſet, ut facta quæque poſteris

μι ἐγὼ τὸν Θεὸν ὡς καθαρὸν συνειδὸς καὶ γνησίαν δȣλείαν φυλάξω τοῖς θειοτάτοις, καὶ εὐσεβεστάτοις ἡμῶν δεσπόταις, Ἰȣστινιανῷ καὶ Θεοδώρᾳ τῇ ὁμοζύγῳ τȣ͂ κράτȣς ἀυτȣ͂.

TORRENT.

QUOD BONUM FELIXQUE.] Aug. cap. LVIII.

Gratiam fecit.] *Criminum facere gratiam* dixit, ut *conjurandi gratiam facere* Aug. cap. XVI. ubi plura annotavimus. Adde Capitolinum M. Antonino, *ætatis gratiam facere*. Vulgo *diſpenſare* vocant.

Convectos in forum.] Lib. unus *convectus in forum*, atque ita legendum eſt. Alioqui non cohæret, quod ſequitur, *& ante clare obteſtatus deos.*

Negavitque.] Liber opt. *negavit*, ſine copulatione, quam tamen retineo.

16. *Spintrias.*] Tib. cap. XLIII. Vitell. cap. III.

T. Labieni, Cordi Cremutii, Caſſii Severi.] De Cremutio Cordo diximus Tib. cap. LXI. & de Caſſio Severo nonnihil Aug. cap. LVI. Eum ſcribit Tacit. lib. I. Annal. quod viros feminaſque illuſtres procacibus ſuis ſcriptis diffamaſſet, occaſionem dediſſe Auguſto ut cognitionem de famoſis libellis tractaret. De eodem quoque exule in ſaxo Seriphio conſeneſcente ſub Tiberio idem Tacit. lib. IV. Sed & elegans refertur in hunc Caſſium Auguſti jocus apud Macrob. lib. II. cap. IV. Celebrem oratorem vocat Plin. lib. VII. cap. XII. nec diſſentit Quinctilian. quanquam acerbitatem orationis præcipuam ei tribuit. Frequenter admodum memoratur a Seneca, & hiſtorias eum ſcripſiſſe indicat Sueton. Vitell. cap. II. De T. autem Labieno, homine mentis quam linguæ amarioris, prolixe Seneca proœmio lib. X. Controverſ. quem vide.

Sua intereſſet.] Sunt qui abeſſe malint verbum *ſua*, (omnium enim intereſt, ut hiſtoriæ legantur) ſed nihil muto. ſua enim intereſſe dicebat Cajus, quaſi ita ſe geſturus, ut nullius judicium ſubterfugeret, quin cum priorib. compararetur.

CASAUBON.

NEQ. ME LIBEROSQ. MEOS CHARIORES HABEO QUAM CAJUM ET SORORES EJUS.] Scribendum eſt *habebo*, ut eſt in Memmiano & aliis. non aliter Dio legit, qui vertit, *ὅτι καὶ σφῶν ἀυτῶν καὶ τέκνων, καὶ ἐκεῖνον καὶ τὰς ἀδελφὰς ἀυτȣ͂ προτιμήσȣσιν, ὤμοσαν.*

Commentarios ad matris fratrumque ſuorum cauſſas, pertinentes.] Scribendum fortaſſe, *ad patris, matris, fratr.* ita ſane Dio, *τοῖς συστάσιν ἐπί τε τὸν πατέρα, καὶ τὴν μητέρα, τȣ́ς τε ἀδελφȣ̀ς ἀυτȣ͂.* cætera in hac periodo audebo præſtare integra & ſine macula. quæ tamen viri magni emendare conati varie. Eſt cui placeat, non ut libri omnes præferunt, *convectos in forum*, ſed *convectus in forum.* prorſus, ſi quid video, contra Latinitatem. Eſt qui contendat legendum *conjectos in focum*, non autem, *convectos in forum*, & contra veterum libb. fidem, &, ut reor, auctoris mentem. Ego puto Caligulam, ut melius mimum hunc ageret, non in foco intra ædes, ſed palam in foro chartas quaſdam cremaſſe. nam quæ ad multorum ſecuritatem fiunt, ea publice fieri ſolita. ſic legimus optimos Principes tabulas veterum fiſci debitorum non in palatio, ſed in foro concremaſſe. Auſonius: *Tu argumenta omnia flagitandi publicitus ardere juſſiſti. Videre in ſuis quæque foris omnes civitates conflagrationem ſalubris incendii.* Spartianus in Hadriano: *Ex reliquis ingentes ſummas remiſit, ſyngraphis in foro Trajani, quo magis ſecuritas omnibus roboraretur, incenſis.* Cedrenus in Anaſtaſio: *Πυρὶ ἐν τῷ ἱπποδρόμῳ ἐναντίον πάντων κατέκαυσε τὰ τῆς τοιᾶσδε συντελείας κατάγραφα.*

Concremavit.] Imo cremare ſimulavit. ita enim accipiendum. Vide Dionem, & infra cap. XXX.

16. *Ne profundo mergeret.*] Reperio hoc genus ſupplicii in ejuſmodi perſonis ſolitum uſurpari, ut de Cleomene tyranno & Periandro narrat Athenæus lib. X.

VARIOR.

15. *Adjiceretur.*] Lib. veteres: *ut omnibus ſacramentis adjicerentur.* Ita loquitur etiam lib. II. §.

Quod

ſteris tradantur. Rationes imperii ab Auguſto proponi ſolitas, ſed a Tiberio intermiſſas, publicavit. Magiſtratibus liberam juriſdictionem, & ſine ſui appellatione conceſſit. Equites Romanos ſevere curioſeque, nec ſine moderatione recognovit: palam ademto equo, quibus aut probri aliquid aut ignominiæ ineſſet: eorum, qui minore culpa tenerentur, nominibus modo in recitatione præteritis. Ut levior labor judicantibus foret, ad quatuor priores quintam decuriam addidit. Tentavit & comitiorum more revocato, ſuffragia populo reddere. Legata ex teſtamento Tiberii, quamquam abolito, ſed & Juliæ Auguſtæ, quod Tiberius ſuppreſſerat, cum fide, ac ſine calumnia repræſentata perſolvit. Centeſimam auctionum Italiæ remiſit. Multis incendiorum damna ſupplevit: ac ſi quibus regna reſtituit, adjecit & fructum omnem vectigaliorum, & redituum medii temporis, ut Antiocho Comageno HS milies confiſcatum. Quoque magis nullius non boni exempli fautor videretur, mulieri libertinæ octoginta donavit, quod excruciata graviſſimis

Quod obſervavi Cod. de Jur. prop. cal. CUJACIUS. Sic & codex Salmaſianus & Palatini cum primis editionibus. unde ὁ πάνυ conjicit legendum *adjicerentur*.

16. *Spintrias.*] Codex Salmaſ. *Pſinthrias.*

Monſtruoſarum.] Codex Salmaſ. *monſtroſarum.*

TORRENT.

Rationes Imperii.] Aug. cap. XXVIII. & cap. ultimo.

Sine ſui appellatione.] Ne ad Cæſarem appellaretur. Aug. cap. XXXIII.

Ignominiæ ineſſet.] Meliores libri *adeſſet.*

Nominib. in recit. præt.] Severe, at moderate tamen, egiſſe eum dicit; ſevere, quod iis qui probroſi erant, palam equos per ignominiam ademerit; moderate vero, quod in leviore culpa nomina eorum qui ſic peccaſſent, in recenſendo omiſerit. Quo facto equis quidem privabantur, ſed ſine nota publica infamiæ. Vide Auguſti cenſuram cap. XXXIX.

Quintam decuriam.] Tribus, quæ ante fuerant, quartam Auguſtus adjecit, cap. XXXII. Cajus quintam. At vero ſextam adjici petentibus Galba denegavit, cap. XIV.

Suffragia pop. reddere.] Comitia Cæſar dictator cum populo partitus fuerat, cap. XLI. Auguſtus verbis magis quam re ipſa reſtituit, cap. XL. Tiberius vero omnino ſuſtulit. ſic enim Tacit. *Tum primum e Campo comitia ad patres tranſlata ſunt. nam ad eam diem etſi potiſſima arbitrio Principis, quædam tamen ſtudiis tribuum fiebant.* Cajus ergo iterum libera permittere voluit. Vide Cæſ. cap. XLI.

Liviæ Auguſt.] Mallem, ut in duobus MSS. *Juliæ Auguſtæ.* Hujus autem teſtamentum pro irrito Tiberius habuit, ne legata ex eo deberentur. Tib. cap. LI. Hoc *ſupprimere* hic vocat Sueton.

Ducenteſimam auctionum Ital.] Turneb. Adverſariorum XXVII. cap. XX. ex Dione *centeſimam* rectius legi poſſe putat. Verum dum idem Dion lib. LVIII. Tiberium pro ducenteſima centeſimam inſtituiſſe ſcribat, utraque lectio bona eſt.

Adjecit & fructum.] Libb. duo MSS. *affecit*, & *reditum*, pro *redituum.* Nihil muto tamen, ſed ſi *reditum* quis mavult, non repugnabo. Beroaldus per *vectigalia* ea, quæ publica erant intelligit; per *reditus* ea, quæ privata.

Antiocho Comageno.] Hic igitur unus ex regibus illis confiſcatis, de quibus Tib. cap. XLIX.

Octingenta donavit.] Atqui hic duplex cenſus equeſtris erat. Mallem itaque, ut in vulgatis, & nonnullis MSS. *octoginta.* Et totidem ſeſtertia intelligo, quæ ſumma ſane libertinæ non exigua eſt.

CASAUBON.

Rationes imperii ab Auguſto proponi ſolitas, ſed a Tiberio intermiſſas, publicavit.] Pæne ad verbum Dio: Τὰς τε λογισμὰς τῶν δημοσίων χρημάτων μὴ ἐκτεθειμένυς ἐν τῷ χρόνῳ ἐν ᾧ ὁ Τιϐέριος ἐξεδήμησε, πάντας κατὰ τὸν Αὔγυστον προσέγραψε. ubi vides, quid inter Dionem & Suetonium interſit: nam Dio per abſentiam Tiberii tantum, non toto ejus principatu intermiſſas has rationes ait. Scribo autem in ſuperiori loco, προέγραψε, *publicavit*; non προσέγραψε, *adſcripſit.*

Centeſimam auctionum Italiæ remiſit.] Reſtituimus hunc locum ex cod. Liſlæi, qui cum Dione conſentit: nam ille in eodem plane ſermone ita ſcribit: τὸ τέλος τῆς ἑκατοστῆς κατέλυσε. Vide locum; probabis. vulgati libri *ducenteſimam*, ἀνιστορήτως. etſi ita multi MSS. habent, atque in his Memmianus.

Multis incendiorum damna ſupplevit.] Dio ibidem: Ἐμπρησίν τινα μετὰ τῶν στρατιωτῶν κατασϐέσας ἐπήρκεσε τοῖς ζημιωθεῖσιν.

Ut Antiocho Comageno.] Huic patrium regnum Comagenen reſtituit, & hoc amplius maritima Ciliciæ dedit. de hujus morte Tacitus Annal. II.

Mulieri libertinæ octoginta donavit.] Emendavimus depravatam multorum libb. lectionem, *octingenta*

viſſimis tormentis de ſcelere patroni reticuiſſet. Quas ob res inter reliquos honores decretus eſt ei clypeus aureus: quem quotannis certo die collegia ſacerdotum in Capitolium ferrent, ſenatu proſequente: nobilibuſque pueris ac puellis, carmine modulato, laudes virtutum ejus canentibus. Decretum autem, ut dies quo cepiſſet imperium, *Palilia* vocaretur, velut argumentum rurſus conditæ urbis. Conſulatus quatuor geſſit: primum 17
ex Kalendis Julii per duos menſes: ſecundum ex Kalendis Januariis per triginta dies: tertium uſque in Idus Januarii: quartum uſque in VII. Idus eaſdem. Ex omnibus duos noviſſimos conjunxit. Tertium autem Lugduni iniit ſolus: non, ut quidam opinantur, ſuperbia negligentiave, ſed quod defunctum ſub Kalendarum diem collegam reſciſſe abſens non potuerat. Congiarium populo bis dedit trecenos HS. toties abundantiſſimum epulum ſenatui equeſtrique ordini, etiam conjugibus ac liberis utrorumque. Poſteriore epulo, forenſia inſuper viris, pueris ac fœminis faſcias purpuræ ac conchylii diſtribuit. Et ut

genta, ex veteri Rom. aliiſque, in quibus ita ſcriptum eſt. nec fefellit acumen Torrentii alterius lectionis abſurditas.

VARIOR.

Adjecit & fructum.] Codex Salmaſii, & Palatini, *adfecit.* ut antea quoque cap. XV. *ut omnibus ſacramentis adjiceretur*, iidem codices habebant *adficerentur.*

Octoginta donavit.] Codex Salmaſ. *octingenta.*

TORRENT.

Carmine modulato.] Aug. cap. LVII. *ſed & modulatis carminibus*, &c.

Palilia.] Duo MSS. *Parilia.* Simile huic eſt, quod Aug. legimus cap. VII. quoſdam cenſuiſſe eum Romulum appellari debere, quaſi & ipſum conditorem Urbis.

17. *Ex Kal. Januariis.*] Mortuo Tiberio XVII. Kal. Apr. Cajus eodem die imperium ſuſcepit, & annis tantum tribus, menſibus decem, ut inf. cap. LIX imperio præfuit. Si igitur quatuor conſulatus geſſit, & quidem tres poſtremos ordinarios, primum ex Kal. Jan. inire nullo modo potuit. Duo codd. noſtri habent *ex Kal. Julii*, & ſic omnino legendum eſt, adſtipulante Dione. Collegam autem aſſumpſit Claudium, qui poſt eum imperavit.

Duos noviſſimos conjunxit.] Hoc eſt, continuavit, (ſic enim Aug. cap. XXVI.) vel junctim geſſit, uti inf. Claud. cap. XIV. Et Cajus quidem etiam ſecundo imperii ſui anno conſulatum iniit, ſed quia primum conſulatum non niſi per duos menſes, a Kal. Julii uſque ad Kal. Septembres geſſit, idque extra ordinem, recte Sueton. ſcribit, eum duos tantum noviſſimos conjunxiſſe. Qui faſtos nobis concinnarunt, non ſatis hæc perſpexere.

Forenſia inſ. viris, pueris ac fœminis faſc.] Quid *forenſia* Aug. cap. LXXIII. Veſtimenta autem ſic diſtinguunt JCti, ut aut virilia ſint, aut muliebria, aut puerilia, aut communia, aut familiaria. l. XXIII. De auro, arg. & veſt. leg. Et faſciæ quidem, quas pedules, aut crurales vocat Ulpian. etiam virorum in uſu ſunt; pectorales vero fœminarum tantum, maxime virginum, propriæ. Nonius in *Strophium.* Martial. lib. XIV. Epigr. CXXXIV.

CASAUBON.

Decretus eſt ei clypeus aureus.] Id eſt, clypeata imago. Macrobius lib. I. Saturnal. cap. III. de jocis Ciceronis: *Cum in ea provincia quam Q. Cicero frater rexerat, vidiſſet clypeatam imaginem ejus, ingentibus lineamentis uſque ad pectus ex more pictam, (erat autem Quintus ipſe ſtatura parva) ait: Frater meus dimidius major eſt quam totus.* Vocarunt has imagines & *ſcuta.* In Panegyrico Conſtantino Auguſto Conſtantii F. dicto: *Merito igitur tibi, Conſtantine Imperator, & ſenatus ſignum Dei, & paullo ante Italia ſcutum & coronam, cuncta aurea dedicarunt.* Ubi ſic junguntur ſcuta & coronæ, ut apud Philonem in his verbis, Legatione ad Cajum: *Σιωπῶ τὰς συμπρησθείσας τῶν αὐτοκρατόρων τιμὰς ἀσπίδων καὶ ςεφάνων ἐπιχρύσων.* Sed de his clypeis plura ante nos viri docti.

17. *Pueris ac fœminis faſcias purp.*] Depravata lectio hujus loci *faſces* pro *faſcias*, quam multi annotarunt, & nos quoque in Viterb. reperimus, orta eſt ex conſuetudine quorundam veterum ſcribentium *faſceas* pro *faſcias.* quomodo ſcriptum eſt in cod. Liſſ. At certum eſt *faſcias* eſſe veram lectionem. Videntur autem intelligi inſtitæ purpuræ vel conchylii, quæ aſſui veſtibus e panno ſolebant. Propterea fœminis dantur & pueris, quos ſcimus fuiſſe prætextatos. Habuerunt fœminæ & pectorales faſcias, ſed quæ, ut puto, ab his erant diverſæ. Verum de faſciis ad librum ſecundum plura notata nobis. Beroaldus vero ſuaviludius plane eſt, qui de tegumento crurum & pedum hunc locum interpretatur.

VARIOR.

17. *Ludguni.*] Cod. Salmaſ. *Luguduni.* ſic & c. 20.

Faſcias.] Codex Salmaſ. *faſces*, pro *faſceas.* Nam ſic ſcribebant. SALMAS.

Purpuræ ac conchylii.] Codex Salmaſ. *purpura at conchylii.*

TOR.

ut lætitiam publicam in perpetuum quoque augeret, adjecit diem Saturnalibus, appel-
18 lavitque *Juvenalem.* Munera gladiatoria partim in Amphitheatro Tauri, partim in Septis aliquot edidit: quibus inſeruit catervas Afrorum Campanorumque pugilum ex utraque regione electiſſimorum. Neque ſpectaculis ipſe ſemper præſedit: ſed interdum aut magiſtratibus aut amicis præſidendi munus injunxit. Scenicos ludos & aſſidue, & varii generis, multifariam fecit. quondam etiam & nocturnos, accenſis tota urbe luminibus. Sparſit & miſſilia variarum rerum, & panaria cum opſonio viritim diviſit. Qua epulatione equiti Romano contra ſe hilarius avidiuſque veſcenti, partes ſuas miſit: ſed & ſenatori ob eandem cauſſam codicillos, quibus prætorem eum extra ordinem deſignabat. Edidit & Circenſes plurimos a mane uſque ad veſperam, interjecta modo Africanarum venatione, modo Trojæ decurſione: & quoſdam præcipuos, minio & chryſocolla conſtrato Circo: nec ullis niſi ex ſenatorio ordine aurigantibus. Commiſit & ſubitos, cum
19 e Gelotiana apparatum Circi proſpicientem pauci ex proximis Mænianis poſtulaſſent. Novum

TORRENT.

Adjecit diem Saturnalib.] Dion eum juſſiſſe ſcribit diebus quinque agi Saturnalia. Atqui, Macrobio teſte, non niſi trium dierum ſub Auguſto Saturnalia fuere, lib. I. cap. X.

18. *In amphitheatro Tauri.*] Liber opt. non habet dictionem *Tauri.* Nec ſane neceſſaria eſt, tametſi de Statilii Tauri amphitheatro loquatur. Vide Aug. cap. XXIX. & cap. XLIII.

Catervas Afrorum Campanorumque.] Afri & Campani pugiles poſt Græcos maxime laudabantur. Aug. cap. XCVIII. *Catervas* autem vocat vel catervatim aſſumptos, vel ad differentiam eorum qui ordinarii & legitimi appellabantur. Aug. cap. XLV.

Multifariam.] Pro, multis locis, ut Galb. cap. XIX. *multifariam diverſeque tendebant.* Cic. lib. II. de Orat. *Si aurum cui, quod eſſet multifariam defoſſum, commonſtrare vellem.* & lib. I. de Legibus: *Judicia quæ quondam nuſquam erant, hodie multifarium nulla ſunt.* Sic *plurifariam* pro pluribus locis cap. LIV. & Claud. cap. XXI. & *aliquotfariam* Varro de Re Ruſt.

Africanarum venat.] Sic pantheras vocabant, quod creberrimæ in Africa erant, quemadmodum & *varias*, ob maculas nempe, quibus erant conſpicuæ. Plin. lib. VIII. cap. XVII. Unde & menſæ quædam pantherinæ, Plin. lib. XIII. cap. XV. Et eleganter Plautus Epid. *Qui varie valent caprigenum hominum non placent mihi, Neque pantherinum genus.*

Minio & chryſocol. conſtr. circo.] Id Plin. lib. XXXIII. cap. V. Neronis principatu viſum ſcribit, cum ipſe concolori panno aurigaturus eſſet. *Concolorem* autem praſinum vocat. Quem Juvenal. quoque ſignificat Sat. II. cum ait:

- - - ſed fragor aurem
Percutit, eventum viridis quo colligo panni.

Et Neronem igitur, & Cajum id feciſſe credendum eſt, cum uterque pari inſania praſinæ factioni faverit.

Cum e Gelotiana.] Sic Turnebum ſecutus Pulm. edidit. At MSS. quos ego vidi, *lege Lotiana, Lovana,* & *Lutiana* habent. Sabellicus etiam *Joviana* legi teſtatur. Egnatius vero ex codice (ut ait) & ipſe MS. nimis inverecunde loci ſententiam corrumpit. Quare Turnebum & ego ſequor, maxime ob inſcriptionem antiqui marmoris: SYMPHORO TESSERARIO SER. CÆSARIS DE DOMO GELOTIANA. Principes vero ſæpe e vicinis circo etiam privatorum ædibus ſpectaſſe Circenſes omnibus notum eſt.

Ex proximis mœnianis.] *Mœniana* quæ ſint, præter Feſtum, & Iſidorum, etiam JCti nos docent l. XX. De ſervit. urb. præd. & l. CCXLII. De verb. & rer. ſignif.

CASAUBON.

18. *Sparſit & miſſilia variarum rerum.*] Cujuſmodi illa ſunt, quæ deſcribit Statius elegantiſſime lib. I. Sylvarum, carmine ultimo. Sed de Caligulæ miſſilibus ſcribit Joſephus in hiſtoria cædis ejus: Πολλῆς δὲ ὀπώρας ἐπιχεομένης τοῖς θεωροῖς, καὶ πολλῶν ὀρνέων, ὁπόσα τῷ σπανίῳ τίμια τοῖς κτωμένοις.

E Gelotiana apparatum circi proſpicientem.] Hæc vera ſcriptura eſt hujus loci, quam pridem aſſeruit rex ille criticorum Turnebus, & nos aſſerimus nunc iterum auctoritate libb. bibliothecæ regiæ & Memmiani (in quibus omnibus liquido ſic ſcriptum ipſi vidimus) & Petri Pithœi. favent quoque, etſi corrupti, codd. Viterb. ac Groſlotii, in quibus ſcriptum *lege Lotiana.* Tolle peccantem literam *l*, totidem poſtea reſtabunt, quot vera lectio conſtat. Ne igitur audiamus inconcinnas, meo quidem animo, aliorum emendationes. Gelotiana vel domus vel inſula illis temporibus nota in urbe fuit, ad circum ut arbitror maximum. Ac licet conjicere ex ea inſcriptione quam Turnebus profert, in ea habitaſſe partem ſervitii Cæſariani. Eum lapidem ſubjecimus & nos:

vum præterea atque inauditum genus ſpectaculi excogitavit. Nam Bajarum medium intervallum Puteolanas ad moles trium milium & ſexcentorum fere paſſuum ponte conjunxit, contractis undique onerariis navibus, & ordine duplici ad ancoras collocatis, ſuperjectoque aggere terreno, ac directo in Appiæ viæ formam. Per hunc pontem ultro citroque commeavit, biduo continenti. Primo die phalerato equo, inſigniſque quercica corona, & ſecuri, & cetra, & gladio, aureaque chlamyde. Poſtridie quadrigario habitu, curriculoque bijugi famoſorum equorum, præ ſe ferens Darium puerum ex Parthorum obſidibus: comitante prætorianorum agmine, & in eſſedis cohorte amicorum. Scio pleroſque exiſtimaſſe, talem a Cajo pontem excogitatum æmulatione Xerxis, qui non ſine admiratione aliquanto anguſtiorem Helleſpontum contabulaverit. Alios, ut Germaniam & Britanniam, quibus imminebat, alicujus immenſi operis fama territaret. Sed avum meum narrantem puer audiebam, cauſſam operis ab interioribus aulicis proditam, quod Thraſyllus mathematicus, anxio de ſucceſſore Tiberio, & in verum nepotem pro- niori,

SYMPHORO
TESSERARIO
SER. CÆSARIS
DE. DOMO. GELO
TIANA. FECIT
PHILODESPOTUS
SER. CÆSARIS.
EX. HERMÆO
FRATRI. B. M.

VARIOR.

18. *Varii generis multifariam.*] Salmaſ. codex: *ac multifariam.*

TORRENT.

19. *Excogitavit.*] Verbum hoc abeſt e vetuſtiſſimo codice, & recte, mea quidem ſententia, ſiquidem Sueton. libros ſuos per capita non diſtinxit. Nihil tamen mutatum velim.

Et Puteolanas moles.] Sic MSS. noſtri omnes, cum vulgati *&* *Puteolanæ molis* legant. In uno vero eadem correctum manu repperi, *ad Puteolanas moles.* quam lectionem probo.

Ad ancoras collocatis.] Duo codd. *collatis.* pontes enim navibus junxit, viribus imperii ludens, ac populum interea pæne fame enecans. Qua de re præclare etiam Seneca, quanquam eo loco mendoſus, lib. de Brevit. vitæ cap. XVIII.

Aggere terreno.] Lib. optimus *ſuperjectoque terreno*, ſine *aggere*, ut *terrenum* pro terra accipiamus, hoc eſt, ſolo ipſo. ſic enim & Columella lib. II. cap. II. *Callidiſſimi rerum ruſticarum tria genera terreni eſſe dixerunt.* & lib. III. cap. III. *cum ſola ea res omnem impenſam terreni pretio ſuo liberet.* Et ſane agger huic rei non convenit, ſi vulgatam ſignificationem accipiamus. Sed quoniam (ut recte Iſidorus tradit lib. XV. cap. ult.) *agger eſt etiam media viæ eminentia, lapidibus ſtrata, quam hiſtorici militarem vocant*, idque & Servius annotavit in illud Virgil. lib. V.

Qualis ſæpe viæ deprenſus in aggere ſerpens,

a recepta lectione non recedo. *aggerem* enim *terrenum* vocat ad differentiam ejus, qui lapidibus ſtratus eſt.

Quercica corona.] Eadem *quercea* frequentius, & *quercia*, & *querna* appellatur, quæ & civica eſt.

Securi & cetra & gladio.] Libri MSS. inter ſe diſſident. Unus inter alios non habet *cetra*, placet tamen. Unde & *cetrati milites.* Atque eo quidem magis placet, quod cetra peltæ (ut alicubi de bello Punico tradit Livius) non diſſimilis, recte ſecuri adjungitur, quæ nota Amazonum arma ſunt. Q. Curtius initio lib. III. *armati bipennibus, levibuſque ſcutis, cetræ maxime ſpeciem reddentibus.*

Præ ſe ferens Darium puerum.] Plures libri *Dareum.* Illud vero, *præ ſe ferens*, ita interpretor, ut eodem in curru ante ipſum Dareus fuerit. Quale aliquid in veteribus quadrigatis ac bigatis nummis non ſemel cernitur. Dion ſecutum ſcribit.

In eſſedis.] Lib. pervetuſtus *in eſſedo.* Non diſplicet. Quanquam majorem illam amicorum cohortem fuiſſe credendum eſt quam ut uno eſſedo veheretur.

In verum nepotem.] Naturalem ſcilicet ac legitimum, ut JCti vocant.

CASAUBON.

19. *Æmulatione Xerxis.*] Hoc exiſtimat etiam Seneca libro de Brevitate vitæ, cap. XVIII.

VARIOR.

19. *Trium millium & ſexcentorum fere paſſuum ponte conjunxit.*] Codex Salmaſii: *trium millium & ſeſcentorum fere paſſuum ſpatium ponte conjunxit.*

Directo.] Codex Salmaſ. *derecto.*

Cetra.] Codex Salmaſ. *cetura.*

Thraſyllus.] Cod. Salmaſ. *Thraſilus.*

TOR-

niori, affirmaſſet, *Non magis Cajum imperaturum, quam per Bajanum ſuum equis*
20 *diſcurſurum.* Edidit & peregre ſpectacula: in Sicilia Syracuſis haſticos ludos, & in Gallia Lugduni miſcellos. Sed & certamen quoque Græcæ Latinæque facundiæ. quo certamine ferunt victoribus præmia victos contuliſſe, eorundem & laudes componere coactos. Eos autem qui maxime diſplicuiſſent, ſcripta ſua ſpongia linguave delere juſſos,
21 niſi ferulis objurgari aut flumine proximo mergi maluiſſent. Opera ſub Tiberio ſemiperfecta,

Torrent.

20. *Haſticos ludos.*] Sic quoque edit. Gallica, & unus e noſtris MSS. Germanica vero, & MSS. plures *Atticos*, unus etiam liber pervetuſtus *aſticos*, quam lectionem Turneb. amplectitur. Ego ſane non negaverim, quin Cajus Syracuſis cum eſſet, Athenienſium imitatione ludos ediderit, malim tamen *Actiacos* legere, uti & Tib. cap. VI. *Haſticos* vero nullo modo placet.

Lugduni miſcellos.] Turneb. Adverſar. XXII. cap. XXII. *ludos miſcellos* vocare Suetonium arbitratur, quæ Juvenal. *miſcellanea* Sat. XI. ſed neque, quales hi ludi fuerint, explicat, & Juvenalem (meo quidem judicio) non ſatis recte interpretatur. Varro lib. III. de Re Ruſt. *columbarum quoddam genus miſcellum* vocat, quæ neque agreſtes, neque domeſticæ ſint. Atque idem lib. I. cap. LIV. quemadmodum & Cato de Re Ruſt. cap. VI. *miſcellas* appellat *vites*, quæ omni agro conveniunt. Quare *miſcellos* quoque *ludos* vocari exiſtimo, qui ad nullum certum genus ludorum ſcenicorum, ſive argumentum, ſive ſcenæ inſtrumenta & apparatum ſpectes, referri poſſint. Ut contemptim de his, qui ſua decoxerunt, dixerit Juvenal.

- - - *ſic veniunt ad miſcellanea ludi,*

turpius nempe, quam ſi inter legitimos atque ordinarios hiſtriones ſuam ſcenæ locarent operam. Simile illud Horatii Epiſt. ad Lollium II.

- - - *ad imum*
Thrax erit; aut olitoris aget mercede caballum.

Sed & certamen.] Lugduni id inſtitutum intelligo. Sed an Cajus inſtituerit, merito poteſt dubitari. nam vivente adhuc Auguſto (ſi Dioni credimus ſub finem lib. LIV.) ludi illic ad ejus aram celebrabantur, quos ſua quoque ætate permanſiſſe teſtatur. Hinc igitur Juvenalem intelligimus Sat. I. cum ait:

Aut Lugdunenſem rhetor dicturus ad aram.

De qua etiam Sueton. Claud. cap. II. & Strabo lib. IV. Quod autem *certamen* vocat Sueton. ἀγῶνα appellant Græci. ſic enim de Mauſoleo Gell. lib. X. cap. XVIII. *Id monumentum Artemiſia cum Diis Manibus ſacris Mauſoli dicaret, ἀγῶνα, id eſt, certamen, laudibus ejus dicundis facit, ponitque præmia pecuniæ, aliarumque rerum bonarum ampliſſima.* Quo tamen loco legendum exiſtimo *Diis Manibus Mauſoli ſacrum.* ſepulcra enim Diis Manibus eorum, qui in illis ſiti erant, conſecrabantur. Tale autem eloquentiæ certamen etiam Neapoli fuit.

Ferulis objurgari.] Atqui verbis tantum objurgamus. ſic enim Cic. ad Atticum, *caſtigatione & objurgatione dignus.* Quare pæne adducor, ut (quod in uno probatæ fidei cod. repperi) *obvirgari* reſtituam. neque enim hujuſmodi verba a Suetonio aliena ſunt. Et accedit, quod *virgatis ſagulis*, & *virgati calathiſci* Virgil. & Catull. dixere, ut *valentes virgatores* Plautus Aſinaria. Quod vero *molli brachio objurgare* Cic. lib. II. ad Attic. dixit, id eo referendum, quod objurgando jactare brachia conſuevimus. Suo tamen arbitrio lectorem relinquo, cum *admonere flagello* Columella, & *telo Admonuit bijugos* Virgil. dixerit, ut *fuſtium admonitio* Calliſtrat. l. VII. De pœnis, & *flagris objurgari* ipſe Sueton. Oth. cap. II.

Casaubon.

20. *Syracuſis haſticos ludos, & in Gallia Lugduni miſcellos.*] Viterb. & Groſlotii *Atticos*, Memmii & Pithœi *Aſticos.* Dio hoc tantum, θέας τινὰς ἐν τῷ Λουγδούνῳ ἐπετέλεσε. Sunt vero ludi aſtyci, quos Græci ἀστυκοὺς ἀγῶνας nominant. Ita judicat Criticorum Homerus Joſephus Scaliger: in cujus libris de Emendatione temporum, cum de Aſtycis, tum de Miſcellis plura ſtudioſus lector inveniet.

Varior.

20. *Miſcellos.*] *Miſcelli ludi* vocantur Suetonio, qui Juvenali miſcellanea:

Sic veniunt ad miſcellanea ludi.

Sic, inquit, fiunt ex ſenatoribus mimi ſive ludi. Unde tranſcurſoria vocat ludos, ad quos ex ſenatu tranſibant: id eſt, quando ex ſenatoribus fiebant ſcurræ, ſive ludi, aut hiſtriones. Tria enim hæc idem ſunt. JOS. SCALIGER.

Scripta ſua ſpongia linguave delere juſſos.] In libro ſecundo Anthologiæ εἰς Ποιητάς·

Τοῦ σοῦ γὰρ πάσχω νεκροῦ χάριν, οἷα πάθοιεν
Οἱ καταδείξαντες βιβλία καὶ καλάμους.

Omnino legendum οἱ καταλείξαντες, qui delingunt ſcripta ſua & calamos. Nihil ſiniſterius poetæ aut rhetori imprecatur, quam ut illi accidat, quod victis fit in Miſcellaneis Lugdunenſibus ad aram Cæſaris. Neque in alium ſenſum accipiendum illud diſtichon ex eodem libro εἰς Ἀσελγεῖς,

 Οὐχ

perfecta, templum Auguſti theatrumque Pompeji abſolvit. Inchoavit autem aquæ ductum regione Tiburti, & Amphitheatrum juxta Septa, quorum operum a ſucceſſore ejus Claudio, alterum peractum, omiſſum alterum eſt. Syracuſis collapſa vetuſtate mœnia, Deorumque ædes refectæ. Deſtinaverat & Sami Polycratis regiam reſtituere, Mileti Didymeum peragere, in jugo Alpium urbem condere, ſed ante omnia Iſthmum in Achaja perfodere. Miſeratque jam ad demetiendum opus primipilarem. Hactenus quaſi 22
de principe, reliqua ut de monſtro narranda ſunt. Compluribus cognominibus aſſumtis (nam & PIUS, & CASTRORUM FILIUS, & PATER EXERCITUUM, & OPT. MAX. CÆSAR vocabatur) cum audiret forte reges, qui officii cauſſa in urbem advenerant, concertantes apud ſe ſuper cœnam de nobilitate generis, exclamavit, Εἷς κοίρανος ἔστω, Εἷς βασιλεύς. Nec multum abfuit quin ſtatim diadema ſumeret, ſpeciemque principatus in regni formam converteret. Verum admonitus, & principum & regum ſe exceſſiſſe faſtigium, divinam ex eo majeſtatem aſſerere ſibi cœpit. Datoque negotio, ut ſimulacra numinum religione & arte præclara, inter quæ Olympii Jovis, apportarentur e Græcia, quibus capite demto ſuum imponeret, partem palatii ad Forum uſque promovit, atque æde Caſtoris & Pollucis in veſtibulum transfigurata, conſiſtens ſæpe

Οὐχ᾽ ὅτι τὸν κάλαμον λείχεις, διὰ τῦτό σε μισῶ,
Ἀλλ᾽ ὅτι τῦτο ποιεῖς καὶ δίχα τῦ καλάμυ.

JOS. SCALIGER.

TORRENT.

21. *Sub Tiberio ſemiperfecta.*] Sup. Tib. cap. XLVII. inf. Claud. cap. XXI.

Inchoavit autem aquæd.] Libri duo, *Inchoavitque aquæd.*

Regione Tiburti.] Sic *Tiburtem agrum* Livius, & *Tiburte via* Horat. *villam* etiam *in Tiburte* dixit Cic. II. de Orat. Porro de hoc opere Plin. lib. XXXVI. cap. XV. *Vicit antecedentes aquarum ductus noviſſimum impendium operis inchoati a Cajo Cæſare, & peracti a Claudio. quippe a lapide quadrageſimo ad eam excelſitatem, ut in omnes Urbis montes levarentur, influxere Curtius atque Cæruleus fontes.* Adde Suetonium Claud. cap. XX. Quanquam non ſatis hic intelligo, quomodo eum regione Tiburti Cajus inchoaverit, qui a quadrageſimo ab Urbe lapide venerit. Late ſane agrum patuiſſe Tiburtinum neceſſe eſt. nam Urbs ipſa XX. tantum millibus aberat.

Mileti Didymeum.] De Apolline Didymæo, ejuſque templo Plin. lib. V. cap. XXIX. Plura Strabo initio lib. XIV. De nominis ratione Macrob. lib. I. Saturnal. cap. XVII. quanquam Pauſanias illud a Didymis, loco ſcilicet ſic appellato, deducat. Sed & Ulpian. noſter tit. XX. *Deos* (inquit) *heredes inſtituere non poſſumus præter eos, quos ex S. C aut conſtitutionibus Principum inſtituere conceſſum eſt, ſicuti Jovem Tarpejum, Apollinem Didymæum, Martem in Gallia.*

22. *Olympici Jovis.*] Inf. cap. LVII. Elegans etiam locus Pauſaniæ Bœoticis de Cupidine Theſpienſium per Cajum amoto, quem cum Claudius reddidiſſet, Nero iterum ſuſtulit. vult enim Pauſanias utrumque Principem ob id ſcelus juſta numinis vindicta cæſum fuiſſe.

Suum imponeretur.] Duo codd. *imponerent.* quod magis placet.

In veſtibulum transfigurata.] Ædem Caſtorum in foro fuiſſe cum ex aliis auctoribus, tum ex Suetonio ipſo conſtat, Cæſ. cap. X. Partem igitur Palatii ita in forum promovit Cajus, ut Caſtorum ædes in veſtibulo quodammodo eſſe videretur. Ædem vero non diruit, ſed ea (ut ſcribit Dion) in duas partes diviſa, ingreſſum per media Deorum Fratrum ſimulacra in Palatium ſtruxit, dicens ſe janitores habere velle Ledæ ac Jovis filios. Melius autem Suetonium & Dionem intelliget, qui ſciverit in ea montis Palatini parte fuiſſe Tiberii domum, ubi Romani poſtea Principes habitarunt, quæ viam Sacram, & Pacis templum reſpicit, ut ex lamina plumbea in hortis Farneſianis cum Tiberii inſcriptione reperta conſtat. Media autem ædes Caſtorum fuit. Porro quod Caſtores ſibi janitores eſſe voluit Cajus, ex Auguſti ſomnio declaratur, de quo ſup. cap. XCI.

CASAUBON.

22. *Reges qui officii cauſſa in urbem advenerant.*] Agrippam & Antiochum. ex Dionis libro LVIII.

Speciemque principatus in regni formam converteret.] *Speciem* vocat *inſignia*, quæ Tacitus *inania* alicubi dicit, D. Lucas, Polybius & Athenæus, *φαντασίαν*. *Species principatus* eſt ornatus Imperatoris Romani, qui proprie *Princeps* appellatur, & imperium *principatus*: ſic enim initio Auguſtus inſtituit, ut ex Tacito norunt eruditi. Sic *regni formam* vocat

ſæpe inter fratres deos medium ſe adorandum adeuntibus exhibebat: & quidam eum LATIALEM JOVEM conſalutaverunt. Templum etiam numini ſuo proprium, & ſacerdotes & excogitatiſſimas hoſtias inſtituit. In templo ſimulacrum ſtabat aureum iconicum. Amiciebaturque quotidie veſte, quali ipſe uteretur. Magiſteria ſacerdotii ditiſſimus quisque & ambitione & licitatione maxima vicibus comparabant. Hoſtiæ erant phœni-

cat inſignia, quibus reges olim utebantur ad indicandam majeſtatem regiam, puta diadema, purpuram, ſceptrum, & cætera hoc genus. Vide Eutropium in Diocletiano.

Datoque negotio.] Memmius Regulus præfectus ei negotio. Joſephus.

Inter quæ Olympici Jovis.] Scribe cum codice Memm. & Viterb. & apud Livium *Olympii Jovis:* nam ita Græci. Dio: *ἄγαλμα ἠθέλησε τὸ τοῦ Διὸς τοῦ Ὀλυμπίου ἐς τὸ ἑαυτοῦ εἶδος μεταῤῥυθμίσαι.* Joſephus narrat fuſe lib. XIX. cap. I.

Æde Caſtoris & Pollucis in veſtibulum transfigurata.] Dio: *Τό τε Διοσκούριον τὸ ἐν τῇ ἀγορᾷ τῇ Ῥωμαίᾳ ὃν διατεμὼν διὰ μέσου τῶν ἀγαλμάτων, εἴσοδον δι' αὐτοῦ ἐς τὸ παλάτιον ἐποιήσατο, ὅπως καὶ πυλωροὺς τοὺς Διοσκούρους, ὥς γε καὶ ἔλεγεν, ἔχῃ.*

TORRENT.

Medium ſe adorandum.] Recte. Vulgati *medius, ſe ador.* Virgil. *mediamque locavit.* Qui locus honoratiſſimus habebatur.

LATIALEM JOVEM.] Atque ita ut Cretenſis ille cum Junone, ſic ipſe quoque cum ſororibus concubuit. Nec Jupiter tantum, ſed nunc Bacchus, nunc Hercules, nunc Neptunus quoque videri voluit. Quin & dearum interdum habitum ſumpſit. Nihil ergo Gallo illo, quem Dion commemorat liberius atque urbanius. is enim cum Jovis ſpecie pro tribunali ſedentem intuitus ſubriſiſſet, interrogatus ab ipſo Cajo, quid eſſe illi videretur, *μέγα παραλήρημα* reſpondit, hoc eſt, *magnum deliramentum.* De qua monſtri hujus inſania etiam Athenæus.

Simulacrum aur. iconicum.] Plures, & meliores libri *iconium.* *Iconas* autem vocabant imagines ad vivum expreſſas. Unde *icuncula* Ner. cap. LVI. Sic *ſtatuæ iconicæ* apud Plinium lib. XXXIV. cap. IV. & *iconici duces,* lib. XXXV. cap. VIII. ut *ἀγάλματα εἰκονικὰ* apud Athenæum lib. V. cap. VI. ubi de nave Philopatoris.

Magiſteria ſacerdotii.] Sic Domit. cap. IV. *ſorte ducti magiſterio fungerentur.* Capitolin. M. Antonino, *Fuit in eo ſacerdotio & præſul, & vates, & magiſter.* Livius lib. XXXIX. *magiſtri ſacrorum.* De Caji autem ſacerdotib. Claud. cap. IX.

CASAUBON.

Et quidam eum Latialem Jovem conſalutaverunt.] Dionis verba ita emenda: *Δία Λατιάλιόν τε αὐτὸν ὀνομάσας, τήν τε Καισωνίαν τὴν γυναῖκα καὶ τὸν Κλαύδιον, ἄλλους τε τοὺς πλουσιωτάτους ἱερέας προσέθετο.* vulgo editum *διάλιόν τε.* Notum eſt in Latinis libris & *Latialis* & *Latiaris* hoc Jovis cognomen ſcribi, quare etiam Græci quidam in hac voce *r* retinuerunt, ut Porphyrius *Περὶ ἀποχῆς* in hoc notabili loco: *ἀλλ' ἔτι καὶ νῦν,* inquit, *τίς ἀγνοεῖ κατὰ τὴν μεγάλην πόλιν τῇ τοῦ Λατιαρίου Διὸς ἑορτῇ σφαζόμενον ἄνθρωπον;* Tertullianus adverſus Gnoſticos: *Et Latio ad hodiernum Jovi media in urbe humanus ſanguis inguſtatur.* Quo ex loco poſſumus apud Dionem minore mutatione ſcribere *Δία Λάτιον.*

Simulacrum ſtabat aureum iconicum.] Græcum eſt, *εἰκονικὸν*: ut mirer valde *iconium* legi in omnibus fere MSS. at Memmii recte *iconicum.*

Amiciebatur quotidie veſte.] De cultu divino a Cajo aſſumto, lege quæ ſcribit Philo legatione ad Cajum. narrat & Dio non obſcure.

Ditiſſimus quiſque.] Dio loco paullo ante deſcripto, *τοὺς πλουσιωτάτους ἱερέας προσέθετο.* Vide in Claudio cap. VIII.

Vicibus comparabant.] Non igitur fuit iſtud ſacerdotium perpetuum, ut fere erant Romæ, ſicut notatum nobis ad librum ſecundum.

Hoſtiæ erant phœnicopteri, pavones, tetraones.] Breviter Dio, *ὄρνιθες αὐτῷ ἁπαλοί τινες καὶ πολυτίμητοι καθ' ἑκάστην ἡμέραν ἐθύοντο.* quibus verbis appoſitiſſimi commentarii vice eſt hic Suetonii locus. *Τετράων* notum avis nomen ex Athenæo & Heſychio. neque his in libris ulla diverſitas. Quare errant qui mutant in *erythrotaones.* quos ſi roget aliquis cur ita cenſeant, nimis certum non aliud ſuæ ſententiæ argumentum allaturos, quam quod in Plinii loco e lib. X. cap. XXII. malint *erythrotaones* cum paucis, iiſque mendoſis codd. legere, quam viris doctis aſſentiri, qui veram ibi lectionem *tetraones* aſſeruerunt.

VARIOR.

12. LATIALEM.] Cod. Salmaſ. ut & Palatinus primus & ſecundus *Latiarem,* ut ante *Parilia,* pro *Palilia.* Utrumque ſcriptoribus uſurpatum. ut & Caſaubonus olim notat.

phœnicopteri, pavones, tetraones, Numidicæ, meleagrides, phaſianæ, quæ generatim per ſingulos dies immolarentur. Et noctibus quidem plenam fulgentemque lunam invitabat aſſidue in amplexus atque concubitum: interdiu vero cum Capitolino Jove ſecreto fabulabatur, modo inſuſurrans, ac præbens invicem aures, modo clarius, nec ſine jurgiis. Nam vox comminantis audita eſt,

Εἰς γαῖαν Δαναῶν περάω σε,

donec

TORRENT.

Tetraones.] Recta lectio, atque olim Politiano ſtabilita Miſcellan. cap. LVII. e Plinio Nat. hiſtor. I. cap. XXXII. Sed aſcribam & Tertulliani verba e lib. adverſus Marcionem I. *Unus, opinor, de ſepibus floſculus, (non dico de pratis) una cujuſlibet maris conchula, (non dico de Rubro) una tetraonis pennula (taceo de pavo) ſordidum artificem pronunciabit tibi creatorem?*

Ἐις γαῖαν Δαναῶν περάω σε.] Sententia horum verborum manifeſta, ac rei præſenti aptiſſima eſt, neque incerta librorum fides, niſi quod in uno *περῶ σε* legitur. Turneb. tamen ex Dione reſtituit, *Ἤ μ' ἀνάειρ', ἢ ἐγώ σε*, ut & ante Turnebum Petr. Victorius Caſtigationibus ſuis in Epiſtolas ad Att. lib. XVI. Verum ut utriuſque diligentiam laudo, ſic admonitum lectorem velim alia de re Dionem loqui, cum illud Homeri Iliad. XXIII. hemiſtichion citat, de alia vero hic Suetonium. Cajus enim Jove fulminante, cum & ipſe machina quadam contra jacularetur, ea verba proferebat: *ἤ με ἀνάειρ', ἢ ἐγὼ σε.* at hic aptiſſime velut inter jurgia Capitolinis illi ſedibus interdicens, in Græciam mittendum comminatur. Alterum vero illud non tam comminantis, quam timentis eſt etiam, *Aut me occide, aut ego te.* Expaviſſe autem Cajum fulmina, auctor eſt Sueton. cap. LI. Quare vulgatam lectionem hic retineo, ut & apud Senecam lib. I. de Ira, cum ſcribit: *Cajus Cæſar iratus cœlo, quod obſtreperet pantomimis, quos imitabatur ſtudioſius quam ſpectabat, quodque comiſſatio ſua fulminibus terreretur, ad pugnam vocavit, & quidem ſine intermiſſione Homericum* (*Ἰλ. γ.*) *illum exclamans verſum, Ζεῦ πάτερ, ὅτις σεῖο θεῶν ὀλοώτερος ἄλλος.* Non negaverim tamen Dionis hemiſtichium Senecæ magis quam Suetonio convenire, cum eadem de re ambo illi loquantur, Sueton. vero de alia prorſus.

CASAUBON.

Εἰς γαῖαν Δαναῶν περάω σε.] Multum hoc loco variant exemplaria: Viterbienſe hoc tantum, quod *εἰς* in principio non habet. quare legebam *Αἶαν Δωδώνην περάω σε.* quod hemiſtichium apud Homerum hodie, niſi decipit me memoria, non exſtat: ſed videtur eſſe *διάφορος γραφὴ* prioris horum verſuum *Ὀδύσσ. σ.*

Πέμψω σ' Ἤπειρον δὲ βαλὼν ἐν νηῒ μελαίνῃ,
Εἰς Ἔχετον βασιλῆα, βροτῶν δηλήμονα πάντων.

At codd. Pithœi & Liſlæi ſtant omnino a Turnebo: vel potius a Turnebo, ut conjicio, inſpecti, occaſionem ei præbuerunt cenſendi ſtatuendique ex Dione eſſe locum emendandum, hoc modo, *Ἤ μ' ἀνάειρ' ἢ ἐγώ σε.* manifeſta enim ſunt in illis exemplaribus ejus lectionis veſtigia: etſi ita depravata, ut, abſque Dione foret, non facile videatur aliquis potuiſſe conjectura aſſequi veram *γραφήν*. In Memmiano tamen certiſſima ejus ſcripturæ invenimus veſtigia. & omnino ita ſcribendum.

VARIOR.

Tetraones.] Cod. Salmaſ. *Tetracones.* Tetraones quæ ſint aves, inventu res erat haud difficilis, niſi Plinianos inemendatiſſimos haberemus codices. Nam quod apud illum legitur lib. X. Hiſtor. Nat. *Decet Erythrotaonas ſuus nitor*; hoc in vetuſtiſſimo exemplari de Mediceæ gentis bibliotheca publica, pæne legitur emendate, *Decet & troanas.* Quare totum locum Politiano auctore ſic legas: *Decet tetraonas ſuus nitor, abſolutaque nigritia. In ſuperciliis cocci rubor. Alterum eorum genus vulturum magnitudinem excedit, quorum & colorem reddit: nec ulla avis, excepto ſtruthocamelo, majus corpore implens pondus, in tantum aucta, ut in terra quoque immobilis prehendatur. Gignunt eas Alpes, & Septentrionalis regio.* Hactenus ille de Tetraonibus. POLITIANUS.

Numidicæ.] Varronis tempore quum gallinas Africanas gibberas, quæ ex Numidia adportabantur, tantum noſſent Romani, eaſdem cum Meleagridibus eſſe putarunt. Hinc Columella quoque nullum diſcrimen agnoſcit inter Meleagridem & Numidicam, niſi de colore galeæ ac criſtæ. Ideo Africanas ſcribit Varro *Meleagrides* Græcis vocari. Africanæ ſunt, quas vulgo *gallinas Guineæ* vocitamus. In capite tuber habent ſive gibbam rutilam. Unde *gibberas* eas eſſe auctores ajunt. At in gallinis Indicis, quæ Meleagrides ſunt Græcorum, inſigne corporeum veluti clavus rotundus e capite exit, quod maribus ultra roſtrum propendet, dum in venerem incitantur, & fœminas ambiunt. SALMASIUS.

Meleagrides.] Ætoliæ peculiare hoc avium facit Menodotus Samius apud Athenæum, & inde in alias orbis partes tranſlatum, ut pavones e Samo, & Perſicas gallinas e Perſide. Ut eæ deſcribuntur apud eundem Athenæum lib. XIV. verbis Clyti Mileſii, gallinis his ſimiles ſunt, quas hodie vocamus *Indicas,*

donec exoratus, ut ferebat, & in contubernium ultro invitatus, ſuper templum Divi Auguſti ponte tranſmiſſo, Palatium Capitoliumque conjunxit. Mox quo propior eſſet,
23 in area Capitolina novæ domus fundamenta jecit. Agrippæ ſe nepotem neque credi, neque dici ob ignobilitatem ejus volebat: ſuccenſebatque, ſi qui vel oratione vel carmine imaginibus eum Cæſarum insererent. Prædicabat autem matrem ſuam ex inceſto, quod Auguſtus cum Julia filia commiſiſſet, procreatam. Ac non contentus hac Auguſti inſectatione, Actiacas Siculaſque victorias, ut funeſtas pop. Rom. & calamitoſas, vetuit ſolennibus feriis celebrari. Liviam Auguſtam proaviam, *Ulyſſem ſtolatum* identidem appellans, etiam ignobilitatis quadam ad ſenatum epiſtola arguere auſus eſt, quaſi materno avo Decurione Fundano ortam: cum publicis monumentis certum ſit Aufidium Lurconem Romæ honoribus functum. Aviæ Antoniæ ſecretum petenti denegavit, niſi ut interveniret Macro præfectus. Ac per iſtiuſmodi indignitates & tædia, cauſſa exſtitit mortis: dato tamen, ut quidem putant, & veneno. Nec defunctæ ullum honorem habuit: proſpexitque e triclinio ardentem rogum. Fratrem Tiberum inopinantem, repente immiſſo tribuno militum, interemit. Silanum item ſocerum ad necem, ſecandaſque novacula

eas, ſic ut eædem videantur eſſe: & plane ſunt. τὸ ποικίλον illis tribuit nigris albiſque plumis alternatum, ita ut rotundis maculis albis, rhombi nigri diſtincti ſint. Multæ gallinæ noſtræ Indicæ hoc modo varias habent plumas, quædam ex iis abſque notabili varietate totæ nigræ ſunt. Reliqua deſcriptionis ferme conveniunt *Indicas* igitur vocamus, non quod ex India primum advectæ ſint (nam in Bœotia & Græcia paſſim naſcuntur) ſed quia, quidquid ad nos tranſmarinum adfertur, *Indicum* vulgo appellamus. IDEM.

Ἐις γαῖαν Δαναῶν περάω σε.] Ita omnino Palatinus tertius, ſed quatuor litteris minus αῖαν Δαν. at enim primus ac ſecundus videntur magis accedere ad ſcripturam, quam e Dione promſit optimus Turnebus: ἤ μ' ἀνάειρ' ἢ ἐγώ σε. ſatis enim aperte comparent omnia earum litterarum veſtigia. expreſſerunt enim tanquam duplex AA. litteram M. ut liqueat fuiſſe majuſculam M. ſcriptaque omnia tali characterum genere. GRUTER.

TORRENT.

23. *Ex inceſto quod Aug.*] An ergo ea exſilii Naſonis cauſa? *Cur aliquid vidi? cur noxia lumina feci?* *Inceſtum* autem (ut non male Iſidorus) propter illicitam conjunctionem vocatur, quaſi *incaſtum*, cum ea quam quis jure ducere prohibetur.

Actiacas ſingulaſque.] Facile Beroaldo aſſentior *Siculaſque* legenti.

Ulyſſem ſtolatum.] Quod muliebri ſpecie virum, & quidem aſtutiſſimum ac fallaciſſimum, tegeret. ſtola enim matronarum eſt. Non abſimile, quod de Zenone Epicureo ſcribit Cic. lib. 1. de Nat. Deorum, *Socratem ipſum, parentem philoſophiæ, Latino verbo utens, ſcurram Atticum fuiſſe dicebat.*

Decurione Fundano.] Sueton. Tib. cap. v. natum eum Fundis multos credidiſſe ſcribit, quod avia ipſius materna, hoc eſt, Liviæ mater, Fundana fuerit, Aufidii Lingonis, ut ex hoc loco colligimus, filia. Et ſane gentem Aufidiam Fundanam fuiſſe, docet nos ille Horatii ex Sat. v. lib. 1. verſus:

Fundos Aufidio Luſco prætore libenter
Liquimus.

Aufidium Lingonem.] Sic Gryphii editio, & MSS. duo. Frobenii vero, & meliores MSS. *Lurconem.* Utrumque autem Aufidiorum cognomen fuit, Lurco, & Lingo, uti & Oreſtes, (Faſti Capitolin. & Varro lib. III. de Re Ruſtica) & Luſcus apud Horatium, niſi more ſuo eum ridens ſic vocaverit, cum vere luſcus eſſet.

Secretum petenti.] Sic Tib. cap. XXV. & Plin. lib. I. Epiſt. V. *Illic me perſecutus ſecretum petit.* Horat. lib. II. Sat. I.

Quin ubi ſe a vulgo, & ſcena in ſecreta remorant.

Paulo aliter Sueton. Claud. cap. X. *ſecretum eo deſiderante*, cum omnino ſolus eſſe vellet.

Fratrem Tiberium.] Vide ſup. cap. XIII.

Silanum item ſocerum.] De Silano etiam ſup. cap. XII. Sed plura Dion. Cajus eum pecudem auream vocabat.

CASAUBON.

23. *Liviam Auguſtam proaviam.*] Fortaſſe an *Juliam Auguſtam proav.* vide ad libri ſuperioris caput ultimum. Philo Ἰυλίαν Σεβαστὴν προμάμμην.

Aufidium Lingonem.] Omnino *Lurconem* ſcribendum: nam in Viterbienſi, Pithœi & Groſlotii, *Lyrgonem* offendi.

Repente immiſſo tribuno militum interemit.] Longe aliter Philo, cujus narratio plane miſerabilis. mandatu Caji tribunos & centuriones quoſdam veniſſe ad adoleſcentulum Tiberium: juſſiſſe, ut ſe ipſe interficeret: neque enim fas eſſe, ut ſoboles Imperatoria per alium tolleretur. illum, qui neminem adhuc occidi

vacula fauces, compulit: cauſſatus in utroque, quod hic ingreſſum ſe turbatius mare non eſſet ſecutus, ac ſpe occupandi urbem, ſi quid ſibi per tempeſtates accideret, remanſiſſet: ille antidotum oboluiſſet, quaſi ad præcavenda venena ſua ſumptum: cum & Silanus impatientiam nauſeæ vitaſſet & moleſtiam navigandi, & Tiberius propter aſſiduam & ingraveſcentem tuſſim medicamento uſus eſſet. Nam Claudium patruum non niſi in ludibrium reſervavit. Cum omnibus ſororibus ſuis ſtupri conſuetudinem fecit: plenoque 24 convivio ſingulas infra ſe viciſſim collocabat, uxore ſupra cubante. Ex his Druſillam vitiaſſe virginem, prætextatus adhuc, creditur. Atque etiam in concubitu ejus quondam deprehenſus ab avia Antonia, apud quam ſimul educabantur. Mox Lucio Caſſio Longino conſulari collocatam abduxit, & in modum juſtæ uxoris propalam habuit. Heredem quoque bonorum atque imperii æger inſtituit. Eadem defuncta, juſtitium indixit: in quo riſiſſe, laviſſe, cœnaſſe cum parentibus, aut conjuge, liberiſve, capitale fuit. Ac mæroris impatiens, cum repente noctuque profugiſſet ab urbe, tranſcurriſſetque Campaniam, Syracuſas petiit. Rurſuſque inde propere rediit, barba capilloque promiſſo. Nec umquam poſtea quantiſcumque de rebus, ne pro concione quidem populi, aut

occidi vidiſſet, & in ſumma rerum imperitia propter ætatem verſaretur, primo ab iis qui venerant petiiſſe, ut ſibi aliquis cervices quas protenderet, amputaret: dein cum irritæ ejus preces eſſent, oraſſe ut ſe docerent, qua corporis parte ferrum immitteret, ut quam citiſſime moreretur. Ita edoctum ab iis ſe occidiſſe.

TORRENT.

Antidotum oboluiſſet.] Libri duo *oboleviſſet*, unus *obſoleviſſet*. Sueton. Veſpaſ. cap. VI. *Maluiſſem allium oboluiſſes.*

Nam ſucceſſorem Imp. Claudium.] Tres libri optimi *Nam Claudium*, expuncto *ſucceſſorem Imperii*.

24. *Infra ſe.*] De ſedendi, ſeu accumbendi ordine in conviviis multa notavi ad Horat. lib. II. Sat. VIII.

Nomentanus erat ſuper ipſum.

Cic. Epiſt. ad Pætum, *infra Eutrapelum Citharis accubuit.*

L. Caſſio Longino.] An hic ille Caſſius Longinus, quem poſtea, proconſulem Aſiæ, occidendum delegavit? Porro Caſſio huic Longino Druſillam Tiberius deſponderat, ut M. Vinicio Livillam, Agrippinam vero Cn. Domitio, quos Tiberii progeneros vocat Tacit. lib. V. Annal. Ablatam vero a Caſſio Cajus, ac tantum non uxoris loco habitam M. Lepido, cum quo mutuam ſtupri conſuetudinem habebat, poſtea tradidit, in eoque matrimonio defunctæ publicam ſepultura tribuit. Sic Dion lib. LIX. quem vide, nec non Senecam Conſolat. ad Polybium cap. XXXVI.

CASAUBON.

24. *Cum omnibus ſororibus ſuis ſtupri conſuetudinem fecit.*] Omiſit, quod maxime eſt horrendum. Eutropius: *Stupra tribus ſororibus ſuis intulit: ex una etiam natam filiam cognovit.*

Eadem defuncta juſtitium indixit.] Meminit obiter Philo, *τὰ ἐργαστήρια τῶν Ἰουδαίων συγκεκλεισμένα διὰ τὸ ἐπὶ Δρουσίλλῃ πένθος ἀναῤῥήξαντες.*

In quo riſiſſe, laviſſe, cœnaſſe cum parentibus aut conjuge liberiſve capitale fuit.] Eleganter Dio conditionem illorum temporum paucis explicat: alios enim fuiſſe accuſatos, quod eam non lugerent, *ὡς ἄνθρωπον*, quum eſſet homo: alios, quod lugerent, *ὡς θεὸν*, quum eſſet dea. Deinde exemplum ſubjicit: impietatis arceſſitum fuiſſe, & periiſſe, qui calidam vendidiſſet. Scribendum autem *capital*, non *capitale* ut in codd. Liſſ. & Pithœi.

Rurſuſque inde propere rediit, barba capilloque promiſſo.] Seneca conſolatione ad Polybium cap. XXXVI. *Idem ille Cajus furioſa inconſtantia, modo barbam capillumque ſubmittens, modo Italiæ ac Siciliæ oras errabundus permetiens, & nunquam ſatis certus, utrum lugeri vellet, an coli ſororem.*

VARIOR.

24. *Singulas infra ſe.*] Sorores infra ſe, id eſt, in ſinu collocabat, quaſi juſtas uxores: legitima conſorte loco pulſa. Non aliud Cicero ſignificat in Epiſtola quadam hilariore: *Infra Eutrapelum Cytharis accubuit.* LIPSIUS. Uxori ſupra ſe cubanti locum dabat ut digniori digniorem. Sorores ſuas, quas unice diligebat & plus quam frater ſororem debeat, infra ſe ponebat. Excepto conſulari loco, qui infimus ultimuſque fuit medii lecti: ſummus locus in unoquoque lecto ſemper honoratiſſimus habitus Romanis. Ideo miratur Plutarchus, cur honor & dignitas præcipua data illi conſulari loco apud priſcos fuerit, qui nec medius erat, nec ſummus. Qui ſoli duo loci videri poterant maxime honorem primatus mereri. Rationes hujus rei plures adfert. SALMASIUS.

Capitale fuit.] Codex Salmaſ. *capital fuit*, ut fere ſemper meliores ſcriptores. Idem mox: *tranſcucurriſſetque.*

TOR-

aut apud milites, niſi *per numen Druſillæ* dejeravit. Reliquas ſorores nec cupiditate tanta nec dignatione dilexit: ut quas ſæpe exoletis ſuis proſtraverit. Quo facilius eas in cauſſa Æmilii Lepidi condemnavit, quaſi adulteras, & inſidiarum adverſus ſe conſcias. Nec ſolum chirographa omnium requiſita fraude ac ſtupro divulgavit, ſed & tres gladios in necem ſuam præparatos Marti ultori, addito elogio, conſecravit. Matrimonia contraxerit turpius, an dimiſerit, an tenuerit, non eſt facile diſcernere. Liviam Oreſtillam C. Piſoni nubentem, cum ad officium & ipſe veniſſet, ad ſe deduci imperavit, intraque paucos dies repudiatam biennio poſt relegavit: quod repetiſſe uſum prioris mariti tempore medio videbatur. Alii tradunt, adhibitum cœnæ nuptiali mandaſſe ad

TORRENT.

Por nomen Druſillæ dejeravit.] Non male qui *per numen* legendum putent. nam præterquam quod divinis eam ubique honoribus coli Cajus juſſit, ac Veneri exæquavit, Pantheam vocatam fuiſſe ſcribit Dion, imperatumque mulieribus, ut eam, tanquam Junonem ſcilicet, in poſterum jurarent.

In cauſa Æmilii Lepidi.] Druſillæ antea mariti, quem honoribus Cajus extulerat. Vide Dionem lib. LIX. & Joſephum Antiquit. XIX. Lepidi vero hujus ſtemma (quod Suetonium illuſtrat) recte expoſitum Lipſio ad XIV. Annal. Tacit. quem ſuadeo legas.

Addito elogio.] *Elogium* frequens etiam Ciceroni verbum, nihil aliud quam certa quædam vel ad laudem, vel ad vituperationem teſtificatio eſt, atque adeo cauſa ipſa, quare quid fiat. Hoc ergo eſt, quod *elogium* additum a Cajo narrat Sueton. cauſam ſcilicet ob quam ſorores damnaſſet. id enim ſolenne erat Romæ, & quidem ut vel titulus damnatis præferretur, ut inf. cap. XXXII. vel præconis voce pronunciaretur, quare plecterentur. Exempla ſæpe obvia, ut hic, & Domit. cap. X. & apud Spartianum Severo: *Fuſtibus eum ſub elogio præconis cæcidit, Legatum P. R. homo plebejus temere amplecti noli.* & Lamprid. Alexandro: *In foro tranſitorio ad ſtipitem illum ligari præcepit, & fumo appoſito, quem ex ſtipulis, & humidis lignis fieri juſſerat, necavit, præcone dicente, Fumo punitur, qui fumum vendidit.* Adde l. XVI. Cod. *Quibus ex cauſis inf. irrog.* Et ſic intellige Horatii locum Epod. VI. *Sectus flagellis hic triumviralibus præconis ad faſtidium,* ut ibi dicemus. Quos vero *gladios* hic Sueton. ξιφίδια vocat Dion. Tres autem ideo conſecravit, quod trium hominum, Lepidi ſcilicet, & duarum ſororum ſuarum, inſidias effugerat.

CASAUBON.

Per numen Druſillæ.] Ita Memmianus, Viterb. Pithœi & Groſlotii, non *nomen.*

In cauſſa Æmilii Lipidi.] Faciunt ad hujus loci lucem, quæ de hoc Lepido obſervat Lipſius ad librum Tacit. XIV.

Tres gladios in necem ſuam præparatos Marti Ultori, addito elogio, conſecravit.] Ex veteri more, quo gladios deſtinatos inſigni alicui facinori, aut per quos aliquid memorabile patratum eſſet, conſecrabant. In Vitellio cap. X. *pugionem, quo ſe Otho occiderat, in Agrippinenſem coloniam miſit Marti dedicandum.* Lucianus in Tyrannicida: Οὐκ ἂν τὸ ξίφος ἐν τοῖς ἱεροῖς ἀνεθήκατε; οὐκ ἂν μετὰ μὲν τῶν θεῶν ἐκεῖνο προσεκυνήσατε; Quod ait de *addito elogio*, intelligit titulum adjectum, ut fere ſemper fieri ſolitum in rebus conſecrandis. *Elogium* eſt omnis brevis ſcriptio, ut πιττάκιον, notoria, titulus ſtatuæ, aut quicunque alius, & id genus omnia, ut libro primo docuimus. Nec ſatis recte docti viri, quia *elogium* ſæpe vocatur titulus puniendorum, propterea in ea ſignificatione hanc vocem iſto loco acceperunt.

VARIOR.

Per numen Druſillæ.] Urbes per omnes divinis eam coli honoribus juſſit. nec defuit ſenatorii ordinis vir, qui juraret ſe eam vidiſſe in cœlum adſcendentem: ac hoc juramento, uti prior ille, qui ſimiliter de Auguſto jurabat, vel potius pejerabat, decies ſeſtertium meruit, ut auctor Dio in LIX. ex quo etiam cognoſcimus, eam habitu Veneris, cognomine Pantheæ, conſecratam. facile Lipſio aſſenſero, eodem referenti veterem hanc inſcriptionem: VENERI. COELESTI. AUGUSTÆ. SACR. MUMMIA. C. F. DORCAS. S. P. F. C. *Voſſius.*

In cauſſa Æmilii Lepidi.] Agrippinam *puellaribus annis ſtuprum cum Lepido ſpe dominationis admiſiſſe,* dicit Tacitus Ann. XIV. Rutilius in Itinerario, de quatuor Lepidis:

Quartus Cæſareo dum vult irrepere regno,
Inceſti pœnam ſolvit adulterii.

Cur inceſtum ejus adulterium cum Agrippina & Livia? Ideo quia maritus Druſillæ Lepidus, & cum Agrippina etiam ſanguine junctus. Credo enim hunc Lepidum natum ex Æmilio Paullo & Julia nepte Auguſti. At Julia ſoror Agrippinæ, quæ mater Caji, & ſororum. Hinc clarum, cur Cajus ſucceſſorem illum imperii deſtinaverit, & quinquennio maturius, quam per leges liceret, magiſtratum capere voluerit: quod Dio tradidit lib. LIX. Erat enim ſanguinis gentiſque Auguſtæ, pari cum Caligula gradu. LIPSIUS.

TOR-

ad Piſonem, contra accumbentem, *Noli uxorem meam premere:* ſtatimque e convivio abduxiſſe eam ſecum, & proximo die edixiſſe, MATRIMONIUM SIBI REPERTUM EXEMPLO ROMULI ET AUGUSTI. Lolliam Paullinam, C. Memmio conſulari, exercitus regenti, nuptam, facta mentione aviæ ejus, ut quondam pulcherrimæ, ſubito ex provincia evocavit, ac perductam a marito conjunxit ſibi, brevique miſſam fecit, interdicto cujuſquam in perpetuum coitu. Cæſoniam neque facie inſigni, neque ætate integra, matremque jam ex alio viro trium filiarum, ſed luxuriæ ac laſciviæ perditæ, & ardentius & conſtantius amavit: ut ſæpe chlamyde peltaque & galea ornatam, & juxta adequitantem, militibus oſtenderit: amicis vero etiam nudam. Quam enixam uxorio nomine dignatus eſt, uno atque eodem die profeſſus, & maritum ſe ejus, & patrem infantis ex ea natæ. Infantem autem Juliam Druſillam appellatam, per omnium dearum templa circumferens, Minervæ gremio impoſuit, alendamque & inſtituendam commendavit. Nec ullo firmiore indicio ſui ſeminis eſſe credebat, quam ferita-

TORRENT.

25. *Uxorem meam premere.*] Plautus Aſin. Act. IV. Scen. I. *Neque illac ulli pede pedem homini premat.*

Abduxiſſe eam ſecum.] Liber opt. *abduxiſſe cum hac.* Lego igitur, *abduxiſſe ſe cum hac*, aut *abduxiſſe ſecum, ac proximo*, &c.

Romuli & Auguſti.] De Romulo res nota, de Auguſto cap. LXII.

Lolliam Paullinam.] M. Lollii de Tib. cap. XIII. neptem. Vide Plinium lib. IX. cap. XXXV. Suetonium Claud. cap. XXVI.

C. Memmio.] Libb. tres, *C. Memmii, conſularis, exercitus regentis nuptam.* De hoc Euſeb. Chron. *Cajus Memmii Reguli duxit uxorem, impellens eum, ut uxoris ſuæ patrem eſſe ſe ſcriberet.* Atque hic quidem C. Memmius Regulus, rebus Tiberii impenſe favens, eo anno conſul fuit, quo Sejanus occiſus eſt. Dion.

Cæſoniam.] Hanc octavo menſe natam ſcribit Plin. lib. VII. cap. V.

Chlamyde peltaque & gladio comatam.] Sic quidem etiam Gryphius, ſed Frobenius, & MSS. duo, *armatam*, alii *ornatam.* An comatam forte Amazonum ritu dixit? An vero *comptam* legendum? Chlamydem autem intertextam auro etiam Agrippina induerat, quo tempore Claudius celebrem illam naumachiam in veſte militari edidit. Dion, & Plin. lib. XXXIII. cap. III.

Amicis vero etiam nudam.] Libb. MSS. omnes *amicis nudam etiam*, ſine *vero.*

Uxorio nomine dignatus eſt.] Verba hæc in libro opt. deſiderantur. Dion narrat adulterio ei prius fuiſſe cognitam, gravidamque duxiſſe, ut trigeſimo die pareret. Quare nihil hic muto.

Minervæ gremio.] Joſeph. ſcribit perinde ac ſibi cum Jove communem, ſimulacri ejus genibus impoſuiſſe.

Quam feritatis.] Mallem *feritate*, ut in optimo codice.

CASAUBON.

25. *Lolliam Paulinam C. Memmio conſulari, exercitus regenti, nuptam.*] Euſebius in Chronico numero MMLVI. *Cajus Memmii Reguli uxorem duxit, impellens eum, ut uxoris ſuæ patrem eſſe ſe ſcriberet.* Ait Euſebius, *ſcriberet*, nempe in dotali inſtrumento. nam ut omnia acta legitime viderentur, omnia ſolennia ſunt ſervata. maritus igitur pro patre fuit, qui eam Cajo deſponſavit, dotem dixit, & ad novum maritum perduxit. auctor Dio. hinc intelligimus Suetonii ſequentia verba, *perductam a marito conjunxit ſibi.*

VARIOR.

25. *Ac perductam a marito conjunxit ſibi.*] Quemadmodum Auguſtus uxorem Liviam a priore viro Nerone abducens eam tanquam a patre traditam accepit, ita etiam Caligula Lolliam Paulinam a Memmio accipiens, coegit eum ſeſe illius patrem profiteri, & dotem dicere. Hinc Euſebius num. MMLVI. *Impellens eum, ut uxoris patrem eſſe ſe diceret.* De Nerone Liviam Octaviano tradente Dio: ἐξέδωκε δὲ αὐτὴν αὐτὸς ὁ ἀνὴρ, ὥσπερ τις πατήρ. De Memmio idem: διαλιπὼν ὀλίγας ἡμέρας ἔγημε Λολλίαν Παυλῖναν, αὐτὸν τὸν ἄνδρα αὐτῆς Μέμμιον Ῥηγοῦλον ἐγγυῆσαι οἱ τὴν γυναῖκα ἀναγκάσας, μὴ καὶ ἀνέγγυον αὐτὴν παρὰ τοὺς νόμους λάβῃ. Non poterat eam ducere niſi deſponſatam, deſponſare autem patris eſt. Patrem igitur maritum ſeſe dicere coegit. JOS. SCALIGER.

Quam enixam uxorio nomine dignatus eſt.] Palatini hic turbas dant. Nam primus: *Quam omnium uxorio nomine dignatus eſt enixam.* Secundus: *uxorio nomine dignatus eſt quam enixam.* nec ſecus tertius. Suſpicor reſcribendum: *quam primum uxorio nomine dignatus eſt enixam.* GRUTERUS. Salmaſianus codex ſuffragatur ſecundo & tertio Palatino.

feritatis: quæ illi quoque tanta jam tunc erat, ui infeſtis digitis, ora & oculos ſimul
26 ludentium infantium inceſſeret. Leve ac frigidum ſit his addere, quo propinquos amicoſque pacto tractaverit, Ptolemæum regis Jubæ filium, conſobrinum ſuum (erat enim & is M. Antonii ex Selene filia nepos) & in primis ipſum Macronem, ipſam Enniam, adjutores imperii, quibus omnibus pro neceſſitudinis jure, proque meritorum gratia cruenta mors perſoluta eſt. Nihilo reverentior leniorve erga ſenatum: quoſdam ſummis honoribus functos, ad eſſedum ſibi occurrere togatos per aliquot paſſuum milia, & cœnanti, modo ad pluteum, modo ad pedes ſtare ſuccinctos linteo, paſſus eſt: alios cum

Torrent.

26. *Ex Selena filia.*] Sic etiam edit. Germanica, & mss. duo. Alii *ex Helena*, vel *Helene*, ſed male. rex Juba enim, Jubæ, quem Cæſar dictator vicit, filius, ex Cleopatra Antonii III-viri & Cleopatræ Ægypti reginæ filia, hunc de quo Sueton. Ptolemæum filium genuit. Cleopatram vero Selenam appellat Sueton. indito a matre cognomine. Quæ cum ſe Lunam & Iſidem, ut Antonius Bacchum ſe atque Oſirim, nominaſſet, filio etiam Alexandro & Cleopatræ filiæ, Solis ac Lunæ nomen dedit. Cleopatram vero vocant Dion lib. LI. & Plutarch. Antonio, ac nummus argenteus Jubæ junioris, ejuſ-



que uxoris, quem, una cum duobus aliis huc ſpectantibus allatum ex Africa, & ab Alvaro Nunnio, viro pari comitate ac doctrina, mihi donatum, memoriæ cauſa his commentariis imprimi curavi. Porro quod Ptolemæum Caji *conſobrinum* vocat Sueton. cum Cajus Antonii pronepos fuerit, Ptolemæus nepos, hic nempe ex ejus filia Cleopatra, ille ex nepote Germanico, Antoniæ junioris filio, natus, larga vocabuli ejus ſignificatione accipiendum eſt, cum ne apud JCtos quidem *conſobrini* ſemper duarum ſororum filios ſignificent, ſed etiam ulteriore gradu. Simile aliquid ex Tacito inf. Ner. cap. V. Ptolemæi hujus meminit etiam Seneca de Tranquill. vitæ cap. XI.

Sibi occurrere.] Liber opt. *currere.* quod magis placet.

Ad pluteum.] Quod *pluteum* Sueton. *lecti frontem* (ni fallor) appellat Juvenal. Sat. XI.

Sed nudo latere, & parvis frons ærea lectis
Vile coronati caput oſtendebat aſelli.

Feſtus generaliter *pluteos* vocari tradit tabulas, quibus aliquid præſepitur. Quo ſenſu *pluteum lecti cubicularis* accipio apud Martialem lib. III. Epigr. XLIX.

Ad pedes.] Ad pedes ſtare ſolitos convivii miniſtros oſtendit Seneca lib. III. de Beneficiis cap. XXVII. *Servus, qui cœnanti ad pedes ſteterat.* Sueton. Galb. cap. XXII. *ad pedes ſtantibus.*

Casaubon.

26. *Quoſdam ſummis honoribus functos, ad eſſedum ſibi occurrere togatos per aliquot paſſuum millia.*] Scribo *accurrere.* Id enim ſignificat, quod Græci verbo παραθέειν, ut Plutarchus in Lucullo de Tigrane: Βασιλεῖς δὲ πολλοὶ μὲν ἦσαν οἱ θεραπεύοντες αὐτὸν· τέσσαρες δὲ οὓς ἀεὶ περὶ αὐτὸν εἶχεν ὥσπερ ὀπαδοὺς ἢ δορυφόρους, ἱππότῃ ἐλαύνοντι πεζοὺς παραθέοντας ἐν χιτωνίσκοις. Appianus pro eo dixit παρατροχάζειν III. Bellorum civil. & in Syriacis. Lucianus παρέπεσθαι τῷ φορείῳ. Eutropius lib. IX. *Pulſus Galerius & ad Diocletianum profectus, quum ei in itinere occurriſſet, tanta inſolentia a Diocletiano fertur exceptus, ut per aliquot paſſuum millia purpuratus tradatur ad vehiculum cucurriſſe.* Juvenalis eundem morem tangit Satyra X.

- - - Hinc præcedentia longi
Agminis officia, & niveos ad frena Quirites.

Vide Suetonium lib. VII. in Galba, cap. VI. erant vero alii, qui præcederent: de quibus alibi notavimus.

Ad pedes ſtare ſuccinctos linteo.] Et in ſacris popæ, &

cum clam interemiſſet, citare nihilo minus ut vivos perſeveravit, paucos poſt dies voluntaria morte periiſſe mentitus. COSS. oblitis de natali ſuo edicere, abrogavit magiſtratum, fuitque per triduum ſine ſumma poteſtate Reſpubl. Quæſtorem ſuum in conjuratione nominatum flagellavit veſte detracta, ſubjectaque militum pedibus, quo firme verberaturi inſiſterent. Simili ſuperbia violentiaque ceteros tractavit ordines. Inquietatus fremitu gratuita in Circo loca de media nocte occupantium, omnes fuſtibus abegit. Eliſi per eum tumultum viginti amplius equites Romani, totidem matronæ, ſuper innumeram turbam ceteram. Scenicis ludis, inter plebem & equitem cauſſam diſcordiarum ſerens, decimas maturius dabat, ut equeſtria ab infimo quoque occuparentur. Gla-

& in privatis epulis ita miniſtrabant coqui & alia vilia capita.

VARIOR.

26. *Et cœnanti modo ad pluteum.*] Iſidorus: *Sponda exterior pars lecti, pluteus autem interior:* ſic lectos in cubiculo collocabant veteres, ut parieti propius admoverentur, nec in medio eſſent poſiti, quod etiam hodieque ſolemus. Illa pars quæ parietem ſpectabat, & pluteo muniebatur, interior ſponda vocabatur. ad pluteum mulieres cubabant, viri autem in priore ſponda. In lectis tricliniaribus non minus quam in cubicularibus ſpondæ ac plutei dicebantur, ſed contrario modo: nam ſponda pars interior lecti tricliniaris appellabatur, & quæ menſæ admovebatur: exterior vero pluteus. ideo puellæ & pueri qui in deliciis, interiores accumbere dicebantur, cum in gremio amatorum ſuorum jacerent, nec pluteum tangerent. Scipio Africanus de Sulpicio Galbo: *Qui in conviviis adoleſcentulus cum amatore, cum chiridota tunica interior accubuerit.* SALMASIUS.

Stare ſuccinctos linteo paſſus eſt.] In modum ſcilicet atrienſis & miniſtratoris: falluntur enim, qui ad hunc locum notarunt, coquos & vilia tantum miniſteria hoc habitu miniſtraſſe. Græci *σινδόνας* ejuſmodi lintea vocant, erantque cirrata: ideo *δίκροσσα* vocabantur. Pollux: *Σινδὼν ἐστιν Αἰγυπτία μὲν, περιβόλαιον δ᾽ ἂν εἴη τὸ νῦν δίκροσσον καλούμενον.* ea plane tunica eſt linteo Peluſio diſtricta cirris dependentibus, qua atrienſis ille ſuccinctus apud Phædrum:

Ex alticinctis unus atrienſibus,
Cui tunica ab humeris linteo Peluſio
Erat diſtricta, cirris dependentibus.

Cirri autem ſunt fimbriæ, *κροσσοὶ* Græcis: unde *κροσσωταὶ* veſtes fimbriatæ, vel cirratæ. SALMASIUS.

TORRENT.

Quæſtorem ſuum.] Bethenum Baſſum, ſeu (ut ego legendum exiſtimo) Bæbium Baſſum vocat Seneca lib. III. de Ira cap. XVIII.

Eliſique.] Duo codd. *Eliſi*, ſine *que*.

Decimas maturius dabat.] Quid hoc loco ſint *decimæ*, non ſatis ſcio. Ipſa quidem ſententia exigit, ut credamus fuiſſe aliquid, quod plebi tantum, non etiam equiti dabatur, ſed vocabuli rationem ignoro. Niſi forte ſuſpicemur certum fuiſſe teſſerarum genus, quod ita appellaretur. nam Dion gymnicis eum ludis ſparſiſſe teſſeras in vulgus ſcribit, quas qui accepiſſent, multis donis afficerentur. Quæ vero Turneb. in hunc locum commentatus eſt Adverſar. XVIII. cap. V. non ſatis placent, minus quæ interpretes, etiam Glareanus.

Equeſtria.] Sic *popularia* Domit. cap. IV. Seneca etiam *Equeſtre* vocat. de Benef. VII. cap. XII. Vide Ner. cap. XI.

CASAUBON.

Fuitque per triduum ſine ſumma poteſtate Reſp.] Notatu dignum, conſules etiam ſub Imperatoribus vocari ſummam poteſtatem: etſi certum eſt, imaginem tantum veteris potentiæ eos retinuiſſe. manſit tamen id decus nomini conſulum uſque ad ultimos ferè Imperatores. Jordanus de Rebus Gothicis: *Factuſque eſt conſul ordinarius, quod ſummum bonum, primumque in mundo decus edicitur.* Similia his apud Caſſiodorum. Sed non prætermittendus S. Patris Chryſoſtomi locus in hanc rem eximius, in x. Homil. ſuper epiſt. ad Hebr. *Τί γάρ*, ait, *εἰπέ μοι. μέγα νομίζεις; ποῖον ἡγῆ μέγα ἀξίωμα εἶναι, τὸ τοῦ ὑπάτου; οὐδὲν γὰρ τούτου τοῦ ἀξιώματος μεῖζον νομίζουσιν οἱ πολλοί.* dignitatem conſularem ſtatuit ſupra omnes alias privatorum, nulla excepta. Simillimum eſt, quod apud Procopium legimus Perſicorum lib. I. de illo infelici Johanne, quem vocat *ἄνδρα ἐς τῶν ὑπάτων ἀναβεβηκότα τὸν δίφρον. οὗ μεῖζον εἶναι οὐδὲν ἔν γε τῇ Ῥωμαίων πολιτείᾳ δοκεῖ.* Conſulatu, inquit, major dignitas in Romana repub. ſive imperio nulla eſſe exiſtimatur.

Cauſſam diſcordiarum ſerens.] Joſephus de miſſilibus a Cajo ſparſis loquens, *ὁ Γάϊος ἡδονῇ τὰς περὶ αὐτῆς ἐθεώρει μάχας καὶ διαρπαγὰς, οἰκειουμένων αὐτὰ τῶν θεωρῶν.* De his pugnis propter miſſilia Seneca epiſtola LXXIV. *Prudentiſſimus quiſque, cum primum induci videt munuſcula, a theatro fugit, & ſcit magno parva conſtare.*

Decimas maturius dabat, ut equeſtria ab infimo quoque

Gladiatorio munere, reductis interdum flagrantiſſimo Sole velis, emitti quemquam vetabat: remotoque ordinario apparatu, rabidis feris viliſſimos ſenio confectos, gladiatores

quoque occuparentur.] Quænam iſtæ decimæ ſint, & quæſiverunt ante nos eruditiſſimi viri, & nos quoque ea cura non leviter habuit exercitos. Fruſtra: nihil enim comminiſci poſſum, quod hunc mihi locum ſatis explicet. An fuit hoc aliquod tributi nomen, quod Gajus in hos uſus ſoleret vertere, ut propterea vocentur *decimæ* miſſilia, quæ ex decimis eſſent comparata? Sane etiam privati fuit moris, decimas bonorum ſuorum interdum aut Herculi pollucere, aut in ſimiles alios uſus impendere. Cicero de Offic. lib. II. *Oreſti nuper prandia in ſemitis decimæ nomine, magno honori fuerunt.* An ſcenici ludi aliqui ad honorem Herculis pertinuerunt, & ideo datæ eo tempore decimæ pollućtarum hæreditatum? Sed verius puto locum eſſe corruptum. Lego autem, *inter plebem & equitem, cauſſam diſcordiarum ſerens, teſſeras decima maturius dabat.* Videtur vox *teſſeras* initio confuſa fuiſſe cum præcedenti voce *ſerens*, propter aliquam ſoni ſimilitudinem: deinde omiſſa ab iis, qui locum voluerunt emendare: unde poſtea ſecuta depravatio vocis *decimas* pro *decima*. Sententia quam reſtituimus, appoſitiſſima eſt, ac, ut puto, vera: nam teſſeræ aliaque miſſilia non ante finitos ludos ſpargebantur. Ludis totum diem ad decimam uſque fuiſſe occupatum, & per ſe probabile in illo tanto furore veterum circa ludos, & inſuper probamus auctoritate Sueton. l. VI. c. XXI. *Utque conſtitit peracto principio, Nioben ſe cantaturum per Clinium Rufum conſularem pronuntiavit, & in horam fere decimam perſeveravit.* Sic Paulus Juriſconſultus tempus, quo res aguntur in foro, ad decimam uſque producit. Non collegiſſe autem ſparſa miſſilia ſolos plebejos, ſed etiam equites ac ſenatorii ordinis viros, docet Tranq. clare in Domit. cap. IV. qui locus cum iſto conferendus. Atque hæc quidem noſtra eſt ſuper iſtis verbis vetus ſententia: cujus cur nos pœniteat, ne nunc quidem cauſſam videmus ullam. etſi non neſcimus repertos eſſe, qui vehemens ſtudium noſtrum bene merendi de literis ſecius interpretarentur, & conjecturam iſtam noſtram ἀπειροκάλως exciperent. At contra reperti ſunt alii, qui emendationes a nobis propoſitas ſic probarent, ut eas, leviter ſolum mutatis ſignis, pro ſuis venditarent.

TORRENT.

Emitti quemquam.] Lib. unus *amicti*, & ſuperſcriptum *amiciri.* ne quis ſcilicet adverſus ſolem ſeſe tegeret. umbellis enim uti ſolebant, quod ex Martiale diſcimus lib. XIV. Epig. XXVIII. Et tale aliquid facere potuit Cajus, cum totus inſaniret. initio vero Principatus (ut Dion tradidit) & diſcalceatos ſpectare permiſit, & adverſus ſolem uſum pileorum Theſſalicorum conceſſit. Quin & ſenatoribus, qui nudis antea aſſeribus ſedebant, pulvinos ſubjecit. Quare vulgatam lectionem retineo.

Rabidis feris.] Locus haud dubie mendoſus. Quem adjuvantibus optimæ fidei exemplaribus, unius tantum voculæ tranſpoſitione ſic puto poſſe reſtitui, *tabidas feras, viliſſimos, ſenioque confectos gladiatores, pegmatis quoque patres familias notos, & inſignes debilitate aliqua corporis, ſubjiciebat.* Quorum verborum ſententia eſt, retentis medio æſtu ſpectatoribus, nihil eum quod eximium eſſet, exhibuiſſe; ſed tabidas in venatione feras, in munere gladiatorio gladiatores viliſſimos, aut ſenio jam confectos: pegmata quoque non, quæ a ſervis publicis ad hoc idoneis geſtarentur, ſed a notis e populo, iiſque infirmis ac debilibus. Ut *pegmatis* dandi caſu poſitum ſit. nam *pegmares* non video qui Latinum ſit, aut a *pegmate* deduci poſſit, & plures libri *pegmatos* habent, unus *pegmatis.* Poſſumus etiam ſic interpretari, ut ex pegmate non ingenui ac ſpecioſi pueri exſurgerent, quemadmodum fieri conſueverat, ſed turpes atque informes viri. Juvenal. Sat. IV.

> - - - *ſic pugnas Cilicis ſpectabat & ictus,*
> *Et pegma, & pueros inde ab velaria raptos.*

Illud vero, *tabidas feras*, in duobus opt. MSS. repperi.

CASAUBON.

Rabidis feris viliſſimos ſenio confectos.] Diſtinguendum, *viliſſimos, ſenio confectos,* ut in Viterb. pro viliſſimos quoſque homines, & propter ſenium inutiles. Quantum fallatur Torrentius in emendando hoc loco, quæ mox dicemus, arguent. & clamat Dio, qui ait: τοῖς θηρίοις. Quare neque *rabidas feras* neque *tabidas*, ut illi placet, ferre poſſumus.

VARIOR.

Rabidis feris viliſſimos.] Hunc locum præclare Torrentius reſtituit, niſi quod hæſit in vocabulo *pegmares*, de quo Caſaubonus audiendus. Cui quod reliquum (uti nec Lipſio) non probarit Torrentius, in cauſa fuit, quod viri ſummi non conſiderarunt ſatis, quid eſſet τὸ *ſubjiciebat.* Id enim ita hic accipiendum, ut in Julio cap. 48. *piſtorem alium quam ſibi panem convivis ſubjicientem.* Tiberio 25. *inter pontifices ſacrificanti ſimul pro ſeceſpita plumbeum cultrum ſubjiciendum curavit.* Juſtinus lib. I. *proſtratoque Smerde, cui regnum debebatur, fratrem ſuum ſubjecit Oropaſtem.* Idem lib. 12. 12. *quam rem ægre Macedones tulerunt, jactantes hoſtes ſuos in officium ſuum a rege ſubjectos.* Quod fruſtra vexant. Sic etiam hic Suetonius. In patribus familias ſane crudelitas eſt: ſed & hanc & totum hoc eo retulit, quod invideret populo voluptatem ſpectaculi, atque

tores quoque pegmares, patres familiarum notos, ſed inſignes debilitate aliqua corporis, ſub-

que ut eam in cruciatum converteret. Itaque *remoto ordinario apparatu*, in locum ejus *ſubjiciebat*, id eſt, exhibebat, *tabidas feras*, oculorum tædia, pro ſaginatis & bene curatis, quas venarentur confectores: rurſus *ſubjiciebat viliſſimos ſenioque confectos gladiatores*, id eſt, introducebat in arenam pugnaturos tales pro famoſis, vegetis, exſpectatis: item *ſubjiciebat pegmares* pro latronibus, graſſatoribus, atrocium ſcelerum compertis, (ut ille apud Strabonem lib. 6. Selurus Ætnæ filius) quorum ſupplicio populus delectatus fuiſſet, miſeros iſtos, quos nemo ſpectare ſine lacrimis poterat GRONOVIUS. Palatinus ſecundus & tertius: *tabidis feris*. Codex vero Salmaſianus optime confirmat emendationem Torrentii. ſic enim legit: *apparat ut tabidas feras, viliſſimos*. Vides unam tantum litteram abundare vitio ſcribæ. Merito igitur hanc optimorum codicum ſcripturam ſequimur, quam erudite aſſeruit Gronovius.

CASAUBON.

Gladiatores quoque pegmares, patres familiarum notos, ſed inſignes debilitate aliqua corporis, ſubjiciebat.] Grande crudelitatis documentum hiſtoria continet, quæ hic narratur; in qua tamen modus aliquis notatur fuiſſe ſervatus. Crudelitas in eo eſt, quod immerentes cives Romanos alioſve forte oblatos, feris objiciebat: modus in eo, quod viliſſima quæque capita ei exitio deſtinata. Declarat id Suetonius accurata eorum enumeratione. Subjici enim ſolitos viliſſimos quoſque homines ac ſenio confectos, gladiatores quoque pegmares, nec non patres familiarum notos, ſed debiles & ἀναπήρους. In qua enumeratione merito quærunt docti viri, quinam ſint *gladiatores pegmares?* Neque ullus locus temere magis Criticos exercuit, quorum tamen ſententiis animus noſter acquieſcere non poteſt: neque laudamus eos, qui quicquam cenſent hoc loco mutandum. Quod ſi faciendum putarem, ſequeter Viterb. cod. legeremque *pygmarem*. Ita ibi ſcriptum, & adjectum ſcholion, eam vocem a Græca dictione *pygma*, quæ pugnum ſignificet, deduci: tum interpretarer *pygmares* τοὺς πυκτομάχους vel πυγμῇ μονομαχοῦντας. Sic Græci pugilum certum genus nominant, ut libro ſecundo notavimus. Hi ſunt, de quibus loquitur Scribonius Largus cap. XXIII. tmemate CI. *Præcipue vero ad pectoris & lateris dolores prodeſt, ex qualibet cauſſa factos, uti contuſione, quæ frequenter gladiatoribus accidere ſolet in luctationibus.* plane exprimit πυκτομάχους, qui medium quoddam genus fuerunt inter pugiles Græcorum & Romanorum gladiatores. Verum puto lectionem alteram *pegmares*, quæ in pleriſque omnibus codd. habetur, eſſe veriorem. *Gladiatores pegmares* interpretor, *quos de ruina arenæ dimiſit*, ut Petronius loquitur: qui in pegmate populo exhibiti, felici quodam ſidere ſuperſtites ei ſpectaculo fuerunt. Pegmata in re ludorum dicta ligneæ quædam moles, quæ machinamentis occultis attollebantur, deprimebanturque; ſuper iis producti per ludos facinoroſi homines, quales gladiatores fere erant, ut vel inibi pugnam inter ſe committerent, vel ſpectati a populo, mox ſolutis compagibus pegmatis, caſu ſuo in foveam ubi vel ignis vel feræ erant, populum oblectarent. Hoc ex Strabone, Petronio, Apulejo, & Claudiano probare poſſem, niſi occupaſſent viri doctiſſimi, Joſephus Scaliger & Juſtus Lipſius, qui de pegmatis iſtis ludicris diligenter quæſiverunt. At illud non probamus, quod iiſdem illis placet, reſcribendum hic eſſe *pegmatos*. qua enim derivatione, ajunt, quove exemplo a *pegmate pegmares?* enimvero ut σχῆμα, γλαύκωμα, & ſimilia, duobus modis Latini enuntiant, ſic & πῆγμα: tam enim *pegma, pegmæ*, quam *pegmatis* flectere poſſis. Inde ergo *pegmaris*, certa analogia, ut a *palma palmaris*, ab *ala alaris*, ab *epiſtola epiſtolaris*: quam vocem male quidam mutant apud Martialem in lemmate *de Charta epiſtolari*. ſimilia his multa Dio, qui libro LVIII. ſic ſcribit: Ὑπὸ δὲ δὴ τῆς αὐτῆς ὠμότητος, ἐπιλειπόντων ποτὲ τῶν τοῖς θηρίοις ἐκ καταδίκης διδομένων, ἐκέλευσεν ἐκ τοῦ ὄχλου τοῦ τοῖς ἰκρίοις προσεστηκότος συναρπασθῆναί τέ τινας, καὶ παραβληθῆναι σφίσι. etſi eadem de re loquitur cum Suetonio: non eadem dicit. nam aſſentiri non poſſum doctiſſimo viro, qui ἰκρία interpretatur *pegmata*. nunquam enim ita uſus ea voce Dio, ut diligenter obſervatum nobis: ſed pro theatrorum ſedilibus ligneis, ut eo loco, quem notamus libro II. ad caput XLIII. aut pro tabulis, quibus aliquis locus conſepitur: ut paullo poſt in lacuum deſcriptione, quos in uſum Naumachiæ excavavit Cajus. quare hic quoque ἰκρία interpretor *ſpectacula*, & iſtum Dionis locum comparo cum altero potius Suetonii in Domit. cap. XI. *patremfamilias detractum e ſpectaculis in arenam canibus objecit*. nihil igitur de *gladiatoribus pegmaribus* Dio. Addit Suetonius, *patresfamiliarum notos*: quod cur de laniſtis interpretentur doctiſſimi viri, cauſſam comminiſci non queo: imo, ut exiſtimo, nulla eſt. Quare enim non accipiemus in propria ſignificatione pro cive Romano, aut quocunque alio, qui Romæ habitet habens familiam? Sic libro ſecundo cap. LIX. *Nonnulli patrumfamiliarum teſtamento caverunt, ut ab heredibus ſuis prælato victimæ titulo in Capitolium ducerentur*. reperio & *familiaris* ἁπλῶς hoc ſenſu dici. Feſtus: *Familiaris Romanus, privatus Romanus*. idem ſtatui debet de ſimili loco, quem modo protulimus ex capite decimo vitæ Domitiani. Non celabo lectorem, in codicibus Memmii & Liſlæi fuiſſe hanc le-

27 ſubjiciebat. Ac nonnumquam horreis præcluſis, populo famem indixit. Sævitiam ingenii per hæc maxime oſtendit. Cum ad ſaginam ferarum muneri præparatarum carius pecudes compararentur, ex noxiis laniandos adnotavit: & cuſtodiarum ſeriem recognoſcens, nullius inſpecto elogio, ſtans, tautummodo intra porticum mediam, a calvo ad calvum duci imperavit. Votum exegit ab eo, qui pro ſalute ſua gladiatoriam operam promiſerat: ſpectavitque ferro dimicantem: nec dimiſit niſi victorem, & poſt multas preces. Alterum, qui ſe periturum ea de cauſſa voverat, cunctantem pueris tradidit verbenatum infulatumque, qui votum repoſcentes per vicos agerent, quoad præcipitaretur ex aggere. Multos

lectionem, *Patresfamiliarum notos in bonam partem*, ex adjecta, ut arbitror, eruditi alicujus interpretatione.

VARIOR.

Gladiatores pegmares.] Codex Salmaſ. *pægniares*. Palat. ſecundus *peginaris*, tertius, *pigniares*. primus *peinmatis*.

Patres familias notos.] Romæ laniſtæ gladiatorum, ſive ſervorum, ſive libertinorum familias alebant, ludis muneribuſque exhibendis deſtinatas, quamobrem ipſi quoque patrum familias nomine cenſebantur, ut apud Suetonium hoc loco & Domit. cap. 10. *Patrem familias quod Thracem Mirmilloni parem, munerario imparem dixerat, detractum e ſpectaculis in arenam canibus objecit, cum hoc titulo: Impie locutus parmularius.* P. FABER Semeſtr. lib. 2. cap. 10. Sed hæc arguta quidem ſunt, vera non ſunt: & a Caſaubono jugulata.

TORRENT.

Populo famem indixit.] *Famen induxit* habent duo codd. ſine *populo*.

27. *Sævitiam ingenii.*] Liber optimus *ingeniam*. Unde alii duo *ingenitam* fecere.

Inſpecto elogio.] De hoc vocabulo ante diximus cap. XXIV. Qui plura volet, Turnebum videat Adverſar. XV. cap. XX. & XVIII. cap. XV. & XV. & XXII. & XXXI. Qnanquam non tam de pœnæ cauſa, aut indice ac titulo loquitur hic Sueton. (nondum enim damnati erant, quos duci jubebat Cajus) ſed *elogium* cauſam ipſam delationis ſignificat, qua demum examinata damnari, vel abſolvi debebant. Tertullian. Apologet. *Veſtros jam conteſtamur actus qui quotidie judicandis cuſtodiis præſidetis, qui ſententiis elogia diſpungitis. Tot a vobis nocentes variis criminum elogiis recenſeatur*, &c.

A calvo ad calvum.] Recte Beroaldus, ut, cum duos forte calvos aliquo diſtantes intervallo conſpexiſſet, medios omnes ad ſupplicium duci juſſerit. ſic enim *ducendi* verbo uſi ſunt. Legendum itaque, *ſtans intra porticum, medios a. c.* non *intra porticum mediam, a. c.* ut Pulm. edidit. Dion velut in proverbium abiiſſe narrat, *A calvo ad calvum.*

Verbenatum infulatumque.] Recte ſic Pulmannus ex Turnebo. Quin & exemplar Tornacenſe, quo Eraſmus & Glareanus uſi ſunt, ita habet. Ut miſer ille voti reus, tanquam hoſtia quædam publica, verbenis infuliſque ornatus, ad præcipitium ductus ſit Dion eum P. Afranium Potitum vocat: priorem illum, qui depugnaturum ſe armis voverat, Atanium Secundum.

Ex aggere.] Aggerem Tarquinii intelligo, quo ad Orientem (ut lib. III. cap. V. deſcribit Plin.) Urbs claudebatur, opere inter prima mirabili. Celebrem fuiſſe locum oſtendit Juvenal. Sat. VI.

Plebejum in Circo poſitum eſt, & in aggere fatum.

Inde ergo, uti & de ſaxo Tarpejo, damnati dejiciebantur. Quanquam & peculiarem locum Caji cædibus deſtinatum intelligere poſſumus auctore Seneca lib. de Tranquillitate cap. XIV. his verbis: *Nec jam procul erat tumulus, in quo Cæſari deo noſtro fiebat quotidianum ſacrum.*

CASAUBON.

27. *Et cuſtodiarum ſeriem regnoſcens.*] Dio non ſine hæſitatione narrat, ἰδών ποτε ὄχλον εἴτε δεσμωτῶν, εἴτε καὶ ἄλλων τινῶν.

Nullius inſpecto elogio.] Quid ſit *elogium* jam docuimus. *Cuſtodiarum elogia* ſunt, quæ Græci juriſconſulti vocant παρασημειώσεις judicum inferiorum, ut pedaneorum atque etiam prætorum. Ita videtur hic accipienda vox *elogium*, ut in l. 6. *D.* De cuſtodiis & exhibit. reorum. At cum ſcribit Tertullianus in Apologetico: *Veſtros conteſtamur actus, qui quotidie judicandis cuſtodiis præſidetis, qui ſententiis elogia diſpungitis*, poſſumus id verbum aliter interpretari: ut ſit *elogium*, non ſententia inferioris judicis, ſed commentarienſis pittacium, quo judici breviter exponebat, quicquid de reo comperiſſet. Ita enim fuit moris. Exſtat lex Impp. Gratiani, Valentin. & Theodoſ. A. A. A. cujus hæc ſunt verba: *Niſi intra triceſimum diem ſemper commentarienſis ingeſſerit numerum perſonarum, varietatem delictorum, clauſorum ordinem, ætatemque vinctorum, officium viginti auri libras ærario noſtro jubemus inferre.*

A calvo ad calvum duci.] Hoc eſt, σφαγῆναι. ita recte hic vertunt Græci, ἀπὸ τοῦ φαλακροῦ μέχρι τοῦ φαλακροῦ πάντας αὐτοὺς σφαγῆναι.

Votum exegit ab eo.] Imo vero ab eis. plures enim fuere. adi ad Dionem, qui aliquot nominat.

Multos honeſti ordinis, deformatos prius ſtigmatum notis, ad metalla aut ad viarum munitiones, aut ad beſtias condemnavit, aut beſtiarum more quadrupedes cavea coercuit, aut medios ſerra diſſecuit. Nec omnes gravibus ex cauſſis, verum male de munere ſuo opinatos, vel quod numquam per Genium ſuum dejeraſſent. Parentes ſupplicio filiorum intereſſe cogebat. Quorum uni valetudinem excuſanti lecticam miſit: alium e ſpectaculo pœnæ, epulis ſtatim adhibuit, atque omni comitate ad hilaritatem & jocos provocavit. Curatorem munerum ac venationum per continuos dies in conſpectu ſuo catenis

Quoad præcipitaretur ex aggere.] Qui ſuppliciorum fuiſſe locus videtur. Plutarchus in Numa, de ſupplicio Veſtalium: Ἡ δὲ τὴν παρθενίαν καταισχύνασα, ζῶσα κατορύττεται, παρὰ τὴν Κολλίνην λεγομένην πύλην. ἐν ᾗ ἐςί τις ἐντὸς τῆς πόλεως ὀφρὺς γεώδης, παρατείνουσα πόῤῥω. καλεῖται δὲ χῶμα διαλέκτῳ τῇ Λατίνων. poſſumus & ἁπλῶς de quocunque aggere, qui in Urbe fuit (multos autem certum fuiſſe) interpretari.

VARIOR.

27. *Inſulatumque.*] Alciatus ſic explicat: *Verum has irriſiones, cum quis per ora hominum cum inſula defertur, Græci παραδειγματίσαι appellant.* Nos ſic: cum quidam pro ſalute Caligulæ periturum ſe voviſſet, ipſe tanquam votum ejus repoſcens inſulatum victimæ inſtar ad ſupplicium duci juſſit. Virg. Georg. III.

Sæpe in honore Deum medio ſtans hoſtia ad aram
Lanea cum nivea circumdatur infula vitta.

Servius Æn. x. *Infulæ faſciæ ſunt in modum diadematum, a quibus dependent vittæ ab utraque parte.* Nemo autem eſt, qui coronatas victimas priſcos Diis immolaſſe neſciat. Suidas: Εἰσάγεται ὁ Ἀθάμας ἐςεφανωμένος, ὥσπερ ἱερεῖον σφαγιασθησόμενος. BRODÆUS.

TORRENT.

Per genium ſuum.] Per genium Principis Romanos jurare ſolitos teſtes ſunt JCti noſtri, quemadmodum & per ſalutem Principis, & per Principis venerationem, l. XIII. de Jurejurando, l. XLII. De tranſactionibus, & l. II. C. de Reb. creditis. Eleganter Tertullian. Apologet. cap. XXVIII. *Citius apud vos per omnes Deos quam per Genium Principis pejeratur.* Nec minus facete Minucius Felix libro qui Octavius inſcribitur: *Eorum numen invocant, ad imagines ſupplicant, Genium, hoc eſt, Dæmonem, implorant, & eſt eis tutius per Jovis Genium pejerare quam Regis.* Crebra etiam Imperatorum, & quidem (quod miror) Chriſtianorum quoque, numiſmata cum inſcriptione, GENIO AUG. uti & FORTUN. AUG. nam etiam per fortunam Cæſaris jurabant.

Parentes ſuppl filior.] Ut Capitonem quendam. Cumque interrogaret, an connivere liceret, & ipſum juſſit interfici. Dion.

Lecticam miſit.] Ut in jus vocatis, ſi morbo aut ætate impediebantur, jumentum ſterni ex XII. Tabb. jubebatur. Gellius lib. XX. cap. I.

Epulis ſtatim adhibuit.] Duo codices non habent *adhibuit*, nec male. Crudeliſſimæ hujus comitatis vel idem, vel aliud ſimile exemplum narrat Seneca lib. II. de Ira cap. XXXIII. de Paſtoris, ſplendidi equitis Romani, filio, quem Cajus, offenſus *munditiis* ejus & *cultioribus capillis*, occiderat. ſic enim ibi omnino legendum cenſeo, pro *immunditiis*, & *incultioribus*. nam Cajus pulchros omnes, comatoſque oderat. Infr. cap. XXXV.

CASAUBON.

Aut beſtiarum more quadrupedes cavea coercuit.] Confirmat & Dio, qui ita refert, expoſito equitis cujuſdam illuſtris ſupplicio, τόν τε πατέρα αὐτοῦ μηδὲν ἀδικήσαντα, ἔς τε γαλεάγραν, ὥσπερ καὶ ἄλλους συχνοὺς καθεῖρξε, κἀνταῦθα διέφθειρεν. Græcorum imitatione videtur hoc factum a Cajo: nam Calliſthenis, Lyſimachi, Teleſphori Rhodii & aliorum Græcorum ſimiles narrantur cruciatus. Præter hiſtoricos lege Senecam de Ira lib. III. cap. XVII. qui etiam libro eodem cap. III. inter ſævitiæ exempla ponit, *inſcriptiones frontis, & beſtiarum immanium caveas.*

Aut medios ſerra diſſecuit.] Medietatem accipe non longitudinis & ſtaturæ: ſed latitudinis corporis. Sic enim medios ducto a capite principio, ſerra diſſecabant. Vetus poeta apud Clementem Alexandrinum:

Ἃ δ' ἐκπυθέσθαι τῆς ἐμῆς χρήζεις φρενὸς,
Οὔτ' ἂν καταίθων, οὔτε κρατὸς ἐξ ἄκρου
Δεινοὺς καθιεὶς πρίονας εἰς ἄκρους πόδας,
Πύθοις ἄν.

Familiare olim Orientalibus, etiam Judæis, ſupplicium: quod ex ſacra hiſtoria ſcimus & extranea quoque. Dio de rebellantibus in Africa Judæis ſub Trajano: Πολλοὺν δὲ καὶ μέσους ἀπὸ κορυφῆς διέπριον. Hebræis *ſerra* dicitur מגרה, *megera.* Inde nomen unius Furiarum Μέγαιρα. nam Furiæ ſuppliciorum præſides.

Parentes ſupplicio filiorum intereſſe cogebat.] Notatum & Dioni: ſed ſævius eſt, quod narrat Seneca de Ira libro II. cap XXXIII.

TOR-

nis verberatum non prius occidit, quam offenſus putrefacti cerebri odore. Atellanæ poetam, ob ambigui joci verſiculum, media Amphitheatri harena igni cremavit. Equitem Romanum objectum feris, cum ſe innocentem proclamaſſet, reduxit: abſciſſaque lingua,
28 rurſus induxit. Revocatum quendam a vetere exſilio ſciſcitatus, quidnam ibi facere conſueſſet, reſpondente eo per adulationem: *Deos ſemper oravi, ut, quod evenit, periret Tiberius, & tu imperares:* opinans ſibi quoque exſules ſuos mortem imprecari, miſit circum inſulas, qui univerſos contrucidarent. Cum diſcerpi ſenatorem concupiſſet, ſubornavit, qui ingredientem curiam, repente hoſtem publicum appellantes, invaderent, graphiiſque confoſſum lacerandum ceteris traderent. Nec ante ſatiatus eſt quam membra & artus & viſcera hominis tracta per vicos, atque ante ſe congeſta vidiſſet.
29 Immaniſſima facta augebat atrocitate verborum. *Nihil magis in natura ſua laudare ſe ac probare dicebat, quam*, ut ipſius verbo utar, ἀδιατρεψίαν. Monenti Antoniæ aviæ, tam-

TORRENT.

Catenis verberatum.] Sunt qui *habenis* malint, quæ ſervorum, & puerorum caſtigatio eſt. Horat. lib. II. Epiſt. II. *metuens pendentis habenæ*, & Ulpian. l. I. de S. C. Silan. *Solet hoc in uſu obſervari, ut impuberes non torqueantur; terreri tantum ſolent, & habena vel ferula cædi.* Ego receptam lectionem retineo. nam Calliſtratus inter pœnas, quæ corporis coërcitionem continent, fuſtium admonitionem, flagellorum caſtigationem, vinculorum verberationem enumerat l. VII. de Pœnis.

Media Amphitheatri arena.] Græcorum more, ut de Polycarpo, atque aliis ſanctiſſimis noſtræ religionis aſſertatoribus legimus. Quod Juvenali lumen adfert Sat. I. *tæda lucebis in illa*, &c. Mallem etiam *Atellanarum poetam.*

28. *Sibi quoque exſules ſuos.*] Meliores libb. *exſules ſuos ſibi quoque.*

Circum inſulas.] Nota apud JCtos. pœna relegationis in inſulam, quales maxime Cyclades. Sæpe apud Juvenalem.

Diſcerpi ſenatorem.] Scribonium Proculum appellat Dion, qui rem apertius enarrat.

29. Ἀδιατρεψίαν.] Quædam editiones addunt, *hoc eſt, inverecundiam*, velut interpretamentum ſcilicet. Quæ mihi liquet a mala manu eſſe, meritoque a Pulmanno ſunt expuncta. nam ἀδιατρεψία torvum neſcio quid & rigidum potius quam inverecundum ſignificat.

CASAUBON.

Abſciſſaque lingua rurſus induxit.] Dio ſic narrat, quaſi factum ſæpius ab eo, ſed in iis quos de ſpectaculis raptos feris objecerit: καὶ ὅπως, inquit, μήτε ἐπιβοήσασθαι μήτε αἰτιάσασθαί τι δυνηθῶσι, τὰς γλώσσας αὐτῶν προαπέτεμε.

28. *Miſit circum inſulas, qui univerſos contrucidarent.*] Cædem factam a Cajo exſulum ſuorum, & in legatione ad Cajum, & contra Flaccum narrat Philo: cauſſam tamen vel occaſionem, quam Suetonius ait, apud illum non leges.

Lacerandum ceteris trad.] Dio: περιέσχον τε τὸν συμβουλευτὴν καὶ διέσπασαν.

29. *Quam, ut ipſius verbo utar,* ἀδιατρεψίαν.] In vulgatis codd. adjectum eſt interpretamentum, *hoc eſt, inverecundiam.* quod & in codice Viterbienſi offendimus & Memmiano: eſtque non adeo ineptum, ut quibuſdam videtur. Quid enim aliud ἀδιατρεψία, quam rigidus animus, qui neminem revereatur, & proinde nemini parcat? quod Græci Athenienſes τυγχάνειν αἰδοῦς & νέμειν αἰδῶ vel αἰδεῖσθαι dicere ſolent. ἀδιατρεψία eſt contrarium τῆς ἐντροπῆς. Appianus de Bellis Punicis: Ἔμελλεν οὖν τοὺς ὑπάτους ἐς ἐντροπὴν ἢ ἔλεον ἄξειν. Verbum διατρέπειν eſt adducere aliquem, ut mutet ſententiam. Arrianus in Diſſertationibus Epicteti libro primo: Οὐδὲ ταῦτα ἱκανὰ κινῆσαί τινας, καὶ διατρέψαι πρὸς τὸ μὴ ἀπολιπεῖν τὸν τεχνίτην. Plutarchus: Οὐδὲ τῇ τοῦ Πομπηΐου Μάγνου φωνῇ διατραπέντες. inde ἀδιατρεψία pertinacia in exſequendo malo ſemel cogitato. Similis vox ἀνεπιστρεψία apud Arrianum eundem initio libri ſecundi. nec diſſimile verbum ἀνεπιτρεπτεῖν in ſexta Diogenis Laërtii hiſtoria.

VARIOR.

Catenis verberatum.] Genus inauditum ſupplicii eſſe, *catenis verberari*, dudum conſtitit inter doctos: quare quidam reſcripſerunt *habenis:* ut apud Horat. *metuent pendentis habenæ*, & Ulpianum *habena vel ferula cædi.* ſed hoc facile repudies, quum uterque ſignificet puerorum per laſciviam contumacium hanc caſtigationem eſſe, quæ proinde ad tantam ſævitiam nequeat extendi. Scribendum ajo: *in conſpectu ſuo catomis verberatum.* Gronovius lib. IV. Obſerv. cap. 13. quem vide. multis enim doctis rationibus hanc ſuam adſtruit emendationem. Nunc vero & hæc addi juſſit: Scripſi olim videri legendum, *catomis verberatum.* Nec pœnitet. Sed addo etiam, forſan edidiſſe Suetonium: *putrefacti tabi odore.* Virgilius, *Et terram tabo maculant.* GRONOVIUS.

At-

tanquam parum eſſet non obedire: *Memento*, ait, *omnia mihi & homini licere.* Trucidaturus fratrem, quem metu venenorum præmuniri medicamentis ſuſpicabatur: *Antidotum*, inquit, *adverſus Cæſarem?* Relegatis ſororibus, non ſolum inſulas habere ſe, ſed etiam gladios minabatur. Prætorium virum ex ſeceſſu Anticyræ, quam valetudinis cauſſa petierat, propagari ſibi commeatum ſæpius deſiderantem, cum mandaſſet interimi, adjecit, *Neceſſariam eſſe ſanguinis miſſionem, cui tam diu non prodeſſet elleborum.* Decimo quoque die, numerum puniendorum ex cuſtodia ſubſcribens, *Rationem ſe purgare* dicebat. Gallis Græciſque aliquot uno tempore condemnatis, gloriabatur *Gallogræciam ſeſe ſubegiſſe.* Non temere in quemquam, niſi crebris & minutis ictibus 30
animadverti paſſus eſt: perpetuo notoque jam præcepto, *Ita feri, ut ſe mori ſentiat.* Punito per errorem nominis alio quam quem deſtinaverat, ipſum quoque paria meruiſſe dixit. Tragicum illud ſubinde jactabat,

Oderint dum metuant.

Sæpe in cunctos pariter ſenatores, ut Sejani clientes, aut matris ac fratrum ſuorum delatores, invectus eſt: prolatis libellis, quos crematos ſimulaverat, defenſaque Tiberii ſævitia

Atellanæ.] V. C. Salmaſ. & tres Palatini, *Atellaniæ.*

TORRENT.

Omnia mihi & in omnes.] Lib. optimus, quod mirere, *omnia mihi, & heroibus in omnibus lic.* alter *om. m. & herois omnibus lic.*

Ex ſeceſſu.] Viro docto viſum *ex* rejicere. Ego nihil temere mutem. nam ita dictum *ex ſeceſſu*, ut *ex prætura*, *ex quæſtura*, & ſimilia, id eſt, poſt ſeceſſum, poſt præturam.

Propagari ſibi commeatum.] Non ſoli igitur milites caſtris abeſſe ſine commeatu non poterant, ſed ne ab Urbe quidem & magiſtratus, & qui magiſtratum geſſerant, ut prætorius iſte. Tib. cap. x. & xxxi.

Non prodeſſet helleborum.] Liber opt. *profuiſſet.* Notum omnibus proverbium, *Naviget Anticyram.* Plin. lib. xxxv. cap. v. Gell. lib. xvii. cap. xv. Horat. lib. ii. Sat. iii. & epiſt. ad Piſones, *Si tribus Anticyris*, &c.

30. *Ita feri.*] Turnebo quidem ſic legenti aſſentior, ſed an ita in antiquis exemplaribus ſcriptum invenerit, ignoro. Libri quos vidi, omnes *ita fieri* legunt.

Quos crematos ſimulaverat.] Sup. cap. xv.

CASAUBON.

Prætorium virum ex ſeceſſu Anticyræ deſiderantem.] Per literas aut per amicos. particulam *ex*, & Memmianus & alii omnes tuentur libri, & ſententia ipſa multo magis. neque audiendus vir doctus, qui tolli jubet ſine cauſſa.

Prorogari ſibi commeatum.] Pars librorum, *prorogari.*

Rationem ſe purgare dicebat.] Græcum eſt ἐκκαθᾶραι λογισμὸν, quod in Euangelio dicitur συναίρειν λόγον. Plutarchus in libro Quomodo diſtinguas adulatorem ab amico: Καὶ πιςὸς ἔρωτος ὑπηρέτης, καὶ περὶ λύσιν πόρνης ἀκριβὴς, καὶ πότε δαπάνης ἐκκαθᾶραι λογισμὸν οὐκ ἀμελής. Sic τὴν ἀμφιλογίαν ἀποκαθᾶραι apud eundem in comment. De amore inter fratres, & ἐκκαθᾶραι καὶ διαλῦσαι τὰς ἀμφιλογίας, in Ageſilao.

Ita feri, ut ſe mori ſentiat.] Falluntur, qui putant ex Turnebi conjectura eſſe hanc lectionem: nam & exarati manu nonnulli ſic habent: quod & Urſinus teſtatur, & nos ita correctum in Memmiano offendimus, manu antiquiſſima. & ita vetuſtiſſima editio Lugdunenſis, nec non Pariſienſis Rob. Steph.

VARIOR.

29. *Mihi & homini.*] Conclamatus locus. Tentabam tamen: *Memento, ait, omnia mihi & domi licere.* Quaſi diceret, etiam te, ſi moleſta eſſe pergis, occidere poſſum. GRONOV.

Omnia mihi & homini licere.] Quidam codices habent, *& homines.* Unde exigua immutatione conficio, *ut dominis.* Quod ut faciam, eo inducor magis, quod legam apud Aurelium Victorem, Caligulam vocare ſe, quod unice vitarunt Auguſtus & Tiberius, dominum voluiſſe: quodque videam infra cap. xlvii. eum ſcripſiſſe procuratoribus, ſe *in omnium hominum bona jus habere.* Præterquam quod hæc emendatio conveniat iſti verborum acerbitati, quam hic Suetonius notat. Quid enim acerbius in Victorem Dominatoremque antea populum dici potuit, quam omnia ſibi in eum licere, quæ dominis in ſervos liceant, exercentibus jus vitæ & necis. Certe Satyricus in Domitianum nihil acerbius dici potuiſſe, videtur exiſtimaſſe, quam ut ſcriberet:

Cum jam ſemianimum laceraret Flavius orbem
Ultimus, & calvo ſerviret *Roma Neroni.*

GOESIUS.

Rationem.] Giſanius ex v. l. legebat, *Rationes.* IDEM.

TOR-

vitia quaſi neceſſaria, cum tot criminantibus credendum eſſet. Equeſtrem ordinem, ut ſcenæ harenæque devotum aſſidue proſcidit. Infenſus turbæ faventi adverſus ſtudium ſuum exclamavit: *Utinam pop. Roman. unam cervicem haberet!* Cumque Tetrinius latro poſtularetur, *& qui poſtularent, Tetrinios eſſe* ait. Retiarii tunicati quinque numero gregatim dimicantes, ſine certamine ullo totidem ſecutoribus ſuccubuerant: cum occidi juberentur, unus reſumta fuſcina, omnes victores interemit. Hanc ut crudeliſſimam
31 cædem & deflevit edicto, & eos qui ſpectare ſuſtinuiſſent, exſecratus eſt. Queri etiam palam de conditione temporum ſuorum ſolebat: quod nullis calamitatibus publicis inſignirentur. Auguſti principatum clade Variana: Tiberii, ruina ſpectaculorum apud Fidenas, memorabilem factum: ſui oblivionem imminere proſperitate rerum. Atque identidem exercituum cædes, famem, peſtilentiam, incendia, hiatum aliquem terræ optabat.
32 Animum quoque remittenti, ludoque & epulis dedito, eadem dictorum factorumque ſævitia aderat. Sæpe in conſpectu prandentis vel comiſſantis ſeriæ quæſtionis per tormenta habebantur. Miles decollandi artifex quibuſcumque e cuſtodia capita amputabat. Puteolis dedicatione pontis, quem excogitatum ab eo ſignificavimus, cum multos e litore invitaſſet ad ſe, repente omnes præcipitavit. Quoſdam gubernacula apprehendentes, contis

TORRENT.

Adverſus ſtudium ſuum.] Ipſe factione Praſinæ favebat, uti & Nero, & Vitellius, & Verus.

Tetrinius Latro poſtularetur.] Ad arenam ſcilicet, non ad judicium, ut volunt interpretes. Latro autem cognomen Tetrinii gladiatoris eſt.

Tetrinios eſſe ait.] Hoc eſt, dignos qui ad ferrum & ipſi darentur.

Reſumta fuſcina.] Similis apud Juvenalem locus Sat. II.

Vicit & hoc monſtrum tunicati fuſcina Gracchi.

retiarium enim deſcribit. Qua de re multa in Horat. lib. II. Sat. VI.

Thrax eſt Gallina Syro par?

31 *Auguſti principatum.*] Lib. optimus *principium.* Quod ut ſequamur, temporum ratio prohibet. Varus enim extremis Auguſti temporibus occubuit. Niſi forte *principium* pro principatu dixit.

Ruina ſpectaculorum.] *Spectacula* pro loco, unde ludi ſpectabantur, dixit. theatrum enim ipſum corruit, ut Tib. cap. XL. vidimus. Male igitur in vulgatis libb. *ſpectatorum*, & *ſpeculatorum* legitur. Juvenal. Sat. VI.

- - - *cuneis an habent ſpectacula totis,*
Quod ſecurus ames?

32. *Miles decollandi artifex.*] Militum id ergo, & quidem (quod alibi annotavimus) ſpeculatorum, munus erat. *Decollandi* autem verbo ea ſignificatione ſæpe utitur Seneca. Plautus, & Varro pro fruſtrari ac decipere dixerunt, μεταφορικῶς, (ut arbitror) Cæcilius pro e collo deponere. Auctores Nonius, & Diomedes, grammatici.

Repente omnes.] Lib. unus *ponte omnes*, & mox *retruſit* pro *detruſit.*

CASAUBON.

Cum Tetrinius latro poſtularetur.] Melius ſic ſcriptum puto in MSS. quam ut vulgo *Latro*, quod eſſe cognomen Porciæ gentis ſcimus, non Tetriniorum. nec eſt abſurdum, iſtum qui poſtulatur ad ferrum, inſignem aliquem latronem fuiſſe, damnatum in arenam.

Et deflevit edicto, & eos qui ſpectare ſuſtinuiſſent, exſecratus eſt.] Nihil muto, tamen Viterb. lectio hæc eſt: *Et deflevit, & eos edicto qui ſpectare ſuſtinuiſſent, exſecr.*

32. *Sæpe in conſpectu prandentis vel comiſſantis ſeriæ quæſtiones per tormenta habebantur.*] Viterb. *vel comiſſantis ſerie, quæſt.* mendoſe. neque enim ſatis Latinum putem, *ſeriem commiſſ.* pro agmine & thiaſo κωμαζόντων. Doctiſſimo Petro Fabro *ſævæ* viſum ſcribendum, non *ſeriæ.* non etiam diſpliceat, *ſerio quæſtiones, & per torment. hab.*

Miles decollandi artifex.] Sub Imperatoribus inventum iſtud artificium. Lucanus libro VIII. de milite, qui Pompejum decollavit:

Tunc nervos venaſque ſecat, nodoſaque frangit
Oſſa diu: nondum artis erat caput enſe rotare.

Cum multos e litore invitaſſet ad ſe, repente omnes præcipitavit.] Placet quorundam libb. lectio *e ponte* pro *repente*: quod tamen non rejicio: ac fortaſſe ſcribendum, *repente e ponte omnes præcipitavit.* Dio: συχνοὺς τῶν ἑταίρων ἐς τὴν θάλασσαν ἀπὸ τῆς γεφύρας ἔρριψε.

Quoſdam gubernacula apprehendentes contis remiſque detruſit in mare.] Dio paullo aliter: συχνοὺς δὲ καὶ τῶν ἄλλων ἐν πλοίοις ἐμβόλους ἔχουσι, προσπλεύσας κατέδυσεν, ὥς τε καὶ ἀπολέσθαι τινάς.

VARIOR.

30. *Et deflevit edicto, & eos qui ſpectare ſuſtinuiſſent*

contis remiſque detruſit in mare. Romæ publico epulo ſervum, ob detractam lectis argenteam laminam, carnifici confeſtim tradidit, ut manibus abſciſſis, atque ante pectus e collo pendentibus, præcedente titulo qui cauſſam pœnæ indicaret, per cœtus epulantium circumduceretur. Mirmillonem e ludo rudibus ſecum batuentem, & ſponte proſtratum, confodit ferrea ſica, ac more victorum cum palma diſcucurrit. Admota altaribus victima, ſuccinctus poparum habitu, elato alte malleo, cultrarium mactavit. Lautiore convivio effuſus ſubito in cachinnos, COSS. qui juxta cubabant, quidnam rideret, blande quærentibus: *Quid*, inquit, *niſi uno meo nutu jugulari utrumque veſtrum ſtatim poſſe?*
Inter varios jocos, cum aſſiſtens ſimulacro Jovis Apellem tragœdum conſuluiſſet, uter 33
illi major videretur, cunctantem flagellis diſcidit: collaudans ſubinde vocem deprecantis, quaſi etiam in gemitu prædulcem. Quoties uxoris vel amiculæ collum exoſcularetur, addebat, *Tam bona cervix, ſimulac juſſero, demetur.* Quin & ſubinde jactabat,
Exquiſiturum ſe vel fidiculis de Cæſonia ſua, cur eam tanto opere diligeret. Nec minore 34
livore

ſent.] Pal. prim. *& deflevit, & eos edicto qui ſp. ſ* neque aliter ſecundus ac tertius. ut illa lectio videatur reducenda, præſertim cum & alii eam invenerint in ſuis MSS. GRUTERUS.

TORRENT.

Rudibus ſecum batuentem.] Sic Lamprid. Commodo: *In arena rudibus inter cubicularios gladiatores pugnavit.* Eſt autem *rudis* virga impolita, qua donati non amplius ferro decernere cogebantur. Ad rudium differentiam inf. cap. LIV. *batuebat*, inquit Sueton. *pugnatoriis armis.* A *batuere* autem *batualia*, exercitia tam gladiatorum, quam militum, & *batuitores* apud Adamantium grammaticum.

Poparum habitu.] *Popæ*, qui & *victimarii* appellantur, ii erant qui mactabant victimas; at *cultrarii*, quanquam & ii *popæ*, ut arbitror, non male dicuntur, qui mactatas jugulabant. Bini autem plerumque adſunt, limo tantum pudenda tecti, cætera nudi. Quo habitu Romæ in Capitolii area videntur. Unde & Propert. lib. IV. Eleg. III. *Succinctique calent ad nova lucra popæ.* Spartian. Geta: *Hoſtiam popa, nomine Antonius, percuſſit.* *Limum* vero vocari quo ſe velabant, auctor eſt Servius ad illud lib. XII. Æneid. *Velati limo.* Utitur eo vocabulo Gell. lib. XII. cap. III. quanquam vulgati codices *linum*, & *linium* habent. Vide locum, & Iſidorum lib. XV. cap. XIV. Etymol. quæque notavi ad Horatium lib. III. Oda XXIII. In Servii commentariis mendoſe *pomparum* pro *poparum* legitur.

33. *Exquiſiturum ſe vel fidiculis.*] Duo libb. *exquiſ. ſemel fidiculis.* Ut *ſemet* fortaſſis legendum ſit, quo ipſe tortoris vicem ſubeat.

Tantopere diligeret.] Juvenal. Sat. VI. ad philtrum amoris cauſam refert,

> - - - *ut avunculus ille Neronis,*
> *Cui totam tremuli frontem Cæſonia pulli*
> *Infudit.*

Sueton. quoque inf. cap. L.

CASAUBON.

Succinctus poparum habitu.] Plutarchus in Æmilio Paullo deſcribens apparatum ſacrificii: *οἱ δὲ ἄγοντες τὰς χρυσοκέρως τροφίας βοῦς νεανίσκοι, περιζώμασιν εὐπαρύφοις ἐσαλμένοι, πρὸς ἱερουργίαν ἐχώρουν.*

33. *Cunctantem flagellis diſcidit.*] Hic eſt Apelles Aſcalonita tragœdus, in quem adeo invehitur Philo in legatione ad Cajum. De ejus cæde ibidem habentur hæc verba: Ὁ μὲν ὑπὸ Γαΐου σιδήρῳ δεθεὶς ἐφ' ἑτέραις αἰτίαις καὶ στρεβλούμενος καὶ τροχιζόμενος ἐκ περιτροπῆς ὥσπερ ἐν ταῖς περιοδιζούσαις νόσοις.

Tam bona cervix, ſimul ac juſſero, demetur] Diriſſimæ immanitatis dictum. Sed in hiſtoria Turcorum factum legimus hoc etiam dicto crudelius. Capta Conſtantinopoli, reperta eſt inter captivas virgo nobilis, exquiſitiſſimæ formæ, cui nomen Irenæ. hæc ad Sultanum Muhammed II. adducta, ita illum cepit, ut per aliquot annos cura rerum omiſſa aut remiſſa, nihil niſi Irenen cogitaret. quum male audire apud ſuos eo nomine cœpiſſet, ejuſque ignaviam Muſtapha liberius increpuiſſet; tyrannus advocata concione, prodit in medium, Irenen cultu ſuperbiſſimo adornatam manu tenens: deinde expoſita omnium oculis ejus forma, ac verbis etiam dilaudata, ut ſe virum probaret, adverſus omnes affectus fortem, prehenſa miſellæ coma, in ipſo veſtigio caput illi amputavit.

VARIOR.

32. *Batuentem.*] Milites ad palum ſe exercebant. Qui locus veteribus *Palaria* dicebatur, ut ait Chariſius. Nam alioqui cum ſingulari congreſſu duo ſe exercebant, locus *Batualis*, ipſi *Batuatores* dicebantur. *Batuere* enim, ferulis velitari, aut verberare, ut in Veſpaſiano legimus. Tamen Cicero poſuit inter *κακέμφατα* in erudita illa epiſtola ad Pætum. Quia Syracuſane *βατεύειν* dicebatur, cum mas init fœminam. Theocritus,

> ----- *οὐκ ἐσορῇ τὰς μηκάδας, οἷα βατεῦντι;*

JOS. SCALIGER. Codex Salmaſ. *battuentem.*

TOR-

livore ac malignitate quam ſuperbia ſævitiaque pæne adverſus omnis ævi homines graſſatus eſt. Statuas virorum illuſtrium, ab Auguſto ex Capitolina area propter anguſtias in Martium campum collatas, ita ſubvertit atque disjecit, ut reſtitui ſalvis titulis non valuerint. Vetuitque poſthac viventium cuiquam uſquam ſtatuam aut imaginem, niſi conſulto ſe & auctore, poni. Cogitavit etiam de Homeri carminibus abolendis. *Cur enim ſibi non licere*, dicens, *quod Platoni licuiſſet, qui eum e civitate quam conſtituebat, ejecerit?* Sed & Virgilii & Titi Livii ſcripta & imagines, paullum afuit quin ex omnibus bibliothecis amoveret: quorum alterum, ut *nullius ingenii, minimæque doctrinæ:* alterum, ut *verboſum in hiſtoria negligentemque* carpebat. De juris quoque conſultis, quaſi ſcientiæ eorum omnem uſum aboliturus ſæpe jactavit, *Se, me hercle, effecturum, ne quid reſpondere poſſent præter eum.* Vetera familiarum inſignia nobiliſſimo cuique ademit:

TORRENT.

34. *Omnis ævi homines.*] Libb. MSS. noſtri *omne genus hominum*, & *homines*, ſed male, ut ex iis quæ ſequuntur, apparet.

In Martium campum collatas.] Liber opt. *ſignatas*, hoc eſt, (ut ego interpretor) circumſepto loco poſitas. ut Virgil. lib. 1 I. Georg.

Nec ſignare quidem, aut partiri limite campum
Fas erat.

Non valuerint.] Plures libri *potuerint*, ex gloſſematio aliquo. Virgil.

Si valeo meminiſſe.

Horat.

Si valeo ſtare.

Suis etiam *titulis* pro *ſalvis* mallem. ſenſus enim eſt, diffractas disjectaſque ſtatuas ſic componi nequiviſſe, ut agnitæ ſuis quæque baſibus, quibus inſcripti erant tituli, accommodarentur.

Conſulto ſe.] Tres MSS. *ſe conſulto.* Tiberius ſibi tantum niſi permiſſu ſuo ſtatuas poni vetuit, Cajus omnino cuiquam. Quod deinceps ſervatum eſt.

Se me hercle effec.] Mallem *ſemel hercle.*

Præter æquum.] Omnes MSS. *præter eum.* quam lectionem fatentur etiam interpretes. Johannes Coraſius *præter eccum* legit, ſed eam conjecturam mihi ſane non probat. Ego (neſcio an probabilius) poſt verbum *poſſint* interpungendum cenſeo, & pro *præter eum* ſcribendum *præterea*, atque id ſequenti capiti præponendum. Notum autem omnibus, reſponſa prudentum vim juris olim obtinuiſſe.

CASAUBON.

34. *Vetuitque poſthac viventium cuiquam uſquam ſtatuam aut imaginem, niſi conſulto ſe & auctore, poni.*] Cauſam edicti hujus Caji aperit nobis inſignis Dionis locus in vita Claudii, cujus ſimilem conſtitutionem refert: ſic ille, Ἐπειδή τε ἡ πόλις πολλῶν εἰκόνων ἐπληροῦτο (ἐξῆν γὰρ ἀναίδην τοῖς βουλομένοις ἐν γραφῇ καὶ ἐν χαλκῷ λίθῳ τε δημοσιεύεσθαι) τάς τε πλείους αὐτῶν ἑτέρωσέ ποι μετέθηκε, καὶ ἐς τὸ ἔπειτα ἀπηγόρευσε, μηδενὶ ἰδιώτῃ, ᾧ ἂν μὴ ἡ βουλὴ ἐπιτρέψῃ, τοῦτο ποιεῖν ἐξεῖναι, πλὴν εἴ τις ἔργον τι ᾠκοδομηκὼς εἴη, ἢ καὶ κατεσκευάσατο. τούτοις γὰρ δὴ τοῖς τε συγγενέσιν αὐτῶν ἵστασθαι ἐν τοῖς χωρίοις ἐκείνοις ἐφῆκε. id eſt, *Ac quoniam urbs imaginibus replebatur, (licebat enim omnibus qui vellent, pictura, ære, lapideque ſuam publicare effigiem) pleraſque illarum alio quo tranſtulit, ſanxitque in poſterum, ne quis privatus ſine permiſſu ſenatus id faceret: niſi ſi quis opus aliquod aut feciſſet, aut etiam refeciſſet: his enim cognatiſque eorum monumentum ſui aliquod iis in locis ponere permiſit.*

Ne quid reſpondere poſſent præter eum.] Pridem doctiſſimis hominibus negotium fecit hic locus: de quo cum ad Joſephum Scaligerum retuliſſem, reſponſum illud tuli: ipſius enim verba ponam. *In Caligula lego indubitate:* Ne quis reſpondere poſſit, præter eum. *Vox Tyrannica, ſed ſatis acuta: ſe ſublaturum Juriſconſultos, ita ut ipſius voluntas ſit pro jure: nemo ſuperſit qui conſulatur, præter eum, hoc eſt, Caligulam. Quemadmodum enim in animo habebat Caligula omnia exemplaria Liviana & Virgiliana abolere, ita etiam omnes Juriſconſultos: ut nemo ſupereſſet, qui de jure conſuli & reſpondere poſſet, præter eum, nempe Caligulam. Propterea ſubjicit Suetonius, quaſi ſcientiæ eorum omnem uſum aboliturus.* Hæc Scaliger: Memmianus & omnes meliores alii libri firmant editam lectionem. in nonnullis eſt, *ne qui reſpondere poſſint.*

VARIOR.

34. *Præter eum.*] Vix ambigo, quin legendum ſit *præter verum.* Ut nullam omnino prudentum reſponſis relinquere videatur auctoritatem, ſi a ſua ſententia diſcreparent: conſtaret autem, ſuæ ſi congrueret. Tum enim non modo eo habenda fore loco, quo prius, ſed fore amplectenda pro ipſa veritate. Et hoc dici de Caligula mirum non eſt, cum & noſter de Cæſare ſcribat, propalam jactaſſe eum, *Debere jam homines conſideratius loqui ſecum, & pro legibus habere, quæ dicat.* Ad tantam impotentiam deducit homines, etiam alioquin ſagaces, rerum ſucceſſus

mit: Torquato torquem: Cincinnato crinem: Cn. Pompejo ſtirpis antiquæ, Magni cognomen. Ptolemæum, de quo retuli, & accerſitum e regno, & exceptum honorifice, non alia de cauſſa repente percuſſit, quam quod edente ſe munus, ingreſſum ſpectacula, convertiſſe hominum oculos fulgore purpureæ abollæ animadvertit. Pulcros & comatos, quoties ſibi occurrerent, occipitio raſo deturpabat. Erat Eſius Proculus patre primipilari, ob egregiam corporis amplitudinem & ſpeciem *Coloſſeros* dictus. Hunc e ſpectaculis detractum, repente & in harenam deductum, Thraci, & mox hoplomacho comparavit: biſque victorem conſtringi ſine mora juſſit, & pannis obſitum vicatim circumduci, ac mulieribus oſtendi, deinde jugulari. Nullus denique tam abjectæ conditionis, tamque extremæ ſortis fuit, cujus non commodis obtrectaret.

ceſſus & Dis pæne æqua poteſtas. Apponam tamen hic, Samuelem Petitum I. Variar. Lection. 10. legendum putaſſe, *præter æquum*, interpretatione longiuſcule quæſita. GOESIUS.

TORRENT.

35. *Torquato torquem.*] Atqui Auguſtus Torquati nomen, quod Manliorum erat, C. Nonium Aſprenatem, poſteroſque ejus ferre permiſit, cap. XLIII.

Magni cognomen.] Liber opt. *nomen.* Huic autem Cn. Pompejo, reddito Magni nomine, Claudius poſtea filiam deſpondit, cap. XXVII.

Purpureæ abollæ.] *Abollam* Nonius veſtem fuiſſe militarem tradit. Ut non male Ptolemæo huic conveniat, regi nempe Barbaro. Juvenal. Sat. IV. cum inquit,

- - - *rapta properabat abolla*
Pegaſus,

honeſtum veſtimenti genus fuiſſe oſtendit, quod Pegaſus iturus Albam ad Domitianum Cæſarem, præfectus ipſe Urbi, ſumpſerit. Idem tamen Sat. III. ubi ait,

- - - *atque audi facinus majoris abollæ*,

Stoicis *abollam* tribuit, quemadmodum & Martial. nunc Criſpinum aulicum, nunc Cynicos *abolla* veſtit, lib. VIII. Epigr. XLVIII. & lib. I. Epigr. CXXXIII.

Eſius Proculus.] Proculus & Plautiorum, & Juliorum, & Coccejorum, & Liciniorum, & Bæbiorum cognomen eſſe notavi. Adde etiam Eſiorum, quæ gens tamen mihi ignota eſt. Libb. duo *Heſius* ſcribunt.

Coloſſeros.] Sic noſtri MSS. omnes. Invenitur tamen etiam *Coloſſeos*, & (ut Turneb. teſtatur) κολοπεῖος, quo ſenſu, ignoro. Mallem igitur *Coloſſeus.* ſic enim & Plin. lib. XXXV. cap. VII. *Nero Princeps juſſerat coloſſeum ſe pingi*, & lib. XXXIV. cap. VII. *ſimulacrum coloſſeum*, ut *ſtatuam coloſſeam* ipſe Sueton. Veſp. cap. XXIII. & Spartian. L. Ælio. Sed & *ſignum coloſſicon* Plin. lib. XXIV. cap. VIII. ut *opera coloſſicotera* lib. X. Vitruvius, quæ ingentiora ſint. Hinc igitur proverbium, κολοσσαῖος τὸ μέγεθος.

Thraci & mox hoplomacho comparavit.] Pro *Thraci* vetuſtiſſima exemplaria *Threci*, & *Treci* habent, ut etiam apud Horat. *Threx* (vel *Trex*) *eſt Gallina Syro par?* *Hoplomachi* autem armati vocabantur, ad eorum differentiam, qui inermes ferme, & ſæpe catervatim, meridiano maxime tempore, depugnabant. Seneca lib. I. Epiſt. VII. *Caſu in meridianum ſpectaculum incidi.* & mox: *Quicquid ante pugnatum eſt, miſericordia fuit; nunc mera homicidia fiunt. Nihil habent quo tegantur, ad ictum totis corporibus expoſiti, nunquam fruſtra manum mittunt. Hoc plerique ordinariis paribus, & poſtulatitiis, ut in expeditione, præferunt. Quid ni præferant? Non galea, non ſcuta repellitur ferrum.* Hinc ſatis aperte intelligitur, qui *hoplomachi* fuerint. *Comparare* vero *Thraci* dixit Sueton. ut *committere*, *contendere*, & *componere*, & quidem maxime proprie, cum par pari congreditur.

CASAUBON.

35. *Cn. Pompejo ſtirpis antiquæ Magni cognomen.*] Nullam in ullis codd. varietatem hic annotamus, nec ſatis ſcio quam recte doctiſſimus Urſinus luxata hæc eſſe, & loco ſuo mota illa verba *ſtirpis antiquæ*, pronuntiarit. etſi non diffiteor probabilem eſſe illius emendationem, ſcribentis paullo ante, *nobiliſſimo cuique ſtirpis antiquæ ademit.* Hic autem eſt Cn. Pompejus Magnus, qui poſtea gener fuit Claudii, ut libro ſequente narratur, & notat Dio in rebus Claudii, ubi hoc quoque commemorat.

Ob egregiam corporis amplitudinem & ſpeciem Coloſſeros dictus.] Non male fortaſſe ſcripſeris, *ob corporis amplitudinem & egregiam ſpeciem.* utrumque voce *Coloſſeros* eleganter exprimitur: amplitudo corporis, priore parte compoſitæ hujus dictionis: forma venuſta & amabilis, poſteriore. Miramur igitur non parum, quid moverit viros eruditiſſimos, ut hanc lectionem adeo manifeſto veram & veterum libb. auctoritate confirmatam ſollicitarent.

Thraci & mox hopl.] Melius ſcripſeris *Threci*, & ita in cod. Pithœi.

TOR-

ret. Nemorenſi regi, quod multos jam annos potiretur ſacerdotio, validiorem adverſa-
rium ſubornavit. Cum quodam die muneris, eſſedario Porio, ob proſperam pugnam
ſervum ſuum manu mittenti ſtudioſius plauſum eſſet, ita ſe proripuit e ſpectaculis, ut
calcata lacinia togæ, præceps per gradus iret indignabundus, & clamitans, *Dominum gen-
tium populum ex re leviſſima plus honoris gladiatori tribuentem, quam conſecratis prin-*
36 *cipibus, aut præſenti ſibi.* Pudicitiæ neque ſuæ neque alienæ pepercit. M. Lepidum
Mneſterem pantomimum, quoſdam obſides dilexiſſe fertur, commercio mutui ſtupri.
Valerius Catullus conſulari familia juvenis, ſtupratum a ſe, ac latera ſibi contubernio ejus
defeſſa, etiam vociferatus eſt. Super ſororum inceſta, & notiſſimum proſtitutæ Pyralli-
dis amorem, non temere ulla illuſtriore fœmina abſtinuit: quas plerumque cum maritis
ad cœnam vocatas, præterque pedes ſuos tranſeuntes diligenter, ac lente, mercantium
more conſiderabat: etiam faciem manu allevans, ſi quæ pudore ſubmitterent. Quoties
deinde libuiſſet, egreſſus triclinio, cum maxime placitam ſevocaſſet, paullo poſt recen-
tibus adhuc laſciviæ notis, reverſus vel laudabat palam, vel vituperabat: ſingula nume-
rans bona malave corporis, atque concubitus. Quibuſdam, abſentium maritorum nomi-
37 ne, repudium ipſe miſit, juſſitque in Acta referri. Nepotinis ſumtibus omnium prodi-
gorum

TORRENT.

Nemorenſi regi.] Libri MSS. omnes *Nemereſſi*, aut *Nemoreſi*. Recte autem Beroaldus ex Strabone lib. V. & Servio in illud Virgilii lib. VI.

- - - latet arbore opaca
Aureus & foliis & lento vimine ramus,

quis rex Nemorenſis fuerit, declarat. Quibus adde Pauſaniam Corinthiacis. dicato enim ab Hippolyto poſtquam eum Æſculapius in vitam reſtituerat, Dianæ Aricinæ templo, (cui lucus adjacet, & lacus, hodie quoque Nemorenſis dictus, vulgo Speculum Dianæ) poſtea barbarico Scytharum more inductum fuit, ut inter ſervos fugitivos is, qui ſingulari certamine victor primus hoſtiam immolaſſet deæ ſacerdos fieret, quem & regem appellabant, & ſacerdotii regnum tantiſper obtinebat, dum vertente anno fortior aliquis ſuperveniens eum pugna ſuperaret, qualem Cajus ei qui jam multos annos ſacerdotio præfuerat, ſubmiſit. Eleganter igitur ingenioſiſſimus poeta Ovid. lib. III. Faſt.

Regna tenent fortes manibus, pedibuſque fugaces,
Et perit exemplo poſtmodo quiſque ſuo.

Plura vide apud Gregorium Gyraldum ſyntagmate XII.

Eſſedario Porio.] Lib. unus *Poio.* Mallem *Poro.* *Eſſedarios* vero genus fuiſſe gladiatorum, qui ex eſſedo pugnabant, manifeſtum eſt etiam ex Suetonii Claud. cap. XXI.

36. *Mneſterem pantomimum.*] Bene ſic Pulmannus & hic, & cap. LV. & LVII. quanquam eum magno conſenſu M. Neſtorem vocant omnes, quos vidi, codices. Dion verum nomen ſervat. Exſtat etiam hæc inſcriptio: T. IULIO AUG. L. MNESTERI. De M. Lepido ſup. cap. XXIV.

Valerius Catulus.] Liber opt. *Catullus.* Et ſane Catulus Lutatiorum, Catullus Valeriorum eſt. Vetus nummus, L. VALERIUS CATULLUS III-VIR AAA. FF.

Laſciviæ notis.] Quales ſupra Aug. cap. LXIX.

37. *Nepotinis ſumptibus.*] Lib. unus *Nepotatus.* quod Beroaldus quoque agnoſcit. Et ſane *nepotatus* & *nepotari* dixerunt veteres, etiam Plin. Plura in Horat. Epod. I.

Diſcinctus aut perdam ut nepos.

De Caji vero luxu eleganter admodum Seneca Conſolat. ad Helviam (ſive Albina eſt) cap. IX. *Cajus Cæſar, quem mihi videtur rerum natura edidiſſe, ut oſtenderet, quid ſumma vitia in ſumma fortuna poſſent, centies* HS. *cœnavit uno die, & in hoc omnium adjutus ingenio, vix invenit, quomodo provinciarum tributum una cœna fieret.*

CASAUBON.

Eſſedario Porio.] Junius Philargyrus in lib. III. Georg. Latini poetæ: *Eſſeda vehiculi vel curris genus, quo ſoliti pugnare Galli. Cæſar teſtis eſt libro ad Ciceronem tertio: Multa millia equitum atque eſſedariorum habet. Hinc & gladiatores eſſedarii dicuntur, qui curru certant.* Malim vero ſcribi, *Eſſedario Oporio*, aut *Poro.*

Ob proſperam pugnam.] Scribe, *poſt proſperam pugnam*, ex Viterb. Pithœi & Memmii.

36. *Quibuſdam abſentium maritorum nomine repudium ipſe miſit, juſſitque in acta referri.*] Horum alterum fuit ex more: repudia enim in acta referebantur: alterum contra leges erat. Adi ad Juriſconſultos, quorum hæc propria eſt cognitio.

37. *Nepotinis ſumptibus omn.*] Libri quique optimi, *Nepotatus ſumtibus.*

VARIOR.

37. *Nepotinis ſumptibus.*] Codex etiam Salmaſ. & Palatini tres: *Nepotatus ſumptibus.*

 TOR-

gorum ingenia ſuperavit: commentus novum balnearum uſum, portentoſiſſima genera ciborum, atque cœnarum: ut calidis frigidiſque unguentis lavaretur: pretioſiſſimas margaritas aceto liquefactas ſorberet: convivis ex auro panes & opſonia apponeret: *aut frugi hominem eſſe oportere dictitans, aut Cæſarem.* Quin & nummos non mediocris ſummæ e faſtigio baſilicæ Juliæ per aliquot dies ſparſit in plebem. Fabricavit & deceres Liburnicas, gemmatis puppibus, verſicoloribus velis, magna thermarum & porticuum & tricliniorum laxitate, magnaque etiam vitium & pomiferarum arborum varietate: quibus diſcumbens de die inter choros ac ſymphonias, litora Campaniæ peragraret. In exſtructionibus prætoriorum atque villarum omni ratione poſthabita, nihil tam efficere concupiſcebat quam quod poſſe effici negaretur. Et jactæ itaque moles infeſto ac profundo mari, exciſæ rupes duriſſimi ſilicis, & campi montibus aggere æquati, & complanata foſſuris montium juga, incredibili quidem celeritate, cum moræ culpa capite lueretur. Ac ne ſingula enumerem, immenſas opes, totumque illud Tiberii Cæſaris, vicies ac ſepties milies HS. non toto vertente anno abſumſit. Ex- 38
hauſtus

TORRENT.

Unguentis lavaretur.] Unguentis etiam ſolia temperabat, quod unus quoque e Neronis ſervis fecit. Plin. lib. XIII. cap. III.

Baſilicæ Juliæ.] Sunt qui Pauli, ſunt qui Caji & Lucii baſilicam intelligant, quam nepotum nomine Auguſtus exſtruxit. Verum baſilicæ Juliæ, quam Cæſar dictator anno imperii ſui tertio dedicavit, meminit Euſeb. Chronicis. Nec dubium, quin de ea hic loquatur Sueton. uti & Quintilian. lib. XII. & Plin. Epiſt. ult. V. Errat etiam Beroaldus, cum eam a Vitruvio exſtructam dicit. Vitruvius enim baſilicæ Juliæ Faneſtri, non Romæ, ædificandæ præfuit, ut de ſe ipſe teſtatur lib. V. cap. I.

De cedris Liburnicas.] Sic libri omnes, quos videre me contigit, niſi quod unus *Liburnas* pro *Liburnicas* habet, ſicut & Horat. Epod. I.

Ibis Liburnis, &c.

Turneb. tamen Adverſ. XXII. cap. XXX. Græco vocabulo δεκήρεις legit, ut decemremes ingentis magnitudinis intelligamus. Ego magnitudinem ex his quæ ſequuntur, ſatis oſtendi exiſtimo. Nec conſuevit Sueton. Græce loqui, aut ſi loquatur, eo modo Græcum epitheton voci Latinæ adjungere. Et cur non, ut Ægypti quidam & Syriæ reges, Cajus quoque de cedris Liburnicas ædificaverit? ſic enim, quod Caji nepotatum decet, amplitudini navium etiam materiæ pretium acceſſerit.

Etiam vitium.] Libri duo non habent *etiam.* Sed & illæ duæ dictiones, *de die*, in iiſdem deſiderantur, male. nam de die convivantem facit.

Inter choros & ſymphonias.] Libri MSS. *inter hortos*, ſed nihil muto. Idem de L. Vero Antonino ſcribit Capitolin.

Exciſæ rupes.] Melius in optimo cod. *& exciſæ.* Horat.

Contracta piſces æquora ſentiunt
Jactis in altum molibus.

Vicies ac ſepties millies HS.] Quanta ea fuerit ſumma, Budæum conſule lib. IV. De aſſe. Dion, niſi mendoſus eſt, minorem facit.

CASAUBON.

Pretioſiſſimas margaritas aceto liquefactas.] Memmii, Cujacii & Liſſ. codd. *pretioſiſſima margarita aceto liquefacta.* Utrumque dici notum eſt.

E faſtigio baſilicæ Juliæ.] De hac baſilica legant ſtudioſi, quæ diligenter adnotavit præſtantiſſimus Scaliger, ad Chronici Euſebiani numerum MDCCCCLXXI.

Et de cedris Liburnicas.] In ſolo Memmii libro reperi lectionem Turnebo annotatam, *de ceris*: unde ille faciebat *deceres*, id eſt, δεκήρεις, quod perplacet: etſi alteram lectionem damnare jure non poſſumus.

Totumque illud Tiberii Cæſaris vicies ac ſepties millies HS. non toto vertente anno abſumpſit.] Dio & in ſummæ numero, & in temporis ſpatio, quo hæ opes ſunt abſumptæ, diſſentit: ſcribit enim ſub initium lib. LVIII. πέντε γοῦν μυριάδας μυριάδων καὶ πεντακοσίας καὶ ἑπτάκις χιλιας, ὡς δὲ ἕτεροι ὀκτώ τε καὶ δισχιλίας καὶ πεντακοσίας τεθησαυρισμένας εὑρὼν, οὐδὲ ἐς τὸ τρίτον ἔτος μέρος ἀπ᾽ αὐτῶν τι διέσωσεν. Ex quibus verbis apparet, diverſe tradi ſolitum pecuniarum modum, quas Tiberius confiſcatas reliquit, aliis ſcribentibus fuiſſe vicies ter millies ſeſtertium: aliis tricies & ter millies ſeſtertium. ita namque efferri Latine debent Græca verba Dionis, non ut interpretes vertunt: qui de ſumma, quam auctor ait, plurimum ſua interpretatione deterunt. De hac autem pecunia a Tiberio cumulata loquitur Auctor oraculorum Sibyllinorum, quo loco de Tiberio & Nerone hos verſus fundit:

Εἷς μὲν πρέσβυς ἐὼν, σκήπτρων ἐπὶ πουλὺ κρατήσει,
Οἰκτρότατος βασιλεὺς, ὃς χρήματα κόσμου ἅπαντα
Δώμασιν ἐγκλείσει τηρῶν, ἵν᾽ ὅταν γ᾽ ἐπανέλθῃ

Ἐκ

hauſtus igitur atque egens, ad rapinas convertit animum, vario & exquiſitiſſimo calumniarum & auctionum & vectigalium genere. Negabat jure civitatem Romanam uſurpare eos, quorum majores ſibi poſteriſque eam impetraſſent, niſi filii eſſent. Neque enim intelligi debere *poſteros* ultra hunc gradum. Prolataque Divorum Julii & Auguſti diplomata, ut vetera & obſoleta deflebat. Arguebat & perperam editos cenſus, quibus poſtea quacumque de cauſſa quidquam incrementi acceſſiſſet. Teſtamenta primipilarium,

Ἐκ περάτων γαίης ὁ φυγὰς μητροκτόνος ἐλθὼν,
Ταῦτα ἅπασι διδȣ̀ς πλȣ̃τον μέγαν Ἀσσίδι θήσῃ.

Vides vanum Sibyllæ vaticinium: vel potius *ἀνιστορησίαν* boni illius viri, qui multo poſt Neroniana tempora zelo propagandæ religionis Chriſtianæ ſub nomine Sibyllarum ea carmina fecit & publicavit. Norat ille ingentem pecuniæ vim a Tiberio eſſe congeſtam: at ejus non meminerat, quod hoc loco ſcribit Tranquillus. Ideo imaginario illi Neroni falſo tribuit, quæ omnes hiſtoriæ Caligulæ.

Varior.

E faſtigio baſilicæ Juliæ.] Meminit hujus baſilicæ Scholion Juvenalis in Sat. IV. Neſcio an eadem cum porticu Julia. Gloſſæ Perſii: *Feneratores ad Puteal Scribonis Licinii, quod eſt in porticu Julia, ad arcum Fabianum, convenire ſolebant.* Eam porticum vetuſtate collapſam a Vettio Probiano V. C. præfecto Urbis inſtauratam fuiſſe, teſtis inſcriptio Romana. Auguſtus in ſuo indice: FORUM. JULIUM. ET. BASILICAM. QUÆ. FUIT. INTER. ÆDEM. CASTORIS. ET. ÆDEM. SATURNI. COEPTA. PROFLIGATAQUE. OPERA. A. PATRE. MEO. PERFECI. In alia inſcriptione: T. FLAVIUS. GENETHLIUS. NUMUL. DE. BASILICA. JULIA. NATIONE. BESS. *Joſ. Scaliger.*

Torrent.

38. *Sibi poſteriſque.*] His verbis JCti minores omnes intelligunt, etiam ultra trinepotes. At Cajus eis tantum filios comprehendit. Vide l. LXXXI. De legatis lib. III. & l. III. De jure immunitatis.

Deflebat.] Sic ſup. cap. XXX. *crudeliſſimam cædem deflevit edicto.* Ut cum mimica quadam commiſeratione in diplomatis nimiam vetuſtatem & neſcio quid obſoletum ſit cauſatus; quo minus ſecundum ea civitatem addiceret. ita enim (opinor) præſtat capere, quam *deflavit*, aut *difflavit* cum viro docto emendare ſine exemplo, ut arbitror. Et alioqui non tam difflatio eſt in moribus noſtris, ubi quid elevamus aut aſpernamur, quam ſibilus.

Teſtamenta primipilarium.] Cur non aliorum etiam centurionum, & tribunorum, quos vel ipſe, vel Tiberius ſui beneficii fecerat?

Casaubon.

38. *Julii & Auguſti diplomata ut vetera & abſoleta deflebat.*] Hæc ſcriptura eſt omnium libb. nec probo emendationem ſcribentium *delebat:* nam vel *deflebat* retineam, & cum Torrentio interpreter de mimico geſtu, quo ſolitus uti Cajus in elevanda auctoritate horum diplomatum: vel cum Lipſio ſcribam *deflabat.* quam ſcripturam ſciolus aliquis inventam in optimo Memmii libro corruperat: ita tamen ut illius clariſſima invenerimus veſtigia & certiſſima. Sic fere *καταφυσᾷν* poſitum notabamus apud Epiphanium libro primo *κατὰ Μαρκοσίων. γυναῖκες, ἃς ὁμοίως ταῖς λοιπαῖς ἐπετήδευσε, παραπείθειν κελεύων αὐταῖς προφητεύειν, καὶ κατὰ φυσήσαται καὶ καταθεματίσασαι αὐτὸν, ἐχωρίσθησαν τȣ̃ τοιȣ́τȣ θιάσȣ.* idem enim valet eo loco *καταφυσᾷν* quod apud Sophoclem *πτύειν*, & vulgo *καταπτύειν*, *aſpernari*, *contemnere.* Scholia ejus poetæ in Antigonen ad illa verba, *πτύσας προσώπῳ κ᾽ ȣ̓δὲν ἀντειπών. ȣ̓ κυρίως προσπτύσας τῷ πατρί. ὡς καὶ ἡμεῖς ἐν τῇ συνηθείᾳ φαμὲν κατέπτυσεν αὐτȣ̃, ὅ ἐστι, κατεφρόνησε τῶν λόγων αὐτȣ̃.* porro voce qua uſus Caligula, exprimitur geſtus faſtidientis & contemnentis: nam ita erat moris. In Martyrologio veteri id dicitur *exſufflare*, in Januario: *In Achaja ſancti Satyri martyris qui tranſiens ante quoddam idolum, cum exſufflaſſet in illud, ſignans ſibi frontem, ſtatim idolum illud corruit.* Sulpicius Severus ſcriptor politiſſimus, negat eam vocem ſatis Latinam. locus eſt dialogo tertio, ubi de Martino loquens: *Vidit*, inquit, *poſt tergum Avitiani dæmonem miræ magnitudinis aſſidentem: quem eminus (ut verbo, quia ita neceſſe eſt, parum Latino loquamur) exſufflans, Avitianus ſe exſufflari exiſtimans, Quid me, inquit, ſancte, ſic aſpicis?* utitur eo verbo & S. Auguſtinus ſæpe.

Arguebat & perperam editos cenſus.] Lego *perperam editi cenſus.* conſidera: aliter ſententia ſtare non poteſt. in cenſum omnia bona erant deferenda: qui fallebant, aut ærarii fiebant, & in Cæritum tabulas referebantur, aut vænibant ipſi bonaque eorum. eo ſpectavit Cajus, eo Suetonius.

Teſtamenta primipilarium.] Imo omnium centurionum. Ait enim Dio, *πάσας ἁπλῶς τῶν ἐν τοῖς ἑκατοντάρχοις ἐστρατευμένων ȣ̓σίας, ὅσοι μετὰ τὰ ἐπινίκια ἃ ὁ πατὴρ αὐτȣ̃ ἔπεμψεν, ἄλλῳ τινὶ αὐτὰς, καὶ μὴ τῷ αὐτοκράτορι καταλελοίπεσαν. αὐτὸς ἑαυτῷ καὶ ἄνευ ψηφίσματος εἰσέπραξε.* Similia alia fiſci jura aut injurias potius; hiſtorici & juriſconſulti referunt. Videtur autem Suetonius primipilarium tantum feciſſe mentionem, quia horum potiſſimum expetitæ hæreditates: ut eorum ad quos pleraque commoda militiæ

rium, qui ab initio principatus Tiberii, neque illum, neque ſe heredem reliquiſſent, ut ingrata reſcidit. Item ceterorum, ut irrita & vana, quoſcumque quis diceret herede Cæſare mori deſtinaſſe. Quo metu injecto, cum jam & ab ignotis inter familiares, & a parentibus inter liberos palam heres nuncuparetur, deriſores vocabat: quod poſt nuncupationem vivere perſeverarent, & multis venenatas macteas miſit. Cognoſcebat autem de talibus cauſſis, taxato prius modo ſummæ, ad quem conficiendum conſideret, confecto demum excitabatur. Ac ne paullulum quidem moræ patiens, ſuper quadraginta reos quondam ex diverſis criminibus una ſententia condemnavit, gloriatuſque eſt expergefactæ ſomno Cæſoniæ, *quantum egiſſet*, *dum ea meridiaret*. Auctione propoſita, reli-

litiæ ſolita pervenire. Vegetius lib. II. cap. XXI. *Primipili centurio poſtquam in orbem omnes cohortes per diverſas adminiſtraverit ſcholas, in prima cohorte ad hanc pervenit palmam, in qua ex omni legione infinita commoda conſequitur.* Inter alia autem primipilarium commoda ea fuerunt, quæ ex militum teſtamentis conſequebantur. Fere enim milites qui in caſtris teſtamenta condebant, amicis commilitonibus, in primis autem primipilaribus, ſua relinquebant. Quintilianus lib. VI. cap. de riſu: *Optima eſt ſimulatio contra ſimulationem: qualis illa Domitii Afri fuit. Vetus habebat teſtamentum: & unus ex amicis recentioribus ſperans aliquid ex mutatione tabularum, falſam tabulam intulerat, conſulens eum, an primipilaris ei teſtamento ſuaderet ordinare ſuprema judicia.* Eſt hic locus ſubobſcurus: ſed poteſt *primipilaris teſtamentum* bifariam accipi, vel pro eo teſtamento, quo miles hærede primipilari inſtituto, commilitonibus partem bonorum legavit: vel pro teſtamento, quo primipilaris Imperatorem ſcripſit hæredem, amicis legata dedit. utrovis modo accipias, clara mens hujus captatoris.

TORRENT.

Quoſcumque quis diceret.] Mallem, ut in optimo cod. *quos quis diceret.* Qua de re ſic Paulus J. C. l. ult. de Teſtam. *Ejus bona, qui ſe Imperatorem facturum heredem eſſe jactaverat, a fiſco occupari non poſſunt.*

Ab ignotis.] Atqui nunquam ex ignoti teſtamento capere aliquid Auguſtus voluit, cap. LXVI. Spartian. Hadriano: *Ignotorum hereditates repudiavit, nec notorum accepit, ſi liberos haberent.* Sed & Antonini duo id obſervarunt. Pertinax quoque profeſſus eſt nullius ſe aditurum hereditatem, quæ aut adulatione delata eſſet, aut lite perplexa, ut legitimi heredes & neceſſarii privarentur. Horum itaque Principum exemplo recte Paullus J. C. *Imperatorem* (inquit) *litis cauſa heredem inſtitui invidioſum eſt, nec calumniæ facultatem ex principali facultate capi oportet.* l. XCI. De hered. inſtit. Ipſe etiam Domitianus hac ſaltem in re bonos Principes ſecutus eſt, (Suet. Domit. cap. IX.) Cajum Commodus.

Heres nuncuparetur.] *Nuncupare heredem* proprie eſt non ſcripto quem quis ſibi ſucceſſorem velit nominare, ſed verbis palam exprimere. Unde teſtamentum *per nuncupationem* ſcripto opponitur l. XXI. & XXV. de Teſtam. Atque hinc locus Plinii declaratur lib. IX. cap. XXXV. de Lollia Paullina, Caji Principis uxore, onuſta (ut inquit) margaritis, *quarum ſumma quadringenties* HS. *colligebat, ipſa confeſtim parata nuncupationem tabulis probare. Nuncupationem* pereleganter appellat Plin. æſtimationem nudis tantum verbis expreſſam, quam ex rationum tabulis ipſa ſe probaturam offerebat. Male igitur Hadr. Turnebus *mancupationem* ibi ſubſtituit.

Venenatas macteas.] Libb. veteres *matteas*, vel *mattheas.* Græci fere *ματτύας* vocant, uti & Martial. lib. x. Epigr. LIX. Arnobius alicubi *matteolas*, ſi recte memini. Vide Turnebum Adverſar. XXII. cap. VI. & Rhodiginum lib. IX. cap. XII. ex Athenæi lib. XIV. Meminit & Suidas.

Ad quem conficiendum.] Libri MSS. *ad quam faciendam*, vel *faciendum*, unus *ad quam conficiendam.* quod probo.

Expergefactæ ſomno Cæſ.] Lib. unus *expergefactæ e ſomno Cæſonia.* Arbitror verum, *expergefactæ a ſ. Cæſoniæ.*

CASAUBON.

Venenatas macteas.] Ita prima editio, & nonnulli MSS. Athenæus lib. IV. & XIV. *ματτύην* appellat: ſed cum a *μάττειν* vox ſit deducta, tam poteſt *c* in hac dictione ferri, quam in aliis ejuſdem originis, ut *μάκτης*, *μάκτηρ* & *μάκτρα.* Obſtat tamen, quod affinem vocem *mattici* ſcribimus, non *mactici.* Mommianus & multi, *matteas.*

VARIOR.

38. *A parentibus inter liberos palam heres.*] Acuta ad hunc locum gnoma Taciti apud Agricolam c. 43. ubi Domitiani mentio, lætantis, quod ab Agricola coheres ſcriptus uxori ejus & filiæ: *Tam cæca & corrupta mens aſſiduis adulationibus erat, ut neſciret a bono patre non ſcribi heredem, niſi malum Principem.* J. GRUTERUS.

Venenatas macteas.] Arnobius: *Fruſtilla hac parvula pro ſuavibus macteolis ſument. Mactya* in Martiale lib. x. Epigr. ſcribitur Græcorum more. Hoc nomine, ut ait lib. XIV. Athenæus, omne ſcitamen-

reliquias omnium ſpectaculorum ſubjecit, & venditavit: exquirens per ſe pretia, & uſque eo extendens, ut quidam immenſo coacti quædam emere, ac bonis exuti venas ſibi inciderent. Nota res eſt, Aponio Saturnino inter ſubſellia dormitante, monitum a Cajo præconem, ne prætorium virum crebro capitis motu nutantem ſibi præteriret: nec licendi finem factum, quoad tredecim gladiatores HS. nonagies ignoranti addicerentur.
39 In Gallia quoque, cum damnatarum ſororum ornamenta, & ſupellectilem, & ſervos, atque etiam liberos, immenſis pretiis vendidiſſet: invitatus lucro, quidquid inſtrumenti veteris aulæ erat, ab urbe repetiit: comprehenſis ad deportandum meritoriis quoque vehiculis, & piſtrinenſibus jumentis: adeo, ut & panis Romæ ſæpe deficeret, & litigatorum plerique, quod occurrere abſentes ad vadimonium non poſſent, cauſſa caderent.

Cui

tamentum, & omnis cupedia, jucundumque & pretioſum edulium cenſetur: cum tamen initio eſſet quædam maza. TURNEBUS. Codex Salmaſianus: *matteas.*

Matteas miſit.] *Mattyas* ſcribendum videtur. GUJETUS.

TORRENT.

Reliq. omn. ſpectac.] Apparatum atque inſtrumentum omne intelligit, quod peractis ſpectaculis ſupererat. Vide locum Plinii de M. Scauri Ædilitate lib. XXXVI. cap. XV. & Suetonium Cæſ. cap. X.

Aponio Saturnino.] Notius Romæ Aproniorum nomen; ſed & Aponii fuere, & quidem cognomine Saturnini. In iis ille, qui Mœſici exercitus legatus militari ſeditione initio imperii Veſpaſiani pæne oppreſſus eſt, hujus (ut puto) filius, de quo Tacit. Hiſt. lib. III.

39. *Piſtrinenſib. jumentis.*] Cæſ. cap. XXXI. *mulis e proximo piſtrino*, &c.

Cauſa caderent.] Deſerto nempe vadimonio: quod etiam infamia conſequebatur. Cic. pro Quinctio. Plinius præfat. operis ſui, *inſcriptiones, propter quas vadimonium deſeri poſſet.*

CASAUBON.

Auctione propoſita reliquias omnium ſpectaculorum ſubjecit & venditavit.] *Reliquiæ ſpectaculorum* ſunt gladiatores, qui ſpectaculo ſuperſtites remanſerant. Dio vertit, τὸυς περιγενομένους τῶν μονομάχων. Erant & quædam reliquiæ Circenſium, quarum facit idem obſcuram mentionem. *Subjicere* ἁπλῶς pro ſubjicere haſtæ.

Exquirens per ſe pretia, & uſque eo extendens.] Dio, αὐτός τε ἐπὶ τοῦ πρατηρίου καθεζόμενος, καὶ αὐτός τε ὑπερβάλλων.

Quicquid inſtrumenti veteris aulæ erat.] Minus mirandum, quia alii quoque Principes idem fecerunt: etſi non ob eandem cauſam. Capitolinus in vita M. Antonini Philoſophi: *Cum ad hoc bellum omne ærarium exhauſiſſet ſuum, neque in animum induceret, ut extra ordinem provincialibus aliquid imperaret; in foro divi Trajani auctionem ornamentorum imperialium fecit, vendiditque aurea pocula & cryſtallina, & myrrhina: vaſa etiam regia, & veſtem uxoriam ſericam & auratam, gemmaſque etiam, quas multas in repoſitorio ſanctiore Hadriani repererat: & per duos menſes hæc venditio celebrata eſt.*

VARIOR.

Reliquias omnium ſpectaculorum ſubjecit.] Ἐλλειπτικῶς pro haſtæ ſubjecit. GUJET.

39. *Atque etiam liberos.*] Codex Salmaſ. *liberios.* Unde legendum Salmaſius conjecit, *libertos.*

Etiam liberos.] *Libertos* ſcrib. GUJETUS.

Occurrere abſentes ad vadimonium.] *Abſentes* nempe rei: horum quippe fuit vadimonium obire, ut alibi notavimus. Eſt enim *vadimonium*, ut recte cenſet Valla 6. Eleg. 31. *Sponſio ad certum diem ſiſtendi ſe in judicio.* Sponſio nempe ipſius rei. Et tamen idem ille Valla ibidem loci, & Herald. 2. Animadverſ. 1. exiſtimavit Varroni vadimonium fuiſſe *fidejuſſionem*, inductus vitioſa loci ſcriptura, quo ea de re agitur. Legitur enim ibi vulgo: *Vas appellatus, qui pro altero vadimonium promittebat*, cum legendum ſit: *Vas appellatus, qui pro altero ſpondet, qui vadimonium promittebat.* Vadimonium nimirum ſpondebat vel promittebat ipſe reus, dicebatque præfinito die venturum ſe in judicium. Atque hoc ita futurum item ſpondebat vas. Sed quia totus ille locus, quo Varro de ſponſione agit, plurimo laborat errore, integritati ſuæ illum hic reſtituere placet, quoniam eo ipſo liquidius apparebit, male loco jam indicato extrita in vulgatis eſſe verba: *Spondet, qui.* Eum ſic exhibitum ab auctore eſſe, veriſimile mihi videtur: *Spondere eſt dicere. Spondeo, a ſponte. nam id valet, e voluntate. Ideo Lucilius ſcribit de Cretea, cum ad ſe cubitum veniret ſua voluntate: Sponte ipſam ſuapte adductam, ut tunicam & cetera rejiceret. Eandem voluntatem Terentius ſignificat, cum ait, Satius eſſe ſua ſponte recte facere, quam alieno metu. Ab eadem ſponte, a qua dictum eſt ſpondere, declinatum eſt Deſpondet & Reſpondet, Deſponſor & Reſponſa. Item ſic alia. Spondet enim, qui dicit ſua ſponte. Spondet etiam ſponſor, qui, idem ut faciat, obligatur. Hinc Sponſus, Conſponſus. Hoc Nævius ſignificat, cum ait:*

Fff

Con-

Cui inſtrumento diſtrahendo nihil non fraudis ac lenocinii adhibuit, modo avaritiæ ſingulos increpans, & *quod non puderet eos locupletiores eſſe, quam ſe:* modo pœnitentiam ſimulans, quod principalium rerum privatis copiam faceret. Compererat provincialem locupletem ducenta HS. numeraſſe vocatoribus, ut per fallaciam convivio interponeretur, nec tulerat moleſte tam magno æſtimari honorem cœnæ ſuæ. Huic poſtero die ſedenti in auctione miſit, qui neſcio quid frivoli ducentis milibus traderet: diceretque *cœnaturum apud Cæſarem, vocatu ipſius.* Vectigalia nova atque inaudita, primum per publicanos, deinde quia lucrum exuberabat, per centuriones tribunoſque prætorianos exercuit: nullo rerum aut hominum genere omiſſo, cui non tributi aliquid imponeret. Pro eduliis, quæ tota urbe venirent, certum ſtatumque exigebatur. Pro litibus atque judiciis ubicumque conceptis, quadrageſima ſummæ, de qua litigaretur: nec ſine pœna, ſi quis compoſuiſſe vel donaſſe negotium convinceretur. Ex gerulorum diurnis quæſtibus pars octava, ex capturis proſtitutarum quantum quæque uno concubitu mereret. Addi-

Conſponſi.... Spondebatur pecunia aut filia nuptiarum cauſa. Appellabatur & pecunia, quæ deſponſa erat, ſponſa. Quum pecunia inter ſe contra ſponſum rogata erat, dicta ſponſio. cui deſponſa quod erat, ſponſus Quo die ſponſum erat, ſponſalis. Qui ſponderat filiam, Deſpondiſſe dicebatur, quod de ſponte ejus, id eſt, voluntate, exierat. Tum enim, etſi nolebat, dabat, quod ſponſu erat alligatus. Nam in comœdiis vides dici, Sponden' tuam gnatam filio uxorem meo? quo tum & Prætorium jus ad legem, & Cenſorium judicium ad æquum æſtimabatur. Sic deſpondiſſe animum quoque dicitur, ut deſpondiſſe filiam, quod ſuæ ſpontis ſtatuerat finem. Æque ſponte dicere, eumque ſpondere quoque dixerunt, cum ad ſpontem reſponderetur, id eſt, ad voluntatem rogantis. Itaque qui ad id quod rogatur, non dicit, non reſpondet. Et non ſpondet ille ſtatim, qui dixit Spondeo, ſi jocandi cauſa dixit: neque agi cum eo poteſt ex ſponſu. Ita quiſquis dicit in tragœdia, Meminiſtine te deſpondere mihi gnatam tuam? Quod ſine ſponte ſua dixit, cum eo agi non poteſt ex ſponſu. Etiam ſpes a ſponte poteſt eſſe declinata, quod tum ſperat, cum quod volt, ſic fieri putat. Nam quod non volt, ſi putat, metuit, non ſperat. Ita hic quoque qui dicit in Aſtraba Plauti, Sequere, Sequere, Polybadiſce, meam ſpem cupio te conſequi. Sequor Hercle quidem. Nam libenter, mea ſperata, conſequor. Ecquid ſine ſponte dicunt vere? Neque ille ſperat, qui dicit, adoleſcens, neque illa ſperata eſt. Sponſor, & præs, & vas neque iidem, neque res, a quibus ii, ſed diſſimiles. Itaque præs, qui a magiſtratu interrogatus, in publicum ut præſtet, dicit Præs. Vas appellatus, qui pro altero ſpondet, qui vadimonium promittebat. Hæc ergo omnia cum ad ſponſionem pertineant, manifeſtum eſt, poſtrema in editis codicibus vitioſe exſtare, qui habent omnes, *Vas appellatur, qui pro altero vadimonium promittit.* Neque enim quiſquam pro alio, ſed pro ſe vadimonium promittit, quamvis pro eo, qui promittit, vas ſpondere ſoleat, venturum ſtatuto die in judicium reum. GOESIUS.

TORRENT.

Vocatoribus.] Qui convivas invitabant, Plin. lib. XXXV. cap. X. *vocatores ſuos oſtendenti, ut diceret a quibus invitatus eſſet.* Catull. Epigr. *mei ſodales Quærunt in triviis vocationes.* Elegans Senecæ locus lib. III. de Ira cap. XXXVII.

CASAUBON.

Compererat provincialem locupletem ducenta HS. numeraſſe vocatoribus, ut per fallaciam convivio interponeretur.] Ammianus Marcell. lib. XIII. *Homines enim eruditos & ſobrios, ut infauſtos & inutiles vitant quoque: accedente quod & nomenclatores aſſueti hæc & talia venditare mercede accepta, cœnis quoſdam & prandiis inſerunt ſubdititios, ignobiles, & obſcuros.*

40. *Pro eduliis.*] Cujacii lib. & e regiis antiquiſſ. nec non Memm. *edulibus.* non minus Latine. ibidem, *certum ſtatutumque*, non *ſtatum.* at Memm. *ſtatum.*

Ex gerulorum diurnis quæſtibus.] *Geruli* ſunt οἱ μισθοῦ φέροντες, ut vocat Appianus IV. Ἐμφυλ. Attici προυνείκους καὶ περιδίνους vocant. Latini etiam *bajulos* & *gerones*, ut Cicero in epiſtola quadam ad Atticum.

Ex capturis proſtitutarum.] *Capturæ* Latinis dicuntur mercedes artium ſordidarum & obſcœnarum. Seneca pater Controverſiarum libro primo: *Pretia ſtupri accepiſti, & manus quæ diis datura erat ſacra, capturas tulit.* Idem lib. X. in ea de debilitato mendicante: *Tibi captura quotidiana non reſpondet: apparet nondum ſatis hominibus miſerum videri.* Sic apud Valer. Max. libro III. cap. IV. lib. VI. cap. X. & lib. IX. cap. IV. Græci μίσθωμα proprie vocant: docent enim Græci critici ita differre μίσθωμα & μισθὸν, ut illud ſit captura proprie, vel pretium flagitii aut ſceleris. Atque iſta diſtinguit eas voces diſertiſſimus ſcriptor Philo contra Flaccum, Ὁ δὲ ἐνεπορεύετο τὴν λήθην τῶν δικαστῶν, τοὺς μὲν νικῶν ὀφεί-

Additumque ad caput legis, ut tenerentur publico, & quæ meretricium, & qui lenocinium

ὀφείλοντας, γράφων ἐν ἡττημένοις, τοὺς δ' ἡττᾶσθαι, μετὰ τὸν ἐπάρατον μισθὸν, ἢ κυριώτερον εἰπεῖν τὸ μίσθωμα, ἐν νενικηκόσι. Exſtat ejuſdem magni ſcriptoris & commentariolus, cujus index περὶ τοῦ μίσθωμα πόρνης εἰς τὸ ἱερὸν μὴ προσδέχεσθαι. In quo capturas hujuſmodi λήμματα αἰσχρὰ nominat. Sic accipienda vox μίσθωμα apud Ælianum Ποικίλης libro IV. cap. XII. ubi ſi aliter capias quam de captura meretricis, friget tota ſententia, aut potius nulla eſt. alii Græci ἐμπολάς. Gloſſar. Græco-Lat. Ἐμβολὴ, *captura*. ſcribe ἐμπολὴ, ut in altero Gloſſario recte ſcriptum. Dio Chryſoſtomus ſermone de Invidia priore: Πορνοβοσκῷ δὲ οὐ κερδαλεώτερόν τε καὶ ἄμεινον πρὸς τὴν ἐμπολὴν, μόνον ἔχειν τοῦτο τὸ εἶδος; Artemidorus lib. I. cap. LXXX. Ἀγαθαὶ δὲ καὶ ἐπὶ ἐργαστηρίων καθεζόμεναι ἑταῖραι, καὶ πιπράσκουσαί τι καὶ δεχόμεναι ἐμπολάς. Xiphilinus in pſeudo-Antonino, de quæſtu meretricio loquens, quod illud monſtrum inſtituerat in palatio, χρήματά τε παρ' αὐτῶν συνέλεγε, καὶ ἐγαυροῦντο ταῖς ἐμπολαῖς. Sic interpretor apud Athenæum titulum comœdiæ Ephippi Ἐμπολή. Habet & lingua Hebræa propriam huic rei vocem, אתנה *etnah*: unde Græci ſuum ἕδνον derivarunt, quod donum amatorium ſignificat, & præmium amoris, ſed honeſti. non enim eſt ab ἥδω, ut nugaces grammatici Græcorum ſomniant.

Varior.

Principalium rerum.] Id eſt, Βασιλικῶν. Gujetus.

40. *Quia lucrum exuberabat, per centuriones,* &c.] Quod ſc. publicani non ſufficerent tot negotiis. Idem.

Torrent.

40. *Quæ meretricium quæve lenocinium.*] Duo libb. MSS. *quive lenocinium*, nec diſplicet. *meretricium* enim ſolummodo feminarum eſt, *lenocinium* vero etiam viri exercent. Nove autem *meretricium* pro meretricandi arte. At *lenocinium* ea ſignificatione JCtis paſſim obvium, atque ita uſus Suet. Tib. cap. XXXV. *Capturas* vero *proſtitutarum* dixit, ut *ſordidiſſimæ mercis capturas*. Val. Max. lib. III. cap. IV. ubi de conſulatu Terentii Varronis. Alexander Severus (ut de eo ſcribit Lamprid.) lenonum vectigal, & meretricum, & exoletorum in ſacrum ærarium inferri vetuit, ſed ſumptibus ad inſtaurationem theatri, circi, & amphitheatri deputavit. *Capturas* etiam diurnas intelligo, ut & gerulorum quæſtus. *Teneri* autem *publico*, id eſt, τῇ τελωνείᾳ, & vectigali pendundo.

Casaubon.

Ut tenerentur publico & quæ meretricium & qui lenocinium feciſſent.] Vetus malum & probrum multarum Rerumpubl. pretio vendere honeſtatem publicam: nam & Athenis πορνικὸν τέλος fuit, ut ex oratione Æſchinis contra Timarchum ſcimus. Imperatoribus pleriſque fuiſſe id genus lucri non ingratum, ex Lampridio in Alexandro Severo, & Juriſconſultis certum eſt. Vide l. VII. Cod. de Spectaculis, & ſcenicis, & lenonibus, & Novellam XIV. de Lenonibus: cui non parum lucis attulerit, qui cum cap. XXXIX. lib. III. Evagrii Scholaſtici eam contulerit. Similiter aliæ quoque artes & ſordidæ & ſceleratæ pretio tolerabantur, eratque beneficiariorum Principis & curioſorum inquirere, atque in matriculas ſuas referre eos, qui tali de cauſſa publico tenerentur. Tertullianus in libro de Fuga in perſecutione: *Neſcio dolendum an erubeſcendum ſit, cum in matricibus beneficiariorum & curioſorum, inter tabernarios & lanios & fures balnearum & aleones & lenones, Chriſtiani quoque vectigales continentur.* Juſtinus Apologia altera de mangonibus catamitorum & lenonibus loquens: Καὶ τούτων μισθοὺς καὶ εἰσφορὰς καὶ τέλη λαμβάνετε, δέον ἐκκόψαι ἀπὸ τῆς ὑμετέρας οἰκουμένης. Similiter mathematici & planetarii pretium dependebant, ut artem poſſent vaniſſimam profiteri. Habes exemplum apud B. Auguſtinum libro IV. Confeſſionum, capite tertio, in illo optimo ſene, qui dicit ſe juvenem ita eam artem didiciſſe, *ut ejus profeſſionem primis annis ætatis ſuæ deferre voluiſſet, qua vitam degeret.* quid ſit *alicujus artis profeſſionem deferre*, explicant ſuperiora Tertulliani verba. Quod autem genethliaci & curioſarum artium profeſſores certum vectigal penſitantes tolerarentur, declarat & Suidas: ex quo diſcimus, Alexandriæ (qua in urbe frequens fuit id genus hominum) βλακεννόμιον proprio nomine eſſe appellatum tale tributum: qua appellatione ſtultitia conſultoribus aſtrologorum exprobrabatur. Ἐν Ἀλεξανδρείᾳ, inquit, τέλος τι βλακεννόμιον, ὃ οἱ ἀστρολόγοι τελοῦσι. διὰ τὸ τοὺς μωροὺς εἰσιέναι πρὸς αὐτούς.

Varior.

Additumque ad caput legis.] Ad quod caput? Immo hoc ipſum caput unum legis fuit. Accipimus enim id vocabulum, ut in Julio: *eo capite, quo a petitione honorum abſentes ſubmovebat.* Cicero ſecunda Agraria: *Sequitur enim caput, quo capite non permittit quidem, ſi forte deſit pecunia,* &c. Dele igitur τὸ *ad*, aut ſcribe: *Additumque & caput legis.* Verbum *addere*, ut apud Livium lib. 2. *Conditores partium certe urbis, quas novas ipſi ſedes ab ſe auctæ multitudinis addiderunt.* Tacitus annali primo: *Idem annus novas cærimonias accepit, addito ſodalium Auguſtalium ſacerdotio.* Noſter Claudio 23. *Capiti Poppææ legis a Tiberio, quaſi ſexagenarii*

nium feciſſent: nec non & matrimonia obnoxia eſſent. Hujuſmodi vectigalibus indictis, 41
neque propoſitis, cum per ignorantiam ſcripturæ multa commiſſa fierent, tandem flagitante populo Romano propoſuit quidem legem: ſed & minutiſſimis litteris, & anguſtiſſimo loco, uti ne cui deſcribere liceret. Ac ne quod non manubiarum genus experiretur, lupanar in palatio conſtituit: diſtinctiſque & inſtructis pro loci dignitate compluribus cellis, in quibus matronæ ingenuique ſtarent. Miſit circum fora & baſilicas nomenculatores ad invitandos in libidinem juvenes ſeneſque: præbita advenientibus pecunia fenebris, appoſitique qui nomina palam ſubnotarent, quaſi adjuvantium Cæſaris reditus. Ac ne ex luſu quidem aleæ compendium ſpernens, plus mendacio atque etiam perjurio lucrabatur. Et quondam proximo colluſori demandata vice ſua, progreſſus in atrium domus, cum prætereuntes duos equites Romanos locupletes, ſine mora corripi, confiſcarique juſſiſſet, exſultans rediit, glorianſque numquam ſe proſperiore alea uſum. Filia vero nata, 42
paupertatem, nec jam imperatoria modo, ſed & patria conquerens onera, collationes in alimoniam atque dotem puellæ recepit. Edixit & ſtrenas ineunte anno ſe recepturum: ſtetitque in veſtibulo ædium Kalend. Januariis ad captandas ſtipes, quas plenis ante eum mani-

genarii generare non poſſent, addito. GRONOV.

Et qui lenocinium feciſſent.] Pal. ſec. ac tert. *quive lenocinium feciſſent.* non male. interim notandum publico obligare Caligulam, qui deſiiſſet facere artem illam inertem. hoc enim indicare videtur vox *feciſſent.* eſſe autem contra rationem, ut lex ſtatuatur in præteritum, memini non notum. J. GRUTERUS.

TORRENT.

Nec non & matrimonia obnoxia eſſent.] Hoc ita interpretor, ſi qui in matrimonio turpiter & incontinenter viverent, aut etiam quoties concumberent conjuges.

41. *Indictis neque propoſitis.*] Publice ſcilicet. Sup. Tib. cap. XLVIII.

Multa commiſſa fierent.] Hoc eſt (ut ego quidem interpretor) cum multa *in commiſſum*, ſeu *in cauſam commiſſi* caderent. ſic enim loquuntur JCti noſtri. Et *committi* dicuntur merces, prædia, reſque aliæ, quæ in publicum deferuntur. Aliter tamen interpretes exponunt, pro, cum multa adverſus legem committerentur.

Minutiſſ. lit. & anguſtiſſ loco.] Atqui in locis celeberrimis, atque ubi de plano ab omnibus legi poſſent, edicta proponebantur. Auſonius Gratiarum actione ad Imp. Gratianum huc alludit, cum ita ſcribit: *Has ergo litteras tuas in omnibus pilis atque porticibus, unde de plano legi poſſint, inſtar edicti pendere mandavero.* Adde notas V. D. P. R. L. P. id eſt, unde de plano recte legi poſſit.

Manubiarum genus.] Hæc nimirum præclari Imperatoris ab hoſte ſpolia.

Compluribus cellis.] *Cellæ* pauperum, ſervorumque, ac meretricum manſiunculæ. Juvenal. Sat. III.

Et dubitas alta Chionem deducere cella.

Idem Sat. VI.

Et cellam vacuam atque ſuam.

Iterum: - - - *ultima cellam*

Clauſit.

Martial.

Intraſti quoties inſcriptæ limina cellæ.

Vide Tib. cap. XLIII.

In libidinem.] MSS. plures *ad libidinem.*

Pec. fenebris appoſitique.] Melius MSS. duo *ſeneſque, præbita pecunia fenebri, appoſitiſque*, ſicut & edit. Frobeniana.

42. *Nec jam imperatoria modo.*] Duo probatiſſimi codd. *& jam imperatoria, ſed & patria.*

Kal. Jan.] Tres libri *a Kal. Januariis*, ut pluribus eum ſtetiſſe diebus intelligamus, quanquam Tiberius edixerat, ne ſtrenarum commercium ultra Kal. Jan. exerceretur, cap. XXXIV. Vide Aug. cap. LVII.

CASAUBON.

Nec non & matrimonia obnoxia eſſent.] Vectigali inſtituto, quod legitimo matrimonio juncti penderent, quoties liberis operam darent.

41 *Lupanar in palatio conſtituit.*] Dio de Meſſalina Claudii: Ἤδη γὰρ καὶ ἐπ' οἰκήματος ἐν τῷ παλατίῳ αὐτή τε ἐκαθέζετο, καὶ τὰς ἄλλας τὰς πρώτας ἐκάθιζεν. Xiphilinus in Avito, καὶ τέλος ἐν τῷ παλατίῳ οἰκήματι ἀποδείξας, & quæ ſequuntur: piget enim talia deſcribere. Eſt autem in amborum narratione tanta ſimilitudo, ut videatur Avitus Caligulæ exemplum per omnia ſecutus.

VARIOR.

41. *Præbita advenientibus pecunia fenebris.*] Torrentii duo MSS. Palat. ſecund. Rob. Steph. & Gruteri editio: *præbita advenientibus pecunia fenebri.*

TOR-

manibus ac ſinu omnis generis turba fundebat. Noviſſime contrectandæ pecuniæ cupidine incenſus, ſæpe ſuper immenſos aureorum acervos patentiſſimo diffuſos loco, & nudis
43 pedibus ſpatiatus, & toto corpore aliquamdiu volutatus eſt. Militiam reſque bellicas ſemel attigit, neque ex deſtinato, ſed cum ad viſendum nemus flumenque Clitumni Mevaniam proceſſiſſet: admonitus de ſupplendo numero Batavorum, quos circa ſe habebat, expeditionis Germanicæ impetum cepit: neque diſtulit, ſed legionibus & auxiliis undique excitis, dilectibus ubique acerbiſſime actis, contracto & omnis generis commeatu, quantum numquam alius, iter ingreſſus eſt: confecitque modo tam feſtinanter & rapide, ut prætorianæ cohortes contra morem ſigna jumentis imponere, & ita ſubſequi cogerentur: interdum adeo ſegniter & delicate, ut octophoro veheretur, atque a propinquarum
44 urbium plebe verri ſibi vias, & conſpergi propter pulverem exigeret. Poſtquam caſtra attigit, ut ſe acrem & ſeverum ducem oſtenderet, legatos, qui auxilia ſerius ex diverſis locis adduxerant, cum ignominia dimiſit. At in exercitu recenſendo, pleriſque centurionum maturis jam, & nonnullis ante pauciſſimos quam conſummaturi eſſent dies, primos pilos ademit, cauſſatus ſenium cujuſque & imbecillitatem: ceterorum increpita cupiditate

Torrent.

Sæpe ſuper.] Dictio *ſæpe* non eſt in quibuſdam exemplarib. nec male.

43. *Flumenque Clitumni Mevaniam.*] Lib. unus *Clitunni*, ut *Autunnus*, *Vertunnus* in antiquiſſ. codd. Vide Servium in illud Virgilii II. Georg. *Hinc albi Clitumne greges.* Mevania vero Propertii patria eſt.

Impet. cepit.] Noſtri MSS. omnes *imp. fecit.* Mallem *cœpit*, ut Aug. cap. XLII. *impetum ſe cœpiſſe ſcribit.*

Delectibus.] Tres libri *dilectibus*, ut fere in vetuſtiſſimis exemplaribus. Feſtus, *Dilectus militum, & is qui ſignificatur amatus, a legendo dicti ſunt.* Atque ita in Pand. Florentinis ſcribitur. Quin & *diligenter*, id eſt, cum dilectu, interpretamur. *Ubique* etiam pro *undique* legendum.

Quantum nunquam ante.] Libri omnes diverſe hæc edunt. Lego e duobus probatiſſimis, *commeatu quanto nunquam alter ante, it. ingr. eſt.*

43. *Maturis jam.*] *Maturos* vocat, qui ſtipendia impleverant. Tiberius (ut ante dictum eſt) miſſiones veteranorum rariſſimas faciebat, ex ſenio mortem, ex morte compendium captans. Eadem ratio Cajum movit.

Casaubon.

44. *Commoda emeritæ militiæ ad ſenum millium ſummam reſcidit.*] Omnino certæ & indubitatæ fidei eſt hæc lectio, quam auctoritate Dionis ante nos Torrentius & Lipſius, duo rei literariæ lumina, ſtabiliverunt. Mirum ſane omnes veteres ſcribere *ſexcentorum.* quæ abſurda lectio nata ſine dubio eſt e vocis *ſenum* accentu.

Varior.

Volutatus eſt.] Codex Salmaſ. *voluptatus eſt.*

43. *Delectibus.*] Codex Salmaſ. etiam *dilectibus.*

44. *Quam conſummaturi eſſent, primos pilos ademit.*] Sic Frontinus lib. IV. Stratagem. III. XII. *M. Curius, cum victis ab eo Sabinis ex ſenatusconſulto ampliaretur ei modus agri, quem conſummati milites accipiebant, gregalium portione contentus fuit, Malum civem dicens, cui non eſſet id, quod ceteris, ſatis.* Quo in loco dum fruſtra ingenioſus eſt magnus Turnebus, & totum cap. XXXIII. libri XXX. diſperdit. Quid enim ſimile eſt inter *conſummatos milites* & *conſummatos ſumptus ædificiorum?* At ille, *Conſummatos*, inquit, intelligo, qui in aſſignatione agrorum multi (puta viceni aut triceni) in ſingulas centurias ſeu ducena jugera agri contribuebantur & in unam ſummam colligebantur: nam ſenatum, quantum multis militibus in unam ſummam collectis cedebat, dari Curio voluiſſe. Ergo quia ſinguli quaterna dena accipiebant jugera, ut tradit Aurelius Victor, & conſummatus ille numerus forſan erat tricenorum, Curio deſtinaverunt quadringenta viginti jugera. Largitio a frugalitate temporum omnino abhorrens. Neque ſufficiebat hoc; etiam ampliari oportebat. Valerius Maximus & Plinius ſeptena adſignata ſcribunt. hic eſt ille modus, quem *conſummati* ſive emeriti milites ſinguli ſortiebantur. Valerius addit ſeptuagena Curio decreta: hoc eſt illud amplius. Quod Suetonio eſt *conſummare*, Modeſtinus *explere* dicit l. IX. π. II. D. de Excuſationibus: *Qui primum pilum explevit.* Gronov.

44. *Primos pilos ademit.*] Nota pro *prima pila* ſeu *primum pilum.* Gujetus.

piditate, commoda emeritæ militiæ ad ſex milium ſummam reſcidit. Nihil autem amplius quam Adminio Cinobellini Britannorum regis filio, qui pulſus a patre, cum exigua manu transfugerat, in deditionem recepto: quaſi univerſa tradita inſula, magnificas Romam litteras miſit: monitis ſpeculatoribus, ut vehiculo ad Forum uſque & Curiam pertenderent, nec niſi in æde Martis, ac frequente ſenatu, COSS. traderent. Mox defi- 45
ciente belli materia, paucos de cuſtodia Germanos trajici, occulique trans Rhenum juſſit: ac ſibi poſt prandium, quam tumultuoſiſſime adeſſe hoſtem nuntiari. Quo facto, proripuit ſe cum amicis & parte equitum prætorianorum in proximam ſilvam, truncatiſque arboribus, & in modum tropæorum adornatis ad lumina reverſus, eorum quidem qui ſecuti non eſſent, timiditatem & ignaviam corripuit: comites autem & participes victoriæ, novo genere ac nomine coronarum donavit: quas diſtinctas Solis ac Lunæ ſiderumque ſpecie,

TORRENT.

Commoda emer. milit.] Aug. cap. XXIV.

Sexcentorum millium.] Quis credat tantum militi datum, cum cenſus equeſter quadringentorum tantum millium fuerit? Lego igitur *ſex millium*, quantum poſt bella civilia victor Cæſar pediti diſtribuit, cap. XXXVIII. hoc eſt, CL. coronatos. Eaque ſumma convenit cum Dione lib. LV. ut notavimus Aug. cap. XLIX.

Adminio Cinobellini Britannor. r. f.] Placet hæc lectio ex Dione, & Oroſio. nam & libri noſtri MSS. omnes *Britannorum* habent. Beroaldus ideo *Batavorum* ſubſtituit, quod (ut inquit) Cajus contra Batavos expeditionem ſuſceperat. Sed errat. teſte enim Suetonio cap. XIX. utrique provinciæ huic imminebat. Vide Claud. cap. XVII.

Monitis ſæpe latoribus.] Sic unus tantum e MSS. quos viderim, reliqui *monitis ſpeculatoribus*. Et militum quidem ferendis litteris frequens in hiſtoria uſus, præcipue tamen ex cohorte ſpeculatorum deſumpti, ab eaque mente ſcriptum Tacito Hiſtoriar. II. *Vix credibile memoratu eſt, quantum ſuperbiæ Vitellio acceſſerit, poſtquam ſpeculatores Syria, Judææque adactum in verba ejus Orientem nunciavere.*

Vehiculo.] Vehicularem curſum Auguſtus inſtituit. Aug. cap. XLIX.

In æde Martis.] Ubi de bellis, triumphiſque ſenatum conſuli debere Auguſtus ſanxit, cap. XXIX.

45. *Equitum prætorianorum.*] Fuere ergo & equites inter prætorianos. Sueton. Claud. cap. XXI. Xiphilin. Severo, Zonaras ubi de Diocletiano, vetera marmora.

In hoc quoque nimio præter modum.] Lib. unus *in hoc quoque uno.* Non diſplicet Turnebi, & ante Turnebum Pithœi conjectura, *in hoc quoque mimo*, ut mimum potius quam militiam egerit.

CASAUBON.

Adminio Cinobellini Britannorum regis filio.] Aliam ſcripturam Oroſius ſuggerit libro ſeptimo, cap. V. *Cumque ibi Minocynobelinum Britannorum regis filium* &c. ſed ſcribendum ex fide librorum Suetonii, *Cumque Adminium Cinobellini Br. regis filium.* Forte etiam in nomine *Adminius d* pro *r* irrepſit: nam in Germania & Belgio, atque, ut puto, etiam in Britannia uſitatum jam olim, ut nunc quoque, nomen fuit Arminius. vide Tacitum.

Monitis ſpeculatoribus.] Ita codd. Memmii & Pithœi, Cujacii vero *ſpiculatoribus*: aliter Groſlotii, ubi eſt *ſæpeculatoribus*.

45. *Deficiente belli materia.*] Eleganter Philoſtratus de bellicis rebus Caji, ὁ διονυσομανῶν, καὶ λυδίζων τὴν ϛολὴν, καὶ πολέμους νικῶν οὐκ ὄντας. *In hoc quoque mimo.*] Etiam Philo furioſi hujus facta commemorans, δραματουργίαν, μῖμον & μιμίαν vocat.

VARIOR.

Ad ſexcentorum millium.] Emendare non dubito, *ad ſexcentorum millium ſummam recidit. nihil autem amplius cuiquam. Adminio*, &c. Eſt autem hæc clauſula *Nihil amplius*, non inſcita, cum ultra modum deſignatum nihil datum factumve indicamus, & tamen vel dari fierive quid præterea debuiſſe, ſignificare volumus. Ut hoc loco Suetonius, & Cicero XII. ep. I. *Reſpublica ulta adhuc ſuas injurias eſt per vos, interitu Tyranni. Nihil amplius.* Quem loquendi modum, ut Ciceroni perfamiliarem, ad epiſtolam jam indicatam notat Manutius, ejuſque plura exempla producit, quæ huc transferre non vacat. Huic vero alia locutio eſt contraria, quæ frequenter in Jure occurrit: *Hoc amplius.* Ut l. XIII. ff. de Leg. III. Si ſic locutus eſt teſtator: *Heres meus illi fundum dato: Sejo hoc amplius, decem.* l. XXXIII. §. II. eod ubi Sejus uxori legavit: *Quicquid ad eum, inve ſtipulatum ejus conceſſit, & Hoc amplius, vicenos aureos nummos.* & l. ſeq. *Nomen debitoris in hæc verba legavit: Titio hoc amplius, dari volo decem aureos, quos mihi heredes Gaji Seji debent.* Et ſic infinitis aliis. GOESIUS.

Cinobellini.] Codex Salmaſ. *Cynobellini.*

45. *Quam tumultuoſiſſime.*] Codex Salmaſ. *quam tumultoſiſſime.*

TOR-

ſpecie, *exploratorias* appellavit. Rurſus obſides quoſdam abductos e literario ludo, clamque præmiſſos, deſerto repente convivio cum equitatu inſecutus, veluti, profugos ac reprehenſos in catenis reduxit: in hoc quoque mimo præter modum intemperans. Repetita cœna renuntiantes coactum agmen, ſicut erant, loricatos ad diſcumbendum adhortatus eſt. Monuit etiam notiſſimo Virgilii verſu, *Durarent, ſecundiſque ſe rebus ſervarent.* Atque inter hæc abſentem ſenatum populumque graviſſimo objurgavit edicto, quod *Cæſare præliante, & tantis criminibus objecto, intempeſtivâ convivia, circum &
46 theatra & amœnos ſeceſſus celebrarent.* Poſtremo, quaſi perpetraturus bellum, directa acie in litore Oceani, ac balliſtis machiniſque diſpoſitis, nemine gnaro ac opinante quidnam cœpturus eſſet, repente ut conchas legerent, galeaſque & ſinus replerent, imperavit, *ſpolia Oceani* vocans, *Capitolio Palatioque debita.* Et in indicium victoriæ altiſſimam turrem excitavit: ex qua, ut ex Pharo, noctibus ad regendos navium curſus, ignes emica-

Torrent.

Tantis criminibus.] Tres libri *diſcriminibus.* quod ſequor.

Intempeſtiva convivia.] Mallem *intempeſtive.* tempeſtiva enim poterant eſſe eorum convivia, ſed quoad Principem non ſuo tempore acta. Quin nec difficulter quis mihi perſuaſerit *tempeſtiva* legendum eſſe.

46. *Perpetraturus bellum.*] Sic *patrare bellum* Salluſt. Atqui (ſi Quinctiliano credimus) *ductare exercitus*, & *patrare bellum* apud Salluſtium dicta ſancte & antique, tunc ridebantur, & ad obſcenum intellectum detorquebantur.

Ac opinante.] Liber opt. *aut opinante.*

Altiſſimam turrem.] Eam viri docti quidam eſſe volunt, quam in Normannia Kirburg vocant, perinde ac ſi Cæſaris turrim dicas. nam quod Græci πύργον, noſtrate lingua burg dicimus.

Ex qua, ut ex Pharo.] Libri mss. omnes, *Ex qua, ut Pharo*, ſine *ex.*

Casaubon.

Atque inter hæc abſentem ſenatum populumque graviſſimo objurgavit ed.] Egregium vero facinus & imitatione digniſſimum. Atque adeo non defuit, qui imitaretur. Antoninus Caracalla Antiochiæ vitam per otium & omnia voluptatum genera traducens, ὠδύρετο, ait Xiphilinus, ὡς ἐν μεγάλοις δή τισι καὶ πόνοις καὶ κινδύνοις ὤν, καὶ τῇ γερουσίᾳ ἐπιτίμα, τά τε ἄλλα καὶ ῥαστωνεύειν σφᾶς λέγων.

46. *Poſtremo, quaſi perpetraturus bellum.*] Confer cum Dione, qui copioſe narrat.

Nemine gnaro ac opinante.] Scrib. *aut opin.* ut poſcit Latinitas. & mss.

Varior.

Intempeſtiva convivia.] Præclare codex Salmaſianus: *tempeſtiva convivia. Tempeſtiva convivia* ſunt, quæ de die ante horam ſolitam & juſtam inibantur. Male vulgo diſtinguunt inter convivia *tempeſtiva* & *intempeſtiva*, quaſi *tempeſtiva* diurna fuerint, *intempeſtiva* nocturna. Imo intempeſtiva convivia nulla exſtare in veterum libris, niſi vitio librariorum, pluribus iiſque certiſſimis argumentis docet Claud. Salmasius ad Vopiſcum.

46. *Ut conchas leger.*] Conchæ proprie non ſunt piſces, præſertim quæ in littore leguntur: exuviæ ſunt & ſuperficies animalis, non animal ipſum. Victor addidit *& umbilicos*, quos pariter cum conchis junxere Cicero & Val. Max. Sic Ovidius *conchas & teretes lapillos.* Hi teretes lapilli ſunt calculi littorales ad inſtar umbilici, unde & ſic appellati. *Veneris umbilicos* quibuſdam appellatos notat alicubi Turnebus, ſed fallitur. Herba eſt quam ſic vocavere, quæ Græcis Κοτυληδών. Salmas.

Altiſſimam turrem excitavit.] Fuere inter erudituſſimos Batavorum, qui turrim iſtam Caligulæ non aliam exiſtimarent, quam quæ poſtea, ut ipſi volunt, aliis uſibus deſtinata, Britannicæ arcis nomen accepit: cujus hodieque ruinas, binis circiter ab urbe Lugdunenſi milliaribus, Oceanus abſcondit. Veruntamen in tanta vetuſtate, cum & auctorum luculentiora teſtimonia deſint, & violentia maris locorum faciem confuderit, opinari ſe quidem hoc doctiſſimi homines, ceterum ſcire minime profitentur. At quod iidem illi magno hactenus aſſenſu tradidere, turrim iſtam Caligulæ in armamentarium converſam videri, id perquam infirma deſtina niti, nuper adeo comperimus, cum ad clariſſimum virum Petrum Scriverium, in prædio ſuo ſuaviſſime ruſticantem, inviſeremus. Lapidem enim, cujus inſcriptio eos in hanc ſententiam impulit, quique Septimio Severo Armamentarii restituti gloriam tribuit, non ex arcis iſtius ruderibus extractum, ſed vero Rodanburgi inventum, patriarum antiquitatum callentiſſimus ſenex referebat, qui locus ab alia urbis parte ſitus, pluſquam binis milliaribus a turri Britannica diſtat, & Agrippinæ quondam prætorium fuiſſe perhibetur. Ceterum non plane a vero eorum opinionem diſſidere, qui auctorem & condi-

emicarent: pronuntiatoque militi donativo, centenis viritim denariis, quaſi omne exem-
plum liberalitatis ſupergreſſus: *Abite*, inquit, *læti*, *abite locupletes.* Converſus hinc 47
ad curam triumphi, præter captivos & transfugas barbaros, Galliarum quoque proceriſ-
ſimum quemque, & ut ipſe dicebat, ἀξιοθριάμβητον, ac nonnullos ex principibus legit
ac ſepoſuit ad pompam: coegitque non tantum rutilare, & ſubmittere comam, ſed & ſer-
monem

conditorem iſtius pyrgi Caligulam faciunt, illud quoque non minimo indicio fuerit, quod in Bataviæ littore concharum ſpolia ſtolidiſſimus Imperator legiſſe videtur. Tacitus Hiſt. IV. *Erat in Caninefatibus Brinio, claritate natalium inſigni. pater ejus multa hoſtilia auſus, Cajanarum expeditionum ludibrium impune ſpreverat.* Plane tum apud Batavos egiſſe Caligula videtur. Suetonius quoque paullo ante: *Mox deficiente belli materia, paucos de cuſtodia Germanos trajici occulique trans Rhenum juſſit: ac ſibi poſt prandium, quam tumultuoſiſſime adeſſe hoſtem nuntiari.* Rhenum intelligo proprie dictum (medium Cl. Ptolemæus oſtium appellavit) qui nunc quidem obſtructus, olim apud turrim iſtam Cajanam in Oceanum irrumpebat. Adde quod Britannicam quoque idem Cajus expeditionem minabatur, ut credibile ſit ab ejus oppoſitu indidiſſe eum turri ſuæ denominationem. Suetonius cap. XIX. de ponte Puteolano: *ut Germaniam & Britanniam, quibus imminebat, alicujus immenſi operis fama territaret.* Tacitus in Agric. *Agitaſſe C. Cæſarem de intranda Britannia ſatis conſtat.* Denique nummi etiam, Caligulæ nomen præferentes, heic eruti oſtenduntur. Sed nihil affirmamus. Bene qui conjecerit, vatem hunc perhibebo optimum. Schildius. Cluverius oſtendit Caligulam non ſtatim poſtquam a Rheni tranſgreſſu redierat, excitaſſe hanc turrim ſive pharum apud Rhenum in Batavorum inſula, ſed in ulteriori verſus occaſum Galliæ littore. Ubi id factum, oſtendit Oroſius lib. VII. cap. 5. his verbis de eodem Caligula loquens: *Hic ſiquidem magno & incredibili apparatu profectus quærere hoſtem viribus otioſis, Germaniam Galliamque percurrens, in ora Oceani circa proſpectum Britanniæ reſtitit.* Portum autem ait in hoc littore, ex quo uno Romani in Britanniam tranſmiſſuri ſolvere jam inde a Julii Cæſaris in eam inſulam expeditione conſueverint, fuiſſe in Morinis *Icium*, qui poſtea *Geſoriacus* & *Bononia* dictus ſit: ex hoc etiam Caligulam voluiſſe ſolvere. Turrim eam etiam nunc hodie, quamvis faſtigio imminutam, ibidem exſtare. Vulgo incolis Franco-Gallis *Tour d'Ordre*, Germanis proximis *d'Oude man*, Anglis *the Old man* dictam. Illam autem turrim fuiſſe pharum antiquiſſimam & poſtea a Carolo Magno inſtauratam probat ex Aimonio. Vid. Phil. Cluver. Germ. antiq. lib. II. cap. 36.

Ex qua, ut Pharo.] Sic præter Torrentianos, & tres Palatinos codex quoque Salmaſ.

Torrent.

47. *Rutilare & ſubmittere comam.*] *Germanorum* (inquit Tacit.) *rutilæ ſunt comæ, & corpora procera.* Juvenal. Sat. XIII.

Cærula quis ſtupuit Germani lumina, flavam
Cæſariem, & madido torquentem cornua cirro?

Plin. lib. XXVII. cap. XII. *Sapo Gallorum inventum rutilandis capillis, ex ſevo & cinere.* & paulo poſt, *apud Germanos majore in uſu viris quam feminis.*

Casaubon.

47. *Galliarum quoque proceriſſimum quemque.*] Perſius:

--- miſſa eſt a Cæſare laurus
Inſignem ob cladem Germanæ pubis: & aris
Frigidus excutitur cinis, ac jam poſtibus arma,
Jam chlamydas regum, jam lutea gauſapa captis,
Eſſedaque, ingenteſque locat Cæſonia Rhenos.

Et ut ipſe dicebat, ἀξιοθριάμβητον.] Scribe, ἀξιοθριάμβευτον, ut habet cod. Viterb. non enim dicimus θριαμβέω, ut ϛρατηγέω, unde ἀξιοϛρατήγητος apud Dionem libro XLV.

Coëgitque non tantum rutilare & ſubmittere comam.] Tacitus de Domitiano in Julii Agricolæ vita: *Inerat conſcientia, deriſui fuiſſe nuper falſum e Germania triumphum, emtis per commercia, quorum habitus & crines in captivorum ſpeciem formarentur.*

Varior.

47. *Procerriſſimum quemque.*] Ut pro Germanis exhiberet quoſdam in triumpho ſubdititios, & legit proceriſſimum quemque & fecit eos rutilare comam. quibus ab aliis gentibus hæc olim diſcriminabatur. Nam Germanis rutilam comam & magna proceraque corpora tribuit Tacitus. Quare & ita legendum apud Calpurnium decl. 2. ex emendatione Petri Scriverii: *Sua cuique genti etiam facies manet. Rutili ſunt Germaniæ vultus & flava proceritas. Hiſpani an non eodem omnes colore tinguntur?* Vulgo legitur, *Rutili ſunt Germaniæ vultus & flava proceritas Hiſpaniæ. Non eodem omnes colore tinguntur.* Goesius.

Ἀξιοθριάμβευτον.] Sic bene Palat. tres, Salmaſianus ἀξιοθριάμβευτον: unde ὁ πάνυ legendum adſcripſit ἀξιοθριάμβευτον, ut ante Caſaubonus.

Submittere.] Promittere, & prolixiorem facere: quod proprium eſt Germanorum. Namque populi Septentrionales, ut Vitruvius & Plinius tradiderunt, flavos habent crines; & promiſſos ex humeris

monem Germanicum addiſcere, & nomina barbarica ferre. Præcepit etiam, triremes,
quibus introierat Oceanum, magna ex parte itinere terreſtri Romam devehi. Scripſit &
procuratoribus, *Triumphum appararent quam minima ſumma, ſed quantus numquam*
48 *alius fuiſſet: quando in omnium hominum bona jus haberent.* Priuſquam provincia decede-
ret, conſilium iniit nefandæ atrocitatis, legiones, quæ poſt exceſſum Auguſti ſeditio-
nem olim moverant, contrucidandi: quod & patrem ſuum Germanicum ducem, &
ſe infantem tunc obſediſſent. Vixque a tam præcipiti cogitatione revocatus inhiberi nul-
lo potuit modo, quin decimare velle perſeveraret. Vocatas itaque ad concionem inermes,
atque etiam gladiis depoſitis, equitatu armato, circumſedit. Sed cum videret, ſuſpecta
re, pleroſque dilabi ad reſumenda, ſi qua vis fieret, arma, profugit concione: confe-
ſtimque urbem petiit, deflexa omni acerbitate in ſenatum, cui ad avertendos tantorum
dedecorum rumores palam minabatur: querens inter cetera, fraudatum ſe juſto triumpho,
cum ipſe paullo ante, ne quid de honoribus ſuis ageretur, etiam ſub mortis pœna denuntiaſſet.
49 Aditus ergo in itinere a legatis ampliſſimi ordinis, ut maturaret, orantibus, quam maxima
voce, *Veniam*, inquit, *veniam, & hic mecum:* capulum gladii crebro verberans, quo
cinctus erat. Edixit *& reverti ſe, ſed iis tantum qui optarent, equeſtri ordini & populo:
nam ſe neque civem neque principem ſenatui amplius fore.* Vetuit etiam quemque ſenato-
rum ſibi occurrere: atque omiſſo, vel dilato triumpho, ovans urbem natali ſuo ingreſ-
ſus eſt. Intraque quartum menſem periit, ingentia facinora auſus, & aliquanto majora
moliens. Siquidem propoſuerat, Antium, deinde Alexandriam, commigrare, in-
teremto

ris copia: ſicut e contrario Æthiopes vaporis efficacia capillos habent breves, & aduſtis ſimiles. Beroald.

Torrent.

Jus haberent.] Lib. unus *haberet.* Non diſplicet tamen multitudinis numero legi. nam quæ a procuratore Cæſaris geruntur, ſic comprobantur, ut ſi ab ipſo Cæſare geſta ſint. Lib. 1. Pand. De off. proc. Cæſ.

48. *Nullo potuit modo.*] Liber opt. *nullo modo potuit.* & mox *vocatas*, nempe legiones, pro *vocatos*, & *depoſitis* pro *diſpoſitis.* recte. De decumationis autem forma (ut hoc obiter addam) Plutarch. Craſſo, Dion lib. XLVIII. ubi de Domitio Calvino, Auguſti in Hiſpania legato, & Cic. pro Cluentio.

Cui animadvertendos.] Libb. duo *cui ad vertendos*, (quæ lectio Sabellici conjecturam confirmat: nam *ad avertendos* legendum putat) quaſi a ſe amoliretur dedecora, ſi in ſenatum fureret. Pulmanno quoque notata eadem lectio ex vetuſto cod.

49. *Edixit & reverti ſe.*] *Edixit* littera majuſcula ſcribendum, ut edicto reditum ſuum populo ſignificaverit.

Alexandrinam] Liber opt. *Alexandream*, ut apud Horat. lib. IV. Od. XIV.

Portus Alexandrea ſupplex, &c.

Et *Antiochea* apud Auſonium de Claris Urbibus, & in nummis veteribus.

Casaubon.

48. *Inermes, atque etiam gladiis depoſitis.*] Viterbienſi noſtro codici debetur hæc emendatio: nam vulgati omnes *diſpoſitis*, perperam. Memmianus recte, ut Viterb.

Capulum gladii crebro verberans.] Non probo γραφὴν Viterbienſem, *crebro vibrans.* Sic κόπτων τὴν λαβὴν τοῦ ξίφους in ſimilibus minis apud Appianum Ἐμφυλ. lib. IV.

49. *Siquidem propoſuerat Antium, deinde Alexandriam commigrare.*] De Antio ſupra, cap. VIII. de profectione Alexandriam Philo: Διέγνωκε μὲν γὰρ, ὡς λόγος, πλεῖν εἰς Ἀλεξάνδρειαν τὴν πρὸς Αἰγύπτῳ. Item: Τοῦτο δὲ πράξειν ἔμελλεν ἐν παράπλῳ, κατὰ τὴν εἰς Αἴγυπτον ἀποδημίαν· ἄλεκτος γάρ τις αὐτὸν ἔρως κατεῖχε τῆς Ἀλεξανδρείας, εἰς ἣν ἐπόθει σπουδῇ πάσῃ παραγενέσθαι, καὶ ἀφικόμενος πλεῖστον χρόνον ἐνδιαιτηθῆναι. cauſſam conſilii vide in ſequentibus. meminit & Joſephus.

Varior.

48. *Gladiis depoſitis.*] Haut aliter etiam Pal. ſec. & tert. ut & edit. Joan. Frelonii 1548. non ut alii cuſi *diſpoſitis.* Grut. Roberti etiam Stephani editio, *depoſitis.*

Gladiis diſpoſitis.] *Poſitis* hic omnino ſcribendum videtur. Gujet.

Profugit concione.] Salmaſ. & Palat. tres: *concionem.*

terempto prius utriuſque ordinis electiſſimo quoque. Quod ne cui dubium videatur, in ſecretis ejus reperti ſunt duo libelli, diverſo titulo: alteri GLADIUS, alteri PUGIO index erat. Ambo notas & nomina continebant morti deſtinatorum. Inventa & arca ingens, variorum venenorum plena: quibus mox a Claudio demerſis, infecta maria traduntur, non ſine piſcium exitio, quos enectos æſtus in proxima litora ejecit. Statura 50
fuit eminenti, pallido colore, corpore enormi, gracilitate maxima cervicis & crurum, & oculis & temporibus concavis, fronte lata & torva, capillo raro, ac circa verticem nullo, hirſutus cetera. Quare tranſeunte eo, proſpicere ex ſuperiore parte, aut omnino quacumque de cauſſa *capram* nominare, criminoſum & exitiale habebatur. Vultum vero natura horridum ac tetrum etiam ex induſtria efferabat, componens ad ſpeculum in omnem terrorem ac formidinem. Valetudo ei neque animi neque corporis conſtitit. Puer comitiali morbo vexatus: in adoleſcentia ita patiens laborum erat, ut tamen nonnumquam ſubita defectione ingredi, ſtare, colligere ſemet ac ſufferre vix poſſet. Mentis valetudinem & ipſe ſenſerat: ac ſubinde de ſeceſſu deque purgando cerebro cogitavit. Creditur potionatus a Cæſonia uxore, amatorio quidem medicamento, ſed quod in furorem verterit. Incitabatur inſomnia maxime: neque enim plus quam tribus nocturnis horis

Torrent.

Alteri gladius, alteri pugio.] Dio Protogenem, atrociſſimum Caji ſcelerum adminiſtrum, duos circumferre libellos ſolitum commemorat, gladii, & pugionis titulis inſignitos. Tales libelli Sulcii illius, & Caprii apud Horat. lib. I. Sat. IV.

Quos enectos.] Lib. unus *evectos*. Non placet. Horat. Epiſt.

Spem mentita ſeges, bos eſt enectus arando.

Cic. Tuſcul. I. *ſiti enectus Tantalus.*

50. *Pallido colore.*] Liber opt. *expallido*, ut *expallere* frequens apud auctores. Sic *exalbidus* apud Plinium. Turneb. Adverſar. XXII. cap. XXX.

Oculis & temporibus concavis.] Plin. rigentes ei oculos tribuit lib. XI. cap. XXXVII. Seneca ſub fronte latentes, lib. In ſapientem non cadere injuriam.

Capram nominare.] Cauſa præcedit, quod hirſuto corpore eſſet. Juvenal. Sat. V.

Diſcit ab hirſuta jaculum torquere capella.

Ubi (ut hoc obiter admoneam) *hirſutam capellam* ſcrotum caprinum interpretor, quo intectis ad tempora galeis tirones utebantur. Vulgo Centurionem capiunt, ut alibi Centuriones *hircoſos* & *varicoſos* tum ipſe, tum Perſius nominant. De Caji autem forma eleganter Seneca ad Serenum, Quod in ſapientem non cadit injuria, cap. XVIII.

Exitiale.] Nonnulli codd. etiam typis excuſi, *exitiabile.*

Neque corporis neque animi.] Libri meliores, *neque animi neque corporis.*

Subita devex. ingredi.] Lego, ut in MSS. noſtris, *ſubita defectione gradi, ſtare, colligere, ac ſufferre ſemet.* Pro *ſufferre* tamen duo libri habent *ſuſficere.*

Potionatus a Cæſonia.] Idem de eo Juvenal. Sat. VI. quod ante diximus. *Potionari* vero a Suetonio tantum uſurpatum memini. *Potionem* quidem pro poculo venenato etiam Cicero dixit pro Cluentio, *Suſtulit mulierem prima potione medicus*, Horat. quoque Epod. V.

Non uſitatis Vare potionibus, &c.

Incitabatur inſomnio.] Sic quidem MSS. & libri a Gryphio editi, interpretes vero *inſomnia*, uti & Frobenius. Nonius utrumque in uſu fuiſſe oſtendit. Cæcilius, *Conſequitur comes inſomnia, ea porro inſaniam adfert.* Donat. in illud Terentii Eunucho, *Aut mox noctu te adigent horſum inſomnia. Legitur* (inquit) *etiam, te adiget h. inſomnia.* Græci ἀϋπνίαν vocant.

Casaubon.

50. *Pallido colore.*] Scribe ut in libris Cujacii & Pithoei, *colore expallido.* neque aliter regia exemplaria, & Memmii.

Subita defectione ingredi] Mirum, unde illa inepta lectio, quæ vulgatas fere omnes editiones obſidet, in quibus *devectione* ſcriptum pro *defectione.* Nam & prima editio & inſecuta longo poſt intervallo Rob. Steph. & omnes MSS. ſic recte legunt. In iiſdem conſtanter *gradi* vel *gredi* corrupte, pro *ingredi.*

Varior.

49. *Alteri gladius, alteri pugio.*] Qui priore libro continebantur, carnifici deſtinabantur; qui ſecundo, calumniatoribus, aut magis ſicariis objiciendi. Gruterus.

50. *Pallido colore.*] Codex Salmaſ. & Palatinus ſecundus adſtipulantur illorum membranis, quæ præ ſe ferunt, *expallido.* Sic *exalbidus* apud Plin. Gruterus recepit, *expallido.* In Salmaſiano præterea deſide-

horis quieſcebat: ac ne his quidem placida quiete, ſed pavida miris rerum imaginibus: ut qui inter ceteras, pelagi quondam ſpeciem colloquentem ſecum videre viſus ſit. Ideoque magna parte noctis vigiliæ cubandique tædio, nunc toro reſidens, nunc per longiſ-
51 ſimas porticus vagus, invocare identidem atque exſpectare lucem conſueverat. Non immerito mentis valetudini attribuerim diverſiſſima in eodem vitia, ſummam confidentiam, & contra nimium metum. Nam qui deos tantopere contemneret, ad minima tonitrua & fulgura connivere, caput obvolvere, ad vero majora proripere ſe e ſtrato, ſub lectumque condere ſolebat. Peregrinatione quidem Sicilienſi, irriſis multorum locorum miraculis, repente a Meſſana noctu profugit, Ætnei verticis fumo ac murmure pavefactus. Adver-

ſideratur, *colore*. Ille enim legit: *expallido corpore, enormi.*

Inſomnia.] Id eſt, ἀγρυπνία. GUJET.

Ingredi.] Codex Salmaſ. *gredi.*

Incitabatur inſomnia maxime.] Codex Salmaſ. & Palatini tres æque ut aliorum membranæ: *inſomnio.*

TORRENT.

51. *Ad vero majora.*] Dictio *vero* abeſt a cod. uno MS. Quod autem de Cajo, idem ferme de Tiberio legimus cap. LXIX. Vide quæ ante notavimus cap. XXII.

Ætnei verticis.] Sic libri omnes, quos quidem videre me contigit, Turneb. tamen *crateris* pro *verticis* reperiſſe ſe atteſtatur. quod potius annotatum ab aliquo quam ſcriptum crediderim.

CASAUBON.

Invocare identidem lucem.] Εὔχεσθαι ἡμέραν εἶναι, ut in XXVII. cap. Actorum.

51. *Diverſiſſima in eodem vitia.*] Dio breviter indicat, πρὸς πάντα, inquit, ἐναντίος ἐπεφύκει.

Ad minima tonitrua & fulgura connivere.] Liſſ. cod. *conruere.* Non ſemper autem ita affectus fuit bonus hic Imperator: auſus enim interdum non ſolum vultum attollere, ſed etiam ταῖς βρονταῖς ἐκ μηχανῆς τινος ἀντιβροντᾶν, καὶ ταῖς ἀστραπαῖς ἀνταστράπτειν, καὶ ὁπότε κεραυνὸς καταπέσοι, λίθον ἀντακοντίζειν, auctor Dio. Sed omittamus iſtum ἀταρτηρὸν, φρένας ἠλεὸν, & notemus potius veterum conſuetudinem admodum laudabilem: moris enim fuit cum tonaret, aut fulgeret, aut terra moveret, continuo pro mutua ſalute diis vota fundere. Didici ex Philoſtrato, cujus hæc ſunt de Vita Apollonii libro ſexto: loquitur de Antiochenſibus Syris, & terræ motu, qui, dum ipſi in concione ſunt, factus eſt: σεισμοῦ δὲ γενναίου προσπεσόντος ἔπτηξαν, καὶ ὥσπερ ἐν διοσημείαις εἰώθεν, ὑπὲρ ἀλλήλων εὔξαντο.

Proripere ſe e ſtrato, ſub lectumque condere ſolebat.] Eo ſolebant ſe abdere, qui latere vellent. Baſilius, ἐὰν τὴν θύραν κατάξῃ τις, ὁ χρεώστης ὑπὸ τὴν κλίνην. Plautus Caſina: *Inſectatur omnes domi per ædes, nec quemquam prope ad ſe ſinit adire: ita omnes ſub arcis, ſub lectis latentes metu muſſitant.* Dignus ſane locus, qui Caligulam adeo furioſe inſolentem reciperet: nam quod hodie fieri videmus, ut ſub lectis vetera calceamenta condantur, idem olim quoque fiebat. Lucianus in commentario de Mercede conductis: Νῦν μὲν γὰρ, ὥσπερ τὰ καινὰ τῶν ὑποδημάτων ἐν τιμῇ τινι καὶ ἐπιμελείᾳ ἐστὶν, ἐπειδὰν δὲ πατηθῇ πολλάκις καὶ ὑπὸ τοῦ πηλοῦ ἀναπλασθῇ, ὑπὸ τῇ κλίνῃ ἀθλίως ἐρρίψεται, κόρεων ὥσπερ ἡμεῖς ἀνάπλεω. ideo avari Euckliones ſuas auro refertas ollas in eum locum abdebant, ut ait Baſilius in homilia Lazicis habita. eodem & in repentino metu ſe recipiebant, quod de Caligula ait noſter. neque deſunt ſimilia in hiſtoriis exempla, præter modo & allata. Sic & Zacharias protoſpatharius a Juſtiniano Rhinotmeto miſſus ut Sergium V. coerceret, reſiſtente clero & populo Romano, *ſub lectum Pontificis ingreſſus ſe abſcondit*, ait Anaſtaſius.

VARIOR.

51. *Tantopere contemneret.*] Codex Salmaſ. *tanto opere.*

Condere.] Codex Salmaſii: *concedere.*

Irriſis multorum locorum miraculis.] Salmaſianus codex: *Irriſis multum locorum miraculis.*

Ætnæi verticis fumo ac murmure.] Si eſt, ut in pervetuſto codice repererit Turnebus, ut quidem ſcribit, *Ætnæi crateris*, id præferre non dubitem. Non eſt enim tale, ut ab aliquo, qualia tunc hominum, facile annotatum videri poſſit. Lucretius lib. 6. *In ſummo ſunt ventigeni crateres.* Ovidius 5. Metam.

Et pronos currus medio cratere recepit.

Strabo lib. 5. de Veſuvio: καὶ καίεσθαι πρότερον καὶ ἔχειν κρατῆρας πυρός. Quoties autem libro ſequente? Heraclides in Agrigentinis: καὶ τοὺς μὲν εἰς λέβητας ζέοντας, τοὺς δὲ εἰς τοὺς κρατῆρας τοῦ πυρὸς ἀπέστελλε. Ubi legebam aliquando, κρατῆρας τοῦ ὄρους. Sed neceſſe non eſt. Lucianus Fugitivis: ὃς εἰς τοὺς κρατῆρας ἥλατο. Gregorius I. in Julianum de eodem: ὁ τοῖς Σικελικοῖς κρατῆρσιν ἑαυτὸν θεώσας, ὡς ᾤετο. Et quis non vel eadem occaſione? GRONOV.

Adverſus Barbaros quoque minaciſſimus, cum trans Rhenum inter anguſtias denſumque
agmen iter eſſedo faceret, dicente quodam, *Non mediocrem fore conſternationem,
ſicunde hoſtis appareat*, equum illico conſcendit: ac propere verſus ad pontes, ut eos ca-
lonibus & impedimentis ſtipatos reperit, impatiens moræ, per manus ac ſuper capita
hominum tranſlatus eſt. Mox etiam audita rebellione Germaniæ, fugam & ſubſidia fu-
gæ, claſſes apparabat: uno ſolatio acquieſcens, tranſmarinas ſibi ſuperfuturas provincias,
ſi victores Alpium juga, ut Cimbri, vel etiam urbem, ut Senones quondam, occuparent:
unde credo percuſſoribus ejus poſtea conſilium natum, apud tumultuantes milites emen-
tiendi, ipſum ſibi manus intuliſſe, nuntio malæ pugnæ perterritum. Veſtitu calceatuque, 52
& cetero habitu, neque patrio, neque civili, ac ne virili quidem, ac denique humano,
ſemper uſus eſt. Sæpe depictas gemmataſque indutus pænulas, manuleatus & armillatus
in publicum proceſſit: aliquando ſericatus, & cycladatus: ac modo in crepidis vel co-
thurnis,

TORRENT.

Uno ſolatio acquieſcens.] Verum hoc auctores ſæpius cum dandi caſu conjungunt. Seneca Epiſt. *acquieſcas ſpei blandæ.* Ipſe Sueton. Tib. cap. XXXI. *honori acquieſcerent*, & cap. LVI: *Græculos, quibus vel maxime acquieſcebat.* Vel cum ablativo addita præpoſitione. Cic. de Amicit. *Viciſſim autem ſenes in adoleſcentium caritate acquieſcimus.*

Tranſmarinas ſibi.] Melius MSS. tres *tranſmarinas certe ſibi.*

Tumultuantes milites.] Dictio *milites* deſideratur in melioribus codicibus. & ſane abeſſe eam malim. cur enim non & plebs tumultuari potuiſſet? Nihil muto tamen.

52. *Denique non humano.*] Libri MSS. omnes *denique humano*, ſine *non*.

Depictas gem. q. ind. pænulas.] Imperatores Romani (ſi Spartiano credimus) nunquam pænulis utebantur, quibus ne civibus quidem in Urbe uti permiſſum, niſi ſenibus, idque frigoris cauſa. qua de re multa Aug. cap. XL. At Cajus hic noſter depictas etiam, gemmataſque, regum Barbarorum more, geſtavit.

Manuleatus.] Id quoque probroſum Romano. Gell. lib. VII. cap. XII.

Cycladatus.] *Cyclas* veſtis feminea tenuiſſima, ne matronis quidem honeſta, qua impudicæ plerumque inſtar veli corpus circumdabant. Juvenal Sat. II.

Hæ ſunt quæ tenui ſudant in cyclade.

Utitur & Propert.

--- aurata cyclade ſignat humum.

Ac tale aliquid vult Petronius Arbiter cum *proſtare nudam in nebula linea* dicit, & *induere ventum textilem*, pro amiculo tenuiſſimo.

CASAUBON.

Tranſmarinas ſibi ſuperfuturas provincias.] Scribe, *Tranſmarinas certe ſibi*, ut in codd. Torrentii, & omnibus noſtris, etiam Memm.

Si victores Alpium juga occuparent.] Figura eſt, πρὸς τὸ σημαινόμενον. præceſſit enim, *audita rebellione Germaniæ.* at viri docti locum cenſent emendandum, & ſcribendum *Germanorum*, quibus non aſſentior. infinita ſunt hoc genus apud optimos ſcriptores. notum apud ſummum vatem, φίλε τέκνον. & quæ variis locis congerit Euſtathius. Pauſanias Arcadicis: Νικῶσι δὲ προσλαβόντες Ἀχαιῶν στρατιὰν, καὶ Ἄρατον ἡγεμόνα ἐπ᾽ αὐτῷ. ait ἐπ᾽ αὐτῷ, quaſi præceſſiſſet, στρατόν.

52. *Manuleatus & armillatus in publicum proceſſit.*] Seneca de Cajo: *Hæc ipſe perlucidus, crepidatus, armillatus.* locum vide in libro de Conſtantia Sapientis.

VARIOR.

52. *Veſtitu calceatuq.*] Cod. Salmaſ. *calciatu.* Quamvis proprie & ſtricte *calceum* appellarint id calciamenti genus, quod totum pedem & infime & ſuperne tegebat, tamen omne genus calciamentum, & quidquid pedibus inducitur, *calcei* nomine nonnunquam venit. Nam & Græci quoque omne genus calceatus ὑπόδημα appellant: ut ut ὑπόδημα κοῖλον vocant, quo pes totus tegitur & amicitur, ad differentiam ſandaliorum ſive ſolearum. Heſychius: Κάλτιοι, ὑποδήματα κοῖλα ἐν οἷς ἱππεύουσι. Vox Sicula κάλτιος, de cavo & profundo calciamento; unde Latina *calcius.* Plutarchus quoties calcei Romani mentionem facit, fere ſemper reddit κάλτιον. Cæterum fere ſemper calcei aurati purpuream veſtem ſequebantur. Ita qui conſulatum capiebant ſub Imperatoribus, ut purpura ſive Tyrio veſtiebantur, ita & auro calciabantur. Sic mulieres, quibus purpura familiaris, etiam calceos inauratos habebant. Teſtis, præter Epictetum & Lucianum, Apulejus Mileſiarum lib XI. SALMASIUS.

Depictus.] An *acu pictus*? GUJET.

Et cycladatus.] Pallium & cyclas, habitus matronarum Romæ. Servius: *Togas autem etiam feminas habuiſſe, cycladum & recini uſus oſtendit. recinus au-*

thurnis, modo in ſpeculatoria caliga, nonnumquam ſocco muliebri: plerumque vero aurea barba fulmen tenens, ac fuſcinam, aut caduceum, deorum inſignia, atque etiam Veneris cultu conſpectus eſt. Triumphalem quidem ornatum etiam ante expeditionem aſſidue geſtavit: interdum & Magni Alexandri thoracem repetitum e conditorio ejus.
53 E diſciplinis liberalibus minimum eruditioni, eloquentiæ plurimum attendit, quantumvis facundus & promtus: utique ſi perorandum in aliquem eſſet, irato & verba & ſententiæ ſuppetebant: pronuntiatio quoque & vox, ut neque eodem loci præ ardore conſiſte-
ret

tem dicitur, quod poſt tergum rejicitur. Recinum togam vel togæ genus fuiſſe, etiam Feſtus oſtendit. Cyclades erant, quas nunc *Zupas* vocamus: ſunt enim plane pleneque rotundæ, & nullum habent angulum, quia undequaque clauſæ per extremum ambitum. SALMAS.

TORRENT.

Speculatoria caliga.] Quid *caliga* ſit, dictum eſt Aug. cap. XXV. *Speculatorium* autem hoc loco Tranquillus addidit, quo majorem caligæ vilitatem oſtenderet. inter milites enim alii aliis ornatiore caliga utebantur. Et ſpeculatores quidem militum numero habebantur, verum ob laboris aſſiduitatem, ac diſcrimina quæ ſubibant, minus cultos incedere ſolitos credendum eſt, & fieri poteſt, ut peculiari quodam calceamenti genere induerentur. Quæ *ſpeculatoria* abſolute dicitur a Tertulliano de Corona militis, cum ait, *ſpeculatoriam, moroſiſſimam pedibus, abſolvit.* Non recte autem Turneb. Adverſar. XXVII. cap. XX. hunc locum interpretans, *ſpiculatores* ac *ſpeculatores* multum inter ſe differre ſcribit, ſed ob vocalium *e* & *i* vicinitatem promiſcue efferri, ut *here* & *heri.* nam & in marmoribus, & in Antonii III-viri nummis, & in vetuſtiſſimo cod. magno conſenſu per *e* ſcriptum animadverti, & recte quidem. militum enim id genus erat, qui præcipue ad hoc inſtituti fuere, ut (quod inquit Feſtus) hoſtilia ſilentio perſpicerent, (Græci ὀπτῆρας, & σκοποὺς, & κατασκόπους appellant) a verbo *ſpeculor*, non a *ſpiculis* quæ geſtaverint. *ſpiculum* enim a recentioribus dictum (ſi Vegetio credimus) quod olim *pilum* vocabant. Atqui pilum commune legionariorum telum erat, non his peculiare, qui ſatellitii cauſa Principibus aderant. Quibus etiam Sueton. Claud. cap. XXXV. & Galb. cap. XVIII. lanceas tribuit, ſpicula daturus potius, ſi a ſpiculis nominabantur. Accedit Suidæ auctoritas, cum σπεκουλάτωρος δορυφόρου exponit, per jota ſcripturus, ſi tunc ſaltem cum Principis cuſtodem ac ſatellitem id nomen ſignificat, a ſpiculo appellaretur. Neque vero *ſpeculatores* explorandi tantum, aut cuſtodiæ cauſa habebantur, ſed & in eos qui damnati erant lege, agebant. Seneca lib. I. de Ira: *Tum centurio, qui ſupplicio præerat, condere gladium ſpeculatorem jubet.* & Julius Firmicus lib. VIII. cap. XXVI. *ſpeculatores faciet, qui nudato gladio hominum amputent cervices.* Sed & Ulpian. l. VI. de Bon. damnatorum: *Spolia quibus indutus eſt qui ad ſupplicium ducitur, neque ſpeculatores ultro ſibi vindicent, neque optiones ea deſiderent*; *optiones* ſpeculatorum adminiſtros vocans. Atque hinc intelligimus ſacroſancti Euangelii de D. Johannis ſupplicio locum Marci cap. VI. καὶ εὐθέως ἀποστείλας ὁ βασιλεὺς σπεκουλάτωρα. Poſtremo *ſpeculatorum* opera etiam in mittendis ad ſenatum litteris utitur Cajus ſup. cap. XLIV.

Socco muliebri.] Et quidem ex margaritis Plin. lib. XIX. cap. XXXV. & lib. XXXVII. cap. II. Elegans etiam de Caji ſocco locus Senecæ lib. de Beneficiis II. cap. XII. & de ſocco muliebri Suetonii Vitell. cap. II.

Aurea barba, fulmen tenens.] Qui Jovis ornatus eſt. Quanquam aurea barba etiam Æſculapio tribuitur.

Ac fuſcinam.] Melius MSS. duo *aut fuſcinam, aut caduceum.* fuſcina enim Neptuni inſigne eſt, alterum Mercurii.

Atque etiam Veneris cultu.] Tunc (credo) cum cycladatus prodiit, uti paulo ante eſt. nam in omnium deorum, dearumque formam ſe formabat, nihil minus quam homo, (ut eleganter ait Dion) atque adeo Panthei nomen potius ipſe meritus quam Pantheæ Druſilla ipſius ſoror.

Alexandri thoracem.] Quo indutus pontem illum ſuum tranſiit. Dion.

53. *Pronunciatio & vox.*] Ne quis idem repeti putet, meminerit ejus, quod Fortunatianus & alii tradunt, *pronunciationem* etiam geſtum vultumque continere, ut idem ferme ſit quod actio.

CASAUBON.

Nonnunquam ſocco muliebri.] Et quod erat indignius, non erubuit ſoccatus maxima negotia tractare, ut cum de capite conſularis viri Pompeji Penni audiret. Seneca de Beneficiis lib. II. cap. XII.

Pleruinque vero aurea barba fulmen tenens.] Philonem ſuadeo legas, qui fuſe narrat. non alio commentario huic loco eſt opus.

53. *Eloquentiæ plurimum attendit.*] Joſephus in elogio Caji: Ἄλλως δὲ ῥήτωρ τε ἄριστος, καὶ γλώσσῃ τῇ Ἕλληνι καὶ Ῥωμαίοις πατρίῳ σφόδρα ἠσκημένος. vide cætera.

VARIOR.

Fulmen tenens ac fuſcinam aut caduceum.] Codex Salmaſii, Palatini tres, Robert. Steph. editio, *aut*

ret & exaudiretur a procul ſtantibus. Peroraturus *ſtricturum ſe lucubrationis ſuæ telum* minabatur: lenius comtiuſque ſcribendi genus adeo contemnens, ut Senecam tum maxime placentem, *commiſſiones meras* componere, & *harenam eſſe ſine calce* diceret. Solebat etiam proſperis oratorum actionibus reſcribere, & magnorum in ſenatu reorum accuſationes defenſioneſque meditari: ac, prout ſtylus ceſſerat, vel onerare ſententia ſua quemque, vel ſublevare: equeſtri quoque ordine ad audiendum invitato per edicta. Sed 54
& aliorum generum artes ſtudioſiſſime, & diverſiſſimas exercuit. Thrax & auriga, idem cantor, atque ſaltator. Batuebat pugnatoriis armis, aurigabat exſtructo plurifariam circo. Canendi

aut fuſcinam. Diſtinguit, inquit Gruterus, tria deorum inſignia, & vult nunc prodiiſſe habitu Neptuni, nunc Mercurii, nunc Jovis.

TORRENT.

Senecam tum maxime plac.] Atqui hunc, omnibus ſuæ ætatis hominibus ſapientia præſtantem, (ut ſcribit Dion) parum abfuit quin occideret, ideo tantum, quod cauſam quandam in ſenatu præſente Cajo pulcherrime egerat.

Commiſſiones meras componere.] Dictio *componere* non erat in vetuſto quodam codice, ſed ad oram libri aſſcripta. Quam ego omnino expungendam ſentio, ut *commiſſiones meras* Senecam vocet Cajus, hoc eſt, ſine robore ac nervis ſcribentem, veluti cum materiæ ſimul quidem congeruntur, ſed nec plumbo, nec glutino, nec cæmento conjunctæ. Alii *commiſſuras* vocant. Quin & *verborum commiſſuram* dixit Quinctilian. lib. IV. cap. IX. Aliter tamen Turneb.

Magnorum reorum.] Exemplum inſigne Domitii Afri, quem tantopere Seneca & Quinctilian. celebrant, apud Dionem. is enim accuſatus Cæſaris oratione ſcripto prolata, non alia ratione periculum evaſit, quam quod tanquam auditor potius quam reus, tandem defenſionis loco eum ſe magis ut oratorem quam ut Cæſarem metuere reſpondit.

54. *Et diverſiſſimas.*] Exemplar Ferrarienſe *diverſiſſime*, alia vero duo *diverſarias*, ut *ſingularias* apud Plautum, & Gellium. Niſi *diverſariam* ſcriptum fuiſſe ſuſpicemur, ut *multifariam, plurifariam, aliquotfariam.*

Thrax.] Jam ante monuimus *Threx*, aut *Trex* legi in opt. codicibus.

Pugnatoriis armis.] Lib. unus *propugnatoriis*, puncto interpoſito ante verbum *batuebat.* Vide quæ ante notavimus cap. XXXII. *rudibus batuentem.*

Plurifariam.] Pro, pluribus locis. Sup. cap. XVIII.

CASAUBON.

Commiſſiones meras componere.] Vocem *commiſſiones* & morem committendi expoſuimus ad lib. II. cap. LXXXIX. ea notione accipi hic quoque debet hæc dictio, certe poteſt. Vocantur enim ſcripta Senecæ, *commiſſiones meræ*, ut ſi Græce dicas cum Iſocrate, λόγοι πρὸς τὰς ἐπιδείξεις καὶ ἀγῶνας γεγραμμένοι. Imo vero *commiſſiones* ſunt ἀγωνίσματα. quo ſenſu dixit Thucydides de opere ſuo, κτῆμά τε ἐς ἀεὶ μᾶλλον ἢ ἀγώνισμα ἐς τὸ παραχρῆμα ἀκούειν ξύγκειται. Ita accipit & Philoſophus in libro de Poetica, ἀγωνίσματα γὰρ ποιοῦντες καὶ παρὰ τὴν δύναμιν παρατείναντες μῦθον, πολλάκις διαστρέφειν ἀναγκάζονται τὸ ἐφεξῆς. Et Polybius lib. III. in aureo dicto & digniſſimo, quod ubique, non ibi tantum legatur: Ἱστορίας γὰρ ἐὰν ἀφέλῃ τὶς καὶ διὰ τί καὶ τίνος χάριν ἐπράχθη, καὶ τὸ πραχθὲν πότερα εὔλογον ἔσχε τὸ τέλος, τὸ καταλειπόμενον αὐτῆς ἀγώνισμα μὲν, μάθημα δὲ οὐ γίγνεται. Quod Thucydides voce ponderoſa valde κτῆμα dixit, Polybius magis aperte μάθημα. Plinius Epiſtolarum lib. VII. ſcribens ad Celerem, & ſuperiorem Thucydidis locum imitans, vocem ἀγώνισμα ita expreſſit, *Hiſtoriam debere recitari, quæ non oſtentationi, ſed fidei veritatique componitur.* Melius ſane quam Quintilianus, qui lib. X. eundem locum adumbravit his verbis: *Totum hiſtoriæ opus non ad initium rei pugnamque præſentem, ſed ad memoriam poſteritatis, & ingenii famam componitur.* ſed nemo felicius Caligula: prorſus enim, ut diximus, ἀγωνίσματα ſunt *commiſſiones.*

Et harenam eſſe ſine calce.] Credo, quod ſententias plerumque loqueretur, breves & nulla admodum connexione inter ſe cohærentes. Tale quid voluit & Quintilianus, cum in Seneca reprehendit *quod rerum pondera minutiſſimis ſententiis fregiſſet.* de quo genere dicendi vide ejuſdem doctoris judicium libro VIII. cap. V. Diverſa ratio eſt, cur dicat Epiphanius, hæreticos σχοινία ἐξ ἄμμου πλέκειν *ex harena funiculos nectere* in ſuis ſcriptis, dum ſacræ ſcripturæ loca male componunt.

54. *Thrax & auriga, idem cantor atque ſaltator.*] Scribe *Threx*, ut in ſcriptis fere. Adverte autem quatuor artium Cajo adamatarum nomina, de quibus eodem ordine, ut ſemper ſolet, deinceps agit.

VARIOR.

53. *Prout ſtylus ceſſerat.*] Selon que le coeur luy en diſoit. GUJET.

54. *Batuebat pugnatoriis armis.*] Codex Salmaſ. *Battuebat.*

TOR-

Canendi ac ſaltandi voluptate ita efferebatur, ut ne publicis quidem ſpectaculis temperaret, quo minus & tragœdo pronuntianti concineret: & geſtum hiſtrionis quaſi laudans vel corrigens palam effingeret. Nec alia de cauſſa videtur eo die quo periit, pervigilium indixiſſe, quam ut initium in ſcenam prodeundi licentia temporis auſpicaretur. Saltabat autem nonnumquam etiam noctu: & quondam tres conſulares ſecunda vigilia in palatium accitos, multaque & extrema metuentes ſuper pulpitum collocavit: deinde repente magno tibiarum & ſcabellorum crepitu, cum palla tunicaque talari proſiluit, ac deſaltato cantico
55 abiit. Atque hic tam docilis ad cetera, natare neſciit. Quorum vero ſtudio teneretur, omnibus ad inſaniam favit. Mneſterem pantomimum etiam inter ſpectacula oſculabatur: ac ſi quis ſaltante eo vel leniter obſtreperet, detrahi juſſum manu ſua flagellabat. Equiti Romano tumultuanti, per centurionem denuntiavit, abiret ſine mora Oſtiam, perferretque ad Ptolemæum regem in Mauritaniam codicillos ſuos. Quorum exemplum erat: *Ei, quem iſtuc miſi, neque boni quidquam neque mali feceris.* Thraces quoſdam Germanis

TORRENT.

Licentia temporis.] An tunc igitur major licentia, cum pervigilium erat? Nox ſane & mendas tegit, & pudorem adimit.

Scabellorum crepitu.] Nulli paulo eruditiori dubium, quin muſicum aliquod inſtrumentum ſignificet, quanquam interpretes aliter exponunt. Car. Langius, vir doctiſſimus, *ſcamillorum* legebat, ut ea ſint, quæ noſtro idiomate Schalmeyen vocamus. Quod ſane probabile eſſe oſtendit vetus inſcriptio Spoleti, DIS SYRIIS. M. SEPTIMIO. M. F. HOR. SEPTIMIANO EQUO PUB. C. ALBICIUS. C. L. RESTITUTUS. IIII-VIR I. D. PRÆF. FABR. ROMÆ DEC. IIII. SCAMILLAR. OPERÆ VETERES A SCÆNA PATRONO OB MERITA EJUS L. DDD. Cicero quidem pro Cælio, *Deinde* (inquit) *ſcabella concrepant, aulæum tollitur.* Sed ibi de fine mimi, hic de initio agitur.

Cum palla tunicaque talari.] Quali etiam Nero citharœdus habitu in vetuſtis nummis cernitur. Plura ad Horat. de Arte,

- - - *traxitque vagus per pulpita veſtem.*

55. *Ut abiret.*] Meliores libri *abiret*, ſine *ut*. De Ptolemæo ſup. cap. XXVI.

Thraces quoſdam.] Hic quoque *Threces*, aut *Treces* habent libri antiquiſſimi, eaque fere in gladiatoribus ſcriptura vetus. Quo magis ex ea factione, ut cui impenſe Cajus faveret, Germanis præfectos fuiſſe intelligo.

CASAUBON.

Magno tibiarum & ſcabellorum crepitu.] Saltatores, & ſaltatrices cum in ſcenæ pulpito ſaltabant, præter ictum pedum varia inſtrumenta ſono edendo apta adhibebant. fere enim jungebantur, ut Lucianus Περὶ ὀρχήσεως indicat, κρέματα, τερετίσματα, & ποδῶν κτύπος. Inter alia organa ejus generis & *ſcabelli* fuerunt. Eam vocem non magis Latinam puto eſſe quam *barbitus*, *ſambuca*, *nabla*, & alia pleraque omnia inſtrumentorum muſicorum nomina: quæ ſimul cum uſu rerum quas ſignificant, in civitatem Romanam ſunt admiſſa. Aſſentior autem doctiſſimo amiciſſimoque Scaligero, qui *ſcabellos* ſive *ſcabella* eſſe putat apud Suetonium & Arnobium, quos Hiſpani & Aquitani *caſcabellos* dicunt; quam dictionem Rabbi Jona uſurpat in explicatione vocis Hebraicæ חח. Auguſtinus de Muſica libro quarto: *Quæro ex te, utrum poſſint copulati ſibi pedes, quos copulari oportet, perpetuum quendam numerum creare, ubi nullus finis certus appareat: veluti cum ſymphoniaci ſcabella & cymbala pedibus feriantur, certis quidem numeris, & his qui ſibi cum aurium voluptate junguntur, ſed tamen tenore perpetuo: ita ut ſi tibias non audias, nullo modo ibi notare poſſis, quouſque procurrat connexio pedum, & unde rurſus ad caput redeatur.* Erat hoc unum e crepitaculorum generibus, quibus vel cum muſicis organis, vel inopia eorum, ut notat Scholiaſtes Ariſtoph. ad Ranas, utebantur. Talis fuit teſtarum crepitus, item acetabulorum tinnitus, ſive ὀξυβάφων μουσικὴ, & illa Ἀραδίων μουσικὴ, καὶ Φοινίκων κρέματα, de quibus multa notamus ad Athenæum, propediem, velit modo τὸ κρεῖττον, edendum.

55. *Thraces quoſdam.*] Liſlæi cod. *Threcas quoſdam.* Memmii, *Threſes.*

VARIOR.

Scabellorum crepitu.] Scabella erant inſtrumenta muſica, quæ pedum agitatione & motu percuſſa ſonitum edebant, quorum formam ex antiquo marmore vide apud ALBERTUM RUBENIUM, lib. II. de Re Veſtiar. cap. XVI.

Cum palla tunicaque talari proſiluit, ac deſaltato cantico abiit.] Quod ſane mirum videri poteſt, ſaltatores longis ac fluentibus tunica pallaque velatos, quum habiliores ſuccincti & tunicati tantum futuri fuiſſent. FERRARIUS.

55. *Thraces.*] Gladiatores. GUJET.

manis corporis cuſtodibus præpoſuit. Mirmillonum armaturas reſcidit. Columbo victori, leviter tamen ſaucio venenum in plagam addidit, quod ex eo *Columbinum* appellavit. Sic certe inter alia venena ſcriptum ab eo repertum eſt. Praſinæ factioni ita addictus & deditus, ut cœnaret in ſtabulo aſſidue, & maneret. Agitatori Eutycho comiſſatione quadam in apophoretis vicies H S. contulit. Incitato equo, cujus cauſſa pridie Circenſes, ne inquietaretur, viciniæ ſilentium per milites indicere ſolebat, præter equile marmoreum, & præſepe eburneum, præterque purpurea tegumenta, ac monilia e gemmis, domum etiam, & familiam, & ſupellectilem dedit, quo lautius nomine ejus invitati, acciperentur: conſulatum quoque traditur deſtinaſſe. Ita bacchantem atque graſ- 56
ſantem non defuit pleriſque animus adoriri. Sed una alteraque conſpiratione detecta, aliis per inopiam occaſionis cunctantibus, duo conſilium communicaverunt, perfeceruntque: non ſine conſcientia potentiſſimorum libertorum præfectorumque prætorii: quod ipſi quoque, etſi falſo, in quadam conjuratione, quaſi participes nominati, ſuſpectos tamen ſe & inviſos ſentiebant. Nam & ſtatim ſeductis magnam fecit invidiam, diſtricto gladio affirmans *ſponte ſe periturum, ſi & illis morte dignus videretur:* nec ceſſavit ex eo criminari alterum alteri, atque inter ſe omnes committere. Cum placuiſſet Palatinis ludis

TORRENT.

Mirmillonum arm. reſcidit.] Lego *recidit*, ut ante cap. XLIV. & Tib. cap. XXXIV.

Columbo.] Mirmilloni nempe, cum ipſe Thracum factioni faveret, ut in Circo Praſinæ. Porro ut hic Columbus, ſic & Palumbus gladiatoris nomen Claud. cap. XXII.

Agitatori Eutycho.] Nihil muto. fauſtum enim agitatoris nomen, ut Aug. cap. XCVI. & conſentit Joſeph. lib. XIX. Libri ſcripti tamen *Cythico*, & *Scytico*, & *Cycico* habent.

In apophoretis.] Aug. cap. LXXV.

Incitato, equo.] Sic & L. Verus Antoninus equo cui Volucer nomen erat, aureum viventi ſimulacrum fecit, & mortuo ſepulcrum erexit. Errant vero interpretes, qui equi nomen agitatori hic tribuunt. Quanquam Incitatus & egregii agitatoris, & mulionis nomen eſt apud Martialem lib. XI. Epigr. I. & lib. X. Epig. LXXVI. niſi eundem tamen hominem utroque in epigrammate intelligamus.

56. *Animus.*] Libri duo *conſilium*, & mox *una alteraque* pro *una & altera*. Nihil muto tamen.

Potentiſſ. libertorum.] Hoc eſt, quod ſuis eum telis confoſſum dicit Plin. lib. XXXII. cap. II. Adde, ſi lubet, Joſephum Antiquit. lib. XIX.

Palatinis ludis.] Libri tres *Palatini ludi*, ut ad gladiatorum ſpectaculum referre poſſimus. ſic enim *ludus matutinus*, & *ludus Gallicus*. Verum receptam lectionem retineo, non tam Joſephi, qui rem non ſatis explicat, auctoritate, quam Dionis, qui extremo lib. LVI. defuncto Auguſto, præter ea quæ Auguſtalia vocata ſunt, Liviam ludos etiam in Palatio inſtituiſſe ſcribit, quos cæteri deinde Principes celebrarunt.

CASAUBON.

Agitatori Cythico c.] Ex veſtigiis corruptæ lectionis in antiquis libris, ſatis certum eſt *Eutycho* ſcribi debere. Politiani tamen liber ſic: *Agitatori Pythico c.*

Incitato equo.] Magna hominis docti & hiſtoriæ Romanæ callentiſſimi hallucinatio, non uno loco affirmantis ſcribendum eſſe *Incitato equo.* nimirum oblitus erat eorum, quæ pridem apud Dionem abſque dubio legerat de hoc equo.

Nomine ejus invitati.] Et Incitati equi nomine alii invitari ſoliti, & ipſe Incitatus a Principe. Dio, ἕνα τὸν ἵππον ὃν Ἰγκίτατον ὠνόμαζε, καὶ ἐπὶ δεῖπνον ἐκάλει.

Conſulatum quoque dicitur deſtinaſſe.] Id ſerio affirmat Dio: prorſus enim facturum eum conſulem fuiſſe, niſi mors occupaſſet. καὶ προσυπισχνεῖτο καὶ ὕπατον αὐτὸν ἀποδείξειν· καὶ πάντως ἂν καὶ τοῦτο ἐπεποιήκει, εἰ πλείω χρόνον ἐζήκει.

56. *Cum placuiſſet Palatinis ludis.*] Cur ad ſtabiliendam hujus loci ſcripturam, quæ in pleriſque libris corrupta eſt, uti malit Torrentius Dionis auctoritate quam Joſephi, cauſſam non video. nihil enim dilucidius narrari poteſt, quam ut facit Joſephus. Nos autem Dionis locum de inſtitutione horum ludorum fine libri LVI. eo proferemus, ut nonnihil optimo ſcriptori lucis demus: ἡ Λιουΐα ἰδίαν δή τινα αὐτῷ πανήγυριν ἐπὶ τρεῖς ἡμέρας ἐν τῷ παλατίῳ ἐποίησεν, ἣ καὶ δεῦρο ἀεὶ ὑπ᾽ αὐτῶν τῶν ἀεὶ αὐτοκρατόρων τελεῖται. editum eſt ἣ καὶ δευτέρα ἀεί. facilis emendatio: ſed quam neque interpretes viderunt, neque viri doctiſſimi, qui de ludis Palatinis ſcribentes eum locum deſcripſerunt. at nuperus corrector ne illud quidem ſcivit, οἱ ἀεὶ αὐτοκράτορες genus dicendi Græcorum

ludis ſpectaculo egreſſum meridie aggredi, primas ſibi partes Caſſius Chærea tribunus cohortis prætoriæ depopoſcit: quem Cajus ſeniorem jam, ut mollem & effœminatum denotare omni probro conſuerat: & modo, ſignum petenti, PRIAPUM aut VENEREM dare: modo, ex aliqua cauſſa agenti gratias, oſculandam manum offerre, formatam commotamque in obſcœnum modum.
57 Futuræ cædis multa prodigia exſtiterunt. Olympiæ ſimulacrum Jovis, quod diſſolvi transferrique Romam placuerat, tantum cachinnum repente edidit, ut machinis labefactis opifices diffugerint. Supervenitque illico quidam Caſſius quoque nomine, juſſum ſe ſomnio affirmans immolare taurum Jovi. Capitolium Capuæ

eorum perelegans, qui Latine ſit vertendum. Mirum vero Beroaldi ſtuporem, qui verba Joſephi de inſtitutione horum ludorum male accipiens, in honorem Cæſaris dictatoris fuiſſe inſtitutos auctore Joſepho ſcribit. atqui de Auguſto qui primus imperium fundavit & munivit, ſenſiſſe Joſephum declarant quæ mox ſubjicit, ἔθυε Γάϊος τῷ Σεβαςῷ Καίσαρι, ᾧ δὴ καὶ τὰ τῆς θεωρίας ἤγετο. Sed ignoſcendum Beroaldo, qui Joſephum Græce non legerat. In dierum numero, per quos celebrati in palatio ludi, diſſentit aperte a Dione Joſephus. verum ille locus eſt corruptus, ut alia multa in eo nobiliſſimo ſcriptore: quæ curari non poſſunt, niſi ab eo qui trium linguarum ſtudio ingenium probe ſubegerit & excoluerit.

VARIOR.

Columbo victori.] Mirmilloni. GUJET.

Agitatori Cythico.] Codex Salmaſ. *Euthico:* lege *Eutycho.* SALMAS. Idem codex pro *commiſſatione* ſcribit *commiſatione.* Sic ubique.

TORRENT.

Egreſſum meridie.] Ut ſolebant prandendi cauſa. Hinc equitis illius dictum apud Quinctilian. lib. VI. cap. III. ad quem in ſpectaculis bibentem cum miſiſſet Auguſtus qui ei diceret, Ego ſi prandere volo, domum eo, Tu enim (inquit) non times, ne locum perdas. Adde Suetonium Claud. cap. XXXIV. *dimiſſo ad prandium populo.*

Formatam commotamque.] Nihil muto. nam id hodie quoque Italis peculiare eſt. Liber opt. tamen habet *camatam formatamque*, alter *forcatam commiſtamque.* Unde Lipſio ad Annalem Taciti XIII. viſum corrigere *formatam gammatamque*, &c. Saltem *gammatam formatamque* dixiſſet. Quanquam ne ei quidem lectioni ſubſcriptor venerim. quæ eſt enim hæc libido in auctorem ſane terſum & elegantem voces intrudendi, quæ nuſquam auditæ, nuſquam lectæ? *Nodum* quoque pro *modum* reſcribere, id vero (ut Latine dicam) nimis anxium, ac pene putidum eſt.

57. *Machinis labefactis.*] Jovis Olympii (ut de eo tradit Strabo lib. VIII.) tanta erat magnitudo, ut pæne tectum æquaret. Quare de plano ſine machina diſſolvi non poterat. Sic *in machina operari* dixit Ulpian. l. v. Commodati. Sed & Dion ſcribit navem paratam ad avehendum fulmine periiſſe.

CASAUBON.

Oſculandam manum offerret formatam commotamque in obſcœnum modum.] Hanc vulgatam lectionem confirmant omnes noſtri codd. etiam Memmii: neque audio virum doctum eam mutantem, & monſtra quædam verborum hoc loco comminiſcentem. Nam, quæ tanta hæc eſt omnia mutandi prurigo, quum neque in verbis, neque in ſententia ulla ſit difficultas, & in edita lectione libri omnes conſentiant? Inter alios irridendi modos eſt, quæ *ſanna* proprie dicitur: cum geſtu aliquo mimico exprimitur id, quod volumus objicere ei quem ridemus. Tria eorum genera notavit eleganter Perſius Satyra prima, manu pinſentem ciconiam exprimere, oppoſito temporibus pollice auriculas aſininas effingere, & linguam exertare inſtar ſitientis canis. Similis hic ſanna intelligitur: quod Suetonius elegantiſſime exprimit per *formatam & commotam manum in obſcœnum modum.* Qui meminerit eorum quæ de infami digito apud veteres leguntur, & eorum quæ de voce σκιμαλίζειν Græci ſcholiaſtæ notant, præſertim ad illa ex Pace Ariſtophanis, Καὶ τὸν δορυξόον οἷον ἐσκιμάλισεν; facile animo concipiet, quale hoc ſannæ genus fuerit. neque eſt operæ pluribus iſta explicare. obſcurius idem Suetonius ſimilem Pyladis ſannam refert lib. II. cap. XCV. nam ita locus ille accipi debet.

57. *Capitolium Capuæ.*] Non Romæ ſolum Capitolium fuit, ſed & aliis in locis: tandemque ea voce omnes arces promiſcue appellatæ videntur. Sidonius Apollinaris:

Salve Narbo potens ſalubritate
Urbe & rure ſimul bonus videri
Delubris, capitoliis, monetis.

Idem alibi:

E quibus primum mihi pſallat hymnus,
Qui Tholoſanam tenuit cathedram,
De gradu ſummo capitoliorum
Præcipitatum.

VARIOR.

57. *Repente edidit.*] Cod. Salm. *repente dedit.*

Caſſius quoque nomine.] Delet Salmaſianus, *quoque.*

Capuæ Idibus Martiis de cœlo tactum eſt: item Romæ cella Palatini atrienſis. Nec deſuerunt, qui conjectarent altero oſtento periculum a cuſtodibus domino portendi: altero, cædem rurſus inſignem, qualis eodem die facta quondam fuiſſet. Conſulenti quoque de genitura ſua, Sulla mathematicus *certiſſimam necem appropinquare* affirmavit. Monuerunt & ſortes Antiatinæ, *ut a Caſſio caveret.* Qua cauſſa ille Caſſium Longinum Aſiæ tum proconſulem occidendum delegaverat, immemor Chæream Caſſium nominari. Pridie quam periret, ſomniavit conſiſtere ſe in cœlo juxta ſolium Jovis: impulſumque ab eo dextri pedis pollice, & in terras præcipitatum. Prodigiorum loco habita ſunt etiam quæ forte illo ipſo die paullo prius acciderant. Sacrificans reſperſus

Torrent.

Cella Palatini atrienſis.] Sic unus e noſtris. Alii *cella palatina*, quod minus placet. nam & Vitell. cap. xvi. *cellulam janitoris* vocat, ut hic *atrienſis*.

Qualis eodem die.] Intellige Divi Julii cædem.

Sylla Mathematicus.] Hunc Nigidio Figulo, & Scribonio, Romanis, de quibus ante Aug. & Tib. adjunge.

Sortes Antiatinæ.] Liber opt. *Antianæ.* Gallici quidam codices *Fortunæ Antiatinæ*, quam lectio-



nem agnoſcunt & interpretes. Sicque in veteri nummo Q. Ruſtii appellantur, ut *Fortunæ Antiates* in antiquo marmore, *Fortunæ apud Antium* a Macrobio lib. i. Saturnal. cap. xxiii. Qua de re latius ad Horat. notavimus lib. i. Od. xxxv.

O Diva gratum quæ regis Antium.

Caſſium Longinum.] Sup. cap. xxiv.

Casaubon.

Cella Palatini atrienſis.] Viterbienſis, *palatini* minore *p.* recte: cum de atrienſi intelligat palatii & domus Imperatoris: non autem Apollinis Palatini. *Cellas* Latini vocant omnia gurguſtiola infimæ ſortis hominum. Tales erant cellæ ſervorum, ut atrienſis hujus, & janitorum: quæ erant adſtructæ magnarum domorum aut inſularum foribus. Earum mentio apud Vitruvium, Petronium, Suetonium in Vitellio & alios. Græci *cellam* vocant οἴκημα. (ita enim vertere debes apud Appianum & Pollucem τὸ τοῦ πυλωροῦντος οἴκημα) alii κλίσιον, de quo notat Euſtathius ad ultimum lib. Ὀδυσσ. κλίσιον οἰκετικὸς οἶκός ἐςιν εὐτελὴς, καὶ οἷόν τις κλισία, περὶ ἣν δμῶες ἴαυον. Sic quas Romani *cellas meretricias*, Græci vocant κλίσια, ut Demoſthenes pro Cteſiphonte, ἡ μήτηρ σου τοῖς μεθημερινοῖς γάμοις ἐν τῷ κλισίῳ τῷ πρὸς τῷ Καλαμίτῃ ἥρωϊ χρωμένη. vocant & ςέγας, item ςέγος, vel τέγος. Quare cum legis apud Græcos πόρνας ἐπὶ τέγους, vel ἐπὶ ςέγους ἑςώσας, ſemper de cellulis meretriciis debes intelligere: quod propterea moneo, quia etiam doctiſſimos viros in his errare animadverto. Sic ergo accipe, ut pauca de multis exempla proferam, in epiſtola apocrypha Jeremiæ, δώσουσι δὲ ἀπ᾽ αὐτῶν καὶ ταῖς ἐπὶ τοῦ τέγους πόρναις, id eſt, *dabunt ex illis etiam meretricibus, quæ in cellis proſtant:* non ut magni viri verterunt, *quæ ſub tecto ipſorum ſunt.* Clemens Alexandrinus Pædagogi lib. iii. ἐπὶ τέγους ἑςᾶσι παρ᾽ αὐτοῖς τὴν σάρκα τὴν ἑαυτῶν εἰς ὕβριν ἡδονῆς πιπράσκουσαι γυναῖκες. Idem ςρωματέων lib. iii. αἱ προεςῶσαι τοῦ τέγους πόρναι ἀναίδην εἰσδεχόμεναι τοὺς βουλομένους ἅπαντας. Qui locus me movet, ne in hoc loquendi genere τέγος exponam *pergulam:* cum alioqui ſciamus ex Plauto, in pergulis eas ſolitas ſtare more multorum artificum, qui in pergulis ſe publicabant, ut in officinis. Quare *pergulas* & *officinas* jungunt Impp. l. iv. Cod. Theod. de Excuſationibus artificum. ſed eas pergulas potius intelligunt Græci, cum τὰς ἀπὸ τῶν ἐργαςηρίων ἑταίρας memorant, ut Artemidorus non ſemel, aliique: at τέγος, vel ςέγος Græci grammatici etiam οἴκημα exponunt: & προςῆναι τοῦ τέγους ita dictum Clementi, ut προςῆναι τοῦ οἰκήματος aliis. Chryſoſtomus in homil. de Babyla: τὰς ἀπὸ τέγους γυναῖκας ἀναςήσας ἀπὸ τῶν οἰκημάτων ἐν οἷς προεςήκεσαν. Metaphraſtes in vita B. Athanaſii, οἷα γύναιον ἐκ δημοσίου τέγους ἀργυρισθέν. *ceu muliercula e publico lupanari mercede conducta.* apud Chryſoſtomum homilia in Matthæum xxxi. & alibi, αἱ ἀπὸ ςέγους ſunt proſtituta ſcorta. ſed de his hactenus.

Sacrificans reſperſus eſt phœnicopteri ſanguine.] Non ipſum, ſed Aſprenatem ſanguine reſperſum, qui cum eo cæſus eſt, narrat Joſephus.

ſperſus eſt phœnicopteri ſanguine. Et pantomimus Mneſter tragœdiam ſaltavit, quam olim Neoptolemus tragœdus ludis, quibus rex Macedonum Philippus occiſus eſt, egerat. Et cum in Laureolo mimo, in quo actor proripiens ſe ruina ſanguinem vomuit, ut plures ſecundarum certatim experimentum artis darent, cruore ſcena abundavit. Parabatur & in nocte ſpectaculum, quo argumenta inferorum per Ægyptios & Æthio-
58 pes explicarentur. Nono Kalend. Feb. hora quaſi ſeptima, cunctatus an ad prandium ſurgeret, marcente adhuc ſtomacho pridiani cibi onere, tandem ſuadentibus amicis egreſſus eſt. Cum in crypta, per quam tranſeundum erat, pueri nobiles ex Aſia ad edendas

TORRENT.

Phœnicopteri ſanguine.] Inter hoſtias, quæ Cajo tanquam Jovi Latiali immolabantur, etiam phœnicopterus erat, cap. XXII. Qualem cum ipſe ſibi (nam ſui ipſius ſacerdos erat, ſi Dioni credimus) immolaret, ſanguine aſperſus eſt, diem proinde cruentum habiturus.

Mneſter.] Nomen id ante corruptum cap. LV. & XXXVI. duo hic optimi codd. noſtri integrum ſervant. Unus etiam *miniſter* habet. Porro hic Mneſter ſub Claudio occiſus eſt cum Meſſallina. Meminit ejuſdem Seneca Apotheoſi, quanquam & ibi B. Rhenanus nomen corrupit.

Tragœdiam ſaltavit.] Cinyram, (auctor Joſeph.) in qua ipſe cum filia Myrrha occiſus ſit. Nota eſt fabula ex Ovidio, & aliis.

Neoptolemus trag.] Meminit hujus rei Stobæus Sermone XCVI. Plutarch. Demoſthene, Diodor. Sicul. extremo lib. XVI. ubi de Philippi regis morte, quanquam nonnihil a Suetonio diſſentiens. Meminit etiam Turtullian. de Anima, & de Neoptolemo hiſtrione ipſe Demoſthenes de Pace.

Laureolo mimo.] Sic omnino legendum ex Juvenale Sat. VII.

Laureolum velox etiam bene Lentulus egit,
Judice me vera dignus cruce.

Sed & Martial.

Non falſa pendens in cruce Laureolus.

Joſephus latronum ducem fuiſſe vult, qui in crucem actus ſit. Male qui *Laureato* legunt.

Proripiens ſe ruina.] B. Rhenanus *prorepens e ruina*, mallem *proripiens ſe e ruina.* Nihil muto tamen. Sueton. enim fere præpoſitiones omittere conſuevit

Sanguinem vomuit.] Tres libri *vomit.* quod melius eſt. Notandus vero Suetonii locus iſte, quo melius quæ *primæ*, quæ *ſecundæ*, intelligamus. Qua de re noſtris ad Horat. commentar. Epiſt. ad Scævam, *aut partes minimum tractare ſecundas.*

Ut plures.] Delenda *ut* particula. ſic enim veteres codd. & manifeſte ſenſum turbat.

58. *Hora quaſi ſept.*] Libb. duo *hora fere ſept.* & mox *marcente*, pro *marceſcente.*

In crypta per quam tranſeundum.] Cryptoporticum vocat Plin. lib. II. Epiſt. XVII.

CASAUBON.

Ludis quibus rex Macedonum Philippus occiſus eſt.] Joſephus aliter narrat, ſed qui, puto, rem non ſatis animo conceperat: ſcribit enim, ὁμολογεῖται δὲ καὶ τὴν ἡμέραν ἐκείνην γενέσθαι, ἐν ᾗ Φίλιππον τὸν Ἀμύντου Μακεδόνων βασιλέα κτείνει Παυσανίας εἷς τῶν ἑταίρων, εἰς τὸ θέατρον εἰσιόντα. quanto veriſimilius, ut narrat Suetonius.

58. *Nono Kalendus Febr.*] Qui erat dies ultimus ludorum Palatinorum. Joſephus. At Zonaras longe aliter.

Hora quaſi ſeptima.] Ὥρα ὡσεὶ ἑβδόμη. nam ita & Græci loquuntur. at in MSS. noſtris *fere*, non *quaſi*. Pro *ſeptima* ſcribendum *nona*, ſi ſequimur Joſephum: niſi contra malit aliquis apud illum reſcribere ἑβδόμην ex Suetonio. ſed verius eſt, fruatur uterque ſua παραδόσει.

Cunctatus, an ad prandium ſurgeret.] Joſephus pæne ad verbum: ἐνδοιάζοντος Γαΐου, εἴτε παραμένειν εἰς τέλος τῇ θεωρίᾳ διὰ τὸ τελευταίαν εἶναι τὴν ἡμέραν, εἴτε λουτρῷ χρησάμενος καὶ σίτῳ εἶτα ἐπανίοι καθὰ καὶ πρότερον. Cum his non conſentit Dionis nec Zonaræ narratio: qui inter ſpectandos ludos eo ipſo loco eum alioſque ediſſe ac bibiſſe tradunt.

Marcente adhuc ſtomacho.] Melius ſic Viterb. quam *marceſente*, ut vulgati. In Gloſſario cenſeo ſcribas, *Marcidus* & *marcens*, τετηκὼς, νωθὴς ἀπὸ κραιπάλης.

Tandem ſuadentibus amicis egreſſus eſt.] Minucianus & Aſprenas auctores & impulſores fuere. Joſephus.

Cum in crypta, per quam tranſeundum erat.] Dio στενωπὸν vocat. Joſephus στενωπὸν ἠρεμηκότα. idem στενὰς ὁδοὺς, cum ait, στενῶν οὐσῶν τῶν ὁδῶν καθ᾽ ἃς ἔπραξαν τὸ ἔργον. At Suetonius paullo poſt *domum*, non ſemel.

Pueri nobiles ex Aſia ad edendas in ſcena operas evocati.] Libro primo cap. XXXIX. *Pyrricham ſaltaverunt Aſiæ Bithyniæque Principum liberi.* Dio de ludis Claudii: Πυῤῥίχην τε Ἀσιανοὶ παῖδες μετάπεμπτοι ὠρχήσαντο. Joſephus de iſtis, ἅμα καὶ παῖδας οἳ εἰσήκεσαν ἐκ τῆς Ἀσίας καταντήσων, πομπῆς αὐτῶν ἐκεῖθεν γενομένης, ἐπὶ ὕμνοις μυστηρίων, ἃ ἐπετέλει

edendas in ſcena operas evocati præpararentur, ut eos inſpiceret hortareturque, reſtitit. Ac niſi princeps gregis algere ſe diceret, redire ac repræſentare ſpectaculum voluit. Duplex dehinc fama eſt: alii tradunt alloquenti pueros a tergo Chæream cervicem gladio cæſim graviter percuſſiſſe, præmiſſa voce: *Hoc age.* Dehinc Cornelium Sabinum, alterum e conjuratis tribunum, ex adverſo trajeciſſe pectus: alii, Sabinum, ſubmota per conſcios centuriones turba, ſignum more militiæ petiſſe, & Cajo *Jovem* dante, Chæream exclamaſſe, *Accipe ratum*; reſpicientique maxillam ictu diſcidiſſe. Jacentem,

τέλει. ἔνιοι δὲ κατὰ πυῤῥιχισμοὺς οἳ ἐν τοῖς θεάτροις ἔσοιντο. Dio evocatos e Græcia & Jonia ſcribit, ut hymnum de laudibus Caji factum canerent.

TORRENT.

Repræſentare ſpectaculum.] Sic *legata repræſentare* ſup. cap. XVI. & *mercedem repræſentare* Claud. cap. XVIII. pro ſine dilatione ſolvere.

Duplex dehinc.] Libb. duo *dein*, in uno *neutrum*. quod placet.

Hoc age.] Quod (teſte Plutarcho vita Coriolani) magna præconis voce in ſacris uſurpari ſolet, *Hoc age*, in proverbium ad res alias quoque abiiſſe videtur, cum attentionem imperamus. Tertullian. lib. IV. Adverſus Marcionem, *Ut dici ſolet, Ad quod venimus, hoc age.* Sueton. Galb. XX. *Hoc agerent, & ferirent.* Seneca lib. I. de Clementia cap. XII. L. Syllæ verbis, *Hoc agamus* (*inquit*) *P. C. ſeditioſi pauculi meo juſſu occidentur.*

Accipe ratum.] Id quoque a militibus, aut gladiatoribus tractum, qui inferendo ictu vulnus καίριον & minime irritum ominantur. Vidi etiam cui placeret, *Accipe iratum*, ſcilicet Jovem. Sed neſcio, cur id vulgatæ lectioni præferamus.

CASAUBON.

Duplex dehinc fama.] Compara cum Joſepho: nam Dio rem brevius ſtringit. *neutram famam* ſequitur Joſephus.

Cervicem gladio cæſim graviter percuſſiſſe.] Joſephus, μεσηγὺς τοῦ τε ὤμου καὶ τοῦ τραχήλου φερόμενον τὸ ξίφος ἐπέσχεν ἡ κλεὶς προσωτέρω χωρεῖν.

Cornelium Sabinum alterum e conjuratis tribunum.] Non ita Joſephus, apud quem leges parum honeſtum Sabini hujus elogium. At Dio conſentit Suetonio: qui præbet ei abunde teſtimonium magni viri.

Cajo Jovem dante, Chæream exclamaſſe: Accipe ratum.] Nempe ſignum: quaſi diceret, Optas, ut Jupiter cujus nomen das pro teſſera, te ſervet ac protegat (nam omnium ſemper ea mens eſt, qui nomina ſuperum teſſeræ loco dant) en votum tuum ratum. dictum εἰρωνικῶς, vel etiam ſimpliciter & ſerio abſque ironia: quia Caligulæ flagitiis omnibus & ſceleribus dedecorato, non niſi morte poterat ſuccurri, ut dictum eſt de Nerone. vide, quæ notamus ad Tiberium capite LXVI. Poteſt etiam ita accipi: *Accipe ratum*, quod do nempe, hoc eſt, mortem. Sic *mortem ratam* dixit Livius libro XLV. *Noxa liberati interfectores; exſilium pulſis æque ratum fuit, ac mors interfectis.* Quod autem viri docti pro *ratum* corrigendum cenſent *iratum* in tanto omnium librorum conſenſu, non temere illis aſſentiendum putem.

VARIOR.

58. *Præmiſſa voce, Hoc age.*] Erat hæc ſolemnis formula, qua popa victimam cæſurus jubebatur ferire. Is enim quærebat: *Agon'?* Aſinius Pollio apud Senec. Controv. II. *Filius cervicem porrigat: carnifex manum tollat, deinde reſpiciat ad patrem & dicat: Agon'? quod fieri ſolet victimis.* Illi reſpondebatur a ſacrificante, aut ſacerdote: *Hoc age.* Inde Chærea Caligulam cæſurus & ſocios conjurationis, ut & ipſi eum invaderent, tanquam ſigno dato hortans utebatur hac formula. Sic & Suetonius teſtatur, Galbam, in ejus vita cap. XX. percuſſoribus jugulum præbentem dixiſſe, *Ut hoc agerent, & ferirent.* Quo etiam reſpexit L. Syllæ apud Senecam, cum in vicinia ad ædem Bellonæ ſedens exaudiſſet conclamationem tot millium ſub gladio gementium, exterrito ſenatu, jocus: *Hoc agamus P. C. ſeditioſi pauculi juſſu meo occiduntur.*

Accipe ratum.] Miſeret irriti laboris ſummorum virorum in explicando τῷ *ratum.* Qui legendum vidit, *iratum*, verum vidit. Hoc eſt aliquid Latine dicere. cum alterum nihil ſit. Plautus Amphitr. *Id ego ſi fallo, tum te, ſumme Juppiter, Quæſo, Amphitruoni ut ſemper iratus ſies.* Horatius:

- - - merito quin illis Juppiter ambas
Iratus buccas inflet.

Tertullianus de Idolol. *Cum illi in publico per litem dictum eſſet, Jupiter tibi ſit iratus.* Et talia ὅσα κόνις de omnibus & ſingulis diis: quæ ſi bene putes, omnia hujus fundant & oſtendunt elegantiam. GRONOVIUS.

Accipe ratum.] Scribendum videtur *Accipe iratum*, ſubintel. Jovem, id eſt, pro ſigno das nobis Jovem, qui ſalutaris eſt hominibus, tu vero, o ſcelerate, pro ſalutari accipe iratum. GUJET.

TORRO-

centem, contractiſque membris clamitantem ſe vivere, ceteri vulneribus triginta confecerunt. Nam ſignum erat omnium, *Repete.* Quidam etiam per obſcœna ferrum adegerunt. Ad primum tumultum lecticarii cum aſſeribus in auxilium accurrerunt: mox Germani corporis cuſtodes, ac nonnullos ex percuſſoribus, quoſdam etiam ſenatores innoxios, interemerunt.
59 Vixit annis XXIX. imperavit triennio & X. menſibus, diebuſque VIII. Cadaver ejus clam in hortos Lamianos aſportatum, & tumultuario rogo ſemiambuſtum levi ceſpite obrutum eſt: poſtea per ſorores ab exſilio reverſas erutum, crematum, ſepultumque. Satis conſtat, prius quam id fieret, hortorum cuſtodes umbris inquietatos: in ea quoque domo in qua occubuerit, nullam noctem ſine aliquo terrore transactam, donec ipſa domus incendio conſumpta ſit. Periit una & uxor Cæ-
60 ſonia, gladio a centurione confoſſa: & filia parieti illiſa. Conditionem temporum illorum etiam per hæc exiſtimare quivis poſſit. Nam neque cæde vulgata ſtatim creditum eſt. Fuitque ſuſpicio, ab ipſo Cajo famam cædis ſimulatam & emiſſam: ut eo pacto erga ſe hominum mentes deprehenderet. Neque conjurati cuiquam imperium deſtinaverunt. Et ſenatus in aſſerenda libertate adeo cenſenſit, ut COSS. primo non in

TORRENT.

Signum erat omnium, Repete.] Libb. duo *omnibus.*

Lecticarii cum aſſeribus.] Dicti *lecticarii*, qui ad lecticam erant, homines robuſti, quales Liburni, Syri, Medi, Germani, Britanni, ut paſſim apud auctores legimus. *Aſſeres* vero ligna illa, quibus innixam domini lecticam humeris ſubibant. Juvenal. Sat. III.

- - - *ferit aſſere duro*

Alter.

& Sat. VII.

- - - *longo premit aſſere Medos.*

Martial. etiam

Ut Canuſinatus noſtro Syrus aſſere ſudet.

Lecticariorum autem Cæſaris ſtationem alicubi in Palatio fuiſſe oſtendit Tacit. lib. V. Exſtant & hæ inſcriptiones: TI. CLAUDIUS AUG. L. QUADRATUS DEC. LECTICARIORUM BRITANNICORUM. VIX. AN. LX. &, TI. CLAUDIO AUG. LIB. TIGRANO EX CORPORE LECTICARIORUM CÆSARIS VIX. ANNIS. LXXXV.

Germani corporis cuſt.] Sup. cap. XLV. Aug. cap. XLIX. Galb. cap. XII. Tacit. lib. I. Xiphilin. Severo. His adde Joſephum Antiquit. lib. XIX.

59. *Umbris inquietatos.*] Sic Ner. cap. XXXIV. Oth. cap. VII. Horat. Epod. V.

Nocturnus occurram furor.

Virg. Æneid. IV.

Omnibus umbra locis adero, dabis improbe pœnas.

Plin. lib. VII. Epiſt. ad Suram.

CASAUBON.

Nam ſignum erat omnium, Repete.] Viterb. *Repente.* minus placet.

59. *Vixit annis* XXIX.] Imo XXVIII. tantum cum menſibus quatuor, & diebus XXIV.

Imperavit triennio & X. menſibus, diebuſque VIII.] Exactiſſime putata ratio, a die exceſſus Tiberii. Clemens Alexandrinus Stromat. libro primo: Τιβέριον διαδέχεται Γάϊος Καῖσαρ ἔτη τρία, μῆνας ι, ἡμέρας ὀκτώ. At Joſephus, τέταρτον ἐνιαυτὸν ἡγεμονεύσας Ῥωμαίων λείποντα τεσσάρων μηνῶν. Dione an ejus exſcriptores peccarint in iſto numero, haut facile dixerim. imperaſſe autem ait, triennio & menſes novem & dies XXVIII. ſed forte tempora aliter putavit Dio: nempe a die, quo de imperio Caji factum fuit decretum ſenatus. Epiphanius ait *annos* III. *menſes* IX. *dies* XXII. vel ut in eodem ſcriptum alibi, ἡμέρας κθ.

Gladio a centurione confoſſa.] Lupum, qui Cæſoniam occidit, Joſephus non centurionem, ſed e tribunis unum ait fuiſſe.

VARIOR.

Accurrerunt.] Codex Salmaſ. *accucurrerunt.*

59. *Hortos Lamianos.*] Lamia gens clara & illuſtris haud unius poetarum teſtimonio. Juvenalis:

Hinc nocuit Lamiarum cæde madenti.

Horatius:

Æli vetuſto nobilis ab Lamo.

A Lamo, qui Cajetæ regnavit, gens ipſa orta dicitur. Silius Italicus:

Et regnata Lamo Cajeta.

SABELL.

60. *Nam neque cæde vulgata ſtatim creditum eſt.*] Non de nihilo iſtud monet Tranquillus. ſæpe enim a tyrannis ſpargitur mortis ſuæ fama, hoc pacto inquiſituris in animos ſuorum, quemadmodum oſtendimus in Diſſertationibus noſtris, laudatis Xenophon-

in curiam, quia Julia vocabatur, ſed in Capitolium convocarent. Quidam vero ſententiæ loco abolendam Cæſarum memoriam ac diruenda templa cenſuerunt. Obſervatum autem notatumque eſt in primis, Cæſares omnes, quibus Caji prænomen fuit, ferro periiſſe, jam inde ab eo qui Cinnanis temporibus ſit occiſus.

nophontis, Herodiani, Polyæni, Joſephi, Philonis Judæi, Zoſimi, aliorumque claſſicorum locis. GRUTERUS.

TORRENT.

60. *Julia vocabatur.*] Inter poſtremos, maximosque delatos a ſenatu Cæſari dictatori honores decretum etiam illud, ut nova Curia, quæ in locum Hoſtiliæ fieret, Julia appellaretur. Quam triumviri poſtea exſtruxerunt, Auguſtus vero poſt bella Actiaca dedicavit. Dion lib. XLIV. XLVII. & LI.

Caji præn.] At Cajus certe Auguſti filius, Lucii frater, ferro non periit. Ne dictatoris quidem Cæſaris pater, qui, dum calceatur matutino, nulla evidente cauſa, ſubito Piſis exanimatus eſt. Auctor Plin. lib. VII. cap. LIII.

Cinnanis temp. occiſus.] De hoc Cic. III. de Oratore, & in Bruto.

C. SUETONII TRANQUILLI DE XII. CÆSARIBUS

LIBER QUINTUS.

A. U. C. DCCXIV.

TIB. CLAUD. DRUSUS CÆSAR.

CAPUT I.

PAtrem Claudii Cæſaris Druſum, olim Decimum, mox Neronem prænomine, Livia, cum Auguſto gravida nupſiſſet, intra menſem tertium peperit: fuitque ſuſpicio, ex vitrico per adulterii conſuetudinem procreatum. Statim certe vulgatus eſt verſus:

Τοῖς εὐτυχῦσι καὶ τρίμηνα παιδία.

Is Druſus in quæſturæ præturæque honore, dux Rhætici, deinde Germanici belli, Oceanum ſeptentrionalem primus Romanorum ducum navigavit: tranſque Rhenum foſſas novi & immenſi operis effecit, quæ nunc adhuc Druſinæ vocantur. Hoſtem etiam frequen-



TORRENT.

I. NEronem prænomine.] Nero & prænomen, & cognomen eſſe nemo vel mediocriter in litteris verſatus ignorat. Hujus autem Druſi prænomen fuiſſe, & nummi, & lapides oſtendunt, in quibus NERO CLAUDIUS DRUSUS inſcribitur. Germanici vero agnomen ſibi poſteriſque ſuis bellica virtute peperit.

Gravida nupſiſſet.] Aug. cap. LXII.

Dux Rhætici.] Hinc pulcherrima Horatii Oda illa lib. IV.

Qualem miniſtrum fulminis alitem, &c.

Vide Tib. cap. IX.

Druſinæ.] Tacit. foſſam Druſianam appellat, ut Auguſtianus, Fauſtianus, Lucullianus. Quin & gladii Druſiani, a Druſo Tib. F. nominati.

CASAUBON.

TI. CLAUDIUS DRUSUS CÆSAR.] In titulo hujus libri quinti codex Viterbii olim deſcriptus, pro DRUSO cognomen NERONIS habet. Sic Dio, ὅτω Τιβέριος Κλαύδιος Νέρων Γερμανικὸς ὁ τῦ Δρύσυ τῆς Λιϐίας παῖς. Aliter Sueton. cap. II.

I. Τοῖς εὐτυχῦσι καὶ τρίμηνα παιδία.] Viterb. εὐτοχῦσι. an fuit ſcriptum εὐτοκῦσι? Sed cum vulgatis conſentit Dio lib. XLVIII.

Foſſas novi & immenſi operis effecit.] Scriptura Viterb. *foſſ. magna vi & immenſi operis eff.* de quo loquendi genere lib. II. dictum ad caput ſecundum Memmianus, *navi & im.* non puto Latine ſatis poſſe dici, *navum opus*. Quod autem viri doctiſſimi & rerum Germanicarum Belgicarumque peritiſſimi, foſſam Druſianam Rheni fluminis alveum illum eſſe volunt, quem ab amne cui Rhenus miſcetur, *Iſclam* hodie nuncupant, eſto penes eos hujus aſſertionis fides: nam ex Suetonii iſtis verbis aut Taciti in primo Annalium, id non dicas.

VARIOR.


I. *Novi & immenſi operis.*] Codex Salmaſ. *navi & immenſi operis.*

Quæ nunc adhuc Druſinæ vocantur.] Ex ſunt inter

frequenter cæſum, ac penitus in intimas ſolitudines actum, non prius deſtitit inſequi, quam ſpecies barbaræ mulieris humana amplior, victorem tendere ultra ſermone Latino prohibuiſſet. Quas ob res ovandi jus, & triumphalia ornamenta percepit: ac poſt præturam confeſtim inito conſulatu, atque expeditione repetita, ſupremum diem morbo obiit, in æſtivis caſtris, quæ ex eo *Scelerata* ſunt appellata. Corpus ejus per municipiorum coloniarumque primores, ſuſcipientibus obviis ſcribarum decuriis, ad Urbem devectum, ſepultum

ter *Doesburgum* & *Iſſel-oort*, quibus Rhenus Iſalæ committitur: quod multis liquido oſtendit CLUVERIUS de Germania vetere.

TORRENT.



Species barbaræ mulieris.] Qualis in Hadriani nummis cernitur, cum inſcriptione, GERMANIA. Pulchre hiſtoriam narrat Dion. lib. LV.

Morbo obiit.] Libb. duo *morbo iniit.*

Primores.] Hos coloniarum, municipiorumque decuriones vocat Aug. cap. c.

Scribarum decuriis.] *Scribæ* (ut Feſtus tradidit) ſic dicti, quod rationes publicas ſcribebant in tabulis: non quæſtoribus tantum, ſed aliis quoque magiſtratibus apparebant, in quorum rationibus monumentiſque verſabantur. Ingens itaque eorum numerus Romæ. Qui diſtincti per decurias, ordinem obtinebant equeſtri proximum. De quo multa Cic. Verr. V. Sicut igitur Auguſti corpus equites Rom. ſic Druſi ſcribæ a decurionibus exceptum in Urbem detulere. Aug. cap. c. Aliquid inf. Veſpaſ. cap. III. & plura ad Horat. lib. I. Sat. V.

CASAUBON.

Species barbaræ mulieris humana amplior.] Dio, γυνή τις μείζων ἢ κατὰ ἀνθρώπου φύσιν. uſam ſemone Latino, non notaſſe Dionem, miror.

Poſt præturam confeſtim inito conſulatu.] Anno tantum interjecto: prætor fuit anno DCCXLIII. conſul DCCXLV.

Per municipiorum coloniarumque primores.] Ab æſtivis caſtris ad hiberna geſtarunt tribuni & centuriones: deinde ſuſceperunt οἱ καθ᾽ ἑκάστην πόλιν πρῶτοι. Dio lib. LV. initio. corpus toto itinere pedibus prægrediente Tiberio. lib. tertio, cap. ſeptimo.

Ad urbem devectum.] *Ad* hoc loco valet *in:* nam urbi fuit illatum, non ad urbem tantum. doceo argumento certo funebris laudationis, quam ei de more pro roſtris peregit Tiberius. at Auguſtus non in urbe, ſed ad urbem eum laudavit in Circo Flaminio. Cauſſam docet nos Dio: Ἐξεστρατεύετο γὰρ, inquit, καὶ οὐκ ἦν οἱ ὅσιον μὴ οὐ τὰ καθήκοντα ἐπὶ τοῖς κατειργασμένοις παρ᾽ αὐτὴν τὴν εἴσω τοῦ πωμηρίου εἴσοδον ἐπιτελέσαι. *quia res bello geſſerat, fas ei non erat ea prætermittere quæ poſt bella confecta in ipſo pomœrii introitu de more præſtabantur.* quid intelligat Dio, non eſt obſcurum, vel utcumque verſatis in hiſtoriæ Romanæ lectione. præcipua ſiquidem cura urbem ingredientibus poſt victoriam partam fuit, Jovi Capitolino aliiſque diis gratias in ipſorum templis agere. quod Auguſtus, funeſta ipſius domo facere non poterat: ideo ad urbem manſit. Dionis mentem parum belle interpretes expreſſerunt. Sed inſuper non ferendus caſtigator nuperus, qui offenſus triplici negatione in ſuperioribus verbis, jubet nos locum emendare. At Plato vetat: utri potius obſequemur? vetat Plato cum ſcribit in Menone, οὐκ ἀντιτίθεμαι μὴ οὐ καλῶς λέγεσθαι. in epiſtola ad Dionyſium, οὐ γάρ ἐστι τὰ γραφέντα μὴ οὐκ ἐκπεσεῖν, & cum familiaribus Dionis, τὸ δὲ οὐδαμῶς ῥάδιον, πολλὰ κακὰ δρῶντα τοὺς ἄλλους, μὴ οὐ καὶ πάσχειν αὐτὸν πολλὰ ἕτερα, & paſſim Plato. vetat ipſe Dio, cujus iſta ſunt lib. LVII. μηδ᾽ ἀπαρνήσασθαί τινος δυναμένου τὸ μὴ οὐ καὶ τῶν σαρκῶν αὐτοῦ ἡδέως ἐμφαγεῖν. Legi etiam apud Joſephum lib. XIX. Originum, ἐβραδύνετο οὐδὲν μελλήσει τῇ κατ᾽ αὐτὸν, ὥστε μὴ οὐκ ἐς καιρὸν δεδιακονῆσθαι τοῖς ἀπεσταλκόσι. & apud Epiphanium, ſcriptorem alioqui pium doctumque magis quam elegantem, οὐ δυνήσεται μὴ οὐχὶ τούτοις χρῆσθαι. Poſſem alia ſexcenta his ſimilia Græcorum ſcriptorum afferre, nec pauca etiam Latinorum: ſed aliud jam agamus. Male enim in eadem hiſtoria accipiunt iſta verba Dionis interpretes, προπυθόμενος ὁ Αὔγουστος ὅτι νοσεῖ ὁ Δροῦσος, οὐ γὰρ ἦν πόῤῥω, τὸν Τιβέριον κατὰ τάχος ἔπεμψεν. Erant Ticini Auguſtus & Tiberius, cum ad eos de morbo Druſi nuncius eſt allatus: quo accepto, Tiberium ſtatim ad fratrem miſit. auctor Valerius Max. lib. quinto. cap. quinto. male igitur illi, ἔπεμψεν, *accerſiit*, non ſolum contra τὸν ἑλληνισμὸν, ſed etiam contra hiſtoriæ fidem.

VARIOR.

Morbo obiit.] In Epitome Liviana lib. CXL. ſic habetur: *Ex fractura equo ſuper crus ejus collapſo, XXX. die quam acciderat, mortuus eſt.*

Scelerata appellata.] Ad calamitatem infortuniumque indicandum ex obitu Druſi, Scelerata dicta ſunt caſtra: ſicut olim porta Romæ Scelerata eſt appellata, qua Fabii egreſſi ad amnem Cremeram ad unum omnes cæſi ſunt a Vejentibus. Et campus quoque Romæ Sceleratus dictus prope portam Collinam, quo virgines Veſtales ob inceſtum

pultum eſt in Martio campo. Ceterum exercitus honorarium ei tumulum excitavit: circa quem deinceps ſtato die quotannis miles decurreret, Galliarumque civitates publice ſupplicarent. Præterea ſenatus inter alia complura, marmoreum arcum cum tropæis via Appia decrevit, & Germanici cognomen ipſi poſteriſque ejus. Fuiſſe autem creditur non minus glorioſi quam civilis animi. Nam ex hoſte ſuper victorias, opima quoque ſpolia captaſſe, ſummoque ſæpius diſcrimine duces Germanorum tota acie inſectatus: nec diſſimulaſſe umquam, priſtinum ſe Reip. ſtatum quandoque reſtituturum, ſi poſſet. Unde

ſtum vivæ defodiebantur. Fuit & vicus Romæ Sceleratus dictus a Tulliæ impietate. Beroald.

Torrent.

Honorarium ei tumulum.] JCti κενοτάφιον vocant, in quo nempe corpus non ſit, l. vi. & l. xlii. de Religioſ. Lamprid. Alexandro, *Cenotaphium in Gallia, Romæ ampliſſimum ſepulcrum meruit.* Quale etiam nobis Virgil. deſcribit Æneid. iii.

- - - Maneſque vocabat,
Hectoreum ad tumulum, viridi quem ceſpite inanem,
Et geminas, cauſam lacrymis, ſacraverat aras.

Miles decurreret.] Ut in Heroum funere factum legimus, Patrocli apud Homerum, Pallantis apud Virgilium. Idem Auguſto honor habitus, teſte Dione lib. lvi. ac Severo Principi, de quo pulchre Herodian. lib. iv.

Marmoreum arcum.] Qualem in vetuſtis numi-





ſmatibus tam æreis, quam argenteis cernimus, cum titulo germanici, & de germanis.

Quandocumque poſſet reſtitut.] Rectius mss. duo *quandoque reſtituturum.* Qua de re aliquando cum fratre Tiberio per litteras egerat.

Casaubon.

Exercitus honorarium ei tumulum excitavit.] Dio, τιμὰς καὶ εἰκόνων καὶ ἀψῖδος, κενοταφίου τε πρὸς αὐτῷ τῷ Ῥήνῳ λαβών. Tacitus Annal. lib. ii. de Germanico verba faciens profecto ad liberandum obſidione caſtellum Lupiæ flumini adpoſitum: *Tumulum nuper Varianis legionibus ſtructum, & veterem aram Druſo ſitam disjecerant. reſtituit aram, honorique patris Princeps ipſe cum legionibus decucurrit.*

Marmoreum arcum cum tropæis.] Dio ſimpliciter ἀψῖδα nominat: alibi ἀψῖδα τροπαιοφόρον.

Et Germanici cognomen ipſi poſteriſque ejus.] Dio Γερμανικὸς μετὰ τῶν παίδων μετονομασθείς.

Non minus glorioſi quam civilis animi.] Vellejus Paterculus: *Cujus ingenium utrum bellicis magis operibus, an civilibus ſuffecerit artibus, in incerto eſt.*

Varior.

Sepultum eſt.] Codex Salmaſ. & Rob. Stephani editio: *ſepultumque eſt.*

Honorarium ei tumulum.] Tacit. Ann. ii. *Tumulum nuper Varianis legionibus ſtructum, & veterem aram Druſo ſitam disjecerant. reſtituit aram* (Germanicus) *honorique patris Princeps ipſe cum legionibus decucurrit.* Dio: τιμὰς καὶ εἰκόνων καὶ ἀψῖδος κενοταφίου τε πρὸς αὐτῷ τῷ Ῥήνῳ λαβών. Neſcio an huic tumulo adjuncta ara: apparet, quia Suetonius ait, *ſupplicarent.* Volunt id cenotaphium Moguntiacum fuiſſe. repugnat Tacitus, qui conſtituit inter Lupiam & Rhenum. Sed & Ravennæ ſepulcrum Druſus habuit, a Claudione ejus F. an ab Auguſto exſtructum? cujus memoria in Lapide priſco ibi: tib. claudius. drusi. f. cæs. aug. germ. pont. max. trib. pot. ii. cos. desig. iii. imp. iii. p. p. dedit. ob. memoriam. patris. sui. dec. vii. collegii. fabr. m. r. hs. ∞ n. liberalitate. donavit. sub. condicione. ut. quotannis. rosas. ad. monumentum. ejus. deferant. et. ibi. epulentur. dumtaxat. in. v. id. julias. quod. si. neglexerint. tunc. ad. viii. ejusdem. collegii. pertinere. debebit. condicione. supradicta. *Lipſius.*

Circa quem deinceps ſtato die quotannis miles decurreret.] In funeribus clarorum virorum milites ſuis inſtructi armis & tanquam in procinctu, gradu militari & exercitatione quadam ludicra decurrebant. Id Virgil. xii. Æneid. in funere Pallantis imitatus eſt:

Ter circum accenſos, cincti fulgentibus armis,
Decurrere rogos.

Sed lævos orbes agere, circumque in ſiniſtram decurrere primum ſolebant: deinde ut expiarent contagionem funeris, in dextram decurrebant. Papinius lib. vi.

- - - luſtrantque ex more ſiniſtro
Orbe rogum.

Deinde ſubjicit:

 - - hic

Unde exiſtimo nonnullos tradere auſos, ſuſpectum cum Auguſto, revocatumque ex
provincia: & quia cunctaretur, interceptum veneno. Quod equidem magis, ne præ-
termitterem, retuli, quam quia verum aut veriſimile putem: cum Auguſtus tantopere
& vivum dilexerit, ut coheredem ſemper filiis inſtituerit, ſicut quondam in ſenatu pro-
feſſus eſt: & defunctum ita pro concione laudaverit, ut deos precatus ſit, *Similes ei
Cæſares ſuos facerent: ſibique tam honeſtum quandoque exitum darent, quam illi dediſſent.*
Nec contentus elogium tumulo ejus verſibus a ſe compoſitis inſculpſiſſe etiam vitæ
memoriam proſa oratione compoſuit. Ex Antonia minore complures quidem liberos
tulit: verum tres omnino reliquit, Germanicum, Livillam, Claudium. Claudius na- 2
tus eſt, Julio Antonio, Fabio Africano COSS. Kalend. Auguſtis, Lugduni, eo ipſo
die quo primum ara ibi Auguſto dedicata eſt: appellatuſque Tiberius Claudius Druſus.
Mox fratre majore in Juliam familiam adoptato, Germanici cognomen aſſumſit. Infans
autem relictus a patre, ac per omne fere pueritiæ atque adoleſcentiæ tempus, variis & te-
nacibus morbis conflictatus eſt; adeo ut animo ſimul & corpore hebetato, ne progreſſa
quidem ætate, ulli publico privatoque muneri habilis exiſtimaretur. Diu, atque etiam
poſt

- - - hic luctus abolere, novique
Funeris auſpicium, vates, quanquam omnia ſentit
Vera, jubet, dextro gyro & vibrantibus armis
Hac redeunt.

TURNEBUS.

TORRENT.

Inſculpſiſſe.] MSS. omnes *exſculpſiſſe.*

Antonia minore.] Juniorem vocat Calig. cap. I. Ibi vide, & Ner. cap. V. de Livilla vero Aug. cap. XCIX. & Tib. cap. LXII.

2. *Julo Antonio.*] Recte. Julus enim Antonii hujus, III-viri filii, prænomen fuit, ad quem ſcripta eſt Horatii Oda II. lib. IV. Male autem Sueton. Africani cognomen Fabio dat, quod Julii Antonii fuiſſe, noſtris in Horat. commentariis oſtendemus.

Ara ibi Aug.] De hac ara ante diximus, Calig. cap. XX.

Diu etiam atque poſt tut. rec.] Melius in optimo cod. *Diu atque etiam poſt tutelam receptam.* hoc eſt, poſtquam ſui juris effectus in tutorum eſſe poteſtate deſiiſſet, peculiari Juriſconſultis loquendi formula, apud quos pupillus *ſuæ tutelæ effici*, & *in tutelam ſuam venire* dicitur, cum pubertatis annos attigit. Quibus verbis uſus etiam ſic Cicero eſt. Et impuberum quidem cura ad *tutores* ſpectat, adoleſcentium vero, uti & aliorum qui rebus ſuis ſupereſſe non poſſunt, quales ſunt furioſi, prodigi, fatui, ac perpetuo aliquo morbo impediti, proprie *curatores* dicimus, ac *curationem* ipſorum munus.

CASAUBON.

2. *Julo Antonio, Fabio Africano Coss.*] Conſtanter ſcripti libri *Julio:* ut apud Dionem bis in fronte & fine ipſo libri LIV. Ἰελίε pro Ἰέλε. perperam. Errare vero Suetonium, qui Africani cognomen Fabio tribuat, quod fuit Juli Antonii, ex Dione eodem & Caſſodoro pridem obſervatum a doctiſſimo Sigonio; qui etiam faſtos Siculos citat, in quibus ita ſcriptum legimus: λβ. Λ. Κ. Ινδ΄. ζ. ὑπ. Αφρικανε καὶ Μαξίμε τὸ β΄. In Græcis Excerptis Chronici Euſebiani, quæ publicavit Joſephus Scaliger, invenio hos conſules ita notatos: ΙΟΥΛΙΟΣ ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΣ ΦΑΒΙΟΣ ΑΦΓΙΚΑΝΟΣ. quod equidem vehementer admiror.

Ulli publico privatoque muneri.] Scrib. *privatove.*

VARIOR.

Etiam vitæ memoriam.] *Memoria* pro commentario rerum geſtarum, vel vitæ ephemeride. Fuit etiam inter officia domus Auguſtæ *memoriæ magiſter.* Et *Memoriales*, qui ad memoriæ officium apparebant οἱ Μεμοριάλιοι. Inde & *memoria* cippus vel columna mortui tumulo impoſita, in qua elogium ejus inſcriptum viſebatur, quod nomen, patriam, parentes, profeſſionem, artem, ætatem, mortis genus continebat. SALMAS.

2. *Julo Antonio.*] Suetonium non errare, quaſi cognomen Antoniorum tribuerit Fabiis, ut nobis perſuaſum voluerunt Caſaubonus, Sigonius, Lipſius ad Tac. I. Ann. X. non ſolum Dio oſtendit, qui lib. LIV. conſules laudat Ἰέλιον Ἀντώνιον Μ. υἱ. Κ. Φάβιον Κ. υἱ. Ἀφρικανόν. Nec repugnat in fine libri, ubi eorum coss. rurſum fit mentio. Sed & ex Caſſiodoro Onuphrius Panvinius Com. in l. II. Faſt. A. U. 744. proponit *Julum Antonium* & *Africanum Fabium*, quamvis aliter in Caſſiodori editionibus legatur. Faſtos Siculos & Cuſpiniani parum moror, mutilos paſſim & depravatos. Suetonio accedunt Excerpta Chronici Euſebiani, quæ publicavit Scaliger & laudavit Caſaubonus. ſed & nummus aureus apud Goltzium, omni exceptione major teſtis, expreſſe *Africani* cognomen *Q. Maximo* adjecit. In quo legitur ab una parte: JUL. ANTON. M. F. Q. MX. AFRICAN. In altera parte: L. ARRUNTI. L. F. II-

poſt tutelam receptam, alieni arbitrii, & ſub pædagogo fuit: *quem barbarum & olim ſuperjumentarium, ex induſtria ſibi appoſitum, ut ſe quibuſcumque de cauſſis quam ſæviſſime coerceret*, ipſe quodam libello conqueritur. Ob hanc eandem valetudinem & gladiatorio munere, quod ſimul cum fratre memoriæ patris edebat, palliolatus novo more præſedit: & togæ virilis die, circa mediam noctem, ſine ſolenni officio lectica
3 in Capitolium latus eſt. Diſciplinis tamen liberalibus ab ætate prima non mediocrem operam dedit, ac ſæpe experimenta cujuſque etiam publicavit. Verum ne ſic quidem quidquam dignitatis aſſequi, aut ſpem de ſe commodiorem in poſterum facere potuit. Mater Antonia *portentum eum hominis* dictitabat, *nec abſolutum a natura, ſed tantum inchoatum*: ac ſi quem ſocordiæ argueret, *ſtultiorem* ajebat *filio ſuo Claudio*. Avia Auguſta pro deſpectiſſimo ſemper habuit: non affari, niſi rariſſime: non monere, niſi acerbo & brevi ſcripto, aut per internuntios ſolita. Soror Livilla, cum audiſſet quandoque imperaturum, tam iniquam & tam indignam ſortem populo Rom. palam & clare deteſtata eſt. Nam & avunculus major Auguſtus quid de eo in utramque partem
4 opinatus ſit, quo certius cognoſcatur, capita ex ipſius epiſtolis poſui. *Collocutus ſum cum Tiberio, ut mandaſti, mea Livia, quid nepoti tuo Tiberio faciendum eſſet ludis Mar-*

F. II-VIR. Hæc ex Christoph. Ruperti epiſt. XVII. ad Reineſ. Codex Salmaſ. & Rob. Steph. edit. *Julio Antonio.*

Torrent.

Superjumentarium.] Verbum durum, & inſolens. *Jumentarium*, ut *armentarium*, dixiſſe ſuffecerat.

Sine ſolenni officio.] Sine ullo honore, ut ſup. Calig. cap. x.

In Capitolium.] Cum in forum deduci ſolerent.

3. *Populo R.*] Liber opt. *P. R.* Ut *populi Romani* legere malim.

Nam & avunculus major Aug.] Duo libri ſine *&*. Avunculum autem Claudii majorem Auguſtum vocat, quia Octavia, utriuſque Antoniæ mater, Auguſti ſoror fuit. De Auguſti Epiſtolis Aug. cap. LXXXVI.

Casaubon.

Barbarum & olim ſuperjumentarium.] Falluntur interpretes, qui putant *ſuperjumentarium* & *jumentarium* idem ſignificare; quæ ſententia a veritate tantum abeſt, quantum homo diſtat a brutis. *Jumentarius* dicitur, qui præeſt jumentis eaque curat, ut *aſinarius* ὁ ἐπὶ τῶν ὄνων vel ὁ πρὸς τῇ τῶν ὄνων ἐπιμελείᾳ. ut quidam auctores loquuntur: poſſis & *magiſtrum jumentorum* dicere, ut apud Victorem, *magiſter pecoris camelorum*, qui & *camelarius* dicitur apud Victorem Uticenſem. at *ſuperjumentarius* eſt is, qui præfectus eſt jumentariis. Ut Græci ἐπὶ uſurpant in officiis denotandis, ita Latini *ſuper* aut *ſupra*; ſic qui in Cæſarum aulis obvenientes hereditates adminiſtrabat, aut vigeſimæ hereditatum præpoſitus erat, dictus *ſuper* vel *ſupra hereditates*, ὁ ἐπὶ τῶν κληρονομιῶν. Scribonius Largus cap. XLI. *Hoc Anteros Tiberii libertus ſupra hereditates remediatus eſt.* Similiter *ſupra velarios*, in veteri inſcriptione quæ Neapoli viſitur, SUPRA VELARIOS. DE DOMV. AUG. qui & *præpoſitus velariorum* dicebatur. alius lapis: TI. CL. THALLUS. PRÆPOSITUS. VELARIORUM. DOMUS. AUGUSTANÆ. FECIT. SIBI. ET. FILIIS. SUIS. L. L. POST. EORUM. Denique ut primicerius jumentariorum dicitur hic *ſuperjumentarius*: ſic ſtationariorum, de quibus multa in Codice, præpoſitum vocabant *ſuperſtationarium*. ejus mentio apud Optatum Milevitanum lib. primo.

Varior.

Superjumentarium.] Sic & *ſuperpoſitus medicorum* in veteri item inſcriptione dicitur, qui *ſuper medicos* poterat dici. Salmas.

Palliolatus novo more præſedit.] Cinædi & molles capita ſemper pileolis aut palliolis tecta gerebant. Trimalcio ille Petronianus: *adraſum pallio incluſerat caput.* Palliolum & focalia in oratore ſolam valitudinem excuſare ſcribit Quintilianus; nam qui ægrotabant, ut hic Claudius, etiam capite tecto ſolebant eſſe. Rutilius Lupus de figuris ſententiarum in characteriſmo hominis ebrioſi: *tunicatus ſine pallio, ſoleatus præ lectulo, palliolo frigus a capite defendens.* Ovidius lib. I. Artis amatoriæ:

Ægrum tu facito ut ſimules, nec turpe putaris,
Palliolum nitidis impoſuiſſe comis.

Palliola quoque mulierum, & præcipue meretricum, quibus caput tegebant: ut ex Martiale & Juvenale conſtat. Cæterum mitra, pileus, cucullus, galerus, palliolum, capitis tegmina erant, ut reapſe haud multum diverſa, ſic nomine plerumque ab auctoribus confundi ſolent. Salmasius ad Vopiſcum.

Martialibus. Conſentit autem uterque noſtrum, ſemel eſſe nobis ſtatuendum, quod conſilium in illo ſequamur. Nam ſi eſt ἄρτιος, ut ita dicam, ὁλόκληρος, quid eſt quod dubitemus, quin per eoſdem articulos & gradus producendus ſit, per quos frater ejus productus fuit? Sin autem ἠλαττῶσθαι ſentimus eum, καὶ βεβλάφθαι, καὶ εἰς τὴν τοῦ σώματος καὶ εἰς τὴν τῆς ψυχῆς ἀρτιότητα, præbenda materia deridendi & illum & nos non eſt hominibus, τὰ τοιαῦτα σκώπτειν καὶ μυκτηρίζειν εἰωθόσιν. Nam ſemper æſtuabimus, ſi de ſingulis articulis temporum deliberabimus, μὴ προϋποκειμένου ἡμῖν, poſſe eum gerere honores arbitremur nec ne. In præſentia tamen quibus de rebus conſulis, curare eum ludis Martialibus triclinium ſacerdotum, non diſplicet nobis, ſi eſt paſſurus ſe ab Silani filio, homine ſibi affini, admoneri, ne quid faciat quod conſpici & derideri poſſit. Spectare eum Circenſes ex pulvinari non placet nobis. Expoſitus enim in prima fronte ſpectaculorum conſpicietur. In Albanum montem ire eum non placet nobis, aut eſſe Romæ Latinarum diebus. Cur enim non præficitur urbi, ſi poteſt fratrem ſuum ſequi in montem? Habes

TORRENT.

4 *Ludis Martialibus.*] Eos intelligo, qui in Circo Kal. Auguſti, quod ea die Martis ædes conſecrata fuit, quotannis celebrabantur. De quibus Dion lib. LX. cum etiam ſub Claudio celebratos refert, non quod ipſe eo die natus eſſet, ſed ob templi illius conſecrationem. Poſſimus etiam ludos eos intelligere, qui veteri in Calendario, Auguſti temporibus propoſito, IV. EID. MAJI annotantur, Marti Ultori ſacri.

Perductus fuit.] Libri tres, *perd. ſit.*

Μὴ προϋποκειμένου.] Recte ſic ex Turnebi ſententia Pulmannus, niſi quis *προκειμένου* malit. Vult Auguſtus ſemel in univerſum proponi, quid de Claudio ſtatuendum ſit.

Ab Silani filio.] Libri meliores *Silvani.* Silvanus gentis Plautiæ cognomen eſt. Sed *Silani* mallem, quod nomen gentis Juniæ tribus ſub Auguſto conſulatibus tunc celebrius fuit, ac poſtea etiam Cajus M. Silani filiam duxit. Calig. cap. XII. & XXIII.

Conſpici.] Lib. vetus aſſcriptum habebat *deſpici.* Quid ſi *deſpui* legamus?

Ex pulvinari.] Ex hoc loco diſcimus, quid pulvinar fuerit Aug. cap. XLV.

Præficitur urbi.] De præfecto Urbi Latinarum cauſa Romæ relinqui ſolito præter alios Gellius lib. XIV. cap. ult. & Pomponius J. C. l. II. De origine juris. Hujus loci autem ſententia eſt, Poſtquam conſtitutum jam erat Claudium in montem Albanum ire cum fratre ſuo non debere, ne Romæ quidem eum illis diebus relinquendum videri. ſi enim idoneus erat qui fratrem comitaretur, quare non qui præfectus fieret? Moris autem fuit, ut ſummo loco nati adoleſcentes utrique huic muneri præficerentur. ſic enim Julius Capitolin. M. Antonino, *Virilem togam ſumpſit xv. ætatis anno, nec multo poſt præfectus feriarum Latinarum fuit.* Alterum exemplum eſt apud Dionem, cum Claudium Principem permiſiſſe ſcribit generos ſuos, L. Junium Silanum, & Cn. Pompejum Magnum, præfectos Urbi feriis fieri: ferias enim Latinas intelligo. His adde locum Suetonii Ner. cap. VII. & quod de quadrigarum certamine in Capitolio Latinis feriis ſcribit Plin. lib. XXVII. cap. VII.

CASAUBON.

4. *Si eſt ἄρτιος, ut ita dicam, ὁλόκληρος.*] Hæc ſcriptura noſtrorum omnium: niſi quod fere *artius* pro *ἄρτιος* ſcriptum eſt in MSS. Scripſerim, *ſi eſt ἄρτιος, &, ita dicam, ὁλόκληρος.* in hoc loquendi genere τὸ *ut* ſolet interdum omitti: ut libro priore cap. XIII. *populum Rom. vel dicam, hominum genus, compotem fecit.* In Memm. *artius* & *holoclerus* Latinis characteribus.

Quin per eoſdem articulos & gradus producendus ſit, per quos frater ejus productus fuit.] Scripſimus cum Viterb. alii *perducendus*, & *perductus.* non male. ſed illud aptius: ſic *προάγειν* & *προηγμένα* vocabula Stoicorum Cicero vertit *producere ad dignitatem* & *producta. Articulos* & *gradus* vocat, quæ M. Tullius *puncta*, cum dicit, *omnibus punctis honorem colligere.*

Μὴ προϋποκειμένου ἡμῖν.] Mutavimus priorem lectionem, ſecuti codices manu exaratos, qui omnes & noſtri & aliorum ſic habent. elegantior erat & Ἀττικώτερα vulgata, *μὴ προϋποκείμενον ἡμῖν.* ſupple ὄν.

VARIOR.

4. *Ἄρτιος.*] Cod. Salmaſ. Latinis litteris exaratum habuit, *artius, ut ita dicam, heloclerus.* Sic & Palatinus primus, niſi quod corrupte pro *holoclerus*, *holodorus.*

Ὁλόκληρος.] An, Καὶ ὁλόκληρος? GUJET.

TOR-

Habes noſtras, mea Livia, ſententias, quibus placet ſemel de tota re aliquid conſtitui, ne ſemper inter ſpem & metum fluctuemus. Licebit autem, ſi voles, Antoniæ quoque noſtræ des hanc partem epiſtolæ hujus legendam. Rurſus alteris litteris: *Tiberium adoleſcentem ego vero, dum tu aberis, quotidie invitabo ad cœnam, ne ſolus cœnet cum ſuo Sulpicio & Athenodoro: qui vellem diligentius, & minus* μετεώρως, *deligeret ſibi aliquem, cujus motum & habitum & inceſſum imitaretur miſellus:*

Ἀτυχεῖ πάνυ ἐν τοῖσι σπȣδαίοις λίαν.

ubi non aberravit ejus animus, ſatis apparet ἡ τῆς ψυχῆς αὐτȣ̃ ἐυγένεια. Item tertiis litteris: *Tiberium nepotem tuum placere mihi declamantem potuiſſe, peream, niſi, mea Livia, admiror. Nam qui tam* ἀσαφῶς *loquatur, qui poſſit, cum declamat,* σαφῶς *dicere quæ dicenda ſunt, non video.* Nec dubium eſt, quid poſt hæc Auguſtus conſtituerit, & reliquerit eum nullo præter Auguralis ſacerdotii honore impertitum: ac ne heredem quidem, niſi inter tertios, ac pæne extraneos, e parte ſexta nuncuparit: legatoque non amplius quam octingentorum ſeſtertiorum proſecutus.
5 Tiberius patruus petenti honores conſularia ornamenta detulit. Sed inſtantius legitimos flagitanti, id ſolum codicillis reſcripſit, *Quadraginta aureos in Saturnalia & Sigillaria miſiſſe ei.* Tunc demum abjecta ſpe dignitatis ad otium conceſſit, modo in hortis & ſuburbana domo, modo in Campaniæ ſeceſſu deliteſcens: atque ex contubernio ſordidiſſimorum hominum ſuper veterem

TORRENT.

Rurſus alteris litteris.] Duo verba hæc, *alteris litteris*, & quæ mox ſequuntur, *tertiis litteris*, non ſunt in optimo cod.

Cujus motum.] Idem cod. *modum*, alius *morem.* Nihil muto, quamvis ſequitur *inceſſum*, & idem dicere videtur. In verſu autem Græco, qui adjungitur (ſive is e vetere quopiam poeta eſt, ſive Auguſteus, quales unus & alter referuntur Aug. cap. XCVIII.) dictiones πάνυ & λίαν trajecerim, atque ita legerim Ἀτ. λίαν, aut λίαν γ', ἐν τ. σπ. πάνυ.

Quin poſt hæc Aug. conſtituerit.] Libri MSS. omnes *quid* pro *quin* legunt. Non placet. *conſtituendi* enim verbo ſic utitur, ut paulo ante, *placet ſemel de tota re aliquid conſtitui.* Atque hic obſervanda Auguſti prudentia. ut enim recte Seneca: *Nemo diſponet ſingula, niſi cui jam vitæ ſuæ propoſita eſt ſumma. Atque ideo fere erramus, quia de partibus vitæ omnes deliberamus, de tota autem nemo.*

Inter tertios.] Aug. cap. ult.

Nuncuparet.] Sic quidem MSS. noſtri omnes, ſed inclinatam lectionem fulciam, ac ſic legam, *ut ne heredem quidem niſi inter tertios, ac pæne extraneos, e parte ſexta nuncuparet, legato non amplius*, &c. Niſi cum vulgatis *nuncuparit* probamus, ceteris ſervatis, integra quidem ſententia loci.

5. *Saturnalia & Sigillaria ſe miſiſſe ei.*] Particula *ſe* deeſt in tribus opt. libb. Nec ſemel ſane ſic loquitur Sueton. Porro *Sigillaria*, dies Saturnalibus adjecti, eadem licentia peragebantur. Nec dies tantum, ſed & ipſa munuſcula eo nomine vocabantur. Seneca Epiſt. XII. *ego ſum Felicio, cui ſolebas Sigillaria adferre.* Ut ergo filiæ ſuæ denarios CCL. Auguſtus cap. LXXI. ſic Tiberius nepoti ſuo Claudio XL. aureos in Saturnalibus miſit. Quem morem Spartian. in Caracalla oſtendit, cum ait, *Quæ a parentibus gratia Sigillariorum acceperat, vel clientibus, vel magiſtris ſponte donavit.* Idem Hadriano, *Saturnalia, & Sigillaria frequenter amicis inopinantibus miſit, & ipſe ab eis libenter accepit.* Quo loco nove his vocabulis uſus. Vide Macrob. lib. I. Saturn. cap. X. & XI. & de vico qui *Sigillaria*, aut *ad Sigillaria* vocabatur inf. cap. XVI. Ner. cap. XXVIII. apud Gellium lib. II. cap. III. lib. V. cap. IV.

VARIOR.

Ἀτυχεῖ πάνυ ἐν τοῖσι σπȣδαίοις λίαν.] Λίαν deſideratur in codice Salmaſiano & Roberti Stephani editione. pro πάνυ tamen λίαν in illo reperitur. Et ſic legendum cenſet Salmaſius: Ἀτυχεῖ λίαν τοῖσι σπȣδαίοις.

Nec dubium eſt, quin poſt hæc Auguſtus conſtituerit.] Codex Salmaſ. tres Palatini cum Torrentianis, Roberti Steph. editio, plureſque aliæ vetuſtiores, recte *quid* legunt. Vult enim eandem ſemper Auguſto fuiſſe ſuper Claudium opinionem, quæ tunc fuerat, idque inſuper etiam confirmari teſtamenti tabulis. GRUTERUS.

E parte ſexta.] Salmaſ. cod. *ne parte ſexta.* paulo ante idem *in tertios.*

Legatoque non amplius.] Tolle particulam copulandi, quæ ſi maneat, requirit verbum *fuerit.* GRONOVIUS.

veterem ſegnitiæ notam, ebrietatis quoque & aleæ infamiam ſubiit. Cum interim, quamquam hoc modo agenti, numquam aut officium hominum, aut reverentia publica defuit. 6
Equeſter ordo bis patronum eum perferendæ pro ſe legationis elegit: ſemel cum deportandum Romam corpus Auguſti humeris ſuis a COSS. expoſceretur: iterum cum oppreſſum Sejanum apud eoſdem gratularetur. Quin & ſpectaculis advenienti aſſurgere, & lacernas deponere ſolebat. Senatus quoque, ut ad numerum ſodalium Auguſtalium ſorte ductorum extra ordinem adjiceretur, cenſuit: & mox ut domus ei, quam incendio amiſerat, publica impenſa reſtitueretur, dicendæque inter conſulares ſententiæ jus eſſet. Quod decretum abolitum eſt, excuſante Tiberio imbecillitatem ejus, ac damnum liberalitate ſua reſarturum pollicente. Qui tamen moriens, & in tertiis heredibus eum ex parte tertia nuncupatum, legato etiam circa ſeſtertia vicies proſecutus, commendavit inſuper exercitibus, ſenatui populoque Rom. inter ceteras neceſſitudines nominatim.
Sub Cajo demum fratris filio ſecundam exiſtimationem circa initia imperii omnibus le- 7
nociniis colligente, honores auſpicatus, conſulatum geſſit una per duos menſes: evenitque ut primitus ingredienti cum faſcibus Forum, prætervolans aquila dexteriore humero conſideret. Sortitus eſt & de altero conſulatu in quartum annum: præſeditque nonnumquam

TORRENT.

Ebrietatis & aleæ quoque.] Lego, ut in optimo cod. *eb. qu. & aleæ.*

Publica defuit.] Libb. duo *publice.*

6. *Lacernas deponere.*] Aug. cap. XL. Equidem id reverentiæ cauſa advenientibus Principibus fieri conſueviſſe crediderim. nam & oraturi deos pænulas deponebant. Auctor Tertullian. lib. De oratione.

Adjiceretur.] Libri aliquot, etiam impreſſi, *addiceretur.* Quod placeret, ſi de judice aut arbitro dando loqueretur. Non diſplicet tamen. Quanquam *ad Iceretur* veteri more Suetonium ſcripſiſſe arbitror. Proprie autem *nominari* ac *cooptari* dicuntur ſacerdotes, ut de Galba, & quidem inter ſodales Auguſtanos, ſuo loco videbimus, cap. VIII.

Et in tertiis heredib.] *Et* particulam omnino expungendam cenſeo.

Circa ſeſtertia vicies.] Liber opt. *HS. vicies*, alii duo *ſeſtertium vic.*

Exercitibus, ſenatui.] Libb. omnes MSS. *ac ſenatui.*

7. *Conſulatum geſſit una.*] De hoc Dion, & Sueton. Calig. cap. XV. Quod vero ſequitur, ſortitum eſſe & de altero in quartum annum, ea quæ ſortitio fuerit, ignoro, niſi Cajum dicamus in annos aliquot ſorte conſules deſignaſſe, quo tempore etiam equo ſuo Incitato conſulatum deſtinavit.

CASAUBON.

Circa ſeſtertia vicies.] Scrib. *circa ſeſtertium vicies*, ut in ſcriptis noſtris: vel *circiter*, ut in aliis.

VARIOR.

6. *Lacernas deponere.*] Birrus ſive lacerna, communis fuit ſub Imperatoribus, & in communi uſu verſata veſtis jam inde a temporibus Auguſti, qui, cum in concione lacernis indutum vidiſſet pop. Romanum, exclamavit: *En Romanos rerum dominos gentemque togatam!* juſſitque deinceps omnes poſitis lacernis togatos conſiſtere. Hoc apud Suetonium legitur, quod tamen vix poſt illum obtinuit. Rarus exinde togarum apud Romanos uſus: in ſalutationibus matutinis tantum, & officiis ceteris celebrandis ſumebantur: omni alio tempore lacernati, hoc eſt, birris amicti vel pænulati ibant. Senatores omnium ultimi togam retinuere, quam tamen poſtea in totum abdicarunt, adeo ut Conſtantini temporibus chlamydes, hoc eſt, lacernas paſſim induerent, quod vetitum illis fecit lex Conſtantini Cod. Theod. *Quo habitu uti oportet intra urbem*; juſſitque terrorem chlamydum deponere. Tandem penes ſolos judices, cum judicarent, & advocatos cum cauſas perorarent, toga hæſit. Unde *togati Auguſtorum, togati præfectorum*, de cauſidicis, qui apud Auguſtum, aut præfecturæ ſedem cauſas elatrabant, in antiquis inſcriptionibus, & rei Agrimenſoriæ auctoribus reperiuntur dicti. Advocatos tamen etiam pænulatos aliquando fuiſſe cum cauſas agerent, legitur apud Auctorem de cauſis corruptæ eloquentiæ. SALMASIUS.

Reſarturum.] Codex Salmaſianus & Robertus Stephanus: *reſarſurum.*

Circa ſeſtertia vicies.] Immo *ſeſtertii vicies*: nam ea vox regiter ἀπὸ τοῦ *legato*, non a præpoſitione, quæ inſtar adverbii ſine caſu nominis ponitur. GRONOV. Codex Salmaſianus *ſeſtertium vicies.* F. Urſinus teſtatur in veteri codice fuiſſe: *circiter ſeſtertium vicies.*

7. *Geſſit una.*] Id eſt, ſimul cum Cajo. GUJETUS.

Sortitus eſt & de altero conſulatu in quartum annum

nonnumquam ſpectaculis in Caji vicem acclamante populo, *Feliciter*, partim *patruo*
8 *Imperatoris*, partim *Germanici fratri*. Nec eo minus contumeliis obnoxius vixit. Nam & ſi paullo ſerius ad prædictam cœnæ horam occurriſſet, non niſi ægre, & circuito demum triclinio, recipiebatur. Et quoties poſt cibum addormiſceret, quod ei fere accidebat, olearum ac palmularum oſſibus inceſſebatur: interdum ferula flagrove, velut per ludum, excitabatur a copreis. Solebant & manibus ſtertentis ſocci induci, ut re-
9 pente expergefactus faciem ſibi confricaret. Sed ne diſcriminibus quidem caruit: primum in ipſo conſulatu, quod Neronis & Druſi, fratrum Cæſaris, ſtatuas ſegnius locandas ponendaſque curaſſet, pæne honore ſubmotus eſt: deinde extraneo vel etiam domeſticorum aliquo deferente, aſſidue varieque inquietatus. Cum vero detecta eſſet Lepidi

num.] Ingenue Torrentius: eſt enim locus inexplicabilis, niſi emendetur. Scribe: *Sortitus eſt & de proconſulatu in ſextum annum.* Vetus erat ſenatusconſultum, certe antiquius lege Pompeja de ambitu, *τὰς ἄρξαντας ἐν τῇ πόλει μὴ πρότερον τὰς ἔξω ἡγεμονίας, πρὶν πέντε ἔτη παρελθεῖν, κληρῶσθαι*, de quo & caput legi ſuæ Pompejus inſeruit, teſte Dione lib. 40. Idemque Auguſtus revocaſſe videtur: nam auctor fuit, *ne magiſtratus depoſito honore ſtatim in provincias mitterentur*, ut noſter cap. 36. & conſentit Dio lib. 53. cujus verba ibi Caſaubonus advocat. Eodem pertinet in Galba cap. 3. *prohibituſque a Tiberio ſortiri anno ſuo proconſulatum*: is ipſe, qui Tacito VI. Ann. *Galba triſtibus Cæſaris litteris provinciam ſortiri prohibitus.* Idem in vita Agricolæ: *Aderat jam annus, quo proconſulatum Aſiæ & Africæ ſortiretur.* GRONOVIUS.

TORRENT.

Acclamante pop. Feliciter.] Sic Domit. cap. XIII. *Domino, & Dominæ Feliciter.* Juvenal. Sat. 11. *Signatæ tabulæ, dictum Feliciter* Romani enim (quod & Cic. ſcribit lib. 1. de Divinat.) boni ominis cauſa omnibus rebus agendis, *quod bonum, fauſtum, felix, fortunatumque eſſet*, præfari ſolebant. Exempla apud Suetonium Calig. XV. Aug. cap. LVIII.

8. *Obdormiſceret.*] Libri aliquot *addormiſceret.*

A tropæis.] Mire hic locus torſit viros doctos, Turnebum maxime Adverſar. XXII. cap. XXXI. & XXVII. cap. XIX. exiſtimant enim aut *a copreis* legi poſſe, ut ſtercorarios neſcio quos, qui manus dormientis oblinerent, intelligamus, quod mihi nullo modo placet, aut *a crepis*, quo nomine a verberum ſonitu etiam Luperci appellantur. Sed & hoc longe petitum eſt. Et ſi conjecturas admittimus, rectius ſane Beroaldus *tropæos* ſubſtituit, quod illuſores ideo ſic dicti ſint, quoniam illico ſe avertunt, ne deprehendantur. Ego retenta duorum vetuſtiſſimorum exemplarium lectione *a capreis* lego, quemadmodum & interpretes in ſuis libris legi fatentur, neque Turneb. id negat. Accedit quod Tib. cap. LXI. omnium librorum conſenſu homines iſti ridiculi ex ſcurrarum genere, divitum menſis adſtantes, *caprez* vocantur. Neque abſurdam ibi rationem attuliſſe mihi viſus ſum, quare ſic vocentur. vocabulum enim Latinum eſſe arbitror. Dionis ſane compendium Pertinace *κοπρίας* appellat ſcurras ac ridiculos homines, a Commodo Cæſare ad ludibrium ditatos, ſed Græcorum more vocem ad linguæ ſuæ originem deflectens. Lege omnino, quæ notavimus Tib. cap. LXI.

9. *Neronis & Druſi.*] Eos Tiberius fame necaverat, cap. LIV. Cajus ipſorum memoriam reſtituit, cap. XV.

Domeſticorum aliquo.] Ut cum Pollucis ſervi ſui delatione capitis cauſam coram Cajo dicere coactus eſt. Joſeph. Antiq. lib. XIX.

CASAUBON.

8. *Interdum ferula flagrove velut per ludum excitabatur a copreis.*] Liſlæi codd. *int. ferulæ flagro velut per lud.* In eadem liquido ſcriptum *a copreis*: quam veram eſſe lectionem diximus ad librum tertium cap. LXI. De his copreis ſentit Tacitus Annal. l. XII. *Erat Cappadociæ procurator Julius Pelignus ignavia animi, & deridiculo corporis juxta deſpiciendus: ſed Claudio perquam familiaris, cum privatus olim converſatione ſcurrarum iners otium oblectaret.* legimus enim ita cum Lipſio: cujus emendationem habemus pro veriſſima. Non celabo ſcripturam quam inveni in codice Viterbienſi, etſi monſtroſam plane, *excitabatar a copreis* (recentior manus fecerat *capreis*: ſed certa manebant prioris ſcripturæ veſtigia) XL. *tropheis.* Memmianus ita prorſus, ut edidimus.

9. *Sed ne diſcriminibus quidem caruit.*] Joſephus de Claudio, *κινδύνοις οὔτι μετρίοις ἐπὶ τῆς Γαΐου ἀρχῆς ὡμιληκότα.*

VARIOR.

8. *Olearum ac palmularum oſſibus.*] Palatini duo: *aut palm.*

Faciem ſibi confricaret.] Palatini tres: *ſibimet confricaret.*

9. *Primum in ipſo conſulatu.*] Codex Salmaſ. *primo in ipſo conſulatu.*

TOR-

pidi & Gætulici conjuratio, miſſus in Germaniam inter legatos ad gratulandum, etiam vitæ periculum adiit: indignante ac fremente Cajo, patruum potiſſimum ad ſe miſſum, quaſi ad puerum regendum: adeo ut non defuerint qui traderent, præcipitatum quoque in flumen, ſicut veſtitus advenerat. Atque ex eo numquam non in ſenatu noviſſimus conſularium ſententiam dixit, ignominiæ cauſſa poſt omnes interrogatus. Etiam cognitio falſi teſtamenti recepta eſt, in quo & ipſe ſignaverat. Poſtremo etiam ſeſtertium octogies pro introitu novi ſacerdotii coactus impendere, ad eas rei familiaris anguſtias decidit, ut cum obligatam ærario fidem liberare non poſſet, in vacuum lege prædiatoria venalis

TORRENT.

Lepidi & Gætulici conjuratio.] Calig. cap. XIV. Joſeph. Antiquit. lib. XIX.

Patruum ad ſe miſſum.] Hinc proverbium, *Ad patruos.* Horat. lib. II. Sat. III.

--- *ne ſis patruus mihi.*

Idem lib. III. Od. XII.

--- *metuentes patruæ verbera linguæ.*

Perſ. quoque Sat. I.

Cum patruos ſapimus.

Novi ſacerdotii.] Male hoc Beroaldus de Auguſtalium ſacerdotio intelligit. id enim Claudius ſenatu cenſente extra ordinem adeptus eſt, ut paulo ante vidimus, cap. VI. *Novum* ergo *Sacerdotium* intelligo, quod Cajus ipſe ſibi inſtituit, quod adepti centies HS. pendere cogebantur. In quod & ipſe, & uxor Cæſonia, & Incitatus equus, & Claudius patruus aſſcripti fuere. Sic Dion lib. LIX. Meminit ejus etiam Sueton. Calig. cap. XXII.

Obligatam ærario fidem.] Eorum, qui publico debebant, nec ſolvendo erant, bona proſcripta in tabula apud ærarium per ærarii præfectos ſuſpendi ſolere demonſtrat & alter Suetonii locus Domit. cap. IX. Quod apud Græcos quoque de obæratorum bonis uſurpatum fuiſſe, ut ea loco publico proponerentur, probat Ariſtot. lib. II. Rhetor. ad Theodecten, & Demoſthenes contra Ariſtogitonem. *Pependiſſe* igitur *venalem* dicit Claudium, cujus bona ſic expoſita fuerint, & quidem *in vacuum*, quod cum neque ipſe certa die ſolveret, neque quiſquam pro eo ſatiſdaret, tanquam *vacua*, aut *vacantia*, (ut JCti vocant) hoc eſt, ſine domino ac poſſeſſore eſſe videbantur, donec in fiſcum cogerentur. Quo ſenſu Horat. lib. II. Sat. IV. *in vacuum venire* appellat, quando primi heredis morte vacantem hereditatem is qui ſubſtitutus eſt, apprehendit. Solere autem intervenire amicos, tabulaſque ſeu libellos, quibus ſuſpenſa erant bona, dejicere, Cicero non uno in loco in orat. pro Quinctio oſtendit, & Seneca lib. IV. de Benefic. cum ait: *Suſpenſis amici bonis, libellum dejicio, pro eo me obligaturus.* Quo facto, *nomen tabulis eximi* dicebatur. At vero *lex prædiatoria* erat, quæ de *prædibus* cavebat, hoc eſt, de iis, qui bona ſua publico obligaſſent. Unde & *jus prædiatorium* apud Cic. in orat. pro Cornelio Balbo, & lib. XII. ad Atticum epiſt. XVI. Quo loco etiam *prædiatores* appellantur, qui in ea re verſabantur. Quin & in Pandectis tit. De jure dotium lex LIV. ex Cajo deſumpta eſt ad edictum Prætoris Urbani de Prædiatoribus. Niſi *prædiatores* forte pro *prædibus* hic accipimus. *Præs* autem (inquit Feſtus) *eſt is, qui populo ſe obligat, interrogatuſque a magiſtratu ſi præs ſit, reſpondet, Præs.* Et *comprædes* ejuſdem rei populo ſponſores.

CASAUBON.

Etiam vitæ periculum adiit.] Dio, τὸν Κλαύδιον ἀπέκτεινεν ἂν, εἰ μὴ κατεφρόνησεν αὐτοῦ, τὰ μὲν τῇ φύσει, τὰ δὲ καὶ ἐκ προνοίας πολλὴν νωθείαν προσποιημένου.

Seſtertium octogies pro introitu novi ſacerdotii coactus impendere.] At Dio ait centies ſeſtertium, lib. LVIII. Κλαύδιον ἄλλους τε τοὺς πλουσιωτάτους ἱερέας προσέθετο, πεντήκοντα καὶ διακοσίας ἐπὶ τούτῳ παρ' ἑκάστου μυριάδας λαβών. Poſtquam cœpere Imperatoribus tanquam diis templa exſtrui, redemta ſtatim ſunt ab improbiſſimis adulatoribus ſacerdotia iſta vi magna pecuniæ, non in urbe ſolum, quod teſtatur hæc hiſtoria: ſed etiam per provincias. declarat Arriani locus, quem tractamus lib. ſecundo ad cap. XVII. & vetus ille lapis, quem Capuæ deſcripſiſſe ajunt viri docti, poſitus a quodam, qui gratis eum honorem eſſet conſecutus: quod hæc verba indicant: HUIC. ORDO. DECURIONUM. OB. MERITA. EJUS. HONOREM. AUGUSTALITATIS. GRATVITO. DECREVIT.

VARIOR.

In vacuum lege prædiatoria venalis pependerit ſub edicto præfectorum.] Ærarii publici præfecti ſolebant pecuniam ad ærarium pertinentem privatis mutuam ſub uſuris dare. Eam ſummam ſeſtertii octogies, quam impenderat Claudius pro introitu ſacerdotii, ab ærario ſumſerat mutuam, *prædiis datis*, hoc eſt, poſſeſſionibus hypothecæ titulo obligatis. Quam cum non poſſet diſſolvere & fidem liberare, *lege prædiatoria*, quæ prædiari bona, ſi non ſolveret, vendi jubebat, pependiſſe venalis dicitur, id eſt, bona ejus in tabella proſcripta publice pependiſſe. Ita enim & *pignorari* dicitur, hoc eſt, ἐνεχυράζεσθαι, qui non ipſe, ſed cujus bona pignori caperentur. Non igitur ita accipienda verba Suetonii, ut viris placet

10 nalis pependerit ſub edicto præfectorum. Per hæc ac talia, maxima ætatis parte tranſacta, quinquageſimo anno imperium cepit, quantumvis mirabili caſu. Excluſus inter ceteros ab inſidiatoribus Caji cum quaſi ſecretum eo deſiderante turbam ſubmoverent, in diætam, cui nomen eſt Hermæum, receſſerat. Neque multo poſt rumore cædis exter-

placet eruditiſſimis, quaſi ex veteri jure in cauſſis fiſcalibus ſervato, qui non ſolverent, ipſi bonaque eorum venum exponerentur edicto præfectorum ærarii. Ad quid enim *prædes* & *prædia* ab his qui publico deberent, poſtulata, niſi ut bona quæ obligaſſent, ipſis non ſolventibus, proſcripta penderent, & venderentur? Pendet itaque venalis, cujus bona pendent. Nemo tunc vendebatur pro debito. Sed quid eſt *in vacuum pendere?* An fruſtra, cum nulli accedunt emturi? Sic in Gloſſis εἰς μάτην, *fruſtra*, *in vacuum*, exponitur. Et apud Apoſtolum εἰς κενὸν τρέχειν, *in vacuum currere* quidam ex veteribus vertunt. Apud Senecam *in vacuum* aliquot locis obſervavi pro *in vanum.* Ut *in vacuum tumultuari*, pro quo vulgo legitur, *in ſupervacuum.* CL. SALMAS. de Mod. Uſur. pag. 739. & ſequentibus. Pluribus enim ibi hæc perſequitur, & docet *prædiatos* eſſe, quorum bona publico ſint obligata; *prædiatores*, qui eorum, qui publico obligati ſunt, bona emebant, id eſt, prædiorum ſive hypothecarum emtores; & *jus prædiatorium*, & *legem prædiatoriam*, quæ agebat de prædiatis, hoc eſt, obligatis publico: *prædem* eſſe fidejuſſorem, qui fidem ſuam obliget populo pro redemtore & publicano; *prædia* proprie bona, quæ publico ſint obligata, quæ poſtea *bona prædia* ſint dicta. Hæc aliaque huc pertinentia fuſe ibi docet pro eruditionis & ingenii ubertate Vir ſummus.

Lege prædiatoria.] Titulus fuit in edicto prætoris urbani *de prædiatoribus*, ut diſcimus ex inſcriptione legis 54. ff. de Jure dot. Quapropter quæ hic lex dicitur, revera pars edicti fuit, quod prætor proponere ſolebat. Conſtat præterea ex eadem illa lege 54. edictum illud non tantum pertinuiſſe ad prædia, quæ publico erant obligata, ſed & ad quævis alia. Ait enim ibidem loci Gajus: *Res, quæ ex dotali pecunia comparatæ ſunt, dotales eſſe videri.* Quæſtio enim hæc, An prædia, dotali pecunia comparata, mulieris forent, ad hanc legem pertinuit. At hæc quæſtio utrimque privatum reſpiciebat. Sunt autem prædiatores, ſi quid video, qui ſua prædia aliis jure pignoris vel hypothecæ obligaverunt. Et hinc apud Ciceronem 12. ad Atticum 15. dici mihi videtur *Apulejus prædiator liberalis*, qui facilis erat in prædiis hypothecæ ſubjiciendis. Ut minime accedam Sebaſtiano Corrado, cui is *prædiator* videtur, *apud quem bona prædia ſunt opposita, vel ad quem pertinent ita, ut in his poſſit eſſe liberalis.* Neutrum enim cum veritate convenit, mea ſententia. GOESIUS.

Pependerit venalis.] Sic l. 9. §. 4. ff. de Tutel. & rat. diſtrah. *Tutor* dicitur *confiſcatus*, cujus bona confiſcata ſunt. IDEM.

TORRENT.

10. *Secretum eo deſiderante.*] *Secretum deſiderare* hoc loco eſt velle omnino ſolum eſſe, ut *ſecretum captare* Oth. cap. X. *ſecretum ſumere* Domit. cap. XIII. At *ſecretum petere* frequentius dicebant, cum remotis arbitris colloquium poſcerent. Calig. cap. XXIII.

In diæta, cui nomen Hermeum.] *Diæta* Græcum eſt, unde & διαιτῶμαι. Varro tamen inde dici vult, quod in ea per diem edatur. Frequens apud JCtos pro habitatione, quæ amœnitatis cauſa in hortis exſtructa ſit. l. XLIII. De legatis I. l. penult. De donat. inter virum & ux. Quamvis etiam pro quocunque cœnaculo accipitur. Quin & *diætas hypocauſtas* dicebant ad aliarum differentiam, quibus hieme utebantur. l. LV. De legatis III. Ceterum quod apud Plinium II. Epiſt. XVII. ac rurſum V. Epiſt. VI. & Lampridium Elagabalo *Zæta* pro *Diæta* ſcriptum ſæpius, id Briſſonius De verb. ſignif. IV. factum ait more Græcorum, qui δια in ζα ſæpe commutent. Sed neſcio mehercule an viro docto aſſentiar, & exemplum deſidero. Nam quod apud Eccleſiaſticos ſcriptores, & maxime Paulinum, ζάβολος pro διάβολος tritum confirmat, id equidem vereor, ut ſit lubricum. Zabulonem enim, qui unus e XII. Jacobæi generis principibus, habuerint in mente. Iſque a Theologis paſſim exemplum quoddam ac typus (ut loquuntur) Diaboli creditus fuiſſe, niſi vehementer me memoria fallit. Atque (ut ſemel dicam) ζα ἐπιτατικὸν μόριον grammaticis dictum, explorata res eſt; δια in ζα commutati haud pol recordor. Neque ad rem, qua de agimus, pertinet, quod Euſtathio notatum Ἰλ. α. ζα ἐπιτατικὸν idiomate quodam in δα commigraſſe, ut perſpicuum eſt locum integrum legenti. Atque hæc obiter, nunc ad Suetonium revertamur. Igitur *Hermeum* dixit, ut *Iſeum*, *Serapeum*, *Muſeum*, Domit. cap. V. & ſimilia, non pro templo tantum, ſed quocunque loco dei nomine inſignito recte dicitur. Hic certe *diætæ* nomen eſt, quale illud, *cœnare in Apolline. Servi* quoque *diætarii*, ut *topiarii*, & *aquarii*, ab Ulpiano vocantur, quibus commiſſa erat *diætæ* cura. l. XII. De inſtr. legato.

CASAUBON.

Venalis pependerit ſub edicto præfectorum.] Videtur ex veteri jure ſervatum in cauſſis fiſcalibus, ut qui non ſolverent, ipſi bonaque ipſorum venum exponerentur edicto præfectorum ærarii. hi ſunt, qui pependiſſe dicuntur: non quorum bona ſolum in tabula proſcripta fuerunt.

10. *Quinquageſimo anno imperium cepit.*] Philoſtratus in vita Apollonii lib. V. loquens de Claudio, καὶ τὸν πεν-

exterritus, prorepſit ad ſolarium proximum: interque prætenta foribus vela ſe abdidit: latentem diſcurrens forte gregarius miles animadverſis pedibus e ſtudio ſciſcitandi, quisnam eſſet, agnovit, extractumque, & præ metu ad genua ſibi accidentem, Imperatorem ſalutavit. Hinc ad alios commilitones fluctuantes, nec quidquam adhuc quam frementes perduxit. Ab his lecticæ impoſitus & quia ſervi diffugerant, viciſſim ſuccollantibus in caſtra delatus eſt, triſtis ac trepidus, miſerante obvia turba, quaſi ad pœnam rape-

πεντηκοντέτης ἐς τὸ ἄρχειν παρῆλθεν, ὅτε νοῦς μάλιστα ὑγιαίνει ἀνθρώπων. Idem & Dio.

In diætam, cui nomen eſt Hermæum.] Fruſtra eſt vir doctus, qui ad hunc locum probare nititur falſum eſſe, quod de δια in ζα mutari ſolito in nonnullis vocibus erudite Cujacius aliique obſervarunt. nam quare negat, quod tot locis & exemplis aſſerunt grammatici Græci? Οἱ γὰρ Αἰολεῖς, inquiunt, τὸ δια, ζα φασί. καὶ τὸν διάπλουτον ζάπλουτον. reperies apud eoſdem & ζαβάλλω pro διαβάλλω, & ζαβουλὼν ab eadem origine pro calumniatore & inſidioſo, & id genus plurima. *Hermæum* vero, cujus hic meminit, illud eſt, opinor, cujus mentio in inſcriptione veteri quam ſuperiore libro deſcripſimus, cum de Gelotiana domo tractaremus. nam ut domus Gelotiana, ſic & Hermæum videtur inhabitatum a parte familiæ Cæſarianæ.

VARIOR.

10. *Secretum eo deſiderante.*] V. C. Salmaſ. *deſideranti.*

TORRENT.

Solarium proximum:] *Solarium* locum fuiſſe in ædibus, ubi ſolem excipere & apricari ſolebant, non ſolum Macrobii de Auguſti dictis locus oſtendit lib. II. Saturn. cap. IV. ſed & Ulpian. l. XVII. De ſervit. urb. præd. ubi *heliocaminum* & *ſolarium* loca vocat, quibus ſol ſit neceſſarius. Nec male hoc loco diætæ proximum ſolarium deſcribitur. Utitur eo etiam Plautus.

Prætenta foribus vela.] Sic Lamprid. Elagabalo, *objectu veli cubicularis, quod in introitu erat cubiculi, ſe texit.* Idem Alexandro. Sed & Juvenal. Sat. VI.

— *pendentia liquit*
Vela domus.

Et Sat. IV.

— *pueros inde ad velaria raptos.*

Et Sat. IX.

Vela tegant rimas, claude oſtia.

Hinc *velarii* inter officia domus Auguſtæ in antiquis inſcriptionibus, & *velares anuli* apud Plinium lib. XIII. cap. IX. ex Theophraſto, qui κρίκους εἰς τοὺς στρωματεῖς vocat. Quibus adde JCtos l. XII. De inſtru. legato, l. XVIII. De act. empti, quodque *velo levato cauſas cognoſci* dicunt, quæ, cum leviores ſint, nec magna diſquiſitione indigeant, palam admiſſo populo pertractantur. ſic enim Honorius & Theodoſius l. V. De naufragiis lib. XI. *De ſubmerſis navibus, decernimus, ut levato velo iſtæ cauſæ cognoſcantur.* Cujus conſuetudinis meminit Clemens Romanus Pontifex Conſtitut. Apoſtol. cap. LVI. quem locum vide.



In caſtra delatus eſt.] Nummum ſervo aureum pulcherrimum, & ſimilem argenteum. Parte una effigies Claudii, altera vero caſtra Prætoria, cum inſcriptione, IMPER. RECEPT. quaſi per prætorianos Imperium recepiſſet. Ut vero hic *ſuccollantibus*, ſic *ſuccollatis* dixit Oth. cap. VI.

CASAUBON.

Prorepſit ad ſolarium proximum.] In antiquiſſimis membranis regiæ bibliothecæ, Memmii & Cujacii, *ſcolarium* ſcribitur. An fuit aliquis in Urbe locus eo nomine? an deſtinatum habendæ ſcholæ locum, cujuſmodi fuit domus Catilinæ in palatio Auguſti, vocabant *ſcholarium?* eadem analogia *veſtiarium* dixerunt & ſimilia. Quidam, *ſcalarium.*

Latentem diſcurrens forte gregarius miles.] *Gratum* vocat Joſephus: nec gregarium, ſed prætorianorum unum.

E ſtudio ſciſcitandi quiſnam eſſet, agnovit.] Joſephus explicat: Προσῄει τε ἐγγύτερον, καὶ ὑποχωρεῖν ἠξιωκότος ἐπέκειτο, καὶ καταλαβὼν ἐπιγνωρίζει. *accedit* Gratus *propius, ac cum illum rogaret* Claudius *ut recederet, inſtare cœpit: ita apprehenſum eum agnovit.*

Et quia ſervi diffugerant.] Omnes noſtri, etiam Memmii & Cujacii, *quia ſui d.* Joſephus: ἐπεὶ καὶ οἱ τὸ φορεῖον αὐτοῦ φέροντες περὶ τὴν ἁ παγὴν αὐτοῦ παραγενομένης φυγῆς, ἔσωζον αὑτούς. *lecticarii ejus, dum ipſe rapitur, oblata fugæ facultate, ſe periculo eripuerant.* Quod ait, *viciſſim ſuccollantibus*, id eleganter ſignificat, quod pluribus verbis Græci dicunt, ἀμοιβαίως ἐπὶ τῶν ὤμων φέρειν, *per vices ferre ſuper humeros.* quo modo alicubi loquitur Euſebius.

In caſtra delatus.] Errat Joſephus, ut videtur, qui in palatium ſtatim fuiſſe delatum narrat.

VARIOR.

Ad ſolarium proximum.] V. C. Salmaſ. *ad ſcholarium proximum.*

TOR-

raperetur inſons. Receptus intra vallum, inter excubias militum pernoctavit, aliquanto minore ſpe quam fiducia. Nam conſules cum ſenatu & cohortibus urbanis Forum Capitoliumque occuparant, aſſerturi communem libertatem: accituſque & ipſe per Tribunum pleb. in curiam ad ſuadenda quæ viderentur, *vi ſe & neceſſitate teneri* reſpondit. Verum poſtero die, ſenatu ſegniore in exſequendis conatibus, per tædium ac diſſenſionem diverſa cenſentium, & multitudine quæ circumſtabat, unum rectorem jam & nominatim expoſcente, armatos pro concione jurare in nomen ſuum paſſus eſt: promiſit-
11 que ſingulis quina dena HS. primus Cæſarum fidem militis etiam præmio pigneratus. Imperio ſtabilito nihil antiquius duxit, quam id biduum, quo de mutando Reip. ſtatu hæſitatum erat, memoriæ eximere. Omnium itaque factorum dictorumque in eo veniam & oblivionem in perpetuum ſanxit, ac præſtitit: tribunis modo ac centurionibus paucis e conjuratorum in Cajum numero interemtis, exempli ſimul cauſſa, & quod ſuam quoque cædem depopoſciſſe cognoverat. Converſus hinc ad officia pietatis, jusjurandum neque ſanctius ſibi neque crebrius inſtituit quam PER AUGUSTUM. Aviæ Liviæ divinos honores

TORRENT.

Occuparunt.] Liber opt. *occupaverant*, & mox *Verum poſtero die* pro *Poſtero vero die*, utrumque melius.

Armatos pro concione.] Duo libb. *armatus.*

Quina dena ſeſtertia.] Dion recepti imperii die prætorianis eum XXV. drachmas, hoc eſt, totidem denarios, viritim diſtribuiſſe ſcribit. Quæ ſumma quidem exigua eſt, credibilior tamen quam altera. Ut nulli dubium ſit, quin notarum errore mendum irrepſerit. Nam Joſephus ſummam adhuc majorem facit, quina drachmarum millia viritim diſtributa affirmans.

II. PER AUGUSTUM.] More veterum, ut per eos jurarent, quos præcipue diligerent. Qui etiam in obteſtando mos fuit. Horat. lib. I. Sat. II.

Si peteret per amicitiam patris, atque ſuam.

Liviæ divinos honores.] Effigiem ejus in templo Divi Auguſti dedicavit, ac rem ſacram ei fieri a Veſtalibus mandavit, mulieresque per nomen ejus jurare voluit. Auctor Dion. Eadem de Druſilla ſorore Cajus decrevit.

CASAUBON.

Accituſque & ipſe per tribunum pleb. in curiam ad ſuadenda quæ vid.] Liber Cujacii, *ad cenſenda quæ jud.* Scribendum etiam *per tribunos populi*, ut liquido ſcriptum eſt in Viterbienſi, & docet Joſephus, οἱ πρεσβευταὶ Οὐηράνιος καὶ Βρȣ̃χος. δήμαρχοι δὲ ἦσαν ἀμφότεροι. Dio alios quoque cum tribunis pl. miſſos refert.

Unum rectorem jam & nominatim expoſcente.] Malim, *& nominatim eum poſcente.*

Promiſitque ſingulis quina dena ſeſtertium.] Nihil muto: tamen Joſephum ſi audimus, vicena millia dedit. ait enim, δωρεῖται τȣ̀ς σωματοφύλακας πενταϰισχιλίαις δραχμαῖς κατὰ ἕκαστον ἄνδρα, τοῖς τε ἡγεμόσιν αὐτῶν ἀνάλογον τȣ̃ ἀριθμȣ̃, καὶ τοῖς ὅποι ποτὲ στρατοπέδοις ὑπισχνεῖται τὰ ὅμοια. Hujus liberalitatis nulla apud Dionem mentio. fallitur enim eruditiſſimus Torrentius, qui huc refert verba accuratiſſimi ejus ſcriptoris, quibus centenos nummos militibus prætorianis ait fuiſſe donatos. Nam ejus donationis alius fuit titulus, nempe natalis imperii ejus: quem diem ſoliti Imperatores proſequi aliquo donativo. neque primo die imperii ea ſumma data, ſed anno primo vertente mos ille inſtitutus, & deinceps per ſingulos annos imperii Claudiani ſervatus. declarant Dionis verba, ἔν τε τῇ ἡμέρᾳ ἐν ᾗ αὐτοκράτωρ τῷ προτέρῳ ἔτει ἀπεδείχθη, αὐτὸς μὲν ȣ̓δὲν ἐξαίρετον ἔπραξε, πλὴν ὅτι τοῖς δορυφόροις πέντε καὶ εἴκοσι δραχμὰς ἔδωκε, καὶ τȣ̃το ἔπειτα καθ᾽ ἔτος ἐποίησε. hoc vero munus, quod hic narratur & apud Joſephum, quaſi merces fuit traditi imperii, & proinde ſtatim eſt perſolutum.

II. *Veniam & oblivionem in perpetuum ſanxit ac præſtitit.*] Renovato Athenienſium exemplo induxit omnium ἀμνηστίαν, inquit Dio & Oroſius libro VII. cap. IV.

Jusjurandum neque ſanctius ſibi neque crebrius inſtituit quam PER AUGUSTUM.] Sive ut frequentior formula fuit, PER GENIUM AUGUSTI. ſic *per genium Cæſaris* aut *ſalutem* jurabant, jam inde ab Auguſti temporibus, quando hoc primum fuit inſtitutum, ut notiſſimus Horatii verſus probat:

Jurandaſque tuum per nomen ponimus aras.

quod autem hic Suetonius de Claudio obſervat, id Tertullianus in more poſitum fuiſſe omnibus affirmat. Ait enim Apologetici cap. XXVIII. *citius apud vos per omnes deos, quam per unum genium Cæſaris pejeratur.*

honores, & circenſi pompa currum elephantorum Auguſtino ſimilem decernendum curavit. Parentibus inferias publicas: & hoc amplius, patri circenſes annuos natali die: matri carpentum, quod per circum duceretur: & cognomen Auguſtæ, ab avia recuſatum. Ad fratris memoriam per omnem occaſionem celebratam, comœdiam quoque Græcam Neapolitano certamine docuit, ac de ſententia judicum coronavit. Ne Marcum quidem Antonium inhonoratum, ac ſine grata mentione tranſmiſit: teſtatus quondam per edictum, *Tanto impenſius petere ſe, ut natalem patris Druſi celebrarent, quod idem eſſet & avi ſui Antonii.* Tiberio marmoreum arcum juxta Pompeji theatrum, decretum quidem olim a ſenatu, verum omiſſum, peregit: Caji quoque etſi acta omnia reſcidit,
diem tamen necis, quamvis exordium principatus ſui, vetuit inter feſtos referri. At 12
in ſemet augendo parcus atque civilis, prænomine Imperatoris abſtinuit, nimios honores recuſavit, ſponſalia filiæ natalemque geniti nepotis ſilentio, ac tantum domeſtica religione,

TORRENT.

Auguſteo.] Sic Beroaldus, & editio Germanica. Manuſcripti, & nonnulli impreſſi, *Auguſtino*, vel *Auguſto ſimilem decernenda curavit.* *Auguſto* ſane



non diſplicet. ſic enim *marmor Auguſtum*, & *marmor Tiberium* apud Plin. lib. XXXVI. cap. VII. quod, Auguſti, ac Tiberii tempore inventum, ab ipſis nomen accepit. Currus vero Auguſtus in veteri numiſmate æreo cernitur.

Matri carpentum.] Quale in vetuſtis Agrippinæ nummis conſpicitur, de quo Calig. cap. XV. proprium nempe matronis vehiculum, ut mox cap. XVII. *Currum ejus Meſſalina uxor carpento ſecuta eſt.*

Ab avia recuſatum.] Vide quæ notavimus Aug. cap. ult. Quibus quid vehementer addam, non habeo; tantum ſubit mirari, quid ita libitum viro docto reponere *ab viva*, ſeu *ab ea viva*, ſcilicet Antonia matre, de qua proxime Suetonio ſermo. nam Auguſtæ nomenclatura donatam a Caligula Dioni lib. LVIII. fidem habeo, claris diſertiſque verbis affirmanti, ſed quis idoneus auctor recuſatam hanc ab ea appellationem? Quæ igitur occaſio (inquis) Claudio matri dicernendi Auguſtæ cognominis? Scilicet quod a Caligula ad mortem tædio & indignitate compulſa, honore, qui initio ei Principatus tributus, ceciderat.

Neapolitano certamine docuit. De quinquennali Neapolitano certamine (Græci ἀγῶνα vocant) gymnico, & muſico Strabo lib. V. Gymnici meminit Sueton. Aug. cap. XCVIII. muſici hic. De quo etiam Papinius in Silvis non uno loco. *Docere* quoque *comœdiam* dixit, ut διδάσκειν δρᾶμα Græci. Unde κωμῳδοδιδάσκαλοι, & τραγῳδοδιδάσκαλοι. Cicero Bruto, *Livius, qui primus fabulam C. Clodio, & M. Tuditano coss. docuit.* Horat. quoque de Arte,

Et qui prætextas, & qui docuere togatas.

pro edere, ſeu publicare.

De ſentent. jud coronavit.] Hoc eſt, coronam retulit. Nec ſcio, an alius quiſpiam ita locutus ſit. Liber opt. habet, *ac de ſe ſent. jud. coronavit.* ſed male. ſimili enim locutione *damnare reum* dicitur accuſator, quem ſua actione convincit. Tib. cap. VIII. *Fannium Cæpionem reum majeſtatis apud judices fecit, & condemnavit.* Porro hæc ad id tempus referenda ſunt, quo (ut ſcribit Dion) Neapoli tanquam privatus vixit, ita ut Græca etiam victus ratione una cum ſuis uteretur, atque in muſicis ludis pallium, & ſoleas, gymnicis purpuram, & auream coronam ferret.

Decretum.] Tunc (puto) cum theatrum Pompeji reſtituit. Sup. Tib. cap. XLVII.

Inter feſtos.] Sic duo meliores codices. Alii *faſtos.* quod non placet.

12. *Domeſtica religione.*] Nam ſponſaliorum die & jus dixit, & ſenatum habuit. Dion. Infr. cap. XIV.

CASAUBON.

12. *Silentio, ac tantum domeſtica religione tranſegit.*] Dio, οὐδὲν ἐξαίρετον ἔπραξε.

VARIOR.

11. *Decernendum curavit.*] V. C. Salmaſ. *decernenda.*

Ab avia recuſatum.] Scribendum, *ab viva recuſatum.* Ad matrem Antoniam hæc referuntur, non ad aviam: uti docet vel ἀκολουθία ſermonis. Quæ viva donata Auguſtæ nomine a Caligula (ταύτην τε γὰρ Αὐγοῦσταν εὐθὺς καὶ ἱέρειαν τοῦ Αὐγούστου ἀποδεῖξαι, ait Dio) id ſprevit: & mortua nunc per Claudium recepit. Itaque in lapidibus Claudiani ævi, ANTONIAI. AUG. DRUSI. ſculptum hodieque. LIPSIUS.

TOR-

ne, tranſegit. Neminem exſulum, niſi ex ſenatus auctoritate, reſtituit: ut ſibi in curiam præfectum Prætorii, tribunoſque militum ſecum inducere liceret, utque rata eſſent quæ procuratores ſui in judicando ſtatuerent, precario exegit. Jus nundinarum in privata prædia a conſulibus petiit: cognitionibus magiſtratuum, ut unus e conſiliariis frequenter

TORRENT.

Precario exegit.] Recte *precario:* nam præfectus prætorio ex equeſtri ordine ſumebatur, ut inf. Tit. cap. VI. notabimus, ac proinde in ſenatum venire non poterat. Procurator quoque rerum Cæſaris judicandi jus non habebat. Cujus poſt Claudii tempora plurimum crevit auctoritas. Tacit. in vita Agricolæ, etiam hunc ex equeſtri ordine ſumi ſolitum ſignificat. Juriſconſulti, & qui vitas Cæſarum ſcripſere, eundem nunc *Procuratorem fiſci*, nunc *Procuratorem privatæ rationis*, aut *rei*, nunc *Rationalem* nominant. Græci fere *ἐπιτρόπους* vocant. Jus autem ſolummodo inter fiſcum & privatos dicebat. Atque ita Taciti locum intelligo lib. XII. cum ſcribit, *Eodem anno ſæpius audita vox Principis, parem vim rerum habendam a procuratoribus ſuis judicatarum ac ſi ipſe ſtatuiſſet.* Quod verum eſt, niſi cum poteſtate præſidis in provinciam mittebatur. Quod etiam ante Claudium interdum contigit, ſed judicandi jus non ante Claudium accepit; tantum quæ Imperatoris nomine gerebat, perinde rata habebantur ac ſi ab Imperatore geſta eſſent. Ulpian. lib. I. de Offic. Proc. Cæſaris. Fuit autem (ut hoc quoque obiter addam) & advocatus fiſci, quem primus (ſi Lampridio credimus) Alexander Severus inſtituit.

Jus nundinarum.] Plin. lib. V. Epiſt. IV. *Vir prætorius a ſenatu petiit, ut ſibi inſtituere in agris ſuis nundinas permitterentur.* Sed & Cicero Philipp. II. conqueritur domeſticis Antonii nundinis non vectigalia ſolum, ſed etiam Imperium P. R. deminutum eſſe.

Unus e conſiliariis.] Recte. ſic enim editio Gryphii, & meliores MSS. Alii *unus e conſularibus.* Vide Tib. cap. XXXIII. *ſe offerebat conſiliarium.*

CASAUBON.

Ut ſibi in curiam præfectum prætorii tribunoſque mil.] Hoc primus Tiberius petierat & impetraverat poſt cædem Sejani. Tacitus libro VI. *dein redditis abſentiæ cauſſis admodum vagis, flexit ad graviora & offenſiones ob Rempublicam cœptas: utque Macro præfectus, tribunorumque & centurionum pauci, ſecum introirent, quoties curiam ingrederetur, petivit, factumque large & ſine præſcriptione generis aut numeri, ſenatuſconſultum.*

Cognitionibus magiſtratuum ut unus e conſiliariis frequenter interfuit.] Quos magiſtratus potiſſimum intelligat, declarat Dionis de eadem re locus: Πολλάκις δὲ καὶ τοῖς ὑπάτοις τοῖς τε στρατηγοῖς, καὶ μάλιστα τοῖς τὴν διοίκησιν ἔχουσι συνεξετάζετο, καὶ ὀλίγα παντελῶς τοῖς ἄλλοις δικαστηρίοις ἐπέτρεπε. *Sæpe etiam cognitionibus conſulum & prætorum, eorum maxime qui ærarii curam gerebant, intererat, ac pauca aliis judiciis committebat.* Miratus ſum aliquando prætermiſſum in hoc albo prætorem urbanum, cujus maxima fuit in urbe juriſdictio: verba tamen Dionis alio trahere non poſſis. nam στρατηγοὶ οἱ τὴν διοίκησιν ἔχοντες, vel οἱ ἐπὶ τῆς διοικήσεως, ſemper apud eum ſcriptorem de prætoribus ærarii intelligendum, ut declarant cum alii loci, tum hic in eodem libro, τοὺς στρατηγοὺς τοὺς ἐπὶ τῆς διοικήσεως καταλύσας, ταμίαις αὐτὴν κατὰ τὸ ἀρχαῖον ἐπέτρεψεν. Id eſt, *Prætoribus ærarii ſolutis, quæſtoribus eam curam antiquo more tradidit.* Non igitur cauſſa erat, cur nuperus emendator verſionem Xylandri incruſtaret.

VARIOR.

12. *Utque rata eſſent, quæ procuratores ſui in judicando ſtatuerent.*] Provinciæ quædam Cæſaris minores non legatos aut proprætores, ſed procuratores ſaltem accepere. Quorum præcipuum ac proprium munus, ut reditus ac tributa colligerent, aliaque quæ ad fiſcum: ſed quoniam, nullo alio præſide, res ſæpe cogebat jus inter provinciales dici, etiam in re criminum, factum, ut juriſdictionem aliquam ſibi ſumerent, præſidum exemplo. Dico, ſumerent: revera enim non habebant, equites quia erant aut liberti. Itaque nec judicia nec acta eorum rata, vocarique poterant ad diſquiſitionem Principis aut ſenatus, quoniam lege apud eos agi nefas. Inter equites excipio unum præfectum Ægypti, apud quem, ut Tacitus notat, lege agi permiſit Auguſtus, decreto quodam ſingulari. Attamen procuratores illi provinciis præerant, & jus ſæpe in crimine & cauſſa capitis dicebant. Exemplum in Pontio, qui Judææ procurator (non enim illi provinciæ proprie præſes) ſententiam tulit de capite noſtri capitis, Chriſti ſervatoris: exempla in Petronio, Cumano, aliiſque vulgo apud Joſephum. Idemque in cæteris minutis provinciis factum, quibus regendis ſolus procurator. Suetonii igitur locum, & comparem Taciti, ad hos procuratores refero. Hinc Tacitus indignatur, quod juriſdictio communicata cum equitibus & libertis: de quo toties inter ordines certatum ſeditione aut armis erat. Addo, procuratores ſolius rei familiaris *Rationales* poſtea dictos, ut a prioribus illis diſtinguerentur. LIPSIUS.

quenter interfuit. Eoſdem ſpectacula edentes, ſurgens & ipſe cum cetera turba, voce ac manu veneratus eſt. Tribunis pleb. adeuntibus ſe pro tribunali excuſavit, quod propter anguſtias non poſſet audire eos niſi ſtantes. Quare in brevi ſpatio tantum amoris favoriſque collegit, ut cum profectum eum Oſtiam periiſſe ex inſidiis nuntiatum eſſet, magna conſternatione populus, & militem quaſi proditorem, & ſenatum quaſi parricidam, diris exſecrationibus inceſſere non ante deſtiterit, quam unus atque alter, & mox plures a magiſtratibus in Roſtra producti, ſalvum & appropinquare confirmarent. Nec tamen 13
expers inſidiarum uſquequaque permanſit, ſed & a ſingulis, & per factionem, & denique civili bello infeſtatus eſt. E plebe homo nocte media juxta cubiculum ejus cum pugione deprehenſus eſt: reperti & equeſtris ordinis duo in publico cum dolone ac venatorio cultro præſtolantes, alter ut egreſſum theatro, alter ut ſacrificantem apud Martis ædem adoriretur. Conſpiraverant autem ad res novas Gallus Aſinius & Statilius Corvinus, Pollionis ac Meſſallæ oratorum nepotes, aſſumtis compluribus libertis ipſius atque ſervis. Bellum civile movit Furius Camillus Scribonianus Delmatiæ legatus: verum intra quintum diem oppreſſus eſt, legionibus quæ ſacramentum mutaverant, in pœnitentiam religione converſis, poſtquam denuntiato ad novum Imperatorem itinere, caſu quodam, an divinitus, neque aquila ornari, neque ſigna convelli moverique potuerunt. Conſulatus 14
ſuper

TORRENT.

Diris exſecrationibus.] Liber opt. *obteſtationibus*, ut Græci *ἀρὰς* dicunt. Mallem *deteſtationibus*. Plura ad Horatium Epod v. *dira deteſtatio*, &c.

13. *Gallus Aſinius & Statilius Corvinus.*] Libb. veteres *Statinus*, & *Statinius*, unus etiam *Scatinus*. Nihil muto tamen. nam Statilios ad Meſſallas pertinere & hic Corvini cognomen oſtendit, & quod Neronis uxor Statilia Meſſallina vocata fuit. Ner. cap. XXXV. De Aſinio Gallo etiam Dion. Fuit autem ejus Aſinii Galli, qui dimiſſam a Tiberio Vipſaniam, Druſi matrem, uxorem duxerat filius. Quare Druſi fratrem uterinum vocat Dion. Pater ſub Tiberio miſere periit. Filius, quanquam adverſus Claudium conſpiraſſet, exſilio tantum multatus eſt.

Furius Camillus Scribon.] Hic cum Annio Viniciano (ut narrat Dion) bellum movit, ſed a militibus deſertus, morte voluntaria periit. Meminit ejuſdem Sueton. infr. cap. XXXV. & Oth. cap. I. Plura Oroſ. lib. VII. & nonnihil Plin. lib. III. Epiſt. XVI. Idem fortaſſis, de quo Tacit. lib. II. Annal. quod ſub Tiberio proconſul Africæ Furio nomini multos poſt annos militiæ decus reſtituit, conſul cum Cn. Domitio, Neronis Principis patre, ſuffectus in locum A. Vitellii, A. U. DCCXXV.

Caſu quodam ac divinitus.] Lego, *an divinitus*, loquendi formula Tacito conſueta, quanquam repugnant omnia, quæ viderim, exemplaria.

Aquilæ ornari.] Aquila (ut ſcribit Plin. lib. X. cap. IV.) Romanis legionibus a C. Mario ſecundo ejus conſulatu dicata, magna in veneratione apud milites fuit, & quidem in ſacello collocata. Unde eam efferri niſi movente exercitu nefas erat. Stabat autem impoſita haſtæ, cujus pars inferior acuta in ſolum figebatur. Unde ſi cum opus eſſet, ægre avelleretur, ut Craſſo Euphratem tranſituro contigit, peſſimi ominis loco habebatur, (Dion lib. XL.) quemadmodum etiam ſi ornari non poſſet, ut hoc loco Suetonii. Ad ornatum autem ſpectat, quod tradit Plin. lib. XIII. cap. III. his verbis: *Aquilæ certe, ac ſigna pulverulenta illa, & cuſtodiis horrida inunguntur feſtis diebus. Hac nimirum mercede corruptæ terrarum orbem devicere Aquilæ.* Spectant huc etiam numiſmata duo vetera argentea, alterum C. Valerii Flacci, alterum L. Valerii Aciſculi; apud me



ſervata, quorum typum his commentariis addidimus. Quanquam de Aciſculi nummo Johannis Viviani, rerum antiquarum ſtudioſiſſimi, judicium poſtea intellexi, quod ipſius ea de re epiſtolæ ad me verbis adſcri-

a. ſuper priſtinum quatuor geſſit: ex quibus duos primos junctim: ſequentes per intervallum, quarto quemque anno, ſemeſtrem noviſſimum, bimeſtres ceteros, tertium autem, novo circa Principem exemplo in locum demortui ſuffectus. Jus & conſul & extra honorem laborioſiſſime dixit, etiam ſuis ſuorumque diebus ſolennibus, non numquam feſtis quoque antiquitus, & religioſis. Nec ſemper præſcripta legum ſecutus, duritiam lenitatemve multarum, ex bono & æquo perinde ut afficeretur, moderatus eſt. Nam & iis qui apud privatos judices plus petendo formula excidiſſent, reſtituit actiones: & in majore

adſcribere volui. *In nummo vero hoc L. Valerii Aciſculi aquila galeata, clypeata, facie humana, Jovis eſſe videtur Carii; quem eundem Labradeum vocabant. eadem enim figura in nummis Mylaſiorum, qui in* Caria *erant, conſpicitur, in quibus & Jovis caput galeatum, in nonnullis etiam inſcriptio,* ΖΕΥΣ ΚΑΡΙΟΣ. *Volunt hoc ſignum ab Arſali primum rege conſecratum, qui cum Gygæ adverſus Candaulem Lydorum regem ſuppetias tuliſſet, ſecurim, eorum regum geſtamen, ipſis Labryn dictam, in patriam reportarit. Unde & in hujus nummi parte altera ſecuris expreſſa cernitur. Ac cognomen Aciſculis inde fortaſſe eſt, quod Acis inſula una eſſet ex Cycladibus, quas Cares ſub Minoë incolebant, antequam continentem occupaſſent. Hinc & in alio ejuſdem gentis nummo Europa tauro inſidens conſpicitur, cujus ſcilicet Minos idem eſſet filius ex Jove in taurum transfigurato. Et hæc ad antiquiſſimam gentis Valeriæ nobilitatem faciunt, ut eadem eſſet quæ Trojanis, ac ipſi Romulo origo, de qua Poeta,* Creta Jovis, *&c.* Mons Idæus ubi, & gentis cunabula noſtræ. *nam & Cures fortaſſis, qui in Sabinis erant, (unde & Valeſius ille, qui ſub Tatio rege militavit) a Curetibus, hoc eſt, Cretenſibus, deſcendiſſe putabantur.*

Signa convelli.] Vide Servium in illud Virgilii cap. XI.

> - - - *ubi primum vellere ſigna*
> *Annuerint ſuperi.*

Nonnihil Turneb. Adverſar. XXIII. cap. XI.

CASAUBON.

Excuſavit, quod propter anguſtias non poſſet audire eos niſi ſtantes.] Atqui hic mos videtur fuiſſe ſervatus, ut qui Principem alloquerentur, ſtarent. Quare etiam conſules in ſenatu verba ad illum facturi, de curuli ſurgebant ac deſcendebant: quos tamen civiliter admodum ſolitos excipi a Claudio, notatum Dioni reperio. Τῶν ὑπάτων, inquit, ἐν τῷ συνεδρίῳ καταβάντων ποτὲ ἀπὸ τῶν δίφρων ἵνα διαλεχθῶσιν αὐτῷ, προεξανέστη τε, καὶ ἀντιπροσῆλθε σφίσιν. Eodem pertinent & quæ ſequuntur paullo poſt: ubi notat idem Dio, Claudium, ſi quando aliquid in curia recitaret, ſolitum propter corporis imbecillitatem ſedere: ſed ſi, qui ſurgebant in ſenatu, diutius ſteiiſſent, eum quoque aſſurrexiſſe.

13. *Neque aquila ornari.*] Sic in omnibus codd. etiam Turonenſi, non *aquilæ*, quod apud Oroſium hunc locum deſcribentem legitur. nec dubium, fuiſſe plures aquilas: ſed an omnes in hoc oſtento conſpiraverunt?

Neque ſigna convelli moverique pot.] Melius *convellive pot.* & ita exſcripſit Oroſius.

VARIOR.

13. *Nocte media.*] V. C. Salmaſ. *noctu media.*

Gallus Aſinius.] V. C. Salmaſ. *Gallius.* Idem mox: *Polionis.*

TORRENT.

14. *Duos primos junctim.*] Sic ſup. Calig. cap. XVII. *duos noviſſimos conjunxit*, & Aug. XXVI. *ſequentes continuavit.*

Semeſtrem.] Liber opt. *ſemenſtrem*, & mox *bimenſtres*, ut ſemper.

Feſtis quoque antiquitus & relig.] Lib. unus *antiquis & relig.* Scribendum puto *antiquitus religioſis*, ſine copulatione. Nihil muto tamen. Exemplum retuli paulo ante, cap. XII. ex Dione.

Præſcriptam l. ſ. d.] Lego, *Nec ſemper præſcripta legum ſecutus, duritiam, lenitatemque*, &c.

Privatos judices.] Id eſt, rerum privatarum judices, qualis prætor, & centumviri.

Plus petendo formula excidiſſent.] Juſtinian. lib. IV. Inſtitut tit. VI. *Si quis agens intentione ſua* (ſic libellum vocat) *plus complexus fuerat quam ad eum pertinebat, cauſa cadebat, id eſt, rem amittebat, nec facile in integrum reſtituebatur a prætore, niſi minor erat annis* XXV. & paulo poſt, *Plus autem quatuor modis petitur, tempore, loco, cauſa, re.* Idem ferme Paulus JCtus lib. I. Sententiarum cap. X. Qua de re ſæpe etiam Cicero, maxime lib. I. de Oratore. Eleganter Epiſt. XLIX. Seneca ad eos qui ſophiſmatum argutiis abutuntur, *Quid enim agitis, cum eum quem interrogatis, ſcientes in fraudem inducitis quam ut formula cecidiſſe videatur? Sed quemadmodum illum prætor, ſic hos philoſophia in integrum reſtituit.* Atque huc alludit Plautus Moſtellaria Act. III. Sc. I. cum enim expreſſa debiti ſumma dixiſſet creditor, *Nihilo plus peto*, reſpondet ille, *Velim quidem hercle, ut uno nummo plus petas.* Quod ergo *formula excidere* dicit Sueton. id ego ex Juſtiniano interpretor pro cauſa cadere, aut rem amittere. quoniam enim certæ ac ſolennes quædam conſtitutæ erant formulæ ad agendum,

(*a*) *A.U.C.* DCCXCV. DCCXCVI. DCCC. DCCCIV.

majore fraude convictos, legitimam pœnam ſupergreſſus, ad beſtias condemnavit. In 15
cognoſcendo autem ac decernendo, mira varietate animi fuit, modo circumſpectus & ſagax, modo inconſultus ac præceps: non numquam frivolus amentique ſimilis. Cum decurias rerum actu expungeret, eum qui diſſimulata vacatione quam beneficio liberorum habebat, reſponderat, ut cupidum judicandi dimiſit: alium interpellatum ab adverſariis de propria lite, negantemque cognitionis rem, ſed ordinarii juris eſſe, agere cauſſam confeſtim apud ſe coëgit, proprio negotio documentum daturum, quam æquus judex in alieno negotio futurus eſſet. Fœminam non agnoſcentem filium ſuum, dubia utrimque argumentorum fide, ad confeſſionem compulit, indicto matrimonio juvenis. Abſentibus ſecun-

dum, ne quis aberraret, hinc factum eſt, ut *formula* apud optimos quoſque auctores pro actione accipiatur. Sic *formula injuriarum* Vitell. cap. VII. *cadere formula*, *errare formula*.

Casaubon.

14. *Jus & conſul & extra honorem laborioſiſſime dixit.*] Dio aſſiduitatem tantam fuiſſe ait in jure dicendo, ut ſingulis ferme diebus, aut cum toto ſenatu, aut ſolus, in foro quidem ut plurimum, ſed & alibi ſedens pro tribunali jus redderet.

Etiam ſuis ſuorumque diebus ſolennibus.] Huc pertinet, non ad ſequentia verba locus Dionis de diebus, quibus ſponſalia filiarum ſuarum Claudius celebravit, *καὶ αὐτὸς ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις ἐδίκασε καὶ ἡ βȣλὴ ἠθροίσθη.* De diebus privatarum ſolennitatum notavimus lib. II. ad cap. LIII.

Torrent.

Ad beſtias condemnavit.] *Ad beſtias damnati* dicebantur, qui ex ſententia beſtiis ſubjiciebantur. l. VI. Ad leg. Jul. peculatus. *Dari* quoque, & *pronunciari ad beſtias* legimus. Plura cap. XXXIV.

15. *Modo inconſultus.*] Libri MSS. omnes *interdum inconſ.*

Decurias rerum actu.] De *rerum actu* ſup. Aug. cap. XXXII. *Expungere* autem *centurias* dicit, pro diſpungere ſeu ordinare, qui retinendi eſſent in numero judicum, quive non. Verbum in rationibus uſurpatum. Unde eleganti tranſlatione Seneca lib. IV. de Benef. *munus munere expungere* dixit, & *expungere ſtipendiis militem*, Paullus l. penult. de Re Militari.

Reſponderat.] In recognoſcendo judicum albo nominatim ciebantur, uti & equites cum recognoſcebantur. Sup. Calig. cap. XVI. Quoniam ergo is, de quo hoc loco Sueton. vocatus reſponderat, neque, cum immunis eſſet, ſeſe excuſaverat, Claudius eum, ut judicandi cupidum, dimiſit atque expunxit.

Negantemque cognitionis rem.] Recte in hunc locum annotat Turneb. Adverſar. XXVII. cap. XIX. *ordinarii juris* eſſe ea, quæ per judices a prætore datos juris ordine deciduntur, *cognitionis* vero quæ extra juris ordinem ad Cæſarem deferuntur, aut alioqui non judice ullo dato, ſed ab ipſo qui aditus ſit, ut puta prætore, aut præſide, cognoſcuntur, qualia fere ſunt quæ ad rempublicam ſpectant, aut ad exemplum trahuntur. Verum quo locum hunc Suetonii apertius declaremus, neceſſe eſt ut hunc, qui de propria lite apud Claudium ab adverſariis interpellabatur, e numero judicum fuiſſe, admoneamus, cumque exciperet litem ordinarii juris eſſe, ac proinde judicem dari debere, juſſiſſe Claudium ut ipſemet cauſæ ſuæ judex eſſet, ac vice Cæſaris rem propriam ageret. Quod ſane duriuſculum eſt, ſed niſi ſic interpretemur, non video, quomodo cohæreant ea quæ ſequuntur. De *Principum* vero *cognitione* adde Sueton. Ner. cap. XV. & Tit. cap. VI. Sed & Capitolin. de M. Antonino, *Senatum* (inquit) *multis cognitionibus, & maxime ad ſe pertinentibus, judicem dedit.* Juriſconſulti *ſacras cognitiones* vocant, ut & *ſacrum cognitorem*, qui Cæſaris juſſu de re quæ cognitionis ſit, vice ejus judicet. Eſt & titulus lib. Pandectarum I. ſic inſcriptus, *De extraord. cognitionibus*, ubi prolixe enumerantur ea, quæ prætor, aut præſes provinciæ non dato judice, ſed coram ipſi cognoſcunt. Adde l. CLXXVIII. De verb. ſign. Inf. cap. XXIII.

Abſentib. ſecundum præſentes.] Conciſa, ac proinde obſcura oratio eſt. Sentit Claudium ſæpe temere, altera parte abſente, cum comperendinare ſatius foret, *ſecundum præſentem* pronunciaſſe, hoc eſt, pro eo qui comparuerat. ſic enim veteres loquebantur, nec ſolum *dare litem*, *dare ſententiam*, pro litem judicare, ac ſententiam dicere, ſed *dare*, abſolute. Ulpian. l. XXVII. De liberali cauſa, *contra libertatem dabit.* Plin. lib. VII. Epiſt. VI. *ſecundum reos dedit.* Cic. quoque, quod huc propius ſpectat, Verr. IV. *Utatur inſtituto ſuo, nec cogat ante horam decimam de abſente ſecundum præſentem judicare.* Atque adeo apertius locutus fuiſſet Sueton. ſi *de abſentibus* dixiſſet.

Varior.

15. *Negantemque cognitionis rem, ſed ordinarii juris.*] Ordinabat tum decurias judicum Claudius, aliis albo eraſis, aliis in album allectis, aliis retentis. Hoc agenti quidam ex his judicibus, quos retinuerat, aut de novo adlegerat, interpellatus ab adverſario de propria lite, ut nimirum Cæſar de ea cognoſceret, negavit

ſecundum præſentes facillime dabat, nullo delectu, culpane quis an aliqua neceſſitate ceſſaſſet. Proclamante quodam, præcidendas falſario manus, carnificem ſtatim acciri cum machæra menſaque lanionia flagitavit. Peregrinitatis reum, orta inter advocatos levi contentione, togatumne an palliatum dicere cauſſam oporteret, quaſi æquitatem integram oſtentans, mutare habitum ſæpius, & prout accuſaretur defenderetur ve, juſſit. De quodam etiam negotio ita ex tabella pronuntiaſſe creditur, SECUNDUM EOS SE SENTIRE QUI VERA PROPOSUISSENT. propter quæ uſque eo eviluit, ut paſſim ac propalam contemtui eſſet. Excuſans quidam teſtem e provincia ab eo vocatum, negavit præſto eſſe poſſe. Diſſimulata diu cauſſa, ac poſt longas demum interrogationes, *mortuus eſt*, inquit, *puto, licuit.* Alius gratias agens, quod reum defendi pateretur,

negavit ille rem cognitionis, ſed juris ordinarii. Hac audita ejus exceptione, Claudius agere eum cauſſam ſtatim apud ſe coegit, illum nempe judicem. Ubi *cognitio* opponitur *juri ordinario.* Illa enim magiſtratuum & maximorum judicum, hoc vero ordinariorum, & privatorum, delegatorum, eorumve qui dati fuerant a prætore. Ita ſemper accipitur in priſcis auctoribus *cognitionis* vox. quod pluribus docet, oſtendens etiam Tribonianum in titulo Digeſtorum *de extraordinariis cognitionibus* illud *extraordinariis* de ſuo adjeciſſe, Cl. Salmasius de modo Uſurarum.

Torrent.

Nullo delectu culpæ niſi quis.] Libri duo *culpæ nequis.* Quare nihil addubito, quin legendum ſit cum Sabellico, *nullo dilectu, culpane quis, an aliqua neceſſitate ceſſaſſet.* Liber unus etiam *neceſſitudine* habet.

Peregrinitatis reum.] *Peregrini* vocantur, qui cives Romani non ſunt. Ulpian. tit. v. Inſtitut. & l. vi. de Heredib. inſtit. Inde *peregrinitas* dicitur, cum jus civium amittitur, puta deportatione. l. xi. De in jus voc. Sueton. cap. prox. *in peregrinitatem redegit.*

Diſſimulata diu cauſa.] Scribo *diſſimul. d.* minuſcula, aut ſi majuſculam retineamus, *Diſſimulata dein cauſa.*

Puteolis.] Pulmanno, qui e vetuſtis codicibus hanc lectionem aſſerit, facile aſſentior; noſtri tamen MSS. omnes habent *puto*, vel *puro, licuit*, & quidem omnium caſtigatiſſimus *Puto*, *P* majuſculi, ut verba ſint teſtem excuſantis, quibus apertius adhuc quam ante Claudium irrideat, licere dicens abeſſe mortuis.

Casaubon.

15. *Abſentibus ſecundum præſentes facillime dabat.*] Nove dictum *abſentibus* ἁπλῶς pro quoties altera partium aberat: ſed Dio rem pluribus exponens cauſſam reddit, cur hoc a Claudio ita factum. Ἐπειδὴ, inquit, πλῆθός τε δικῶν ἀμύθητον ἦν, καὶ οὐκ ἀπήντων ἐπ' αὐταῖς ἔτι (malim ὅι τι) προσδοκῶντες ἐλαττωθήσεσθαι, προεῖπε διὰ προγράμματος, ὅτι καὶ κατὰ ἀπόντων αὐτῶν ἐντὸς ῥητῆς τινὸς ἡμέρας δικάσει, καὶ ἐνεπέδωσε τοῦτο. Etiam illud elegans, *dabat*, pro *litem dabat.* nam ita explendum hoc genus loquendi apud Ciceronem, Plinium, & alios.

Cum machæra menſaque lanionia.] Liſlæi cod. *lanioniaria.* Memmii, *lanionia.* Græci ἐλεὸν vel ἐπικόπανον una voce dicunt, item ἐπίξηνον, ut apud Ariſtophanem in Acharnenſibus:

Κ' ἂν γε μὴ λέγω δίκαια, μηδὲ τῷ πλήθει δοκῶ,
Ὑπὲρ ἐπιξήνου θελήσω τὴν κεφαλὴν ἔχων λέγειν.

Unde apparet ex more veteri eſſe, quod menſæ laioniæ in hos uſus adhibentur. Caſſandra apud Æſchylem in Agamemn. de ſuo ſupplicio loquens:

Βωμοῦ πατρῴου μ' ἀντεπίξηνον μένει
Θερμῷ κοπείσης φοινίῳ προσφάγματι.

Orta inter advocatos levi contentione.] Membranæ, *levi concertatione.*

Mortuus eſt, inquit, Puteolis.] Ita ſcriptum in Viterb. quomodo & in aliis libris legi teſtantur viri docti: at Pithœi, Liſlæique codices vulgatam confirmant, *puto, licuit.* Quæ ſcriptura plus aceti atque acuminis videtur habere. Atque hoc regiæ bibliothecæ antiquiſſimus codex firmat, ubi ſic liquido ſcriptum: nec multo aliter in regiis aliis duobus, antiquæ item manus. In his ita corruptus eſt locus: *Mortuus eſt inquit puteoli cui talius gratias ag.* vel ex his conſtat veram lectionem eſſe, *puto, licuit.* ita prorſus liber ampliſſimi Memmii.

Varior.

Abſentibus ſecundum præſentes.] Hoc non nove, non conciſe dictum, ſed bene barbare. *Dare aliquo* ἀντὶ τοῦ *ab aliquo* aut *de aliquo* non magis cuiquam unquam veterum in mentem venit, quam *dare aliquem* ἀντὶ τοῦ *ſecundum aliquem.* Quod cum ſcirent magni viri, mirum eſt non auſos pronuntiare, quod & certum eſt & facillime ſuccurrit rem conſideranti, particulam *de* a fronte hujus περικοπῆς excidiſſe: præſertim cum agnoſcant illud elegans *dare*, ut loquuntur. Qui hanc potuit ſuavitatem captare, is noverat *dare de abſentibus* neceſſario dicendum. Vis enim præpoſitionis ea eſt, quæ, cum legimus, *olet unguenta de meo, de tuo largitor, de aliquo creſcere, de*

teretur, adjecit; *Et tamen fieri ſolet.* Illud quoque a majoribus natu audiebam, adeo cauſidicos patientia ejus ſolitos abuti, ut deſcendentem e tribunali non ſolum voce revocarent, ſed & lacinia togæ retenta, interdum pede apprehenſo detinerent. Ac ne cui hæc mira ſint, litigatori Græculo vox in altercatione excidit, *καὶ σὺ γέρων εἶ, καὶ μωρός.* Equitem quidem Romanum obſcœnitatis in fœminas reum, ſed falſo, & ab impotentibus inimicis confiсto crimine, ſatis conſtat, cum ſcorta meritoria citari adverſus ſe, & audiri pro teſtimonio videret, graphium & libellos, quos tenebat in manu, ita cum magna ſtultitiæ & ſævitiæ exprobratione jeciſſe in faciem ejus, ut genam non leviter perſtrinxerit. Geſſit & cenſuram intermiſſam diu poſt Paullum Plancumque 16
cenſores: ſed hanc quoque inæqualiter, varioque & animo & eventu. Recognitione equitum juvenem probri plenum, ſed quem pater probatiſſimum ſibi affirmabat, ſine ignominia dimiſit, *habere* dicens *cenſorem ſuum.* Alium corruptelis adulteriiſque famoſum, nihil amplius quam monuit, *ut aut parcius ætatulæ indulgeret, aut certe cautius.* Addiditque, *Quare enim ego ſcio, quam amicam habeas?* Et cum orantibus familiaribus demſiſſet cuidam appoſitam notam, *Litura tamen*, inquit, *exſtet.* Splendidum virum

Germanis, non de Gallis, duo triumphant conſules: ubi damnum, aut calamitas, aut aliquid ademptum alienatumve ſignificatur. GRONOVIUS.

De quodam etiam negotio ita ex tabella pronuntiaſſe creditur.] Pertinet ad eas tabellas, quæ judicibus in ferenda ſententia dabantur, de quibus Cicero ſæpe in orationibus, & Pædianus. F. URSINUS.

TORRENT.

Καὶ σὺ γέρων εἶ, καὶ μωρός.] Bene Pulmannus quod gloſſematium illud non adjecit, *& tu ſenex, & ſtultus es.* abeſt enim ab omnibus MSS.

Obſcœnitatis in fœminas.] Tib. cap. XLV.

Impotentibus inicimis.] Lib. unus *imponentibus*, & mox *pertuderit*, pro *perſtrinxerit.* Sed neutrum placet.

16. *Poſt Paullum Planc.*] Plures libri *poſt Plancum Paullumque cenſores.* Cenſores autem fuere Paullus Æmilius Lepidus, & L. Munatius Plancus A. U. C. DCCXXXI. At Claudii cenſuram refert Plin. lib. X. cap. II. A. U. DCCC.

Litura tamen exſtet.] Non male, qui *exſtat* legendum monet. nota enim tolli poteſt, ſed facti turpitudo permanet.

Splendidum virum.] Liber opt. *ſplendidiſſimum*, & mox *ſed in peregrinitatem*, ſine *etiam*, & *reddere paſſus eſt* pro *paſſus eſt reddere.*

CASAUBON.

16. *Geſſit & cenſuram intermiſſam diu.*] Ad hanc Claudii cenſuram refero cum Joſepho Scaligero verba Euſebii in Chronico ad num. MMLXI. *Deſcriptione Romæ facta ſub Claudio, inventa ſunt civium Romanorum* LXVIII. *centena*, XLIV. *millia.*

Cum orantibus familiaribus demſiſſet cuidam appoſitam notam, Litura tamen, inquit, exſtet.] Quid adeo ridiculi viſum fuerit Suetonio contineri hoc Claudii dicto, equidem non intelligo: nam mens certe illius paret optima fuiſſe. Cum enim precibus amicorum condonaret iſti cenſoriam notam, ſui tamen judicii cupiit exſtare aliquod teſtimonium: neque dubium eſt idem variis rationibus factum ſæpius a cenſoribus. Simile eſt, quod narrat Dio lib. XL. de Appio cenſore. qui cum nota dignum Curionem cenſeret, ac notæ tamen gratiam rogatu quorundam facturum ſe promiſiſſet, ſententiam de eo ſuam in ſenatu prius aperuit. Hæc ita Dio narrat, ut nos quidem emendamus: Τὸν μέν τοι Κουρίωνα μελλήσαντα καὶ αὐτὸν ἀπαλειφθήσεσθαι, ἐξῃτήσατο μετὰ τοῦ Παύλου, ὅπερ συγγενὴς ἦν· καὶ ὃς οὐ διήλειψε μὲν αὐτὸν διὰ τοῦτο· τὴν μέν τοι γνώμην ἣν περὶ αὐτοῦ εἶχεν, ἐδημοσίευσεν ἐν τῷ βουλευτηρίῳ. Scriptum eſt in vulgatis libb. καὶ ὃς οὐ διήλλαξε. cujus ſcripturæ mendum non obſervatum ab interpretibus, traxit eos in errorem. neque enim Dionis mentem aſſequuntur.

VARIOR.

Interdum pede apprehenſo retinerent.] V. C. Salmaſ. *detinerent.* & inferius pro *jeciſſe in faciem*, idem legit *feciſſe in faciem.*

16. *Puteolis.*] *Puto, licuit.* e vet. cod. GUJET.

Geſſit & cenſuram.] Ad hanc Claudii cenſuram refero verba Euſebii in Chronico num. MMLXI. ex interpretatione Hieronymi: *Deſcriptione Romæ facta ſub Claudio inventa ſunt civium Romanorum* LXVIII. *centena*, XLIV. *millia.* Græca habent XCVII. millia amplius: quod diſcrimen haud exigui momenti eſt. Cæterum hoc geſtum totidem verbis Caſſiodorus conjicit in conſulatum Aſiatici & Cornelii: quamvis ibi numerus mancus eſt, & male Cornelii pro Corvini, id eſt, Meſſallæ, numero MMLXII. JOS. SCALIGER.

Poſt Paullum Plancumque.] Codex Salmaſ. cum aliis MSS. *poſt Plancum Paullumque.*

Litura

rum, Græciæque provinciæ principem, verum Latini ſermonis ignarum, non modo albo judicum eraſit, ſed etiam in peregrinitatem redegit. Nec quemquam niſi ſua voce, utcumque quis poſſet, ac ſine patrono, rationem vitæ paſſus eſt reddere. Notavitque multos, & quoſdam inopinantes, & ex cauſſa novi generis, quod ſe inſcio ac ſine commeatu Italia exceſſiſſent: quendam vero & quod comes regis in provincia fuiſſet, referens, majorum temporibus, Rabirio poſtumo, Ptolemæum Alexandriam, crediti ſervandi cauſſa ſecuto, majeſtatis crimen apud judices motum. Plures notare conatus, magna inquiſitorum negligentia, ſed ſuo majore dedecore, innoxios fere reperit, quibuſcunque cœlibatum, aut orbitatem, aut egeſtatem objiceret, maritos, patres, opulentos ſe probantibus, eo quidem, qui ſibimet vim ferro intuliſſe arguebatur, illæſum corpus veſte depoſita oſtentante. Fuerunt & illa in cenſura ejus notabilia, quod eſſedum argenteum ſumtuoſe fabricatum ac vænale ad Sigillaria, redimi concidique coram imperavit: quodque uno die XX. edicta propoſuit, inter quæ duo, quorum altero admonebat, *ut uberi vinearum proventu bene dolia picarentur:* altero, *nihil æque facere*
17 *ad viperæ morſum quum taxi arboris ſuccum.* Expeditionem unam omnino ſuſcepit, eamque modicam, cum decretis ſibi a ſenatu ornamentis triumphalibus leviorem majeſtati principali titulum arbitraretur, velletque juſti triumphi decus, unde acquireret, *Britanniam* potiſſimum elegit: neque tentatam ulli poſt Divum Julium, & tunc tumul-

Litura tamen, inquit, *exſtet.*] Malim: *exſtat.* Dictum vere cenſorium. Cujus ſapientiam diduximus in noſtris diatribis ad illa Taciti, *Marcellum memoriæ majorum, & preces Cæſaris, pœnæ magis quam infamiæ exemere*, lib. XIV. Ann. c. 40. GRUTERUS.

TORRENT.

Sine commeatu Ital. exceſſ.] Id ſenatoribus, magiſtratibuſque ſine libera legatione non licebat. Tib. cap. XXXI. Aliquid Dion.

Rabirio Poſtumo.] Quem Cicero defendit.

Sibimet vim ferro.] Liber opt. *ſibi metu vim ferro.* Hoc igitur eſt, quod JCti dicunt, neminem eſſe dominum membrorum ſuorum, nec civem patriæ auferre licere. Vide tit. Pand. lib. XLVIII. De his qui ante ſentent. mortem ſibi conſciverunt.

Sigillaria.] Ante cap. V. Ner. cap. XXVIII.

17. *Eamque modicam.*] Vel abeſſe velim hæc verba, vel ſcribi, *eamque hoc modo. Cum.* &c.

Leviorem majeſtate principali.] Libri omnes MSS. *Principalem.* Ut omnino legendum putem, *leviorem majeſtate Principis talem titulum arb.*

Poſt. D. Julium.] Scribo *poſt Divum Julium*, ex duob. MSS. Et ſane etiam in nummis veteribus dictio hæc ſemper integra ſcribitur. Quod vero tentatam ulli poſt Julium Cæſarem negat Britanniam, id ita intelligo, ut nemo illi bellum intulerit. Inhiavit ei quidem etiam Caligula, cap. XIX. & cap. XLIV. & Auguſtus ad bellum Britannicum in Galliam uſque profectus eſt, ſed neque ille quicquam præter minas, & hic quoque Dalmatiæ tumultu revocatus deſtitit. Non fruſtra ergo eſt, quod Pulmannus *deprædatam* pro *tentatam* ſe reperiſſe affirmat. Plura ad Horat. lib. III. Od. V.

- - - *præſens Divus habebitur*
Auguſtus, adjectis Britannis
Imperio, gravibuſque Perſis.

Quam Odam ſcripſiſſe arbitror Horatium proficiſcente in eam expeditionem Auguſto, perinde ac ſi viciſſet eo ipſo, quod bellum minabatur.

CASAUBON.

Splendidum virum Græciæque provinciæ principem, verum Latini ſermonis ignarum.] Simillima hiſtoria eſt, quam de legato Lyciorum quodam, oriundo quidem e Lycia, ſed nato Romæ, narrat Dio: cui hiſtoriæ ſubjungit hæc verba: *συχνοὺς δὲ δὴ καὶ ἄλλους ἀναξίους* (apertior ſententia fuerit, ſi ſcripſeris *ἀναξίως*) *τῆς πολιτείας ἀπήλασε.* Id eſt, *multos quoque alios nullo ſuo merito, in peregrinitatem redegit.*

17. *Leviorem majeſtati principali tit.*] Plerique antiquorum, *principalem.* unde Torrentius, *m. principis talem t.* Duo regii conſentiunt: tertius *principali.*

Neque tentatam ulli poſt divum Julium.] At exſtitit nuper Romæ, qui argumento aliquot locorum Horatii & unius e commentariis pſeudo-Servii, probare conaretur falſam eſſe hanc Tranquilli ſententiam. De Horatio ſatisfactum pridem per Torrentium alioſque viros eruditos. Suetonium vero abunde tueatur unius Taciti auctoritas, idem tradentis in libro De vita Julii Agricolæ. Sed ſimne ego inſcius & ineptus, qui hominis rationem habendam cenſeam, cujus ſcripta præter inſignem otii abundantiam nihil habent quod mireris? o factum male,

 quod

multuantem ob non redditos transfugas. Huc cum ab Oſtia navigaret, vehementi circio bis pæne demerſus eſt prope Liguriam, juxtaque Stœchadas inſulas. Quare a Maſſilia Geſſoriacum uſque pedeſtri itinere confecto, inde tranſmiſit: ac ſine ullo prælio aut ſanguine intra pauciſſimos dies parte inſulæ in deditionem recepta, ſexto quam profectus erat menſe Romam rediit, triumphavitque maximo apparatu. Ad cujus ſpectaculum commeare in urbem non ſolum præſidibus provinciarum permiſit, verum etiam exſulibus quibuſdam: atque inter hoſtilia ſpolia, navalem coronam faſtigio Palatinæ domus juxta civicam fixit, trajecti & quaſi domiti Oceani inſigne. Currum ejus Meſſallina uxor carpento ſecuta eſt. Secuti & triumphalia ornamenta eodem bello adepti, ſed ceteri pedibus

quod non ante centum quinquaginta annos nati ſunt & ille Juriſconſultus, & qui ſimilia ſcribunt. poterant videri aliquid ſciſſe, aliquid dixiſſe.

Varior.

Sed etiam in peregrinitatem redegit.] Non conſpicitur *etiam* in Salmaſiano quoque codice.

Ptolemæum Alexandriam, crediti ſervandi cauſſa, ſecuto.] Cajus Rabirius Poſthumus Ptolemæo regi Alexandrino, cum regno pulſus Romam veniſſet, egenti, & roganti, grandem pecuniam credidit, cui & regnanti crediderat abſens: nec ſolum ſuam pecuniam credidit, ſed & amicorum. Poſtquam autem in regnum reductus eſt Ptolemæus, Alexandriam profectus eſt Poſthumus, cauſa pecuniæ exigendæ: ubi diœcetes fuit regius, hoc eſt, diſpenſator. Præterea coactus eſt ſuſcepta regia diſpenſatione veſtitum, habitumque mutare. Ex hoc accuſatus, tanquam majeſtatem pop. Rom. læſiſſet, & a Cicerone defenſus eſt. Beroald.

17. *Velletque juſti triumphi decus, unde acquireret.*] Lego: *velletque juſti triumphi decus unde unde acquirere.* Sic Horatius 1. Sat. 3.

Mercedem aut nummos unde unde extricat.

Apulejus lib. 5. extremo: *nec tamen vindictæ ſolatium unde unde ſpernendum eſt.* id eſt, undecumque contingat. Gronovius.

Torrent.

Vehementi circio.] Is ventus Galliæ Narbonenſi præcipue infeſtus eſt. Seneca lib. iv. Quæſt. Natur. *Atabulus Apuliam infeſtat, Calabriam Iapyx, Athenas Sciron, Pamphyliam Catægis, Galliam Circius. Cui ædificia quaſſanti tamen incolæ gratias agunt, tanquam ſalubritatem cæli ſui debeant ei. Divus certe Auguſtus templum illi, cum in Gallia moraretur, & vovit, & fecit.* Adde Plinium lib. 11. cap. xlvii. Gellium lib. 11. cap. xxii.

Stœchadas inſulas.] Quæ ad Rhodani oſtia ſunt, Stœchade herba nobili inſignes: (Plin. lib. iii. cap. v. & lib. xxvii. cap. xii.) dictæ, quod στοίχῳ, ſive ordine poſitæ ſint, ut volunt Græci.

Geſſoriacum.] Plin. lib. iv. cap. xvi. Turneb. Adverſar. viii. cap. xxi.

Inter pauciſſ. dies.] mss. omnes *intra pauc. d.* & *ſexto quam profectus eſt menſe*, pro *erat.*

Triumphavitque.] Libri duo *triumphavit*, ſine *que.*

Casaubon.

Quare a Maſſilia Geſſoriacum uſque pedeſtri itinere confecto.] Vel, ut Dio ait, partim pedeſtri itinere, partim fluminibus vectus: ſic ille, καταπλεύσας ἐς τὰ Ὤστια, ἐκεῖθεν ἐς Μεσσαλίαν παρεκομίσθη· κἀντεῦθεν τὰ μὲν πεζῇ, τὰ δὲ καὶ διὰ τῶν ποταμῶν πορευόμενος πρὸς τὸν ὠκεανὸν ἀφίκετο.

Intra pauciſſimos dies.] Sedecim ait Dio lib. lviii.

Parte inſulæ in deditionem recepta.] Oroſius: *Ibique, ut verbis Suetonii Tranquilli loquar, ſine ullo prælio ac ſanguine intra pauciſſimos dies plurimam inſulæ partem in deditionem recepit. Orcadas etiam inſulas ultra Britanniam in Oceano poſitas Romano adjecit imperio.*

Currum ejus Meſſalina uxor carpento ſecuta eſt.] Emenda Dionem in hac ſententia. Narrat ille ſenatum, accepto nuntio de ſubacta per Claudium Britannia, inter alios honores Claudio uxorique ejus Meſſalinæ tributos, permiſiſſe Meſſalinæ carpenti uſum. Supplendum autem diebus feſtis & ludorum Circenſium, ſicut ſupra ſcriptum de matre Claudii: *Decernendum curavit matri carpentum, quo per Circum duceretur.* verba Dionis, ἐψηφίσαντο τῇ Μεσσαλίνῃ τὴν προεδρίαν ἣν καὶ ἡ Λιβία ἐσχήκει, καὶ τῷ καρπέντῳ χρῆσθαι ἔδωσαν. Addendum vero aut certe ſubintelligendum, ἐν ταῖς πανηγύρεσι χρῆσθαι ἔδωσαν. ex ipſo Dione paullo poſt de Paullina Lollia altera Claudii conjuge, καὶ ἡ μὲν ταχὺ καὶ αὐτὴ Μεσσαλίνα ἐγίνετο, καὶ μάλιστα ὅτι καὶ τιμὰς ἄλλας τε καὶ τῷ καρπέντῳ ἐν ταῖς πανηγύρεσι χρῆσθαι παρὰ τῆς βουλῆς ἔλαβεν. Tacitus Annal. lib. xii. *Suum quoque faſtigium Agrippina extollere altius: carpento Capitolium ingredi: qui mos ſacerdotibus & ſacris antiquitus conceſſus, venerationem augebat fœminæ.*

Secuti & triumphalia ornamenta eodem bello adepti.] Jam enim invaluerat mos, ut ex eodem bello vel triumphos, vel triumphalia certe ornamenta comites expeditionum conſequerentur. non ita olim, ut diximus ad libri ſecundi cap. xxxviii. Hic vero notat Dio triumphalia ornamenta adeptos eſſe per Claudium

pedibus & in prætexta: Craſſus Frugi equo phalerato, & in veſte palmata, quod eum
18 honorem iteraverat. Urbis annonæque curam ſolicitiſſime ſemper egit. Cum Æmiliana pertinacius arderent, in diribitorio duabus noctibus manſit: ac deficiente militum ac familiarium turba, auxilio plebem per magiſtratus ex omnibus vicis convocavit: ac poſitis ante ſe cum pecunia fiſcis, ad ſubveniendum hortatus eſt, repræſentaturus pro opera dignam cuique mercedem. Arctiore autem annona ob aſſiduas ſterilitates detentus quondam medio Foro a turba, convitiiſque ac ſimul fragminibus panis ita inſtratus, ut ægre nec niſi poſtico evadere in palatium valuerit: nihil non excogitavit ad invehendos etiam in tempore hiberno

Claudium, non ſolum conſulares viros ex ſenatoribus, ſed alios quoque dignitate longe inferiores.

Torrent.

In veſte palmata.] Aug. cap. xciv. & Beroaldus hic.

18. *Æmiliana.*] Locus is fuit Romæ, ſed extra portam, in continentibus (ut loquuntur JCti) Urbis ædificiis, & quidem (ut ex hoc loco colligitur) non procul a campo Martio. Varro lib. III. de Re Ruſtica cap. II. *eorum ædificia, qui habitant extra portam Frumentariam, aut in Æmilianis.* Tacit. lib. xv. ubi de Neronis incendio: *Plus infamiæ id incendium habuit, quia prædiis Tigillini Æmilianis eruperat.* quo loco *in Æmilianis* legendum puto, ut apud Varronem. Erat & vicus Æmilianus regione VII. viæ latæ. Rufus.

In diribitorio.] *Diribere* idem quod diſtribuere eſt. Unde *diribitores* dicti, qui Romanis in ſuffragia euntibus tabellas miniſtrabant; uti & *rogatores*, qui ciſtam deferebant in quam tabellæ mittebantur; & *cuſtodes*, qui obſervabant, ne quid fraudis admitteretur. Cic. orat. Poſt reditum in ſenatu: *Quando illa dignitate rogatores, diribitores, cuſtodeſque vidiſtis?* Et in Piſonem: *Hoc certe video, vos rogatores, vos diſtributores, vos cuſtodes fuiſſe, diſtributores* vocans eos, qui *diribitores* quoque dicuntur. Nam de *diviſoribus* ante diximus, Aug. cap. III. *Diribitorium* igitur locus fuit ad *diribitorum* munus ſerviens, & quidem apud Septa, regione Circi Flaminii, ut Victor tradidit. De quo ſic Dion lib. LV. *Diribitorium, domum omnium, quæ uno culmine fuerunt, maximam, Agrippa imperfectum reliquit.* Atque hoc eſt, quod interdum ob calores æſtivos munera ludoſque in *diribitorio* edi conſueſſe legimus. Male igitur interpretes, qui neſcio quæ *delibatoria*, & *derivatoria* ſomniant.

Plebem per magiſtratus.] Sunt qui *magiſtros* legi velint, ut vicomagiſtros intelligamus, ſed male. ordinarios enim magiſtratus intelligit, prætores nempe, atque ædiles, qui ex omnibus vicis plebem auxilio convocarent. Aug. cap. xxx.

Repræſentaturus.] Melius duo codices *repræſentans.* Sic Vitell. cap. x. *vulnera, plagas & necem repræſentantes.*

Arctiore annona.] Sic *arctiſſima annona* Tib. cap. VIII. & Galb. cap. VII. *arctioris annonæ* Hermogenian. JC. l. LIII. de Judiciis. *Artiore* habent. libb. optimi, & Pand. Florent. recte.

Ita inſtratus.] Sic interpretes, & edit. Gallica, tres item MSS. Duo *infeſtatus*, uti & edit. Germanica, & Oroſ. lib. VII. ubi eandem narrat hiſtoriam, *pſeudothyrum* appellans quod Sueton. *poſticum*, quo vocabulo uſus etiam non uno in loco Cicero, & Horat.

- - - *poſtico falle clientem.*

Casaubon.

18. *Repræſentaturus pro opera.*] Viterb. Liſlæi, & vetus Rob. Steph. *repræſentans.*

Arctiore autem annona.] Tacitum vide in anno DCCCIV. Annal. lib. XII. Meminere & ſcriptores eccleſiaſticæ hiſtoriæ famis hujus: quæ ea eſſe videtur, cujus mentio in Actis.

A turba convitiis fragminibuſque panis inſtr.] Non deſunt in hiſtoria Auguſtorum exempla ſimilis furoris. Marcellinus Comes Indictione XIV. conſulatu Antiochi & Baſſi: *Hoc tempore dum ad Horrea publica Theodoſius proceſſum celebrat, Imp. tritici in plebem ingruente penuria, ab orientis populo lapidibus impetitus eſt.*

Fragminibus panis ita inſtratus.] Cujacii cod. & Viterb. Memmii & Rob. Stephani, *infeſtatus.* & ita deſcribunt Oroſius, & Paulus Diaconus, ſive Anaſtaſius.

Ut ægre nec niſi poſtico evadere in Palatium valuerit.] Libro octavo, de Othone: *proripuitque ſe poſtica parte Palatii ad conſtitutum.* Oroſius & Diaconus, *pſeudothyrum* vocant.

Varior.

18. *Plebem per magiſtratus.*] Viri ampliſſimi malunt *magiſtros*, & hos profecto intelligit auctor. ſed & eoſdem *magiſtratus* vocari prodidi aliquando in Suſpicionibus. Gruterus.

Fragminibus panis ita inſtratus.] An *impetitus?* ſed mirum eſt a famelicis hominibus fragminibus panis impetitum eſſe. τὸ *inſtratus* hic nullum locum habere videtur. Vide codd. vett. Gujet.

hiberno commeatus. Nam & negotiatoribus certa lucra propoſuit ſuſcepto in ſe damno, ſi cui quid per tempeſtates accidiſſet: & naves mercaturæ cauſſa fabricantibus magna com-
moda conſtituit, pro conditione cujuſque, civi vacationem legis Papiæ Poppeæ: Latino 19
jus Quiritum: fœminis jus quatuor liberorum: quæ conſtituta hodie ſervantur. Opera 20
magna potius quam neceſſaria, quam multa perfecit: ſed vel præcipua, aquæ ductum a Cajo

TORRENT.

In tempore hiberno.] Liber opt. *hiberno tempore*, ſine *in*, & mox *accideret* pro *accidiſſet*. utrumque rectius.

Conſtituit pro conditione cujuſque civis. Libri MSS. omnes, uti & vulgati, hoc in loco corrupti ſunt per eos, qui capita male diſtinxere. Ego verbum *conſtituit* præcedenti capiti adjungo, deinde ſic lego, *pro conditione cujuſque, civi vacationem legis Papiæ Poppeæ, Latino* (nam ſic habent duo MSS. pro *Latinis*) *jus Quiritium, feminis jus quatuor liberorum.* naves enim fabricantium pro cujuſque conditione præmia recenſet. Ac proinde etiam cetera longe melius præcedenti capiti annecterentur. De lege Papia ante, Aug. cap. XXXIV. quantum ſatis eſt, diximus. *Civis* appellatione hoc loco intelligo eum, qui jus civitatis Romanæ adeptus ſit, juſta ac plena libertate manumiſſus. nam qui Latinæ tantum conditionis erat, ac proinde cive deterior, is nave non vacationem legis Papiæ conſequebatur, (neque enim poterat, ut puta necdum civis, aut plene liber) ſed jus Quiritium, quo civis fieret. Idque ſufficere videbatur. Dedititii vero (quod tertium fuiſſe libertorum genus oſtendimus) ut nec plenam libertatem unquam conſequi poterant, ſic neque ulla legum præmia quæ liberis proponerentur. Scio hunc locum aliter exponi a Car. Sigonio lib. I. De jure Italiæ, perinde ac ſi Latini nomine non libertinus, ſed ingenuus, qui jus Latii adeptus ſit, ſignificaretur. Sed errare eum manifeſte oſtendit Ulpian. tit. III. navem inter modos enumerans, quibus plenam quis libertatem adipiſcitur, ſi non minorem fabricaverit quam X. M. modiorum.

Fœminis jus quatuor lib.] Olim apud Romanos feminæ a ſucceſſione ab inteſtato ſic excludebantur, ut ne inter matrem quidem, & filium, filiamve ultro citrove hereditatis capiendæ jus eſſet. Primus Divus Claudius matri ad ſolatium liberorum amiſſorum legitimam eorum detulit hereditatem. Poſtea vero Divi Hadriani temporibus S. C. Tertulliano cautum eſt, ut mater ingenua trium liberorum jus habens, libertina quatuor, etiamſi in poteſtate eſſet, ad bona filiorum ab inteſtato mortuorum admitterertur, ut hæc narrat pleniſſime Juſtinian. Inſtitut. lib. III. tit. III. Ad S. C. Tertullianum. Et ea quidem quæ ſub Hadriano conſtituta ſunt, ad Claudium referri nequeunt. ex his tamen quæ diximus, manifeſtum eſt feminis jus trium, quatuorve liberorum habentibus multa quocunque tempore privilegia fuiſſe, quæ omnia Claudius naves fabricantibus competere voluit. De præmiis vero hujuſmodi negotiatorum, ac naves annonæ cauſa habentium pulchre Scævola, & Calliſtratus, l. III. De vacatione & excuſ. munerum, & l. V. De jure immunitatis. Qua in re (ut hoc obiter addam) notandum eſt quod addidit Scævola, ſenatores eam ob naves vacationem non habuiſſe, quoniam ne habere quidem navem ex lege Julia repetundarum illis liceret. nam etiam ante leges Julias ſenatori ædificare navem non licebat, ſed veteres leges pæne mortuas novæ revocarunt. Cicero Verr. V. *Noli metuere, Hortenſi, ne quæram qui licuerit ædificare navem ſenatori. Antiquæ ſunt iſtæ leges, & mortuæ (quemadmodum tu ſoles dicere) quæ vetant.* Lata autem lex illa de nave Senatoria a Q. Claudio, trib. pl. Ti. Sempronio, P. Cornelio coss. A. U. C. DXXXV. Livius lib. XXI. quem vide. Lego etiam, *hodieque ſervantur* pro *hodie ſerv.*

CASAUBON.

19. *Pro conditione cujuſque, civibus.*] Corrupiſſe hunc locum fœdiſſime, qui Suetonium in capita diſtinxerunt, recte Torrentius monuit: nam ad navium fabricatores, de quibus ante dictum, hæ Claudii conſtitutiones ſunt referendæ: leget, qui me audiet, quæ ſuper his eruditiſſime obſervata ſunt a clariſſimo ampliſſimoque viro Petro Fabro Semeſtrium libro I. capite XXV. Totum autem locum ſic ſcribe: *& naves mercaturæ cauſſa fabricantibus, magna commoda conſtituit pro conditione cujuſque: civibus, vacationem legis Papiæ Poppeæ.* ita ſcriptum paullo minus in cod. Viterb. tantum illud *civibus* e libro Cujacii eſt: nam in Viterb. eſt *civis*. poſſis & *civi* ſcribere, & mox *Latino jus Quiritium*, ſic habet Liſlæi cod. & Memmii.

20. *Opera magna potius quam neceſſaria, quam multa perfecit.*] Hæc ſcriptura cod. Viterb. Memmii, & Pithœi aliorumque. *quam multa* æque Latinum ac *quam plurima*. Itaque cenſentibus tollendum τὸ *quam* ante *multa* non aſſentior, etſi in quibuſdam codd. ut Liſlæi, non exſtat. Vetus Politiani, *perquam multa fecit.* eleganter.

VARIOR.

20. *Aquæ ductum.*] V. C. Salmaſ. *ductum aquarum.*

TOR-

a Cajo inchoatum: item emiſſarium Fucini lacus, portumque Oſtienſem: quamquam ſciret ex his alterum ab Auguſto precantibus aſſidue Marſis negatum, alterum a D. Julio ſæpius deſtinatum, ac propter difficultatem omiſſum: Claudiæ aquæ gelidos & uberes fontes, quorum alteri Cæruleo, alteri Curtio & Albudino nomen eſt: ſimulque rivum Anienis novi lapideo opere in urbem perduxit, diviſitque in plurimos & ornatiſſimos lacus. Fucinum aggreſſus eſt, non minus compendii ſpe quam gloriæ, cum quidam privato ſumtu emiſſuros ſe repromitterent, ſi ſibi ſiccati agri concederentur. Per tria autem paſſuum milia, partim effoſſo monte, partim exciſo, canalem abſolvit ægre & poſt undecim annos, quamvis continuis triginta hominum milibus ſine intermiſſione operantibus. Portum Oſtiæ exſtruxit, circumducto dextra ſiniſtraque brachio, & ad introitum profundo jam ſalo mole objecta, quam quo ſtabilius fundaret, navem ante demerſit, qua magnus obeliſcus ex Ægypto fuerat advectus, congeſtiſque pilis ſuperpoſuit altiſſimam turrim in exemplum Alexandrini Phari, ut ad nocturnos ignes

21 curſum navigia dirigerent. Congiaria populo ſæpius deſtribuit. Spectacula quoque complura magnificaque edidit, non uſitata modo, ac ſolitis locis, ſed & commentitia, & ex antiquitate repetita, & ubi præterea nemo ante eum. Ludos dedicationis Pompejani

Torrent.

20. *A Cajo inchoatum.*] Sup. Calig. cap. xxi.

A. D. Julio.] *A Divo* ſcribi mallem. Julium vero de Fucino emittendo cogitaſſe etiam Sueton. refert Cæſ. cap. xliv. de portu Oſtienſi non meminit. Sed & Hadrianus (ſi Spartiano credimus) Fucinum emiſit. Quod ſi verum eſt, ſequitur Claudium inanes (quod etiam teſtatur Dion) hanc in rem feciſſe ſumptus. Qui plura velit, Tacitum videat.

Curtio & Albudino.] Fontem Curtium binominem fuiſſe arbitror, ut etiam Albudinus vocaretur. Plin. enim lib. xxxvi. cap. xv. duos tantum, Curtium & Cæruleum, commemorat, ſicut & hæc Inſcriptio: Imp. cæsar vespasianus. pont. max. trib. pot. ii. imp. iii. desig. iv. p. p. aquas curtium et cæruleum perductas a divo claudio et postea intermissas dilapsasque per annos novem sua pecunia urbi restitvit. Albudini tamen fontis meminit Frontinus quoque.

Anienis novi lapideo opere.] Libri omnes noſtri *novo lapideo opere.* Quod vero Turneb. de Aniene novo, ac vetere ſcribit, nihil ad rem præſentem.

Navem, qua mag. obeliſcus.] Plin. lib. xxvi. cap. xl. & lib. xxxvi. cap. ix.

Congiaria pop. ſæp. diſtr.] Hæc melius annectentur capiti ſequenti.

Casaubon.

Item emiſſarium Fucini lacus.] Negat perfeciſſe Dio: fruſtra enim ſumptus maximos in eam rem eſſe factos. De hoc opere, & de portu Oſtiæ facto conſule Plinium libro xxxvi. cap. xv.

Curtio & Albudino.] Viterb. Memmii, Pithoei & Liſlæi, *Albudigno.* vide Frontinum de Aquæduct.

Rivum Anienis novi lapideo opere.] Peccat vir doctus qui lectionem probat, quam & nos reperimus in cod. Viterb. *novo lapideo op.* nam paſſim apud veteres Claudia aqua & Anio novus conjunguntur. Dicitur & Anio nova, ut in ſequenti Inſcriptione: ti. claudius. drusi. f. augustus. germanicus. pontif. maxim. tribunicia. potestate. xii. cos. v. imperator. xxvii. pater. patriæ. aquas. claudiam. ex. fontibus. qui. vocabantur. cæruleus. et. curtius. a. milliario. xxxxv. item. anienem. novam. a. milliario. lxii. sua. impensa. in. urbem. perducendas. curavit.

Ad introitum profundo jam ſolo.] An potius *ſalo*: nam portum ἀγχιβαθῆ intelligit, cui proprium eſt profundum ſalum.

Varior.

Albudino.] Codex etiam Salmaſii & tres Palatini, *Albudigno.*

Ani n:s novi.] Sic legendum. Erat enim Anio novus & vetus. Turneb. Adverſ. xxii. 32.

Quo ſtabilius fundaret.] Scribit Plinius, ex Puteolano pulvere exædificatas fuiſſe a Claudio turres Oſtienſis portus. De hoc pulvere Vitruvius: *Eſt genus pulveris admirandum, naſcitur in regionibus Bajanis, quod commiſtum cum calce & cæmento, non modo cæteris ædificiis præſtat firmitates, ſed etiam moles conſtructæ in mari ſub aqua ſolideſcunt.* Sidonius Panegyrico:

Namque Dicarcheæ tranſlatus pulvis arenæ
Intratis ſolidatur aquis.

Beroald.

Tor-

jani theatri, quod ambuſtum reſtituerat, e tribunali poſito in orcheſtra commiſit, cum prius apud ſuperiores ædes ſupplicaſſet, perque mediam caveam ſedentibus ac ſilentibus cunctis, deſcendiſſet. Fecit & ſæculares, quaſi anticipatos ab Auguſto, nec legitimo tempori

Torrent.

21. *Quod ambuſtum.*] Sub Tiberio incenſum fuiſſe auctor Euſeb. Chronicis. Atque illud quidem partim Tiberius ipſe, partim Cajus jam ante reſtituerant, ſup. Tib. cap. XLVII. & Calig. cap. XXI. ſed iterum incenſum fuiſſe, & a Claudio reſtitutum indicat hoc loco Sueton.

Tribunali poſito in orcheſtra.] Duo codd. *tribunali in orcheſtra*, ſine *poſito*.

Apud ſuperiores ædes.] Templa neſcio quæ ſupra theatrum fabricat Beroaldus. Ego *ſedes* quam *ædes* malim, ut cum ſuperiore theatri parte ſupplicaſſet, non inde tamen, ſed e tribunali in orcheſtra ludos commiſerit. Similis locus Cæſ. cap. XXXIX. Vide quæ notavi Aug. cap. XLIV.

Nec legitimo tempori reſerv.] Lego, ut in duobus optimis exemplaribus, *modo*, pro *nec*, *leg. t. r.* ut anticipatos ab Auguſto ipſe legitimo tempore ediderit, A. U. DCCC. uti poſtea Philippus Cæſar A. U. M. De Sæcularibus autem Claudii, præter Tacitum & Dionem, Cenſorin. De die natali cap. XIV. Plin. lib. VII. cap. XLVIII. & lib. VIII. cap. XLII.

Casaubon.

21. *Pompejani theatri, quod ambuſtum reſtituerat.*] Dio ſic narrat, quaſi ſcenam incendio abſumptam Tiberius refeciſſet (quod & Vellejus ſcribit) Claudius autem dedicaſſet: Ἀπέδωκε τῷ Πομπηΐῳ τὴν τȣ͂ θεάτρȣ μνήμην· καὶ αὐτῷ καὶ τὸ τȣ͂ Τιβερίȣ ὄνομα ἐν τῇ σκηνῇ προσθεὶς ἔγραψεν, ἐπειδὴ καυθεῖσαν αὐτὴν ἀνῳκοδομήκει· τὸ γὰρ ἑαυτȣ͂ ἐκείνῃ μὲν ȣ̓χ ὅτι κατεσκεύασεν, ἀλλ' ὅτι καὶ καθιέρωσεν αὐτήν· ἄλλῳ δὲ ȣ̓δενὶ ἐνεκόλαψεν. quæ tamen verba non negant, imo affirmant potius, Claudium & refeciſſe eandem ſcenam quam & Tiberium, & dedicaſſe.

Cum prius apud ſuperiores ædes ſupplicaſſet.] Non aliter ſcriptum in omnibus codd. noſtris, neque puto mutandum. *ſuperiores ædes* videtur appellare partem illam theatri, in quam ſoliti conſcendere Imperatores miſſilia ſparſuri. De eo Dio in hiſtoria Titi, σφαίρια ξύλινα μικρὰ ἄνωθεν ἐς τὸ θέατρον ἐῤῥίπτει. id eſt, *ligneos globulos parvos* (teſſeras intelligit) *de ſuperiore loco in theatrum jaciebat.* Similiter e baſilica, ſive regia quæ foro imminebat, populo miſſilia jaciebant. Joſephus Originum lib. XIX. cap. I. loquens de conjuratis in Cajum, occaſionem captantibus tollendi ejus, καὶ ὑπὲρ τῆς βασιλικῆς ἱςάμενον, καὶ δήμῳ χρυσίȣ καὶ ἀργυρίȣ χρήματα διαῤῥιπτȣ͂ντα ὤσαι κατὰ κεφαλῆς παρῆν· ὑψηλὸν δέ ἐςι τὸ ςέγος εἰς τὴν ἀγορὰν φέρον. Illum theatri locum eruditi quidam viri putant κορυφὴν appellari Dioni lib. XLIX. in munificentia Agrippæ ædilis deſcribenda: σύμβολα τέ τινα ἐς τὸ θέατρον κατὰ κορυφὴν ἔῤῥιψε· τῷ μὲν (ita recte ſcriptum, non ut iidem emendant, τὸ μὲν) ἀργύριον, τῷ δὲ ἐσθῆτα, τῷ δὲ, ἄλλο τε φέροντα. ſed falluntur, qui ita ſentiunt. nam κατὰ κορυφὴν ῥίπτειν eſt de ſuperiore loco in caput inferiorum jacere. Sic apud Polybium lib. VIII. ταῖς τῶν κατὰ κορυφὴν λίθων καὶ δοκῶν ἐμβολαῖς διαφθείρεσθαι. Cæterum quod Suetonius ait, ſupplicaſſe Claudium in ſuperioribus ædibus, antequam ſpectatum in inferiora deſcenderet, refero eo quod narrat Dio, Claudium iis ludis triumphali veſte initio tantum eſſe uſum (nempe dum rem divinam faceret) ludis vero in prætexta veſte præfuiſſe. verba Dionis ita ſcribe: ȣ̓ μὲν ȣ̓δὲ τῇ ςολῇ τῇ ἐπινικίῳ παρὰ πᾶσαν τὴν πανήγυριν, καί τοι ψηφισθὲν, ἐχρήσατο, ἀλλ' εὐθὺς ἐν ἀρχῇ (perperam libb. editi, ἐν αὐτῇ) μόνον, τὰ δὲ ἄλλα ἐν τῷ περιπορφύρῳ ἱματίῳ διῴκησεν. Hæc nos olim ad hunc locum. Nunc vero placet magis Lipſii interpretatio: qui Veneris ædem Pompejano theatro adjunctam putat intelligi. Tertullianus in libro de Spectaculis: *Pompejus Magnus ſolo ſuo theatro minor, cum illam arcem omnium turpitudinum exſtruxiſſet, veritus quandoque memoriæ ſuæ cenſorum animadverſionem, Veneris ædem ſuperpoſuit.*

Varior.

21. *Cum prius apud ſuperiores ædes ſupplicaſſet.*] Proſtibula per ludos publicos in ſcenam introduci ſolent, & exponi omnium non libidini ſolum, ſed licentiæ. Non ergo mirum, ſi Theatrum, laſciviæ illa ſedes, Veneri olim ſacrum. Tertullianus: *Et Pompejus Magnus theatro ſuo ſolo minor, cum illam arcem omnium turpitudinum exſtruxiſſet, veritus quandoque memoriæ ſuæ cenſoriam animadverſionem, Veneris ædem ſuperpoſuit: & ad dedicationem edicto populum vocans, non theatrum, ſed Veneris templum nuncupavit, Cui ſubjecimus, inquit, gradus ſpectaculorum.* Ex hoc loco clara lux Suetonio. Intelligit enim ſupplicaſſe Claudium apud templum Veneris ſuperpoſitum theatro: ideo recte, *ſuperiores ædes.* Et quia gradus ſpectaculorum, id eſt, cavea & orcheſtra, ſubjecta ædi: bene addit, deſcendiſſe eum inde per mediam caveam ad orcheſtram. Interpretibus ante me hic caligo. Si quid mutandum, legerim ipſe, *apud ſuperiorem ædem.* At de ſententia, quam dixi, non muto. Lipsius.

Cum prius apud ſuperiores ædes ſupplicaſſet.] Et *ſedes* & miſſilium ſpargendorum locum facile aſpernere. De Veneris æde conſtat. Numquid igitur *ſuperiorem*

tempori reſervatos: quamvis ipſe in hiſtoriis ſuis prodat, *intermiſſos eos Auguſtum multo poſt, diligentiſſime annorum ratione ſubducta, in ordinem redegiſſe.* Quare vox præconis irriſa eſt, invitantis more ſolenni ad ludos, *quos nec ſpectaſſet quiſquam, nec ſpectaturus eſſet:* cum ſupereſſent adhuc qui ſpectaverant, & quidam hiſtrionum producti olim, tunc quoque producerentur. Circenſes frequenter etiam in Vaticano commiſit, nonnumquam interjecta per quinos miſſus venatione. Circo vero maximo marmoreis carceribus, auratiſque metis, quæ utraque & tophina ac lignea antea fuerant, exculto, propria ſenatoribus conſtituit loca, promiſcue ſpectare ſolitis. Ac ſuper quadrigarum certamina, Trojæ luſum exhibuit, & Africanas conficiente turma equitum prætorianorum, ducibus tribunis, ipſoque præfecto: præterea Theſſalos equites, qui feros tauros per ſpatia circi agunt, inſiliuntque defeſſos, & ad terram cornibus detrahunt.

periorem ædem, ut voluit Lipſius? Immo maneat *ædes:* nam & Victoriæ ibi ædem invenio. Tiro Tullius apud Gellium lib. I. cap. I. *Quum Pompejus ædem Victoriæ dedicaturus foret, cujus gradus vicem theatri eſſent.* GRONOVIUS.

TORRENT.

Quidam hiſtrionum.] Id de Stephanione teſtatur Plinius. Anni autem ab Auguſti Sæcularibus ad eos, quos fecit Claudius, LXIII. fuere.

Promiſcue ſpect. ſol.] Vide quæ notamus Ner. cap. XI.

Conficiente turma equitum.] *Conficere* verbum arenæ proprium. Unde *confectores ferarum* Aug. cap. XLIII.

CASAUBON.

Propria ſenatoribus conſtituit loca promiſcue ſpectare ſolitis.] Prorſus interpretamenti eget vox illa *promiſcue*, quod non aliunde mutuari debemus, quam ex comparatione verborum Dionis, hac ipſa de re agentis: Ἐν δὲ τῷ ἱπποδρόμῳ, ἑώρων μὲν που πρότερον ἰδίᾳ, καὶ κατὰ σφᾶς ὡς ἕκαστοι, τό τε βουλευτικὸν καὶ τὸ ἱππευτικὸν καὶ ὁ ὅμιλος ἀφ᾽ οὗπερ τοῦτο ἐνομίσθη, οὐ μέντοι καὶ τεταγμένα σφίσι χωρία ἀπεδέδεικτο· ἀλλὰ τότε ὁ Κλαύδιος τήν τε ἕδραν τὴν νῦν οὖσαν τοῖς βουλευταῖς ἀπέκρινε, καὶ προσέτι τοῖς ἐθέλουσι σφῶν ἑτέρωθί που καὶ ἔν γε ἰδιωτικῇ ἐσθῆτι θεάσασθαι, ἐπέτρεψεν. Id eſt, *Spectabant quidem jam ante in circo ſeparatim & per ſe ſinguli ordines, ſenatorum, equitum, & plebis, ex quo primum id inſtitutum fuit: non tamen certi loci ſingulis ordinibus aſſignati fuerunt. At tunc ſecrevit Claudius ſenatoribus eas ſedes, quas nunc quoque obtinent; fecitque ipſis poteſtatem, ſi vellent, alio quocumque loco in vulgari veſte ſpectandi.* Hic eſt ſenſus Dionis, cujus verba male accepiſſe videtur erudititiſſimus vir, qui de hac re tota cum cura diſputat ad caput XII. libri ſequentis.

VARIOR.

Per quinos miſſus.] Singulis miſſibus quatuor mittebantur quadrigæ, quæ ſeptem ſpatiis circum metas evolutis, quæ prior metam in ſeptimo curriculo circumflexiſſet, ea palmam adipiſcebatur. Hujuſmodi miſſus una die viginti quatuor exhiberi legitimum ac ſolenne fuit, quibus nonaginta ſex quadrigæ currebant. olim vigeſimus quintus miſſus addebatur, qui & *ærarius* vocatur, quia de collatione populi exhibebatur. Viginti quinque miſſus centum curribus conſtabant, quia ſinguli quatuor. SALMASIUS.

Marmoreis carceribus.] Sidonius Apollinaris:

Hæc eſt janua conſulumque ſedes,
Ambit quam paries utrimque ſenis
Cryptis porticibuſque fornicatus.

Oſtium Auſonii quod ad medium Circi ſpatium patet, idem prorſus eſt cum hac janua & conſulum ſede Sidonii, quæ utrimque ſenos *carceres* fornicatos habebat. ea ſunt oſtia Circi, ἱππαφέσεις ψαλιδωταί. Sola ſex oſtia, quæ a latere dextro illius mediæ januæ erant, neceſſaria mittendis quadrigis fuere, quia a dextra ad ſiniſtram curricula ſua peragebant. An igitur ad ornatum atque ut æqualis eſſet architecturæ facies, totidem oſtia in alio latere facta, quæ ut ipſa eodem machinarum artificio, eodemque tempore pandebantur, quamvis nulli inde currus emitterentur? Ex illis porro ſenis oſtiis, quæ ad dextram fuere primarum metarum, ſola quatuor prima quadrigas emittebant quatuor certaturas, ſingula ſingulas. Quod ab eo tempore obtinuit, quo in quatuor colores & greges tota Circi factio diviſa eſt. SALMASIUS.

Tophina.] Ex topho lapide. Vulgaris lapis, & imprimis circa urbem. Juvenal.

--- *ingenitum violarent marmora tophum.*

Papinius in IV. Sylvar.

Cocto pulvere, ſordidoque topho.

SABELLICUS.

Qui feros tauros per ſpatia Circi agant.] In altera parte vetuſti denarii Julii Cæſaris caput impreſſum eſt: in altera taurus concitatus ac furens, quo id ſpectaculi genus indicatur, cum his litteris, L. LIVINEIUS: qui fortaſſis iis ludis præfuit. F. URSINUS. *Theſſalorum gentis inventum eſt, equo juxta quadrupedante cornu intorta cervice tauros necare. Primus id ſpectaculum dedit Romæ Cæſar dictator.*

Mmm Plinius

hunt. Gladiatoria munera plurifariam ac multiplicia exhibuit. Anniverſarium in caſtris prætorianis, ſine venatione apparatuque, juſtum atque legitimum in Septis, ibidem extraordinarium & breve, dierumque paucorum, quodque appellare cœpit *Sportulam:* quia primum daturus edixerat, *velut ad ſubitam condictamque cœnulam invitare ſe populum.* Nec ullo ſpectaculi genere communior aut remiſſior erat, adeo ut oblatos victoribus aureos prolata ſiniſtra pariter cum vulgo, voce digitiſque numeraret: ac ſæpe hortando rogandoque ad hilaritatem homines provocaret, *dominos* identidem appellans, immiſtis interdum frigidis & accerſitis jocis: Qualis eſt, ut cum Palumbum poſtulantibus,

Plinius. Verba hæc Plinii abſque dubio mendoſa ſunt. nam quid eſt, *cornu intorta cervice tauros necare?* nos ſcimus moris fuiſſe Theſſalis illis equitibus in hac taurorum venatione, ne tauris adequitantes, injecto in cornua vinculo, eos cernuare, & humi procumbere magna vi cogerent. Legendum igitur apud Plinium: *cornu intorto reſtibus*, vel, *retibus.* *πλέγμα* & *ἅμμα* dixit in eadem re Philippus, qui hanc taurorum venationem Theſſalis familiarem ita deſcribit hoc epigrammate:

Θεσσαλίης εὔιππος ὁ ταυρελάτης χορὸς ἀνδρῶν
Χερσὶν ἀτευχήτοις θηρσὶν ὁπαζόμενος
Δενδροτοπεῖ πώλους ζεύγει σκιρτήματι ταύρων,
Ἀμφιβαλεῖν σπεύδων πλέγμα μετωπίδιον.
Ἀκρότατον δ' ἐς γῆν κλίνας ἅμα κ' εὔροπον ἅμμα
Θηρὸς τὴν τόσσην ἐξεκύλισσε βίαν.

Artemidorus quoque oſtendit, in Theſſalia, qui generoſiſſimi eſſent & nobiliſſimi, taurorum venationi operam dediſſe. SALMASIUS. V. C. Salmaſ. *ferotauros.*

TORRENT.

Plurifariam.] Pro, pluribus locis. Calig. cap. LIV.

Anniverſarium in caſtris præt.] In memoriam recepti illic Imperii.

Primum daturum ſe dixerat.] Sic libri omnes, quos ego viderim, Frobenii editione excepta, quæ ſic habet, *quia primum daturus edixerat velut*, &c. & recte.

Ad ſubitam condictamque cœnulam.] *Condicere* apud JCtos eſt denunciare. Hinc *condicere cœnam*, cum quis alteri denunciat ſe cum eo cœnaturum. Ut convivæ, non convivatoris ſit. Tib. cap. XLII. *cœnam ea lege condixit.* Cic. lib. I. Famil. epiſt. IX. abſolute dixit, *cum mihi condixiſſet, cœnavit apud me.* Plautus Sticho, *condicere ad cœnam.* *Condicta* igitur *cœnula* hic pro ſubita ac ſine apparatu, qualis amicis qui ſeipſos invitant, apponitur. Quam non illepide *ſportulam* vocabat Claudius.

Communior aut remiſſior.] *Communem* vocat, qui effuſa quadam civilitate omnibus obvius atque expoſitus ſit.

Oblatos victoribus aureos.] Huc refer illum Juvenalis verſum e Sat. VII.

Accipe victori populus quod poſtulat aurum.

Voce digitiſque numeraret.] De computandi per digitos ratione Beda libellum ſcripſit. Quod admonitum volui, ne quis hic erret cum Sabellico in re notiſſima.

Dominos.] Aug. cap. LII.

Palumbum.] Sic Columbus quoque gladiatoris nomen Calig. LV.

CASAUBON.

Nec ullo ſpectaculi genere communior aut remiſſior erat.] Hoc eſt, *μᾶλλον κοινὸς καὶ ἐπιεικὴς ἦν*, ut de eodem Claudio loquitur Dio. magis tamen explicat hunc locum, quod paullo poſt de eodem Principe ſcribit *συγγραφεὺς* ille diligentiſſimus, *σφίσι κοινῶς τε τῇ θέᾳ συνῆν, καὶ παρεῖχεν ὅσα ἐβούλοντο.* Quorum locorum comparatione confirmatur vulgata lectio hujus loci, quæ in omnibus quoque ſcriptis exſtat, *communior*, non *comior*: ut videri queat, atque adeo viſum quibuſdam legendum eſſe; ſicut in Veſpaſiano cap. XXII. *& ſuper cœnam autem & ſemper alias comiſſimus multa joco tranſigebat.* Verum ibi quoque Viterb. cod. præfert *communiſſimus.* Servius, COMMUNEMQUE VOCATE DEUM. *humanum, beneficum, φιλάνθρωπον. unde & communes homines dicimus.*

Adeo ut oblatos victoribus aureos.] Moris fuit victoribus aurigis aurum poſtulare: quod poſtea etiam equis victoribus cœptum poſtulari. Capitolinus in Vero Imperatore: *Volucri equo praſino mortuo ſepulcrum in Vaticano fecit. In hujus equi gratiam primum cœperunt equis* (ita omnino legendum, non *equi*) *aurei vel bravia poſtulari. In tanto autem equus ille honore fuit, ut ei & a populo praſinianorum ſæpe modius aureorum poſtularetur.*

Prolata ſiniſtra.] Alii libb. *ſiniſtraque*, forte, *ſiniſtra quoque:* ut in eo ſit Claudii *ἀσχημοσύνη*, quod non ſolum dextram extra togam proferret, ſed etiam ſiniſtram.

Accerſitis jocis.] Id eſt, frigidis, longe petitis, *ἀνοικείοις, οὐκ ἐπιτετευγμένοις.* Memmii & Pithœi codd. *arceſſitis.*

Qualis eſt, ut cum Pal.] Sic Viterb. & Pithœi: magis tamen vulgata placet, ſine *ut*, vel ut in aliis libris, *qualis eſt hic, c.*

VARIOR.

Gladiatoria munera plurifariam ac multiplicia exhibuit.] V. C. Salmaſ. *plurifaria.*

Palumbum poſtulantibus.] Jocus eſt in nomine

Nam.

tibus, *daturum* ſe promiſit, *ſi captus eſſet.* Illud quoque plane quantumvis ſalubriter & in tempore, cum eſſedario, pro quo quatuor filii deprecabantur, magno omnium favore indulſiſſet rudem, tabulam illico miſit, admonens populum, *quantopere liberos ſuſcipere deberet, quos videret & gladiatori præſidio gratiæque eſſe.* Edidit & in Martio campo expugnationem direptionemque oppidi ad imaginem bellicam, & deditionem Britanniæ regum, præſeditque paludatus. Quin & emiſſurus Fucinum lacum, naumachiam ante commiſit. Sed cum proclamantibus naumachiariis, *Ave Imperator, morituri te ſalutant*, reſpondiſſet, *Avete vos:* neque poſt hanc vocem, quaſi venia data, quiſquam dimicare vellet, diu cunctatus, an omnes igni ferroque abſumeret, tandem e ſede ſua proſiluit: ac per ambitum lacus, non ſine fœda vacillatione, diſcurrens, partim minando, partim adhortando ad pugnam compulit. Hoc ſpectaculo claſſis Sicula & Rhodia concurrerunt, duodenarum triremium ſingulæ, exciente buccina Tritone argenteo, qui e medio lacu

Nam palumbus nomen eſt avis notiſſimæ: & eodem nomine gladiator famoſus nuncupabatur. Populus Romanus petebat exhiberi gladiatorem nomine Palumbum: Claudius alludens ad nomen alitis, *Dabo,* inquit, *ſi captus fuerit.* BEROALDUS.

TORRENT.

Eſſedario.] Sunt qui *retiario* legendum cenſeant, ſed male. inter gladiatores enim fuiſſe qui *eſſedarii* vocabantur, alter Suetonii locus oſtendit. Calig. cap. XXXV. *Eſſedum* quidem Belgarum inventum fuit, ex quo Galli, ac Britanni pugnare ſoliti. Unde etiam *eſſedarii* tam apud Cæſarem lib. V. De bello Gall. quam apud Ciceronem epiſtolis ad Trebatium. Qui igitur apud Romanos horum exemplo inter gladiatores depugnabant, *eſſedarii* & ipſi vocabantur.

Tabulam illico miſit.] Sunt qui *fabulam* legant. inepte. Alii tabulam pictam intelligunt. Quaſi vero illa Claudii monitio pictura exprimi potuerit. Dionem igitur audiamus. is enim de Claudio, *Quoniam* (inquit) *in ſpectaculis populo benigne aderat, & quæ vellent, præbebat, nec præconibus utebatur, ſed pleraque omnia inſcripta tabulis divulgabat.* εἰς σανίδας γράφων. Sic nimirum etiam libellis utebantur. Vide Aug. cap. XLII.

Ad imaginem bellicam.] *Belli ſimulacra* vocat Lucret. lib. II. Sed & Livius lib. XXIX. *claſſem in portu ſimulacrum edentem navalis pugnæ*, &c.

Naumachiam ante commiſit.] In lacu ipſo Fucino. Tacit. lib. XII.

Duodenarum triremium.] Dioni ſcriptum diſerte *quinquaginta* utrimque naves depugnaſſe, idemque Xiphilino traditum. Liberem erroris ſcripturam? Non ego. nam ecce citra mendi ſuſpicionem Tacit. undeviginti hominum millia armaſſe Claudium refert. An cenſemus ſcilicet centenarum triremium claſſem non plus Corneliana ſumma cepiſſe? Nugæ, &, ſi nautas conſulimus, ſatis ſingulæ quingenis capitibus, quod notari mihi volo ad ſequentia. Enimvero hæc ipſa Corneliana hominum multitudo ut in triremes utrimque duodenas ſit impoſita, quod dictum auctori noſtro, non a me impetro, ut vel veriſimile videatur. Igitur (quod unum reliquum eſt) Tacitum ad Suetonii partes traxerim, & capiendo illi numero triremes duodevicenas hinc inde fabricer, id eſt, quæ utrimvis duodevigeſies quingena capita, ſeu novem hominum millia conduxerint. Non eſt ergo quod vir doctus audiatur, qui & *quinquagenum* hic reſcripſit. immani quanto diſcrimine, & in Tacito explet centenas. Supra *igni ferroque* neſcio quid ita mendoſum eidem viſum, pro *vi ferroque.* Ego nihil temere immutem.

CASAUBON.

Præſeditque paludatus.] Liſlæi cod. *paludamentatus.* Memmii *paludatus.*

Ave Imperator, morituri te ſalutant.] Dio legit, *ſalutamus:* χαῖρε αὐτοκράτορ, οἱ ἀπολούμενοι σὲ ἀσπαζόμεθα.

An omnes igni ferroque abſumeret.] Sic omnes membranæ, etiam Memmianæ; non ut viro docto placidum emendare, *vi ferroque.*

Duodenarum triremium ſingulæ.] Numerus eſt aperte corruptus: Dio, Οἱ δὲ ναυμαχήσαντες θανάτῳ δὴ καταδεδικασμένοι ἦσαν, καὶ πεντήκοντα ναῦς ἑκάτεροι εἶχον, οἱ μὲν Ῥόδιοι, οἱ δὲ Σικελοὶ ὀνομασθέντες. ita fuerit legendum *quinquagenarum.* Firmat Taciti narratio.

Exciente buccina Tritone argenteo, qui e medio lacu per machinam emerſerat. Duplex hic artificium: quod repente e medio lacu excitatur Triton: & quod prodit iſte non mutus, ſed canorus, ac buccina ſonans. Illud per machinam factum adnotat Suetonius: hoc vero rationibus artis hidraulicæ organarii effecerunt, quos ſcimus aquæ vi & impulſu omnis generis voces atque organa ſuaviſſima imitatione exprimere, ſicut ex Herone novimus & Vitruvio. Atque hoc ſpectaculum tranſtulit Claudius in naumachiam ſuam e theatris. Nam ibi ſoliti produci Tritones buccina mugientes. Cornelius Severus in Ætna:

lacu per machinam emerſerat. Quædam circa cærimonias, civilemque & militarem morem, 22
item circa omnium ordinum ſtatum, domi foriſque, aut correxit, aut exoleta revocavit, aut etiam nova inſtituit. In cooptandis per collegia ſacerdotibus neminem niſi juratus nominavit; obſervavitque ſedulo, ut quoties terra in urbe moviſſet, ferias advocata concione prætor indiceret: utque dira avi in urbe aut in Capitolio viſa, obſecratio haberetur, eamque ipſe jure Max. Pont. commonito pro Roſtris populo præiret, ſubmotaque operarum ſervorumque turba. Rerum actum diviſum antea in hibernos æſti- 23
voſque

Nam veluti reſonante diu Tritone canoro,
Pellit opus collectus aquæ, victuſque movere,
Spiritus, & longas emugit buccina voces,
Carmineque irriguo magni cortina theatri
Imparibus numeroſa modis canit arte regentis,
Quæ tenuem impellens animam ſubremigat undam.

Non igitur neceſſe eſt, quod olim ſuſpicati ſumus, legere, *exciente buccina Tritone argentea.* quaſi fuerit hic Triton homo Tritonis ornamenta geſtans: cujus σκευὴν docet nos luculenter Nonnus Dionyſiacorum lib. XXXVI.

Τρίτων δ' εὐρυγένειος ἐβόμβεεν ἠθάδι κόχλῳ,
'Ανδροφυὴς ἀτέλεστος ἀπ' ἰξύος ἔγχλοος ἰχθύς.

VARIOR.

Quantopere.] Codex Salmaſ. *quanto opere.* ut ſuperius, *tanto opere.*

Avete vos.] Codex Salmaſ. *aut non:* ſubintellige, *morituri.* quaſi dubium foret, an omnes iſto prælio eſſent conſumendi. Id aliter a naumachiariis acceptum. Atque adeo hæc lectio magis, quam vulgata, cauſſam hallucinationis oſtendit. SCHILDIUS.

TORRENT.

22. *Civilemq. & militarem morem.*] Dictio *morem* abeſt a duob. libris, nec male. ſequitur enim *ſtatum.*

Terra in urbe moviſſet.] Vide Gellium lib. II. cap. XXVIII. & lib. IV. cap. VI.

Ferias advoc. conc. prætor indic.] De hac quoque re Gellius lib. X. cap. XXIV. & Macrob. lib. I. Saturn. cap. IV. & XVI. Obiter interim admonendus lector, prætorem urbanum, aut etiam conſules pro arbitrio poteſtatis ferias indicere ſolitos, eas maxime quas imperativas vocat Macrobius, idque ut a forenſibus negotiis vacandum eſſe populus intelligeret. Sacrorum vero peragendorum gratia a Rege ſacrificulo indicebantur. Auctor Varro de Lingua Latina lib. V. Quin etiam Dictatorem feriarum conſtituendarum cauſa dictum aliquando fuiſſe auctor eſt Livius lib. VII.

Ob dira aut in urbe aut in Cap. viſa.] Lib. unus *dira aut in Capitolio viſa*, alter *utque dira avi in Capit. viſa* quam lectionem Turnebus ſequitur Adverſar. XXII. cap. XXXI. Gifanii liber, ut audio, *utque dira avi in Urbe, aut in Cap.* Verum cum in urbe, & quidem ſummo loco, Capitolium fuerit, Turnebum ſequor. *Diram* vero *avem* incendiariam intelligo, de qua Plin. lib. X. cap. XIII. Sed & ob bubonem, quod Capitolii cellam ipſam intraſſet, luſtratam fuiſſe urbem, refert Plin. lib. X. cap. XII. Lamprid. Commodo, *Ante lucem fuerant etiam incendiariæ aves ac diræ.* Vide quæ notavi in Horat. lib. III. Od. I.

Jure Max. Pont.] Melius MSS. *jure Pont. Max.* Valer. Max. lib. I. cap. I. Plin. lib. XXVIII. cap. II.

Submotaque operariorum.] Lib. unus, *præiret, ſummota operarum ſervorumque turba. Rerum*, &c. Et placet quidem exſtingui *que*, ſed *operariorum* retineo. Atque ita Plin. lib. VIII. cap. VI.

23. *Rerum actum.*] Melius, ni fallor, hæc ſequenti cap. adjungentur, ut Frobenii habet editio.

Diviſum antea.] Obſervatum fuiſſe videtur ante Claudium, ut alia æſtivis, alia hibernis menſibus agerentur. Ipſe inſtituit, ut prout res inciderent, promiſcue & indifferenter tractarentur. Atque huc fortaſſis ſpectat beneficium Claudii, de quo Galb. cap. XIV. ne judices hieme, initioque anni ad judicandum evocarentur. Spectat & alter Suetonii locus Aug. cap. XXXII.

VARIOR.

22. *Submotaque operariorum.*] Nihil contatus reſcribe, *populo præivit, ſubmota operarum ſervorumque turba:* ex uno libro Torrentii, cui placet quidem exſtingui τὸ *que*, ſed *operariorum*, inquit, retineo. Quæ eum ſibi ἔνστομα κεῖσθαι jubere ſuus poterat Horatius lib. 2. Sat. 7.

- - - ocius hinc te
Ni rapis, accedes opera agro nona Sabino.

ſuus Tranquillus Veſp. I. *mancipem operarum, quæ e Umbria in Sabinos ad culturam agrorum quotannis commeare ſolerent.* Petronius: *mercedibus emptæ ac viles operæ.* Ad quem locum vide, ſi tanti eſt, quæ diſputavimus 3. Obſervationum. GRONOVIUS.

Submotaque operariorum ſervorumque turba.] Auctor eſt Halicarnaſſeus libro II. Antiquit. opificum multitudinem vili in pretio apud veteres Romanos fuiſſe, qui artes cellularias & ignavas a peregrinis ac ſervis excoli malebant, quam ut natos in bella animos iis exercendis hebetarent. Idem lib. VI. ubi de ſeptimo luſtro diſſerit, aliquot poſt regifugium annis, numerum ſervorum, & ſordidas artes exercen-

voſque menſes conjunxit. Juriſdictionem de fidei commiſſis quotannis, & tantum in urbe delegari magiſtratibus ſolitam in perpetuum, atque etiam per provincias poteſtatibus demandavit. Capiti Papiæ Poppeæ legis, a Tiberio Cæſare, quaſi ſexagenarii generare non poſſent, addito, obrogavit. Sanxit ut pupillis extra ordinem tutores a COSS.

centium, diſertim a civili turba dirimit. Nec abit a Dionyſio Polybius Hiſt x. Nihilo minus creſcente libertate & ἰσομοιρίᾳ Reipublicæ, civium eos loco fuiſſe, id eſt, in tribus receptos, & ad honores ac ſuffragia admiſſos, Romani juris ſcientiſſimis viris eſt probatum. At vero ſub Imperatoribus ad idem rurſus vilipendium decidiſſe videntur, quod ſub regibus olim & ambitioſis patriciis toleraverant, ut ex hoc Suetonii loco intelligere licet. Sane etiam Ariſtoteles in Politicis, ſervire eos ſervitutem quandam, ſed limitatam ait, propterea quod manibus eorum atque opera, non ut mancipiorum ad res omnes, ſed ad unam quandam, utimur: ut haud fruſtra cum ſervis eos compoſuerit Tranquillus. Idem l. III. c. V. τὸ βάναυσον vetuſtis temporibus apud quoſdam fuiſſe δοῦλον, ἢ ξενικὸν, & ſuo etiam ævo pleroſque tales inveniri, teſtatur. Cujus & illa ibidem vox eſt: Ἡ δὲ βελτίστη πόλις οὐ ποιήσει βάναυσον πολίτην. SCHILDIUS.

TORRENT.

Juriſdictionem de fidei commiſſis.] Hac de re Pomponius l. II. de Orig. juris, *Divus* (inquit) *Auguſtus* XVI. *prætores conſtituit, poſt deinde Divus Claudius duos adjecit, qui de fideicommiſſis jus dicerent. Ex quibus unum Divus Titus detraxit.* Multa Juſtinian. Inſtitut. II. tit. XXIII. Sed libet adſcribere Ulpiani verba Inſtitut. tit. XXV. *Fideicommiſſa non per formulam petuntur, ut legata, ſed cognitio eſt Romæ quidem conſulum, aut prætoris qui fideicommiſſarius vocatur, in provinciis vero præſidum provinciarum.* Et merito quidem Claudius fideicommiſſorum, quæ ſola fide niterentur, peculiarem cognitionem extra ordinem eſſe voluit. Vide l. CLXXVIII. de Verborum ſignif.

Capiti Pap. Popp. legis.] Relatum fuiſſe ſub Tiberio de moderanda Papia Poppæa, atque adeo exſolutos tum aliquot ejus legis nodos auctor eſt Tacit. lib. III. Annal. Verum id quod hic refert Sueton. legis acerbitatem auget magis quam imminuit. Et alioqui ſatis aperte ex Juriſconſultis noſtris conſtat, ipſa lege Papia cautum fuiſſe, ne mulier quinquaginta annis minor ſexagenario nuberet, aut vir LX. annis minor quinquagenariam uxorem duceret. Ac proinde legis ipſius interpretatione ſexagenarii generare non poſſunt. Cui capiti Claudius obrogavit edicto, permittens ut etiam ſexagenario quinquagenaria minor nuberet. Verba igitur *a Tiberio Cæſare* ab imperito aliquo adjecta ſunt, qui cum *edito* pro *edicto* ſcriptum reperiſſet, Tiberium auctorem fecit. Quam noſtram conjecturam confirmant verba Senecæ relata a Lactantio lib. I. Divinar. inſtitut. cap. XVI. *Quid ergo eſt, quare apud poetas ſalaciſſimus Jupiter deſierit liberos tollere? Utrum ſexagenarius factus eſt, & illi lex Papia fibulam impoſuit? an impetravit jus trium liberorum?* Scio probatum viro docto *edito*, vel *addito*. Sed non me decet, cur editum aut additum ab Tiberio hoc de ſexagenariis credam. Itaque non decedo de ſententia.

Edito abrogavit.] Sic Pulmannus, Gallicam ſecutus editionem, & Beroaldum, quem verba illa *a Tiberio Cæſare* deceperant. *edicto* enim habent MSS. noſtri omnes, & quidem *obrogavit*, quod huic loco magis convenit. Ulpian. Inſtitut. tit. I. *Lex antrogatur, id eſt, fertur, aut abrogatur, id eſt, poſteriore lege tollitur, aut derogatur, id eſt, pars tollitur, aut ſubrogatur, id eſt, adjicitur aliquid primæ legi, aut obrogatur, id eſt, mutatur aliquid ex prima lege.* Adde l. CI. de Verb. ſignif. & Cic. ad Attic. lib. III. epiſt. XXIII.

Tutores a coss. darentur.] Ante Claudii tempora, ſi pupillus neque ex patris teſtamento, neque ex lege XII. tabularum tutorem accepiſſet, quem vel teſtamentarium appellabant, vel legitimum, illum pro patris arbitrio, hunc agnatum proximum, tunc lege Atilia jus dandi tutoris habebat Romæ prætor cum majore parte tribunorum plebis, in provincia vero præſes lege Julia Titia. Qua de re præter JCtos etiam Livius lib. XXXIX. de Hiſpala liberta, quam poſt patroni mortem, quia in nullius manu erat, tutore a tribunis, & prætore petito, feciſſe ſcribit teſtamentum. Sed & Cicero vocem illam Verris prætoris commemorat, *pupillos, & pupillas certiſſimam eſſe prædam prætoribus.* Claudius igitur, quo tutore indigentibus melius proſpiceretur, curam illam conſulum eſſe voluit. Idque Trajani quoque temporibus obtinuiſſe docet nos Plin. lib. IX. Epiſt. ad Quadratum, ubi tutoris a conſulibus dati meminit. Poſtea vero M. Antoninus, ut diligentius de tutoribus tractaretur, prætorem tutelarem primus inſtituit, a quo loco conſulum tutores poſcerentur. Auctor Julius Capitolinus. Quod igitur ante diximus, de prætore urbano intelligendum eſt.

CASAUBON.

23. *Addito, abrogavit.*] Plane ſcriptum in Memmii, Liſlæi codd. & veteri Rob. Stephani edit. *addito*, non *edito*; aut *edicto*, ut in libb. aliis fere reperitur. In iiſdem *obrogavit* offendimus, non *abrogavit*. Utrumque manifeſto rectum. Jacobus vero Cujacius profundiſſimæ vir eruditionis, auſus hic facinus παρα-

a COSS. darentur, utque hi, quibus a magiſtratibus provinciæ interdicerentur, urbe quoque & Italia ſubmoverentur. Ipſe quoſdam novo exemplo relegavit, ut ultra lapidem tertium vetaret egredi ab urbe. De majore negotio acturus, in curia medius inter conſulum ſellas, tribunitio ſubſellio ſedebat. Commeatus a ſenatu peti ſolitos beneficii ſui fecit. Ornamenta conſularia etiam procuratoribus ducenariis indulſit. Se- 24
nato-

κεκινδυνευμένον, hujuſmodi lectionem ſibi fabricabat: *Capiti Papiæ Poppææ legis, quaſi ſexagenarii generare non poſſent, edicto abrogavit.* Mirari hunc Alexandrum liceat nobis: imitari non lubet. de re ipſa vide Ulpianum tit. de ſolidi capacitate, & recentiores Juriſconſultos.

VARIOR.

23. *Et tantum in urbe delegari magiſtratibus ſolitam.*] Scribendum fortaſſe: *Et tantum in urbe delegari ſolitam magiſtratibus in perpetuum, atque etiam per provincias poteſtatibus demandavit.* GUJET.

TORRENT.

Hi quibus a magiſtratib.] Locum hunc illuſtrat quod a Calliſtrato traditur libris βασιλικῶν, relegatum, ſive interdictum patria ſua a præſide provinciæ etiam Roma, quæ communis ſit patria, abſtinere debere, tametſi id ſententiæ adjectum non fuerit; nec ſolum Roma, ſed & ea civitate, in qua Princeps agit, qui pater patriæ eſt. Cui non abſimile quod prodit Macer l. XIII. De re militari, eos qui ignominioſe miſſi ſunt, neque Romæ, neque in ſacro comitatu agere poſſe.

Inter conſ. ſellas tribunitio ſubſellio.] Aſcon. Divinat. in Verrem: *Subſellia ſunt tribunorum, triumvirorum, quæſtorum, & hujuſmodi minora judicia exercentium. Qui non in ſellis curulibus, nec tribunalibus, ſed in ſubſelliis conſidebant.* Varro lib. IV. *A ſedendo appellantur ſedes, ſedile, ſedum, ſellæ, ſeliquaſtrum, deinde ab his ſubſellium. Ut ſubſipere quod non plane ſapit, ſic quod non plane erat ſella, ſubſellium dictum.* Hinc ergo *imi ſubſellii virum* dixit Plautus Sticho. nam in Curia quo quiſque functione ſua illuſtrior, eo ſublimius conſidebat. Poſt ſellam ergo Imperatoriam excelſiores ceteris conſulum ſellæ, & curules aliæ. Lucan. lib. V. *Lentulus* (is autem conſul) *e celſa ſublimis ſede profatur.* Tacit. Annal. IV. de funere Druſi, Ti. F. *Conſuleſque ſede vulgari per ſpeciem mœſtitiæ ſedentes honoris locique admonuit.* Neque recte Dion, eadem de re agens, lib. LVI. alterum conſulum in prætorum, alterum in tribunorum ſubſelliis ſediſſe ait. nam horum ſedes non vulgares erant, uti ex hoc Suetonii de tribunis loco conſtat.

24. *Procuratoribus ducenariis.*] Ne in confutandis aliorum erroribus ſim prolixior, meam tantum ſententiam referam, *Procuratores ducenarios* fuiſſe eos qui per provincias colligendis publicis reditibus conſtituti ducentena millia nummum, ſeu (quod idem eſt) ducena ſeſtertia pro ſtipendio accipiebant. Quos (ſi Dioni credimus lib. LIII.) primus Auguſtus inſtituit, atque a ſtipendio nomen habuerunt, quemadmodum & quarta illa judicum qui de levioribus ſummis judicarent, adjecta prioribus ab Auguſto centuria a cenſu quoque nomen accepit. *ducenarii* enim & illi appellabantur, (Aug. cap. XXXII.) quod nempe ducentena millia poſſidebant. ut & *liberi centenarii*, qui centena millia. l. XVI. De jure patronatus. Plura Juſtinian. tit. De ſucceſſ. libert. Hinc *ducena*, & *centena* ipſa eorum qui publica colligebant, dignitas & functio eſt. Sed & *ſexagenarios* legimus. Qui omnes *Agentium in rebus* numero comprehenſi, inter primos habebantur, ut ex Codice tam Theodoſii, quam Juſtiniani non uno in loco diſcere eſt, præſertim tit. De Agentibus in rebus. *Ducenariorum* vero mentio etiam apud Cyprianum Epiſt. LXVIII. *cum actis publice habitis apud Procuratorem ducenarium*, &c. & Nicephorum lib. VI. cap. XXX. ubi de Paulo Samoſateno loquens, *Sublatus* (inquit) *mundanis dignitatibus, Ducenarius quam Epiſcopus vocari voluit.* Eſt autem *Ducenarius* etiam militiæ nomen, pro eo qui duas centurias, ſeu ducenos milites ducebat in acie ſecunda. Vegetius de Re militari lib. II. cap. VIII. Sed hic de civili adminiſtratione loquitur Sueton. Atque in hoc ipſo hominum genere collocandum puto eum, qui *Actor ſummæ rei* dicebatur, τῦ μεγίστου πράγματος προστατεύων. Sic enim Euſeb. Eccl. hiſtor. lib. VII. cap. XIII. Qui (ut opinor) etiam *Ducenarios* honore præcedebat. De quo l. III. *Cod. Si propter publicas penſitationes*, & l. VII. *Ubi cauſæ fiſcales*, quæ Rationali ſummæ rei inſcribitur.

CASAUBON.

De majore negotio acturus, in curia medius inter conſulum ſellas tribunitio ſubſellio ſedebat.] Dabunt & accipient magnam lucem collata cum hoc loco Dionis verba, loquentis de ſupplicio affectis a Claudio: Ἐκρίνοντο δὲ ἐν τῷ συνεδρίῳ, τοῦ τε Κλαυδίου, τῶν ἐπάρχων τε καὶ τῶν ἐξελευθέρων αὐτοῦ παρόντων. τὴν μὲν γὰρ ἐσήγησιν ἐν μέσῳ τῶν ὑπάτων ἐπὶ δίφρου ἀρχικοῦ ἢ καὶ ἐπὶ βάθρου (tribunicium ſubſellium intellige ex Suetonio) καθήμενος ἐποιεῖτο. μετὰ δὲ τοῦτο αὐτός τε ἐπὶ τὴν συνήθη ἕδραν μετήρχετο καὶ ἐκείνοις οἱ δίφροι ἐτίθεντο. καὶ ταῦτα καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων τῶν μεγίστων (Suetonius *de majore negotio acturus*) ὁμοίως ἐγίγνετο. Ex ejuſdem auctoris lib. XLII. didicimus, Cæſari dictatori ſummi honoris loco decretum fuiſſe a ſenatu, ut in ſubſelliis tribuniciis ſedere ei liceret: qui honos poſtea etiam aliis eſt delatus.

Com-

natoriam dignitatem recuſantibus, equeſtrem quoque ademit. Latum clavum, quamvis initio affirmaſſet non lecturum ſenatorem, niſi civis R. abnepotem, etiam libertini filio tribuit: ſed ſub conditione, ſi prius ab equite R. adoptatus eſſet. Ac ſic quoque reprehenſionem verens, etiam App. Cæcum Cenſorem generis ſui proauctorem, libertinorum filios in ſenatum allegiſſe docuit: ignarus, temporibus Appii & deinceps aliquamdiu *libertinos* dictos, non ipſos qui manumitterentur, ſed ingenuos ex his procreatos. Collegio quæſtorum pro ſtratura viarum gladiatorum munus injunxit: detractaque Oſtienſi & Gallica provincia, curam ærarii Saturni reddidit, quam medio tempore

Commeatus a ſenatu peti ſolitos beneficii ſui fecit.] Senatus enim conſultum curavit Claudius faciendum, quo ea ſibi poteſtas concederetur. Auctor Dio. Elegans eſt dicendi genus, quo utitur hic Tranquillus. ſic apud Juſtinum libro XIII. *& ut munus imperii beneficii ſui faceret.* lib. XXIV. *non quoniam eripere his regnum, ſed quod id facere muneris ſui vellet.* & alibi non ſemel.

24. *Ornamenta conſularia etiam procuratoribus ducenariis indulſit.*] Cum inſtitutum eſt ab Auguſto, ut mutato veteri more ſalaria certa euntibus in provincias darentur, ſimul etiam hoc inſtitutum, ut procuratores Cæſaris a numero pecuniarum, quas acciperent ſtipendii nomine, appellationem ſortirentur. Hoc ita clare Dio libro LIII. declarat, ut mirer tam prolixe quæſiſſe quoſdam, qui iſti ſint *ducenarii procuratores.*

Torrent.

Ap. Cæcum cenſ.] Duo libb. *Ap. Cæcum, generis ſui proauctorem, Cenſorem.* Quæ poſitura placet, ut in cenſura eum feciſſe id dicat. ſic enim Auctor libri de Viris illuſtribus, *Ap. Claudius Cæcus in cenſura libertinos quoque in ſenatum legit.* Quam ob cauſam (ut puto) Livius lib. IX. lectionem ejus in ſenatum infamem & ignominioſam vocat. Ceterum cum libertinos ille, Sueton. vero libertinorum filios ab Appio in ſenatum lectos ſcribit, *libertinos* illic pro his qui libertini generis fuerunt, accipio, ut *libertinitas* & *ingenuitas* pro libertini, & ingenui ſtatu ponitur apud Sabinum l. II. *Si libertus ingenuus eſſe dicatur.* Alioqui ſequeretur Appium libertorum filios allegiſſe, quod Sueton. negat, & recte ſane. hinc enim Horatii locum intelligo lib. I. Sat. VI.

- - - Cenſorque moveret
Appius, ingenuo ſi non eſſem patre natus.

quaſi dicat, ne Appium quidem, qui viles ac libertini generis homines in ſenatum legerit, laturum eum qui non eſſet ingenui filius, atque liberti nepos ſaltem, qualis erat Horatius. Adde his Ciceronis locum pro Cluentio: *Negat hoc Lentulus, nam Popillium, quod erat libertini filius, in ſenatum non legit.* Quanquam affirmare non auſim, an etiam Ciceronis tempore in uſu fuerit, ut *libertini* dicerentur ii quoque qui ex ſervitute manumiſſi eſſent. Horat. ſane cum ait,

- - - me libertina, neque uno
Contenta Phryne macerat,

& iterum, *Grata detinuit compede Myrtale Libertina,* libertam (ni fallor) intelligit. liberti enim tantum ſervitutis cognomen retinebant, quo ab ingenuis diſtinguerentur, non etiam eorum liberi. Et ſane *libertum* cum dicimus, patronum, cum *libertinum*, generis magis conditionem reſpicimus. Unde (ut diximus) *libertinitas.* Atque ita Cicero uſus eſt, neque obſcure ipſe Tranquillus indicat non ita multo poſt Ap. Claudii ætatem Romanos aliter uti cœpiſſe.

Qui manumitterentur.] Liber opt. *manu emitterentur.*

Collegio quæſtorum.] Graviter queritur Tacit. lib. II. venumdatum quæſturæ honorem, ut qui eum adepti eſſent, ſpectaculum gladiatorium ſua pecunia quotannis celebrarent, ante vias ſternere ſoliti, ut & oſtendit Sueton. hic. Id autem quæſtorum munus Nero initio Principatus ſui liberum fecit. Qua occaſione intermiſſum Domitianus revocavit, cap. IV. Atque ita Capitolin. vita M. Antonini, *gladiatorium quaſi privatus quæſtor edidit munus.*

Oſtienſi & Gallica prov.] Legendum omnino *& callium provincia,* & repetenda quæ notavimus Cæſ. cap. XIX. *ſilvæ, calleſque.* Neque eſt quod viro docto aſſenſionem ſuſtineat Plutarchi locus, cui ſcriptum diſerte Circumpadanæ provinciæ quæſtorem deſignatum Sertorium. Audio, & ſit ſane hoc exemplo, poſtquam aliud non occurrit, Circumpadana quæſtoria, eique Ariminum ſedes, quid? tota Gallia quæſtoria? nam qui Gallicam provinciam nominat, nullam definite & circumſcripte, omnem quam longa eſt, Galliam ſentit. Itaque non muto ſententiam.

Casaubon.

Senatoriam dignitatem recuſantibus.] Vel oblatam quoties ſenatum legeret Claudius, vel jure acquiſitam, quando aliquis tribunatum geſſerat: vide lib. II. cap. XL.

Detractaque Oſtienſi & Gallica provincia.] Hæ ſunt provinciæ, in quas ſolitus mittere quæſtores Auguſtus. Docuit me Dio lib. LV. *ταμίας ἐν τε τῇ παραλίᾳ τῇ πρὸς τῇ πόλει καὶ ἐν ἑτέροις τισι τῆς Ἰταλίας χω-*

pore prætores aut utique prætura functi ſuſtinuerant. Triumphalia ornamenta Silano filiæ ſuæ ſponſo nondum puberi dedit. Majoribus vero natu, tam multis, tamque facile, ut epiſtola communi legionum nomine extiterit, petentium, *ut legatis conſularibus ſimul cum exercitu & triumphalia darentur, ne cauſſam belli quoquo modo quærerent.* A. Plautio etiam ovationem decrevit: ingreſſoque urbem obviam progreſſus, & in Capitolium eunti, & inde rurſus revertenti latus texit. Gabinio Secundo, Chaucis,

χωρίοις ἄρχειν ἐποίησε. καὶ τῦτο καὶ ἐπὶ πλείω ἔτη ἐποίησε. Id eſt, *Quæſtores præfecit oræ maritimæ ad urbem* (hæc eſt Oſtienſis provincia) *& quibuſdam aliis Italiæ locis, idque in plures annos ab eo ſervatum.* Inter iſta Italiæ loca pars aliqua Galliæ Ciſalpinæ fuit. Atque hæc eſt Gallica provincia quæſtoria, quam Suetonius hoc loco intelligit. Torrentii conjectura emendantis *callium provincia*, etſi erudita eſt & acuta, non placet tamen nobis, repugnantibus omnibus ſcriptis libris: a quorum ſcriptura nunquam niſi plane neceſſariis de cauſſis recedendum eſſe, ſcio mihi aſſenſurum ea eruditione virum: nam quod ait ille, qui *Gallicam provinciam* nominat ἀπεριορίςως, eum omnem Galliam intelligere: id vero, pace illius dixerim, inane prorſus eſt. nam ex verbis ipſis Suetonii apparet, non de quavis Gallica provincia eum loqui, ſed de Quæſtoria. Quare nihil in ejus verbis obſcuri eſſe potuit attendentibus.

TORRENT.

Prætores aut utique nunc præt. functi.] Tranquillum noſtrum brevitas ſæpe obſcurum facit, ut hoc loco. Quem ut explicemus, in memoriam revocabimus quam varie cura ærarii habita fuerit. nam cum antea quæſtores, ab anquirenda, ſervandaque pecunia publica dicti, uſque ad Cæſaris dictatoris tempora huic ſuo muneri præfuiſſent, quarto ejus conſulatu, ipſo in Hiſpania agente, forte contigit ut, nullis eo anno creatis quæſtoribus, ærarii cura ad ædiles transferretur. Dion lib. XLIII. Neque poſtea ad quæſtores rediit, ſed penes præfectos quoſdam manſit. Quos Auguſtus ſenatui primum permiſit eligere, mox ad evitandum ambitum ſorte ducti ſunt ex prætorum numero. Quæ fortaſſis cauſa exſtitit, ut Auguſtus prætorum numerum augeret. nam (ſi Pomponio JCto credimus) XVI. ſub eo prætores fuere. Quia vero ſors ſæpius deerrabat ad parum idoneos, (ut Taciti verbis utar lib. XIII.) tandem Claudius quæſtores rurſus impoſuit. Sed quia deerat robur ætatis eum primum magiſtratum capeſſentibus, Nero prætura perfunctos, & experientia probatos delegit. Sic Tacit. apud quem corrupte *Præfectura*, pro *Prætura perfunctos* legitur. Quod ſic eſſe ipſe Tacit. lib. IV. Hiſtor. oſtendit, quo loco etiam ſub Veſpaſiano adminiſtratum a prætoribus ærarium ſcribit. Quod ergo apud Gellium lib. XIII. cap. XXIII. legimus, curam ærarii a quæſtoribus ad præfectum tranſlatam fuiſſe, id ita intelligemus, ut præfectus ex prætoribus fuerit. Et hoc eſt, quod prætores ærarios vocat Frontin. lib. II. de Aquæductibus, quos præfectos alii, uti & Tacit. lib. I. Annal. *reſiſtentibus ærarii prætoribus* dixit, quod ſub Auguſto, quemadmodum & poſt Claudium, ex Prætorum numero ſumebantur. Claudius autem non annuos, ut ante, quæſtores hos ærarii eſſe voluit, ſed duos in triennium præfecit, quo finito prætores illico crearentur, dato etiam pro meritis ſtipendio. Sic Dion. Et hinc nimirum Tacit. ne offenſionum metu ſegnius conſulerent, Claudium ſcribit extra ordinem honorem eis permiſiſſe. Supereſt ut Suetonium nonnihil emendemus. plures enim libri tam MSS. quam vulgati habent *aut utique tunc Prætura functi*, alii *aut utique Prætura f.* quæ lectio vera eſt. Turneb. *aut uti nunc* legit, ut ad ſua tempora reſpexerit Sueton. Sed qui Suetonii hac ipſa de re verba expenderit Aug. cap. XXXVI. hic haud dubie mecum ſentiet.

Epiſtola communis leg. nom.] Rectius *communi* legas, ut Frobenius, & MSS. præferunt.

Simul cum exercitu & triumph.] Tacit. lib. XI. *ut quibus permiſſurus eſſet exercitus, triumphalia ante tribueret.*

Latus texit.] Loco ergo honoratiore incedebat Plautius. ſic enim de Claudio Eutropius: *In amicos tam civilis, ut etiam Plautium, nobilem virum, qui in expeditione Britannica multa egregie fecerat, triumphantem ipſe proſequeretur, & conſcendenti Capitolium lævus incederet.* Juvenal. Sat. III.

Divitis hic ſervi claudit latus, ingenuorum
Filius.

Horat. lib. II. Sat. V.

Utne tegam ſpurco Damæ latus?

Ubi plura annotavimus. Hujus autem A. Plautii mentio Veſpaſ. cap. IV. atque ejus (ni fallor) filii Ner. cap. XXXV. Nec dubium, quin his omnibus locis *Plautus*, non *Plancius*, aut *Plancus*, legendum ſit. Fuit & Ti. Plautius Silvanus Ælianus, Claudii in Britannia comes, ut ex vetuſto marmore diſcimus. De Aulo vero, qui exercitum in Britanniam duxit, vide Dionem.

CASAUBON.

Triumphalia ornamenta.] Facilitatem hanc Claudii in dandis triumphalibus ornamentis breviter notat etiam Dio: ἔνειμε τὰς ἐπινικίυς τιμὰς ἀφθονώτατα καὶ ἐπὶ προφάσεως τῆς ἐλαχίςης.

VARIOR.

24. *Aut utique prætura functi.*] V.C. Salmaſ. *aut uti nunc*

25 cis, gente Germanica, ſuperatis, Chaucius cognomen uſurpare conceſſit. Equeſtres militias ita ordinavit, ut poſt cohortem, alam: poſt alam, tribunatum legionis daret: ſtipendiaque inſtituit, & imaginariæ militiæ genus, quod vocatur *Supra numerum*, quo

nunc prætura functi. ſic conjecerat Turnebus.


Communi.] V. C. Salmaſ. *communis.* & mox pro *Chaucis*, idem *Cauchis*, & pro *Chaucius*, *Cauchius*, Sic & Ptolem Καῦχοι. Strab. Καῦκοι.

Torrent.

Caucius cognomen.] Libri veteres *Caucicus*, vel *Caucici*, uti & edit. Germanica, haud dubie melius. De Gabinio Secundo magis dubito. nam quæ contra Caucos, ſeu Chaucos, ut eos vocat Tacit. (Dion Chauchos) geſta ſunt ſub Claudio, Cn. Domitio Corbuloni attribuuntur.

25. *Equeſtres militias.*] Loci hujus ſententia eſſe videtur, Claudium veluti per gradus neminem feciſſe tribunum, niſi qui alæ præfectus fuiſſet, neque præfectum alæ qui non cohortem centurio duxiſſet. ala enim, uti & turma, equitum; cohors peditum eſt. Cicero pro Marcello: *Nihil ſibi ex iſta laude centurio, nihil præfectus, nihil cohors, nihil turma decerpit.* Ut præfectus ad turmam, ad cohortem centurio referatur. Sed quare hoc magis ad equeſtrem quam pedeſtrem militiam Tranquillus referat, ignoro. Cohortem itaque hic non peditum, ſed equitum accipiamus. Quanquam ne ſic quidem ſcrupulum amovebimus.

Super numerum.] Malim, ut in duobus libris, *ſupra numerum.* ſic enim in nummo veteri:



NERO. CLAUD. CÆS. DRUSUS. GERM. PRINC. JUVENT. SACERD. COOPT. IN. OMN. CONL. SUPRA. NUM. EX. S. C. id eſt, Sacerdos cooptatus in omnia conlegia ſupra numerum ex S. C.

Casaubon.

25. *Equeſtres militias ita ordinavit.*] Hunc quoque locum ad tractatum Polybii de Militia Romanorum explicamus. Viri docti conjecturam, qui nuper emendavit *Semeſtres militias*, non probamus; cum & alibi ſæpius militiarum equeſtrium fieri mentionem liceat obſervare, ut lib. 11. cap. x. & in Plinii vita ejuſdem auctoris: item apud Vellejum.

Inſtituit imaginariæ militiæ genus, quod vocatur Super numerum.] Ita MSS. vulgo *ſupra numerum.* Diverſi ab his ſunt ſupernumerarii illi equites peditesque, quorum meminit Vegetius: item illi ὑπεράριθμοι σχολάριοι, quos inſtituiſſe Juſtinianum in ordinanda militia Palatina, refert Procopius. Mentio habetur ſupernumerariorum in Cod. Theodoſiano, de Palatinis ſacrarum largitionum & rerum privat. l. xv. & xvii.

Varior.

25. *Equeſtres militias ita ordinavit* &c.] Ala, eo tempore quo Suetonius ſcripſit, non niſi equitum fuit. Unde & alarii equites, ut plurimum auxiliares, eoque nomine diſtincti a legionariis. Inter equeſtres milites, alæ & cohortis præfecturam poſuit, ut & tribunatum legionis, quia tribuni legionum equites, & equo merebant, item præfecti cohortium & alarum. *Alæ*, ut dixi, proprie de equitibus auxiliariis, & *cohortes* de auxiliariis peditibus. Ideo hic a legione diſtinguuntur, id eſt, a legionariis militibus. Hoc ordine igitur promotionem equeſtris militiæ faciebat Claudius, ut poſt cohortis auxiliariorum præfecturam daret præfecturam alariorum equitum, ſive alæ equitum auxiliariorum, & poſt alæ præfecturam *tribunatum* legionis, id eſt, præfecturam unius cohortis in legione. Hæc pluribus ita eſſe in noſtro de Militia Commentario docemus. *Militiæ* autem *equeſtres*, quia, ut dixi, equo merebant omnes hi præfecti. Salmasius. Sed in his nihil ſani. Ala tum temporis non dicebatur de equitibus auxiliariis; ſed de equitibus, qui ex provincialibus collecti numero legionariarum turmarum erant. vide notata ſuperius ad Aug. 38. *Equeſtres militiæ* ſunt gradus militiæ qui equeſtris ordinis hominibus dabantur, quos obibant equeſtri loco orti juvenes, ut tribunatus cohortis, præfectura alæ, tribunatus legionis. Plin. vii. ep. 25. *Terentius junior equeſtribus militiis, atque etiam procuratione Narbonenſis provinciæ integerrime functus.* vid. & Sueton. vit. Plin. Sub Imperatoribus equites Romani non amplius ſcribebantur in turmas; ſed illarum loco alæ conficiebantur ex provincialibus hominibus, quibus raro ac vix unquam intererant equeſtris ordinis viri. Erat enim in tanto imperio major tum dignitas equitum Romanorum, quam ut gregarios inter mererent, minor vero numerus quam ut legionum equit tum explerent, imminuta per bella civilia & admodum reciſa equeſtris ordinis ſtirpe, adeo ut Cajus, quo paucitati eorum ſubveniret, primores ex omni imperio, etiam extra Italiam, qui genere & opibus excellebant, in eum ordinem adlegerit, quibuſdam eorum in ſpem dignitatis ſenatoriam veſtem dederit, priuſquam ullum magiſtratum geſſiſſent, ut tradit Suetonius. Equites itaque Romani, qui e digniori illa ſtirpe militabant in ſingularibus

Nnn

quo abſentes, & titulo tenus fungerentur. Milites domos ſenatorias ſalutandi cauſſa ingredi, etiam patrum decreto prohibuit. Libertinos, qui ſe pro equitibus Romanis agerent, publicavit. Ingratos & de quibus patroni quererentur, revocavit in ſervitutem: advocatiſque eorum negavit, ſe adverſus libertos ipſorum jus dicturum. Cum quidam ægra & affecta mancipia in inſulam Æſculapii tædio medendi exponerent, omnes qui exponerentur, liberos eſſe ſanxit, nec redire in ditionem domini, ſi convaluiſſent: quod ſi quis necare quem mallet quam exponere, cædis crimine teneri. Viatores ne per

laribus aut prætorianis equitibus, qui a Tacito opponuntur gregariis equitibus, forſan & nonnulli teruiores in alis, ſed digniores ſtatim ad præfecturas admovebantur. Hinc male hic Lipſius legit *ſemeſtres militias.* Nihil ſincerius vulgata lectione. Equites enim Romani merebant præfecti cohortium exterarum & alarum, ut & tribuni legionum; inde *equeſtres militiæ* vocantur. quod pluribus oſtendit Vir Illuſtriſſimus, & primis noſtræ ætatis accenſendus RHABODUS SCHELIUS ad Hyginum de Caſtrametatione Romanorum.

TORRENT.

Libertinos q. ſ. p. e. R. a. publicavit.] Id eſt, bona eorum proſcripſit, atque in fiſcum cogi juſſit, quemadmodum ſup. cap. VIII. *venalem pependiſſe* dicit Claudium, cujus bona ſic expoſita fuerant. Lamprid. Alexandro: *Mulieres infames, quarum infinitum numerum deprehenderat, publicari juſſit.* Tertullian. de Fuga: *Publicaris? Bonum tibi eſt. qui enim non publicatur in hominibus, publicatur in Deo.* Non repugnaverim tamen, ſi quis de perſonarum etiam proſcriptione hæc intelligat, præcipue Tertulliani locum. nam libertinorum pro equitibus ſe gerentium, ac mulierum infamium ſatis equidem gravis eſt pœna, ſi bonis exuantur, aut his ſalvis in exſilium agantur, ut ſup. Tib. cap. XXXV.

Ingratos & de quibus.] Mallem *ingratos, de quibus*, ſine &. quanquam enim plures querendi cauſæ, de quibus præfectus Urbi cognoſcere poterat, quod lib. I. Pandectar. Ulpian. nos docuit, non illico tamen libertus in ſervitutem aſſerendus. Severior itaque hac in re Claudius. De ingrato autem ſic Paullus l. XIX. De jure patr. *Ingratus libertus eſt, qui patrono obſequium non præſtat, vel res ejus, filiorumve tutelam adminiſtrare detrectat.* Hinc ingrati actio, patronis competens, l. IV. De obſeq. lib. l. I. & III. Cod. De libert. & eorum lib.

Affecta mancipia.] Sic alii quoque, & ipſe Cicero, locuti ſunt.

Omnes qui exponerentur.] Verba hæc non ſunt in duobus probatæ fidei exemplaribus, adjecta (ut arbitror) a grammatico aliquo: qui credebat Suetonium non ſatis Latine loqui, niſi adderentur. Porro de hac re, præter Dionem, & Zonaram, ſic Modeſtinus l. II. Qui ſine manumiſſ. ad libertatem perv. *Servo quem pro derelicto dominus ob gravem infirmitatem habuit, ex edicto Divi Claudii competit libertas.* Æſculapii vero *inſulam* Tiberinam appellat Sueton. In qua non minus Romæ quam Epidauri in templo Æſculapii ægri ad captandum ſomnia exponebantur. Strabo lib. VIII. Plaut. Gurgul. Act. II. Sc. I. & tabellæ marmoreæ Romæ apud Maſſæos, quibus etiam miracula quædam enarrantur.

Si quis necare mallet quem quam exp.] Liber opt. *ſi quis nec. quem mallet.* Recte vero Claudius. ſic enim lex Cornelia de ſicariis eum punit, qui hominem occiderit, etiamſi ſervus ſit. Quem ne domino quidem occidere, nempe ad beſtias dare ſine judice licuit. Quod etiam Hadrianum ſanxiſſe auctor eſt Spartian.

Viatores.] Hujus edicti cauſam fuiſſe puto, ne viæ corrumperentur. Spartian. Hadriano: *Vehicula cum ingentibus ſarcinis Urbem ingredi prohibuit, ſederi in equis in civitatibus non ſivit.* Et Capitolin. M. Antonino: *Sederi in civitatibus vetuit in equis, ſive vehiculis.*

CASAUBON.

Ingratos & de quibus patroni quererentur, revocavit in ſervitutem.] Ergo ex conſtitutione Claudii omnes ingrati potuerunt in ſervitutem revocari? cave putes, neve temere aſſentiaris Suetonio, qui rem certa conditione conceſſam laxe & ἀπεριορίστως enunciat. Unus enim tantum eſt caſus, quo libertus redigitur in ſervitutem patroni ex hac conſtitutione Claudii: ſi delatores ſubmiſerit, qui patrono libertatis facerent quæſtionem. vide l. V. Dig. De jure patr.

Cum quidam ægra & affecta mancipia in inſulam Æſculapii tædio medendi exponerent.] Antiquorum hæc fuit dira immanitas, ut & recens natos infantes liceret vel tollere vel exponere ad cædem: & liberos aut ſervos ægrotos exponere tædio curandi. Atque hoc jus tam Barbarum non ſtatim ſuſtulerunt Chriſtiani Impp. ſed cum progreſſu temporis. vide in Cod. Theodoſiano titulum *De expoſitis.*

VARIOR.

25. *Adverſus libertos.*] Scribendum omnino videtur, *liberatores*, id eſt, manumiſſores, qui manumiſerunt. GUJET.

TOR-

per Italiæ oppida, niſi aut pedibus, aut ſella, aut lectica tranſirent, monuit edicto. Puteolis & Oſtiæ ſingulas cohortes ad arcendos incendiorum caſus collocavit. Peregrinæ conditionis homines vetuit uſurpare Romana nomina, dumtaxat gentilitia. Civitatem Romanam uſurpantes in campo Eſquilino ſecuri percuſſit. Provincias Achaiam & Macedoniam, quas Tiberius ad curam ſuam tranſtulerat, ſenatui reddidit. Lyciis ob exitiabiles inter ſe diſcordias libertatem ademit: Rhodiis ob pœnitentiam veterum delictorum reddidit. Ilienſibus, quaſi Romanæ gentis auctoribus, tributa in perpetuum remiſit: recitata vetere epiſtola Græca ſenatus populique R. Seleuco regi amicitiam, & ſocietatem ita demum pollicentis, ſi conſanguineos ſuos Ilienſes ab omni onere immunes præſtitiſſet. Judæos impulſore CHRESTO aſſidue tumultuantes Roma expulit.

TORRENT.

In Campo Eſquilino.] Interpretatur hunc locum Tacit. lib. XI. *L. Pituanius ſaxo dejectus eſt, in P. Marcium conſules extra portam Eſquilinam, cum claſſicum canere juſſiſſet, animadvertere.* & iterum, *Sumptum eſt more priſco extra Eſquilinam de nocentibus ſupplicium.* Plura ad Horat. Epod. V.

Et Eſquilinæ alites.

Senatui reddit.] Aug. cap. XLVII.

Lyciis lib. adem. Rhodiis reddidit.] Dion & Lyciis, & Rhodiis ademptam ſub Claudio, quanquam diverſis temporibus, libertatem refert, idque ob cives in tumultu occiſos. Sueton. redditam quidem Rhodiis ſcribit, ſed quomodo adempta fuerit omittit. Tacitum ergo audiamus lib. XII. qui nunc ademptam, nunc firmatam ipſi ſæpius narrat, prout bellis externis meruerant, aut domi ſeditione deliquerant.

Ilienſib. quaſi Rom. gentis auctoribus.] Sic Virgil. *& Trojæ Cynthius auctor.* Roma itaque Trojanorum colonia habita eſt. Atque adeo Romani Ilienſes, tanquam conſanguineos ſuos, magna ſemper benevolentia proſecuti ſunt. Horat. lib. III. Od. III.

Sed bellicoſis fata Quiritibus
Hac lege dico, ne nimium pii,
Rebuſque fidentes, avitæ
Tecta velint reparare Trojæ.

Ilienſium vero cauſam actam a Nerone narrat Tacit. lib. XII. & Sueton. Ner. cap. VII.

Judæos impulſore CHRESTO.] Sic unus e noſtris MSS. Alii omnes aut *Chereſto*, aut *Chereſtro*, aut *Chireſto* etiam. Sed *Chreſto* legendum eſſe Tertullianus & Lactantius docent, quod CHRISTUM Servatorum noſtrum, mutato I in E *Chreſtum* per contumeliam homines impii appellare ſint ſoliti, quemadmodum & de Pertinace Capitolin. tradit, Chreſtologum vocatum fuiſſe, qui bene loqueretur, & male faceret. Quod vero Judæos cum Chriſto adjungit Sueton. hoc ſeculi illius more factum eſt. Judæorum enim nomine cum Græci, tum Latini Chriſtianos complectebantur, quod alibi docuimus latius. Dion toleratos quidem Romæ Judæos ſcribit, ſed non permiſſum eis ut convenirent.

CASAUBON.

Puteolis & Oſtiæ ſingulas cohortes ad arcendos incendiorum caſus collocavit.] Sub Othone ſtationem habebat Oſtiæ cohors ſeptima decima. Tacitus hiſtor. lib. I. *Septimam decimam cohortem, colonia Oſtienſi in urbem acciri Otho juſſerat.*

Civitatem Romanam uſurpantes.] Arrianus Diſſertationum Epicteti libro tertio cap. XXII. *οἱ τῆς Ῥωμαίων πολιτείας καταψευδόμενοι κολάζονται πικρῶς.*

Provincias Achaiam & Macedoniam, quas Tiberius ad curam ſuam tranſtulerat.] De Achaia in rebus Tiberii dubitanter narrat Dio lib. LVII. *Καὶ γὰρ ἡ Μακεδονία, ὥς δέ τινές φασι, καὶ ἡ Ἀχαΐα, ἀκληρωτεὶ προσετάσσοντο.* Semper autem Dioni *ἄρχοντες κληρωτοὶ* dicuntur, quos populus ad regendas provincias ſuas mittebat: *αἱρετοὶ ἄρχοντες*, quos Princeps ſuis præficiebat. Cauſſam earum appellationum explicat ipſe diligenter lib. LIII. Sic igitur in Claudio conſtitutionem hanc illius exponit: *Τήν τε Ἀχαΐαν καὶ τὴν Μακεδονίαν αἱρετοῖς ἄρχουσιν ἐξ οὗπερ ὁ Τιβέριος ἦρξε διδομένας, ἀπέδωκεν ὁ Κλαύδιος τότε τῷ κλήρῳ.* factum anno DCCXCVII.

VARIOR.

Judæos impulſore Chreſto.] Qui Romæ hoc tempore Chriſto nomen dederant, Judæos præcipue fuiſſe veriſimile eſt, atque per hoc a potiori parte omnes Chriſtianos eapropter hic Judæorum nomine deſignari. Non enim ignoraſſe Suetonium, Judæorum & Chriſtianorum fuiſſe differentiam, ex eo liquet, quod in vita Neronis dicat, *Afflicti ſuppliciis Chriſtiani, genus hominum ſuperſtitionis novæ & maleficæ.* Qui enim hoc tempore Judæos diceret genus hominum ſuperſtitionis novæ, inveniri poſſe puto neminem. GOES.

Impulſore Chreſto.] Veteres gentiles per contumeliam *Chreſtum* & *Chreſtianos* pro Chriſtum & Chriſtianos dixerunt. vid. P. Pithœi II. Adverſ. cap. 3.

expulit. Germanorum legatis in orcheſtra ſedere permiſit: ſimplicitate eorum & fiducia motus, quod in popularia deducti, cum animadvertiſſent Parthos & Armenios ſedentes in ſenatu, ad eadem loca ſponte tranſierant, nihilo deteriorem virtutem aut conditionem ſuam prædicantes. Druidarum religionem apud Gallos diræ immanitatis, & tantum civibus ſub Auguſto interdictam, penitus abolevit. Contra, ſacra Eleuſina etiam transferre ex Attica Romam conatus eſt. Templum quoque in Sicilia Veneris Erycinæ vetuſtate collapſum, ut ex ærario populi R. reficeretur, auctor fuit. Cum

TORRENT.


Germanorum legatis.] Tacit. lib. XIII. Neronis temporibus hoc tribuit, cum dicerent nullos mortalium armis, aut fide ante Germanos eſſe.

In ſenatu.] Non erret fortaſſis, qui *in ſenatoriis* legendum eſſe exiſtimet. cur enim non *ſenatoria* dicamus, uti & *equeſtria*, & *popularia?* Sed tamen *in equite* pro *inter equites ſpectare* dixit Sueton. Domit. cap. VIII. ut hic *ſedere in ſenatu* pro *in ſenatorum ſedibus*, &, quod magis receptam lectionem firmat, inf. Ner. cap. XII. *In orcheſtram ſenatumque deſcendit.*

Penitus abolevit.] Atqui Plin. lib. II. cap. I. Druidas Tiberii Principatu ſublatos ſcribit. Ego neque Tiberium, neque Claudium ita Druidas aboleviſſe crediderim, ut non in Gallia ſaltem permanſerint. Probat hoc Tacit. lib. XIV. ſub Nerone, probat Lamprid. Alexandro. Aurelianus quoque (ſi Vopiſco credimus) Druidas conſuluit. Denique mulier illa, quæ apud Tungros Diocletianum futurum Imperatorem, cum aprum occidiſſet, prædixit, ex hoc genere fuit. Auctor idem Vopiſcus Numeriano.

Sacra Eleuſina.] Aug. cap. XCIII.

In Sicilia Veneris Erycinæ.] Eryx Veneris filius. Unde monti in Sicilia nomen, in quo Veneris Erycinæ templum, ſingulari olim religione cultum, ac mulierum Veneri dicatarum frequentia notum. De quo Strabo lib. VI. Polyb. I. ſæpe Cicero in Verrinis, & Cluentiana, non feminas tantum, (ut Strabo) ſed & viros, quos inde Venereos appellat, deæ Veneris Erycinæ miniſterio addictos oſtendens. Eſt & nummus apud me C. Conſidii Noniani, cum Veneris imagine parte una, altera vero ipſius templi in monte poſiti. Adſcriptum, ERYC. Virgil.



Æneid. V. *Tum vicina aſtris Erycino in vertice ſedes Fundatur Veneri Idaliæ.* Mirum eſt autem Suetonium in Claudii Principatum templi hujus Veneris in Sicilia, vetuſtate collapſi, inſtaurationem conferre, poſtquam Tacito ſcriptum definite Annal. IV. reficiendi ejus curam Tiberium, poſtulantibus Segeſtanis, libentem ſuſcepiſſe, ut conſanguineum. Niſi fortaſſe hoc probamus, inchoatum id opus, ac deſitum & intermiſſum, tandem auctore Claudio ex ærario pop. R. conſummatum. Fuit vero ejuſdem Veneris etiam Romæ templum apud portam Collinam, de quo non uno in loco Livius, & Ovid. IV. Faſtor. Bene ergo additum a Suetonio, *in Sicilia.*

CASAUBON.

Sedentes in ſenatu.] Notum loquendi genus, quod obſervamus etiam apud Græcos. Lucianus Περὶ ὀρχήσεως· Καταβὰς γὰρ εἰς τὸ μέσον, ἐν τῇ βουλῇ δύο ὑπατικῶν μέσος ἐκαθέζετο. Ariſtophanes pro eo dixit ἐν βουλευτικῷ, iſto verſu in Avibus:

Καθ' ὁρᾷ ἄνδρα τῆς γυναικὸς ἐν βουλευτικῷ.

Sic alibi *in equite ſpectare*, pro ſedere in equeſtribus.

Druidarum religionem apud Gallos diræ immanitatis penitus abolevit.] Hoc eſt, edicto juſſit aboleri exercerique vetuit. Sed non obtinuit Claudius. Nam multo poſt ſcribit Tertullianus Apologetico: *Major ætas apud Gallos Mercurio proſecatur.* Sic in Africa aliiſque locis vetitæ a Romanis ἀνθρωποθυσίαι, nihilominus tamen longum tempus in occulto perſeverarunt, ut præter Cypriani magiſtrum alii Patres ſcripſerunt, nec ſilet Porphyrius.

VARIOR.

Fiducia motus.] Salmaſ. cod. *commotus.* Idem mox pro *Druidarum* legit *Driadarum.*

Sacra Eleuſina etiam transferre ex Attica Romam conatus eſt.] Videtur innuere Aurelius Victor, *Eleuſina ſacra* per Hadrianum Romam fuiſſe tranſlata, ſed id prorſus falſum eſt. Cereris quidem ſacra jam olim de Græcia aſſumpta longe ante Hadrianum Roma percoluit: ſed illa quæ Eleuſina dicebantur, nunquam Romæ recepta ſunt, ſed in Attica. confundit igitur Aurelius ſacra Cereris cum Eleuſinis initiis. Eleuſina autem ſacra uſque ad Valentinianum & Theodoſium manſere: ſub quibus Imperatoribus penitus deſerta ſunt & abolita. SALMASIUS.

TOR-

Cum regibus fœdus in foro icit, porca cæſa, ac vetere fecialium præfatione adhibita. Sed & hæc & cetera, totumque adeo ex parte magna principatum, non tam ſuo quam uxorum libertorumque arbitrio adminiſtravit: talis ubique plerumque, qualem eſſe eum aut expediret illis aut liberet.
26 Sponſas admodum adoleſcens duas habuit: Æmiliam Lepidam, Auguſti proneptem; item Liviam Medullinam, cui & cognomen Camillæ erat, e genere antiquo Dictatoris Camilli. priorem, quod parentes ejus Auguſtum offenderant, virginem adhuc repudiavit: poſteriorem, ipſo die, qui erat nuptiis deſtinatus, ex valetudine amiſit. Uxores deinde duxit Plautiam Urgulanillam, triumphali, & mox Æliam Petinam, conſulari patre. Cum utraque divortium fecit: ſed cum Petina, ex levibus offenſis: cum Urgulanilla, ob libidinum probra & homicidii ſuſpicionem. Poſt has Valeriam Meſſallinam, Barbati Meſſallæ conſobrini ſui filiam in matrimonium accepit. Quam cum comperiſſet ſuper cetera flagitia atque dedecora, C. Silio etiam nupſiſſe, dote inter auſpices conſignata, ſupplicio affecit: confirmavitque pro con-

Torrent.

Porca cæſa.] De hac re, præter Livium, & Varronem, ſic Feſtus: *Porci effigies inter militaria ſigna locum obtinebat, quia confecto bello inter quos pax fieret, cæſa porca fœdus firmare ſolebat.* Virgil. & in eum Servius lib. VIII. *cæſa jungebant fœdera porca.* Atque ita quidem Virgil. & Sueton. hoc loco, porcum tamen, non porcam, cædi ſolere & Livius aperte demonſtrat, & Quinctilian. indicat lib. VIII.

Talis ubique.] Vel ad provincias reſpexerit, quæ hoc Principe fere per libertos, aut iis caros adminiſtratæ, vel *utique*, blandiente animo meo & veriſimili conjectura equidem ſcripſerim.

26. *Æmiliam Lepidam Aug. proneptem.*] Julia, Auguſti neptis, L. Æmilio Paullo, Cenſoris filio, nupſit, unde hæc Æmilia, Claudii uxor. Aug. cap. LXIV.

Parentes ejus Aug. offenderant.] Mater Julia ob vitæ turpitudinem, pater ob conſpirationem in Auguſtum. Aug. cap. XIX. & LXV.

Plautiam Herculanillam.] Liber opt. *Urgulanillam* & hic & in ſequentibus. Placet. nam Herculanos in gente Plautia non reperio. Via vero Tiburtina ad pontem Lucanum ex Plautiorum ſepulcro eruta exſtat hæc inſcriptio: M. PLAUTIUS. M. F. A. N. SILVANUS COS. VII. VIR EPULON. HUIC SENATUS TRIUMPHALIA ORNAMENTA DECREVIT OB RES IN ILYRICO BENE GESTAS. LARTIA CN. F. UXOR. A. PLAUTIUS M. F. URGULANIUS. VIXIT ANN. IX. Adde locum Taciti lib. IV. Annal. ubi Urgulaniam, Plautii Silvani, tunc prætoris, aviam, commemorat. A. Plautius, ut ante diximus, ovans Urbem ingreſſus eſt.

Valeriam Meſſallinam Barbati Meſſallæ.] Duo poſtrema verba abſunt a duobus exemplaribus. Quæ tamen retineo. Conſul enim fuit M. Valerius M. F. Meſſalla Barbatus cum P. Sulpicio P. F. Quirino A. U. DCCXLI. Qui quemadmodum conſobrinus Claudio, notatum Lipſio ad Annalem Taciti undecimum, quem ſuadeo legas.

Dote inter auſpices.] Lib. unus *aruſpices.* Sed *auſpices* habet Tacit. lib. XII. ubi de his cum Silio nuptiis, & Juvenal. Sat. X. egregie nuptiarum officium deſcribens:

> - - - *dudum ſedet illa parato*
> *Flameolo, Tyriuſque palam genialis in hortis*
> *Sternitur, & ritu decies centena dabuntur*
> *Antiquo, veniet cum ſignatoribus auſpex.*

Adde inf. cap. XXIX.

Casaubon.

26. *Plautiam Urgulanillam.*] Amplexi ſumus lectionem, quam ex libro veteri profert Torrentius: cujus clara veſtigia in codd. Pithœi, in quibus ſcriptum vacillante manu hic quidem *Urgulanillam*, mox vero *Ergulanillam.* in Viterb. ſcriptum liquido *Herculanillam:* ſed, quod manifeſto apparet, ἐκ δευτέρας φροντίδος: nam prius aliter exaratum fuerat principium ejus dictionis, & quidem utroque loco. In regiis exemplaribus duobus *Ergulanilla:* in tertio *Herculanilla.*

Varior.

26. *Barbati Meſſallæ conſobrini ſui.*] Diſſimulant interpretes, quomodo hic Meſſalla Claudio conſobrinus. Dicam ego. Ex L. Domitio & Antonia majore natus eſt Cn. Domitius pater Neronis Principis, & item Lepida amita ejuſdem. Hæc Lepida eſt illa ipſa, quæ nupta Valerio Meſſallæ, & quæ Meſſallinæ mater. At Claudius natus ex Druſo & minore Antonia, uti clarum. Vides ergo Claudium & Lepidam Domitiam (id enim duplex illi nomen) vere conſobrinos. Atque hac ratione fortean maritum ipſum Lepidæ Suetonius dixerit Claudii conſobrinum. Tamen tutius putarim legi, *Barbati Meſſallæ & conſobrinæ ſuæ filiam.* Lipsius.

concione apud prætorianos, *Quatenus ſibi matrimonia male cederent, permanſurum ſe in cœlibatu: ac niſi permanſiſſet, non recuſaturum confodi manibus ipſorum.* Nec durare valuit, quin de conditionibus continuo tractaret, etiam de Petinæ, quam olim exegerat, deque Lolliæ Paullinæ, quæ C. Cæſari nupta fuerat. Verum illecebris Agrippinæ, Germanici fratris ſui filiæ, per jus oſculi & blanditiarum occaſiones pellectus in amorem, ſubornavit proximo ſenatu qui cenſeret cogendum ſe ad ducendum eam uxorem, quaſi Reip. maxime intereſſet: dandamque ceteris veniam talium conjugiorum, quæ ad id tempus inceſta habebantur. Ac vix uno interpoſito die, confecit nuptias:

TORRENT.

Quatenus ſibi matrimonia.] Liber unus, *quod matr. ſibi*, alter *quia matr. ſibi*. Sed legendum *quatinus ſibi matr.* ut in optimo cod. quod alii interpretantes, & *quia*, & *quod* ſubſtituere. Horat. lib. I. Sat. III.

Denique quatinus excidi penitus vitium iræ,
Cetera item nequeunt.

Id eſt, quoniam.

Lolliæ Paullinæ.] Calig. cap. XXV. Eam Agrippina occidit. Dion & Zonaras.

Jus oſculi.] Tib. cap. XXXIV.

Qui cenſerent.] Id Vitellium feciſſe volunt. Vide Tacitum, & Zonaram.

Inceſta habebantur.] Ut contracta contra publicam honeſtatem. Juſtinian. tit. De nuptiis. Alia vero Athenis lex, de qua Terent. Phormione:

Lex eſt ut orbæ qui ſunt genere proximi
Eis nubant, & illos ducere eadem hæc lex jubet.

Nec tamen Corn. Nepoti (ſive Æmilius Probus eſt) aſſentior, cum præfatione operis ſui, *Non fuit*, inquit, *turpe Cimoni, Athenienſium ſummo viro, ſororem germanam habere in matrimonio, quippe cum cives ejus eodem uterentur inſtituto. At id quidem noſtris moribus nefas habetur.* nam & Plutarch. & Athenæus, & Suidas in eo graviter id reprehendunt, ut contra leges admiſſum.

CASAUBON.

Quatenus ſibi matrimonia male cederent.] *Quatenus* ſcriptum in MSS. non *quatinus* ut præcepit Feſtus, & ſcribi obſervavimus in antiquis Juvenalis membranis, quarum copiam nobis fecit V. CL. & amiciſſimus Dionyſius Gothofredus Juriſconſultus. eandem ſcripturam conſtanter ſervatam in veteribus libris Pauli Diaconi De geſtis Longobardorum, & aliis nonnullis notare inter legendum meminimus. At apud Florum & alios non paucos non minore conſtantia *quatenus* pro quoniam, exaratum reperias.

Subornavit proximo ſenatu, qui cenſeret cogendum ſe ad ducendum eam uxorem.] Plane iſtum Claudii mimum multis poſt ſeculis retulit Michael Imperator: qui uxore mortua cœlibatum initio profeſſus, mox in Euphroſynæ virginis Chriſto devotæ amorem pellectus, ne levitatis notam ſubiret, ſubornavit qui cogendum Imperatorem cenſeret ad ducendum uxorem. Urgere igitur ſenatus; ille recuſare & abominari. quid multa? vix tandem multis ſenatus precibus exorari ſe paſſus Imperator eſt. Lege Cedrenum.

Dandamque ceteris veniam talium conjugiorum, quæ ad id tempus inceſta habebantur.] Non eſt dubium, ante hanc conſtitutionem Claudianam inceſta Romæ eſſe habita conjugia, ſive patrui cum fratris filia, ſive avunculi cum fratris ſorore. utriuſque conjunctionis eadem eſt & par ratio. neque ſunt audiendi qui tradunt illa quidem fuiſſe permiſſa, at non iſta. hæc quoque Claudii conſtitutio non diu obtinuit, hoc eſt, non ultra Nervam. de quo ſcribit Xiphilinus e Dione: ἐνομοθέτησε δὲ ἄλλα τε, καὶ περὶ τοῦ μὴ εὐνουχίζεσθαί τινα, μήτε ἀδελφιδῆν γαμεῖν. *conſtitutiones cum aliis de rebus fecit, tum de non caſtrandis maribus, & ne fratris filiam ducere uxorem liceret.* atque hunc Dionis locum opportune ſuggeſſit mihi Fridericus Oueni Guntherus, adoleſcens Germanus: quem præſtantiſſimi viri Joannis Caſelii commendatio quum mihi primum conciliaſſet, ſua mox virtus & eruditio chariſſimum reddiderunt.

VARIOR.

Per jus oſculi.] Qui ſæpius & aperte ut fratris filia in Claudii complexus, & oſcula ſeſe effundebat. Vetus præterea eſt, nec a Romanis, ut Cato & Plinius docent, tantum, ſed a peregrinis quoque gentibus ſervatum, ut neceſſitudine conjunctas oſculo viri exciperent. Ovidius:

Oſcula aperta dabis, oſcula aperta dabo.

SABELLICUS.

Quæ ad id tempus inceſta habebantur.] Apud Romanos quidem. Ideo Tacitus, *Nova*, inquit, *nobis in fratrum filias conjugia: at aliis gentibus ſolennia, nec lege ulla prohibita.* Athenis id licuiſſe oſtendit Iſæus & Lyſiæ vita Plutarchus. Imo ejus facti apud Hebræos exſtant exempla. Talem namque Abrahamo Saram fuiſſe Joſephus putat. Idem poſt datam legem exempla nobis dat in Herode, qui fratris

nuptias: non repertis qui ſequerentur exemplum, excepto libertino quodam, & alte-
27 ro primipilari, cujus officium nuptiarum & ipſe cum Agrippina celebravit. Liberos ex
tribus uxoribus tulit: ex Urgulanilla Druſum & Claudiam: ex Petina Antoniam:
ex Meſſallina Octaviam, & quem primo Germanicum, mox Britannicum cognomina-
vit. Druſum Pompejis impuberem amiſit, pyro per luſum in ſublime jactato, &
a. hiatu oris excepto ſtrangulatum: cui & ante paucos dies filiam Sejani deſpondiſſet. Quo
magis miror fuiſſe qui traderent, fraude a Sejano necatum. Claudiam ex liberto ſuo
Botere conceptam, quamvis ante quintum menſem divortii natam, alique cœptam,
exponi tamen ad matris januam, & nudam juſſit abjici. Antoniam Cn. Pompejo
b. Magno, deinde Fauſto Sullæ, nobiliſſimis juvenibus, Octaviam Neroni privigno ſuo
collocavit, Silano ante deſponſatam. Britannicum vigeſimo imperii die, inque ſecundo
conſulatu natum ſibi, parvulum etiam tum, & militibus pro concione manibus ſuis
geſtans, & plebi per ſpectacula gremio, aut ante ſe retinens, aſſidue commendabat,
c. fauſtiſque ominibus cum acclamantium turba proſequebatur. E generis Neronem
28 adoptavit: Pompejum atque Silanum non recuſavit modo, ſed & interemit. Liberto-
rum præcipue ſuſpexit Poſiden ſpadonem, quem etiam Britannico triumpho inter mili-
tares viros haſta pura donavit. Nec minus Felicem, quem cohortibus & alis provin-
ciæque

ſratis filiam duxerat, & ſuam filiam fratri Pherotæ deſponderat. Vide eum Antiquæ hiſtoriæ lib. XII. & XVI. Phineo patruo promiſſa Andromede, Ovid. Metamorphoſeωn V. Id igitur apud Romanos vetitum permiſit Claudius: vetuit Nerva: permiſit Heraclitus. HUGO GROTIUS.

TORRENT.

Primipilari.] Talledium Severum, equitem Romanum, vocat Tacit. initio lib. XII. Quanquam *T. Aledius* ibi lego. ſic enim Juvenal. Sat. V.

--- tibi habe frumentum Aledius inquit,
O Libye, disjunge boves, dum tubera mittas.

27. *Druſum Pompejum puberem.*] Quare Pompejum cognominavit? An forte ob cognationem aliquam? quod ſane Tacit. innuit lib. IV. quo loco, deſponſa ei Sejani filia, conqueritur Druſus Tiberii Cæſaris filius, cerni jam Sejani effigiem in munumentis Cn. Pompeji, & communes cum Druſorum familia fore nepotes. Magis tamen placet Juſti Lipſii conjectura, ut *Pompejis* legatur, quæ urbs Campaniæ eſt. Qua lectione recepta, lego etiam *impuberem.* nam ex *Pompejis impuberem Pompejum puberem* fecit quiſpiam, ignarus ſponſalia etiam inter impuberes contrahi poſſe. Similis error Domit. cap. X.

Silano ante deſponſatam.] Duos Claudii generos, Cn. Pompejum Magnum, & L. Junium Silanum, ſup. etiam cap. IV. ex Dione commemoravimus. L. Silani meminit etiam Tacit. cujus fratrem, M. Silanum, Auguſti abnepotem vocat initio lib. XIII. Aliquid Plin. lib. VII. cap. XIII.

Fauſt. ominibus cum acclam. turba.] Melius MSS. tres, *fauſtiſque ominibus cum acclam. turba.*

28. *Poſidem ſpadonem.*] Sic Juvenal. Sat. XIV.

Ut ſpado vincebat Capitolia noſtra
Poſides.

Alii Poſidium vocant. Unde aquæ Poſidianæ in Bajano appellatæ fuerunt. Plin. lib. XXX. cap. II.

Felicem.] Hic etiam in Actis Apoſtolorum commemoratur. Tacit. & Joſeph. eum Pallantis fratrem faciunt Quod vero trium reginarum maritum vocat Sueton. id ad ſtupra referendum puto. Druſillam vero, Judæam natione, quam ſacræ etiam litteræ ei uxorem tribuunt, Azyzo, Emeſenorum regi, ante nuptam fuiſſe, auctor idem Joſephus.

CASAUBON.

28. *Nec minus Felicem.*] Claudium Felicem, qui & Antonius Felix in quinto Hiſtoriarum Tacito dictus. notus homo e ſacra Actorum hiſtoria, Joſepho, aliis.

VARIOR.

27. *Urgulanilla.*] Cod. Salmaſ. *Erculanilla*, & paullo ante *Ergulanilla*, ſicut & Palat. primus & ſecundus, tertius *Herculanilla.*

Strangulatum.] Cod. Salmaſ. *Strangylatum*, ob affinem τῶν U & Y pronunciationem. Vide ſupra ad LIV. Tib.

Cui & ante paucos dies filiam Sejani.] Scribe: *cum ei ante paucos dies filiam Sejani deſpondiſſet.* GRONOVIUS.

Deſponſatam.] Codex Salmaſ. *deſponſam.*

TOR-

(*a*) *A.U.C.* DCCLXXIII. (*b*) *A.U.C.* DCCCVI. (*c*) *A.U.C.* DCCCIII.

ciæque Judææ præpoſuit, trium reginarum maritum. Et Harpocram, cui lectica per urbem vehendi, ſpectaculaque publice edendi jus tribuit. Ac ſuper hos Polybium a ſtudiis, qui ſæpe inter duos COSS. ambulabat. Sed ante omnes, Narciſſum ab epiſtolis,

TORRENT.

Harpocram.] Hujus (quod ſciam) ſolus meminit Sueton. At Calliſtum, quem alii omnes celebrant, ſolus omiſit. Ut non abs re Calliſtum binominem fuiſſe, Bercaldus crediderit. Ac notandum jus lectica per Urbem vehendi, atque edendi ſpectacula, beneficii Principis fuiſſe, quemadmodum & jus anulorum aureorum, de quo JCti.

Polybium a ſtudiis.] Ad hunc exſtat Senecæ conſolatio in morte fratris ejus. Meminit ejuſdem Dion. Reperitur & de altero Claudii liberto a ſtudiis hæc inſcriptio: TI. CLAUDIUS LEMNIUS. D. CLAUDI. AUG. LIB. A STUDIIS.

Inter duos coss.] Spartian. Hadriano: *Cum quodam tempore ſervum ſuum inter duos ſenatores e conſpectu ambulare vidiſſet, miſit qui ei colaphum daret, & diceret, Noli inter eos ambulare, quorum adhuc potes eſſe ſervus.*

Narciſſum ab epiſt. Pallantem a rat.] Utriuſque horum divitiæ in proverbium abierunt. Narciſſi ab epiſtolis factum egregium narrat Dion. immiſſo enim poſt Claudii mortem ſibi percuſſore, omnes Claudii litteras, quæ in ſua erant poteſtate, quibuſque ſecreta adverſus Agrippinam continebantur, cremavit. Hujus potiſſimum opera Meſſallina periit. Qua de re etiam Juvenal. Sat. XIV.

- - - divitias Narciſſi
Indulſit Cæſar cui Claudius omnia, cujus
Paruit imperiis uxorem occidere juſſus.

De Pallante inſignes duæ Plinii epiſtolæ XXIX. lib. VII. & VI. lib. VIII.

CASAUBON.

Trium reginarum maritum.] Ad amores vagos Felicis eruditi homines referunt. ita ſimile fuerit illi de Julio Cæſare, *omnium mulierum virum fuiſſe.* At *maritum* heic Suetonius ait, non virum. hoc igitur ſine dubio ſignificare voluit, pullo huic Veneris tres diverſis temporibus nupſiſſe regio ſanguine prognatas mulieres. Druſillam Judæam Agrippæ regis ſororem ductam in uxorem a Felice, Joſephus narrat lib. XX. Antiquit. Sunt qui exiſtiment de altera ejuſdem uxore loqui Tacitum, in quinto Hiſtoriarum ſic ſcribentem: *Antonius Felix, per omnem ſævitiam ac libidinem, jus regium ſervili ingenio in Judæa provincia exercuit, Druſilla Cleopatræ & Antonii nepte in matrimonium accepta: ut ejuſdem Antonii Felix progener, Claudius nepos eſſet.* Neque poteſt dubitari, quin vera ſit hæc ſententia: niſi probetur Agrippa Magnus præter Cypron Phaſeli filiam, alteram quandam uxorem habuiſſe, Cleopatræ & Antonii filiam: quod nemo veterum, opinor, ſcriptum reliquit.

Cui ſpectacula publice edendi jus tribuit.] Id enim juris promiſcui non fuit, ſed ratio cenſus habita: exſtat namque apud Tacitum ſenatuſconſultum, quo cautum, *Ne quis gladiatorium munus ederet, cui minor quadringentorum millium res eſſet*, lib. IV. Annalium. Spectata etiam perſona: neque enim id fuit libertini generis hominibus permiſſum, ſaltem in Urbe, ut declarat hic locus: neque alias vilibus hominibus, unde illa indignatio duorum æqualium poetarum Juvenalis Satyra III.

Quondam hi cornicines, & municipalis arenæ
Perpetui comites, notaque per oppida buccæ,
Munera nunc edunt. & Martialis,
Das gladiatores, ſutorum regule cerdo:
Quodque tibi tribuit ſubula, ſica rapit.

Ac ſuper hos Polybium a ſtudiis.] Seneca conſolatione ad hunc ipſum, cap. XXIV. *eum animum eſſe tu credis fratris tui, ut te velit abducere ab occupationibus tuis, id eſt, a ſtudio & Cæſare?* Sed de hujus miniſterio in aula Claudii vide ibidem cap. XXVI.

VARIOR.

28. *Trium reginarum maritum.*] E quibus duæ fuerunt Druſillæ, altera M. Antonii triumviri & Cleopatræ neptis, altera Judæa ſoror Agrippæ. Antonius, qui poſt Ti. Claudius Felix, potens in aula Claudii, e liberto Antoniæ minoris matris hujus, Druſillam Antonii & Cleopatræ neptem, Cleopatræ cognomento Selenæ, Suet. Cal. 26. & Jubæ Mauritaniæ regis, de quorum conjugio vid. Dion lib. 51. filiam, Ptolemæi, quem Cajus regni paterni hæredem occidit, Dion l. 59. ſororem duxit: quod matrimonium de imparitate nemo accuſare potuit, quod Felix, etſi ſervili antea conditione, e regibus Arcadiæ ortus ferretur; Cleopatra autem regis bello capti filia eſſet. & hoc tanquam ſibi de Felice compertum narrat Tacit. V. Hiſt. Poſt cum aucta potentia a Claudio Judææ imponeretur Felix, in Agrippæ majoris genus domumque irrepſit artibus alicujus Simonis, Judæi Cyprii, magi, qui iſtius filiam pariter Druſillam, e Cypro Phaſeli Herodis M. filia natam, dimiſſam ab Azizo Emeſenorum rege, ei conciliavit: & hoc in patria ſua geſtum de homine extero ſcire potuit Joſephus. In eo fortaſſe lapſum eſſe Tacitum ſuſpicari poſſimus, quod Druſillæ Antonianæ neptis matrimonium Felici Judæam pro Cæſare curanti tribuit, quod is, cum in aula adhuc verſaretur, fortaſſe ſub Cajo, vel initiis tamen Claudii contraxerat. THOMAS REINESIUS. ep. XXVII. ad Rupertum.

28. *Et Harpocram.*] Ἁρπόκρας ex Ἁρποκράτης contractum fuiſſe videtur: ſic κατάκρας pro κατὰ κράτος. GUJET.

TOR-

lis, & Pallantem a rationibus: quos decreto quoque ſenatus non præmiis modo ingentibus, ſed & quæſtoriis prætoriiſque ornamentis ornari libenter paſſus eſt: tantum præterea acquirere & rapere, ut querente eo quondam de fiſci exiguitate, non abſurde ſit
29 dictum, *abundaturum, ſi a duobus libertis in conſortium reciperetur.* His, ut dixi, uxoribuſque addictus, non Principem ſe, ſed miniſtrum egit. Compendio cujuſque horum, vel etiam ſtudio ac libidine honores, exercitus, impunitates, ſupplicia largitus eſt: & quidem inſciens plerumque & ignarus. Ac ne ſigillatim minima quæque enumerem, revocatas liberalitates ejus, judicia reſciſſa, ſuppoſitos aut etiam palam immutatos datorum officiorum codicillos, App. Silanum conſocerum ſuum, Juliaſque, alteram

Torrent.

29. *His (ut dixi) uxoribuſque.*] Libri duo *His, (ut dictum eſt) ux.* Ego utrumque rejecerim.

Minima quæque.] MSS. omnes, & plures impreſſi, *minora quæque*, vel *quoque*.

Liberalitates ejus.] Sic quidem ex Turnebo Pulmannus, noſtri tamen codices omnes *libertates* habent. quæ ſane lectio non inidonea eſt, quandoquidem de ingratis libertis ante dixit. Quibus ſæpe non pro merito, ſed pro ſuorum libidine libertatem ademerit Claudius. Dictio tamen *ejus* effecit, ut *liberalitates* malim.

Ap. Silanum conſocerum ſuum.] Is ergo M. & L. pater fuit, de quibus ante. De Appii vero hujus morte inf. cap. XXXVII. Addit Dion, matrem Meſſallinæ ei nupſiſſe, atque inde natum odium, quod cum nuru concumbere noluerit. Fuit ergo & conſocer Claudii ob conjunctos matrimonio utriuſque liberos, & ſocer ratione conjugis Meſſallinæ.

Juliaſque.] Recte. ſic enim MSS. omnes. Quam lectionem fatetur & Sabellicus, ſed *Livias* ſubſtituit, neutras ſibi cognitas oſtendens. Dion rem explicabit, de Meſſallina loquens, his verbis: *Juliam, filiam Druſi, Tiberii filii, quæ uxor Neronis, Germanici filii, fuerat, æmulatione ducta, & alteram Juliam, Germanici filiam, interemit.* Hoc tantum monendus eſt lector, Juliam hanc Germanici filiam etiam Livillam vocatam fuiſſe, & quidem a Suetonio Caligul. cap. VII. cum eandem hic Juliam vocet, ut ſemper Dion, & hic Caji nummus æreus.



Casaubon.

Quæſtoriis prætoriiſque ornamentis ornari libenter paſſus eſt.] Scribe e Memmiano & pluribus aliis, *honorari libens paſſus eſt.*

29. *His, ut dixi, uxoribuſque addictus.*] Non placet quod quidam exiſtimant, rejiciendas eſſe voces, *ut dixi*: reſpicit enim ſine dubio quæ ſcripſit ante capite viceſimo quinto. huc pertinet quod elegantiſſime Philoſtratus ait, de Claudio loquens in vita Tyanei libro quinto: Ἀλλὰ κἀκεῖνος θηλυκὸς δὲ ὢν πολλὰ μειρακιώδη ἔπαθε καὶ μηλόβοτον γυναίοις τὴν ἀρχὴν ἀνῆκεν. Et iterum paullo poſt, ἐννοῶν τὸν χρηστὸν Κλαύδιον ὡς ὑπὸ γυναίων ἐμβροντηθεὶς, ἐπελάθετο τοῦ ἄρχειν, ἀλλὰ καὶ τοῦ ζῆν. venuſtiſſime etiam Julianus, qui Claudium abſque uxore & libertis ſuis ait eſſe inſtar earum perſonarum, quæ in fabulis mutæ introducuntur. id enim δορυφόρημα Græci vocant in hoc proverbio: ἔστι γὰρ, ait, ἐκείνων δίχα τουτὶ τῆς τραγῳδίας τὸ δορυφόρημα μικροῦ δέω φάναι καὶ ἄψυχον. ſimillime Plutarchus in extremo Alexandro, Arridæum, qui mortuo illo aliquandiu aliis, ſibi nunquam rex fuit, δορυφόρημα regiæ majeſtatis vocat, quaſi dicas ſimulacrum & mutam imaginem. ἦν γὰρ, inquit, de Perdicca loquens, ἐκεῖνος εὐθὺς ἐν δυνάμει μεγίστῃ, τὸν Ἀρριδαῖον ὥσπερ δορυφόρημα τῆς βασιλείας ἐφελκόμενος. Apud Athenæum & Lucianum δορυφόρημα idem valet ac κωφὸν πρόσωπον.

Datorum officiorum codicillos.] Principes enim officia deferebant, miſſis traditiſve codicillis. Poſtea adjecta ſunt codicillis etiam inſignia, de quibus multis locis Juſtinianus in Novellis, & affatim in Notitia utriuſque Imperii, & in eorum temporum hiſtoricis perſæpe. Græci interdum Latina voce utuntur, & κωδικέλλους vocant, ut Arrianus in Diſſertationibus Epicteti libro tertio capite nono: interdum πινακίδας. Sic accipi ea vox debuit apud eundem Arrianum libro primo cap. x. ubi de quodam loquens qui ab exſilio revocatus & Romam tendens, in itinere Epicteto affirmaverat, ſe pedem nunquam in aula poſiturum: Νῦν οὖν, inquit, τί ἐποίησε; πρὶν ἐλθεῖν εἰς τὴν Ῥώμην, ἀπήντησαν αὐτῷ παρὰ Καίσαρος πινακίδες· ὁ δὲ λαβὼν πάντων ἐκείνων ἐξελάθετο, καὶ λοιπὸν ἓν ἐξ ἑνὸς ἐπισεσώρευκεν. Syneſius epiſtola quadam ad fratrem, μετὰ τὸν ἡμερώτατον καὶ φιλοσοφώτατον Πεντάδιον τὰς πινακίδας, ἃς ἡ πολιτεία σύνθημα ποιεῖται τῆς Αἰγυπτίας ἀρχῆς, Εὐθάλιος ὁ Λαδικεὺς ἔχει λαβών. Sozomenus libro VII. cap. XXIV. δέλτους vocat. Et libro IX. cap. VII. cum ait, ὡς δέοι δέλτους αὐτὸν τιμῆσαι στρατηγοῦ δυνάμεως ἑκατέρας. Caſſiodorus non ſemel *chartas*. Suetonius in Veſpaſiano cap. VIII. *litteras*. Symmachus epiſtolarum libro

alteram Druſi, alteram Germanici filiam, crimine incerto, nec defenſione ulla data, occidit. Item Cn. Pompejum, majoris filiæ virum, & L. Silanum minoris ſponſum. Ex quibus Pompejus in concubitu dilecti adoleſcentuli confoſſus eſt. Silanus abdicare ſe prætura ante quartum Kal. Januarias, morique initio anni coactus, die ipſo Claudii & Agrippinæ nuptiarum. In quinque & triginta ſenatores, trecentoſque amplius equites Rom. tanta facilitate animadvertit, ut de nece conſularis viri renuntiante centurione, *Factum eſſe quod imperaſſet*, *negaret quidquam ſe imperaſſe*, *nihilo minus rem comprobaret*; affirmantibus libertis, officio milites functos, quod ad ultionem Imperatoris ultro procurriſſent. Nam illud omnem fidem exceſſerit, quod nuptiis, quas Meſſallina cum adultero Silio fecerat, tabellas dotis & ipſe conſignaverit: inductus, quaſi de induſtria ſimularentur, ad avertendum transferendumque periculum, quod imminere ipſi per quædam oſtenta portenderetur. Auctoritas dignitaſque formæ non defuit vel ſtanti, vel 30 ſedenti,

bro ſecundo, *ſacras litteras.* Ita accipienda vox γράμματα apud Herodianum libro primo hoc loco: ἐγκειμένων δὲ τῶν περὶ αὐτὸν θεραπόντων, οὐκ ἔτι μὲν τοῖς φίλοις οὐδὲν ἐκοινώσατο, ἐκπέμψας δὲ γράμματα, καὶ διανείμας οἷς ἐδοκίμασε τῆς ὄχθης τοῦ Ἴςρου τὴν πρόνοιαν, προστάξας τε αὐτοῖς ἀνέχειν τὰς τῶν βαρβάρων ἐπιδρομὰς, ἐπαγγέλλει τὴν ἔξοδον. Doctiſſimus Politianus interpretatur, litteras Romam miſſas a Commodo: nos putamus codicillos intelligi quibus varia variis officia mandavit Commodus, cum exercitus ſuos ordinaret, quos erat mox relicturus. Ad hujuſmodi codicillos dignitatum alludens Baſilius in homilia de hominis fabrica, Σὺ μέντοι, inquit, παρὰ θεοῦ ἔλαβες οὐκ ἐν ξύλοις γεγραμμένην, οὐδ' ἐν πτυξὶ φθαρταῖς σητῶν παραναλώμασιν (ἀρχῆς ἐξουσίαν) ἀλλ' ἀνάγραπτον ἡ φύσις ἔχει τὴν θείαν φωνὴν, Ἀρχέτωσαν. Sic litteris miſſis traditiſve dignitatem adimebant, ut apud Zoſimum lib. IV. de Valentiniano Arbogaſtem exauctorante, δέδοκεν αὐτῷ γράμματα τῆς ἀρχῆς παραλύοντα. Unde eſt, *epiſtolam* vel *codicillos ab aliquo auferre*, pro exauctorare & dignitate ſpoliare, ut in l. XX. Cod. Theodoſ. De decurionibus. in hiſtoria veteris Eccleſiæ διαπέμπειν καθαιρετικὸν hoc ſenſu non raro legere memini.

VARIOR.

Ornari libens paſſus eſt.] Palat. prim. ac ſecundus: *honorari.*

TORRENT.

Die ipſo Claudii, &c.] Bene animadverſum Lipſio ex Annali Taciti duodecimo Silani cædem in nuptiarum Claudii & Agrippinæ diem incidiſſe. Itaque locum hunc omnem vera interpunctione ſic emendat, *morique initio anni coactus, die ipſo Claud. & Agr. nuptiarum. In quinque*, &c. Equidem redeo in viam, & hanc ei obſervationem lubens imputo.

Renunciante centurione.] Similis locus Tib. cap. XXII.

Tabellas dotis.] Juvenal. de nuptiarum officio loquens, *Signatæ tabulæ, dictum Feliciter, ingens Cæna ſedet, gremio jacuit nova nupta mariti*, Sat. II. His adde quæ paulo ante notavimus cap. XXVI. & Ner. cap. XXIV. Apud JCtos quoque *tabulæ nuptiales*, & *tabulæ dotales*, l. XXXI. De donationibus, l. XII. De dote relegata, l. penult. De donat. int. vir. & uxorem.

30. *Vel ſtanti vel ſedenti.*] Recte opt. codex, *verum ſtanti vel ſed.*

CASAUBON.

30. *Auctoritas dignitaſque formæ non defuit vel ſtanti vel ſedenti.*] Eginhartus de Carolo Magno: *Unde formæ auctoritas ac dignitas tam ſtanti quam ſedenti plurima inerat.* Radevicus de Friderico I. Imperatore: *Tali corporis forma & dignitas & auctoritas tam ſtanti quam ſedenti acquiritur.* Porro *dignitas formæ* in viro idem quod pulchritudo in fœmina, ut obſervat Agrætius e Cicerone pro Cœlio: atque ita Jacobus Cujacius interpretatur *dignitas certa* apud Papirium Juſtum l. pen. D. de Decurionib. Vellejus Paterculus de Pompejo: *Fuit hic forma excellens, non ea qua flos commendatur ætatis, ſed ex dignitate conſtanti.*

VARIOR.

29. *Ultro procurriſſent.*] Codex Salmaſ. *procucurriſſent.*

Ad transferendum periculum.] Senſus eſt: Ex quibuſdam portentis harioli prædixerant periculum imminere Imperatori: quod ut Claudius propulſaret, in alterumque transferret, permiſit ut Meſſallina nuberet Silio, ut ita in Silium, tanquam in Imperatorem periculum ipſi imminens transferretur. Nam quemadmodum licebat apud antiquos conſuli, & prætori pro ſe alium civem devovere, ita periculum transferri poſſe putabatur ab uno ad alterum. BEROALDUS. Neron. capite XXXVI. *Ex Babilo aſtrologo didicit, ſolere reges talia oſtenta cæde aliquā illuſtri expiare, atque a ſemet in capita procerum depellere.*

30. *Vel ſtanti vel ſedenti.*] Codex Salmaſ. & *veterum ſtanti vel ſedenti.*

TOR-

ſedenti, ac præcipue quieſcenti. Nam & prolixo, nec exili, corpore erat: & ſpecie canitieque pulcra, opimis cervicibus. Ceterum & ingredientem deſtituebant poplites minus firmi, & remiſſe quid vel ſerio agentem multa dehoneſtabant. Riſus indecens: ira turpior, ſpumante rictu, humentibus naribus: præterea linguæ titubantia, caput-
31 que, cum ſemper tum in quantulocumque actu vel maxime tremulum. Valetudine ſicut olim gravi, ita princeps perproſpera uſus eſt, excepto ſtomachi dolore. Quo ſe
32 correptum etiam de conſciſcenda morte cogitaſſe dixit. Convivia agitavit & ampla & aſſidua, ac fere patentiſſimis locis, ut plerumque ſexcenteni ſimul diſcumberent: Convivatus eſt & ſuper emiſſarium Fucini lacus, ac pæne ſubmerſus, cum emiſſa impetu aqua redundaſſet. Adhibebat omni cœnæ & liberos ſuos cum pueris puelliſque nobilibus, qui more veteri ad fulcra lectorum ſedentes veſcerentur. Convivæ, qui pridie ſcyphum aureum ſurripuiſſe exiſtimabatur, revocato in diem poſterum, calicem fictilem appoſuit. Dicitur etiam meditatus edictum, *quo veniam daret flatum crepitumque ventris*

TORRENT.

Spumante rictu.] Hinc de Agrippinæ boleto loquens Juvenal. Sat. VI.

- - - *Siquidem unius præcordia preſſit*
Ille ſenis, tremulumque caput deſcendere juſſit
In cœlum, & longum manantia labra ſalivam.

Præterea linguæ titubantia.] Bene Pulmannus, ut in tribus noſtris MSS. non *plectra linguæ titub.* Sic Vitel. cap. VI. *titubantia oris.*

Tum ſemper, tum.] Melius *cum ſemper, tum,* ut in vetuſto codice.

31. *Stomachi dolore.*] Græci καρδιαλγίαν vocant. Unde & *cardiaci*, qui eo morbo laborant. Quo vocabulo Latini quoque uſi ſunt, Juvenal. Sat. V. Plin. XXIII. cap. I. Celſ. lib. III. cap. XIX.

32. *Plerumque ſexcenteni.*] Liber opt. *ſexceni.* Neque emendationem ſuam temere mihi probaverit vir doctus, cui placitum *ſexageni.* quid enim agimus patentiſſimis locis, ſi convivæ duntaxat ſexageni? At ſexceni epulum publicum, non convivium. Mane. Qui id credam? nam ecce, mitto jam equites, mitto populum, quid? epulum publicum fuerit in quo non integer ſenatus, ne magno intervallo quidem?

Ad fulcra lectorum ſedentes veſcerentur.] Sic Aug. cap. LXIV. *nec cœnavit una niſi ut imo lecto aſſiderent.* De Auguſti liberis loquitur. *Imum* igitur *lectum* illic, quod hic *fulcra lectorum* vocat. nam fulcrum lecti pars eſſe videtur. Itaque Ulpian. *Legato* (inquit) *lecto fulcra quoque continentur.* Ut ad imam fulcri partem ſediſſe pueri videantur. Quem morem etiam Tacit. oſtendit, ut Principum liberi cum ejuſdem ætatis nobilibus ſedentes veſcerentur in aſpectu propinquorum propria & parciore menſa. Sed & Dionis locus de Cajo Principe huc ſpectat, cum ait: *Ibi Pomponius Secundus Cos. ad pedes ejus aſſidens, cibum capiebat, ac ſubinde demiſſo capite eos deoſculabatur.* De fulcro lecti, ſed cubitorii, notandus etiam Gellii locus lib. X. cap. XV. *neque apud ejus lecti fulcrum capſulam eſſe.* Loquitur de Flamine Diali.

Convivæ.] Is fuit T. Vinius, (ſi Tacito credimus lib. I. Hiſtor.) de quo Galb. cap. XIV.

Flatum crepitumque ventris.] Sic ex Turnebo Pulmannus. Libri noſtri *efflatum* habent. Male autem Beroaldus, qui huc refert locum Plinii de menſarum auguriis lib. XXVIII. cap. II. cum inquit, *Cibus a manu prolapſus reddebatur, vetabantque munditiarum cauſa deflare.* hoc eſt, ſi quid ſordidum erat, flando tollere.

CASAUBON.

Opimis cervicibus.] Quod ſignum eſſe hominis ἀναισθήτου conſentiunt omnes τῆς φυσιγνωμονικῆς auctores, & confirmat unice hoc exemplum.

31. *Præterea linguæ titubantia, caputque tremulum.*] Adde & *manus* ex Dione: qui linguæ titubantiam ex tremore capitis profectam ſcribit: τὸ δὲ σῶμα, inquit, νοσώδης, ὥς τε καὶ τῇ κεφαλῇ καὶ ταῖς χερσὶν ὑποτρέμειν, καὶ διὰ τοῦτο καὶ τῷ φωνήματι ἐσφάλλετο.

32. *Ut plerumque ſexcenteni ſimul diſcumberent.*] Memmianus corrupte *ſeſceni.* mihi non diſplicet Juſti Lipſii conjectura *ſexageni.* maxime propter vocem *plerumque.* neque enim fit mihi veriſimile Claudianis pleriſque conviviis tantam interfuiſſe turbam.

Flatum crepitumque ventris in convivio emittendi.] Ita Viterbienſ. non *efflatum*, ut vulgo: cod. Liſlæi, *& flatum.* Vere autem docuit ad Catullum Scaliger ex Cicerone & optimo Gloſſario, *flatum* hunc proprio nomine *viſionem* Latinis dici, & τὸ βδεῖν, *viſire*, vel *viſſire.* probat hoc ipſum veteris commentatoris elegans & acuta nota ad Horatii iſta verba in Arte, *Quamvis eſt monitus.* hic ſcribit ille: *Quamvis eſt, pro quamvis ſit, propter cacemphaton: ut Maro, quamvis ſit ruſtica Muſa.* Plane cacemphaton quod intelligit vetus hic magiſter, eſt ejuſmodi quale Cicero notat (lib. 9. ad fam. epiſt. 22.) in

tris in convivio emittendi: cum periclitatum quendam præ pudore ex continentia reperiſſet.
Cibi vinique quocumque & tempore & loco appetentiſſimus. Cognoſcens quon- 33
dam in Auguſti foro, ictuſque nidore prandii, quod in proxima Martis æde Saliis apparabatur, deſerto tribunali, adſcendit ad ſacerdotes, unaque diſcubuit. Nec temere umquam triclinio abſceſſit, niſi diſtentus ac madens: & ut ſtatim ſupino, ac per ſomnum hianti, pinna in os inderetur, ad exonerandum ſtomachum. Somni breviſſimi erat. Nam ante mediam noctem plerumque evigilabat, ut tamen interdiu nonnumquam in jure dicendo obdormiſceret, vixque ab advocatis de induſtria vocem augentibus excitaretur. Libidinis in fœminas profuſiſſimæ, marium omnino expers. Aleam ſtudioſiſſime luſit: de cujus arte librum quoque emiſit: ſolitus etiam in geſtatione ludere, ita eſſedo

in voce *diviſio.* quorum neutrum aſſequetur, qui veterem hanc vocem ignoraverit.

VARIOR.

32. *Quo veniam daret flatum crepitumque ventris emittendi.*] Sic quoque Palatini tres & vero periclitari homines hujuſmodi continentia, liquet item ex illo Nicandri, Antholog. lib. II. c. 44.

Πορδὴ ἀποκτείνει πολλοὺς ἀδιέξοδος οὖσα·
Πορδὴ καὶ σώζει τραυλὸν ἱεῖσα μέλος.
Ουκοῦν εἰ σώζει, καὶ ἀποκτείνει πάλι πορδὴ,
Τοῖς βασιλεῦσιν ἴσην πορδὴ ἔχει δύναμιν.

Crepitus occidit multos, cum exire nequeat: Crepitus & ſervat blæſum emittens cantum. Quare ſi ſervat & occidit rurſus crepitus, regibus æqualem crepitus habet vim. J. GRUTERUS.

TORRENT.

Ictuſque nidore.] Sic quoque optimus e noſtris, & edit. Gallica. Germanica vero, & plures MSS. *victuſque.* Horat. lib. IV. Od. V.

Sic deſideriis icta fidelibus
Quærit patria Cæſarem.

33. *Proxima Martis æde.*] Sic præter Turnebum etiam interpretes, & tres noſtri codices, nec male. ſiquidem in Auguſti foro cognoſcenti proxima erat Martis Ultoris ædes. Aug. cap. XXIX. Ubi tamen alterum etiam Martis Ultoris templum in Capitolio fuiſſe oſtendimus. Ad cujus differentiam ea quæ cum Auguſti foro exſtructa erat, Martis ædes Maxima vocari poterat, ut hic habent vulgata exemplaria, & nonnulla MSS. pro *proxima.*

Saliis apparabatur.] Huc ſpectat quod ante de Claudio legimus cap. IV. ludis Martialibus curaſſe eum triclinium Sacerdotum. Porro Pontificum cœnæ, & Saliares epulæ etiam in proverbium abierunt. Nota quoque illa Lentuli Auguris cœna apud Macrobium. Plura ad Horatium lib. I. Od. XXXVII.

Pinna in os inderetur.] Qua conſuetudine freta Agrippina, cum boleto parum proficere videretur, medici opera, tanquam vomitum provocatura, pinnam rapido veneno illitam faucibus demiſit. qua de re Tacit. extremo lib. XII. de Pinnæ uſu Martial. lib. III.

Stat exoletus, ſuggeritque ructanti
Pinnas rubentes, cuſpideſque lentiſci.

In geſtatione ludere.] *Geſtari* dicebantur olim divites, cum ſuccollantibus ſervis aut valetudinis, aut voluptatis cauſa ferebantur. Inde *geſtatio* & pro re ipſa, & pro loco in quo fieret, ſæpe utrique Plinio in uſu, & Juriſconſultis quoque l. XII. de Uſu & habitat. l. XIII. de Uſufr. & l. VII. de Manumiſſ. vind. Male ergo qui *in geſtatorio* hic legunt. Sueton. Galb. cap. VIII. *ne ad geſtandum quidem umquam iter ingreſſus.* & Domit. cap. XI. *ſimul geſtanti inquit.* Hinc *ſella geſtatoria* Ner. cap. X. Vitell. cap. XVI.

CASAUBON.

33. *Pinna in os inderetur ad exonerandum ſtomachum.*] Fit hodie, & factum olim. Apud Suidam ſcriptum ex Ariſtophanis ſcholiis, *εἰώθασιν οἱ δυσεμοῦντες πτερῷ χρῆσθαι πρὸς τὸ εὐχερῶς ἐμέσαι.* Galenus & alii Græci medici, *πτερῶν καθέτει εἰς ἔμετον παροξύνειν τὴν γαστέρα.* vide ad Athenæum lib. XI. cap. X.

Solitus etiam in geſtatione ludere.] Falluntur qui occaſione loci cujuſdam e Proſperi Chronico legendum ſuſpicantur, *geſtatione ludere*, non *in geſt.* Nam auctoris hic noſtri non minus ſcriptura liquida & certa, quam mens plana & aperta. *In geſtatione* eſt, interea dum geſtaretur, vel in ipſo geſtamine. Ludere autem in geſtatione nihil vetabat. Seneca epiſt. XV. *Geſtatio & corpus concutit, & ſtudio non officit: poſſis legere, poſſis dictare, poſſis loqui, poſſis audire.* idem epiſt. XXIX. *oſtendit mihi lepidum philoſophum Ariſtonem, qui in geſtatione diſſerebat.* Peſſime hic codices nonnulli, *in geſtatorio.*

VARIOR.

33. *Ictuſque nidore prandii.*] MSS. & veteres editi, inter quos & Roberti Stephani: *victuſque n. p.* ſed male. Mox pro *diſcubuit* codex Salmaſ. *decubuit.* dein idem pro *evigilabat*, habet *vigilabat.* & ſtatim, pro *marium*, *marum.*

Solitus etiam in geſtatione ludere.] Geſtatio veteribus Romanis crebro vel aſſiduo potius in uſu, exercitii & valetudinis gratia: idque fere ſub balnei aut cœnæ tempus. Quia, inquam, exercitii cauſa, ideo

Gloſſæ

eſſedo alveoque adaptatis, ne luſus confunderetur. Sævum & ſanguinarium natura
34 fuiſſe, magnis minimiſque apparuit rebus. Tormenta quæſtionum, pœnaſque parricidarum repræſentabat, exigebatque coram. Cum & ſpectare antiqui moris ſupplicium Tiburi concupiſſet, & deligatis ad palum noxiis carnifex deeſſet, accitum ab urbe veſperam uſque operiri perſeveravit. Quocumque gladiatorio munere, vel ſuo, vel alieno, etiam forte prolapſos jugulari jubebat: maxime retiarios, ut expirantium facies videret. Cum par quoddam mutuis ictibus concidiſſet, cultellos ſibi parvulos ex utroque ferro in uſum fieri ſine mora juſſit. Beſtiariis meridianiſque adeo delectabatur,

Gloſſæ veteres explicant *Geſtationem*, γυμνασίαν: itemque *Geſtatorem*, γυμναστήν. Pretiius meliuſque eædem alibi: Αἰώρα, *Geſtatio*, & Αἰωρίζεται, *Geſtatur*. Quia autem crebra, imo aſſidua hæc geſtatio, curæ fuit; ut locus eſſet in urbe aut villis duplex, apertus & tectus. Et apertæ quidem geſtationes arboribus claudebantur ad latera: tectæ vero porticibus, opere & manu factis. Utrumque genus Juvenalis tetigit Sat. iv.

Quid refert igitur, quantis jumenta fatiget
Porticibus? quanta nemorum vectetur in umbra?

Atque eæ porticus, fortaſſe & viridaria, plerumque rotundæ, & in orbem ibant. Inſcriptio marmoris: GESTATIO. CIRCINI. EXTERIOR. A. DIÆTA. APOLLINIS. AD. DIÆTAM. EANDEM. IN. CIRCUITU. P. ∞. CC. LXXVII. Has tales ditiores etiam in ipſa urbe habebant, ſuiſque domibus. nec Martialem aliter exaudio lib. xii.

Et rus in urbe eſt, vinitorque Romanus,
Intraque limen clauſus eſſedo curſus.

Lipsius. De triplici modo geſtandi, ex eodem Lipſio dicetur ad cap. xvi. Vitell.

Torrent.

34. *Pœnaſque parricidarum.*] Auctor eſt Seneca lib. i. de Clementia, Claudium intra quinquennium plures inſuiſſe culleo, quam omnibus ante ſæculis inſuti fuerant.

Antiqui moris ſupplicium.] Ner. cap. xlix. Domit. cap. xi.

Jugulari jubebat.] Cæſ. cap. xxxvi. De Claudii vero in ſpectaculis ſævitia Dion.

Beſtiariis meridianiſque.] *Beſtiarios* vocabant eos qui cum beſtiis pugnabant, ſive judicis ſententia beſtiis objicerentur, ſive ad id conducti, aut alioqui confiſi viribus, & (ut Ulpiani utar verbis) virtutis oſtentandæ cauſa ultro in arenam deſcenderent, ſive etiam ſervi a dominis ad beſtias darentur. Qua in re tamen advertendum eſt, non omnibus noxiis permiſſum fuiſſe ut pugnando ſe defenderent, ſed pro delicti modo nunc ad ludum tantum beſtiarium damnari ſolere, ut ibi exercerentur, nunc illico ad beſtias dari, idque ut vel pugnam committerent, vel alligati palis, interdum etiam plures ſimul innexi, ab atrociſſimis beſtiis diſcerperentur, ut ex Vopiſci Aureliano manifeſtum eſt. Et hæc peculiaris erat Chriſtianorum pœna, tunc mitiſſima, cum tantum ad arenæ miniſteria, ſeu ad beſtiarum curam damnabantur. Quod etiam de ſervis addidi, id ante legem Petroniam, & ſenatuſconſulta ad eandem rem ſpectantia obtinuit. his enim vetabantur domini ſervos pro arbitrio ad beſtias tradere. Oblati vero ante judicem, ſi juſta erat domini querela, tunc demum pœnæ nomine tradebantur, ut eleganter Modeſtin. JC. l. xi. de Sicariis. Et inſigne Androcli illius exemplum exſtat apud Gellium lib. v. cap. xiv. Quoſdam etiam operam ſuam locare ad id ſolere cum ex aliis auctoribus diſcimus, tum ex Ulpiano l. i. de Poſtulando, & l. i. ad S. C. Tertullianum. Hi ergo omnes *beſtiarii* appellabantur, non alio inter ipſos ac *gladiatores* diſcrimine, quam quod hi inter ſeſe, illi cum beſtiis decertabant. Cic. pro P. Seſtio: *Præclara Ædilitas, unus leo, ducenti beſtiarii.* & ad Q. fratrem lib. ii. *Beſtiarios emerat, nec ſine iis armatis unquam in publico fuerat.* In Vatinium quoque, *Milonem dicas beſtiariis, & gladiatoribus obſediſſe remp.* Sic *ludus beſtiariorum* apud Senecam, Ep. i. lib. x. ut *ludus gladiatorum*. Utitur eo vocabulo etiam Tertullian. Apologet. Græci vim ejus optime exprimunt, cum quos nos *beſtiarios*, ipſi θηριομάχους appellant. Porro quod ſanguinarium fuiſſe Claudium ex eo probat, quod *beſtiariis, meridianiſque* potiſſimum delectabatur, ad Romanorum conſuetudinem referemus. cum enim munera edebantur, matutinis fere horis beſtiarii producebantur, inde gladiatores venationeſque circa meridiem edebantur, poſtea vero jucundiora quæque ſpectacula, ut populus a ſanguine recrearetur, atque inde læti omnes diſcederent. De matutinis igitur Martial. lib. v. Epigr. lxvi.

Dat majora novus prælia mane dies.

loquitur enim de ferarum confectoribus. Idem lib. x. Epigr. xxv.

In matutina nuper ſpectatus arena, &c.

& Xeniis Epigr. xcvi

Matutinarum non ultima præda ferarum
Sævus Oryx.

& Seneca ea quam paulo ante citavimus Epiſtola: *Nuper in ludo beſtiariorum unus e Germanis, cum ad matutina ſpectacula pararetur*, &c. Et mox, *Cum adveheretur nuper inter cuſtodias quidam ad matutinum ſpectaculum miſſus.* Sed & lib. iv. de Ira: *Inter matutina arenæ*

tur, ut etiam prima luce ad ſpectaculum deſcenderet: & meridie, dimiſſo ad prandium populo, perſederet: præterque deſtinatos, etiam levi ſubitaque de cauſſa, quoſdam committeret, de fabrorum quoque ac miniſtrorum, atque id genus numero, ſi ἀυτόματον, vel pegma, vel quid tale aliud parum ceſſiſſet. Induxit & unum ex nomencu-

arenæ ſpectacula. Paulatim vero ad mitiora procedi ſolere idem Seneca oſtendit Epiſt. VII. *Cum in meridianum incidi, luſus exſpectans, & ſales, & aliquid levamenti, quo hominum oculi ab humano cruore acquieſcant, contra eſt.* & poſt pauca, *Mane leonibus & urſis homines, meridie ſpectatoribus ſuis objiciuntur.* Sed & Tertullian. Apolog. *Riſimus inter ludicras meridianorum crudelitates Mercurium mortuos cauterio examinantem. Vidimus & Jovis fratrem gladiatorum cadavera cum malleo deducentem.* Quo etiam ſpectat Suetonii locus Aug. cap. XLIV. & quod Auguſtin. lib. VIII. Confeſſ. ſpectaculum Circenſium pomeridianum appellat. Et hæc quidem ut plurimum ſic fiebant, interdum vero aliter obſervatum. nam & Circenſibus poſt miſſus aliquot ſæpe venationes, aut gladiatorum paria interponebantur, & Curio ligneo illo amphitheatro ſuo, de quo Plin. lib. XXXV. cap. XIII. gladiatores poſtremos produxit.

CASAUBON.

34. *Pœnaſque parricidarum repræſentabat.*] Hoc eſt, ſine dilatione exigebat. Valerius Max. lib. VI. cap. V. *Cum liceret culpam vel diſſimulare vel errore defendere: pœnam tamen repræſentare maluit, ne qua fraus fieret juſtitiæ.* Ab hac mente interpretor in Apologetico Tertulliani *poteſtatem repræſentaneam*, poteſtatem repræſentandi pœnas contemtorum Imperatoriæ majeſtatis. Verba doctoris Afri ſunt: *Majore formidine & callidiore timiditate Cæſarem obſervatis, quam ipſum de Olympo Jovem. Et merito, ſi ſciatis. Quis enim ex viventibus non cuilibet mortuo potior? Sed nec hoc vos ratione facitis, potius quam reſpectu repræſentaneæ poteſtatis.* Idem libro de Patientia: *Non illi ſaltem civitati, quæ eum recipere noluerat, iratus eſt: quum etiam diſcipuli tam contumelioſo oppido cœleſtem ignem repræſentari voluiſſent.*

VARIOR.

34. *Cum & ſpectare antiqui moris ſupplicium.*] Codex Salmaſ. *Cum expectare antiqui moris ſupplicium.*

TORRENT.

Dimiſſo ad prand. pop.] Sup. Calig. cap. LVI.

Ἀυτόματον, *vel pegma.*] Lib. vetuſtiſſimus *automatum.* Et ſane ita ſcripſiſſe credo Suetonium, cum non minus quam *pegma* in uſu fuerit. Unde *automarii* pro ἀυτοματουργοὶ, in veteri quodam lapide Romæ ſub monte Quirinali: SATURNINO FABRO AUTOMATARIO P. DOMITIUS MAXIMUS AMICO. Sed & Ulpian. l. XLI. de Legatis I. *automataria* vocat ea, quæ per ſe moveantur. Græci νευρόσπαστα appellant. quod Horat. exprimit lib. II, Sat. VII.

Duceris ut nervis alienis mobile lignum.

Ubi plura ſcripſimus.

CASAUBON.

Et meridie dimiſſo ad prandium populo perſederet.] Dio, τοὺς διὰ μέσου τῆς θέας παρὰ τὸν τοῦ ἀρίστου καιρὸν κατακοπτομένους ἥδιστα ἐθεώρει.

Si ἀυτόματον, vel pegma, vel quid tale aliud parùm ceſſiſſet.] Petro Fabro placet *alicui* pro *aliud.* quid ſi ita? *tale aliquid alicui.*

Induxit & unum ex nomenculatoribus ſuis, ſicut erat togatus.] Lego, *ſicut erat, togatum.*

VARIOR.

Ut etiam prima luce.] Codex Salmaſ. *ut & prima luce.*

Si ἀυτόματον.] Cum Suetonius Latinis litteris ſcripſiſſet *automatum*, perperam librarii plerique ex eo *aut ornatum* fecere. Automata vero appellari ſolita, quæ ita mechanici fabricabantur, ut ſua ſponte efficere quippiam, velut ignara cauſſà, viderentur. Qualia nunc aut horologia ſunt, aut verſatiles quæpiam machinæ, in quibus imagunculas occulta vi curſitantes, ludibundaſque miramur. Quales etiam vel fontes, vel ignes ipſi quodam artificioſo temperamento, ſpecieque nova, certis intervallis aquas, flammaſve jaculantes. Homerus in III. Rhapſodia, veniſſe ad dapes Menelaum dicit ἀυτόματον, id eſt, ut Euſtathius exponit, non cujuſpiam vocatu, quaſi a ſemet impulſum. Philoſophus Heron in Pneumaticis, aquam exprimi ait in ſublime ἀυτόματον, id eſt, ſpontalem, de ſphæra concava, quam deſcribit: ſicuti cornicem quoque confingit, quæ ſe ad aviculas itidem factas convertat ἀυτομάτως. Ut omnia quo diximus intellectu ſint audienda. POLITIANUS. Sup. cap. XXI. *exciente buccina Tritone argenteo, qui medio lacu per machinam emerſerat.* Codex Salmaſ. *automatum* Latinis litteris.

Vel pegma.] Pegmata appellarunt machinas quaſdam e ligno, quibus uſus in Theatris aut Arenis. Gloſſæ priſcæ πῆγμα interpretantur *confixum*: & docte Apulejus *confixilem machinam* dixit, alluſione ad vim ipſam verbi. In his pegmatis varia inventa, & ſtupendi luſus ingeniorum, de quibus Auguſtinum loqui ſentio: *Ad quam ſtupenda opera induſtria humana pervenit: quæ in Theatris mirabilia ſpectantibus, audientibus incredibilia, facienda & exhibenda molita eſt:* LIPSIUS. Vide & Caſauboni notam ad cap. XXVI. Calig.

TOR-

35 menculatoribus ſuis, ſicut erat togatus. Sed nihil æque quam timidus ac diffidens
fuit. Primis imperii diebus, quamquam, ut diximus, jactator civilitatis, neque con-
vivia inire auſus eſt, niſi ut ſpiculatores cum lanceis circumſtarent, militeſque vice mi-
niſtrorum fungerentur: neque ægrum quemquam viſitavit niſi explorato prius cubiculo,
culcitiſque, & ſtragulis prætentatis, & excuſſis: reliquo autem tempore ſalutatori-
bus ſcrutatores ſemper appoſuit, & quidem omnibus, & acerbiſſimos. Sero enim,
ac vix remiſit, ne fœminæ prætextatique pueri & puellæ contrectarentur, & ne cujus
comiti aut librario calamariæ aut graphiariæ thecæ adimerentur. Motu civili cum
eum Camillus non dubitans etiam citra bellum poſſe terreri, contumelioſa & minaci &
contumaci epiſtola cedere imperio juberet, vitamque otioſam in privata re agere: dubi-
36 tavit, adhibitis principibus viris, an obtemperaret. Quaſdam inſidias temere delatas
adeo expavit, ut deponere imperium tentaverit. Quodam, ut ſupra retuli, cum ferro
circa ſacrificantem ſe deprenſo, ſenatum per præcones propere convocavit, lacrymiſque
& vociferatione miſeratus eſt conditionem ſuam, cui nihil tuti uſquam eſſet: ac die
publico abſtinuit. Meſſallinæ quoque amorem flagrantiſſimum, non tam indignitate
contumeliarum, quam periculi metu abjecit, cum adultero Silio acquiri imperium
credidiſſet: quo tempore fœdum in modum trepidus ad caſtra confugit, nihil tota
37 via, quam, eſſet ne ſibi ſalvum imperium, requirens. Nulla adeo ſuſpicio, nullus
auctor tam levis exſtitit, a quo non mediocri ſcrupulo injecto ad cavendum ulciſcen-
dumque compelleretur. Unus ex litigatoribus, ſeducto in ſalutatione affirmavit ſe
vidiſſe per quietem, occidi eum a quodam: deinde paullo poſt, quaſi percuſſorem
agnoſce-

TORRENT.

35. *Jactator civilitatis.*] Cæſ. cap. LXIV. Aug. c. LI.

Spiculatores cum lanceis.] Lib. probatiſſimus *ſpeculatores*, atque ita legendum eſſe docuimus Calig. cap. LII. Exſtant etiam hæ inſcriptiones: P. ÆLIO MUCIANO SPEC. LEG. II. ADJUT. VITALIANUS ET VITALIS AVUNCULI. Altera: SCHOLA SPECULATORUM LEG. I. ET. II. ADJUTRICUM PIARUM FIDELIUM. Additum *cum lanceis*, quo *δορυφόρυς* eos ſpeculatores fuiſſe intelligamus.

Scrutatores.] Plura Veſp. cap. XII. *Conſuetudinem ſalutantes ſcrutandi*, &c.

Comiti aut librario.] Ner. cap. XXXVI. *Cujus* etiam, non *cuivis*, cum Frobenio lego.

Graphiariæ thecæ.] Ne graphiis peteretur. nam & Cæſar Caſcæ brachium graphio trajecit, & Cajus ſenatorem graphiis in Curia confodi curavit. Seneca etiam lib. I. de Clementia, quendam graphiis in foro pæne occiſum ſcribit. Denique & Prudentius Caſſianum martyrem puerorum graphiis interfectum narrat.

Cum eum Camillus.] Sup. cap. XIII.

36. *Ut ſupra retuli.*] Cap. XIII.

Miſeratus eſt conditionem ſuam.] *Miſeratur is* (inquit Feſtus) *qui conqueritur aliena incommoda.* Claudius etiam ſua hic miſeratur. Et ſic eo verbo uſus etiam Cicero eſt.

CASAUBON.

35. *Niſi explorato prius cubiculo.*] Viterb. *ſcrutato pr. cub.*

36. *Fœdum in modum trepidus ad caſtra confugit.*] Tacitus, XI. A. 33. *Trepidabatur nihilominus a Cæſare: quippe Getæ prætorii perfecto haud ſatis fidebat, ad honeſta ſeu prava juxta levi.*

VARIOR.

Sicut erat togatus.] Exſtat & hæc *γραφὴ* in Palatinis omnibus, & ferri poteſt. Minus tamen ſcrupuli fuerit, ſi cum viris doctiſſimis legamus, *ſicut erat, togatum.*

35. *Niſi ut ſpiculatores.*] V. C. *niſi ubi ſpiculatores.* Addit autem *cum lanceis*, ut *δορυφόροι*, Græcum nomen, expreſſius ſignificaret. F. URSINUS. Codex Salmaſ. *ſpeculatores.*

Stragulis pertentatis.] Scribendum videtur *prætentatis*, ſupra *prætentato ſinu.* GUJET.

Dubitavit adhibitis principibus, an obtemperaret.] Sic & apud Ammianum, audito Valens Procopium arripuiſſe imperium lib. XXVI. c. 21. *Repentino pavore vias providendi turbante, couſque deſponderat animum, ut auguſtos amictus abjicere, tanquam gravem ſarcinam, cogitaret.* qui ipſi profecto tunc minime meminerant ſæpe uſurpatæ Dionyſii tyranni vocis, quæ pedibus tractum, non inſidentem equo relinquere tyrannidem dixerit debere. facile eſſe momento quo quis velit, cedere poſſeſſione magnæ fortunæ: facere & parare eam difficile ac arduum eſſe. GRUTERUS.

TOR-

agnoſceret, libellum tradentem adverſarium ſuum demonſtravit : confeſtimque is pro deprehenſo ad pœnam raptus eſt. Pari modo oppreſſum ferunt App. Silanum : quem cum Meſſallina & Narciſſus conſpiraſſent perdere, diviſis partibus, alter ante lucem ſimilis attonito, patroni cubiculum irrupit, affirmans ſomniaſſe ſe, vim ei ab Appio illatam : altera, in admirationem formata, ſibi quoque eandem ſpeciem aliquot jam noctibus obverſari retulit. Nec multo poſt ex compoſito irrumpere Appius nuntiatus, cui pridie ad id temporis ut adeſſet præceptum erat, quaſi plane repræſentaretur ſomnii fides, arceſſi ſtatim ac mori juſſus eſt. Nec dubitavit poſtero die Claudius ordinem rei geſtæ perferre ad ſenatum, ac liberto gratias agere, quod pro ſalute ſua etiam dormiens excubaret. Iræ atque iracundiæ conſcius ſibi, utrumque excuſavit 38 edicto : diſtinxitque, pollicitus *alteram quidem brevem & innoxiam*, *alteram non injuſtam fore*. Oſtienſibus, quia ſibi ſubeunti Tiberim ſcaphas obviam non miſerint graviter correptis, eaque cum invidia, *ut in ordinem ſe coactum conſcriberet*, repente tantum non ſatisfacientis modo veniam dedit. Quoſdam in publico parum tempeſtive adeuntes

TORRENT.

37. *Appium Silanum.*] Conſocerum ſuum, de quo ante cap. XXIX.

In admirationem formata.] Recte, ut admirantis formam induerit. Duo tamen MSS. *firmata.* quod damnare nolim.

Accerſi ſtatim.] Libri duo optimi *arceſſi*, alius *accerſiri*. Sed *arceſſi* legendum eſt. *arceſſere* enim etiam accuſare ſignificat. *Arceſſere aliquem capitis, arceſſere judicio, arceſſere crimine*, apud Cic. Jam ante vero Appius vocatus fuerat. Volueritque Princeps, minime malus (abſuiſſet modo libertis, & uxoribus obſequendi ignavia) inſtar aliquid judicii, aut cognitionis intercedere, ut videretur ſcilicet ſpecie tenus ſaltem & accuſatus, & condemnatus Silanus. id enim præſtat, opinor, quam cum viro docto *arceri*, *ac ſtatim mori* reſcribere.

38. *Utrumque excuſavit.*] Liber opt. *utramque.*

In ordinem ſe coactum.] Lib. unus *coacturum.* Quam lectionem ſunt qui defendere nitantur, ſed male. conquerebatur enim Claudius ſe, Principem, privati loco ab Oſtienſibus habitum. Sic Veſpaſ. cap. XV. *altercationibus inſolentiſſimis pæne in ordinem redactus.*

Tantum non ſatisfacientibus.] Sic edit. Gallica, MSS. duo, & Beroald. Alii *ſatisfaciens* legunt, ut etiam Germanica edit. Alii pro *tantum non*, *tantummodo ſatisfacientibus.* Optimus omnium *tantum non ſatisfacientis modo veniam dedit.* Quæ tres poſtremæ lectiones non eandem quidem ſententiam reddunt, ſed tamen vim verbi *ſatisfacere*, de quo Cæſ. cap. LXXIII. aperte indicant. Ut ſenſus ſit, Claudium, tam vehementer iraſcentem, ita mox ſe repreſſiſſe, ut tantummodo ſatisfacientibus, hoc eſt, dicentibus nolle eſſe factum, ignoſceret, vel, quod amplius eſt, ipſe inter ignoſcendum ſatisfacere quodammodo, ac factum deprecari videretur. Pulmanni ſane lectio omnino rejicienda eſt, & ex aliis ea potius retinenda quæ optimi cod. auctoritate nititur. Quanquam Germanica etiam valde placet.

CASAUBON.

38. *Repente tantum non ſatisfacientibus veniam modo dedit.*] Magnam & nos librorum varietatem hic offendimus. Viterb. & Liſlæi *ſatisfacientes mo. v. d.* Pithœi, *rep. tantum non ſatisf. v. m. d.* Alii *tantummodo ſatisf. veniam dedit.* ego probem cum Torrentio *tantum non ſatisfacientis modo veniam dedit.* non diſſimilis illa ad eoſdem Oſtienſes oratio, quæ cap. XL. refertur, *nihil habere ſe vociferatus eſt, quare eos demereatur : ſi quem alium & ſe liberum eſſe.* neutrum Principi conveniebat, neque hæc oratio, neque ſuperius factum. *Satisfacere* eſt vultu geſtuque ad humilitatem compoſito delicti veniam petere. ita hic Suetonius accipit : ita alii, & ita etiam in his libris alio loco. Sic accipe in iſto Martialis argutiſſimo diſticho :

Nil in te ſcripſi, Bithynice : credere non vis,
Et jurare jubes : malo ſatisfacere.

Luſit elegantiſſime in ancipiti ſignificatu vocis *ſatisfacere.* Amici offenſa tollitur duobus modis : vel ſi feciſſe negemus : vel ſi factum excuſemus, & peccatum nobis condonari ſupplici prece petamus. Bithynicus Martialem jurare voluit non eſſe factum a ſe, quod ille arguebat : recuſat poeta jurare, & ait *malo ſatisfacere.* poteſt intelligi malle illum, ut hominem religioſum, deprecari culpam quam jurare. at ille ſenſit, paratum ſe potius fateri id, cujus arguebatur.

VARIOR.

37. *Etiam dormiens excubaret.*] E contrario inſomnium attulit perniciem illuſtri equiti Romano, tanquam ſecundum quietem vidiſſet Claudium pampinea corona, vel, ut alii prodidere, ſpicea corona evinctum, ſpicis retro converſis : adeo illo tempore

tes manu ſua repulit. Item ſcribam quæſtorium, itemque prætura functum ſenatorem, inauditos & innoxios, relegavit: quod ille adverſus privatum ſe intemperantius affuiſſet: hic, in ædilitate inquilinos prædiorum ſuorum contra vetitum cocta vendentes multaſſet, villicumque intervenientem flagellaſſet. Qua de cauſſa etiam coërcitionem popinarum ædilibus ademit. Ac ne ſtultitiam quidem ſuam reticuit, ſimulatamque a ſe ex induſtria ſub Cajo, quod aliter evaſurus perventuruſque ad ſuſceptam ſtationem non fuerit, quibuſdam oratiunculis teſtatus eſt. Nec tamen perſuaſit, quam intra breve tempus liber editus ſit, cui index erat μωρῶν ἀνάστασις, argumentum autem, *ſtultitiam neminem fingere.* Inter cetera in eo mirati ſunt homines & oblivionem &
39 inconſiderantiam: vel, ut Græce dicam, μετεωρίαν & ἀβλεψίαν. Occiſa Meſſallina, paullo

pore non ſolum vigiliæ, ſed etiam ſomnia erant peſtifera, & exitialia, tam ſua, quam aliena, tam vera, quam commentitia. BEROALDUS.

TORRENT.

Manu ſua repulit.] Id in Principe indecorum.

Affuiſſet.] *Adeſſe*, pro patrocinari & advocationem præbere, frequens JCtis verbum. De quo Gell. lib. I. cap. XXII.

Cocta vendentes.] Libri MSS. omnes *coacta vendentes*, & aſſcriptum uni, *id eſt, collecta.* Sed *cocta* legendum. quod enim de Claudio ſcribit Dion, tabernas eum, quo potantes commeabant, demolitum fuiſſe, atque edixiſſe, ne quis carnem elixam aut aquam calidam venderet, id & ante imperium Claudii, præſertim ſub Tiberio, cautum fuiſſe, credendum eſt. nam & Nero interdixit, ne quid in popina cocti præter legumina & olera væniret, (Sueton. Ner. cap. XVI.) & idem feciſſe Veſpaſianum, Xiphilinus tradit. Neque abs re eſt, quod de Peſcennio Nigro Spartian. narrat commanipulationi militum, quod raptum gallinaceum una comediſſent, inter alias pœnas interdixiſſe, ne unquam focum facerent, aut coctum ſumerent, ſed pane ac frigidis veſcerentur.

Coërtionem popinarum ædilibus ademit.] Libri MSS. *coërcitionem*, ut fere in Pandectis Florent. Ulpian. l. I de Off. Præf. Urb. carnis curam, forumque ſuarium, & aliorum pecorum, armentorumque ad præfecturæ curam ſpectare tradit. Id a Claudio fortaſſis inſtitutum.

Μωρῶν ἀνάστασις.] Lib. unus e noſtris ἐπανάστασις. Sed minus placet. alterum enim ſalſius atque urbanius. Tota autem oratio ironica eſt.

39. *Inconſiderantiam.*] Liber Gifanii *inconſiderationem.* Sed illo altero uſus etiam Cicero lib. III. ad Q. fratrem.

CASAUBON.

Cui index erat μωρῶν ἀνάστασις.] Multi codd. quibus conſentit Viterb. ἐπανάστασις. At interpretamentum eidem codici manu veteri appictum ad oram, *ſtultorum exultatio* indicio eſt, lectum fuiſſe in quibuſdam libb. ἀγαλλίασις: ſed fortaſſe verius ſcriptum fuiſſe *exaltatio*, qua voce imperitus aliquis linguæ Græcæ vocem ἐπανάστασις voluerit exprimere, quæ conſpirationem ſignificat.

Argumentum autem, ſtultitiam neminem fingere.] Puto legendum, *ſtultitiam ſtultum nem. fing.*

39. Μετεωρίαν καὶ ἀβλεψίαν.] Theophraſtus ἀναισθησίαν vocat. nam plane ἀναισθησίας Theophraſteæ exempla ſunt, quæ hoc loco commemorantur. quare merito irriſa illa olim ſive Senecæ ſive Neronis orationis pars, qua laudabatur *providentia ſapientiaque Claudii*, ut refert Tacitus initio libri XIII. Idem magnus ſcriptor *oblivionem* vocat in fine XI. quam Suetonius μετεωρίαν καὶ ἀβλεψίαν. vocem ἀβλεψία uſurpat & Servius: apud quem ſic lego, ad libri octavi Æneid. verſum, *Primus init bellum.* Notat ibi Servius: *& ſcienda eſt poetæ affectatio: nam ablepſiam nefas eſt dicere.* Non multum differt ἀπὸ τῆς μετεωρίας, quam vocant iidem Græci ἐμβροντησίαν: cujus datur hoc exemplum ab Athanaſio: medicus ad ægrotum ex vulnere vocatus ubi venit, ὧν μὲν χάριν εἰσῆλθε σιωπᾷ, τῶν δὲ ἄλλων, ὧν οὐκ ἔστι χρεία αὐτοῦ, διαλέγεται. In Suetonio ſcribe cum Memm. & aliis μετεωρίαν & ἀβλεψ. non καί.

Occiſa Meſſallina, paullo poſt quam in triclinio decubuit, cur domina non veniret, requiſivit.] Scribo, *paullo poſt, cum in triclinio decubuit*, aut, *decubuiſſet.* paullo aliter narrat Tacitus XI. A. 38. *Nuntiatumque*, inquit, *Claudio epulanti periiſſe Meſſallinam, non diſtincto, ſua an aliena manu: nec ille quæſivit, popoſcitque poculum, & ſolita convivio celebravit.* prorſus contraria videtur dicere Suetonio, qui requiſitam Meſſallinam a Claudio ſcribit: cujus rei cauſſam ipſe aſſignat ſtuporem hominis mirum: ſed videamus, ne verior cauſſa ſit, amoris, nondum penitus exſtincti, impatientia: nam idem plane accidit Herodi Magno, Principi nihil minus quam μετεώρῳ καὶ ἀναισθήτῳ, cum uxorem ſuam Mariamnem occidiſſet. Joſephus Originum lib. XV. cap. XI. τοσοῦτον, inquit, ἡττῆτο τοῦ πάθους, ὥστε αὐτὸν ἤδη καὶ καλεῖν τὴν Μαριάμνην προστάξαι τοῖς ὑπηρέταις, ὡς ζῶσαν ἔτι καὶ δυναμένην ὑπακούειν.

VARIOR.

38. *Contra vetitum cocta.*] Cauſa, quare id vetuerint

ædiles

paullo poſt quam in triclinio decubuit, *cur domina non veniret*, requiſivit. Multos ex iis quos capite damnaverat, poſtero ſtatim die & in convivium & ad aleæ luſum admoneri juſſit: & quaſi morarentur, ut ſomniculoſos per nuntium increpuit. Ducturus contra fas Agrippinam uxorem, non ceſſavit omni ratione *filiam*, & *alumnam*, & *in gremio ſuo natam*, *atque educatam* prædicare. Adſciturus in nomen familiæ ſuæ Neronem, quaſi parum reprehenderetur, quod adulto jam filio privignum adoptaret, identidem divulgavit, *neminem umquam per adoptionem familiæ Claudiæ inſertum.* Sermonis vero rerumque tantam ſæpe negligentiam oſtendit, ut nec quis, nec inter quos, quove tempore, ac loco verba faceret, ſcire ac cogitare exiſtimaretur. Cum de

ædiles, hæc poteſt videri, ne res dominis interverſas ſibi diſtraherent: atque item, ne miniſterio, cui addicti, ſe ſubducerent, dum iſti invigilant mercimonio. GOESIUS.

Inquilinos prædiorum.] Id eſt, ad ipſa prædia pertinentes, ut ab iis avelli non poſſint. Quæ ratio eſt, quare l. 112. de Legat. 1. definiatur, *ſi quis inquilinos ſine prædiis, quibus adhærent, legaverit, inutile eſſe legatum.* Vide Herald. 2. de Auctor. rer. jud. 24. §. 17. IDEM.

In ædilitate multaſſet.] Officium erat ædilium, hoc in primis, punire eos, qui venderent cibaria cocta contra legem. Græci ἀγορανόμȣς appellant. BEROALDUS.

Coercitionem.] Codex Salmaſ. & Rob. Steph. edit. *coercionem.*

Nec ante perſuaſit quam intra.] Fulvius ex v. c. annotat: *Nec tamen ante perſuaſit.* Utramque, & veram ſcilicet & corruptam, lectionem collegit hic codex. Scribendum enim: *Nec tamen perſuaſit, quum intra breve tempus liber editus ſit.* GRONOVIUS. Confirmat hanc lectionem codex Salmaſianus, in quo pro *quam* legitur *quum.*

Stultitiam neminem fingere.] An *effugere* ſcribendum? id eſt, omnes eſſe ſtultos. ἐπέχω vid. C. vett. & edd. O. GUJET.

TORRENT.

Cur domina non veniret.] Proprie *dominus* dicitur, qui domui præeſt. Recte ergo ſeſe mutuo hoc nomine vocabant conjuges, ut ſæpe apud JCtos eſt cernere. Sed & eo reſpexit Virgil. cum ait:

- - - *dominum Æneam in tecta recepit.*

Iterum:

Et dominam Ditis thalamo deducere adorti.

Admoneri juſſit.] Bene ex Turnebo Pulmannus. (noſtri tamen MSS. uno demto, *admoveri* habent) ſententia enim eſt, monitos ut tum ſeria, tum ludicra capeſſerent, prout eis antea uti conſueverat. Lego etiam *conſilium*, non *concilium.*

Filiam & alumnam.] Ut puta cujus patruus eſſet. Atque ideo ob publicam honeſtatem abſtinere debebat tali matrimonio.

Adſciturus in nomen familiæ.] Lib. optimus *aſſerturus.* Vide Tacitum.

CASAUBON.

Poſtero ſtatim die, & in convivium & ad aleæ ludum admoveri juſſit.] Probamus hanc lectionem quorundam MSS. ut teſtatur etiam Urſinus. Tamen in pleriſque eſt *concilium.* Dio ſimpliciter verbo ἐπιζητεῖν hoc ipſum ſignificavit, & cauſſam ſimul adjecit: nam hoc illi ſolitum evenire, quoties metu perculſus, aliquem repente in illa ſubita animi perturbatione duci juſſiſſet: Πολλάκις, inquit, ἐξαπιναίως ἐκπλαγεὶς, καὶ κελεύσας τινὰ ἐκ τȣ͂ παραχρῆμα περιδεȣ͂ς ἀπολέσθαι, ἔπειτα ἀνενεγκὼν καὶ ἀναφρονήσας ἐπεζήτει τε αὐτὸν, καὶ μαθὼν τὸ γεγονὸς, ἐλυπεῖτό τε καὶ μετεγίνωσκεν. Eſt & apud Tacitum ſimilis ex parte hiſtoria initio libri XI. *Meſſallina*, inquit, *ad perniciem Poppææ feſtinat, ſubditis qui terrore carceris ad voluntariam mortem propellerent: adeo ignaro Cæſare, ut paucos poſt dies epulantem apud ſe maritum ejus Scipionem percontaretur, cur ſine uxore diſcubuiſſet.*

Non ceſſavit omni oratione filiam & alumnam & in gremio ſuo natam atque educatam prædicare.] Quid hoc ſtultius, aut magis abſurde poterat dici? nam qui nuptias appetunt, perſonarum ſibi conjunctarum, id potius agunt, ut cognationem diſſimulent, aut penitus negent. at Claudius tam fatuus fuit, ut Agrippinam ſubinde filiam & alumnam appellitans, ſuæ ἀνομίας & flagitii circumſtantes ſedulo admoneret. Filiæ nuptias appetere, nefas eſt omnium maximum: proximum huic, alumnæ, quæ quidem filiæ γνησίας loco fuerit habita. Imperatoris Juſtiniani ſunt verba: *Nec enim homo ſic impius invenitur, ut quam ab initio loco filiæ habuit, eam poſtea in ſuo collocet matrimonio.* vide l. XXIV. Cod. de Nuptiis. Legendum vero eſt *in omni oratione* cum Memmiano codice, & optimo quoque, non *ratione.*

VARIOR.

39. *Requiſivit.*] Cod. Salmaſ. *requiſiit.* pro *ex iis* idem *ex his.*

TOR-

de laniis ac vinariis ageretur, exclamavit in curia: *Rogo vos, quis poteſt ſine offula vivere?* deſcripſitque abundantiam veterum tabernarum, unde ſolitus eſſet vinum olim & ipſe petere. De quæſtore quodam candidato inter cauſſas ſuffragationis ſuæ poſuit, *quod pater ejus frigidam ægro ſibi tempeſtive dediſſet.* Inducta teſte in ſenatu, *Hæc,* inquit, *matris meæ liberta & ornatrix fuit: ſed me patronum ſemper exiſtimavit. Hoc ideo dixi, quod quidam ſunt adhuc in domo mea qui me patronum non putant.* Sed & pro tribunali, Oſtienſibus quiddam publice orantibus, cum excanduiſſet, *Nihil habere ſe* vociferatus eſt, *quare eos demereatur: ſi quem alium & ſe liberum eſſe.* Nam illa ejus quotidiana, & plane omnium horarum & momentorum erant, *Quid, ego tibi Theogonius videor?* & λάλει καὶ μὴ θίγγανε. multaque talia etiam privatis defor-

TORRENT.

40. *De laniis, aut vinariis.*] Græce κρεωπῶλαι & οἰνοπῶλαι. Sed *vinarii* nomen apud Latinos rarius, quo tamen etiam Plautus eſt uſus. Apud Lampridium quoque Alexandro lego *corpus vinariorum.* Eademque ratione in vetuſtis marmoribus *pomarios* & *olearios* memini legere, pro his qui poma, aut oleum vendunt. Ulpian. De Ædilit. edicto *vinarios* vocat *ſervos* vino deditos.

Deſcripſit.] Mallem *deſcripſitque*, ut quod de offula dixit ad lanios, quod nunc ſequitur, ad vinarios referatur. Quare *de laniis ac vinariis*, pro *aut vinar.* legi debere exiſtimo.

De quæſtore quodam candidato.] De candidato Principis (puto) loquitur, de quo officio Ulpian. l. I. de Off. Quæſt. Alioqui *de quæſturæ quodam candidato* dixiſſet Sueton. Lector cogitet.

Ornatrix.] Differunt ornamenta muliebria, qualia ſunt inaures, armillæ, viriolæ, a veſtimentis, ut JCti noſtri tradunt l. XXVI. & XXXVIII. de Aur. arg. Quæ ergo ornamenta ſervabant, aut ornandi officium præſtabant, *ornatrices* vocabantur. Quo vocabulo uſus Marcian. l. LXV. de Legatis III. & Feſtus in *Acus.* Sed & in marmoribus antiquis *ornatrix, tonſtrix, ſarcinatrix, ab ornamentis, a veſte, a mundo muliebri*, inter muliebria officia invenias. Juvenal. Sat. VI. *ornatrices* Græco vocabulo *coſmetas* appellare maluit, *periit libraria, ponunt Coſmetæ tunicas.*

Nihil habere ſe, quare.] Liber opt. *nihil habere vocifer. eſt quare eos dem.* nec male.

Theogonius.] Libri omnes inter ſe diſcrepant. nam & *Theogonius*, & *Telegonius*, & *Thelogonus*, & *Telegenius* ſcriptum reperias. Turneb. etiam neſcio quem *telægenium* nobis ſomniat, Adverſar. XXII. cap. XXXI. Idemque XXVII. cap. XIX. *Togonius* ex Tacito aſſerit. Verum quocunque is tandem nomine fuerit, vilem aliquem atque abjectum, omnibus tunc Romæ notum, ſignificari arbitror, cui Claudius comparari nollet. Id vero quod ſequitur Græcum eſſe vel ex eo apparet, quod in libris noſtris omnibus omiſſum eſt, uno demto, in quo lectionis quam Turneb. affirmat, Λάλει καὶ μὴ θίγγανε, id eſt, *loquere & ne attinge*, veſtigia apparent. Sed Turneb. ſibi non conſtat.

CASAUBON.

40. *Unde ſolitus eſſet vinum olim & ipſe petere.*] Nihil dici potuit ineptius aut indecentius. nam imprudens exiſtimationi ſuæ hac oratione plurimum detrahebat Cæſar. Quippe apud veteres viliſſimorum tantum hominum fuit e taberna vinum petere, non e cella ſua. Cicero in L. Piſonem: *piſtor domi nullus, nulla cella: panis & vinum a propola atque de cupa.* Plutarchus in Timoleonte, loquens de Dionyſio juniore Corinthi in ſumma tenuitate poſt amiſſam tyrannidem degente: οὐδὲν γὰρ οὔτε φύσεως ὀπότε καιρὸς, οὔτε τέχνης, ὅσον ἐκεῖνο τύχης ἔργον ἐπεδείξατο, τὸν Σικελίας ὀλίγον ἔμπροσθεν τύραννον, ἐν Κορίνθῳ διατρίβοντα περὶ τὴν ὀψόπωλιν, ἢ καθήμενον ἐν μυροπωλίῳ πίνοντα κεκραμένον ἀπὸ τῶν καπηλείων. Hic locus Plutarchi, & quid ſit *vinum de cupa* apud Ciceronem, explicat; & quam inſulſe Claudius Princeps hæc de ſe verba apud ſenatum fecerit. Aliud eſt *petere vinum de cuppa* apud beatum Auguſtinum libro nono Confeſſionum, capite octavo. Vide locum.

Quid? ego tibi Theogonius videor, & λογιώτατος?] Scribe cum Pithœi libris *Telegennius.* Inter gentes Romanas fuit & iſto nomine una. Lapis vetus, cujus mihi teſtis & index Joſephus Scaliger, DIS MANIBUS C. TELEGENNI OPTATI. *Non dubito*, inquiebat idem Scaliger, *quin hæc vera apud Suetonium lectio.* Fuit autem Telegennius hic notæ aliquis fatuitatis homo per illa tempora. Græca vox in Viterbienſi non erat, ſed adſcripta eſt in margine hæc interpretatio, *dic & loquere:* unde pronum divinare lectum ſic olim fuiſſe λέγε καὶ εἰπὲ, quod huic loco optime videtur convenire. Quid enim ineptius quam habere ſemper in ore λέγε καὶ εἰπέ. ſic in Æſchylo ridet Ariſtophanes ἥκω καὶ κατέρχομαι, & κλύειν καὶ ἀκοῦσαι. At Memmii, Pithœi, & Groſlotii libb. expreſſiſſima ſervant veſtigia ejus lectionis, quam pridem vulgavit Turnebus, Λάλει καὶ μὴ θίγγανε, *loquere & noli tangere.* Non prætermittam lectionem veterum quarundam editionum, in his Rob. Stepha-

deformia: ne dum Principi, neque infacundo, neque indocto, immo etiam pertinaciter liberalibus ſtudiis dedito. Hiſtoriam in adoleſcentia, hortante T. Livio, Sulpicio 41
vero Flavo etiam adjuvante, ſcribere aggreſſus eſt. Et cum primum frequenti auditorio commiſiſſet, ægre perlegit, refrigeratus ſæpe a ſemetipſo. Nam cum initio recitationis defractis compluribus ſubſelliis, obeſitate cujuſdam, riſus exortus eſſet: ne ſedato quidem tumultu temperare potuit, quin ex intervallo ſubinde facti reminiſceretur, cachinnoſque revocaret. In principatu quoque & ſcripſit plurimum & aſſidue recitavit per lectorem. Initium autem ſumſit hiſtoriæ poſt cædem Cæſaris Dictatoris. Sed & tranſiit ad

Stephani longiſſime a ſuperioribus omnibus recedentem, & *ἀδικά τε ἀληθῆ θαμά.* forte pro *ἀληθῆ θ' ἅμα.*

VARIOR.

40. *Ego tibi Theogonius videor?*] Et hoc conclamatum eſt. Cogitabam aliquando: *τιτιγόνιον ἢ τεττιγόνιον.* Euſtathius in tertium Iliados: *τὸν μέγιστον τέττιγα ἀχέταν καλοῦσιν οἱ παλαιοί· κεκρωπὴν δὲ τὸ ἐλάχιστον τεττίγιον· τὸ δὲ αὐτὸ καὶ καλαμαῖον· τὸ δὲ μετὰ τοῦτο τιτιγόνιον, ἴσως παρὰ τοῦ τιτίζειν.* Ariſtoteles Hiſtor. animalium 5. 30. *καλοῦσι δὲ τοὺς μὲν μεγάλους καὶ ᾄδοντας, τοὺς δὲ μικροὺς τεττιγόνια.* Nec aliter Plinius lib. 11. cap. 26. *Quæ canunt, vocantur achetæ, & quæ minores ex eis ſunt, tettigoniæ.* Proverbium fuerit, quale *Ἀκάνθινος τέττιξ.* ſed cujus aſſidua repetitio, & vocabulum in eo inſecti ruſticis quam urbanis notius, offenderet. Diceres de Claudio, quod Seneca Marcus de Albutio: *Inæqualitatem in illo mirari licebat: ſplendidiſſimus erat: idem res dicebat omnium ſordidiſſimas, acetum, pulejum & laternas & ſpongias: nihil putabat eſſe, quod dici in declamatione non poſſet.* GRONOV.

Ego tibi Theogonius videor?] *Telegennius* ex libb. Pithœi ſcribendum. Videtur fuiſſe autem Telegennius hic per illa tempora notæ fatuitatis homo. GUJET.

Et λογιώτατος] Lego, *Λάλει καὶ μὴ θίγγανε.* IDEM.

TORRENT.

41. *Hiſtoriam.*] Hiſtoriarum Claudii meminit Plin. lib. XII. cap. XVII. Sueton. ſup. XXI. Sed & quod ſcripſiſſe Claudium refert Plin. lib. VII. cap. III. hippocentaurum Theſſalia natum eodem die interiiſſe, ex hiſtoriis ejus ſumptum arbitror.

Aggreſſus eſt.] Liber opt. *adortus eſt.*

Auditorio commiſiſſet.] Hoc eſt, veluti in certamen ac contentionem varie judicantium conjeciſſet. hoc enim eſt *committere.* De quo Aug. cap. LXXXIX.

Refrigeratus ſæpe a ſemetipſo.] Id eſt, ſibi ipſe in cauſa, cur minore ſtudio audiretur, ob cachinnos ſcilicet qui inter recitandum ſubinde ei recurrerent. Ab eadem mente ſcriptum Plinio lib. VI. Epiſt. XV. *Interim Paullo* (de recitante loquitur) *aliena delitatio aliquantum frigoris attulit.* Adi quæ notamus Aug. cap. LXVI. ad illa, *rigoris ſuſpicione.*

Aſſidue recitavit.] Quemadmodum & aliorum recitationibus libenter interfuit. Plin. lib. 1. Epiſt. XIII.

Sed & tranſiit.] Abeſſe mallem particulam &. ſignificat enim mutaſſe ſententiam Claudium, ut cum ante a Cæſaris nece hiſtoriam ſcribere cœpiſſet, eo abrupto opere alterum a pace Urbi reddita aggreſſus ſit. Quare dictio *ſed* cum ſ minuſcula ſcribenda eſt, & præcedentibus annectenda. mutati enim inſtituti cauſa redditur.

CASAUBON.

Pertinaciter liberalibus ſtudiis dedito.] Philoſtratus libro quinto loquens de Claudio, *παιδείας δὲ ξυμπάσης ἐδόκει ἐρᾷν.*

Ægre perlegit refrigeratus a ſemetipſo.] Frigus & favor contraria ſunt: ut favore excitatur ſtudium, ita frigore minuitur. Inde *refrigerari καινοπρεπῶς* dictum Suetonio pro frigore & parum ſecundis acclamationibus excipi. In vita Lucani legitur: *Lucanus ægre ferens recitante ſe ſubito ac nulla niſi refrigerandi ſui cauſſa indicto ſenatu Neronem receſſiſſe, neque verbis adverſus Principem neque factis exſtantibus temperavit.* Vocem *frigus* ita uſurpat Seneca pater Controverſiarum libro ſecundo: *In hac controverſia Triarius dixerat: Non ſcies an exores, niſi ultimus dies venerit: quoad is lucebit, perſeverabo. Deinde cum ſcholaſticorum ſummo frigore: Et tu quiſquis es, carnifex, cum ſtrictam ſuſtuleris ſecurim, ante quam ferias patrem, reſpice.* In omnibus quas videre licuit editionibus ſcriptum eſt *fragore:* ſed *frigore* aſſerimus nos ex vett. codd. Quid autem appellet Seneca *frigus*, declarant quæ ſtatim ſequuntur, *belle deridebat hoc Aſinius Pollio.* Nec alienum eſt ab hoc loco, quod notant Græci grammatici: *οἱ ἀρχαῖοι,* inquiunt, *τὰ μὲν ἀηδῆ καὶ λυπηρὰ ἀπὸ τῶν ψυχρῶν ὠνόμασαν, τὰ δὲ ἡδέα καὶ τερπνὰ ἀπὸ τῶν θερμῶν.* Et apud Patres & ſcriptores alios Eccleſiaſticos voces *refrigerium* & *refrigerari* contra, in bonam partem aliquando accipiuntur: imitatione videlicet Euangeliſtarum. Apud Joſephum Ἁλωσ. lib. 11. *ψύχειν* valet tardare alicujus ſtudium & impetum. *τοῦτο ἔψυξε τὴν Φλώρου πλεονεξίαν, hoc modo refrigerata eſt Flori avaritia.*

Sed & tranſiit ad inferiora tempora.] Corrumpunt

ad inferiora tempora, cœpitque a pace civili: cum ſentiret neque libere neque vere ſibi de ſuperioribus tradendi poteſtatem relictam, correptus ſæpe & a matre & ab avia. Prioris materiæ duo volumina, poſterioris unum & quadraginta reliquit. Compoſuit & *De vita ſua* octo volumina, magis inepte quam ineleganter. Item *Ciceronis defenſionem adverſus Aſinii Galli libros*, ſatis eruditam. Novas etiam commentus eſt litteras tres,

punt hunc locum docti viri ſuis emendationibus: quibus nullum locum eſſe, itaque legi debere, ut eſt in omnibus libris, ſtatim intelligent, ubi ad illa verba, quæ mox ſequuntur, oculos mentemque adjecerint, *Prioris materiæ duo volumina, poſterioris unum & XL. reliquit.* Ad poſteriores hiſtorias pertinet hic corruptiſſimus apud Priſcianum locus, libro ſexto: *Cancer neutrum etiam invenitur, ſed quando morbum ſignificat. Claudius IV. Hiſtoriarum: Ut videret ne reſpueret, verminaret litteris addivalis, quod verminatione ad cancer provenerit.* divinabam, *lateris ulcus in alis.*

TORRENT.

A matre & ab avia.] De matre Antonia, III-viri filia, ſatis conſtat. Aviam quoque, maternam intelligo, Octaviam, Antonii uxorem, de cujus erga maritum affectu præclare Plutarch. Quanquam ne Livia quidem fortaſſis ſcribentem æquo animo tulerit, cujus ante Auguſtum maritus & ipſe Antonii partes ſecutus ſit.

De vita ſua.] Ut alii multi Principes, de quib. Aug. cap. LXXXIII.

Cicer. defenſionem.] De Aſinio Pollione, & Aſinio Gallo, qui Ciceronem inſectati ambo, inde eruditionis & eloquentiæ gloriam captarunt, ſæpe Quinctilian. Gell. quoque lib. XVII. cap. I. & paſſim Seneca Declamat. & Controverſ. libris. Sed & Plin. lib. VII. Epiſt. IV. *Legebantur* (inquit) *in Laurentino mihi libri Aſinii Galli de comparatione patris & Ciceronis.* Plura ad Horat. lib. II. Od. I.

Litteras tres.] Melius Tacit. lib. XI. *Novas litterarum formas addidit, vulgavitque.* & Quinctilian. lib. I. cap. XIII. *Neque inutiliter Claudius Æolicam illam ad uſus F litteram adjecerat.* Quo tamen loco non F, ſed Ⅎ ſcribendum. illud enim eſt digamma Claudii, in vetuſtis ejus ſæculi marmoribus paſſim occurrens. Ut, POMOERIUM TERMINAⅎIT AMPLIAⅎITQUE. pro TERMINAVIT AMPLIAVITQUE. Sic OCTAⅎIA, XVⅎIR, VIIⅎIR ſcriptum reperi, pro *Octavia*, XV*vir*, VII*vir*. Sunt qui AI diphthongum adjiciant. Quod tamen ſi recipimus, non inventam a Claudio, ſed juſſam obſervari dicemus. AIMILIUS enim in antiquis denariis ſemper ſcribitur, pro ÆMILIUS. Sed diſputatum Lipſio erudite, & accurate ad Annalem Taciti undecimum, quæ reliquæ duæ Claudianæ litteræ. Eum ſequor.

CASAUBON.

Novas etiam commentus eſt litteras tres.] Pete lucem iſti Suetonii loco ex Lipſii commentariis ad librum XI. Annalium Taciti, ubi auctor ille hoc ipſum narrat. Sed labitur ille vir eruditiſſimus vehementer, cum eodem loci verba hæc Taciti contendit tantopere eſſe corrupta: *Quippe fama eſt Cadmum claſſe Phœnicum vectum, rudibus adhuc Græcorum populis artis ejus auctorem fuiſſe. Quidam Cecropem Athenienſem, vel Linum Thebanum, & temporibus Trojanis Palamedem Argivum memorant ſexdecim litterarum formas, mox alios, ac præcipuum Simonidem, cæteras reperiſſe.* Negat vir doctus verum eſſe, Palamedem ſexdecim litteras inveniſſe, quare locum varie inſtituit emendare. nos ſcimus, numerum litterarum a Palamede inventarum varie tradi a veteribus: neque in verbis Taciti quicquam omnino eſſe mutandum. Exſtat Gorgiæ veteris rhetoris pro Palamede oratio, in qua litterarum inventor ἁπλῶς prædicatur Palamedes: obſecro, an propter litterarum trium aut quatuor, ut ajunt quidam, formas excogitatas? non ſane: ſed ſequitur declamator ille auctores, qui maximam litterarum partem ab eo inventam memoriæ prodiderant: eoſdem dubio procul & Tacitus eſt ſecutus, & cum Tacito alii multi, atque adeo fere omnes. Cedrenus: ὁ Παλαμήδης εὗρε καὶ τὰ ιϛ΄ γράμματα τοῦ ἀλφαβήτου, α, β, γ, δ, ε, ι, κ, λ, μ, ν, ο, π, ρ, σ, τ, υ. Johannes Tzetzes chiliade quinta Hiſtor. ὁ Παλαμήδης ὁ υἱὸς Ναυπλίου καὶ Κλυμένης λέγεται Πανέλλησιν ἐφευρετὴς γραμμάτων· γραμμάτων δὲ ἑκκαίδεκα. Idem chiliade duodecima: Λέγουσι γὰρ οἱ σύμπαντες εὑρεῖν τὸν Παλαμήδην, οὐ τὰ εἴκοσι τέσσαρα γράμματα καὶ ϛοιχεῖα, μόνα δὲ ἐκ πάντων δεκαέξ. Ecce conſtanter ait ſexdecim litteras inventas Palamedi, itaque omnes tradere. Reperi & qui ſeptemdecim illi tribueret: vetus Euripidis ſcholiaſtes ad Oreſtem: οὗτος ὁ Παλαμήδης λέγεται εὑρηκέναι ιζ γράμματα μήπω τότε ὄντα. niſi ſcribendum eo loco ιϛ΄.

VARIOR.

41. *Adverſus Aſinii Galli libros.*] Aſinius Pollio ille luculentus orator filium habuit Aſinium Gallum: quem, ut auctor eſt Seneca in Declamationibus, reliquit magnum oratorem. Is libros ſcripſit de comparatione patris, & Ciceronis, in quibus patrem Ciceroni longe anteponit: quod ſignificat Plinius, ſic ſcribens in VII. Epiſtolarum: *Cum libros Galli legerem, quibus ipſe parenti auſus de Cicerone dare palmam decuſque.* Claudius adverſus hos Aſinii

tres, ac numero veterum quaſi maxime neceſſarias addidit. De quarum ratione cum privatus adhuc volumen edidiſſet, mox Princeps non difficulter obtinuit, ut in uſu quoque promiſcuo eſſent. Exſtat talis ſcriptura in pleriſque libris, ac diurnis tituliſque operum. Nec minore cura Græca ſtudia ſecutus eſt, amorem præſtantiamque linguæ 42
occaſione omni profeſſus. Cuidam barbaro Græce & Latine diſſerenti, *Cum utroque*, inquit, *ſermone noſtro ſis paratus.* Et in commendanda patribus conſcriptis Achaia, *gratam ſibi provinciam*, ait, *communium ſtudiorum commercio.* Ac ſæpe in ſenatu legatis perpetua oratione reſpondit. Multum vero pro tribunali etiam Homericis locutus eſt verſibus. Quoties quidem hoſtem vel inſidiatorem ultus eſſet, excubitori tribuno ſignum de more poſcenti, non temere aliud dedit quam,

Ἄνδρ᾽ ἐπαμύνασθαι, ὅτε τις πρότερος χαλεπαίνῃ.

Denique & Græcas ſcripſit hiſtorias, Τυῤῥηνικῶν XX. Καρχηδονιακῶν VIII. Quarum cauſſa veteri

nii Galli libros condidit inſtar Apologetici defenſionem Ciceronis. BEROALDUS.

Novas etiam commentus eſt litteras tres.] Totidem etiam Tacitus ait. Planiſſime tres Claudius repperit. Æolicum digamma, cujus facies litteræ Ⅎ inverſæ. Quintilianus: *Nec inutiliter Claudius Æolicam illam Ⅎ ad hos uſus litterarum adjecerat.* Hanc tamen non Claudius ſolus inter litteras habendam cenſuit, ſed & Varro: ſi credimus Annæo Cornuto. Hoc digamma etiam hodie in lapidibus: TERMINAℲIT. AMPLIAℲITQVE. &, DIℲI. AUGUSTI. De hac ergo clarum. Secundam eruo e Priſciano lib. I. *S. & P. loco Græcæ* Ψ *fungitur. Pro quo Claudius Cæſar antiſigma hac figura* ↃC *ſcribi voluit: ſed nulli auſi ſunt antiquam ſcripturam mutare.* Antiſigma ideo, quia duo ſigmata obverſo dorſo ↃC. Hac enim ſemilunæ figura priſci Græci ſigma formabant. In tertia littera hæremus, nec auxilio eſt grammaticorum manus. LIPSIUS.

TORRENT.

In pleriſque libris ac diurnis.] Tacit. ſic: *Aſpiciuntur etiam nunc in ære publicandis plebiſcitis* (ſeu legendum eſt *ſcitis*, quod non abs re viſum Lipſio) *per fora, ac templa fixo.* Quod ergo Sueton. dicit *in libris ac diurnis*, de libris actorum intelligo, non de privata ſcriptura. Ut fortaſſis *in libris actorum diurnorum* legendum ſit, quod Sueton. veterum more dimidiatis dictionibus ACT. DIUR. exaraverit. De quo lector cogitet. Sic nimirum & apud Tacitum Annal. III. *ſcriptura actorum diurna*, & *acta Urbis diurna* lib. XIII. Sed & abſolute *populi Romani diurna* dixit lib. XVI. Sæpe etiam Plin. *invenitur in actis, legitur in actis.*

42. *Excubitori tribuno ſignum.*] Sic Calig. cap. LVI. *Prætoriæ cohortis tribuno ſignum petenti*, &c.] *Excubitor* igitur *tribunus* eſt, qui cohorti excubitorum præeſt. Tacit. extremo lib. XII. *Nero progreditur ad cohortem, quæ more militiæ excubiis adeſt. Ibi monente præfecto*, &c. Sueton. Ner. cap. VIII. *proceſſit ad excubitores.* & cap. IX. *Primo Imperii die ſignum excubanti tribuno dedit*, &c. & cap. XXI. *ſtatio militum, quæ tunc excubabat.* quocunque enim loco Imperator eſſet, aderat & militum ſtatio. Mirum autem, integrum Homeri verſum pro ſigno ab Imperatore Rom. datum. nam plerumque uno, aut altero verbo ſignum dabant. qualia: Victoria, Palma, Triumphus, Virtus, Jupiter, Mars, Venus, Cupido, Priapus, Æquanimitas, Optima mater, & ſimilia. Idem tamen refert Dion, & teſſera huic non diſſimilis apud Sueton. Galb. cap. VI.

Tyrrhenicon.] Sic libri noſtri, & *Tyrrheniacon.* Interpretes *Cyrenicon* legunt, id eſt, Rerum Cyrenaicarum. Quæ ſane illuſtres fuere, ſed quarum gloriæ Tyrrheni non cedant. Et alioqui res Carchedoniorum (quos Carthaginienſes Romani vocant) ſcribere non potuit Claudius, quin multa Cyrenaica complecteretur. bellum enim magnum atque diuturnum Cyrenenſes & Carthaginienſes de agrorum finibus geſſere. Auctor Salluſt.

CASAUBON.

Cum utroque, inquit, ſermone noſtro ſis peritus.] Memmii, Pithoei & Liſlæi *paratus.*

Ac ſæpe in ſenatu legatis perpetua oratione reſpondit.] Græce nempe, ac fortaſſe ita ſcribendum *legatis Græce perpet. or. reſp.*

Καρχηδονιακῶν octo.] Reperio in Græcorum commentariis, ut apud Stephanum de Urbibus, & in Etymologico magno, laudatum Julium Claudium qui ſcripſit *Φοινικικά.* quæ licet interpretari *Punica*, id eſt, *Καρχηδονιακά.* an igitur hic eſt Claudius Imperator? an aliquis potius, qui per manumiſſionem id nomen ſit nactus?

VARIOR.

42. *Oratione.*] Scilicet Græca, & hoc contra inſtitutum antiquorum, qui perſeveranter cuſtodiebant, ne Græcis unquam niſi Latine reſponſa darent: quin etiam ipſos Græcos per interpretem Latine loqui cogebant, nulla in re togam pallio ſubjiciendam arbitrantes. BEROALDUS.

TOR-

veteri Alexandriæ Muſeo alterum additum ex ipſius nomine: inſtitutumque ut quotannis in altero Τυῤῥηνικῶν libri, altero Καρχηδονιακῶν, diebus ſtatutis, velut in auditorio,
43 recitarentur toti a ſingulis per vices. Sub exitu vitæ, ſigna quædam nec obſcura pœnitentis de matrimonio Agrippinæ, deque Neronis adoptione dederat. Siquidem commemorantibus libertis, ac laudantibus cognitionem, qua pridie quandam adulterii ream condemnaverat: *ſibi quoque in fatis eſſe* jactavit *omnia impudica, ſed non impunita matrimonia.* Et ſubinde obvium ſibi Britannicum arctius complexus, hortatus eſt, *ut creſceret, rationemque a ſe omnium factorum acciperet*, Græca inſuper voce proſecutus, ὁ ἔρως δ' ἐπείγεται. Cumque impubi teneroque adhuc, quando ſtatura permitteret,
44 togam dare deſtinaſſet, adjecit: *ut tandem pop. Rom. verum Cæſarem habeat.* Non multoque poſt teſtamentum etiam conſcripſit, ac ſignis omnium magiſtratuum obſignavit

Torrent.

Veteri Alexandriæ Muſeo add. ex ipſ.] Mallem *additum & ipſius nomine.* ſic enim rectius intelligemus priori Muſeo alterum Claudii nomine acceſſiſſe. De Alexandriæ vero Muſeo Strab. lib. ult. Meminit ejus etiam Spartian. Hadriano.

43. Ὁ ἔρως δ' ἐπείγεται.] Varie hæc leguntur. Interpretes ὀρθῶς ποιεῖτε. Sed neutrum placet. Petr. Victorius, vir in emendandis veterum ſcriptis rara religione ac fide, Variar. lect. XXIV. cap. XIV. ex vetuſti codicis veſtigiis reponit, ὁ τρώσας καὶ ἰάσεται, ut ſignificet ſe quem Nerone adoptando læſerit, ſanaturum quoque. Quod aliquanto elegantius eſt quam Turnebi illud, ὁ τρώσας πείσεται, id eſt, *qui te læſit, pœnas dabit.* Noſtri codices aut non habent Græca, aut ita habent, ut legi commode nequeant. Nota autem Telephi ab Achille læſi; ab eodemque reſtituti, reddito ab Apolline oraculo, ὁ τρώσας ἰάσεται, hiſtoria.

Casaubon.

Veteri Alexandriæ Muſeo alterum additum ex ipſius nomine.] Omnino ita ſcribendum hic locus & ex libris, & ex hiſtoria. *Muſeum* (vel *Muſium*, ut ſcribitur in antiquis libb. & hic & apud alios) Alexandriæ appellatum eſt collegium doctorum virorum, qui publico ſumptu ibi alebantur, ut litterarum ſtudiis vacarent. Philoſtratus in vita Dionyſii Mileſii Sophiſt. Ἀνδριανὸς σατράπην μὲν αὐτὸν ἀπέφηνεν οὐκ ὀλίγων ἐθνῶν· κατέλεξε δὲ τοῖς δημοσίᾳ ἱππεύουσι, καὶ τοῖς ἐν τῷ Μουσείῳ σιτουμένοις. τὸ δὲ Μουσεῖον τράπεζα Αἰγυπτία ξυγκαλοῦσα τοὺς ἐν πάσῃ τῇ γῇ ἐλλογίμους. Idem in Polemone, κατέλεξε δὲ αὐτὸν Hadrianus, καὶ τῷ τοῦ Μουσείου κύκλῳ ἐς τὴν Αἰγυπτίαν σίτησιν. Dio Chryſoſtomus in Oratione Alexandriæ habita: Ἀλλὰ μᾶλλον Εὐριπίδην μιμεῖσθε οὕτω λέγοντα, μὴ παυσαίμην τὰς χάριτας μούσαις ἀναμιγνύς, ἀδίσταν συζυγίαν, ἵνα μὴ τὸ Μουσεῖον ὑμῖν ἄλλως εἶναι δοκῇ, τόπος ἐν τῇ πόλει, καθάπερ οἶμαι καὶ ἄλλοι τόποι μάτην προσαγορεύονται, τὸ πρᾶγμα μὴ ἔχοντες μετὰ τοῦ ὀνόματος. Muſei hujus inſtitutio antiquiſſima eſt: ac videtur a Ptolemæo Philadelpho, qui Biblia Græce vertenda curavit, & bibliothecam illam admirabilem comparavit, inſtitutum: redacta vero Ægypto in provinciæ formam, non minore liberalitate doctos ibi Auguſtus, Tiberius, cæterique Principes foverunt. Strabo: τῶν δὲ βασιλείων μέρος ἐστὶ καὶ τὸ Μουσεῖον ἔχον περίπατον καὶ ἐξέδραν καὶ οἶκον μέγαν, ἐν ᾧ τὸ συσσίτιον τῶν μετεχόντων τοῦ Μουσείου φιλολόγων ἀνδρῶν· ἔστι δὲ τῇ συνόδῳ ταύτῃ καὶ χρήματα κοινὰ καὶ ἱερεὺς ὁ ἐπὶ τῷ Μουσείῳ τεταγμένος, τότε μὲν ὑπὸ τῶν βασιλέων, νῦν δὲ ὑπὸ τοῦ Καίσαρος. Exſtat & Tyranei Apollonii epiſtola miſſa τοῖς ἐν τῷ Μουσείῳ σοφοῖς. Huic Muſeo alterum a Claudio adjectum *Claudium* eſt appellatum. Meminit ejus, quod ſciam, præter Sueton. unus Athenæus libro ſexto, his verbis: Ἀντίδοτος ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ πρωτοχόρῳ παράγει τινὰ παραπλήσιον τοῖς ἐν τῷ Κλαυδίῳ νῦν σοφιστεύουσι, ὧν οὐδὲ μεμνῆσθαι καλόν.

43. *Britannicum arctius complexus, hortatus eſt, ut creſceret.*] De Narciſſo idem Tacitus XII. A. 65. narrat: *Hæc atque talia dictitans amplecti Britannicum, robur ætatis quam maturrimum precari, modo ad deos, modo ad ipſum tendere manus, adoleſceret, patris inimicos depelleret, matris etiam interfectores ulciſceretur.*

Ὁ ἔρως δ' ἐπείγεται.] Hæc ſcriptura eſt cod. Viterbienſis, & veteris Romanæ editionis. Memmii, Pithœi, & Liſlæi præferunt quod Turnebus vulgavit, ὁ τρώσας πείσεται. Placet vero unice quod Petrus Victorius divinavit, ὁ τρώσας καὶ ἰάσεται. proverbium eſt ex oraculo natum, quod olim Telepho eſt editum. Euſtathius: ὡς δὲ ὁ Τήλεφος τὸ τραῦμα εἶχεν ἀθεράπευτον, χρᾶται. καὶ ὁ χρησμὸς ἀνεῖπε τὸ θρυλλούμενον, ὡς ἄρα ὁ τρώσας ἰάσεται. eadem verba apud Lycophronis Græcum interpretem.

Quando ſtatura permitteret.] Nam ut teſtatur ex Dione Xiphilinus, Britannicus τῇ τοῦ σώματος ἀκμῇ καὶ ὑπὲρ τὸν τῶν ἐτῶν ἀριθμὸν ἤνθει.

Tor-

vit. Prius igitur quam ultra progrederetur, præventus eſt ab Agrippina, quam præter hæc, conſcientia quoque, nec minus delatores multorum criminum arguebant. Et veneno quidem occiſum convenit: ubi autem & per quem dato, diſcrepat. Quidam tradunt, epulanti in arce cum ſacerdotibus, per Halotum ſpadonem prægustatorem: alii, domeſtico convivio, per ipſam Agrippinam, quæ boletum medicatum avidiſſimo ciborum talium obtulerat. Etiam de ſubſequentibus diverſa fama eſt. Multi ſtatim hauſto veneno obmutuiſſe ajunt, excruciatumque doloribus nocte tota, defeciſſe prope lucem. Nonnulli inter initia conſopitum, deinde cibo affluente evomuiſſe omnia, repetitumque toxico, incertum pultine addito, cum velut exhauſtum refici cibo oporteret, an immiſſo per clyſterem: ut quaſi abundantia laboranti etiam hoc genere egeſtionis ſubveniretur. Mors ejus celata eſt, donec circa ſucceſſorem omnia ordinarentur. Itaque 45
& quaſi pro ægro adhuc vota ſuſcepta ſunt, & inducti per ſimulationem comœdi, qui velut deſiderantem oblectarent. Exceſſit III. Idus Octobris, Aſinio Marcello, Acilio Aviola COSS. LXIIII. ætatis, imperii XIIII. anno. Funeratus eſt ſolenni Principum

Torrent.

44. *Quam præter hæc conſciam quoque.*] Libri MSS. quatuor *conſcientia quoque.* Nec ſane diſplicet. In Frobenio eſt *conſcii quoque.* De morte vero Claudii qui plura velit, Tacitum adeat & Dionem.

Halotum ſpad. prægustatorem.] De quo Tacit. *Is* (inquit) *inferre epulas, & guſtu explorare ſolebat.* Exſtat & hæc Romæ in hortis Julii III. Pont. Max. inſcriptio: DIS MANIBUS TI. CLAUDI AUG. LIB. ZOZIMI PROCURAT. PRÆGUSTATORUM CLAUDIA ENTOLE CONJUX VIRO BENEMERENTI ET CLAUDIA EUSTACHYS FILIA PATRI PIENTISSIMO. Haloti autem hujus mentio inf. Galb. cap. XIII.

Boletum medicatum.] Hinc titulus libelli Senecæ *ἀποκολοκύντωσις*, & quod boletos deorum cibum appellabat Nero. Sed & Juvenal. Sat. V.

Boletus domino, ſed qualem Claudius edit
Ante illum uxoris, poſt quem nil amplius edit.

Cui ſimile illud Martialis:

Boletum, qualem Claudius edit, edas.

Vide Plinium lib. XXXII. cap. XX.

45. *Velut deſiderantem.*] Sunt qui *deſidentem* legant, ſed ſine auctoritate.

Imperii XIV.] Liber opt. *quartodecimo.* De conſecratione autem Claudii Veſpaſ. cap. IX.

Casaubon.

44. *Ubi autem, & per quem dato, diſcrepat.*] Locum mortis Claudii nuſquam reperio notatum. Ut Taciti narratio eſt, non Romæ, ſed vel Sinueſſæ, vel in itinere quo Sinueſſam pergebat, occiſus prima fronte videatur: ſed attendenti quæ de Agrippina narrantur ibidem, mortuum Claudium in palatio non eſt dubium.

Quæ boletum medicatum avidiſſimo ciborum talium obtulerat.] Boleti per ſe non occidunt. *ὑπὸ τῶν βολητῶν μόνων*, innuit Galenus, *οὐδεὶς ἰσόρηται τεθνεώς.* at Claudii boletus medicatus fuit, ut omnes ſcribunt. De hoc ſcribit Ptolemæus Hephæſtionis F. *ὡς Κλαύδιον κύουσα ἡ μήτηρ, βολητῶν τοὺς μύκητας ἐπιθυμήσασα φάγοι. καὶ Κλαύδιος μύκητας πεφαρμακευμένους φαγὼν, ἀποβιώη.*

45. *Exceſſit III. Idus Octobris.*] Dio, *μετήλλαξε τῇ τρίτῃ καὶ δεκάτῃ τοῦ Ὀκτωβρίου.*

LXIV. *ætatis, imperii* XIV. *anno.*] Utrumque tempus diligentius notatum eſt Dioni: *Ζήσας ἑξήκοντα καὶ τρία ἔτη, ἀυταρχήσας δὲ ἔτη δέκα καὶ τρία, καὶ μῆνας ὀκτὼ καὶ ἡμέρας εἴκοσι.* Joſephus ſimillime: *Τελευτᾷ Κλαύδιος Καίσαρ, βασιλεύσας ἔτη δεκατρία, μῆνας ὀκτὼ, πρὸς ἡμέρας εἴκοσι.* Peccatum eſt ab Alexandrino Clemente in poſtremo dierum imperii Claudiani numero. *Ἐβασίλευσεν*, ait, *Κλαύδιος ἔτη ιγʹ, μῆνας ηʹ, ἡμέρας κηʹ.* nam ſcribendum fuerat *κʹ* tantum. non enim plures invenies a die cædis Caligulæ ad necis Claudii diem. ne mutemus tamen eam *γραφὴν*, facit aliorum Græcorum in eo numero conſenſus, ut Euſebii, apud quem etiam *novem* menſes falſo pro *octo* ſcribitur: & Epiphanii, cujus verba *Κλαύδιος ἔτη ιγʹ, μῆνας ἐννέα* (ita ſcribendum) *παρ' ἡμέρας δύο.* at Theophilus, *ἡμέρας κδʹ.* alii chronologi etiam longius a vero abeunt: quos miſſos facio. Tempus vitæ nec Dio nec Suetonius exacte notarunt: quippe dum ambo *ἀπαρτιλογοῦσιν*, ambo veritatem deſerunt. Sed hic fere Suetonii mos eſt, ut annum inchoatum pro pleno numeret. quare male ariolantur, qui ex Dione volunt ſcribi in noſtro LXIII. *ætatis.* nam præter omnes veteres codices tuentur vulgatam Eutropius, Pæanius, & alii qui e Suetonio acceptum eum numerum ſervant. Vixit autem Claudius *κατὰ τὸν ἀκριβῆ λογισμὸν* annos LXIII. menſes duos, dies XIII.

Varior.

44. *Præventus eſt ab Agrippina, quam præter hæc, con-*

cipium pompa, & in numerum deorum relatus. Quem honorem a Nerone deſtitu-
46 tum abolitumque, recepit mox per Veſpaſianum. Præſagia mortis ejus præcipua fuerunt: exortus crinitæ ſtellæ, quem cometen vocant: tactumque cœlo monumentum Druſi patris: & quod eodem anno ex omnium magiſtratuum genere plerique mortem obierant. Sed ipſe nec ignoraſſe, aut diſſimulaſſe ultima vitæ ſuæ tempora videtur, aliquot quidem argumentis. Nam & cum COSS. deſignaret, neminem ultra menſem, quo

conſcientia quoque, nec minus delatores, multorum criminum arguebant.] Editi aliquot: *conſciam quoque.* ſed poſteriores omnes: *conſcientia.* Solum Frobenii & Torrentii editio præferunt: *conſcii quoque.* quamvis ipſe non neget manuſcriptos ſuos exhibere noſtrum, idque ei haud etiam diſplicere. recte. Nam cum conſcientia aliquem arguit, urget etiam ſimul ad omne nefas. Salluſtius init. Catil. cap. 5. & 14. & rurſus cap. 15. denique oratione Philippi in ſenatu: *Ad eum concurrere homines omnium ordinum corruptiſſimi, flagrantes inopia & cupiditatibus, ſcelerum conſcientia exagitati: quibus quies in ſeditionibus, in pace turbæ ſunt; hi tumultum ex tumultu, bellum ex bello ſerunt.* Nimirum quicunque improbus eſt, arbitratur prius admiſſa facinora majore aliquo ſcelere tegi poſſe. Tacit. Ann. XI. c. 26. de Silio: *Imminentium periculorum remedium, ipſa pericula ratus.* GRUTERUS.

TORRENT.

46. *Crinitæ ſtellæ, quam cometem.*] Libri duo *quem.* Plin. Lib. II. cap. XXV. *Cometas Græci vocant, noſtri crinitas, horrentes crine ſanguineo, & comarum modo in vertice hiſpidas.* Quo loco & hujus cometæ meminit, uti & Seneca lib. VII. Quæſtionum Natural.

Ex omnium magiſtratuum genere.] Tacit. extremo lib. XII. ſigillatim enumerans, Quæſtorem, Ædilem, Tribunum, Prætorem, & Conſulem, defunctos narrat. Unde qui Magiſtratus tum dicerentur, intelligimus. Sunt tamen qui Tribunos pl. Magiſtratuum in numero fuiſſe negent, præſertim Plutarch. Quæſtione LXXXI. Rerum Roman. ſed male. Cenſorum quoque neque continuus erat magiſtratus, & multo ante creari deſierant. Ceterorum ὐδεὶς λόγος.

CASAUBON.

46. *Tactumque de cœlo monumentum Druſi patris.*] Aliter longe Dio, qui inter varia portenta quæ exceſſum Claudii præceſſerunt, ita hujus meminit, ὅ, τε σκηπτὸς ὁ εἰς τὰ δορυφορικὰ σημεῖα ἐμπεσών. & *fulmen, quo tacta ſunt militum prætorianorum ſigna.*

Sed ipſe nec ignoraſſe, aut d.] Lege, *Sed nec ipſe quidem ign.*

VARIOR.

45. *Et in numerum deorum relatus.*] Plinius in Pan. *Dicavit cœlo Tiberius Auguſtum, ſed ut majeſtatis numen induceret; Claudium Nero, ſed ut irrideret; Veſpaſianum Titus, Titum Domitianus; ſed ille, ut dei filius, hic frater ut videretur. tu ſideribus patrem* (Nervam) *intuliſti, non ad metum civium, non in contumeliam numinum, non in honorem tuum; ſed quia deum credis.* Quibus vero ritibus deorum ordinibus inſerere Cæſares ſoleant, ex parte dicet Dio in conſecratione Auguſti lib. LVI. Sed accurate imprimis, atque eleganter, rem omnem deſcribit Herodianus lib. IV. Quod vero miremur, in numiſmate veteri habemus & conſecrationem Conſtantini M. licet Chriſtiani. In eo anima ejus linteo velata, cætera nuda, in cœlum vehitur quadrigis, brachioque exſerto excipitur a brachio cœlitus porrecto. Subſcriptum vero, CONS. hoc eſt, CONSECRATIO. Sed hanc, Chriſtiano ſenſu accipere malo, non de immortalitate in terris a mortalibus collata, ſed de cœlorum gloria donata divinitus. VOSSIUS. Lepidiſſime de Claudii conſecratione Dio: Ἀγριππῖνα δὲ καὶ ὁ Νέρων πενθεῖν προσεποιοῦντο ὃν ἀπεκτόνεσαν, ἔς τε τὸν οὐρανὸν ἀνήγαγον, ὃν ἐκ τοῦ συμποσίου φοράδην ἐξενηνόχεσαν. Templum illi in Britannia dicatum, ex Senecæ Ludo diſcimus. *Parum eſt*, inquit, *quod templum in Britannia habet, quod hunc barbari colunt, & ut deum orant.* De eo ſic Tacitus Annal. XIV. *Ad hæc templum divo Claudio conſtitutum, quaſi ara æternæ dominationis adſpiciebatur; delectique ſacerdotes ſpecie religionis omnes fortunas effundebant.* Quod autem divinitatis honorem, a ſucceſſore deſtitutum, recepiſſe per Veſpaſianum dicitur, eo pertinet, quod is templum Claudii Cœlio monte, cœptum quidem ab Agrippina, ſed a Nerone prope funditus deſtructum, excitavit. Veſp. cap. IX. SCHILDIUS.

Quem honorem a Nerone deſtitutum abolitumque recepit mox per Veſpaſianum.] Scribendum videtur: *Quem honorem in Nerone deſtitutum, a. q. recepit mox Roma per Veſp.* GUJET.

quo obiit, deſignavit: & in ſenatu, cui noviſſime interfuit, multum ad concordiam liberos ſuos cohortatus, utriuſque ætatem ſuppliciter patribus commendavit. Et in ultima cognitione pro tribunali, *acceſſiſſe ſe ad finem mortalitatis*, quamquam abominantibus qui audiebant, ſemel atque iterum pronuntiavit.

C. SUETONII TRANQUILLI
DE
XII. CÆSARIBUS
LIBER SEXTUS.
NERO CLAUDIUS CÆSAR.
CAPUT I.

EX gente DOMITIA duæ familiæ claruerunt, CALVINORUM & ÆNOBARBORUM. Ænobarbi auctorem originis itemque cognominis habent L.
a. Domitium: cui rure quondam revertenti, juvenes gemini auguſtiore forma ex occurſu imperaſſe traduntur, nuntiaret ſenatui ac populo victoriam, de qua incertum adhuc erat: atque in fidem majeſtatis, adeo permulſiſſe malas, ut e nigro rutilum æriqueaſſimilem capillum redderent. Quod inſigne manſit & in poſteris ejus, ac
b.c. magna pars rutila barba fuerunt. Functi autem conſulatibus VII. triumpho, cenſuraque
d. duplici, & inter patritios allecti perſeverarunt omnes in eodem cognomine. Ac ne præno-



TORRENT.

1 EX gente Domitia duæ familiæ.] Gens in ſtirpes dividitur. Stirpes alio nomine familiæ appellantur. Quanquam familia interdum pro gente accipitur. Vide Feſtum, & Ulpianum l. CXCV. De verb. ſignif.

Ænobarborum.] Ahenobarbos vocant lapides Capitolini, & nummi veteres, qualem ſervo.





Juvenes gemini.] Hi Caſtores fuiſſe creduntur, quos pro Romano imperio ſemper excubuiſſe pluribus exemplis oſtendit Val. Max. lib. I. cap. VIII. Præſentem vero hiſtoriam narrat Plutarch. Paullo Æmilio: narrat & Dionyſius lib. VII. barbæ tamen mutatæ non meminit. Exſtant etiam veteres denarii, in quorum uno Romæ effigies, aſſcriptum, ROMA: altera vero parte juvenes duo haſtati, atque equi duo bibentes, cum hac inſcriptione, A. ALBINUS SEX. F. nam A. Poſtumio Albino Dictatore ea contra Latinos ad lacum Regillum Diis juvantibus victoria contigit, A. U. CCLVII.



VARIOR.

1. *Auguſtiore forma.*] Cod. Salmaſ. *auctiores forma.*

Qqq 2 TOR-

(*a*) *A.U.C.* DLXXXVI. (*b*) *A.U.C.* DXCIII. DCXXXII. DCLVIII. DCLX. DCC. DCCXXII. DCCLXXXV.
(*c*) *A.U.C.* DCXXXII. (*d*) *A.U.C.* DCXXXIX. DCLXIII.

prænomina quidem ulla, præterquam Cnæi & Lucii uſurparunt: eaque ipſa notabili varietate, modo continuantes unumquodque per ternas perſonas, modo alternantes per ſingulas. Nam primum ſecundumque ac tertium Ænobarborum Lucios: rurſus ſequentes tres ex ordine Cnæos accepimus: reliquos non niſi viciſſim, tum Lucios, tum Cnæos. Plures e familia cognoſci referre arbitror: quo facilius appareat ita degeneraſſe a ſuorum virtutibus Neronem, ut tamen vitia cujuſque quaſi tradita & ingenita retulerit.
Ut igitur paullo altius repetam, atavus ejus Cn. Domitius in tribunatu pontificibus of- a.2
fenſior, quod alium quam ſe in patris ſui locum cooptaſſent, jus ſacerdotum ſubrogandorum a collegiis ad populum tranſtulit: ac in conſulatu Allobrogibus Arvenis- b.
que ſuperatis, elephanto per provinciam vectus eſt: turba militum, quaſi inter ſolennia triumphi, proſequente. In hunc dixit Licinius Craſſus orator, *Non eſſe mirandum quod æneam barbam haberet, cui os ferreum, cor plumbeum eſſet.* Hujus filius c.
prætor C. Cæſarem abeuntem conſulatu, quem adverſus auſpicia legeſque geſſiſſe exiſtimabatur, ad diſquiſitionem ſenatus vocavit: mox conſul Imperatorem ab exerciti- d.
bus Gallicis, retrahere tentavit: ſucceſſorque ei per factionem nominatus, principio civilis belli ad Corfinium captus eſt. Unde dimiſſus, Maſſilienſes obſidione laborantes cum adventu ſuo confirmaſſet, repente deſtituit. Acieque demum Pharſalica occubuit. Vir neque ſatis conſtans, & ingenio truci: in deſperatione rerum, mortem timore

TORRENT.

Cn. & L.] At L. prænomen Claudii repudiarunt, Tib. cap. I. Quæ vero hic narrat Sueton. non conveniunt cum Faſt. Capitolinis. Quos vide.

Per ternas.] MSS. duo *per trinas.*

2. *A collegiis.*] Idem tradit Cic. in Rullum.

Elephanto per prov. invectus.] Id ideo fecit, quod ope elephantorum, teſte Oroſio, hoſtes deviciſſet. Triumphavit autem de Allobrogibus & Arvernis Cn. Domitius CN. F. CN. N. A. U. DCXXXI. Faſti, & epitome Livii LXI.

Licinius Craſſus.] Lib. unus *L. Craſſus.* id enim magno illi oratori Craſſo prænomen fuit, & ſic eum vocat Plin. omiſſo gentis nomine, lib. XVII. cap. I. ubi Domitii & Craſſi cenſuræ, & jurgii meminit.

Cui eſſet os ferreum, cor plumbeum.] *Os ferreum* etiam Piſoni objicit Cicero. Sed & Catull. Epigr. *pudorem Ferreo canis exprimamus ore.* Idem quod *os durum* apud Terentium, atque ipſum etiam Ciceronem. *Plumbeum* vero *cor*, aut lividum, aut tardum atque obtuſum, ut *hominem plumbeum* Plautus, & Terentius dixere.

Hujus filius prætor Cæſarem.] Libb. duo, *C. Cæſarem.* Vide Suetonium Cæſ. cap. XXIII.

Acie Pharſal. occubuit.] Non in acie ipſa, ſed poſt prælium ex caſtris in montem fugiens, ab equitibus interfectus eſt. De ejus morte Lucanus.

In deſperatione rerum.] Apud Corfinium eum Cæſar vel invitum ſervavit, cum, *Vive, licet nolis, & noſtro munere* (dixit) *Carpe diem.* ſic enim Lucan. Adde Senecam lib. II. de Benef. & Plin. lib. VII. cap. LIII.

CASAUBON.

I. *Quo facilius appareat, ita degeneraſſe a ſuorum virtutibus Neronem.*] Placet ſcriptura Viterb. & Liſlæi, *Nero.* ita & Memm.

Jus ſacerdotum ſubrogandorum a collegiis ad populum tranſtulit.] Quod poſtea Sulla mutavit, antiquata lege Domitia, quam extremo Ciceronis conſulatu Labienus retulit, annitente Cæſare. Dio lib. XXXVII.

Ac in conſulatu Allobrogibus Arveniſque ſuperatis.] Errat Suetonius, ac duos Domitios patrem ac filium confundit, ut ratio temporum docet, ac pridem moniti ſumus a viris doctis, qui Faſtos concinnarunt.

Per provinciam invectus eſt.] Viterb. & Liſlæi *vectus eſt.*

Cui eſſet os ferreum.] Dicterium in homines impudentes jactitatum: quos ſimiliter Græci vocabant χαλκοπροσώπους. B. Chryſoſtomus adverſus Judæos: Ἄκουε τί φησιν ὁ μεγαλοφωνότατος Ἡσαΐας· Γινώσκω ὅτι σκληρὸς εἶ σὺ, (πρὸς τὸν λαὸν τὸν Ἰουδαϊκὸν) καὶ νεῦρον σιδηροῦν ὁ τράχηλός σου, (τουτέστιν ἀκαμπὲς) καὶ τὸ μέτωπόν σου χαλκοῦν. τοῦτ᾽ ἐστι ἀναισχυντον. οὕτω γοῦν καὶ ἡμῖν ἔθος πολλάκις, τοὺς ἐρυθριᾷν μὴ εἰδότας χαλκοπροσώπους καλεῖν. Catullus:

--- ruborem
Ferreo canis exprimamus ore.

Lege Artemidorum libro primo, cap. XXIV.

Vir neque ſatis conſtans & ingenio truci.] Hunc Ci-

(a) *A.U.C.* DCLI. (b) *A.U.C.* DCXXXII. (c) *A.U.C.* DCXCVI. (d) *A.U.C.* DCC.

timore appetitam ita expavit, ut hauſtum venenum pœnitentia evomuerit, medicumque
manumiſerit, qui id ſibi prudens ac ſciens minus noxium temperaſſet. Conſultante au-
tem Cn. Pompejo de mediis ac neutram partem ſequentibus, ſolus cenſuit hoſtium nume-
3 ro habendos. Reliquit filium omnibus gentis ſuæ procul dubio præferendum. Is inter
conſcios Cæſarianæ necis, quamquam inſons, damnatus lege Pedia, cum ad Caſſium
Brutumque ſe, propinqua ſibi cognatione junctos, contuliſſet, poſt utriuſque interitum
claſſem olim commiſſam retinuit: auxit etiam; nec niſi partibus ubique profligatis,
M. Antonio ſponte, & ingentis meriti loco, tradidit, ſoluſque omnium ex iis qui pari
lege damnati erant, reſtitutus in patriam, ampliſſimos honores percucurrit, ac ſubinde
redintegrata diſſenſione civili, eidem Antonio legatus, delatam ſibi ſummam imperii ab
iis quos Cleopatræ pudebat, neque ſuſcipere neque recuſare fidenter, propter ſubitam
valetudinem, auſus, tranſiit ad Auguſtum: & in diebus paucis obiit, non nulla & ipſe
infamia adſperſus. Nam Antonius eum deſiderio amicæ Serviliæ Naidis transfugiſſe ja-
4 ctavit. Ex hoc Domitius naſcitur, quem emtorem familiæ pecuniæque in teſtamento
Auguſti fuiſſe, mox vulgo notatum eſt: non minus aurigandi arte in adoleſcentia clarus,
quam deinde ornamentis triumphalibus ex Germanico bello. Verum arrogans, profu-
ſus,

Cicero ſtultum appellat, ad Atticum libro VIII. *Nec me M. Lepidi, L. Volcatii, Ser. Sulpitii comitum pœniteret: quorum nemo nec ſtultior eſt, quam L. Domitius: nec inconſtantior, quam Appius Claudius.*

VARIOR.

Per ternas perſonas.] V. C. Salmaſ. *per trinas perſonas.* Et mox idem: *ſequentes rurſus.*

TORRENT.

Evomuerit, medicumque manumiſerit.] Tres libri *evomeret. Medicumque manumiſit*, &c. Placet.

De Medis.] Inepte. *de mediis* enim legendum eſt, ut ſup. Cæſ. cap. LXXV. *Denunciante Pompejo pro hoſtibus ſe habiturum qui reip. defuiſſent, ipſe medios & neutrius partis ſuorum ſibi numero futuros pronunciavit.*

Lege Pedia.] Contra interfectores Cæſaris a Q. Pedio lata A. U. DCCX.

In patriam reſtitutus.] Aug. cap. XVI. Vide Plutarchum Antonio.

Serviliæ Naidis.] Naidis cognomen libertinam fuiſſe arguit.

3. *Emptorem familiæ pecuniæque.*] *Familiæ* nomen interdum ad res, interdum ad perſonas refertur. Cum ad res, pecunia omnis, ac bonorum ſubſtantia eo continetur. ut in XII. Tabb. *proximus agnatus familiam habeto.* Et, *familiæ erciſcundæ judicium* eſt, quod de hereditate dividunda inſtituitur. Sed & Terent. Heaut. cum ait, *Decem dierum vix mihi erit familia*, decem diebus rem univerſam abſumptum iri ſignificat. *Familiæ* igitur *emptor* dicebatur, qui, cum per æs & libram fiebat teſtamentum, adhibitis quinque teſtibus, qui (ut inquit Feſtus) claſſici dicebantur, & libripende, per imaginariam quandam mancipationem certa juris ſolennitate hereditatem emebat, nuncupato interea in hunc modum teſtamento. Tabulas tenens teſtator, *Hæc* (inquit) *uti his tabulis cerisque ſcripta ſunt, ita do, ita lego, ita teſtor, itaque vos, Quirites, teſtimonium præbetote.* Dicis ergo cauſa tantum adhibebatur familiæ emptor, non ipſe heres, ſed ut teſtator vivens quodammodo bona ſua alienaſſe videretur, quæ demum poſt mortem ejus heres acciperet. Qua de re Ulpian. Inſtitut. tit. De teſtamentis. Quod vero Sueton. conjunctim dicit *familiæ pecuniæque*, mihi de mendo ſuſpectum eſt. Interpres aliquis non ineptus ad verbum *familiæ*, id eſt, *pecuniæ* adſcripſerit. Hinc natus error. nam pecuniæ emptorem apud JCtos dici non invenies. Teſtamenti autem per æs & libram meminerunt etiam Gell. lib. XV. cap. XXVII. & Feſtus in *Nexum*.

Germanico bello.] Quod Auguſti auſpiciis poſt Druſi mortem Tiberius geſſit: ac poſtea, proſequentibus eum legatis, quibus ornamenta triumphalia impetraverat, triumphavit. Tib. cap. XX.

CASAUBON.

5. *Is inter conſcios Cæſarianæ necis, quamquam inſons, damnatus lege Pedia.*] Cauſſam ejus contra Octavium tuetur Antonius apud Appianum v. Ἐμφυλ. jure damnatum negans, cum tempore necis Cæſarianæ nondum ſenatoria ætate eſſet. Ita accipio Appiani hæc verba: Ἀηνόβαρβος δὲ οὐκ ἐςι τῶν ἀνδροφόνων, ἡ δὲ ψῆφος αὐτῷ κατ' ὀργὴν ἐπῆκται· οὐ δὲ γὰρ τῆς βουλῆς πω τότε μετεῖχεν.

VARIOR.

2. *Qui id ſibi prudens ac ſciens.*] Palatini, cod. Salmaſianus, & Rob. Steph. ed. *quod id ſibi prudens ac ſciens.*

4. *In adoleſcentia.*] Salmaſ. cod. *in adoleſcentia.*

ſus, immitis, cenſorem L. Plancum via ſibi decedere Ædiles coegit: præturæ conſulatusque honore equites R. matronaſque ad agendum mimum produxit in ſcenam. Venationes & in circo & in omnibus urbis regionibus dedit. Munus etiam gladiatorium: ſed tanta ſævitia, ut neceſſe fuerit Auguſto clam fruſtra monitum edicto coercere. Ex Antonia majore patrem Neronis procreavit, omni parte vitæ deteſtabilem. Siquidem comes ad orientem C. Cæſaris juvenis, occiſo liberto ſuo, quod potare quantum jubebatur, recuſarat, dimiſſus e cohorte amicorum nihilo modeſtius vixit. Sed & in viæ Appiæ vico repente puerum citatis jumentis haud ignarus obtrivit: & Romæ, medio Foro cuidam equiti Romano liberius jurganti oculum eruit, perfidiæ vero tantæ, ut non modo argentarios pretiis rerum coemtarum, ſed & in prætura mercede palmarum aurigarios fraudaverit: Notatus

TORRENT.

Cenſ. L. Plancum.] L. Munatius Plancus cum Paullo Æmilio Lepido A. U. DCCXXXI. cenſuram geſſit. Quo quidem tempore ædilis eſſe potuit hic Domitius, ſexto poſt anno factus conſul, ſed qua fronte ædilis cenſorem ſibi via cedere cogeret durante magiſtratu? Non immerito ſane pro *cenſorem*, ut aperte legitur in omnibus ferme exemplaribus, *cenſorium* quis legendum exiſtimet.

Tanta ſævitia.] Quod temere nimis jugulari jubebat gladiatores, nec cuiquam parceret, ut de Claudio vidimus cap. XXXIV. At Nero munere quodam ſuo ne noxios quidem occidit. Inf. cap. XII.

Edicto coercere.] Quod ille non tam tuto quam ſimplicem monitionem ſperneret.

5. *Antonia majore.*] Minor Druſo nupſit, Claudii Principis mater.

C. Cæſaris juvenis.] Dictio *juvenis* abeſt a duob. MSS. & ſane abeſſe malim. Scribo etiam *Caji Cæſaris.* Cajus enim & Lucius, Auguſti filii, ſolis fere prænominibus appellantur, ut Tiberius, ut Nero.

Argentarios pret. rer. coempt.] *Argentarii*, quorum maximus tum apud Græcos, tum apud Rom. uſus, non ſolum fenebri collocandæ pecuniæ, ſervandiſque rationibus operam dabant, ſed & res quædam vendendæ ipſis committebantur, præſertim auri, atque argenti ſpecies, nummi veteres, vaſa cælata, gemmæque, & lapides. Exemplum apud Scævolam l. LXXXVIII. de Solutionibus. Unde etiam ἀργυροπρᾶται vocantur a Juſtiniano l. pen. De pignoribus, & Novell. conſtit. CXXXVII. Adde Suidam in ἀργυράμοιβος, & κολλεκτάριος. Quin & auctionibus eos præfuiſſe (quod Beroaldus quoque monuit) non ſolum docet nos Senecæ locus proœmio Declamat. ſed & Quinctilian. lib. XI. cap. I. cum de Hortenſii memoria loquitur, qui dimiſſa auctione quid cuique venditum fuiſſet argentariorum tabulis, reddidit. M. etiam Antonium leges tuliſſe *de menſariis, & auctionibus*, apud Capitolinum legimus. *Menſarii* autem iidem qui & *argentarii.* Unde *in foro de menſa emere* apud Apulejum Apol. I. & *menſæ rationes* apud Gellium lib. XIV. cap. II. Hinc igitur intelligimus, quomodo rerum coemptarum pretiis argentarios defraudaverit Domitius, tanto equidem majore impudentia, quod argentariorum publica erat fides.

In præt. merc. palm. aurigarios.] Ut *beſtiarii* dicuntur, tam ii qui cum beſtiis committuntur, quam qui beſtias curant; ſic *aurigarii* quoque dici quidem poſſe videntur etiam ii qui aurigantur. Quo ſenſu *mercedem palmarum* hic interpreter aurum, quod victoribus dabatur, de quo Claud. cap. XXI. Verum eos potius accipi debere arbitror, qui ornandi inſtruendique agitatores curam gerunt, ut *palmarum merces* ſit id, quod præter palmas ipſis victoribus recepto a Græcis more donandas, eorum magiſtris ſeu curatoribus etiam debebatur. Ut autem *aurigarios* hic, ſic *quadrigarios* dixit Sueton. inf. cap. XVI. *trigarios* Plin. lib. XXVIII. cap. XVII. qui Plinii locus quam dixi *aurigarii* ſignificationem confirmat. Poſſet etiam tralatitia corrigendi auctores ratione pro *palmarum* legi *palmarii*, vel *palmariorum* multitudinis numero, cui voci non intellectæ ſcriba *palmarum* ſuppoſuit.

CASAUBON.

5. *Sed & in viæ Appiæ vico repente puerum citatis jumentis haud ignarus obtrivit.*] Veteres libri conſentiunt in hac lectione omnes. non abſurda tamen recens viri docti emendatio, *repentem puerum.* Stabo nihilominus a libris, & fidem eorum potius ſequar. Trajectio namque eſt vocis *repente*, quæ non cum verbo *obtrivit*, ſed cum dictione *citatis* jungi debet. *obtrivit*, inquit, *puerum citatis repente jumentis.* ut videlicet puero non fuerit evitandi facultas.

VARIOR.

5. *Haud ignarus obtrivit.*] Codex Salmaſ. *haud gnarus.* male. Mox idem, *ſed in prætura*, omiſſo &.

TOR-

Notatus ob hæc & ſororis joco, querentibus dominis factionum, *repræſentanda præmia in poſterum* ſanxit. Majeſtatis quoque & adulteriorum, inceſtique cum ſorore Lepida ſub exceſſu Tiberii reus, mutatione temporum evaſit: deceſſitque Pyrgis morbo aquæ intercutis, ſublato filio Nerone ex Agrippina Germanico genita. Nero natus eſt

TORRENT.

Dominis factionum.] *Factionum dominos* intelligo, qui, cum quatuor eſſent factiones, (qua de re alibi latius) ſuæ quiſque factioni præerant, ac Circi jura tuebantur, ideoque fraudatos palmario aurigarios querebantur. De his exſtat Lanuvii hæc inſcriptio: M. AURELIO LIBERO PATRI. ET MAGISTRO. ET SOCIO. DOMINO ET AGITATORI FACTIONIS PRASINÆ. AURELIUS CÆCILIUS PLANETA PROTOGENES OB III. PALMAR. HOC DONUM VOVIT. NATIONE AFR. Erant autem diverſa cujuſque factionis officia atque functiones. nam præter aurigarios, de quibus jam dictum eſt, etiam aurigatores, & agitatores, & conditores, ſucconditoreſque, tentores item, ac viatores, poſtremo medicos etiam factionis in vetuſtis marmoribus legimus. Quibus omnibus qui præerant, quique gregem ducebant, *domini* vocabantur. Inf. cap. XXII.

Majeſtatis quoque & adulteriorum.] Sub Tiberio accuſata impietatis in Principem Albucilla, annectebantur, ut conſcii, adulteri ejus. Inter quos Cn. Domitius. Tacit. Annal. VI. ſub finem, huic loco lumen præferens.

Inceſtique cum ſor. Lepida.] An eadem de qua paulo ante? nomen enim ibi non exprimit. Conſtat autem L. Domitium, Cn. patrem, Neronis Principis avum, duas ex Antonia majore filias habuiſſe, Domitiam, & Lepidam. Domitia Paſſieno Criſpo nupſit De qua ſic Quinctilian. lib. VI. *Paſſienus, cum Domitiæ uxoris pecuniarum litem adverſus fratrem ejus Ahenobarbum ageret*, &c. Et iterum: *Junius Baſſus, querente Domitia Paſſieni, quod incuſans ejus ſordes calceos eam veteres diceret vendere ſolere, Non mehercule (inquit) hoc unquam dixi, ſed emere te ſolere.* Lepida vero, cujus & hoc capite, & ſequenti meminit Sueton. an, & cui nupſerit, ignoro. Sunt qui Galbæ fuiſſe uxorem velint, ſed male, ut ejus vita docebimus cap. V. Verum de utriuſque morte certo conſtat. Domitiam enim, amitam ſuam, poſtquam jam matrem occidiſſet Nero, veneno ſuſtulit. Xiphilinus ex Dione. Lepidam vero Agrippina vivente adhuc Claudio interfici curavit. Qua de re Tacit. lib. XII. loquens de Agrippina Claudio jam interitum parante, *Celare* (inquit) *ſtatuit, perdita prius Domitia levibus & muliebribus cauſis, quia Lepida, minore Antonia genita, avunculo Auguſto, Agrippinæ ſobrina prior, ac Cnæi, mariti ejus, ſoror, parem ſibi claritudinem credebat.* Qui Taciti locus etiam in Juſti Lipſii, viri litteratiſſimi, editione mendoſus eſt. cum enim major Antonia Domitio nupſerit, ut jam dictum eſt ſæpius, aut turpiter in re omnibus nota erravit Tacit. aut quod aliorum culpa accidit corrigendum eſt, ſcribendumque, *majore Antonia.* Alterum præterea mendum ſubeſſe facile omnibus perſuaſero. nam quis Tacitum ſic loquentem ferat, ut periiſſe dicat Domitiam, quia Lepida Agrippinam offenderit? Eadem omnino Domitia quæ & Lepida eſt. Lego igitur, *perdita prius Domitia Lepida levibus, & muliebribus cauſis, quia Lepida*, &c. Ut utraque L. Domitii & Antoniæ filia more conſueto Domitia vocata ſit, ſed altera etiam Lepida, quo a ſorore diſtingueretur. Simile eſt quod ante monuiſſe memini de Julia Livilla, Germanici filia. Et hic ea dictio facile omitti potuit a librariis, tum quod mox repetatur, tum quod altera illi proxima ab eadem ſyllaba incipiat. Addam & hoc, priorem vocari ſobrinam, quæ Antonium propius contingat. Antonius enim, utriuſque Antoniæ pater, Lepidæ avus, Agrippinæ proavus fuit. Et nihilominus, quia duabus ortæ ſororibus, quanquam inæquali gradu, recte ſobrinæ appellantur. Simile eſt, quod de Cajo Principe, ac Ptolemæo notavimus Calig. cap. XXVI.

Ex Agrippina, Germanico genita.] Hæc, optimi parentis peſſima filia, primum Paſſieno Criſpo bis conſuli nupta, inde Cn. Domitio a Tiberio tradita defuncto marito, ſollicitatis nequicquam Galbæ nuptiis, tandem in Caji fratris fœdiſſimo contubernio vixit. A quo mox exſoletis objecta, atque in exilium acta, cum rediiſſet, patruo ſuo Claudio poſt Meſſallinæ necem inceſtis nuptiis conjuncta, parto tot parricidiis Neroni filio Imperio, ab eodem interfecta periit, eo tantum memoranda; quod (ut auctor eſt Tacit.) in oppidum Ubiorum, ubi edita fuerat, veteranorum coloniam deduci curavit, quæ hodie quoque, tota Germania celebris, ejus nomen ſervat.

CASAUBON.

Querentibus dominis factionum.] Serib. *quæ querentibus d. f.*

6. *Nero natus eſt Antii poſt novem menſes quam Tiberius exceſſit.*] Corrupti ſunt hoc loco & Viterb. & Liſlæi codd. qui legunt *natus eſt ante nonum menſem quam Tib. exc.* Etſi autem Torrentii induſtriam in explicanda ea lectione plurimum laudo, non perſuadet tamen ille mihi ita ſcriptum a Suetonio fuiſſe: imo vero falli Torrentium, ut dicam σκάφην σκάφην, nullus dubito. nam quæ iſta ratio loquendi eſt, ut *natum ante nonum menſem quam Tiberius exceſſit*, dicat Tranquillus, quum velit intelligi, natum eſſe ultimo die noni menſis a morte Tiberii? diceret ſaltem

eſt Antii poſt IX. menſes quam Tiberius exceſſit, XVIII. Kalend. Januarias: tantum quod exoriente Sole, pæne ut radiis prius quam terra contingeretur. De genitura ejus ſtatim multa & formidoloſa multis conjectantibus, præſagio fuit etiam Domitii patris vox, inter gratulationes amicorum, negantis quidquam ex ſe & Agrippina niſi deteſtabile & malo publico naſci potuiſſe. Ejuſdem futuræ infelicitatis ſignum evidens die luſtrico exſtitit: nam C. Cæſar, rogante ſorore, ut infanti, quod vellet, nomen daret, intuens Claudium patruum ſuum, a quo mox Principe Nero adoptatus eſt, ejus ſe dixit dare: neque id ipſe ſerio, ſed per jocum, & aſpernante Agrippina, quod tum Claudius inter ludibria aulæ erat. Trimulus patrem amiſit: cujus ex parte tertia heres, ne hanc quidem integram cepit, correptis per coheredem Cajum univerſis bonis, & ſubinde matre etiam relegata, pæne inops atque egens apud amitam Lepidam nutritus eſt, ſub duobus pædagogis, ſaltatore atque tonſore. Verum Claudio imperium

tem *ante decimum menſem.* id ſiquidem verius. tot namque menſes ſunt a die XVI. Martii, qua Tiberius obiit, ad XV. Decembris, qua natus eſt Nero. nunc vero *ante menſem* ἁπλῶς pro ultimo menſis die fuiſſe unquam ab ullo probato ſcriptore dictum, nedum a Suetonio, cujus pura ubique & clara dictio eſt, ὅμε πείσει τίς ποτε ὐδ᾽ ἢν πείσῃ.

TORRENT.

6. *Natus eſt Antii poſt* IX. *menſes.*] Sic ex Turnebo Pulmannus, quod in vetuſto codice ſcriptum ſit, *natus eſt ante poſt.* Neque ego hanc lectionem reprehendo, omittere tamen nequeo, quin lectorem admoneam, libros MSS. omnes cum recepta lectione, *natus eſt ante* IX. *menſes*, convenire, demto optimo, qui ſic habet, *natus eſt ante nonum menſem quam Tiberius exceſſit.* perbelle ſane. mortuus eſt enim Tiberius, teſte Suetonio, XVII. Kal. Aprilis, natus autem Nero XVIII. Kal. Januarii. Uno igitur die ante nonum menſem quam exceſſit Tiberius. Nec dubito ſane, quin ita ſcripſerit Sueton. *natus eſt Antii ante nonum m. q. T. e.* Sed dictionum *Antii* & *ante* ſimilitudo errorem induxit. Eundem autem cum Nerone natalem ſortitus eſt L. Verus Antoninus. Auctor Spartian. Plin. lib. VII. cap. VIII. natum in pedes ſcribit, & Antii quidem etiam Tacit. lib. XV.

Tantum quod exoriente ſole.] Sic Turnebi codex, quam lectionem adſtruit etiam Giſanius. Sup. Aug. cap. LXIII. inf. Veſpaſ. cap. V.

Terra contingeretur.] Sup. Aug. cap. V.

Die luſtrico.] Is feminis octavus, maribus nonus fuit, quo infantes ſcilicet luſtrabantur, nomenque accipiebant. Unde & dea Nundia apud Rom. a nono infantium die nuncupata. Macrob. lib. I. Saturn. cap. XVI. Idem ferme Feſtus, & plura Plutarch. Quæſt. CII. Rerum Roman. Dies ipſe ab imponendis nominibus *Nominalia* dictus. Quo munuſcula etiam ab amicis mittebantur. Terent. Phormione, Tertullian. lib. de Idololatria Sed & Ariſtoteles lib. VII. de Hiſtoria Animal. *Plurimi* (inquit) *ante ſeptimum diem intereunt. Unde fit ut nomina tunc imponantur, tanquam ſaluti pueri jam magis credamus.* Græci igitur die uno citius quam Romani nomina imponebant. Erant & ἀμφιδρόμια apud Athenienſes, quintus a nativitate dies, quo puerum geſtantes circum focum curſitabant. De quo more Plato Theæteto, Heſychius, Suidas, Eraſmus Chiliadibus. Suidas quidem nonnihil ab aliis diſcrepat, decimo demum die imponi ſolere nomina ſcribens.

Ut infanti ei quod.] Liber opt. *ut infanti quod vellet nomen. Nomen* autem pro prænomine accipio. gentis enim nomen manebat, prænomina, atque interdum cognomina pro arbitrio imponebantur, ut tandem etiam ipſa nomina, labente Imperio.

A quo mox Principe.] *Mox* pro poſtea, tametſi longa intercederet mora, ut hic annorum XI.

Nero adoptatus.] Libri veteres non habent dictionem *Nero.* Legunt etiam, *Neque id ipſe ſerio* pro *neque ipſe ſerio.*

CASAUBON.

Tantum quod exoriente ſole, pæne ut radiis prius quam terra contingeretur.] Hoc inter præſagia, quæ Neroni imperium portenderunt, ita commemoratur a Dione: Ἀκτῖνες τικτόμενον αὐτὸν ὑπὸ τὴν ἕω ἐξ ὐδεμιᾶς τῦ ἡλίυ φανερῶς προσϐολῆς περιέσχον. id eſt, *naſcentem eum ſub auroram radii circumfulſerunt, a ſole, quod quidem appareret, non immiſſi.*

Negantis quidquam ex ſe & Agrippina niſi deteſtabile & m.] Vertit Dio prope ad verbum: εἶπεν ὅτι ἀδύνατόν ἐστιν ἄνδρα τινὰ ἀγαθὸν ἔκ τε ἐμῦ, καὶ ἐκ ταύτης γεννηθῆναι.

Ejuſdem futuræ infelicitatis ſignum.] Quidam emendant, *Eidem futuræ fel. ſig.* abſurde, & repugnantibus libris univerſis. Probem magis, quod placet iiſdem, legendum mox: *Addita fabula eſt*, tamen quod eſt editum, MSS. tuentur.

VARIOR.

6. *Futuræ infelicitatis.*] In veteri codice eſt, *felicitatis.* F. URSINUS.

Neque id ipſe ſerio.] Codex Salmaſ. *neque ipſe ſerio.*

TOR-

perium adepto, non ſolum paternas opes recuperavit: ſed & Criſpi Paſſieni vitrici ſui
hereditate ditatus eſt. Gratia quidem & potentia revocatæ reſtitutæque matris uſque
eo floruit, ut emanaret in vulgus, miſſos a Meſſallina uxore Claudii, qui eum meri-
diantem quaſi Britannici æmulum ſtrangularent. Additum fabulæ eſt, eoſdem dracone
e pulvino ſe proferente conterritos refugiſſe. Quæ fabula exorta eſt, deprehenſis in
lecto ejus circum cervicalia ſerpentis exuviis: quas tamen aureæ armillæ ex voluntate
matris incluſas dextro brachio geſtavit aliquamdiu: ac tædio tandem maternæ memoriæ
7 abjecit: rurſuſque extremis ſuis rebus fruſtra requiſivit. Tener adhuc, nec dum ma-
tura pueritia, circenſibus ludis Trojam conſtantiſſime favorabiliterque luſit. Undecimo
ætatis anno a Claudio adoptatus eſt, Annæoque Senecæ jam tunc ſenatori in diſciplinam
traditus. Ferunt Senecam proxima nocte viſum ſibi per quietem, C. Cæſari præcipere:
& fidem ſomnio Nero brevi fecit, prodita immanitate naturæ, quibus primum potuit
experimentis. Namque Britannicum fratrem, quod ſe poſt adoptionem ÆNOBAR-
BUM ex conſuetudine ſalutaſſet, ut ſubditivum apud patrem arguere conatus eſt.
Amitam etiam Lepidam, ream teſtimonio coram afflixit, gratificans matri, a qua rea
premebatur. Deductus in forum tiro, populo congiarium, militi donativum propo-
ſuit: indictaque decurſione prætorianis, ſcutum ſua manu prætulit: exin patri gratias
in

TORRENT.

Criſpi Paſſieni vitrici.] Ei enim primo Agrippina nupſit, inde etiam Domitia. Duas itaque ſobrinas uxores habuit. Laudatur ſæpe a Seneca, extremo lib. I. de Benef. & principio lib. IV. Quæſt. Natur. Bis conſulem, & oratorem vocat Plin. lib. XVI. cap. XLIV. ac celebre ejus de Cajo Principe dictum refert Tacit. *nec ſervum meliorem ullum, nec deteriorem dominum fuiſſe.*

7. *Undecimo ætatis anno.*] Dubium non eſt, quin erratum in numero. diſerte enim ſcriptum Tacito Annal. XII. adoptatum Neronem C. Antiſtio, M. Suillio coss. Obiit vero D. Claudius, uti vidimus Claud. cap. XLV. M. Aſinio Marcello, M. Acilio Aviola coss. Quo mox anno Imperium Nero ſuſcepit, ætatis ſuæ ſeptimo & decimo, ut cum Suetonio inf. cap. VIII. Tacitus & Xiphilinus e Dione tradunt. Omne id autem ſpatium, quod conſules implent quos adſcripſi, quinque omnino annos, ſi quidem Faſtos audimus, complectitur. Nunc regredere ſis mihi, lector, a ſeptendecim numero, & alteros inſuper quaternos infra collige, nimirum digiti te docebunt adoptatum Neronem ætatis tertio & decimo, quam hic veram lectionem arbitror.

Quod ſe Ænob.] *Ahenobarbum* ſcribo. Sic Tacit. *Obvii inter ſe, Nero Britannicum, ille Domitium ſalutavere.* Britannicus autem (ut ait Dion) Ti. Claudius Germanicus initio vocatus fuerat, ſolo biennio ætate minor quam Nero.

Subditițium.] Liber opt. *ſubditivum.*

Scutum ſua manu prætulit.] Sic Galb. cap. VI. *Campeſtrem decurſionem ſcuto moderatus.* Hujuſmodi autem decurſionibus etiam in funere virorum principum utebantur. Claud. cap. I. Sed hæc noſtra exercitii cauſſa ab Auguſto inſtituta, *campi curſio* appellatur a Vegetio lib. I. quem vide.

CASAUBON.

Deprehenſis in lecto ejus circum cervicalia ſerpentis exuviis.] Tacitus lib. XI. iſtud aliter narrat: ſed Dio plane ut Suetonius: Προϊόντος τοῦ χρόνου λεβηρὶς περὶ τὸν αὐχένα τοῦ Νέρωνος παιδίου ἔτ' ὄντος εὑρεθεῖσα παρέδωκε τοῖς μάντεσι λέγειν, ὅτι ἰσχὺν παρὰ τοῦ γέροντος μεγάλην λήψεται. ἐπειδὴ τὸ γῆρας διὰ ταῦτα οἱ ὄφεις ἐκδύεσθαι νομίζονται.

7. *Undecimo ætatis anno a Claudio adoptatus eſt.*] Ex Tacito clarum debuiſſe ſcribi *duodecimo*, vel *tertiodecimo*, quemadmodum recte Torrentius obſervavit. Conſtant tamen ſibi in hoc errore omnes noſtri codd.

Annæoque Senecæ jam tum ſenatori in diſciplinam traditur.] An ut ipſe ad Senecam migrarit? non puto, etſi ſuadent verba Dionis, ἡ Ἀγριππῖνα τὸν υἱὸν παρὰ τῷ Σενέκᾳ ἐξεπαίδευε. Senator autem ſactus Seneca, cum poſito ipſi in exſilio Agrippina ſimul reditum & præturam impetravit.

C. Cæſari præcipere.] Ἀντὶ τοῦ *præceptor eſſe*: ſic Græci ἁρμόζειν pro ἁρμοστὴς εἶναι. & apud Philoſtratum ἐπιστέλλειν pro *magiſter epiſtolarum eſſe.* ut in Alexandro Seleucenſe, Μάρκου τοῦ βασιλέως δεδωκότος αὐτῷ τὸ ἐπιστέλλειν Ἕλλησι. id eſt, *fecerat eum magiſtrum epiſtolarum Græcarum.* & in eodem: *obiit*, inquit, *ut quidam ajunt*, ἐν Κελτοῖς ἔτι ἐπιστέλλων· οἱ δ' ἐν Ἰταλίᾳ πεπαυμένον τοῦ ἐπιστέλλειν.

VARIOR.

Recuperavit.] V. C. Salmaſ. *reciperavit.* ut ſæpe veteres libri. ſic & paullo poſt idem codex pro *requiſivit*, ſcribit *requiſiit*, ut ſupra.

in ſenatu egit. Apud eundem conſulem pro Bononienſibus Latine, & pro Rhodiis atque Ilienſibus Græce verba fecit. Auſpicatus eſt & juriſdictionem Præfectus urbi ſacro Latinarum, celeberrimis patronis, non tralaticias, ut aſſolet, & breves, ſed maximas plurimaſque poſtulationes certatim ingerentibus: quamvis interdictum a Claudio eſſet. Nec multo poſt duxit uxorem Octaviam: ediditque pro Claudii ſalute circenſes, & venationem. Septemdecim natus annos, ut de Claudio palam factum eſt, inter horam ſextam ſeptimamque proceſſit ad excubitores: cum ob totius diei diritatem non aliud auſpicandi tempus accommodatius videretur, proque Palatii gradibus IMPERATOR conſalutatus, lectica in caſtra, & inde raptim appellatis militibus in curiam delatus eſt: diſceſſitque jam veſperi: ex immenſis quibus cumulabatur honoribus, tantum PATRIS PA-

Torrent.

Apud eundem conſulem.] Quintum, (opinor) collega Ser. Cornelio Scipione Orfito. Sed abit pluſculum diverſus a Suetonio Tacitus, qui cauſarum dictionem, ac mox cum Octavia nuptias ad coss. refert D. Junium, Q. Haterium, id eſt, biennio poſt, aut præter propter. Ego cur ſcriptori noſtro potius accedam, ea ratio eſt, quod Neronem ſub idem tempus quo cauſas egerit, & Octaviam uxorem duxerit, edidiſſe & pro ſalute Claudii Circenſes addit. Quos celebrandis Decennalibus feſtis Claudii, quorum in Onufrii Faſtis mentio, actos haud abs re equidem ſuſpicor. Inciderunt autem Decennalia ea in coss. Claudium V. Ser. Cornelium Orfitum.

Pro Rhodiis atque Ilienſib.] Claud. cap. XXV.

Præfecti urbis ſacro Latin.] Libri, ut fit in re non intellecta, maxime diſcrepant. Optimus ſic habet, *Auſpicatus eſt & juriſdictionem præfectus Urbi ſacro Latinarum.* Quam lectionem ſervo. moris enim erat ut Latinarum feriarum diebus, quibus in montem Albanum proficiſcebantur, aliquis ex præcipua nobilitate adoleſcens Romæ præfectus Urbi relinqueretur, apud quem non magni momenti cauſæ agerentur. Vide Claud. cap. IV.

Inter horam ſextam ſeptimamque.] Medio diei, III. Id. Octobris. ſic enim Tacit. addens, Agrippinam ex Chaldæorum monitis id tempus attentaſſe. Quod ergo dicit Sueton ob totius diei diritatem id auſpicandi tempus accommodatius viſum fuiſſe, ſic intelligo, ut, cum reliquæ ejus diei horæ diræ atque inauſpicatæ haberentur, Agrippina illud temporis punctum ſumpſerit, nota muliercularum ſuperſtitione, de qua Juvenal. Sat. VI.

> *Ad primum lapidem vectari ſi placet, hora*
> *Sumitur ex libro.*

8. *Ad excubitores.*] Claud. cap. XLII.

Casaubon.

Auſpicatus eſt & juriſdictionem præfectus urbis.] Mos & publice & privatim olim religioſe ſervatus. Columella lib. XI. cap. II. *Per hos quoque dies abſtinent terrenis operibus religioſiores agricolæ: ita tamen ut ipſis Kalendis Januariis auſpicandi cauſſa omne genus operis inſtaurent.* Mitto quæ aliis ſunt obſervata. ſimillimus huic locus habetur apud Tacitum IV. Annal. de præfecto urbis Druſo, auſpicandi gratia tribunal ingreſſo.

Ediditque pro Claudii ſalute circenſes, & venationem.] Ita ſoliti & gladiatores in harena committi pro ſalute Principis: cujus rei cauſſam ante indicabamus. Id vero Claudius cum invidioſum ſibi eſſe intelligeret, munus PRO SALUTE SUA edi prohibuit. Dio: Τοῖς τε στρατηγοῖς τοὺς ἀγῶνας τοὺς ὁπλομαχικοὺς ἀπηγόρευσε μὴ ποιεῖν, καὶ εἰ δήποτε ἐπιτελοίη, ἀλλὰ μήτι γε ὡς καὶ ΥΠΕΡ ΕΑΥΤΟΥ ΣΩΤΗΡΙΑΣ γιγνομένων σφῶν ἢ γράφεσθαι ἢ καὶ λέγεσθαι ἐκέλευσε.

8. *Ut de Claudio palam factum eſt.*] Vetus formula, qua utebantur, cum alicujus obitum divulgabant. lib. III. cap XII. *exceſſum Auguſti non prius palam fecit.* lib. IV. cap. VI. *& ut demum fato functum palam factum eſt.* Sic & in Tito capite ultimo, & apud alios. Inde *palam facere de republica* apud Senecam, pro reipub. interitum ſignificare, quod Tullius dixit, *palam facere concidiſſe rempublicam.* ut erudite nuper a Jano Grutero viro doctiſſimo eſt obſervatum.

Varior.

7. *Non tranſlatitias poſtulationes.*] *Tranſlatitiæ poſtulationes* dicuntur accuſationes non novæ, nec nuper inventæ, ſed aliunde tranſlatæ: & tales breves eſſe ſolent, utpote ex formula tranſſcriptæ, & faciliores explicatu. Sic *edicta tranſlatitia* veteres dixerunt. Senſus eſt: Interdixerat Claudius, ne patroni cauſarum ingererent numeroſas implicataſque poſtulationes apud Neronem, ne ille adhuc tyrunculus in jure dicendo vexaretur: habendam enim cenſebat rationem ætatis juvenilis in actione cauſarum: tamen illi perſeveraverunt in propoſito, ut maximas, plurimaſque poſtulationes pro viribus quiſque ingererent. Beroald.

Tor-

9 PATRIÆ nomine recuſato, propter ætatem. Orſus hinc a pietatis oſtentatione, Claudium apparatiſſimo funere elatum laudavit, conſecravitque. Memoriæ Domitii patris honores maximos habuit. Matri ſummam omnium rerum publicarum privatarumque permiſit. Primo etiam imperii die ſignum excubanti tribuno dedit *Optimam matrem:* ac deinceps ejuſdem ſæpe lectica per publicum ſimul vectus eſt. Antium coloniam deduxit, adſcriptis veteranis e prætorio, additiſque per domicilii tranſlationem ditiſſimis
10 primipilarium, ubi & portum operis ſumtuoſiſſimi fecit. Atque, ut certiorem adhuc indolem oſtenderet, *ex Auguſti præſcripto imperaturum ſe* profeſſus, neque liberalitatis, neque clementiæ, nec comitatis quidem exhibendæ ullam occaſionem omiſit. Graviora vectigalia aut abolevit, aut minuit. Præmia delatorum Papiæ legis ad quartas redegit, diviſis populo viritim quadringenis numis. Senatorum nobiliſſimo cuique, ſed a re familiari deſtituto, annua ſalaria, & quibuſdam quingena conſtituit. Item prætorianis cohortibus frumentum menſtruum gratuitum. Et cum de ſupplicio cujuſdam capite damnati

Torrent.

9. *Conſecravitque.*] Claud. cap. XLV. Veſp. cap. IX.

Signum excubanti trib.] Sic *excubitori tribuno* Claud. cap. XLII.

Antium coloniam deduxit.] Quin & Imperium eo transferre cogitavit. De portu vero Neronis Strabo lib. V. Exſtant & nummi veteres.

Ut certiorem.] Lib. unus *mitiorem*, alter *interiorem.*

Ex Aug. præſcripto.] Sic Horat. lib. II. Od. XV.

- - - non ita Romuli
Præſcriptum.

Seneca lib. I. de Clementia, ad Neronem: *Nemo jam Divum Auguſtum, nec Tiberii prima tempora loquitur, nec quod te imitari velit exemplar extra te quærit. Principatus tuus ad Auguſtum exigitur. Difficile hoc fuiſſet, ſi non naturalis iſta tibi bonitas eſſet, ſed ad tempus ſumpta.* Libri vulgati pro *ad Auguſtum* habent *ad guſtum.*

Graviora vectigalia.] Tacit. ſub finem lib. XIII. *abolitio quadrageſimæ, quinquageſimæque, & quæ alia exactionibus illicitis nomina publicani invenerant.* Sed & ante vectigal quintæ & viceſimæ venalium mancipiorum remiſſum a Nerone teſtatus eſt, ſed ſpecie magis quam vi, quia cum venditor pendere juberetur, in partem pretii emptoribus accreſcebat. Vide Calig. cap. XL.

Delatorum Papiæ legis.] De delatorum Papiæ legis præmiis etiam Tacit. lib. III. Annal. Plinius Paneg. in Trajanum, & nos alibi latius.

Quibuſdam.] Tacit. Valerium Meſſallam nominat Annal. XIII.

Quingena.] Seſtertia ſcilicet.

Frumentum menſtruumque gratuitum.] Melius MSS. duo *frumentum menſtruum gratuitum*, uti & interpretes legunt.

Casaubon.

9. *Memoriæ Domitii patris honores maximos habuit.*] Huc pertinent verba iſta ex vetere inſcriptione fratrum Arvalium, ab Urſino editæ... IDUS. DECEMB...... M. ARVALIUM. NOMINE. IMMOLAVI. IN. SACRA. VIA. .... MORIÆ. CN. DOMITI. AHENOBARBI. B. M.

10. *Diviſis populo viritim quadringenis nummis.*] Viterb. & Liſlæi *quadragenis nummis.* non recte, ut ex aliis conſtat. Mutanda autem hujus loci diſtinctio, & ponenda τελεία στιγμὴ poſt *redegit:* deinde reliqua continuanda, quibus liberalitas omnibus ordinibus a Nerone exhibita recenſetur.

Item prætorianis cohortibus frumentum menſtruum gratuitum.] Tacitus in anno DCCCXVIII. *Bina nummum millia viritim manipularibus diviſit: addiditque ſine pretio frumentum, quo ante ex modo annonæ utebantur.*

Varior.

9. *Elatum laudavit, conſecravitque.*] V. C. Salmaſ. *elatum laudavit, conſecravit.*

Adſcriptis veteranis.] Codex Salmaſ. *aſcriptis veteranis.*

10. *Præmia delatorum.*] Erant inter delatores criminum publicorum quidam quadruplatores nominati, qui quartam partem de proſcriptorum bonis, quos detulerant, conſequebantur: cum autem lege Papia delatoribus præmia conſtituta fuiſſent, Nero ea minuens redegit ad quartas: verbi cauſa, ut delator, qui pro delatione accipere debebat quadraginta, acciperet decem. Videntur autem ſenſus ille eſſe congruentior, ut intelligas, Neronem ad quartas redegiſſe, minuiſſeque præmia, quæ conſtituta erant his delatoribus, qui accuſabant deferebantque nomina illorum, qui agerent adverſus Papiam legem. Ita enim dicimus delatores Papiæ legis, ſicut delatores Juliæ, Pompejæ, Corneliæ legis, intelligi volentes illos, qui accuſant tranſgreſſores, prævaricatoreſque earum legum. Beroaldus.

damnati ut ex more ſubſcriberet, admoneretur: *Quam vellem*, inquit, *neſcire litteras.* Omnes ordines ſubinde, ac memoriter, ſalutavit. Agenti ſenatui gratias, reſpondit: *Cum meruero.* Ad campeſtres exercitationes ſuas admiſit & plebem. declamavit & ſæpius publice: recitavit & carmina, non modo domi, ſed & in theatro, tanta univerſorum lætitia, ut ob recitationem ſupplicatio decreta ſit, eaque pars carminum aureis litteris Jovi Capitolino dicata. Spectaculorum plurima & varia genera edidit: Juvenales, Circenſes, 11
Scenicos ludos, Gladiatorium munus. Juvenalibus ſenes quoque conſulares, anuſque matronas recepit ad luſum. Circenſibus loca equiti ſecreta a ceteris tribuit: commiſitque etiam

Torrent.

Quam vellem neſcire litteras!] Dictum egregium, quo ſe permotum Seneca de Clementia ſcripſiſſe teſtatur.

Subinde ac memoriter.] *Subinde* pro continue dixiſſe videtur.

Campeſtres exercit.] Aug. cap. LXXXIII.

Sed in theatro.] Libb. MSS. *ſed & in theatro*, & mox, *eaque pars carminum*, pro *atque pars*, & *dedicata* pro *dicata*.

11. *Juvenales.*] Privati hi fuere ludi, a Nerone primum inſtituti cum barbam deponeret, in eoſque mox paſſim data nomina. Non nobilitas cuiquam, non ætas, aut acti honores impedimento fuere, quin hiſtrionis artem exercerent, uſque ad geſtus modoſque haud viriles. Quibus etiam Æliam Catulam feminam nobiliſſimam, atque ditiſſimam, natam annos LXXX. ſaltaſſe, ex Dione ſcribit Xiphilin. Dicti igitur *Juvenales*, quod in eis veluti rejuvenaſcerent, & a quibus auſpicatus Nero tandem etiam in theatro caneret. per domos enim tantum, atque hortos Juvenales agebantur. Tacit. lib. XV. Sueton. inf. cap. XXII. Atque hoc eſt, quod eleganter ſcribit Plin. lib. XXXVII. cap. II. peculiari theatro Neronem in hortis primum cantaſſe, & Pompejano præluſiſſe. Adde hos ludos non illepide deſcribentem Sidonium Apollinarem de Narbone.

Loca equiti ſecreta.] Lubet de ſedendi ordine in ſpectaculis paullo prolixius agere. Et Livius quidem auctor eſt, regnante Tarquinio Priſco loca in circo patribus, equitibuſque diviſa fuiſſe. ceterum cum neque theatra ulla ſub regibus fuerint, & quod de circo ſcribit Livius, populi magis pudore ac verecundia contigiſſe, quam lege cautum fuiſſe credendum ſit. de robuſtiore republica loquamur. Anno igitur U. C. DLVII. Sex. Ælii Pæti, & C. Cornelii Cethegi cenſorum opera, annitente etiam Scipione Africano majore, ludis Romanis, quos C. Atilius Serranus, & L. Scribonius Libo Ædiles Curules edidere, effectum eſt, ut ſenatus a populo ſecretus ſpectaret. Cujus tamen inſtituti ipſum Africanum poſtea pœnituit. populus enim indigne tulit, patrum faſtu ad id ſe cogi, quod ſponte præſtabat. nam tametſi promiſcua erant ſubſellia, nemo tamen ſe ſenatoribus anteponebat. Qua de re Livius, Valer. Maximus, Aſconius Pedianus, ipſe Cicero in orat. Corneliana. Quod autem promiſcua dixi fuiſſe, id ita intelligendum, ut ne mulieres quidem a viris ſepararentur, docet nos Plutarch. quo loco Sullæ dictatoris, & Valeriæ nuptiarum occaſionem narrat. Lata vero deinde lex Roſcia L. Metello, & Q. Marcio coſs. A. U. DCXXCCV. ſive (uti alii volunt) anno ſequente, quæ equitem quoque a plebe diſtinxit, ſic tamen, ut qui ex equite vel vitio, vel fortuna decoxiſſent, ab aliis ſepararentur, ac remotiore loco conſiderent. Meminere ejus legis Horatius, Juvenalis, ac ſæpe Cicero, præſertim Philip. II. Qui natos hinc ſe conſule L. Roſcii Othonis (nam is legem ſanxerat) odio tumultus non ſolum compeſcuit, verum etiam effecit ut errorem ſuum plebs agnoſceret, neque ſe notari ſedis diſcrimine iniquo animo ferret. Auctor ejus vita Plutarch. & Plin. lib. VII. cap. XXX. Verum lex Roſcia nihil niſi de XIV. ordinibus ſanxit. Secutus autem Auguſtus primum eam ſic moderatus eſt, ut, cum plerique equites attrito bellis civilibus patrimonio metu pœnæ theatralis ſedere in XIV. non auderent, ea non teneri ſtatueret, quibus ipſis, parentibuſve equeſter cenſus umquam fuiſſet. Neque hoc ſolum, verum etiam in univerſum quoties quid ſpectandum uſquam publice ederetur, primum ſubſelliorum ordinem ſenatoribus relinqui voluit. Militem præterea ſecrevit a populo, ac maritis e plebe proprios ordines, prætextatis quoque ſuum cuneum attribuit. Atque hæc (ni fallor) capita erant legis Juliæ theatralis, cujus meminit Plin. lib. XXXIII. cap. II. Quod tamen de primo ſubſelliorum ordine ſenatoribus relinquendo conſtituit Auguſtus, id ego neque ad theatri, neque ad circi ſpectacula referendum eſſe exiſtimo, ſed ad ea quæ alibi, etiam per Italiam, ederentur. in theatro enim orcheſtra ſenatorum erat, & in circo non Auguſtus, ſed primus (ſi Suetonio creditur) Claudius, ornato eo, propria ſenatoribus loca conſtituit, promiſcue ſpectare ſolitis. Quod ſic exponit Dion, ut ſi quis ſenatorum alibi quam ſuo loco ſpectare vellet, id ei quidem liberum eſſet, ſed in veſte privata, non ſenatoria. Confundit tamen auctor ille, ut plerumque Græci, circum cum theatro. De quo nihil invenio mutaſſe Claudium, verum ejus ſucceſſor Nero circenſibus quoque loca equiti ſecrevit. ſic enim hoc

etiam camelorum quadrigas. Ludis, quos pro æternitate Imperii ſuſceptos appellari *Maximos* voluit, ex utroque ordine & ſexu plerique ludicras partes ſuſtinuerunt. Notiſſimus eques Roman. elephanto ſuperſedens per catadromum decucurrit. Inducta eſt & Afranii togata, quæ *Incendium* inſcribitur: conceſſumque ut ſcenici ardentis domus ſupellectilem diri-

hoc loco Sueton. & eadem de re Tacit. lib. xv. *Equitum* (inquit) *Rom. locos ſedilibus plebis antepoſuit apud circum, quia lex Roſcia nihil niſi de* XIV. *ordinibus ſanxit.* Quod ergo *equeſtria* legimus ſupra Calig. cap. XXVI. pro equitum ſubſelliis, ad theatrum referendum eſt. nam de ludis ſcenicis ibi loquitur. Quod vero *popularia* Domit. cap. IV. pro relictis populo ſedilibus, quoniam jam Nero plebem etiam in circo diviſerat ab equite, ut ſenatum ab utriſque Claudius, tam de circo, quam de theatro accipi poterit. Supereſt alius Suetonii locus Domit. cap. VIII. quod enim ſuſcepta morum correctione licentiam theatralem promiſcue in equite ſpectandi ille inhibuit, id ita interpretor, ut non novam aliquam de ſpectaculis legem Domitianus ſanxerit, ſed Roſciam revocaverit. Quod cum multis locis Martial. præſertim lib. v. tum Juvenal. demonſtrat Sat. III. *Exeat* (*inquit*) *Si pudor eſt, & de pulvino ſurgat equeſtri, Cujus res legi non ſufficit.* Diutiſſime autem duraſſe hanc etiam in circo ſedendi conſuetudinem ex Juliani, & Peſcennii Nigri vitis oſtenditur, cum tanquam inſolitum refertur, quod circi ſubſellia indifferenter atque indiſcrete populus occupaverat.

CASAUBON.

Reſpondit, cum meruero.] Imitatur illam Auguſti vocem, *ſi merebuntur*, lib. II. cap. LVI.

VARIOR.

Quam vellem, inquit, neſcire litteras.] Dictum merito celebre: Græcis tamen debetur, ut pleraque Romanorum. Legerat enim in Veſpis Ariſtophanis Nero: Σύγγνωθι· κιθαρίζειν γὰρ οὐκ ἐπίσταται· Ἐγὼ δ' ἐβουλόμην ἂν οὐδὲ γράμματα, Ἵνα μὴ κακούργων ἐνέγραφ' ἡμῖν τὸν λόγον. GRONOVIUS.

II. *Juvenalibus.*] Qui privati, & per domum celebrati aut hortis. Manſit nomen ludorum poſteriori ævo, & Imperatores quos in Palatio ludos dabant Kalendis novi anni, *Juvenalia* videntur appellaſſe, ab exemplo hoc Neronis. Sidonium adi. Videntur, tunc quidem, ſcenicum nihil habuiſſe. Atque ita diſtinguit etiam, niſi fallor, Capitolinus in Gordianis. Neronis tamen ævo & inſtituto ſcenici: ex Tacito hic, & Plinio, qui ad hos ludos reſpiciens ait, Neronem *peculiari theatro in hortis primum cantaſſe, & Pompejano præluſiſſe.* Non prætereo notam Xiphilini, qui hos ludos inſtitutos vult per cauſam poſitæ a Nerone primæ barbæ. Et hercle ea nominis cauſſa. Juvenalia enim dicta, quia, ut tyrocinii die pueros exuebant: ſic barba raſa juventutem, tranſibantque tunc in viros. Vide illud Domitiæ amitæ blandientis Neroni votum capite XXXIV. *Simul hanc excepero, mori volo.* LIPSIUS. Sed adi etiam caput proximum: ubi quinquennali certamine Gymnico, barbam primam a Nerone poſitam memorat.

Anuſque matronas recepit ad luſum.] V. C. habet: *anuſque & matronas.* F. URSIN.

TORRENT.

Appellari Maximos.] Ideo Maximos, quod pro re maxima, Imperii ſcilicet æternitate, ſuſcepti fuerant. Sic ludi Magni dicti iidem, qui plebeji.

Per catadromum.] *Catadromus* hic non decurſionis ſtadium (ut volunt interpretes) ſignificat, ſed funem e ſuperiore loco extentum, per quem eques Rom. elephanto inſidens decurreret. ſic enim Xiphilin. quoque hunc locum reddidit. Elephanti funambuli ſpectaculum refertur etiam Galb. cap. VI. Utiturque eo verbo Labeo JCtus l. penult. De actionibus empti, *Servus qui per catadromum deſcenderet*, &c. Lapſus igitur eſt in hujus loci expoſitione etiam Budæus Commentariis.

Inducta eſt Afranii togata.] Melius MSS. *Indu. eſt & Afranii togata.*

CASAUBON.

II. *Per catadromum decucurrit.*] Catadromus pro funambulorum ſive ſchœnobatarum fune, ut apud Græcos etiam δρόμος καὶ περίδρομος ἀντὶ ποιῶν σχοινίων uſurpantur.

VARIOR.

Elephanto ſuperſedens.] Cod. Salmaſ. *ſuperſidens.*

Per catadromum.] Vide Brodæi Miſcell. lib. III. c. 7. & Turneb. lib. XXVII. 18.

Inducta eſt Afranii togata, quæ Incendium inſcribitur.] V. C. Salm. *Inducta Afranii t. q. I. ſcribitur.*

Afranii togata, quæ Incendium *inſcribitur.*] Supra explicatum eſt, *togatas* dici fabulas, quæ ſcriptæ ſunt ſecundum ritus, & habitus hominum togatorum, id eſt, Romanorum: ſicut Græcas fabulas ab habitu *palliatas* priſci nominaverunt. In togatis autem ſcribendis excelluit Afranius poeta: qui tamen argumenta inquinavit puerorum fœdis amoribus, ita mores ſuos faſſus, auctor Quintilianus in x. Hinc ab Horatio decenter dictum eſt:

Dicitur Afrani toga conveniſſe Menandro.

Inter Afranii togatas fabulas una fuit nominata *Incendium* ab argumento: ſicut olim nonnulli incendium Phaetontis ſcripſiſſe produntur: & Lucanus condidit Iliaconitim, quo poemate incendium Trojæ continebatur. BEROALDUS.

diriperent, ac ſibi haberent. Sparſa & populo miſſilia omnium rerum per omnes dies ſingula quotidie millia, avium cujuſque generis multiplex penus, teſſeræ frumentariæ, veſtis, aurum, argentum, gemmæ, margaritæ, tabulæ pictæ, mancipia, jumenta, atque etiam manſuetæ feræ: noviſſime naves, inſulæ, agri. Hos ludos ſpectavit e proſce- 12
nii faſtigio. Munere quod in Amphitheatro ligneo, in regione Martii campi intra anni ſpatium fabricato, dedit, neminem occidit, ne noxiorum quidem. Exhibuit autem ad ferrum etiam quadringentos ſenatores, ſexcentoſque equites Romanos, & quoſdam fortunæ atque exiſtimationis integræ, ex iiſdem ordinibus, confectoreſque ferarum, & varia arenæ miniſteria. Exhibuit & naumachiam marina aqua innantibus belluis, item Pyrrichas quaſdam e numero epheborum, quibus poſt editam operam diplomata civitatis Romanæ ſingulis obtulit. Inter Pyrricharum argumenta, taurus Paſiphaen ligneo juvencæ ſimulacro abditam iniit, ut multi ſpectantium crediderunt. Icarus primo ſtatim conatu juxta cubiculum ejus decidit, ipſumque cruore reſperſit. Nam perraro præſidere,

TORRENT.

12. *Amphitheatro ligneo.*] Quale Curionis illud, de quo Plin. lib. XXXV. cap. XV.

In regione.] Liber opt. ſine præpoſitione *in*.

Exhibuit ad ferrum.] Sic *ad ferrum damnati*, & *ad ferrum dati* apud JCtos. Juvenal. quoque Sat. VI. de feminis gladiatorum amore captis, qualem ibi deſcribit Hippiam, *ferrum eſt quod amant.*

Quadringentos ſenat.] Placet Juſti Lipſii conjectura, cui ad Annalem Taciti ſextum *quadragenos*, & mox *ſexagenos* viſum reponere. Xiphilinus quidem parcior dimidio, qui equites tricenos duntaxat pugnaſſe ſcribit.

Confectoreſque.] Lego ex tribus MSS. *confectores quoque ferarum, & ad varia ar. miniſt.* cum nonnulli *& varia*, alii *ad varia* legant.

E numero epheborum.] Tales illi pueri nobiles ex Aſia ad edendum in ſcena operas a Cajo evocati, Calig. cap. LVIII. Quibus & Claudius uſus eſt, verum poſtquam ſaltaſſent, non ſolum civitate eos non donavit, ut hic Nero, ſed ſtatim ablegavit, (auctor Dion) idque ob impudicitiæ periculum, ut credo. Hujuſmodi ephebus fuit ille Armenius Zalates, de quo Juvenal. extrema Sat. II.

Pyrrhicarum argumenta.] Hunc Suetonii locum ſic interpretor, ut Paſiphaes & Icari fabulæ tum re ipſa exprimerentur, tum concinnis illis Pyrrhicam ſaltantium geſticulationibus referrentur, ex Dionyſio Antiq. Rom. lib. VII.

CASAUBON.

12. *Quadringentos ſenatores, ſexcentoſque equites Rom.*] Non diſcrepat lectio librorum, ne illius quidem omnium optimi, quem ab ampliſſimo Memmio accepimus.

Juxta cubiculum ejus decidit.] *Cubiculum* eſt οὐρανίσκος. Mos principum virorum in Aſia fuit, ut cum vel ad jus dicendum, vel ad ſpectandum ludos, vel aliam ob cauſſam propalam ſederent, pilionibus magnificis tegerentur, quos Græci οὐρανίσκους vocant. Plutarchus in Phocione: Ἐνταῦθα δὴ θεὶς ὁ Πολυπέρχων τὸν χρυσοῦν οὐρανίσκον, καὶ ἐκάθισεν ὑπ' αὐτῷ τὸν βασιλέα, καὶ τοὺς φίλους. Sic de Alexandro aliiſque regibus notant hiſtorici, ſolitos χρηματίζειν ὑπὸ χρυσῷ οὐρανίσκῳ. unde eſt quod σκηνὰς χρηματιστικὰς Polybius libro V. hos οὐρανίσκους vocat. De eorum magnificentia & fabrica Athenæus libro XII. idem ſcriptor vocat alibi σκηνὰς οὐρανοφόρους iſtiuſmodi tentoria. Ex eo more eſt, quod Principibus Romanis ludos ſpectantibus ſuggeſtum exſtruxerunt in orcheſtra: ſic appellavit auctor cap. LXXVI. libri primi: nam cœpit hic mos cum naſcente Principatu. ſuggeſtus autem dictum id pegma, quia inſtar tribunalis ſublime fuit. Vocatur & *cubiculum*, ut hic, a forma: quoniam exſtrui ſoliti hi ſuggeſtus, ſive οὐρανίσκοι, in modum parvi cubiculi: utroque modo nominat Plinius in Panegyrico ad Trajanum. Græci interdum & κωνώπια vocant. Nicetas alicubi τὸ βασιλικὸν ἑδρίασμα.

VARIOR.

Naves, inſulæ, agri.] Intelligo in populum ſparſas fuiſſe teſſeras, quas quicumque occupaſſet, illi mox dabantur naves, & agri, prout nota teſſeræ ſignificabat: ſicuti ſpargebantur teſſeræ frumentariæ, pro quibus ſumma frumenti notata accipiebatur. Inſulæ autem in hoc loco ſignificantur domus. BEROALD. Martialis:

Nunc dat ſpectatas teſſera larga feras.

Xiphilinus in Auguſto: Καὶ τέλος σύμβολά τέ τινα εἰς τὸ θέατρον κατὰ κορυφὴν ἔρριψε, τῷ μὲν ἀργύριον, τῷ δὲ ἐσθῆτα, τῷ δ' ἄλλο τι φέροντα. Idem in Tito apertius hæc extricat: Σφαιρία γὰρ ξύλινα μικρὰ ἄνωθεν ἐς τὸ θέατρον ἐρρίπτει, σύμβολον ἔχοντα, τὸ μὲν ἐδωδίμου τινὸς, τὸ δὲ ἐσθῆτος, τὸ δὲ καὶ ἀργυροῦ σκεύους, ἄλλο χρυσοῦ, ἵππων, ὑποζυγίων βοσκημάτων, ἀνδραπόδων, ἃ ἁρπάσαντάς τινας ἔδει πρὸς τοὺς δοτῆρας αὐτῶν ἐπενεγκεῖν, καὶ λαβεῖν τὸ ἐπιγεγραμμένον.

Ex-

dere, ceterum accubans primum parvis foraminibus, deinde toto podio adaperto ſpectare conſuerat. Inſtituit & quinquennale certamen primus omnium Romæ, more Græco triplex, muſicum, gymnicum, equeſtre, quod appellavit NERONIA. Dedicatiſque thermis atque gymnaſio, ſenatui quoque & equiti oleum præbuit. Magiſtros toti certamini præpoſuit conſulares ſorte, ſede prætorum: deinde in orcheſtram ſenatumque deſcen-

12. *Exhibuit autem ad ferrum etiam quadringentos ſenatores, ſexcentoſque equites Romanos.*] Conjurarunt in hanc lectionem etiam Palatini tres, ſed res tamen palam vociferatur, reſcribendum: *quadraginta ſenatores, ſexagintaque equites*, ut dudum ille noſter Lipſius conjecit. GRUTERUS.

Quadringentoſque ſenatores equites.] An ſcribendum *quatuordecim ſenatores, ſexagintaque equites?* locus integer non videtur. Vid. vett. codd. GUJET.

TORRENT.

Toto podio adaperto.] *Podium* menianorum ſpeciem habuiſſe, atque inſtar pergulæ projectum fuiſſe, cum nominis ratio, tum quod hodie quoque quæ ita mutulis innexa prominent, *podia* vocant Itali, oſtendit. De podio Vitruvius lib. V. cap. VII. Nobiliſſimos vero quoſque e podio ſpectare ſolitos, Juvenal. docet Sat. II.

- - - generoſior & Fabiis &
Omnibus ad podium ſpectantibus.

Sed & Circenſibus ludis veteri more victoria gypſea ſupra podium locabatur. Spartian. Severo. Plin. quoque lib. XXXVII. cap. III. gladiatorio Neronis munere retia arcendis feris podium protegentia ſuccinis nodata fuiſſe ſcribit. Unde colligimus, eos, qui ad podium erant, quam proxime ſpectaſſe omnia quæ agerentur. *Cubiculum* autem appellare videtur Sueton. certam podii partem, in qua lectus poſitus, unde accubans ſpectabat Nero.

Quinquennale certamen.] Quinquennale ludicrum ad morem Græci certaminis vocat. Tacit. Annal. IV. inſtitutum Nerone quartum, Cornelio Coſſo coss. Hoc ergo eſt, quod Sueton. Romæ primum a Nerone inſtitutum refert. nam & Neapoli erat. Aug. cap. XCVIII. Plura Domit. cap. IV.

NERONIA] De hoc nummi veteres ærei, qualem ſervo, cum hac inſcriptione: CERTA. QUINQ. ROM. CO. id eſt, certamen quinquennale Romæ conſtituit. Certamen Neronæum vocat Sueton. Vitell. cap. IV. Xiphilin. Neronia eum inſtituiſſe pro ſalute ac diuturnitate Imperii ſui ſcribit. Sed eos ludos Maximos vocatos fuiſſe paullo ante audivimus. Alii igitur fuere.



Dedicatiſque thermis.] Mallem *dedicatis*, ut in duobus codicibus, ſine conjunctione. Quod vero ait, *thermis atque gymnaſio*, id ſic intelligo, ut in thermis Græcorum more gymnaſium fuerit, ad cujus uſum ſenatui, atque equiti oleum gratis præbuit. neque enim de oleo hic loqui puto Suetonium, quod interdum, uti & frumentum, populo gratuitum dabatur, Cæſ. cap. XXXVIII. Capitolin. Hadriano, Spartian. Severo. Quin & Aurelianus (ſi Vopiſco credimus) vinum gratuitum dare deſtinaverat.

Sede prætorum.] Ita omnino legendum eſt, quicquid ſomnient interpretes, ut conſulares illi ſorte lecti eo ipſo loco certamini tanquam magiſtri præſederint, quo prætores ludis præſidere conſueverant. *Magiſtros* autem vocare videtur, quos Græci ἀγωνοθέτας, atque ἀθλοθέτας. Sed intellectum mihi nuper, eſſe qui in veteri cod. *ſed & prætorios* invenerint. Cui lectioni ut non temere obrogaverim, ita nec prætulerim eam noſtræ. De ſede quidem prætorum nota illa Juvenalis Sat. X.

Quid ſi vidiſſet prætorem in ſedibus altis
Exſtantem?

& quæ ſequuntur.

CASAUBON.

Quod appellavit NERONIA.] Vide Chronicum Euſebianum, numero MMLXXIX. & quæ eo loco a Joſepho Scaligero ſunt obſervata.

VARIOR.

Quod appellavit NERONIA.] In nummis Neronis de Agone, quæ Neronia dicebantur, CERTA. QUINQ. ROM. CONST. & quidem non quatuor annorum, ſicut Olympias, ſed quinquennii ſolidi, inſtar luſtri Romani. Alii quinquennale ludicrum diverſum ab illo, quod Neronia vocabatur, fuiſſe ſcribunt; mendoſe, neque audiendi ſunt. Neſcio an per errorem ſeptimo anno celebratum invenio, poſtquam inſtitutus fuit, C. Suetonio Paulino, L. Pontio Teleſino coss. a numero Euſebiano MMLXXVI. ad numerum MMLXXXII. *Joſ. Scaliger.*

Thermis.] Martialis:

Thermis quid melius Neronianis?

Eutropius: *Ædificavit Romæ thermas, quæ ante Neronianæ dictæ, nunc Alexandrinæ appellantur.* P. Victor Regione Urbis nona: *Thermæ Neronianæ, quæ poſtea Alexandrinæ.* JOS. SCALIGER.

TOR-

deſcendit, & orationis quidem carminiſque Latini coronam, de qua honeſtiſſimus quiſque contenderat, ipſorum conſenſu conceſſam ſibi recepit: citharæ autem a judicibus ad ſe delatam adoravit, ferrique ad Auguſti ſtatuam juſſit. Gymnico, quod in Septis edebat, inter buthyſiæ apparatum, barbam primam poſuit, conditamque in auream pyxidem, & pretioſiſſimis margaritis adornatam Jovi Capitolino conſecravit. Ad athletarum ſpectaculum invitavit & virgines Veſtales: quia Olympiæ quoque Cereris ſacerdotibus

TORRENT.

Ipſorum conſenſu.] Conſenſu eorum, qui de eloquentia contenderant. Tacit. *Eloquentiæ primas partes nemo tulit, ſed victorem eſſe Cæſarem pronunciatum.* Erat autem eloquentiæ corona aurea, citharæ querna. Qua de re alibi.

Inter buthyſia app.] Græca voce uſus eſt, pro magno atque ſolenni ſacrificio, qualis hecatombe: maxima enim taurus victima eſt, vel Virgilio teſte. Aliter tamen grammatici.

Conditam in aur. pyxidem.] Libri MSS. noſtri *conditamque*, haud dubie melius. Dion Juvenales inſtitutos tradit, cum barbam poſuit. Eodem ergo tempore Gymnicum in Septis editum, de quo hic Sueton.

Capitolio conſecravit.] Apertius Dion *Capitolino Jovi.*

Cereris ſacerdotibus.] Quas etiam Antiſtitas vocant, quarum Athenis, ut virginum Veſtalium Romæ, ob ſanctitatis & pudicitiæ opinionem ſumma erat reverentia. Cic. Verrina IV. ubi de Cereris Catanenſis ſigno per Verrem ablato agit. Juvenal. Sat. VI.

Paucæ adeo Cereris vittas contingere dignæ.

Idem Sat. XIII.

- - - qualem Cereris vult eſſe ſacerdos.

Athenienſes eos, qui ſacris Eleuſiniis præerant, eaque adminiſtrabant, Eumolpidas plerumque vocant. Quibus & κήρυκας adjungunt, viros pariter & feminas, ut ex Plutarchi Alcibiade oſtenditur: quo loco exſecratum prius poſt reſacratum ab Eumolpidis narrat. Qua de re etiam Æmilius Probus, (ſive is Cornelius Nepos fuit) qui Græcorum Imperatorum vitas Latine ſcripſit, Eumolpidas ipſe quoque, ac Kerycas conjungens, quamquam mendoſum nactus codicem Beroaldus *Olympiadas* ibi legerit. Verum hæc parum ad rem præſentem faciunt, addenda potius quæ de Cereris Africanæ ſacerdotibus narrat Tertullian. libro priore ad Uxorem.

CASAUBON.

Citharam autem a judicibus ad ſe delatam adoravit.] Hæc lectio MSS. Viterb. & multorum aliorum codd. quæ mihi viſa ante proba, argumento, opinor, non omnino vano. cum enim hæc referantur a Suetonio inter ea quæ laudem potius mereantur quam reprehenſionem, ut ipſe ait cap. XIX. interpretabar ita hunc locum, certaminis hujus præſides, qui non ignorarent, quam libenter Nero inter citharœdos, ſi auderet, eſſet certaturus; miſſa cithara ipſum invitaſſe, ut prodiret, & artis experimentum palam daret: cæterum Neronem pudorem tenuiſſe, & citharam quidem adoraſſe, non eam tamen pulſaſſe. Similia celeuſmata & invitamenta Neroni fuiſſe gratiſſima, narrat auctor cap. XXI. & XXII. Vide omnino in Vitell. cap. IV. Hæc ita nos ante: nunc movemur librorum regiæ bibliothecæ, item Pithœi, Liſlæi, Robert. Stephani atque aliorum veterum conſenſu, in quibus *citharæ* ſcriptum mutata diſtinctione hoc modo: *& orationis q. carminiſque L. coronam, d. g. h. q. c. i. c. conceſſam ſibi, recepit: citharæ autem.* Hanc igitur ſcripturam magis probem: utique cum cogito, vero eſſe ſimilius coronam quam citharam ad Auguſti ſtatuam fuiſſe delatam. accedit & Cujaciani libri auctoritas: in quo fuiſſe ſcriptum *citharæ*, docuit me qui & re & conſilio ſtudia mea ſæpe adjuvit, exactiſſimi vir judicii, Jacobus Bongarſius.

Conditamque in auream pyxidem.] Arbiter: *Veneriſque ſignum marmoreum & pyxis aurea non puſilla, in qua barbam ejus conditam eſſe dicebant.* Dio de Nerone, καὶ τὰς τρίχας ἐς σφαιρίον τι χρυσοῦν ἐμβαλὼν, ἀνέθηκε τῷ Διὶ τῷ Καπιτωλίνῳ. Emendavimus in *Jovi Capitolino* depravatam vulgi lectionem, ſecuti & rem ipſam & codicem Viterbienſem: in quo ſic liquido ſcriptum.

Quia Olympiæ Cereris ſacerdotibus ſpectare conceditur.] Vel potius *Olympia.*

VARIOR.

Barbam primam poſuit.] Ponebant eam ſerius, citius, plerumque ſub XXI. annum. Macrobius certe in Somnium Scipionis, *ter ſeptenarium numerum requiri ad radendam barbam*, adfirmavit. Atque ita Neronem poſuiſſe colliges ex Faſtis, anniſque. Caligula tamen XX. anno poſuit, in ejus vita cap. X. At Cæſar Octavianus anno demum XXV. uti clarum ex Dione. Mutavit ab hoc more primus Rom. Imperatorum Hadrianus, adnotante Xiphilino, & oſtendentibus nummis. LIPSIUS. Quæ cauſſa mutandi Hadriano fuerit, ſic indicat in ejus Vita Æl. Spartianus: *Promiſſa barba fuit, ut vulnera, quæ in facie naturalia erant, tegeret.* Ibidem neminem tribunum, niſi plena barba, feciſſe eum ſcribit.

Jovi Capitolino conſecravit.] Sic apud Græcos virginum puerorumque comæ deo alicubi ſacrabantur.

13 bus ſpectare conceditur. Non immerito inter ſpectacula ab eo edita, & Tiridatis in
urbem introitum retulerim. Quem Armeniæ regem magnis pollicitationibus ſolicita-
tum, cum deſtinato per edictum die oſtenſurus populo propter nubilum diſtuliſſet,
produxit, quo opportuniſſime potuit: diſpoſitis circa fori templa armatis cohortibus,
curuli reſidens apud Roſtra triumphantis habitu, inter ſigna militaria, atque vexilla:
& primo per devexum pulpitum ſubeuntem admiſit ad genua, allevatumque dextra exo-
ſculatus eſt: dein precanti, tiara deducta, diadema impoſuit, verba ſupplicis interpre-
tata prætorio viro multitudini pronuntiante. Perductum deinde in theatrum, ac rurſus
ſupplicantem, juxta ſe latere dextro collocavit. Ob quæ Imperator conſalutatus, lau-
14 rea in Capitolium lata, Janum geminum clauſit tam nullo quam reſiduo bello. Con-
ſulatus

tur. Apud Martialem quidam primam lanuginem comamque

Pegaſeo poſuit arma ſacrata Deo.

Tertullianus de Anima: *Quis non exinde aut totum filii caput reatui vovet, aut aliquem excipit crinem, aut tota novacula proſecat, aut ſacrificio obligat, aut ſacro obſignat, pro publica aut privata devotione?* Cenſorinus De die natali cap. I. *Quidam etiam pro cætera bona corporis valetudine, crinem deo ſacrum paſcebant.* Lipsius.

Quia Olympia quoque Cereris ſacerdotibus.] Lege prohibitum erat, ut inquit Lactantius Statii interpres, Olympicum certamen ſpectare mulieres: excipiebantur Cereris antiſtitæ, quibus ob ſacerdotii majeſtatem concedebatur ſpectare ludos Olympicos. Beroald.

Torrent.

13. *Tiridatis.*] Libri MSS. tres Mithridatem vocant, mendoſe. Τηριδάτην enim appellat Xiphilin. quod nomen etiam Tacit. ſervat. Inſignem vero fuiſſe magum, ex Plinio diſcimus lib. XXX. cap. II. & XXXIII. cap. III.

Diadema impoſuit.] Ut qui regnum illi aſſignaret, quemadmodum in Trajani numiſmate cernimus, cum inſcriptione, REGNA ADSIGNATA. Tacit. eum narrat a Corbulone devictum, antequam Romam veniret, diadema apud Neronis effigiem depoſuiſſe. Sed veriſimile eſt, hanc cærimoniam ſpectante pop. Rom. repetitam fuiſſe. Alterius Tiridatis meminit Horat. lib. I. Od. XXVI.

Latere dextro.] Honorariore, (ut ego arbitror) inter ſedendum quidem. Nec cum per viam incederent, aliter ſervabatur. Claud. cap. XXIV. Recte igitur Xenophontis de Cyro locum intelligit Beroaldus. Cyrus enim peculiari quadam ratione convivas quos maxime amabat, lævos ſibi accumbere volebat, tanquam cordi propiores, non quin dexter locus eſſet honoratior. Quanquam Xenophon ipſe aliam reddit rationem, nempe quod læva magis inſidiis obnoxia ſit quam dextra. Locus eſt VIII. Cyri Pædias.

14. *Janum gem. clauſit.*] Teſtantur id Neronis



nummi, cum inſcriptione, PACE P. R. UBIQ. PARTA. JANUM. CLUSIT. &, PACE. P. R. TERRA. MARIQ. PARTA. JANUM. CLUSIT. Sed & male hæc qui Suetonium in capita partiti, ab iis quæ præcedunt diſtraxerunt, legendumque, ſi ſententiam audimus, *Ob quæ Imp. conſal. laurea in Capitol. lata, Janum geminum clauſit*, &c. videri enim voluit ridiculus Princeps ambitioſa hac Tiridatis oſtentatione terrarum orbem, velut nuſquam reſiduo bello, pacaſſe. De laurea in Capitolium lata alibi diſſerimus.

Tam nullo quam reſiduo bello.] An igitur ſæpius Janum clauſit Nero? Non equidem exiſtimo, ſed pro libidine reſiduo etiam bello. nam (ſi Oroſio credimus) ab Auguſto ad Veſpaſianum uſque nunquam caſſavere bella. Atque adeo locum hunc ſic puto debere corrigi, *tanquam nullo reſiduo bello*, una tantum dictione tranſpoſita.

Casaubon.

13. *Juxta ſe latere dextro collocavit.*] Honoris illius cauſa. Eunapius in Ædeſio: καὶ ἐς τοσοῦτόν γε ἐξίκετο σοφίας καὶ δυνάμεως, ὡς ὁ μὲν βασιλεὺς, ἑαλώκει τε ὑπ' αὐτοῦ, καὶ δημοσίᾳ σύνεδρον εἶχεν εἰς τὸν δεξιὸν καθίζων τόπον. ὃ καὶ ἀκοῦσαι καὶ ἰδεῖν ἄπιστον. At eo devenit quorundam παραδοξολογομανία, ut non erubuerint hujus moris contrariam eſſe cauſſam aſſeverare. Sed profecto in auctorem ejus ſententiæ, ſi in quemquam umquam, vetus dictum competit, ἐπ' ἀριστερὰ ἔμαθες, ὦ βεκκεσέληνε, γράμματα. Sed iſtum παραδοξομανῆ minus miror: doctiſſimum virum idem nuper ſcripſiſſe, quaſi olim Hebræi ſiniſtram dextræ prætulerint, equidem non poſſum non mirari. Nam id falſiſſimum eſſe, ſacra Teſtamenti utriuſque pagina multis locis declarat. Verius S. Baſilius: ἡ δεξιὰ χώρα δηλοῖ τὸ τῆς ἀξίας ὁμότιμον: *Locus dexter dignitatis æqualitatem indicat.* alibi dicit, demonſtrari per dextrum locum, τὴν πρὸς τὸ ἴσον σχέσιν. clarius docet hoc ipſum beatus Chryſoſtomus in epiſtolam ad Hebræos: ὅτι διὰ τοῦτο

ſulatus quatuor geſſit: primum bimeſtrem, ſecundum & noviſſimum ſemeſtres, tertium quadrimeſtrem: medios duos continuavit, reliquos inter annua ſpatia variavit. a In 15
juriſdictione poſtulatoribus niſi ſequente die, ac per libellos, non temere reſpondit. Cognoſcendi morem eum tenuit, ut continuis actionibus omiſſis, ſigillatim quæque per vices ageret. Quoties autem ad conſultandum ſecederet, neque in commune quidquam, neque propalam deliberabat: ſed & conſcriptas ab unoquoque ſententias tacitus ac ſecreto legens, quid ipſi libuiſſet, perinde atque pluribus idem videretur, pronuntiabat. In Curiam libertinorum filios diu non admiſit: admiſſis a prioribus Principibus honores dene-

οὕτως εἴρηκε δῆλον ἐκ τοῦ τόπου τῆς καθέδρας· εἰ γὰρ ἐλάττωσιν ἤθελε δηλῶσαι, οὐκ ἂν εἶπεν ἐκ δεξιῶν, ἀλλ' ἐξ ἀριστερῶν. Similia his multa apud Patres alios Græcos Latinoſque. Enimvero vel unus Euangelii locus de agnis ad dextram & ad ſiniſtram, abſurditatem hujus ſententiæ palam fecerit.

Laurea in Capitolium lata.] Quaſi magnum aliquid & triumpho dignum patraſſet: nam qui triumphaverunt, lauream in gremio Jovis Capitolini collocabant. Vide Tranquillum in Domitiano, cap. VI. & quæ ibi notamus.

Janum geminum clauſit tam nullo quam reſiduo bello.] Ita plane diſtinguitur hic locus in optimi amici noſtri Maneſſerii optimo cod. Viterb. in quo etſi capitum in quæ ſecatur vulgo Sueton. nulla toto opere mentio, aliquot tamen locis paragraphi minio notati conſpiciuntur. Ita ergo hic poſita virgula ante vocem *Janum*: poſt vocem vero *bello* ſequitur paragraphus. Omnino autem ſuadere videntur Tranquilli verba, ſæpius a Nerone clauſum eſſe Janum. Quamobrem ſcribi fortaſſe debet, *Janum geminum clauſit: clauſit enim tam nullo quam reſiduo bello.*

VARIOR.

13. *Perductum deinde in theatrum.*] Codex Salmaſ. *perductum inde in theatrum.* R. Steph. *perductum theatrum.*

Tam nullo quam reſiduo bello.] Faërn. *tanquam nullo reſiduo bello.*

Janum Geminum clauſit tam nullo quam reſiduo bello.] Faërnus legebat: *Janum Geminum cluſit tanquam nullo reſiduo bello.* Conjungebatque hæc verba cum iis, quæ ſunt in extremo ſuperioris capitis, hoc modo: *Ob quæ Imperator conſalutatus, laurea in Capitolium lata, Janum Geminum clauſit, tanquam nullo reſiduo bello.* In Neronis æreo numiſmate porta ipſa Janualis ſignata eſt, cum hac inſcriptione: PACE. P. R. TERRA. MARIQUE PARTA. JANUM. CLUSIT. De qua porta Januali Varro lib. IV. de L. L. *Tertia eſt Janualis dicta ab Jano, & ideo ibi poſitum Jani ſignum, & inſtitutum a Numa Pompilio, ut ſcribit in Annalibus L. Piſo, ut ſit aperta ſemper, cum bellum ſit. Nuſquam traditum eſt memoriæ niſi Pompilio Rege fuiſſe clauſam: & poſt T. Manlio conſule, bello Carthaginienſi primo confecto, ſed eodem anno apertam.* Hæc verba eo libentius recitavi, quod in vulgatis editionibus mendoſiſſime leguntur. In alio nummo inſcriptum eſt: PACE. P. R. UBIQUE PARTA JANUM CLUSIT. *F. Urſinus.*

TORRENT.

15. *Poſtulatoribus.*] *Poſtulare* (inquit Ulpian.) eſt deſiderium ſuum, vel amici ſui in jure apud eum qui juriſdictioni præeſt exponere, vel alterius juriſdictioni contradicere. Hinc *poſtulationes.* Verum quos *poſtulatores* Sueton. dicit, JCti *procuratores* fere vocant.

In cognoſcendo.] Liber opt. *Cognoſcendi morem eum tenuit.* Placet. Notandumque diſtingui cognitionem a juriſdictione. nam (ut non male Donatus ait) poſtulamus jure. Atqui cognitiones fere extraordinariæ erant. Plura Claud. cap. XV.

Continuis actionib. omiſſis.] Verbum *omiſſis* abeſt a duobus exemplaribus, nec male, ut ea quæ cognitionis erant, Nero continue ſuo quæque ordine ut propoſita fuerant, deciderit. Lector tamen ſuum ſequatur arbitrium. nam *continuas* fortaſſe *actiones* vocat, quibus promiſcue qualiacunque cauſarum genera proponebantur. Qua cognoſcendi conſuetudine omiſſa, Nero certis ſeſſionum diebus de unoquoque genere per vices agi inſtituit. Quo de more aliquid Galb. cap. X.

Ad conſultandum ſecederet.] Sic noſtri etiam codices. Vulgo *ſederet* legitur. inepte. Mallem etiam *quod*, aut *quidquid ipſi libuiſſet*, pro *quid.*

Libertinorum filios.] Sup. Claud. cap. XXIV.

CASAUBON.

13. *In cognoſcendo morem eum tenuit.*] Alii codd. *Cognoſcendi eum morem tenuit.* poſtrema periodi hujus ita exhibent nonnulli, *ſingulatim quæque per vices ageret.* nihil muto.

VARIOR.

15. *Sed & conſcriptas ab unoquoque ſententias.*] V. C. Fulvii Urſini: *ſed conſcriptas ab unoquoque ſententias.*

TOR-

a) *A. U. C.* DCCCVIII. DCCCX. DCCCXI. DCCCXIII.

denegavit. Candidatos qui ſupra numerum eſſent, in ſolatium dilationis ac moræ, legionibus præpoſuit. Conſulatum in ſenos plerumque menſes dedit. Defunctoque circa Kal. Januarias altero e COSS. neminem ſubſtituit: improbans exemplum vetus Caninii Rebili, uno die conſulis. Triumphalia ornamenta, etiam quæſtoriæ dignitatis, & nonnullis ex equeſtri ordine tribuit: nec utique de cauſſa militari. De quibuſdam rebus orationes ad ſenatum miſſas, præterito quæſtoris officio, per COSS. plerumque
16 recitabat. Formam ædificiorum urbis novam excogitavit: & ut ante inſulas ac domos porticus eſſent, de quarum ſolariis incendia arcerentur: eaſque ſumptu ſuo exſtruxit. Deſtinarat etiam Oſtia tenus mœnia promovere, atque inde foſſa mare veteri urbi inducere. Multa ſub eo & animadverſa ſevere, & coercita, nec minus inſtituta: adhibitus ſumtibus modus: publicæ cœnæ ad ſportulas redactæ: interdictum, ne quid in popinis cocti præter legumina aut olera veniret, cum antea nullum non opſonii genus proponeretur: afflicti ſuppliciis CHRISTIANI, genus hominum ſuperſtitionis novæ ac maleficæ: vetiti

TORRENT.

Candidatos.] De hoc ſic Tacit. *Comitia prætorum, arbitrio ſenatus haberi ſolita, quod acriore ambitu exarſerant, Princeps compoſuit, tres, qui ſupra numerum petebant, legioni præficiendo.*

Caninii Rebuli.] *Rebili* ſcribendum. De quo Cæſ. cap. LXXVI.

Etiam quæſtoriæ dign. nonnullis.] Sic Pulm. & duo noſtri MSS. Alii, ſicut etiam vulgati, ante dictionem *nonnulli*, & particulam interſerunt. Quam ego non tam delendam, quam tranſponendam cenſeo. ſenſus enim eſt, Neronem ornamenta triumphalia etiam quæſtoriis tantum, & quidem ex equeſtri ordine, contuliſſe. Lego igitur, *Triumphalia orn. etiam quæſtoriæ dignitatis nonnullis, & ex equ. ord. trib.*

Sed & de quibuſdam.] Melius MSS. noſtri *De quibuſdam*, D. majuſcula, ſine *ſed &*. verba enim *neque utiq. d. c. m.* præcedentibus annectenda ſunt.

Præterito quæſtoris officio.] Aug. cap. LXV.

16. *Formam ædif. urb. novam.*] Poſt incendium Urbis id contigit. Neque tam exſtruxit, quam exſtructurum ſe pollicitus eſt. Tacit.

Oſtia tenus.] Tres libri *Hoſtiam tenus.* Et ratio quidem ſine aſpiratione, ac multitudinis tantum numero efferri poſtulat, promiſcue tamen ſcriptum reperitur. Foſſa vero hæc alia eſt ab illa, quam ab Averno ad oſtia uſque Tiberina navigabilem perducere voluit, de qua Tacit. lib. XV. Plin. lib. XIV. cap. VI. ipſe Sueton. inf. cap. XXXI.

Publ. cœnæ ad ſport. redactæ.] At Domitianus ſportulas ſuſtulit, revocata cœnarum rectarum conſuetudine., cap. VII. Ibi plura.

Ne quid in popinis cocti.] Claud. cap. XXXVIII.

Afflicti ſuppliciis Chriſtiani.] Idem & impius Tacit. Fuit autem hæc prima hujus ſanctiſſimi nominis vexatio, qua duo illa ingentia religionis noſtræ lumina, Petrus & Paulus, Romæ occubuere. Euſeb. Chronicis, Oroſ. Sulpicius Severus, & alii.

CASAUBON.

16. *Ut ante inſulas ac domos porticus eſſent.*] Ab hac forma eſt illa aulæ deſcriptio apud Iſidorum libro XV. cap. III. *Aula domus eſt regia, ſive ſpatioſum habitaculum, porticibuſque quatuor concluſum.*

De quarum ſolariis incendia arcerentur.] Iſidorus itidem: *Mœnius collega Craſſi in foro projecit materias, ut eſſent loca in quibus ſpectantes inſiſterent, quæ ex nomine ejus Mœniana appellata. Hæc & Solaria, quia patent ſoli. Poſt hæc alii lapide, alii materia ædificavere ſuper porticibus mœniana, & foribus & domibus adjecerunt.* Ita putamus ſcribendum illum locum.

Interdictum, ne quid in popinis cocti præter legumina aut olera veniret.] Dio: *πάντα δὲ ὡς εἰπεῖν τὸν βίον ἐν καπηλικῇ διαίτῃ ποιούμενος, ἀπεῖπε τοῖς ἄλλοις μηδὲν ἑφθὸν ἐν καπηλείῳ, πλὴν λαχάνων καὶ ἔτνους πιπράσκειν.*

VARIOR.

16. *Afflicti ſuppliciis Chriſtiani.*] Abolendo rumori Romæ a ſe incenſæ Chriſtianos ſubdidiſſe reos Neronem, auctor C. Tacitus: idque tempus confert in conſulatum C. Lecani, & M. Licini: qui erat annus Chriſti LXIV. Adjicit idem: Chriſtianos aut feris & canibus objectos, aut crucibus affectos, aut flammatos. Flammare eſt, quod Hiſpani dicunt *Pringar.* Stantibus ad palum deſtinatis unco (ne motatione capitis picem cadentem declinarent) gutturi ſuffixo, e lamina ardente (*κεραμίδα* vocat Imp. M. Aurelius) pix aut unguen in caput liquefiebat, ita ut rivi pinguedinis humanæ per arenam amphitheatri ſulcum facerent. Juvenalis ad hoc tormentum, eandemque hiſtoriam alludens:

Pone Tigillinum, tæda lucebis in illa,
Qua ſtantes ardent, qui fixo gutture fumant,
Et latum media ſulcum diducit arena.

Lege:

Et latus mediam ſulcus diducit arenam.

Sſſ 2 Pone

vetiti quadrigariorum luſus, quibus inveterata licentia paſſim vagantibus, fallere ac furari per jocum jus erat: pantomimorum factiones cum ipſis ſimul relegatæ. Adverſus 17
falſarios tunc primum repertum, ne tabulæ niſi pertuſæ, ac ter lino per foramina trajecto, obſignarentur. Cautum, ut in teſtamentis primæ duæ ceræ, teſtatorum modo nomine

Pone, ubi ſtantes ad palum alligati ſuffixo gutture, lamina impendente fumant, & totos artus liquefiunt, ita ut pinguedo diducat arenam ſulco facto. Ut memorabiles illos cruciatus fuiſſe neceſſe ſit, quorum multo poſt tempore meminit Juvenalis. Tertullianus in Gnoſticos: *Orientem fidem Romæ primus Nero cruentavit.* Neque ſolum Romæ ſævitum in Chriſtianos, ſed etiam in provinciis. JOS. SCALIGER. V. C. habet: *affecti ſuppliciis Chriſtiani.* &c. quod magis placet. F. URSINUS.

Genus hominum ſuperſtitionis novæ ac maleficæ.] Exſtat vetus inſcriptio in Hiſpania loco Piſuergæ vocato: in quo ſine dubio crudelitas Neronis tangitur, ſi quidem vera eſt illa inſcriptio: nam dubito. Chriſtianiſmum ſuperſtitionem vocat, ut Suetonius Chriſtianos homines novæ ac maleficæ ſuperſtitionis: NERONI. CLAUDIO. CÆSARI. AUG. PONT. MAX OB. PROVINCIAM. LATRONIBUS. ET. HIS. QUI. NOVAM. GENERI. HUMANO. SUPERSTITIONEM. INCULCARANT. PURGATAM. *Joſ. Scaliger.*

TORRENT.

Quadrigariorum luſus.] Ante cap. V de aurigariis diximus. Sub quibus & trigarii, & quadrigarii (ni fallor) continentur. Quorum quos luſus dicat, imaginari facilius eſt quam verbis exponere, aut certi aliquid affirmare.

Pantomimorum factiones.] Vide cap. XXVI.

17. *Adverſus falſarios.*] Multæ adverſus hos legum cautiones. Sed errare videri poteſt Sueton. qui quod a Ti. Claudio ſancitum fuit, Ner. Claudio adſcripſerit. Nota eſt inſcriptio tituli lib. XLVIII. Pandect. ad legem Corneliam de falſis, & de S. C. Liboniano: quo quidem S. C. pœna legis Corneliæ irrogatur eis, qui in alterius teſtamento vel codicillis legatum, hereditatemve ſibi ſua manu adſcripſerint. Atqui Senatuſconſultum illud factum eſt Statilio Tauro, & Scribonio Libone coss. quo tempore Claudius Imperio præfuit. Accedit quod in eandem ſententiam citatur edictum Divi Claudii l. XV. eodem illo tit. & l. III. Cod. De his qui ſibi adſcribunt.

Primæ duæ ceræ.] Quanquam Juſtinian. tit. De teſtamentis, nihil intereſſe ſcribit, in tabuliſne, an in charta, membraniſve, vel in alia materia fiat teſtamentum, notum tamen eſt, ceratis tabulis olim potiſſimum ſcribi ſolitum, & ſic quidem, ut prima tabula teſtatoris, altera heredis nomen plerumque contineret. Porphyrio in illud Horatii lib. II. Sat. IV.

- - - quid prima ſecundo
Cera velit verſu, ſolus, multiſne coheres.

Hujus ergo loci ſententia eſt, cautum fuiſſe, ut primæ duæ teſtamenti tabulæ, inſcripto tantum teſtatoris nomine, alioqui vacuæ, ſignatoribus de more intervenientibus oſtenderentur, quo liberum fieret teſtatori vel neſcientibus illis quem vellet heredem inſcribere, cum ſatis eſſet, quoad teſtium fidem, conſtare cujus eſſet teſtamentum, (puta Sempronii) quamvis ignoraretur, quem heredem faceret.

CASAUBON.

Vetiti quadrigariorum luſus.] Non alios luſus intelligo, quam ſimilem iſtorum hominum laſciviam petulantiæ illi Neronis, quam deſcribit auctor. cap. XXVI. & Dio prolixe.

17. *Ut in teſtamentis primæ duæ ceræ.*] Viterb. *ut teſtamentis.* ita ſæpe τὸ *in* omittitur eleganter. Non aſſentiar magnæ famæ juriſprudenti, qui contendit ſcribendum hoc loco *imæ duæ ceræ.* aliter enim omnes libri: neque in vulgata lectione quicquam incommodi. primæ duæ ceræ inſtitutionem heredis & ſubſtitutionem continebant: quam teſtamenti partem non divulgari, plurimum ſæpe teſtatoris, & primi quoque heredis intererat.

VARIOR.

17. *Adverſus falſarios* &c.] Inſpectis Suetonii verbis, poſſet quis exiſtimare, non lege, ſed uſu tum receptum fuiſſe, ut tabulæ teſtamenti pertuſæ, trajecto per foramina lino, obſignarentur, nec aliæ præterea. At non uſu receptum, ſed lege cautum, ut duæ primæ tabulæ vacarent, ac ne quis legatum ſibi adſcriberet. Verum non poſterius tantum, ſed & prius ſenatus auctoritate cautum, atque ad omnia inſtrumenta pertinuiſſe eam cautionem, paret ex Pauli Sententiis: qui ita lib. 2. tit. 25. §. 5. *Ampliſſimus ordo decrevit eas tabulas, quæ publici vel privati contractus ſcripturam continent, adhibitis teſtibus ita ſignari, ut in ſumma marginis, ad mediam partem perforatæ, triplici lino conſtringantur, atque impoſitum ſupra linum ceræ ſigna imprimantur, ut exteriores ſcripturæ fidem interiori ſervent. Aliter prolatæ nihil momenti habent.* Suetonius quidem de teſtamentis, Paulus de contractibus loquitur; veruntamen, quin uno eodemque Senatusconſulto de his cautum ſit, non ambigo. Ut uniquod deeſt auctori, ex altero ſit ſupplendum. Sed & his item addendum eſt, ſi quis ex teſtibus nomen ſuum non adſcripſerit, quamvis ſignaverit, pro eo eſſe ac ſi adhibitus non eſſet. Imo debuiſſe ſingulos teſtes, qui adhibebantur, proprio chirographo adnotare, quis & cujus teſtamentum ſignaret. Si vero

mine inſcripto, vacuæ ſignaturis oſtenderentur: ac ne quis alieni teſtamenti ſcriptor legatum ſibi adſcriberet. Item ut litigatores pro patrociniis certam juſtamque mercedem, pro

vero adſcripſerit, non tamen ſignaverit, iidem dicendum eſt, tantundem valuiſſe ac ſi adhibitus non fuiſſet. Ita enim hæc referuntur l. 22. & l. 30. ff. Qui teſt. fac. poſſ. Quin & hoc addendum, ſigna impoſitum ſupra linum ceræ fuiſſe imprimenda quidem, ſecundum Pauli verba, veruntamen teſtamenti recte *ſignatas tabulas accipi oportere, etſi linteo, quo tabulæ involutæ ſunt, ſigna impreſſa fuerint.* Ita enim d. l. 22. definit Ulpianus. GOESIUS.

Ne tabulæ niſi pertuſæ, ac ter lino per foramina trajecto obſignarentur.] Hoc eſt, ut perforatis in ſummo margine tabulis triplici per foramen trajecto lino obligarentur. Hoc eſt illud Senatuſconſultum, quod intelligit Paulus lib. v. Sent. tit. xxv. Ante hoc Senatuſconſultum nec perforatæ tabulæ, nec triplici lino per foramina trajecto obſignabantur, ſed ſimplici, ac ſimpliciter tabulis integris ac non perforatis circumligato. Nam *pertuſas* dixit Suetonius, quas Paullus *perforatas.* *Pertundo* enim idem ſignificavit veteribus, quod *perforo.* Unde *Dea pertunda* in nuptiis: & *pertuſa lana* Perſio, quam vulgo dicimus *veſtem foratam.* Et Servio *pertuſæ margaritæ*, quæ ſunt perforatæ, ad lib. v. Æn. CL. SALMASIUS de ſubſcribendis & ſignandis teſtamentis, cap. xx.

Cautum ut in teſtamentis primæ duæ ceræ teſtatorum modo nomine inſcripto, vacuæ ſignaturis oſtenderentur.] Scribendum eſt: *ut primæ duæ ceræ teſtatorum modo nomine inſcripto vacuæ ſubſignaturis oſtenderentur.* Primæ duæ ceræ ſunt duæ primæ tabellæ, ſive paginæ ceratarum tabularum, in quibus primi & ſecundi hæredes a teſtatore ſcribebantur. Inde illud apud Horat.

- - - quid prima ſecundo
Cera velit verſu.

Recte Acron *primam tabulam* exponit, hoc eſt, primum τετράδιον. In primo verſu primæ tabulæ nomen teſtatoris inſcribebatur, deinde nomen hæredis in ſecundo. Porphyrio ad illum locum: *Bene hoc & juxta ordinem, quia prius teſtatoris nomen, deinde hæredis.* Teſtator igitur, qui nolebat a teſtibus ſciri nomen hæredum, quos inſtituebat, neque primorum, neque ſecundorum, in duabus primis ceris tabularum nomen tantum ſuum inſcribebat, reliqua pagina, vel cera vacua relicta, quæ ſubſignaturis teſtibus oſtendebatur. Satis enim fuit, ut validum eſſet teſtamentum, nomen teſtatoris a teſtibus teneri, ſcirique, has ejus teſtamenti tabulas eſſe, quibus nomina ſua adſcriberent. Ubi porro ſubſcripſiſſent omnes, tum teſtator vacuas iſtas ceras, ſive paginas implebat nominibus hæredum, quos ignoratos voluerat eſſe teſtibus, & pro qua quemque parte inſtitueret. Tum clauſis tabulis & lino conſtrictis, cera impoſita & affixa ſua in ea ſigna imprimebant teſtes. Quod ſi *ſignaturos* hic accipimus pro ſignatoribus ipſis, hoc eſt, teſtibus, nihil erit mutandum. Utrumque enim faciebant teſtes, adſcribebant primo nomen ſuum interioribus ceris, deinde in exterioribus ſignum ſuum imprimebant. Ab hoc ultimo actu paſſim Signatores vocantur. Utrumque autem adeo neceſſarium, ut ſi quis ex teſtibus nomen ſuum non adſcripſiſſet, qui tamen ſignaſſet, pro eo eſſet ac ſi adhibitus non fuiſſet: & contra, ſi ſe adſcripſiſſet, non tamen ſignaſſet, pro nullo haberetur teſtamentum. leg. XXII. D. Qui teſtamenta. CL. SALMASIUS, de modo Uſurarum cap. XI.

TORRENT.

Pro patrociniis.] Adverſus oratorum licentiam, ne quis ob patrocinium donum munuſve caperet, lata olim fuit lex Cincia. De qua Livius lib. XXXIV. Cic. de Senectute, & lib. I. Epiſt. ad Attic. Tacit. quoque Annal. XI. & XIV. Feſtus *Muneralem* a Plauto vocari ait. Ad eam Paullus J. C. librum ſcripſit, ex quo ſumpta l. XXII. tit. De legib. Quod vero de juſta ac certa mercede adjicit Sueton. id ita interpretor, ut pro modo litis, proque advocati facundia, & fori conſuetudine æſtimatio ineatur, dummodo tamen licitum honorarium quantitas non egrediatur, ut pulcherrime hac de re Ulpian l. I. De extraord. cognitionib. Licitum autem honorarium definit ipſe uſque ad centum aureos. Tacit. lib. XI. Claudium poſuiſſe modum ſcribit uſque ad dena ſeſtertia. Quæ ſummæ non diſcrepant, ſi aureum æſtimes XXV. denariis, quod alibi docebimus.

CASAUBON.

Ac ne quis alieni teſtamenti ſcriptor legatum ſibi adſcriberet.] Quum in Pandectis Claudianum hoc edictum auctorem habuiſſe dicatur Divum Claudium, neque temere ſit invenire, Neronem *divi* appellatione affectum, labor ut aſſentiar viris eruditis, qui erraſſe hic Suetonium exiſtimant, & Neroni perperam tribuiſſe quod erat Claudii: qua de re plura Jacobus Cujacius ad titulum Codicis, De his qui ſibi, &c. ſcribunt in teſtamento.

Mercedem pro ſubſelliis nullam omnino darent.] Judicia præter centumviralia exercebantur in foro a prætoribus aliiſque magiſtratibus, ſed illis maxime. neque tribunalia vero, neque ſubſellia, ulla firma erant: verum ad tempus exſtruebantur, quoties iis eſſet opus. videntur igitur ut aliarum rerum publico præſtandarum, ita tribunalium & ſubſelliorum fuiſſe mancipes: qui ad mandatum jus dicturi, pecunia ſua illa exſtruerent, eamque poſtea pe-

pro ſubſelliis nullam omnino darent, præbente ærario gratuita: utque rerum actu ab ærario cauſſæ ad forum, ac recuperatores transferrentur: & ut omnes appellationes a judicibus ad ſenatum fierent. Augendi, propagandique Imperii neque voluntate ulla 18
neque ſpe motus umquam, etiam ex Britannia deducere exercitum cogitavit: nec niſi verecundia, ne obtrectare parentis gloriæ videretur, deſtitit. Ponti modo regnum concedente Polemone, item Alpium, defuncto Cottio, in provinciæ formam redegit.
Peregrinationes duas omnino ſuſcepit, Alexandrinam & Achaicam: ſed Alexandrina ipſo 19
pro-

pecuniam a litigatoribus repeterent. Simillimum eſt, quod olim Athenis & Romæ etiam fieri ſolitum circa theatra, priuſquam perpetuæ voluptatum ſedes fuiſſent ædificatæ: erant enim *θεατροπῶλαι* & *θεατρῶναι*, ut dicebamus ad Theophraſti caput *περὶ ἀναισχυντίας*.

TORRENT.

Pro ſubſelliis.] Quid pro judiciorum ſubſelliis a litigatoribus pendi ſoleat, nuſquam memini me legiſſe. De recitantium vero ſubſelliis notus ille Juvenalis verſus e Sat. VII.

Nemo dabit regum quanti ſubſellia conſtent.

Rerum actu ab ærario cauſæ.] Hoc eſt, ut, quando judicia fiunt, cauſæ quæ ante apud præfectos ærarii tractabantur, in foro deinceps coram recuperatoribus agitarentur. Omittere autem nolim in cod. uno ex noſtris legi *ad ærarium cauſæ* pro *ab ærario*, longe ſane elegantius, pro cauſis apud ærarium pendentibus. Vide quæ notavi Claud. cap. IX. & XXIV. de ærarii cura ad prætura functos a Nerone tranſlata.

Recuperatores.] Libri vetuſtiſſimi *Reciperatores* vocant, nec male. Theophilus enim, qui Juſtiniani Inſtitutiones Græce interpretatus eſt, tit. Quibus ex cauſis manumittere non licet, inde appellatos vult, quod per eos unuſquiſque ſuum recipiebat. Nec diſſentit Feſtus, qui *Reciperatores* ſic dictos tradit, quod inter populum Rom. & civitates peregrinas de rebus privatis reddendis recipiendiſque cognoſcebant. Uſu tamen obtentum, ut *Recuperatores* vocentur. Cicero eos plerumque cum judicibus conjungit, ut pro Cæcina, *Si quis judex, Recuperatorve dicat.* Iterum, *Non reperis quemquam judicem, aut recuperatorem.* Et Verr. V. *Nullum unquam judicem, aut recuperatorem dedit.* Accedit Valerii Probi in libello De notis antiquis hæc ex edicto prætoris formula, QUANTI EA RES ERIT, TANTÆ PECUNIÆ JUDICIUM RECUPERATORIUM DABO, TESTIBUSQUE DUMTAXAT DECEM DENUNCIANDI POTESTATEM FACIAM. ſunt enim Prætoris verba. Unde Plaut. Bacchid. *Poſtquam quidem Prætor Recuperatores dedit, Damnatus demum vi coactus reddidit Ducentos & mille Philippum.* Eadem autem quæ prætoris Romæ, etiam præſidis poteſtas erat ac juriſdictio in provincia. Et quanquam *judicum* vocabulo etiam *Recuperatores* continerentur, proprie tamen *Recuperatores* dicti videntur, cum ſuper facto ipſo incidit quæſtio, ut puta uter prior murum hoſtium conſcendiſſet, an facta injuria, an captæ pecuniæ. Et quoniam talia fere erant judicia quibus ſuper ſtatu alicujus diſceptabatur, ſervuſne an liber eſſet, libertinus an ingenuus, in his quoque frequens *Recuperatorum* eſt mentio. Veſpaſ. cap. III. & Domit. cap. VIII. Dabantur autem fere ex his quos inter comites ſuos, aut in conſilio habebant magiſtratus, aut etiam ex albo judicum ſine ulla ſortitione. Hinc Plin. lib. III. Epiſt. penult. *Nam ut in Recuperatoriis judiciis, ſic nos in illis comitiis quaſi repente apprehenſi, ſinceri judices fuimus.* Sed hæc quamvis pro re pauca, hoc loco tamen dicta ſufficiant.

A judicibus ad ſenatum.] Apertius Tacit. lib. XIV. *Auxitque patrum honorem, ſtatuendo, ut qui a privatis judicibus ad ſenatum provocaſſent, ejuſdem pecuniæ periculum facerent, cujus hi qui Imperatorem appellavere. nam ante vacuum id ſolutumque pœna fuerat.* Nonnulla notavi Aug. cap. XXXIII.

18. *Concedente Polemone.*] Plures hoc nomine reges Ponti fuere. De Polemone qui ſocius pop. R. appellatus eſt Auguſti temporibus, Dion lib. LIII. Hujus deinde filio Polemoni regnum paternum ex S. C. confirmatum fuit, ſed cum pater Boſporum quoque Agrippæ beneficio occupaſſet, Claudius filio quidem Boſporum ademit, ſed pro eo Ciliciæ partem ei tribuit. Hæc quoque ex Dione. Tandem igitur eo concedente Ponti regnum in provinciam redactum eſt a Nerone. Qua de re, præter Sex. Aurelium, Eutropium, atque Euſebium, ſic Vopiſc. Aureliano, *Addidit & Nero, ſub quo Pontus Polemoniacus, & Alpes Cottiæ Romano nomini tributæ.* Cottio ſane regi pepercerat Auguſtus, ceteris Alpinis gentibus devictis. Quod cum Ammiano Marcellino teſtatur Plin. lib. III. cap. XXX.

19. *Alexandrina ipſo profect. die deſtitit.*] Sic MSS. duo, & edit. Frobenii. Gryphii vero *Alexandrinam deſtituit.* Alii *Alexandrinam deſtitit*, ut *artem deſituros* Sueton. Tib. cap. XXXVI. & *deſinere artem muſicam* Gell. lib. II. cap. XI. & ſimilia.

VARIOR.

Recuperatores.] Codex Salmaſ. ut multi alii: *reciperatores.*

De-

profectionis die deſtitit, turbatus religione ſimul ac periculo. Nam circuitis templis cum in æde Veſtæ reſediſſet, conſurgenti ei primum lacinia obhæſit: deinde tanta oborta caligo eſt, ut deſpicere non poſſet. In Achaia Iſthmum perfodere aggreſſus, prætorianos pro concione ad inchoandum opus cohortatus eſt: tubaque ſigno dato, primus raſtello humum effodit, & corbulæ congeſtam humeris extulit. Parabat & ad Caſpias portas expeditionem, conſcripta ex Italicis ſenum pedum tyronibus nova legione, quam Magni Alexandri phalangem appellabat. Hæc partim nulla reprehenſione, partim etiam non mediocri laude digna in unum contuli: ut ſecernerem a probris ac ſceleribus ejus, de quibus dehinc dicam. Inter ceteras diſciplinas pueritiæ tempore imbutus & muſica,

ſtatim

18. *Defuncto Cottio.*] V. C. *Cotto.* Sed *Cotti* legendum eſſe in notis ad Tacitum diximus. F. URSINUS.

19. *Alexandrina.*] Codex Salmaſ. *Alexandrinam.* & mox pro *circuitis* idem *circumitis.*

TORRENT.

Diſpicere.] Tres libri *deſpicere.* Tacit. addit per omnes artus tremuiſſe.

Corbulæ.] Recte. ſic enim & MSS. noſtri, & interpretes. Ideo autem primus hoc opus aggreſſus eſt Nero, ut religione deterritos confirmaret, cum ad primam foſſionem viſus eſſet ſanguis erumpens, viſa etiam ſpectra, auditique gemitus. Auctor Xiphilin. De Iſthmi vero perfoſſione Cæſ. cap. XLIV. De portis Caſpiis, ſeu Caucaſiis potius, Plin. lib. VI. cap. XI.

19. *Pueritiæ imbutus tempore.*] Veteres libri dictionem *tempore* alii alio loco ponunt. Lego igitur, *Inter ceteras diſciplinas pueritiæ imbutus & muſica.*

CASAUBON.

19. *Iſthmum perfodere aggreſſus.*] Non primus Nero hanc inſaniam inſaniit. clara res ex Herodoto, Strabone, Philoſtrato, Luciano & Pauſania. omnium irritus cecidit labor. vera & pia vox Pauſaniæ in hoc ſermone, quam adſcripſiſſe pretium ſit operæ: ὅτω χαλεπὸν ἀνθρώπῳ τὰ θεῖα βιάσασθαι. vide Paulum Æmilium in Carolo Magno, ſub finem lib. II.

Primus raſtello humum effodit.] More magnorum ducum, quoties opus aliquod egregium a militibus perfici vellent. Sic Germanicus apud Tacitum, primus exſtruendo tumulo cæſorum Variana clade ceſpitem poſuit. vide lib. VIII. ad Veſpaſianum de ædificatione Capitolii. De Neronis facto auctor dialogi, cujus index Nero: Ὀρέξαντος αὐτῷ χρυσῆν δίκελλαν τοῦ τὴν Ἑλλάδα ἐπιτροπεύσαντος ἐπὶ τὴν ὀρυχὴν ἦξε κροτούμενός τε καὶ καθικόμενος τῆς γῆς τρὶς, οἶμαι τοῖς τε τὴν ἀρχὴν πεπιστευμένοις παρακελευσάμενος ξυμπόνως ἅπτεσθαι τοῦ ἔργου, ἀνῄει εἰς τὴν Κόρινθον, τὰ Ἡρακλέους δοκῶν ὑπερβεβλῆσθαι πάντα. Quod ait de ligone Neronis aureo, ſimilem hiſtoriam narrat Theodoretus lib. III. cap. XX.

Parabat & ad Caſpias portas expeditionem.] Tacitus primo Hiſtoriarum VI. *Multi ad hoc numeri e Germania ac Britannia & Illyrico, quos idem Nero electos præmiſſoſque ad clauſtra Caſpiarum, & bellum quod in Albanos parabat, opprimendis Vindicis cœptis revocaverat.* non male referas huc verba Dionis in fragmentis, de cogitata expeditione in orientem a Nerone, etſi ille aliter rem narrat: Τὸν Κορβούλωνα αὖθις κατ᾽ αὐτῶν πολέμῳ προσέταξεν· ἐβουλεύσατο μὲν γὰρ καὶ αὐτὸς συστρατεῦσαι, ἐπεὶ δὲ θύων ἔπεσεν, οὐκ ἐτόλμησεν ἐξορμῆσαι, ἀλλὰ κατὰ τὴν χώραν ἔμανεν.

Quam Magni Alexandri phalangem vocabat.] De phalange Macedonica res omnibus nota. Obſervo autem moris fuiſſe Macedonibus regibus, cohortem prætoriam habere, aut legionem, e tyronibus ſtaturæ procerioris, Neronianæ iſti plane ſimilem. Suidas de Antiochi Macedonica phalange, quæ dicebatur e re Ἥλικες: quod eſſent omnes ejuſdem ætatis. Ἥλικες, inquit, ἐλέγοντο οἱ Ἀντιόχου τοῦ Ἐπιφανοῦς. Μακεδόνων ἦν στίφος. ὑψηλοὶ πάντες, ὀλίγον ὑπὲρ ἀντίπαιδας, τὸν Μακεδονικὸν τρόπον ὡπλισμένοι τε καὶ πεπαιδευμένοι, ὅθεν καὶ τὴν ἐπίκλησιν εἶχον.

VARIOR.

Lacinia obhæſit.] Lacinia quid ſit, non bene definitum ab eruditis viris. Beroaldus in lib. I. Apul. Metamorph. ait, laciniam partem eſſe veſtimenti flexuoſam, ſinuoſamque. Ita & Elmenhorſtius in Indice Apulejano, & alii, laciniam veſtis cum ora confundunt. Ita Cujacius lib. XII. Obſerv. cap. 24. ubi laciniam exiſtimat eſſe oram, ſive extimum veſtis. Ego credo laciniam nihil aliud eſſe quam ipſas pinnas chlamydis ſive togæ, Græci πτερύγια appellant, & aliquando κράσπεδα, quamvis & aliquando κράσπεδα pro fimbriis ſumantur, quia nempa extremitati laciniæ ſæpe fimbriæ attexebantur. Id autem notare laciniam, clare patet ex antiquorum auctorum locis. Plautus in Mercat. II. I. V. 16. *At tu edepol ſume laciniam atque abſterge ſudorem tibi.* Et in Aſin. III. I. V. 41. *lacrimantem lacinia*

ſtatim ut Imperium adeptus eſt, Terpnum citharœdum vigentem tunc præter alios, accerſiit: diebuſque continuis poſt cœnam canenti in multam noctem aſſidens, paullatim & ipſe meditari exercerique cœpit: nec eorum quidquam omittere, quæ generis ejus artifices, vel conſervandæ vocis cauſſa vel augendæ factitarent. Sed & plumbeam chartam

nia tenet. Sueton. in Claud. 15. in Cajo 35. Plin. lib. v. cap. 5. *Aliſmatis folia lacinioſa magis quam plantaginis.* Plutarchus in Gracchis de Scipione Naſica: Τὸ κράσπεδον τῦ ἱματίυ θέμενος ἐπὶ τῆς κεφαλῆς. *Laciniam toga imponens capiti.* Albertus Rubenius. lib. 11. de re Veſtiaria cap. 9.

Quam Alexandri Magni phalangem.] Codex Salmaſ. *phalangà.*

Torrent.

Vigentem tunc.] Libri MSS. magno conſenſu *ingentem tunc præter alios, accerſit*, perinde ſcilicet ac ſi *Ingentem Æneam* diceret cum Virgilio.

Plumbeam chartam.] Quare chartam vocet, neſcio. Plin. ſane lib. xxxiv. cap. xviii. laminam appellat plumbeam, ſub qua cantica exclamaret Nero.

Casaubon.

16. *Quæ generis ejus artifices vel conſervandæ vocis cauſſa vel augendæ factitarent.*] Phonaſcos intelligit: qui velut medici erant τῶν φωνασκύντων: puta citharœdorum, præconum, & hiſtrionum qua comicorum, qua tragicorum. Habes apud Galenum in hanc rem multa cum alibi, tum maxime libri ſeptimi initio De compoſitione medic. κατὰ τόπυς.

Sed & plumbeam chartam ſupinus pectore ſuſtinere.] Nemo miretur cum eruditiſſimo viro *chartam plumbeam* dici Tranquillo, quæ dicatur Plinio lib. xxxiv. cap. xviii. uſitatius *lamina.* Sic enim plurima dicuntur, præſertim in libris medicorum, ob aliquam figuræ ſimilitudinem. quid autem ſimilius quam plumbi lamina & chartæ expanſa pagina? quin etiam in plumbi laminis interdum ita ſcribebant, ut in chartæ paginis: quod veteris ſcriptoris verba declarant apud Suidam, εἰς ἐλασμὺς μολύβδων γραφέντες. Tacitus, *nomen Germanici plumbeis tabulis inſculptum.* Quare etiam *pagina* dicitur omnis πλὰξ levigata. Sic *panes* medici vocant quamcumque materiam in morem panum formatam. ut apud Marcellum Empiricum *panis ex fimo bubulo factus*, & ſæpe alibi: unde *ærei panes* apud Plinium lib. xxxiv. cap. xi. & *panes aphronitri* apud Statium Papinium inter munera Saturnalitia. ut apud Marcellum Empiricum, *tortula aphronitri.* Sed ut omnem admirationem adimamus hominibus eruditis, proferemus vetuſtiſſimi ſcriptoris Græci locum, qui χάρτας μολυβδίνυς multo ante Suetonium dixit. Lyſimachus: τὸν δὲ Βόχοριν τὺς χρησμὺς λαβόντα, τύς τε ἱερεῖς καὶ ἐπιβωμίτας προσκαλεσάμενον, κελεῦσαι ἐπιλογὴν ποιησαμένυς τῶν ἀκαθάρτων τοῖς στρατιώταις τύτυς παραδῦναι κατάξειν ἀυτὺς εἰς τὴν ἔρημον. τὺς δὲ λεπρὺς εἰς μολυβδίνυς χάρτας ἐνδήσαντας, ἵνα καθῶσι εἰς τὸ πέλαγος. exſtat hic locus apud Joſephum libro priore de Antiquitate Judæorum. Galenus qui non ſemel facit mentionem plumbearum chartarum quibus athletæ olim uti ſoliti, fere λεπίδας ἐκ μολύβδυ λεπτὰς vocat. Apollonius Tyrius: *Fabris navalibus convocatis jubet conſecari & compaginari tabulas: rimas & foramina liniri precepit, & facere loculum, & charta plumbea intus poſita obturari juſſit.*

Varior.

20. *Accerſiit.*] Optime Salmaſianus, ut ſemper, *arceſſiit.*

Charta plumbea.] Hac uſus eſt, ut voce λαμπρᾶ, λευκῆ καὶ σαφεῖ, canora, plena cum gravitate, tinnula, leni ſuavique eſſet. Charta plumbea, χάρτης μολίβδινος, laminam ſeu tabulam e plumbo in latum ductitatam ſignificat. Dioſc. lib. v. ἐλασμὸς μολίβδινος & πέταλον, qualia ex aliis etiam metallis liquefactis funduntur, vel malleo figurantur. Ita interpretatur Plin. 34. 18. Eam a medicis gymnaſtices profeſſoribus, qui non tantum vociferationibus & cantibus agoniſtarum modum præſcribebant, ſed & vocis varia exercitatione morbos præcavebant & perſanabant, petiiſſe veteres, & inter ipſos σωμασκητὰς traditam, propagatam & frequentatam fuiſſe vero ſimile eſt. Ejuſmodi autem adminiculo opus habuit Nero, quod *voce exigua & fuſca* eſſet, procul dubio vel ob primæ partium vocalium, laryngis, tunicæ arteriæ cartilagines ſuccingentis, pulmonum, iſta vocis vitia prodentem, conformationis rationem, vel ob τὰ περὶ τὰ ἀγγεῖα γιγνόμενα πάθη, ob affectiones quæ vaſis organiſve vocis accidere ſolent; quas cauſſas varietatis in voce tradit Ariſtot. lib. περὶ ἀκυστῶν. Quæ vero in eo φωνῆς μελαίνας καὶ νεφώδυς, *vocis nigræ & nubile*, ſimul exilis cauſſa proxima fuerit, nullibi προσωπογραφίας ejus expreſſum quidem eſt; ſed remedii conſideratio de adfectionis cauſſa aliquid docuerit. Nimirum cum arteria eſſet & humectiore & arctiore, pulmone etiam parvo, qui nec multum aeris reciperet, nec validam ejus exploſionem pro voce magna & plena ſuppeditaret, contentione ſupplebat & impulſione, a qua ne in rupturam vaſorum vehementius concuſſorum incideret, thoracem lamina plumbea æſtuantes a validiore motu

chartam ſupinus pectore ſuſtinere: & clyſtere vomituque purgari: & abſtinere pomis cibiſque officientibus: donec blandiente profectu (quamquam exiguæ vocis, & fuſcæ) prodire in ſcenam concupivit: ſubinde inter familiares Græcum proverbium jactans, *occultæ muſicæ nullum eſſe reſpectum.* Et prodiit Neapoli primum: ac ne concuſſo quidem repente motu terræ theatro, ante cantare deſtitit, quam inchoatum abſolveret *νόμον.* Ibidem ſæpius & per complures cantavit dies: ſumto etiam ad reficiendam vocem brevi tempore, impatiens ſecreti a balneis in theatrum tranſiit, mediaque in orcheſtra frequente populo epulatus, *ſi paullum ſubbibiſſet, aliquid ſe ſufferti tinniturum* Græco ſermone promiſit.

motu ejus partes refrigeratura, & ſanguinem in arteriis veniſque ejus efferveſcentem cohibitura ſubſtrinxit. In veterum monumentis conſpicimus athletas faſciis robuſtis frontes, pectora & coſtas ligatos, venis, ventribus & ſcrotis magnopere inflatis; qui tam pertinaci ſpiritus retentione ſe oſtentarent, ut vincula ipſorum prius quam vaſa in ipſis rumperentur. an ad ſimilem anhelitus compreſſionem, quæ vocem etiam reddit amplam validamque, proficere Nero potuerit tabula plumbea, definire non licet, quod applicatæ geſtatæve modus obſcurius traditus ſit, & parcior narratio conjecturas ulteriores præcidat. THOMAS REINESIUS. Var. Lect. lib. II. cap. 18.

TORRENT.

Cibiſque officientib.] Edit. Gallica, & unus e MSS. *afficientib.* ut *affecta mancipia* Claud. cap. XXV. Adducendus autem huc Plinii locus lib. XIX. cap. VI. *Porro ſectivo nuper auctoritatem dedit Princeps Nero, vocis gratia ex oleo ſtatis menſium omnium diebus, nihilque aliud, ac ne pane quidem veſcendo.* Voci autem ſplendorem adferre porrum, ſcribit idem Plin. lib. XX. cap. VI.

Exiguæ vocis & fuſcæ.] Fuſca vox Suetonio quæ Xiphilino *μέλαινα* eſt, quod & Turneb. annotavit. Plin. lib. XXVIII. cap. VI. *Venere vox revocatur, cum e candida declinat in fuſcam.* Quinctilian. lib. IX. cap. III. *Qualitas vocis magis varia eſt. nam & candida, & fuſca eſt, & plena, & exilis, & lenis, & aſpera, & contracta, & fuſa, & dura, & flexibilis, & clara, & obtuſa.* & alibi, *In Antonio vox fuſca, & ſubrauca.*

Abſolveret nomon.] Latinis characteribus *nomon*, ut *automaton*, & ſimilia, ſcribi malim. Sic autem vocat integrum aliquem numerum modumque, quem Nero canere inſtituerat. De quo plura Egnatius, & Glareanus in Suetonium, & Cælius lib. IX. Lectionum antiq. cap. VIII.

Aliquid ſe ſufferti.] Mirum dictu, quanta lectionum in omnibus tam vulgatis, quam aliis exemplaribus hic ſeſe offerat varietas. Turneb. *aliquid ſufferi*, pro *ὑπάγριόν τι*, aut *ſufferti*, *ὑπόπυκνον*, probat, neque ego improbo. Mallem tamen *ſuffertum*, aut *ſuffertim* potius cum Egnatio, (ſic enim & Gryphii editio, & MSS. duo) ut ubi ſubbiberit, aliquid plenius ſe cantaturum colluto jam gutture polliceatur.

CASAUBON.

Donec blandiente profectu.] Venuſte, pro, hortante ſucceſſu, quomodo loquitur Juſtinus lib. XXV. Virgilius: *Succeſſu acrior ipſo.*

Quanquam exiguæ vocis & fuſcæ.] Dio, *καί τοι καὶ βραχὺ καὶ μέλαν, ὥς γε παραδέδοται, φώνημα ἔχων.* Etiam apud alios ſcriptores Græcos *μέλαιναν φωνὴν καὶ λευκὴν* dici ſcimus, notante ipſo Ariſtotele.

Occultæ muſicæ nullum eſſe reſpectum.] Ad verbum eſt interpretatus verſiculum Græcum, *Τῆς λανθανούσης μουσικῆς οὐδεὶς λόγος.* ut in Tiberio alterum: *Si non dominaris, filiola, injuriam te accipere exiſtimas?* Scio tamen apud Lucianum paullo aliis verbis conceptam legi hanc adagionem ſic: *οὐδὲν ὄφελος ἀποῤῥήτου καὶ ἀφανοῦς τῆς μουσικῆς.* Sed quis neſcit idem proverbium varie ſolitum enuntiari, mutatis verbis, non mutata ſententia:

Et prodiit Neapoli primum.] Tacitus initio anni DCCCXVII. libro XV.

Si paullulum ſubbibiſſet, aliquid ſe ſufferti tinniturum Græco ſermone promiſit.] Verba Neronis, *ἐὰν μικρὸν ὑποπίω, ὑπόπυκνόν τι τονθορύσω.* Recte enim Turnebus lectionem multorum codd. *ſufferti* aut *ſuffertim*, explicat Græca voce *ὑπόπυκνον.* vide Plutarchum de Muſica, & Martianum Capellam lib. IX. etſi poſſumus etiam Græcam vocem accipere, ut apud Homerum *πυκινὸν ἔπος*, & apud Pindarum *πυκιναὶ φρένες.* At multi veteres libri, non *ſufferti*, ſed *ſufferi* legunt. Id eſſet *ὑπάγριόν τι*: in quo tamen Suetonium vertentem *ſufferum* non nimis probarem: maluiſſem enim ad verbum vertens dicere, *aliquid ſubruſtici.*

VARIOR.

Concupivit.] Codex Salmaſianus & Robertus: *concupiit*, ut ſuperius *acquiſiit*, modo *arceſſiit.*

Quam inchoatum abſolveret νόμον.] Id eſt, canticum. Græci grammatici *νόμους*, *τὰ κιθαρῳδούμενα* exponunt. ut enim *μέλος* & melicum carmen ſignificat, & modulos melici carminis, ſic & *νόμος.* nam & *τὸ κιθαρῳδούμενον* ſignificat, & *τὸν τρόπον τῆς κιθαρῳδίας.* ita *μελοποιεῖν* non tantum eſt carmen vel *μέλος* componere, ſed etiam carmen compoſitum modis temperare, & muſicis notis expedire. Plutarchus: *Ἐν ἀρχῇ γὰρ ἐλεγεῖα μεμελοποιημένα οἱ αὐλῳδοὶ ᾖδον.*

promiſit. Captus autem modulatis Alexandrinorum laudationibus, qui de novo commeatu Neapolim confluxerant, plures Alexandria evocavit. Neque eo ſegnius adoleſcentulos equeſtris ordinis, & quinque amplius milia e plebe robuſtiſſimæ juventutis undique elegit, qui diviſi in factiones, plauſuum genera condiſcerent, (*bombos*, & *imbrices*, & *teſtas* vocabant) operamque navarent cantanti ſibi, inſignes pinguiſſima coma,

ſic cantica in comœdiis auctor ipſe vel poeta componebat, modos autem adhibebat non poeta, ſed aliquis muſicæ artis peritus. hinc in fabulis Terentii *modos fecit Flaccus*, id eſt, modis canticum temperavit. at νόμων κιθαρῳδικῶν ποιητὴς, eſt canticorum ſcriptor, & lyricorum carminum auctor. SALMASIUS.

Epulatus.] Codex Salmaſ. *epulans.*

Aliquid ſe ſufferti tinniturum.] *Aliquid ſufferti tinnire* eſt, quod Græce dici poteſt, ὑπόπυκνόν τι ἠχεῖν. ſuffertum enim intelligo, plenum, denſum, confertum, oppletum, quod auditoris aures impleat: quanquam ſuffertum minus aliquanto eſt, quam refertum & confertum. Sed & ſubbibere, quod Græce ὑποπίνειν dicitur: ita enim a Græcis uſurpatur, quorum verba expreſſit Suetonius: nam ita dixerat Nero, cum prodiiſſet Neapoli, quæ urbs & Græca erat, & Græce loquebatur. TURNEBUS Adverſ. XXVIII. 18. Codex Salmaſ. *ſufferi*. F. Urſini: *ſuffer&lim*. R. Steph. edit. *ſuffertim.*

TORRENT.

De novo commeatu.] *Commeatum* vocabant, cum plures una naves aliquo appuliſſent, ut recte Beroaldus. Cæſ. lib. V. Belli Gal. *duobus commeatibus exercitum reportare conſtituit.*

Bombos & imbrices & teſtas.] Conficta plauſuum nomina, ab apum ſonitu, qui proprie bombus dicitur, atque imbricum, & teſtarum fractarum crepitu. Juvenal. tamen Sat. XI. cum ait,

- - - *audiat ille*
Teſtarum crepitus,

muſicum aliquid intelligit. Adde locum Suetonii Calig. cap. LIV. ubi de ſcabellorum tibiarumque crepitu.

Pinguiſſima coma.] Non tam unguento madidam, quam fultam denſamque interpretor. Quæ in pueris commendabatur. Sic *pinguis toga* Aug. cap. LXXXII. *pingues lacernæ*, id eſt, craſſæ, Juvenal. Sat. IX.

CASAUBON.

Modulatis Alexandrinorum laudationibus.] Vide lib. II. ad cap. XCVIII.

Qui de novo commeatu Neapolim confluxerant.] Quid ſit commeatus, docuimus ad lib. II. c. XCVIII. Tacitus Annal. lib. XIV. 33. *Suetonius Londinium perrexit, cognomento quidem coloniæ non inſigne, ſed copia negotiatorum & commeatuum maxime celebre.*

Quinque amplius millia e plebe robuſtiſſimæ juventutis undique elegit.] Dio apud Xiphilinum: ἦν τι καὶ ἴδιον αὐτῷ σύστημα ἐς πεντακισχιλίους στρατιώτας παρεσκευασμένον. Αὐγούστειοί τε ἀνομάζοντο, καὶ ἐξῆρχον τῶν ἐπαίνων. ἠναγκάζοντο δὲ σφίσι καὶ ἄλλοι πάντες καὶ ἄκοντες πλὴν τοῦ Θρατέα ἐκβοᾷν. vide infra cap. XXV.

Plauſuum genera condiſcerent.] Erat enim plauſuum ars quædam, Ovidius de Arte:

In medio plauſu (plauſus tunc arte carebat)
Rex populo prædæ ſigna petenda dedit.

Bombos.] Quid ſit βομβεῖν & βόμβος, notum omnibus Græcarum litterarum non ἀμυήτοις: hic vero *bombus* ſecundæ & fauſtæ acclamationis genus eſt. Sic accipiunt & Græci ſcriptores. Philoſtratus in Alexandro Seleucenſi: Ἐυσταλὴς δὲ οὕτω τοῖς Ἀθηναίοις ἔδοξεν, ὡς καὶ βόμβον διελθεῖν αὐτοῦ ἔτι σιωπῶντος, ἐπαινεσάντων αὐτοῦ τὸ εὔσχημον. Themiſtius ille re & cognomento Euphrades, initio orationis, cui titulus Sophiſta: ἆρα οἴεσθέ με, ὦ ἄνδρες, ἐπιδεῶς ἔχοντα ἔτι κρότου τε καὶ ἐκβομβήσεων, ὧν δαψιλῶς μοι εἰώθατε χορηγεῖν ἑκάστοτε, ὅταν λέγω. Paullo aliter Martianus Capella lib. II. *Sed ecce magno tympani crepitu crotalorumque tinnitu univerſa diſſultant, eo uſque ut muſarum cantus aliquanto bombis tympani obtuſior redderetur.* Utitur & alibi. Agathias Scholaſticus: Αὐτῆς Μελπομένης βόμβον ἀπεπλάσατο. Sed & Nero ipſe eam vocem uſurpavit, cum cecinit,

Torva Mimalloneis implerunt cornua bombis.

Qui verſus, cum cæteris qui apud Perſium habentur, ſatis indicant, quantum Nero modulatis carminibus, & ῥυθμικαῖς ἐκβοήσεσι, delectaretur, quando etiam in verſus quos componebat, rythmum admiſit, ut pluribus exponimus ad Perſium. Obſervabamus apud Epiphanium vocem βόμβησις poni pro inconcinnitate quadam orationis, ut cum bis eadem vox ponitur in eadem periodo: cui inconcinnitati ſive aſperitati ipſe opponit λειότητα, id eſt, lævitatem & comptum dictionis. Sic ille de LXX. interpretibus loquens in libello de Menſuris: Ἀντὶ τοῦ εἰς δύο τόπους κεῖσθαι τὸ ὄνομα τοῦ ἔτους, ἑνὶ τόπῳ χρησάμενοι, τὴν δοκοῦσαν εἶναι βόμβησιν εἰς λειότητα μετέβαλον.

Et imbrices.] Sic appellatum eſt plauſus genus ad ſimilitudinem crepitantis ſuper tegulas pluviæ. eum ſonitum voce καχλάζειν eleganter exprimit Lycophron in diluvii deſcriptione:

Ὅτ᾽ ἠμάθυνε πᾶσαν ὀμβρήσας χθόνα
Ζηνὸς καχλάζων νασμός.

De

coma, & excellentiſſimo cultu pueri, nec ſine anulo lævis: quorum duces quadra-
21 gena milia HS. merebant. Cum magni æſtimaret cantare, etiam Romæ Neroneum agona ante præſtitutam diem revocavit. Flagitantibuſque cunctis cœleſtem vocem, reſpondit quidem, *in hortis ſe copiam volentibus facturum:* ſed adjuvante vulgi preces etiam ſtatione militum, quæ tunc excubabat, repræſentaturum ſe pollicitus eſt libens: ac ſine mora nomen ſuum in albo profitentium citharœdorum juſſit adſcribi: ſorticulaque in urnam cum ceteris demiſſa intravit ordine ſuo, ſimulque Præfecti prætorii citharam ſuſtinentes, poſt tribuni militum, juxtaque amicorum intimi. Utque conſtitit, peracto principio, Nioben ſe cantaturum per Cluvium Rufum conſularem pronuntiavit: & in horam fere decimam perſeveravit: coronamque eam, & reliquam certaminis partem in annum ſequentem diſtulit, ut ſæpius canendi occaſio eſſet. Quod cum tardum videretur, non ceſſavit identidem ſe

De eodem & Sophocles:

------ Κ' ἂν ὑπὸ ςέγῃ
Πυκνᾶς ἀκȣ́ειν ψεκάδος εὐδȣ́σῃ φρενί.

Et teſtas vocabant.] Puto ad ſimilitudinem crepitus, quem edebant colliſis teſtis. Ariſtophanes Ranis:

------ Πȣ̃σιν ἢ τοῖς ὀςράκοις Αὐτὴ κροτȣ̃σα.

Juvenalis Satyra undecima:

- - - *audiat ille*
Teſtarum crepitus.

Similis & illa ὀξυβάφων μȣσικὴ, cujus ante fecimus mentionem. fortaſſe etiam imbrices talem aliquem uſum habuerunt, & locum crepitaculorum non minus quam teſtæ, conchæ, acetabula, & id genus alia præbuerunt. quod ſi eſt, non aliunde peti ratio debet, cur plauſuum certum genus *imbrices* appellarint.

Inſignes pinguiſſima coma.] Græci una voce λιπαροπλοκάμȣς.

VARIOR.

Adoleſcentulos equeſtris dignitatis.] Adoleſcentes illi & juvenes qui Neroni plaudebant cantanti, Αὐγȣςείȣς, hoc eſt, Auguſtales dicit vocatos Dio. TURNEB. Adverſ. XXXVIII. 18.

Pinguiſſima coma.] Id eſt, fulta, denſa. Horat.

- - - *quem pingui velat ſapientia panno.*

GUJET.

TORRENT.

Nec ſine anulo lævis.] Sic quidem vulgati libb. omnes, ut læva manu anulos geſtaverint, quemadmodum volunt interpretes, ſed in MSS. quatuor eſt *ac ſine anulo leves.* Quam lectionem veram puto, ut quamvis adoleſcentes eximie culti conſpicerentur, anulos tamen non geſtarent, atque ita inter plaudendum manus anulis vacuæ minus impedirentur. *Leves* igitur vocat, quod contra onuſtæ gemmis, & auro, aſperæ videantur, ut *aſpera ſignis pocula* apud poetam.

21. *Cœleſtem vocem.*] Utpote qui Apollo, Pæan, Pythius ab applaudentibus vocaretur.

In hortis.] Sup. cap. XI. De militum ſtatione Claud. cap. XLII.

Simulque præfecti prætorio.] Libri duo *ſimul præf. præt.* Quos binos tunc fuiſſe, alibi docuimus, Fenium Rufum, & Ofonium Tigellinum.

Clivium Rufum.] Scribo *Cluvium.* ſic enim Tacit. Xiphilin. nummi veteres, Cic. Epiſtolis, Juvenal. Sat. II.

Tedia non lambit Cluviam.

Et ſic habet Tornacenſ. codex. Vide Dionis compendium. Hinc *Cluvienus.*

CASAUBON.

Nec ſine anulo lævis.] Scriptura Viterbienſis, *volis* pro *lævis*; Cujacii, *fortis:* neutrum recte.

Quadragena millia HS. merebant.] Memmii & Pithœi codd. *quadringena millia ſeſtertia merebant.*

21. *Flagitantibuſque cunctis cœleſtem vocem.*] Ita vulgo appellabant, & ita Nero appellari voluit. Tacitus de accuſatione Thraſeæ Pœti: *Quin & illa objectabant, nunquam pro ſalute Principis aut cæleſti voce immolaviſſe.* Philoſtratus lib. IV. ἀργότερον ἀκροωμένων, ὁ μὲν ἀσεβεῖσθαι Νέρωνα ὑπ' αὐτῶν ἔφασκε, καὶ πολεμίȣς τῆς θείας φωνῆς εἶναι. Dio vertit τὴν ἱερὰν φωνήν.

In hortis ſe copiam volentibus facturum.] Intelligo hortos circa Tiberim, publice populo relictos a Julio Cæſare. is locus inſtar minoris theatri fuit iis, qui ſe præpararent Pompejano, aut quibus in illo eſſe locus quamcumque ob cauſſam non poterat. Plin. lib. XXVII. c. II. *Idem conſularis iis reliquis generis ejus quantum voraverit, licet exiſtimare ex multitudine: quæ tanta fuit, ut auferente liberis ejus Nerone Domitio, theatrum peculiare trans Tiberim hortis expoſita occuparent: quod a populo impleri, canente ſe, dum Pompejano præludit, etiam Neroni ſatis erat.*

VARIOR.

Quadragena millia HS.] Codex Salmaſ. *quadringena milia ſeſtertia.*

21. *Poſt tribuni.*] Codex Salmaſ. *pro tribuni.*

ſe publicare. Non dubitavit etiam privatis ſpectaculis operam inter ſcenicos dare, quodam prætorum HS. decies offerente. Tragœdias quoque cantavit perſonatus: heroum Deorumque, item heroidum ac Dearum perſonis effictis ad ſimilitudinem oris ſui, & fœminæ, prout quamque diligeret. Inter cetera cantavit *Canacen parturientem*, *Oreſtem matricidam*, *Oedipodem excæcatum*, *Herculem inſanum.* In qua fabula fama eſt tirunculum militem poſitum ad cuſtodiam aditus, cum eum ornari ac vinciri catenis, ſicut argumentum poſtulabat, videret, accurriſſe ferendæ opis gratia. Equo- 22
rum ſtudio vel præcipue ab ineunte ætate flagravit, plurimuſque illi ſermo, quamquam

TORRENT.

In privatis ſpectaculis.] Hoc eſt, quæ ab aliis quoque quam ab ipſo ederentur. nam Imperatoris reſpectu ceteri omnes privatorum quodammodo loco habentur. Quod ita interpretor, quia de prætore ſequitur.

Quodam prætorum.] Larcium Lydum appellat Xiphilinus.

Canacen parturientem] An poſtquam Pythagoræ ſuo jam nupſerat? facete enim, cum Canacen caneret rogatus quidam, Quid faceret Imperator, Parit, inquit. Ex Dione.

Oedipodem excæcatum.] Liber opt. *obcæcatum.*

CASAUBON.

Non dubitavit etiam privatis ſpectaculis operam inter ſcenicos dare.] Recte hunc locum Torrentius interpretatur de ſpectaculis etiam magiſtratuum: nam Principis reſpectu omnes privati cenſentur. Sic Tacitus Agricolam variis functum magiſtratibus *privatum* vocat: & Plinius epiſtola quadam ad Voconium, *conſulatum* ait eſſe *faſtigium ſummum privati hominis.* Herodiano quoque magiſtratus ἰδιῶται nominantur, cum ait lib. VII. αἱ ῥάβδοι ἐδαφνηφόρουν, ὅπερ ἐστι σύμβολον εἰς τὸ διαγνῶναι τὰς βασιλικὰς ἀπὸ τῶν ἰδιοτικῶν. Sic *privatum* accipio etiam apud Lampridium in Elagabalo. *Fertur*, inquit, *junxiſſe camelos quaternos ad currus in circo, privato ſpectaculo.*

Quodam prætorum HS. decies offerente.] Male qui probant lectionem quorundam librorum veterum *prætorio.* eſt enim ineptiſſima. Juvenalis:

Nec dubitant Celſi prætoris vendere ludis.

22. *Plurimuſque illi ſermo, quamquam vetaretur, de circenſibus erat.*] Auctor libri De cauſſis corruptæ eloquentiæ: *Jam vero propria & peculiaria hujus urbis vitia, pæne in utero matris concipi mihi videntur; hiſtrionalis favor, & gladiatorum equorumque ſtudia. quibus occupatus & obſeſſus animus quantulum locum bonis artibus relinquit? quotumquemque inveneris, qui domi quidquam aliud loquatur? quos alios adoleſcentulorum ſermones excipimus, ſi quando auditoria intravimus? nec præceptores quidem ullas crebriores cum auditoribus ſuis fabulas habent.* Lucianus in Nigrino: ἤδη δὲ τούτων ἀποστὰς, τῶν ἄλλων αὖθις ἀνθρώπων ἐμέμνητο, καὶ τὰς ἐν τῇ πόλει ταραχὰς διεξῄει, καὶ τὸν ὠθισμὸν αὐτῶν, καὶ τὰ θέατρα καὶ τὸν ἱππόδρομον, καὶ τὰς τῶν ἡνιόχων εἰκόνας, καὶ τὰ τῶν ἵππων ὀνόματα, καὶ τοὺς ἐν τοῖς στενωποῖς περὶ τούτων διαλόγους. Juvenalis eandem ἱππομανίαν ſic notat:

- - - jurat
Solam Eponam & facies olida ad præſepia pictas.

VARIOR.

Non dubitavit etiam.] Salm. Codex, *Dubitavit etiam, in privatis ſpectaculis operam inter ſcenicos daret.*

Inter cætera cantavit.] *Cantare* & *ſaltare* in ſcena, diverſarum artium & artificum erant: *cantare* proprium tragœdorum, ut *ſaltare* hiſtrionum. cantare fabulam dicebatur tragœdus: eandem ſaltare hiſtrio. Suetonius in Caligula: *ſed & aliorum generum artes ſtudioſiſſime, & diverſiſſimas excoluit. Thrax & auriga, idem cantor atque ſaltator.* ubi per *cantorem* tragœdum intelligit: per *ſaltatorem*, hiſtrionem. errant igitur qui hæc confundunt, & hiſtrionem pro tragœdo & actore fabularum accipiunt, cum aperte diſtinxerint veteres, & hiſtrionem quidem pantomimum appellarint, tragœdum vero qui fabulas canendo exprimit. dixi, canendo: nam id proprie facit tragœdus. at hiſtrio alio modo fabulas agit, nempe ſaltando. Gloſſæ: *hiſtrio*, παντόμιμος. Idem Suetonius in Calig. *quo minus & tragœdo pronunciante concineret: & geſtum hiſtrionis quaſi laudans, vel corrigens palam effingeret.* SALMASIUS.

Canacen parturientem.] Fabulam Canaces, de qua exſtat Naſonis epiſtola, & de qua Plutarchus ſcribit hæc hiſtorico ſtylo: *Æolus rex Thuſcorum ex Ampithea filias ſex, & mares totidem ſuſcepit. Machareus omnium ætate minimus ſororis Canaces amore incenſus eam violavit: qua ex re conceptus infans vagitu rem prodidit. Pater itaque filiæ mittit enſem: quo accepto illa rem flagitioſam intelligens, necem ſibi conſcivit. Idemque paullo poſt Machareus fecit.* Conſimile exemplum eſt Canuliæ adamatæ a fratre Romano: quam gravidam ubi pater Papyrius reſcivit, filiæ miſit enſem, quo ſe puella confodit: idem Romanus factitavit. BEROALDUS.

TOR-

quam vetaretur, de circenſibus erat: & quondam tractum Praſinum agitatorem inter condiſcipulos querens, objurgante magiſtro, de Hectore ſe loqui ementitus eſt. Sed cum inter initia Imperii eburneis quadrigis quotidie in abaco luderet, ad omnes etiam minimos circenſes commeabat ſeceſſu, primo clam, deinde propalam: ut nemini dubium eſſet, eo die utique affuturum. Neque diſſimulabat velle ſe palmarum numerum ampliare: quare ſpectaculum multiplicatis miſſibus in ſerum protrahebatur, ne dominis quidem jam factionum dignantibus, niſi ad totius diei curſum, greges ducere. Mox

TORRENT.

22. *Quondam tractum Praſinum agitat.*] Libri MSS. *quendam*, duo etiam *Praſini*, ut pannum ſubintelligamus. Quanquam hoc modo *Praſina* malim, factionis nempe. Spartian. tamen alicubi, *Praſino* (inquit) *favit.* *Tractum* autem dixit, uti Plin. lib. XXVIII. cap. XVII. *tractos quadrigis agendis, rotave vulneratos* fimo aprugno ſanari. Sed & quod ſequitur apud Plinium, ad rem præſentem facit. adhuc enim de fimo aprugno loquens, *Cinerem* (inquit) *ejus reverentiores ex aqua bibunt, feruntque & Neronem Principem hac potione recreari ſolitum, cum ſic quoque ſe trigario approbare vellet*, tanquam agitatorem ſcilicet legitimum, qui etiam adverſus hujuſmodi caſus ſe muniret. De trigario autem ſup. cap. V. & XVI.

De Hectore.] Scitum pueri mendacium. Notandumque etiam pueris tunc notos fuiſſe Virgilii verſus,

Ter circum Iliacos raptaverat Hectora muros.

Eburneis quadrigis in abaco.] Interpretes ad pueriles luſus referunt, parum memores Neronem annos jam natum XVII. Imperium cepiſſe. Ego itaque exiſtimaverim potius calculos, quibus in alveolo luderet, quadrigarum forma factos fuiſſe. nam abacum quoque veteres ea ſignificatione dicebant. Macrob. lib. I. Saturnal. cap. V. *Vultiſne diem ſequentem, quem omnes plerique abaco & latrunculis conterunt*, &c.

Minimos circenſes.] Liber unus *mimos* legit. quam lectionem etiam Sabellicus agnoſcit. Non placet. mimi enim theatro, non circo conveniunt.

Seceſſu commeabat.] Pro *e ſeceſſu*, ut plerumque ad ſuburbanum aliquod Imperii initio ſecedere conſueverat.

Palmarum numerum ampliare.] Tria palmarum genera in circenſibus fuiſſe, hujuſcemodi inſcriptiones oſtendunt: VICIT. CXXX. SECUND. TULIT. LXXXVIII. TER. TUL. VII. ut qui primas tulit, viciſſe dicatur abſolute, alii ſecundarum, tertiarumque palmarum. Plin. eleganter etiam ad vina tranſtulit, cum inquit, *ad tertiam palmam varia venere*, lib. XIV. cap. VI Adde locum Suetonii Domit. cap. IV. *plurimarum coronarum*, &c.

Multiplicatis miſſilibus.] Quis non videt *miſſibus* eſſe legendum? Et ſic edit. Gallica, atque interpretes. Vide Domit. cap. IV.

Greges ducere.] *Greges agitatorum* dixit Sueton. ut Cicero *oratorum*, *philoſophorum*, *honeſtiſſimorum hominum*. De dominis factionum ſup. cap. V.

CASAUBON.

Objurgante magiſtro.] Viterb. Memmii & Cujacii, *obj. pædagogo.*

Eburneis quadrigis quotidie in abaco luderet.] Satis conſtat hoc genus luſus expreſſiſſe in abaco circenſium ſimulacrum: nam ea manifeſto mens eſt Suetonii. huc refer quod de Elagabalo narrat Lampridius, eum ſibi in triclinio quadrigas pranſitantem & cœnitantem ſemper exhibuiſſe. Fortaſſe etiam ad hanc παιδιὰν pertinent illa Lucani in Panegyrico ad Calpurnium Piſonem:

- - - hic ad majora movetur
Ut citus & fracta prorumpat in agmina mandra,
Clauſaque dejecto populetur mœnia vallo.

Commeabat ſeceſſu.] Viterb. *ſeceſſu commeabat.* Memmii & Cujacii, *e ſeceſſu comm.*

Eo die utique affuturum.] Nempe in urbe: vel lege, *afuturum.* ut ad domeſticos referatur, qui cum eo in ſeceſſu erant: quos ille fallebat & ad omnem famam vel minimorum circenſium deſerebat.

VARIOR.

22. *Commeabat ſeceſſu.*] *E ſeceſſu* habet Salmaſii codex. GUJET.

Velle ſe palmarum numerum ampliare.] Codex Salmaſianus & Rob. Steph. *ampliari.*

Ne dominis quidem factionum jam dignantibus niſi ad totius diei curſum greges ducere.] Poſt multiplicatos a Nerone miſſus non dignabantur ducere greges equorum quadrigarios ad curule certamen, niſi currere deberent in omnibus miſſibus per totum diem: domini autem factionum tanto fiebant opulentiores, quanto plures erant circenſes miſſus, & ludi. Ex quo eſt illud Lampridii in vita Commodi: *Circenſes multos addidit ex libidine potius, quam religione, & ut dominos factionum ditaret.* BEROALD.

Greges ducere.] Nempe *agitatorum.* De dominis factionum ſup. cap. V. Etiam pantomimorum *greges* fuiſſe, teſtis eſt inſcriptio lapidis Mediolanenſis, quem mirifice deprædicat Scaliger ad Euſebium numero MDCCCCXCV. Ea inſcriptio, Scaligero emendante, ſic habet: THEOCRITO. AUGG. LIB. PY-

Mox & ipſe aurigare, atque etiam ſpectari ſæpius voluit: poſitoque in hortis inter
ſervitia & ſordidam plebem rudimento, univerſorum ſe oculis in Circo maximo præbuit,
aliquo liberto mittente mappam, unde magiſtratus ſolent. Nec contentus harum ar-
tium experimenta Romæ dediſſe, Achaiam, ut diximus, petit, hinc maxime motus:
Inſtituerant civitates, apud quas muſici agones edi ſolent, omnes citharœdorum coro-
nas ad ipſum mittere. Eas adeo grate recipiebat, ut legatos, qui pertuliſſent, non mo-
do primos admitteret, ſed etiam familiaribus epulis interponeret. A quibuſdam ex his
rogatus, ut cantaret ſuper cœnam, exceptuſque effuſius, *ſolos ſcire audire Græcos,
ſoloſque ſe & ſtudiis ſuis dignos* ait. Nec profectione dilata, ut primum Caſſiopen
trajecit, ſtatim ad aram Jovis Caſſii cantare auſpicatus eſt. Certamina deinceps obiit 23
omnia. Nam & quæ diverſiſſimorum temporum ſunt, cogi in unum annum, quibus-
dam etiam iteratis juſſit. Olympiæ quoque præter conſuetudinem muſicum agona com-
miſit.

LADI. PANTOMIMO. HONORATO. SPLENDIDISSIMIS. CIVITATIUM. ITALIÆ. ORNAMENTIS. DECURIONALIB. ORNA. GREX. ROMANUS. OB. MERITA. EJUS. TITUL. MEMOR. POSVIT.

TORRENT.

In Circo maximo.] Arena circi chryſocolla ſparſa. Plin. lib. XXXIII. cap. V. Sueton. tamen hoc Cajo tribuit cap. XVIII.

Liberto mittente mappam.] *Mappam* (ut ait Quinctilian. lib. I. cap. IX.) *uſurpatum circo nomen, Pœni ſibi vindicant.* Sunt qui mappam victori a prætore mitti ſolere affirment, ſed melius qui ludorum committendorum ſignum fuiſſe volunt. Martial. lib. XII. Epigr. XXIX. *Cretatam prætor cum vellet mittere mappam.* Livius lib. VIII. *quia L. Plautius prætor, gravi morbo forte implicitus erat, ſignum mittendis quadrigis daret.* Pulchre apud Ciceronem lib. I. de Divinat. poeta Ennius: *Exſpectant, veluti conſul cum mittere ſignum Vult, omnes avidi ſpectant ad carceris oras, Qua mox emittat pictis e faucibus currus.* ſignum enim illud credo mappam fuiſſe. Tertullian. de Spectaculis: *Dehinc ad ſignum anxii pendent. Unius dementiæ una vox eſt. Miſit, dicunt, & nunciant invicem quod ſimul ab omnibus viſum eſt, nec vident miſſum quid ſit. Mappam putant, ſed eſt Diaboli ab alto præcipitati figura.* Hinc Juvenal. Sat. XI. *Megaleſiacæ ſpectacula mappæ*, pro ipſis Megalenſibus dixit.

Ut diximus.] Sup. cap. XIX.

Caſſiopen trajecit.] Corcyræ id oppidum eſt Plin. lib. IV. cap. XII. ubi & Jovis Caſii meminit. Gellius Caſſiopeiam vocat lib. XIX. cap. I.

CASAUBON.

Univerſorum ſe oculis in Circo maximo præbuit.] Plinius longe modeſtiorem facit: *cum ipſe*, ait, *aurigaturus eſſet introducta opificum turba.* libro XXXIII.

Omnes citharœdorum coronas ad ipſum mittere.] Tamquam videlicet ad deum Muſices & Apollinem novum Μȣσῶν προςάτην.

Et ſtudiis ſuis dignos.] Ita Nero, ita ejus adulatores ſoliti loqui. Tacitus notat, XVI. A. *Mox flagitante vulgo, ut omnia ſtudia ſua publicaret (hæc enim verba dixere) ingreditur theatrum.*

23. *Quæ diverſiſſimorum temporum ſunt, cogi in unum annum.*] Exempli gratia, Olympicum agonem, qui ex veteri inſtituto priore anno celebrari debebat, juſſit differri ad ſuum adventum. Philoſtratus libro quinto: *Πατρίȣ μὲν γὰρ τοῖς Ὀλυμπίοις τȣ̃ πέρυσιν ἐνιαυτȣ̃ ὄντος, ἐκέλευσε τοῖς Ἠλείοις Νέρων ἀναβαλέσθαι αὐτὰ ἐς τὴν ἑαυτȣ̃ ἐπιδημίαν, ὡς ἐκείνῳ μᾶλλον ἢ τῷ Διῒ θύσοντας.* Euſebius in Chronico: *Olympias* CCXI. *non eſt acta, Nerone in ſuam præſentiam differente.*

Olympiæ quoque præter conſuetudinem muſicum agona commiſit.] Neque enim Olympiæ agon muſicus ſolitus celebrari. Philoſtratus: *Ἐκέλευσε τȣ̀ς Ἠλείȣς Νέρων τραγῳδίαν ἀπαγγεῖλαι καὶ κιθαρῳδίαν, οἷς μήτε θέατρόν ἐςι, μήτε σκηνὴ πρὸς τὰ τοιαῦτα, ςάδιον δὲ αὐτοφυὲς καὶ γυμνὰ πάντα.* Idem de Iſthmico agone refert Lucianus.

VARIOR.

Liberto mittente mappam.] Caſſiodorus lib. III. Var. *Cum Nero prandium prætenderet & celeritatem, ut aſſolet, avidus ſpectandi populus flagitaret, ille mappam, qua tergendis manibus utebatur, juſſit abjici per feneſtram.* F. URSINUS.

23. *Cogi in unum annum.*] Congregari, & contrahi. In hanc ſententiam ait Apollonius apud Philoſtratum, ludos Olympicos ex conſuetudine ſolitos celebrari circa finem anni ab Elienſibus: quos Nero juſſit in adventum ſuum differre, ita ut ſibi potius quam Jovi viderentur ſacrificaturi. BEROALD.

Præter conſuetudinem.] Innuit in Olympiacis ſpectaculis muſicum certamen celebrari ſolitum non fuiſſe: quod indicat Apollonius apud Philoſtratum, cum ait, Neronem in Olympiis propoſuiſſe certamina tragœdorum, & citharœdorum, apud viros, quibus

miſit. Ac, ne quid circa hæc occupatum avocaret detineretve, cum præſentia ejus urbicas res egere a liberto Helio admoneretur, reſcripſit his verbis, *Quamvis nunc tuum conſilium ſit & votum, celeriter reverti me: tamen ſuadere & optare potius debes, ut Nerone dignus revertar.* Cantante eo, ne neceſſaria quidem cauſſa excedere theatro licitum erat. Itaque & enixæ quædam in ſpectaculis dicuntur, & multi tædio audiendi laudandique clauſis oppidorum portis, aut furtim deſiluiſſe de muro, aut morte ſimulata funere elati. Quam autem trepide anxieque certaverit, quanta adverſariorum æmulatione, quo metu judicum, vix credi poteſt. Adverſarios quaſi plane conditionis ejuſdem, obſervare, captare, infamare ſecreto, nonnumquam ex occurſu maledictis inceſſere: ac, ſi qui arte præcellerent, corrumpere etiam ſolebat. Judices autem prius quam inciperet, reverentiſſime alloquebatur, *omnia ſe facienda feciſſe, ſed eventum in manu eſſe Fortunæ: illos, ut ſapientes & doctos viros fortuita debere excludere:* atque ut auderet hortantibus, æquiore animo recedebat: ac ne ſic quidem ſine ſollicitudine taciturnitatem pudoremque quorundam pro triſtitia ac malignitate arguens, ſuſpectoſque ſibi dicens. In certando vero ita legi obediebat, ut numquam
24 excreare auſus, ſudorem quoque frontis brachio detergeret: atque etiam in quodam tragico

quibus nec theatra ſint, nec ſcenæ ad hujuſmodi ludos peragendos idoneæ: ſed ſtadium duntaxat nativum, nudumque. In Olympiis autem ter victorem fuiſſe Neronem, teſtatur Philoſtratus, qui ait, miſſos fuiſſe curſores uſque ad Gaditanos, qui juberent ſupplicationes fieri ob victoriam Neronis in Olympiis. Multæ in Hiſpania civitates, cum neſcirent quid eſſent Olympia, opinabantur bellicam quandam victoriam ſignificari, pro qua diis eſſet ſacrificandum: tanquam Nero populos aliquos Olympios appellatos bello profligaſſet. BEROALD.

TORRENT.

23. *Me celeriter reverti.*] Mallem, ut in tribus MSS. *celeriter reverti me.* Porro de hac Neronis peregrinatione Philoſtrat. vita Apollonii lib. IV. & acerbe Juvenal. Sat. VIII.

Hæc opera atque hæ ſunt generoſi Principis artes,
Gaudentis fœdo peregrina ad pulpita ſaltu
Proſtitui, Grajæque apium meruiſſe coronæ.

Adde locum Sueton. Veſpaſ. cap. IV.

Inf. ſecreto nonnunquam.] Dictio *nonnunquam* melius ſequenti periodo adjungetur. ſic enim diſtinguunt optimi codices, & Neronis anxietati magis convenit, ut adverſarios clam potius infamaverit, quam ex occurſu maledictis inceſſerit.

24. *Legi obediebat.*] *Ne feſſus reſideret, ne ſudorem niſi ea quam gerebat veſte detergeret, ac nulla oris, aut narium excrementa viſerentur*, ait Tacit. initio lib. XVI. Tales & gladiatorum leges, ad vulnera non ingemiſcere, juſſos jugulo ferrum recipere, ſuum eodem quo hoſtilem vultu animoque ſanguinem adſpicere.

CASAUBON.

Cum præſentia ejus urbicas res egere a liberto Helio admoneretur.] Argumentum iſtarum Helii epiſtolarum (plures enim ſcripſit) indicat Dio, qui narrat, coactum eum tandem venire in Græciam, cum fruſtra ſæpe illum per litteras de conjuratione urbica feciſſet certiorem. De hoc Helio accipe verba Æliani apud Suidam: ὃς ἦν (nempe Ἥλιος) Νέρωνος ἀπελεύθερος, ἀπολειφθεὶς μελεδωνὸς τῶν ἐν Ῥώμῃ καὶ ἔφορος, ὅτε Νέρων ἐς Ἀχαΐαν ἐξωρμήθη.

Quam autem trepide anxieque certaverit.] Philoſtratus: Δέδιεν ὁ χρηςὸς Νέρων τὰς Ἠλείων μάςιγας. παρακελευομένων γὰρ αὐτῷ τῶν κολάκων νικᾶν τὰ Ὀλύμπια, καὶ ἀνακηρύττειν τὴν Ῥώμην, Ἤν γε, ἔφη, μὴ βασκήνωσι Ἠλεῖοι. λέγονται γὰρ μαςιγοῦν καὶ φρονεῖν ὑπὲρ ἐμέ. vide Tacitum.

Judices autem, priuſquam inciperet, reverentiſſime alloquebatur.] Ita fuit moris. In veteri epigrammate de Pantomimo:

Ingreſſus ſcenam populum ſaltator adorat,
Solerti pendet prodere verba manu.

Neronis vero in ſcenam prodeuntis illa vox fuit, Κύριοί μου εὐμενῶς μου ἀκούσατε. auctor Dio.

24. *Nunquam excreare auſus.*] Hæc theatro reverentia præſtabatur ab hiſtrionibus, tanquam templo: in templis enim excreare, aut mungere nefas. Arrianus in Epicteto lib. IV. cap. XI. οὐχ ἥξεις καθαρὸς, ἵνα σοι χαίρωσι οἱ συνόντες, ἀλλὰ καὶ εἰς τὰ ἱερὰ ἡμῖν συνέρχῃ τοιοῦτος ὅπου πτύσαι οὐ νενόμισται οὐδὲ ἀπομύξασθαι ὅλος ὢν πτύσμα καὶ μύξα.

In quodam tragico actu, cum elapſum baculum cito reſumſiſſet.] Conſtat ex lectione veterum Græcorum, hiſtriones in ſcenam prodeuntes, ſemper in manu baculum habuiſſe: erat enim ornatus hiſtrionici pars illa neceſſaria. quot autem erant diverſæ ornamentorum ſpecies, tot genera diverſa baculorum. differebant enim & forma & materia pro argumento

tragico actu, cum elapſum baculum cito reſumſiſſet, pavidus & metuens, ne ob delictum certamine ſubmoveretur, non aliter confirmatus eſt, quam adjurante hypocrita non animadverſum id inter exſultationes ſucclamationeſque populi. Victorem autem ſe ipſe pronuntiabat. Qua de cauſſa & præconio ubique contendit. Ac ne cujus alterius hieronicarum memoria, aut veſtigium exſtaret uſquam, ſubverti & unco trahi, abjicique in latrinas omnium ſtatuas & imagines imperavit. Aurigavit quoque plurifariam: Olym-

gumento fabulæ, quæ docebatur: in tragœdiis qui regem ſaltabant, pro baculo ſceptrum gerebant. de eo accipiendus hic locus, ut declarant illa verba, *in tragico actu.* nam in tragœdiis reges ſemper inducebantur. quam perſonam ſuſtinere quis dignior Nerone? Juvat hanc interpretationem Philoſtratus ſcribens de Nerone libro quinto: *Καὶ τὰ μὲν Κρέοντος καὶ Οἰδίποδος ὕτως ἐξακριβῦν, ὡς δεδιέναι, μή πυ λάθοι ἁμαρτὼν θύρας, ἢ ϛολῆς, ἢ σκήπτρυ, ἑαυτῦ δὲ ὕτως ἐκπίπλειν, ὡςἀντὶ τῦ νομοθετεῖν, νόμυς ᾄδειν.* videtur alluſiſſe ad hanc confuſionem Neronis poſt elapſum baculum: ac poſſumus ſuſpicari ex hoc Philoſtrati loco, quando id accidit, ſaltaſſe Neronem vel OEdipum, vel Creontem. De baculis hiſtrionum habes apud Euſtathium, Pollucem, Plutarchum, Laërtium, alioſque plurimos.

TORRENT.

Elapſum baculum.] Quem *baculum* Sueton. Græci *ῥάϐδον* & *ϛίχον* vocant. Unde *ῥαϐδῳδοὶ*, & *ϛιχῳδοὶ* quod inter cantandum lauri ramum, ſeu virgam tenebant. Hic etiam *ῥαϐδῳδία* pro *ῥαψῳδία*. Euſtathius in Homer.

Adjurante hypocrita.] *Hypocritæ* dicti in univerſum omnes, qui alienam perſonam ſimulant, ut *hypocriſis* ipſa ſimulatio. Hiſtriones igitur, ſive mimi, pantomimi, archimimi, ethologi, & ceteri id genus homines, quos recte ludios appellamus, *hypocritæ* ſunt. Verum non ſatis intelligo quem hic *hypocritam* dicat Sueton. niſi aliquem forte qui canenti adſtiterit, ut verba ubicunque facienti phonaſcus, de quo cap. ſequenti, ambo (ut opinor) monendi cauſa, ſive ſubjiciendi ea quæ memoriam fugere viderentur. Quod inter ſcenicos ſecundariorum munus fuiſſe crediderim, vocatoſque *hypocritas*. ſic enim vetus lexicon, *Secundarius, ſubdiga*, *ὑποκριτής*. Plura ad Horat. Epiſt. ad Lollium II.

Præconio ubique contendit.] Victorem ideo ſeipſum pronunciabat, quod excellentiorem ſe præconem nullum agnoſceret. Quod ut ita eſſe re ipſa oſtenderet, de præconum quoque corona contendit. Philoſtrat. vita Apollonii, Euſeb. Oroſ. Multiplex autem præconum (quos Græci *κήρυκας* vocant) uſus, maxime in ſacris certaminibus. Et pudendum ſane, Imperatorem Romanum præconio contendere, cum (quod epiſtola quadam ad Leptam teſtatur Cicero) qui præconium faceret, in decurionibus eſſe vetaretur.

Hieronicarum.] Quatuor certamina dicta Sacra in Græcia fuere, Nemea, Pythia, Iſthmia, Olympia. In his qui vicerant, *hieronicæ* vocati ſunt: qui in omnibus viciſſent, *periodo victores*. Feſtus.

Plurifariam.] Pluribus & locis, & modis. *Decemjugem* quoque dixit, ut *bijugem*, *trijugem*, *quadrijugem*. Virgil.

Quadrijugo vehitur curru.

CASAUBON.

Victorem autem ſe ipſe pronuntiabat.] Contradicit expreſſe Dio: qui uſum narrat præconio Cluvii Rufi viri conſularis. Præconii formulam apponit idem, *τὸ δὲ δὴ κήρυγμα ἦν*, ΝΕΡΩΝ ΚΑΙΣΑΡ ΝΙΚΑ ΤΟΝ ΔΕ ΤΟΝ ΑΓΩΝΑ ΚΑΙ ΣΤΕΦΑΝΟΙ ΤΟΝ ΤΕ ΤΩΝ ΡΩΜΑΙΩΝ ΔΗΜΟΝ ΚΑΙ ΤΗΝ ΙΔΙΑΝ ΟΙΚΟΥΜΕΝΗΝ.

Et præconio ubique contendit.] Erant enim Olympiæ & æneatorum & præconum agones. Pauſanias Eliacorum libro priore: *Ἔϛι δὲ βωμὸς ἐν τῇ Ἄλτει τῆς εἰσόδυ πλησίον τῆς ἀγύσης ἐς τὸ ϛάδιον. ἐπὶ τύτυ θεῶν μὲν ὐδενὶ θύυσιν Ἠλεῖοι. σαλπιγκταῖς δὲ ἐφεϛηκόσιν αὐτῷ καὶ τοῖς κήρυξιν ἀγωνίζεσθαι καθέϛηκε.* Erant & aliis in locis, ubicunque Græca certamina edebantur. Seneca, epiſtola LXXVI. *Theatrum Neapolitanorum factum eſt: & hoc ingenti ſtudio, quis ſit pithaules bonus judicatur. Habet tibicen quoque bonus & præco concurſum.*

Ac ne cujus alterius hieronicarum memoria aut veſtigium exſtaret uſquam.] Omnes veteres iſtorum ſtatuas ex omnibus fere Græciæ partibus, Rhodo excepta, fuiſſe a Nerone ſublatas narrat Dio Chryſoſtomus in Rhodiaca. eum vide.

VARIOR.

24. *Adjurante hypocrita.*] Hypocrita hic eſt, qui geſticulationi, quæ ſaltando fiebat & loquaci manu, cantando reſpondet, & pronuntiat modulate quæ hiſtrio agat. Suet. Calig. 45. *Canendi ac ſaltandi voluptate ita efferebatur, ut ne publicis quidem ſpectaculis temperaret, quo minus & tragœdo pronuncianti concineret, & geſtum hiſtrionis quaſi laudans vel corrigens palam effingeret.* Nimirum non cantabat hypocrita cum Principe, ſed Principe cantante ſaltabat. Nero hic, quod in Caligula verbis tragœdus, agit; hypocrita, quod hiſtrio. Tragœdus canebat, id eſt, modulate pronunciabat, hiſtrio vel hypocrita, vel pantomimus ſaltabat & geſticulabatur: & præter hos aderat tibicen. GRONOV. ad Liv. VII. 2.

TOR-

Olympiis vero etiam decemjugem: quamvis idipſum in rege Mithridate, carmine quodam ſuo reprehendiſſet. Sed excuſſus curru, ac rurſus repoſitus, cum perdurare non poſſet, deſtitit ante decurſum: nec eo ſecius coronatus eſt. Decedens deinde provinciam univerſam libertate donavit: ſimulque judices civitate Romana, & pecunia grandi.
11 Quæ beneficia e medio ſtadio Iſthmiorum die ſua ipſe voce pronuntiavit. Reverſus e Græcia Neapolim, quod in ea primum artem protulerat, albis equis introiit, disjecta parte muri, ut mos hieronicarum eſt. Simili modo Antium, inde Albanum, inde Romam. Sed & Romam eo curru quo Auguſtus olim triumphaverat, & in veſte purpurea, diſtinctaque ſtellis aureis chlamyde, coronamque capite gerens Olympiacam, dextra manu Pythiam, præeunte pompa ceterarum cum titulis, *ubi*, & *quos*, *quo cantionum*, *quove fabularum argumento viciſſet*: ſequentibus currum ovantium ritu plauſoribus, *Auguſtianos*, *militeſque ſe triumphi ejus* clamitantibus. Dehinc diruto Circi maximi arcu, per Velabrum Forumque, Palatium & Apollinem petiit. Incedenti paſſim

TORRENT.

Libertate donavit.] Præclare ſane, ut olim T. Flaminius, auctore Plutarcho.

25. *Mos hieronicarum.*] De hoc quoque Plutarch. Quæſt. convivali v. lib. 11.

Sed & Romam.] *Et* ſuperfluit, opinor. *Veſte* etiam, ut gloſſematium, deleo.

Coronam Olympicam.] Liber opt. *Olympiacam.*

Auguſtianos militeſque ſe.] Melius tres MSS. *Auguſtianoſque ſe, militeſque triumphi ejus clamitantibus.* Locum autem hunc declarat Xiphilin. quinque militum millia parata ſcribens, qui canenti plauderent, quos Auguſtales, ſeu Auguſtianos vocabant. Iidem (ut arbitror) cum illis, quos nobis deſcripſit Sueton. cap. xx. adoleſcentes culti ac nitidi, digni qui citharœdo Principe militarent. Sed & equites eum ſecutos ſcribit Tacit. qui dies ac noctes plauſibus perſonarent, formam Principis, vocemque Deum vocabulis appellantes.

Palatium & Apollinem.] Id eſt, Apollinem Palatinum. Alii triumphantes Jovem petebant in Capitolio, hic Apollinem in Palatio, tragœdus tragœdum.

CASAUBON.

25. *Diſtinctaque ſtellis aureis chlamyde.*] Olympionicæ olim amicti veſte ἀνθινῇ, ut Græci vocant. Lucianus Demonacte, aliique. Cæterum ad hunc Neronis triumphum pertinet vetus Diodori Sardiani epigramma, quod de reditu ejus in urbem ex Græcia fecit:

Αἰγιβότου Σκύροιο λιπὼν πέδον Ἴλιον ἔπλω
Υἱὸς Ἀχιλλείδης πρόσθε Νεοπτόλεμος.
Τοῖος ἐν Αἰνεάδῃσι Νέρων ἀγὸς ἄστυ Ῥέμοιο
Νεῖται, ἐπ' ὠκυρόην Θύμβριν ἀμειψάμενος
Κοῦρος ἔτ' ἀρτιγένειον ἔχων χνόον· ἀλλ' ὁ μὲν ἔγχει
Θῦεν· ὁ δ' ἀμφοτέροις καὶ δορὶ καὶ σοφίῃ.

Incedenti paſſim victimæ cæſæ.] Vide quæ notamus ad libri quarti cap. XIII. quibus, ſi lubet, adde Ovidii hos locos, in epiſtola Paridis Helenæ:

Ibis Dardanias ingens regina per urbes:
Teque novam credet vulgus adeſſe deam.
Quaque feres greſſus, adolebunt cinnama flammæ:
Cæſaque ſanguineam victima planget humum.

Metamorph. lib. xv. de nave, quæ ſerpentem Epidaurium ferebat:

Quaque per adverſas navis cita ducitur undas,
Thura ſuper ripas, aris ex ordine factis,
Parte ab utraque ſonant, & odorant aera fumis:
Ictaque conjectos incalfacit hoſtia cultros.

VARIOR.

25. *Disjecta parte muri, ut mos hieronicarum eſt.*] Nobilibus athletis, qui Olympia, Pythia, Iſthmia, Nemæa viciſſent, Græcorum majores ita magnos honores conſtituerunt, uti non modo in conventu ſtantes cum palma & corona ferant laudes, ſed etiam cum revertantur in ſuas civitates cum victoria, triumphantes quadrigis in mœnia & in patrias invehantur, eque repub. perpetua vita conſtitutis vectigalibus fruantur. VITRUVIUS. Moris iſtius cauſſam tantum adhuc invenio apud Plutarchum, libro Sympoſiacῶν. 11. in hanc ſententiam: *Quod autem*, inquit, *victoribus curru vehentibus permiſſum, partem muri dividere, atque dejicere, hunc ſane habet intellectum, non magnopere civitati muro opus eſſe, viros habenti, qui pugnare poſſint, & vincere.* POLITIANUS.

Coronam Olympiacam.] Hæc erat ex oleaſtro. Unde ait Plinius: *Græci Olympiæ victores oleaſtro coronant.* Hinc ab Ariſtophane dictum eſt in Pluto, Jovem victores athletas coronare κοτίνου στεφάνῳ, hoc eſt, oleaſtri corona. BEROALD.

Pythiam.] Pythia fiebant in honorem Apollinis, cujus ludicri victores lauro coronantur, ut inquit Lactantius interpres Papinii: & innuit Ovidius I. Metamorphoſeos, qui teſtatur, Pythia dici a nomine perdomitæ ſerpentis. Ante inventam laurum corona

paſſim victimæ cæſæ, ſparſo per vias identidem croco, ingeſtæque aves, ac lemniſci, &

na æſculea coronabantur. Spectatiſſima laurus, ut inquit Plinius, eſt in monte Parnaſſo, ubi fiebant Pythia: ideoque Apollini grata. IDEM.

TORRENT.

Sparſo per vias croco.] Plin. lib. XXI. cap. VI.

CASAUBON.

Ingeſtaque aves ac lemniſci & bellaria.] Vetuſtiſſimus mos fuit victores in ludis, harum ſimiliumque rerum injectione honorare. Clemens Alexandrinus Pædagogi lib. II. cap. VIII. in hujus conſuetudinis mentione graviter corruptus eſt. ita enim hunc illius locum ediderunt docti viri: Ἐν δὲ τοῖς ἀγῶσι, πρῶτον ἡ τῶν ἀθλητῶν δόσις ἦν. δεύτερον δὲ ὁ ἐπεγερμός. τρίτον ἡ φυλλοβολία. τελευταῖον ὁ στέφανος ἐπίδοσιν λαβόντης εἰς τρυφὴν τῆς Ἑλλάδος μετὰ τὰ Μηδικά. Illuſtris ſane locus: quem eo libentius emendabimus, quia ſcimus fruſtra id ante nos tentatum a doctiſſimis viris Mercuriali & Fabro. Sed dubium non eſt legendum eſſe πρῶτον ἡ τῶν ἄθλων δόσις ἦν. δεύτερον δὲ ὁ ἐπαγερμός. quid enim eſt ἀθλητῶν δόσις? vox vero ἐπεγερμὸς nihil hic plane quod ad rem faciat, ſignificare poteſt. Senſus horum verborum eſt: antiquiſſimis temporibus ſolita proponi ἆθλα certatoribus, cujus rei apud Homerum & Virgilium & antiquiſſimos quoſque ſcriptores teſtimonia multa ſunt. Deſiiſſe deinde dari ἆθλα, inque eorum locum ſucceſſiſſe ἐπαγερμὸν, id eſt, morem eum, quo athletæ munuſcula a ſingulis ſpectatoribus colligerent: verum deficiente ea conſuetudine, inſtitutam φυλλοβολίαν, hoc eſt, *florum aſperginem*, ut Tertullianus vertit in libro de Reſurrectione Carnis, (Apulejus more ſuo ἑλληνίζων, *jacula floris ſerti & ſoluti*, ut ſæpe Græci βολὰς ἀνθέων καὶ στεφάνων) noviſſime coronas eſſe inventas, quæ loco jam dictorum athletis donentur. Hæc Clementis mens eſt: qui non hoc voluit, coronis inventis cætera deſiiſſe eſſe in uſu, ſed minus uſurpari tantum: alioquin Clementem refellant omnes uno ore Græci Latinique ſcriptores. Porro ſcribendum eſſe ἄθλων δόσις, non ἀθλητῶν, arguunt manifeſto quæ Suidas notat in voce περιαγείρεσθαι, locum Platonis explicans. Recte etiam ἐπαγερμὸς emendare nos, & qualis fuerit is mos, quid item φυλλοβολία, declarat eximie vetuſtiſſimi ſcriptoris Eratoſthenis locus, quem ex Euripidis Scholiaſte deſcriptum, lubet attexere. ſic igitur ille: Πάλαι χωρὶς ἄθλων ἀγωνιζομένων ἀνθρώπων, τῷ νικήσαντι καθάπερ ἔρανον εἰσφέροντες, ἐρρίπτουν τῶν θεατῶν, ὅπως ἕκαστος εὐπόρει. διὸ δὴ συνήθες ἐγένετο, κύκλῳ περιπορευόμενον ἐπαγείρειν καὶ λαμβάνειν τὸ διδόμενον. οἱ μὲν οὖν ἐμπορευόμενοι, διάφορα δῶρα (addendum verbum ἐδίδοσαν) τῶν λοιπῶν, οἱ μὲν ἐγγὺς καθήμενοι, στεφάνους ἐπετίθεσαν. οἱ δὲ ἀνωτέρω, τοῦτο ὅπερ ἦν λοιπὸν ἔβαλλον τοῖς ἄνθεσι καὶ φύλλοις. καὶ νῦν μὲν ἐπὶ τοὺς ἐπιφανῶς ἀγωνιζομένους προβάλλουσι ζώνας, πέταλα, χιτωνίσκους, πετάσους, κρηπῖδας. διὸ σύνηθες κύκλῳ περινοστοῦντας ἀγείρειν τὰ διδόμενα· ἕως μὲν οὖν ἐν ἀγώνισμα (ſic ſcribendum, non ἐναγώνισμα) κατὰ τὴν Ὀλυμπίαν ἦν, δαψιλὴς ἐγίνετο ἡ τῶν δωρεῶν δόσις. πολυπλασιαζομένου δὲ τούτου (ita emendamus vulgatam lectionem) ταῦτα ἐμείωτο εἰς πολλὰ καταμεριζόμενα. καὶ τέλος ἡ φυλλοβολία κατελείφθη. Hactenus Eratoſthenes; ex cujus verbis intelligimus, non flores tantum, ſed alia omnis generis munuſcula quæ ad manum aderant, ſolita conjici, ut zonas, πέταλα (ea vox vel pileum vel faſciam hoc loco ſignificare videtur, vel laminas iis ſimiles, de quibus Plinius lib. XXI. cap. II.) tunicas, petaſos, crepidas, & ſimilia his. Idem factum adverſus omnes, quos honore auctos volebant. Suidas de Dracone legiſlatore ſcribit: Οὕτω εἰς Αἴγιναν ἐπὶ νομοθεσίαις εὐφημούμενος ἐν τῷ θεάτρῳ ἐπιῤῥιψάντων αὐτῷ τὴν κεφαλὴν πετάσους πλείονας, καὶ χιτῶνας καὶ ἱμάτια, ἀπεπνίγη. apud Arianum in ſexta hiſtoria qui Alexandro gratulantur poſt ſanata vulnera, οἱ μὲν ταινίαις αὐτὸν βάλλουσιν, οἱ δὲ ἄνθεσιν. Jamblichus de amatoribus Sinidis & Rhodani: Ἐῤῥιμμένων δὲ παρὰ τὴν ὁδὸν τοῦτε Ῥοδάνου καὶ τῆς Σινωνίδος, ὁ στρατὸς παρερχόμενος ὡς ἐπὶ νεκροῖς, κατὰ τὸ πάτριον ἔθος οἱ μὲν χιτωνίσκους ῥιπτοῦντες ἐκάλυπτον, ἄλλοι δὲ ἀλλό τι τῶν προσόντων, καὶ κρεῶν δὲ μέρη καὶ ἄρτους ἐπέῤῥιπτον. Ex hoc igitur more Neroni ingeruntur inter alia, lemniſci & bellaria. Sic apud Pauſaniam in Meſſenicis, Ariſtomeni ex prælio reduci & Andaniam ingredienti, mulieres ταινίας καὶ τὰ ὡραῖα ἐπιβάλλουσι. Livius libro XXXIII. de Flaminio Græciam liberante: *Ludis dimiſſis, curſu prope omnes tendere ad Imperatorem Romanum: ut ruente turba in unum adire, contingere dextram cupientium coronas lemniſcoſque jacientium, haud procul periculo fuerit.* Dionyſ. Halic. libro XI. de funere Virginiæ: Ἐξεπήδων ἐκ τῶν οἰκιῶν γυναῖκές τε καὶ παρθένοι, τὸ πάθος ἀποθυρόμεναι. αἱ μὲν ἄνθη καὶ στεφάνους βάλλουσαι κατὰ τῆς κλίνης. αἱ δὲ τελαμῶνας ἢ μίτρας. αἱ δὲ ἀθύρματα κόμης (ſuſpecta vox, &, ut puto, tollenda) παρθενικά, καί πού τινες καὶ πλοκάμων ἀποκειράμεναι βοστρύχους. De lemniſcis Plinius, Heſychius, & Feſtus, cujus verba adſcribam, quomodo ea ſcripta reperi in ora codicis Viterbienſis ad hunc locum. Feſtus: *Lemniſci ſunt faſciolæ purpureæ dependentes ex coronis. Solebant enim veteres coronas faſciis laneis ex purpura alligatas donare.* Theocritus deſcribit eleganter: Κρατὶ δ' ἔχων λεύκαν Ἡρακλέος ἱερὸν ἔρνος Παντοτε πορφυρέῃσι περιζώστρῃσιν ἑλικίαν.

VARIOR.

Sparſo croco.] Crocum antiquitus ſpargebatur in theatris

& bellaria. Sacras coronas in cubili circum lectos poſuit. Item ſtatuas ſuas citharœdico habitu: qua nota etiam nummum percuſſit. Ac poſt hæc tantum afuit a remittendo laxandoque ſtudio: ut conſervandæ vocis gratia, neque milites umquam, niſi abſens, aut alio verba pronuntiante, appellaret: neque quidquam ſerio jocove egerit, niſi adſtante phonaſco, qui moneret, parceret arteriis, ac ſudarium ad os applicaret: multiſque vel amicitiam ſuam obtulerit, vel ſimultatem indixerit, prout quiſque ſe magis parciuſve laudaſſet.
26 Petulantiam, libidinem, luxuriam, avaritiam, crudelitatem ſenſim quidem primo & occulte, velut juvenili errore, exercuit: ſed ut tunc quoque dubium nemini foret, naturæ illa vitia, non ætatis eſſe. Poſt crepuſculum ſtatim arrepto pileo

theatris, vino dulci tritum, ut docet Plinius in XXI. Ex quo eſt illud Lucretii:

Et cum ſcena croco Cilici perfuſa recens eſt.

Ad hanc croci ſparſionem eſt referendum illud quoque Epigrammatarii poetæ:

Cilices nimbis hic maduere ſuis.

& illud:

- - - rubro pulpita nimbo
Spargere, & effuſo permaduiſſe croco.

Item Propertii:

Pulpita ſolennes non oluere crocos.

In funeribus quoque nobilioribus rogum croco reſpergi ſolitum, teſtis Papinius, cum ait:

Ver Arabum, Cilicumque fluit, floreſque Sabæi,
Coriciæque comæ.

Nam comæ Coriciæ ſignificant crocum, quod in Corico, Ciliciæ monte, erat laudatiſſimum. BEROALD.

TORRENT.



Nummum percuſſit.] Qualem ſervo æreum. Vide etiam aureos.

Magis, parciuſve laudaſſe.] Sic Thraſea ille magnus non ob aliam cauſſam periit, quam quod numquam applauſiſſet. Xiphilin.

26. *Arrepto pileo.*] Libri vetuſti *pilleo.* Vide Calig. cap. XI.

CASAUBON.

Sacras coronas in cubili circum lectos poſuit.] Hæne illæ ſunt, de quibus Dio? qui auctor eſt octingentas & octo ſuper mille coronas, quas Nero aurigando meruerat, fuiſſe ab illo in circo appenſas Ægyptiaco obeliſco.

Parceret arteriis, ac ſudarium ad os applicaret.] Latini ſcriptores *arterias* numero multitudinis dictitant pro aſpera arteria. Auctor ad Herennium: *Vulnerantur arteriæ acuta atque attenuata nimis acclamatione.* Sic apud Catonem *lienes turgent & pulmones dolent.* Sudarium ad os applicitum, illud eſt σινδόνιον, de quo Dio: Τὰς βουλευτὰς χιτώνιόν τι ἐνδεδυκὼς ἀνθινὸν, καὶ σινδόνιον περὶ τὸν αὐχένα ἔχων.

26. *Petulantiam, libidinem, luxuriam, avaritiam, crudelitatem.*] Solenne illud ſuum ſervat, ut multa ſimul proponat, quæ poſtea eodem ordine perſequitur. nam hæc eſt ὑπόθεσις eorum quæ narrantur omnium ad finem capitis XXXVIII.

Poſt crepuſculum ſtatim.] Incipit de petulantia Neronis dicere, quam pluribus deſcribit ex Dione Xiphilinus. Juvenalis vero quam frequens id in Urbe malum fuerit, etiam poſt Neronem, cujus morem juventus nobilis retinuit, indicat Satyra tertia, ubi pericula noctis recenſens,

Ebrius, ait, *ac petulans, qui nullum forte cecidit,*
Dat pœnas, noctem patitur lugentis amicum
Peleidæ, cubat in faciem, mox deinde ſupinus:
Ergo non aliter poterit dormire? quibuſdam
Somnum rixa facit.

vide ejuſdem poetæ Satyram octavam. Meminit obiter hujus laſciviæ Tertullianus in Apologetico: *A convivio diſceditur non in catervas cæſionum, neque in claſſes diſcurſationum, nec in eruptiones laſciviarum.*

VARIOR.

In cubili.] Codex Salmaſ. & R. Steph. *in cubiculis.* Palatini duo: *in cubilibus.* Lectioni vulgatæ jure controverſiam movet Jacobus Nicolaus Loenſis Epiphyllidum III. 7. Quid enim abſurdius, quam putare Neronem coronas ſuas repoſuiſſe loco ſolitario, occulto & ab oculis turbæ remoto, qui eas ſuperbe potius oſtentare cupiebat? itaque legendum ei videtur: *ſacras coronas in Obeliſcum circi injectas poſuit*, aut tale quid ſimile: huicque conjecturæ favet auctoritas Xiphilini ſic ſcribentis in Nerone: Ἀποδρομίας ἐπήγγειλε, καὶ τοὺς στεφάνους ἄλλους πάντας ὅσους ἅρμασι νικήσας εἰλήφει, ἐς τὸν ἱππόδρομον ἐσήνεγκε, καὶ τῷ ὀβελίσκῳ τῷ Αἰγυπτίῳ περιέθηκε. καὶ ἦσαν ὀκτὼ καὶ ὀκτακόσιοι καὶ χίλιοι. ποιήσας καὶ ταῦτα ἡνιόχησε. *Ludos circenſes indixit, coronaſque alias omnes, quotquot curulibus certaminibus vincendo accepit, in circum indidit, & Obeliſco Ægyptio circumpoſuit: hæ erant numero mille octingentæ octo. quæ cum feciſſet, aurigatus eſt.* GRUTERUS.

26. *Luxuriam.*] Cod. Salm. *luxuriem.* Idem pro *galero* ſcribit *galerio*, & *aſſuerat* pro *aſſueverat.*

pileo vel galero, popinas inibat: circumque vicos vagabatur ludibundus, nec ſine pernicie tamen. Siquidem redeuntes a cœna verberare, ac repugnantes vulnerare, cloaciſque demergere aſſueverat: tabernulas etiam effringere & expilare: quintana domi conſtituta, ubi partæ & ad licitationem dividendæ prædæ pretium aſſumeretur. Ac ſæpe in ejuſmodi rixis, oculorum & vitæ periculum adiit, a quodam laticlavio, cujus uxorem attrectaverat, prope ad necem cæſus. Quare nunquam poſtea ſe publico illud horæ ſine tribunis commiſit, procul & occulte ſubſequentibus. Interdiu quoque clam geſtatoria ſella delatus in theatrum, ſeditionibus pantomimorum ex parte proſcenii ſuperiori, ſignifer ſimul ac ſpectator aderat. Et cum ad manus ventum eſſet, lapidibuſque & ſubſelliorum fragminibus decerneretur, multa & ipſe jecit in populum, atque etiam prætoris caput conſauciavit. Paullatim vero invaleſcentibus vitiis, jocularia 27

&

Torrent.

Quintana.] Recte locum hunc explicat Beroaldus ex Feſto. nam in caſtris quintana vocabatur porta poſt Prætorium, ubi rerum utenſilium erat forum. Nero caſtrorum inſtar domi quintanam conſtituit, forumque (ut ita dicam) prædatorium. Meminit etiam Iſidor. lib. xv. cap. 11. de urbium tamen ædificiis, non de caſtris loquens.

Dividendæ.] Mallem *divendendæ*, ob verbum *licitationem.*

Aſſumeretur.] Lego *abſumeretur*, ut in optimo codice.

A quodam laticlavio.] Tribunum laticlavium intelligerem, niſi Tacit. obſtaret. is enim Julium Montanum vocat hunc Neronis verberatorem, additque ſenatorii ordinis fuiſſe, ſed qui nondum honorem ullum capeſſiſſet, ob hoc mori coactum. Vide etiam Dionis compendium. Plin. lib. xiii. cap. xxii. remedium prodit, quo Nero nocturnis graſſationibus converberatam faciem illinebat.

Geſtatoria ſella.] Claud. cap. xxxiii.

Seditionib. pantomimorum.] Rem totam declarat Tacit. lib. xiii. nam cum antea Nero ludicram fautorum licentiam impunitate & præmiis velut in prælia convertiſſet, tandem non aliud remedium repertum eſt, quam ut hiſtriones Italia pellerentur. Atque hic quidem oſtendit Sueton. quomodo primum hiſtrionum factiones ille foverit. Relegatos vero fuiſſe jam ante narravit, cap. xvi. Alibi vero Tacit. ſcenæ reſtitutos fuiſſe, ſed a ſacris certaminibus prohibitos ſignificat. Sublatos vero iterum a Domitiano, ſed a Nerva reductos, rurſuſque a Trajano abactos, auctor eſt Plin. Panegyr. Notandumque a Tacito vocari hiſtriones, quos pantomimos appellat Sueton. & hic, & cap. xvi. Vide Caſſiodorum Variar. lib. iv. epiſt. ult.

Casaubon.

Arrepto pileo vel galero.] Dio: Καὶ ἐδόκει μὲν πως λανθάνειν. καὶ γὰρ ἐσθῆσι ποικίλαις καὶ κόμαις περιθέτοις ἄλλοτε ἄλλως ἐχρῆτο. ἠλέγχετο δὲ ἔκ τε τῆς ἀκολουθίας καὶ ἐκ τῶν ἔργων.

A quodam laticlavio, cujus uxorem attrectaverat.] Dio βουλευτὴν vocat: Ἰούλιός τις Μοντανὸς βουλευτὴς, ἀγανακτήσας ὑπὲρ τῆς γυναικὸς προσέπεσέ τε αὐτῷ, καὶ πληγὰς πολλὰς ἐνεφόρησε. melius Tacitus, *Senatorii ordinis, ſed qui nondum honorem capeſſiſſet.* de his juvenibus laticlaviis notamus libro ſecundo capite xxxviii.

Tribunis procul & occulte ſubſequentibus.] Hæc eſt ἀκολουθία, quam ait Dio in proximo loco. Juvenalis Satyra iii.

- - - ſed quamvis improbus annis,
Atque mero fervens, cavet hunc, quem coccina læna
Vitari jubet, & comitum longiſſimus ordo.

Varior.

Tabernulas effringere.] Codex Salmaſ. *tabernas.*

Laticlavio.] Senatorum vel equitum filii, qui in ſpem ſenatoriæ dignitatis, ἐπὶ τῇ τῆς βουλῆς ἐλπίδι, ut Dio loquitur, latum clavum portabant, proprie *laticlavii* vocantur, ut ex Suetonii loco conſtat. Quem hic *laticlavium* Suetonius appellat, Tacit. xiii. Annal. vocat Julium Montanum *Senatorii ordinis, ſed qui nondum honores capeſſiſſet.* Laticlavia enim dignitas non ipſe ordo ſenatorius eſt, ſed gradus ad eum. Caſſiod. vi. Var. 14. *Jam ſenatui prædeſtinatus eſt, cui nos contulimus laticlaviam dignitatem.* Sed non recte Caſaubonus in Suetonii Auguſtum hos juvenes laticlavios ſecundi ordinis appellatos fuiſſe exiſtimat, primo gradu iis conceſſo, qui domum Auguſtam vel ſanguine, vel adfinitate, aut aliqua neceſſitate contingerent, & adfert locum Statii in præfat. lib. iv. Sylvarum: *Proximum eſt lyricum carmen ad Septimium Severum juvenem, uti ſcis, inter ornatiſſimos ſecundi ordinis.* Cum tamen ipſe Statius hunc Septimium *contentum arcto lumine purpuræ* vixiſſe teſtetur. Rectius igitur Domitius ſecundum ordinem equeſtrem interpretatur l. 1. C. Theodoſ. de Equeſtri dignitate: *Equites Romani, quos ſecundi gradus in urbe omnium volumus obtinere dignitatem.* A. Rubenius. lib. 1. de Re Veſt. cap. 15.

To r-

& latebras omiſit, nullaque diſſimulandi cura ad majora palam erupit. Epulas a medio die ad mediam noctem protrahebat: refotus ſæpius calidis piſcinis, ac tempore æſtivo nivatis. Cœnitabatque nonnumquam & in publico, Naumachia præcluſa, vel Martio campo, vel Circo maximo, inter ſcortorum totius urbis ambubajarumque miniſteria. Quoties Oſtiam Tiberi deflueret, aut Bajanum ſinum præternavigaret, diſpoſitæ per litora & ripas diverſoriæ tabernæ parabantur, inſignes ganeæ & matronarum inſti-

TORRENT.

27. *Epulas a media die.*] Solebant veteres diem agendis rebus, noctem curandis corporibus dare. At quo quiſque intemperantior erat, eo maturius convivabatur. Hinc *convivia de die* apud Catullum. Sed Horat. lib. II. Sat. ult.

- - - dictus here illic
De medio potare die.

Adde Juvenalem Sat. IV.

- - - noverat ille
Luxuriam Imperii veterem, noctesque Neronis
Jam medias, aliamque famem.

Ambubajarum.] Dictæ ſic mulieres famoſæ, quod circa Bajas verſarentur, ut *ambedo*, *Ambarvalia*. Plura ad Horat. lib. I. Sat. II.

Oſtiam Tiberi deflueret.] Sic Virgil. Æneid. VIII. *ſecundo defluit amni.*

Inſignes ganeæ & matronarum inſtitorio cop. imit.] Sic quidem Turnebi codices, & unus e noſtris, alii aliter. Sed vulgati omnes *inſtitorias operas*, pro *inſtitorio copas* legunt. Quæ lectio ſane nec multum a veterum librorum ſcriptura declinat, & longe apertior eſt. nam *inſtitorem* vocant JCti eum, qui negotio, qualecunque id fuerit, agendo inſtat. Unde *ſtabuli* etiam & *cauponæ inſtitorem* dixit Ulpian. l. I. Nautæ, caupones, ſtabularii ut rec. reſt. Si Turnebum ſequimur, *inſtitorium* pro inſtitoris munere atque officio interpretabimur. *Copa* autem ſignificatio omnibus nota, pro muliere quæ cauponam exerceat, qualis copa Syriſca illa Virgilii. Verum quomodocunque legamus, pro *&* *matronarum* mallem *etiam matronarum*, aut expungi *&*, (abeſt enim ab uno codice) aut (quæ leviſſima mutatio eſt) legi, *inſignes gan. & matron. inſtitoria, cop. imit.*

CASAUBON.

27. *Inter ſcortorum totius urbis ambubajarumque miniſteria.*] *Ambubajæ* ſunt Syræ mulieres, quæ in circo aliiſque locis ædilem metuentibus habitantes, duplici quæſtu ſe ſuſtentabant. nam & corporis ſui vulgo copiam faciebant, & organa quædam pulſare norant, quæ una ſecum e patria, cum Romam peterent, attulerant. eſt enim vox Syriaca pura puta *ambubajæ*, אבובײא *abbubajæ*, vel etiam אנבובײא *anbubajæ*. quod cum pridem doctiſſimus Angelus Caninius, & judicii juxta atque eruditionis incomparabilis Joſephus Scaliger docuerint, mirum non potuiſſe extorqueri ne doctis quidem hominibus ineptam illam priorem Criticorum opinionem, *ambubajas dictas, quod circa Bajas verſarentur.* nam etiam Torrentio commentum illud ita placuit, ut ſuas ad hunc ſcriptorem notas, hoc quaſi emblemate voluerit eſſe vermiculatas. Quid? adeo mirum illis eſt viſum, aut Syras crotaliſtrias & fidicines Romæ fuiſſe, aut Barbarum inſtrumentum nomen in Urbe retinuiſſe? meminiſſent horum verſuum Juvenalis, & mirari utrumque deſinerent:

Jam pridem Syrus in Tiberim defluxit Orontes,
Et linguam, & mores, & cum tibicine chordas
Obliquas, nec non gentilia tympana ſecum
Vexit, & ad circum juſſas proſtare puellas.

Quod autem lupæ iſtæ Romam e Syria patria ſua detulerint organa, non mirabitur, qui meminerit ejus farinæ mulieres organorum peritiam familiarem habuiſſe. Itaque imperitas, πεζὰς per contemtum vocabant. Heſychius: Πεζὰς ἑταίρας ἔλεγον τὰς μισθαρνούσας χωρὶς ὀργάνου. Procopius in Ἀνεκδότοις· Ἑταῖρα εὐθὺς ἐγεγόνει, οἵανπερ οἱ πάλαι ἄνθρωποι ἐκάλουν πεζήν· οὐ γὰρ αὐλήτρια, οὔτε ψάλτρια ἦν, οὐ μὴν οὐδὲ τὰ εἰς ὀρχήστραν αὐτῇ ἤσκητο· ἀλλὰ τὴν ὥραν τοῖς ἀεὶ περιπίπτουσιν ἀπεδίδοτο μόνον, ἐκ παντὸς ἐργαζομένη τοῦ σώματος.

Inſignes ganeæ & matronarum inſtitorio copas imitantium, atque hinc inde hortantium, ut appelleret.] Viterbienſis & Pithœi codices ſimiliter depravati ſic legunt hunc locum, *matronarum inſiitor locopaſimit.* unde certum mihi veram lectionem eſſe quam Turnebus aſſeruit, *inſtitorio, copas im.* vel certe, *inſtitoria*, atque hoc melius. Tacitus *lupanaria* vocat in ſimili ſententia libro XV. *Crepidinibus ſtagni lupanaria aſtabant, illuſtribus fœminis completa. Et contra ſcorta viſebantur nudis corporibus.* Quod ait Suetonius de coparum imitatione, declarant Dionis verba in paris veſaniæ Abiti Imperatoris, narratione: Ἐν τῷ παλατίῳ οἴκημά τι ἀποδείξας, ἐνταῦθα ἠσέλγαινε, γυμνός τε ἀεὶ ἐπὶ τῆς θύρας αὐτοῦ ἑστὼς, ὥσπερ αἱ πόρναι, καὶ τὸ σινδόνιον χρυσοῖς κρίκοις ἐξηρτημένον διασείων, τούς τε παριόντας ἁβρᾷ τε καὶ κεκλασμένῃ τῇ φωνῇ προσεταιριζόμενος. nec refert, quod Dio ſcorta nominat, non copas: nam ut alibi notamus, apud veteres Hebræos, Græcos & Romanos, inter copam & meretricem nihil aut parum intererat. Idem Dio lib. XLVI. Τοὺς ἄρτι προσιόντας σαίνων καὶ γελῶν ὥσπερ αἱ πανδοκεύτριαι. Inde apud Apulejum blan-

inſtitorio copas imitantium, atque hinc inde hortantium, ut appelleret. Indicebat & familiaribus cœnas, quorum uni mitellita quadragies HS. conſtitit, alteri pluris aliquanto abſortio roſaria.

blanditia tabernaria. Theophraſtus in Characteribus. *περὶ κακολογίας*, (quod caput, cum aliquot aliis deſcriptum in regia illa Principis Palatini bibliotheca, miſit ad me Germaniæ decus Marquardus Freherus, & Juris & omnis eruditionis peritiſſimus, eidem illuſtriſſimo Principi a conſiliis) de iſtiuſmodi copis ac proſtibulis, *αὗται αἱ γυναῖκες ἐκ τῆς ὁδοῦ τοὺς παριόντας ἁρπάζουσι.* Notabis, quod Dio ait in eo loco quem modo protulimus ex Abiti vita, de velo oppanſo coparum inſtitorio & orbiculos quosdam habente, ut adduci & reduci facilius poſſet: nam de eodem accipiendum apud Juvenalem, Satyra octava:

- - - Lateranus ad illos
Thermarum calices, inſcriptaque lintea vadit,
Maturus bello Armeniæ.

VARIOR.

27. *Calidis piſcinis.*] Piſcinæ præter notam ſignificationem in balneis quoque dicuntur, videnturque a piſcibus dici, ut inquit Fortunatianus; quamvis in his nihil piſcium ſit, de quibus hic intelligitur: ſicut apud Martialem:

Piſcinam peto, non licet natare.

Romæ fuit publica piſcina, ad quam & natatum & exercitationis cauſſa veniebat populus. Unde a Lucilio dictus eſt pugil piſcinenſis, qui in piſcina exercebatur. Lampridius auctor eſt, Elagabalum nataſſe piſcinis infectis unguento nobili, aut croco. BEROALD.

TORRENT.

Orantium, ut appelleret.] Ut nunc quoque caupones ſolent. Unde facete admodum Cicero, cum Binnium quendam cauponem de via Latina teſtem in Cluentium ſubornari cerneret, *Quo de homine* (inquit) *nihil etiam nunc nobis dicere eſt neceſſe. Si invitaverit, (id quod ſolet) ſic hominem accipiemus, ut moleſte ferat ſe de via deceſſiſſe.*

Quorum uni mellita quadr. HS. conſtiterunt.] Sic & MSS. noſtri, niſi quod *mitellita* habent, aut *mytelica*, pro *mellita.* Omnium probatiſſimus ſic, *quorum unum mitellitel quadragies* HS. *conſtitit.* Turneb. *quorum uni mitellita quadr.* HS. *conſtitit.* Ego receptam lectionem ſervo, ut per *mellita* intelligamus ea omnia, quæ piſtorum, quos dulciarios vocabant, opera parabantur, de quibus Tib. cap. XXXIV. ut tamen non negem fieri poſſe, ut aliud ſcripſerit Sueton. ſcribæ enim voces ſibi notas, qualis *mellita*, non facile mutant. Ea *μελιπηκτα* vocant Græci.

CASAUBON.

Quorum uni mitellita quadragies HS. conſtitit, alteri pluris aliquanto abſortio roſaria.] Etſi mendi manifeſta hæc lectio eſt, quia tamen conſtanter eam optimi tuentur codd. Viterb. Pithoei & Liſlæi, non dubitavimus vulgatam & commentitiam extrudere: præſertim cum etiam in veteri Rom. editione *conſtitit* habeatur, non ut poſtea emendatum eſt, *conſtiterunt:* damnat idem liber Romanus & vocem *mellita*, quæ in vulgatis editionibus repoſita eſt pro *mirtellita: myrtelica* enim in eo ſcriptum. in regiis item conſtanter, *mitellita*, & *conſtitit.* Mihi vero hoc loco meræ tenebræ ſunt, lux nulla. Nam quid vox *mitellita* ſignificat? Turnebi valde alias probabilem explicationem deſtruit vox *conſtitit:* ſic enim habent, ut jam diximus, veteres omnes codd. *Quadragies* etiam an vere ſcriptum? ſuperat fidem ea ſumma, & locus in Vitellio ſimillimus capite XIII. falſi inſimulare eam *γραφὴν* videtur. At contra ſcripturam librorum hic firmat non mediocriter locus Senecæ hic ex epiſtola XCV. *Quid eſt cœna ſumtuoſa flagitioſius, & equeſtrem cenſum conſumente? Quid tam dignum cenſoria nota, ſi quis, ut iſti ganeones loquuntur, ſibi hæc & genio ſuo præſtet? tricies tamen ſeſtertium adjiciales cœnæ frugaliſſimis viris conſtiterunt.* Veri autem Imperatoris convivium ab auctoribus vitæ ejus deſcribitur, æſtimatum ſexagies centenis millibus HS. Poſtremo, quid eſt *abſortio roſaria*, aut, ut alii codd. habent, *ab Syrtio?* Si conjecturis uti licet, non verebor ſomnium meum referre. Viſum enim aliquando ſic eſſe reſcribendum, ſervatis ex parte antiquæ Romanæ editionis veſtigiis, *quorum uni myrti trichila*, CCCC. HS. *conſtitit: alteri pluris aliquanto ab Ægypto roſaria. Trichilas* Latini vocant umbras, quæ nobis adhuc vernaculo idiomate *treilles* dicuntur. Similes apud Firmicum, *porticus virides in circulum flexis vitibus.* in iis parandis magnas feciſſe impenſas qui nepotinis ſumptibus delectabantur, teſtimonio fuerit ſimilis nonnihil locus in vita Caligulæ, cap. XXXVIII. Vopiſcus de Carino homine omnium contaminatiſſimo, *Roſis Mediolanenſibus & cubicula & triclinia ſtravit.* Multa Julius Capitolinus in Vero Imp. Roſas alioſque multos flores inde uſque ab Ægypto aut Africa peti ſolitos a coronariis, (quos Philoſtratus epiſtola quadam *αὐτοφόρους* vocat) abunde teſtatur (ut Athenæum, alioſque taceam) Martialis epigram. LXXX. libri ſexti. Poſſis & *a Pæſto roſaria* ſcribere. notiſſima ſunt ex poetis *Pæſti roſaria.* In Memmii & Liſlæi codd. & antiquis editionibus nonnullis deſideratur verbum *abſortio*, vel, ut alii libri habent, *abſirtio:* neque vero nobis diſpliceat loco illorum ſcribere, *aſperſio roſaria.* Ita referemus ad artificium rigandi triclinia per ſilvanos aut fiſtulas, quæ ſi ex auro vel argento (ut quibuſdam mos fuit) erant factæ, facile feram in præcedentibus verbis *quadragies* ſcribi. Adjuvat hanc ſententiam hiſtoria, quam Plutarchus

refert

28 roſaria. Super ingenuorum pædagogia, & nuptarum concubinatus, Veſtali virgini Rubriæ

refert de Othone, qui cum Neronem exciperet convivio, *λέγεται· πολλαχόθεν ἀργυρᾶς καὶ χρυσᾶς προβάλλειν ἄφνω σωλῆνας, ὥσπερ ὕδωρ τὸ μύρον ἐκχέοντας καὶ κατακλύζοντας*, id eſt, *Argenteos aureoſque tubos multis locis repente emiſiſſe, unguentum inſtar aquæ effundentes omniaque rigantes.* Regia exemplaria partim ſcribunt, *alteri pluris aliquanto roſaria*; partim iſta verba non agnoſcunt.

VARIOR.

Diſpoſita.] Redundat. GOESIUS.

Diverſoriæ tabernæ.] Codex Salmaſ. *deverſoriæ.*

Inſtitorio.] Lege *inſtitoria*, id eſt, inſtitorias tabernas. GUJET.

Quorum uni mitellita quadragies HS. *conſtitit, alteri pluris aliquanto abſortio roſaria.*] Locus inſigniter corruptus, nec intellectus, ſic ex optimis libris legendus eſt: *Indicebat & familiaribus cœnas, quorum uni mitellita quadragies ſeſtertio conſtitit, alteri pluris aliquanto roſaria.* Coronarum apud veteres in conviviis multus uſus; & e roſis ſutilium præcipue, poſtea luxuria invenit e nardi folio, & veſte Serica verſicolori, quas unguentis adſpergebant pretioſiſſimis. Quæ e veſte Serica fiebant, *mitellas* vocarunt, quaſi parvas mitras. Plinius lib. XXI. cap. III. cujus locum e veteribus libris & ingenio ſic emendo: *Summaque auctoritas pactili coronæ uti Saliorum ſacris invenimus ſolennes cœnas. Tranſiere deinde ad roſaria: eoque luxuria proceſſit, ut non eſſet gratia, niſi e mero folio ſutili mox petitis ab India, aut ultra Indos. Lautiſſimum quippe habetur, e nardi folio eas dari, aut veſte Serica verſicolori unguentis madidas.* Hæc Suetonium explicant & illuſtrant, ut nihil melius. Dari coronas e nardi folio, & veſte Serica dixit Plinius. dabantur nimirum in conviviis, & ſic intelligendum. *mitellita* igitur vel *mitellicam* vocat Suetonius dationem mitellarum ſive ejuſmodi coronarum Sericarum, quæ in conviviis nepotum ſolebat uſurpari. & hæc mitellica erogatio uni conſtitit quadraginta millibus ſeſtertium nummum, aliquanto pluris & *roſaria*, coronarum nempe largitio e mero roſæ folio ſutilium. non aliter eum locum accipere licet. Sic *roſaria* Plinius, & *Sericas corollas* conjungit, & in conviviis lautioribus dari ſolitas oſtendit. & quid aliud Sericea corolla, quam mitella? ſic utramque conjunxit Callimachus hoc Epigrammate: *μιτραισίτε καὶ ῥόδων ἀώτοις.* Gloſſæ: *roſaria, ῥοδισμός.* roſarum ſcilicet adſperſio, quæ in conviviis uſurpabatur. SALMASIUS. Sane in ejus codice, & in duobus Palatinis, nec non editione Roberti deeſt *abſortio.*

Mitellita.] Mitellita cœna, id eſt, mitellis Sericis inſtructa, id eſt, corollis Sericis, a mitra mitella, unde mitellitus, ut a galerus galeritus, a ratis ratitus, & ſimilia. GUJET.

Aliquanto abſortio.] Τὸ *abſortio* delendum videtur. IDEM.

TORRENT.

Ab Syrtio roſaria.] Libri duo *Abſirtio roſaria*, ut & edit. Gallica. Legendum fortaſſe *Abſyrtio*, ut Abſyrtidum inſulis, quæ a fratre Medeæ Abſyrto vocatæ ſunt, petitas roſas ſignificet. Sunt qui legant *abſorptio roſaria.* Ego vero, ſi divinationi locus relinquitur, *aſperſio roſaria* legendum cenſeam. ſic enim *ſparſiones odorarias* dixit Seneca, & notæ omnibus theatri ſparſiones, de quibus ad Horat. lib. II. Epiſt. I.

28. *Ingenuorum pædagogia.*] Sic MSS. omnes quos equidem viderim. Egnatius *proagogia* ſubſtituit. Sunt autem *pædagogia* (ut Turnebus vult) puerorum quos in deliciis habebant, cœtus. Plin. lib. VII. Epiſt. ad Suram, *pædagogium* vocare videtur locum in ædibus, ubi pueri verſabantur, *Puer*, inquiens, *in pædagogio miſtus pluribus dormiebat.* Ulpian. vero *pædagogia* pro ipſis pueris dixit, ut *ſervitia* pro ſervis: *Si inſtructum fundum legaſſet, pædagogia, quæ ibi habebat, ut cum eo veniſſet præſto eſſent, in triclinio legato continentur.* Plin. quoque Natural. Hiſt. lib. XXXIII. cap. XII. *Jam vero & pædagogia ad tranſitum virilitatis cuſtodiantur argento.* Iterum libri ejuſdem cap. III. *Honeſtius viri pædagogiis id damus, balineaſque dives puerorum forma convertit.* Sed & Seneca lib. de Vita Beata cap. XVII. *Quare pædagogium pretioſa veſte ſuccingitur?* & rurſum de Tranq. Vitæ cap. I. *Præſtringit animum apparatus alicujus pædagogii.* ſic enim ea Senecæ loca corrigenda ſunt, cum in vulgatis exemplaribus illic *pædagogus*, hic *pædagii* legatur. Sed & huc referendi Martialis verſus lib. X. Ad ludimagiſtrum:

Sic te frequentes audiant capillati,
Et delicatæ diligat chorus menſæ.

Divitum enim *pædagogia* intelligit.

CASAUBON.

28. *Super ingenuorum pædagogia.*] Juvenalis libro quarto:

Nec prætextatum rapuit Nero loripedem, nec
Strumoſum, atque utero pariter gibboque tumentem.

VARIOR.

Roſaria.] Subintellige cœna, id eſt, cœna corollis ex roſarum foliis ſutilibus ornata. GUJET.

28. *Super ingenuorum pædagogia.*] Exiſtimo, etiam Tacito his verbis pædagogia deſcribi: *decoraque ſervitia, & pari ætate habebat:* id eſt, cœtum elegantium puerorum, quos compoſita veſte, facie, capillis, in publico habebant, & plerumque una ætate. Seneca Ep. XCVI. *Tranſeo agmina exſoletorum, per nationes coloreſque deſcripta, ut eadem omnibus levitas ſit, eadem primæ menſura lanuginis, eadem ſpecies capillorum.* Julianus in Antiocho:

Ὡς

briæ vim intulit. Acten libertam paullum afuit quin juſto matrimonio ſibi conjungeret: ſubmiſſis conſularibus viris, qui regio genere ortam pejerarent. Puerum Sporum, exſectis teſtibus, etiam in muliebrem naturam transfigurare conatus eſt: cum dote & flameo perſolenni nuptiarum celeberrimo officio, deductum ad ſe pro uxore habuit. Exſtatque cujuſdam non inſcitus jocus, *Bene agi potuiſſe cum rebus humanis, ſi Domitius pater talem habuiſſet uxorem.* Hunc Sporum Auguſtarum ornamentis excultum, lecticaque vectum, & circa conventus mercatuſque Græciæ ac mox Romæ circa Sigillaria, comitatus eſt, identidem exoſculans. Nam matris concubitum appetiſſe, & ab obtrectatoribus ejus, ne ferox & impotens mulier & hoc genere gratiæ prævaleret, deterritum nemo dubitavit: utique poſtquam meretricem, quam fama erat Agrippinæ ſimillimam, inter concubinas recepit. Olim etiam quoties lectica cum matre veheretur, libidinatum inceſte, ac maculis veſtis proditum affirmant. Suam quidem pudicitiam 29
uſque

Οὐ κρεῖττον ἦν ὀδωδέναι μύρων τὴν ἀγορὰν βαδίζοντός σου, καὶ παῖδας ἡγεῖσθαι καλοὺς, εἰς οὓς ἀποβλέπουσιν οἱ πολῖται. Tales & hic Suetonius intelligit. Pædagogia enim non culpat, ſed quod ex ingenuis. Quamvis pædagogia dicti, quod eſſent ſub pædagogo. Martialis:

Et pædagogo non jubente laſcivi
Parere gaudent villico capillati.

Hi pueri plerumque ad illicita dominis. LIPSIUS ad Tacit. XV. ann. 69. A pædagogiis veterum, apud noſtrates Principes nobiles pueros ſimiles in uſus ſervientes, *Paggios* vocatos puto, corrupta voce, quaſi Pædagogianos diceres, qui & Gallis *Pages* dicuntur. MARCELLUS DONATUS.

TORRENT.

Acten.] Libri MSS. *Atten*, & *Aten* vocant. Talis Horatii Phyllis Carm. II. Od. IV.

Cum dote & flammeo.] De Sporo Neronis uxore eadem hic Sueton. quæ de Nerone ipſo Pythagoræ nubente Tacit. lib. XV. ex edit. Juſti Lipſii, *Inditum Imperatori flammeum, miſſi auſpices duo, & genialis torus, & faces nuptiales, cuncta denique ſpectata quæ etiam in femina nox operit.* At vero hunc Taciti locum furto manifeſto ſibi arripiens Sulpicius Severus, *Inditum* (inquit) *Imperatori flammeum, dos, & genialis torus, & faces nuptiales, cuncta denique quæ vel in feminis non ſine verecundia conſpiciuntur, ſpectata.* Quæ verba ſi cum Taciti verbis conferamus, non minus Tacitum debere Sulpicio, quam Sulpicium Tacito fatebimur. cur enim illic auſpices duo? *aderit* (inquit Juvenal.) *cum ſignatoribus auſpex.* Legendum itaque, *miſſi auſpices, dos, & genialis torus,* Sulpicius (quod Chriſtianum decebat) auſpices omiſit, cetera retulit. Vide Claud. cap. XXVI. & XXIX. Quo vero ſenſus ſit apertior, legendum, *cumque dote*, aut delendum *eſt*.

Circa Sigillaria.] Claud. cap. V. & XVI.

Matris concubitum.] Vide Tacitum initio lib. XIV. & Dionis compendium.

Et hoc genere.] Liber opt. *etiam hoc g.*

CASAUBON.

Puerum Sporum.] Quem mutato nomine Sabinam dixit, ob ſimilitudinem formæ: Dio, Zonaras, Suidas. vel Poppæam, altero Sabinæ uxoris defunctæ nomine. ita Plutarchus in Galba. apud quem male ſcriptum Ποππαῖον προσηγόρευσε. nam Ποππαίαν debuit. Præter hiſtoricos multa de hoc inaudito monſtri iſtius facto Dio Chryſoſtomus in ea de Pulchritudine.

Cum dote & flameo.] Martialis lib. XII. epigrammate de Calliſtrato & Afro.

VARIOR.

Puerum Sporum exſectis teſtibus etiam in muliebrem naturam transfigurare conatus, cum dote.] Revocavi ſcripturam, quæ erat in tribus Pall. Meliorem certe vulgata. GRUTERUS. Iis adſtipulatur Roberti editio.

Cum dote & flameo.] Vir ducit, mulier nubit, quia pallio obnubit caput ſuum genaſque. Velum autem id quo nuptæ operiebantur, flameum vocabatur: quo boni ominis gratia eas velari ſolitas Sex. Pomp. tradit, idcirco quod eo aſſidue Flaminica uteretur, cui divortium facere non licebat. Ambroſius in l. de viduis: *Suaſimus, fateor, ut veſtem mutares, non ut flameum ſumeres: ut a ſepulchro recederes, non ut thalamum præparares.* Proinde Catullus initio carminis de nuptiis Juliæ & Manlii, Hymenæum ad flameum capiendum excitat. Hoc vero velamen luteum erat, ut Plinii verba declarant lib. XXI. cap. VIII. Ex quo Lucanus lib. II.

Non timidum nuptæ leviter tectura pudorem
Lutea demiſſos velarunt flamea vultus.

BRISSONIUS.

Libidinatum inceſte.] Inveteravit opinio multis ſæculis, initam matrem a Nerone: quod nullus antiquorum aſſerit, & ſtetiſſe hac fini deſiderium volunt, ut uterque voluerit, neuter auſus ſit. Suetonius hoc tantum dicit, ita exarſiſſe nefandam hominis

uſque adeo proſtituit, ut contaminatis pæne omnibus membris, noviſſime quaſi genus luſus excogitaret: quo feræ pelle contectus emitteretur e cavea, virorumque ac fœminarum ad ſtipitem deligatorum inguina invaderet: & cum affatim deſæviſſet, conficeretur a Doryphoro liberto: cui etiam, ſicut ipſi Sporus, ita ipſe denupſit; voces quoque & ejulatus vim patientium virginum imitatus. Ex nonnullis comperi, perſuaſiſſimum habuiſſe eum, neminem hominum pudicum, aut ulla corporis parte purum eſſe: verum pleroſque diſſimulare vitium, & calliditate obtegere: ideoque profeſſis apud ſe obſcœnitatem, cetera quoque conceſſiſſe delicta. Divitiarum & pecuniæ fructum non alium putabat quam profuſionem: ſordidos ac deparcos eſſe, quibus ratio impenſarum conſtaret: prælautos vereque magnificos, qui abuterentur ac perderent. Laudabat mirabaturque avunculum Cajum, nullo magis nomine quam quod ingentes a Tiberio relictas opes in

nis libidinem, ut in lectica vectus cum matre imaginaretur ſibi concubitum, & traderet inceſtis manibus ſceleratas libidines. Jos. MERCERUS. Not. ad Epiſt. I. Ariſtæneti.

TORRENT.

29. *Proſtituit.*] Liber opt. *proſtravit.*

Inguina invaderet.] Hoc eſt, vultu contrectaret. ſic enim, hac de re loquens, Sex. Aurelius.

Conficeretur a Doryphoro.] *Conficere* verbum arenæ proprium & accommodatum. Unde *confectores ferarum.* Sunt qui obſcœni aliquid ſubeſſe velint. Quod autem Doryphoro Neronem denupſiſſe ait, cum alii omnes Pythagoram ejus maritum faciant, (ut paullo ante diximus) me adducit, ut credam binominem fuiſſe hoc ſcelus hominis, uti de Calliſto monuimus Claud. cap. XXVIII. Binominem dixi, ſeu Doryphori agnomen ei quacunque occaſione inhæſiſſe malumus. Ita omnino Suetonio minus noto & principali, ceteris qui Pythagoram vocant notiori nomine ſit appellatus. neque enim eſt, qui vel ſuſpicer leviſſime errare potuiſſe in tam publica Neroniani matrimonii infamia ſcriptorem optima fide, & in primis diligentem. Valdeque, mihi quidem, veriſimile eſt, alium in potiſſimis Neronis libertis Doryphorum fuiſſe, qui, auctore Tacito, quaſi adverſatus Poppææ nuptiis, P. Mario, L. Aſinio coss. creditus veneno a Principe ſublatus, toto plus minus biennio ante hunc denuptum, qui, eodem teſte, coss. habuit C. Lecanium, M. Licinium.

Profeſſis obſcœnitatem.] Tale aliquid de Domitiano Sueton. cap. XI.

30. *A Tiberio relictas opes.*] Calig. cap. XXXVII.

CASAUBON.

29. *Quatenus feræ.*] Viterbienſis, *quo feræ*, ut in editis a Rob. Steph.

Invaderet.] Clarius Dio. atque utinam neuter tam aperte: mallem enim conſuluiſſent ambo pudori, quam περιεργίᾳ legentium.

Et cum affatim deſæviſſet, conficeretur a Doryphoro liberto.] *Confici* accipe hic, ut περαίνειν & περαίνεσθαι apud Græcos. Laertius libro ſecundo, in Menedemo: Μειρακίȣ καταθρασυνομένȣ, εἶπε μὲν ȣ̓δενί· λαϐὼν δὲ κάρφος, διέγραφεν εἰς τȣ̃δαφος περαινομένȣ σχῆμα. ἕως ὁρώντων πάντων, συνὲν τὸ μειράκιον τὴν ὕϐριν, ἀπηλλάχθη. idem in Arceſilao & ſæpe alii. Non igitur audiamus doctiſſimum virum, qui in novis Semeſtribus, vel *conficerentur* ſcribi voluit, vel *conciderentur.* quarum emendationum altera manifeſto falſa: altera non neceſſaria & vana. nam verum eſt, *conficere* eſſe περαίνειν. Capitolinus, *potes tricies mulierem perficere.*

VARIOR.

29. *Conficerentur.*] Subintellig. illi deligati ad palum beſtiarii. ſic enim ſcribendum, non *conficeretur*, ut vulgo ſcriptum eſt. GUJET.

Cum admodum deſæviſſet, conficeretur a Doryphoro liberto.] Non videntur viri magni intellexiſſe vim verbi *conficere*, quæ honeſto uſu, ut *beſtiarii* conficere feras, & hinc *confectores* dicebantur, turpiſſimam rem obtegit. Pet. Faber *conficerentur* vel *conciderentur* conjecit lib. III. Semeſt. cap. 23. Quod rejecit Caſaubonus, & *conficere* voluit eſſe περαίνειν, addiditque ex Capitolino: *potes tricies mulierem perficere.* Magno errore: quaſi propria oratione ſic *conficere* aut *perficere mulierem* dicatur: quod ſolœcum eſt. Apud Capitolinum in Maximinis leges: *potes tricies cum muliere perficere.* Suetonio autem pronuntiatur nihil aliud quam actum cum Nerone, ut ſolebat agi cum beſtia, quam ille ſimulabat, nempe cæſum a Doryphoro, tanquam confectore: telo forſan, quo voluit ὁ πάνυ, ſed hoc intelligendum relinquit Suetonius. Poſſumus accipere utcunque mimico venabulo ita parato, ut ferrum ejus retuſum, cum videretur intrare corpus ictæ beſtiæ, retrocederet in cavatum haſtile, quo ſimularetur confectus: deinde in tacentem conquieſcentemque inſiluiſſe infamem miniſtrum & peregiſſe cætera. GRONOVIUS. Pro *invaderet* Salmaſianus liber *evaderet.*

in brevi ſpatio prodegiſſet. Quare nec largiendi nec abſumendi modum tenuit. In Tiridatem, quod vix credibile videatur, octingena numum milia diurna erogavit, abeuntique ſuper HS. milies contulit. Menecratem citharœdum & Spicillum mirmillonem triumphalium virorum patrimoniis ædibuſque donavit. Cercopithecum Panerotem fœneratorem, & urbanis ruſticiſque prædiis locupletatum, prope regio extulit funere. Nullam veſtem bis induit. Quadringenis in punctum HS. aleam luſit. Piſcatus eſt rete aurato, purpura coccoque funibus nexis. Nunquam carrucis minus mile feciſſe iter traditur, ſoleis mularum argenteis, canuſinatis mulionibus, armillata & phalerata

TORRENT.

Octingenta.] Libri veteres *octingena.*

Cercop. Paner. fen.] Lector paullo attentior facile mendum ſentiet. quis enim fenerator tam Neroni carus? Scribo igitur, ſed ſuſpenſa manu, *Cercopithecum, Panerotis feneratoris, urbanis,* &c. Ut Cercopithecus gladiatoris, aut mimi cujuſpiam, Paneros liberti forte, ſenatoris, a Nerone confiſcati, nomen fuerit. *Eros* ſane, & *Paneros* pro ſervis in vetuſtis monumentis legiſſe memini.

Quadrigenis in punctum.] MSS. omnes *quadringenis*, ut Vitell. cap. XIII. Atqui Auguſtus in ſingulos talos ſingulos denarios contulit, cap. LXXI. Ibi vide.

Rete aurato.] Apertius multo Oroſius: *Luxuria tam effrenata fuit, ut piſcaretur retibus aureis, quæ purpureis funibus extrahebantur. Reti* pro *rete* habent veteres aliquot noſtri.

Carrucis minus mille.] Lamprid. Elagabalo: *Imperator etiam ſexcenta dicitur vehicula duxiſſe, aſſerens decem millibus camelorum Perſarum regem iter facere, & Neronem quingentis carrucis iter iniſſe. Carrucam* autem vehiculum ad varios uſus fuiſſe conſtat. nam & apud Scævolam *carrucam dormitorium* legimus l. XIII. De auro & arg. legatis, & Ulpian. l. XIII. Locati, *carrucarium* pro ciſiario exponit. Sed & *mulas carrucarias* apud JCtos invenias. Plin. quoque lib. XXXIII. cap. XI. conqueritur, quod *carrucæ* tunc ex argento cælarentur, cum aurata habuerit vehicula Elagabalus, atque geminata, contemptis argenteis, eboratis, & æratis. In Pand. autem Florentinis *carrucha*, & *carrucharius* ſcribitur.

Soleis mularum argenteis.] Ut Poppæa aureis. Plin. lib. XXXIII. cap. XI.

Canuſinatis mulionibus.] Jam diximus de mulis carrucariis. Ergo & muliones carrucarios intelligo, qui carrucas una cum jumentis regerent. *Canuſinatos* vero Canuſina indutos veſte vocat, qua, & ob lanæ Canuſinæ nobilitatem, & ob colorem, quem rutilum fuiſſe volunt, conſpicua, lecticarios ac muliones ſuos veſtiebant. Martial.

Ut Canuſinatus noſtro Syrus aſſere ſudet.

Idem lib. XIV. Epigr. CXXVII.

CASAUBON.

30. *Octingena nummum millia diurna erogavit.*] Ita codices Groſlotianus & Viterbienſis: in hoc vero amplius hæc verba annotata ante τὸ *octing.* in margine quidem, ſed quaſi inſeri contextui debuerint, reperi, *in una elotione.* forte pro, *una donatione*, ut libri II. cap. XXX.

Quadringenis in punctum HS. *aleam luſit.*] Expoſuimus ad librum II. cap. LXXI.

Nunquam carrucis minus mille feciſſe iter traditur.] Perſarum fuit hæc luxuria, & regum Syriæ, de quibus multa Athenæus commemorat variis locis. Plutarchus de Surena, qui Craſſum debellavit, Ἐξήλαυνεν, ait, καθ᾽ ἑαυτὸν ἀεὶ χιλίαις σκευοφορούμενος καμήλοις, καὶ διακοσίας ἀπήνας ἐπήγετο παλλακίδων.

Soleis mularum argenteis.] Græci ſimiliter ὑποδήματα ἵππων vocant, ut Arrianus in Diſſertationibus lib. III. cap. ultimo. ſic apud Ariſtotelem καμήλους εἰς πόλεμον ἰούσας ὑποδέειν καρβατίναις. Hiſtor. Animalium lib. II. ut *calceare mulas* noſter in Veſpaſiano cap. XXXIII. Xiphilinus σπαρτία in ſimili ſententia nominat. Ἡ Σαβίνη, inquit, αὕτη οὕτως ὑπερετρύφησεν, ὥστε τὰς ἡμιόνους τὰς ἀγούσας αὐτὴν ἐπίχρυσα σπαρτία ὑποδεῖσθαι. Proprie σπαρτία dicuntur funiculi, quibus calcei conſuuntur aut colligantur: unde apud Athenæum ὑποδήματα ἐνημμένα σπαρτίοις σαπροῖς. ſed & integra calciamina Hiſpanis confiebant e ſparto, in paſtorum ὀρειβατῶν uſum: quorum meminit Plinius capite ſecundo libri XIX. ſimilia iſtis erant & mularum σπαρτία. Apud Columellam libro ſexto, cap. XII. ſolea ſpartea ægri bovis pes induitur. Leo Africanus libro III. in Feſſæ urbis deſcriptione: *Quoſdam, ait, reperias, qui ſportas certoſque funiculos parant, quos Africani equorum pedibus addere ſolent.*

VARIOR.

Quare nec largiendi nec abſumendi modum tenuit.] Tacitus Hiſt. I. *Bis & vicies millies ſeſtertium donationibus Nero effuderat: appellari ſingulos juſſit,* (de Galba loquitur) *decuma parte liberalitatis apud quemque eorum relicta. At illis vix decumæ ſuper portiones erant.* Si Nero quatuordecim annis quibus in imperio fuit, bis & vicies millies ſeſtertium donatio-

31 lerata cum Mazacum turba, atque curſorum. Non in alia re damnoſior quam in ædificando. Domum a Palatio Eſquilias uſque fecit. Quam primo *Tranſitoriam*, mox, incendio abſumtam, reſtitutamque, *Auream* nominavit. De cujus ſpatio atque cultu ſuffecerit hoc retuliſſe. Veſtibulum ejus fuit, in quo coloſſus centum viginti pedum ſtaret ipſius effigie: tanta laxitas, ut porticus triplices milliarias haberet: item ſtagnum

donationibus effudit, id eſt, quingenties & quinquagies centena millia coronatorum: & auream domum exſtruxit, cum interim in omni parte vitæ prodigos omnes ſuperaſſet: quid exiſtimabimus de opulentia imperii? de eo Plinius lib. XII. ita inquit: *Periti rerum aſtruxerunt, non forte thuris tantum annuo fœtu Arabiam, quantum Nero Princeps noviſſimo pompa ſua die concremavit.* ubi *Poppææ* legendum puto. BUDÆUS.

Cercopithecum Panerotem fœneratorem.] Non placet *citharœdo* & *mirmilloni* addi *fœneratorem.* Malim *venatorem.* Circenſem puta. GRONOVIUS.

Piſcatus eſt rete aurato.] Codex antiquus, *veſte.* an *reſte?* SALMAS.

Canuſinatis.] Canuſinatum dicimus indutum veſte ex lana Canuſina confecta, cujus color eſt, ut Græci dicunt, ἐρυθρὸς, ut Latini interpretantur, rutilus. Canuſina lana, teſte Plinio, laudatiſſima fuit circa Canuſium Apuliæ. Martialis:

Ut Canuſinatus noſtro Syrus aſſere ſudet.

Flavius Vopiſcus memorat birros Canuſinos ſcenicis donatos fuiſſe, ſignificans veſtimenta ex lana Canuſina. BEROALDUS.

TORRENT.

Cum Mazacum turba.] Sic Turneb. Adverſar. XXIV. cap. VI. & ante Turnebum Sabellicus, & Egnatius. Noſtri quoque codices *phalerata comazacum turba* legunt: unus vero aperte *cum Mazacum.* Primus Beroald. nobis Amaxicorum turbam invexit. Neque vero Turnebo aſſentior, qui Mazacas Africæ, non etiam Cappadociæ attribuit. Mazaca enim ante dicta fuit, quæ poſtea Cæſarea, urbs Cappadociæ nobiliſſima, ſub monte Argæo. Plin. lib. VI. cap. III. unde notiſſimi equites, olim in Principum comitatu. Claudian. lib. I. in Rufinum, *volucrumque parens Argæus equorum.* Martial. lib. X. Epig. LXXVI.

Nec de Cappadocis eques cataſtis.

Numidas tamen in divitum comitatu recenſet Seneca Ep. LXXXVIII. & Claudian. lib. I. in Conſulatum Stiliconis, cum ait, *pavidus projecit miſſile Mazax*, de Africæ populis loquitur. Qui locus in vulgatis libris corruptus eſt, uti & Lucan. lib. IX. *æquaturuſque ſagittas Medorum tremulum cum torſit miſſile Mazax.*

31. *Coloſſus* CXX. *pedum.*] Duos coloſſos memorat Plinius, alterum pictum in linteo, quæ pictura poſtea in Lamianis hortis fulmine accenſa perierit, alterum, quem Zenodorus fecit, CX. pedum, Veſpaſianus vero Solis venerationi dicavit. Cujus etiam Euſeb. Chronicis, & Xiphilin. meminerunt, ſed hic centum tantum, ille centum & ſeptem pedes ei tribuit. Commodus tandem (ſi Lampridio credimus) ſuum illi caput impoſuit. Adde his Martialem lib. I. Epigr. II. Plinii loca invenies lib. XXXV. cap. VII. & XXXIV. cap. VII.

Porticus triplices milliarias.] Sic Vopiſc. Aureliano *porticum milliarenſem* in hortis Salluſtianis commemorat. Beroaldus & Egnatius mille paſſuum has porticus fuiſſe volunt. Verum ne tota quidem Neronis domus a Palatio Eſquilias uſque eam longitudinem habuit. Quare mille pedum fuiſſe dicamus. ſic enim metiebantur veteres. Horat.

- - - *nulla decempedis*
Metata privatis opacam
Porticus excipiebat Arcton.

lib. II. Od. XV Si quis tamen mille paſſuum intelligi porticus iſtas malit, non equidem repugnabo. Qualem a Cæſare cogitatam fuiſſe in campo Martio indicat Cic. lib. IV. ad Attic. epiſt. XVI. Qui tamen locus obſcurus eſt.

CASAUBON.

Cum Mazacum turba & curſorum.] Ita editum in antiquiſſima editione Lugdunenſi aliiſque melioris notæ, non *hamaxicorum*, ut in cæteris. Confirmant lectionem quam ſecuti ſumus, omnes vett. MSS. & prima quoque editio: etſi in omnibus perperam ſyllaba *cum* ſequenti dictioni inhæret. Quare merito Turnebus eam lectionem eſt amplexus & interpretatus in Adverſariis. Memmianus hoc loco varie corruptus.

31. *Auream nominavit.*] Præter hiſtoricos & Latinos ſcriptores, meminit hujus Dio Chryſoſtomus, oratione XLVII.

VARIOR.

Armillata & phalerata cum Mazacum turba.] In V. C. eſt, *armillata falerataci Mazacum turba.* lego: *armillata falerataque Mazucum turba.* *Mazucum*, τῶν Μαζύων. Populi in Africa *Mazuces* aut *Maxyces.* Inde & *Maxices.* ita nominantur Ptolemæo, qui vulgarem & Latinum typum in nominibus urbium & gentium concipiendis fere ſemper ſequitur. Stephanus: Μάζυες, οἱ Λίβυες Νομάδες. Nemeſianus:

Quemque coloratus Mazux deſerta per arva
Pavit, & aſſiduos docuit tolerare labores.

SALMASIUS.

31 *Tranſitoriam.*] Ab ipſo videlicet tranſitu, qui per

ſtagnum maris inſtar, circumſeptum ædificiis ad urbium ſpeciem. Rura inſuper arvis atque vinetis & paſcuis, ſilviſque, varia cum multitudine omnis generis pecudum ac ferarum. In ceteris partibus cuncta auro lita, diſtincta gemmis unionumque conchis erant. Cœnationes laqueatæ tabulis eburneis verſatilibus, ut flores; fiſtulatis, ut unguenta deſuper ſpargerentur. Præcipua cœnationum rotunda, quæ perpetuo diebus ac noctibus vice mundi circumageretur: balineæ marinis & Albulis fluentes aquis. Ejuſmodi domum cum abſolutam dedicaret, hactenus comprobavit, ut ſe diceret *quaſi hominem tandem habitare cœpiſſe.* Præterea inchoabat piſcinam a Miſeno ad Avernum lacum, contectam, porticibus concluſam, quo quidquid totis Bajis calidarum eſſet, converteretur. Foſſam ab Averno Oſtiam uſque, ut navibus nec tamen mari iretur, lon-

per eam domum facilis erat ab uno colle ad alterum collem. Forum quoque Nervæ, tranſitorium dictum eſt. BEROALD.

Porticus triplices.] Porticus duplices, tripliceſque appellaverunt, quæ ſunt laxiores, & in quibus ordines columnarum duplicati, triplicatique conficiuntur. Græco vocabulo tetraſticæ porticus, & pentaſticæ dicuntur a quatuor & quinque ordinibus columnarum. Gallienus Romanorum Imperator, auctore Julio Capitolino, talem porticum fieri juſſerat. IDEM.

TORRENT.

Verſatilib. ut flores ex fiſtulis.] Piget referre, quanta hoc loco lectionum ſit varietas. Quibus inter ſe collatis, ſic legendum cenſeo, *verſatilibus, ut flores, & ex fiſtulis unguenta deſuper ſpargerentur,* flores ſcilicet per tabulas illas verſatiles, unguenta ex fiſtulis. *Fiſtulæ* enim (ſi Iſidoro credimus lib. XIX. cap. X.) dictæ ἀπὸ τοῦ στέλλειν, id eſt, mittere, quod aquam emitterent. Quanquam Iſidori locus mendoſus eſt. Non repugno autem, ſi quis *fiſtulatis* hic malit. De ratione vero hujuſmodi ſparſionum Seneca lib. II. Quæſt. Natur. & Epiſt. XCI. ubi, inter alia, verſatilia cœnationum laquearia inventa ait, quo ſubinde alia facies atque alia ſuccederet, & toties tecta, quoties fercula mutarentur. Sed & Lamprid. Elagabalo, *Oppreſſit* (inquit) *in tricliniis verſatilibus paraſitos ſuos violis & floribus, ſic ut animam aliqui efflaverint, cum eripi ad ſummum non poſſent.* Adde Spartianum Hadriano: *In honorem Trajani balſama, & crocum per gradus theatri fluere juſſit.*

Circumageretur.] Libri tres *circumagerentur.* Sed *præcipua cœnationum* pro præcipua cœnatione dixit Sueton.

Marinis & Alb.] Aug. cap. LXXXII.

Porticib. concluſam.] Melius iidem MSS. *porticibuſque concl.*

Foſſam ab Averno.] Vide cap. XVI.

CASAUBON.

Stagnum maris inſtar, circumſeptum ædificiis ad urbium ſpeciem. Rura inſuper.] Martialis libro primo:

Hic ubi conſpicui venerabilis amphitheatri
Erigitur moles, ſtagna Neronis erant.
Hinc ubi miramur velocia munera thermas,
Abſtulerat miſeris tecta ſuperbus ager.

Fiſtulis, unguenta deſuper ſpargerentur.] Ita ſcriptum in Viterbienſi: nec diſplicet. verum in Memmii, Pithœi & Groſlotii *fiſtulatis.* quam lectionem leviter caſtigatam maxime probo. Legamus igitur, *cœnationes laqueatæ tabulis eburneis verſatilibus, ut flores: fiſtulatæ, ut ung. deſ. ſp.* De iſtis cœnationibus verſatilibus notamus ad Athenæi librum quartum initio.

Ejuſmodi domus cum abſolutam dedicaret.] Dedicare non ſolum eſt ἀνατιθέναι τῷ θεῷ, ſed etiam auſpicari uſum alicujus rei: quod fiebat cum ſolenni feſtivitate. ſic *dedicatio patinæ,* in Vitellio cap. XIII. & apud alios Latinos ſcriptores. Idem mos olim apud Hebræos, ut apparet Deuteron. cap. XX. & Græcos. Plinius ad Trajanum: *Qui virilem togam ſumunt, vel nuptias faciunt, vel ineunt magiſtratum, vel opus publicum dedicant, ſolent totam bulen, atque etiam e plebe non exiguum numerum vocare binoſque denarios vel ſingulos dare.*

Converteretur.] Vulg. *committeretur.* eleganter: ſed in ea lectione quam repoſuimus, conſentiunt omnes manuſcripti noſtri, etiam Cujacii.

Foſſam ab Averno Oſtiam uſque.] De hac ſentit Statius in carmine de via Domitiana:

Nec frangit vada, montibuſque cæſis
Induit Nero ſordidas paludes.

VARIOR.

Cœnationes laqueatæ.] Laquearia, vel laqueata tecta erant, quæ nunc *lambriſſata* vocamus: ex tabulis enim ligneis fiebant, in varias figuras, & mæandros ſectis, & cælatis. quæ tabulæ plerumque etiam verſatiles erant, ita ut & flores & unguenta deſuper ſpargerentur. Hic vero locus ex veteribus libris ita legendus eſt: *Cœnationes laqueatæ tabulis eburneis verſatilibus, ut flores: fiſtulatis, ut unguenta deſuper ſpargerentur.* non enim tantum verſatiles fuere illæ tabulæ, quibus ea cœnatio Neronis laqueata eſt, ſed etiam fiſtulatæ: & verſatiles quidam ad hoc, ut

longitudinis per centum ſexaginta milia: latitudinis, qua contrariæ quinqueremes commearent. Quorum operum perficiendorum gratia, quod ubique eſſet cuſtodiæ, in Italiam deportari, etiam ſcelere convictos, non niſi ad opus damnari, præceperat. Ad hunc impendiorum furorem ſuper fiduciam imperii, etiam ſpe quadam repentina immenſarum & reconditarum opum impulſus eſt: ex indicio equitis Roman. pro comperto pollicentis, theſauros antiquiſſimæ gazæ, quos Dido regina fugiens Tyro ſecum extuliſſet, eſſe in Africa vaſtiſſimis ſpecubus abditos, ac poſſe erui parvula molientium opera. Verum ut ſpes fefellit, deſtitutus, atque ita jam exhauſtus & egens, ut ſtipendia quoque militum, & commoda veteranorum protrahi ac differri neceſſe eſſet, calumniis rapiniſque intendit animum. Ante omnia inſtituit, ut e libertorum defunctorum bonis pro ſemiſſe dextans cogeretur ei, ſi qui ſine probabili cauſſa eo nomine eſſent, quo fuiſſent

ut flores deſuper ſpargerent. fiſtulatæ vero ad unguenta fundenda. SALMASIUS.

Ut flores, fiſtulis, ut unguenta.] Scribo cum Salmaſio: *fiſtulatis, ut unguenta.* GUJET.

Spargerentur.] Cod. Salmaſ. *aſpargerentur.*

TORRENT.

Quod ubique eſſet cuſtodiæ.] Liber unus *eſſent.* Ut legendum ſuſpicer, *quot ubique eſſent cuſtodiæ.* Niſi quis malit, *quod ubique eſſet cuſtodiarum.* nam *cuſtodias* vinctos ipſos appellant paſſim JCti, atque alii auctores, ipſe Sueton. Calig. cap. XXVII. & Domit. cap. XIV.

32. *Ex indicio eq. R.*] Ceſellium Baſſum vocat Tacit. initio lib. XVI.

Commoda veteranorum.] Aug. cap. XXIV.

Libertorum defunct. bonis.] Veteri jure cautum fuiſſe, tradit Juſtinian. lib. III. tit. De ſucceſſ. libert. ut, ſi libertus ſine liberis decederet, ſive teſtatus ſive inteſtatus, patronus dimidium bonorum ejus acciperet. Nero inſtituit, ut pro ſemiſſe, quem jure fiſci capiebat, de quo Veſpaſ. cap. XXIII. dodrans exigeretur, id eſt, dimidium præterea ejus quod patrono competebat, ſi qui libertus ſine probabili aliqua cauſa nomen ullius familiæ uſurpaſſet quam Princeps contingeret. videri enim volebat æque eorum libertorum patronus atque is eſſet, qui vero nomine, & manifeſtarius haberetur. Reddenda ergo patrono & ſui, & liberti nominis ratio, ſi ſemiſſem ex ejus bonis conſequi volebat.

Ei qui ſ. prob. cau. eo nom. eſſent.] Aperte luxa & exlex oratio eſt. Tres noſtri MSS. *eſſent* habent. In qua lectione id incommodi eſt, quod *ei* capiendum eſt pro ab eo, ſeu, ex ejus bonis, quo modo neſcio an quiſquam locuturus ſit. Sequor igitur Juſti Lipſii conjecturam ad Annalem Taciti ſecundum, cui mutatum *ſi* pro *ei*, plana & facili ſententia.

Pro ſemiſſe dodrans.] Duo libri *dextans.* Quod fateor equidem rapinis avaritiæ Neronis potius convenire, ſed non mihi veriſimile & Principem tam impudenti fraude ac calumnia uſum, ut veri nominis patrono ex ſemiſſe relinqueret modo ſextantem, ipſe invaderet trientem. *nemo* enim *repente fuit turpiſſimus*, ait ille. Et fruſtra quæſitum Principi velamentum, cui licebat, ſiquidem meris rapinis agere inſtituerat, ſolidum occupare. Sed honeſtius viſum, ſcilicet, æquo jure, & ex dimidio cum patrono decidere, ac quadrante ei cedere. Itaque nihil muto.

CASAUBON.

Quod ubique eſſet cuſtodiæ.] Servant hanc lectionem Viterb. Memmii, Pithœi & Liſlæi membranæ: *cuſtodiæ* ſunt vincti. *quod ubique eſſet cuſtodiæ* Græcum eſt, *πᾶν ὅπερ ἦν ἁπανταχȣ̃ δεδεμένον.* Tacitus quinto Hiſtor. *attamen fuſos Germanos, quod roboris fuerit.* Græci dicunt, *ὅ, τι περ ἦν ὄφελος.* In Cujacii tamen libro, *quot ubique eſſet cuſtodiæ.* Poſſis etiam legere, *quod ubique eſſet cuſtodiarum.* ut capite XLIII. *quicquid ubique exſulum.*

32. *Pro ſemiſſe dodrans cogeretur.*] Scrib. *dextans ei cogeretur*, ex Viterb. Pith. & Liſl. & Memmii.

Eo nomine eſſent, quo fuiſſent.] Scribe vocibus tranſpoſitis, *ſi qui ſine probabili cauſſa eo nomine fuiſſent, quo eſſent familiæ, quas ipſe contingeret.* ita quidam libri. perſpicue recte: nam *τὸ fuiſſent*, libertis competit, qui obierant ſuum diem: at familiæ manebant.

VARIOR.

32. *Ante omnia inſtituit, ut e libertorum defunctorum bonis pro ſemiſſe dodrans cogeretur ei.*] In libertos propinquorum jus nobis ſemiſſis, ſi moriuntur ſine liberis teſtati; aſſis, ſi inteſtati. §. *Multis.* Inſtit. de ſucceſſ. libert. quod eſt ex veteri jure, ut docet l. *Liberto.* 17. D. de Bonis libert. & aliæ. Inde explicandus iſte locus Suetonii. Qui haut dubie capiendus de libertis, qui ſine patrono. Si enim patronus fuit, cur diminutum jus ejus fraudari ſuo ſemiſſe? Et omnino de iis, qui liberti fuerant eorum, quos Tiberius, Cajus, Claudius, Nero ipſe, nobiles & illuſtribus e familiis occiderant. Bona eorum cogi voluit in fiſcum Nero, quaſi ſua, quippe qui liberti eorum, quos ipſe cognatione contingeret: id enim

fuiſſent ullæ familiæ quas ipſe contingeret: deinde ut ingratorum in Principem teſtamenta ad fiſcum pertinerent: ac ne impune eſſet ſtudioſis juris, qui ſcripſiſſent vel dictaſſent ea: tum ut lege majeſtatis facta dictaque omnia, quibus modo delator non deeſſet, tenerentur. Revocavit & præmia coronarum, quæ umquam ſibi in certaminibus civitates detuliſſent. Et cum interdixiſſet uſum amethyſtini ac Tyrii coloris, ſub-

enim ex nomine apparet. Et hoc eſt, quod ait *ſine probabili cauſſa*, qui nimirum patronum vivum non haberent, a quo id nomen: nam ſi habent, nullum jus fiſci aut Cæſaris. Semiſſem quidem habebat jure, ſed voluit etiam alterius ſemiſſis ſemiſſem, hoc eſt dodrantem, ſi èa lectio recta eſt. Nam credere in bona libertorum quorumlibet jus ſemiſſis fuiſſe fiſco, divinare eſt. præerepta enim iis eſſet omnis teſtamenti facultas, altero jam ſemiſſe debito patronis. Et in hoc loco Suetonii: *cogeretur ei*, id eſt, fiſco Principis, propria voce cogendi, quam obſervabis fere ſemper in hoc jure. Tacit. v. Annal. *Ablato ærario, ut in fiſcum cogerentur.* Et in D. Marci conſtit. Inſtit. de eo cui lib. cauſ. bon. add. JOSIAS MERCERUS.

TORRENT.

Illæ familiæ.] Mallem, ut in tribus MSS. *ullæ fam.*

Ingratorum in Principem.] Sunt qui duo hæc verba *in Principem* rejiciant, ut de libertis adhuc loquatur Sueton. ſed vix crediderim tam anguſtis finibus concluſas fuiſſe Neronis rapinas. Vide Calig. cap. XXXVIII.

Studioſis juris.] Libri duo *viris.* Ego totum expungi malim, ac legi, *ne impune eſſet eis qui*, &c. Cetera gloſſemation ſapiunt.

Revocavit & præmia coronarum.] Ante retulit, cap. XXII. quemadmodum civitates apud quas muſici agones edi ſolebant, jam inſtituerant citharœdorum coronas omnes ad eum mittere. Nero igitur, ſi qua civitas id facere omiſiſſet, ad præſtandum compulit. *Præmia* autem pro *pretia* dixit. Quæ revocata interpretor ab hac mente, quod coronæ quæ ab ullis civitatibus unquam Principi delatæ, neque repræſentatæ eſſent, ſeu (quod proclive eſt ſuſpicari) remiſſæ & condonatæ, ſeu, cum non repeterentur, creditæ iis qui obtuliſſent habitæ a Principe pro derelictis, longo intervallo juſſæ exigi. id enim eſt, opinor, Latine *revocare.*

Uſum amethyſtini & Tyrii coloris.] Plin. lib. IX. cap. XLI. & lib. XXI. cap. VIII. Martial. Apophor. CLIV. & CLVI. Juvenal. Sat. VII.

- - - purpura vendit
Cauſidicum, vendunt amethyſtina.

CASAUBON.

Studioſis juris, qui ſcripſiſſent vel dictaſſent ea.] Errant qui aliter hunc locum legunt: magis qui putant delenda verba illa, *ſtudioſis juris.* quis neſcit Romanos in faciendis omnibus paullo majoris rei contractibus, itemque in ſcribendis teſtamentis, ad juris peritos adiſſe? Mitto Ciceronis multos locos. Arrianus in Epicteto capite XIII. libri II. Ἀλλ᾽ οὐδὲ νομικόν τινα παρέλαβε πώποτε τὸν ἐροῦντα αὐτῷ καὶ ἐξηγησόμενον τὰ νόμιμα· ἀλλὰ διαθήκην μὲν οὐ γράφει, μὴ εἰδὼς πῶς δεῖ γράφειν, ἢ παραλαβὼν τὸν εἰδότα· οὐδ᾽ ἐγγύην ἄλλως σφραγίζεται, ἢ ἀσφάλειαν γράφει· ὀρέξει δὲ χρῆται δίχα νομικοῦ. B. Auguſtinus in Joannem: *Qui habent cauſſam & volunt ſupplicare, quærunt aliquem ſcholaſticum juriſperitum, a quo ſibi preces componantur.* Sero poſtea has partes ſibi vindicarunt tabelliones: a quibus propterea juris peritia exigitur, Novella LXVI. quin etiam νομικοὶ dicti tabelliones. Suidas in Ταβελλίων.

VARIOR.

Revocavit & præmia.] Scribendum ex V. C. *Revocavit & præmia civitatum, quæ nunquam ſibi in certaminibus coronas detuliſſent.* FULV. URSINUS.

Præmia coronarum, quæ nunquam ſibi in certaminibus civitates detuliſſent.] Sic ſcrib. e. vet. cod. Fulvii Urſini: *præmia civitatum, quæ. u. ſ. i. c. coronas detuliſſent.* GUJET.

Uſum amethyſtini.] Amethyſtinus color, ab amethyſto gemma, ſicut pæderotinus a pæderote gemma, quam alio nomine opallium dixere. Vopiſcus Aureliano: *Conceſſit, ut blatteas matronæ tunicas haberent: & cæteras veſtes, quum antea coloreas habuiſſent, & ut multum oxypæderotinas. Ut multum* id eſt, ſi plurimum illis permiſſum fuiſſet. Non magnum ſane diſcrimen fuiſſe videtur inter amethyſtinum & oxypæderotinum. quare non mirum eſt eum colorem, ut pretioſiorem & purpuræ propiorem rarius fuiſſe matronis uſurpatum. Nero, ut ex Suetonio diſcimus, non ſolum Tyrii, ſed etiam amethyſtini coloris uſum privatis interdixit. Ovidius tamen amethyſtinum inter pretii levioris colores enumerat, quem inter alios plures & viliores concedit mulieribus artis ſuæ. Videntur ergo matronæ, Aureliani temporibus, in ſolatium ademptæ purpuræ vel conchyliatæ veſtis, aut ut tum loquebantur, blatteæ, quæ erat magni pretii, amethyſtinas & oxypæderotinas, quæ proxime ad purpureas accederent, in uſu habuiſſe. SALMASIUS.

Ac Tyrii coloris.] *Tyrio laus ſumma in colore ſanguinis concreti*, Plinio teſte. Sanguinis color φοῖνιξ vel φοίνιος. Nam id proprie ſignificat. Apud poetam

ſubmiſiſſetque qui nundinarum die pauculas uncias venderet, præcluſit cunctos negotiatores. Quin etiam inter canendum animadverſam matronam e ſpectaculis, vetita purpura cultam, demonſtraſſe procuratoribus ſuis dicitur: detractamque illico, non veſte modo, ſed & bonis exuit. Nulli delegavit officium, ut non adjiceret: *ſcis, quid mihi opus ſit:* &, *hoc agamus, ne quis quidquam habeat.* Ultimo, templis compluribus dona detraxit, ſimulacraque ex auro vel argento fabricata conflavit: in his Penatium
33 deorum, quæ mox Galba reſtituit. Parricidia & cædes a Claudio exorſus eſt: cujus necis, etſi non auctor, at conſcius fuit: neque diſſimulanter, ut qui boletos, in quo cibi genere venenum is acceperat, quaſi deorum cibum, poſthac proverbio Græco collaudare ſit ſolitus. Certe omnibus rerum verborumque contumeliis mortuum inſectatus eſt, modo ſtultitiæ, modo ſævitiæ arguens. Nam & morari eum inter homines deſiiſſe, producta prima ſyllaba jocabatur: multaque decreta & conſtituta, ut inſipientis atque deliri, pro irritis habuit. Denique buſtum ejus conſepiri, niſi humili

tam *vellera Tyrios incocta rubores* leguntur. Et Homero *purpureus ſanguis* dicitur, eidemque terra rubet ſanguine:

------ *φοινίσσετο δ' αἵματι γαῖα.*

Heſychius φοινικοῦν, interpretatur αἱματῶδες. Unde Græci veteres eam Syriæ partem, in qua purpura optima tingebantur, φοινίκην videntur appellaſſe, & φοίνικας Tyri & Sidonis incolas. unde præſtantiſſima purpura Tyria, quæ & *Sarrana* Latinis, quia Sar olim Tyrus. IDEM.

TORRENT.

Pauculas uncias.] Nero igitur in univerſum coloris hujus uſum ſuſtulit, ne quid eo imbueretur. Cæſar dictator promiſcuum conchyliatæ veſtis uſum ademit. Sueton. cap. XLIII.

33. *Parricidia.*] Quæ tot fuere, ut merito dixerit Juvenal. Sat. VIII.

Cujus ſupplicio non debuit una parari
Simia, nec ſerpens unus, nec culleus unus.

Deorum cibum.] Θεῶν βρῶμα. Dion extremo lib. LX. Nec dubium, quin in Neronis gratiam ἀποκολοκύντωσιν ſuam hoc nomine inſcripſerit Seneca. Vide Veſpaſ. cap. XXIII. *Deus fio.*

Morari.] A μωρὸς, quod fatuum ſignificat. nam hinc *morus* ad Latinos tranſiit. Plaut. Trin. *Is mores hominum & moros, & moroſos facit.*

Buſtum ejus conſepiri.] Atqui Claudium ante ſolenni pompa funeratum ſcribit Sueton. eique etiam alios omnes Auguſto olim habitos honores contigiſſe, auctor eſt Dion. *Buſtum* ergo hic, ex Servii ſententia in illud Virgilii, *ſemiuſtaque ſervant Buſta*, locum in quo crematus fuerat Claudius, ſignificat. Quem cuſtodiæ cauſa conſepire mos erat, quod Nero pro defuncti dignitate facere neglexerit. *Buſtum* ſane quod Græci τύμβον vocat Cicero II. De legibus. Plura notavi in Horat. Epod. XVII.

Neque in ſepulcris pauperum prudens anus
Novendiales diſſipare pulveres.

Quo loco vetus interpres, *Pauperum*, inquit: *nam divitum ſepulcra ſuis cuſtodibus curæ erant.* Addit-que apud antiquos morem fuiſſe, ut defuncti corpus triduo ſervaretur domi: (unde Virgil. *Sedibus hunc refer ante ſuis.*) poſt triduum vero in rogum poneretur: (unde idem poeta, *Tertia lux cœlo gelidam dimoverat umbram, Mœrentes altum cinerem, & confuſa ruebant Oſſa focis.*) iterumque poſt triduum cinis in urnam mitteretur, ac tumulo mandaretur. Hactenus Acron.

CASAUBON.

33. *Denique buſtum ejus conſepiri niſi humili levique materia neglexit.*] Principum defunctorum cineres in Mauſoleum, dum fuit ibi vacuus locus, inferebant: ſed buſta ubi fuerant cremati, non minus pro religioſis locis habebantur. ſic notat Strabo in deſcriptione campi Martii, τὸν τῆς καύστρας τοῦ Αὐγούστου τόπον diverſum a Mauſoleo. ſervatum idem in cæteris Principibus, quorum buſta inſtar cæterorum monumentorum & ſepulcrorum fuere. Semper autem monumenta ſuorum ſepiebant veteres, tenuiores quidem maceria aut humili aliqua levique materia: honeſtiores vero lorica e ſilice vel ſaxo aut marmore. infra cap. L. *in eo monumento ſolium porphyretici marmoris ſuperſtante Lunenſi ara circumſeptum eſt lapide Thaſio.* Statius in tumulo Priſcillæ:

- - - *tantas venerabile marmor*
Sepit opes. - - -

Vetus epigramma in Caninium:

Quoad vixſi, vixſere omnes inter meos.
Eundem mi amorem præſtat puerilem ſenexs.
Monumentum indicioſt, ſaxo ſeptum ac marmore.

De eodem ſepimento intelligit Virgilius in Culice:

- - - *tumulus formatum crevit in orbem,*
Quem circum lapidum levi de marmore formas
Conſerit, aſſiduæ curæ memor.

Pauſanias περιοικοδομὴν vocat ſecundo Eliacorum: alibi

mili levique materia, neglexit. Britannicum, non minus æmulatione vocis, quæ illi jucundior ſuppetebat, quam metu, ne quandoque apud hominum gratiam paterna memoria prævaleret, veneno aggreſſus eſt. Quod acceptum a quadam Locuſta, venenariorum indice, cum opinione tardius cederet, ventre modo Britannici moto: accerſitam mulierem ſua manu verberavit, arguens pro veneno remedium dediſſe. Excuſantique minus datum ad occultandam facinoris invidiam: *Sane*, inquit, *legem Juliam timeo:* coegitque ſe coram in cubiculo quam poſſet velociſſimum ac præſentaneum coquere. Deinde in hædo expertus, poſtquam is quinque horas protraxit; iterum ac ſæpius recoctum, porcello objecit. Quo ſtatim exanimato, inferri in triclinium, darique cœnanti ſecum Britannico imperavit. Et cum ille ad primum guſtum concidiſſet, comitiali morbo ex conſuetudine correptum apud convivas ementitus, poſtero die raptim inter maximos imbres tranſlatitio extulit funere. Locuſtæ pro navata opera, impunitatem prædiaque ampla, ſed & diſcipulos dedit. Matrem, dicta factaque ſua exquirentem 34
acerbius & corrigentem, hactenus primo gravabatur, ut invidia identidem oneraret, quaſi ceſſurus imperio, Rhodumque abiturus: mox & honore omni & poteſtate privavit; abductaque militum & Germanorum ſtatione, contubernio quoque ac palatio expulit. Neque

alibi κρηπῖδα, tribus, ni fallor, locis. Germanicus in epigrammate de tumulo Themiſtoclis, καὶ τύμβῳ κρηπῖδα περίγραφε Περσικὸν ἄρη. Ita Dio quoque libro LI. dixit τὴν κρηπῖδα τοῦ Ἰουλιείου ἡρώου: male interpretes *baſim* vertunt: cur non Græcam vocem retinuerunt, ut apud Juvenalem & Marcellinum, *crepido pontis?* ſane κρηπὶς & βάσις, δὶς διὰ πασῶν. Macer l. XXXVII. Dig. de Religioſis, &c. *monumentum ſepulcri* definiens, iſtiuſmodi κρηπῖδας intelligit.

VARIOR.

Præcluſit cunctos.] Malebat Budæus *perculit*, quod non plane rejiciendum. Sic infra cap. 35. *Scelere perculit.* & Tib. cap. 55. *alium alia de cauſa perculit.* GOESIUS.

TORRENT.

Ne quando.] Libri duo *ne quandoque.*

A quadam Locuſta.] Lib. unus *a quodam.* Ego utrumque rejecerim. Libri veteres etiam Lucuſtam vocant.

Venenariorum indice.] *Venerarii* ſunt, qui venena miſcent, ut apud Julium Firmicum lib. XVI. cap. XIX. Tertullianum Apologet. & lib. de Pudicitia. Calliſtratus quoque lib. XXVIII. De pœnis, *Venenarii* (inquit) *capite puniendi ſunt, aut, ſi dignitatis reſpectum agi oportuerit, deportandi.* Quod autem indicem venenariorum Locuſtam vocat, id ſic interpretor, ut illa, quondam ſceleri obnoxia, alios indicando evaſerit. Mox autem Britannici nece etiam præmia conſecuta eſt, & ob artis præſtantiam (ut pulchre Tacit.) inter regni inſtrumenta diu habita, ut (quod mox ſequitur) etiam diſcipulos ei Nero dederit. Hinc Juvenal. Sat. I.

Inſtituitque rudes melior Locuſta propinquas
Per famam & populum nigros efferre maritos.

Vide Tacitum lib XII.

Legem Juliam timeo.] De veneficiis C. Valerio Flacco, M. Claudio Marcello coss. A. U. CCCCXXII. primum quæſitum eſt, & lex conſtituta. Livius lib. VIII. Secuta eſt Cornelia a L. Sulla dictatore lata. Cic. pro Cluentio. Inde Julia, C. Julii Cæſaris dictatoris. Quæ quod forte nihil amplius quam Cornelia ſtatueret, factum eſt, ut JCti recentiores Corneliæ tantum meminerint, quanquam (ut veriſimile eſt) Neronis tempore Julia potius vocaretur.

Tranſlatitio extulit funere.] Sic *cauſa tranſlatitia* ſup. cap. VII. Uſus eo Sueton. etiam Aug. cap. X. ac ſæpe Cicero. Libri vetuſtiſſimi fere *tralatitium* ſcribunt. Zonaras autem Britannici corpus, ne livor ex veneno appareret, oblitum gypſo elatum narrat, ſed ſubita pluvia eluto gypſo, facinus omnium oculis detectum fuiſſe.

Impunitatem.] Mallem *immunitatem*, ſi libri permitterent.

Militum, & Germanorum.] An alios præter Germanos milites habuit?

CASAUBON.

Impunitatem.] Peccant qui *immunitatem* cenſent ſcribendum: nam Locuſta ante veneficii damnata fuerat, ut ait Tacitus. ac licet pœnæ exactæ non fuerant, impunitatem tamen non ante meruerat.

34. *Abductaque militum & Germanorum ſtat.*] Milites ἁπλῶς in hiſtoria Romana ſunt cives, qui erant in numeris: vel prætoriani, ut hoc loco. Tacitus libro XIII. *Cognitum id Neroni, excubiaſque militares, quæ ut conjugi Imperatoris olim, tum & ut matri ſervabantur, & Germanos ſuper eundem honorem cuſtodes additos digredi jubet.* vel legionarii, ut alibi docemus accipiendam vocem στρατιώτας apud Lucam in

Neque in divexanda quidquam penſi habuit: ſubmiſſis & qui Romæ morantem, litibus, & in ſeceſſu quieſcentem, per convitia & jocos, terra marique prætervehentes inquietarent. Verum minis ejus ac violentia territus perdere ſtatuit. Et cum veneno ter tentaſſet, ſentiretque antidotis præmunitam: lacunaria, quæ noctu ſuper dormientem laxata machina deciderent, paravit. Hoc conſilio per conſcios parum celato, ſolutilem navem, cujus vel naufragio vel cameræ ruina periret, commentus eſt. Atque ita reconciliatione ſimulata, jucundiſſimis litteris Bajas evocavit ad ſolennia Quinquatruum ſimul celebranda: datoque negotio trierarchis, qui Liburnicam, qua advecta erat, velut fortuito concurſu confringerent, protraxit convivium. Repetentique Baulos, in locum corrupti navigii, machinoſum illud obtulit, hilare proſecutus: atque in digreſſu papillas quoque exoſculatus, reliquum temporis cum magna trepidatione vigilavit, cœptorum opperiens exitum. Sed ut diverſa omnia, nandoque evaſiſſe eam, comperit, inops conſilii, L. Agerinum, libertum ejus, ſalvam & incolumen cum gaudio nuntiantem, objecto clam juxta pugione, ut percuſſorem ſibi ſubornatum arripi conſtringique juſſit, matremque occidi: quaſi deprehenſum crimen voluntaria morte vitaſſet. Adduntur his atrociora, ſed incertis auctoribus, ad viſendum interfectæ cadaver accurriſſe, contrectaſſe membra, alia vituperaſſe, alia laudaſſe, ſitique interim oborta, bibiſſe. Neque tamen ſceleris conſcientiam, quamquam & militum & ſenatus populique gratulationibus confirmaretur, aut ſtatim aut umquam poſtea ferre potuit: ſæpe confeſſus exagitari ſe materna ſpecie, verberibus Furiarum, ac tædis ardentibus. Quin & facto per Magos ſacro,

in Actis.cap. XXIII. tmemate XXIII. ubi optime Syrus paraphraſtes pro ea voce poſuit, *Romanos.* iis adjunguntur δεξιολάβοι. quos eodem interprete auctore cenſemus fuiſſe jaculatores, puta Cretenſes, aut ex alia qua gente, inter auxiliares legioni cuique adjunctos, militantes. Sed hæc melius ad Polybium.

VARIOR.

Locuſta.] Codex Salmaſ. *Lucuſta.*

Abductaque militum & Germanorum ſtatione.] Duplex ergo cuſtodia Agrippinæ, ut & Principi ipſi: prætoriani milites, Germanique. Jam pridem vero Germanis habitus hic honos: & ante eos Hiſpanis. Imo & externi reges vitam ſuam commiſere iſtis. De Herode quidem lego Judææ habuiſſe eum in ſatellitio Germanos. Hæc tamen laus propria quodammodo Batavorum. Uti enim hodie Helvetii, ſic illi olim eximii ad hoc munus. Itaque indiſcriminatim modo Batavi ii cuſtodes appellati, modo Germani. Batavos Suet. Cal. cap. XLIII. nominat, Plutarchus in Othone. Dio apertiſſime lib. LV. Ex cujus verbis etiam diſces, equites peditesque in hac manu fuiſſe, ſicut & in conſtitutione Hadriani, inter vexillationes Palatinas Batavos equites ſeniores junioreſque recenſitos reperies. Invenio & Friſios in hoc numero. Lapis Interamnæ: HILARIUS. NERONIS. CÆSARIS. CORPORIS. CUSTOS. NATIONE. FRISO. *Lipſius.*

TORRENT.

Luxata machina.] Libri tres *laxata.*

Solennia Quinquatrium.] Quinquatria, & Quinquatrus dicimus. Unde *Quinquatribus* apud Horatium, & Juvenalem, *Quinquatrium* hic, & *Quinquatris* Aug. cap. LXXI.

L. Agerinum.] Libri MSS. noſtri *Lagerinum.* Tacit. Agerinum vocat, ſine prænomine. quod ſequor.

Materna ſpecie.] Alterum umbrarum exemplum Calig. cap. LIX. & Oth. cap. VII. Sed & Domitianus antequam interficeretur, Junium Ruſticum, quem innocentem occiderat, gladio ad ſe venientem in ſomnis vidit. Xiphilin. Vide ad Horat. Epod. V.

Nocturnus occurram furor.

VARIOR.

Ad ſolennia Quinquatrium.] Scribe *Quinquatruum.* nam eſt aut a *Quinquatrus*, ut recte legendum in Auguſto cap. 71. monuit Caſaubonus; aut a *Quinquatrua*, ut ſcribendum in Domitiano cap. 4. non *Quinquatria.* Nam *Quinquatribus* eſt ut *cornibus*; & tamen dicimus *cornua*, non *cornia.* Quid apud Priſcianum ſit, ſcio: ſed Chariſius plane: *Quinquatrus pluraliter, non Quinquatria. Quinquatres* non puto fuiſſe niſi vetuſtiſſimorum. GRONOV. Sane Salmaſianus etiam Codex clare præ ſe fert, *Quinquatruum.*

Velut fortuito concurſu confringerent.] Codex Salmaſii *concurſu*, forſan *concuſſu.* SALMAS.

L. Agernium.] Salmaſ. & Pall. duo *Lagerinum.* Rob. Steph. *Agerinum.* ſcribendum, *L. Agerinum.*

Objecto clam juxta pugione.] Salmaſianus & plurimi alii veteres codices & editiones, *abjecto.*

ſacro, evocare Manes, & exorare tentavit. Peregrinatione quidem Græciæ, Eleuſiniis ſacris, quorum initiatione impii & ſcelerati voce præconis ſubmoverentur, intereſſe non auſus eſt. Junxit parricidio matris amitæ necem. Quam cum ex duritie alvi cubantem viſitaret: & illa tractans lanuginem ejus, ut aſſolet, jam grandis natu, per blanditias forte dixiſſet, *Simul hanc excepero, mori volo:* converſus ad proximos, confeſtim ſe poſiturum velut irridens ait: præcepitque medicis, ut largius purgarent ægram. Nec dum defunctæ bona invaſit, ſuppreſſo teſtamento, ne quid abſcederet. Uxores præter 35
Octaviam duas poſtea duxit, Poppæam Sabinam, quæſtorio patre natam, & equiti Romano ante nuptam: deinde Statiliam Meſſallinam Tauri bis conſulis ac triumphalis abneptem. Qua ut potiretur, virum ejus Atticum Veſtinum COS. in honore ipſo trucidavit. Octaviæ conſuetudinem cito aſpernatus, corripientibus amicis, *ſufficere illi debere* reſpondit *uxoria ornamenta.* Eandem mox ſæpe fruſtra ſtrangulare meditatus, dimiſit ut ſterilem: ſed improbante divortium populo, nec parcente convitiis, etiam relegavit. Denique occidit ſub crimine adulteriorum, adeo impudenti falſoque, ut in quæſtione pernegantibus cunctis, Anicetum pædagogum ſuum indicem ſubjecerit, qui dolo ſtupratam a ſe fateretur. Poppæam duodecimo die poſt divortium Octaviæ in matrimonium acceptam, dilexit unice. Et tamen ipſam quoque ictu calcis occidit: quod ſe ex aurigatione ſero reverſum, gravida & ægra convitiis inceſſerat. Ex hac filiam tulit Claudiam Auguſtam, amiſitque admodum infantem. Nullum adeo neceſſitudinis genus eſt, quod non ſcelere perculerit. Antoniam Claudii filiam recuſantem poſt Poppææ mortem nuptias ſuas, quaſi molitricem novarum rerum, interemit. Similiter interemit cæteros, aut affini-

TORRENT.

Eleuſinis ſacris.] Aug. cap. XCIII.

Amitæ necem.] Domitiæ. Vide quæ notamus ſup. cap. V. Pro *Junxitque*, liber optimus *Junxit.*

35. *Poppæam Sabinam.*] Hæc T. Ollio patre genita, avi materni, Poppæi Sabini, nomen ſumpſit, & a matrimonio Rufii Criſpi, cui ante nupſerat, Othonis opera ad Neronem pervenit. Tacit. Annal. XX.

Tauri bis conſulis.] Vide Faſtorum concinnatores A.U. DCCXXVII. Inf. Oth. cap. X.

Atticum Veſtinum.] *Veſtilium*, *Veſtitium*, & *Vettirium* vocant libb. MSS. Tacitus *Veſtinum.* Nihil ergo mutabimus.

Anicetum pædag. ſuum indicem ſubjecerit.] Dictio *indicem* abeſt a tribus exemplarib. & ſane abeſſe eam malim. Tacit. Anicetum hunc claſſi apud Miſenum præfectum fuiſſe ſcribit, cujus opera Nero etiam in occidenda matre uſus ſit.

Antoniam filiam Claudii.] Melius MSS. *Claudii filiam*, ex Pætina nempe. nam Octaviam Claudio Meſſallina peperit. Quam pater antequam Neroni traderet, ne ſororem is ſuam ducere videretur, Claudii & ipſe filius adoptivus, in aliam familiam adoptandem dedit. Zonaras, & Xiphil. ex Dione.

Similiter interemit ceteros.] Tres MSS. *Similiter item ceteros.* Lego igitur, *Similiter ceteros.*

CASAUBON.

Tractans lanuginem ejus, ut aſſolet, jam grandis natu.] Eſt qui malit, *jam grandibus n.* non diſplicet.

Nam necdum defunctæ bona invaſit.] Prædia fuerunt ad Bajas & ad Ravennam: in quibus mox Nero ganeas inſignes, & ἡβητήρια inſtituit. Sic lego apud Dionem, non ut eſt editum, νικητήρια.

35. *Poppæam Sabinam.*] In optimis libris, noſtro & Memmii ac Pithœi, conſtanter *Pompeja* hæc nominatur, ut apud Plutarchum & alios quoſdam Græcos, Πομπαία.

Indicem ſubjecerit, qui dolo ſtupratam a ſe fateretur.] Viterb. *qui fingeret, & dolo ſtupratam a ſe fateretur.*

VARIOR.

Ut aſſolet, jam grandis natu.] Lege: *ut aſſolent jam grandes natu.* SALMAS. ſic & legendum conjecerat Gruterus.

35. *Similiter interemit cæteros.*] Tres Pall. *Similiter inter cæteros.* Significant, quod in tribus Torrentianis: *Similiter item cæteros.* Ubi Torrentius pro alieno repudiat τὸ *item*, ego τὸ *ſimiliter*, & Suetonium ſcripſiſſe cenſeo: *quaſi molitricem novarum rerum, interemit. Item cæteros aut affinitate aliqua ſibi aut propinquitate conjunctos.* nam τὸ *ſimiliter* explicationem τοῦ *item* puto, quæ ex margine irrepſit. Niſi malis *Similiter item*, ut *Ergo igitur*, *propere ocius*, *denique ad poſtremum.* GRONOV. Codex

affinitate aliqua ſibi aut propinquitate conjunctos. In quibus Aulum Plautium juvenem: quem cum ante mortem per vim conſtupraſſet: *Eat nunc*, inquit, *mater mea*, *& ſucceſſorem meum oſculetur:* jactans dilectum ab eo, & ad ſpem imperii impulſum. Privignum Rufium Criſpinum, Poppæa natum, impuberem adhuc, quia ferebatur ducatus & imperia ludere, mergendum mari, dum piſcaretur, ſervis ipſius demandavit. Tuſcum nutricis filium relegavit, quod in procuratione Ægypti, balneis in adventum ſuum exſtructis laviſſet. Senecam præceptorem ad necem compulit: quamvis ſæpe commeatum petenti, boniſque cedenti, perſancte juraſſet, *ſuſpectum ſe fruſtra*, *periturumque potius quam nociturum ei.* Burro præfecto remedium ad fauces pollicitus, toxicum miſit. Libertos divites & ſenes olim adoptionis, mox dominationis ſuæ fautores, atque rectores,

dex Salmaſianus & Corſendoncenſis æque ut Palatini: *ſimiliter inter cæteros.* Editio vero princeps: *Similiter item cæteros.* Inde Gruterus, & Salmaſius cenſent cum Torrentio legendum: *ſimiliter cæteros.* ſed vere Gronovius.

TORRENT.

A. Plautium juvenem.] Libri duo *Plancium*, unus *Plancum*, ſed *Plautium* retineo. Cujus fortaſſis pater fuerit A. Plautius, de quo Claud. cap. XXIV. Beroaldus *A. Plancum* legit, Rubellium Plancum intelligens, quem Tacit. ubique Rubellium Plautum vocat. Et quidem lib. XIII. delatam apud Neronem ſcribit Agrippinam, quod hunc, per maternum genus pari cum Nerone ab Auguſto diſtantem gradu ad res novas extollere, ac conjugio ejus rurſus Imperium invadere deſtinaſſet, (quod ſane cum his quæ a Suetonio narrantur optime convenit). ſed idem Tacit. lib. XIV. quo loco exſulantem jam in Aſia Neronis juſſu occiſum tradit, nullam Neronis in eum ſtupri mentionem facit. Imo nec committi id potuit, cum Romæ tunc eſſet Nero. Accedit quod mori juſſus eſt Rubellius eam ob cauſam quam cap. ſequente Sueton. narrat, quoniam viſo comete ſcilicet, perinde ac jam depulſo Nerone, plurimus de Rubellio, cui nobilitas per matrem ex gente Julia, ſermo habebatur, quæ paullo ante etiam exſilii cauſa fuerat, ſi Tacito credimus. Atqui ea omnia poſt mortem Agrippinæ contigerunt, qua adhuc vivente A. Plautius iſte (ni fallor) periit. Interim obiter admonitum lectorem velim, Rubellio illi, de quo toties Tacit. non Plauti, ſed Planci, vel (quod magis credo) Blandi cognomen fuiſſe. ſic enim exemplaria Juvenalis vetuſtiſſima Sat. VIII.

--- *tecum eſt mihi ſermo, Rubelli*
Blande. Tumes alto Druſorum ſanguine, &c.

Siquidem hujus pater, P. Rubellius Blandus, Tiburto genus trahens, unus ex Tiberii progeneris fuit, ducta Julia, Druſi & Livillæ filia. Livilla autem Germanici ſoror. Atque adeo pari ab Auguſto diſtabant gradu Nero & Rubellius.

Eat nunc inq. mater mea.] Lib. unus *Eat nunc inq. mater*, ſine *mea*. Placet.

Privignum Rufinum Criſpinum.] Libri tres *Rufium*, recte, ni fallor. Tacit. tamen priorem Poppææ maritum, cujus hic filius, Rufum Criſpinum vocat, etiam in emendatis a Lipſio exemplaribus.

Ducatus & imperia ludere.] Plutarch. Catone narrans, ut aliquando inter pueros luſerit: *Ludus (inquit) erat judicia, & accuſationes.* Spartian. Severo: *Nullum inter pueros ludum niſi ad judices exercuit.* Sed & Trebellius Gallieno: *Neque aliter Remp. regeret quam cum pueri fingunt poteſtates.* His adde Senecam lib. In ſapientem non cadere injuriam cap. XII.

Balneis in adventum ſuum.] Liber vetuſtiſſ. *balineis.* Ante vero dictum eſt, Neronem profectionem Alexandrinam ſuſceptam mox deſeruiſſe, cap. XIX.

Senecam præceptorem.] Vide Tacitum Annal. XIV.

Burro præfecto.] Præfectus prætorii fuit. ἔπαρχος τῶν δορυφόρων. Xiphilin.

Libertos divites & ſenes.] Inter quos Pallantem, & Doryphorum. Tacit. Annal. XIV.

CASAUBON.

Per vim conſtupraſſet.] Omnes noſtri libri, *conſpurcaſſet.*

Rufinum Criſpinum.] Codex Pithœi, *Rufrium.*

Servis ipſis demandavit.] Viterb. *ſervis ſuis.*

VARIOR.

In quibus Aulum Plantium.] Cum libris aliquot verius eſt *A. Plautium* vocari: filium fortaſſe ejus, qui de Britannis triumphavit. Cum Rubellio Plauto ſi confundis (quod faciunt plures) quomodo vel hac parte Tacitum cum Suetonio junges, qui diverſiſſima Neronis verba depromunt? Capite Rubellii allato, *Quin*, inquit, *Nero depoſito metu nuptias Poppææ ob ejuſmodi terrores dilatas maturare parat.* Præterea Suetonianus iſte Romæ fuiſſe debuit, cum cæſus eſt: in Aſia Rubellius. Ille viva Agrippina, hic mortua pridem interfectus. LIPSIUS.

Dominationis ſuæ fautores.] Forſan: *auctores.* SALMASIUS.

ctores, veneno partim cibis, partim potionibus indito, intercepit. Nec minore ſævitia 36 foris & in exteros graſſatus eſt. Stella crinita, quæ ſummis poteſtatibus exitium portendere vulgo putatur, per continuas noctes oriri cœperat. Anxius ea re, ut ex Babilo aſtrologo didicit, ſolere reges talia oſtenta cæde aliqua illuſtri expiare, atque a ſemet in capita procerum depellere, nobiliſſimo cuique exitium deſtinavit. Enimvero multo magis & quaſi per juſtam cauſam duabus conjurationibus provulgatis: quarum prior majorque Piſoniana, Romæ: poſterior, Viniciana, Beneventi conflata atque detecta eſt. Conjurati e vinculis triplicium catenarum dixere cauſſam: cum quidam crimen ultro faterentur, nonnulli etiam imputarent, tamquam aliter illi non poſſent niſi morte ſuccurrere, dedecorato flagitiis omnibus. Damnatorum liberi urbe pulſi, enectique veneno aut fame. Conſtat quoſdam cum pædagogis & capſariis uno prandio pariter necatos, alios diurnum victum prohibitos quærere. Nullus poſthac adhibitus delectus aut modus 37 interimendi, quoſcumque libuiſſet, quacumque de cauſſa. Sed ne de pluribus referam, Salvidieno Orfito objectum eſt, quod tabernas tres de domo ſua circa forum civitatibus ad ſtationem locaſſet: Caſſio Longino juriſconſulto, ac luminibus orbato, quod in vetere

TORRENT.

36. *Ex Babilo aſtrol.*] Libri MSS. etiam *Papilum*, & *Babillum* vocant.

Piſoniana.] De hac conjuratione prolixe Tacit. Annal. XV. Viniciana vero obſcurior eſt.

Atque detecta.] Liber opt. *detectaque.*

Nonnulli etiam imputarent.] Hoc eſt, beneficium ſe illi præſtare dicerent, ſi omnibus coopertum probris interficerent. Frequens Quinctiliano, atque aliis ejus ſæculi auctoribus ea ſignificatione verbum. Juvenal. Sat. V.

Fructus amicitiæ magnæ cibus. Imputat hunc rex,
Et quamvis rarum, tamen imputat.

Cum pædagogis & capſariis.] Hi fere erant nobilium puerorum comites. *Capſarii* capſulam cum libellis deferebant, *pædagogi* veluti cuſtodes adhibebantur. Juvenal. Sat. X. de puero ingenuo:

Quem ſequitur cuſtos anguſtæ vernula capſæ.

id eſt, ſervulus capſarius, quem Sueton. Claud. cap. XXXV. etiam *librarium* vocat. Sed & Ulpian. l. XIII. De manumiſſ. vindicta, *capſarium* interpretatur eum qui libros portat. Alioqui & capſarum opificem, & eum etiam qui veſtimenta in balneis ſervanda recipit, ſignificat l. ult. De jure immunit. l. III. De off. præfecti vigilum, quod illa capſis includerentur.

Diurnum victum.] Scribit Tacit. omnis generis, ordinis, ſexus homines, dites ac pauperes, adverſus Neronem conſpiraſſe. Pauperiores igitur Nero fame mori coegit, prohibendo victum in diem quærere.

37. *Civitatib. ad ſtationem.*] *Stationes* Romæ multiplices erant. nam & *bibliopolarum*, & *tabernariorum*, & *jus docentium ſtationes* legimus. Juvenal. Sat. XI.

- - - omnis
Convictus, thermæ, ſtationes, omne theatrum
De Rutilo.

Sed hoc loco *municipiorum ſtationes* intelligo, (quas in foro fuiſſe probant Victor reg. Urbis VIII. & Plin. lib. XVI. cap. XLIV. De quibus etiam aliter Plin. lib. I. Epiſt. XIII. & lib. II Epiſt. IX.) ſic dictas, (ni fallor) quod legati municipiorum illic verſarentur. Adde (ſi lubet) Paullum J. C. l. VII. Ex quib. cauſ. major.

Caſſio Longino Juriſconſ. ac luminib. orb.] Mallem abeſſe *ac.* Vide Tacitum Annal. XVI.

CASAUBON.

36. *Stella crinita quæ ſummis poteſtatibus exitium portendere vulgo putatur.*] Ptolemæus in Carpo: Οἱ κομῆται ἢν φανῶσιν ἐν κέντρῳ βασιλέως τινὸς, τελευτήσει ὁ βασιλεὺς, ἢ μέγας τίς.

Anxius ea re, ut ex Babilo aſtrologo didicit.] Scripti noſtri, *Babillo.* emendant quidam eruditi *Balbillo.* ut hic ille ſit Balbillus, cujus exſtat apud Senecam laudis plenum elogium: alii *Babylonio.* Fortaſſe melius *Babyla.* nam in Græcorum hiſtoriis Βαβυλᾶς uſitatum nomen.

Tanquam aliter illi non poſſent niſi morte ſuccurrere.] Intelligit Sulpicium Aſprum, de quo Tacitus libro VI. *Proximum conſtantiæ exemplum Sulpicius Aſper centurio præbuit: percontanti Neroni, Cur in cædem ſuam conſpiraviſſet, breviter reſpondens, Non aliter tot flagitiis ejus ſubveniri poſſe.* quem locum corrumpunt omnino, qui corrigunt *obveniri.* Nam homini tantis dedecoribus operto, nihil niſi mortem putabant remedium infamiæ poſſe afferre. vide libro tertio, cap. LXVI. de Artabani literis. Dionis locus non prætermittendus, qui Aprum hunc vocat, non Aſprum ut Tacitus. Ἐκεῖνος, inquit, ἐρωτη-

tere gentili ſtemmate C. Caſſii percuſſoris Cæſaris imagines retinuiſſet: Pæto Thraſeæ, triſtior & pædagogi vultus. Mori juſſis non amplius quam horarium ſpatium dabat. Ac ne quid moræ interveniret, medicos admovebat, *qui cunctantes continuo curarent.* Ita enim vocabat, venas mortis gratia incidere. Creditur etiam polyphago cuidam Ægyptii generis, crudam carnem & quidquid daretur mandere aſſueto, concupiſſe vivos homines laniandos abſumendoſque objicere. Elatus inflatuſque tantis velut ſucceſſibus, negavit *quemquam Principum ſciſſe, quid ſibi liceret.* Multaſque nec dubias ſignificationes ſæpe jecit, ne reliquis quidem ſe parſurum ſenatoribus: eumque ordinem ſublaturum quandoque e Republ. ac provincias & exercitus equiti Rom. ac libertis permiſſurum. Certe neque adveniens, neque proficiſcens, quemquam oſculo impertivit, ac ne reſalutatione quidem. Et in auſpicando opere Iſthmi, magna frequentia clare, *Ut ſibi ac pop.*
38 *Rom. bene res verteret*, optavit: diſſimulata ſenatus mentione. Sed nec populo aut mœnibus patriæ pepercit. Dicente quodam in ſermone communi,

Ἐμῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί·

immo, inquit, ἐμῦ ζῶντος. Planeque ita fecit: nam quaſi offenſus deformitate veterum ædificiorum, & anguſtiis flexuriſque vicorum, incendit urbem tam palam, ut plerique conſulares, cubicularios ejus, cum ſtuppa tædaque, in prædiis ſuis deprehenſos non attigerint: & quædam horrea circa domum Auream, quorum ſpatium maxime deſiderabat, ut bellicis machinis labefactata, atque inflammata ſint, quod ſaxeo muro conſtructa erant. Per ſex dies, ſeptemque noctes ea clade ſævitum eſt, ad monumentorum

ἐρωτηθεὶς ὑπ' αὐτῦ τὴν αἰτίαν τῆς ἐπιθέσεως, εἶπεν, Ὅτι ἄλλως σοι βοηθῆσαι ὐκ ἠδυνάμην. non ergo aliter Tacitus ſcripſit quam *ſubveniri.*

TORRENT.

Pæto Thraſeæ.] Hujus etiam mentio Domit. cap x. Multa de eo Arrian. De Epicteti ſermonib. lib. I. Sed libet Taciti verba adſcribere: *Trucidatis tot inſignibus viris, ad extremum Nero virtutem ipſam exſcindere concupivit, interfecto Thraſea Pæto, & Barea Sorano.* Meminit utriuſque etiam Juvenal. Sat. V. & III. Plin. Epiſtolis, & alii.

Oſculo impertivit.] Liber opt. *impertiit.* Vide Tib. cap. XXXIV.

Bene res verteret.] Bene ominandi formula. Calig. cap. XV. Virgil. abſolute dixit, *quod nec bene vertat.* Simile vero & illud Virgilii, *bonum ſit, Neſcio quid certe eſt.* Perſii item, *Hoc bene ſit.*

38. Ἐμῦ θανόντος.]. Seneca lib. II. de Clementia hunc inter voces exſecrabiles verſum ponit, qui (ut inquit) ſe mortuo terram miſceri ignibus jubet. Mox autem non male Turneb. ἐμῦ δὲ ζῶντος. Simile illud Varronis apud Nonium, *Cœlum ruere, dummodo magiſtratum adipiſcantur, exoptent.* Nec diſſimili ratione *permiſtionem terræ* dixit Sall. Bello Jug. & *permiſcere Græciam* Cicero.

Incendit urbem.] De incendio hoc præclare Tacit. & Xiphilin. ex Dione.

Cubiculareſque ejus.] Libri tres *cubicularios ejus.* *que* particula rejecta, atque ita omnino legendum eſt. Vulgati etiam *cubiculares* habent, ſine *que.*

Ut bellicis machinis.] Sic quidem MSS. noſtri, probabilior tamen vulgata lectio, *vi bellicis machinis.*

CASAUBON.

37. *Imagines reſtituiſſet.*] Memmii, Pithœi & Groſlotii, *retinuiſſet.* Tacitus in eadem ſententia *coluiſſet.* lib. XVI.

Medicos admovebat.] Minus recte quidam libri *admonebat.* Exemplo ſit Veſtinus, de quo Tacitus: *Omnia ſimul properantur, clauditur cubiculo, præſto eſt medicus, abſcinduntur venæ, vigens adhuc balneo infertur, calida aqua merſatur.*

Polyphago cuidam.] Et iſtis locus inter eos, quibus Principes oblectantur. Vopiſcus in Aureliano: *Vehementiſſime delectatus eſt phagone, qui uſque eo multum comedit, ut uno die ante menſam ejus aprum integrum, centum panes, vervecem & porcellum comederet: biberet autem infundibulo oppoſito plus orca.*

38. Ἐμῦ θανόντος.] Refert Dio, hunc verſum frequenter Tiberio in ore fuiſſe, lib. LVIII.

Per ſex dies ſeptemque noctes ea clade ſævitum eſt.] Tacitus aliter: *Sexto demum die apud imas Eſquilias finis incendio factus.* & item aliter vetus lapis Romæ, in quo hæc leguntur inter cætera: QUANDO. URBS. PER. NOVEM. DIES. ARSIT. NERONIANIS. TEMPORIBUS.

VARIOR.

37. *Ita enim vocabat.*] Codex Salmaſ. *vocabatur.* Idem: *inflatuſque tantis velut ſucceſſionibus.* mox pro

rum buſtorumque diverſoria plebe compulſa. Tunc præter immenſum numerum inſularum, domus priſcorum ducum arſerunt, hoſtilibus adhuc ſpoliis adornatæ, deorumque ædes ab regibus, ac deinde Punicis ac Gallicis bellis votæ dedicatæque: & quidquid viſendum atque memorabile ex antiquitate duraverat. Hoc incendium e turri Mæcenatiana proſpectans, lætuſque *flammæ*, ut ajebat, *pulcritudine*, ἅλωσιν Ilii in illo ſuo ſcenico habitu decantavit. Ac ne non hinc quoque quantum poſſet prædæ & manubiarum invaderet, pollicitus cadaverum & ruderum gratuitam egeſtionem, nemini ad reliquias rerum ſuarum adire permiſit: collationibuſque non receptis modo, verum & efflagitatis, provincias privatorumque cenſus prope exhauſit. Acceſſerunt tantis ex 39 Principe malis, probriſque, quædam & fortuita: peſtilentia unius autumni, quo triginta funerum milia in rationem Libitinæ venerunt: clades Britannica, qua duo præcipua oppida, magna civium ſociorumque cæde direpta ſunt: ignominia ad Orientem legionibus in Armenia ſub jugum miſſis, ægreque Syria retenta. Mirum, & vel præcipue nota-

pro *impertivit*, idem *impertiit*. ut cap. 40. & 48. pro *requiſivit* idem *requiſiit*.

Per ſex dies ſeptemque noctes ea clade ſævitum eſt.] At Tacitus ait, *ſexto die apud Eſquilias finem incendio factum.* Uterque longe abit a lapide priſco, qui novenos commemorat dies, Romæ ad Baſilicam Petri: EX. VOTO. SUSCEPTO. QUOD. DIU. ERAT. NEGLECTUM. NEC. REDDITUM. INCENDIOR. ARCENDORUM. CAUSA. QUANDO. URBS. PER. NOVEM. DIES. ARSIT. NERONIANIS. TEMPORIBUS. ET. HAC. LEGE. DEDICATA. EST. NE. CUI. LICEAT. INTRA. HOS. TERMINOS. ÆDIFICIUM. EXTRUERE. Conciliari Tacitus poteſt, quia mox addit ignem rediiſſe; Suetonium, aut lapidem non excuſo. LIPSIUS.

TORRENT.

E turri Mæcenatica.] Cur non *Mæcenatiana?* ſic enim libri omnes, quos ego viderim. Horat. lib. III. Od. XIX.

Molem propinquam nubibus arduis, &c.

Ἅλωσιν Ilii decantavit.] Male Oroſius: *Tragico habitu Iliadem decantabat*, pro *Ilii ἅλωσιν*. Quanquam *haloſin* Latinis characteribus ſcribi malim. An vero Nero ipſe carmen illud ſcripſerit, an alius quiſpiam, merito dubitatur. Troica certe Neronis citat Serv. lib. V. Æneid. & Oreſti Neronem comparans Juvenal. cum ait:

--- *in ſcena nunquam cantavit Oreſtes,*
Troica non ſcripſit.

Prædæ & manubiarum.] Sic *manubiarum* vocabulo uſus etiam Calig. cap. XLI. Gellium adi lib. XIII. cap. XXIII.

Collationibuſque.] Recte in opt. codice *permiſit: Collationibus*, ſine copulatione, & C majuſcula.

39. *In rationem Libitinæ.*] Omnibus notum eſt, in æde Libitinæ ea ſolere curari, quæ ad funera pertinerent. Unde & *Libitinarii* dicti, qui ea procurabant, quales *deſignatores*, *pollinctores*, *præficæ*, *veſpillones*, *ſandapilarii*. Qua de re plura in Horat. lib. II. Sat. VI.

Autumnuſque gravis, Libitinæ quæſtus acerbæ.

Hoc loco tantum notabimus non ſolum naſcentium nomina, uti diximus Tib. cap. V. verum etiam morientium edi ſolere in ratione Libitinæ.

Civium ſociorumque.] Puto legi debere, *civium R. ſocior.* (ſic enim fere loquuntur auctores) ut cives Romanos qui illic negotiabantur, intelligamus.

CASAUBON.

Collationibuſque non receptis modo, verum & efflagitatis.] Oroſius narrat neſcio unde acceptum: *Centies centena millia ſeſtertium annua ad expenſas a ſenatu ſibi conferri imperavit.*

Triginta funerum millia in rationem Libitinæ venerunt.] Id eſt, delata ſunt tot mortuorum nomina ad eos, qui pecuniam pro quoque mortuo pendi ſolitam exigebant recipiebantque. Mos vetuſtiſſimus a Servio Tullio rege inſtitutus, ut certum quid penderetur εἰς τὸν θησαυρὸν τῆς Ἀφροδίτης ἐν ἄλσει καθιδρυμένης, ἣν προσαγορεύουσι, ὑπὲρ τῶν ἀπογινομένων: inquit Dionyſius Halicarnaſſeus. *Ratio Libitinæ* eſt acceptarum pecuniarum liber, quem conficiebant qui Veneris Libitinæ theſauro præficiebantur. Euſebius & Hieronymus in Chronico *ephemeridem* obſcurius vocant, de ſimili peſte ſub Veſpaſiano: *Lues ingens Romæ facta, ita ut per multos dies in ephemeridem decem millia ferme mortuorum hominum referrentur.* Vide Tacitum fine anni DCCCXIX. *Triginta* autem legimus cum omnibus codicibus: non *trecenta*, at quidam hariolabantur: quaſi magnum haberi non poſſet, quod non eſſet maximum. idem numerus apud Othonem Friſingenſem e Suetonio.

Legionibus in Armenia ſub jugum miſſis.] Hoc falſum. Tacitus: *Addidit rumor, ſub jugum miſſas legiones, & alia ex rebus infauſtis, quorum ſimulacrum ab Armeniis uſurpatum eſt.* ſed hunc rumorem pro re certa etiam alii quidam hiſtorici habent.

TOR-

notabile inter hæc fuit, nihil eum patientius quam maledicta & convitia hominum tuliſſe: neque in ullos leniorem quam qui ſe dictis aut carminibus laceſſiſſent, exſtitiſſe. Multa Græce Latineque proſcripta, aut vulgata ſunt. ſicut illa:

Νέρων, Ὀρέϛης, Ἀλκμάιων, μητροκτόνοι.
Νεόνυμφον Νέρων, ἰδίαν μητέρ' ἀπέκτεινεν.

Quis negat Æneæ magna de ſtirpe Neronem?
Suſtulit hic matrem, ſuſtulit ille patrem.
Dum tendit citharam noſter, dum cornua Parthus,
Noſter erit Pæan, ille ἑκατηβελέτης.
Roma domus fiet: Vejos migrate Quirites.
Si non & Vejos occupat iſta domus.

Sed neque auctores requiſivit: & quoſdam per indicem delatos ad ſenatum, affici graviore pœna prohibuit. Tranſeuntem eum Iſidorus Cynicus in publico clara voce corripuerat, *quod Nauplii mala bene cantitaret, ſua bona male diſponeret.* Et Datus Atella-

TORRENT.

Proſcripta aut vulgata.] Liber unus *perſcripta ac vulgata. Ac* particula non diſplicet, ſed *proſcripta* retineo. *proſcribere* enim publice proponere eſt.

Νεόψηφον Νέρων.] Sic Turnebus, quaſi novo quodam ſuffragii genere matrem occiderit Nero ob navem illam ſolutilem, de qua cap. XXXIV. Verum illa nave non periit Agrippina, ſed ferro, & alioqui iſtud mihi commentum non placet. Mallem νεόνυμφος, ob Poppææ nuptias. Quanquam (ut verum fatear) totus mihi verſus iſte ſuſpectus eſt, ut inſulſus & illepidus. Quæ ſequuntur vero diſticha ſingula ſuam ſententiam abſolvunt: plena venuſtate & elegantia.

Noſter erit Pæan.] Pæan Apollinis epitheton eſt, vel ἀπὸ τῦ παίειν, id eſt, a feriendo, vel ἀπὸ τῦ παύειν τὰς ἀνίας, quod moleſtum dolorem ſedet. Verum Romani (ſi Macrobio credimus) id illi deo nomen tanquam ſoſpitali potius quam noxio accommodabant. A feriendo vero, ac longe ejaculando ἑκατηβελέτης, & ἑκατηβόλος etiam dicitur. Perſcite igitur auctor (quiſquis ille fuit) hujus epigrammatis Neroni exprobrat, quod dum Apollinis habitu, ut mitis & placidus, ipſe citharam pulſat, Parthus quoque Apollinem agens, ſed ſagittis formidabilem, Imperium laceſſat.

Vejos migrate Quirites.] Vejos migrare jubet, ut olim Urbe a Gallis vaſtata facturi fuerant, niſi Camillus obſtitiſſet. Livius lib. V.

Nauplii mala.] Nauplius, (quod omnes norunt) Palamedis pater, multa mala & ipſe pertulit, & dum filii mortem ulciſcitur, etiam aliis intulit. Quæ tam bene cantavit Nero, quam ſua bona male diſpoſuit. Notatus ergo a Cynico, & quod cantor, & quod nepos eſſet. Niſi de animi bonis atque indole, qua abutebatur Nero, loqui Suetonium credamus. Quod verius eſt.

CASAUBON.

Nihil eum patientius quam maledicta & convitia hominum tuliſſe.] Contrarium tamen ſuadeant Taciti verba, Annalium libro XV. *Nihil in illa conjuratione gravius auribus Neronis accidiſſe conſtitit, qui ut faciendis ſceleribus promptus, ita audiendi quæ faceret, inſolens erat.*

Νέρων, Ὀρέϛης, Ἀλκμαίων μητροκτόνοι.] Sors eſt Apollinea. Auctor dialogi de Nerone: Καί τοι τῦ Πυθίυ καταλέξαντος αὐτὸν εἰς τῦς Ὀρέϛας τε καὶ Ἀλκμαίωνας, οἷς τὸ μητροκτονῆσαι καὶ λόγον τινὰ εὐκλείας ἔδωκεν, ἐπειδὴ πατρὶ ἐτιμώρησαν.

Νεόνυμφον Νέρων ἰδίαν μητέρ' ἀπέκτεινε.] Placet νεόνυμφον ut in cod. Viterb. nam objicit Neroni auctor verſiculi inceſtum cum matre. de quo cap. XXVIII.

Quod Nauplii mala bene cantitaret, ſua bona male diſponeret.] Alludit ad tragœdiam aliquam de Nauplio vel Palamede, quam Nero, inter cætera fabularum argumenta de quibus in genere dictum cap. XXI. ſaltavit. Palamedem ſcripſerant certatim multi Græci Latinique tragici. Sophocles in his, cujus etiam alia exſtabat fabula cui index Ναύπλιος πυρκαεύς. ejus meminit Heſychius. Non ſequor eos codd. in queis ſcriptum *naublide*, pro *Nauplii.* ſententiam horum verborum pluribus expreſſit Philoſtratus: quæ ad lucem iſtorum, & vulgatæ lectionis confirmationem ſcribam. Τί φήσεις; τῦτον τὰ μὲν Κρέοντος καὶ Οἰδίποδος ὕτως ἐξακριβῦν, ὡς δεδιέναι, μήπη λάθοι ἁμαρτῶν θύρας ἢ ϛολῆς, ἢ σκήπτρυ. ἑαυτῦ δὲ καὶ Ῥωμαίων ὕτως ἐκπίπτειν, ὡς ἀντὶ τῦ νομοθετεῖν νόμυς, ᾄδειν. *Quid de eo dicas, qui Creontis & Oedipodis mala tanta accuratione ſaltet, ut metus ei ſit, ne per imprudentiam aut janua aberret, aut circa veſtem quid peccet, aut ſceptrum ne excidat: cum is interea ita ſui & Romanorum obliviſcatur, ut pro legumlatore cantorem agat?*

V

At. l anarum hiſtrio in ca tico quodam, ὑγίαινε πάτερ, ὑγίαινε μῆτερ, ita demonſtraverat, ut bibentem natantemque faceret, exitum C. Claudii Agrippinæque ſignificans: & in noviſſima clauſula:

Orcus vobis ducit pedes,

ſenatum geſtu notaret: hiſtrionem & philoſophum Nero nihil amplius quam urbe Italiaque ſubmovit, vel contemtu omnis infamiæ, vel ne fatendo dolorem, irritaret ingenia.
Talem Principem paullo minus XIIII annos perpeſſus terrarum orbis, tandem deſtituit: 40
initium facientibus Gallis, duce Julio Vindice, qui tum eam provinciam pro prætore obtinebat. Prædictum a mathematicis Neroni olim erat, fore ut quandoque deſtitueretur: unde illa vox ejus celeberrima, τὸ τεχνίον πᾶσα γαῖα τρέφει: quo majore ſcilicet venia meditaretur citharœdicam artem Principi ſibi gratam, privato neceſſariam. Spoponderunt tamen quidam deſtituto ei ordinationem Orientis, nonnulli nominatim regnum Hie-

VARIOR.

39. Νεόνυμφον.] Νεόνυμφος, hoc eſt, novus ſponſus, per probroſum ſcomma nominatus, propter puerum Sporum, quem loco uxoris habuit: vel quod ipſe veluti ſponſa Pythagoræ denupſerat. BEROALD. In optimis libris reperi νεόψηφον, non ut in cæteris, νεόνυμφον. & illud multo ſalſius eſt, & acrioris aceti, ut vel lata nuper ſententia interfectam intelligamus, vel quaſi νεόψηφον ſcriptum eſſet, navis ſententia damnatam audiamus, cum præſertim in navi eam interficere tentaſſet ſutili. TURNEBUS. Νεόψηφον codex Salmaſii tuetur. Si vero Jambicus exin confieri debeat, ita verſum tranſpoſuerim:

Νέρων νεόψηφον ἰδίαν μητέρ᾽ ἀπέκτανε.

TORRENT.

Datus Atell. hiſtrio.] Datus nomen proprium eſt hiſtrionis, ut Dates in veteri marmore.

Ita demonſtraverat.] Hoc eſt, geſticulando expreſſerat verba illa, ὑγίαινε πάτερ. id enim hiſtrionum eſt, qui a multiplici imitatione etiam *pantomimi* appellantur. Hinc venuſte Sueton. cap. XLII. *geſticulari carmina* dixit.

Exitum C. Claudii.] Tres MSS. *exitum ſcilicet Claudii.* Sup. Claud. cap. XLIV.

In noviſſima clauſula.] Duo vetuſti codices *clauſa.* Quo verbo epodem intelligit.

Orcus vobis ducit pedes.] Mortui per pedes efferebantur.

Senatum geſtu notaret.] Ob Neronis in ſenatum odium, de quo ante cap. XXXVII.

40. *Julio Vindice.*] Sic MSS. omnes. Male qui *Junio*, vel *Vinio* legunt. alius enim hic C. Julius Vindex, de quo multa Xiphilin. alius T. Vinius ille, de quo Tacit. lib. 1. Hiſtor. ſic enim ibi ſcribendum, non Junius. Vide Galb. cap. XIV.

Τὸ τέχνιον πᾶσα γαῖα τρέφει.] Turnebus in ſuo cod. ſcriptum affirmat, τὸ τεχνίον ἡμᾶς διαθρέψει, quod ſane & venuſtius eſt, & Neronem propius contingit. Nihil tamen mutatum velim.

Spoponderunt.] Melius MSS. tres *ſpoponderant tamen quidam deſtituto ord.* ſine *ei.*

CASAUBON.

Exitum C. Claudii Agrippinæque ſignificans.] Scribe *exitum ſcilicet Claudii.* Propagata iſta macula in priorem editionem noſtram ex Antverpienſibus. In MSS. vidi, *exitum ſ. Claudii.* ita paſſim in veterib. *ſ.* pro *ſcilicet.* inde cauſſa errandi.

40. Τὸ τεχνίον πᾶσα γαῖα τρέφει.] Non aliter Viterb. at Memmii & Liſlæi, ἡμᾶς διαθρέψει. Dio, ἐβουλεύσατο ἐς τὴν Ἀλεξάνδρειαν πλεῦσαι, ὑπειπών, ὅτι ἂν καὶ τῆς ἀρχῆς ἐκπέσωμεν, ἀλλά τό γε τεχνίον ἡμᾶς ἐκεῖ διαθρέψει.

Ordinationem Orientis.] Fugit nos hic locus, ut aliquot alii, qui ex MSS. erant emendandi. Legendum enim ex cod. Viterb. Memmii, Pithœi & Liſl. *Spoponderunt tamen quidam deſtituto Orientis dominationem.*

VARIOR.

Ὑγίαινε πάτερ, ὑγίαινε μῆτερ.] Codex Salmaſ. ὑγίαινε πατὴρ, ὑγίαινε μητήρ.

40. Τὸ τέχνιον.] Apparet, ſenarium eſſe, quem citat Suetonius, ſed paucarum ſyllabarum commutatione depravatum. fortaſſis ſic reſtituetur:

Τὸ τεχνίον γε πᾶσα γαῖ᾽ ἀνατρέφει.

Fertur inter Græcorum ſententias hujuſmodi ſenarius, ab hoc proverbio non admodum diſſidens:

Λιμὴν ἀτυχίας ἐστὶν ἀνθρώποις τέχνη.

ERASMUS. In libris ſuis repererit Turnebus: τὸ τεχνεῖον ἡμᾶς διαθρέψει: a quo nec Salmaſianus abit. Eo inclinant etiam duo Palatini.

Ordinationem Orientis.] Miror præ hoc placuiſſe Caſaubono *dominationem.* Julio 40. *Converſus hinc ad ordinandum reipublicæ ſtatum.* Auguſto 13. *Cum Antonius Orientem ordinandum recepiſſet.* Galba 7. *Africam pro conſule biennio obtinuit, extra ſortem electus ad ordinandam provinciam.* Plinius lib. 8. epiſt. ult. *Miſſum ad ordinandum ſtatum liberarum civitatum.* Auſonius in Paneg. *probat hoc tali Principe Oriens ordinatus.* GRONOVIUS.

TOR

Hieroſolymorum, plures omnis priſtinæ fortunæ reſtitutionem. Cui ſpei pronior, Britannia Armeniaque amiſſa, ac rurſus utraque recepta, defunctum ſe fatalibus malis exiſtimabat. Ut vero conſulto Delphis Apolline, ſeptuageſimum ac tertium annum cavendum ſibi audivit, quaſi eo demum obiturus, ac nihil conjectans de ætate Galbæ, tanta fiducia, non modo ſenectam, ſed etiam perpetuam ſingularemque concepit felicitatem, ut amiſſis naufragio pretioſiſſimis rebus, non dubitaverit inter ſuos dicere, *piſces eas ſibi relaturos.* Neapoli de motu Galliarum cognovit die ipſo, quo matrem occiderat: adeoque lente ac ſecure tulit, ut gaudentis etiam ſuſpicionem præberet, tamquam occaſione nata ſpoliandarum jure belli opulentiſſimarum provinciarum. Statimque in gymnaſium progreſſus, certantes athletas effuſiſſimo ſtudio ſpectavit. Cœnæ quoque tempore interpellatus, tumultuoſioribus litteris, hactenus excanduit, ut malum iis qui deſciſſent, minaretur. Denique per octo continuos dies non reſcribere cuiquam, non
41 mandare quid aut præcipere conatus, rem ſilentio oblitteravit. Edictis tandem Vindicis contumelioſis, & frequentibus permotus, ſenatum epiſtola in ultionem ſui reiquepublicæ adhortatus eſt: excuſato languore faucium, propter quem non adeſſet. Nihil autem æque doluit quam ut citharœdum malum ſe increpitum, ac pro Nerone Ænobarbum appellatum. Et nomen quidem gentile, quod ſibi per contumeliam exprobraretur, reſumturum ſe profeſſus eſt, depoſito adoptivo. Cetera convitia ut falſa, non alio argumento refellebat, quam quod etiam inſcitia tantopere laboratæ perfectæque a ſe artis objiceretur: ſingulos ſubinde rogitans, *noſſentne quemquam præſtantiorem.* Sed urgentibus aliis ſuper alios nuntiis, Romam prætrepidus rediit. Leviterque modo in itinere frivolo auſpicio mente recreata, cum annotaſſet inſculptum monumento, militem Gallum ab equite Rom. oppreſſum, trahi crinibus, ad eam ſpeciem exſiluit gaudio, cœlumque adoravit. Ac ne tunc quidem aut ſenatu, aut populo coram appellato, quoſdam e primoribus viris domum evocavit, tranſactaque raptim conſultatione, reliquam diei partem per organa hydraulica novi & ignoti generis circumduxit. Oſtendenſque

TORRENT.

Piſces eas ſibi relat.] Ut Polycrati Samiorum tyranno. Herodot. lib. III. Strabo lib. XIV. Plin. lib. XXXVII. cap. I. Valer. Maxim. VI. cap. IX. Cic. lib. III. De finib.

Die ipſo quo matrem occ.] Diem anniverſarium intellige, ut cap. ult. *Obiit die quo quondam Octaviam interemerat.* Libri MSS. *deſiiſſent, diſcendiſſent, dediſſent.* Quorum poſtremum non diſplicet, tanquam diceret in auctores redundaturum.

41. *Contumelioſis & freq.*] Melius duo vetuſti codd. *& contum. & freq.* Talia olim Bibuli in Cæſarem edicta.

Citharœdum malum.] Liber opt. *malum citharœdum.* *Ahenobarbum* etiam ſcribo ex nummis.

Depoſito adoptivo.] Quo Nero Claudius Druſus appellatus eſt. Nummi veteres.

Inſcitia tantopere.] Liber vetuſtiſſ. *inſcitia ſibi tantopere,* alter, *tanto tempore* pro *tantopere.*

Cœlumque adoravit.] Quaſi inde accepto auſpicio. Virgil. III. Æneid.

- - - tendoque ſupinas
Ad cœlum cum voce manus.

Coram appellato.] Libri duo *adorato.* Adſcriptum tamen in altero, *alias appellato,* quod omittere nolui, quin monerem. *adorare* enim pro propitiare dixerunt veteres. Auctor Nonius.

Domum evocavit.] Libri nonnulli *domum evocavit, &, oſtenditque ſing.*

CASAUBON.

Septuageſimum ac tertium annum cavendum ſibi audivit.] Decepit Apollo, ambiguo, ut ſemper, reſponſo vanum conſultorem: ac fortaſſe talis edita ſors fuerat:

Ἑξηκοστὸν ἔτος, τρισκαιδέκατόν τε φυλάττου.

De adventu Neronis Delphos, multa memorabilia Themiſtius oratione quinta.

41. *Reliquam diei partem per organa hydr.*] Lego, *reliqua diei parte eos per organa hydraulica novi & ignoti generis circumduxit: oſtendenſque.*

VARIOR.

41. *Quam ut malum ſe citharœdum increpitum.*] Sic Salmaſianus Codex.

que ſingula, de ratione ac difficultate cujuſque diſſerens, jamque ſe etiam prolaturum omnia in theatrum affirmavit, ſi per Vindicem liceat. Poſtquam deinde etiam Galbam 42 & Hiſpanias deſciviſſe cognovit, collapſus, animoque male fracto, diu & ſine voce & prope intermortuus jacuit. Utque reſipuit, veſte deſciſſa, capite converberato, *actum de ſe* pronuntiavit. Conſolantique nutriculæ, & aliis quoque jam Principibus ſimilia accidiſſe memoranti, *Se vero præter ceteros inaudita & incognita pati* reſpondit, *qui ſuum imperium vivus amitteret.* Nec eo ſecius quidquam ex conſuetudine luxus atque deſidiæ omiſit vel imminuit. Quinimmo, cum proſperi quiddam ex provinciis nuntiatum eſſet, ſuper abundantiſſimam cœnam jocularia in defectionis duces carmina, laſciveque modulata, quæ vulgo innotuerunt, etiam geſticulatus eſt: ac ſpectaculis theatri clam illatus, cuidam ſcenico placenti nuntium miſit, *abuti eum occupationibus ſuis.* Initio 43 ſtatim tumultus, multa & immania, verum non abhorrentia a ſua natura, creditur deſtinaſſe. Succeſſores, percuſſoreſque ſubmittere exercitus & provincias regentibus quaſi conſpiratis, idemque & unum ſentientibus, quidquid ubique exſulum, quidquid in urbe hominum Gallicanorum eſſet, contrucidare: illos, ne deſciſcentibus aggregarentur: hos, ut conſcios popularium ſuorum, atque fautores. Gallias exercitibus diripiendas permittere: ſenatum univerſum veneno per convivia necare, urbem incendere feris in populum immiſſis, quo difficilius defenderetur. Sed abſterritus, non tam pœnitentia quam perficiendi deſperatione, credenſque expeditionem neceſſariam, COSS. ante tempus privavit honore: atque in utriuſque locum ſolus iniit conſulatum, quaſi fatale eſſet, non poſſe Gallias debellari niſi a conſule. Ac ſuſceptis faſcibus, cum poſt epulas triclinio digrederetur, innixus humeris familiarium, affirmavit, ſimul ac primum provinciam attigiſſet, inermem ſe in conſpectum exercituum proditurum, nec quidquam aliud quam fleturum. Revocatiſque ad pœnitentiam defectoribus, ſequenti die lætum inter lætos cantaturum epinicia, quæ jam nunc ſibi componi oporteret. In præparanda expeditione 44 primam curam habuit deligendi vehicula, portandis ſcenicis organis, concubinaſque, quas ſecum educeret, tondendi ad virilem modum, & ſecuribus peltiſque Amazonicis inſtruen-

TORRENT.

42. *Poſtquam etiam deinde.*] MSS. meliores, *Poſtquam deinde etiam.*

Reſipuit.] Tres codd. *reſipivit.* Cato de Re Ruſt. *Majores noſtri ſic habuere, & ita in legibus poſivere.* Catull. *prope Deliam Depoſivit olivam.* Et ſimilia, dequib. Priſcian. lib. IX.

Suum imperium.] MSS. tres *ſummum Imperium.*

Omiſit vel imminuit.] Duo codd. *omiſit vel minimum*, non male.

Laſciveque modulata.] Mallem *laſcive modulata*, ſine *que*. *Geſticulari* autem *carmina* hiſtrionum eſt, ut ante monuimus.

43. *A ſua natura.*] Liber opt. *a natura ſua.*

Perficiendi deſperatione.] Idem codex *efficiendi.* Nec diſplicet.

Niſi a coſ. ac ſuſceptis faſcibus. Cum poſt.] Verba perperam diſtincta. Lego itaque, *niſi a conſule. Ac ſuſceptis faſcibus, cum poſt epulas tr. egred.* &c.

Cantaturum epinicia.] Ἐπινίκια quamcunque ob victoriam celebritatem ſignificant. Nero (quod citharœdum decuit) cantica pollicitus eſt.

44. *Securibus peltiſque Amazonicis.*] Sic ſecurim Amazoniam vocat Horat. lib. IV. Od. IV. ubi plura annotavimus.

CASAUBON.

42. *Poſtquam deinde etiam Galbam.*] Plutarchus, ὁ Νέρων ἅμα τῷ πυθέσθαι τὰ περὶ Γάλβαν (ἔτυχε δὲ λελουμένος καὶ ἀριστῶν) ἀνέτρεψε τὴν τράπεζαν.

Inaudita & incognita pati.] Galba apud Tacitum: *Sit ante oculos Nero, quem longa Cæſarum ſerie tumentem, non Vindex cum inermi provincia, aut ego cum una legione, ſed ſua immanitas, ſua luxuria, cervicibus publicis depulere. Neque erat adhuc damnati Principis exemplum.*

Qui ſuum imperium vivus amitteret.] Darius apud Q. Curtium libro V. *Nec dii ſiverint, ut hoc decus mei capitis aut demere mihi quiſquam, aut condonare poſſit. nec hoc imperium vivus amittam: idem erit regni meï, qui & ſpiritus finis.* Nota vox illa καλὸν ἐντάφιον ἡ τυραννίς.

VARIOR.

43. *Quæ jam nunc ſibi componi oporteret.*] Codex Salmaſ. *oporterent.*

TOR-

ſtruendi. Mox tribus urbanas ad ſacramentum citavit: ac nullo idoneo reſpondente, certum dominis ſervorum numerum indixit: nec niſi ex tota cujuſque familia probatiſſimos, ne diſpenſatoribus quidem, aut amanuenſibus exceptis, recepit. Partem etiam cenſus omnes ordines conferre juſſit: & inſuper inquilinos privatarum ædium atque inſularum, penſionem annuam repræſentare fiſco. Exegitque ingenti faſtidio & acerbitate numum aſperum, argentum puſtulatum, aurum ad obruſſam: ut plerique omnem collationem palam

TORRENT.

Nullo idoneo.] Hoc eſt, qui Romanæ militiæ legibus honeſte militare poſſet, a qua ſervi in primis arcebantur, hiſtriones quoque, & capite cenſi. Libet autem adſcribere Varronis verba apud Nonium: *M. Curius conſul in Capitolio cum dilectum haberet, nec citatus in tribu civis reſpondiſſet, vendidit tenebrionem.* Adde ejuſdem auctoris apud Gellium lib. XI. cap. I. verba, quibus citato, neque reſpondenti mulcta dici ſolebat.

Ne diſpenſatoribus quidem aut amanuenſibus.] Quorum opera ſcilicet dominis vel maxime eſſet neceſſaria. De *diſpenſatoribus* diximus Aug. cap. LXVII. *Amanuenſes* vero iidem, qui *a manu*. Alii vero fuiſſe videntur, quos *ad manum* vocabant. Cic. lib. II. De oratore: *Gracchus Licinum ſervum ſibi habuit ad manum.* Quanquam *a veſte*, & *ad veſtem* pro iiſdem legimus.

Nummum aſperum.] Duo exigebat Nero, nummi integritatem, & materiæ unde conſtabat, præſtantiam, nolebatque niſi in aſpero & probo accipere. ſic enim loquitur Seneca Epiſt. XIX. ad Lucilium. Integritatem attactu ipſo percipimus, ſi aſper ſit. ſic enim Virgil.

Bina dabo argento cælata, atque aſpera ſignis
Pocula.

Juvenal. quoque Sat. XIV.

- - - *vaſa aſpera tergeat alter.*

& Perſius Sat. III.

Quis modus argento? quid fas optare? quid aſper
Utile nummus habet?

Materiæ vero præſtantia colligitur, argenti, ſi *puſtulatum* ſit, auri, ſit *obryzum*. *Puſtulatum* vocamus *argentum*, ſive *puſulatum*, (nam & *puſtulas*, & *puſulas*, & *puſilas* quoque dicimus) quod multiplici excoctione tubercula collegerit, qualia nimirum vi ignis ſuſcitantur. Unde *puſula* ignis ſacer, & *puſuloſa ovis* apud Columellam, quæ eo morbo laboret. Feſtus in *Hetta*. Plin. lib. XXII. cap. XXV. & Martial lib. VII. Epigr. LXXXV.

Sed cauſam ſcio. nulla venit a me
Argenti tibi libra puſtulati.

Nec repugno, ſi quis *poſtulatum* ſcribere malit, (magna enim litterarum *o* & *u* cognatio eſt) verum ne a poſtulando, quod imperiti faciunt, dirivetur. De *auro obryzo* major dubitatio eſt. Hieronymus in Jeremiam quaſi Ophiriſium dici vult, quale ex Ophir inſula afferebatur: Iſidor. Etymolog. lib. XVI. ab eo, quod obradiet ſplendore, ac coloris ſit optimi: Hermolaus tanquam ὄβρυζον, quod purum ſincerumque ſit. Ceterum libri MSS. omnes hoc loco non *obryzum*, ſed *aurum ad obruſum*, vel *ad obryſam*, & *obriſam*, & *obruſſam* habent. Quam lectionem Turneb. ſequitur, ut *obruſa*, ſeu *obruſſa*, (ſi mavis) exploratio ſit ac probatio auri, & argenti, quo ſenſu Cicero in Bruto dixerit, *adhibenda tanquam obruſa ratio eſt.* Et memini equidem pereleganter a Seneca Epiſt. XIII. adverſitates *tanquam animi obruſſam* vocari, hoc tamen loco a recepta lectione non recedo. ſic enim Plin. lib. XXXIII. cap. III. *Auri experimentum ignis eſt, ut ſimili colore rubeat quo ignis, atque ipſum obryzum vocant.* Hinc *obryzati ſolidi* in Conſtitutionib. Principum, De ver. nomiſ. poteſt. l. ult. & l. I. De oblat. vot. Cod. Juſtinian. lib. XII.

CASAUBON.

44. *Argentum poſtulatum, aurum ad obruſam.*] Ita habetur hic locus in editione principe Romæ nata, quæ merito auctoritatem manuſcripti obtinet: conſentiunt cum ea & veteres noſtri, in quibus *poſtulatum*, non *puſtulatum* aut *puſulatum*, (nam hæc tria unum ſignificant) ſine ulla varietate ſcriptum: Memmianus, *puſtulatum.* deinde in Pithœi & Liſlæi *aurum ad obruſſam*, non, ut alii libri, *aurum obryzum:* at in Viterb. corrupte *aur. adeo obroſum, ut pl.* Cæterum qui de hoc loco plura cupis, adi magni Turnebi Adverſaria, & clariſſimi juriſconſultorum Cujacii Obſervationum librum VII. cap. XXXIX.

VARIOR.

44. *Nummum aſperum, argentum puſtulatum, aurum ad obruſſam.*] Salmaſius *nummum* hic ſignificare vult pecuniam æream, ut *argentum* argenteam, *aurum* auream, ad Hiſt. Aug. 209. Ego malim *nummum* eſſe & æreum & argenteum & aureum, quos voluit habere recentes a moneta, & nondum inter manus detritos ac levigatos. *argentum* vero & *aurum* accipio vel factum vel in maſſis: tali enim tempore non nummi tantum ſolent exigi & conferri. GRONOVIUS.

Nummum aſperum.] Olim qui theſaurum parare ſtudebant, in eo nummum aſperum libenter recondebant, quem interpretor bene percuſſum & recentem, non veterem, neque tritum, atque ipſo uſu levem fugientibus notis, nec forma expreſſa.

quo

palam recuſarent, conſenſu flagitantes, a delatoribus potius revocanda præmia quæcumque cepiſſent. Ex annonæ quoque caritate luctantium accrevit invidia. Nam & forte accidit, 45
ut in publica fame Alexandrina navis nuntiaretur pulverem luctatoribus aulicis advexiſſe. Quare omnium in ſe odio concitato, nihil contumeliarum defuit quin ſubiret. Statuæ ejus a vertice currus appoſitus eſt cum inſcriptione Græca, *Nunc demum agona eſſe*; &, *Tra-*

quo ſenſu illud Perſianum accipi cenſeo Sat. III.

- - - quid aſper
Utile nummus habet?

Sed & creditores in paciſcendo cavere ſolebant ſibi eo genere nummorum ſolutum iri, quod e Seneca ſubconjicimus, cujus verba ex lib. II. Ep. XIX. ſubſcribam: *Sed movebis mihi controverſiam, ſi te novi, nec voles, quod debeo, niſi in aſpero & probo accipere.* Legi & in vetuſto libro, *aſperaturam* eſſe κόλλυβοι: quod qui pecuniam permutabat, pro trita aſperam vellet habere.

Puſtulatum.] Sic codex Salmaſ. non ut vulgo *poſtulatum.* Idem: *aurum ad obruſſam.*

Aurum ad obruſſam.] *Obruſſam* dixere auri experimentum, quod igne ſumitur, ex Græco ὀβρύζη. ita πορφυρίζον, purpuriſſum. Cicero: *Heic adhibenda tanquam obruſſa ratio eſt.* Seneca Epiſt. XIII. *Hæc ejus obruſſa eſt*, id eſt, probatio. Gloſſæ: *Obruſſa*, τὸ δοκιμάζον τὸ χρυσίον ὅταν παρατρίβεται. Immo, ὅταν καίεται. Auri probationem, quæ lapide fit & attritu, pro altera accepit. *Obryzi* auri apud veteres Latinos nulla mentio, ſed auri ad obruſſam exacti. Corrigendus itaque Plinius l. XXXIII. cap III. *Aurique experimentum ignis eſt, ut ſimili colore rubeat igneſcatque, atque ipſum obruſſam vocant.* Ipſum nempe experimentum. Ita veteres omnes ſunt locuti. Salmas.

Torrent.

45. *Luctantium accrevit invidia.*] Sic primus contra librorum omnium fidem Sabellicus edidit, ut eorum qui cum annona luctantes laborarent, invidiam intelligamus. Libb. vero MSS. variant. nam & *lucrantium*, & *lucratitia*, & *lucrantia* ſcriptum repperi. Nec video, cur *lucrantium* cuiquam debeat diſplicere, ut populum Neronis acerbitate irritatum etiam eorum qui ex annona lucrarentur, invidia accenderit, qua nulla conſuevit eſſe major. Quare & *flagellare eos annonam* dixit Plin. Neque odioſo minus vocabulo JCti Dardanarios vocant, l. VI. De extraord. criminib. & l. XXXVII. De pœnis. Magis tamen placet ut *lucranti tum*, vel (ſi quis mavult) *luctanti tum* legatur, ut Neroni ipſi, ſeu annonæ caritatem vertenti in quæſtum, ſeu aſſidue tunc luctanti, de quo mox cap. LIII. invidia accreverit. Acceſſit quod eadem tempeſtate ex Ægypto, unde frumentum ſubvehi ſolebat, pulvis ad gymnaſii uſum venerit. De quo ſic Plin. XXXV. cap. XIII. *Non multum a pulvere Puteolano diſtat arena e Nilo, tenuiſſima ſui parte, non ad ſuſtinenda maria, fluctuſque frangendos, ſed ad debellanda corpora palæſtræ ſtudiis. Inde certe Patrobio, Neronis Principis liberto, advehebatur.* Sed cur non & *luctantium* aſſeramus, hoc quidem ſenſu, creviſſe invidiam Neroni apud eos qui ex annonæ difficultate laborarent, ac cum ea luctarentur, e facinore quod tum forte patratum, *ut in publica fame*, & quæ ſequuntur?

Cirrus appoſitus eſt.] Hanc lectionem Turneb. agnoſcit, atque ita ſuum habere codicem affirmat, ut ſententia ſit, non debere eum in tanto diſcrimine cirratum, aut cincinnatum incedere, ut citharœdi ſolebant. Verum quid agoni cum cirro? Scio quid de ejus coma mox ſcribat Sueton. (quanquam id Turneb. non perpendit) ſed cur quia agon ſit, comam radat? Lego igitur, ut in duobus MSS. *currus appoſitus eſt, cum inſcriptione Græca, Nunc demum agona eſſe.* &, *Traheret tandem.* hoc eſt, verum, & quidem de vita, certamen agi. Hactenus Græce. Illud vero *Traheret tandem*, Latine adſcriptum arbitror, ut tractus ſcilicet male periret. *Tractum* autem accipio ut ante cap. XXII. *trahere* enim Circenſe vocabulum eſt. Sed (quod ingenue dixerim) ne in hac ipſa quidem lectione, quemadmodum neque in altera illa cui Turnebus patronus, nimiopere mihi ſatisfacio. Enimvero ſententiam dixi, paratus diſceſſionem facere, ſi quis probabilius aliquid cenſebit.

Casaubon.

45. *Ex annonæ quoque caritate luctantium accrevit invidia.*] Varie ſcriptum hunc quoque locum reperimus. Mihi vero unice placet & ſola Viterbienſis lectio, quam & veteres omnes confirmant, etſi leviter corrupti in poſterioribus ſyllabis hujus vocis. Lego igitur, *lucrantium.* atque ita omnino ſcribi debere pertendo. Senſus eſt, cum omnium jam animus a Nerone eſſet alienatus, extremum malorum acceſſiſſe cumulum, caſum, qui hic narratur. annonæ erat ingens Romæ inopia, avideque naves Alexandrinæ ab omnibus exſpectabantur, graſſantibus interea dardanariis, qui publicam calamitatem in occaſionem quæſtus vertere ſoliti. ita ſuſpenſis omnium animis, nuntiatur navis Alexandrina pulverem luctatoribus aulicis advexiſſe. tum vero fremere omnes, & in Neronem invidiam vertere, quam ante juſte conceperant adverſus lucrantes ex annonæ caritate. In libris regiis, & pleriſque aliis, *lucrantia*, conſtantiſſime ſcriptum. quod lectorem celare nolui, quum præſertim & Memmianus non aliter habeat.

Statuæ ejus a vertice currus appoſitus eſt cum inſcriptione

Traheret tandem. Alterius collo & aſcopera deligata, ſimulque titulus, *Ego quid potui? ſed tu culeum meruiſti.* Adſcriptum & columnis, *Etiam Gallos eum cantando excitaſſe.*

ſcriptione Græca, Nunc demum agona eſſe; & , Traheret tandem.] Currum intellige, ſimulacrum parvum eorum curruum, quibus inſiſtebant aurigantes in Circo. ac videtur non alius currus appenſus fuiſſe, quam quibus ludebant in abaco ad ſimilitudinem Circenſium, ut ante dictum. ita eſſe legendum, non *currus*, ſuper auctoritatem MSS. noſtrorum, in quibus omnibus, etiam Memmiano, ſic habetur, declarant ſequentes inſcriptiones διασυρτικαί. quarum prior Græca, ut ait Suetonius, acroteleutium fuit ſenarii tragici: hoc modo, Νῦν γὰρ ἔςʼ ἀγών. ut apud Ariſtophanem in Pace, Ὦνδρες τί πεισόμεσθα νῦν ἀγὼν μέγας. apparet proverbiale dictum eſſe, quoties ad certamen aliquod ſe compararent. Sic apud elegantiſſimum ſcriptorem, Chariclea parans ſe ad periculum ſubeundem ſtatus & vitæ, πλησίον ὁ ἀγὼν, inquit ad Theagenem ſuum, lib. x. Simile illud in Oreſte Euripidea, ἐχ ἕδρας ἀγών. Terentius: *Non eſt opus prolato.* Tale & illud apud Sophoclem ἐχ ἕδρας ἀκμή. Bacchylides, Οὐχ ἕδρας ἔργον ἐδʼ ἀμβολᾶς. Æſchylus in Agamemnone: τὸ μὴ μέλλειν δʼ ἀκμή. Altera inſcriptio fuit, *Trahe tandem.* aut Græca fortaſſe, Νῦν δεῖ ἐλαύνειν, vel ἕλκειν. Neque enim id διαῤῥήδην Tranquillus negat. Utra utra lingua fuerit concepta, certum eſt *trahere* vel ἕλκειν ad aurigationem eſſe referendum. Orpheus in thymiamate Solis,

Χρυσολύρη, κόσμε τὸν ἐναρμόνιον δρόμον ἕλκων.

ſed videtur verbum *trahere* aliquid βλάσφημον & inominatum habere, ut cum dixit cap XXII. libri hujus *tractum praſinum*, & apud Plinium libro XXVIII. cap. XVII. *quadrigis agendis tractos, rotave vulneratos.* ideo ſcriptum potius ab iſtis *Trahe* quam Age vel agita: aut ἕλκε potius quam ἔλαυνε. etſi ea quoque vox aliquid interdum ſonat ominoſi, ut cum Diogenes Laertius ait, epigrammate in Stilponem, πιὼν γὰρ ἤλασε. id eſt, obiit, periit. Ita autem interpretamur hunc locum: nec moramur alias diverſas ſcriptiones, quas & ante nos alii annotarunt, & nos offendimus. nam *cirrus* habetur in veteri Rom. cod. pro *currus*. & in Viterb. *traderet* pro *traheret*. At Pithœi Liſlæique & editionum veterum optima quæque in ea lectione, quam amplectimur, conſentiunt. *Raderet* ſane, quod adeo Turnebo placuit, nuſquam ſcriptum eſt. Scio tamen Petrum Fabrum τὸν πολυμαθῆ in Agoniſtico ſuo illud Turnebi *raderet* acriter defendere: ſed quam toto illo capite doctiſſimus vir fallatur, cum in explicandis Plutarchi & Theocriti locis, tum etiam in iſto, alio in opere diſputamus. Ac mihi quidem ſic videtur: τε δʼ ἐν νικάτω, ut tragicus ait poeta.

VARIOR.

45. *Omnium in ſe odio concitato.*] Salm. Cod. *incitato.* Mox idem *cirrus*, pro *currus*, & pro *traderet*, *raderet.*

TORRENT.

Aſcopera deligata.] Libri noſtri MSS. *aſcopa*, & *eſcopa*, unus etiam & *ſcopa*. Politianus, quem ſecuti ſunt interpretes, primus *aſcopera* ſubſtituit. Turnebus *aſcoma* legere mavult, quod cum Græci neutro genere proferant, Latini etiam feminino enuncient. Verum apud quos auctores id invenerit, non exprimit. *Aſcopera* igitur retineo, pro marſupio, ut etiam Suidas exponit, & ipſa nominis ratio aliquid ſimile culleo eſſe oſtendit. *Aſcoma* certe, quod lorum remo appoſitum eſſe ait interpres Ariſtophanis, propoſito noſtro non convenit. Dionis corruptor Xiphilin. μολγὸν vocat, ſic culleum interpretans. Græca voce uſus eſt Sueton. quia nimirum ut paullo ante currus, ſic culleus quoque Græcum titulum prætulit.

Ego quid potui?] Sic quidem libri noſtri omnes; mallem tamen, *Ego quod potui*, nempe feci, vel præſtiti. *Sed tu vere culleum meruiſti.* Ut verba ſint ejus, qui aſcoperam appoſuit, Neronem alloquentis.

Gallos eum cant.] Liber opt. *Gallos & eum cant. excitaſſe*, ut non ſolum in ambiguitate verbi *Gallos* dicti hujus gratia conſiſtat, ſed quod eum etiam excitaverant, qui cantu ſuo theatrali excitare alios conſueverat.

CASAUBON.

Alterius collo & aſcopera deligata.] In codice Viterb. hodie ſcriptum ut in cæteris fere MSS. omnibus, (etiam Memm. & iis qui in Regis bibliotheca ſervantur, antiquitatis non contemnendæ) *aſcopa* vel *etſcopa*: quæ lectiones ſunt ambæ in Viterbienſi. ſed perſuaſus fere ſum in iis membranis, unde noſter codex olim fuit Viterbii deſcriptus, liquido fuiſſe *aſcopera*, aut ſaltem *ſcopera*. manet enim adhuc litura ejus virgulæ, quæ cum tranſverſa inducitur τῷ *p*, efficit *per*. Quare non dubitemus amplius de lectione, quam primus Politianus prodidit. *Aſcopera* dictum, ut *hippopera* apud Senecam, ne quis miretur Suetonium ea voce uſum. non enim puto eam eſſe cauſſam quam afferunt quidam, quod ſequens inſcriptio Græca fuerit: quod neque auctor dicit, neque verum cenſeo.

Ego quid potui?] Populi vox eſt compellantis Neronem: aut Agrippinæ matris.

citaſſe. Jam noctibus jurgia cum ſervis plerique ſimulantes, crebro Vindicem poſcebant. Terrebatur ad hæc evidentibus portentis ſomniorum & auſpiciorum & ominum, tum 46
veteribus tum novis. Numquam antea ſomniare ſolitus, occiſa demum matre, vidit per quietem, navem ſibi regenti extortum gubernaculum: trahique ſe ab Octavia uxore in arctiſſimas tenebras, & modo pennātarum formicarum multitudine oppleri: modo a ſimulacris gentium ad Pompeji theatrum dedicatarum circuiri, arcerique progreſſu. Aſturconem, quo maxime lætabatur, poſteriore corporis parte in ſimiæ ſpeciem transfiguratum, ac tantum capite integro hinnitus edere canoros. De Mauſoleo ſponte foribus patefactis exaudita vox eſt, nomine eum cientis. Kalend. Januarii exornati Lares in ipſo ſacrificii apparatu conciderunt. Auſpicanti Sporus anulum muneri obtulit: cujus gemmæ ſculptura erat, *Proſerpinæ raptus.* Votorum nuncupatione magna jam ordinum frequentia

TORRENT.

Jam noctibus.] Lego *Etiam noctibus*, facili conjectura. præcedit enim *e* vocalis.

Vindicem poſcebant.] Mallem ſcribi *v* minuſcula *vindicem.* incertum enim, privatine ſceleris ultorem quales in comœdiis lorarii, an publicæ injuriæ defenſorem C. Julium poſcerent, cognomine Vindicem.

46. *Tum veterib. tum novis.*] Libri duo *cum veteribus, tum novis. Nunquam a. ſomn. ſol. occ.* &c. Quod vero nunquam ſomniare ſolitum ante occiſam matrem ſcribit, de eo ſic Tertullian. lib. de Anima: *Sed & Neronem Suetonius, & Thraſymedem Theopompus negant unquam ſomniaſſe, niſi vix Neronem in ultimo exitu poſt pavores ſuos. Pavores* autem (ni fallor) vocat Umbrarum metus, de quibus ante cap. XXXIV. De Thraſymede idem Plutarch. De defectu oraculor. Aliquid Plin. lib. X. cap. VII. *Ominum* etiam pro *omnium* ſcribi debet.

Ad Pompeji theatrum dedicatarum.] Locum hunc declarat Plin. lib. VII. cap. III. cum ait: *Pompejus Magnus in ornamentis theatri mirabiles fama poſuit effigies, ob id diligentius magnorum artificum ingeniis elaboratas.* Ab his igitur terrebatur Nero.

Nomine eum ciens.] Liber opt. *cientis.* Virgil.

Hinc exaudiri voces & verba vocantis
Viſa viri.

De Sichæo Didonem conjugem appellante loquitur. Vide Veſpaſ. cap. XXIII.

Kal. Jan. exornati lares.] Aug. cap. XXXI.

Votorum nuncupatione.] Eam votorum nuncupationem intelligo, quæ anni initio pro ſalute Principis fiebat. nam & quod de Spori munere præcedit, ad ineuntis anni ſtrenas refero. De votis autem Cajus JCtus l. CCXXXIII. De verb. ſignif. Tacit. Annal. IV. Plin. Epiſt. XXXVI. lib. X. Tertullian. Apolog. Sed & Spartian. Hadriano, de morte L. Ælii Cæſaris, *Periit* (inquit) *ipſis Kal. Jan. Quare ab Hadriano votorum cauſa lugeri eſt vetitus.* Capitolin. Pertinace, *tertio Nonarum die, votis ipſis.* ubi male in vulgatis codicib. *notis ipſis*, nullo ſenſu idoneo. Diſcrepant autem nonnihil auctores. alii enim III. Non. alii Kalendis ipſis votorum nuncupationem faciunt. Veriſimile eſt, celebritatem illam triduo duraſſe.

CASAUBON.

Crebro vindicem poſcebant.] Vox eſt ſervorum petentium vindicem, hoc eſt, καρπιστὴν, ut ſimul alluſionem facerent ad Julium Vindicem, qui conſpiraverat in Neronem pro libertate publica.

46. *A ſimulacris gentium ad Pompeji theatrum dedicatarum circuiri.*] Non ſingularum tantum perſonarum ſtatuas & imagines, ſed gentium quoque factas eſſe legimus: ut populi Romani apud Rhodios & alibi. ſimiles intelliguntur imagines gentium, quæ inter ornamenta theatri Pompejani: nam male Beroaldus, & poſt eum Torrentius, huc referunt locum Plinii ex libro VII. cap. III. qui nihil pertinet ad hæc ſimulacra, de quibus Suetonius ſentit, & quorum meminit Plinius lib. XXXVI. cap. V. *Idem Varro*, inquit ille, *& a Coponio* XIV. *nationes, quæ ſunt circa Pompeji, factas auctor eſt.* Martinus Polonus in Chronico: *Erat Romæ conſecratio omnium ſtatuarum, quæ ſtatuæ ſcripta nomina gentis in pectore, cujus imaginem tenebant, gerebant.* Pompeji exemplum fuerat & Auguſtus imitatus, ſiquidem ex fide ſcribit hæc Servius: *Porticum*, ait, *Auguſtus fecerat, in qua ſimulacra omnium gentium conlocaverat, quæ porticus appellatur, Ad nationes.* Reperio etiam ſimulacra gentium producta in funebri pompa Principum defunctorum. Dio libro LVI. de exſequiis Auguſti: Τάτε ἔθνη πάνθ' ὅσα προσεκτήσατο ἐπιχωρίως σφίσιν ὡς ἕκαστα ἀπεικασμένα ἐπέμφθη. Idem in funere Pertinacis: Παρῆλθον μετὰ τοῦτο τὰ ἔθνη πάντα τὰ ὑπήκοα ἐν εἰκόσι χαλκαῖς ἐπιχωρίως σφίσιν ἐσταλμένα.

VARIOR.

Jurgia cum ſervis.] An *jurgia ſervi plerique?* GUJET.

46. *Terrebatur ad hæc.*] Salmaſ. cod. *ad hoc.* idem *pinnatarum.*

TOR-

tia vix repertæ Capitolii claves. Cum ex oratione ejus, qua in Vindicem perorabat, recitaretur in ſenatu, *daturos pœnas ſceleratos*, *ac brevi dignum exitum facturos*, conclamatum eſt ab univerſis: *Tu facies*, *Auguſte.* Obſervatum etiam fuerat, noviſſimam fabulam cantaſſe eum publice *Oedipodem exſulem*, atque in hoc deſiiſſe verſu:

Θανεῖν μ᾽ ἄνωγε σύγγαμος, μητὴρ, πατήρ.

47 Nuntiata interim etiam ceterorum exercituum defectione, litteras prandenti ſibi redditas concerpſit, menſam ſubvertit: duos ſcyphos gratiſſimi uſus, quos Homericos a cælatura carminum Homeri vocabat, ſolo illiſit: ac ſumto a Locuſta veneno, & in auream pyxidem condito, tranſiit in hortos Servilianos. Ubi præmiſſis libertorum fidiſſimis Oſtiam, ad claſſem præparandam, tribunos centurioneſque prætorii de fugæ ſocietate tentavit. Sed partim tergiverſantibus, partim aperte detrectantibus, uno vero etiam proclamante,

Uſque adeone mori miſerum eſt?

varia agitavit: Parthoſne an Galbam ſupplex peteret, an atratus prodiret in publicum, proque Roſtris quanta maxima poſſet miſeratione veniam præteritorum precaretur: ac ni flexiſſet animos, vel Ægypti præfecturam concedi ſibi oraret. Inventus eſt poſtea in ſcrinio ejus hac de re ſermo formatus. Sed deterritum putant, ne prius quam in forum perveniret, diſcerperetur. Sic cogitatione in poſterum diem dilata, ad mediam fere noctem excitatus, ut comperit ſtationem militum receſſiſſe, proſiluit e lecto, miſitque circum amicos. Et quia nihil a quoquam renuntiabatur, ipſe cum paucis hoſpitia ſingulorum adiit. Verum clauſis omnium foribus, reſpondente nullo, in cubiculum rediit: unde jam & cuſtodes diffugerant, direptis etiam ſtragulis, amota & pyxide veneni. Ac ſtatim Spicillum mirmillonem, vel quemlibet alium percuſſorem, cujus manu periret, requiſivit. Et nemine reperto: *Ergo ego*, inquit, *nec amicum habeo*, *nec inimicum?*
48 procurritque quaſi præcipitaturus ſe in Tiberim. Sed revocato rurſus impetu, aliquid ſecretioris latebræ ad colligendum animum deſideravit: & offerente Phaonte liberto ſuburbanum

TORRENT.

Dignum exitum facturos.] Liber opt. *exitium fact.*

Decidiſſe.] Mallem *deſiſſe*, ut in cod. Lovanienſi, pro *deſiiſſe.*

47. *Duos ſcyphos.*] Calices, & quidem cryſtallinos vocat Plin. XXXVII. cap. II.

Tribunos centurioneſque prætorii.] Sup. Calig. cap. XL. Tribunos, Centurioneſque Prætorianos vocat. Atque ita hic ſcribi velim. hujuſmodi enim dictiones non integræ perſcribebantur.

Quanta poſſet maxima.] Meliores libb. *quanta maxima poſſet.*

Stationem militum.] Excubitorum ſcilicet, (ſup. cap. VIII.) ex Tacito.

Spicillum mirmillonem.] Tres libb. MSS. *Spiculum.* Mallem *Spicillum.* ſic enim & ſup. cap. XXX.

CASAUBON.

Ac brevi dignum exitum facturos.] Male, qui *exitium* pro *exitum* ſcribunt. *Exitum facere* probum & elegans dicendi genus. Seneca epiſt. CXV. *Exſpectarent, viderentque, quem admirator auri exitum faceret.* Petronius Arbiter, *pictura quoque non alium exitum fecit.* Quintilianus Declamatione IV. *filium pietate pereuntem ne velis exitum facere parricidæ.* & Declamatione V. *exitum faciam hominis, ad quem non venerit pater.* & in VII. *hunccine fecit exitum illa modo civitate tota conſpicua mater?* Marcellus Juriſconſultus l. III. Dig. De iis quæ in teſtamento delentur &c. *Credi poteſt ſatis ſe conſecuturum putaſſe, ut inteſtati exitum facerent.*

Atque in hoc decidiſſe verſu.] Aliter Dio, vel potius, ut puto, Xiphilinus, Dionis narrationem corrumpens, Νέρων μὲν δὴ τοιαῦτα ἐτραγῴδει καὶ τὸ ἔπος ἐκεῖνο συνεχῶς ἐνενόει οἰκτρῶς,

Θανεῖν μ᾽ ἄνωγε σύγγαμος, μητὴρ, πατήρ.

47. *Menſam ſubvertit.*] Plutarchus ἀνέτρεψε τὴν τράπεζαν: ſed in tempore quo id factum, diſſentit. Vid. ad cap. XLII.

VARIOR.

Atque in hoc decidiſſe verſu.] Cod. Salmaſ. *dediſſe.* Lege *deſiſſe.* SALMAS.

Decidiſſe.] Leg. *deſiſſe.* GUJET.

47. *Spicillum.*] Cod. Salmaſ. *Spiculum.*

banum ſuum inter Salariam & Nomentanam viam circa quartum miliarium: ut erat nudo pede atque tunicatus, pænulam obſoleti coloris ſuperinduit: adopertoque capite, & ante faciem obtento ſudario, equum inſcendit, quatuor ſolum comitantibus, inter quos & Sporus erat. Statimque tremore terræ, & fulgure adverſo pavefactus, audiit ex proximis caſtris clamorem militum, & ſibi adverſa & Galbæ proſpera ominantium: etiam ex obviis viatoribus quendam dicentem, *Hi Neronem perſequuntur*: alium ſciſcitantem, *Ecquid in urbe novi de Nerone?* Equo autem odore abjecti in via cadaveris conſternato, detecta facie agnitus eſt a quodam Miſſicio prætoriano, & ſalutatus. Ut ad diverticulum ventum eſt, dimiſſis equis inter fruticeta ac vepres, per arundineti ſemitam ægre, nec niſi ſtrata ſub pedibus veſte, ad adverſum villæ parietem evaſit. Ibi hortante eodem Phaonte, ut interim in ſpecum egeſtæ harenæ ſe conderet, negavit *ſe vivum ſub terram iturum*: ac parumper commoratus, dum clandeſtinus ad villam introitus pararetur, aquam ex ſubjecta lacuna potaturus manu hauſit: & *Hæc eſt*, inquit, *Neronis decocta.* Dein divulſa ſentibus pænula trajectos ſurculos raſit: atque ita quadrupes per anguſtias effoſſæ cavernæ receptus, in proximam cellam decubuit ſuper lectum modicella culcita, vetere pallio ſtrato inſtructum. Fameque interim & ſiti interpellante, panem quidem ſordidum oblatum aſpernatus eſt, aquæ autem tepidæ aliquantulum bibit. Tunc 49
uno-

TORRENT.

48. *Obtenſo ſudario.*] Tres libb. *obtento.*

Ex proximis caſtris.] Prætoriis, quæ non procul diſtabant a porta Viminali. Vide Tib. cap. XXXVII.

Ad adverſum villæ parietem.] Libri tres *adverſus villæ parietem.*

Eodem Phaonte.] Abeſſe mallem dictionem *eodem*, vel *eum* ſcribi.

Concederet.] Lib. unus *ſe conderet*, alter, *conderetur.* Non placet.

Neronis decocta.] Plin. lib. XXXI. cap. III. *Neronis Principis inventum eſt decoquere aquam, vitroque demiſſam in nives refrigerare. Ita voluptas frigoris contingit ſine vitiis nivis.*

Deinde divulſa.] Lib. caſtigatiſſimus, *Dehinc divolſa.*

Modicella culcita.] Libri noſtri *modica* habent.

Vetere pallio ſtrato inſtructum.] Lego *vet. pallio inſtratum.*

CASAUBON.

48. *Quatuor ſolum comitantibus.*] Joſephus totidem ait, Ἁλώσεως libro IV. cap. XXIX. *διαδρὰς δὲ σὺν τέτρασι τῶν πιστῶν ἀπελευθέρων ἐν τοῖς προαστείοις ἑαυτὸν ἀνεῖλε.* Dio Caſſius tres tantum fuiſſe auctor eſt, Phaonem, Epaphroditum, Sporum. De Sporo diſſentit ab hiſtoricis Dio Chryſoſtomus: qui eum facit auctorem cædis Neronis, memorem illatæ ſibi injuriæ, & ulciſcendi cupidum.

Et ſalutatus.] Non ſimpliciter, verum ita, *Salve Imperator.* Dio, *καὶ αὐτοκράτωρ προσηγορευθείς.*

Ut interim in ſpecum egeſtæ harenæ concederet.] Dio paullo aliter: *ἐς καλαμαδίαν τόπον τινὰ ἐκρύφθη, in arundineto quodam ſeſe occuluit.* Subjecta vox *Neronis* fidem adſtruit narrationi Dionis. neque diſſentit Suetonius, ſi recte capias. Hic videtur eſſe locus, quem ætas poſterior appellavit Ciſternam Neronis. Radevicus De geſtis Friderici I. libro II. cap. LXVI. *Nono die deſcendentes trans Tiberim, eo die & altero commorantes, XI. exierunt, pervenerunt ad Ciſternam Neronis, in qua latuit Nero fugiens Romanos inſequentes.* capite LXX. *Probatum eſt etiam, quod Rolandus XII. die poſt domini Victoris promotionem, ab Urbe egreſſus, apud Ciſternam in qua Nero Imperator quondam ad Urbe profugus latitavit, primo eſt immantatus.*

VARIOR.

48. *Agnitus eſt a quodam miſſicio prætoriano.*] *Miſſicium prætorianum* appellat a militia prætoriana miſſum, hoc eſt, veteranum prætorii. Vulgo hoc loco *Miſſicium* & ſcribunt & accipiunt, quaſi nomen eſſet proprium, pudendo errore. hodie legitur in Gloſſis Iſidori: *Miſſilius, qui miſſilia exhibet.* ita correxerunt, quod erat in veteribus membranis: *Miſſicius, qui militiam exhibet.* lego: *Miſſicius, qui militia exivit.* Vetus inſcriptio: TRIB. LEG. XI. AUG. ET. MISSICIUS. LEG. VI. AUG. Miſſicius eſt veteranus, & qui honeſta miſſione miſſus eſt. *miſſicius* autem, ut *ceſſicius*, *adſcripticius*, *ſubditicius*, & ſimilia: quæ nos per *t* ſcribimus, veteres per *c* ſcripſiſſe alibi docemus. SALMASIUS.

Deinde divulſa.] Codex Salmaſ. *Dein divulſa.* paullo ante, *poturus*, pro *potaturus.* mox *quadripes* pro *quadrupes*, & *modica* pro *modicella*, & *aliquantum* pro *aliquantulum*, idem codex.

TOR-

unoquoque hinc inde inſtante, ut quam primum ſe impendentibus contumeliis eriperet, ſcrobem coram fieri imperavit, dimenſus ad corporis ſui modulum: componique ſimul, ſi qua invenirentur, fruſta marmoris, & aquam ſimul ac ligna conferri, curando mox cadaveri, flens ad ſingula, atque idemtidem dictitans: *Qualis artifex pereo!* Inter moras perlatos a curſore Phaontis codicillos præripuit, legitque *ſe hoſtem a ſenatu judicatum & quæri, ut puniatur more majorum.* Interrogavitque, quale id genus eſſet pœnæ. Et cum comperiſſet nudi hominis cervicem inſeri furcæ, corpus virgis ad necem cædi: conterritus, duos pugiones, quos ſecum tulerat, arripuit: tentataque utriuſque acie, rurſus condidit, cauſſatus *nondum adeſſe fatalem horam.* Ac modo Sporum hortabatur, ut lamentari ac plangere inciperet: modo orabat, ut ſe aliquis ad mortem capeſſendam exemplo juvaret: interdum ſegnitiem ſuam his verbis increpabat: *Vivo deformiter ac turpiter:* οὐ πρέπει Νέρωνι, οὐ πρέπει. νήφειν δεῖ ἐν τοῖς τοιούτοις, ἄγε ἔγειρε σεαυτόν. Jamque equites appropinquabant, quibus præceptum erat ut vivum eum attraherent. Quod ut ſenſit, trepidanter effatus,

Ἵππων μ' ὠκυπόδων ἀμφὶ κτύπος οὔατα βάλλει,

ferrum jugulo adegit, juvante Epaphrodito, a libellis. Semianimiſque adhuc irrumpenti cen-

TORRENT.

49. *Quale eſſet id genus pœnæ.*] Libri veteres, *quale id genus eſſet pœnæ.* Sup. Claud. cap. XXXIV. *antiqui moris ſupplicium.* Pœna autem, ad quam quærebatur Nero, talis ab Eutropio deſcribitur, ut nudus per publicum ductus, furcæ capite ejus inſerto, virgis uſque ad mortem cæderetur, atque ita præcipitaretur de Saxo.

Ἵππων.] Verſus eſt ex Iliad. x. Cui perſimilis Ennii in Thyeſte ſenarius, relatus a Nonio, *Sed ſonitus aures meas pedum pulſu increpat.*

Epaphrodito, a libellis.] Inf. Domit. cap. XIV.

CASAUBON.

49. *Scrobem coram fieri imperavit, dimenſus ad corporis ſui modulum.*] Et qui carnificis manu puniendi erant, & qui aliqua neceſſitate coacti ſe interimebant, in ſcrobibus præparatis ſæpe ſoliti ſedere. credo, ut evitaretur caſus ἀσχήμων poſt vulnus acceptum. Appianus de Bellis Civilibus lib. IV. in hiſtoria Labeonis ſeſe vita privantis, afflictis Bruti Caſſiique partibus: Λαβεὼν δὲ βόθρον ἐν τῇ σκηνῇ τὸ μέγεθος αὐτάρκη σώματι ὀρυξάμενος, τὴν σφαγὴν ὑπέσχε. καὶ τῷ δὲ μὲν ἡ σκηνὴ τάφος ἐγένετο. Tacitus lib. XV. 67. *Pœna Flavii Vejani Nigro tribuno mandatur. is proximo in agro ſcrobem effodi juſſit: quam Flavius ut humilem & anguſtam increpans, Ne hoc quidem, inquit, ex diſciplina.* Philoſtratus libro quinto, narrans ſub ingreſſum Apollonii Tyanei in Alexandriam obviam illi factos carnifices ducentes ad ſupplicium duodecim λῃστὰς τὴν αἰτίαν, id eſt, quorum elogium continebat latrones eos eſſe (αἰτία hic elogium puniendorum ſignificat, id eſt, titulum, vel τίτλον, ut vocat Joannes, Matthæus ſimiliter αἰτίαν, & apud Marcum ἡ ἐπιγραφὴ τῆς αἰτίας pro inſcriptione elogii) harum ſcrobium ita meminit: Πρὸς τοὺς δημίους ὑφ' ὧν ἤγοντο, ὑφεῖναι ἔφη, κελεύω τοῦ δρόμου, καὶ σχολαίτερον ἥκειν ἐπὶ τὸ ὄρυγμα. Neſcio an non talis mos aliquis fuerit Athenis ſervatus: nam ſane is locus ubi de damnatis ultimum ſupplicium ſumebatur, ὄρυγμα, *foſſa* dicebatur. vide Harpocrationem & Demoſthenem, contra Ariſtocratem.

Qualis artifex pereo!] Dio, ὦ Ζεῦ οἷος τεχνίτης παραπόλλυμαι! Intellige vocem *artifex*, ut cum Græci nominant Διονύσου τεχνίτας: de quo apud Ariſtotelem in Problem. Græci quidam κιθαρῳδὸς explicatius vertunt, ut in Manaſſæ Chronico, οἷος ὦ Ζεῦ κιθαρῳδὸς ἐξ ἀνθρώπων ἀπόλλυται.

Nudi hominis cervicem inſeri furcæ.] De hujus ſupplicii modo alibi diſputamus, & varios errores doctiſſimorum virorum, qui nuper de his ſcripſerunt, refellimus. Mirum ſane tantum in litteris Latinis virum adeo fuiſſe impeditum in explicando, quid eſſet *furca* Romane loquentibus.

Ferrum jugulo adegit.] Quid igitur illud eſt, quod Hegeſippus ait libro IV. cap. XX. Neronem periiſſe *magano, quod ipſe ſibi de ligno pararat.* ferro enim & gladio periit, non mangano. Eſt vero μάγγανον, inſtrumentum ad jacienda tela, ut balliſta: hujus in Gloſſario mentio & apud Leonem in Tacticis, atque alios. Euſebius in hiſtoria libro ſexto, ὥσπερ ἐκ μαγγάνου τινὸς εἰς τὸ μέσον ῥιφεὶς ἀναφαίνεται. Eſt & inſtrumentum ad torquendum, de quo ſenſit Hegeſippus. Euſebius libro octavo, γύναια τοῖν ποδοῖν ἀποδεσμούμενα, μετέωρά τε καὶ διαέρια κάτω κεφαλὴν μαγγάνοις τισὶν εἰς ὕψος ἀνελκόμενα. & in libri ejuſdem ſupplemento, τοῖν ποδοῖν μαγγάνοις τισὶ ξένους διακλώμενος. ſignificat & alia, quæ miſſa nunc facio. Neſcio vero, unde id Hegeſippus ha-

centurioni, & pænula ad vulnus appoſita, in auxilium ſe veniſſe ſimulanti, non aliud reſpondit, quam *Sero*; &, *Hæc eſt fides.* Atque in ea voce defecit, exſtantibus rigentibuſque oculis uſque ad horrorem formidinemque viſentium. Nihil prius ac magis a comitibus exegerat, quam ne poteſtas cuiquam capitis ſui fieret: ſed ut, quoquo modo, totus cremaretur. Permiſit hoc Icelus Galbæ libertus, non multo ante vinculis exſolutus, in quæ primo tumultu conjectus fuerat. Funeratus eſt impenſa ducentorum milium, 50 ſtragulis albis auro intextis, quibus uſus Kalend. Januarii fuerat. Reliquias Ecloge & Alexandra nutrices cum Acte concubina gentili Domitiorum monumento condiderunt: quod proſpicitur e campo Martio impoſitum colli hortorum. In eo monumento ſolium Porphyretici marmoris ſuperſtante Lunenſi ara circumſeptum eſt lapide Thaſio. Statura fuit 15 pæne

buerit: nam alii omnes nihil amplius, quam Neronem ſe ipſum interfeciſſe narrant.

VARIOR.

49. *Dimenſus ad corporis ſui modulum.*] Codex Salmaſ. *demenſus.* dein *quos ſecum extulerat* idem pro *tulerat.* non longe poſt ille ipſe Codex: *vivo deformiter turpiter*, omiſſa copula.

Adhuc irrumpenti.] *Introrumpenti* ſcrib. vid. GUJET.

TORRENT.

Non aliud reſpondit.] Libri duo non habent verbum *reſpondit.*

Permiſit hoc Icelus.] Recte. Vulgati *promiſit hoc Sejus.* MSS. quidem *permiſit*, ſed nomen *liberti* corruptum. Vide Galb. cap. XIV.

50. *Ecloge & Alexandria.*] Lego *& Alexandra.*

Impoſitum colle hortorum.] Libb. MSS. tres *collo hortulorum*, Lego *colli hortulorum*, nunc quoque Romæ omnibus notiſſimo.

In eo monumento ſolium.] *Monumentum* totum illud eſt, quod mortui memoriam præ ſe fert: *ſolium* vero, quo reliquiæ conduntur. Regum præſertim, Principumque, ut Cyri, & Alexandri apud Curtium. Plin. lib. XXXV. cap. XII. generalius uſus eſt, cum ait: *Quin & defunctos ſeſe multi fictilibus ſoliis condi maluerunt, ſicut M. Varro.* Niſi *doliis* ibi ſcribendum exiſtimemus, quæ nonnullorum opinio eſt. Sed repugnant exemplaria vetuſta. *Solium* quoque hac ſignificatione poſuit Florus lib. IV. loquens de morte Cleopatræ.

Superſtante Lunenſi ara.] Aram ſepulcralem e marmore Lunenſi, quod candidum eſt, intelligo, veterum conſuetudine. Ad quam reſpexit Virgil. lib. V.

Ex quo reliquias divinique oſſa parentis
Condidimus terra, mœſtaſque ſacravimus aras.

Ovid. quoque lib. VIII. Metam.

Ante ſepulcrales infelix adſtitit aras.

CASAUBON.

50. *Cum Acte concubina.*] E XIII. Annali Taciti hæc ancilla nota, & Neronis contubernium cum ipſa, neque tacetur eadem a Dione.

Impoſitum colli hortorum.] Viterbienſis *colle ortulorum.* duplici arhaiſmo. *colle*, pro colli. & *ortulorum* pro hortulorum. quo modo ſcripſiſſe multos antiquorum, ex iis conſtat, quæ ſcripſerunt veteres de orthographia.

VARIOR.

50. *Alexandra.*] Codex Salmaſ. & Robert. Stephan. *Alexandria.*

In eo monumento ſolium.] Πύελον, quo defuncti condebantur apud Græcos, Latini reddidere *ſolium* a ſimilitudine ſolii vel alvei, in quo lavabantur. vulgo dicimus *une Auge* ex Latino ſequioris ſeculi *albium* pro alveo. Sic πύελον in quo Cyri corpus jacebat, Curtius *ſolium* interpretatus eſt. Florus de Cleopatra: *In Mauſoleum ſe (ſepulcra regum ſic vocant) recepit. Ibi maximos, ut ſolebat, induta cultus in differto odoribus ſolio, juxta ſuum ſe collocavit Antonium.* Ita & Plinius accepit libro XXXV. cap. XII. *Quin & defunctos ſe multi fictilibus ſoliis condi maluere.* fictilia ſolia ſunt, ὀστρακίναι πύελοι, arcæ fictiles condendis mortuis. *Arcam* item dixit Petronius in hiſtoria nobili illius matronæ, quæ pudicitiæ exemplum fuit. Sed & Cedrenus λάρνακα πορφυρᾶν vocat, id eſt, arcam porphyretici marmoris, in qua corpus Juliani repoſitum eſt. Suetonius pro cinerario uſurpavit, quo conditæ fuerunt Neronis reliquiæ. SALMASIUS.

Solum porphyretici marmoris ſuperſtante Lunenſi ara circumſeptum eſt lapide Thaſio.] Malim *porphyritici* a πορφυρίτης, πορφυριτικός. alioquin a πορφυρέω, πορφυρητὸς, πορφυρητικὸς, quod minime placet, ducendum erit. Totus hic locus ſcribendus videtur: *In eo monumento ſolium porphyritici marmoris ſuperſtans Lunenſi ara circumſeptum eſt lapide Thaſio.* GUJET.

Porphyretici marmoris.] Vide Plinium l. XXXVI. capite VII. ubi genera marmorum recenſet.

Circumſeptum eſt.] Præter generalem muri ambitum, quo clauſum fuiſſe veriſimile eſt monumentum gentile Domitiorum, intra illud monumentum arca porphyretica, in qua reliquiæ Neronis repoſitæ ſunt, & cui ſuperſtabat ara ex Lunenſi marmore, lapide

pæne juſta: corpore maculoſo & fœdo: ſufflavo capillo: vultu pulcro magis quam venuſto: oculis cæſiis & hebetioribus: cervice obeſa, ventre projecto, gracillimis cruribus, valetudine proſpera. Nam qui luxuriæ immoderatiſſimæ eſſet, ter omnino per XIIII. annos languit: atque ita, ut neque vino, neque conſuetudine reliqua abſtineret. Circa cultum habitumque adeo pudendus, ut comam ſemper in gradus formatam, peregrinatione Achaica etiam pone verticem ſummiſerit: ac plerumque ſyntheſinam indutus, ligato circum collum ſudario prodierit in publicum, ſine cinctu, & diſcalceatus.
52 Liberales diſciplinas omnes fere puer attigit. Sed a philoſophia eum mater avertit: monens, imperaturo contrariam eſſe: a cognitione veterum oratorum Seneca præceptor, quo

lapide Thaſio circumſepta fuit. Hoc in aliis etiam aris, quæ ſub dio ponebantur, factum apparet. Ad tutelam & monumentum addebantur hæc ſepta. Hinc illæ loquutiones tralatitiæ, qualis apud Apulejum in Apologia extrema: *Si philoſophiæ honorem, qui mihi ſalute mea antiquior eſt, nuſquam minui; immo contra ubique conſeptum pinnis tenui.* Hoc ſeptum ſi forte proprie *puteal*, quia inſtar putealis aram ipſam cingebat. Hinc puteal pro ara ipſa ſæpe nominant auctores. SALMASIUS.

51. *Statura fuit pæne juſta.*] Codex Salmaſ. *prope juſta.*

TORRENT.

51. *In gradus formatam.*] Flexus illos cincinnorum *gradus* vocat, quale Othonis capillamentum in ejus nummis cernimus, quanquam reticulo illud compoſuit. Quos autem *gradus* hic Sueton. Seneca *anulos* (ni fallor) appellat lib. de Brevitate Vitæ cap. XII. Ingenioſe Statius lib. I. Silvar. *Celſæ procul aſpice frontis honores, Suggeſtumque comæ.* Quinctilian. lib. cap. X. *Do tempori, ne craſſa toga ſit, non ſerica: ne intonſum caput, non in gradus atque anulos totum comptum.*

Syntheſin indutus.] Tres codd. *ſyntheſinam*, ut veſtem ſubaudiamus. quod Turnebus quoque animadvertit. Non placet tamen. Romani autem foris toga ſemper utebantur, quam Saturnalibus tantum ponere, & ſyntheſin ſumere licebat. Martial. lib. XIV. Epigr. I. & CXLI. Sed & domi quoque ſæpius, & quidem maxime in conviviis, ſyntheſibus induebantur, ut Zoilus ille apud Martialem lib. V. Epigr. CXXI. Verum non ſatis honeſtum erat viros principes ſic indutos conſpici. Nero autem ſyntheſinatus, diſtinctuſque prodibat etiam in publicum, cum ne pænulæ quidem uſus Imperatori unquam permitteretur, ut notavimus ad Aug. cap. XI. Syntheſim vero effeminatorum ac mollium fuiſſe, etiam Tertullian. lib. de Pallio oſtendit, uti & Xiphilin. cum hunc Suetonii locum exprimens ſic ait: Χιτώνιόν τι ἐνδεδυκὼς ἀνθινὸν, καὶ σινδόνιον περὶ τὸν αὐχένα ἔχων. Verum JCti ſyntheſin pro integra velut ſerie ac compoſitione quadam veſtium accipiunt, uti & Martial. lib. II. Epigr. XLVI.

CASAUBON.

51. *Plerumque ſyntheſinam indutus ligato circum collum ſudario prodierit in publicum ſine cinctu & diſcalceatus.*] Hoc eſt, habitu hominis in triclinio diſcumbentis. Satyrici auctor: *In his eramus lautitiis, cum ipſe Trimalcio ad ſymphoniam allatus eſt, poſituſque in cervicalia minutiſſima, expreſſit imprudentibus riſum. Pallio enim coccino adraſum incluſerat caput, circaque oneratas veſte cervices laticlaviam immiſerat mappam, fimbriis hinc atque illinc pendentibus.* Dio *ſudarium* vertit σινδόνιον. totum enim hunc locum ita exprimit: Τοὺς βουλευτὰς χιτώνιόν τι ἐνδεδυκὼς ἀνθινὸν καὶ σινδόνιον περὶ τὸ αὐχένα ἔχων, ἠσπάσατο. καὶ γὰρ ἐν τούτοις ἤδη παρηνόμει ὥστε καὶ ἀζώστους χιτῶνας ἐν τῷ δημοσίῳ ἐνδύεσθαι.

52. *A philoſophia eum mater avertit, monens imperaturo contrariam eſſe.*] Philoſtratus in vita Apollonii Tyanei, homini vano dictum non vanum in hanc ſententiam tribuit: Φιλοσοφία παρὰ βασιλεῖ ἀνδρὶ, ξύμμετρος μὲν καὶ ὑπανειμένη, θαυμαστὴν ἐργάζεται κρᾶσιν. ἡ δὲ ἀκριβὴς καὶ ὑπερεπιτείνουσα φορτική τε, ὦ βασιλεῦ, καὶ ταπεινοτέρα τῆς ὑμετέρας σκηνῆς φαίνεται. καὶ τύφου δὲ αὐτό τι εἶναι ἡγοῦνται βάσκανοι.

A cognitione veterum oratorum Seneca præceptor, quo diutius in admiratione ſui detineret.] Quintilianus de Seneca: *Tum autem ſolus hic fere in manibus adoleſcentium fuit: quem non equidem omnino conabar excutere, ſed potioribus præferri non ſinebam: quos ille non deſtiterat inceſſere, cum diverſi ſibi conſcius generis, placere ſe in dicendo poſſe iis, quibus illi placerent, diffideret.*

VARIOR.

51. *Comam in gradus formatam.*] Aliter gradus dicuntur in capillorum compoſitione, aliter annuli. inflexio enim ipſa & criſpatio capillorum nexiles annulorum orbes imitabatur. Comæ tamen ſic annulatim criſpatæ, non etiam confuſæ ac turbatæ, & indiſcriminatim temereque implexæ habebantur, ſed per gradus quoſdam poſitæ, & ordine digeſtæ, ita ut unaquæque annulorum ſeries ſtationem quaſi ſuam ſervaret & gradatim alveolatimque alia ſuper aliam ſcanderet. Latini in his exprimendis, *ordi-*

quo diutius in admiratione ſui detineret. Itaque ad poeticam pronus carmina libenter
ac ſine labore compoſuit: nec, ut quidam putant, aliena pro ſuis edidit. Venere in
manus meas pugillares libellique cum quibuſdam notiſſimis verſibus ipſius chirographo
ſcriptis: ut facile appareret, non tranſlatos, aut dictante aliquo exceptos, ſed plane quaſi
a cogitante atque generante exaratos: ita multa & deleta & inducta & ſuperſcripta inerant.
Habuit & pingendi fingendique maxime non mediocre ſtudium. Maxime autem popu- 53
laritate efferebatur, omnium æmulus, qui quoquo modo animum vulgi moverent. Exiit
opinio poſt ſcenicas coronas proximo luſtro deſcenſurum eum ad Olympia inter athletas.
Nam luctabatur aſſidue: nec aliter certamina gymnica Græcia tota ſpectaverat, quam
brabeutarum more in ſtadio humi aſſidens: ac ſi qua paria longius receſſiſſent, in
medium manibus ſuis protrahens. Deſtinaverat etiam, quia Apollinem cantu, Solem
aurigando æquiparare exiſtimaretur, imitari & Herculis facta. Præparatumque leo-
nem ajunt, quem vel clava vel brachiorum nexibus in Amphitheatri harena ſpectante po-
populo

nem, ſtationem, gradus ſolent uſurpare. Ovidius *crines in ordine ponere*, & *in ſtatione*. ἕδραν Euripides dixit. Quinctilianus *gradus* & *annulos* junctim poſuit. Manilius *crines in fluctum ponere* eleganter. nam illa crinium per annulos inflexio, & per gradus digeſtio, fluctuum modo exſtantium, modo ſubſidentium & invicem ſe propellentium undulatos intortoſque motus plane refert. SALMASIUS.

TORRENT.

51. *Ut quidam putant.*] Inter quos Tacitus ipſe Annal. XIV.

Ipſius chirographo ſcriptis.] Mallem abeſſe *ſcriptis*. ſic enim Aug. cap. LXXXVII. *Notavi & in chirographo ejus.* & cap. LXIV. *chirographum imitari.*

Non tranſlatos.] Mallem *tranſlatitios.*

53. *Exiit poſt ſcenicas cor. opinio.*] Duo libb. *exiit opinio poſt ſ. c.* Mihi verbum *opinio* merito ſuſpectum eſt, & amotum velim.

Nam luctab.] Liber opt. *nam & luctab.*

Brabeutarum more.] Βραβευταὶ (qui & βραβεῖς) vocabantur qui gymnicis certaminibus præerant, ἀγωνοθέται qui ſcenicis, uti & ἀθλοθέται, de quibus Pollux, Suidas, & alii. Adde l. IV. De his qui notantur infamia. Differentia tamen illa ſæpe confunditur.

Æquiparare æſtimaretur.] Liber opt. *æquiperare exiſtimaretur.*

Brachiorum nexibus.] Qualem videmus Herculem in Græcorum numiſmatibus, & C. Poblicii denariis.

CASAUBON.

Venere in manus meas pugillares libellique.] Appellat *libellos* chartas viliores, quibus olim eruditi utebantur, quando primum aliquid componebant: ut opus emendatum in chartam meliorem inde transferrent. Epiphanius ejuſmodi libellos vocat σχεδάρια; chartas autem, quæ opus correctum excipiebant, τετράδας. Sic ille in operis fine: Ὑπάτιος, ὁ τὴν μεταγραφὴν ἀπὸ τῶν σχεδαρίων ἐν τετράσι ποιησάμενος.

52. *Habuit & pingendi fingendique maxime non mediocre ſtudium.*] Dio Chryſoſtomus in ea de philoſopho, φασὶ δὲ καὶ γράφειν καὶ πλάττειν ἱκανὸν αὐτὸν εἶναι. de Nerone loquitur.

Maxima autem popularitate efferebatur, omnium æmulus, qui quoquo modo animum vulgi moverent.] *Maxima popularitas*, maximum placendi vulgo ſtudium. non diſpliceat *maxime autem popul.* eandem vocem (dico *maxime*) ſi quis ex præcedente ſententia ſuſtulerit, non multum, meo judicio, erraverit. Neronis popularitatem perſtringit Dio Chryſoſtomus cum ait in orat. de philoſoph. Καί τοι τῶν νῦν βασιλέων τὶς ἐπεθύμει σοφὸς εἶναι τὴν τοιαύτην σοφίαν, ὡς πλεῖστα ἐπιστάμενος. οὐ μέν τοι τὰ τοιαῦτα ἃ μὴ θαυμάζεται παρὰ τοῖς ἀνθρώποις, ἀλλ᾽ ἐφ᾽ οἷς στεφανωθῆναί ἐστι.

53. *Exiit opinio.*] Fallitur Torrentius qui vocem *opinio* putat hinc admovendam, de qua diximus ad lib. II. cap. LI. & LVI. Cæſar de Bello Civili lib. III. *quæ opinio erat edita in vulgus.* Latine loquentibus, *opinio* idem perſæpe ac fama.

VARIOR.

52. *Pugillares libellique.*] Id eſt, πινακίδες καὶ βιβλία. Nihil hic vidit doctiſſimus Commentator: libelli ſunt parva volumina: pugillares vero codices tam parvi, ut pugillo poſſint teneri. Codex ex multis tabulis compactus erat cujuſcunque materiæ. Qui ex duobus aut tribus a numero nomen inveniebant, & *duplices*, aut *triplices*, aut etiam *quintuplices* vocabantur. Qui parvi erant, ut pugillo poſſent teneri, ut quibuſdam placet *pugillares* inde appellati. Hæc ſic a libellis differunt forma, ut codices a libris. CL. SALMAS. de Modo uſurar. cap. X.

Tranſlatos.] Codex Salmaſ. *tralatos.*

53. *Ad Olympia.*) Codex Salmaſ. *Olympiam.*

Æquiparare.] Cod. Salmaſ. *æquiperare.* & ita ſemper.

TOR-

54 pulo nudus elideret. Sub exitu quidem vitæ palam voverat, ſi ſibi incolumis ſtatus permanſiſſet, proditurum ſe partæ victoriæ ludis, etiam hydraulam & choraulam, & utricularium, ac noviſſimo die hiſtrionem, ſaltaturumque Virgilii Turnum. Et ſunt qui
55 tradant, Paridem hiſtrionem occiſum ab eo, quaſi gravem adverſarium. Erat illi æternitatis perpetuæque famæ cupido, ſed inconſulta. Ideoque multis rebus ac locis vetere appellatione detracta, novam induxit ex ſuo nomine. Menſem quoque Aprilem, Nero-
56 neum appellavit. Deſtinaverat & Romam Neropolim nuncupare. Religionum uſquequaque contemtor, præter unius deæ Syriæ. Hanc mox ita ſprevit, ut urina contaminaret: alia ſuperſtitione captus, in qua ſola pertinaciſſime hæſit. Siquidem icunculam puellarem, cum quaſi remedium inſidiarum a plebejo quodam & ignoto muneri accepiſſet, detecta

TORRENT.

54. *Partæ victoriæ ludis.*] *Partæ victoriæ* Turneb. haud dubie melius.

Utricularium.] *Aſcaulam* dicere poterat, ut *choraulam* ante, & *hydraulam*. Martial. lib. x. Epigr. III.

Saltaturumque Virg. Turnum.] Id eſt, geſticulatione imitaturum. Horat. lib. I. Sat. V. *Paſtorem ſaltaret uti Cyclopa rogabat.* Idem de Arte, *agreſtem Cyclopa movetur.*

55. *Induxit.*] Liber opt. *indixit.*

Aprilem Neroneum.] Ob detectam eo menſe conjurationem Piſonianam.

56. *Urina contaminaret.*] Tale illud Juvenal. Sat. VI.

Effigiemque deæ longis ſiphonibus implent.

& alibi,

Cujus ad effigiem non tantum mejere fas eſt.

De Dea vero Syria, ſive Atergate, ſive Aſtarte, peculiari libello Lucianus.

Acunculam puellarem.] Lib. unus *acungulam*, interpretes *imagunculam*. Tu *icunculam* lege, & vide quæ notavi Calig. cap. XXII.

CASAUBON.

54. *Voverat ſe proditurum hydraulam & choraulam & utricularium.*] Harum artium peritum fuiſſe Neronem, teſtis unicus mihi Dio Chryſoſtomus in ea quam modo nominavi oratione. Φασιν, inquit, αὐτὸν ἱκανὸν εἶναι καὶ αὐλεῖν, τῷ τε ϛόματι, καὶ ταῖς μασχάλαις ἀσκὸν ὑποβάλλοντα, ὅπως διαπεφευγὼς ᾖ τὸ αἰσχρὸν τὸ τῆς Ἀθηνᾶς.

55. *Erat illi æternitatis perpetuæque famæ cupido, ſed inconſulta.*] Plane ſimile eſt Pauſaniæ de Nerone judicium: quod libet adſcribere. poſtea enim quam de liberata ab eo Græcia dixit, Ἀπιδόντι, ait, ἐς τοῦτό μοι τοῦ Νέρωνος τὸ ἔργον, ὀρθότατα εἰρηκέναι Πλάτων ἐφαίνετο ὁ Ἀρίϛωνος. ὁπόσ' ἀδικήματα μεγέθει καὶ τολμήματί ἐϛιν ὑπερηρκότα, οὐ τῶν ἐπιτυχόντων εἶναι ταῦτα ἀνθρώπων, ψυχῆς δὲ γενναίας, ὑπὸ ἀτόπου παιδείας διεφθαρμένης. Non poteſt negari, & cupidinem famæ, ac nominis ſui æternitati conſecrandi deſiderium generoſi animi eſſe documentum.

56. *Icunculam puellarem cum quaſi remedium inſidiarum muneri accepiſſet.*] Ita olim emendavit Egnatius lectionem omnium librorum: in quibus fere ſcriptum oſtendimus *agunculam.* quæ vox nec Græcam nec Latinam originem habere poteſt. *Imagunculæ* vero longius recedit a ſcripta lectione. Fuit autem moris hominibus præſtigiatoribus & planis remedia adverſus quoſvis morbos & caſus vendere, quæ ſemper circumferri facilia eſſent. Talis hæc icuncula puellaris: tales illi annulli φαρμακῖται ſive φυσικοὶ, quorum mentio apud Ariſtophanem atque alios. Tales item laminæ illæ, quarum meminit Arnobius libro ſecundo: *Adverſus ictus noxios & venenatos colubrorum morſus, remedia ſæpe conquirimus, & protegimus nos laminis, Pſyllis, Marſiſve vendentibus, aliiſque inſtitoribus atque planis.* nam quid ſibi voluit obſecro vir doctus olim, cum illum locum tam inſolenter ſuis emendationibus depravaret? atqui laminas eſſe περιάπτων genus, ut cætera quorum meminimus, etiam Alexander Trallianus docet, qui inter magica, vel, ut ipſe vocat, φυσικὰ remedia πετάλων ſive laminarum iſtiuſmodi ſæpe meminit. Ut ad Tranquillum redeam, nimis vereor, ne ſuperior emendatio acutior ſit quam verior. Nam τὸ *a* initio hujus dictionis mordicus retinent quantum eſt librorum. In Viterbienſi vero diſerte ſcriptum *acuncula.* Puto verum eſſe *acucula.* quæ & Latina & proba dictio eſt. Imperator Conſtant. in Cod. Theodoſiano, De repudiis: *Si præter hæc tria crimina repudium marito miſerit, oportet eam uſque ad acuculam capitis in domo mariti deponere.* De acu, quæ muliebris mundi olim, ut nunc quoque, pars fuit, nihil attinet dicere. notiſſima enim res eſt. Hujuſmodi igitur acus non minus quam anulos aut laminas in magico inſtrumento locum habuiſſe, ex hac lectione diſcimus.

VARIOR.

55. *Novam induxit.*] Cod. Salmaſ. *indixit.*

56. *Icunculam.*] Codex etiam Salmaſianus & Alvarii Nonii, nec non editio princeps æque ut Viterbienſis, *acunculam.* Corſendoncenſis liber, *acungulam.* quæ firmant opinionem Caſauboni.

detecta confeſtim conjuratione pro ſummo numine triniſque in die ſacrificiis colere perſeveravit: volebatque credi monitione ejus futura prænoſcere. Ante paucos quam periret menſes, attendit & exſtiſpicio, nec umquam litavit. Obiit ſecundo & trigeſimo 57
ætatis anno, die quo quondam Octaviam interemerat. Tantumque gaudium publice præbuit, ut plebs pileata tota urbe diſcurreret. Et tamen non defuerunt qui per longum tempus vernis æſtiviſque floribus tumulum ejus ornarent: ac modo imagines prætextatas in Roſtris proferrent, modo edicta, quaſi viventis, & brevi magno inimicorum malo reverſuri. Quinetiam Vologeſus Parthorum rex, miſſis ad ſenatum legatis de inſtauranda ſocietate, hoc etiam magnopere oravit, ut Neronis memoria coleretur. Denique cum poſt viginti annos adoleſcente me exſtitiſſet conditionis incertæ, qui ſe Neronem eſſe jactaret,

TORRENT.

57. xxx *& ſecundo.*] Scribo, ut in vetuſtis codicibus, *triceſimo & ſec.*

Vernis æſtiviſque floribus.] Aug. cap. XVIII.

CASAUBON.

57. *Obiit ſecundo & trigeſimo ætatis anno.*] Mirum, ſilentio eſſe prætermiſſum tempus Imperii, quod fuiſſe ait Joſephus annorum tredecim, & dierum octo. Zonaras annis tredecim adjicit menſes octo, demptis diebus duobus. Xiphilinus duos amplius dies illi tribuit tantum. Clemens vero, annorum vult fuiſſe tredecim, menſium octo, dierum XXVIII. Euſebius, niſi fallunt nos, ut ſæpe, ejus codd. annos XIV. ait, menſes ſeptem, dies XXIV. Etiam alii minorum gentium chronologi aliter. In annis vitæ late errant Dio & Zonaras, qui ajunt vixiſſe annos XXX. menſes novem. vide & Epiphanium, Theophilum, alios.

Die quo quondam Octaviam interemerat.] Periit Nero. a. d. VIII. Eid. Junii, anno & XXII. diebus ante initium Veſpaſiani. auctor Dio.

Quaſi viventis & brevi magno inimicorum malo reverſuri.] Quia Neroni ſeſe perimenti pauciſſimi (tres ait Dio, Suetonius quatuor) teſtes adfuerunt: propterea eo exſtincto & ignoratum pleriſque mortis genus, quo verum illud monſtrum perierat: & multis etiam perſuaſum, non eſſe illum occiſum, ſed vivere, ac brevi reverſurum. Præclare hoc Dio Chryſoſtomus inſignis orator æque ac philoſophus, temporum illorum prope æqualis: Οἱ περὶ αὐτὸν, inquit, ἀπέϛησαν ἀπ᾽ αὐτȣ͂, καὶ ἠνάγκασαν ὅτῳ ποτε τρόπῳ ἀπολέσθαι αὐτόν. ȣ̓δέ πω γάρ καὶ νῦν τȣτό γε δῆλόν ἐϛιν. & ſtatim: Καὶ νῦν αὐτὸν ἔτι πάντες ἐπιθυμȣ͂σι ζῆν. οἱ δὲ πλεῖϛοι καὶ οἴονται. Tacitus Hiſtoriarum libro II. *pluribus vivere Neronem fingentibus, credentibuſque.* Fuit & illa conſtans plerorumque in veteri Eccleſia opinio, venturum Neronem ante ſeculi finem; & vel ipſum fore Antichriſtum, (Johannes Chryſoſtomus ſerio affirmat, Neronem Antichriſti fuiſſe typum) vel temporibus iiſdem per Occidentem ſæviturum, quibus ille per Orientem: qua de re ſuaviter fabulatur ille vere *θαυμάσιος* Martinus, apud Severum Sulpicium dialogo ſecundo. Auctor verſuum qui Sibyllis tribuuntur, de Nerone,

Ἀλλ᾽ ἔϛαι καὶ ἄϊϛος ὁ λοίγιος εἶτ᾽ ἀνακάμψει
Ἰσάζων θεῷ αὐτὸν.

& plura in hanc ſententiam variis locis ejus operis. B. Auguſtinus de Civitate Dei lib. XX. dictum Pauli Apoſtoli explicans, *Jam enim myſterium iniquitatis operatur*, inter cætera ſcribit: *Quidam putant, hoc de imperio dictum fuiſſe Romano: & propterea Paulum Apoſtolum non id aperte ſcribere voluiſſe, ne calumniam videlicet incurreret, quod Romano imperio male optaverit, cum ſperaretur æternum. ut hoc quod dixit, Jam enim myſterium iniquitatis operatur, Neronem voluerit intelligi: cujus facta velut Antichriſti videbantur. Unde nonnulli ipſum reſurrecturum, & futurum Antichriſtum ſuſpicantur. Alii vero nec eum occiſum putant: ſed ſubtractum potius, ut putaretur occiſus: & vivum occultari in vigore ipſius ætatis, in qua fuit cum crederetur exſtinctus, donec ſuo tempore reveletur, & reſtituatur in regnum.*

Denique cum poſt viginti annos, adoleſcente me, exſtitiſſet conditionis incertæ, qui ſe Neronem fingeret.] Pſeudo-Nerones fuere plures. Tacitus clare oſtendit: etſi parum vulgo ad ejus verba attendunt. Ait ille in rebus Othonis ſecundo Hiſtoriarum: *Sub idem tempus Achaia atque Aſia falſo exterritæ, velut Nero adventaret: vario ſuper exitu ejus rumore, eoque pluribus vivere eum fingentibus, credentibuſque. Cæterorum caſus conatuſque, in contextu operis dicemus. Tunc ſervus e Ponto, ſive, ut alii tradidere, libertinus ex Italia, citharæ & cantus peritus (unde illi ſuper ſimilitudinem oris propior ad fallendum fides) adjunctis deſertoribus, quos inopia vagos ingentibus promiſſis corruperat, mare ingreditur.* illa verba, *pluribus vivere eum fingentibus*, ſubobſcure indicant, falſos Nerones fuiſſe plures: quod arguunt manifeſte ſequentia. nam de pluribus ſe dicturum pollicetur. & hiſtoria confirmat, quæ plures commemorat. primus hic eſt, quem Tacitus inſerit rebus Othonis & Vitellii: nam interpreti non aſſentior componenti illum locum cum iſto Suetonii. aperte re-

jactaret, tam favorabile nomen ejus apud Parthos fuit, ut vehementer adjutus, & vix redditus ſit.

repugnant tempora. & Tacito conſentit Xiphilinus ex Dione, narrans in Othone, captum fuiſſe tum quendam qui Neronem ſe fingeret: cujus, inquit, Dio nomen ſe ignorare ait. ſimilem ignorantiam profitetur & Tacitus in fine narrationis illius: *Aſprenati*, inquit, *cuncta ex fide nuntiata: cujus cohortatione expugnata navis, & interfectus quiſquis ille erat.* Alius ab hoc eſt Terentius ille Maximus, quem ex Dione, ut arbitror, tradit Zonaras in vita Titi: Ἐπὶ τούτου, inquit, καὶ ὁ Ψευδονέρων ἐφάνη, ὃς Ἀσιανὸς ἦν, ἐκαλεῖτο δὲ Τερέντιος Μάξιμος. προσεοικὼς δὲ τῷ Νέρωνι καὶ τὸ εἶδος καὶ τὴν φωνήν. καὶ γὰρ καὶ ἐκιθαρῴδει. ἔκ τε τῆς Ἀσίας τινὰς προσεποιήσατο, καὶ ἐπὶ τὸν Εὐφράτην προχωρῶν, πολλῷ πλείους ἀνηγτήσατο. καὶ τέλος πρὸς Ἀρτάβανον τὸν τῶν Πάρθων κατέφυγεν ἀρχηγόν. ὃς καὶ δι' ὀργῆς τὸν Τίτον ποιούμενος, ἐδέξατο τοῦτον, καὶ καταγαγεῖν ἐς Ῥώμην παρεσκευάζετο. Tertius eſt, de quo Suetonius hoc loco. Eum narrat Tranquillus exſtitiſſe poſt viginti annos a Neronis morte: incidit igitur in Domitiani tempora, & imperii ejus annum ſeptimum. quare non poteſt cum alterutro ſuperiorum idem eſſe. Pſeudo-Neronis cujuſdam meminit Lucianus in commentariolo Πρὸς ἀπαίδευτον.

C. SUETONII TRANQUILLI
DE
XII. CÆSARIBUS
LIBER SEPTIMUS.
SERV. SULPICIUS GALBA.
CAPUT I.

PRogenies Cæſarum in Nerone defecit: quod futurum compluribus quidem ſignis, ſed vel evidentiſſimis duobus, apparuit. Liviæ olim poſt Auguſti ſtatim nuptias Vejentanum ſuum reviſenti, prætervolans aquila, gallinam albam, ramulum lauri roſtro tenentem, ita ut rapuerat, demiſit in gremium: cumque nutriri alitem, pangi ramulum placuiſſet, tanta pullorum ſuboles provenit, ut hodie quoque ea villa *ad Gallinas* vocetur: tale vero lauretum, ut triumphaturi Cæſares inde laureas decer-



TORRENT.

1. *SEd evidentiſſimis.*] Duo optimi codd. *vel evidentiſſimis.* Mallem *ſed vel evidentiſſimis duobus.*

Nutriri alitem, pangique ramulum.] Libri MSS. omnes *nut. al. pangi ram.*

Ea villa ad Gallinas.] Plin. lib. xv. cap. ult. hac de re loquens, villam iſtam Tiberi impoſitam, juxta nonum ab Urbe lapidem, via Flaminia nobis deſcribit. Cum igitur Vejentanum id appellet Sueton. quo loco Vejentes olim fuerint, facile intelligimus. *Seri* autem *ramulum* ibi Plin. dixit, ut *pangi* hic Sueton. Feſtus quoque, *Pangere* (inquit) *figere eſt. Unde plantæ pangi dicuntur, cum in terram demittuntur, & verſus pangi, id eſt, in cera.* Pulchra tranſlatione Lucret. lib. II. *Quandoquidem vita depactus terminus alte*, &c.

CASAUBON.

1. *Progenies Cæſarum in Nerone defecit.*] Eſt certum, & omnes hiſtorici notant. Appianum excipio, qui libro quarto Ἐμφυλίων ſcribit, reliquiſſe Octavium καὶ γένος καὶ ὄνομα τὸ νῦν ἄρχον. vixit autem ille ſub Hadriano & Antonino Pio. tam igitur falſum domum Auguſtam, quæ tum fuit, genus traxiſſe ab Auguſto, quam verum de nomine. nam omnes Cæſares dicti. Errat & vetus Scholiaſtes Juvenalis, qui ad illum poetæ verſum,

Cum jam ſemianimum laceraret Flavius orbem
Ultimus,

notat *ultimum* dici Domitianum, quia in illo Cæſarum origo defecit.

Liviæ olim poſt Auguſti ſtatim nuptias.] Non ſane ſtatim, ſi ſatis ex fide Dionis narratio, qui in anno DCCXVII. hæc commemorat. at Livia in Auguſti domum deducta ſub anni DCCXV. finem. meminit & in extremo Nerone.

Gallinam albam.] Et iſta alba fuit, & omnes quæ ex ipſa provenere. auctor Dio, qui vocat τὸ γένος τῶν λευκῶν ὀρνίθων.

Pangique ramulum placuiſſet.] Ramulum vocat κλῶνα. nam laurus earum arborum una eſt, quæ generant, ſi κλῶν pangatur, id eſt, ſurculus: non generant neque proveniunt, ſi ἀκρέμων, hoc eſt, ſurus, ſive craſſior ramus. cauſſam habes apud Theophraſtum Αἰτίων φυτικῶν libro primo, cap. tertio.

cerperent: fuitque mos triumphantibus, alias confeſtim eodem loco pangere: & obſervatum eſt ſub cujuſque obitum, arborem ab ipſo inſtitutam, elanguiſſe. Ergo noviſſimo Neronis anno, & ſilva omnis exaruit radicitus, & quidquid ibi gallinarum erat, interiit: ac ſubinde tacta de cœlo Cæſarum æde, capita omnibus ſimul ſtatuis deciderunt: Auguſti etiam ſceptrum e manibus excuſſum eſt. Neroni Galba ſucceſſit, nullo gradu 2
contingens Cæſarum domum: ſed haud dubie nobiliſſimus, magnaque & vetere proſapia: ut qui ſtatuarum titulis PRONEPOTEM Q. CATULI CAPITOLINI ſemper adſcripſerit: Imperator vero etiam ſtemma in atrio propoſuerit, quo paternam originem ad Jovem: maternam, ad Paſiphaen Minois uxorem referret. Imagines & elo- 3
gia

Tale vero lauretum, ut triumphaturi Cæſares inde laureas decerperent.] Servius in iſtum verſum e libro VI. *Spargens rore levi, & ramo felicis olivæ*, ſic notat: *Moris fuerat, ut de lauro fieret. Sane dicit Donatus, quod hoc propter Auguſtum mutavit. Nam nata erat laurus in palatio eo die, quo natus eſt Auguſtus, unde triumphantes coronari conſueverant: propter quam rem noluit laurum dicere ad officium lugubre pertinere.* Hæc ille ſeu verus ſeu falſus Servius. Porro in optimo Memmii libro, poſt vocem *decerperent*, erat lacuna ſatis magna, quaſi periodus integra deſideraretur.

TORRENT.

Arborem ab ipſo inſtitutam.] Sic *inſtituere vinetum* Cic. in Rullum, *ſubſtituere arbores in locum demortuarum* JCti.

Omnibus ſtatuis ſimul.] Libb. duo *omnibus ſimul ſtatuis.*

Auguſtique ſceptrum.] MSS. omnes *Auguſti etiam ſceptrum.* Verum dubitari poſſit, quam hic Cæſarum ædem vocet. Ego ſane ædem Veneris Genetricis fuiſſe arbitror. a Venere enim gens Julia per Æneam.

2. *Nobiliſſimus.*] Genus paternum a gente Sulpicia, maternum a Lutatia trahens, quod de ſe ipſe Piſonem jam adoptaturus narrat apud Tacitum lib. I. Hiſtor.

Ad Paſiphaën.] Liber opt. *Paſiphaam*, veteri more. Mirum vero, cum Paſiphaë Solis filia feratur, non ad Solem potius maternum genus eum retuliſſe quam ad feminam tam fœdo concubitu infamem. Quare ſuſpicor hunc locum eſſe corruptum, ſcribendumque, *paternam originem ad Minoëm, ac Paſiphaën, Minois uxorem, referret*, deleto *maternam*, infarto ab aliquo, qui materni quoque generis mentionem faciendam eſſe putabat. Atqui illud ante ad Q. Catulum retulerat Sueton. Sic de alio quodam Galba Silius Italic. lib. VIII. *Huic genus orditur Minos, inviſaque tauro Paſiphaë.* de paterno enim genere loquitur.

CASAUBON.

Silva omnis exaruit radicitus.] Habes ſimilem hiſtoriam apud Joannem Tzetzem, Hiſtorici chiliade IV. de ficu Logothetæ cuidam unice dilecta (ſic ut nemini alii eſſe fructum ex ea liceret) quæ magna omnium admiratione, die mortis ejus exaruit, ac poſtridie a ſummo ad imum fidit ſe. quam hiſtoriam ſancte jurat auctor eſſe veram.

Nullo gradu contingens Cæſarum domum.] Liviam tamen aliquo modo contingebat auctore Plutarcho: ἦν δέ τι καὶ Λιβίᾳ τῇ Καίσαρος γυναικὶ κατὰ γένος προσήκων ὁ Γάλβας.

2. *Pronepotem Q. Catuli Capitolini ſemper adſcripſit.*] Scribe *Pronepotem ſe Q. C.* caſu enim omiſſa vocula *ſe*, quam omnes codd. habent.

Maternam ad Paſiphaën.] Memm. *Paſiphaam*, ut Torrentii: cui eruditiſſimo viro de voce *maternam* hoc loco delenda, fere aſſentior.

VARIOR.

1. *Auguſtique ſceptrum e manibus excuſſum eſt.*] Sceptrum intelligo, quale etiam ſtante Republica triumphantibus geſtare jus erat, ut fortaſſis habitu triumphali illa Auguſtum ſtatua repræſentaverit. Cæteroquin inſignia regni abnuiſſe, quibus primis rerum dominis eſſe Romæ contigit, ea fidem abunde faciunt, quæ ad cap. XXII. Caligulæ dicuntur. SCHILDIUS. Salmaſ. codex: *Auguſti etiam ſceptrum.*

2. *Pronepotem Q. Catuli Capitolini ſemper adſcripſerit.*] Scribe *Pronepotem ſe Q. C.* caſu enim omiſſa vocula *ſe*, quam & Salmaſii codex agnoſcit, & Caſauboni codices, ut ipſe teſtatur, habuerunt, nec non Rob. Stephani editio.

Pronepotem Q. Catuli.] Τὸ *ſe* quidam poſt τὸ *pronepotem* deſiderari putant, ſed facile ſubauditur, ut in Vitellio: *Cum auriganti Cajo miniſtratorem exhiberet.* GUJET.

Quo paternam originem ad Jovem, maternam ad Paſiphaën Minoïs uxorem referret.] Scribo cum Sabellico: *Quo paternam originem ad Minoëm ac Paſiphaën Minoïs uxorem referret.* Hanc emendationem confirmat Silius Italicus lib. VIII. *Huic genus orditur Minos, inviſaque tauro Paſiphaë.* IDEM.

TOR-

gia univerſi generis exſequi longum eſt: familiæ breviter attingam. Qui primus Sulpiciorum cognomen Galbæ tulit, cur, aut unde traxerit, ambigitur. Quidam putant, quod oppidum Hiſpaniæ fruſtra diu oppugnatum illitis demum galbano facibus ſuccenderit: alii quod in diuturna valetudine galbeo, id eſt, remediis lana involutis aſſidue utere-

TORRENT.

3. *Cognomen Galbæ.*] Quatuor hujus cognominis rationes adfert Sueton. quarum nec prima, nec ſecunda admodum probabilis eſt. quanquam enim *galbanum* Dioſcoridi ac Plinio pingue ſit, & proinde ignem nutriat, quis tamen a *galbano Galbam* derivet? *Galbeum* quoque Feſtus ornamenti quoddam genus vocari ait, quo remedia fortaſſis illa de quibus hic Sueton. involvebantur, ſed *Galbam* eum appellare qui *galbeum* geſtet, prope ridiculum eſt. Præpingues vero a Gallis vocari *galbas* hinc veriſimile eſt, quod nunc etiam Belgæ, uti & Germani, atque olim etiam Galli, vitulum vocant *Calb*, & eos qui obeſi ac minime mali ſunt, *Calber.* Nec quarta illa Suetonii cauſa diſplicet, ut ſicut Coſſos, ſic Galbas ab animalculis, ſeu inſectis appellemus. Sed tamen præter Suetonium id nemo tradit. Addam vero Lactantium Placidum, grammaticum, (ſive is Lutatius fuerit) non *galbeos*, ut Feſtus, ſed *galbas* vocare armillas, quæ interdum militibus dabantur. Eſt & color *galbus*, ſive *galbeus*, qui in Lexico Latino-Græco χλωρὸς dicitur, quem & viridem, & flavum, & pallidum interpretari licet. nam chlorites lapis herbacei coloris eſt, ſi Plinio credimus lib. XXXVII. cap. X. At chlorion avis, ut idem auctor tradidit lib. X. cap. XIX. totus luteus eſt. Non minus tamen avis quam lapis a colore quem diximus, nomen accepit. Iterum Plin. lib. XXX. cap. XI. *Avis* (inquit) *icterus vocatur a colore ictero morbo laborantium, quem puto Latine vocari galgulum.* quo loco libb. MSS. *galbulum* legunt, aut *galbulam.* Ut eadem ſit avis, de qua & Martial. lib. XIII. Epigr. LXVIII. quam & luridam alicubi Plin. appellat, Suidas vero chamadrium, ni fallor. Unde proverbium, Chamadrium imitans. Quem vero *galbeum galbumque* colorem diximus, etiam *galbineum* & *galbinum* vocari comperimus. Ut cum Vegetius in Veterinaria florem eryngii ait eſſe *galbinei coloris*, quem herbarum ſcriptores cæruleum, ſed ſubpallidum faciunt; cumque Lactantius grammaticus, *Achates* (inquit) *lapis velut galbini coloris, in Achate flumine Siciliæ plurimus, ad gratiam pertinens, & veri conſecratus.* Hinc igitur *galbana*, veſtimenta quædam delicatiora, apud Juvenalem Sat. II.

Cærulea indutus ſcutulata, aut galbana raſa.

Unde *galbanatus*, eis indutus, ac proinde effeminatus ac mollis, apud Martialem lib. III. Epigr. XL. Qui ſimili tranſlatione lib. I. Epigr. LXIV. *galbanos* ſeu *galbinos* (variant enim codices) *mores* vocat pravos corruptoſque. Accedat noviſſime Vopiſc. Aureliano, *Tetricus chlamyde coccea, tunica galbina, braccis Gallicis indutus.*

CASAUBON.

3. *Illitis demum galbano facibus.*] Gloſſarium: Γαλβάνη ἢ χαλβάνη, *Galba.* ſed Græci per χ hanc vocem enunciant, non ut Latini per *g*: quam analogiam in aliis deprehendes & Latini hunc herbæ ferulaceæ ſuccum appellant *galbanum*, non *galbam.*

Galbeo, id eſt, remediis lana involutis aſſidue uteretur.] Remedia ſive quæ medici ex artis ſuæ præceptis imperabant, ſive quæ ſuperſtitio aliqua ſuadebat, vel ars magica, perſæpe lanæ involuta affectæ parti admovebant. Sic libro VIII. in Domitiano commemoratur *brachium velut ægrum lanis faſciiſque obvolutum.* vide ad illum locum. Plinius lib. XXX. cap. XV. refert ex quorundam ſententia, *ſtellionis cinerem lineamento involutum in ſiniſtra manu Venerem ſtimulare.* Aliquando ſuccum remedio futurum adhibebant, *collectum flocco*, ut ibidem Plinius loquitur. aliquando lanæ hapſo utebantur: ut cum ſeptimo libro Celſi, *inducitur hapſus lanæ mollis, tepido oleo repletus.* Fere autem cum de amuletis & iis quæ περίαπτα Græci dicebant, loquuntur veteres, verbo *adalligari* in eam rem utuntur; ut paſſim Plinius illo libro. itaque non facile credam remedium cujus hic mentio fit, magicum fuiſſe. Non etiam aſſentimur viris eruditiſſimis, qui ex his Suetonii verbis illa cenſuerunt tollenda, *id eſt*, & *lana.* nam Memmii codex & Viterb. facile omnium optimi, ita plane habent, ut eſt editum. & ita omnes MSS. paucis exceptis, a quibus abſunt illa, *id eſt*, perperam, ut diximus. Porro hæc remedia lana involuta cum affectæ parti applicabantur, *galbei* vulgo fuerunt dictitati: cujus appellationis rationem pluribus quærere, non eſt hujus loci.

VARIOR.

3. *Quod in diuturna valetudine galbeo, id eſt, remediis lana involutis aſſidue uteretur.*] Hunc locum perperam ſollicitatum vexatumque viris doctis doleo. *Galbeum* vocat auctor, illa remedia lana involuta, quibus utebatur Galba, quod more galbei vel armillæ circa brachium obvoluta illa haberet: remedia igitur lana involuta, & in brachio vicem armillæ geſtata, *galbeum* vocavit Suetonius: armillas etiam vel galbea geſtarunt veteres, quibus remedia quædam erant incluſa adverſus varios morbos facientia. *Galbeum*, vel *calbeum*, quod pro ornamento, vel armilla accipiebatur apud veteres, qua virtutis ergo

 dona-

uteretur: nonnulli quod præpinguis fuerit viſus, quem *galbam* Galli vocent: vel contra, quod tam exilis, quam ſunt animalia, quæ in eſculis naſcuntur, appellanturque *galbæ*. Familiam illuſtravit Ser. Galba conſularis, & temporum ſuorum eloquentiſſimus: *a.*
quem tradunt, Hiſpaniam ex prætura obtinentem, xxx. Luſitanorum milibus perfidia *b.*
trucidatis, Viriatini belli cauſſam exſtitiſſe. Ejus nepos ob repulſam conſulatus infenſus *c.*
Julio Cæſari, cujus legatus in Gallia fuerat, conſpiravit cum Caſſio & Bruto: propter quod Pedia lege damnatus eſt. Ab hoc ſunt Imperatoris Galbæ avus & pater. Avus clarior ſtudiis quam dignitate: non enim egreſſus præturæ gradum, multiplicem nec incurioſam hiſtoriam edidit. Pater conſulatu functus, quam brevi corpore atque etiam *d.*
gibber modicæque in dicendo facultatis, cauſſas induſtrie actitavit. Uxores habuit Mummiam Achaicam, neptem Catuli, proneptem L. Mummii, qui Corinthum excidit, item Liviam Ocellinam, ditem admodum & pulcram. a qua tamen nobilitatis cauſſa appetitus ultro exiſtimatur, & aliquanto enixius, poſtquam ſubinde inſtanti vitium corporis

donabantur milites, ita dicebatur a voce Græca κάρπιον: unde *carpeum* & *calpeum*, poſtea *galbeum*: recte igitur *calbeos* ſcripſit Feſtus. Hinc & καρπίυς ὄφεις & ἐπικαρπίυς Græci dicunt armillas in modum ſerpentis contextas. Salmasius.

Torrent.

Illuſtravit Ser. Galba.] Hiſtoria hæc refertur a Valerio Max. lib. ix. cap. vi. Oroſio lib. iv. cap. xxi. Cicerone in Bruto. Appian. Lucullo factum id tribuere videtur, ſed aliorum potior opinio eſt, quibus accedit Quinctilian. lib. 11. cap. xvi.

Repulſam conſulatus.] Meminit hujus repulſæ Q. Hirtius extremo lib. viii. de Bello Gallico, ſic tamen, ut non per Cæſarem, ſed per Cæſaris inimicos eam Galba paſſus ſit.

Pater conſul. functus.] C. Sulpicius Ser. F. Ser. N. cos. A. U. dcclxxv.

Quam brevi corpore.] Libri nonnulli, etiam impreſſi, *quanquam brevi corpore.* Vetuſti libri ſæpe ſic ſcribunt, ut *quam*, an *quanquam* ſit, non facile diſcernas.

Liviam Ocellinam.] Ocella Romanorum ſatis notum omnibus cognomen eſt. Ser. enim Ocellam Epiſtolis, tam Familiaribus, quam ad Attic. ſæpe Cicero commemorat. De quo Cœlius & ipſe quadam ad Ciceronem epiſtola non infacete, *Ser.* (inquit) *Ocella nemini perſuaſiſſet ſe mœchum eſſe, niſi triduo bis deprehenſus eſſet.* Verum quarum gentium cognomen fuerit, non ſat ſcio. Non erraverit fortaſſis, qui Liviorum fuiſſe ex hoc Suetonii loco affirmet, juncto cap. ſeq.

Casaubon.

Animalia quæ in eſculis naſcuntur.] Sunt multa animalcula & vermiculi, qui in arboribus aut ſiccis etiam lignis naſcuntur: qui quum appellatione communi Græcis dicantur τερηδόνες, Latinis *teredines*, varia nomina ex arborum generibus aut aliis cauſſis ſunt ſortiti in utraque lingua: ejuſmodi nomina κὶς, σὴς, ἴξ, ψὴν, κοίελος, item, *coſſi*, *bytarus*, apud Plinium e M. Tullio, & *galbæ*, ut docemur iſto loco. Memmii liber, *in æſculis.* quomodo ejus arboris nomen in pleriſque libris ſcriptum invenitur.

Temporum ſuorum eloquentiſſimus.] Adde & ditiſſimus. Appianus, πλυσιώτατος ὢν ὁμῶ τι Ῥωμαίων. eum lege de hac Galbæ perfidia, in Ibericis.

XXX. Luſitanorum millibus.] Nihil ubique numerorum notis corruptius. non abeſt, quin & hic menda ſit, aut apud Valerium Max. qui *ſeptem millia* habet. Memmii liber expreſſe *triginta.* cui potius numero favet narratio Appiani. Eam fuiſſe belli Viriatini cauſſam, Appianus idem perſpicue oſtendit.

Quam brevi corpore.] Placet jure altera lectio, *quanquam brevi c.* Sic Memmianus & plures.

Varior.

Nonnulli, quod præpinguis fuerit viſus, quem Galbam Galli vocent.] Vetus Gallorum lingua eadem cum Germanica fuit, ut pridem ab eruditis oſtenſum. Vulgo hominem pinguem *kalb* aut *kalf* Germani vocant. Unde forte factum nomen *Galbæ*, id eſt, pinguis. Glareanus. S. Bochardus oſtendit Gallicum ſermonem in multis ſimilem fuiſſe Phœnicio, unde etiam hujus vocis originem eruit. *Galba*, inquit, *factum ex* חלב *cheleb, id eſt, pinguedo, ut galbanum* חלבנא *chelbana.* S. Bochardus.

Quam ſunt animalia, quæ in eſculis naſcuntur.] Codex Salmaſ. *æſculis.* ſic & veterrimæ membranæ Virgilii.

Viriatini belli cauſſam exſtitiſſe.] Duo Palatini meliores & Salmaſ. *cauſſa extitiſſe.*

Tor-

(*a*) *A.U.C.* dcx. (*b*) *A.U.C.* dcciii. (*c*) *A.U.C.* dccx. (*d*) *A.U.C.* dcclxxv.

poris ſecreto poſita veſte detexit, ne quaſi ignaram fallere videretur. Ex Achaica liberos, Cajum & Servium procreavit. Quorum major Cajus attritis facultatibus urbe ceſſit: prohibituſque a Tiberio ſortiri anno ſuo proconſulatum, voluntaria morte obiit.

4 Ser. Galba Imperator, M. Valerio Meſſalla, Cn. Lentulo COSS. natus eſt, IX. Kalend. Januarii, in villa colli ſuperpoſita, prope Terracinam ſiniſtrorſum Fundos petentibus. Adoptatus a noverca ſua, Livii nomen, & Ocellæ cognomen aſſumſit, mutato prænomine. Nam & Lucium mox pro Servio uſque ad tempus imperii uſurpavit. Conſtat Auguſtum puero adhuc ſalutanti ſe inter æquales, apprehenſa buccula dixiſſe, καὶ σὺ τέκνον τῆς ἀρχῆς ἡμῶν παρατρώξῃ. Sed & Tiberius, cum comperiſſet imperaturum eum, verum in ſenecta: *Vivat ſane*, ait, *quando id ad nos nihil pertinet.* Avo quoque ejus ful-

Torrent.

4. *Ocellare cognomen.*] Lego, *Ocellæ cognomen*, ut in edit. Germanica, & mox *mut. & præn.* e libris.

Nam Lucium mox pro Servio.] Scribo, *nam L. mox pro Ser.* aut *Lucii mox pro Servii.* *Mox* autem pro poſtea, ut ſæpe alibi.

Apprehenſa buccula.] Ut fit, cum pueros deoſculamur. Vide Aug. cap. XCIV. *ejuſque oſculum delibatum.*

Παραγεύσῃ.] Recte Turnebo auctore Pulmannus, non ſolum quia ſic Dion. lib. LVII. & Xiphilin. Galba, verum etiam Joſeph. Antiq. Judaic. XVIII. Tacit. quoque iis verbis, *& tu Galba quandoque deguſtabis Imperium.* Mirandum vero, cum ceteri dictum id Tiberio tribuant, ſolum Suetonium Auguſto tribuere, & quidem non memoria lapſum, ut arbitror: (nam & Tiberii hic meminit) ſed quod ita acciderit, ut vel ex temporum ratione colligimus. ſiquidem Galba anno ætatis LXXIII. demum ad Imperium pervenit. Ab Auguſti vero exitu ad hujus imperii initium anni tantum ſunt LIV. Pueritiam igitur egreſſus erat Galba ante Tiberii Principatum.

Casaubon.

Vitium corporis ſecreto poſita veſte detexit.] Similem hiſtoriam de Cratete Thebano, cujus conjugium Hipparchia nobilis puella appetebat, habes apud Diogenem Laertium libro VI.

Cajum & Servium procreavit.] Mirum in pleriſque membranis etiam Memmianis *Sergium* ſcribi. mendoſe prorſus; etſi non omnes animadvertere videas. atqui *Servius* prænomen eſt Romanorum, ut Cajus. Sergius vero per *g* eſt nomen gentis, non autem prænomen.

Major Cajus, attritis facultatibus urbe ceſſit.] Tacitus Annalium libro VI. 40. *Cajus Galbo conſularis, & duo Blæſi voluntario exitu cecidere: Galba triſtibus Cæſaris litteris ſortiri provinciam prohibitus.* hæc ille in anno, qui Q. Plautium Sex. Papinium coss. habuit.

4. *Natus eſt* IX. *Kal. Jan.*] Viterb. *Kal.* VIII. melius Memm. *natus eſt* VIIII. *Kal. Jan.*

In villa colli ſuppoſita.] Omnino ſcribendum, *ſuperpoſita.* nam ita ſcriptum in omnibus notæ melioris libris.

Livii nomen & Ocellæ cognomen aſſumpſit.] Satis notum eſt, Ocella cognomen fuiſſe gentis Romanæ. non dubito caſum aliquem peperiſſe hanc appellationem: ſive ab ocellis, propter parvitatem oculorum: ſive ab ὀκέλλω, quod Græcis navim appellere ſignificat, prima ejus fuerit origo. fuit & apud Græcos etiam vetuſtiſſimos uſitatum Ocelli nomen. Hæc quum ita ſint, miror in optimis membranis ſcribi, *& Ocellare cognomen.* In Domitiani cap. VIII. legimus *Ocellatas ſorores.* an igitur etiam hic propter adoptionem Ocellæ cognomen aliter eſt formatum?

Τῆς ἀρχῆς ἡμῶν παρατρώξῃ.] Confirmant hanc lectionem MSS. noſtri, in quibus vel ita diſerte deſcriptum, ut in regiis, Memmii, Pithœi & Liſlæi: vel ita corrupte, ut certiſſima tamen ſint hujus ſcripturæ veſtigia, ut in Viterbienſi. Sic loquitur Philoſtratus in Ptolemæo Naucratite: δικῶν τε καὶ δικαστηρίων παρέτρωγεν. At Dio vocem minus uſitatam mutavit uſitatiore παραγεύσῃ. non tamen ex illo recte Suetonium emendes.

Varior.

4. *IX. Kal. Januarii.*] Palat. primus *VIII. Kal. Jan.*

Nam & Lucium mox pro Servio.] *Sergius* ubique in hoc libro, qui VII. eſt in vet. cod. in *Servium* mutandus ex omnibus libris manuſcriptis, & item antiquis numiſmatibus, in quibus Ser. Sulpicius Galba appellatur. Peculiare vero prænomen Servius Sulpiciæ familiæ ita fuit, ut ſæpe pro ipſo familiæ nomine uſurparetur. Quod conſtat etiam ex eo, quod Suetonius dicit Galbam uſque ad tempus imperii Lucium nomen pro Servio uſurpaſſe, cum tamen aliis familiis Servius prænomen ſit. F. Ursinus.

Καὶ σὺ τέκνον τῆς ἀρχῆς ἡμῶν παρατρώξῃ.] Sic etiam fuiſſe in Palat. primo ac ſecundo indicant veſtigia litterarum. at tert. habet diſerte ἡμῶν παράῤῥισον. & ad oram: *& tu fili imperii noſtri appendix.* Pul-

fulgur procuranti, cum exſta de manibus aquila rapuiſſet, & in frugiferam quercum contuliſſet, ſummum, ſed ſerum imperium portendi familiæ reſponſum eſt. Et ille irridens, *Sane*, inquit, *cum mula pepererit.* Nihil æque poſtea Galbam tentantem res novas confirmavit, quam mulæ partus: cæteriſque ut obſcœnum oſtentum abhorrentibus, ſolus pro lætiſſimo accepit, memor ſacrificii, dictique avi. Sumta virili toga, ſomniavit fortunam dicentem, *ſtare ſe ante fores defeſſam, & niſi ocyus reciperetur, cuicumque obvio prædæ futuram.* Utque evigilavit aperto atrio, ſimulacrum æneum Deæ cubitali majus juxta limen invenit: idque gremio ſuo Tuſculum, ubi æſtivare conſueverat, avexit: & in parte ædium conſecratum, menſtruis deinceps ſupplicationibus & pervigilio anniverſario coluit. Quamquam autem nondum ætate conſtanti, veterem civitatis, exoletumque morem, ac tantum in domo ſua hærentem, obſtinatiſſime retinuit: ut liberti ſervique bis die frequentes adeſſent, ac mane ſalvere, veſperi valere ſibi ſinguli dicerent. Inter liberales diſciplinas attendit & juri. Dedit & matrimonio operam: verum amiſſa uxore Lepida, duobuſque ex ea filiis, remanſit in cœlibatu, neque ſollicitari ulla conditione amplius potuit, ne Agrippinæ quidem viduatæ morte Domitii, quæ maritum quoque adhuc nec dum cælibem Galbam, adeo omnibus ſollicitaverat modis, ut in conventu matronarum correpta jurgio, atque etiam manu

mannus Turnebo auctore invexerat παραγεύσῃ, & ſic quidem Dio Caſſius; ſed non etiam MSS. exemplaria Suetonii, a quibus ſane non temere diſcedendum. GRUTER. Rob. Steph. παράῤῥιζον.

TORRENT.

Cum mula pepererit.] Vide Plinium lib. VIII. cap. XLIV.

In parte ædium conſecratum.] Ab hoc, ni fallor, tempore obſervatum, ut Fortuna aurea ſemper in cubiculo Principum poneretur. Capitolin. vita Pii, & vita M. Aurelii, Spartian. Severo. Unde frequentiſſima numiſmatum inſcriptio, uti & marmorum, FORT. AUG.

Quanquam æt.] Libri MSS. *Quanquam autem nondum ætate conſtanti.*

Mane ſalvere.] Pulchre Virgil.

Salve æternum mihi, maxime Palla,
Æternumque vale.

5. *Sollicitari.*] Nove uſus eſt, pro induci ac perſuaderi, ſicut & Plin. lib. IV. Epiſt. XIII. *circumſpicias præceptores, quos ſollicitare poſſimus, ſub ea tamen conditione, ne cui fidem meam obſtringam.*

Quæ maritum adhuc necdum cælibem.] Verba, *necdum cælibem*, uti ex gloſſemate adſcripta, amovenda cenſeo.

Inter conventum.] Mallem, ut in duobus MSS. *in conventu.*

CASAUBON.

Nihil æque poſtea Galbam.] Quidam veteres, *Propterea quidem, nihil æque.* Dio meminit oſtenti & prioris & poſterioris: ἡμιονός τε ἔτεκεν, ὅπερ αὐτῷ σύμβολον τοῦ κράτους ἔσεσθαι ἐτεθέσπιστε. vult autem editum hoc portentum ſub adventum Galbæ in Hiſpaniam. de quo capite VIII.

Mane ſalvere, veſperi valere.] Lucianus in apologia ὑπὲρ τοῦ ἐν τῇ προσαγορεύσει πταίσματος. cujus libelli argumentum intelliges ex his Artemidori libro primo capite ultimo: Ἔῤῥωσο δὲ καὶ ὑγίαινε, οὔτε λέγειν, οὔτε ἀκούειν ἀγαθόν. οὐ γὰρ προσιόντες ἀλλήλοις, οὔτε μέλλοντές τι πράττειν ταῦτα λέγουσιν ἄνθρωποι, ἀλλὰ ἀπαλλαττόμενοι ἀλλήλων καὶ πρὸς ὕπνον τρεπόμενοι.

5. *Atque etiam manu pulſata ſit a matre Lepida.*] Pars librorum *Lepida*: alii, *Lepidæ*. ſenſus manet idem. nam quin de matre Lepidæ uxoris Galbæ ſit accipiendum, non poteſt dubitari.

VARIOR.

Fulgur procuranti.] Expianti, propitiantique per procurationes. Nam fulminum quædam ſunt læta, quædam adverſa, quædam miſta: quæ adverſa ſunt, ut inquit Seneca, mala portendunt, & ideo expiationibus, procurationibuſque propitiari ſolent ad avertenda mala, quæ minitantur: & de his procurationibus fulminum intelligit idem Seneca, ſic ſcribens in ſecundo Quæſtionum Naturalium: *Quid ergo expiationes, procurationeſque? quo pertinent, ſi immutabilia ſunt fata?* Apud Lucanum in primo Pharſaliæ deſcribitur procuratio fulminis facta ab aruſpice. BEROALD.

Summum, ſed ſerum imperium portendi familiæ reſponſum eſt.] Vetus liber Salmaſii, & fidus ejus Achates Rob. Steph. *reſponſum eſt, ſummum, ſed ſerum imperium portendi familiæ.*

Æſtivare.] Æſtivo tempore commorari: ſicut hybernare ad hybernum tempus refertur. Varro: *Mihi greges in Apulia hybernabant, qui in Arretinis montibus æſtivabant.* BEROALD.

TOR-

manu pulſata ſit a matre Lepidæ. Obſervavit ante omnes Liviam Auguſtam: cujus & vivæ gratia plurimum valuit, & mortuæ teſtamento pæne ditatus eſt: HS namque quingenties cum præcipuum inter legatarios habuiſſet, quia notata, non perſcripta erat ſumma,

TORRENT.

A matre Lepida.] Sic vulgati, & nonnulli quoque MSS. codices. Sed duo omnium fideliſſimi *a matre Lepida*, & ſic ſcribendum. Lepidæ enim, uxoris Galbæ, matrem dicit. Quæ vero hæc Lepida fuerit, equidem ignoro. errant enim, qui L. Domitii, & majoris Antoniæ filiam, Neronis amitam, intelligunt, de qua Ner. cap. v. nam ſi Lepidam illam (ut ibi docuimus) Agrippina vivente adhuc Claudio ſuſtulit, qua fronte mariti, qui eam tantopere dilexerat, nuptias affectavit? Quod ſi frontem habuiſſe Agrippinam quis neget, certe tempora repugnant. ſi enim Lepida paullo ante Claudium periit, (ut ibidem oſtendimus) neceſſe eſt Agrippinam jam Auguſtam Galbæ nuptias appetiſſe. quod falſum eſt. Accedit quod ait Sueton. Galbam nullo gradu contigiſſe Cæſarum domum, hoc (opinor) non dicturus, ubi tam propinqua erat affinitas.

Obſervavit ante omnes.] Liber opt. *Obſervavit autem ante omnes Liviam Aug.* Liviæ etiam cognatione junctum fuiſſe eum, Plutarch. ſcribit. Obſervantiæ vero hujus evidens teſtimonium eſt, quod Imperator factus omnis generis nummos cum DIVÆ AUG. (Liviæ ſcilicet) imagine percuſſit.



HS. namque quingenties] Locus haud dubie mendoſus, quem nulla pæne mutatione ex vetuſtis codicibus ſic reſtituo, *nam cum quingenties præcipuum inter legatarios habuiſſet, quia notata, non perſcripta erat ſumma, herede Tiberio legatum ad quinquagies revocante, ne hoc quidem accepit.* Supereſt, ut hæc declaremus. *Præcipuum* proprie vocant JCti, quod heredum alicui præter hereditatis partem peculiariter ſibi capere permittitur. l. XXXV. & l. ult. De leg. II. Inde *per præceptionem dare, legare, relinquere. Præceptio* quoque certum legati genus, de quo Ulpian. Inſtitut. tit. XXXV. & l. XC. De legat. III. Sueton. vero *præcipuum* vocat, quod Galbæ, tametſi heres ſcriptus non eſſet, primo ac veluti ſummo inter legatarios loco relictum a Livia fuerat. Et hactenus quidem pæne ditatus Galba. Verum illud quingenties Tiberius heres, quia notata, non perſcripta erat ſumma, ad quinquagies reduxit. *notæ* enim, unde *notarii*, non tam litteræ erant, quam ſigna litterarum, ait ſi litteræ, ſingulariæ tantum, ſine coagmentis ſyllabarum, ut recte alicubi Gellius. Ideo Plutarch. Cicerone σημεῖα vocat, & Cicero ipſe lib. XV. ad Attic. *διὰ σημείων ſcripſeram.* Quæ ſcribendi ratio, a Tirone, Ciceronis liberto, (ut volunt) inventa, aucta deinde a Mæcenate, & Seneca, quamvis ad celeriter quidvis excipiendum percommoda erat. quia tamen ſæpe incerta, pro ſcribentis arbitrio, Juſtinian. in libris ſuis quicquam notis ſcribi vetuit, l. II. Cod. De veteri jure enucleando. Sed & ante Juſtinianum, ſi quæ notis in teſtamento ſcripta erant, pro non ſcriptis habita fuiſſe videntur. Paullus J. C. l. VI. De bonorum poſſ. & l. XL. De teſt. militis, his verbis: *L. Titius notario ſuo teſtamentum notis ſcribendum dictavit, & antequam litteris perſcriberetur, vita defunctus eſt.* Sic igitur Tiberius primum quingenties pro quinquagies interpretatus eſt, tandem vero legatum pro irrito habuit, ut & omne matris teſtamentum. Sueton. Tib. cap. LI. Tacit. initio libri Annal. V. De notis autem non male Iſidor. lib. I. cap. XXI. Trithemius Abbas de Polygraphia. Vide inf. Tit. cap. III.

CASAUBON.

Cujus & vivæ gratia plurimum valuit.] Plutarchus ſcribit ope Liviæ impetraſſe eum conſulatum ab Auguſto: Λιβίας παραγγείλασης ὕπατος ἐκ παλατίου προῆλθε.

HS. namque quingenties cum præcipuum inter legatarios habuiſſet.] Id eſt, habere cum Livia voluiſſet. ſic enim dictum, ut libro primo, *pepigit cum adverſariis.* Quare interpretes aliique docti viri quicquam cenſeant in hac periodo eſſe mutandum, cauſſa, meo judicio, idonea nulla eſt. unum eſt quod non queam concoquere, legati modus. omninoque ſcribendum ſuſpicor *quinquagies*, non autem *quingenties.* Scio enim eam ſummam legati eſſe ultra civilem modum: quem cum Auguſtus in teſtamento ſuo diligenter ſervaverit, teſte Tacito, ineptum eſt putare, non eſſe habitam ejus rationem a Livia. Nonne vero abſurdum fuerit, cum Auguſtus & Tiberius quadringenties non multo amplius populo Rom. legaverint, Liviam uni Galbæ quingenties reliquiſſe? nunquam factum meo judicio. Ita ergo ſtatuamus potius. Legaverat Livia Galbæ quinquagies, hoc eſt, aureorum coronatorum centum viginti quinque millia. Tiberius revocavit ad quingenta, ſive coronatorum duodecim millia & quingentos.

VARIOR.

5. *A matre Lepida.*] Codex Salmaſ. *a matre Lepida.*

TOR-

ſumma, herede Tiberio legatum ad quingenta revocante, ne hæc quidem accepit.
Honoribus ante legitimum tempus initis, prætor commiſſione ludorum Floralium, 6
novum ſpectaculi genus, elephantos funambulos edidit: exin provinciæ Aquitaniæ
anno fere præfuit: mox conſulatum per ſex menſes ordinarium geſſit. Evenitque, ut in
eo ipſe L. Domitio patri Neronis, ipſi Salvius Otho pater Othonis ſuccederet, velut
præſagium inſequentis caſus, quo medius inter utriuſque filios exſtitit Imperator. A Cajo
Cæſare, Gætulico ſubſtitutus, poſtridie quam ad legiones venit, ſolenni forte ſpecta-
culo plaudentes inhibuit, data teſſera, *ut manus pænulis continerent.* Statim per caſtra
jactatum eſt,

Diſce

TORRENT.

6. *Elephantos funamb.*] Ner. cap. II. Plin. lib. VIII. cap. III. Notandumque etiam Floralium curam ad prætorem ſpectaſſe, cum tamen ædilium munus eſſet, ut ex hoc C. Servilii nummo apparet.



nam ædilem fuiſſe tradit Livius lib. XXVII. Accedat Valer. Max. lib. II. cap. X.

Ipſe L. Domitio.] Scribo *Cn. Domitio.* Ner. cap. V.

Gætulico ſubſtitutus.] Recte Pulmannus ex Turnebo Adverſar. V. cap. II. & XXIV. cap. XLI. Cujus lectionis etiam veſtigia in uno e vetuſtis noſtris codicibus deprehendi, ceteri omnes corrupti ſunt. Lentulum autem Gætulicum ea tempeſtate Germaniæ præfuiſſe, auctor Tacit. Annal. V. Sed & Dion cum aliis rebus illuſtrem, tum adminiſtrata per decennium Germania, occiſum a Cajo ſcribit, quod militum benevolentiam ſibi comparaſſet. Meminit ejuſdem etiam Sex. Aurelius, qui trochaicum hunc paullo aliter refert, *Diſce militare, miles, Galba eſt, n n Gætulicus.*

Data teſſera, ut manus pænulis cont.] Mirum ſane pro teſſera militari datam ſententiam, quæ ad mores pertineret. Vide Claud. cap. XLII. Sic *toga brachium continere* apud Ciceronem pro Cœlio.

Satim per caſtra.] Melius MSS. duo *Statimque*, & mox *contractus*, ſine *que*.

CASAUBON.

6. *Conſulatum per ſex menſes.*] Viterb. *per tres menſes.*

Solenni forte ſpectaculo.] Nam & in caſtris ſpectacula edi ſolita, quorum Plutarchus in Galba meminit.

Data teſſera, ut manus pænulis continerent.] Teſſeram vocat ducis præceptum, quod ab iis ubi proximi erant primo exceptum, per ſucceſſionem ad omnes pervenit: nec refert, ſive id voce datum eſt, ſive in pittacio ſcriptum. utroque enim modo fieri ſolitum. At teſſeram hic accipere notione vulgari, ut accipitur a Torrentio, pro ſigno ad excubias, omnino eſt ἀπροσδιόνυσον. Quid apud Livium magis obvium, quam ut ad mandata perferenda teſſeræ adhibeantur?

Per caſtra jactatum eſt.] Tacitus: *Laudata olim & militari fama celebrata ſeveritas ejus.*

VARIOR.

6. *Commiſſione ludorum.*] Officium peculiare erat prætoris, ut ludos exhiberet privata impenſa. Hinc Cicero laudat Murenæ magnificentiam, qui in prætura ludos fecit magnificentiſſimos, qui illi mox in petitione conſulatus admodum profuerunt apud populum ludis magnopere lætantem. Id Symmachi adhuc ætate obtinuit, ſicut ex Epiſt. ejus patet: *In prætura filii mei equorum mihi curulium nobilitas præparanda eſt, ut exſpectationi populi Romani mea pecunia, tua cura reſpondeat.* Item: *Deſignatum tibi ad urbanam præturam filium meum nuntio: intelligis, quid ſibi hoc indicium velit: quadrigarum curulium nobilitas præparanda eſt.* BEROALD.

Elephantos funambulos edidit.] Græci σχοινοβάτην vocant: ſicut νευροβάτην, qui per nervos currit: qua dictione uſus eſt Flavius Vopiſcus ſcribens neurobaten exhibitum eſſe in ſpectaculis a Carino Imperatore. Plinius in octavo ait, *Elephantos adverſis funibus ſubiſſe: quod quidem mirum fuit: ſed mirabilius exiſtimatum, cum retrograderentur funibus utique pronis.* Seneca quoque libro Epiſtolarum XI. ſic inquit: *Elephantem mimus Æthiops jubet ſubſidere in genua & ambulare per funem.* BEROALD.

Provinciæ Aquitaniæ.] Cod. Salm. *Æquitaniæ.*

Mox conſulatum per ſex menſes.] Sic quidem Palat. ſec. ac tert. ſed primus *per tres menſes*, quod cum invenerit in Viterbienſi Caſaubonus, moveri queat controverſia ſcripturæ vulgatæ. GRUTERUS.

Gætulico ſubſtitutus.] Prim. Pal. *Liciis ſubſtitutus.* ſec. *Liti ſubſtitutus.* tert. *Litiis ſubſtitutus.* Salmaſ. *Lici ſubſtitutus.* V. C. tamen F. Urſin. *Gætulico.*

mox

Diſce miles militare, Galba eſt, non Gætulicus.
Pari ſeveritate interdixit commeatus peti. Veteranum ac tironem militem opere aſſiduo
corroboravit: matureque barbaris, qui jam in Galliam uſque proruperant, coercitis,
præſenti quoque Cajo talem & ſe & exercitum approbavit, ut inter innumeras con-
tractaſque ex omnibus provinciis copias, neque teſtimonium neque præmia ampliora ulli
perciperent. Ipſe maxime inſignis, quod campeſtrem decurſionem ſcuto moderatus,
7 etiam ad eſſedum Imperatoris per viginti paſſuum milia cucurrit. Cæde Caji nuntiata,
multis ad occaſionem ſtimulantibus, quietem prætulit. Per hoc gratiſſimus Claudio,
receptuſque in cohortem amicorum, tantæ dignationis eſt habitus, ut cum ſubita ei
valetudo neque adeo gravis incidiſſet, dilatus ſit expeditionis Britannicæ dies. Africam
pro conſule biennio obtinuit, extra ſortem electus ad ordinandam provinciam, & in-
teſtina diſſenſione & barbarorum tumultu inquietam. Ordinavitque magna ſeveritatis ac
juſtitiæ cura, etiam in parvulis rebus. Militi, qui per expeditionem annona arctiſſima
reſiduum cibariorum tritici modium centum denariis vendidiſſe arguebatur, vetuit,
ſimul atque indigere cibo cœpiſſet, a quoquam opem ferri: & is fame extabuit. At in
jure dicendo, cum de proprietate jumenti quæreretur, levibus utrimque argumentis,
& teſtibus, ideoque difficili conjectura veritatis, ita decrevit, ut ad lacum, ubi adaquari
ſolebat, duceretur capite involuto, atque ibidem revelato, ejus eſſet, ad quem ſponte ſe
8 a potu recepiſſet. Ob res, & tunc in Africa, & olim in Germania geſtas, orna-
menta triumphalia accepit, & ſacerdotium triplex, inter xv. viros, ſodaleſque Titios, item
Augu-

mox Salmaſ. *poſteridie*, pro *poſtridie*. dein: *manus pænulas* pro *pænulis*. lege: *pænula*. SALM. Sequitur in eod. libro: *ſtatimque per caſtra jactātum eſt*. ſic & Rob. Steph. & tres Palatini cum Torrentianis duobus. alii omittunt copulam.

TORRENT.

Camp. decurſionem ſcuto mod.] Ner. cap. VII. *ſcutum prætulit.*

7. *In cohortem amicorum.*] Ner. cap. V. *dimiſſus e cohorte amicorum.* Multa ad Horat. Epiſt. ad Celſum, *comiti ſcribaque Neronis.*

Ad ordinandam provinciam.] Vide Cæſ. cap. XVIII.

Militi qui.] Lib. MS. quod miror, *Meliti qui.* *Ubi adaquari.*] Liber opt. *adaquare.*

8. *XV. Viros ſodaleſque Titios, item Auguſtales.*] Libb. duo *itemque Auguſt.* XV. viros autem ſacris faciundis intelligo. *Sodales* vero qui ejuſdem collegii ſunt, appellantur. Unde *ſodalitia*, quas Græci *ἑταιρείας* vocant. Cajus J. C. l. ult. De colleg. & corp. Et Titios quidem nuncupari ſcribit Varro ab Titiis avibus, quas in auguriis certis obſervare ſolebant: alii tamen a prænomine Tatii Sabinorum regis dictos malunt. Unde & Titienſis tribus, & curia Titia, auctore Feſto. Ut iidem ſint, quos Tatios vocat Tacit. lib. I. Annal. his verbis: *Idem annus novas cærimonias accepit, addito Auguſtalium ſacerdotio, ut quondam T. Tatius retinendis Sabinorum ſacris ſodales Tatios inſtituerat.* Idem Tacit. lib. II. Hiſtor. *Faces Auguſtales ſubdidere, quod ſacerdotium, ut Romulus Tatio regi, ita Cæſar Tiberius Juliæ genti ſacravit.* Auguſtalium meminit quoque Sueton. Claud. cap. VI. Quemadmodum vero ab Auguſto Auguſtales, ſic alii ab aliis Imperatoribus nomina traxere, ut Flaviani, Æliani, Antoniniani, Helviani.

CASAUBON.

6. *Neque teſtimonium, neque præmia ampliora ulli perciperent*] Miles ſub Imperatoribus, leviora præmia ab eo duce petebat & accipiebat, cujus ductu bellum gerebat: quæ majoris momenti erant, ut plura genera coronarum, ea ab ipſo Imperatore erant petenda: qui ſolitus in ea re judicium ſequi plerumque ducum, vel legatorum. de hoc teſtimonio loquitur Suetonius. Vide ſupra, quæ de beneficiis militum obſervamus.

Ad eſſedum Imperatoris per viginti paſſuum millia cucurrit.] Mos multorum Imperatorum: de quo dictum nobis ad librum quartum, cap. XXVI.

7. *Africam pro conſule biennio obtinuit.*] Videtur Galba monumentum ſui reliquiſſe urbem in eo loco poſitam, ubi ipſe caſtra habuerat, *Caſtra Galbæ* dictam. ejus mentio apud B. Cyprianum in Concilio Carthaginienſi: ubi tamen dicitur *Caſtrum Galbæ.*

Cum de proprietate jumenti quæreretur.] Viterb. *cum proprietas jum. q.*

VARIOR.

7. *Et is fame extabuit.*] Exſtinctus eſt. Caſilinenſi quoque obſidione conſtat eum, qui ſoricem captum

Auguſtales cooptatus: atque ex eo tempore prope ad medium Neronis principatum
in ſeceſſu plurimum vixit: ne ad geſtandum quidem aliter umquam iter ingreſſus, quam
ut ſecum vehiculo proximo decies HS. in auro efferret, donec in oppido Fundis mo-
ranti Hiſpania Tarraconenſis oblata eſt. Acciditque, ut cum provinciam ingreſſus
ſacrificaret intra ædem publicam, puero e miniſtris acerram tenenti, capillus repente
toto capite caneſceret. Nec defuerunt, qui interpretarentur, ſignificari rerum mutatio-
nem, ſucceſſurumque juveni ſenem: hoc eſt, ipſum Neroni. Nec multo poſt in Can-
tabriæ lacum fulmen decidit: repertæque ſunt duodecim ſecures, haud ambiguum ſummi
Imperii ſignum. Per octo annos varie & inæquabiliter provinciam rexit. Primo acer, 9
vehemens, & in coercendis quidem delictis vel immodicus. Nam & numulario non ex
fide verſanti pecunias, manus amputavit, menſæque ejus affixit. Et tutorem, quod pu-
pillum, cui ſubſtitutus heres erat, veneno necaſſet, cruce affecit: implorantique leges,
& civem Romanum ſe teſtificanti, quaſi ſolatio & honore aliquo pœnam levaturus, mu-
tari, multoque præter ceteras altiorem & dealbatam ſtatui crucem juſſit. Paullatim in
deſidiam

ducentis nummis vendidiſſet, fame conſumptum, emptore ea alimonia ſervato, Plinius eſt auctor. Lucanus:

> . . . *Pro lucri pallida tabes!*
> *Non deeſt prolato jejunus venditor auro.*

SABELLICUS.

TORRENT.

Ad Neronis med. Princ.] Lib. MS. *ad medium Neronis Principatum.*

Ne ad geſtandum quidem.] Nove dixit, pro ne geſtationis quidem cauſa. Vide Claud. cap. XXXIII. Domit. cap. XI.

Unquam iter ingreſſus quam ut.] Videtur exci-diſſe *aliter*, aut quid ſimile, ad integritatem ſenten-tiæ, ut omnino ita legatur, *unqnam aliter iter ingr.* &c. Nihil tamen affirmem, poſtquam & Ve-ſpaſ. cap. V. *Neque illum quidquam aliud quam ca-chinnaſſe*, vox *aliud* in uno e noſtris codice deſide-ratur, ut ibi notamus. Sit igitur priva hæc Sueto-nii locutio, & phraſis.

Vehiculo proximo.] Puto ſcribendum *e proximo*, ut auri e vicino aliquo loco ferendi cauſa vectus ſit.

Nec defuerunt.] Lib. vetuſtiſ. *defecerunt.*

In Cantabriæ lacum.] Quid ſi *lucum* legamus?

9. *Verſanti pecunias.*] Contrectanti & exploranti. Quod officium nummularii eſt, Aug. cap. IV.

Dealbatam ſtatui crucem.] Quo nempe eſſet in-ſignior. Similis illa Gaviana crux, ut eam vocat Lactant. Inſtitut. Divin. lib. IV. cap. XVIII. quam Verres Gavio civem R. ſe eſſe clamanti ſtatuit. Quod factum omnibus eloquentiæ ſuæ viribus per-ſequitur Cicero Verr. V. At Galba hic laudari videtur. Male autem Beroaldus Ganianam crucem vocat.

CASAUBON.

Ne ad geſtandum quidem iter ingreſſus quam.] Deeſt *aliter* ante *quam.* Sic & apud Græcos. Poly-bius in quinta hiſtoria: Τοῖς ὅλοις ἐσφάλησαν, παρ' ὐδὲν ἢ τὴν προειρημένην αἰτίαν. pro παρ' ὐδὲν ἄλλο. conſtanter autem ſic legitur in omnibus antiquis codicibus & editionibus. tamen Rob. Steph. adjecit eam vocem, ediditque *ne ad geſt. quidem aliter un-quam iter ingr.* cui jam fere aſſentior: ſuſpicorque *iter* hic partem eſſe vocis *aliter.* nam & illa locutio, *ingredi iter ad geſtandum*, aliquanto videtur inſolen-tior.

8. *Ut ſecum vehiculo proximo decies HS. in auro ef-ferret.*] Nihil mutemus: nam *e proximo*, quod qui-dam reſtituunt, non poteſt locum habere, ſi ad au-ctoris mentem diligenter attendimus: qui hoc vult, caviſſe Galbam, ne ſi caſus aliquis ſubito nuntiaretur, qui fugæ neceſſitatem ei afferret, a pecunia impara-tus reperiretur. propterea proximum ſibi habuiſſe ſemper in omni itinere vehiculum iſtud auro onuſtum. De more circumferendi pecuniam notavimus nuper ad Apuleji apologiam.

Succeſſurumque juveni ſenem.] Dio ſimiliter: Καὶ οἱ μάντεις τὴν τῦ νεωτέρυ ἀρχὴν πρὸς τὸ γῆρας αὐτῦ μεταςήσεσθαι ἔφησαν.

In Cantabriæ lacum fulmen decidit.] Sic Memmia-nus, non *lucum.*

Repertæque ſunt duodecim ſecures.] Viterb. *Reper-tæque ſtatim d.*

9. *Per octo annos v.*] Totidem ait Plutarchus, de anno loquens, quo Vindex in Neronem conjuravit: Ἔτος ὄγδοον τὴν ἀρχὴν ἔχων.

Non ex fide verſanti pecunias.] Suſpectum ver-bum *pecunias.* forte etiam tollendum, aut ſcriben-dum *in pecuniis.*

Præter cæteras altiorem & dealbatam.] Quaſi eſſet ſolatium, quoniam pereundum ſit, ἐξ ἀξίυ γῦν ξύλυ, ut eſt Græcorum proverbium. Magnum videlicet in altiore cruce πλεονέκτημα. Lucilius Græcorum Martialis:

Ma-

deſidiam ſegnitiemque converſus eſt, ne quid materiæ præberet Neroni: &, ut dicere ſolebat, *quod nemo rationem otii ſui reddere cogeretur.* Carthagine nova conventum agens, tumultuari Gallias comperit. Legato Aquitaniæ auxilia implorante, ſupervenerunt Vindicis litteræ, hortantis, *ut humano generi aſſertorem ducemque ſe accommodaret.* Nec diu cunctatus conditionem partim metu, partim ſpe recepit. Nam & mandata Neronis de nece ſua ad procuratores clam miſſa deprehenderat: & confirmabatur cum ſecundiſſimis auſpiciis, & ominibus, tum virginis honeſtæ vaticinatione, tanto magis, quod eadem illa carmina ſacerdos Jovis Cluniæ ex penetrali ſomnio monitus eruerat, ante ducentos annos ſimiliter a fatidica puella pronuntiata. Quorum carminum ſententia erat, *Oriturum quandoque ex Hiſpania Principem, Dominumque rerum.* Igitur cum quaſi ma-

Μακροτέρῳ ϛαυρῷ ϛαυρέμενον ἄλλον ἑαυτῦ
Ὁ φθονερὸς Διοφῶν ἐγγὺς ἰδὼν, ἐτάκη.

Habes ſimilia exempla in Niceta & aliis.

VARIOR.

8. *Ne ad geſtandum quidem.*] *Ne ad geſtandum quidem aliter umquam iter ingreſſus.* Ita eſt in V.C. cum in vulgatis deſit illud *aliter.* F. URSINUS.

Intra ædem publicam.] Codex Salmaſ. *Inter ædem publicam.*

Nec multo poſt.] Duo Pall. & Salmaſ. *non multo poſt.*

Summi Imperii ſignum.] Codex Salmaſ. *ſummæ Imperii.* Nota locutio: *ſumma rerum.* ita *ſumma Imperii.*

TORRENT.



Humani generis aſſertorem.] Eo (opinor) ſpectant percuſſi a Galba nummi argentei, qualem ſervo, cum inſcriptione, SALUS GEN. HUMANI.



Sacerdos Jovis Cluniæ.] Male qui *Cluviæ* ſcribunt. Clunia enim, quæ & Sulpicia dicta, oppidum Hiſpaniæ eſt. Plin. lib. III. cap. III. & Plutarch. Galba. Exſtant & nummi ærei, quibus hiſtoriæ hujus memoria ſervatur.

10. *Manumiſſioni vacaturus.*] Magiſtratus P.R. non quibusvis quovis tempore negotiis vacabant, ſed diſtincti erant ſeſſionum dies. Quod de prætore non uno in loco docent nos JCti, præſertim Ulpian. l. 11. Quis ordo in bon. poſſ. ſervetur. Et de qua re tunc cognoſcebant, ei rei ſedere dicebantur. Idem Ulpian. 11. §. *Confeſtim*, ad SC. Tertullianum. Eadem porro in provinciis ratio. Atque adeo noviſſimis conventuum diebus manumiſſionibus dabant operam, quod a Theophilo, Inſtitut. Juſtiniani paraphraſte, annotatum memini. Quanquam autem etiam de plano, atque in tranſitu manumittere liceret, tribunal tamen aſcendit Galba majora præcipiens animo, ipſamque liberaturus ſervitute Rempubl. Sane initio Principatus omnis generis nummos cum effigie Libertatis publicavit, addito elogio, LIBERTAS PUBLICA.

CASAUBON.

Ne quid materiæ præberet Neroni.] Nempe ad odium, vel ſuſpicionem, aut utrumque potius. Tyranni enim virtutes, quibus ipſi carent, in aliis oderunt, & perditas cupiunt. iidem viros omnes, quos ſua virtus in quocunque genere reddit inſignes, & quod neceſſe eſt, in vulgus gratioſos, pro hoſtibus habent. itaque paſſim in Tacito obſervabis rectores provinciarum, res magnas genere idoneos, vires ſponte remittere, quum plus ab Imperatore quam ab hoſte ſibi timerent. Hæc ſine dubio cauſſa fuit prima, cur a prioris adminiſtrationis ſeveritate Galba recederet, ut indicat his verbis Suetonius. Sed hanc cauſſam ipſe profiteri cum non auderet, aliam ſolitus afferre, quæ ſtatim ſequitur. Ait enim noſter, *& ut dicere ſolebat, quod nemo otii ſui rationem reddere cogeretur.* hæc vero ratio quam viro magno ſit indigna, quam pernitioſa Reip. & ei qui utatur probroſa, fuſe oſtendimus in noſtris ad primam Polybii hiſtoriam diſſertationibus.

Nec diu cunctatus.] At certe aliquantum eſt cunctatus, & cum amicis deliberationem habuit. in eo concilio, vox fuit Titi Ovinii viri non optimi prudentiſſima: Deliberaſſe de defectione, jam defeciſſe eſt, τὸ ζητεῖν Νέρωνι εἰ πιϛοὶ μένοιμεν, ἤδη μὴ μενόντων ἐϛίν. adi Plutarchum.

Sacerdos Jovis Cluniæ.] Angeli Politiani codex, & alii nonnulli, *ſacerdos Luni Cluniæ.* De Luno Deo habes apud Spartianum in Caracalla. Sed membranæ omnes, quas inſpeximus, *Jovis.* Regiorum unus *Cluviæ* pro *Cluniæ.* minus recte. Κλȣνίαν enim Græci vocant. Plutarchi exemplaria in Galba, Κολȣνίαν. id quoque minus recte.

Oriturum quandoque ex Hiſpania principem, dominumque rerum.] Non fuit vana fides. nam Trajanos

manumiſſioni vacaturus conſcendiſſet tribunal, propoſitis ante ſe damnatorum occiſorumque a Nerone quam plurimis imaginibus, & aſtante nobili puero, quem exſulantem e proxima Baleari inſula, ob id ipſum acciverat, deploravit temporum ſtatum, conſalutatuſque IMPERATOR, *legatum ſe ſenatus ac populi Romani* profeſſus eſt. Dein juſtitio indicto, e plebe quidem provinciæ legiones & auxilia conſcripſit, ſuper exercitum veterem legionis unius, duarumque alarum, & cohortium trium. At e primoribus prudentia atque ætate præſtantibus, velut inſtar ſenatus, ad quos de majore re, quoties opus eſſet, referretur, inſtituit. Delegit & equeſtris ordinis juvenes, qui manente anulorum aureorum uſu, Evocati appellarentur, excubiaſque circa cubiculum ſuum vice militum agerent. Etiam per provincias edicta dimiſit, auctor ſingulis univerſiſque conſpirandi ſimul, & ut qua poſſet quiſque opera, communem cauſſam juvarent. Per idem fere tempus in munitione oppidi, quod ſedem bello delegerat, repertus eſt anulus opere antiquo, ſcalptura gemmæ victoriam cum tropæo exprimente. Ac ſubinde Alexandrina navis Dertoſam appulit armis onuſta, ſine gubernatore, ſine nauta ac vectore ullo: ut nemini dubium

janos, Hadrianos, Theodoſios Orbi terrarum dedit Hiſpania. præter hiſtoricos adi Pacati divinum Panegyricum.

VARIOR.

9. *Sacerdos Jovis Cluniæ.*] Id eſt, in Clunia urbe. ſic Romæ, pro in urbe Roma. GUJET.

TORRENT.

Nobili puero.] Romanum fuiſſe exiſtimo. detecta enim conjuratione Piſoniana, damnatorum liberi Urbe pulſi, enectique veneno, aut fame. Ner. cap. XXXVI.

Manente anulorum areorum uſu Evocati appell.] *Evocati* proprie dicebantur, qui emeritis jam ſtipendiis rurſus in militiam vocati honeſtiore loco habebantur. Sueton. Aug. cap. X. *Veteranos ſimul in ſuum ac reip. auxilium quanta potuit largitione contraxit.* Cicero Epiſt. ad Appium, *Antonium, Præfectum Evocatorum, miſi ad te.* Frequens eorum apud Cæſarem, & in marmoribus antiquis mentio. Galba igitur quos militum loco corporis ſui cuſtodiæ adhibuit & hoc nomine decoravit, & quamvis milites non niſi ferreis uterentur anulis, aureis eos uti permiſit, quod ſolis licebat Tribunis in exercitu, ut in Libyco Appian. tradidit.

Dertoſæ appulit.] Optimus cod. *Dertoſam app.* recte, cum alii libri omnes mendoſi ſint. Hinc Dertuſani apud Plinium lib. III. cap. III.

CASAUBON.

10. *Cum quaſi manumiſſioni vacaturus conſcendiſſet tribunal.*] Plutarchus: Προγράμματι ἐδήλωσεν ὁ Γάλβας ἡμέραν, ἐν ᾗ τὰς κατὰ μέρος ἐλευθερώσεις ἀποδώσεις τοῖς δεομένοις.

Legatum ſe ſenatus ac populi Rom. profeſſus eſt.] *Legatus*, ϛρατηγός. Dionem vide lib. LIII. Plutarchus, ϛρατηγὸς συγκλήτου καὶ δήμου Ῥωμαίων ὀνομαζόμενος.

Super exercitum veterem legionis unius.] Sic eſt: quia jam Hiſpania bona fide præſtare obſequium aſſueverat, vetus ordinatio fuerat immutata. Nam quum olim tres legiones in ea parte Hiſpaniæ prætenderent, ut eſt auctor Strabo, Galbæ Tarraconenſem adminiſtranti major non adeſt exercitus, quam legionis unius, alarum duarum, & cohortium trium. Ipſe ait apud Tacitum primo Hiſtoriarum: *Sit ante oculos Nero, quem longa Cæſarum ſerie tumentem, non Vindex cum inermi provincia, aut ego cum una legione, ſed ſua immanitas, ſua luxuria cervicibus publicis depulere.* paullo ante ſcribit idem, legionem Hiſpanam a Galba in urbem introductam: quæ hæc ipſa eſt. nam legio cognomine Hiſpana illis temporibus nulla, opinor, fuit.

Ac e primoribus.] Scrib. *at e pr.* & ſublata majore diſtinctione jungendum cum antecedentibus, *e plebe quidem.*

Evocati appellarentur.] Puto manſiſſe nomen iſtorum, fuiſſeque in aulis Principum, qui *Evocati Auguſti* appellarentur: non illa verbi notione omnibus nota, ſed hac recenti. in antiquis ſane inſcriptionibus ſæpe legas, EVOK. AUG. & apud ſcriptores quoque interdum.

Excubiaſque circa cubiculum ſuum.] Principum cuſtodes alii ad fores palatii ſtabant: hæc eſt illa cohors, quam τὴν παραφυλάττουσαν ἀεὶ σπεῖραν Plutarchus vocat. erant alii ad ipſas cubiculi fores: quorum meminit auctor & libro ſuperiore cap. XLVII.

Scalptura gemmæ victoriam cum tropæo exprimente.] Multi codd. *ſculptura*: melius per *a* in Memmiano & aliis. Tres ſunt artes, cælatura, ſcalptura, ſculptura, quarum differentias pauci capiunt. at ſculpturam a ſcalptura auctor Gloſſarum videtur diſtinguere ratione materiæ: ut hæc ſit in auro, argento, argilla & ſimilibus: illa in lapidibus. Sic Gloſſ. *Sculpit*, γλύφει λίθον. *Sculptor*, λιθογλύφος.

Alexandrina navis.] Dio ait fuiſſe plures: πλοῖα ὅπλων μεςά.

TOR-

dubium eſſet, juſtum piumque, & faventibus diis, bellum ſuſcipi. Cum repente ex inopinato prope cuncta turbata ſunt: alarum altera caſtris appropinquantem, pœnitentia mutati ſacramenti, deſtituere conata eſt, ægreque retenta in officio: & ſervi, quos a liberto Neronis ad fraudem præparatos muneri acceperat, per angiportum in balneas tranſeuntem pæne interemerunt: niſi cohortantibus invicem, ne occaſionem omitterent,
11 interrogatiſque de qua occaſione loquerentur, expreſſa cruciatu confeſſio eſſet. Acceſſit ad tanta diſcrimina mors Vindicis, qua maxime conſternatus, deſtitutoque ſimilis, non multum afuit, quin vitæ renuntiaret. Sed ſupervenientibus ab urbe nuntiis, ut occiſum Neronem, cunctoſque in verba ſua juraſſe cognovit, depoſita LEGATI, ſuſcepit CÆSARIS appellationem. Iterque ingreſſus eſt paludatus, ac dependente a cervicibus pugione ante pectus, nec prius uſum togæ recuperavit, quam oppreſſis, qui novas res moliebantur, præfecto prætorii Nymphidio Sabino Romæ: in Germania Fon-
12 tejo Capitone: in Africa Clodio Macro, legatis. Præceſſerat de eo fama ſævitiæ ſimul atque avaritiæ: quod civitates Hiſpaniarum Galliarumque, quæ cunctantius ſibi acceſſerant, gravioribus tributis, quaſdam etiam murorum deſtructione puniſſet: & præpoſitos procuratoreſque ſupplicio capitis affeciſſet cum conjugibus ac liberis: quodque oblatam

TORRENT.

Niſi cohortantib.] Mira locutio, *pæne interemerunt, niſi cohort.* &c. Mallem abeſſe *niſi*, & in fine cap. pro *eſſet* ſcribi *eſt*, aut relictis ceteris unius tantum litteræ mutatione *interemerant* pro *interemerunt* reponi. Sed Suetonio ſuo more loqui permittamus. ſic enim & Vitell. cap. VII.

Ne occaſionem omitterent.] Libb. duo *amitterent.*

11. *Depend. a cervicib. pugione.*] Quare pugionem prætulit? An forte ut jus gladii, ac proinde ſummum ſeſe Imperium habere ſignificaret? De qua gladii poteſtate præter JCtos nonnulla Dion lib. LIII. ubi de provinciarum diſtributione Auguſti loquitur. Sic nimirum & Vitellius, quo Imperium ſe deponere oſtendat, ſolutum a latere pugionem conſuli porrigit cap. XV. Nec diſſimile eſt, quod haſtam armorum & Imperii eſſe ſummam Feſtus tradidit. Alii pugionem fuiſſe volunt, quo Scævinus Neronem occidere propoſuerat. Nero autem eum Jovi Vindici apud Capitolium ſacraverat, de quo Tacit. extremo lib. XV. Verum nullum ſubeſſe hic myſterium Xiphilin. oſtendit, cum deriſum ſcribit, quod homo jam ſenex & imbecillus, manibus pedibuſque morbo diſtortis, gladium in itinere accingeret. De Nymphidio Sabino, Fontejo Capitone, Clodio Macro Tacit. Plutarch. Xiphilin.

12. *Murorum deſtruct. puniſſet.*] Muros ergo ignominiæ cauſa dejicere pœnæ loco habitum. Exempla apud Thucydidem lib. I. & III. apud Livium lib. VIII. cum ait: *In Veliternos, quod toties rebellaſſent, graviter ſævitum, ac muri dejecti.* apud Herodianum lib. III. de Byzantio, apud Appianum Ibericis de Termiſo Vaccæorum.

CASAUBON.

In balnea tranſeuntem pæne interemerunt: niſi cohortantibus invicem n.] Non ſine cauſſa Torrentium advertit locutionis hujus inconcinnitas. nam *pæne interemerunt, niſi,* valet interemturi fuerunt, niſi: aut potius brevitatis ſtudio omiſſa verba hoc pacto ſupplenda: idque adeo factum eſſet, niſi. Sic ſæpe Latini ſcriptores. Auctor Romanus, quem Hegeſippum dicunt, lib. II. cap. XIV. *Tanto impetu in Romanos proſiluere, ut omnem exercitum, niſi equites ſubveniſſent, averterent,* pro averſuri fuerint. libro V. cap. XX. *Romanos flamma circumvallaverant, niſi mature conſuluiſſent.* hoc eſt, circumvallaturæ fuerant. cap. L. *In poteſtatem hoſtium vivus conceſſerat, ni nodum intercidiſſet.* pro conceſſurus fuit.

11. *Mors Vindicis.*] Memm. & Viterb. *mors ſui vindicis.* fortaſſe, *mors Julii V.*

Sed ſupervenientibus ab urbe nuntiis.] Icelus libertus Roma in Tarraconenſem venit ad Galbam ſeptem diebus. Tam ſtupenda diligentia merebatur a Suetonio haut prætermitti. vide Plutarchum.

Ac dependente a cervicibus pugione ante pectus.] De itinere Galbæ ex Hiſpania Romam loquitur Tranquillus. Sed videtur Galba morem ſemel ſuſceptum ſemper poſtea ſervaſſe. nam Xiphilinus vitæ urbanæ illius extrema tempora deſcribens, obſervat irriſum fuiſſe, quod ſenex quum eſſet, & valetudini nervorum obnoxius, in omni itinere gladium ſuſpenſum geſtaret. Ὅτι ξίφος διὰ πάσης τῆς ὁδοῦ ἐξηρτᾶτο καὶ γέρων καὶ ἀσθενὴς τὰ νεῦρα ὢν, καὶ πάνυ πολὺν γέλωτα ὦφλίσκανεν.

Fontejo Capitone.] Viterb. *Frontejo.* ut in libris Plutarchi Φροντήϊος. Memm. *Fontejo.*

oblatam a Tarraconenſibus e vetere templo Jovis coronam auream librarum quindecim conflaſſet, ac tres uncias, quæ ponderi deerant, juſſiſſet exigi. Ea fama & confirmata & aucta eſt, ut primum urbem introiit. Nam cum claſſiarios, quos Nero ex remigibus juſtos milites fecerat, redire ad priſtinum ſtatum cogeret: recuſantes, atque inſuper aquilam, & ſigna pertinacius flagitantes, non modo immiſſo equite disjecit, ſed decimavit etiam. Item Germanorum cohortem a Cæſaribus olim ad cuſtodiam corporis inſtitutam, multiſque experimentis fideliſſimam, diſſolvit, ac ſine ullo commodo remiſit in patriam: quaſi Cn. Dolabellæ, juxta cujus hortos tendebat, proniorem. Illa quoque, verene an falſo, per ludibrium jactabantur, appoſita lautiore cœna ingemuiſſe eum. Et ordinario quidem diſpenſatori breviarium rationum offerenti, paropſidem leguminis pro ſedulitate ac diligentia porrexiſſe. Cano autem choraulæ, mire placenti, denarios quinque donaſſe, prolatos manu ſua e peculiaribus loculis ſuis. Quare adventus ejus non 13
perinde gratus fuit: idque proximo ſpectaculo apparuit. Siquidem Atellanis notiſſimum canti-

TORRENT.

Cum claſſiarios.] Sic navales ſive ſocios ſive milites, vocat. Tib. cap. LXII. Oth. cap. VIII. & Veſpaſ. cap. VIII. Similis Taciti locus lib. III. Hiſtor. *E claſſicis Ravennatibus legionariam militiam poſcentibus optimus quiſque adſciti.*

Germanorum cohortem.] Calig. cap. LVIII.

Cn. Dolabellæ.] Cui, uti & Othoni, cum utrique horum plures ambirent Imperium, Galba Piſonem prætulit.

Juxta cujus hortos tendebat.] *Tendere* militare verbum, pro tabernacula habere. Virgil.
Hic Dolopum manus, hic ſævus tendebat Achilles. & lib. VIII. *celſoque omnis de colle videri Jam poterat locus, & latis tendebat in arvis.* Ut autem Sueton. Germanorum cohortis juxta hortos Dolabellæ, ſic cohortis Illyricorum in porticu Vipſania tendentis Plutarch. meminit, & ipſe Tacit.

Breviarium rationum.] Sic *breviarium Imperii* Aug. cap. ult.

Parapſidem.] Meliores libri *paropſidem.* Græci fere παραψίδα ſcribunt. Heſychius tamen utrumque agnoſcit, παραψίδες, ἢ παροψίδες, τὰ μεγάλα τρυβλία. Utitur etiam Juvenal. Sat. III.

Cano choraulæ.] Elegans ſatis Apollonii cum hoc Cano dialogus apud Philoſtratum lib. V. cap. VII. Meminit Martial. lib. IV. Epig. V. & lib. X. Epigr. III.

Denarios quinque.] Plutarch. aureos vocat. An ergo denarii etiam aurei fuere?

E peculiaribus loculis.] Hoc Plutarch. explicat, cum ait adjeciſſe Galbam, de ſuo, non de publico ſe dare. Sic *peculiares ſervi* Cæſ. cap. LXXVI.

13. *Atellanis.*] *Atellanos* hoc loco Attellanarum actores vocat. Itaque *exorſis* lego, ut in edit. Germanica, pro *exerſus.*

CASAUBON.

12. *Quos Nero e remigibus juſtos milites fecerat.*] Quam parum honeſta apud Rom. fuerit olim nautica militia, ac quare, ad Polybium, faciente Deo, dicturi ſumus libro ſexto. At claſſiarii iſti & remiges beneficio Neronis facti juſti milites in unam legionem fuerant conjecti, auctore Plutarcho: quam ſane admodum amplam, ſupra conſuetum etiam illa ætate modum, fuiſſe oportet, ſi caret mendo, quod ſcribit Dio, ſævitia iſta Galbæ periiſſe illorum ad ſeptem millia, præter numerum ingentem eorum, qui tunc liberati, mox ſunt decimati. Fortaſſe ſcribendum apud Xiphilinum, εἰς τρισχιλίȣς, vel τετρακισχιλίȣς ἀπέθανον.

Aquilam & ſigna pertinacius flagitantes.] Plutarchus, σημεῖα τῷ τάγματι καὶ χώραν αἰτȣ̃ντες. id eſt, *ſigna flagitantes legioni ſuæ & locum ubi tenderent.*

Immiſſo equite disjecit.] Imo pedite, ſi ſequimur Dionem: ἐφῆκε σφίσι τὸ ςράτευμα. Plutarchus Suetonium ſequitur: ἐκέλευσε τȣ̀ς ἱππεῖς ἐμβαλεῖν αὐτοῖς..

Juxta cujus hortos tendebat.] Ante caſtra in urbe ædificata prætoriæ cohortes multifariam diverſeque tendebant in urbe, & vicinis urbi municipiis. Sejanus in unum coegit exſtructis caſtris: ſed in caſtra, ut vides, non admiſſæ cohortes, quæ ex aliis quam Romanis civibus erant compoſitæ, ut Germanorum, Hiſpanorum, aliorumve.

Parapſidem leguminis.] *Paropſidem:* nam abſurdus error eſt ſcribere per *a*, ut in multis libris invenitur. veteres omnes per *o*, alioquin inepte confunduntur ἀψὶς & ὄψον.

Denarios quinque donaſſe.] Magnitudinem ſordium intelliget, qui cogitabit fuiſſe moris, ut hiſtrionibus placentibus præter mercedem legitimam aliquot aurei ac ſimilia munera darentur. datæ ſunt & coronæ ex auro. At Galba tanta illiberalitate fuit, ut aliquando amicis daret muneri non denarios integros, ſed aſſes duos treſve. Dio: ὥςε μηδὲ δραχμὰς ἐςιν οἷς, ἀλλ' ὀβολȣ̀ς χαρίζεσθαι. Plutarchus hæc aliter narrat.

VARIOR.

13. *Siquidem Atellanis.*] Tib. 45.

canticum exorſis, *Venit io Simus a villa:* cuncti ſimul ſpectatores conſentiente voce
14 reliquam partem retulerunt, ac ſæpius verſu repetito egerunt. Majore adeo & favore & auctoritate adeptus eſt, quam geſſit, Imperium: quamquam multa documenta egregii Principis daret: ſed nequaquam tam grata erant quam inviſa, quæ ſecus fierent. Regebatur trium arbitrio, quos una & intra Palatium habitantes, nec umquam non adhærentes, pædagogos vulgo vocabant. Hi erant T. Vinius legatus ejus in Hiſpania, cupiditatis immenſæ: Cornelius Laco, ex aſſeſſore præfectus prætorii, arrogantia ſocordiaque intolerabilis: libertus Icelus, paullo ante anulis aureis & Martiani cognomine ornatus, ac jam ſummi equeſtris gradus candidatus. His diverſo vitiorum genere graſſantibus

TORRENT.

Venit io Simus a villa.] Libri omnes fœde corrupti. Quare & ego Turnebum ſequor Adverſar. V. cap. II. illud enim *a villa*, Galbæ optime convenit, quod (ut ante dictum eſt) plurimum in ſeceſſu vixerat. Plebs vero non verba ſolum hiſtrionum, ſed & motus imitabatur, quod *agere* vocat hic Sueton. Vide Tacitum lib. XVI. ubi Neronem in theatrum producit.

14. *Quæ ſecus fierent.*] Dictio *ſecus* in duobus libb. deſideratur. Forte ſcriptum erat *ſequius*, quod alii mutarunt, alii etiam omiſerunt.

T. Junius.] Nomen hoc, etiam in Taciti exemplaribus corruptum, primus ex veteri marmore reſtituit Onufrius Panvinius Faſtis A. V. DCCCXXII. T. Vinium vocatum fuiſſe oſtendens. Quod nomen Plutarch. integrum ſervat. Adde quod Tacit. patrem ei ex familia Prætoria fuiſſe ſcribit. At gens Junia omnes honores adepta eſt. T. Vinium quendam ſub Triumviris ſervatum uxoris opera refert Dion lib. XLVII. Exſtat & Horatii ad Vinium Aſellam epiſtola. Cujus nominis memoriam etiam nummi ſervant.

Ex aſſeſſore præf. præt.] *Aſſeſſores* ſunt, qui a magiſtratibus præſidibuſque in conſilium adhibentur, ab eo dicti, quod in jure reddundo eis aſſiderent. l. 1. & l. ult. de Offic. Aſſeſſ. Quare etiam conſiliarii appellantur. *Aſſeſſura* quoque ipſorum functio. l. penult. De proxenet. Quo ſpectat quod de Tiberio refert Sueton. cap. XXXIII. eum ſeſe magiſtratibus pro tribunali cognoſcentibus ſæpius obtuliſſe conſiliarium, atque aſſediſſe. Porro ut hic Laco ex Aſſeſſore Præfectus Prætorii factus eſt, ſic Paullus quoque, & Ulpianus, cum ante Papiniano in conſilio fuiſſent. Auctor vita Peſcennii Nigri Spartian. Quos autem Præfectos Prætorii Latini, Græci fere τῆς ἀυλῆς, καὶ τῶν δορυφόρων, καὶ τῶν ϛρατοπέδων ἐπάρχυς vocant, ut hunc Laconem, & Nymphidium Plutarch. Burrum quoque ſub Nerone Dion, & Perennem ſub Commodo Herodian.

Socordiaque.] Liber opt *ſecordiaque*, ut ſemper.

Lib. Icelus.] Varie hujus liberti nomen ſcribitur. Ego Icelum (aut Hicelum) Marcianum vocatum fuiſſe credo. Cujus diminutivum Icellus. Meminit ejuſdem Ner. cap. XLIX.

Summæ equeſtris gradus candidatus.] Placet Petri Fabri JCti. interpretatio, ut non de cenſu equeſtri, ſed de præfectura prætorii locus hic intelligatur. Præfecti enim prætorio ab Auguſti uſque temporibus ex equeſtri tantum ordine ſumebantur. In quo præfectura prætorii ſummus erat honorum gradus, ut ſup. Claud. cap. XII. inf. Tit. cap. VI. Icelus ergo, jam ante donatus anulis aureis, plus quam centum (ut puto) equites poſſidens, non cenſum equeſtrem, ſed præfecturam ambiebat.

CASAUBON.

13. *Canticum exorſis, Venit io Simus a villa.*] Plerique libri etiam Memm. & Viterb. *exorſus.* ſed videtur prius fuiſſe ſcriptum, *St. venit io Simus.* Notum eſt *St.* eſſe in comœdiis indicendi ſilentii ſignum, tale illud apud Ciceronem de Julio Cæſare, *St. manum de tabula: magiſter adeſt.* Male autem in vulgatis codicibus *ſimus* eſt ſcriptum: nam recta ſcriptura eſt *Simus.* id nomen eſt perſonæ comicæ, e re ſic appellatæ: ita enim fingebant perſonam hominis ruſtici & triparci, qualem populus Galbam exiſtimabat. Pollux: Τῷ ἀγροίκῳ, τὸ μὲν χρῶμα μελαίνεται. τὰ δὲ χείλη πλατέα καὶ ἡ ῥὶς σιμὴ, καὶ ϛεφάνη τριχῶν. Porro in omnibus MSS. locus hic depravate exaratus reperitur. fere enim ſcribunt, *venitione ſimus*, atque ita enim Memm. poſſis facere, *venit Oneſimus.* at in Viterb. pro *nē* eſt *n̄.* fortaſſe legendum *noſter Simus.*

Reliquam partem retulerunt.] Ariſtoteles in ſimili ſententia tertio Rhetoricorum, προλαμβάνειν aptius dixit.

14. *Sed nequaquam tam grata erant.*] Uſitatius & planius, *tam grata ea erant.*

Ac jam ſummi equeſtris gradus candidatus.] Ita edidimus ex codicis Viterbienſis fide. neque dubitandum videtur, quin hæc ſit vera lectio, non ut habent alii, credo, omnes, *ſummæ equeſtris gradus cand.* Non eſt autem dubium fuiſſe illis temporibus ſummum equeſtrem gradum, ſive faſtigium equeſtris ordinis præfecturam prætorii: negant tamen viri docti de præfectura illa ſenſiſſe Suetonium, ſed de procuratione potius, quæ & ipſa equeſtris ordinis

ſantibus, adeo ſe abutendum permiſit & tradidit, ut vix ſibi ipſi conſtaret: modo acerbior parciorque, modo remiſſior ac negligentior quam conveniret Principi electo, atque illius ætatis. Quoſdam claros ex utroque ordine viros ſuſpicione minima, inauditos condemnavit. Civitatem Romanam raro dedit. Jura trium liberorum vix uni atque alteri: ac ne his quidem, niſi ad certum præfinitumque tempus. Judicibus ſextam decuriam adjici precantibus non modo negavit: ſed etiam conceſſum a Claudio beneficium, ne hieme initioque anni ad judicandum evocarentur, eripuit. Exiſtimabatur etiam ſenatoria & equeſtria officia biennii ſpatio determinaturus, nec daturus niſi invitis ac recuſantibus. Liberalitates Neronis non plus decimis conceſſis, per quinquaginta equites Rom. ea conditione revocandas curavit exigendaſque: ut & ſi quid ſcenici aut xyſtici donatum olim vendidiſſent, auferretur emtoribus, quando illi abſumto pretio

ais propria. Rationem afferunt, quia parum ſit probabile ſub Galba libertum iri promotum ad eam dignitatem. Ego vero Suetonii verba aliter accipienda cenſeo, & ſimpliciter ita locutum illum eſſe interpretor, ad indicandam Iceli potentiam: quaſi diceret eo ipſum perveniſſe, ut princeps propemodum equeſtris ordinis haberetur. poſſumus & candidatum pro eo, qui ambit, accipere: neque abſurdum in eo quicquam erit, ſi dicatur iſte libertini generis homo, etiam ad præfecturam prætorii adſpiraſſe. non enim propterea recte colligas, fuiſſe illi facultatem perveniendi, quo tendebat. Plutarchus de potentia Iceli idem cum Suetonio dicit, ſed aliis verbis: *Τῷ δὲ ἀπελευθέρῳ δακτυλίους τε χρυσοῦς ἔδωκε, καὶ Μαρκιανὸς ὁ Ἴκελος ἤδη καλούμενος εἶχε τὴν πρώτην ἐν τοῖς ἀπελευθέροις δύναμιν. Liberto aureos annulos conceſſit: atque is Marcianus Icelus jam appellatus, ſummam inter ſui ordinis homines potentiam obtinebat.*

VARIOR.

Venit io ſimus a villa.] Ant. Auguſtinus legendum putabat: *venit Oneſimus a villa.* Non longe abit Salmaſianus: *venitioneſimus.* ſicut & ſecundus Palatinus, aliique. ſed recte vulgatam tuentur Caſaubonus & Turnebus Adverſar lib. v. cap. 11.

TORRENT.

Ad certum præfinitumque tempus.] Ob legem Papiam, ne diutius matrimonio abſtinerent, aut minus operam darent liberis.

Sextam decuriam,] Quintam Cajus adjecerat.

Conceſſum a Claudio beneficium.] Sup. Claud. cap. XXII.

15. *Per quinquaginta eq. R.*] Tacit. tantum XXX. ei exactioni præpoſitos dicit, bis & vicies millies HS. donationibus effudiſſe Neronem tradens. ſic enim legendum.

Xyſtici aut ſcenici.] Athletæ, atque hiſtriones Aug. cap. XLV.

CASAUBON.

Quam conveniret Principi electo.] Et a quo contraria omnes exſpectabant. unde factum, ut gravius acciperentur, quæ ita præter opinionem eveniebant: omnes enim, ut Plutarchus ait: *ἕτερον ἡγεμονίας σχῆμα προσεδέχοντο.*

Atque illius ætatis.] Regii, Memmii, & Liſlæi codd. *atque illud ætatis.* Erat Galba annorum LXXIII.

Inauditos condemnavit.] Plutarchus de cæde Cingonii Varronis, Mithridatis Pontici, & aliorum: *Ἔδοξε μὴ νομίμως, εἰ καὶ δικαίως, μηδὲ δημοτικῶς ἀνῃρηκέναι πρὸ κρίσεως ἄνδρας οὐκ ἀσήμους.*

15. *Per quinquaginta equites Rom.*] Initio negotium mandatum equitibus XXX. ſed poſtquam difficultas major apparuit, quam initio videretur futura, atque, ut Plutarchus ait, *τοῦ πράγματος πόῤῥω νεμομένου καὶ προϊόντος ἐπὶ πολλούς*, additi prioribus equites XX. Ita conciliem Tacitum Suetonio.

Scenici aut xyſtici.] *Οἱ περὶ σκηνὴν καὶ παλαίστραν.* Plut. Vide lib. 11. cap. XLV.

VARIOR.

14. *Atque illius ætatis.*] Repone ex Caſaubonianis quatuor & duobus Pall. *atque illud ætatis.* Plautus Milite 3. 1. *tibi iſtuc ætatis homini.* Et, *iſtuc ætatis qui ſit.* Cicero lib. 16. ad Atticum ep. 7. *non audet hominem id ætatis monere.* Noſter Nerone 26. *Quare nunquam poſtea ſe publico illud horæ ſine tribunis commiſit.* GRONOVIUS. Adſtipulantur Salmaſ. & Robertus Stephanus.

Judicibus ſextam decuriam adjici precantibus.] Quinque fuerunt tum temporis decuriæ. Prima *ſenatoria* erat Ciceroni appellata 1. Verr. extremo, & 2. lib. 32. Altera *equitum* a Gracchanis temporibus *Tribuni ærarii*, qui tertiam faciebant, ſublati a Julio, ut tradidit Sueton. 41. inter hujus mortem locum fecerunt decuriæ *centurionum* ab Antonio additæ, de qua Cicero 1. & 5. & 13. Philippica. Quartam adjecit Auguſtus *ducenariorum*, Sueton. 32. qui judicarent de levioribus ſummis. Quintam Cajus eodem teſte cap. 16. GRONOV. Not. ad Plin. XXIX. 1.

15. *Si quid ſcenici aut xyſtici.*] Salmaſ. *ac xyſtici.*

TOR-

tio ſolvere nequirent. At contra, nihil non per comites atque libertos pretio adipiſci, aut donari gratia paſſus eſt, vectigalia, immunitates, pœnas innocentium, impunitates noxiorum. Quin etiam pop. Rom. depoſcente ſupplicium Haloti & Tigillini, ſolos ex omnibus

TORRENT.

Comites atque libertos.] Cæſ. cap. IV.

Pretio addici.] Libri MSS. *adipiſci.* Quod etiam Beroaldus fatetur, ipſe *addici* ſubſtituens, ſed male. Plaut. Trinummo, *Non ætate, ſed ingenio adipiſcitur ſapientia.* hujuſmodi enim verba communia ſunt, quanquam alia aliis altera ſignificatione minus uſitata. Gellius XV. cap. XIII.

Pœnas innocentum, impunitatem.] MSS. *pœ. innocentium, impunitates nox.*

Supplicium Haloti & Tigillini.] Haloti, qui, prægustator cum eſſet, Claudio venenum dedit, mentio ſup. Claud. cap. XLIV. De Ofonio vero Tigellino ſæpe Tacit. Juvenal. quoque Sat. 1. quanquam Tigillinum fere vocant codd. etiam MSS. Sed Tigellinum vocari debere & quod a Tigellio derivatur oſtendit, & quod Græci fere *e* ſervant. Ac Tigellini quidem delationes omnibus notæ, de Haloto vero dubitari poſſit. libertum enim Neronis, qui qua pollebat gratia ad delationes plurimum abuſus eſt, Helium vocat Xiphilin. Cujus etiam Sueton. meminit Neron. cap. XXIII. non uno in loco Tacit.





CASAUBON.

Pretio adipiſci.] Scripſimus cum veteri Rom. cui multi manuſcripti conſentiunt. & Priſcianus libro VIII. verbum *adipiſcor* in albo eorum deponentium refert, quæ antiqui tam activa quam paſſiva ſignificatione protuliſſe inveniuntur. in Viterb. eſt *adjici* pro *addici*, ut ſæpe alibi. Memmianus, *addici*, idque fortaſſe verius.

Pretio addici aut donari gratia paſſus eſt vectigalia.] Principum qui ad breve tempus regnarunt facta, negligentius ab hiſtoricis, etiam diligentiſſimis prodi memoriæ ſolent. nam quia ordinationes ab iis profectæ, cum ſuis auctoribus ut plurimum finiuntur; quod non manſit diu, pro eo habetur, ac ſi ne fuiſſet quidem unquam. Ne aliunde exempla arceſſam, quis e ſcriptoribus rerum Galbæ fecit mentionem quadrageſimæ ab eo remiſſæ? Sciunt periti rerum Romanarum, nomen id eſſe portorii, quod publicanis pendebatur. Eam exactionem ut & plures alias ejuſdem generis Neronem quondam ſuſtuliſſe, auctor eſt Tacitus libro XIII. Annalium. Verum eo loco addit Tacitus illa Neronis decreta, *brevi ſervata, dein fruſtra habita.* Galbam revocaſſe abolitionem quadrageſimæ, docemus nos invicto argumento, nummi veteris, qui ex S. C. ad tradendam poſteris ejus beneficii memoriam & honorem Galbæ, fuit percuſſus. eum nummum infra ſubjecimus, communicatum nobis ab eruditiſſimo viro, & veteris hiſtoriæ ſtudioſiſſimo, Jacobo Azamo, Advocato Limoſenſi, diœceſeos Electenſis in Narbonenſi Gallia Syndico. Quod igitur ſcribit Tacitus, manſiſſe adhuc ætate ſua abolitionem quadrageſimæ per Neronem factam; non ita intelligendum eſt, quaſi poſt Neronis conſtitutionem perpetua & conſtans ejus viguiſſet obſervatio: ſed quod fuit Galbæ imperium & breve & obſcurum, hoc ignoravit Tacitus, aut diſſimulavit.

VARIOR.

Pretio adipiſci aut donari gratia.] Scio commune eſſe τὸ *adipiſci.* Sed longe commodius hic *addici*, vel ob unum Ciceronis locum pro Cæcina: *partim gratia Ceſenniæ, partim etiam pretio fundus addicitur Æbutio.* Philippica 7. *provincias de populi Romani imperio ſuſtulit, regna addixit pecunia.* Actione 1. in Verrem: *bonorum poſſeſſionumque addictio & condonatio.* Quanquam hæc addictio prætoris ſit, non venditoris: tamen junguntur ſic quoque *addici* & *donari.* Noſter Julio 50. *ampliſſima prædia ex auctionibus haſtæ ei nummo addixit.* Et infinita talia. GRONOVIUS.

bus Neronis emiſſariis vel maleficentiſſimos incolumes præſtitit: atque inſuper Halotum
procuratione ampliſſima ornavit. Pro Tigillino etiam ſævitiæ populum increpuit edicto.
Per hæc prope univerſis ordinibus offenſus, vel præcipua flagravit invidia apud mi- 16
lites. Nam cum in verba ejus abſentis jurantibus donativum grandius ſolito præpoſiti
pronuntiaſſent: neque ratam rem habuit, & ſubinde jactavit; *legere ſe militem, non
emere conſueſſe.* Atque eo quidem nomine omnes, qui ubique erant, exacerbavit.
Ceterum prætorianos etiam metu & indignitate commovit, removens ſubinde pleroſque
ut ſuſpectos, & Nymphidii ſocios. Sed maxime fremebat ſuperioris Germaniæ exerci-
tus, fraudari ſe præmiis navatæ adverſus Gallos & Vindicem operæ. Ergo primi obſe-
quium rumpere auſi, Kalend. Januarii adigi ſacramento niſi in nomen ſenatus, recuſa-
runt: ſtatimque legationem ad prætorianos cum mandatis deſtinaverunt, *diſplicere Im-
peratorem in Hiſpania factum, eligerent ipſi quem cuncti exercitus comprobarent.* Quod 17
ut nuntiatum eſt, deſpectui eſſe non tam ſenectam ſuam, quam orbitatem ratus,
Piſonem Frugi Licinianum, nobilem egregiumque juvenem, ac ſibi olim probatiſſi-
mum, teſtamentoque ſemper in bona & nomen adſcitum, repente e media ſalutantium
turba apprehendit: filiumque appellans, perduxit in caſtra, ac pro concione adoptavit,
ne tunc quidem donativi ulla mentione facta: quo faciliorem occaſionem M. Salvio
Othoni præbuit perficiendi conata, intra ſextum adoptionis diem. Magna & aſſi- 18
dua

TORRENT.

16. *Univerſis ordinib. offenſis.*] Sic noſtri MSS. omnes. Male qui *offenſus* legunt.

Præpoſiti.] Ei ſcilicet negotio, quos inter vel præcipuus Nymphidius Sabinus, præfectus prætorii. Cujus hæc promiſſio Neronem primo, mox Galbam perdidit. Sed & ipſe ante periit. Tacit. & Plutarch.

Navatæ adv. Gallos & Vindicem operæ.] Cum (ut ante vidimus) C. Julius Vindex Gallos ad rebellionem concitaſſet, profectus adverſus eum ex Germania, cui præerat, Virginius Rufus, Gallos ſuo exercitu compeſcuit, ſublatoque morte voluntaria Vindice, Imperium, quod ſibi parare potuit, ſenatui reddi voluit. Hiſtoriam refert Xiphilin. Adde Plinium lib. II. Ep. I. & lib. VI. Ep. XIX. Meminit hujus Virginii etiam Juvenal. Sat. VIII.

Obſequium rumpere auſi Kal. Jan.] Recte ſic Pulmannus, pro *adigi* tamen *addici* habent meliores duo codd.

17. *Piſonem Frugi Licinianum.*] De quo, & uxore Verania Plin. lib. II. Ep. XX.

Teſtamentoque ſemper.] Lib. unus *ſuper.* Ut *inſuper* fortaſſis legendum ſit. Sed Suetonio tritum *ſuper* pro præter, aut ultra.

CASAUBON.

Sævitiæ populum increpuit edicto.] Placet hæc omnium codd. ſcriptura. nec aſſentior doctiſſimo cuidam viro, qui mallet, *ſævitiam populi increp. ed.* hoc uſitatius: illud magis Suetonianum lib. IV. cap. XXXIX. *modo avaritiæ ſingulos increpans.* Edicti ſententiam apud Plutarchum lege.

Univerſis ordinibus offenſus.] Errant, qui hanc MSS. lectionem γνησιωτάτην corrumpunt, & legunt *offenſis.* potuit fugere viros eruditiſſimos vocis *offenſus* hæc ſignificatio? Cicero ad Atticum lib. II. ep. 19. *Scito nihil unquam fuiſſe tam infame, tam turpe, tam peræque omnibus generibus, ordinibus, ætatibus offenſum, quam hunc ſtatum.* Pro Sextio: *Aliuſne eſt aliquis improbis peculiaris populus, cui nos offenſi inviſique fuerimus.* & ita ſæpe alibi. Memmianus tamen, *offenſis.* & *flagrabat*, non *flagravit.*

Deſpectui eſſe non tam ſenectam ſuam quam orbitatem ratus.] Plutarchus ad verbum, Φοβηθεὶς ὡς μὴ μόνον διὰ τὸ γῆρας, ἀλλὰ καὶ διὰ τὴν ἀπαιδίαν καταφρονούμενος. Sunt vero liberi *firma imperii munimenta & ſubſidia dominationis*, ut loquitur Tacitus: *ſubſidia aulæ*, ut Tranquillus. Philoſtratus lib. V. de Veſpaſiano, Τὴν δὲ ἀρχὴν ὑποδεξάμενος, θεραπεύεται μὲν ὑπὸ τῶν ἑαυτοῦ παίδων, στηρίζεται δὲ ἐπ᾽ αὐτῶν, καὶ ἐπ᾽ αὐτοῦ οἱ παῖδες.

Teſtamentoque ſemper in bona & nomen aſcitum.] Ait *ſemper*: quia ſoliti olim prudentes patresfamilias ſupremis ſuis mature proſpicere, ac ſæpe pro oblata occaſione teſtamenti tabulas reficere. non enim ferri poteſt, quod proferunt quidam ac tuentur, *ſuper*, pro *ſemper.* vide in Julio cap. LXXXIII. & nota ibi verba iſta, *heredem ab eo ſcribi.*

Intra ſextum adoptionis diem.] Plutarchus aliter numerat, & quartum diem appellat.

VARIOR.

Edicto increpuit.] Sic Salmaſ. & duo Palat.

16. *Univerſis ordinibus offenſus.*] Codex Salmaſ. & Rob. Steph. *offenſis.*

TOR-

dua monſtra jam inde a principio exitum ei, qualis evenit, portenderant. Cum per omne iter dextra ſiniſtraque oppidatim victimæ cæderentur, taurus ſecuris ictu conſternatus, rupto vinculo, eſſedum ejus invaſit: elatiſque pedibus totum cruore perfudit, ac deſcendentem ſpiculator impulſu turbæ lancea prope vulneravit. Urbem quoque, & deinde Palatium ingreſſum, excepit terræ tremor, & aſſimilis quidam mugitui ſonus. Secuta ſunt aliquanto manifeſtiora. Monile margaritis gemmiſque conſertum ad ornandum Fortunam ſuam Tuſculanam, ex omni gaza ſecreverat: id repente quaſi auguſtiore dignius loco Capitolinæ Veneri dedicavit: ac proxima nocte ſomniavit, ſpeciem Fortunæ querentis fraudatam ſe dono deſtinato, minantiſque erepturam & ipſam, quæ dediſſet. Cumque exterritus luce prima ad expiandum ſomnium, præmiſſis qui rem divi-

TORRENT.

18. *Rupto vinculo.*] Triplex una in re oſtentum, & quod fugit hoſtia, & quod eſſedum invaſit, & quod eum pro cujus ſalute immolanda erat, cruore aſperſit. Feſtus, *Piacularia* (inquit) *vocabant, quæ ſacrificantibus triſtia portendebant, cum aut hoſtia ab ara profugiſſet, aut percuſſa mugitum dediſſet, aut in aliam portem corporis quam oporteret, decidiſſet.* Plin. lib. VIII. cap. XLV. *Notatum eſt vitulos ad aras humeris hominis allatos non fere litare, ſicut nec claudicante, nec aliena hoſtia deos placari, nec trahente ſe ab aris.* Similiter Macrob. Saturn. lib. III. cap. XV. Servius quoque in illud Virgil.

Et ductus cornu ſtabit ſacer hircus ad aras.

Et iterum lib. IX.

Et ſtatuam ante aras aurata fronte juvencum.

Exempla hic, & Cæſ. cap. LIX. Tit. cap. X. Mirum vero, quod rupto vinculo fugiſſe victimam narrat Sueton. cum Servius ſolutas duci ſolere hoſtias ſcribit. Quem ſcrupulum movet quidem Beroaldus, ſed non eximit. Ego crediderim hoſtias ferociores ob periculum, ne fugiendo ſacra perturbarent, laxo quodam fune vinciri ſolere, ut nihilominus tanquam liberæ ducerentur. Atque ita intelligo Juvenalis locum e Sat. XII.

Sed procul extentum petulans quatit hoſtia funem.

Verum de his rituales illi Etruſcorum libri, quos Feſtus commemorat, quoſque de ſacrificandi arte ſcriptos fuiſſe auctor eſt Livius XXV. Vide (ſi lubet) Macrobium Saturn. lib. III. cap. V.

Spiculator,] Per *e* eſſe legendum ſup. Calig. cap. LII. docuimus. Mox *terræ tremor* emendo pro *terra tremore.*

Majora & triſtiora.] Lib. opt. *manifeſtiora, & triſtiora.*

Fortunam ſuam Tuſculanam.] Quam Tuſculi ſacraverat. Sup. cap. IV.

Ad expiandum ſomnium.] Tibull. lib. III. Eleg. IV. *At natum in curas hominum genus omina noctis Farre pio placant, & ſaliente ſale.*

CASAUBON.

18. *Excepit terra tremore, & aſſimilis quidam mugitui ſonus.*] Videtur ſcribendum, *terræ tremor*, ob ſequentia. vel, *exc. terra tremore, & aſſimili quodam mugitui ſono.* In Memmiano diſerte *tremor.* cætera minus bene.

VARIOR.

18. *Oppidatim victimæ cæderentur.*] Vide Caſaubono notata ad cap. XIII. Calig. quibus iſtud ex Hirtio de B. G. adde: *Nibil relinquebatur, quod ad ornatum portarum, itinerum, locorumque omnium, qua Cæſar iturus erat, excogitari poſſet. cum liberis omnis multitudo obviam procedebat. hoſtiæ omnibus locis immolabantur. tricliniis ſtratis fora, templaque occupabantur, ut vel exſpectatiſſimi triumphi lætitia percipi poſſet.* Item illud ex Tacito Hiſt. II. de itinere Vitellii: *Nec minus inhumana pars viæ, quam Cremonenſes lauro roſiſque conſtraverant, exſtructis altaribus, cæſiſque victimis, regium id morem.* SCHILDIUS.

Ac deſcendentem ſpiculator impulſu turbæ lancea prope vulneravit.] Suidas σπεκȣλάτωρος, τȣ̃ δορυφόρȣ interpretatur: & hic in Suetonio atque in Tacito reperias inter ſatellites Principales. Arma iis clypeus & lancea. Joſephum vide Ἰȣδαικ. ἁλώσ. lib. III. c. VI. Nam capiam ibi ſane λογχοφόρȣς, ſive lancearios, hos ſpeculatores. Præter hunc locum ſuadet alter Suetonii in Claudio: *Neque convivia inire eſt auſus, niſi ut ſpeculatores cum lanceis circumſtarent.* Cæterum ut *ſpeculatorem*, non *ſpiculatorem* legamus, libri ſcripti ſuadent & lapides. LIPSIUS. Salmaſianus quoque cod. ſemper *ſpeculatores.*

Aſſimilis quidam mugitui ſonus.] Antequam terra moveatur, ſolet, ut Seneca inquit in VI. Quæſtionum, mugitus audiri, ventis in abdito tumultuantibus. Unde eſt illud a Virgilio ſcienter ſimul & eleganter dictum:

Sub pedibus mugire ſolum.

Plinius quoque in II. *Præcedit*, inquit, *comitaturque terribilis ſonus, alias murmur ſimilius mugitibus, aut clamori humano, armorumve pulſantium fragori.* Adſtipulatur Plinio, Senecæque Ammianus, qui ait: *Neceſſe eſt velut taurinis reboare mugitibus fragores, fremituſque terrenos.* BEROALD.

divinam appararent, Tuſculum excucurriſſet, nihil invenit præter tepidam in ara faviſ-
lam, atratumque juxta ſenem in catino vitreo thus tenentem, & in calice fictili merum.
Obſervatum etiam eſt Kalend. Januariis ſacrificanti coronam de capite excidiſſe: auſpi-
canti pullos evolaſſe: adoptionis die, neque milites allocuturo caſtrenſem ſellam de
more poſitam pro Tribunali, oblitis miniſtris, & in ſenatu curulem perverſe collocatam.
Prius vero quam occideretur, ſacrificantem mane haruſpex idemtidem monuit, cave- 19
ret periculum: non longe percuſſores abeſſe. Haud multo poſt cognoſcit teneri caſtra
ab Othone: ac pleriſque ut eodem quam primum pergeret ſuadentibus (poſſe enim au-
ctoritate & præſentia prævalere) nihil amplius quam continere ſe ſtatuit: & legionariorum
firmare præſidiis, qui multifariam diverſeque tendebant. Loricam tamen induit lin-
team, quamquam haud diſſimulans parum adverſus tot mucrones profuturam. Sed
extractus rumoribus falſis, quos conſpirati, ut eum in publicum elicerent, de induſtria
diſſiparant, paucis temere affirmantibus tranſactum negotium, oppreſſos qui tumultua-
rentur,

TORRENT.

Tepidam in ara favillam.] Omnia infauſta atque inominata. Fulgere aram oportebat, vinum ſimpulo, tus acerra, non catino, aut calice, quæ vaſa eſcaria ac potoria ſunt, adminiſtrari, neque a ſene, & eo quidem atrato, ſed a puero ingenuo, ac bene culto, quales qui Camilli appellabantur. Accedit materiæ calicis & catini vilitas, in Imperatoris maxime ſacrificio, cum hi quoque qui argentum ad alios uſus omnes aſpernarentur, patellam ſaltem deorum cauſa haberent argenteam. De ture autem, & mero, quibus ſupplicare ſunt ſoliti etiam ante quam hoſtiæ immolarentur, Aug. cap. XXXV.

Caſtrenſem ſellam.] Non ſolum in caſtris, atque in curia peculiaris erat Imperatori ſella, ſed & in cubiculo, & triclinio, & theatro, qua alium ſedere nefas eſſet. Spartian. Hadriano: *Tunc Servianum, quaſi affectatorem Imperii, quod in ſedili regio juxta lectum poſito ſediſſet*, &c. Idem Severo: *Sedit & in ſella Imperatoria, temere a miniſtro poſita, ignarus quod non liceret.* Loquitur autem de convivio. Herodian. lib. I. de Lucilla ſorore Commodi, *ſella Imperatoria ſeſſitare in theatro, & ignem de more præferre patiebatur.* ſic enim vertit Politian.

19. *Aruſpex.*] Umbricium vocant Tacit. & Plutarch. De quo (ni fallor) Juvenal. Sat. III. Eundem ut aruſpicum ſuo ævo peritiſſimum celebrat Plin. lib. X. cap. VI. Paullo ante *vero* abeſt a MSS. noſtris.

Loricam tamen induit linteam.] Thoracem appellant Tacit. & Plutarch. Erant olim igitur etiam linei thoraces, quas loricas vocat Sueton. Qua de re ſic Cornel. Nepos (ſive is Æmilius Probus eſt) vita Iphicratis: *Mutavit genus loricarum, & pro ferreis atque æneis lineas dedit. Quo facto expeditiores milites reddidit.* Apud Homerum quoque II. Iliad. Ajax Oileus λινοθώρηξ eſt, Telamonius apud Sophoclem χαλκοθώραξ. Lineos etiam thoraces commemorat Pauſan. in Atticis, non tam ad prælia tamen, quam venationes aptos: confringi enim in his leonum, ac pardorum dentes ſcribit. De thorace denique lineo, quo Amaſis rex Ægypti uſus ſit, Plin. lib. XIX. cap. II.

Diſſiparant.] Lib. unus *diſperſerant.* Sed *diſſipare rumorem, famam, ſermonem* non ſemel etiam apud Cic. invenias.

CASAUBON.

Sacrificanti coronam de capite excidiſſe.] Veteres *caducum auſpicium* vocabant. Silius Italicus libro XVI. de rege Syphace:

Vittaque majorum decoramen fronte, ſine ullo
Delapſa attactu nudavit tempora regis.
Talia cœlicolæ caſuro triſtia regno
Signa dabant, ſævique aderant gravia omina fati.

19. *Loricam tamen induit linteam.*] Linteis ſive lineis loricis pro thoracibus eſſe uſos veteres, norunt omnes: ſed quomodo illæ fierent, & qua ratione linum ita indureſceret, ut etiam ferro reſiſteret, hoc vero norunt non omnes. Fiebant autem linei thoraces opera atque artificio coactiliariorum & πιλοποιῶν, qui linum aceto vel auſtero vino, cui ſal eſſet adjectum, probe macerabant; deinde ita cogebant, ut ſoliditatem ac craſſitiem lintei octies decies aut ſæpius in ſe complicati haberet. Nicetas Acominatus libro I. rerum Iſaaci Angeli: Αὐτὸς μέντοι ὁ Κορράδος ἄνευ θυρεοῦ τηνικαῦτα διηγωνίζετο, ἐκ δὲ λίνου πεποιημένον ὕφασμα οἴνῳ αὐστηρῷ ἱκανῶς ἡλισμένῳ διάβροχον πολλάκις περιπτυχθὲν δίκην θώρακος ἐνεδύετο. ἐς τοσοῦτον δ' ἦν ἀντιτυπὲς ἅλσι καὶ οἴνῳ συμπιληθέν, ὡς καὶ βέλους εἶναι παντὸς στεγανώτερον. ἠριθμοῦντο δ' εἰς ὀκτωκαίδεκα καὶ πλείω ὑφάσματος συμπτύγματα. *Ipſe Conradus ſine ſcuto tunc dimicabat; ſed pro lorica textum quoddam geſtabat, e lino factum, vino auſtero probe ſalito maceratum, ſæpius replicatum: quod quidem ſale & vino coactum adeo firmum adverſus ictus erat, ut penetrari a nullo te-*

lo

rentur, advenire frequentes ceteros gratulabundos, & in omne obſequium paratos: his ut occurreret, prodiit tanta fiducia, ut militi cuidam occiſum a ſe Othonem glorianti, *Quo auctore* reſponderit, atque in Forum uſque proceſſit. Ibi equites, quibus mandata cædes erat, cum per publicum dimota paganorum turba equos adegiſſent, viſo procul eo, parumper reſtiterunt: deinde rurſum incitati, deſertum a ſuis contrucidarunt.
20 Sunt qui tradant ad primum tumultum proclamaſſe eum, *Quid agitis commilitones? ego veſter ſum, & vos mei:* donativum etiam pollicitum. Plures autem prodiderunt, obtuliſſe ultro jugulum: & *ut hoc agerent ac ferirent, quando ita videretur*, hortatum. Illud mirum admodum fuerit, neque præſentium quenquam opem Imperatori ferre conatum: & omnes qui arceſſerentur, ſpreviſſe nuntium, excepta Germaniciorum vexillatione. Hi ob recens meritum, quod ſe ægros & invalidos magnopere foviſſet, in auxilium advolavere: ſed ſerius, itinere devio per ignorantiam locorum retardati. Jugulatus eſt ad lacum Curtii, ac relictus, ita uti erat, donec gregarius miles a frumentatione rediens abjecto onere caput ei amputavit. Et quoniam capillo præ calvitie arripere non poterat, in gremium abdidit. Mox inſerto per os pollice, ad Othonem detulit. Ille lixis calonibuſque donavit: qui haſta ſuffixum, non ſine ludibrio circum caſtra

lo poſſet. Erant autem hujus texti plagellæ octodecim & eo plures. Sed ad Polybium plura de his, quandoque Deus dederit, ut eum edamus.

TORRENT.

Per publicum.] Sic Ner. cap. IX. *per publicum vectus eſt.* Oth. cap. VII. *raptus de publico.* Tit. cap. VII. *ſpectatori in publico.* Male igitur qui *per populum* legunt.

Dimota paganorum turba.] *Pagani* militibus opponuntur. Aug. cap. XXVII.

20. *Proclamaſſe eum.*] Meliores codices non habent *eum*.

Et ut hoc agerent ac ferirent.] Lib. unus *& hoc agerent.* Non difficulter autem mihi quis perſuadeat duas illas dictiones, *ac ferirent*, non eſſe Suetonii. nam *hoc age* dicebant Romani, cum rei, quam quis ageret, intentum eſſe jubebant, ut ante dixi Calig. cap. LVIII. Plutarch. ſane rem ſic narrat, ut nemo dubitet, quin legendum ſit, uti ego cenſeo. Tacit. tamen cum Suetonio convenit.

Excepta Germaniciorum vexillatione.] Sic duo e noſtris MSS. Alii *Germanicorum*, aut *Germanorum*, quod ſane malim. Germani enim fuere, & Germanicos vocat Tacit. At *Germaniciani* proprie vocati videntur, qui in Germania undecunque adſcriti militabant, ut *Germaniciani exercitus* Tib. cap. XXV. Oth. cap. VIII. Veſpaſ. cap. VI. Beroaldus neſcio quos equites nobis ſomniat. Turneb. Germanos illos fuiſſe vult, de quibus ante cap. XII. dimiſſos quidem illos, ſed adhuc tamen, ob non ſoluta forte ſtipendia, aut militiæ commoda, apud vexillum manentes. Atqui Sueton. ſine ullis commodis in patriam remiſſos tradit, & Tacit. (quem legiſſe oportet eum, qui Suetonium interpretari velit) Germanica fuiſſe vexilla ait, nempe eorum quos Nero Alexandriam præmiſerat, atque inde reverſos, longa navigatione ægros, impenſiore cura Galba in atrio Libertatis refovebat. Porro cum plura fuiſſe vexilla commemoret Tacit. *vexillationis* vocabulum pro complexione quadam plurium vexillorum hic accipio, quanquam Vegetius ad equitum alas vocabulum illud referat lib. II. cap. I.

Præ calvitio.] Plures libri *calvitie.* Mallem *calvitio*, qua voce & Cic. utitur.

CASAUBON.

20. *Neque præſentium q.*] Unum ſaltem excipe, cui uni Romanorum fidei & probitatis teſtimonium præbet Plutarchus.

Jugulatus eſt ad lacum Curtii, ac relictus ita uti erat.] Reperi in commentariis Græcorum cauſſam, cur ita diu fuerit relictus: nempe adſtitiſſe illi canem, quo vivo caput Galbæ amputari non potuerit. hiſtoria id ſit an fabula, nihil pronuntio.

VARIOR.

20. *Neque præſentium quenquam.*] Sic Salm. & Robert. Steph. Mox Salmaſ. *arceſſerentur*, cum inepte in omnibus edd. legatur *accerſirentur*.

Germanicorum vexillatione.] Vexillarii erant plerumque veterani & emeriti, a legionibus in quibus meruerant abſtracti, & aliis adjuncti, ſic dicti quia ſub vexillo habebantur, ut pluribus docet RHABODUS SCHELIUS notis ad Hyginum p. 35.

Capillo præ calvitie arripere.] *Præ calvitie* non eſt in Salmaſ.

caſtra portarunt, acclamantes idemtidem, *Galba cupide fruaris ætate tua.* Maxime irritati ad talem jocorum petulantiam, quod ante paucos dies exierat in vulgus, laudanti cuidam formam ſuam, ut adhuc floridam & vegetam, reſpondiſſe eum, *ἔτι μοὶ μένος ἔμπεδόν ἐστιν.* Ab his Patrobii Neroniani libertus, centum aureis redemtum, eo loco ubi juſſu Galbæ animadverſum in patronum fuerat, abjecit. Sero tandem diſpenſator Argius, & hoc & ceterum truncum in privatis ejus hortis Aureliæ viæ ſepulturæ dedit. Statura fuit juſta, capite præcalvo, oculis cæruleis, adunco naſo, manibus 21
pedibuſque articulari morbo diſtortiſſimis: ut neque calceum perpeti, neque libellos evolvere aut tenere omnino valeret. Excreverat etiam in dexteriore latere ejus caro, præpendebatque adeo, ut ægre faſcia ſubſtringeretur. Cibi plurimi traditur, quem tem- 22
pore hiberno etiam ante lucem capere conſueverat: inter cœnam vero uſque eo abundantem, ut congeſtas ſuper manus reliquias circumferri juberet, ſpargique ad pedes ſtan-

TORRENT.

Galba Cupido.] Sic Turneb. quidem, ut Galba, qui tam grandi ætate formoſus videri adhuc voluit, per jocum Cupido vocetur, ſed lib. MSS. omnes quos ego viderim diſſentiunt, & *cupide* legunt. Hemiſtichium vero, quod ſubjungitur, eſt ex Iliad V.

Patrobii Neroniani libertus.] Placet hæc lectio. Plures tamen libri *Patrobii Neronis libertus*, aut *Neronianus*. Patrobium una cum pleriſque aliis Neronis emiſſariis, excepto Haloto, & Tigellino, Galba occiderat. Eum Neronianum vocat Sueton. quod Neronis libertus fuiſſet, ut Demetrium Pompejanum Seneca de Tranquillit. Vitæ cap. VIII. Vide Plutarchum. Qui in eo tamen a Suetonio diſcrepat, quod Patrobii ſervis caput donatum dicit, hic liberto venditum.

Aureliæ viæ.] Mallem *Aurelia via.* Pro *dedit* autem *tradidit* habet opt. codex. Notandum vero quod locum, ubi in Patrobium animadverſum fuiſſe ſcribit Sueton. Seſtertium vocari Plutarch. ait: quo nempe eorum qui Cæſarum juſſu ſupplicio affecti fuerant, capita abjiciebantur. Hinc ergo Poſſidonii (ſive is Paulus Diaconus, ſive alius fuerit) de Vita Cypriani locum intelligimus. *Cum veniſſet* (inquit) *in eum locum qui dicitur Sextus, quarto ab urbe miliario, exſpoliavit ſe birro, & tradidit carnificibus, Dalmaticam vero tradidit Diaconis, & ſtetit in linteis exſpectans ſpeculatorem.* Pro *Sextus* legendum *Seſtertius*, ex Plutarcho, quod alii quoque monuerunt.

21. *Statura juſta fuit, cap. calvo.*] Liber opt. *Statura fuit juſta, capite præcalvo.*

22. *Uſque adeo abundantem.*] Lib. unus *abundanti*, alter *abundans*, & *uſque eo.*

Spargique ad pedes ſtantib.] *Spargi* pro dividi dixit. Ad pedes vero ſtabant viliores in convivio miniſtri. Calig. cap. XXVI. aſtantibuſque reliquiæ interdum diſtribuebantur. Seneca Epiſt. CLXXVIII. *Marcellinum admonuit non eſſe inhumanum, quemadmodum cœna peracta reliquiæ circumſtantibus dividantur, ſic peracta vita aliquid porrigi his totius vitæ miniſtri fuiſſent.*

CASAUBON.

Galbæ, cupide fruaris ætate tua.] Ὀναιό σου, ὦ Γάλβα, τῆς ὥρας vel τῆς ἡλικίας. Sed in aliis libris non *cupide*, verum *Cupido* ſcriptum eſt, Turnebo teſte. quod non diſplicet. nam ut ſubjicitur, ſua Galbæ forma placuit. ita Memmii codex.

Eo loco, ubi juſſu Galbæ animadverſum in p.] Ei loco nomen Seſtertio: ibi mos erat puniri, quos Cæſares juſſerant ſupplicio affici. Plutarch.

21. *Excreverat etiam in dexteriore latere ejus caro, propendebatque.*] Quidam libri, *in dextro latere ejus gibbus vel caro, præpendebatque.* Memmianus quoque *præpendebat* per diphthongum.

22. *Inter cœnam vero uſque eo abundantem.*] Viterb. & Liſſ. *abundanti.*

VARIOR.

Galba, cupide fruaris ætate tua.] Melius blattarius Tranquillus, *Galba Cupido fruaris ætate tua.* Senex, qui pulcher etiamnum videri vellet, per irriſionem Cupido, id eſt, bellus & formoſus jlocaliter appellatus. TURNEBUS. Turnebi codici Salmaſianus accedit.

Eo loco ubi juſſu Galbæ animadverſum in patronum fuerat, abjecit.] Amabant enim homines injuriam paſſo ita exhibere ſolatium. Sic Beſſi ſupplicium diſtulit Alexander, *ut eo loco, in quo Darium ipſe occiderat, necaretur*, inquit Curt. VII. 33. ſed & idem rex patris ſui cædis conſcios, ad tumulum ejuſdem occidi juſſit. Juſtin. IX. 2. Eo reſpiciebat Sophocles ſub finem Electræ, ubi introducit Ægiſthum atque Oreſtem ita verbigerantes:

ΑΙ. Τί δ' ἐς δόμους ἄγεις με; πῶς τό δ' εἰ καλὸν
Τοὔργον, σκότου δεῖ, κοὐ πρόχειρος εἶ κτανεῖν;
ΟΡ. Μὴ τάσσε, χώρει δ' ἔνθα περ κατέκτανε
Πατέρα τὸν ἀμὸν, ὡς ἂν ἐν ταὐτῷ θάνῃς.

ÆG. *Quid attinet in domum ducis? nam ſi honeſtum eſt. Quod agitis, cur tenebris opus eſt? quin ſtatim interficis?*

OR. *Ne impera, ſed vade ad eum locum, ubi interfeciſti Patrem meum, ut ibidem & tu cadas.* GRUTER.

TOR-

ſtantibus. Libidinis in mares pronioris: & eos non niſi præduros, exoletoſque. Ferebant in Hiſpania Icelum e veteribus concubinis, de Neronis exitu nuntiantem, non modo arctiſſimis oſculis palam exceptum ab eo, ſed ut ſine mora velleretur, oratum,
23 atque ſeductum. Periit tertio & ſeptuageſimo ætatis anno, Imperii menſe ſeptimo. Senatus ut primum licitum fuit, ſtatuam ei decreverat roſtratæ columnæ ſuperſtantem in parte Fori, qua trucidatus eſt. Sed decretum Veſpaſianus abolevit, percuſſores ſibi ex Hiſpania in Judæam ſubmiſiſſe opinatus.

Majores

TORRENT.

Libidinis in mares pronior.] Mallem *libidini*. Ner. cap. XL. *Cui ſpei pronior.* & ſup. cap. XII. *Cn. Dolabellæ proniorem.*

In Hiſpania Icelum.] Recte Pulm. non *C. Icelum.* Plutarch. mendoſus eſt.

23. *Tertio & ſeptuageſimo.*] Zonaras, non malus auctor, *Obiit* (inquit) *natus annos* LXXII. *die* XXIII. *Imperii menſe* IX. *die* XIII.



Roſtratæ columnæ.] Talem in veteribus Auguſti nummis cernimus, nec non Titi Cæſaris, quos Auguſto reſtituit. Male igitur qui *ſtriatæ* pro *roſtratæ* hic legunt.

CASAUBON.

Libidinis in mares pronior.] Scribe, *pronioris*. ea vera lectio, quam etiam in editione Rob. Stephani offendi. ſic malo quam ut Torrentius: quia pendet oratio ab illis paullo ante, *cibi plurimi traditur.*

23. *Periit tertio & ſeptuageſimo ætatis anno.*] Et hic dum rotundare numerum ſtudent. Sueton. & Dio, diverſo modo diſcedunt ab eo, quod exacte verum. nam Dio ait anno LXXII. ambos componit Zonaras qui ait annos LXXII. & dies XXIII.

Imperii menſe ſeptimo.] Clemens Alexandrinus addit ſex dies. Epiphanii codices XXVI. mitto, quæ Theophilus & alii ſuper hoc. Apud Dionem & Zonaram, qui a Dione habet, μῆνας ἑπτὰ ſcribere malim, quam auctorem negligentiæ accuſare.

VARIOR.

22. *Præduros exoletoſque.*] Τὺς κόλλοπας. Nam κόλλοψ, ὁ σκληρὸς ὑπὲρ τὴν ἀκμὴν πάσχων. Et Galba κολλοπωδιώκτης. Euſtathius in Ἰλιαδ. φ. GRONOVIUS.

TOR-

C. SUETONII TRANQUILLI
LIBER VII.
M. SALVIUS OTHO.
CAPUT I.

MAjores Othonis orti ſunt oppido Ferentino, familia vetere & honorata, atque ex principibus Etruriæ. Avus M. Salvius Otho, patre equite R. matre humili, incertum an ingenua, per gratiam Liviæ Auguſtæ, in cujus domo creverat, ſenator eſt factus, nec præturæ gradum exceſſit. Pater L. Otho materno genere præclaro, multarum & magnarum propinquitatum, tam charus, tamque non abſimilis facie Tiberio Principi fuit, ut plerique procreatum ex eo crederent. Urbanos honores, proconſulatum Africæ, & extraordinaria imperia, ſeveriſſime adminiſtravit. Auſus etiam eſt in Illyrico milites quoſdam, quod motu Camilli ex pœnitentia præpoſitos ſuos, quaſi defectionis adverſus Claudium auctores, occiderant, capite punire: & quidem ante principia ſe coram. quamvis ob id ipſum promotos in ampliorem gradum a Claudio ſciret. Quo facto, ſicut gloriam auxit, ita gratiam minuit: quam tamen mature recuperavit, detecta equitis R. fraude, quem prodentibus ſervis necem Claudio parare compererat. Namque & ſenatus honore rariſſimo, ſtatua in Palatio poſita, proſecutus



TORRENT.

1. MOtu Camilli.] Recte, non *metu Cam.* ut in nonnullis MSS. Vide Claud. cap. XIII.

Ante principia ſe coram.] Utrumque ſupplicii ſeveritatem auxit, & locus, & ducis præſentia, cum non extra vallum, (ut moris erat) neque per centurionem, ſed veluti in ipſa caſtrorum fronte, omniumque conſpectu ſe coram illos capite plecti juſſerit. Extra vallum vero plectendos duci ſolere, & centurionem ſupplicio præfici, docet nos Senecæ locus lib. I. de Ira, cum de militis ſupplicio loquens, *Damnatus* (inquit) *extra vallum deductus eſt. Et jam cervicem porrigebat*, &c. & paullo poſt, *Tunc centurio ſupplicio præpoſitus condere gladium ſpeculatorem jubet. Principia* quoque ἀρχεῖα vertit Plutarch. Othone, ubi & aquilæ legionum, & ſigna cohortium, magna Romanis religione culta, ſervabantur. Uſus eo vocabulo etiam C. Gracchus apud Gellium cap. XII. lib. XV. *In convivio liberi veſtri modeſtius erant quam apud Principia.* ſic enim in vetuſtis duobus codd. legi, cum vulgo *Principem* edatur. At vero Terent. Eunucho cum ait, *ego mihi cavebo poſt principia*, non caſtrorum locum, ſed eorum, qui poſt haſtatos erant, ac principes vocabantur, ordinem intelligo, uti & apud Nonium Siſenna cum ſcribit, *poſt principia paulatim recedunt, atque inde cum paucis fugæ ſe mandant.*

Equitis R.] Alterum illorum duorum ſignificat, de quibus Claud. cap. XIII.

VARIOR.

1. *Oppido Ferentino.*] In V. C. eſt *Ferento*, & ita habet Strabo lib. V. Plinius tamen *Ferentinum* edit lib. III. 5. F. URSINUS. Ferentinum oppidum in Etruria, item in Latio ſive Volſcorum, ſive Hernicorum, item in Samnio. Hæc omnia in Livio libris I. II. ac X. Quidam & in Campania, ubi & Plinius Ferentinates, locant: ſed heic de Ferentino in Etruria loqui videtur auctor, cum ſubjungat, *ex principibus Etruriæ:* niſi inde migrarint in Latium. GLAREANUS.

M. Salvius Otho.] Salm. Cod. *Silvius Otho.* Mox idem, *propinquitatium.*

ſecutus eſt eum: & Claudius allectum inter patricios collaudans ampliſſimis verbis, hoc
quoque adjecit: *Vir, quo meliores liberos habere ne opto quidem.* Ex Albia Terentia
ſplendidiſſima fœmina duos tulit filios, L. Titianum, & minorem Marcum cogno-
minem ſibi. Tulit & filiam, quam nondum nubilem Druſo Germanici filio deſpon-
dit. Otho Imperator IIII. Kalend. Maji natus eſt, Camillo Arruntio, Domitio Æno- 2
barbo COSS. A prima adoleſcentia prodigus, ac procax, adeo ut ſæpe flagris ob-
jurgaretur a patre. Ferebatur & vagari noctibus ſolitus: atque invalidum quemque ob-
viorum vel potulentum corripere: ac diſtento ſago impoſitum in ſublime jactare. Poſt
patris deinde mortem, libertinam aulicam gratioſam, quo efficacius coleret, etiam di-
ligere ſimulavit, quamvis anum, ac pæne decrepitam. Per hanc inſinuatus Neroni,
facile ſummum inter amicos locum tenuit congruentia morum: ut vero quidam tra-
dunt, & conſuetudine mutui ſtupri: ac tantum potentia valuit, ut damnatum repetun-
dis

TORRENT.

Allectum inter patricios.] Cum gens Salvia ante plebeja tantum fuiſſet, nec Romana quidem, ſed ex oppido Ferentino tranſlata.

Hæc quoque adjecit.] Libb. duo *hoc quoque.*

Albia Terentia ſplendidiſſ. fem.] Liber opt. *ſplendida.*

Marcum cognomine.] Sic edit. Gallica, & MSS. duo. Germanica vero, & alii veteres libri, *cognominem ſibi*, quam lectionem ſequor. Othonis enim Principis patrem, qui Galbæ in conſulatu ſucceſſit, Othonem & ipſum cognominatum fuiſſe auctor eſt Sueton. Galb. cap. VI. Cognomines itaque fuere pater, & M. minor filius. Major vero, L. Titiani cognomen tulit. Cujus filius, Salvius Coccejanus a Domitiano occiſus eſt. Domit. cap. X Vide Vitell. cap. II.

2. *Camillo Arruntio, Domitio Ænobarbo.*] Scribo *Ahenobarbo.* De Arruntii nomine dubito. nam qui Faſtos nobis concinnarunt hoc anno, qui fuit DCCXXCV. ab U. C. Cn. Domitium Ahenobarbum, Neronis Principis patrem, & M. Furium Camillum Scribonianum, in A. Vitellii P. F. locum ſuffectum, coss. faciunt. Qui an etiam Arruntii nomen tulerit, neſcio. Lector cogitet.

Flagris objurgaretur.] Sic *ferulis objurgari* Calig. cap. XX. ubi plura notavimus. Adde Feſtum cum ait: *Poſt turpe factum objurgatio eſt, monitio ante factum.* Quanquam *admonere* pro coercere & caſtigare interdum accipitur.

In ſublime jactare.] Idem Nero factitabat, cap. XXVI. Itali, & Galli non ineleganter a vanno *vannare* vocant. Martial.

Ibis ac excuſſo miſſus in aſtra ſago.

Quo efficacius coleret.] Id eſt, majore fructu ac commodo ei obſequeretur. Noti Juvenalis verſus:

- - - *optima ſummi*

Nunc via proceſſus, vetulæ veſica beatæ.

Colere igitur dixit Sueton. quod *ancillari* in Salluſt. Cicero: ſi modo Ciceronis. & non potius declamatoris alicujus ea oratio eſt. Græci quoque θεραπεύειν dicunt.

Damnatum repetundis.] *Repetundarum*, aut *de repetundis* Juriſconſulti, & elegantius loquentes dicerent. Sed familiare huic noſtro, ac Tacito quoque præpoſitiones omittere.

CASAUBON.

1. *Ex Albia Terentia ſplendidiſſima fœmina.*] Scribe *ſplendida fœm.* nam ita codex noſter, item Memm. ac Liſlæi, & juvat Tacitus II. Hiſtor. *Othonis pater conſularis, avus prætorius, maternum genus impar, nec tamen indecorum.*

Quam nondum nubilem.] Membranæ, *vix dum nubilem.*

2. *Ac diſtento ſago impoſitum in ſublime jactare.*] Præter Martialem laſciviæ hujus meminit Ulpianus in Collatione juris cum legibus Moſis, quam edidit pridem Petrus Pithœus, vir quo nemo felicius in omni genere eruditionis eſt verſatus. ea proprie *ſagatio* dicta veteribus Latinis, ut ex Gloſſario idem Pithœus ante nos annotavit. in eo ſcriptum: *Sagatio*, παλμός. Gallis dicitur *berner.* vocabulo veteris, ut videtur, Græciæ: nam Dores βέρνεσθαι dicebant pro πάλλειν. Heſychius: βερνώμεθα, κληρωσώμεθα, Λάκωνες· κληρȣ͂σθαι idem eſt ac πάλλειν κλήρȣς. ut in illo poetæ κλήρȣς ἐν κυνέῃ χαλκήρεϊ πάλλεν ἑλόντες.

VARIOR.

2. *Summum inter amicos locum tenuit congruentia morum.*] Unde Nazarius Paneg. Conſtantin. c. 10. *Sed profecto nulla vi poſſunt coire, quæ naturali divortio diſſident: nec ulla tam fidelis eſt copula, quæ in diverſum tendentia nexu ſuo teneat.* Liv. I. 46. de Tarquinii & Tulliæ nuptiis: *Contrahit celeriter ſimilitudo eos, ut fere fit, malum malo aptiſſimum.* GRUTERUS.

Damnatum repetundis.] Legendum ex V. C. *damnatum de repetundis.* F. URSINUS.

TOR-

dis conſularem virum, ingens præmium pactus, prius quam plane reſtitutionem ei
3 impetraſſet, non dubitaret in ſenatum ad agendas gratias introducere. Omnium autem conſiliorum ſecretorumque particeps, die quem Nero necandæ matri deſtinarat, ad avertendas ſuſpiciones cœnam utrique exquiſitiſſimæ comitatis dedit. Item Poppæam Sabinam, tunc adhuc amicam ejus, abductam marito, demandatamque interim ſibi, nuptiarum ſpecie recepit. Nec corrupiſſe contentus, adeo dilexit, ut ne rivalem quidem Neronem æquo tulerit animo. Creditur certe non modo miſſos ad arceſſendam non recepiſſe; ſed ipſum etiam excluſiſſe quondam pro foribus adſtantem, miſcentemque fruſtra minas & preces, ac depoſitum repoſcentem. Quare diducto matrimonio, ſepoſitus eſt per cauſſam legationis in Luſitaniam. Id ſatis viſum, ne pœna acrior mimum omnem divulgaret: qui tamen ſic quoque hoc diſticho enotuit:

Cur Otho mentito ſit quæritis exſul honore?
Uxoris mœchus cœperat eſſe ſuæ.

Provinciam adminiſtravit quæſtorius per decem annos, moderatione atque abſtinentia
4 ſingulari. Ut tandem ultionis occaſio data eſt, conatibus Galbæ primus acceſſit: eodemque momento & ipſe ſpem Imperii cepit; magnam quidem ex conditione temporum, ſed

TORRENT.

3. *Die quem Nero nec. mat.*] Liber opt. *quem necandæ matri Nero.*

Poppæam Sabinam.] Aliquid Ner. cap. XXXV. ſed prolixe hiſtoriam narrat Tacit. lib. XIII. Annal. quanquam nonnihil a Suetonio diſcrepans. Plutarch. Othone idem ſentire videtur, quod Sueton.

Nec corripuiſſe contentus.] Sic edit. Gallica, ſed Germanica, & complures MSS. *corrupiſſe.* quod ſane magis placet. Opt. codex neutrum habet, ut ſenſus ſit, Othonem non contentum eo, quod ſibi creditam a Nerone conjugii ſpecie recepiſſet, adeo eam dilexiſſe, ut ne Cæſarem quidem, a quo tradita erat, rivalem ferret. Si *corripuiſſe* retineas, pro arripuiſſe exponere neceſſe eſt; ſi *corrupiſſe*, pro alienaſſe a Nerone, ut *corrumpere alterius ſervum* dicimus, & *actionem de ſervo corrupto* in Pandectis legimus. nemo enim uxoris ſuæ mœchus eſt, ut mox ſequitur.

Miſſos ad arceſſendam.] MSS. noſtri *ad arceſſendum.*

Diducto matrimonio.] Duo codd. *deducto*, male. diducere enim & contrahere oppoſita ſunt. Horat. lib. III. Od. IX,

Diductoſque jugo cogit aheneo.

Uxoris mœchus.] Mœchum uxoris vocat, quod ſibi nuptam antea, nec repudiatam, ſed abductam a Nerone, ſollicitaverat. Quod non ferens Nero, provinciæ obtentu exſilium detulit.

4. *Mag. quidem & ex condit.*] Melius MSS. duo *magnam quidem ex cond.* ſine *&*.

CASAUBON.

Prius quam plane reſtitutionem ei impetraſſet.] Quia damnati repetundis amittebant ordinem. vide ad caput XLIII. libri primi.

3. *Sepoſitus eſt per cauſſam legationis in Luſitaniam.*] Sic *per honorem militiæ urbe ſummovere* in vita Juvenalis, cujus auctor non alius, opinor, quam Suetonius.

VARIOR.

Prius quam plane reſtitutionem ei impetraſſet.] Motus ille quicunque ſenatu erat: ſed Otho quaſi plene reſtitutum in ſenatum introduxit. Olim ſane crimini repetundarum exſilium pœna fuit, & æſtimatio, ut Aſconius notat in Verrem, & Cicero ſubindicat non ſemel: ſed ſecuta lex Julia immutavit. Ex ea pœnam fuiſſe adfirmo Amiſſionem ordinis, & Æſtimationem, nihil ultra: id eſt, qui damnatus eo crimine eſſet, ſenatu moveretur, & judices acciperet ad æſtimandam litem. Attamen ſubinde gravius, & plerumque extra ordinem in id crimen animadverſum, pro delicti modo. Atque ea Macri mens lib. VII. ad leg. Jul. repet. LIPSIUS.

Non dubitaret in ſenatum ad agendas gratias introducere.] Forte: *non dubitarit i. ſ. a. a. g. i.* SALMASIUS.

3. *Die, quem Nero necandæ matri deſtinaverat.*] V. C. Salmaſ. *diem, quem necandæ matri Nero deſtinarat.*

Sepoſitus eſt per cauſſam legationis in Luſitaniam.] Tali ſpecie honoris ejici aula atque urbe uſitatiſſimum. Sic ſupra noſter in vita Julii cap. 9. *Cajo Piſoni ob ſuſpicionem urbanæ conjurationis, provincia Hiſpania extra ordinem data eſt.* Imo tale quid ſæpe ultra petunt, quibus animus ſubducere ſe

ſed aliquanto majorem ex affirmatione Seleuci mathematici. Qui cum eum olim ſuperſtitem Neroni fore ſpopondiſſet, tunc ultro inopinatus advenerat, imperaturum quoque brevi repromittens. Nullo igitur officii aut ambitionis in quemquam genere omiſſo, quoties cœna Principem acciperet, aureos excubanti cohorti viritim dividebat: nec eo minus alium alia via militem demerebatur. Cuidam etiam de parte finium cum vicino litiganti, adhibitus arbiter, totum agrum redemit, emancipavitque: ut jam vix ullus eſſet, qui non & ſentiret & prædicaret ſolum ſucceſſione Imperii dignum. Speraverat 5
autem fore, ut adoptaretur a Galba: idque in dies exſpectabat. Sed poſtquam Piſone prælato, ſpe decidit, ad vim converſus eſt: inſtigante ſuper animi dolorem etiam magnitudine æris alieni. Neque enim diſſimulabat, *niſi Principem, ſe ſtare non poſſe: nihilque referre, ab hoſte in acie, an in foro ſub creditoribus, caderet.* Ante paucos dies ſervo

ſe moleſtiis præſentibus. Ita Cicero XI. ep. I. *Cum in his anguſtiis verſarer, placitum eſt mihi, ut poſtularem legationem liberam mihi reliquiſque noſtris, ut aliqua cauſſa proficiſcendi honeſta quæreretur.* GRUTERUS.

TORRENT.

Seleuci mathematici.] Tacit. & Plutarch. Ptolemæum vocant. Nec male Beroaldus utroque nomine vocatum fuiſſe conjicit.

Tunc ultro inopinatus.] Dictio *ultro* non eſt in opt. codice.

Aureos exc. coh.] Itidem Plutarch. Tacit. centenos nummos dicit. Dion lib. LV. & alicubi Zonaras aureum XXV. drachmis, hoc eſt, totidem denariis, æſtimant. Quæ ratio ſane etiam cum pondere ejus temporis aureorum optime convenit, ſi argenti ea quæ nunc eſt ad aurum proportio obſervetur. Sub recentioribus vero Imperatoribus, maxime Conſtantinopolitanis, eadem aurei æſtimatio fuit, pondus autem minus. Quod in juris ſtudioſorum gratiam annotatum volui. Idemque aureus quod ſolidus, teſte etiam Iſidoro lib. XVI. cap. XXIV.

Totum agrum.] Hac de re ſic Tacit. *Adeo animoſus corruptor, ut Cocceio Proculo, ſpeculatori, de parte finium cum vicino ambigenti, univerſum vicini agrum ſua pecunia emptum dono dederit. Emancipare* dixit Sueton. quod Tacit. *dono dare. Emancipare* igitur quovis modo alienare, & in alium transferre dominium rei alicujus, ſignificat. Quamvis imaginaria fortaſſis venditione Otho agrum militi nummo addixit, quod ſpecie quidem vendere, re ipſa donare eſt. Qua de re Cæſ. cap. L. Apertius tamen loqueretur Sueton. ſi diceret, *redemit, eique mancipavit.*

Succeſſionis Imp. dignum.] Ita quidem loqui potuit Sueton. duo tamen vetuſti codd. legunt *ſucceſſione.*

CASAUBON.

4. *Aureos excubanti cohorti viritim dividebat.*] Tacitus, *cohorti excubias agenti viritim centenos nummos dividebat.* Ergo aureus unus, & centum nummi, idem. quod & alia veterum teſtimonia doctis obſervata declarant. Hic locus me admonet, ut Eumenii panegyriſtæ orationem pro ſcholis emaculem. *Salarium me,* ait, *liberaliſſimi Principes ex hujus Reip. viribus in ſexcentis millibus nummum accipere juſſerunt.* Quis credat ſalarium tam amplum ulli rhetori fuiſſe? neque nos primos offendit ea ſumma. ſed nos ex collatione Græci ſcriptoris, qui teſtatur annua ſtipendia profeſſorum ſub Imperatoribus fuiſſe aureorum ſexcentorum, putamus in ea oratione ſemper *ſexagenis & tricena* ſcribendum, non autem *ſexcentenis & tercena.* Sexagena ſeſtertium millia, ſive ſexagena ſeſtertia ſunt aurei ſexcenteni: quod fuiſſe ſalarium profeſſorum diximus. Tatianus in oratione apologetica, philoſophorum increpans avaritiam, Veſtri, inquit, philoſophi tantum a contemtu opum abſunt, *ὥστε παρὰ τοῦ Ῥωμαίων βασιλέως ἐτησίους χρυσοῦς ἑξακοσίους λαμβάνειν τινὰς εἰς οὐδὲν χρήσιμον, ὅπως μηδὲ τὸ γένειον δωρεὰν καθειμένον αὐτῶν ἔχωσι.* & nota ſis vocem *τινάς.* nam ex ea intelligimus celeberrimis tantum doctoribus id datum ſalarium. quod facit valde ad deſtruendam illam immenſam ſummam, quam falſa ſcriptura apud Eumenium ingerit. Quæ adverſus hanc emendationem eruditiſſime doctiſſimi viri diſputarunt, non adducunt me, ut ſententiam mutem. maxime cum Eumenii illa verba cogito, *ex hujus Reip. viribus.* Quis credat rhetores, qui in Urbe docebant, annua centena habuiſſe, ex inſtituto Veſpaſiani: hunc vero qui in provincia, & quidem in urbe non admodum potente, ut ipſe teſtatur, annua ſexcentena, hoc eſt, ad coronatos hodiernos decies mille & quingentos? Mihi iſtud mirum videtur atque *ἀπίθανον.*

VARIOR.

Hoc diſticho enotuit.] Nonnulli veteres libri & editiones, *innotuit.*

4. *Agrum redemit mancipavitque.*] *Eique mancipavit* ſcribendum videtur. GUJET.

TOR-

ſervo Cæſaris pro impetrata diſpenſatione decies ſeſtertium expreſſerat. Hoc ſubſidium tanti cœpti fuit: ac primo quinque ſpeculatoribus commiſſa eſt res, deinde decem aliis, quos ſinguli binos produxerant: omnibus dena ſeſtertia repræſentata, & quinquagena promiſſa. Per hos ſollicitati reliqui, nec adeo multi, haud dubia fiducia in ipſo negotio

TORRENT.

5. *Diſpenſatione.*] Sic Diſpenſatoris officium vocat. Ingens autem peculium eum Cæſaris ſervum habuiſſe neceſſe eſt, qui decies HS. pro officio illo penderet, præſertim ſub tam avaro Principe. Argii Diſpenſatoris mentio Galb. cap. XX. & alterius quem *ordinarium* vocat cap. XII. ad differentiam nempe eorum, qui extraordinarias Diſpenſationes adipiſcebantur. Qualis Diſpenſator Armeniaci belli Neronis ſervus, qui libertatem centies vicies HS. redemit, (ſic enim lego apud Plinium lib. VII. cap. XXXIX) & Druſillanus Claudii Diſpenſator Hiſpaniæ, qui lancem illam quinquagenariam poſſedit, de qua idem Plin. lib. XXXIII. cap. XI. Talem aliquam Diſpenſationem hoc loco intelligo. Vide Aug. cap. LXVII.

Quinque ſpeculatoribus.] Sic ſcribendum eſſe docuimus Calig. cap. LII. Accedat nunc Plutarchi auctoritas. is enim de hac conſpiratione loquens, ſic ait: Ἐν δὲ τέτοις Οὐετέριος, καὶ Βάρβιος, ὁ μὲν ὀπτιὼν, ὁ δὲ τεσσεράριος. Et quia Romana poſuit vocabula, optio, & teſſerarius, addit ſic vocari eos qui nunciorum ſpeculatorumque miniſterio funguntur, τὰς διαγγέλων καὶ διοπτήρων ὑπηρεσίας τελοῦντας. Porro quoniam hic Græci auctoris locus ex Tacito deſumptus eſt, etiam hunc audiamus, & quidem ex editione Lipſii. vulgata enim mendoſiſſima eſt: *Sed tum e libertis Onomaſtum futuro ſceleri præfecit. A quo Barbium Proculum, teſſerarium ſpeculatorum, & Veturium, optionem eorundem, perductos.* Ut inter ſpeculatores Barbius teſſerarii, Veturius optionis officio functus ſit. Et Plutarch. quidem Taciti verba non recte expendit, qui cum teſſerarii, & optionis nomina poneret, ſpeculatoris omiſerit, exiſtimans fortaſſis eoſdem eſſe teſſerarios qui & ſpeculatores. Quod aliter ſe habet. Attamen cum ea ipſa verba exponens ſpeculatorum tantummodo munus attingat, (de quo ante diſſeruimus) non etiam teſſerarii, locum Taciti paullo aliter legendum cenſeo, & quidem retenta pæne vulgata lectione, hoc modo, *Barbium Proculum, teſſerarium ſpeculatorem, & Veturium, optionem, eodem perductos.* Ut ambo ſcilicet ex cohorte ſpeculatorum fuerint, ille vero etiam teſſerarius, hoc eſt, qui teſſeram a tribuno, vel centurione datam, quibus opus eſſet, ulterius nunciaret; hic optio. Notum autem ex Varrone, Feſto, Vegetio *optiones* vocari ſolitos, qui tanquam adminiſtri gradum aliquem militiæ tenentibus dabantur; ut vicariam præſtarent operam. Et fortaſſis hic ipſe Veturius Barbii Proculi, ſpeculatoris teſſerarii, optio erat. Ita Ulpian. l. VI. De bonis damn. *Neque ſpeculatores ea ultro ſibi vindicent, neque optiones ea deſiderent. optiones* enim ſpeculatorum vicarios interpretor. Neque aliud eſt teſſerarius optio in antiquis marmoribus quam qui teſſerarii vicem gerit. Diſſentit autem in eo Sueton. a Tacito, & Plutarcho, quod hi duobus tantum initio rem commiſſam tradunt, ille quinque. Verum (ut credo) Onomaſtus, Othonis libertus, primum duos, hi tres alios, ſimulque numero quinque, mox alios decem compararunt. Et eleganter ſane Tacit. *Suſcepere* (inquit) *duo manipulares imperium P. R. transferendum, & tranſtulerunt.* Quo loco notandum, quod quos paullo ante ſpeculatorem teſſerarium & optionem appellaverat, mox manipulares vocat. Gradum ergo militiæ teſſerarius non mutat, minus optio. Speculatores autem militum numero habentur.

CASAUBON.

5. *Per hos ſollicitati reliqui, nec adeo multi.*] Etiam Xiphilinus, ὀλίγους στρατιώτας συνομωμοκέναι αὐτῷ indefinite ſcripſit. Utrique lucem facit Zonaras, qui triginta ait fuiſſe.

Haud dubia fiducia in ipſo negotio pluribus affuturis.] Deeſt *ut* aut *quaſi* in iſto loquendi genere. nam hoc Græci ita dicerent: Πεποιθότες σφόδρα, ὡς ἐν αὐτῷ τῷ ἔργῳ πλειόνων παρεσομένων, vel προσχωρησόντων. At in Viterb. aliam lectionem reperi, *plures affuturi.*

VARIOR.

5. *Quinque ſpeculatoribus commiſſa eſt res.*] Plutarchus de hac conſpiratione loquens, ſic ait: Ἐν δὲ τέτοις Ἰτέριος καὶ Βάρβιος, ὁ μὲν ὀπτίων, ὁ δὲ τεσσεράριος. ac mox ſubjicit, Optionis & Teſſerarii nomine ſignificari eos, qui nuntiorum & ὀπτήρων, id eſt, ſpeculatorum miniſterio funguntur. Poſterior ætas *Sculcatores* nuncupavit, quaſi auſcultatores: quo fit, ut nocturnarum excubiarum teſſeras tractent ex eo ordine, qui Teſſerarii dicuntur. Optionum inferior eſt gradus. Sunt enim ordine & promotione antecedentium militum adjutores. auctore Vegetio, & dum junguntur ſpeculatoribus in l. *Divus.* D. de Bonis damn. ſpeculatorum adjutores videntur. Junguntur teſſerariis, quos ſpeculatores eſſe diximus, in antiquis inſcriptionibus, quarum una ſic habet: TESSERARIO OPTIONI. FISCI. CURATORI. altera, IN. EIS. TESSERARIUS: OPTIO. VEXILLARIUS. *Cujacius.* Codex Salmaſii & hic & alibi ſemper *ſpeculatoribus.*

Haud dubia fiducia in ipſo negotio plures adfuturos.]

tio plures affuturos. Tulerat animus poſt adoptionem ſtatim Caſtra occupare, cœ- 6
nantemque in Palatio Galbam aggredi: ſed obſtitit reſpectus cohortis, quæ tunc excubabat, ne oneraretur invidia, quod ejuſdem ſtatione & Cajus fuerat occiſus, & deſertus Nero. Medium quoque tempus religio & Seleucus exemit. Ergo deſtinata die, præmonitis conſciis, ut ſe in foro ſub æde Saturni ad Miliarium aureum operirentur, mane Galbam

Quod ad hanc *fiduciam* attinet, nitebatur illa dogmate Taciti lib. VI. An. c. 7. adſeverantis *primus dominandi ſpes in arduo: ubi ſis ingreſſus, adeſſe ſtudia & miniſtros.* GRUT.

TORRENT.

Pluribus affuturis.] Mira phraſis. nam *plures affuturos* voluit dicere. Nulla tamen notata mihi diverſitas e libris.

Tulerat an.] Lib. unus *Erat animus.*

Ejuſdem ſtatione.] *Stationem* vicem vocat, qua cohors illa inter alias tunc iterum excubiis aderat. Alioqui *ſtatio* ipſos milites certo loco poſitos ſignificat, ut *ſtatio Germanorum* Ner. cap. XXXIV. *ſtatio Nicomedienſis* apud Plinium Epiſt. lib. X. Sed & Modeſtin. J. C. l. III. De re militari: *Qui ſtationis munus relinquit, pluſquam emanſor eſt.* hoc eſt, qui ſuo die ſtationi non adeſt. Hinc *ſtationarii milites* l. I. & l. penult. De fugit. Sed & *ſuperſtationarios* legimus, quibus (ut arbitror) major incumbebat publicæ ſollicitudinis cura. Iidem fortaſſe qui & *Irenarchæ.* ſtationes enim militum in provinciis quietis ac pacis publicæ curam gerebant, facinoroſoſque judici ſiſtebant. Unde etiam *curioſi* interdum vocantur. Qua de re inter alios ſic Tertullian. Apolog. *Latronibus inveſtigandis per univerſas provincias militaris ſtatio ſortitur.* Verum de hac re plura Juriſconſulti. Adde Suetonium Tib. cap. XXXVII. & Aug. cap. XXXII.

Religio & Seleucus.] *Religionem* ſuperſtitionem vocat, de qua Ner. cap. VIII.

Miliarium aureum.] Id columna erat in capite fori Romani, a qua omnes viæ Italiæ incipiebant, atque in eadem deſinebant. Plutarch. Galba, Plin. lib. III. cap. V. Ibidem ergo Saturni ædes.

CASAUBON.

6. *Erat animus p.*] Memm. & alii, *Tulerat animus.* ut, *In nova fert animus mutatas dicere formas.*

Medium quoque tempus religio & Seleucus exemit.] Facio invitus, teſtor, quod toties a magno illo viro diſſentiam, qui haud ita pridem multa erudite in hunc auctorem a ſe animadverſa in Semeſtribus publicavit. Mihi vero ita æquus contingat lector, ut animus eſt nulla ærugine ſuffuſus, & veritatis in omni re parva, magna, ſtudioſus. Placet autem illi omnino legendum eſſe hic, *religio & ipſe locus exemit.* quibus adducatur rationibus, lector ſtudioſus apud ipſum videbit. At nobis vulgata lectio præ hac nova nimis ſapit. eam ſic interpretamur. *Medium tempus* vocat, ſex illos dies, quos ait Plutarchus medios fuiſſe ab adoptione Piſonis ad cædem Galbæ. adoptio celebrata a. d. IV. Id. Jan. cædes facta XVIII. Kal. Feb. medio tempore inter hos dies interjecto, ne Otho Galbam occideret, impeditum illum ait Suetonius, qua religione, qua Seleuci monitis. Religio, quam intelligit, eſt πατροπαράδοτος quædam traditio, qua vetabantur ſeria negotia certis diebus inchoare. talis erat in eo tempore, quod medium hic vocatur, dies poſtridie Idus: ut libro ſecundo notamus cap. XIII. refero eodem & diem III. Id. Jan. & qui XIX. Kal. Febr. dicitur, ambos Carmentæ ſacros: quo tempore favere linguis oportebat, non cædibus operam dare: atque hi dies publice religioſi. potuerunt autem etiam cæteri privata ſuperſtitione Othoni eſſe religioſi & atri: ſicut Auguſto omnes Nonæ. Jam ergo habemus, quomodo medium tempus religio exemerit: ut miſſa faciam omina, triſtia auguria & aruſpicum reſponſa, quæ Othonis cœpta tardare potuerunt. Mos autem omnium fere Romanorum fuit per ea tempora, ut prius quam vel tantilli momenti rem aggrederentur, adirent ad mathematicos & aſtrologos, ut ſumendo exordio horam felicem indicarent. Juvenalis:

Ægra licet jaceat, capiendo nulla videtur
Hora cibo, niſi quam dederit Petoſiris.

Othonem autem iſti hominum generi valde fuiſſe addictum, non obſcure Tacitus indicat: ut mirum non ſit, in tantæ rei negotio ſedulo ipſum omnia temporum momenta exploraſſe, & de illis eum conſuluiſſe ex aſtrologis, quo plurimum uteretur. talis erat Seleucus, ut ex hoc loco & alio quarti cap. apparet: ſive is eſt qui Tacito & Plutarcho Ptolemæus dicitur, ſive alius. Judicet nunc lector eruditus, quod ſit in hac aut lectione aut interpretatione, cur antiquis codicibus, qui omnes in vulgata ſcriptura conſentiunt, fides debeat abrogari. Quam commentus eſt vir doctus, lectio, *& ipſe locus*, ſtare aliter non poteſt, niſi de certo aliquo & definito loco intelligatur, in quo latitans totum illud tempus medium Galba transmiſerit. cedo autem mihi aliquem hujus hiſtoriæ auctorem. cedo etiam loci ejus nomen.

VARIOR.

6. *Erat animus poſt adoptionem.*] Omnino reſtituendum, quod & probat Caſaubonus: *Tulerat animus.* Salluſtius in Catilin. *Diutius in his locis eſſe, ſi maxime animus ferat, frumenti atque aliarum rerum egeſtas prohibet.* Livius lib. 25. *Conſiſtentium quo*

Galbam ſalutavit: utque conſueverat, oſculo exceptus, etiam ſacrificanti interfuit, audivitque prædicta haruſpicis. Deinde liberto adeſſe architectos nuntiante, quod ſignum convenerat, quaſi vænalem domum inſpecturus abſceſſit: proripuitque ſe poſtica parte Palatii ad conſtitutum. Alii febrem ſimulaſſe ajunt, eamque excuſationem proximis mandaſſe, ſi quæreretur. Tunc abditus propere muliebri ſella in Caſtra contendit: ac deficientibus lecticariis, cum deſcendiſſet, curſumque cepiſſet, laxato calceo reſtitit, donec omiſſa mora ſuccollatus, & a præſente comitatu IMPERATOR conſalutatus, inter fauſtas acclamationes ſtrictoſque gladios ad principia devenit: obvio quoque non aliter ac ſi conſcius & particeps foret, adhærente. Ibi miſſis qui Galbam & Piſonem trucidarent, ad conciliandos pollicitationibus militum animos nihil magis pro concione
7 teſtatus eſt, quam *id demum ſe habiturum quod ſibi illi reliquiſſent.* Deinde vergente jam die ingreſſus ſenatum, poſitaque brevi ratione, quaſi raptus de publico, & ſuſcipere Imperium vi coactus, geſturuſque communi omnium arbitrio, Palatium petit. Ac ſuper ceteras gratulantium adulantiumque blanditias, ab infima plebe appellatus NERO, nullum

quo loco ipſorum tuliſſet animus. Lucanus lib. I. *Fert animus cauſas tantarum expromere rerum.* GRONOVIUS.

TORRENT.

Oſculo exceptus.] Tib. cap. XXXIV.

Ad conſtitutum.] Sic veteres loquebantur, vel ſimpliciter, vel ſubaudiendo locum, aut diem, de quo convenerat. Varro lib. II. de Re Ruſt. cap. V. *Cum alius eum ſalutaſſet, alius conviciatus eſſet, qui tam ſero veniſſet ad conſtitutum.* Cic. ad Marium lib. VII. *Si quod habes conſtitutum cum podagra, fac in alium diem differat.*

Lecticariis.] Vide Calig. cap. LVIII. Rem paullo aliter narrat Tacit.

Omiſſa mora.] Libri duo *amiſſa mora.* Ego totum illud, *omiſſa*, ſeu *amiſſa mora*, libenter expunxerim.

Succollatus.] Sic Claud. cap. X. *Ab his, quia ſervi diffugerant, viciſſim ſuccollantibus, in caſtra delatus eſt.* Virgil. de apum rege lib. IV. Georg.

- - - illum admirantur, & omnes
Circumſtant fremitu denſo, ſtipantque frequentes,
Et ſæpe attollunt humeris.

Quod Barbari creandis regibus facere conſueverunt.

7. *Deinde vergente jam die.*] Pro declinante, ut *vergit ætas*, *vergens annis* apud Tacitum. *Dein* quoque pro *deinde* in opt. codice legitur.

Poſitaque brevi ratione.] Sic omnes libri; interpretes tamen legunt *oratione*, ſed male. Mox etiam legendum *quingenties* HS. pro *ſeſtertia*.

CASAUBON.

Abditus propere muliebri ſella.] Tacitus *ſellam* ἁπλῶς. at Plutarchus φορεῖον. melius dixiſſet δίφρον κατάστεγον. nam tales ſellæ mulierum, quibus in publicum deferebantur: quod vox *abditus* manifeſto docet. fuerunt & aliæ ſellæ mulierum non adopertæ, ſed quarum domi uſus, non foris. Talis erat, opinor, quæ *ſeliquaſtrum* dicebatur, ut Varro & Feſtus ſcribunt: alii per *i*, *ſiliquaſtrum*. Hyginus libro ſecundo Aſtronomici poetici, de Caſſiopeia, *pro quo facto inter ſidera ſedens in ſiliquaſtro conſtituta eſt.* libro tertio, *Caſſiopeia ſedens in ſiliquaſtro collocata eſt.* Ne igitur mutemus eam vocem aut mendi ſuſpectam habeamus apud Arnobium libro II. *Quid arquata ſi ſellula, acus, ſtrigil, polubrum, ſiliquaſtrum?* Habuere mulieres olim & δίφρους λοχειαίους, in quibus ſedentes enitebantur: quarum hodieque uſus eſt. mentio earum Exodi capite primo, & apud Artemidorum libro quinto, capite LXXIV.

Donec omiſſa mora ſuccollatus.] Bene. neque delenda verba, *omiſſa mora*, φειδοῖ τοῦ χρόνου. moram intelligit exſpectandi lecticarios ſervos, quibus deficientibus, liberi homines in armos & collum receptum eum bajularunt vicibus: quod *ſuccollare* dicitur.

7. *Poſitaque brevi ratione.*] Simplex pro compoſito: *poſita*, id eſt, expoſita. Viterb. tamen *oratione*, cum veteri Rom. item Memm. & aliis multis. ſed durum ſit nimis *poſita oratione* pro habita.

VARIOR.

7. *Poſitaque brevi ratione.*] Pro reddita: ut *ponere calculos.* Seneca epiſt. 87. *Cum ad patrimonium ventum eſt, diligentiſſimi computatores, ſic rationem ponitis ſingulorum, quibus aut pecuniam credituri eſtis, aut beneficia.* l. 89. D. de Solution. & liberat. *ratione poſita ejus pecuniæ, quam mihi Stichus C. Titii ſervus caverat.* GRONOVIUS.

TOR-

nullum indicium recuſantis dedit: immo, ut quidam tradiderunt, etiam diplomatibus primiſque epiſtolis ſuis ad quoſdam provinciarum Præſides, Neronis cognomen adjecit. Certe & imagines ſtatuaſque ejus reponi paſſus eſt: & procuratores atque libertos ad eadem officia revocavit. Nec quidquam prius pro poteſtate ſubſcripſit, quam quingenties HS. ad peragendam Auream domum. Dicitur ea nocte per quietem pavefactus gemitus maximos ediditſe: repertuſque a concurſantibus humi ante lectum jacens, per omnia piaculorum genera manes Galbæ, a quo deturbari expellique ſe viderat, propitiare tentaſſe: poſtridie quoque in augurando tempeſtate orta graviter prolapſum, idemtidem obmurmuraſſe:

Τί γάρ μοι καὶ μακροῖς αὐλοῖς.

Sub idem vero tempus, Germaniciani exercitus in Vitellii verba jurarant. Quod ut com- 8
periit, auctor ſenatui fuit mittendæ legationis, quæ doceret, electum jam Principem: quietem & concordiam ſuaderet. Et tamen per internuntios ac litteras, conſortem Imperii, generumque ſe Vitellio obtulit. Verum haud dubio bello jam ducibus & copiis, quas Vitellius præmiſerat, appropinquantibus, animum fidemque prætorianorum erga ſe

TORRENT.

Manes Galbæ.] Similis de Nerone locus cap. XXXIV.

Graviter prolapſum.] Lego *prolapſus*, ut ante *pavefactus, repertus.*

Τί γάρ μοι καὶ μακροῖς αὐλοῖς;] Xiphilin. ſic: *τί γάρ με ἔδει μακροῖς αὐλοῖς αὐλεῖν;* ac proverbium eſſe dicit de iis, qui quid ſibi inutile faciunt. Turneb. Adverſar. V. cap. I. & XVII. cap. XX. varias proverbii cauſas adfert, neque ipſe ſibi ſatis conſtat. Nobis una, eaque ſimpliciſſima, ſufficiat, Non omnibus buccis longas tibias, quæ difficilius inflentur quo longiores ſint, pariter convenire, ut neque Othoni Imperium. Ex eodem fonte manat illud Juvenalis Sat. XI.

- - - buccæ
Noſcenda eſt menſura tuæ.

8. *Germaniciani exercitus.*] Sic *Illyriciani* Galb. cap. XX. Tib. cap. XXV.

Jam ducibus.] Mallem, ut in tribus MSS. *jamque ducibus.*

CASAUBON.

Diplomatibus primiſque epiſtolis ſuis ad quoſdam provinciarum præſides Neronis cognomen adjecit.] Faceſſunt mihi negotium Plutarchi ſuper hac re verba: *Κλαύδιος δὲ Ῥοῦφος εἰς Ἰβηρίαν φησὶ κομισθῆναι διπλώματα, οἷς ἐξέπεμπον τοὺς γραμματηφόρους, τὸ τοῦ Νέρωνος θεῖον ὄνομα προσγεγραμμένον ἔχοντα τῷ τοῦ Ὄθωνος.* quid appellat *τὸ τοῦ Νέρωνος θεῖον ὄνομα*? aut quale iſtud eſt Neronis divinum nomen? nam de *divi* appellatione accipere non poſſumus, niſi putamus tam ſtultum Othonem fuiſſe, ut vivus appellari voluerit divus: quod non ſolum erat inſolens, verum etiam ominoſum & *βλάσφημον*, deinde ut ea ſententia efficeretur, ſcribendum foret *θεῖος*. tum intelligeremus in diplomatis Othonis ſcriptum fuiſſe, *M. Salvius Otho Nero Divus.* hanc ſententiam confirmant nonnihil, quæ ſcribit Tacitus extremo libro XV. de adulatione Cerialis Anicii, qui Neronem adhuc inter homines agentem & coli pro deo, & Divum Neronem appelleri voluit. Sed verius puto, tollendam vocem *θεῖον* e Plutarchi verbis.

Τί γάρ μοι καὶ μακροῖς αὐλοῖς;] Varie corrupti ſunt in poſtrema voce libri veteres. alii præferunt *δούλοις*: alii ac prope omnes, *ἀστύλοις*. mendoſe prorſus. neque hoc monerem, cum e Xiphilino veram lectionem, de qua dubitari non poteſt, Turnebus pridem indicarit: niſi viderem eſſe viros doctos, qui depravatas lectiones veterum codicum partim interpretari conentur, partim aliter emendare. quorum utrumque ſupervacuum.

8. *Quietem & concordiam ſuaderet.*] Emenda Plutarchum in harum epiſtolarum mentione, & lege *ὑφ' ὧν ἐπαιρόμενος ἔγραψεν Οὐϊτελλίῳ παραινῶν οὐ στασιωτικὰ φρονεῖν. per quæ factus elatior, ſcripſit Vitellio, monens eum, ne ſeditioſa conſilia ſequeretur.* perperam vulgo editum, *παραινῶν στρατιωτικὰ φρ.* quam depravatam lectionem mirabiliter expreſſit Xylander, vir alioquin & judicii & eruditionis non mediocris.

VARIOR.

Neronis cognomen adjecit.] *Cluvium* Rufum eſſe, non *Claudium*, quem Plutarchus hic appellat, monuit ad Tacitum Lipſius: ſed hoc tantum; neque enim apponit verba, credo deterritus eadem difficultate, in qua hæſit Caſaubonus. Quæ vide an tolli poſſit, ſi legamus: *τὸ τοῦ Νέρωνος θετὸν ὄνομα προσγεγραμμένον ἔχοντα τῷ τοῦ Ὄθωνος.* hoc eſt, adoptivum nomen. Vix aliter Plutarchus. GRONOVIUS.

TOR-

ſe pæne internecione ampliſſimi ordinis expertus eſt. Placuerat per claſſiarios arma transferri, remittique navibus. Ea cum in caſtris ſub noctem promerentur, inſidias quidam ſuſpicati, tumultum excitaverunt: ac repente omnes, nullo certo duce, in Palatium cucurrerunt, cædem ſenatus flagitantes: repulſiſque tribunorum, qui inhibere tentabant, nonnullis & occiſis, ſicut erant cruenti, ubinam Imperator eſſet requirentes, perruperunt in triclinium uſque, nec niſi viſo deſtiterunt. Expeditionem autem impigre atque etiam præpropere inchoavit: nulla ne religionum quidem cura, ſed & motis nec dum conditis ancilibus, quod antiquitus infauſtum haberetur: & die, quo cultores Deum matris lamentari & plangere incipiunt: præterea adverſiſſimis auſpiciis. Nam & victima Diti patri cæſa litavit: cum tali ſacrificio contraria exſta potiora ſint. Et primo egreſſu inundationibus Tiberis retardatus, ad xx. etiam lapidem ruina ædificiorum præcluſam viam offen-

TORRENT.

Et placuerat.] Melius MSS. & edit. Germanica, *Placuerat*, ſine *&*, *P* majuſcula.

Per claſſiarios arma transferri.] Oſtiam ſcilicet. Vide Tacitum. De claſſiariis quoque jam ante diximus Galb. cap. XII.

In Palatium cucurrerunt.] Lib. unus *concurrerunt*, quæ vox ſane rei tantæ magis convenit. Similis locus Tit. cap. ult.

Perruperunt.] Duo codd. *proruperunt*, ut & interpretes.

Motis, necdum cond. ancilibus.] Sic & Tacit. extremo lib. I. Hiſtor. *Fuerunt* (inquit) *qui proficiſcenti Othoni moram religionemque nondum conditorum anciliorum adferrent.* Hoc quid ſit, Servium audiamus. is enim lib. VIII. Æneid. in illud Virgilii, *utque impulit arma*, ſic ſcribit: *Qui belli ſuſceperat curam, ſacrarium Martis ingreſſus primo ancilia commovebat, poſt haſtam ſimulacri ipſius dei, dicens, Mars vigila.* Motis ergo in hunc modum ancilibus, priuſquam de more reconderentur, Otho ad bellum profectus eſt. Atque ita ferme Turneb. Adverſar. V. cap. I. Beroaldus vero, quoniam menſe Martio profectum Othonem conſtat, mota, necdum condita ancilia intelligit, quæ Salii ad ſolennem illum ſaltum deprompta nondum repoſuerant. Verum quia Sueton. eo die abiiſſe eum ſcribit, quo ſacerdotes Matris deum lamentari ac plangere incipiebant, hoc eſt, ante VI. Cal. Aprilis, (ſi Marcellino credimus) ancilia vero menſis Martii initio circumferebantur, quod ex Ovidii Faſtis diſcimus, Turnebo potius accedamus.

Quod antiquitus infauſtum haberetur.] *Antiquitus*, pro ab omni uſque antiquitate, aut opinione majorum. Sane & matrimonia tunc contracta infauſta habebantur. Ovid. lib. III. Faſtor.

Lamentari & plangere.] Similis luctus in ſacris Leucotheæ apud Ariſtotelem lib. II. Rhetoric. ad Theodocten, & Plutarchum Camillo, in ſacris Ariadnæ apud Plutarchum Theſeo, in ſacris Hyacinthi apud Ovidium Metamorph. & Athenæum lib. IV. Adde diem quo Plynteria Minervæ, item quo Theſmophoria Cereri celebrabantur Athenis ſummo cum luctu. De quibus Plutarch. Alcibiade, & Demoſthene.

Victimas Diti patri cæſas lit.] Pro *victimis Diti cæſis litavit.* Simile illud Virgilii *ſacriſque litatis Indulge hoſpitio*, cum non ſacra litemus, ſed deo ſacris, ut ibi monuit Servius.

Inundationib. Tiberis.] Qui (ut inquit Plin. lib. III. cap. V.) *vates quodammodo intelligitur ac monitor, auctu ſemper religioſus.*

CASAUBON.

Et placuerat per cl.] Dele *&* ac pone *τελείαν ςιγμὴν* ante *Placuerat.* incipit namque hic narrare, quod præcedentibus verbis propoſuerat. Scripti omnes hunc puſillum errorem agnoſcunt. Rem narrat Plutarchus accuratius: nam Suetonius multa omittit.

Motis necdum conditis ancilibus.] Adi Polybium in fragmento libri ab Urſino editi XXIII. & Livium in eadem hiſtoria libro XXXVII. Similis ſuperſtitio ſervata Athenis, cum celebrarent Plynteria. per ejus feſti dies Minervæ ſimulacrum tegebatur, ac publice privatimque diligenter obſervabant, ne inchoato feſto, nec dum peracto, quicquam aggrederentur: id enim infauſtum habebatur. Xenophon de reditu Alcibiadis in patriam poſt exſilium: *Κατέπλευσεν εἰς Πειραιᾶ ἡμέρᾳ ᾗ Πλυντήρια ἦγεν ἡ πόλις, τοῦ ἕδους κατακεκαλυμμένου τῆς Ἀθηνᾶς. ὅ τινες οἰωνίζοντο ἀνεπιτήδειον εἶναι καὶ αὐτῷ καὶ τῇ πόλει.* Sed Plynteriorum dies unus ſaltem erat infauſtus: ancilia ſemel mota ante trigeſimum diem non condebantur, ut affirmare videtur Polybius loco, quem indicavimus.

VARIOR.

8. *Diem quo cultores matris deum lamentari & plangere.*] Is fuit IX. Kalendas Aprilis, qui dies ſanguinis dicebatur. Is enim triſtis, & planctus tunc ſuos Galli ordiebantur, atque adeo corporum ſectiones. Perſeverant uſque ad VI. Calendas April. qui dies Hilaria dicitur. JUSTUS LIPSIUS.

offendit. Simili temeritate, quamvis dubium nemini eſſet, quin trahi bellum oporteret, 9
quando & fame & anguſtiis locorum urgeretur hoſtis, quam primum tamen decertare ſtatuit: ſive impatiens longioris ſollicitudinis, ſperanſque ante Vitellii adventum profligari plurimum poſſe: ſive impar militum ardori, pugnam depoſcentium. Nec ulli pugnæ affuit, ſubſtititque Brixelli. Et tribus quidem, verum mediocribus præliis, apud Alpes, circaque Placentiam, & ad Caſtoris, quod loco nomen eſt, vicit: noviſſimo maximoque apud Betriacum fraude ſuperatus eſt; cum ſpe colloquii facta, quaſi ad conditionem pacis militibus eductis, ex improviſo, atque in ipſa conſalutatione, dimicandum fuiſſet: ac ſtatim moriendi impetum cepit: ut multi, nec fruſtra, opinantur, magis pudore, ne tanto rerum hominumque periculo dominationem ſibi aſſerere perſeveraret, quam-

TORRENT.

9. *Profligari plurimum poſſe.*] Hoc eſt, promoveri, ac pæne confici rem. Alii pro *plurimum* ſubſtituunt *prælium*, ut *profligare bellum* Livius & Tacit. dixere, ipſe Cicero ad Cornificium, *profligato bello, ac pæne ſublato.* Aliter tamen de hujus verbi ſignificatione Gell. lib. xv. cap. v.

Et ad Caſtoris.] Sic Oroſ. quoque, & Tacit. lib. II. Hiſtor. *Ad duodecimum a Cremona locus Caſtorum.* ſic enim Juſtus Lipſius reſtituit, cum ante *caſtrorum* legeretur. optime.

Apud Bebriacum.] Libb. MSS. de hoc nomine diſſentiunt. Meliores *Betriacum* vocant, uti & Plutarch. Βητριακὸν. quod Turnebus ſequitur. Ego nihil muto. nam Juvenalis codices, quos vidi complures, Sat. II. *Bebriaci in campo* legunt. Eſt autem inter Veronam & Cremonam vicus. Auctor Tacit.

In ipſa conſalutatione.] Duo MSS. *in ipſa conſultatione*, quod hiſtoriam recte perpendenti fortaſſe non diſplicebit.

CASAUBON.

9. *Et ad Caſtoris.*] Ita omnes meliores, non ut quidam alii *ad Caſtros.*

Apud Bebriacum.] Nuſquam minus & auctores veteres & libri quam in loci hujus ſcriptione conſentiunt. Fere tamen Latinis ſcriptoribus aut *Bebriacum* dicitur, aut *Bedriacum.* Plutarcho πολίχνην πλησίον Κρεμώνης τὸ Βητριακὸν: & quidam codices apud Eutropium, *Betriacum.* Viterbienſis quoque hic & Memmii ac Pithœi codices non multo aliter, *Bretiacum.* eadem collocatio litteræ caninæ apud Joſephum, qui hanc vocem ita enuntiat Φρηγδιακόν. vide & Chronicon Euſebii. Philoſtratus libro quinto Othonem periiſſe περὶ τοὺς Ἑσπερίους Γαλάτας ſcribit: laxe ſane & negligenter.

VARIOR.

9. *Quin trahi bellum oporteret, quando & fame & anguſtiis locorum urgeretur hoſtis.*] Quid ni utraque illa cauſſa ſufficeret? cum alioquin, *multa bella impetu valida, per tædia & moras evanuerint*, ut loquitur apud Tacitum lib. II. Hiſt. 32. Suetonius Paullinus. GRUTERUS.

Impatiens longioris ſollicitudinis.] Sæpe impatientia curarum præcipitari res queritur apud Cæſarem Critognatus, ubi inter alia inquit lib. VII. 77. *Animi eſt iſta mollities, non virtus, inopiam paulliſper ferre non poſſe: qui ſe ultro morti offerant, facilius reperiuntur, quam qui dolorem patienter ferant.* GRUTERUS.

Ante Vitellii adventum profligari plurimum poſſe.] Profligari, ut docet Gellius in XIV. Noctium Atticarum, ſignificat ad perniciem, interitumque deducere, atque deperdere. Profligataſque res quaſi profluctas, & perditas appellamus. In alio ſignificatu profligata dixerunt abſoluta, & effecta: quod quamvis damnetur a Gellio, tamen repudiandum non eſt: cum & Latinæ linguæ parens *profligatum* dixerit pro abſoluto, & pene confecto. Sic enim ait in V. quæſtion. Tuſculan. *Atque ſi ita eſt profligata jam hæc, & pene ad exitum deducta quæſtio eſt.* Corn. Tacitus dixit: *Profligaverat bellum cum Judæis Veſpaſianus.* Pro eo, quod eſt, confecerat & pæne ad exitum deduxerat. BEROALD. Auguſtus monumento Ancyrano: *Inter ædem Caſtoris & ædem Saturni cœpta profligataque opera a patre meo perfeci.*

Impar militum ardori.] Ea ſane de cauſſa maximi ſæpe Imperatores rem ſuam peſſum dederunt: ſtulte tamen, recteque carpitur a Plutarcho Pompejus in ejus vita: Ταῦτα καὶ τὰ τοιαῦτα πολλὰ λέγοντες, ἄνδρα δόξης ἥττονα καὶ τῆς πρὸς τοὺς φίλους αἰδοῦς τὸν Πομπήϊον ἐξεβιάσαντο ταῖς ἑαυτῶν ἐλπίσι καὶ ὁρμαῖς ἐπακολουθῆσαι, προέμενον τοὺς ἀρίστους λογισμούς. ὅπερ οὐδὲ πλοίου κυβερνήτῃ, μήτιγε τοσούτων ἐθνῶν καὶ δυνάμεων αὐτοκράτορι στρατηγῷ, παθεῖν ἦν προσῆκον. *His & hujuſcemodi multis dictis virum impotentem gloriæ & ruboris erga amicos impulerunt Pompejum, ut relictis conſiliis optimis ſuis ipſorum obſecundaret ſpei & motibus: quod nec navigii gubernatorem, nedum tot gentium & tantarum copiarum conveniebat ſummum Imperatorem admittere.* GRUTERUS.

Nec illi pugnæ affuit.] Cod. Salmaſ. *nec ulli pugnæ.* GUJET.

quam deſperatione ulla, aut diffidentia copiarum: quippe reſiduis, integriſque etiam nunc, quas ſecum ad ſecundos caſus detinuerat, & ſupervenientibus aliis e Dalmatia, Pannoniaque & Mœſia: ne victis quidem adeo afflictis, ut non in ultionem ignominiæ quidvis diſcriminis ultro, & vel ſolæ ſubirent. Interfuit huic bello pater meus Suetonius Lenis, tertiæ decimæ legionis tribunus anguſticlavius. Is mox referre crebro ſolebat, Othonem etiam privatum uſque adeo deteſtatum civilia arma, ut memorante quodam inter epulas de Caſſii Brutique exitu, cohorruerit: nec concurſurum cum Galba fuiſſe, niſi confideret ſine bello rem tranſigi poſſe. Tunc ad deſpiciendam vitam exemplo manipularis

Torrent.

Etiam nunc.] Scio placere poſſe *etiam tunc.* Sed obſervatum mihi frequenter apud Senecam *etiamnum* pro præterea. Neque deerit fortaſſe, qui ſic reſcribendum hic exiſtimet.

10. *Tribunus anguſticlavius.*] Recte, cum *auguſticlavius* in vulgatis perperam legatur. Sic *laticlavius* Ner. cap. XXVI. & Domit. cap. X. Vide Aug. XXXVIII. & XXXIX.

Cohorruerit.] Libb. duo *corruerit*, male. ſic enim Tib. cap. XXI. *Dii me perdant, niſi cohorreſcit corpus meum.* Nec ſemel ita Cicero.

Concurſurum cum Galba.] An adverſus Galbam? an vero cum Galba, quando ei adhuc in Hiſpania agenti ipſe præfectus Luſitaniæ adhæſit? Prior interpretatio magis placet.

Tunc ac deſpic.] Mallem *tum* pro *tunc*, ut conjunctionis loco ponatur. nam adhuc Suetonium Lenem referentem audimus. Niſi *tunc* pro deinde accipias.

Casaubon.

10. *Interfuit huic bello pater meus Suetonius Lenis.*] Reperi in Memmiano & habent alii libri, *Suetonius Latus.* in nullo, quod ſciam, *Linus:* quæ depravata ſcriptura Mureto olim perſuaſerat, hunc eſſe Suetonium illum Paulinum, de quo Tacitus multa. qui magnus eſt doctiſſimi viri error.

Tribunus anguſticlavius.] Hæc vera lectio. Gloſſarium: *στενόσημος, anguſticlavius.*

Varior.

Quos ſecum ad ſecundos caſus detinuerat.] Sic ſolent boni duces non deſperare ſtatim, ſi cladem aliquam acceperint, ſed contra inſtare audentius. vere enim Vercingentorix apud Cæſarem lib. VII. Bell. Gall. c. 29. *Errare, ſi quis in bello omnes ſecundos rerum eventus exſpectet.* male tamen hic diviſiſſe copias ſuas Othonem arguit ſatis prolixe Tacitus lib. II. Hiſt. c. 33.

10. *Suetonius Lenis.*] Cod. Salmaſ. *Latus.*

Tribunus anguſticlavius.] Hoc eſt, qui ex plebe per merita & labores ad tribunatum pervenit. Ut enim ſub conſulibus quidam tribuni a populo, alii in exercitu creabantur (hi Ruffuli, illi dicebantur Comitiati) ita ſub Imperatoribus plebei quidam tribuni per merita ac labores ad hanc dignitatem adſcendebant. Qui vero ex equeſtri aut ſenatorio ordine legebantur, voluntate Principis fiebant. hi dicebantur *majores* & *laticlavii*, illi *minores* & *anguſticlavii.* Veget. lib. II. cap. 7. *Tribunus major per epiſtolam ſacram Imperatoris judicio deſtinatur, minor Tribunus provenit ex labore.* Ita & Statius lib. V. Sylv. majoris Tribuni creationem Imperatori adſignat:

Præterea fidos Dominus ſi dividat enſes
Pandere, quis centum valeat frænare maniplos,
Intermiſtus Eques: quis præcepiſſe cohorti,
Quem deceat clari præſtantior ordo tribuni.

Tribuni anguſticlavii ad equeſtrem dignitatem adſcendebant, & annulos equeſtris ordinis inſigne geſtabant. Appianus in Lybicis: Ἀχθομένων πάντων ἐπὶ τῇ τῶν πεσόντων ἀταφίᾳ, καὶ μάλιστα ἐπὶ τοῖς χιλιάρχοις, ὁ Σκιπίων τινα λύσας τῶν αἰχμαλωτῶν ἔπεμψε πρὸς Ἀσδρούβαν καὶ παρῄνει θάψαι τοὺς χιλιάρχους· ὁ δ᾽ ἐρευνησάμενος τὰ νεκρὰ, καὶ ἀπὸ τῆς σφραγίδος εὑρὼν (χρυσοφοροῦσι γὰρ τῶν στρατευομένων οἱ χιλίαρχοι τῶν ἐλαττόνων σιδηροφορούντων) ἔθαψεν αὐτούς. *Cum omnes moleſte ferrent relictos inhumatos milites, præcipue tribunos, Scipio captivum quendam ſolutum vinculis miſit ad Aſdrubalem, rogans, ut ſepeliret tribunos. ille quæſitos inter cadavera, & aureorum annulorum agnitos indicio (his enim differunt a vulgo militum ferreos geſtantium) ſepeliit.* Ita Martialis poeta per tribunatum ad equeſtrem ordinem pervenit lib. IV. ep. 95.

Eſt & in hoc aliquid, vidit me Roma Tribunum,
Et ſedeo, qua te ſuſcitat Oceanus.

Sic & hic Suetonii pater per merita & labores ad tribunatum pervenit. Lipſius II. de Milit. 9. exiſtimat laticlavios eſſe, qui ex ſenatu; anguſticlavios, qui ex equite nati ſunt. quem in hunc errorem induxit, quod putaret ſolos ſenatores laticlaviam, ſolos equites anguſticlaviam portaſſe, cum tamen anguſticlavia plebi & equeſtri ordini communis fuerit, ut oſtendit A. Rubenius lib. I. de Re Veſt. cap. 8. qui & hanc de tribunis anguſticlaviis ſententiam ſuam latius explicat in eod. lib. cap. 14. vide & quæ infra ad Domit. cap. 10. ex illo notantur de tribunis anguſticlaviis.

pularis militis concitatum: qui cum cladem exercitus nuntiaret, nec cuiquam fidem faceret, ac nunc mendacii, nunc timoris, quaſi fugiſſet ex acie, argueretur, gladio ante pedes ejus incubuerit: hoc viſo proclamaſſe eum ajebat, *non amplius ſe in periculum tales tamque benemeritos conjecturum.* Fratrem igitur, fratriſque filium, & ſingulos amicorum cohortatus, ut ſibi quiſque pro facultate conſuleret, ab amplexu & oſculo ſuo dimiſit omnes, ſecretoque captato, binos codicillos exaravit ad ſororem conſolatorios. Sed & ad Meſſallinam Neronis, quam matrimonio deſtinaverat, commendans reliquias ſuas & memoriam. Quidquid deinde epiſtolarum erat, ne cui periculo aut noxæ apud victorem forent, concremavit. Diviſit & pecunias domeſticis ex copia præſenti. Atque ita 11
paratus, intentuſque jam morti, tumultu inter moras exorto, ut eos qui diſcedere & abire cœptabant, corripi quaſi deſertores, detinerique ſenſit: *Adjiciamus*, inquit, *vitæ & hanc noctem*, his ipſis, totidemque verbis, vetuitque vim cuiquam fieri: & in ſerum uſque patente cubiculo, ſi quis adire vellet, poteſtatem ſui præbuit. Poſt hæc ſedata ſiti gelidæ aquæ potione, arripuit duos pugiones, & explorata utriuſque acie, cum alterum pulvino ſubdidiſſet, foribus adopertis arctiſſimo ſomno quievit. Et circa lucem demum expergefactus, uno ſe trajecit ictu infra lævam papillam: irrumpentibuſque ad primum gemitum, modo celans, modo detegens plagam, exanimatus eſt: & celeriter (nam ita præceperat) funeratus, XXXVIII ætatis anno, & XCV Imperii die. Tanto

TORRENT.

Fratrem fratriſque fil.] Sup. cap. I. Domit. cap. X. Sed de fratre diſſentiunt Tacitus & Plutarch. qui e pugna evaſiſſe in caſtra narrant, ac cum aliis ſe dedidiſſe.

Ad ſororem.] Cum qua etiam ſtupri conſuetudinem habuiſſe eum ſcribit Xiphilin.

Sed & ad Meſſallinam Neronis.] Mallem abeſſe *ſed.* De Statilia Meſſallina Ner. cap. XXXV.

11. *Abire cœptabat.*] Libb. duo *captabant.* Non placet.

Gelidæ aquæ pot.] Lib. unus *gelidæ potione aquæ.* Ut non temere quis ſuſpicetur *aquæ* ſuperfluum eſſe. Juvenal. Sat. V.

- - - *caldæ, gelidæque miniſter.*

Aliter tamen Suetonium Vitell. cap. XIV. & Veſpaſ. cap. XXIV.

Foribus adopertis.] Sic Turneb. & MSS. noſtri duo. Alii *adapertis* legunt. Ego obductas fuiſſe puto. Quare *adopertis* placet.

Et celeriter (ita præceperat) funeratus.] Placet Turnebi lectio, quam codex noſter opt. confirmat, *& celeriter (nam ita præc.) fun.* Accedat Plutarchi auctoritas, qui Bryxelli ejus ſe vidiſſe ſepulcrum affirmat. Merum igitur ſomnium eſt, quod commentator neſcio quis *apud Culiternam*, aut *Veliternam* aut *Ulterinam* infarſit.

XXXVIII.] Zonaras obiiſſe ſcribit natum annos XXXVII. Imperii die XC. Idem Dionis epitome, niſi quod XXXVII. annis XI. dies eximit. Tacit. quoque XXXVII. ei annos tribuit, ſed quamdiu imperaverit, non addit. Optime cum Faſtis conveniet ratio, ſi vitæ annos XXXVII. Imperio dies XCV. annumeremus. Eutropius Suetonium ſequitur.

CASAUBON.

11. *Qui diſcedere & abire cœptabant.*] Viterb. ut Torrentii duo, *captabant.*

Et celeriter (ita præceperat) funer.] Viterb. & Liſlæi, *celeriter, nam ita præc.* unde olim vere notatum Turnebo, ortam eſſe falſam lectionem, *apud Veliternam, ita pr.* cujus commentitiæ (quod ex Plutarcho patet) ſcripturæ nuſquam in noſtris libris exſtant veſtigia. neque item illius, quam præferunt editi quidam optimi, ut Rob. Steph. *& celeriter ac parvo cultu, nam ita præc.* utrum ex lectione ſcripta? probem ſi ita ſit: ſed vereor ne ſit conjectura correctoris emendantis γραφὴν veteris Rom. *apud Culiternam.*

XXXVIII. ætatis anno.] More ſuo Tranquillus annum inchoatum pro pleno numerat: nam alii XXXVII. ſolum vixiſſe ajunt. In tempore imperii puto peccatum apud Clementem Alexandrinum, doctiſſimum & ſanctiſſimum ſcriptorem: legitur enim Ὄθων μῆνας έ, ἡμέρας ά. ego vero ſcripſiſſe opinor γ' non έ. ſic Euſebius in Chronico: *Otho tertio regni ſui menſe apud Bebriacum propria manu occubuit.* & Cedrenus μῆνας τρεῖς, ἡμέρας ή. neque tamen neſcio poſſe defendi Clementis lectionem ex quorundam Græcorum traditione. nam Faſtis antiquis Græcis, qui Siculi vulgo vocantur & magno uſui doctiſſimis viris ſæpe fuerunt, hæc legi, Ὄθων βασιλεύσας μῆνας ϛ', ἐσφάγη ἐν τῷ Παλατίῳ Ῥώμης. En quantæ nugæ in quam paucis verbis. Hæc eſt iſtorum hominum fides, quorum Chronologiis omnes veteres bibliothecæ ſcatent. quare tirones cum illos legunt, meminerint, magno judicio opus, ut poſſint nigrum

12 Tanto Othonis animo nequaquam corpus aut habitus competiit. Fuiſſe enim traditur & modicæ ſtaturæ, & male pedatus, ſcambuſque. Munditiarum vero pæne mulicbrium: vulſo corpore: galericulo capiti propter raritatem capillorum adaptato & annexo, ut nemo dignoſceret. Quin & faciem quotidie raſitare, ac pane madido linere conſuetum: idque

nigrum mendacio præfigere theta. velut cum in hac ipſa hiſtoria de morte Othonis ita Credenus ſcribit: *Θύων δέ ποτε ἐν τῷ ἱερῷ, τὰ τῆς Ἀφροδίτης ᾄσματα τοῖς ἱεροῖς παρέμιξε· καὶ διὰ τοῦτο Οὐϊτελλίου αὐτῷ ἐπαναστάντος, ξιφιδίῳ ἑαυτὸν διεχειρίσατο, εἰπών, Τί γάρ με ἔδει μακροῖς αὐλοῖς ᾄδειν καὶ αὐλεῖν;* legerat nempe ſemidoctus aliquis, Othonem erupiſſe quondam in hæc verba, *τί γάρ μοι καὶ μακροῖς αὐλοῖς;* inde occaſionem arripuit fingendi eam fabellam, quam narrat Cedrenus: niſi ipſe fictor illius eſt, non ſolum narrator. & tamen iſta cuicuimodi ſint, ferri poſſunt fortaſſe, niſi in rebus maximi momenti, & quæ pertinent ad hiſtoriam Eccleſiæ, pari fide, quod certum eſt, verſati eſſent. verum quid ago? non enim id a principio inſtitueram.

VARIOR.

Fratriſque filium.] Plutarchus: *Accerſitum fratris filium Coccejum adhuc adoleſcentem, ut auderet, neque timeret Vitellium, eſt hortatus, & ut matrem, & domum, & uxorem ipſe tanquam proprios curans tueretur.* Tacitus eum vocat Salvium Coccejanum, quem ait prima juventa trepidum fuiſſe: eum Otho monuit, ut erecto animo capeſſeret vitam, neu patruum ſuum Othonem fuiſſe *aut obliviſceretur unquam, aut nimium meminiſſet.*

Secretoque captato.] Cod. Salmaſ. *ſecretoque capto.*

11. *Poſt hæc.*] Cod. Salm. *poſt hoc.*

XCV. Imperii die.] Valde confuſa ſunt tempora & initia horum trium Imperatorum, Galbæ, Othonis & Vitellii, niſi adhibueris temperamentum, quod præcepit Xiphilinus ex Dione, ut ſcilicet unum annum, & XXII. dies illis tribus conjunctim aſſignemus, quia alius alii non ſucceſſit, ſed duo ſimul eodem tempore Imperii inſeſſores fuerunt. Xiphilinus in fine Veſpaſiani: *Κἀκ τούτου συμβαίνει ἐνιαυτόν τε καὶ δύο καὶ εἴκοσι ἡμέρας ὑπὸ τοῦ θανάτου Νέρωνος μέχρι τῆς τοῦ Οὐεσπασιανοῦ ἀρχῆς διελθεῖν.* JOSEPH. SCALIGER.

TORRENT.

12. *Scambuſque.*] Placet Turnebi conjectura. nam & noſtrorum librorum fideliſſimus *cambus* habet, non *calvus*, ut vulgati omnes. *σκαμβὸς* enim pravum curvumque ſignificat. Quod ad pedes & crura Græci tranſtulerunt, Latini (ſi Nonio credimus) ad depravatam oculorum aciem, ut *ſcambi* ſint iidem qui ſtrabones. Sueton. tamen Græcos ſequitur. De Othonis vero munditia, ſeu mollitie potius, Juvenal. Sat. II. De Iſidis ſacerdotibus Domit. cap. I.

CASAUBON.

12. *Male pedatus ſcambuſque.*] Ex emendatione Turnebi eſt hæc ſcriptura. Ille in membranis optimis repererat, quod & Pithœus in ſuis, *cambuſque.* nos in Liſlæi, *ſcambus.* *σκαμβὸς* Græcis dicitur, qui eſt crure aut pede varo. Suetonium voce Græca uſum, vel eam potius dictionem fuiſſe in uſu tum Romanis, non eſt a veriſimilitudine abhorrens conjectura. In pleriſque MSS. ſcriptum, *calvuſque.* an vera lectio *clauduſque?* quod Petro Fabro placet. Sed veriſſima & jam certiſſima ſcriptura eſt, *ſcambuſque:* nam & antiquiſſimi duo regiæ bibliothecæ codd. eam luctionem firmant: neque diſſentit Memmianus.

Galericulo propter raritatem capillorum adaptato & annexo.] Veteres cum capite nudo eſſent, & calvitiem urbanorum dictis eſſe obnoxiam experirentur, ad eam celandam inſtituerunt pelles quaſdam parare, appoſitis crinibus humanis, ſic ut aptata capiti, cutis vera, non coma aſcititia videretur. Iis pellibus uſi & viri & fœminæ. Tertullianus De cultu fœminarum: *Affigitis præterea neſcio quas enormitates ſutilium atque textilium capillamentorum, nunc in galeri modum, quaſi vaginam capitis & operculum verticis, nunc in cervicem retro ſuggeſtum.* Nec *galericulum* ſolum vocabant, ſed *galerum.* Juvenalis:

Sed nigrum flavo caput abſcondente galero.

Avienus:

Nam mox dejecto nituit frons nuda galero,
Diſcolor appoſita quæ fuit ante coma.

Ac pane madido linere.] Viterb. *linire.* Panis iſte fiebat ex oryza aut fabis, ut apud medicos in compoſitione pſilothrorum legimus. item ex farina ſiliginea. Juvenalis:

Sed quæ mutatis inducitur atque fovetur
Tot medicaminibus, coctæque ſiliginis offas
Accipit, & madidæ, facies dicetur an ulcus?

VARIOR.

12. *Male pedatus ſcambuſque.*] Lexic. Græco-Latinum: *Σκαμβὸς, ſcaurus, valgus.* GUJET.

Scambuſque.] Ex Græco *σκαμβὸς.* Qui pedes non ponunt in rectis ac parallelis lineis, aut in exteriorem partem eos flectunt, ii *vari* dicuntur: aut introrſum eos convertunt, & *valgi* appellantur, Græce *βλαισοὶ*, aliter *vatiæ* dicti. Non *varum* intelligit Suetonius, ſed *vatiam* & *valgum.* SALMASIUS.

Faciem pane madido linere conſuetum.] Facies linebatur, vel ut candor conciliaretur, ac rubor etiam aliquan-

idque inſtituiſſe a prima lanugine, ne barbatus umquam eſſet. Sacra etiam Iſidis ſæpe in lintea religioſaque veſte propalam celebraſſe. Per quæ factum putem, ut mors ejus minime congruens vitæ, majori miraculo fuerit. Multi præſentium militum cum plurimo fletu manus ac pedes jacentis exoſculati, *fortiſſimum virum*, *unicum Imperatorem* prædicantes, ibidem ſtatim nec procul a rogo vim ſuæ vitæ attulerunt. Multi & abſentium accepto nuntio præ dolore armis inter ſe ad internecionem concurrerunt. Denique magna pars hominum, incolumem graviſſime deteſtata, mortuum laudibus tulit: ut vulgo jactatum ſit etiam, *Galbam ab eo non tam dominandi, quam Reip. ac libertatis reſtituendæ cauſa interemtum.*

Vitel-

aliquando, vel ut cutis tenderetur. Medicamina illa, quibus nitor, aut candor parabatur, προσώπου ἐπίχριστα λαμπρυντικὰ dicebantur, & προσώπου κατάπλασματα λαμπρυντικὰ, & σμήγματα προσώπου στιλβωτικά. Illa vero quibus cutis tendebatur, τετάνωθρα & τετανώματα, Latini veteres *tentipellia* dixere. Juvenalis:

- - - Inter fœda aſpectu ridendaque multo
Pane tumet facies.

ubi vetus interpres: *medicamen ad tendendam faciem, vel cutem magis.* Alia autem erant καταπλάσματα, alia σμήγματα, quibus utebantur ad cutem poliendam. ſublatis enim cataplaſmatis, τὰ σμήγματα adhibebant: idque etiam obſervavit Juvenalis in illa divina Satyra, adverſus ſequiorem, & nequiorem ſexum:

Tandem aperit vultum, & tectoria prima reponit:
Incipit agnoſci.

Tectoria vocat panem illum, quo madido faciem linebant, ac veluti tectorio quodam inducebant: quod tectorium ſeu κατάπλασμα abſtergebant ſmegmate ex lacte aſinino, cum ad mœchos irent. SALMASIUS.

CASAUBON.

Sacra etiam Iſidis ſæpe lintea religioſaque veſte propalam celebraſſe.] Appianus de Bellis civilibus libro IV. Οὐολούσιος ἀγορανομῶν προεγράφη. καὶ φίλον ὀργιαστὴν τῆς Ἴσιδος ἔχων, ᾔτησε τὴν στολὴν, καὶ τὰς ὀθόνας ἐνέδυ τὰς ποδήρεις, καὶ τὴν τοῦ κυνὸς κεφαλὴν ἐπέθετο, καὶ διῆλθεν οὕτως ὀργιάζων αὐτῷ σχήματι ἐς Πομπήϊον. Sed de habitu Iſiacorum plura B. Cyprianus, Apulejus atque alii.

C. SUETONII TRANQUILLI
LIBER VII.
A. VITELLIUS.
CAPUT I.

VItelliorum originem alii aliam, & quidem diverſiſſimam, tradunt: partim veterem & nobilem, partim vero novam & obſcuram, atque etiam ſordidam. Quod ego per adulatores obtrectatoreſque Imperatoris Vitellii eveniſſe opinarer: niſi aliquanto prius de familiæ conditione variatum eſſet. Exſtat Q. Eulogii ad Q. Vitellium, divi Auguſti quæſtorem, libellus, quo continetur, Vitellios Fauno, Aboriginum rege, & Vitellia, quæ multis locis pro numine coleretur, ortos, toto Latio imperaſſe.



Torrent.

1. NIſi aliquando de fam.] Edit. Gallica, & unus e noſtris MSS. *aliquando prius de fam.* Ceteri omnes *aliquanto prius*, uti & interpretes.

Exſtatque Elogii.] Juſto Lipſio ad Taciti Annalem tertium ſcribi probatum, *Exſtat Q. Longini*, aut (quod viſum Mureto) *Q. Clodii.* Sed ignotus penitus meis auribus ſcriptor, quiſquis eſt, *Longinus* ille. De altero, Sextum de Diis Græcum Clodii cujuſdam apud Arnobium lib. v. olim comperi, ſed ei Sexto prænomen, non Quinto. Ubi fruſtra eſſe (quod obiter admonuerim) virum doctum, qui *Sexto de Diis Græcorum* reſcripſit, Lactantius fidejubebit Divin. Inſtitut. I. cap. XXII. *Et Sex. Clodius* (inquit) *in eo libro, quem Græce ſcripſit*, & quæ ſequuntur. qui locus Arnobiano illi plane geminus eſt. Ad Suetonium quidem quod attinet, non video qui receptam lectionem damnem, potiuſque interpreter libellum cui titulus, Elogium Vitelliæ gentis.

Auguſti quæſtorem.] Ex his (inquit Beroaldus) qui Candidati Principis dicebantur. Ego potius Auguſti in expeditione aliqua quæſtorem eum fuiſſe crediderim, aut militaris ærarii præfectum.

Et Vitellia.] Deæ Vitelliæ nemo (quod ſciam) præter Suetonium meminit. Arnob. lib. IV. Vibilliam commemorat, quæ ab viarum erroribus liberet, Macrob. Saturn. lib. III. cap. III. Vitulam, ſeu (ut alii legunt) Vitulinam, quæ lætitiæ præſit, quam Piſo ait Victoriam nominari. Verum quoniam eam nominis rationem adfert Macrobius, quod potens ſit vitæ tolerandæ, non temere ſuſpicemur Vitelliam potius quam Vitulam ſcribi illic deberi. Quanquam & Vituna vocari debere videatur, ut Vitunus Deus, quod vitam tueatur. Verum ſatius eſt, ut Deam hanc (ſive Nympha fuerit) certo loco circumſcribamus, qualis Juturna, & Venilia. Ut non mirum ſit obſcuram eſſe, cum in cæli ſenatum nunquam venerit. De Vitellia quoque via nihil memini me legiſſe. Viam Vitulariam commemorat Cic. ad Q. fratrem ep. I. lib. III. verum alia parte Italiæ.

Imperaſſe.] Duo codd. *imperitaſſe*, & mox *manſiſſe diu.*

Casaubon.

1. *Exſtat Q. Eulogii ad Q. Vitellium libellus.*] Adjuvimus hac parte minimum veteres codices, & veram lectionem produximus ante latitantem. Quintus hic Eulogius, libertus Q. Vitellii fuit, eſtque a manumiſſione appellatus Q. Vitellius Eulogius, aut fortaſſe Eclogius. Hic ut patrono gratificaretur, ſtemma Vitelliæ gentis deſcripſerat, & librum eidem nuncuparat. hoc genere officii ſoliti liberti patronorum ſuorum ſtudia demereri. ſic Julius Marathus Auguſti libertus, de rebus illius libros ediderat, ut dixit auctor libro II. Spartianus: *Famæ celebris Hadrianus tam cupidus fuit, ut libros vitæ ſuæ ſcriptos a ſe, libertis ſuis litteratis dederit, jubens ut eos nominibus ſuis publicarent.*

Tor-

raſſe. Horum reſiduam ſtirpem ex Sabinis tranſiſſe Romam, atque inter patricios allectam, indicia ſtirpis diu manſiſſe, viam Vitelliam ab Janiculo ad mare uſque: item coloniam ejuſdem nominis, quam gentili copia adverſus Æquiculos tutandam olim depopoſciſſent: tempore deinde Samnitici belli præſidio in Apuliam miſſo, quoſdam ex Vitelliis ſubſediſſe Nuceriæ: eorumque progeniem longo poſt intervallo repetiſſe urbem, atque ordinem ſenatorium. Contra, plures auctorem generis libertinum prodiderunt. 2
Caſſius Severus, nec minus alii, eundem & ſutorem veteramentarium: cujus filius ſectionibus & cognituris uberius compendium nactus, ex muliere vulgari, Antiochi cujuſdam

Torrent.

Æquiculos.] Vitelliæ coloniæ ab Æquis expugnatæ meminit Livius lib. v. quam Vitellii, a ſua dictam gente, propriis opibus tutandam ceperant, ut Sueton. hic.

2. *Caſſius Severus.*] De hoc Aug. cap. LVI.

Sectionibus & cognituris.] Sic Turnebi codices, & noſter optimus. Alii *conſuturis* legunt, credo, quia ſutoris ante facta mentio. Eſt autem *cognitor* (inquit Feſtus) *qui litem alterius ſuſcipit.* De quo plura ad Horat. lib. II. Sat. v. *ſis cognitor ipſe.* Hinc *cognitura*, pro cognitoris quæſtu. *Sectores* vero dicti, qui proſcripta damnatorum bona coemebant, præſertim confuſe atque univerſaliter, ut poſtea res ſingulas vendendo inde lucrum facerent. Unde *ſectiones*, quæſtus acerbiſſimus. Exempla paſſim apud Ciceronem, Cæſarem, Tacitum, & alios.

Muliere vulgari.] Recte Turneb. *vulgarem* interpretatur, quæ ſui copiam faciat, & cum populo alicui communis ſit. Ovid. lib. IV. Faſtor. *Numina vulgares Veneris celebrate puellæ.* Sueton. Domit. cap. XXII. *nataretque inter vulgariſſimas meretrices.* Sed & Ulpian. l. XIII. De adulteriis, cum ait: *Sed & in ea muliere poteſt maritus adulterium vindicare, quæ vulgaris fuerit. vulgarem* appellat, quæ ſe olim proſtituerit.

Casaubon.

2. *Sectionibus & cognituris.*] Sic optimi codices, itaque edidit primus, opinor, ſpectatæ fidei vir Rob. Stephanus. plerique tamen codd. *conſuturis.* etiam Viterb. *ſuturis.* quod teſtificari volui.

Varior.

2. *Ex muliere vulgari.*] Mulier vulgaris eſt, quæ non uni viro addicta, ſed pecunia accepta cum pluribus etiam commiſcuit, nec tamen palam ſe proſtituit. Nam inter has diſcrimen fecit Marcellus l. 41. ff. de Ritu nupt. Ait enim ibi: *Probrum etiam intelligitur in his mulieribus eſſe, quæ turpiter viverent, vulgoque quæſtum facerent, etſi non palam.* Nam ſecundum Servium, Priſcianum, Alcuinum PALAM *ad omnes refertur.* Et hinc emendandus inter veteres grammaticos Auctor incertus, apud quem legitur: *Inter* PALAM *&* CORAM *hoc intereſt, quod* PALAM *hominum præſentiam notat,* CORAM *perſonam deſiderat.* Legendum enim, *quod* PALAM *omnium præſentiam notat.* Et quamvis his non acquieſcat Flavius Caper, notat tamen, *hoc etiam veteres variaſſe.* Et vere quidem, quoniam apud Plautum eſt: *Feciſti modo mihi ex proclivo palam rem.* Verum non ita hic Marcellus, qui aperte diſtinguit inter mulierem, quæ *vulgo*, quæque *palam* quæſtum faciat. Et apertius etiam Ulpianus l. 43. eod. tit. qui *palam* quæſtum facere eam *pronunciat, quæ hoc faciat ſine delectu, quæque pudori non parcens ſive in lupanario ſive in caupona vicem proſtitutæ ſuſtinet.* Nam *quæ cum uno & altero pecunia accepta commiſcuit, eam non videri palam quæſtum facere.* Hæc enim ea eſt, quam Marcellus dixit *vulgo quæſtum facere*, quamque *mulierem vulgarem* apellavit Suetonius. Ut accedendum non putem Heroaldo, qui Obſervatione 33. in illa l. 41. PALAM & VULGO pro eodem accepit, & hinc eam l. 41. emendendam duxit. Goesius.

Sectionibus & cognituris.] *Cognituris* eſt delationibus ad ærarium, fiſcum. de quibus Suet. Dom. 9. *Fiſcales calumnias magna calumniantium pœna repreſſit: ferebaturque vox ejus: Princeps, qui delatores non caſtigat, invitat.* Capitol. de Marco: *Delationibus, quibus fiſcus augeretur, intentus.* Perſæpe qui accuſaverant, permixti erant redemptorum ſocietatibus; ea ratio eſt, cur *cognituras* & *ſectiones* hic conjunxerit Sueton. Hinc etiam Tacitus, quem *ſectionibus apud ærarium famoſum* dicit, eundem *obliterata ærarii nomina retraxiſſe* ait. ſic enim legendum. quod prorſus *cognitoris* eſt ſignificatione. *Cognitor* proprie eſt, qui præſentis in urbe rei conventu, ubi judicium agitur, partes ſuſcipit, & quidem ſponte ſe offerens, ſuſceptor alienæ litis voluntarius. Hinc honeſtiore vocabulo *cognitores* dicti, delatores, quadruplatores, qui cauſſas ærarii & fiſci, atque ita populi & Principis ſuſciperent ſponte ac tuerentur, quaſi eſſent legum cuſtodes ærario augendo inventarum, qui præfectis ſubjiciebant obnoxios mulctis, aut debitores vel veteres, vel latentes. cujus operæ pretium partes de proſcriptorum bonis conſequebantur. Atque huic lucro quia adjungebant ex illis plurimi, ut & ab haſta, quam erexerant, emerent, ideo perſæpe iidem *cognitores* qui *ſectores*: quod etſi non facerent, tamen erant cogniti, & ſocii participeſque manubiarum & lucri ex aliena calami-

juſdam furnariam exercentis filia, equitem Rom. genuerit. Sed quod diſcrepat, ſit in medio. Ceterum P. Vitellius domo Nuceria, ſive ille ſtirpis antiquæ, ſive pudendis parentibus atque avis, eques certe Romanus, & rerum Auguſti procurator, quatuor filios ampliſſimæ dignitatis cognomines, ac tantum prænominibus diſtinctos, reliquit, Aulum, Quintum, Publium & Lucium.
a. AULUS in conſulatu obiit, quem cum Domitio Neronis Cæſaris patre inierat: prælautus alioqui, famoſuſque cœnarum magnificentia. QUINTUS caruit ordine, cum auctore Tiberio ſecerni minus idoneos ſenatores, removerique placuiſſet.
b. PUBLIUS Germanici comes Cn. Piſonem inimicum, & interfectorem ejus, accuſavit condemnavitque: ac poſt præturæ honorem inter Sejani conſcios arreptus, & in cuſtodiam fratri datus, ſcalpro librario venas ſibi incidit: nec tam mortis pœnitentia quam ſuorum
c. obteſtatione obligari, curarique ſe paſſus, in eadem cuſtodia morbo periit. LUCIUS ex conſulatu Syriæ præpoſitus, Artabanum Parthorum regem ſummis artibus, non modo
d. ad colloquium ſuum, ſed etiam ad veneranda legionum ſigna pellexit. Mox cum Claudio

calamitate. GRONOV. lib. IV. de Pec. vet. cap. 3. quem vide ibi pluribus hæc exſequentem doctiſſime.

TORRENT.

Domo Nuceria.] Sic Virgil. *Qui genus? unde domo?* Horat. quoque, *unde domo quis, Cujus fortunæ.* Frequens in antiquis marmoribus, ut poſt tribum etiam patriæ nomen elogiis, militum maxime, apponatur. Romæ in ædibus Matthæorum, L. CASSIUS L. F. ROM. NIGER DOMO ATESTE MIL. COH. I. PR. MIL. ANN. XVII. VIX. ANN. XXXVII. Iterum, L. PINARIO L. F. SCAPTIA MATERNO FLORENTIA MIL. COH. XII. URB. VIX. ANN. XXX. MIL. ANN. VII. Sic alibi, ARRETIO. VIENNA. AUGUSTA TAURINORUM. HASTA. MUTINA. Sed & Seneca Conſolatione ad Helviam, *Jube* (inquit) *omnes iſtos ad nomen citari, & unde domo quiſque ſit, quære.*

Cognomines.] Nihil mirandum, ſi de gentis nomine intelligamus, quod Vitellii omnes vocati ſint; verum de cognomine loquitur, quod omnibus idem fuit. Vide Oth. cap. 1. Onufrius huic P. Vitellio Nepotis cognomen tribuit, alioqui obſcurum ignotumque.

A. in conſulatu.] Oth. cap. 11.

Q. caruit ordine.] Q. Vitellium inter eos numerat Tacit. II. Annal. quos Tiberius ſenatu movit, aut ſponte abire paſſus eſt. Sueton. igitur nove dixit *caruiſſe eum ordine*, quo dejectus ſit.

P. Germa. comes.] Tacit. Annal. III. Plin. XI. cap. XXXVII. Sueton. Calig. cap. 1.

Sejani conſcios.] Lib. probatiſſimæ fidei *conſocios.*

Scalpro librario.] Sic *ſcalprum ſutorium, fabrile, chirurgicum* etiam apud auctores invenias.

L. ex conſ. Syriæ præpoſitus.] In qua præfectura, ut in Judæos benignus, non uno in loco a Joſepho laudatus eſt.

Ad veneranda leg. ſigna.] Hoc eſt (opinor) quod Dion narrat, non ſolum coactum a Vitellio pacis conditiones accipere, filioſque obſides dare, verum etiam Auguſti & Caji ſtatuis ſacrificare. Imperatorum ſane imagines ſignis imponebantur. Hiſtoriam latius enarrat Joſeph. lib. XVIII. Antiq.

CASAUBON.

Cujuſdam furnariam exercentis.] Viterbienſis, *funariam exerc.* hoc eſt, reſtionis. libro II. cap. II. *Furnaria* abſolute poſitum pro furnaria negotiatio. ſic *lignaria negotiatio* apud Capitolinum, & id genus alibi multa. In Gloſſario exponitur *Furnarius*, ἰπνοκαύστης, καμινοκαύστης: ſed ea interpretatio miniſtro potius furnarii quam furnario conveniat.

Domo Nuceria.] In quibuſdam loquendi generibus domus pro patria vel urbe ponitur. unde paſſim in Dione, οἱ οἶκοι Ῥωμαῖοι, vel οἱ ἐν οἴκῳ. & apud Sophoclem, ἡ οἶκοι πόλις. nam ita ſcribi debet hic illius locus in OEdipo Coloneo:

------ τὴν δὲ τὴν πόλιν φίλως
Εἰπών. ἐπαξία γάρ. ἡ δ' οἴκοι πλέον
Δίκῃ σέβοιτ' ἄν, ὥστα σὴ πάλαι τροφός.

ἡ οἶκοι πόλις, eſt patria OEdipi, Thebæ. vulgo ſcribunt δίκη & male interpretantur.

Scalpro librario.] Græci σμίλην, ut in epigrammate Juliani, quo continetur ſcribæ ſupellex, σμίλης τ' ὀξυτόμον κοπίδα. Latini *ſicilam* vocant. Gloſſarium: *Sicila*, σμίλα, χαρτοτόμος. ſed Arnobius vocem *ſmilam* pro Latinitate donata uſurpat libro quinto: niſi legendum ibi *ſicilam.*

Lucius ex conſulatu Syriæ præp.] Dio lib. LVIII. Tacitus in anno urbis DCCLXXXVIII. Suet. lib. IV. cap. XIV.

VARIOR.

Prælautus alioqui.] Codex Salmaſii *prælatus alioqui.* Corſendoncenſis. Alvari Nonii MSS. Rob. Steph. & Manut. edd. *prælatus eloquio.*

Gggg TOR-

(a) *A.U.C.* DCCLXXXV. (b) *A.U.C.* DCCLXXXIII. (c) *A.U.C.* DCCLXXXVIII. (d) *A.U.C.* DCCXCVI. DCCC. DCCXCVII.

Claudio Principe, duos inſuper ordinarios Conſulatus, Cenſuramque geſſit. Curam quoque imperii ſuſtinuit, abſente eo, expeditione Britannica: vir innocens, & induſtrius, ſed amore Libertinæ perinfamis, cujus etiam ſalivis melle commiſtis, nec clam quidem aut raro, ſed quotidie ac palam arterias, & fauces pro remedio fovebat. Idem miri in adulando ingenii, primus C. Cæſarem adorari ut Deum inſtituit: cum reverſus ex Syria non aliter adire auſus eſſet, quam capite velato, circumvertenſque ſe, deinde procumbens. Claudium uxoribus, libertiſque ad-

TORRENT.

Adorari ut Deum inſtituit.] Hoc eſt, exemplo ſuo auctor fuit, ut pro Deo adoraretur. Hoc ergo eſt, quod Sex. Aurelius Victor tradit primum Cajum Dei ac Domini nomen vindicaſſe. Fecit id vero Vitellius, ut necem effugeret. Dion lib. LIX. Quo loco & illud refert, quod cum eum percontaretur Cajus, qui cum Luna ſibi rem eſſe credi volebat, Vidiſſetne ipſum cum Dea congredi, quaſi attonitus, defixis humi oculis, voce exigua, ac tremens, Solis (inquit) Domine, vobis Diis licet invicem videre. Quo facto initio, omnes adulando ſuperavit.

Capite velato.] Ut Deos, ſic Cæſarem religioſe adibat Vitellius. Unde Plinium intelligimus operis ſui præfatione ad T. Veſpaſianum, cum ait: *Te quidem, in excelſiſſimo humani generis faſtigio poſitum, ſumma eloquentia, ſumma eruditione præditum, religioſe adiri etiam a ſalutantibus ſcio.* De geſtu vero habituque Deos adorantium ut pulchre hoc loco Sueton. ſic Lucret. lib. V. *Nec pietas ulla eſt velatum ſæpe videri Vertier ad lapidem, atque omnes accedere ad aras, Nec procumbere humi proſtratum, & pandere palmas Ante Deûm delubra.* Plin. quoque lib. XXVIII. cap. II. *In adorando dexteram ad oſculum referimus, totumque corpus circumagimus. Quod in lævum feciſſe Galliæ religioſius credunt.* Idem lib. II. cap. XLV. *Antiquis Græciæ in ſupplicando mentum attingere mos erat.* Plaut. Amphit. Act. V. Scen. I. *Invocat Deos Immortales, ut ſibi auxilium ferant, Manibus puris, capite operto.* Idem Curgul. Act. III. Scen. I. *Quis hic eſt, qui operto capite Æſculapium ſalutat?* & feſtive admodum Act. I. Scen. I. cum Palinurus ſervus diceret, *quo me vortam, neſcio*, reſpondet adoleſcens Phædromus, *Si Deos ſalutas, dextrorvorſum cenſeo.* quod ad Plinii, quem modo citavimus, locum facit, ne quis ſolos Gallos id obſervaſſe exiſtimet. Pulchri etiam hac de re Tibulli verſus lib. I. Eleg. II.

Non ego tellurem, &c.

Porro quod ad capitis velationem attinet, exemplum apud Curtium lib. IV. *Ille in candida verbenas manu præferens, capite velato, præibat preces Regis.* In nummis etiam, & marmoribus ſacrificantes fere velato capite cernimus. Plura Macrob. Saturnal. lib. I. cap. VIII. Servius illud Virgilii, *Purpureo velare comas adopertus amictu*, & Plutarchus Quæſt. X. Rerum Rom. Accedat quod poſitis pænulis adiri Deos ex Tertulliano notavimus ad Claud. cap. VI.

CASAUBON.

Cajum Cæſarem adorari ut deum inſtituit.] Quem morem poſtea retulit Diocletianus, manſitque ex parte etiam ſub inſecutis Principibus, quorum ſalutatio habuit aliquid adorationis immixtum. Memmii codex *adorare.*

VARIOR.

Cajus etiam ſalivis melle commiſtis.] De Mamerci Scauri inſania circa ancillas ſuas legatur Seneca IV. de Benef. c. 31. Quid enim non cogat amor, cum legamus apud Athen. Dipnoſoph. lib. VI. Dionyſii paraſitos *ſputum vomitumque ejus delingere ſolitos.* GRUTERUS. Refert Seneca, cognoviſſe ſe quendam ornatum hominem, qui exiturus in publicum, faſcia uxoris pectus colligabat, & ne puncto quidem horæ præſentia ejus carere poterat, potionemque ſibi nullam, niſi alternis tactam labris vir & uxor hauriebant. BEROALD. Hæc Hieronymus ex Seneca retulit lib. I. contra Jovian.

Circumvertenſque ſe.] Adorationis vetus hic, non apud Romanos modo, ſed & apud alias pleraſque gentes ritus fuit, ut dextra manu labris admota, & ad oſculum relata priore digito in erectum pollicem reſidente, capite ſubmiſſo, corpus dextrovorſum circumagerent. Plin. lib. XXVIII. cap. II. *In adorando, dextram ad oſculum referimus, totum corpus circumagimus: quod in lævum feciſſe Galliæ religioſius credunt.* Plautus in Curcul.

PH. *Quo me vortam neſcio.*
PA. *Si Deos ſalutas, dextrovorſum cenſeo.*

Ovidius lib. III. Faſtorum:

Atque aliquis modo tunc viſa jam vertitur ara.

Apulej. lib. IV. Aſin. aur. *Et admoventes oribus ſuis dexteram priore digito in erectum pollicem reſidente, ut ipſam prorſus Deam Venerem religioſis adorationibus venerabantur.* Minutius Felix Octavio: *Cæcilius ſimulacro Serapidis viſo (ut vulgus ſuperſtitioſus ſolet) manum ori admovens oſculum labiis preſſit.* PITHOEUS.

TOR-

addictum, ne qua non arte demereretur, pro maximo munere a Meſſallina petiit, ut ſibi pedes præberet excalceandos: detractumque ſocculum dextrum, inter togam tunicaſque geſtavit aſſidue, non numquam oſculabundus. Narciſſi quoque & Pallantis imagines aureas inter Lares coluit. Hujus & illa vox eſt, *Sæpe facias:* cum ſæculares ludos edenti
3 Claudio gratularetur. Deceſſit paralyſi altero die quam correptus eſt, duobus filiis ſuperſtitibus, quos ex Sextilia probatiſſima, nec ignobili femina editos Conſules vidit, & quidem eodem ambos totoque anno, cum majori minor in VI. menſes ſucceſſiſſet. Defunctum Senatus publico funere honoravit: item ſtatua pro Roſtris, cum hac inſcriptione, PIETATIS immobilis erga Principem. Aulus Vitellius L. filius Imp. natus eſt VIII. Kalend. Octobris, vel, ut quidam, VII. Idus Septembris, Druſo Cæſare, Norbano Flacco COSS. Genituram ejus prædictam a mathematicis, ita parentes exhorruerunt, ut pater magnopere ſemper contenderit, ne qua ei provincia vivo ſe committeretur: mater & miſſum ad legiones, & appellatum Imperatorem pro afflicto ſtatim lamentata ſit. Pueritiam primamque adoleſcentiam Capreis egit inter Tiberiana ſcorta, & ipſe perpetuo ſpintriæ cognomine notatus: exiſtimatuſque corporis gratia initium & cauſſa

TORRENT.

Detractumque ſocculum.] De mulierum ſocculis Plin. lib. IX. cap. XXXV. loquens de margaritis, *Quin & pedibus*, (inquit) *nec crepidarum tantum obſtragulis, ſed totis ſocculis addunt.* Vide Calig. cap. LII.

Ex Sextilia.] Tacit. lib. II. Hiſtor. *Mater Vitelliorum Sextilia antiqui moris.* Libri veteres etiam *Seſtilia* habent. Et ſane utroque modo in marmoribus ſcriptum obſervavi, ſæpius tamen Sextilius, uti & Sextius, repperi.



Eodem ambos totoque anno.] Quo pater ipſe L. Vitellius ter cos. cum Claudio Imperatore etiam cenſor fuit A. U. C. ut Onufrius computat, DCCCI. Exſtant etiam nummi A. Vitellii Principis, in quorum altera parte patris effigies cum hac inſcriptione, L. VITELLIUS. COS. TER. CENSOR.

3. *Pro afflicto lamentata.*] Sic Calig. cap. XIII. *prope afflictæ domus.*

Tiberiana ſcorta.] *Scorta* ergo vocantur etiam pueri meritorii. Livius lib. XXXIX. *Philippum Pœnum, carum, ac nobile ſcortum.* Sex. Aurelius de Domitiano: *Injuria verborum, qua ſe ſcortum vocari dolebat, accenſus Antonius.* Sueton Tib. cap. XLIII. ubi de ſpintriis. Ex quibus omnibus locis, adverſus Laurentii Vallæ diſcrimen, *ſcorta* vocari pueros non meritorios tantum, qui mercede ſe proſtituant, verum etiam eos quos catamitos ac concubinos honeſtius appellabant, manifeſtum eſt.

CASAUBON.

Socculum dextrum inter togam tunicamque geſtavit.] Minus erit indignationis, ſi meminerimus, ſoccis aureis & qui etiam lapillis fulgerent, uſos veteres, qua fœminas, qua viros ἁϐροτέρȣς. propterea non cum cæteris calceamentis promiſcue habebantur, ſed in thecis ſervabantur, quas σανδαλοθήκας Menander appellavit. Noti etiam *ſandaligeruli* & *ſandaligerulæ* ex comœdiis.

VARIOR.

Pro maximo munere.] Cod. Salmaſ. *proximo munere.* quod auget indignitatem, ſi id populo inſpectante factum intelligas.

3. *Ex Sextilia*] Codex Salm. *Ex Seſtilia.* Sic *Seſtius* apud Cic. ex antiquis codicibus reſtitutum eſt a viris doctis pro *Sextius.*

Publico funere.] Arbitror funus publicum & indictivum eadem: nec aliud eſſe, quam cum juſtitium indicitur, & publicus luctus. Cenſorium, cujus Tacitus Ann. IV. meminit, partem ejus eſſe: id eſt, ut omne cenſorium funus publicum ſit (qui enim aliter poteſt?) at non omne publicum, cenſorium. Ut inter magiſtratus, honoratiſſimi cenſores, iſque cumulus quaſi reliquarum dignitatum, ſic inter funera illud primo loco. Publico autem funeri opponitur *tacitum*, id eſt, ſine pompa, ſine deſignatore, ſine ludis, præcone, indictione, ſilens & quietum. Seneca de Tranquillitate lib. I. cap. I. *Quid opus eſt ſeculis duratura componere? Vis tu nunc id agere, ne te poſteri taceant? Morti natus es. minus moleſtiarum habet funus tacitum.* LIPSIUS.

Et ipſe perpetuo ſpintriæ cognomine notatus.] Ego ſpintriam eum accipio, qui muliebria patitur, ſeque aliis abutendum præbet: certe pro ſpintria Dionis compendium πεπορνευκότα dicit, id eſt, proſtitutum & ſtuprum paſſum: ſed & ſpintrias a patientia nominatos Tacitus oſtendit. Nam in ejus verbis *loci fœditatem* ad ſellarios refero, *multiplicem patientiam*

cauſſa incrementorum patri fuiſſe. Sequenti quoque ætate omnibus probris contaminatus, 4 præcipuum in aula locum tenuit: Cajo per aurigandi, Claudio per aleæ ſtudium familiaris. Sed aliquanto Neroni acceptior, cum propter eadem hæc, tum peculiari merito: quod præſidens certamini Neroneo, cupientem inter citharœdos contendere, nec quamvis flagitantibus cunctis promittere audentem, ideoque egreſſum Theatro revocaverat, quaſi perſeverantis populi legatione ſuſcepta exorandum præbuerit. Trium itaque Principum indul- 5 gentia, non ſolum honoribus, verum & ſacerdotiis ampliſſimis auctus, Proconſulatum Africæ poſthæc, curam quoque operum publicorum adminiſtravit, & voluntate diſpari, & exiſtimatione. In provincia ſingularem innocentiam præſtitit biennio continuato, cum ſuccedenti fratri legatus ſubſtitutus eſſet. At in urbano officio dona atque ornamenta templorum ſurripuiſſe, & commutaſſe quædam ferebatur: proque auro & argento, ſtannum & aurichalcum ſuppoſuiſſe. Uxorem habuit Petroniam conſularis viri filiam, & ex ea filium 6 Petronium captum altero oculo. Hunc heredem a matre ſub conditione inſtitutum, ſi de pote-

tiam ad ſpintrias, quare cum effeminati eſſent, in eis ſpinter effeminatur, & ſpintriæ vocantur: unde origo appellationis. Turnebe. Codex Salmaſ. pro *ſpintria* habet *Spintheria*.

Torrent.

4. *Præſidens certam. Neroneo.*] Ner. cap. xii.

Exorandum præbuerit.] Imperfecta oratio eſt. mss. tres *exorandumque præbuerat*, atque ita omnino legendum eſt.

5. *Curam quoque.*] Mallem *curamque operum publ.* Inter officia ab Auguſto excogitata cura operum publicorum, viarum, aquarum, & alvei Tiberis. Aug. cap. xxxvii.

Succedenti fratri leg. ſubſtitutus eſſet.] Sic edit. Gallica, & mss. duo. Germanica vero; & alii quos viderim omnes, *ſubſtitiſſet*, haud dubie melius. ſignificat enim eum ſuccedente ſibi fratre legati titulo adhuc in provincia manſiſſe.

Stannum & aurichalcum.] Plures mss. *orichalcum*, quemadmodum & origo vocabuli ſcribendum eſſe oſtendit. a montibus enim Græci deducunt. Unde prima ſyllaba brevis eſt. Horat. de Arte:

Tibia non (ut nunc) orichalco vincta, tubaque
Æmula.

Virgil. Æn. xii.

Ipſe dehinc auro ſqualentem, alboque orichalco
Circumdat loricam humeris.

Errant igitur, qui *aurichalcum* aurum æri mixtum dici volunt. Feſtus: *Cadmæa terra, quæ in æs conjicitur, ut fiat orichalcum.* Pandectæ tamen Florent. *aurichalcum* ſcribunt l. xlv. De contrah. empt. & alibi.

6. *Filium Petronium.*] Plures omnis generis libri *Petronianum* legunt: recte, ut cognomen ſit, ne gentis nomen ei pereat.

Casaubon.

5. *Quum ſuccedenti fratri legatus ſubſtitutus fuiſſet.*] Subſtitui dicitur ille, qui vacuum deſertione alterius locum occupat: quod hic de Vitellio dici poſſe non videtur. Legendum eſt cum libro ampliſſimi Memmii, cui & alii e noſtris aſſentiuntur, *ſubſtitiſſet.* quum exacto tempore adminiſtrationis annuæ provincia excedendum eſſet Vitellio, ille ſubſtitit, ut fratri ſibi ſuccedenti legatum ageret.

Varior.

4. *Ideoque egreſſum theatro revocaverat, quaſi.*] V. C. F. Urſini, *ideoque egreſſum theatro revocaverit, quaſi perſeverantis populi legatione ſuſcepta.* Corſendoncenſis vero & Rob. Steph. *exorandumque præbuerit*, pro *præbuerat*, quod eſt in editionibus aliis.

5. *Stannum.*] Cod. Salmaſii *ſtagnum.* G. pro N. ponebatur apud antiquos, ſequente videlicet alio G. aut C. aut N. de quo Varro lib. i. Analog. Sic *aggulus*, *aggens*, *agguilla*, *aggerunt* dicebant. Ita & *ſtagneum* pro *ſtanneum* Plautus uſurpavit: *Muriaticam autem video in vaſis ſtagneis.*

Aurichalcum ſuppoſuiſſe.] Virgilius Æneid. xii.

Ipſe dehinc auro ſqualentem alboque orichalco
Circumdat loricam humeris:

Apud majores orichalcum pretioſius omnibus fuiſſe metallis. Servius in eum locum notat, & ex Lucretio fabulam addit. Quanquam non plane de nihilo ſit, quod dicit. Nam & Plinius alicubi ſcribit, aurichalcum in uſu gemmarum diu apud veteres in admiratione fuiſſe. nempe, quod auri vice eo uterentur ad includendas gemmas. Plautus quoque in Milite Glorioſo, *Ego*, inquit, *iſtos mores orichalco contra comparem.* Album Poeta dixit, non quod eo colore proprie ſit, ſed auri comparatione. Orichalcum vero, ut Græci ὀρείχαλκον. Porro, Vitellio ſacrilegii exemplo præivit Julius Cæſar, qui in primo conſulatu, ex illa arce religionum Capitolio, tria millia pondo auri furatus, tantundem inaurati æris repoſuit. Cæſ. cap. liv. Schildius.

poteſtate patris exiſſet, manu emiſit: brevique, ut creditum eſt, interemit, inſimulatum inſuper parricidii, & quaſi paratum ad ſcelus venenum ex conſcientia hauſiſſet. Duxit mox Galeriam Fundanam prætorio patre. Ac de hac quoque liberos utriuſque ſexus tulit: ſed marem titubantia oris, prope mutum, & elinguem.

7 A Galba in inferiorem Germaniam contra opinionem miſſus eſt. Adjutum putant T. Junii ſuffragio, tunc potentiſſimi, & cui jam pridem per communem factionis ſuæ favorem conciliatus eſſet: niſi quod Galba præ ſe tulit, nullos minus metuendos, quam qui de ſolo victu cogitarent: ac poſſe provincialibus copiis profundam ejus expleri gulam: ut cuivis evidens ſit, contemtu magis, quam gratia electum. Satis conſtat exituro viaticum defuiſſe, tanta egeſtate rei familiaris, ut uxore & liberis, quos Romæ relinquebat, meritorio cœnaculo abditis, domum in reliquam partem anni ablocaret: utque ex aure matris detractum unionem pigneraverit ad itineris impenſas. Creditorum quidem præſtolantium, ac detinentium turbam, & in iis Sinueſſanos Formianoſque, quorum publica vectigalia interverterat,

TORRENT.



Liberos utriuſque ſexus.] Duorum capita videntur in Vitellii nummis, qualem ſervo aureum, cum litteris, LIBERI IMP. GERM. AUG.

7. *T. Junii.*] *T. Vinii* ſcribendum eſſe docuimus Galb. cap. XIV.

Per com. factionis ſuæ favorem.] Lib. unus *factionis Venetæ favorem*, & adſcriptum, *alias ſuæ*. Ego *ſuæ* retineo, & Venetam interpretor, cui ita ſavit Vitellius, ut Veneto indutus habitu ipſe aliquando abſtergendis equis operam ſuam Circo præſtiterit. Auctor Xiphilin. Eidem ergo factioni cum faveret etiam Vinius, ejus patrocinio provinciam adeptus eſt. *magna* enim (quod ait Satyricus) *inter molles concordia.*

Niſi quod Galba.] Mira locutio, quali utitur etiam Galb. cap. X.

Meritorio cœnaculo.] Sic Aug. cap. XLV. *ex amicorum libertorumque cœnaculis.* Frequens JCtis pro ſuperiore ædium contignatione, quo ſcalis adſcenderetur. ibi enim tenuiores fere diſtinctis manſionibus habitabant. Plura ad Horat. Ep. I.

Quid pauper? Ride, mutat cœnacula.

Ex aure matris detractum unionem.] Plin. lib. IX. cap. XXXV. loquens de unionibus, *Hos* (inquit) *digitis ſuſpendere, & binos, ac ternos auribus, feminarum gloria eſt.* Cum vero Sextilia, antiqui moris femina, tanti pretii unionem auribus ſuſpenderit, minus ſane mirandum de Cleopatra, ac Metella.

Sinueſſanos.] Lib. unus *Sueſſanos*, ſed male. Simile mendum apud Tacitum lib. I. Hiſtor. ubi de morte Tigellini. vulgata enim exemplaria *Sueſanas aquas* vocant, quas *Sinueſſanas* vocare convenerat. De quibus Strabo lib. V. Plin. lib. XXXI. cap. II. ipſe Tacit. Annal. XII. de Claudio, *reficiendiſque viribus mollitie cœli, & ſalubritate aquarum, Sinueſſam pergit.*

Quorum publica vectigalia interverterat.] Dictionem *vectigalia* ut adulterinam amovendam cenſeo. *publica* enim, unde *publicani*, tum apud JCtos tum apud alios auctores claſſicos abſolute pro vectigalibus accipiuntur, nec ſolum urbis Romæ, ſed & aliarum civitatum bonis. l. I. De public. l. XVI. & XVII. De verb. ſignif. Cicero Epiſt. ad Q. fratrem, *publicis male redemptis.* Horat. Epiſt. I.

Pars hominum geſtit conducere publica.

Ipſe Sueton. Veſpaſ. cap. I. *publicum quadrageſimæ.* id eſt, vectigal quadrageſimæ. Sæpe Tacit. & Quinctilian.

CASAUBON.

8. *Per communem factionis ſuæ favorem.*] Memmii & Liſlæi codd. *factionis Venetæ.* ut in quibuſdam editis. confirmat mendoſa lectio codicis Cujaciani, *venenatæ*, & hic & capite XIV. pro *Venetæ*.

Quorum publica vectigalia interverterat.] Quare tollendam cenſet vocem *vectigalia* vir doctus? an quia publicum ἁπλῶς aliquando dicitur τὸ τελώνιον, ideo vera erit ejus ſententia? quaſi vero non multo ſæpius aliter loquantur optimi auctores: quos omnes itemque aliquot veteres inſcriptiones corrigamus oportet, ſi locum daturi ſumus huic emendationi. cæterum omnes MSS. cum editis conſentiunt.

VARIOR.

7. *Adjutum putant T. Vinii ſuffragio.*] V. C. Salmaſ. edit. prima & Rob. Steph. *T. Junii ſuffragio.*

Per communem factionis ſuæ.] Corſendoncenſis & Salmaſianus cod. nec non Rob. Steph. *per communem factionis Venetæ favorem.*

Nullos minus metuendos, quam qui de ſolo victu cogitarent.] Non eſſe metuendos regi. qui de ſolo victu cogitant, aut avaritiæ incumbunt, oſtendit Tacit. I. Hiſt. 7. *Fuere qui crederent, Capitonem, ut avaritia ac libidine fœdum ac maculoſum, ita cogitatione*

terat, non niſi terrore calumniæ amovit: cum libertino cuidam acerbius debitum repoſcenti injuriarum formulam, quaſi calce ab eo percuſſus, intendiſſet, nec aliter quam extortis quinquaginta LLS. remiſiſſet. Advenientem male animatus erga Principem exercitus, pronuſque ad res novas, libens ac ſupinis manibus excepit, velut dono Deum oblatum III. COS. filium ætate integra, facili ac prodigo animo. Quam veterem de ſe perſuaſionem Vitellius recentibus etiam de ſe experimentis auxerat, tota via caligatorum quoſque militum obvios exoſculans: perque ſtabula ac diverſoria, mulionibus ac viatoribus præter modum comis: ut mane ſingulos, jamne jentaſſent, ſciſcitaretur, ſeque feciſſe ructu quoque oſtenderet. Caſtra vero ingreſſus nihil cuiquam poſcenti 8 negavit: atque etiam ultro ignominioſis notas, reis ſordes, damnatis ſupplicia demſit. Quare vix dum menſe tranſacto, neque diei, neque temporis habita ratione, ac jam veſpere ſubito a militibus e cubiculo raptus, ita ut erat in veſte domeſtica Imperator eſt conſalutatus: circumlatuſque per celeberrimos vicos, ſtrictum divi Julii gladium tenens,

gitatione novarum rerum abſtinuiſſe.

Ex aure matris detractum unionem.] Gloria erat fœminarum, ut inquit Plinius in IX. binos ac ternos uniones auribus ſuſpendere. Idem in XI. de auribus ſcribens ait: *Nec in alia parte fœminis majus impendium margaritis dependentibus: in Oriente quidem, & viris aurum geſtare eo loci, decus exiſtimatur.* In hanc ſententiam eſt illud luculente dictum a Seneca ſeveriſſimo Romanæ luxuriæ caſtigatore. in ſexto de Beneficiis: *Video uniones, bina ac terna patrimonia, auribus ſingulis pependiſſe.* BEROALD.

TORRENT.

Injuriarum formulam.] Vide Claud. cap. XIV. *formula excidere.*

III. COS. *filium.*] Sic nummus L. Vitellii, de quo ante cap. III. Tacit. *Aderat Vitellius, Vitellii cenſoris, ac ter* COS. *filius. Id ſatis videbatur.*

De ſe experimentis.] Duæ iſtæ voculæ, *de ſe*, non ſunt in opt. codice.

Caligatorum quoque.] Aug. cap. XXV.

Reis ſordes.] Nove, ſed non ineleganter, *ſordes* pro veſte ſordida atque habitu quo in reatu utebantur, ac conſequenter pro reatu dixit. Sordidati autem incedebant non ſolum rei, verum etiam propinqui & affines. De quo Venulejus JC. l. XXXIX. De injuriis: *Veſtem ſordidam rei nomine in publico habere, capillumve ſubmittere nulli licet, niſi ita conjunctus ſit affinitate, ut invitus in reum teſtimonium dicere cogi non poſſit.* Quam vero *ſordidam* Venulejus, *ſqualidam* vocat Ulpian. l. XV. De injuriis, & *obſoletam* Valer. Max. VI. cap. IV. de P. Rutilio.

In veſte domeſtica.] Ad horum diſcrimen *forenſia* vocabant, quibus in publico utebantur. Aug. cap. LXXIII.

Divi Julii gladium detractum delubro Martis.] Sic Strabo lib. IV. & Plutarch. Cæſare, Gallos etiam ſcribunt monſtraſſe Cæſaris gladium, ſuſpenſum in templo Martis. Alterum exemplum apud Tacitum lib. XV. de Nerone, qui Scævini pugionem Jovi Vindici in Capitolio conſecravit. Tertium videbimus inf. cap. X. Sed & ſibi ipſi detractum pugionem Vitellius, poſtquam eum conſules, & ſenatus recuſaſſent, in æde Concordiæ deponere voluit. Addam & Horatii locum lib. III. Od. V.

- - - *ſigna ego Punicis*
Affixa delubris, & arma
Militibus ſine cæde (*dixit*)
Derepta vidi.

Contigere autem ea, de quibus hic Sueton. apud Coloniam Agrippinam, quam ſtrictum tenens enſem Vitellius ingreſſus eſt, ut Romam Galba ſuſpenſo a cervicibus ante pectus pugione. Coloniam ergo quanquam cis Rhenum eſſet, inferiori Germaniæ attribuerunt Romani.

CASAUBON.

De ſe experimentis.] Dele voculas *de ſe*, quas nec ſcripta lectio agnoſcit.

Jamne jentaſſent.] Liber Memmii itemque Pithœi, *Jantaſſent.* ſic quidem ſcribebant. ut in Gloſſario, *jantare*, *jantaculum.*

VARIOR.

Perque ſtabula.] Stabulum non ſolum ſignificat receptaculum equorum, & jumentorum, ut vulgo dicitur, ſed etiam accipitur pro caupona, & pro hoſpitio. Inde *ſtabularii*, de quibus titulus eſt apud Juriſconſultos, dicti, qui exercent, ut ita loquar, ſtabulariam, & muliones viatoreſque accipiunt. Apulejus: *Quod primum ingreſſui fuerit ſtabulum, prandio participabo.* Juriſconſultus titulo *Pro ſocio*, viatica meritoriorum, & ſtabulariorum ait recte imputaturum, ſi quis ex ſociis iter fecerit. BEROALD. Cod. Salm. *deverſoria.*

8. *Notas.*] Notæ apponi ſolent his, qui ignominia fuerint notati. Unde Vitellius tales notas demebat ignominioſis, & ignominiam remittebat. Corn. Tacitus: *Redditi a Vitellio pleriſque ordines, remiſſa ignominia, allevata nota.* BEROALD.

Ne-

nens, detractum delubro Martis, atque in prima gratulatione porrectum ſibi a quodam:
nec ante in Prætorium rediit, quam flagrante triclinio ex conceptu camini: tum quidem
conſternatis, & quaſi omine adverſo anxiis omnibus, inquit: *Bono animo eſtote, no-
bis alluxit:* nullo ſermone alio apud milites uſus. Conſentiente deinde etiam jam
ſuperioris provinciæ exercitu, qui prius a Galba ad Senatum defecerat, cognomen
Germanici delatum ab univerſis cupide recepit: Auguſti diſtulit: Cæſaris in perpetuum
9 recuſavit. Ac ſubinde cæde Galbæ annuntiata, compoſitis Germanicis rebus partitus
eſt copias, quas adverſus Othonem præmitteret, quaſque ipſe perduceret. Præmiſſo
agmini lætum evenit auſpicium: ſiquidem a parte dextra repente aquila advolavit: luſtra-
tiſque ſignis, ingreſſos viam ſenſim anteceſſit. At contra ipſo movente, ſtatuæ eque-
ſtres cum plurifariam ei ponerentur, fractis repente cruribus pariter corruerunt: & lau-
rea, quam religioſiſſime circumdederat, in profluentem excidit. Mox Viennæ pro Tri-
bunali jura reddenti, gallinaceus ſupra humerum, ac deinde in capite adſtitit. Quibus
oſtentis, par reſpondit exitus: nam confirmatum per legatos ſuos imperium, per ſe
10 retinere non potuit. De Betriacenſi victoria, & Othonis exitu, cum adhuc in Gallia
eſſet, audiit: nihilque cunctatus, quidquid prætorianarum cohortium fuit, ut peſſimi
exempli, uno exauctoravit edicto, juſſas tribunis tradere arma. Centum autem atque
viginti,

Neque diei, neque temporis habita ratione.] *Diei*, quod is forſan religioſus aut nefaſtus eſſet: ſicuti poſtea Allienſi die pontificatum maximum cepit. *Temporis*, quod in auſpicandis negotiis certas plerumque diei horas obſervarent. Quo pertinet locus in Nerone c. VIII. *Inter horam ſextam ſeptimamque proceſſit ad excubitores: cum ob totius diei diritatem non aliud auſpicandi tempus videretur.* Vide quæ inibi dicuntur. SCHILDIUS.

TORRENT.

Inquit, Bono animo.] *Bono* (*inquit*) *animo* habent meliores codices.

Conſentiente deinde etiam jam.] Particula *jam* non eſt in opt. codice.

Qui prius a Galba.] Idem cod. *qui prior.* Vide Tacitum, & Plutarchum.

Auguſti diſtulit, Cæſaris in perp. recuſ.] Idem Tacit. & Plutarch. Et Cæſaris quidem nomen neque in nummis ejus, neque in marmoribus unquam vidi, Auguſti vero perſæpe. ſic enim numiſma aureum cum liberis ipſius, cujus ante memini, A. VITELLIUS. GERM. IMP. AUG. TR. P.

9. *Luſtratiſque ſignis.*] *Luſtrare* circumire eſt. Ut aquila, quæ magnarum ſemper rerum facit auſpicia, primum circumvolaverit agmen, deinde leni meatu, nullo gaudentium militum clamore territa, tanquam dux viæ præceſſerit. Tacit. Vide Senecam II. Quæſt. Natur. Virgil. Æn. VIII.

Luſtrat Aventini montem.

Gallinaceus.] Quid hoc portenderit, ipſe poſt Sueton. explicat, venturum nempe in alicujus hominis Gallicani poteſtatem. Quod mihi ſane frigidum videtur. Gallus, quem Martis pullum vocat Ariſtophanes, viri pugnacis atque invicti ſymbolum eſt, qualem inſultaturum ejus capiti oſtentum ſignificat. Adde proverbium, ἀλεκτρυὼν ἐπιπηδᾷ.

10. *De Bebriacenſi.*] Hic quoque meliores codices *Betriacenſi* legunt.

Exauctoravit ed. juſ. Trib. tradere arma.] Pulchre huic loco convenit illud Ulpiani l. II. De his qui not. infam. *Sed & ſi eum exauctoraverit, id eſt, inſignia militaria detraxerit.* Eodem ſpectant l. IV. §. *Non omnis*, & l. VII. De jure militari.

CASAUBON.

10. *De Bebriacenſi victoria.*] Memmii, Pithœi & Liſlæi *Betriacenſi*, ut ſupra *Bretiacum*.

VARIOR.

Bono, inquit, animo eſtote.] Sic codex Salmaſii & Robertus.

CÆSARIS *in perpetuum recuſavit.*] Tacitus Hiſtor. II. *Præmiſit in urbem edictum, quo vocabulum Auguſti differret, Cæſaris non reciperet, cum de poteſtate nihil detraheret.* At non perpetuo ab illius tanti nominis uſurpatione abſtinuit. Sic enim idem Tacitus, in extremis Vitellii rebus, Hiſtor. III. *Quin & Cæſarem ſe dici voluit, aſpernatus antea: ſed tunc, ſuperſtitione nominis, & quia in metu conſilia prudentium, & vulgi rumor juxta audiuntur.* Initio vero Principatus abnuendi forſan cauſſa fuerit, ut animi magnitudinem oſtentaret, qui alieni nominis præſcriptione tueri imperium ſuum nollet, ſicuti nec Auguſti vocabulum continuo admiſit: vel certe, ut inviſis Reip. nominibus abolitis, æquioris Principatus ſpem civibus præberet. SCHILDIUS.

9. *Præmiſſo agmini.*] Codex Salmaſii & Robertus Stephanus, *præmiſſo agmine*.

viginti, quorum libellos Othoni datos invenerat, expoſcentium præmia, ob editam in
cæde Galbæ operam, conquiri, & ſupplicio affici imperavit: egregie prorſus atque
magnifice, & ut ſummi Principis ſpem oſtenderet, niſi cetera magis ex natura, & priore
vita ſua, quam ex Imperii majeſtate geſſiſſet. Namque itinere inchoato, per medias
civitates ritu triumphantium vectus eſt: perque flumina delicatiſſimis navigiis, & varia-
rum coronarum genere redimitis inter profuſiſſimos opſoniorum apparatus, nulla familiæ
aut militis diſciplina, rapinas ac petulantiam omnium in jocum vertens, qui non
contenti epulo ubique publice præbito, quoſcumque libuiſſet, in libertatem aſſerebant,
verbera & plagas, ſæpe vulnera, non numquam necem repræſentantes adverſantibus.
Utque campos, in quibus pugnatum eſt, adiit, abhorrentes quoſdam cadaverum tabem,
deteſtabili voce confirmare auſus eſt: *Optime olere occiſum hoſtem, & melius civem.*
Nec eo ſecius ad leniendam gravitatem odoris plurimum meri propalam hauſit, paſſim-
que diviſit pari vanitate, atque inſolentia. Lapidem memoriæ Othonis inſcriptum
intuens, *dignum eo Mauſoleo* ait: pugionemque, quo ſe is occiderat, in Agrippinen-
ſem coloniam miſit, Marti dedicandum. In Apennini quidem jugis etiam pervigilium
egit. Urbem denique ad claſſicum introiit paludatus, ferroque ſuccinctus, inter ſigna 11
atque vexilla, ſagulatis comitibus, ac detectis commilitonum armis. Magis deinde ac
magis, omni divino humanoque jure neglecto, Allienſi die pontificatum maximum ce-
pit: comitia in x. annos ordinavit, ſeque perpetuum Conſulem. Et ne cui dubium foret,
quod exemplar regendæ reip. eligeret, medio Martio campo adhibita publicorum ſacer-
dotum frequentia, inferias Neroni dedit: ac ſolenni convivio citharœdum placentem
palam

TORRENT.

Nulla familiæ, aut militis diſciplina.] Scio *familiæ* nomine ſignificari eos qui in familia ſunt, ut ſic militi opponantur, malim tamen *militiæ*. Sed hoc exile nimis, ac pæne putidem eſt.

Necem repræſentantes.] Sic Virgil.

Præſentemque viris intentant omnia mortem.

Sup. Claud. cap. XXIV. *tormenta repræſentare.*

Diviſit pari vanitate.] Duo MSS. poſt *diviſit* punctum collocant, ac deinde legunt, *Pari vanitate atque inſolentia lapidem*, &c. majuſcula P. Locum autem hunc Plutarch. illuſtrat. *Vidi* (inquit) *ipſe cum Bryxelli eſſem & monumentum modicum, & inſcriptionem hanc*, M. OTHONIS.

Marti dedicandum.] Sup. cap. VIII.

Pervigilium egit.] An in Martis forte honorem ob victoriam? Sic Galba illam Fortunam ſuam menſtruis ſupplicationibus, ac pervigilio anniverſario coluit, cap. IV. Tacit. omnia apud Vitellium indiſpoſita, temulenta, pervigiliis, & Bacchanalibus quam diſciplinæ & caſtris propiora fuiſſe ſcribit.

Urbem denique ad claſſicum.] Galba pugionem præferens, Vitellius ad claſſicum urbem introiit. Utrumque Imperii ſignum eſt. De gladio paſſim JCti. De claſſico ſic Veget. lib. II. cap. XXII. *Claſſicum appellatur, quod buccinatores per cornu dicunt. Hoc inſigne videtur Imperii, quia claſſicum canitur Imperatore præſente, vel cum in militem capitaliter animadvertitur, quia hoc ex Imperatoris legibus fieri neceſſe eſt.* Sic ille. Tacit. quoque lib. II. Annal. *In P. Marcium conſules extra portam Eſquilinam, cum claſſicum canere juſſiſſent, more priſco, advertere.* Adde Varronem lib. V. de Lingua Lat. ubi de ſupplicio T. Quinctii Trogi, & Senecam lib. I. de Ira cap. XVI.

Allienſi die.] Libri duo opt. *Alienſi*, ab Alia flumine, (ut inquit Servius lib. VII. Æneid.) quanquam poetæ metri cauſa alterum *l* addiderunt. Allius tamen, & Allienus, Romanorum nomina, duplici *l* in nummis, & marmoribus ſcribuntur. De hiſtoria vero ſic Tacit. lib. II. Hiſtor. *Funeſti ominis loco acceptum eſt, quod Maximum Pontificatum adeptus Vitellius de cærimoniis publicis* XV. *Kal. Aug. edixiſſet, antiquitus infauſto die Cremerenſi, Allienſique cladibus.*

CASAUBON.

Egregie prorſus.] Pithœi liber *ægre*. Ipſi vero placebat, *regie*. non male: nam iſtud quidem factum vere fuit regium: mihi tamen nihil videtur mutandum.

Perque flumina delicatiſſimis navigiis.] Cujuſmodi erant Ptolemæorum regum *θαλαμηγὰ πλοῖα*, de quibus Appianus & ſcriptores alii multi. vel illa Cilicum piratarum navigia, de quibus Plutarchus in Pompejo.

11. *Seque perpetuum conſulem.*] Vetus inſcriptio,

A. VITELLIUS L. F.
IMPERATOR
COS. PERP.

TOR-

palam admonuit, ut & aliquid de Domitio diceret: inchoantique Neroniana cantica,
12 primus exſultans etiam plauſit. Talibus principiis magnam Imperii partem, non niſi conſilio & arbitrio viliſſimi cujuſque hiſtrionum & aurigarum adminiſtravit: & maxime Aſiatici liberti. Hunc adoleſcentulum mutua libidine conſtupratum, mox tædio profugum, cum Puteolis poſcam vendentem reprehendiſſet, conjecit in compedes, ſtatimque ſolvit, & rurſus in deliciis habuit: iterum deinde ob nimiam contumaciam & ferocitatem gravatus: circumforaneo laniſtæ vendidit, dilatumque ad finem muneris repente ſurripuit, & provincia demum accepta manumiſit: ac primo Imperii die aureis donavit anulis ſuper cœnam, cum mane rogantibus pro eo cunctis, deteſtatus eſſet
13 ſeveriſſime talem equeſtris ordinis maculam. Sed vel præcipue luxuriæ ſævitiæque deditus, epulas trifariam ſemper, interdum quadrifariam diſpertiebat: in jentacula, & prandia, & cœnas, commiſſationeſque: facile omnibus ſufficiens, vomitandi conſuetudine.

TORRENT.

12. *Deprehendiſſet.*] Tres libri *reprehendiſſet*, bene. nam reprehenduntur profugi. Calig. cap. XLV. *veluti profugos ac reprehenſos in catenis reduxit.* Livius lib. XXXIV. *Adeo turbatæ erant dextræ alæ, equites pediteſque, ut quoſdam conſul manu ipſe reprehenderet.* Atque ita etiam Beroald.

Aureis donavit anulis.] Ut Icelum ſuum Galba, cap. XIV. Jus vero aureorum anulorum a Principe dari ſolitum.

Regantib. pro eo cunctis.] Tacit. exercitum rogaſſe dicit. Sueton. ergo *cunctos* cum ait, milites intelligit.

13. *Comiſſationeſque.*] Libri noſtri MSS. *comeſſationes* ſcribunt, uti & exemplaria Horatii, quæ vidi plurima, lib. IV. Od. I. *comeſſabere.* Viri docti tamen aliter ſentiunt. Lambinus ἀπὸ τȣ̃ κωμάζω *comaſſari* ſcribendum eſſe contendit. Aliis Feſti auctoritas potior eſt, qui a vicis (quos κώμας vocant Græci) vocabulum deducens, *comiſſari* ſcribit. Petr. Victorius *m* geminat, & *commiſſari*, *commiſſatoreſque* ſcribi debere vult, ut in Bemb. Terentio, (quod etiam Faernus affirmat) & in caſtigatiſſimis Ciceronis exemplaribus lib. I. ad Attic. epiſt. XIV. & I. Famil. epiſt. IX. Verum cum *e* & *i* litterarum magna cognatio ſit, & vocabulum id in linguam Latinam tranſierit, accedente tot vetuſtorum exemplarium fide, non video cur recepta jam tot ſæculis ſcriptura mutari debeat, præſertim quod (meo ſane judicio) probabilius a *comeſum* derivari poſſit, veluti frequentativum, (ut grammatici vocant) quam vel a vicis, quos κώμας vocant Græci, vel ἀπὸ τȣ̃ κώμȣ ut Varro maluit. Ex Suetonio interim diſcamus *comeſſari* proprie poſt cœnam dici, ut etiam Domit. cap. XXI. & non ſemel apud Livium lib. XL. ubi de Perſei & Demetrii diſſidio.

CASAUBON.

Ut & aliquid de Domitio diceret.] Id eſt, caneret aliquod ᾆσμα promptum ex libro canticorum Neronis. ſed quare potius *de Domitio* quam *de Nerone?* an Nero volumini a ſe edito indicem fecerat *Domitii cantica?* at Pithœi cod. *de Dominico.* ut puto, non abſurde: ita enim videtur appellatus ab aſſentatoribus vivi Neronis liber canticorum ejus, rerum domini. quam vocem refert nunc Vitellius, non ſine alluſione ad tempora Neronis, quæ revocare ſtudebat.

12. *Conjecit in compedes, ſtatimque ſolvit.*] Ita emendavimus accedente etiam quorundam librorum auctoritate, ut Rob. Steph. mirum tamen in Viterb. Liſlæi, & aliis fere omnibus *coluit* legi.

Ob nimiam contumaciam & ferocitatem.] Cujacii codex, Pithœi & Liſlæi, *furacitatem.*

13. *In jentacula & prandia & cœnas comiſſationeſque.*] Dio totidem nominat: Ὀυχ ὅλης τῆς ἡμέρας οἱ αὐτοὶ εἱςίων αὐτὸν, ἀλλ᾽ ἄλλοι μὲν ἀκρατίσασθαι παρεῖχον, ἄλλοι δὲ ἀριςῆσαι, ἕτεροι δὲ δεῖπνον, ἕτεροι δὲ μεταδόρπιά τινα πλησμονῆς παραμύθια.

Facile omnibus ſufficiens, vomitandi conſuetudine.] Dio, καὶ τῆς ἡμέρας καὶ τῆς νυκτὸς ἐδαπάνα, ἀπλήςως τε ἐμφορȣ́μενος, συνεχῶς πάντα ἐξεμῶν, ὡς μόνῃ τῇ παρόδῳ τῶν σιτίων τρέφεσθαι. ἀφ᾽ ȣ̃ καὶ ἀνταρκεῖν ἠδύνατο. De vomitandi conſuetudine, quod Cicero vocat extremo libro XIII. epiſtolarum ad Atticum ἐμετικὴν *agere*, Plinius libro XXVI. capite III. Cornelius Celſus libro primo capite tertio. Jam inde ab Hippocratis temporibus mos fuit multorum, ut bis quot menſibus ἐμετικὴν agerent, quibus erat ſua valetudo curæ. Apparet ex libro De ſalubri diæta. Philo de vita Caji: Πολὺς ἄκρατος καὶ ὀψοφαγία, καὶ ἐπὶ πλήρεσι τοῖς ὄγκοις ἀπλήρωτοι ἐπιθυμίαι, θερμολȣσίαι τε ἄκαιροι καὶ ἔμετοι, καὶ εὐθὺς πάλιν οἰνοφλυγίαι, καὶ ἔφεδροι γαςριμαργίαι. propter hanc conſuetudinem objectum a Magno Pompejo ingrato cuidam quem ditaverat, quod feciſſet eum ἐκ πεινατικȣ̃ ἐμετικόν, *de ſæpe eſuriente, ſæpe rejicientem.*

VARIOR.

Ut & aliud de Domitio diceret.] Codex etiam Salmaſ. *ut & aliquid de Dominico diceret.*

ne. Indicebat autem aliud alii eadem die: nec cuiquam minus ſinguli apparatus quadringenis milibus numum conſtiterunt. Famoſiſſima ſuper ceteras fuit cœna ei data adventicia a fratre: in qua duo milia lectiſſimorum piſcium, ſeptem avium appoſita traduntur. Hanc quoque exſuperavit ipſe dedicatione patinæ, quam ob immenſam magni-

De Domitio.] *Dominico* liber Pithœi, id eſt, *de libro Dominico*, id eſt, Neroniano. GUJET.

13. *Comiſſationeſque.*] Comiſſari proprie eſt poſt cœnam epulari: quod in Domitiano aperte ſignificatur, cum ait: *Convivabàtur frequenter, & large, ſed pæne raptim, certe non ultra ſolis occaſum, nec ut poſtea comeſſaretur.* Conſimiliter Livius lib. XL. refert Demetrium poſt cœnam, qua ſodales acceperat, dixiſſe, *Quin comiſſatum ad fratrem imus?* Idem poſt paullum ait: *Comeſſatores tanquam ad cædem ſuam venientes aditu januæ arcet.* Item convivam ſeparat a comeſſatore, tanquam conviva ad convivium cœnamque vocetur, comeſſator vero poſt cœnam ad comeſſationem. Sic enim loquitur apud eundem Perſeus criminans fratrem Demetrium: *Convivam me tibi committere auſus non ſum: comeſſatorem te cum armatis recipiam?* Ab eo igitur comeſſatio uſurpatur in hoc ſignificatu, quo apud Tranquillum accipitur, ut ſcilicet accipiatur pro poſtcœnia. Cur enim non liceat nobis dicere poſtcœniam, ſicut licuit veteribus dicere antecœniam, & domicœnium? In alia ſignificatione comeſſationes accipiuntur apud Ariſtotelem, tanquam ſint convivia ex collatione, ſymboliſque confecta, quæ Lacedæmonii Phiditia, Cretes Andria nuncupaverunt: unde ait in ſecundo Politicorum, *Comiſſationes phiditia nominant Lacedæmonii, apud quos unuſquiſque conferre habet, etſi ſunt pauperrimi: qui vero comiſſationum eſſe participes nequeunt, hi ad Reipublicæ gubernationem non admittuntur.* BEROALD.

TORRENT.

Quadringenis millib. nummum.] Lib. unus *quadragenis.* Quæ ſane ſumma exigua eſt, ubi *una comedunt patrimonia menſa.*

Cœna ei data adventitia a fratre.] Solebant veteres tum Græci, tum Romani advenientes peregre amicos lautiore convivio excipere. Athenæus ὁδοιπορικὸν, Plutarch. Sympoſiacis ὑποδεκτικὸν δεῖπνον vocant. Sueton. *cœnam adventitiam*, Plautus Bacchid. Act. I. Sc. II. *viaticam. Ego ſorori meæ cœnam hodie dare volo viaticam.* Iterum. Act. III. Sc. ult. *ſalvus cum peregre advenis, cœna detur.* Et lepide Moſtell. Act. IV. Sc. III. cum Teuropides peregre ſe venire dixiſſet, prævertens Simo, *promiſi* (inquit) *foras, Ne me te ad cœnam vocare cenſeas.* Eodem ſpectat tam ſollicita Antiphonis excuſatio Sticho Act. IV. quod, qui fratribus duobus peregre advenientibus prior dare cœnam debuerat, ipſe ab eorum altero vocari ſe paſſus fuiſſet. Quare *Cras* (inquit) *apud me eritis & tu & ille, cum veſtris uxoribus.* Cœnam talem Vitellio Principi frater dedit, quanquam & ipſe una abſuerat. Sed & Horat. talem celebrat lib. I. Od. XXXVI. cujus in vetuſtiſſimo cod. hæc inſcriptio eſt, *Euchariſtice ad Numidam, amicum Lamiæ, redeuntem ab Heſperia.* Martial. quoque præfatione lib. XII. *adventoriam* vocat *epiſtolam* quæ advenienti amico obviam mittitur. Addam poſtremo Græcos vocare ὁδοιπόριον quod advenienti datur, ſive cœna ſit, ſive aliud.

Dedicatione patinæ.] De hac Plin. lib. XXXV. cap. XII. *Vitellius Principatu ſuo decies* HS. (ſic enim Budæus) *condidit patinam.* Quo loco *condiit* legendum puto. neque enim operis, ſed obſonii ſumptum notat, quemadmodum & Juvenal. Sat. XI. cum ait,

Et quadringentis nummis condire guloſum
Fictile.

ut enim patina quoque magno conſtiterit, (quo ſpectat quod ſubjicit Plin. eo veniſſe luxuriam, ut fictilia pluris conſtent quam murrhina) decies HS. certe in eam impendi non potuit, ſed bene una lance conditum abſumi. Similis Domitiani patina, ſi operis laborem ſpectes, apud Juvenalem Sat. IV. & Druſillani, Claudii Cæſaris ſervi, apud Plinium lib. XXXIII. cap. XI. ſi vero ferculi ſumptum, Æſopi apud Plinium, & Elagabali apud Lampridium.

CASAUBON.

Quadringenis millibus nummum conſtiterunt.] Ita Viterb. & alii meliores libri: non *quadragenis.* quam aberrat autem vir doctus, qui ut firmet lectionem *quadringenis*, profert locum Dionis, de ſumtibus eorum qui convivia præbebant Vitellio, ὥϛε ὀλίγων ἡμερῶν διελθȣσῶν, ἑκατὸν εἰς τὸ δεῖπνον μυριάδας ἀναλῶσαι? quomodo enim colligit inde ita hic ſcribendum? nam Dio loquitur de ſumtibus plurium dierum: Suetonius de ſingulorum conviviorum impenſis. deinde ſummæ quam diverſæ? nam Dionea eſt non minor quadragies ſeſtertium. quod videtur confirmare vulgatam lectionem ſimilis loci libro ſuperiore capite XXVI.

VARIOR.

Nec cuiquam minus ſinguli apparatus quadringenis millibus nummum conſtiterunt.] Videtur legendum, *minoris*, &c. non *minus.* Dio de hac re ita habet: ὥϛε ὀλίγων ἡμερῶν, διελθȣσῶν ἑκατὸν εἰς τὸ δεῖπνον μυριάδας ἀναλῶσαι, &c. Corruptus locus, ſed ex quo *quadringenis millibus nummum* legendum videatur. F. URSINUS. Quadringenis millibus nummum, id eſt, decem coronatorum M.

Dedicatione patinæ.] De hujuſmodi lautis patinis intellexit

magnitudinem *clypeum Minervæ*, αἰγίδα πολιȣ̃χȣ dictitabat. In hac ſcarorum jocinora, phaſianorum & pavonum cerebella, linguas phœnicopterum, murænarum lactes a Parthia uſque, fretoque Hiſpaniæ, per navarchos ac triremes petitarum commiſcuit. Ut

intellexit Satyricus, cum dicit:

Et quadringentis nummis condire guloſum
Fictile.

nam patinæ, in quibus lautiores cibi apponebantur, fictiles erant. Plinius libro xxxv. cap. xii. *atque ut luxu quoque aliqua contingat auctoritas figlinis, tripatinum, inquit Feneſtella, appellabatur ſumma cœnarum lautitia. una erat murænarum, altera luporum, tertia myxonis piſcis, inclinatis jam ſcilicet moribus, ut tamen eos præferre Græcis etiam philoſophis poſſimus.* Idem Juvenalis:

Debetur magnus patinæ, ſubituſque Prometheus:
Argillam atque rotam citius properate.

patina eſt λοπάς. Gloſſæ: *patina*, λοπάς. Meleager apud Strationem Sardianum ἐν τῇ παιδικῇ μȣ̃σα:

Εἰ γάρ σοι τάδε τερπνὰ πόροι θεὸς, ὦ μάκαρ, οἵαν
Ἀρτύσεις παίδων Ῥωμαϊκὴν λοπάδα!

vides *Romanam patinam* proverbio Græco jactari de miſcellanea patina, variis & exquiſitis lautitiis referta. Juvenalis:

- - - *condire guloſum*
Fictile, ſic veniunt ad miſcellanea ludi.

Sic Græcus Poeta ἀρτῦσαι λοπάδα dixit, quod Latinis *condire guloſum fictile.* Talis fuit patina Vitelliana. Et Æſopea, de qua Plinius, *Aves*, inquit, *in ea poſuit aut cantu aliquo, aut humano ſermone vocales, ſex ſeſtertiis ſingulas coemptas.* SALMASIUS.

TORRENT.

Αἰγίδα πολιȣ̃χȣ.] Libri noſtri aut non habent hæc, præſertim optimus, aut aliter habent. Mihi ſane, neque immerito, ſuſpecta ſunt, contra Tranquilli conſuetudinem ab aliquo adjecta. At Turneb. clypeum Minervæ illius coloſſeæ quam Athenis fecit Phidias, intelligit. Quaſi vero non omnia quæ deorum ſint, magna ſemper fecerint veteres, cum etiam architecti tradant diis maximas, his proximas heroibus, regibus deinde, atque ita porro aliis majores, minoreſve ſtatuas convenire. Ad magnitudinem ergo indicandam Minervæ clypeum dixiſſe ſuffecerat. Mucianus, ter cos. patinarum paludes Vitellio exprobrat apud Plinium. Πολιȣ̃χος autem non Palladi proprium eſt, ſed commune diis urbium protectoribus epitheton. Suidas.

A Carpathio uſque fretoque Hiſpaniæ.] Sic Budæus lib. iv. De aſſe (ut taceam interpretes) hunc locum reſtituit, cum antea magno librorum conſenſu *a Parthia uſque* legeretur. Quaſi vero tam exiguo tempore quo Romæ fuit Vitellius, a Parthia, & quidem triremibus, piſces advehi poſſent. A Parthis tamen aves peti ſolitas, uti & ultra Phaſim, auctor eſt Seneca Conſolatione ad matrem cap. ix. De phœnicopteri vero lingua, quam optimi ſaporis eſſe Apicius docuit, Plin. lib. x. cap. xlviii. Martial. Xeniis Epigr. lxxi. Qui & ſcari viſcera commendat eodem lib. Epigr. lxxxv. Scaro etiam principatum ſuo tempore datum fuiſſe, auctor eſt Plin. lib. ix. cap. xvii. Quare & *principalem* appellat lib. xxxii. cap. ult. Adde (ſi libet) Macrobium lib. iii. Saturnal. cap. xvi. Sed plura ad Horat. Epod. ii. Hæc vero omnia aulicis ſuis appoſuit Elagabalus.

CASAUBON.

A Carpathio uſque fretoque Hiſpaniæ.] Hoc eſt, ab extremis Imperii finibus Orientem verſus & Occidentem. Legendum enim *a Parthia uſque*, auctoribus libris regiis, & Viterb. aliiſque omnibus quos ipſi vidimus. Lautos homines & popiniones Romanos aves a Parthis ſolitos petere, teſtatur Seneca Conſolatione ad Helviam matrem. Quæ afferuntur a doctis viris firmandæ alteri lectioni, levia ſunt, & εὐέλεγκτα.

VARIOR.

Clypeum Minervæ.] Ingentem patinam ſuam clypeum Poliuchi Minervæ appellabat Vitellius, quod patina illa magnitudinem ſcuti Minervæ, quam Athenis fecerat Phidias, æquaret. Cum autem illa Minerva coloſſea eſſet, amplitudinemque xxvi. cubitorum æquaret, ejus etiam immanis clypeus erat, multis & operoſis cælatus argumentis. unde & *patinarum paludes* Vitellii memoriæ Mucianus exprobravit. TURNEBUS.

Clypeum Minervæ.] Τὸ *clypeum Minervæ* Suetonii non eſſe, ſed alienum interpretamentum videtur. GUJET.

Πολιȣ̃χȣ.] Poliuchi communi genere, ut Suidas ait, dicuntur, qui civitatibus imperant, eiſque moderantur: alias dii tutelares dici poſſunt, ſeu cuſtodes. Lilium Gyraldum vide, De Diis Gentium Syntagm. xi.

Scarorum jocinora.] In librorum antiquitatibus invenio, *ſcarorum ſacrorum jocinora.* quibus piſcibus ſacri nomen attribueretur, ſcribit Athenæus. ſcarum etiam Romani deperibant adeo, ut eum Jovis cerebrum dixerit Ennius, erant & quidam in lacubus & piſcinis fortaſſe Dis ſacri. TURNEBUS.

Phaſianorum & pavonum cerebella.] Codex Salmaſ. *faſſianorum & paounum cerebella.*

Ut autem homo non profundæ modo, ſed intempeſtivæ quoque ac ſordidæ gulæ, ne in
ſacrificio quidem umquam, aut itinere ullo temperavit, quin inter altaria ibidem ſtatim
viſcus & farra pæne rapta e foco manderet, circaque viarum popinas fumantia opſonia,
vel pridiana, atque ſemeſa. Pronus vero ad cujuſque & quacumque de cauſſa, necem 14
atque ſupplicium: nobiles viros, condiſcipulos, & æquales ſuos omnibus blanditiis tan-
tum non ad ſocietatem Imperii allicefactos, vario genere fraudis occidit: etiam unum
veneno manu ſua porrecto in aquæ frigidæ potione, quam is affectus febre popoſce-
rat. Tum feneratorum & ſtipulatorum publicanorumque, qui umquam ſe aut Romæ
debitum, aut in via portorium flagitaſſent, vix ulli pepercit. Ex quibus quendam in
ipſa ſalutatione ſupplicio traditum, ſtatimque revocatum cunctis clementiam laudantibus,
coram interfici juſſit, *velle ſe* dicens *paſcere oculos:* alterius pœnæ duos filios adjecit
deprecari pro patre conatos. Sed & equitem Romanum proclamantem, cum rapere-
tur ad pœnam, *Heres meus es*, exhibere teſtamenti tabulas coegit: utque legit cohe-
redem

TORRENT.

Viſcus & farra pæne rapta e foco.] *Viſcus* non ſolum inteſtina ſignificat, ſed quicquid inter oſſa & cutem eſt. Servius in illud Virgilii:

Et ſolida imponit taurorum viſcera flammis,

Æneid. VI. Lucret. quoque lib. I. quem citat Nonius, *de pauxillis atque minutis Viſceribus viſcus gigni, ſanguenque creari.* Arnob. lib. VII. *Si aliquod viſcus aris fuerit traditum*, &c. Pro *farra* autem *farta*, vel *ferta* legendum eſſe putabat Langius. Verum de ſacrificiis loquitur. Ad rem divinam autem far torreri, & niſi toſtum purum non cenſeri Numa inſtituit. Unde & feſta Fornacalia dicta. Plin. lib. XVIII. cap. II. *Farra* igitur hic retineo. *E foco* autem *rapere* dixit Sueton. ut *de patella edere* Cicero II. De finibus, ut aſoti & irreligioſi ſolent. Similia illa Græcorum, ἀποτηγανίζειν, καὶ ἀπὸ τηγάνȣ, καὶ ἀπὸ χυτροπόδων, καὶ ἐκ λοπάδος φαγεῖν.

Fœneratorum & ſtipulatorum.] Bene hos conjungit. nam quia uſuræ non niſi ex ſtipulatione debebantur, quo incertiora erant nomina, eo majore opus erat cautione, ne creditores defraudarentur. Id curabant *ſtipulatores*. ut enim actionum, judiciorumque, ſic & ſtipulationum certæ erant formulæ, quarum periti contractibus fere adhibebantur. Docent id orationes pro Quinctio, & pro Cæcina, ſed & liber I. De legibus: *Quo me vocas? aut quid hortaris? An ut judiciorum, & ſtipulationum formulas componam?* Adde (ſi lubet) Plautum Pſeudolo Act. I. Sc. I. & Act. IV. Sc. VI.

CASAUBON.

Non profundæ modo gulæ.] Reſpicit locum ſuperiorem capite ſeptimo, ubi ſimiliter *profundam gulam* Vitellio tribuit. Sic locutus Seneca epiſtola LXXXIX. *Ad vos deinde tranſeo, quorum profunda & inſatiabilis gula hinc maria ſcrutatur, hinc terras.* Sic Apulejus in Apologia: *Nec quidquam ei relictum eſt ex largiore Fortunæ præter ambitionem miſeram & profundam gulam.* & apud Claudianum, *profunda ingluvies* libro ſecundo in Eutropium. Plinius de Apicio, *nepotum omnium altiſſimus gurges.* non aliter apud Salluſt. *profunda avaritia*, & apud Vellejum, *profunda omnia confundendi cupido.* Græci pari elegantia atque efficacia vocem βάθος uſurpant. ut in illo Pauli Apoſtoli, ὦ βάθος πλȣ́τȣ καὶ σοφίας καὶ γνώσεως θεȣ̃. Plutarchus in Macello Archimedi tribuit βάθος ψυχῆς καὶ θεωρημάτων πλȣ̃τον. Themiſtius oratione decima cuidam βάθος διανοίας dicitur & βαθύτης, ut in ſexta Polybii hiſtoria, βαθύτης ψυχῆς. & apud Ciceronem ad Atticum, *mea* βαθύτης. quæ dicitur Salluſtio in Jugurthino, *altitudo ingenii.* inde apud Athenæum libro nono, ὁ βαθὺς τῇ φύσει στρατηγός. Vopiſcus in Numeriano: *Denique erat altus, riſit & tacuit.* altus, eſt βαθὺς, vel βαθυγνώμων. ex eo dicta *profundæ mentis conſilia* Quintiliano, declamatione XVIII. Græci poetæ βυσσοδομεύειν. Tranſlatum dicendi genus a cultu arvorum, declarant Æſchyli de Amphiarao verſiculi:

Βαθεῖαν ἄλοκα διὰ φρενὸς καρπȣ́μενος,
Ἐξ ἧς τὰ κεδνὰ βλαστάνει βȣλεύματα.

14. *Pronus vero ad cujuſque necem.*] Scrib. *cujuſcunque.*

VARIOR.

Sordidæ gulæ.] Codex Salmaſ. *gylæ.*

14. *In aquæ frigidæ potione, quam is affectus febre popoſcerat.*] Legimus, Petronem medicum dare ſolitum in potu aquam frigidam febricitantibus: qui ſi moverat ſudorem, explicuiſſe ſe ægrum judicabat: ſi non moverat, plus etiam aquæ frigidæ ingerebat. Aſclepiades quoque aquam frigidam tempeſtive dando ægros curabat. BEROALD.

Tum fœneratorum.] Cod. Salm. *Tam fœneratorum.* leg. *Jam fœneratorum.* SALMAS.

Stipulatorum.] Id eſt, ἱκανοδοτῶν Gl. Ph. *Stipulatio*, ἱκανοδοσία. GUJET.

TOR-

redem ſibi libertum ejus adſcriptum, jugulari cum liberto imperavit. Quoſdam & de plebe ob id ipſum, quod Venetæ factioni clare maledixerant, interemit: contemtu ſui, & nova ſpe id auſos opinatus. Nullis tamen infenſior, quam vernaculis, & mathematicis, ut quiſque deferretur, inauditum capite puniebat. Exacerbatus, quod poſt edictum ſuum, quo jubebat intra Kalend. Octobris urbe, Italiaque mathematici excederent,

TORRENT.

Venetæ factioni clare maledixerant.] Venetæ factioni faviſſe Vitellium jam ante diximus. Simile Domitiani ſævitiæ exemplum cap. x. Quod vero liber unus pro *clare* habet *diræ*, id quid ſit neſcio, niſi, *ut diræ, maledixerant*, legamus.

Vernaculis, & mathemat.] Interpretes ſine conjunctione legunt, ut Romæ tantum natos mathematicos, non etiam exteros, intelligamus. Egregie ſane, cum Tacit. & Dion non diſtinguant, & hoc genus homines fere Græculi fuerint. Placet igitur Turnebi conjectura, ut *divinaculis* legamus, donec aliquid occurrat melius. Nec diſplicet etiam quod monuit Joſeph. Scaliger *veraculis*, & *vericulis* legi poſſe, ut nunc etiam noſtro eos idiomate appellamus. Tibull. ſane veracis epitheton ſagæ tribuit lib. 1. Eleg. 11.

CASAUBON.

Quam vernaculis & mathematicis.] Veteres codices nihil, quod nobis ſit cognitum, iſto loco variant. merito autem vellunt viris doctis aurem iſti *vernaculi*. quos enim ſic appellat Suetonius? quare viſum Joſepho Scaligero doctorum nobiliſſimo, nobilium doctiſſimo, ſcribere *veraculis* aut *vericulis*. Oracula & ſortes vocabant *vera*. Julius Capitolinus: *Vates cœleſtis apud Carthaginem, quæ deo repleta ſolebat vera canere.* neque ego video, quid commodius excogitari poſſit. niſi fortaſſe aut cum Turnebo *divinaculis* legamus: aut vulgatam lectionem defendamus ſic, ut *vernaculi* ſint γόητες. nam Zonaras diſtincte notat pulſos ab eo & ἀστρολόγους, hoc eſt, mathematicos, & mox γόητας, hoc eſt, præſtigiatores ac circulatores. Hos videtur Suetonius *vernaculos* appellare. rationem nominis non facile aliquis divinet: ſed videtur vox eſſe ſordidæ plebis, quæ viliſſimos de circo præſtigiatores, ut erant ψηφοπαῖκται & quicunque θαυματοποιοὶ dicebantur, ſic indigetabat: fortaſſe quia eorum mos erat, admirationem & riſum hominibus ciere. Seneca de Beneficiis libro ſexto: *Alter apud proximum circulatorem reſedit, & dum vagus atque erro vernaculis congregatur & ludit tranſeuntem Platonem, quem non quæſierat, invenit.* Martialis:

Vernaculorum dicta, ſordidum dentem
Et fœda lingua probra circulatricis.

Fallor? an ex his duobus locis colligi poteſt, *vernaculos*, qui cum circulatoribus & circulatricibus conjunguntur, aut eoſdem, aut affines iis eſſe quos γόητας ex Dione Xiphilinus vocat? Non me tamen fugit, quid in contrarium dici poſſit.

VARIOR.

Utque legit cohæredem ſibi libertum ejus adſcriptum.] Cod. Salm. *utique legit.* ſcribe: *ubique legit coh.* SALMAS.

Id auſos opinatus.] Cod. Salm. *obſtinatus.*

Nullis tamen offenſior quam vernaculis & mathematicis.] Hunc locum ſollicitarunt inſignes viri, *veraculis*, *vericulis*, *divinaculis* ſubſtitutis. Tandem interpretati ſunt γόητας, ψηφοπαίκτας, θαυματοποιοὺς, Caſaubonus & Salmaſ. ad Hiſtor. Aug. Sane Zonaras in hac ipſa re referenda conjungit ἀστρολόγους καὶ γόητας. ſed nimis anguſte ſpeciem pro genere ponit. Et hi *vernaculi*, ſed non ſoli, nec præ aliis, nec potiſſimum intellecti: omnes enim ſcurras, intemperantia oris notos, includit hoc vocabulum; omnes qui ſordidas capturas ridiculis dictis otioſam aut tranſeuntem plebem allicientes & lactantes adjuvabant: quo ex numero complures recenſet Martialis lib. 1. epigr. 31. Vitellius cur præſtigiatores potiſſimum odiſſet, cauſſa nulla erat; ſed erat, cur illos, quos fatentur Martiali *vernaculos* dici, εὐτραπέλους, dicaces, & ſcurriles & mimicos homines, quia in illum larga dictorum materia, & minus parcebant Principi repentino. Nota Suetonii ars & ſubtilitas, maxime notabilia in quoque genere breviter complecti, dein ſingula exemplis affirmare. Hic quæ duo dixerat, & *vernaculis* & *mathematicis* infenſum fuiſſe Vitellium, uno exemplo, ſed in utrumque ſufficiente, comprobat: *Exacerbatus quod poſt edictum ſuum, quo jubebat, intra Kal. Octobris urbe Italiaque excederent, ſtatim libellus eſt propoſitus, & Chaldæos edicere, Bonum factum, ne Vitellius Germanicus intra eundem Kalendarum diem uſquam eſſet.* Nam prædictum de morte Vitellii eſt mathematicorum: at id proponi formula edicti, non præſtigiatoris eſt, nec θαυματοποιοῦ, ſed hominis faceti, quales in iſto ordine ſcurræ, urbani, aretalogi, *vernaculi.* GRONOVIUS lib. IV. de Pec. vet. cap. 10. quem ibi pluribus de vernaculis diſputantem vide.

Quam vernaculis.] *Veraculis* forte. a verax veraculus. Tibul.

--- ut mihi verax
Pollicita eſt magico ſaga miniſterio.

A verus, verax, verare, id eſt, divinare. unde verator & veratrix. Vid. Scalig. ad Cirin. & Martin. in *Veratrix.* Onomaſt. *Vero, as.* ἀληθεύω. *Vera, ſortes, oracula.* GUJET.

TOR-

rent, ſtatim libellus eſt propoſitus, *& Chaldæos dicere, bonum factum, ne Vitellius Germanicus intra eundem Kalendarum diem uſquam eſſet.* Suſpectus & in mortem matris fuit, quaſi ægræ præberi cibum prohibuiſſet: Vaticinante Catta muliere, cui velut oraculo acquieſcebat, *ita demum firmiter ac diutiſſime imperaturnm, ſi ſuperſtes parenti exſtitiſſet.* Et alii tradunt: ipſam tædio præſentium & imminentium metu, venenum a filio impetraſſe, haud ſane difficulter. Octavo Imperii menſe deſciverunt ab eo exercitus Mœſiarum atque Pannoniæ: item ex tranſmarinis, Judaicus & Syriacus: ac pars in abſentis, pars in præſentis Veſpaſiani verba jurarunt. Ad retinendum ergo ceterorum hominum ſtudium ac favorem, nihil non publice, privatimque nullo adhibito modo largitus eſt. Delectum quoque ea conditione in urbe egit, ut voluntariis non modo miſſionem poſt victoriam, ſed etiam veteranorum, juſtæque militiæ commoda polliceretur. Urgenti deinde terra marique hoſti, hinc fratrem cum claſſe, ac tironibus, & gladiatorum manu oppoſuit: hinc & Betriacenſes copias, & duces. Atque ubique aut ſuperatus, aut proditus, ſalutem ſibi, & milies LLS. a Flavio Sabino Veſpaſiani fratre pepigit: ſtatimque pro gradibus Palatii apud frequentes milites cedere ſe Imperio, quod invitus recepiſſet, profeſſus, cunctis reclamantibus rem diſtulit: ac nocte interpoſita, primo diluculo ſordidatus deſcendit ad Roſtra: multiſque cum lacrymis eadem verba, verum e libello, teſtatus eſt. Rurſus interpellante milite, ac populo, & ne deficeret hortante, omnemque operam ſuam certatim pollicente, animum reſumſit. Sabinumque & reliquos Flavianos nihil jam metuens, vi ſubita in Capitolium compulit: ſuccenſoque templo Jovis opt. max. oppreſſit. Cum & prælium, & incendium e Tiberiana proſpiceret domo inter epulas, non multo poſt pœnitens facti, & in alios culpam conferens, vocata concione juravit, coegitque jurare ceteros, *nihil ſibi antiquius quiete publica fore.* Tunc ſolutum a latere pugionem, Conſuli primum, deinde illo recuſante, Magiſtratibus, ac mox Senatoribus ſingulis porrigens: nullo

TORRENT.

Chaldæos dicere.] Non puto quemquam me monente dubitaturum, quin legendum ſit *edicere.* ſequitur enim, *Bonum factum.* Quod edicturi præfari ſolent. Cæſ. cap. LXXX.

Ne Vitell. Germ.] Liber opt. *ut Vitell.* Lego igitur, *ut Vitellius Germ. intra eundem Kal. diem uſquam ne eſſet.* Quod magis edictum ſapit.

Vaticinante Catta mul.] Liber opt. *Cata.* Alii *Chatam*, & *Charam*, & *Caram* vocant. Germanam autem fuiſſe vel ex eo credibile eſt, quod & Germani (ut ceteri fere Barbari) mulierum vaticiniis plurimum utebantur, quales Velledas, & Arvinias commemorat libro de ipſorum moribus Tacit. Hiſpanæ etiam virginis fatidicæ mentio Galb. cap. IX.

51. *Delectum.*] *Dilectum* codex opt. De quo alibi plura.

Bebriacenſes cop.] *Betriacenſes* iidem libri, quos ante citavimus. Sed & legi malim, *hinc Bebriac. & copias*, &c.

Eadem verba.] *Eadem illa verba*, haud dubie elegantius MSS. duo, ut paullo poſt *metuentes* pro *metuens*, & *coegitque jurare & ceteros.*

Sol. a latere pugionem.] Quo facto ſcilicet oſtenderet, deponere ſe Imperium. Sic Dionis compendium. Sup. Galb. cap. XI.

CASAUBON.

Ne Vitellius Germ.] Ita MSS. nec quicquam mutandum. Sed quare tacet Suetonius quod vel præcipuum erat? iſtos nempe non vanos, ſed vere fuiſſe *μάντεις κακῶν ἀτρεκεῖς*: obiit enim Vitellius intra præfinitam diem.

Bebriacenſes copias.] Ut ſupra *Betriacum*, ita hic *Betriacenſes* optimi codd.

VARIOR.

Chaldæos dicere.] V. C. habet *edicere.* F. URSINUS.

Bonum factum.] Sollemnis præfatio edictorum. vid. ad Cæſ. cap. LXXX.

15. *Syriacus.*] Cod. Salmaſ. *Syriaticus.* ut *Aſiaticus*, & ſimilia.

Delectum quoque.] Cod. Salm. *Dilectum quoque.*

Hinc Betriacenſes copias.] Sic cod. Salm. vulgo. *Bebriacenſes copias*, ut ſupra.

Cunctis reclamantibus.] Codex Salm. & Palatini duo: *cunctis declamantibus.*

TOR-

nullo recipiente, quaſi in æde Concordiæ poſiturus, abſceſſit. Sed quibuſdam acclamantibus, *ipſum eſſe Concordiam*, rediit: nec ſolum retinere ſe ferrum affirmavit,
16 verum etiam Concordiæ recipere cognomen. Suaſit Senatui, ut legatos cum virginibus Veſtalibus mitterent, pacem, aut certe tempus ad conſultandum petituros. Poſtridie reſponſa opperienti, nuntiatum eſt per exploratorem, hoſtem appropinquare. Continuo igitur abſtruſus geſtatoria ſella, duobus ſolis comitibus, piſtore & coquo, Aventinum, & paternam domum clam petiit: ut inde in Campaniam fugeret. Mox levi rumore, & incerto, tamquam pax impetrata eſſet, referri ſe in Palatium paſſus eſt: ubi cum deſerta omnia reperiſſet, dilabentibus etiam qui ſimul erant, zona ſe aureorum plena circumdedit: confugitque in cellulam janitoris, religato pro foribus cane, lectoque &
17 culcita objectis. Irruperant autem jam agminis anteceſſores: ac nemine obvio rimabantur, ut fit, ſingula. Ab iis extractus e latebra, ſciſcitantes, *Quiſnam eſſet* (nam ignorabatur) & *ubi eſſe Vitellium ſciret*, mendacio eluſit: deinde agnitus rogare non deſtitit, quaſi quædam de ſalute Veſpaſiani dicturus, ut cuſtodiretur interim vel in carcere: donec religatis poſt terga manibus, injecto cervicibus laqueo, veſte diſciſſa ſeminudus in forum

TORRENT.

Concordiæ recip. cognomen.] Ut olim M. Antonii III-viri frater, L. cognominatus eſt Pietas. Nummi veteres, & Dion.

16. *Suaſit ſenatui.*] Meliores MSS. duo *Suaſitque ſenatui.* Conjunctionem ſuſtulit, qui Suetonium in capita diviſit.

Cum virg. Veſtalibus.] Cæſ. cap. I.

Geſtatoria ſella.] Claud. cap. XXXIII.

Piſtore & coquo.] Piſtorem dulciarium intelligo. Digni ſane Vitellio vel in morte comites.

Deſerta omnia reperiſſet.] Lib. unus *comperiſſet.*

Cellulam janitoris.] Sic Calig. cap. LVII. *cella Palatini atrienſis.* Dionis epitome narrat eum ſordido attritoque amictum ſagulo abdidiſſe ſe in obſcurum locum, ubi canes alebantur, ſed melius ex Romanorum conſuetudine Sueton. De qua ſic etiam Petronius: *Non longe ab oſtiarii cella canis ingens catena vinctus in pariete erat pictus, ſupraque quadrata littera ſcriptum*, CAVE CAVE CANEM. Canem autem pro foribus ligaverat, lectumque, & culcitam objecerat Vitellius, ut ipſe aufugiſſe crederetur.

Veſte diſciſſa.] Libri meliores *deſciſſa.*

CASAUBON.

16. *Ut inde in Campaniam fugeret.*] Tarracinam ad cohortes fratremque. Tacitus, Dio.

Confugitque in cellulam janitoris, religato pro foribus cane.] Dio: Ἐς οἴκημα σκοτεινὸν ἐν ᾧ ἐτρέφοντο κύνες, ἐκρύφθη. de cellulis janitorum diximus ad libri quarti caput LVII. ad eas canis haberi ſolitus catena alligatus, ut hic locus indicat, aliique veterum ſcriptorum non pauci, doctis hominibus pridem obſervati. Eandem fuiſſe Græcorum conſuetudinem notabamus ad Laertium. Dio non ſatis apte videtur deſcribere hanc cellam: nam etſi canis unus pluresve ibi habiti, tamen is non erat locus alendis canibus proprie deſtinatus. Sed quid ſibi vult idem optimus ſcriptor, paullo mox, cum ait; Vitellium inventum a militibus fuiſſe, captumque, ὑφαντοῦ καὶ αἵματος ἀναπεπλησμένον. quid ſignificat vox ὑφαντοῦ hoc loco? nihil nempe: non enim ita ſcripſit Dio, ſed φορυτοῦ, vel Zonara teſte. unde emendare ſuum auctorem interpretes debuerant.

Donec religatis poſt terga manibus, injecto cervicibus laq.] Totum hunc locum quaſi ἔπος πρὸς ἔπος Dio expreſſit: Κἀκ τούτου τὴν μὲν ἐσθῆτα αὐτοῦ περιῤῥήξαντες, καὶ τὼ χεῖρε εἰς τοὐπίσω δήσαντες, τῷ τε αὐχένι σχοινίον περιθέντες, κατήγαγον ἐκ τοῦ παλατίου τὸν Καίσαρα τὸν ἐν αὐτῷ ἐντρυφήσαντα. καὶ διὰ τῆς ἱερᾶς ὁδοῦ ἔσυραν τὸν αὐτοκράτορα, τὸν ἐν τῷ βασιλικῷ δίφρῳ πολλάκις σοβήσαντα. *Deinde veſte ei diſciſſa, religatis poſt terga manibus, injecto cervicibus laqueo, e Palatio Cæſarem, qui in eo deliciis luxuriaverat, ducunt; & per Sacram viam trahunt Imperatorem, qui in ſella imperatoria perſæpe magno cum faſtu & inſolentia in medios hominum cœtus ſeſe intulerat.*

VARIOR.

16. *Suaſit ſenatui.*] Multi veteres libri & edd. *Suaſit ſenatoribus.*

Geſtatoria ſella.] Celſus lib. II. in capite proprio *De Geſtatione: Genera*, inquit, *Geſtationum plura, ſed tamen leviſſima eſt navi, vel in portu, vel in flumine: vehementior in alto mari, vel lectica aut ſcamno: acrior vehiculo.* Omitto illas in aquis. in terra triplex eſt: Lectica, Scamno, Vehiculo. De lectica notum eſt. Scamnum quid eſt? dico idem eſſe, quod Sellam. Nam in lectica jacentes fere vehebantur: in Sella ſedentes, ideoque & Scamnum dixere. Ubi Juvenalis dixerat:

- - - *ſtrata poſitus longaque cathedra*

Scho-

forum tractus eſt, inter magna rerum verborumque ludibria, per totum viæ ſacræ ſpacium, reducto coma capite, ceu noxii ſolent, atque etiam mento mucrone gladii ſubjecto, ut viſendam præberet faciem, neve ſubmitteret, quibuſdam ſtercore & cœno inceſſentibus, aliis *incendiarium* & *patinarium* vociferantibus, parte vulgi etiam corporis vitia exprobrante (erat enim in eo enormis proceritas, facies rubida plerumque ex vinolentia, venter obeſus, alterum femur ſubdebile, impulſu olim quadrigæ, cum auriganti Cajo miniſtratorem exhiberet) tandem apud Gemonias minutiſſimis ictibus ex-carni-

Scholiaſtes interpretatus eſt, *Cervicalibus ſtratis, Scamnum dicit.* Ergo eo auctore idem Scamnum, quod Cathedra ſive Sella. Hæc eſt quæ *Sella Geſtatoria* Suetonio dicitur. At tertia eſt, in Vehiculo ſive Eſſedo, & communiter valde ſic utebantur, & hanc maxime intelligebant. Hujus Suetonius meminit in Claudio. Lipsius.

Domum clam petiit.] Cod. Salm. *domum clam petit.*

Torrent.

Reducto coma capite.] Sic Turneb. pro apprehenſa coma capite retracto ac reſupinato. Libri vero noſtri receptam lectionem ſervant, ut *reducta coma a capite* intelligatur, quæ remota a fronte vultum quoad fieri potuit nudaverat, ut *reductis Sole flagrantiſſimo velis*; Calig. cap. xxvi. Eutropius, diligens Suetonii imitator, ſic habet, *nudus, erecta comu, & capite, ſubjecto ad mentum gladio.* Quanquam (ne quid diſſimulem) codex Eutropii vetuſtus ſic legit, *nudus, erecto coma capite.* quod pro Turnebo facit.

Mucrone gladii ſubjecto.] Turneb. *ſubrecto*, ex veteri (ut ait) codice. Sed *ſubjecto* melius eſt, ex Dione, & Eutropio.

Incendiarium, & patinarium.] Ob incenſum Capitolium, & illas quas diximus patinarum paludes.

Miniſt. exhiberet.] mss. duo *min. ſe exhiberet.*

Casaubon.

Reducto coma capite.] Sic recte ſcriptum in antiquis membranis regiæ bibliothecæ, Viterb. & Pithœi. hoc vult, milites qui pone Vitellium erant, comam ei prehendiſſe & coegiſſe caput reſupinare. Plinius in laudatione Trajani, de ſuppliciis delatorum loquens: *contigit deſuper intueri delatorum ſupina ora, retortaſque cervices.* Græci poetæ ſimilem huic capitis reductionem in cædendis victimis fieri ſolitam, intelligunt verbo αὖ ἐρύειν, pro quo & ἄνω τρέπειν dicunt: Virgilius, *reflexa Cervice orantis capulo tenus abdidit enſem.* Euripides Oreſte in cæde Clytemnæſtræ eleganter, ὤμοις ἀνακλάσας δέρην παίειν. Contrarium his eſt apud Senecam. de Tranquill. *ſubducta cervice ferrum recipere.* Græci interpretes Eutropii hunc locum non intellexerunt. Alii libri *reducta coma a capite.* quomodo & Marianus Scotus olim deſcripſit.

Ceu noxii ſolent.] Malim, *ceu noxiis ſolet.* intelligit autem morem in illuſtrium perſonarum ſupplicio ſervari ſolitum, ut capite nudo & elato, quo dignoſci omnibus poſſint, trahantur ad ſupplicium. Sic apud Polybium Danae illuſtris fœmina rapitur διὰ μέσου τῆς πόλεως ἀκατακάλυπτος. Dio in Sejani ſupplicio, καὶ ἀπεκάλυπτον ἐπικαλυπτόμενον.

Mento mucrone gladii ſubjecto.] Placet Turnebi librorum lectio, *ſubrecto*: nec aliter codd. Cujacii & Pithœi. Falluntur qui Dionis locum proferunt, ut comprobent melius eſſe *ſubjecto.* nam verba Dionis cum neutri lectioni aperte patrocinentur, potius tamen indicant eſſe alteram veram. ξιφιδίοις, ait, αὐτὸν ὑπὸ τὸ γένειον ὑπεκέντουν. *pugionibus eum ſub mento pungebant.*

Venter obeſus.] Dio, γαστροπίων ἦν.

Varior.

17. *Per totum viæ Sacræ ſpatium.*] Celeberrimum videlicet urbis locum. Sic in via Sacra deambulare conſueverant, qui, auræ popularis ſtudioſi, populo ſe oſtentabant. Horatius in Epodis, de Mena Pompeji M. liberto:

Videſne Sacram metiente te viam
Cum bis ter ulnarum toga,
Ut ora vertat huc & huc euntium
Liberrima indignatio?

Et de puella populo ſe præbente, Propertius:

Cui ſæpe immundo Sacra conteritur via ſocco,
Nec ſinit eſſe moram, ſi quis adire velit.

In eadem Cæſar habitavit. Suet. c. xlv. Onuphr. Panvinius.

Ceu noxii ſolent.] Non ſolum capite nudo, ſed & ſupino quidam ducti ad ſupplicium: ii certe qui oſtentabantur per theatra: quod ipſum probare eſt ex Plin. Paneg. 37. *Nihil tamen gratius, nihil ſæculo dignius, quam quando contigit deſuper intueri delatorum ſupina ora, retortaſque cervices; agnoſcebamus & fruebamur.* &c. Gruter.

Mucrone gladii ſubjecto.] Cod. Salmaſ. *ſubrecto.* quod & in optimis duobus codicibus ſe inveniſſe teſtatur Turnebus, & explicat, quod ſcilicet ſub mento eſſet rectus gladii mucro, quo mentum erigere vultumque cogebatur Vitellius. Turneb. xxiv. cap. 41. His ſubſcribunt quoque Palatini. primus enim habet *ſubrecto*, alter *ſubrepto*, tertius *ſurrecto.*

Tor-

18 carnificatus, atque confectus eſt, & inde unco tractus in Tiberim. Periit cum fratre, & filio, anno vitæ ſeptimo & quinquageſimo, nec fefellit conjecturam eorum, qui augurio, quod factum ei Viennæ oſtendimus, non aliud portendi prædixerant, quam venturum in alicujus Gallicani hominis poteſtatem: ſiquidem ab Antonio Primo adverſarum partium duce oppreſſus eſt: cui Toloſæ nato cognomen in pueritia *Becco* fuerat. id valet, gallinacei roſtrum.

TORRENT.

18. *Quod factum ei Viennæ.*] Liber opt. *quod factum Viennæ*, ſine *ei*.

Cognomen Becco.] Sic libri veteres, aut *becca*, non *beco*, ut in vulgatis. Id autem hodie quoque Gallis, Germaniſque in uſu eſt non pro gallinacei tantum, ſed cujuſvis etiam alterius avis roſtro. Porro de Antonio Primo, Veſpaſiani partium acerrimo propugnatore, Tacit. Dion, & Hegeſippus lib. III.

CASAUBON.

18. *Anno vitæ VII. & quinquageſimo.*] Tacitus, Eutropius, & ejus metaphraſtes Pæanius conſentiunt. Dio & Zonaras tres fere annos detrahunt, & vixiſſe ajunt ἔτη τέσσαρα καὶ πεντήκοντα, καὶ ἡμέρας ἐννέα καὶ ὀγδοήκοντα: imperium autem tenuiſſe per annum, decem diebus demptis. at Clemens μῆνας ἑπτὰ, ἡμέραν ά. aliter Theophilus, & item aliter Epiphanii codices. non enim illa putem ſcripſiſſe Epiphanium. Facile compones hos ſcriptores & cæteros qui idem tempus notarunt, ex iis qui Faſtos concinnarunt. Onufrium adi. ſed in Clemente videtur ſcribendum μῆνας ὀκτὼ, ἡμέραν ά, ex Eutropio.

C. SUETONII TRANQUILLI
DE
XII. CÆSARIBUS
LIBER OCTAVUS.
T. FLAVIUS VESPASIANUS AUG.
CAPUT I.

REbellione trium Principum & cæde, incertum diu & quaſi vagum Imperium ſuſcepit firmavitque tandem gens Flavia: obſcura illa quidem, ac ſine ullis majorum imaginibus: ſed tamen reipublicæ nequaquam pœnitenda; conſtet licet Domitianum cupiditatis ac ſævitiæ merito pœnas luiſſe. Titus Flavius Petronius municeps Reatinus, bello civili Pompejanarum partium Centurio, an Evocatus, profugit ex Pharſalica acie, domumque ſe contulit. Ubi deinde venia & miſſione impetrata, coactiones



TORRENT.

1. T. *Flavius Petronius.*] Sic quidem in omnibus exemplaribus, non puto tamen, eo præſertim tempore quo hic T. vixerit, duarum eum gentium, Flaviæ & Petroniæ, nominibus appellatum fuiſſe. Quid ſi igitur *Petronianus* ſcribamus? Quod ſane libens fecerim, poſtquam etiam de Vitellii filio Vitell. cap. VI. ſimilem errorem deprehendimus. Glarean. ex vetuſto codice *T. Flavius Petro* ſcribit.

Sponte an evocatus.] Non ſatis conſtat mihi, quid his verbis velit Sueton. ſpontene, aut evocatus ad Pompejum venerit, an potius profugerit. nam quod ſequitur, eum veniam impetraſſe, id eo referendum eſt, quod necdum expletis ſtipendiis militiam reliquerat.

Coactiones argentarias.] *Coactores* non unius generis fuerunt. nam & publicanis, & argentariis miniſtrabant. Qui publicanis, ea quæ minutim a reliquatoribus debebantur, vel redimebant ipſi, ut inde lucrum facerent, vel mercede aliqua perſequebantur. De quibus Cic. pro Rabirio, & pro Cluentio. Qui vero argentariis, quos auctionibus præfuiſſe ante oſtendimus, Ner. cap. V. pretia rerum venditarum ab emptoribus certa & ipſi mercede colligebant. Qualem fuiſſe patrem ſuum teſtatur Horat. lib. I. Sat. VI. Et hoc eſt, quod *coactiones argentarias factitare* appellat hoc loco Sueton. Adde Catonem de Re Ruſtica cap. CXLVI. & cap. CL. Atque ita intelligo Plautinum illud Aſin. Act. I. Sc. III. *vetus eſt nihil coactio.* præſentem enim pecuniam lena poſtulat, odit quod in diem promittitur.

CASAUBON.

1. *T. Flavius Petro.*] Emendatum eſt ex cod. Pithœi, qui conſentit cum ſcripto Glareani, & libro Memmii. Viterbienſis hic errat cum vulgo: ſed reſipit ſtatim, & paullo poſt *Petronis*, non *Petronii* ſcribit ex fide. In eodem mox recte *publicum*, non *publicanum*.

Pompejanarum partium centurio, incertum ſponte, an evocatus.] Ita ſcriptum in membranis Viterbienſibus & pleriſque aliis, atque editis, credo, omnibus. Sic loquitur & alibi. libro II. cap. XIX. *deprehenſus eſt cultro venatorio cinctus; impoſne mentis, an ſimulata dementia, incertum.* Probo tamen, quod præ-

nes argentarias factitavit. Hujus filius cognomine Sabinus expers militiæ (etſi quidam eum primipilarem: non nulli, cum adhuc ordines duceret, ſacramento ſolutum per cauſſam valetudinis, tradunt) publicum quadrageſimæ in Aſia egit. Manebantque imagines a civitatibus ei poſitæ ſub hoc titulo, *καλῶς τελωνήσαντι*. Poſtea fenus apud Helvetios exercuit, ibique diem obiit, ſuperſtitibus uxore Veſpaſia Polla, & duobus ex ea liberis: quorum major Sabinus ad Præfecturam urbis, minor Veſpaſianus ad Principatum uſque proceſſit. Polla Nurſiæ honeſto genere orta, patrem habuit Veſpaſium Pollionem, ter Tribunum militum, Præfectumque caſtrorum, fratremque Senatorem prætoriæ dignitatis. Locus etiam nunc ad ſextum miliarium a Nurſia Spoletium euntibus in monte ſummo appellatur Veſpaſiæ: ubi Veſpaſiorum complura monumenta exſtant, magnum indicium ſplendoris familiæ, & vetuſtatis. Non negaverim jactatum a quibuſdam, Petronii patrem e regione Tranſpadana fuiſſe mancipem operarum, quæ ex Umbria in Sabinos ad culturam agrorum quotannis commeare ſolerent: ſubſediſſe autem

ferunt libri meliores, Memmianus, Pithoei & Cujacii; qui omnes illa *incertum ſponte* non agnoſcunt. igitur ſcribe, *Pompejanarum partium centurio, an evocatus.* Familiare Tacito, Plinio, aliiſque loquendi genus: quo uſus & noſter eſt, in Claudio, cap. XIII. in Galba, cap. XII. & in hac vita iterum, cap. VI. Exſtat & apud Livium, ut libro XXVIII. *Ea ſuſpicio, vitio orationis, an rei, haud ſane purgata eſt.*

TORRENT.

Publicum quadrageſimæ.] Male interpretes *publicanum* legunt. *publicum* enim *agere* pro vectigal colligere dixit Sueton. etiam Vitell. cap. VII.

Manebantque imag.] Id eſt, exſtabant, viſebantur. neque enim audio virum doctum, cui ſuppoſitum caſcum & Cæcilianum verbum, *mantantque*, ut perveniſſe (inquit) ad ævum ſuum ſubindicet. Quod neque admodum neceſſe, & incertum eſt, veroque propius *manent*, ſeu *exſtant*, aut quidvis aliud, ſiquidem auctori ea mens, fuiſſe dicturum. Itaque religio mihi quidquam mutare.

Apud Helvetios.] Liber unus *Helveticos*, alter *Illurios*, ut in Decii Imperatoris nummis, GENIUS ILLURICI. Quod ſane malim. quod enim e fenebri pecunia lucrum apud Helvetios? Sane exactoris tributorum in Helvetia officium vetuſto marmori inſcriptum repperi.

Sabinus ad præfecturam.] Præfectum fecit Nero, neque vel Galba, vel Otho honorem ei ademerunt. Plutarch. Othone.

Veſpaſium Pollionem.] Pollionem hunc quidam eſſe volunt eum, de quo Plutarch. Othone in fine. Verum repugnat temporum ratio. cum enim Veſpaſianus jam ſenior ad Imperium venerit, qui fieri potuit, ut maternus ejus avus poſt occiſum Othonem caſtrorum præfectus fuerit? Non negaverim hujus vel filium, vel nepotem fuiſſe.

Spoletum euntibus.] Liber opt. *Spoletium.*

Petronii patrem.] Si vera eſt conjectura noſtra de qua ante, *Petroniani* legendum eſt. Niſi quis forte Petronem vocare malit.

CASAUBON.

Manebantque imagines.] Si quid mutandum, ſcriberem, *manent hodieque?* ſed non videtur neceſſum. nam potius putem, Veſpaſianum rerum potitum, curaſſe tollenda hæc parum glorioſæ originis ſuæ teſtimonia. nec moveor verbis Suetonii cap. XII. quæ ſuadere videntur contrarium. ſed facilis reſponſio.

Καλῶς τελωνήσαντι.] In fragmento veteris lapidis Romæ deſcripti: *Καλῶς τελωνήσαντι ἀν.*

Fuiſſe mancipem operarum, quæ ex Umbria in Sabinos ad culturam agrorum quotannis commeare ſolent.] Mos hodie obtinet apud multos populos, ut imæ plebis pars non pœnitenda, quia domi quod agat nihil habet, certo anni tempore voluntarium ſibi indicat exſilium, & alias terras petat, ut in quo ſuam occupet induſtriam, inveniat. Sic Epirotarum agmina patriam quotannis relinquunt, & ulteriora ditionis Turcicæ adeunt, operis ſimul & quæſtus faciendi gratia. ipſi *Ergates* patrio ſermone dicuntur. Longobardis & Sabaudis, qui caminos purgant, puteos inundant, & ſimilia obeunt miniſteria, refertæ ſunt per æſtatem Galliæ omnes urbes. Lutetiæ & in reliqua Francia qui ædificant, Lemovicibus operis magna parte anni plurimum utuntur. operæ ruſticæ apud Hiſpanos multis locis, viles homunculi ſunt Galli, qui compendii ſui gratia illuc quotannis commeant. Eundem apud veteres morem fuiſſe teſtatur hic Suetonii locus abunde. Hujuſmodi igitur operarum manceps fuit hic Veſpaſiani progenitor: hoc eſt, ſolitus eſt in Umbriam profectus operas vili pretio conducere, & præſente pecunia; quas in Sabinos perductas mercede majore elocabat.

VARIOR.

1. *Publicum quadrageſimæ in Aſia egit.*] Solvi etiam ſuo tempore conſueviſſe teſtatur Symmachus lib. V. ep. 62.

tem in opido Reatino, uxore ibidem ducta. Ipſe ne veſtigium quidem de hoc, quamvis ſatis curioſe inquirerem, inveni. 2 Veſpaſianus natus eſt in Sabinis ultra Reate, vico modico, cui nomen eſt Phalacrine, xv. Kalend. Decembr. veſperi, Q. Sulpicio Camerino, C. Poppæo Sabino COSS. quinquennio ante quam Auguſtus excederet: educatus ſub paterna avia Tertulla, in prædiis Coſanis. Quare Princeps quoque & locum incunabulorum aſſidue frequentavit, manente villa, qualis fuerat olim: ne quid ſcilicet oculorum conſuetudini deperiret: & aviæ memoriam tantopere dilexit, ut ſolennibus ac feſtis diebus pocillo quoque ejus argenteo potare perſeveraverit. Sumta toga virili, latum clavum, quamquam fratre adepto, diu averſatus eſt: nec ut tandem appeteret, compelli niſi a matre potuit. Ea demum extudit, magis convicio quam precibus vel auctoritate, dum eum idemtidem per contumeliam anteambulonem fratris appellat. Tribunatum militum in Thracia meruit. Quæſtor Cretam & Cyrenas provinciam ſorte cepit: Ædilitatis, ac mox Præturæ candidatus, etiam non ſine repulſa, ſextoque loco vix adeptus

ep. 62. & 65. Hinc in inſcriptione antiqua *quadrageſimarius* eſt tabularius quadrageſimæ. REINESIUS.

Spoletum.] Cod. Salm. *Spoletium.* & non longe poſt idem pro *commeare ſolerent*, ſcribit *commeare ſoleant.*

TORRENT.

2. *Natus eſt in Sabinis.*] Libri MSS. *Samniis*, & *Samnis.* Hinc Turnebi conjectura, *Savinis* pro *Sabinis* ſcriptum fuiſſe, atque ita legi debere. Quam ſententiam firmat Eutropius.

Ultra Reatem.] Scribendum *Reate*, ut Plin. & alii appellant.

Q. Sulpicio Camerino.] A. U. DCCLXI. quo lata lex Papia Poppæa.

Prædiis Coſanis.] Liber unus *Conſanis*, non recte. Coſa enim in Etruria eſt, Conſa in Hirpinis. Servius in illud Virgilii lib. x.

Quique urbem liquere Coſas.

Poculo ejus argenteo.] Libri tres *pocillo.* Placet.

Ea demum extudit.] Liber unus *excuſſit*, Gryphii edit. *extrudit*, male. *extundere* enim vocabulum elegans, pro extorquere. Nonius.

Tribunatum mil.] Nihil dubito, quin *Tribunus mil.* legi debeat, ut Tit. cap. IV. *Tribunus militum & in Germania & in Britania meruit.* Scripſerat Sueton. TR. M. vel, TR. MIL. ut in Valerii Probi notis legimus. Hinc *Tribunatum* fecere alii. Idem error & Cæſ. cap. v.

Cretam & Cyrenas provinciam.] Liber opt. *provincias.* Et alia quidem Creta, alia Cyrenaica, (illa inſula nota omnibus, hæc pars Africæ, a Cyrenis, urbe nobili, ſic dicta, eademque Pentapolis, quod præter Cyrenas urbibus aliis quatuor, Berenice, Arſinoe, Ptolemaide, & Apollonia, inſignis eſſet, diu ante Cretam teſtamento regis Ptolemæi Apionis in poteſtatem populi Rom. redacta) ſed ambæ tamen unius præſidis imperio regebantur. Una igitur cenſenda provincia. ſic enim Appian. poſt Cæſaris dictatoris mortem Caſſio prætori Cretam cum Cyrenis mandatam ſcribit.

Etiam non ſine repulſa.] Locus mendoſus. Quem ſic reſtituo, *illam non ſine repulſa, ſextoque loco vix adeptus eſt, at prima ſtatim petitione, & in primis prætor, infenſus ſenatui, Cajum*, &c. Infenſum vero ſenatui intelligo, quia Cajus, cui placere volebat, ſenatum oderat. Sed quid ſexto demum loco ædilitatem adipiſci ſit ambigo. negant enim tot uno anno ædiles fuiſſe, nec veriſimile eſt quinquies eum repulſam tuliſſe. Verum de ædilium numero res aliter ſe habet. nam cum antea quatuor tantum crearentur, Cæſar duos, qui frumento præeſſent, addidit. Auctor Pompon. JC. l. 11. De origine juris. Neque id eo tantum anno ſervatum, ſed morem illum creandi ædiles ſex, duos patricios, plebejos quatuor, ad ſuam uſque duraſſe ætatem auctor eſt Dion extremo lib. XLIII. Veſpaſianus igitur & ante repulſam tulerat, & tandem honorem quidem adeptus, ſed ſexto demum loco renunciatus eſt.

VARIOR.

2. *Phalacrine.*] *Phalacrinæ* vel *Phalacrina* in plur. ſcribendum videtur. GUJET.

Latum clavum, quanquam fratre adepto, diu averſatus eſt.] Senatorum filii a tempore Auguſti depoſita prætexta induebant latum clavum. vid. quæ notata ſunt ad cap. 38. Octav. Sæpe etiam equitum filii latum clavum obtinebant, ſed opus habebant indulgentia Principis, opeſque & origo antiqua debebant concurrere. Hinc ſæpe fiebat, ut unus ex fratribus laticlavius, alter anguſticlavius eſſet, ut hic Veſpaſiani. Sic etiam Seneca & Gallione ſenatoribus, Mella frater eorum in equeſtri gradu ſubſtiterat per ambitionem, ut Tacitus XVI. Annal. refert. A. RUBENIUS de Re Veſtiaria lib. 1. cap. 14. quem vide.

Cretam & Cyrenas provinciam.] Lapis Cretenſis apud Gruterum MXCI. 6. ΚΟΙΝΤΟΝ. ΚΑΙΚΙΛΙΟΝ. ΡΟΥΦΕΙΝΟΝ. ΤΟΝ. ΚΡΑΤΙΣΤΟΝ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΝ. ΚΡΗΤΗΣ. ΚΑΙ. ΚΥΡΗΝΗΣ. ΚΥΝΤΙΑΙΟΣ. ΠΥΡΡΟΣ. ΤΟΝ. ΦΙΛΟΝ. GRONOV.

adeptus eſt. Ac prima ſtatim petitione, & in primis Prætor, infenſus Senatui, Cajum ne quo non genere demereretur, ludos extraordinarios, pro victoria ejus Germanica depopoſcit, pœnæque conjuratorum addendum cenſuit, ut inſepulti projicerentur. Egit & gratias ei apud ampliſſimum ordinem, quod ſe honore cœnæ dignatus eſſet. Inter 3
hæc Flaviam Domitillam duxit uxorem, Statilii Capellæ equitis R. Sabratenſis ex Africa delicatam olim, Latinæque conditionis, ſed mox ingenuam & civem Romanam recuperatorio

TORRENT.

Pœna conjuratorum.] De conjuratione Lepidi Calig. cap. XXIV.

Honore cœnæ.] Calig. cap. XXXIX.



Flaviam Domitillam.] Recte, ut in nummo veteri. Vulgati *Domicillam* vocant, & plures MSS. Eſt autem nummus Domitillæ Veſpaſiani filiæ, cui Titus frater carpentum in Circenſibus inſtituit, Domitianus vero etiam Sacerdotium, ut ex vetuſto marmore videre eſt apud Onufr. Panvinium lib. De civitate Romana. Unde Papinio lux Silv. I. Equo Domitiani: *Ibit in amplexus natus, fraterque, paterque, Et ſoror.*

Sabratenſis.] Sic ex Turnebo Pulmannus. Vulgati codd. *Sabracenſis*, MSS. noſtri duo *Scabratenſis*, unus *Subracenſis*. Et Sabrata quidem Africæ oppidum eſt apud Plinium & Ptolemæum, Syrtim minorem contingens, ſed Tabraca nobilior, & quidem civium Romanorum, teſte Plinio lib. V. cap. III. De qua etiam Juvenal. Sat. X.

Quales umbriferos ubi pandit Tabraca ſaltus, &c. Ut fortaſſis Tabracenſis hic Statilius fuerit.

Delicatam olim.] Libri omnes, quos equidem viderim, *delegatam* habent. Turneb. *delicatam* ſubſtituit, ſed conjectura tantum, pro amica ſeu concubina, quam Statilius ille in deliciis habuerit. ſic enim Hadrianum refert Spartian. *corrupiſſe Trajani libertos, curaſſe delicatos, eoſdemque ſepeliſſe.* Addit inſcriptionem lapidis vetuſti, TEIÆ EUPHROSYNÆ RUFINÆ V. V. DELICATÆ. Hactenus Turneb. Adverſar. XXII. cap. XV. Petr. vero Pithœus ſuis & ipſe Adverſariis, lib. II. cap. IX. antiqui codicis auctoritate fretus, (ut ait) *deligatam* legit, ut pœnæ nomine aliquando vincta fuerit, & proinde Latinæ conditionis. Qua de re JCti, & nos quantum ſatis eſt, Claud. cap. XIX. diximus. Adjungit apud Spartianum *deligatos* ſe legere malle, ut ſervi ſignificentur potius quam concubini Cæſaris. A quo ſane ego diſſentio. cur enim Hadrianus, Trajano placere ſtudens, vinctos potius ac compeditos curaſſet e ſervis quam alios? Aut cur vincta Domitilla? forma enim, ac morum venuſtate eam excelluiſſe veriſimile eſt, cujus conditio placuerit Veſpaſiano. Præterea ſi vincta aliquando, quare non deditiam potius quam Latinam vocat? Itaque Turnebo potius de Spartiani loco aſſentior, eo magis, quod vocabulo illo uſus eſt etiam Sueton. Tit. cap. VII. *e gratiſſimis delicatorum.* Ac ſimile mendum apud Senecam deprehendi lib. de Clementia cap. XV. his verbis, *exſilio delegato Maſſiliæ parricidam continuit. delicato* enim legendum eſſe nemo paullo doctior negabit. De Domitilla tamen adhuc dubito. Sex. Aurelius Victor ſimpliciter libertam vocat. Quare & hunc Suetonii locum ſic ſcribi malim, *Statilii Cap. Eq. R. Sabra. ex Afr. libertam delegatam olim.* Dictio enim *libertam*, unius tantum litteræ L. ſigno notata, facile præteriri potuit. Et alioqui ſi Domitillam pater aſſertam in libertatem a Statilio abſtulit, oſtendi par erat, quomodo ad Statilium perveniſſet. Addit ergo Sueton. delegatam ei olim fuiſſe, hoc eſt, (ut ego interpretor) creditam commiſſamque, ac demandatam, quo verbo de Poppæa Othoni a Nerone ſic tradita utitur Sueton. Oth. cap. III. Ac pari ratione amores ſuos Aurelio cuidam commendat Catull. Epigr. Quæ conjectura ſi (quod vereor) diſplicebit, addam alteram, nihilo fortaſſis feliciorem, ut, non addita voce *libertam*, *Statilio* pro *Statilii* legamus. nam quæ ſequuntur, *Eq. R. Sabratenſi*, raro a veteribus integra perſcribebantur. Lector judicet. Illud interim monitum velim, inſcriptionis quam citat Turneb. teſtimonium fidem non mereri. nam & verba quædam deſunt, & notæ illæ V. V. Virginem Veſtalem ſignant, quam in deliciis habere piaculum fuerit.

CASAUBON.

2. *Infenſus ſenatui Cajum ne quo non genere demereretur.*] Sane potuit Veſpaſianus ſenatui fortaſſe infenſus eſſe, propter repulſam in petitione ædilitatis, & parum honeſtum locum, qui poſtea ipſi inter ædiles fuit attributus. Sed offenſam omnem videtur ſuſtuliſſe delata prætura prima petitione, & quidem inter primos. an igitur cum doctis viris legendum, *inſenſum ſenatui Cajum?* de odio Caji erga ſenatum ſatis libro quarto, & Seneca aliique hiſtorici.

Egit & gratias ei apud ampliſſimum ordinem.] More eorum, qui magiſtratum aliquem conſecuti erant, mandante Principe, aut adjuvante, de quo diximus ſupra ex Dionis libro LVIII.

3. *Ex Africa delegatam olim.*] Secuti ſimus vulgatos

ſatorio judicio pronuntiatam: patre aſſerente Flavio Liberali Ferentini genito, nec quidquam amplius quam Quæſtorio ſcriba. Ex hac liberos tulit, Titum, & Domitianum, & Domitillam. Uxori ac filiæ ſuperſtes fuit: atque utramque adhuc privatus amiſit. Poſt uxoris exceſſum, Cænidem Antoniæ libertam, & A manu, dilectum quondam ſibi,
4 revocavit in contubernium: habuitque etiam Imperator pæne juſtæ uxoris loco. Claudio

tos codices, a quibus ſtant Viterb. & Liſlæi; at Pithoei *deligatam.* quod ipſe pridem ſuis Adverſariis prodidit. Illa vide & Turnebi.

VARIOR.

3. *Ex Africa delegatam olim.*] *Delegata* quæ dicitur, *delicata* appellari debet, ut amica & concubina, quæ olim in deliciis fuerit. nam fere meretrices & libertinæ concubinæ erant. Sic in veteri inſcriptione reperio: *Teiæ Euphroſynæ Rufinæ V. V. delicatæ.* Sic in vita Hadriani Imperatoris Trajani *delicati pueri* ſunt, quos in deliciis habent. TURNEBUS lib. XXII. c. 16. Adverſ. Sic recte Turnebus. Alia fabulæ. GRONOVIUS. Hanc lectionem aſſerit codex Salmaſ.

TORRENT.

Recuperatorio judicio.] Sic de Palæſtra ſibi apud Recuperatores abjudicata queritur Labrax leno Plautinus Rudente. Plura Ner. cap. XVII. Atque huc ſpectat tit. De liberali cauſa, item Si libertus ingenuus eſſe dicatur, Pandect. lib. XLII.

Ferentini.] Duo codd. *Ferenti*, quam lectionem etiam Pithoeus agnoſcit, ſed male. Ferentinum enim Etruriæ oppidum, unde & Othonis majores orti. Suet. Oth. cap. I. Plin. lib. III. Strabo lib. V. Quanquam fuiſſe volunt etiam in Hernicis ejuſdem nominis oppidum, de quo Horat. Epiſt. ad Scævam,

- - - ſi te pulvis, ſtrepituſque rotarum,
Si lædit caupona, Ferentinum ire jubebo.

Strabo (niſi mendum ſubeſt) illud Φερεντῖνον, hoc Φερέντιον vocat. Et Horatii Ferentinum collocari etiam in Etruria poteſt. neutrum enim altero frequentius, aut nobilius. Quales nimirum Sora, Fabrateria, Fruſino, Vulſinii apud Juvenalem Sat. III.

Quæſtorio ſcriba.] Scribarum ordinem, quod alii aliis aderant magiſtratibus, in plures diviſum fuiſſe decurias ſupra oſtendimus, Claud. cap. I. Hinc ergo *Quæſtorium ſcribam* dixit ad aliorum differentiam, ut Domit. cap. IX. Sic *ſcriba Ædilitius*, & *Prætorius* non ſolum apud Ciceronem, ſed & in vetuſtis marmoribus. Feſtus quoque *navales ſcribas* commemorat, qui in navibus apparebant, minimæ inter omnes dignitatis.

Adhuc utramque privatus.] Melius MSS. duo *utramque adhuc privatus.*

Antoniæ lib. & a manu.] Scribendum puto, *libertam a manu.* ſic enim tam ſervi, quam liberti paſſim ab officiis vocabantur. Quod qui ignorabant *adamavit*, & *examavit* pro *a manu* ſcripſere. ſic enim libri veteres. *Libertam* autem *a manu* dixit, ut *librariam* Juvenal. Sat. VI.

- - - periit libraria, ponunt.
Coſmetæ tunicas.

Exſtat ſane Romæ hæc inſcriptio, JUCUNDUS DOMITIÆ BIBULI LIBRAR. AD MANUM. Quanquam *librarium* dici malim, qui vel a ſtudiis, vel a bibliotheca fuerit. nam *a manu* idem eſt qui amanuenſis, quod ante oſtendimus. *Librarii* vero (ſi Vegetio credimus lib. II. cap. VII.) inter caſtrenſia officia dicti etiam illi, qui rationes ad milites pertinentes in libros referebant; ut & hi, qui cujuſque profeſſionem in tabulas publicas. Cic. ad Attic. lib. III. Qua ratione II. in Rullum, de XV-viris loquens, quos ille agris dividundis inſtituere conabatur, *Ornat eos* (inquit) *apparitorib. ſcribis, librariis, præconib. architectis.* Alius igitur hic *ſcriba*, alius *librarius.* *Librarii* tamen nomen generalius eſt, quo promiſcue etiam pro ſcriba utitur Cicero, ut *librarii manu epiſtolæ.* Hinc *librarius ad manum* in veteri illa inſcriptione, ad aliorum differentiam, pro amanuenſi ponitur.

Revocavit in contubernium.] Ut *tabernæ* dictæ quod ex tabulis olim fiebant, ſi Feſto credimus, vel quod tabulis claudebantur, ſi Ulpiano l. CLXXXIII. De verborum ſignif. ſic & *tabernacula* a tabernis, ad quarum nempe ſimilitudinem componebantur, & hinc porro *contubernia*, & *contubernales.* *Contubernium* autem caſtrenſe vocabulum eſt pro cohabitatione militum. Qui expeditionum comites, iiſdem tecti pellibus, ac proinde majore juncti neceſſitudine, *contubernales* dicebantur. Unde factum, ut qui belli duces ac provinciarum præſides comitum numero ſecuti, atque adeo honeſtiore loco habiti eſſent, maxime adoleſcentes, *in eorum agere contubernio*, & *contubernales eſſe* dicerentur. Sueton. Cæſ. cap. II. & XLII. & mox hic cap. ſequente. Illud vero minus proprie, quod Cajum exſtincto patre Germanico *primum in matris, deinde in Liviæ proaviæ ſuæ contubernio* manſiſſe ſcribit Calig. cap. X. Eleganter vero Cic. Ver. VII. *Ubi illud contubernium muliebris militiæ in illo delicatiſſimo littore?* Porro ad militaris contubernii ſimilitudinem quandam factum eſt, ut, cum inter ſervos jure Romano veræ nuptiæ dici nequeant, ſervile connubium, non matrimonium, ut inter liberos, ſed uti mera cohabitatio, *contubernium* diceretur. ſic enim de ſervilibus cognationibus pulchre Paullus J. Ctus. l. XIV. De ritu nupt. Hinc *contubernales* etiam ſervorum uxores

dio Principe, Narciſſi gratia Legatus legionis in Germaniam miſſus eſt: inde in Britanniam tranſlatus, tricies cum hoſte conflixit. Duas validiſſimas gentes, ſuperque xx. oppida, & inſulam Vectem Britanniæ proximam, in ditionem redegit, partim Auli Plautii conſularis Legati, partim Claudii ipſius ductu. Quare triumphalia ornamenta, & in ſpatio brevi, duplex ſacerdotium accepit. Præterea Conſulatum, quem geſſit per duos noviſſimos anni menſes: medium tempus ad Proconſulatum uſque, in otio ſeceſſuque egit: Agrippinam timens, potentem adhuc apud filium; & defuncti quoque Narciſſi amicos peroſam. Exin ſortitus Africam, integerrime, nec ſine magna dignatione adminiſtravit: niſi quod Adrumeti ſeditione quadam, rapa in eum jacta ſunt. Rediit certe nihilo opulentior, ut qui prope labefacta jam fide, omnia prædia fratri obligarit: neceſſarioque ad mangonicos quæſtus ſuſtinendæ dignitatis cauſſa deſcenderit. propter quod vulgo Mulio vocabatur. Convictus quoque dicitur, ducenta LLS. expreſſiſſe juveni, cui latum clavum adverſus patris voluntatem impetrarat, eoque nomine graviter increpitus. Peregrinatione Achaica inter comites Neronis, cum cantante eo aut diſcederet ſæpius

uxores dictæ cum ſæpe alibi, tum l. ccxx. De verb. ſignif. Sed & eleganter Seneca Controverſ. lib. III. *In contubernium* (inquit) *deducta ſervi domina eſt.* Talis igitur apud Virgilium Amaryllis, & hoc loco Cænis. Quæ quanquam ſerva non eſſet, quia tamen libertinam ducere ſenatores lex prohibuit, Veſpaſiani uxor dici non potuit. Quin etiam, ſi mulierem cum qua matrimonium iniri potuit, non tamen maritali affectione ſibi quis adjunxerit, *contubernium* potius dicetur quam conjugium, aut nuptiæ. ſic enim Juſtinian. Inſtitut. lib. III. titul. I.

VARIOR.

Et Domitillam.] Divæ Domitillæ, ſororis Titi & Domitiani Imperatorum, Veſpaſiani Auguſti filiæ, a Domitiano Imperatore conſecratæ, cujus meminit Statius libro Silvarum primo, hanc marmoream inſcriptionem vidi: C. ASCONIO. C. F. FAB. SARDO. IIII. VIR. I. D. PRÆF. FABR. FRATRI. CUSINIÆ. M. F. SARDI. MATRI. ET. SIBI. ASCONIA. C. F. AUGURINA. SACERDOS. DIVÆ. DOMITILLÆ. *Onuphrius Panvinius.*

TORRENT.

4. *Inſulam Vectem.*] Vectim aut Victeſin ſive Οὐίκτησιν vocant Plin. & Ptolem. Verum Ptolemæus inter Galliam & Britanniam eam conſtituit, Plinius inter Britanniam & Hiberniam, ſed male. Eum vide. Eutropius Vectam ſcribit. Hinc Veſpaſiani laudes apud Valer. Flaccum lib. I. Silium lib. II.

A. Plautii conſul. legati.] Liber opt. *leg. conſularis.* Vide Claud. cap. XXIV.

Triumphal. orn. & in ſpatio brevi.] Tres MSS. *& in brevi ſpatio.* Sic vero etiam Galba ornamenta triumphalia accepit, & ſacerdotium triplex, cap. VIII.

Fratri obligarit.] MSS. omnes *obligarat*, vel *obligaret.*

Peregrinatione Achaica.] Ner. cap. XVII.

CASAUBON.

4. *Tricies cum hoſte conflixit.*] An legendum ex Eutropio *tricies & bis?* non enim dubitari poteſt, quin ex Suetonio totum illum locum deſumſerit. neque aliter Paulus Diaconus in hiſtoria Miſcella. At ὁ χρηστὸς Pæanius quam ineptit in hujus periodi metaphraſi? mitto quod *tricies & bis* vertit δύο καὶ τρισὶ μάχαις. nam fortaſſe aliter ſcripſerat. illud plane ridiculum, quod gentes illas duas, quarum mox fit mentio, interpretatur de Germanis & Britannis. quos ait ope Veſpaſiani acceſſiſſe ad Imperium populi Rom. ſexcenta his ſimilia in eo ſcriptore.

Rapa in eum jacta ſunt.] Conſuetudine φυλλοβολίας in contrarium verſa, per quam flores & omne genus fructus mittebantur. vide ad librum ſextum. at odii & contumeliæ cauſſa rapa jacta, fimus, lapides, aut lutum: cujus moris mentio etiam apud Juriſconſultos, lege prima Dig. De extraordinariis criminibus. Obſervant etiam veteres Critici morem Athenis fuiſſe, ut facinoroſi extra fines exportandi luto faciem illinerentur. Auctor Etymologici: Οἱ Ἀττικοὶ τὸν ἐπί τινι ἁμαρτήματι ἁλόντα, πηλῷ χρίοντες ἐδημοσίευον. Idem auctor alibi, etiam in aliis quam in damnatis ſententia judicis, hunc morem fuiſſe uſurpatum ſcribit. Οἱ ἀρχαῖοι, inquit, ὅτε ἤθελον ὑβρίσαι τινὰ καὶ ἐμπαῖξαι, πηλῷ ἔχριον τὸ πρόσωπον αὐτοῦ.

Propter quod vulgo Mulio vocabatur.] Credo propter mangonicos quæſtus e mulis Reatinis, qui tum maxime in uſu & pretio. Veſpaſiani autem prædia in agro Reatino.

Peregrinatione Achaica inter comites N.] Simile periculum ſubiit idem ex ſimili vel eadem cauſſa & in Urbe. Tacitus libro XVI. Annalium: *Ferebant Veſpaſianum tanquam ſomno conniveret, a Phœbo liberto increpitum, ægreque meliorum precibus obtectum: mox imminentem perniciem majore fato effugiſſe.*

VARIOR.

4. *Ad mangonicos quæſtus.*] Salmaſium vide ad cap. LXIX. Aug.

TOR-

pius, aut præſens obdormiſceret, graviſſimam contraxit offenſam: prohibituſque non contubernio modo, ſed etiam publica ſalutatione, ſeceſſit in parvam ac deviam civitatem, quoad latenti, etiamque extrema metuenti, provincia cum exercitu oblata eſt. Percrebuerat Oriente toto vetus & conſtans opinio: eſſe in fatis, ut eo tempore Judæa profecti rerum potirentur. Id de Imperatore R. quantum eventu poſtea prædictum paruit, Judæi ad ſe trahentes, rebellarunt: cæſoque Præpoſito, Legatum inſuper Syriæ conſularem ſuppetias ferentem, rapta aquila fugaverunt. Ad hunc motum comprimendum cum exercitu ampliore & non inſtrenuo duce, cui tamen tuto tanta res committeretur, opus eſſet, ipſe potiſſimum delectus eſt: & ut induſtriæ expertæ, nec metuendus ullo modo ob humilitatem generis ac nominis. Additis igitur ad copias duabus legionibus, octo alis, cohortibus decem, atque inter Legatos majore filio aſſumto, ut primum provinciam attigit, proximas quoque convertit in ſe: correcta ſtatim caſtrorum

Torrent.

Salutatione publica.] Quæ in turba, atque inter ceteros fieret, ut JCti loquuntur.

Judæa prof. rer. pot.] Hoc veriſſimum de CHRISTO Servatore vaticinium nec Judæi, nec Romani tunc intellexere. Vide Hegeſippum.

Et ut induſtriæ expertæ.] Melius MSS. *ut & induſtria expertæ.* Optimus etiam *expertus* habet, ut *expertos belli juvenes* Virgil. lib. x. & *expertos certaminum* Livius lib. x.

Proximas quoque.] Recte, non addita dictione *civitates*, quæ eſt in vulgatis codicibus. ſententia enim eſt, etiam proximas provincias Veſpaſianum in ſe convertiſſe admiratione virtutis. Joſeph. ſane non Judæam ſolum, ſed Orientem totum commotum ſcribit miſſo illuc Veſpaſiano.

Casaubon.

Judæa profecti rerum potirentur.] Videtur & Tacitus & Suetonius, qui verbis iiſdem hoc oraculum referunt, ipſa verba expreſſiſſe, quibus id conceptum: in quibus apparent veſtigia veritatis & ejus vaticinii, unde iſtud manavit. Scriptum enim in ſacris litteris, ἐκ τοῦ ἐξελεύσεται ὁ ἡγούμενος. Lege Joſephum Ἁλώσεως libro ſexto cap. xxxi. Hegeſippum libro quinto cap. xliv.

Quantum eventu poſtea prædictum paruit.] Scribe cum aliis libris, etiam Viterbienſi, *quantum poſtea eventu paruit prædictum.* e Pithœi codice eſt *paruit* pro *patuit.*

Cæſoque præpoſito, legatum inſuper Syriæ conſularem ſuppetias ferentem rapta aquila fugaverunt.] Romani cum de rebus Judæorum loquuntur, quam tenuem rerum illorum notitiam haberent, nunquam non oſtendunt. hæc certe Suetonii verba, ſi commoda interpretatione non adjuventur, a narratione Joſephi, hoc eſt, a veritate hiſtoriæ, auctor alioquin diligentiſſimus videatur aberraſſe. Erat tum Judææ procurator Geſſius Florus, fax & auctor præcipuus illius belli. hunc ſi intellexit noſter & fuiſſe occiſum voluit ſignificare, fugit eum ratio. neque enim eſt occiſus in illo motu. ſed *cædere* verbum Latinis hiſtoricis non ſemper occiſionem denotat: verum detrimentum, cladem que exercitus, & quod Græci dicunt, πληγὰς λαβεῖν τὸν στρατόν. hoc ſenſu feram ſane dici Florum a Judæis cæſum, id eſt, clade belli affectum, multis ſuorum amiſſis. nam eo tempore multi Romani milites ſunt contrucidati. Fortaſſe cædem illam reſpicit Rom. militum, quorum Metilius erat præpoſitus. Joſephus τῶν Ῥωμαίων ἔπαρχον nominat, hiſtoriam commemorans lib. ii. Ἁλώσεως, cap. xxxii. nec refert, quod ipſius Metilii vitæ parcitum eſt. nam hoc potuit Suetonius ignorare: cum præſertim, ut diſerte Joſephus docet, omnia Judæorum delicta Flori aſtu & fraude graviora atque atrociora quam eſſent, Romam nuntiarentur. Sic & quod ait de aquila rapta, in hiſtoria Joſephi non legas, quam habes fuſe expoſitam eodem libro, cap. xl. Ita exponere hunc locum præſtat, quam non neceſſariæ viri docti emendationi aſſentiri: qui invitis libris omnibus illa verba *cæſoque præpoſito* cenſuit mutanda, ſcribendumque *Geſſiumque præpoſitum.* Si omnia veterum hiſtoricorum παροράματα aut παρακούσματα ex animi noſtri ſententia emendare voluerimus, quis erit finis? aut quis ferendum cenſeat? Nam Suetonium quidem non aliter ſcripſiſſe, neque aliter heic olim eſſe lectum, etiam alia ratione probare poſſumus. Oroſius narrationi Tranquilli κατὰ πόδα inſiſtens, hanc illius periodum ita expreſſit: *exſtinctiſque Romanis præſidiis, legatum quoque Syriæ ſuppetias ferentem, rapta aquila & cæſis copiis, fugaverunt.* eadem verba etiam in Hiſtoria miſcella habentur. quæ ſuperiorem emendationem manifeſto confutare & pueri videant.

Ut & induſtriæ expertus.] Nove dictum *expertus* pro eo qui dedit ſpecimen, & ut Græci dicunt, ὁ πεῖραν δούς. nam vulgo eſt ὁ πεῖραν λαβών. Imitatur hunc locum pſeudo-Hegeſippus, cum ait libro iii. *Veſpaſianum expertum virum belli, omni militiæ, quæ in Syria erat, præfecit.* ſic libro v. eidem,

Kkkk expertos

rum diſciplina: uno quoque & altero prælio tam conſtanter inito, ut in oppugnatione caſtelli lapidis ictum genu, ſcuto ſagittas aliquot exceperit. Poſt Neronem Galbamque, Othone atque Vitellio de Principatu certantibus, in ſpem Imperii venit, jam pridem ſibi per hæc oſtenta conceptam. In ſuburbano Flaviorum quercus antiqua erat, Marti ſacra, per tres Veſpaſiæ partus, ſingulos repente ramos a frutice dedit, haud dubia ſigna futuri cujuſque fati. Primum exilem, & cito arefactum: ideoque puella nata non perannavit: ſecundum prævalidum, ac prolixum, & qui magnam felicitatem portenderet: tertium vero inſtar arboris. quare patrem Sabinum ferunt haruſpicio inſuper confirmatum, renuntiaſſe matri, *nepotem ei Cæſarem genitum*: nec illam quidquam aliud, quam cachinnaſſe, mirantem, *quod adhuc ſe mentis compote deliraret jam filius ſuus.* Mox cum Ædilem eum C. Cæſar ſuccenſens, propter curam verrendis viis non adhibitam, luto juſſiſſet oppleri: congeſto per milites in prætextæ ſinum, non defuerunt, qui interpretarentur, Quandoque proculcatam, deſertamque remp. civili aliqua perturbatione in tutelam ejus, ac velut in gremium, deventuram. Prandente eo quondam, canis extrarius e trivio manum humanam intulit, menſæque ſubjecit. Cœnante rurſus

expertos belli viros. & alibi idem, *ſuſpectus conſilii.* variant autem codd. iſto loco & partim *induſtriæ*, partim *induſtria expertus* habent. in his Viterb. At vulgo *induſtriæ expertæ.* Juſtinus lib. XLI. *Arſaces vir ſicut incertæ originis, ita virtutis expertæ.*

TORRENT.

Uno quoque & altero.] Rectius fortaſſe *unoque & altero.*

Scuto ſagittas.] Libb. duo *ſcutoque ſagittas.*

5. *Othone atque Vitellio.*] Codex opt. *ac Vitellio.*

Quercus ant. quæ erat Marti ſacrata.] Idem cod. *Quercus ant. Marti ſacrata*, deletis *quæ erat.*

Singulos repente.] Verbum *repente* deſideratur in nonnullis MSS.

Non perannavit.] Ita capio, ut puellam neget annum integrum ſuperfuiſſe. Supra quidem, cap. III. uxori, ac filiæ ſuperſtes, & utramque adhuc privatus amiſiſſe Veſpaſianus ſcribitur. Non eſt igitur, cur malimus *perennavit.*

Quicquam aliud quam cachinnaſſe.] Lib. unus non habet dictionem *aliud.* Loquitur autem de Tertulla, Sabini matre, Veſpaſiani avia.

Cajus Cæſar ſuccenſens propter curam.] Libri MSS. *ſuccenſus*, aut *ſuccenſens*, unus etiam, vetuſtiſſimus, ſine *propter*, Terent. Andria, *ſi id ſuccenſent nunc*, id eſt, propter id. Donatus.

Canis extrarius triclinio.] Libb. MSS. *ex trivio*, vel *e trivio*, quod ſequor. firmat enim augurium. *Extrarius* autem opponitur domeſtico, quod extra focum, ſacramentum, juſque ſit. Male igitur qui Latinum negant, & *extraneus* tantum admittunt. Terent. Phormione, *Hanc conditionem ſi cui tulero extrario*, & *extraria lux* apud Lucretium lib. IV.

CASAUBON.

Ut in oppugnatione caſtelli lapidis ictum genu, ſcuto ſagittas aliquot exceperit.] Petrus Apollonius Collatius de excidio Hieroſolymitano libro ſecundo, in obſidione Jotapates:

- - - media inter talia ſtridens,
Incertum qua jacta manu, delapſa ſagitta eſt
Sub Petroniadæ coxam, qua poplite juncta eſt.

Joſephus narrat libro tertio cap. XVI. Hegeſippus lib. III. cap. XII.

5. *Singulos repente ramos a frutice dedit.*] Mira Latinitas, & vitii ſuſpecta. Probo vero Juſti Lipſii emendationem, *ramos an frutices dedit.* quod genus dicendi non raro corrupit librariorum imperitia.

Ideoque puella nata non perannavit.] Sive *perennavit* ſcribatur, ſive *perannavit*, ut conſtanter in MSS. non dubium eandem eſſe vocis utriuſque originem. Fere autem id verbum accipitur pro *πολλὰ ἔτη διαγίνεσθαι*, ſive *διαιωνίζειν.* Veteres Romani menſe Martio ſoliti ſacra facere Annæ Perannæ: ut liceret ſibi non ſolum annare, ſed & perannare: hoc eſt, *durare in multos annos.* Suetonius *καινοπρεπῶς* accepit pro *διετίζειν*, *durare in annum.* Non diſſimilis ambiguitas in dictionibus *διετὴς* & *διέτης* Græcorum. prior de eo dicitur, qui perannet: poſterior de bimo. quare etiam verbum *διετίζειν*, quod ſignificat perannare, ut loquitur Suetonius, de bimatu quodam loco apud Theophraſtum Gaza interpretatur.

Mox cum ædilem eum C. Cæſar.] Omittit Xiphilinus ſuo loco, ſed exſtat apud Dionem libro LVIII. in rebus Caji: *Πηλὸν πολὺν ἐν στενωπῷ τινι ἰδὼν, ἐκέλευσεν αὐτὸν ἐς τὸ τοῦ Ὀυεσπασιανοῦ τοῦ Φλαβίου ἱμάτιον, ἀγορανομοῦντός τε τότε, καὶ τῆς τῶν στενωπῶν καθαριότητος ἐπιμελουμένου, ἐμβληθῆναι.* & quæ ſequuntur.

Canis extrarius e trivio manum humanam intulit.] Puto hanc eſſe veram *γραφὴν* in Memmiano diſerte

rurſus bos arator decuſſo jugo, triclinium irrupit: ac fugatis miniſtris, quaſi repente defeſſus, procidit ad ipſos accumbentis pedes, cervicemque ſubmiſit. Arbor quoque cupreſſus in agro avito ſine ulla vi tempeſtatis evulſa radicitus, atque proſtrata, inſequenti die viridior ac firmior, reſurrexit. At in Achaia ſomniavit, initium ſibi ſuiſque felicitatis futurum, ſimul ac dens Neroni exemtus eſſet: evenitque, ut ſequenti die progreſſus in atrium, medicus dentem ei oſtenderet tantum quod exemtum. Apud Judæam Carmeli Dei oraculum conſulentem, ita confirmavere ſortes, ut quidquid cogitaret, volveretque animo quamlibet magnum, id eſſe proventurum, pollicerentur. Et unus ex nobilibus captivis Joſephus, cum conjiceretur in vincula, conſtantiſſime aſſeveravit

te expreſſam: alii libri mire variant. Viterb. *exterritus e trivio.* quidam *extrarius triclinio m. h. intulit.* plerique aut *extrarius* tantum, aut *e trivio* ſolum. Dio: Κύων αὖθις, σῖτον αὐτῷ καὶ τότε αἱρουμένῳ χεῖρα ἀνθρωπίνην ὑπὸ τὴν τράπεζαν ὑπέβαλε. confer & ſequentia: nam omnia fere totidem litteris ibi habentur.

VARIOR.

5. *Ramos a frutice dedit.*] Scribendum videtur *a fomite*, id eſt, a radice. *Fomes radix* legitur apud Sidonium Apollinarem. inde *fomes peccati*, id eſt, radix peccati apud Theologos. GUJET.

Succenſens.] Cod. Salm. *ſuccenſus.*

TORRENT.

Ad ipſos accumb.] Mallem *ad ipſius accumbentis pedes*, ut in uno codice.

Evulſa radicitus atque proſtrata.] Lib. unus *proſtrata*, expunctis aliis, credo, ne nimium mentiretur. Inf. Domit. cap. XV. *arbor quæ everſa ſurrexerat.* De eadem quoque Tacit. *Cupreſſus arbor repente prociderat* Xiphilinus non minus tragice quam hoc loco Sueton.

Tantum quod exemptum.] Sic Turnebi codex, & unus e noſtris. Alii omnes *recenter quidem exemptum.* Vide Aug. cap. LXIII. & XCVIII.

Carmeli Dei.] De hac re ſic Tacit. lib. II. Hiſtor. *Eſt Judæam inter Syriamque Carmelus. Ita vocant montem, Deumque. Nec ſimulacrum Deo, aut templum hic tradidere majores, aram tantum, & reverentiam.* Carmelum vocant Tacit. & Sueton. Deum, qui ſine nomine eſt, & regnat in æternum.

Quantumlibet magnum.] Liber opt. *quamlibet magnum.*

Joſephus.] Nobilis ille hiſtoricus, quem vide lib. III. Belli Judaici cap. XIV. An tamen Sueton. Joſephi nomen addiderit, ignoro. Plura Xiphilin.

CASAUBON.

Tantum quod exemptum.] A Pithœi & Memmii codice eſt, & Torrentii uno, ut ipſe ait. nam Viterb. habet, *recenter exemptum.* non ut in vulgatis *recenter quidem.*

Apud Judæam Carmeli dei oraculum conſulentem.] Collatius lib. II.

Vulſa ſolo frondeſque novas induta cupreſſus,
Nunc habet illa fidem: Matathiademque locutum
Vera tibi vatem, & Corneli oracula diſces.

ſcribe *Carmeli oracula.*

VARIOR.

Carmeli Dei oraculum.] Tacitus: *Eſt Judæam inter Syriamque, Carmelus: ita vocant montem, Deumque. nec ſimulacrum Deo, aut templum: ſic tradidere majores: aram tantum, & reverentiam.* Et longe Tacito Suetonioque antiquior Scylax Caryandenſis: Κάρμηλος ὄρος, ἱερὸν Διός. Significat montem, & Deum eſſe, & Dei ſedem ac fanum. Nullum enim in eo templum, ut Tacitus indicat: ſed ipſe mons Carmelus quaſi templum erat numinis: imo & corpus ejus. Nam Carmelus Deus conſtabat genio loci, & vaſto montis corpore. Veriſimile autem eſt, hanc opinionem paullatim irrepſiſſe ex eo, quod Elias Thisbites hic habitarit, ſcholamque habuerit: ut quidem prodidit Joannes Hieroſolymitanus Patriarcha. Vide & I. ſeu III. Reg. XVIII. item IV. Reg. cap. II. & IV. Hinc diu mons ille pro ſancto habitus eſt, gratioremque in eo fore numini cultum, judicatum. Nondum tamen mons ipſe pro numine habebatur: non magis ſane quam lapis ille faſtigiatim aſſurgens inſtar montis credebatur Deus ipſe Elagabalus: qui ſymbolum ejus ſolum habebatur. Nam *Elagabalus* quidem *Deum montem*, vel *montis Deum* ſignat: ſed eo nomine non mons intelligebatur, verum Sol, cujus delubrum in monte Emeſſeno erat. Similiter igitur non montem primo, ſed ſancti montis numen coluere: ac credibile eſt, itidem id Solem putaſſe. Tandem tamen ipſe Carmelus mons habitus pro Deo, idque occaſione ea, quam ex Tacito dicebamus. VOSSIUS.

Quantumlibet magnum, id eſſe proventurum pollicerentur.] Cod. Salm. *quamlibet magnum id eſſe, proventurum pollicerentur.* leg. *quamlibet magnum id eſſet, proventurum pollicerentur.* SALMAS.

ravit fore, ut ab eodem brevi ſolveretur, verum jam Imperatore. Nuntiabantur & ex
urbe præſagia, Neronem diebus ultimis monitum per quietem, ut thenſam Jovis opt.
max. e ſacrario in domum Veſpaſiani, & inde in Circum deduceret. Ac non multo poſt,
comitia ſecundi conſulatus ineunte Galba, ſtatua Divi Julii ad Orientem ſponte con-
verſa: acieque Betriacenſi, prius quam committeretur, duas aquilas in conſpectu omnium
conflixiſſe: victaque altera, ſuperveniſſe tertiam a Solis ortu, ac victricem abegiſſe.
Nec tamen quidquam ante tentavit, promtiſſimis atque etiam inſtantibus ſuis, quam 6
ſolicitatus quorundam & ignotorum & abſentium fortuito favore. Mœſiaci exercitus
bina e tribus legionibus milia miſſa auxilio Othoni, poſtquam iter ingreſſis nuntia-
tum eſt, victum eum, ac vim vitæ ſuæ attuliſſe: nihilo ſecius Aquilejam uſque
perſeveraverunt, quaſi rumori minus crederent. Ibi per occaſionem ac licentiam omni
rapinarum genere graſſati, cum timerent, ne ſibi reverſis reddenda ratio, ac ſubeunda
pœna eſſet, conſilium inierunt eligendi creandique Imperatoris. *Neque enim deteriores
eſſe, aut Hiſpanienſi exercitu qui Galbam, aut prætoriano qui Othonem, aut Germaniciano
qui Vitellium feciſſent.* Propoſitis itaque nominibus Legatorum conſularium, quot
ubique tunc erant, cum ceteros alii alium alia de cauſſa improbarent; & quidam e legione
tertia, quæ ſub exitu Neronis tranſlata ex Syria in Mœſiam fuerat, Veſpaſianum laudi-
bus

Torrent.

Et in Circum.] Duo libri *& inde in Circum.* Placet. Ad Aug cap. xlv. *e pulvinari.*

Bebriacenſi.] Plura exemplaria vetuſta *Betriacenſi,* ut ante ſæpius.

A Solis ortu.] Lib. Tornacenſ. *ab exortu Solis.* Fauſtum id, & per ſe, & quia in Oriente tunc agebat Veſpaſian. Horat. lib. iii. Od. xxvii.

Oſcinem corvum prece ſuſcitabo
Solis ab ortu.

6. *Germaniciano.*] Sic *Illuriciani exercitus* in nummo Decii Intemperatoris. Vide Galb. cap. xx.

Ceteros alii alium.] Melius mss. duo, *cum ceteros, alium alia de cauſa,* &c. ſine *alii.*

Casaubon.

Neronem diebus ultimis monitum per quietem.] Aliter Dio: Ὁ Νέρων ἔδοξέ ποτε ἐν τοῖς ὕπνοις τὸν τȣ̃ Διὸς ὀχὸν ἐς τὴν τȣ̃ Οὐεσπασιανȣ̃ οἰκίαν εἰσαγαγεῖν· ὀχὸς, *thenſa* eſt Suetonio, non currus, ut vertunt interpretes. vide ad libri primi caput lxxvi.

Et in Circum deduceret.] Melius noſtri mss. etiam Cujacii, *& inde in Cir. d.*

Statua divi Julii ad Orientem ſponte converſa.] In inſula Tiberina fuit hæc ſtatua. Plutarchus in Othone: Εἶδον τὸν ἐν Μεσοποταμίᾳ νήσῳ Γαΐȣ Καίσαρος ἀνδριάντα, μήτε σεισμȣ̃ γεγονότος μήτε πνεύματος, ἀφ᾽ ἑσπέρας μεταστραφέντα πρὸς τὰς ἀνατολάς· ὅ φασι συμβῆναι περὶ τὰς ἡμέρας ἐκείνας, ἐν αἷς οἱ περὶ Οὐεσπασιανὸν ἐμφανῶς ἤδη τῶν πραγμάτων ἀντελαμβάνοντο.

Acieque Bebriacenſi.] Ecce librorum inconſtantiam in tam celebris loci nomine: nam in Memmii, Pithœi & Liſlæi eſt, *Betriacenſi.* vide libro ſuperiore.

6. *Mœſiaci exercitus bina e tribus legionibus millia miſſa auxilio Othoni.*] Diſſentit a Taciti narratione, quam lege in ii. Hiſtoriarum.

Aquilejam uſque perſeveraverunt, quaſi rumori minus crederent.] Tacitus de his Mœſiacis legionibus: *Aquilejam jam progreſſæ, proturbatis qui de Othone nuntiabant, laceratiſque vexillis nomen Vitellii præferentibus.*

Aut Germaniciano.] Viterbienſis, *Germanico.* ſed præcedens vox *Hiſpanienſis* videtur hanc lectionem poſtulare. nam Hiſpanienſis & Germanicianus exercitus vocantur, qui in illis provinciis ſunt collocati, nec ſunt tamen ex iis provinciis: omnes enim legionarii cives Romani erant. Aliter Tacitum ac Suetonium quoque loqui ſupra notabamus: apud quos Germanicum exercitum & Germanicas legiones invenias.

Alii alium alia de cauſſa.] Omnino tollenda vox *alii:* quam nec Memmii nec Cujacii nec Pithœi nec Liſlæi agnoſcunt. nec aliter editio Robert. Steph.

Varior.

Acieque Bedriacenſi, priuſquam committeretur.] Id eſt, quo die apud Bedriacum pugnatum eſt, priuſquam committeretur acies. Sic commode poteſt explicari. Suſpicor tamen Suetonium maluiſſe: *acieſque Bedriacenſis priuſquam committeretur.* Gronovius.

Comitia ſecundi conſulatus ineunte Galba.] In V. C. *in comitio ſecundum conſulatum ineunte Galba.* F. Ursinus.

A Solis ortu.] Cod. Salm. *a Solis exortu.*

bus ferrent: aſſenſere cuncti, nomenque ejus vexillis omnibus ſine mora inſcripſerunt. Et tunc quidem compreſſa res eſt, revocatis ad officium numeris parumper. Ceterum divulgato facto, Tiberius Alexander præfectus Ægypti primus in verba Veſpaſiani legiones adegit Kalend. Julii: qui Principatus dies in poſterum obſervatus eſt. Judaicus deinde exercitus, v. Idus Julii apud ipſum juravit. Plurimum cœptis contulerunt, jactatum exemplar epiſtolæ, veræ ſive falſæ, defuncti Othonis ad Veſpaſianum, extrema obteſtatione ultionem mandantis, & ut reip. ſubveniret, optantis: ſimul rumor diſſipatus, deſtinaſſe Vitellium victorem permutare hiberna legionum, & Germanicas transferre in Orientem ad ſecuriorem molliorem que militiam: præterea ex præſidibus provinciarum Licinius Mucianus, & e regibus Vologeſus Parthus: ille depoſita ſimultate, quam in id tempus ex æmulatione non obſcure gerebat, Syriacum promiſit exercitum: hic

XL.

TORRENT.

Nomenque ejus.] Sic Xiphilin. Vitellio: *Delent Vitellii imagines ex ſignis, jurantque ſub imperio Veſpaſiani fore.* quem locum ſi cum Suetonio compares, ut ſigna Cæſarum imagines, ſic vexilla quoque eorum nomina præferebant.

Revocatis ad officium numeris.] Recte. ſic enim & edit. Germanica, cum alii *muneris* legant. Eſtque *numerus* militare vocabulum, non ſolum pro catalogo ſeu breviculo militum, quam etiam matriculam vocant recentiores, ſed pro ordinibus ipſis, turmiſque & cohortibus militum. varie enim diſtinguebantur. Hinc *referri in numeros, in numeris manere, deſinere in numeris eſſe* apud JCtos tit. De teſtam. milit. præſertim l. XLII. Ubi ſic Ulpian. *Ex eo tempore quis jure militari incipit teſtari poſſe, ex quo in numeros relatus eſt, ante non. Proinde qui nondum in numeris ſunt, licet jam lecti tirones ſint, & publicis expenſis iter faciant, nondum milites ſunt. debent enim in numeros referri.* Nec minus eleganter l. II. De his qui not. infamia: *Exercitum non unam cohortem, neque unam alam dicimus, ſed numeros multos militum.* Hinc ergo Plinii ad Trajanum epiſtolam intelligimus lib. x. qua de ſervis inter tirones inventis, ſed qui nondum per numeros erant diſtributi, quærit. Adde Epiſt. VIII. lib. III. & quidem Tranquillo noſtro (ut arbitror) inſcriptam. Corruptus vero Flavii Vopiſci in vita Probi Imperatoris locus, cum ſcribit: *Accepit præterea* XVI M *tironum, quos omnes per diverſas provincias ſparſit, ita ut numeris, vel limitaneis militibus quinquagenos & ſexagenos interſereret.* lego enim, *ita ut numeris limitaneis quinquag.* Lego etiam in Macrini vita apud Capitolinum: *Quod ſi vel unius numeri conſenſus accederet, neque ille recuſaret, omnes cupidiſſime id facerent.* Vulgati codices mendoſi ſunt. Sed & apud Senecam de Tranquillitate Vitæ cap. III. ex his verbis, *quæ miniſteria quæ nvis incruenta ſint, in numerum ſtipendiorum veniunt*, quanquam apta aliqua ſententia colligi poſſit, multo tamen erit aptior, ſi *in numerorum ſtipendia* legamus. Denique Claudian. Epithalamio Palladii & Serenæ, cum ait, *Regnorum tractat numeros, cuneoſque recenſet*, locum eum de militaribus copiis interpretor, & eodem pulcherrima quadam tranſlatione reſpexiſſe Virgilium arbitror illo verſu:

Navita tum ſtellis numeros & nomina fecit.

Tiber. Alexander.] Tacitus Hiſtor. II.

V. Idus Julii.] Tacit. v. *Non. Jul.* Ut alteruter emendandus ſit. Sane Tacito magis aſſentior. neque enim tam longa intercedere potuit mora, tanto Judaici exercitus ardore. Scribam fortaſſe decepit, quod Julio non niſi quatuor Nonarum dies adſcriberet.

Veræ ſive falſæ.] Pro, *veræ, an falſæ*, ut fere loquitur Tacit.

Optantis.] Quidam e noſtris *hortantis*. Placet.

Vitellium victorem.] Libb. meliores *victorem Vitellium.*

Vologeſus Parthus.] Tacit. & Victor. *Vologeſen* vocant. Cod. Tornacenſ. *Vologæſus* per æ ſcribit.

CASAUBON.

Ultionem mandantis.] Nimis argutatur Beroaldus, qui mandatum iſtud ſolutum morte, ex libris Juriſconſultorum annotat. nam mandare hoc loco, non ſimpliciter eſt ἐντέλλεσθαι, ſed quod proprie Græcis ἐπισκήπτειν. ſic lib. IV. cap. II. *mandaretque domeſticis ultionem, ſi quid accideret.* Id vero mandati genus a morte demum mandatoris vim habere incipit.

Et ut Reipublicæ ſubveniret optantis.] Libri alii, *hortantis.*

VARIOR.

6. *Revocatis ad officium numeris.*] Ἀριθμοὺς in eadem ſignificatione aliquando uſurpavit Syneſius. TURNEBUS.

Subveniret optantis.] Legendum *hortantis*. SALMASIUS. Et ſic vetus codex F. Urſini.

XL. milia ſagittariorum. Suſcepto igitur civili bello, ac ducibus copiiſque in Italiam 7
præmiſſis: interim Alexandriam tranſiit, ut clauſtra Ægypti obtineret. Hic cum de firmitate Imperii capturus auſpicium, ædem Serapidis, ſubmotis omnibus, ſolus intraſſet: ac propitiato multum Deo, tandem ſe convertiſſet, verbenas, coronaſque & panificia, ut illic aſſolet, Baſilides libertus obtuliſſe ei viſus eſt: quem neque admiſſum a quoquam, & jam pridem propter nervorum valetudinem vix ingredi, longeque abeſſe conſtabat. Ac ſtatim advenere litteræ, fuſas apud Cremonam Vitellii copias, ipſum in urbe interemtum nuntiantes. Auctoritas & quaſi majeſtas quædam, ut ſcilicet inopinato, & adhuc novo Principi deerat: hæc quoque acceſſit. E plebe quidam luminibus orbatus, item alius debili crure, ſedentem pro tribunali pariter adierunt, orantes opem valetudinis, demonſtratam a Serapide per quietem: reſtituturum oculos, ſi inſpuiſſet: confirmaturum crus, ſi dignaretur calce contingere. Cum vix fides eſſet rem ullo modo ſucceſſuram, ideoque ne experiri quidem auderet: extremo hortantibus amicis, palam pro concione utrumque tentavit, nec eventus defuit. Per idem tempus Tegeæ

TORRENT.

7. *Propitiato multum.*] Sic *profligato plurimum bello*, Oth. cap. IX.

Baſilides libertus.] Atqui Tacit. Baſilidem hunc e primoribus Ægyptiorum, & quidem ſacerdotem, fuiſſe narrat, & alioqui non nomine tantum, quod regale eſt, ſed & in ſpecie ipſa ac functione ſacerdotis Imperii omen eſt. Accedit quod Carmeli quoque, ſive montis, ſive Dei, de quo ante, ſacerdotem Baſiliden vocat, eundem nimirum qui in Serapidis templo apparuit. ſiquidem tunc longe ipſum abfuiſſe narrat Sueton. Quibus adductus rationibus dictionem *libertus*, a Grammatico aliquo pari imperitia atque impudentia adſcriptam, amovendam cenſeo. quid enim Romani hominis liberto cum Judæorum aut Ægyptiorum ſacris?

Ut ſcilicet inopinato.] Lib. unus *ut ſolet, inopinate, & novo adhuc Pr.* Placet.

Luminibus orbatus.] Similia Hadriani Principis miracula apud Spartianum.

CASAUBON.

Quadraginta milia ſagittariorum.] Tacitus ait XL. *Parthorum equitum millia.* At Viterbienſis, XV. *milia ſag.* nam in eo libro, ut in aliis veteribus multis, *mile* & *milia* ſemper ac conſtantiſſime, non *mille* ac *millia*. Memm. *quadraginta.*

7. *Interim Alexandriam tranſiit, ut clauſtra Ægypti obtineret.*] Hæc vera cauſſa, non quam Philoſtratus, ſcriptor interdum nugaciſſimus, libro quinto ait; ubi clariſſimis verbis affirmare audet præſtigiator ille inſignis Apollonius, propter ſe tranſiiſſe in Ægyptum Veſpaſianum: ſeque adeo imperium illi detuliſſe, ac donaſſe ſolum, impudentiſſimo animo gloriatur. Joſephus prudentiſſime cauſſas hujus conſilii explicat libro quarto cap. XXXVII. præcipua & potiſſima fuit, annonæ cura: norat enim Veſpaſianus, ſi ſuis præſidiis Ægyptum ſemel firmaſſet, fore eam populo Rom. inſtar freni, ob famis metum. Plura in hanc rem Pſeudo-hegeſippus libro quarto, cap. XXVI.

Baſilides libertus.] Nullum equidem vidi librum, ubi non exſtet vox *libertus.* Torrentii tamen perplacet ſententia, probabiliter valde diſputantis tollendum eſſe id verbi. accedit rationibus quas commemorat, quod error admiſſus videtur, cum temere aliquis librarius vocis *Baſilides* duas poſtremas ſyllabas, ut ſæpe accidit, geminaſſet, inde pronum emendatori incauto τὸ *lides*, quod nihil ſignificaret, vertere in tritiſſimam uſu dictionem *libertus.*

E plebe quidam luminibus orbatus.] Codex Viterbii deſcriptus, *Ephebus quidam.* ſed Tacitus tuetur vulgatam & plurium MSS. lectionem: *Ex plebe Alexandrina quidam, oculorum tabe notus.* etſi poſſit videri Suetonius ex Tacito emendatus olim ab aliquo ſciolo.

Demonſtratam a Serapide.] Vide Ariſtidis ἱεροὺς λόγους.

Si inſpuiſſet.] Agnoſcis, pie lector, falſam imitationem miraculorum CHRISTI. ſic ſolitus illudere hominibus ὁ δαίμων. & apud Epiphanium κατὰ Σαμψαίων inter inſtrumenta miraculorum eſt ὁ σίελος τῶν πλυσμάτων.

Palam pro concione utrumque tentavit.] Quid appellat *concionem*: an convocatum in eam rem populum, ſive in theatrum, ſive in forum? an potius coronam forte adſtantis multitudinis? hoc puto verius: & ſuadent Taciti verba: *Igitur Veſpaſianus cuncta fortunæ ſuæ patere ratus, nec quidquam ultra incredibile, erecta quæ aſtabat multitudine, juſſa exſequitur.* Notemus ergo vocis *concio* hunc uſum, pro multitudine ἁπλῶς.

CASAUBON.

7. *Longeque abeſſe conſtabat.*] Cod. Salm. *longeque a ſe abeſſe conſtabat.*

TOR-

geæ in Arcadia, inſtinctu vaticinantium, effoſſa ſunt ſacrato loco vaſa operis antiqui, atque in iis aſſimilis Veſpaſiano imago. 8 Talis, tantaque cum fama in urbem reverſus, a. acto de Judæis triumpho, Conſulatus octo veteri addidit. Suſcepit & Cenſuram: ac per totum Imperii tempus nihil habuit antiquius, quam prope afflictam, nutantemque remp. ſtabilire primo, deinde & ornare. Milites, pars victoriæ fiducia, pars ignominiæ dolore, ad omnem licentiam audaciamque proceſſerant. Sed & provinciæ, civitateſque liberæ, nec non & regna quædam tumultuoſius inter ſe agebant. Quare Vitellianorum quidem & exauctoravit plurimos, & coercuit. Participibus autem victoriæ adeo nihil extra ordinem indulſit: ut etiam legitima præmia non niſi ſero perſolverit. Ac ne quam occaſionem corrigendi diſciplinam prætermitteret, adoleſcentulum fragrantem unguento, cum ſibi pro impetrata Præfectura gratias ageret, nutu aſpernatus, voce etiam graviſſima increpuit, *Maluiſſem alium oboluiſſes:* litteraſque revocavit. Claſſiarios vero, qui ab Oſtia & Puteolis, Romam pedibus per vices commeant, petentes *conſtitui aliquid ſibi calcearii nomine*; quaſi parum eſſet, ſine reſponſo abegiſſe, juſſit poſthæc excal-

TORRENT.

8. *Conſulatus octo veteri addidit.*] Veterum vocat, quem privatus adhuc geſſit ſub Claudio Principe ex Cal. Novembris, quo anno P. Cornelius Fauſtus, & L. Salvius Otho Cal. Januar. inierant magiſtratum. Sup. cap. IV. inf. Domit. cap. I. Onufrius tamen aliter digerit.

Pars victoriæ fiducia, pars ignom. dolore.] Interpretes neſcio quos ſub prioribus Principibus ignominia notatos inducunt, quod ridiculum eſt. nam cum ignominia dimiſſi jam milites eſſe deſierant. *Victoriæ* igitur *fiduciam*, & *ignominiæ dolorem* intelligo, prout vel Veſpaſiani partes ſecuti fuerant, vel adhæſerant Vitellio.

Halium oboluiſſes.] Sic ſcribunt, qui ab halando deducunt. Sed vetuſtiſſimi codices & Suetonii hic, & Horatii Epod. II. *alium* ſcribunt:

Edit cicutis alium nocentius.

Adde Pierium ad illud Virgilii:

Alia, ſerpyllumque herbas contundit olentes.

Claſſiarios.] Hos remiges, ſeu navales ſocios fuiſſe jam ante didicimus Galb. cap. XII. Ex eorum igitur corpore quidam ultro citroque Oſtia Romam pedibus commeabant, de quibus hic Sueton.

Per vicos commeant.] Libri MSS. *per vices*, unus etiam *commeabant*. Et ſane *per vices* malim. Quanquam Roma Oſtiam uſque ripæ ædificiis plenæ erant.

Calcearii nomine.] *Calcearium* dixit Sueton. ut *clavarium* Tacit. lib. III. Hiſtor. pro donativo quod vel in calceos, vel in caligares clavos impenditur. Sic *camelaſia*, vel (ut alii legunt) *camelaria* apud JCtos, quod alendis camelis datur, l. I. & l. ult. De munerib. quo vocabulo uſus eſt etiam Ammianus lib. XVII. Neque alio ſenſu Ciceronis in Piſonem verba accipio, cum ait: *Nonne* HS. *centies & octogies, quod quaſi vaſarii nomine in venditione mei capitis aſſcripſeras, ex ærario tibi attributum Romæ, in quæſtu reliquiſti? vaſarium* enim vocat omne illud, quo ituri in provinciam magiſtratus ſupellectilis cauſſa inſtruebantur. Qua de re Aug. cap. XXXVI.

CASAUBON.

8. *Talis tantaque cum fama in urbem reverſus.*] Vere primo navem conſcendit, circa medium Martii. Apollonius Collatius:

Ergo ita compoſitis rebus, cum piſcis aquoſi
Linqueret hoſpitium Titan frontemque moveret
Arietis inſani, ſecuris credita ventis.
Sulcat aquas, pelagoque volans petit Itala puppis
Littora.

Sed Tacitum vide, qui Eteſiarum flatum Alexandriæ oppertum eſſe Veſpaſianum narrat: Joſephus libro quarto iter illud deſcribit capitibus XXXVII. & XL. ac ſequentibus, & libro VII. capitibus V. & X.

Suſcepit & cenſuram.] Teſtes, Plinius, nummi, lapides. vide in Faſtis.

Cum ſibi pro impetrata præfectura gratias ageret.] Interpretor de præfectura unius alarum ex libri ſecundi capite XXXVIII.

Claſſiarios vero, qui ab Oſtia & Puteolis Romam pedibus per vices commeant.] Scripſimus *per vices* ex libro Pithoei. cui & Memmianus & alii quoque aſſentiuntur, teſte Torrentio. at Viterb. *per vicos*, ut vulgo. De claſſiariis paſſim loquuntur Tacitus & Suetonius, item Plinius in epiſtola de morte avunculi, ac cæteri quoque hiſtorici meminerunt, & veteres inſcriptiones: ſed de hac eorum curſitatione nihil legi apud alios. ſimiles, at non iidem tamen, dromonarii, de quibus Caſſiodorus lib. II. & IV.

VARIOR.

8. *Maluiſſem allium oboluiſſes.*] Codex Salmaſ. *alium*

(a) *A.U.C.* DCCCXXIII. DCCCXXIV. DCCCXXV. DCCCXXVII. DCCCXXVIII. DCCCXXIX. DCCCXXX. DCCCXXXI.

excalceatos curſitare: & ex eo ita curſitant. Achajam, Lyciam, Rhodum, Byzantium, Samum libertate ademta, item Thraciam, Ciliciam, & Comagenem ditionis regiæ uſque ad id tempus, in provinciarum formam redegit. Cappadociæ propter aſſiduos Barbarorum incurſus

lium. Sic ſemper antiquiores codices. & ſic ſcripſiſſe veteres, Probus monuit:

Alia ſerpyllumque, herbas contundit olentes.

T o r r e n t.

Thraciam, Ciliciam.] Cum diu ante Veſpaſianum in ditionem pop. R. redacta fuerit Thracia, Turneb. Adverſar. XXIV. cap. XXXVI. *Trachium* legi vult, ut eam accipiamus Ciliciæ partem, quam a montium aſperitate ſic veteres appellabant. Et Thraciam quidem ſub Claudio Principe factam eſſe provinciam, auctor eſt Euſeb. Chronicis, verum multo ante Cilicia a proconſulibus adminiſtrata, Romanis ſubſuit, & qui Ciliciam dicit tam aſperam quam planam dicere videtur. Accedat Eutropii auctoritas. is enim de Veſpaſiano, & quidem ex Suetonio, (ut apparet) *Achaiam* (inquit) *Lyciam, Rhodum, Byzantium, quæ liberæ ante hoc tempus fuerant, item Thraciam, Ciliciam Tracheam, Commagenem, quæ ſub regibus amicis erant, in provinciarum formam redegit.* Ut Turnebo tamen adſentiar, non ſolum Euſebii locus ſuadet, verum id quoque quod de Ciliciæ parte Polemoni regi a Claudio tradita annotavi Ner. cap. XVIII. Sed & Victor hac de re loquens, *Syria* (inquit) *ſeu Palæſtina, nec non Cilicia Trachea, & Comagene, quam hodie Auguſtophratenſem nominamus, provinciis acceſſere.* Thraciam igitur apud Eutropium non feremus, & Suetonium interpoſita aſpiratione emendabimus. *Comagenis* quidem Tiberio III. Germanico II. coss. *Q. Servæus præponitur*, (verba ſunt Taciti Annal. II.) *tum primum ad jus prætoris tranſlatis.* Sed decretum id Tiberii Caligula reſcidit, qui (ut auctor eſt Dion lib. LIX.) Antiocho, Antiochi filio, Comagenen, paternum regnum, adjectis Ciliciæ maritimis, reddidit. Veſpaſianus vero iterum provinciam fecit.

C a s a u b o n.

Thraciam, Ciliciam & Commagenen.] Tuentur hanc lectionem noſtri codices: tuetur & Pæanius aperte, cujus hæc verba apud Eutropium: Θρᾷκάς τε ἐπὶ τούτοις καὶ Κίλικας καὶ Κομμαγηνοὺς, οἰκείας ἔχοντας βασιλείας, εἰς ἐπαρχιῶν σχῆμα μετέστησε. Si ea ſcriptura ſedet, intelligemus de parte aliqua Thraciæ, ubi regnum ante fuerit. & ſcimus, quam late pateat interdum Thraciæ appellatio. Doctiſſimo Turnebo viſum reſcribere *Tracheam Ciliciam*: quæ lectio omni difficultate caret. vide Strabonem lib. XIV.

Ditionis regiæ uſque ad id tempus.] Non ſemper tamen, Commagene quidem. quam in provinciæ formam redegit Tiberius, tranſtulitque ad jus prætoris. Tacitus in actis anni DCCLXXI. Annalium lib. II. ſed priorem formam πολιτείας Commagenis reſtituerat Cajus impoſito Antiocho. Dio libro quinquageſimo octavo: Ἀντιόχῳ τε τῷ τοῦ Ἀντιόχου τὴν Κομμαγηνὴν, ἣν ὁ πατὴρ αὐτοῦ ἔσχε, καὶ προσέτι καὶ τὰ παραθαλάσσια τῆς Κιλικίας ἔδωκε. qui locus movet me valde, ut Turnebo aſſentiar, & legam, *Tracheam Ciliciam & Commagenen.* nam maritima Ciliciæ, non aliud quam Trachea Cilicia, quæ Commagenæ adjuncta, ac regi uni attributæ ambæ.

V a r i o r.

Excalceatos.] Codex Salmaſ. *excalciatos*, atque ita ſemper. ex Græco κάλτιον.

Achajam.] Sane Achajæ, & omni Græciæ libertatem ademit Veſpaſianus. Nam nomine Achajæ omnis Græcia comprehendebatur, auctore Pauſania. De libertate Achæis a Nerone reddita Plinius lib. IV. cap. VI. Philoſtratus item libro quinto, ante finem: qui inter cætera Apollonium ſic ſcripſiſſe ad Veſpaſianum, tradit: Νέρων τοὺς Ἕλληνας παίζων ἠλευθέρωσε, σὺ δὲ αὐτοὺς σπουδάζων ἐδουλώσω. Ἔρρωσο. Nero liberos dimittens Achæos, & omnem Græciam, ne populus Romanus doleret ſibi hanc provinciam ademptam, Sardiniam Romanis donavit. Pauſanias Achaicis. Jos. Scaliger.

Rhodum.] Sex. Rufus: *Ita Rhodus & Inſulæ primum libere agebant. Poſtea in conſuetudine parendi Romanis clementer provocatæ pervenerunt: & ſub Veſpaſiano Principe Inſularum provincia facta eſt.* In Notitia Imperii: *Lyciæ, Cariæ, Inſularum.*

Thraciam, Ciliciam, & Commagenem.] Eutropius: *Ciliciam Tracheam, & Commagenem.* Κίλικες τραχιῶται Stephano & Straboni. Inde Κιλικία τραχεῖα. In omnibus ſcriptis & excuſis inepte *Thracia* pro *Trachea* excuſum. Alioquin Thraciæ provinciæ a Veſpaſiano diſpoſitæ fuerunt. Vide Euſtathium in Dionyſium. Ex Thraciis ſex provincias fecit, Thraciam, Æmimontem, Mœſiam inferiorem, Scythiam, Rhodopen, Europam, in qua ſecundæ arces orbis Rom. ſunt poſitæ. Sex. Rufus in veteri inſcriptione: CONSULARI. PROVINCIÆ. EUROPÆ. ET. THRACIÆ. In Notitia: *Sub diſpoſitione viri ſpectabilis Vicarii Diœceſeos Thraciarum*, EUROPA, THRACIA, HÆMIMONTUS, RHODOPA, MOESIA SECUNDA, SCYTHIA. *Joſ. Scaliger.*

T o r-

curſus legiones addidit: conſularemque rectorem impoſuit, pro equite R. Deformis urbs veteribus incendiis ac ruinis erat: vacuas areas occupare, & ædificare, ſi poſſeſſores ceſſarent, cuicumque permiſit. Ipſe reſtitutionem Capitolii aggreſſus, ruderibus purgandis manus primus admovit, ac ſuo collo quædam extulit: ærearumque tabularum tria milia, quæ ſimul conflagraverant, reſtituenda ſuſcepit: undique inveſtigatis exemplaribus, inſtrumentum Imperii pulcerrimum ac vetuſtiſſimum confecit: quo continebantur pæne ab exordio urbis ſenatuſconſulta, plebiſcita de ſocietate, & fœdere, ac
9 privilegio cuicumque conceſſis. Fecit & nova opera, templum Pacis foro proximum: Divique Claudii in Cœlio monte, cœptum quidem ab Agrippina, ſed a Nerone prope funditus deſtructum. Item Amphitheatrum urbe media, ut deſtinaſſe compererat Auguſtum: Ampliſſimos ordines, & exhauſtos cæde varia, & contaminatos veteri negli-

TORRENT.

Ærearumque tabularum.] Lib. unus *anearumque.* Legenda vero quæ ſequuntur, unico contextu, ſublato verbo *confecit.* ſic enim in edit. Germanica, & melioribus MSS.

Plebiſcita de ſocietate.] Si codices ſuffragarentur, legerem, *plebiſcita, ſocietates, fœdera, ac privilegia cuicunque conceſſa.* Alioqui ante dictionem *plebiſcita* interponenda conjunctio eſt.

9. *Divique Claudii.*] Spectat huc Suetonii locus Claud. cap. XLV. *Funeratus eſt ſolenni Principum pompa, & in numerum deorum relatus. Quem honorem a Nerone deſtitutum abolitumque recepit mox per Veſpaſianum.* Sed & Sex. Aurelius Victor: *Capitolium, ædem Pacis, Claudiique monumenta reparavit. Monumenta* cum ait, non templum Claudii tantum, de quo hic Sueton. ſed & aquas Curtiam & Cæruleam intellige. has enim, a Claudio inductas, reſtituit. Qua de re Claud. cap. XX.

Ampliſſimos ordines.] *Ampliſſimum ordinem* etiam equeſtrem vocat. Ac de ea utriuſque ordinis purgatione loqui arbitror Suetonium, qua non ſolum indignos removeri, ſed & gentes familiaſque compoſuit atque reſtituit, & quidem (ſi Victori credimus) numero mille, cum ægre ducentas reppeviſſet, pleriſque tyrannorum ſævitia exſtinctis.

CASAUBON.

Conſularemque rectorem impoſuit pro equite Rom.] Cappadociæ in formam provinciarum redactæ, eques impoſitus a Tiberio. Dio lib. LVII. in anno DCCLXX. *Καὶ ἡ Καππαδοκία τῶν τε Ῥωμαίων ἐγένετο, καὶ ἱππεῖ ἐπετράπη.*

Ruderibus purgandis manus primus admovit, ac ſuo collo quædam extulit.] Simile illud, quod vere an falſo in Actis Silveſtri de Conſtantino Magno legimus: *Octavo die proceſſit, albis depoſitis, totus mundus & ſalvus: & veniens ad confeſſionem beati Petri Apoſtoli, ablatoque diademate capitis, exuens ſe chlamyde, & accipiens bidentem, terram primus aperuit ad fundamenta baſilicæ conſtruenda. dehinc, ob numerum* XII. *Apoſtolorum, duodecim cophinos terra plenos ſuppoſitis humeris bajulans aſportavit.* Similia his narrant alii de ſummis Principibus. Sed de Veſpaſiano quod hic affirmat Suetonius, & Dio quoque confirmat, plane deſtruit Tacitus; qui abſentem facit illo tempore Veſpaſianum.

9. *Fecit & nova opera, templum Pacis.*] Arſit temporibus Commodi. Vide Herodianum & Galenum in libro de Theriaca. Nugas eorum, qui memoriæ prodiderunt, hoc templum Æternum fuiſſe dictum, & neſcio quæ miracula ibi facta ad Domini adventum, erudite refellit Cardinalis Baronius.

Ampliſſimes ordines.] Scio *σχῆμα* eſſe non ſemel uſurpatum optimis ſcriptoribus, cum duobus aut pluribus tribuitur, quod eſt uni proprium. ſed durum mihi quidem videtur, ut equitum ordo in communionem ejuſdem tituli cum ſenatu admittatur. atqui MSS. non aliter habent. Lipſio tamen aſſentior locum emendanti ſcribentique *ampliſſimum*, hoc modo: *Item amphitheatrum urbe media (ut deſtinaſſe compererat Auguſtum) ampliſſimum.* aut ſcribam, *Ambos ordines.*

VARIOR.

Ac privilegio cuicumque conceſſit.] Scribendum videtur, *ac privilegia cuicumque conceſſa.* GUJET.

9. *Ampliſſimos ordines.*] Cicero pro Sylla: *Ut inimicus eſſe ampliſſimis ordinibus, infeſtus bonis omnibus, hoſtis patriæ videretur.* Pro Milone: *Si unquam de bene meritis civibus poteſtas vobis judicandi fuit; denique unquam locus ampliſſimorum ordinum delectis viris datus eſt.* In eadem oratione *florentiſſimos* appellat: *delegit e florentiſſimis ordinibus ipſa lumina.* Et *maximos* pro Sextio in illo præclaro loco de optimatium natione: *ſunt maximorum ordinum homines, quibus patet curia.* De haruſpicum reſponſis: *petita eſt auctoritas veſtra, gravitas ampliſſimorum ordinum.* Videtur ſenatores & judices intelligere, in quibus erat quidem & decuria equeſtris, ſed non equites laticlavii, quos ſomniat Marcilius. GRONOV.

negligentia purgavit: ſupplevitque recenſo ſenatu, & equite: ſubmotis indigniſſimis, & honeſtiſſimo quoque Italicorum ac provincialium allecto. Atque uti notum eſſet, utrumque ordinem non tam libertate inter ſe, quam dignitate differre, de jurgio quodam ſenatoris equitiſque R. ita pronuntiavit: *Non oportere maledici Senatoribus, remaledici civile faſque eſſe.* Litium ſeries ubique majorem in modum excreverant, ma- 10
nentibus antiquis, intercapedine juriſdictionis; accedentibus novis, ex conditione tumultuque temporum. Sorte elegit, per quos rapta bello reſtituerentur: quique judicia centumviralia, quibus peragendis vix ſuffectura litigatorum ætas videbatur, extra ordinem dijudicarent, redigerentque ad breviſſimum numerum. Libido atque luxuria 11
coercente nullo invaluerat. Auctor Senatui fuit decernendi, ut quæ ſe alieno ſervo junxiſſet,

TORRENT.

10. *Intercapedine juriſdictionis.*] Sic *intercapedinem ſcribendi facere* dixit Cic. Epiſt. famil. lib. XVI. ad Tironem, & lib. I. De finibus, *in quorum vita nulla eſt intercapedo moleſtiæ.* id eſt, nullum tempus a moleſtia vacuum. Sed & Sueton. Aug. cap. XXXVIII. *poſt longam intercapedinem* abſolute dixit, pro, poſt longum intervallum. Adde Feſtum, & Turpilium apud Nonium, *nunc me ex aliorum ingeniis judicat, intercapedo quorum amicitias levat.*

Judicia centumviralia.] Centumviri (quos primum quæſtura functi, deinde Decemviri in litibus judicandis haſta poſita ſolenni conventu cogere ſolebant. Omnibus autem Prætor præſidebat) de teſtamentis, aliiſque civilibus, ac privatis cauſis judicabant, quales nimirum Craſſus enumerat lib. I. De oratore, ac cernere eſt apud JCtos l. XIII. De inoff. teſt. & l. XXX. De libert. leg. Ea igitur judicia quæ ad Centumviros pertinebant, Veſpaſianus etiam aliis extra ordinem cognoſcenda commiſit. Qua de re qui plura velit, Budæum conſulat. Addam tantum in Prætoris fuiſſe poteſtate cauſſas quas vellet, ſolis etiam Decemviris committere, quod oratione pro Cæcina, & pro Domo ſua Cicero oſtendit. Unde factum eſt, ut nonnulli a Centumviris ipſos ſeparaverint, cum veriſimile ſit idem judicium fuiſſe. Et quoniam non niſi privatis de rebus judicabant, emendandus obiter Quinctilian. lib. IV. cap. I. cum ita ſcribit: *Quibuſdam in judiciis, maximeque capitalibus, ut apud Centumviros, ipſi judices exigunt ſollicitas & accuratas actiones.* lego enim, *& apud Centumviros*, vel *ut & apud Cent.* ſiquidem (ut dixi) civilia tantum judicia Centumviri tractabant. De quibus elegans admodum Plinii Epiſt. XIV. lib. II. Adde Epiſt. ult. lib. V. & XXIV. lib. IV. & XXXII. lib. VI. ac Suetonium Aug. cap. XXXVI.

Auctor ſenatui fuit decernendi.] Obſervatum videmus ab optimis quibuſque Principibus, ut conſtituturi aliquid venirent in ſenatum, atque ibi ea de re in quam vellent partem oratione habita, cenſendi arbitrium Patribus relinquerent. Quo facto ſenatuſconſultum in ipſorum fere ſententiam ſequebatur, & interdum a Principe, tanquam auctore, interdum a conſulibus, in gratiam ſenatus, ſæpe etiam a re ipſa appellabatur. Exempla apud JCtos paſſim obvia. Atque hoc eſt quod frequenter eadem de re nunc ſenatuſconſulto, nunc Principis oratione cautum aliquid legitur. Quod igitur Veſpaſianum auctorem fuiſſe ſenatui ſcribit Sueton. perinde eſt ac ſi ab eo id conſtitutum fuiſſe ſcriberet. Atqui multo ante a Claudio factum narrat Tacit. Annal. XII. his verbis: *Inter quæ refertur ad Patres de pœna feminarum quæ ſervis conjungerentur, ſtatuiturque ut ignaro domino ad id prolapſa in ſervitutem ſui conſenſiſſet, & qui nati eſſent pro liberis haberentur.* Quæ Taciti verba quanquam corrupta ſunt, non dubia tamen eorum ſententia eſt, mulierem liberam quæ alieno ſervo ignorante domino ſe miſcuiſſe veluti proprio conſenſu ſervam fieri, & inde natos quoque pro liberis non haberi. ſic enim S. C. Claudianum exponunt JCti, Ulpian. Inſtitut. tit. II. Paull. Receptar. ſententiar. lib. IV. tit. X. ipſe Juſtinian. lib. III. Inſtitut. tit. XIII. & in Codice ſuo De S. Cto Claudiano tollendo. Crebra etiam in Codice Theodoſiano ejus mentio. Sunt itaque qui velint Veſpaſianum primo ſuo conſulatu, quem ſub Claudio geſſit, auctorem fuiſſe, ut id decerneretur. Atqui Tacit. non ſolum Claudio hoc adſcribit, ſed & Pallantem, libertum, tanquam repertorem ejus, laudatum, ac remuneratum tradit. Sed & Sueton. hic de Veſpaſiano uti jam Principe loquitur. Alioqui ſane fieri potuit ut Claudio rem proponente Veſpaſianus, tunc conſul, ſenatui auctor fuerit ex ſententia Principis ſtatuendi. Alii pudendo nimis errore non Claudium ipſum S. Cti auctorem faciunt, ſed Pallantem, qui, cum libertus Claudii eſſet, Romana conſuetudine patroni nomen tulerit, Claudius Pallas, ut Tullius Tiro, Julius Mneſter. Ego potius exiſtimaverim S. C. illud, poſt Claudii obitum licentia temporum obſervari deſitum, a Veſpaſiano inſtauratum fuiſſe. Taciti vero locus ille non magno negotio reſtituetur, ſi legamus, *ut ignaro domino ad id prolapſa in ſervitutem, ſeu conſenſiſſet, & qui nati eſſent pro liberis ne haberentur*, vel (quod ad vetuſtos codices propius accedit) *in ſervitutem quæ conſenſiſſet.* ſic enim

junxiſſet, ancilla haberetur. Neve filiorum familias feneratoribus exigendi crediti jus umquam eſſet: hoc eſt, ne poſt patrum quidem mortem. Ceteris in rebus ſtatim ab
12 initio Principatus uſque ad exitum, civilis & clemens. Mediocritatem priſtinam neque diſſimulavit umquam, ac frequenter etiam præ ſe tulit. Quin & conantes quoſdam originem Flavii generis ad conditores Reatinos, comitemque Herculis, cujus monumentum exſtat via Salaria, referre, irriſit ultro. Adeoque nihil ornamentorum extrinſecus cupide appetivit, ut triumphi die fatigatus tarditate & tædio pompæ, non reticuerit: *merito ſe plecti, qui triumphum, quaſi aut debitum majoribus ſuis, aut ſperatum umquam ſibi, tam inepte ſenex concupiſſet.* Ac ne Tribuniciam quidem poteſtatem, & Patris patriæ appellationem niſi ſero recepit. Nam conſuetudinem ſalutantes ſcrutandi, manente

enim loquuntur optimi paſſim auctores. Aliter tamen Lipſius.

Varior.

Recenſito ſenatu.] Cod. Salmaſ. & Rob. Steph. *recenſo ſenatu.*

Remaledici civile faſque eſſe.] Gloſſarium Græco-Latinum: Ἀντιλοιδορῶ, *Remaledico.* Gronov.

Civile faſque eſſe.] *Civile* dicitur, quod juri conſentaneum eſt. ut: *Civile eſt, quod a te adverſarius tuus exigit, ut rei quam apud te fuiſſe fatearis, exhibeas venditorem. nam a tranſeunte & ignoto te emiſſe, dicere non convenit, volenti evitare alienam bono viro ſuſpicionem.* l. *Civile.* C. de Furtis. *Cujus magis gratiam præſtare quam relinquere apud inimicum jus ad ſe tranſlatum licere ei, civile eſt. Incivile* contra, iniquum, alienum a jure. Celſus ix. Dig. *Incivile eſt niſi tota lege perſpecta una aliqua particula ejus propoſita judicare vel reſpondere.* Muretus.

Torrent.

Neve filiorum fam.] Id quoque ante Veſpaſiani tempora ſæpius cautum. nam & Lætoriæ legis circumſcriptionem adoleſcentium vindicantis meminit Cicero lib. iii. De offic. & Plautus Pſeudolo legem quinam vicenariam commemorat, quæ vetaret adoleſcentibus pecuniam dari mutuo, ab ipſa (ut opinor) ætate, intra quam id prohiberetur, a poeta ſic appellatam. Verum cum ab improbis fœneratoribus leges eluderentur, neceſſe fuit eadem de re cavere ſæpius. nam & Claudium ſcribit Tacit. initio libri ii. Annal. lege lata ſævitiam creditorum coercuiſſe, ne in mortem parentum pecunias filiis familias fœnori darent. Eam igitur legem neglectam Veſpaſianus revocavit. Neque id profuit. aliter enim ſuo mox tempore uſitatum fuiſſe, oſtendit Juvenal. cum ait Sat. iii.

- - - funus promittere patris
Nec volo, nec poſſum.

Leges igitur bonas ſemper fœneratorum vicit improbitas, ut de Fufidio illo ſuo lib. i. Sat. ii. tradit Horat. & de Macedone JCti ad S. C. Macedonianum, quod tam præclari adoleſcentium circumſcriptoris nomen illuſtrat.

12. *Conditores Reatinos.*] Sic Virgil. lib. viii.
Tum rex Evandrus, Romanæ conditor arcis.
condere enim pro κτίζειν apud auctores frequens. Sueton. Aug. cap. xcviii. *Maſgabam, quaſi conditorem inſulæ, κτίστην vocare conſueverat.*

Non reticuerit.] In optimo cod. *nec reticuerit.*

Conſuet. ſalutantes ſcrutandi.] Hinc *ſcrutatores* dicti Claud. cap. xxxv. non enim temere quivis ad viros principes admittebantur. Unde admiſſionis officium mox cap. xiv. Et admiſſionum Trajani facilitatem laudat Plin. Panegyr. Sed & apud Vopiſcum Aureliano citantur libri Accoleji cujuſdam, qui Magiſter admiſſionum illius Principis fuerat. ſic enim locum illum reſtituo. Cujus dignitatis meminit etiam Ammian. Marcellinus lib. xv. & Admiſſionales eos qui admittendi jus habebant, appellat Lamprid. Alexandro. Verum (quod huc propius ſpectat) eleganter admodum Veſpaſianum laudat Plin. lib. xxxiii. cap. iii. quod æqualiter publicabat Principem, cum Claudii Cæſaris liberti admiſſionem pro arbitrio dare conſueviſſent, permiſſo iis quibus dediſſent, etiam Principis imaginem in anulo gerere. Eodemque ſpectat Senecæ locus lib. i. de Clementia cap. x. cum *cohortem primam interioris admiſſionis* appellat eos ipſos, qui primum amicitiæ locum apud Principes tenebant. Qua de re latius multo, atque apertius idem Seneca lib. de Benef. vi. cap. xxxiii. & xxxiv.

Varior.

12. *Comitem Herculis.*] Conabantur quidam qui antiquarii eſſe volebant, Veſpaſiano adulantes perſuadere, eum non tam vili genere procreatum, ſed ducere genus a quodam comite Herculis, qui Reate condidit, ubi natus erat, eumque Flavum appellatum volebant. J. Lipsius.

Via Salaria.] Quæ vicina erat portæ Collatinæ, qua ibatur ad Sabinos. dicta autem hæc via ſic fuit, quod per hanc ſal ad Sabinos transferretur. Idem.

Conſuetudinem ſalutantes ſcrutandi.] Hunc abolevit morem Veſpaſianus, quem Claudius primus inſtituit, cui maxime favebat: & merito. nam ſub eo

manente adhuc bello civili, omiſerat. Amicorum libertatem, cauſidicorum figuras, 13
ac philoſophorum contumaciam leniſſime tulit. Licinium Mucianum notæ impudicitiæ, ſed meritorum fiducia, minus ſui reverentem, numquam niſi clam, & hactenus retaxare ſuſtinuit: ut apud communem aliquem amicum querens, adderet clauſulæ, *Ego tamen vir ſum.* Salvium Liberalem in defenſione divitis rei, auſum dicere, *Quid ad Cæſarem, ſi Hipparchus HS. milies habet?* & ipſe laudavit. Demetrium Cynicum in itinere obvium ſibi poſt dominationem, ac neque aſſurgere, neque ſalutare ſe dignantem, oblatrantem etiam neſcio quid, ſatis habuit *canem* appellare. Offenſarum inimicitia- 14
rumque minime memor exſecutorve, Vitellii hoſtis ſui filiam ſplendidiſſime maritavit, dotavitque etiam & inſtruxit. Trepidum eum interdicta aula ſub Nerone, quærentemque, quidnam ageret, aut quo abiret, quidam ex officio Admiſſionis ſimul expellens,

eo incrementa fecit. Tranſlatus fuit hic mos a Græcis tyrannis, qui ſolent adhibere ſemper quoſdam, ut prius ſcrutarentur eos, qui Principem adituri. IDEM.

TORRENT.

13. *Cauſidicorum figuras.*] *Morſus figuratos* vocat Macrob. lib. VII. Saturnal. cap. III.

Notæ impudicitiæ.] *Impudici* proprie, qui cum viris conſueverunt. Aug. cap. XXXIV. Quod repetitum volui, quo melius intelligatur quod ſequitur, *Ego tamen vir ſum*, vel (ut Victor refert) *Noſti me virum eſſe.*

Demetrium Cynicum.] Hic ille (opinor) Demetrius, de quo ſæpe Philoſtratus vita Apollonii, & Tacit. extremo lib. XVI. Annal.

Poſt dominationem.] Libri MSS. tres *poſt damnationem*, quod ſequor. nam Veſpaſianus ſuadente Muciano philoſophos Roma expulit, relegato in inſulam Demetrio. Auctor Xiphilin.

14. *Vitellii hoſtis ſui filiam.*] Sic noſtri quoque meliores codices, & edit. Gallica, pro *hoſtis ſibi*: & mox, *dotavit etiam & inſtruxit*, pro *dotavitque et.*

Ex officio admiſſionis.] Phœbum vocat Dionis compendium. De admiſſionibus paullo ante dictum.

CASAUBON.

13. *Cauſſidicorum figuras.*] Vocabulum hac notione, eo ſeculo natum. Quintilianus libro IX. cap. ſecundo: *Jam ad id genus quod frequentiſſimum eſt, & exſpectari maxime credo, veniendum eſt: in quo per quandam ſuſpicionem, quod non dicimus, accipi volumus: non utique contrarium, ut in εἰρωνείᾳ, ſed aliud latens, & auditori quaſi inveniendum: quod ut ſupra oſtendi, jam fere ſolum ſchema a noſtris vocatur, & unde controverſiæ figuratæ dicuntur.* Sextus Victor vocat *obliqua dicta*: Eutropius in Veſpaſiano *convicia*. Suidas in eodem, σκώμματα ῥητόρων. Græci vocant ὑπονοίας. Herodianus, ut videtur, ὑπογραφὰς libro quarto, dum ait de Alexandrinis, πεφύκασι δέ πως εἶναι φιλοσκώμμονες, καὶ λέγειν εὐστόχως ὑπογραφὰς ἢ παιδιάς.

Figuras hujuſmodi & dicta figurata ſic deſcribit Julius Papa Romæ in epiſtola, quam inſerit Athanaſius Apologiæ ſecundæ: Καὶ ἐν οἷς, ait, ῥήμασιν ἐδόξατε ἡμᾶς τιμᾶν, ταῦτα μετασχηματιζόμενοι μετ' εἰρωνείας τινὸς εἰρήκατε. Figurarum exempla ſunt hæc. Ælius Spartianus in Severo: *Damnabantur plerique, cur jocati eſſent, alii cur tacuiſſent, alii cur pleraque figurata dixiſſent, quod eſſet Imperator vere nominis ſui, vere Pertinax, vere Severus.*

14. *Quidam ex officio admiſſionis.*] Firmicus lib. VIII. cap. XIV. *Aut fient domus regiæ janitores, vel tale illis officium deputabitur, ut iis in palatio admittendi vel ſalutandi officia credantur.* Nota officia e Seneca, & Auguſtorum hiſtoriis.

VARIOR.

13. *Quid ad Cæſarem, ſi Hipparchus* HS. *millies haberet?*] Hoc ita accipiendum, tanquam abiret Veſpaſianus ab ingenio Principum eorum, quibus auri vis atque opes inſenſæ, ut loquitur Tac. XI. Annal. cap. I. GRUTERUS.

14. *Splendidiſſime maritavit.*] Honeſto matrimonio junxit. Horat.

Vites maritat populo.

Catull. *Canes catullientes maritari volunt*, id eſt, quærunt maritum. J. LIPSIUS.

Inſtruxit.] Inſtrumentum dedit. Nam opus erat ei ſupellectile. nihil enim habebat, quandoquidem omnia Vitellii bona jam fiſco addicta erant. Exſtat titulus in Pandecte, *De inſtrumento & inſtructo legato.* IDEM.

Ex officio.] Officium pro officialibus poni non eſt infrequens, nec inſolens, Juriſconſultis præſertim: eodem in ſenſu poſuit Tranquillus. TURNEBUS.

Admiſſionis.] *Apud nos primi omnium C. Gracchus & mox Livius Druſus inſtituerunt ſegregare turbam ſuam, & alios in ſecretum recipere, alios cum pluribus, alios cum univerſis. Habuerunt itaque iſti amicos primos, habuerunt & ſecundos numquam veros:* Seneca. Lampridius in Alexandro

ens, *abire Morboniam* juſſerat. In hunc poſtea deprecantem, haud ultra verba excanduit, & quidem totidem fere atque eadem. Nam ut ſuſpicione aliqua, vel metu ad perniciem cujuſquam compelleretur tantum afuit, ut monentibus amicis cavendum eſſe Metium Pompoſianum, quod vulgo crederetur geneſim habere Imperatoriam, inſuper COS. fecerit, ſpondens quandoque beneficii memorem futurum. Non temere quis punitus inſons reperietur: niſi abſente eo & ignaro, aut certe invito atque decepto. Helvidio Priſco, qui & reverſum ſe ex Syria ſolus, privato nomine Veſpaſianum ſalutaverat, & in prætura omnibus edictis ſine honore ac mentione ulla tranſmiſerat, non ante ſuccenſuit, quam altercationibus inſolentiſſimis pæne in ordinem redactus. Hunc quoque, quamvis relegatum primo, deinde & interfici juſſum, magni æſtimavit ſervare quoquo modo, miſſis qui percuſſores revocarent: & ſervaſſet, niſi jam periiſſe falſo renunciatum eſſet. Ceterum neque cæde cujuſque umquam lætatus, juſtis ſuppliciis illacry-

dro:. *Moderationis tantæ fuit, ut amicos non ſolum primi ac ſecundi loci, ſed etiam inferioris, ægrotantes viſerit.* Et Tiberius ipſe amicos ſolitus deſcribere in tres claſſes. Ab hoc more Admiſſiones manarunt, Admiſſionales, & officium admittendi. Admiſſionum facilitatem in Trajani laudatione Plinius admiratur. Alexandrum quaſi unum e ſenatoribus, patente velo, Admiſſionalibus remotis, ſalutatum eſſe Lampridius ſcribit. LIPSIUS.

TORRENT.

Abire Morboniam.] Melius libri *Morboviam.* In Xiphilino eſt: *ἐς κόρακας.* Itali nunc quoque, cui male volunt, morbum imprecantur.

Metium Pompoſianum.] Cod. Turnebi *Puſianum*, alter *Puſanum.* Eum ob geneſim poſtea Domitianus occidit, cap. x. Ubi conſtanter *Pompoſianum* legitur, leniore (ut puto) vocis flexu, pro *Pomponianum.*

Helvidio Priſco.] Hic ille Helvidius Priſcus, gener Thraſeæ, de quo præclare Tacit. extremo lib. XVI. Annal. & initio lib. IV. Hiſtor. Juvenal. quoque Sat. V.

> *Quale coronati Thraſea, Helvidiuſque bibebant*
> *Brutorum, & CaſsI natalibus.*

Altercationes etiam, de quibus hic Sueton. commemorat Arrianus de Epicteti ſermonibus lib. I. cap. II. Filium Helvidium patri cognominem occidit Domitianus, cap. x. De patre & filio elegans Plinii epiſtola lib. IV. ad Cerealem.

Niſi jam periiſſe.] Liber opt. *periiſſe jam.* Pro *nunciatum* etiam mallem *renunciatum.* Tib. cap. XXII.

CASAUBON.

Ut monentibus.] Viterb. *monentibus* ſine *ut:* & mox *fecit*, non *fecerit.*

Spondens quandoque beneficii memorem futurum.] Politiani liber, *ſperanſque.* alii omnes, ut eſt editum. Metium futurum quandoque gratum ſpondebat Veſpaſianus ſibi, atque amicis, qui de Metio alia omnia ipſi perſuadere conabantur.

15. *Hunc quoque quamvis r.*] Melius pars libb. *Tunc quoque q.*

Neque cæde cujuſque.] Et hic locus nos fugit: nam *cujuſquam* ſcribendum, nec aliter MSS.

VARIOR.

Abire Morboniam juſſerat.] Jamdudum cogitaveram *Macarian*, ex notiſſimo Græcorum *Ἄπαγ᾽ ἐς Μακαρίαν*, vel *Βάλλ᾽ εἰς Μακαρίαν·* nunc video Marcilium id occupaſſe. Habent tirones apud Zenobium. Antiphanes apud Athenæum lib. I. *εἰς Μακαρίαν τὸ λῷστρὸν· ὥς διέθηκέ με.* Agebatur res in Græcia, ipſe ut locus hominem ſermonis non imperitum (quale admodum credibile eſt docti Principis omne admiſſionis officium fuiſſe) hujus ſalis contumelioſi admoneret, & ſubjiceret *Macariam*, non fatuam & inſulſam *Morboniam*, *Morbonias*, *Orbonias*, *Corvonias.* Nec leve in hanc rem mihi argumentum videtur, quod pro eodem Xiphilinus *ἐς κόρακας·* cum *Βάλλ᾽ ἐς Μακαρίαν* & *Βάλλ᾽ ἐς κόρακας* ſenſu per omnia pari pronuntiet Ariſtophanes. Dicit autem *abire Macarian*, ut *confugere Cypron*, & ſimilia, quæ attigimus ad Livium. GRONOV.

Geneſim habere Imperatoriam.] Vulgo ferebatur, quod mathematici Pompoſiano prædixiſſent, inſpecta ejus nativitate, fore, ut aliquando imperaret. Hoc enim ſignificat, habere geneſim Imperatoriam. Olim Severus audivit quandam in Syria fœminam nomine Juliam, regiam habere genituram, hoc eſt, ut regi jungeretur: eandem uxorem petiit, & accepit: & ita quum ipſe regnaret, prædicta mathematicorum de uxore comprobata ſunt. BEROALD.

Inſuper conſulem fecerit.] Videtur Veſpaſianus idem ſenſiſſe, quod M. Antoninus Imperator ſenſit, qui de Avidio Caſſio, quem Verus cavendum ſcripſerat, tanquam oſorem tyrannidis, ita reſcripſit: *Si Caſſio divinitus debetur imperium, non poterimus interficere, etiam ſi velimus: ſcis enim proavi tui dictum, Succeſſorem ſuum nullus occidit.* IDEM.

15. *Non temere quis punitus inſons reperitur.*] Codex Salmaſ. *reperiretur.* leg. *reperietur.* SALMAS.

 TOR-

crymavit etiam & ingemuit. Sola eſt, in qua merito culpetur, pecuniæ cupiditas. 16
Non enim contentus omiſſa ſub Galba vectigalia revocaſſe: nova & gravia addidiſſe:
auxiſſe tributa provinciis, non nullis & duplicaſſe: negotiationes quoque vel privato
pudendas propalam exercuit, coemendo quædam tantum, ut pluris poſtea diſtraheret.
Ne candidatis quidem honores, reiſve tam innoxiis quam nocentibus, abſolutiones ven-
ditare cunctatus eſt. Creditur etiam procuratorum rapaciſſimum quemque ad ampliora
officia ex induſtria ſolitus promovere, quo locupletiores mox condemnaret: quibus
quidem vulgo *pro ſpongiis* dicebatur *uti*, quod quaſi & ſiccos madefaceret, & expri-
meret humentes. Quidam natura cupidiſſimum tradunt, idque exprobratum ei a ſene
bubulco: qui negata ſibi gratuita libertate, quam Imperium adeptum ſuppliciter ora-
bat, proclamaverit, *Vulpem pilum mutare*, *non mores.* Sunt contra qui opinentur,
ad manubias & rapinas neceſſitate compulſum, ſumma ærarii fiſcique inopia: de qua
teſtificatus ſit initio ſtatim Principatus: profeſſus *quadringenties milies opus eſſe*, *ut
Reſp. ſtare poſſet.* Quod & veriſimilius videtur, quando & male partis optime uſus eſt.
In omne hominum genus liberaliſſimus, explevit cenſum Senatorium: conſulares ino- 17
pes quingenis ſeſtertiis annuis ſuſtentavit: plurimas per totum orbem civitates terræ motu
aut incendio afflictas, reſtituit in melius. Ingenia & artes vel maxime fovit. primus 18
e fiſco Latinis Græciſque rhetoribus annua centena conſtituit. Præſtantes poetas, nec
non

TORRENT.

16. *Negotiationes.*] Sic *negotiationem Aſiaticam* Cic. Epiſt. fam. lib. XVI. *negotiationem ſagariam* Ulpian. l. LII. Pro ſocio, *negotiationem lignariam* Capitolin. Pertinace, dixerunt. *Diſtrahere* autem pro vendere, qua ſignificatione eo verbo hic utitur Sueton. proprium JCtis eſt. Addendus porro locus Plinii lib. XVIII. cap. XXV. de quo ſupra diſputatum a nobis Aug. cap. XL.

Ad manubias & rapinas neceſſ. compulſum.] In Dionis ſane compendio Mucianum legimus tantæ undique corradendæ pecuniæ non auctorem tantummodo, ſed & adjutorem, derivata etiam in ſe invidia, fuiſſe, habentem ſemper in ore, pecuniam nervum eſſe Principatus. *Manubiarum* vero vocabulo uti videtur Sueton. pro ſpoliis atque illicito quæſtu, ut alibi quoque, & non ſemel ipſe Cicero. De quo verbo Gell. lib. XIII. cap. XXIII. Aſcon. Verrina III. Nonius, & alii. Hinc *manubialis pecunia* Aug. cap. XXX.

17. *In omne hominum genus liberaliſſimus.*] Hæc verba melius ſuperiori capiti conveniunt, ſiquidem Suetonium in capita dividimus.

Explevit cenſum ſenatorium.] De cenſu ſenatorio ſic Sueton. Aug. cap. XLI. *Senatorum cenſum ampliavit, ac pro octingentorum millium ſumma duodecies HS. taxavit, ſupplevitque non habentibus.* Id vero ſic exponit Budæus, ut a XX ad XXX M coronatorum noſtrorum eum cenſum auxerit.

CASAUBON.

18. *Primus e fiſco Latinis Græciſque rhetoribus annua centena conſtituit.*] Sive quod idem eſt, aureos millenos: noſtræ vero pecuniæ, aureos bis millenos & quingenos. Ampliſſimum ſane, ut quidem nunc vivitur, honorarium: pro ratione vero illorum temporum tenue. nonne enim pudendum, Terpno Dioroque citharœdis pro una productione data ducenta, iſtis vero annua centena tantum ſtatui? Medicis ducena ſaltem quinquagena annuam mercedem apud Principes fuiſſe, ſcribit Plinius lib. XXIX. Fuere & philoſophis annua conſtituta, clarum ex illo Tatiani loco, quem ſupra laudavimus. at non Veſpaſianus ejus inſtituti auctor, ſed M. Antoninus Pius, de quo ſcribit Capitolinus: *Rhetoribus & philoſophis per omnes provincias & honores & ſalaria detulit.* Is videtur ſalarii rhetorum & philoſophorum modum redegiſſe ad ſexagena millia ſive aureos ſexies millenos, ut ante docebamus ex Tatiano & Eumenio. ſed hoc, ni fallor, tantum in provinciis: nam quin rhetores Græci Latinique in urbe profitentes amplius honorarium haberent, ſervatamque Veſpaſiani σύνταξιν fuiſſe, non puto dubitandum.

VARIOR.

16. *Nec candidatis quidem honores.*] Leg. *Ne candidatis quidem honores.* SALM. Et ſic R. Steph.

Quadringenties millies opus eſſe.] Hanc ſummam majorem eſſe video, quam ut Veſpaſianus ſperaverit, quantavis parſimonia aut tributorum exactione colligi poſſe. quare pro quadringenties *quadragies* legendum eſſe videtur, id eſt, millies centena millia aureorum coronatorum: ultra enim hanc ſummam ne ludicra quidem vota hominum procedere ſolent, etiamſi immenſum quid, majuſque omni auri conceptaculo exoptare contendant. BUDÆUS.

Quadringenties millies.] Scribo cum Budeo *quadragies*

non & artifices, Coae Veneris item coloſſi refectorem inſigni congiario magnaque mercede donavit: mechanico quoque grandes columnas exigua impenſa perducturum in Capitolium pollicenti, præmium pro commento non mediocre obtulit, operam remiſit,
19 præfatus, *Sineret ſe plebeculam paſcere.* Ludis per quos ſcena Marcelliani Theatri reſtituta dedicabatur, vetera quoque acroamata revocaverat. Apollinari tragœdo quadringena: Terpno Diodoroque citharœdis, ducena: non nullis, centena: quibus minimum, quadragena ſeſtertia ſuper plurimas coronas aureas dedit. Sed & convivabatur aſſidue: ac ſæpius recta ac dapſili, ut macellarios adjuvaret. Sicut Saturnalibus dabat viris apophoreta,

dragies millies, id eſt, centum milliones auri in auro. GUJET.

Quando & male pàrtis optime uſus eſt, in omne hominum genus liberaliſſimus, explevit cenſum ſenatorium.] Diſtingue: *quando & male partis optime uſus eſt, in omne hominum genus liberaliſſimus. Explevit cenſum ſenatorium.* SALM. Rob. Stephanus ſane poſt *liberaliſſimus* quoque poſuit στιγμήν.

TORRENT.

18. *Artifices coemit.*] *Emere quod nunc mercari eſt, antiqui* (ut ſcribit Feſtus) *pro accipere & ſumere ponebant*, uti & *emptivum militem* pro mercenario.

Refectorem coloſſi.] De coloſſo loquitur, quem Zenodorus Neroni ante fecerat. (Ner. cap. XXXI.) Ex Plinio.

Ingenti congiario.] *Congiarium* vocat, quod privato datum fuit. Cæſ. cap. XXVII.

Paſcere.] Sic duo ex noſtris quoque codicibus. Vulgati omnes habent *paſcere pane*, ſed male.

19. *Marcelliani theatri.*] Quod Auguſtus exſtruxit, cap. XXIX.

Apollinari tragœdo.] Tres libri MSS. *Apellari*. Ut forte *Apelli* legendum ſit. Quo ſane nomine ſive eundem, ſive alium memorat Sueton. Calig. cap. XXXIII.

Terpno.] Sic etiam edit. Germanica, & MSS. duo. Alii *Ptermo*. Terpni mentio Ner. cap. XX.

Recte ac dapſile.] *Recta* legendum, ut habent Frobenii codices, & unus MS. Inf. Domit. cap. VII. *Dapſilis* autem verbum Plauto familiare.

Sicut Saturnalibus.] Paullo concinnius MSS. duo. *Dabat ſicut Saturnalibus viris apophoreta, ita & Kal. Martiis feminis*, vel (ut in cod. Tornacenſi) *per Kal. Martias fem.* De Kalendis vero Martiis, quibus feminæ ſua celebrabant Saturnalia, plura ad Horat. lib. III. Od. VIII.

CASAUBON.

Nec non & artifices coemit.] Vetus vox *coemere* pro mercede conducere: ſic *emptivus* miles ὁ μισθῷ πεπεισμένος, apud Feſtum. *emere auxilia*, apud Julium Capitolinum in Antonino Philoſopho. Perperam ſcriptum in codice maximi Juriſperitorum, *artifices cæmentarios*. Si quid mutandum, placet Juſti Lipſii emendatio, *artifices ſcenæ, item coloſſi.* notæ cauſſæ hujus depravationis iis, qui uſum habent veterum membranarum.

19. *Ac ſæpius recte ac dapſile.*] Scribe, *recta*, nempe cœna. ſic MSS.

VARIOR.

Nec non & àrtifices, coemit.] Nihil certius Lipſiano, *artifices ſcenæ*. Seneca 7. de Benef. 20. *Si pro magno petet munere artifices ſcenæ.* Epiſtol. 11. *Artifices ſcenici, qui imitantur affectus, qui metum & trepidationem exprimunt.* Manilius: *& ſcenæ mollior arte.* Idem in Julio 84. *ſcenici artifices*, in Tito 7. *artifices ſaltutionis.* *Emere* pro conducere alibi locum habet, (& olim apud Silium illuſtravimus) hic nullum. GRONOVIUS.

Coloſſi refectorem.] Hic coloſſus erectus ſub Nerone, refectus a Veſpaſiano, ac dempto capite Neronis, & Solis adjecto cum VII. radiis, Soli dicatus fuit. Iterum Commodus ablato capite Solis ſuum repoſuit. Illarum enim immanium ſtatuarum capita & brachia, quod exemptilia eſſent, commutabantur gomphis ferreis, aut plumbeis, binis, aut ternis, ut etiam hodie videre eſt Romæ in ſtatuis vetuſtiſſimis. Hieronymus in cap. III. Habacuc. *Vultu tantummodo commutato, ablatoque capite, ejus qui vicerit facies ſuperponitur.* Ideo elegantiſſime Tertullianus capite XII. Apolog. *Cervices ponimus ante plumbum. Glutinum & gomphoſis capiti ſunt Diis veſtris.* γόμφωσιν & coagmentationem capitibus ſimulacrorum ex plumbo fieri ait. JOS. SCALIGER.

17. *Apollinari Tragico.*] Codex etiam Salmaſ. *Appellari Tragico.*

Ac ſæpius recte ac dapſile.] Quoniam MSS. *recta*, quod merito probatum, ſcribendum etiam haud dubie eſt, *dapſili*. GRONOV.

Ut macellarios adjuvaret.] Qui convivia lautiora facit, & crebriora, is adjuvare dicitur macellarios a quibus emit obſonia. Ita enim magno annona macelli venditur, & ejus pretia augentur. In hanc ſententiam M. Varro in III. de Re Ruſtica ait eleganter: *Sed ut ad hunc bolum pervenias, opus erit aut epulum, aut triumphus alicujus: ut tunc fuit Scipionis, Metelli, aut collegiorum cœnæ: quæ tunc innumerabiles excandefaciebant annonam macelli.* BEROALD.

TOR-

phoreta, ita & Kalend. Martii feminis: & tamen ne ſic quidem priſtinæ cupiditatis infamia caruit. Alexandrini *Cibioſactem* eum vocare perſeveraverunt, cognomine unius e regibus ſuis turpiſſimarum ſordium. Sed & in funere Favor archimimus perſonam ejus ferens, imitanſque, ut eſt mos, facta ac dicta vivi, interrogatis palam procuratoribus, *quanti funus & pompa conſtaret?* ut audiit *HS centies*, exclamavit, *Centum ſibi ſeſtertia*

TORRENT.*

Alexandrini Cibiotutem.] Sic etiam interpretes. Noſtri tamen MSS. *Cibiotantem* legunt. Strabo lib. XVI. in Ptolemæorum genere Cybioſacten quendam numerat. Atque ita fortaſſis legendum ſit. Loquax autem ſemper, & ingenioſa in contumelias præfectorum Ægyptus fuit, maxime Alexandria. Quod cum alii, tum Seneca teſtatur extrema Conſolatione ad Helviam, (ſeu Albinam mavis) & Herodianus Antonino.

Favor archimimus.] Sic Turnebo auctore Pulmannus. Plures tamen, & meliores libri *Favo* legunt, nec male, ut arbitror. *Archimimi* autem vocabulum alibi me legiſſe non memini, neque a *pantomimo* differre arbitror. Niſi *archimimum* qui primarum partium fuerit, vocemus.

Facta ac dicta vivi.] Lib. unus *viri*, nec diſplicet. Imperitus quiſpiam, quia funeris fit mentio, *vivi* ſubſtituerit.

Centum ſibi ſeſtertia darent.] Hoc eſt, vel centeſimam tantum ejus, quam modo expreſſerant ſummæ partem.

CASAUBON.

Archimimus perſonam ejus ferens, imitanſque, ut eſt mos, facta ac dicta vivi.] Mos ſervatus in divitum & inſignium virorum funeribus, ut notat Dionyſius Halicarnaſſeus, libro ſeptimo: Εἶδον δὲ καὶ ἐν ἀνδρῶν ἐπισήμων ταφαῖς, ἅμα ταῖς ἄλλαις πομπαῖς προηγεμένες τῆς κλίνης τὲς σατυριςὰς χορὲς, κινεμένες τὴν σικίννην ὄρχησιν, μάλιςα δὲ ἐν τοῖς εὐδαιμόνων κήδεσι. Vide & in Tiberio cap. LVII. nam videtur is ſcurra de quo ibi agitur, ex iſta conſuetudine funeri admotus: etſi id Suetonius διαῤῥήδην non dicit.

VARIOR.

Kalendis Martii fœminis.] Quæ erant Saturnalia fœminarum, ſicut oſtendit Epigrammaticus poeta illo hendecaſyllabo ad fœminam:

Scis, puto, veſtra jam venire
Saturnalia, Martias Calendas.

Plautus in milite:

Da mihi vir Calendis mittam cum Martiæ venerint. tunc fœminis munera miſſitabantur: quia *Calendæ Martiæ*, ut inquit Porphyrio, *matronarum dies feſtus erat, & Matronalia dicebatur:* quas eleganter Juvenalis *fœmineas* vocat, perinde ac fœminis peculiariter dicatas. Præterea menſe Martio ingrediente ita ſervis cœnas matronæ apponebant, ut domini Saturnalibus. Vide Ovidium in Faſtis. IDEM.

Ne ſic quidem priſtinæ cupiditatis infamia caruit.] Codex Salmaſ. *priſtina cupiditatis infamia.*

Cybioſacten.] Κυβιοσάκτην, id eſt, τὸ κύβιον θησαυρίζοντα, id eſt, qui ipſe cybia in penum congerit. Heſych. Σακτὸς, ὁ τεθησαυρισμένος, ὁ πολυχρόνιος, καὶ ἤδη ἀποκείμενος &c. κυβιοσάκτης, id eſt, ὁ τε κυβίε θησαυριςής. An κυβιοσάκτην, id eſt, τε κυβίε θύλακον, id eſt, τὸν τε κυβίε ἐμφορέμενον. Heſych. Σάκτας ὁ θύλακος. prius placet. GUJET.

Favo.] Nomen archimimi omnino cum Turnebo & melioribus ſcriptis putamus eſſe *Favor*, non *Favo:* ſive ex omine popularis ſtudii, ſive ex eventu id hiſtrio ille adſciverit. Et certe, quod refertur, ingenium & elegantiam mimicam ſapit. Sic *Amor* nomen eſt viri in marmore Romano:

Conditus hic Amor eſt, dictus de nomine patris:
Heu miſeri patris conditus hic Amor eſt.

In alia inſcriptione idem eſt fœminæ nomen. A neutris quoque finxerunt maſculina. Ut *Auxilius* grammaticus apud Auſonium, *Obſidius* apud Florum, *L. Cincius Alimentus* nobilis hiſtoricus. GRONOV.

Archimimus perſonam ejus ferens.] Hujus moris inſignis memoria eſt apud Gregorium Nazianzenum ςηλιτευτικῷ δευτέρῳ de funere Apoſtatæ: Τίς δὲ ἡ ἀδοξία; Μῖμοι γελοίων ἦγον αὐτὸν, καὶ τοῖς ἀπὸ τῆς σκηνῆς αισχεσιν ἐπομπεύετο καταυλέμενός τε καὶ κατορχέμενος, καὶ τὴν ἄρνησιν καὶ τὴν ἧτ]αν καὶ τὸ τέλος ὀνειδιζόμενος· καὶ τί γὰρ ἐ πάσχων; τί δὲ ἐκ ἀκέων, οἷς οἱ τοιἔτοι νεανιεύονται, τέχνην τὴν ὕβριν ἔχοντες; Ubi forte legendum: Καὶ τὴν ἧτ]αν καὶ τὸ βέλος. quo ictus cecidi. Ut ſupra: Ὡς ῥοῖζος πεμφθέντος βέλες. Libanius: Τίς ἄρα λόγχην ἐκείνην ἐχάλκευσεν τοσἔτον δυνησομένην; τίς ἐπήγαγε δαίμων τῷ βασιλεῖ θρασὺν ἱππέα; τίς κατεύθυνεν ἐπὶ τὰ πλευρὰ]ὴν αἰχμήν; Plauti quoque forſan huc trahere poſſis Amphit. I. I. 303. *Nam hic quidem omnem imaginem meam, quæ antehac fuerat, poſſidet. Vivo fit, quod nunquam quiſquam mortuo faciet mihi.* Nam quod e Tiberio noſtri advocat ὁ πάνυ, ἀπροσδιόνυσον. IDEM.

Ut audiit HS. *centies.*] Hic locus omnino refingendus, & in parte vidit Budæus: *Ut audiit ſeſtertio centies, exclamavit, centies ſibi ſeſtertium darent, ac ſe vel in Tiberim projicerent.* Non tantum quod Favor procuratorum vocem, ſed præcipue quod imitaretur avaritiam ejus, cujus perſonam ſuſtinebat.

Ve-

20 *ſibi ſeſtertia darent, ac ſe vel in Tiberim projicerent.* Statura fuit quadrata, compactis firmiſque membris, vultu veluti nitentis. Unde quidam urbanorum non infacete, ſiquidem petenti, *ut & in ſe aliquid diceret: Dicam*, inquit, *cum ventrem exonerare deſieris.* Valetudine proſperrima uſus eſt: quamvis ad tuendam eam nihil amplius quam fauces ceteraque membra ſibimet ad numerum in ſphæriſterio defricaret, in-
21 ediamque unius diei per ſingulos menſes interponeret. Ordinem vitæ fere hunc tenuit. In Principatu maturius ſemper, ac de nocte evigilabat: deinde perlectis epiſtolis, officiorumque omnium breviariis, amicos admittebat: ac dum ſalutabatur, & calceabat ipſe

Veſpaſiani. Quam ad rem non eſt opus ſumma parva. Nullum eſt certius argumentum ſordium in avaro, quam quod ei deeſt tam quod habet, quam quod non habet. Adeo naturalem & inſitam fuiſſe ſignificat illi Principi pecuniæ cupiditatem, ut ſi etiam mortuus intelligeret, tantum impendii factum in funus ſuum, id eſſet doliturus, malletque in theſauris argentum condere, licet nunquam uſurus, quam extremi muneris honorem recipere: quinimo putaret tanto dono quamvis ignominiam cadaveri ſuo oblatam abunde compenſari. Hinc ſatis apparet, amplam fuiſſe ſummam: videlicet, ducentorum quinquaginta millium Philippeûm noſtrorum: non centum millium nummûm, quæ tantum faciunt duo millia quingentos. IDEM.

20. *Statura fuit quadrata.*] Obſervavimus curioſe apud Celſum & Columellam, ſtaturam quadratam dici, quæ neque longa, neque brevis ſit, ſed inter utrumque temperata. Sic enim ait Columella de canibus ſcribens: *Probatur quadratus potius, quam longus, aut brevis.* Celſus ait in ſecundo: *Corpus habiliſſimum quadratum eſſe, neque gracile, neque obeſum. Nam longa ſtatura, ut in juventa decora eſt, ſic matura ſenectute conficitur: gracile corpus infirmum, obeſum hebes eſt.* Igitur Tranquillus ſignificare volens, Veſpaſianum fuiſſe neque procera, neque brevi ſtatura, ſed intermedia, eleganter dixit quadrata. BEROALD.

TORRENT.

20. *Vultu veluti nitentis.*] Aperte quidem, ſed minus verecunde Martial. lib. III. Epigr. LXXXVII.

Utere lactucis, & mollibus utere malvis.
Nam faciem duram, Phœbe, cacantis habes.

Vide Feſtum in *Nictare.*

Non infacete. ſiquidem pet.] Car. Langius legebat, *non infacete is quidem.* quæ lectio ſane concinnior eſt.

Ad numerum in ſphær. defric.] Frictiones quidem ſummopere commendant medici, ſed audiendos negant, qui numero faciant. id enim ex viribus hominis colligendum eſt. Et ſi perinfirmus eſt, poteſt ſatis eſſe quinquagies; ſi robuſtior, poteſt ducenties eſſe faciendum. Veſpaſianus vero, qui nulla neceſſitate frictionibus utebatur, numerum voluit eſſe æquabilem, quod conſervandæ valetudini magis convenit.

In ſphæriſterio.] Græca voce uſus eſt pro ea thermarum, ſeu balnei parte, in qua poſt varias exercitationes, pilæ præſertim, (unde & nomen habet a σφαιρίζω, quod eſt pila ludo) defricabantur. Locus igitur valetudini aptus, inquit Ulpian. l. XVI. Mandati. Ubi plura Budæus, & Beroald. hic.

CASAUBON.

21. *Ordinem vitæ fere hunc tenuit.*] Similis locus apud Xiphilinum: ibi καταστάσει δὲ τοῦ βίου τοιᾷδε ἐχρῆτο. ubi tamen pleraque diverſa obſervantur. multo ſane ſimilior ordo vitæ Severi deſcriptus eidem in ejus vita, illo loco: ἐχρῆτο δὲ Σεβῆρος καταστάσει τοῦ βίου εἰρήνης οὔσης τοιᾷδε. vide & confer. Adde Lampridium in vita Alexandri Severi. ibi, *Uſus vivendi eidem hic fuit.* Martialem epigrammate octavo libri quarti, & XC. ejuſdem. Exſtant & Plinii aliquot epiſtolæ ejuſdem argumenti, itemque ſimiæ ejus Sidonii Apollinaris: & integro Auſonii poemate deſcripta Ephemeris. Ex his locis diſcet ſtudioſus antiquitatis, quomodo ſoliti veteres diem diſponere.

Ac dum ſalutabatur & calciabat ipſe ſeſe, & amiciebat.] Eginhardus: *Cum calciaretur & amiciretur, non tantum amicos admittebat, verum etiam ſi comes palatii litem aliquam eſſe diceret.* Vide cetera.

VARIOR.

Unde quidam urbanorum.] Codex Salm. & Rob. Steph. *De quo quidam urbanorum.*

In ſphæriſterio.] Sphæriſterium, locus erat rotundus, variis exercitationibus accommodatus: quod indicat Plinius in V. Epiſtolarum, cujus verba ſunt hæc: *Apodyterio ſuppoſitum eſt ſphæriſterium, quod plura genera exercitationis, pluresque circulos capit.* Dici autem videtur a ſphærica, circularique figura. Lampridius ſphæriſterium capere videtur pro loco, in quo ſpeciatim pilaris luſio exercetur: unde quidam dictum eſſe autumant a luſu pilæ, quam Græci σφαῖραν vocant. Nam & σφαιρίζω Græcum verbum eſt, quod ſignificat pila ludere. BEROALD.

21. *Officiorum omnium breviarius.*] Hoc eſt, commentariis quibus officia continebantur, & tale *breviarium*, *brevis*, cum videlicet intelligitur tabula. LIPSIUS. Obiter annotandum, *brevem*, & *breve* maſculino & neutro genere eleganter & Latine dici in

ipſe ſeſe & amiciebat. Poſtque deciſa quæcumque obveniſſent negotia, geſtationi, &
inde quieti vacabat: accubante aliqua pallacarum, quas in defunctæ locum Cænidis
plurimas conſtituerat: a ſecreto in balneum tricliniumque tranſibat. Nec ullo tem-
pore facilior, aut indulgentior traditur, eaque momenta domeſtici ad aliquid peten-
dum magnopere captabant. Super cœnam autem, & ſuper aleas communiſſimus, multa 22
joco tranſigebat. Erat enim dicacitatis plurimæ: & ſic ſcurrilis ac ſordidæ, ut ne præ-
textatis quidem verbis abſtineret. Et tamen nonnulla ejus facetiſſima exſtant, in quibus
& hæc: Meſtrium Florum conſularem admonitus ab eo *plauſtra* potius, quam *ploſtra*
dicenda, die poſtero *Flaurum* ſalutavit. Expugnatus autem a quadam, quaſi amore ſui
depe-

in eo ſignificatu, quo vulgus uſurpat, brevem Apoſtolicum nominitando. Lampridius in Alexandro: *Ut in cubiculo haberet breves, & numerum & tempora militantium.* Flavius Vopiſcus in Aureliano: *Breve nominum conſcripſit.* Item, *Breve legit ſingulis quorum nomina continebat.* Beroald.

Torrent.

21. *Poſt deciſa.*] Sic Horat. Epiſt. ad Mæcenatem, *Gaudentem parviſque ſodalibus, & Lare certo, Et ludis, & poſt deciſa negotia Campo.*

Aliqua pallacarum.] Libri duo *palacarum*, uti & *pelex* pro *pellex* in antiquiſſimis quibuſque exemplaribus ſcriptum animadverti. Græci tamen παλλακὴν vocant, & *pellicem* a pelliciendo deducere videtur Feſtus. Græca voce uſus etiam Plin. lib. xxxv. cap. x. ubi de Campaſpe, Alexandro ex pallacis præcipue dilecta. Adde Gellium lib. iv. cap. iii. & Paullum J. C. l. cxliv. De verb. ſignif.

Ac ſecreto.] Codex Tornacenſ. *A ſecreto, A* majuſcula, haud melius.

22. *Et ſemper alias comiſſimus.*] Lib. unus e noſtris *cum amicis* habet pro *comiſſimus*, eamque lectionem etiam Pulmannus agnoſcit. Nec ſane diſplicet, ut non ſuper cœnam tantum, ſed quovis etiam tempore, apud amicos tamen, jocis uſus fuerit.

Ne prætextatis quidem verbis.] Sic *prætextatus ſermo* apud Feſtum, Gellium, Macrobium, & *prætextati mores* apud Juvenalem Sat. ii. qui ingenuos minime decent, præſertim prætextatos.

Menſtrium Florum.] Sic eum appellat etiam Tacit. Alii *Meſtrium*, quidam *Metrium* ſcribunt.

Plauſtra pot. quam ploſtra.] At Probus grammaticus ploſtra potius quam plauſtra. Unde *ploſtello adjungere mures* apud Horat. Petitus eſt autem Veſpaſiano, cum *Flaurum* pro *Floro* ſalutavit, e Græca alluſione ſal & lepos, ſeu grammaticam obſervatiunculam ridenti ut ineptam ac nullius rei, ſeu hominem ipſum notanti ut nihili & futilem. id enim eſt φλαῦρος.

Amore ſui.] Lib. unus *ſuo* pro *ſui*, duo vero meliores nec *ſui*, nec *ſuo*, ſed *quaſi amore deperiret*. quod magis probo.

Casaubon.

22. *Super cœnam autem & ſemper alias comiſſimus.*] Mirifice placet ſcriptura Viterbienſis, *Super cœnam autem & ſuper aleas communiſſimus.* Aleæ luſu inter cœnam plurimum utebantur: vide ad librum ſecundum: de voce *communiſſimus* notavimus ad Claudium capite xxi.

Menſtrium Florum.] Plutarcho in Othone Μέςριος Φλῶρος.

Admonitus ab eo plauſtra potius quam ploſtra dicenda.] Quanta fuerit affinitas ſoni inter *au* & *o*, infinita prope ſunt quæ arguant. Dio notat *Claudium* aliis dictum, qui ſemper apud Cicreonem *Clodius*: idem obſervat & Scholiaſtes Juvenalis ad ſextam. Dixere & *cotes* pro *cautes*, *origa* pro *auriga*, notante eodem interprete. ſic *focaneus palmes*, qui a faucibus dictus auctore Columella lib. iv. *Cloſtrum & cloſtellum* pro *clauſtrum* & *clauſtellum*. *caudicem* pro *codicem*: *cautem* pro *cotem*: *ſauricem* pro *ſoricem*. *oricularius clyſter* in medicorum libris pro *auricularius*. ſexcenta ſunt hoc genus: quare etiam Ὄφιδος dicitur Appiano in Ἀννιβαϊκοῖς fluvius Aufidus. nec mendum puto, ſed pronuntiandi conſuetudinem. etſi aliter apud alios Græcos ſcio eſſe ſcriptum id nomen. Sic Audius ille a quo Audiani hæretici ſunt denominati, aliis Ἄυδιος, aliis Ὤδιος ſcribitur. ideo Epiphanius, Ἀυδιανοὶ εἴτουν Ὠδιανοί. propheta quoque Hoſea, aliis Ὠσῆς, aliis Αὐσῆς dictus, ut & notat Hieronymus.

Varior.

Accubante aliqua pallacarum.] Latine dicitur *pellicum*. Nam Græcis pellex παλλακή.

22. *Et ſuper cœnam autem, & ſuper aleas ſemper communiſſimus.*] Exhibui ſcripturam Palatini primi, quam & invenerat in Viterbienſi Caſaubonus, tanto quidem ſecurius, quod eſſet in ſec. *& ſuper alias comiſimus.* erat quidem in tertio vulgata illa lectio, *& ſemper alias comiſſimus*; ſed ſuperſcriptum tamen ab eadem manu; alias, *ſuper aleas.* Gruterus.

Quaſi amore ſui.] Tres Palat. & Salmaſ. *ſuo.*

Tor.

deperiret, cum perductæ pro concubitu ſeſtertia quadraginta donaſſet: admonente diſpenſatore, quemadmodum ſummam rationibus vellet inferri, *Veſpaſiano*, inquit, *ada-*
23 *mato.* Utebatur & verſibus Græcis tempeſtive ſatis, & de quodam proceræ ſtaturæ, improbiuſque nato:

Ma-

TORRENT.

Cum producta.] Scribo *perducta*, ut habent optimi codices. Cæſ. cap. XLIX. Hinc *perductores*, non multo lenonibus honeſtiores. Aliter tamen Pithœus. *Quadringenta* etiam pro *quadraginta* habent codd. noſtri Tornacenſ. & Patavinus.

Rationibus vellet referri.] Mallem *inferri*, ut in duobus MSS.

23. *Improbiuſque nato.*] Non video, quo hæc verba ſpectent. Lego itaque, *improbiuſque irato*, quod optime huic loco convenit. verſus enim eſt ex lib. VII. Iliad. de Ajace adverſus Hectorem in pugnam procedente.

CASAUBON.

Cum producta pro concubitu HS. *quadringenta donaſſet.*] Ex cod. Pithœi eſt hæc lectio: Memm. & Viterb. habent *perducta*, uterque *quadringenta*, non *quadraginta*: quæ tamen ſcriptura vereor ut ſatis ſit ex moribus Principis reſtrictiſſimi. Sed videtur mihi longe alia mens eſſe hujus loci. nam quare tantam pecuniæ vim homo ad opprobrium uſque deparcus, hujus rei cauſa effudiſſet, cum non amore captus, iſtam acceſſiſſet, ſed ab illa fuiſſet expugnatus? quare puto non ipſum fœminæ, ſed ipſi fœminam potius donum dediſſe, quaſi μίσθωμα τῆς συνουσίας. Lego igitur, *cum perducta*. deinde quod de rationibus ſequitur, interpretor de accepti pagina, in quam referri debuit hæc ſumma, ſub aliquo titulo: *Moris enim fuit* (Aſconii Pediani verba ſunt) *unumquemque domeſticam rationem ſibi totius vitæ per dies ſingulos ſcribere, ex quo appareret, quid quiſve de reditibus ſuis, quid de arte, fœnore lucrove ſepoſuiſſet quoque die.* Sed de his ſtatuat quiſque, uti volet.

23. *Utebatur & verſibus Græcis tempeſtive ſatis.*] Iſtud eſt quod Græci dicunt, εὐκαίρως προσαναφωνεῖν στίχους. cujus de rei uſu atque utilitate agit Plutarchus libro IX. Sympoſiacorum cap. I.

Proceræ ſtaturæ improbiuſque nato.] Viterb. *irato*: ſed ex correctione ipſius, qui ſcripſerat: prius enim aliter exaraverat, &, ut puto, *nato*: quæ vera lectio eſt, conſentientibus Memm. Pithœi & Liſlæi codd. *improbe natum* vocat τὸν κακῶς πεφυκότα, hominem deformi & turpi proceritate corporis. Sic apud Plautum, *improba facies.* Notat autem in ejuſmodi homine pravum inceſſum. multi enim ejus ſtaturæ λορδοὶ incedunt, ut eſt apud Ariſtotelem περὶ πορείας cap. VII. ἔγχος ergo hic dicitur de corpore producto ad inſtar perticæ, longuriive. Hæc vera lectio & interpretatio horum verborum: alioqui poſſis ſcribere *male pedato*, ut in Othone cap. XII.

VARIOR.

Rationibus vellet referri.] Nota phraſin pro *in rationes ref.* Sed placet *inferri*, quod eſt in cod. Salm. GUJET.

23. *Improbiuſque nato.*] Quod Homerus Iliad. H. de Ajacis cum Hectore congreſſuri haſta dixerat, id jucundiſſimus Imperator ad eam corporis partem transtulit, quæ honeſte nominari nequit. Itaque *vaſato* ſcribendum eſſe judico. Quid autem *vaſa* in Priapi ſacris ſint, neque mei pudoris eſt dicere, neque aliis difficile conjectare. Sed omittendum non eſt, præclarum illud omnium virtutum domicilium Danielem Heinſium, cum de hoc loco mentio caſu incidiſſet, mihi affirmaſſe, ſibi *mutoniato* legendum videri. Eodem quidem ſenſu, ſed meum a vulgata lectione minus abit. RUTGERSIUS. Duo hi ſummi viri hactenus ſagaciores, quod ſententiam viderant, eam latere ſub his verbis neſcii. Salmaſius ad Spartianum obſervat *improbum colorem* vocari purpureum: id inde, quod quicquid nimium eſt, modumque & normam excedit, *improbum* Latinis: ita *improbius natum* Suet. qui proceræ ſtaturæ fuit, & juſtam excedentis: nam etiam naturam veteres pro ſtatura ponere. Hic vera mixta falſis. Verum eſt, *improbum* pro immodico, nimio, magno dici: & ſic *improbam Tyron* apud Martialem, *improbi coloris lacernas* apud Senecam accipio non purpurei modo, ſed inter purpuras eximii, ſaturi, præſtantioris illa quam Cic. dicit pro Sext. *plebejam purpuram.* Quam prope ſcopum deflexit Salmaſius, quum cogitavit *improbius natum* eſſe, quem diceres aliter *improba naturæ*? Prorſus enim Suetonio figura loquendi verecundiſſima, *improbius natus* eſt homo *improbæ naturæ.* Ut tamen *naturam* non accipias pro ſtatura (ita enim bis idem diceret Suetonius, & præcipuum dicti ſalem non tangeret) ſed ut in Priapejo: *Natura eſt quoniam ſemper aperta mihi*: ut apud Cic. lib. III. de Nat. Deorum c. 22. ut apud Minutium Felicem: *parentis ſui adorare naturam.* Hoc eſt illud δολιχόσκιον ἔγχος. Diogenes Laertius in Diogene Cynico: Μειράκιον εὔμορφον ἀφυλάκτως ἰδὼν κοιμώμενον, νύξας, ἐπέγειραι, ἔφη,

Μή τίς σοι μεταφρένῳ ἐν δόρυ πήξῃ.

Hoc exemplum unicum inter omnia dicta, *ne prætextatis quidem abſtinuiſſe* Veſpaſianum. GRONOVIUS IV. de Pec. Vet. cap. I.

 TOR-

Μακρὰ βιβὰς κραδάων δολιχόσκιον ἔγχος.

Et de Cerulo liberto, qui dives admodum ob ſubterfugiendum quandoque jus fiſci, ingenuum ſe & Lachetem mutato nomine cœperat efferre, ὦ Λάχης Λάχης, ἐπὰν ἀποθάνῃς, αὖθις ἐξ ὑπαρχῆς εἰρήσῃ Κήρυλος. Et maxime tamen dicacitatem in deformibus lucris affecta-

TORRENT.

Et maxime de Cerylo lib.] Dele *maxime.* abeſt enim e tribus MSS. Qui *Cerulo* etiam ſcribunt, non *Cerylo.* Vide quæ notamus Ner. cap. XXXII. Quanquam nec deerit fortaſſis cui venuſtior ſententia videatur, ſi Cerulum hunc Latinæ conditionis fuiſſe dicamus. Latini enim, ſive Juniani, in vita pro liberis habiti, extremo vitæ ſpiritu cum anima libertatem ſimul amittebant. Inſtitut. De ſucceſſ. libertorum, §. ult. Non ignoro tamen, quoad jus fiſci deterioris fuiſſe conditionis etiam alios cum morerentur, libertos omnes quam ingenuos.

Cœperat offerre.] Melius MSS. omnes *ferre*, pro dicere, aut jactare. Græcorum vero verborum ſenſus eſt, O Laches Laches, Cum mortuus fueris, iterum eris Cerulus. Quaſi diceret, nunc Laches eſto ut lubet, at Cerulus habeberis mortuus. Sed & verba ipſa, ut verſus fiant, ſic ad numeros revoca, ὦ Λάχης Λάχης, Ἐπὰν ἀποθάνῃς, αὖθις ἔσῃ (pro ἔσῃ poetice non εἰρήσῃ) Κήρυλος. nam illa, ἐξ ὑπαρχῆς, interpretamentum ſunt ejus, quod præcedit, αὖθις.

Et maxime tamen.] Liber opt. *Maxime tamen*, ſine *&*, bene.

CASAUBON.

Et maxime de Cerylo.] Lege *Et de Cerylo*, ut in Viterb. τὸ *maxime* ſequenti loco temere huc intruſum. Memmianus, *& de Cerulo.*

Ω Λάχης, Λάχης.] Videantur ſumta de Menandro verba. Apollonius Alexandrinus libro I. Διϛάζεται τὸ παρὰ Μενάνδρῳ, ὦ Λάχης, Λάχης, πότερον ἐν σχήματί ἐϛι τῷ προκειμένῳ, ἢ δεόντως μετὰ τοῦ ἄρθρου καὶ τὴν πτῶσιν ἔχει τὴν κλητικήν. Sed non dubito aliter accipienda hæc eſſe ac diſtinguenda, quam ut vulgo ſcribuntur. nam prima hæc ὦ Λάχης, Λάχης, & ultimum vocabulum Κήρυλος, non ſunt poetæ, ſed Veſpaſiani. Quare ita ſine dubio ſcribendum, ὦ Λάχης, Λάχης, Ἐπὰν ἀποθάνῃς, αὖθις ἐξ ἀρχῆς ἔσῃ Κήρυλος. Huic liberto nomen erat Cerylo. ſed ille ut ſervitutis quam ſervierat, memoriam aboleret, Lachetem ſe dixerat. Ait igitur Veſpaſianus, *O Laches, poſtquam diem ultimum clauſeris, eris denuo Cerylus.* hoc eſt, jura quæ fiſcus habet in bona libertorum poſt eorum obitum, non ſubterfugies. Veſpaſiani ſunt, ut diximus, prima verba & poſtremum etiam. Qui interjicitur medius verſus, Menandri eſt. Exſtat hodie prolixa illius quædam ῥῆσις, cujus primi verſus ſunt hi:

Εἴτις προσελθών μοι θεῶν λέγοι κρατῶν,
Ἐπὰν ἀποθάνῃς, αὖθις ἐξ ἀρχῆς ἔσῃ.

VARIOR.

Ob ſubterfugiendum quandoque jus fiſci.] Nunquam jus Principi in bona libertorum, ſive teſtamento facto ſive inteſtato morientium, niſi ſuorum. eodem jure quo privati utuntur ſcilicet. Nam de Cerylo Veſpaſiani non eſt quod ita fluctuent viri docti, quem certum mihi aut ipſius Veſpaſiani, aut alicujus e proximis ejus libertum. Torrentius Latinum vult fuiſſe: ſed in Latini bonis quid juris fiſco? Immo libertum Imperatoris ipſius, aut alicujus e propinquis. nam & in libertos propinquorum jus nobis ſemiſſis, ſi moriuntur ſine liberis teſtati; aſſis, ſi inteſtati. §. *Multis.* Inſtit. de Succeſſ. libert. quod eſt ex veteri jure, ut docet l. *Liberto.* 17. ff. de Bonis libert. & aliæ. Indeque explicandus & ille locus e Suetonii Nerone: *Ante omnia inſtituit, ut e libertorum bonis pro ſemiſſe dodrans cogeretur ei, qui ſine probabili cauſſa eo nomine eſſent, quo fuiſſent illæ familiæ, quas ipſe contingeret.* Qui locus haud dubie capiendus de libertis, qui ſine patrono. Si enim patronus fuit, cur deminutum jus ejus fraudati ſuo ſemiſſe? Et omnino de iis qui liberti fuerant eorum, quos Tiberius, Cajus, Claudius, Nero ipſe nobiles & illuſtribus e familiis occiderant: bona eorum voluit cogi in fiſcum Nero, quaſi ſua, quippe qui liberti eorum quos ipſe cognatione contingeret: id enim ex nomine apparet. Et hoc eſt quod ait, *ſine probabili cauſſa:* qui nimirum patronum vivum non haberent, a quo id nomen: nam ſi habent, nullum jus fiſci aut Cæſaris. Semiſſem quidem habebat jure, ſed voluit etiam alterius ſemiſſis ſemiſſem, hoc eſt, dodrantem, ſi ea lectio recta. Nam credere in bona libertorum quorumlibet jus ſemiſſis fuiſſe fiſco, divinare eſt: prærepta enim iis eſſet omnis teſtamenti facultas, altero jam ſemiſſe debito patronis. Et in eo loco Sueton. *cogetur ei*, id eſt, fiſco Principis, propria voce cogendi, quam obſervabis fere ſemper in hoc jure. Tac. Ann. VI. *ablata ærario, ut in fiſcum cogerentur.* & in D. Marci Conſtitutione. Inſtit. de Eo cui lib. cau. bon. add. Non ergo jus fiſco aliud in bona libertorum alienorum, quam bonorum vacantium, ſcilicet idem quod in bona ingenuorum. JOS. MERCER.

Maxime tamen dicacitatem in deformibus lucris affectabat.] Codex Salm. *maxime tamen dicacitatem affectabat in deformibus lucris.*

affectabat: ut invidiam aliqua cavillatione dilueret, transferretque ad ſales. Quendam e caris miniſtris diſpenſationem cuidam, quaſi fratri, petentem cum diſtuliſſet, ipſum candidatum ad ſe vocavit: exactaque pecunia, quantam is cum ſuffragatore ſuo pepigerat, ſine mora ordinavit. Interpellanti mox miniſtro: *Alium tibi*, ait, *quære fratrem: hic*, *quem tuum putas*, *meus eſt.* Mulionem in itinere quodam ſuſpicatus ad calceandas mulas deſiliſſe, ut adeunti litigatori ſpatium moramque præberet: interrogavit, *Quanti calceaſſet?* pactuſque eſt lucri partem. Reprehendenti filio Tito, quod etiam urinæ vectigal commentus eſſet, pecuniam ex prima penſione admovit ad nares, ſciſci-

TORRENT.

Invidiam al. cav. dilueret.] Idem codex *deflueret.* Sane *defluxus* interdum παθητικῶς accipitur, ut apud Lucanum, *æther defluxus in auſtrum.* Concinne igitur ſic legeretur, ſed novitas diſplicet.

Diſpenſationem.] Vide Aug. cap. LXVI. & Oth. cap. V.

Quem tuum putas, meus eſt.] Tale illud Satyrici: *Vis, frater, ab iſtis Ilibus? O nummi, vobis hunc præſtat honorem, Vos eſtis fratres.*

Pactuſque eſt.] Duo codd. *pactus lucri part.* ſine *que*, & *eſt.* *Adeunti* autem, ſcilicet Imperatorem Veſpaſianum.

CASAUBON.

Ut invidiam aliqua cavillatione dilueret.] Reperi in Viterbienſi, notatam & Torrentio γραφὴν ſane miram, *deflueret.* Viderint acutiores: nam in hoc genere, ſæpe veritas latet ſub aliqua in ſpeciem abſurda ſcriptura.

Quendam e charis miniſtris.] Scriptura Viterb. *e Cæſaris miniſtris.*

Exactaque pecunia, quantum is cum ſuffragatore ſuo pepigerat.] Per Veſpaſianum igitur licitum fuit ſuffragiorum commercium: quod jus in Imperio Rom. non ſemper obtinuit. Julianus Imp. leg. pr. Si certum petatur de ſuffragiis, lib. III. Cod. Theod. leges Romanas hujuſmodi contractus penitus ignorare affirmat. exſtant & leges duæ Imp. Conſtantini codice eodem, De honorariis codicillis, quo omnis pecuniæ exactio pro ſuffragiis vetatur. per dictam Juliani legem, neque ſoluti fuit repetitio, neque non ſoluti petitio. Contrarium plane jus introducit Juſtinianus lib. IV. Cod. titulo De ſuffragiis: ea lex & ſtipulationem pecuniæ pro ſuffragio facit licitam, & promiſſæ petitionem concedit. id vero jus poſtea Tiberius Auguſtus ſuſtulit, Novella CLXI.

Quod etiam urinæ vectigal commentus eſſet.] Probo valde Beroaldi ſententiam, exiſtimantis exactum hoc vile vectigal a fullonibus, quos plurimum urina uti ſolitos teſtantur multi veterum loci. Athenæus lib. XI. Τὸ δὲ ἀφ' ἡμῶν διηθούμενον οὐρόν ἐστι δριμύ· τὰ γοῦν ἱμάτια τούτῳ χρώμενοι ῥύμματι πλύνουσιν οἱ γναφεῖς. Similia teſtimonia apud Græcos medicos, præſertim Galenum: qui etiam in tertio Ὑγιεινῶν Quinti indoctum dictum commemorat: *Tractare de urinis non medico, verum fulloni convenire.* Poteſt tamen intelligi de ſtipe exacta ab iis, qui per diem veſicam exonerare vellent in amphoris, quæ per angiportos erant collocatæ: ut indicat Titii veteris ſcriptoris locus apud Macrobium libro tertio cap. XVII. quem Beroaldus laudat. Meminit & Lucretius lib. IV. his eloquentiſſimis verſibus:

Puſi ſæpe lacum propter ſe, ac dolia curta,
Somno devincti credunt extollere veſtem,
Totius humorem ſaccatum ut corporis fundant:
Cum Babylonica magnifico ſplendore rigantur.

Videntur de his accipiendæ & quæ *gaſtræ* nominantur in Petronii Satyrico. Porro ſimile huic vectigal fuit, quod foricarii exercebant. cujus meminit Juvenalis Satyra tertia:

- - - inde reverſi
Conducunt foricas: & cur non omnia?

Exſtat & foricariorum mentio apud Paulum lege XVII. §. *Fiſcus.* Dig. De uſur. quem locum explicat Cujacius Obſervat. lib. XXII. cap. XXXIV. Beatus Chryſoſtomus κοπρῶνας vocat, in priorem ad Corinth. & eorum ἐπιτήδευμα ταλαίπωρον καὶ ἐπονείδιστον. Reperio etiam ſimile huic aliud vectigal a Veſpaſiano eodem excogitatum, & fimo equino impoſitum. Tzetzes narrat Chiliade prima, haut ſcio, qua fide, quove auctore. Tandem vero & urina, & fimus, & omnes ſordes factæ in Imperio Romano vectigales. Lege Cedrenum in Anaſtaſio, tributum Chryſargyrum deſcribentem.

Pecuniam ex prima penſione admovit ad nares.] Ad judicium de metallis faciendum etiam olfactus adhibetur interdum, ut de poculis Darii notat Ariſtoteles de Miraculis auditis, quæ ſolo narium judicio cognoſcebantur, ænea eſſent, an ferrea: Ἐν τοῖς Δαρείου ποτηρίοις βατιάκας εἶναί τινας, ἃς εἰ μὴ τῇ ὀσμῇ ἄλλως οὐκ ἦν διαγνῶναι, πότερόν εἰσι, χαλκαῖ ἢ χρυσαῖ. Ergo etiam trapezitæ & nummularii in æſtimanda pecunia hac ratione inter alias plures uſi. Arrianus Diſſertationum Epicteti libro I. cap. XX. Ὁ ἀργυρογνώμων προσχρῆται κατὰ δοκιμασίαν τοῦ νομίσματος τῇ ὄψει, τῇ ἀφῇ, τῇ ὀσφρασίᾳ, τὰ τελευταῖα τῇ ἀκοῇ. Ad hunc morem videtur Veſpaſianus reſpexiſſe.

VARIOR.

Quendam e miniſtris diſpenſationem cuidam, quaſi fratri.

ſciſcitans *num odore offenderetur* : & illo negante , *Atqui* , inquit, *e lotio eſt*. Nun-
tiantes legatos, *decretam ei publice non mediocris ſummæ ſtatuam coloſſeam* : juſſit , ut con-
tinuo ponerent, cavam manum oſtentans, & paratam baſim dicens. Ac ne in metu
quidem, ac periculo mortis abſtinuit jocis. Nam cum inter prodigia cetera Mauſo-
leum Cæſarum derepente patuiſſet, & ſtella in cælo crinita apparuiſſet: alterum ad Ju-
liam Calvinam e gente Auguſti pertinere dicebat: alterum ad Parthorum regem , qui
capillatus eſſet. Prima quoque morbi acceſſione, *Ut*, inquit, *puto*, *Deus fio*. Conſu- 24
latu ſuo nono tentatus in Campania motiunculis levibus , ac protinus urbe repetita,
Cutilias ac Reatina rura, ubi æſtivare quotannis ſolebat, petiit. Heic, cum ſuper ur-
gentem valetudinem creberrimo frigidæ aquæ uſu etiam inteſtina vitiaſſet: nec eo minus
muneribus imperatoriis ex conſuetudine fungeretur, ut etiam legationes audiret cubans,
alvo

fratri, petentem. &c.] Reſcribi videtur : *Quodam e.c.m.d.c.q.f.petente.* &c. pl. GUJET.

Ad calceandas mulas.] Calceare mulas, eſt ſoleis ferreis pedes earum munire. Plinius lib. XI. cap. XLV. de camelis : *Pes imus veſtigio carnoſo. qua de cauſa in longiore itinere ſine calceatu fatiſcunt.* Apud Plaut. Captivis Act. I. Sc. II. Ergaſilus paraſitus perquam venuſte :

Cum calceatis dentibus veniam tamen.

Urinæ vectigal.] Sordidum profecto vectigal , & ex re ſordidiſſima repertum , minimeque Principi conveniens: quod hoc, opinor, pacto excogitavit: Romæ in angiportis, & in angulis vicorum, amphoræ antiquitus erant collocatæ , in quibus tranſitores ebrii, & vinolenti urinæ libidine laceſſente , mejere ſolebant: quod indicat Cajus Titius, vir ætatis Lucilianæ, in oratione, qua legem Faniam ſuaſit. Poteſt etiam referri id vectigal ad urinam , qua fullones utuntur. Beroald.

TORRENT.

Odore offenderetur.] Huc haud dubie reſpexit Juvenal. Sat. XIV. cum ait,

- - - *Lucri bonus eſt odor ex re*
Qualibet.

Statuam coloſſeam.] Ad Calig. cap. XXXV. *coloſſeros.*

Cum inter prod.] Liber opt. ſic legit, *cum inter cetera prodigia Mauſoleum derepente patuiſſet.* Et ſane dictio *Cæſarum* minime neceſſaria eſt. unicum enim Auguſti Mauſoleum fuit. Similis locus Ner. cap. XLVI. *De Mauſoleo ſponte foribus patefactis audita vox eſt.*

Ad Juliam Calvinam e gente Aug.] Libri MSS. omnes *ad Juniam Calvinam*, *de*, vel, *e gente Aug.* Interpretes *Juliam* ſuppoſuere , non recte. Quaſi vero fœminæ gentis nomen ſervent , & non in aliam familiam tranſeant. Sed & Tacit. initio lib. XIII. Annal. Junium Silanum Divi Auguſti abnepotem nominat , de quo Plin. quoque lib. VII. cap. XIII. Et hæc igitur Junia e gente Auguſti veniſſe potuit.

Ad Parthorum regem.] Verba Veſpaſiani referens Victor, *Iſtud* (inquit) *ad Perſarum regem pertinet, cui capillus eſt effuſior.* Iidem ergo Parthi & Perſæ. Barbaros autem reges barbam , & capillum nutrire ſolitos, præter nummorum & lapidum monumenta, oſtendit ipſe Sueton. Calig. cap. V. Libet & illud addere, alluſiſſe ad id Juvenalem Sat. VI. cum ait :

Inſtantem regi Armenio, Parthoque cometen
Prima videt.

Deus fio.] Similis Neronis parricidæ jocus, quo boletum deorum cibum vocabat , poſtquam eo occiſum Claudium deum fecerat. Ner. cap. XXXIII.

24. *Cutilias.*] De harum uſu Plin. lib. XXXI. Gelidiſſimas vocat eodem lib. cap. III.

Ac Reatina rura.] Xiphilin. ex Dione febribus exſtinctum ſcribit in aquis Sabinis , quæ Cutiliæ appellantur. Titum quoque Sueton. Sabinos ante petiiſſe, ſcribens, mox addit , exceſſiſſe eum in eadem qua pater villa. Reatini ergo ad Sabinos ſpectant.

CASAUBON.

Cavam manum oſtentans.] Hoc quam vim habeat, (habet autem magnam ad denotandos mores,) fuſe expoſuimus libro II. ad caput XCI.

VARIOR.

Prima penſione.] Cod. Salm. *prima paſſione.*

Nuntiantibus legatis.] Palatini, Salmaſianus & editio Roberti Stephani : *Nuntiantis legatos , decretam ei publice non mediocris ſummæ ſtatuam coloſſeam , juſſit.* *Nuntiantis* pro *nuntiantes*, ut millies.

24. *Motiunculis levibus.*] Id eſt, valetudinis mutatiunculis in pejus. GUJET.

Ac protinus urbe repetita.] Salm. Cod. & Rob. Steph. *protinuſque urbe repetita.*

Cutylias.] Cod. Salm. *Cutilias.* mox idem pro *petiit*, *petit.*

Etiam inteſtina.] Sic Palatini, & Salmaſ.

TOR-

alvo repente uſque ad defectionem ſoluta, *Imperatorem* ait *ſtantem mori oportere.* Dumque conſurgit, ac nititur, inter manus ſublevantium exſtinctus eſt VIII. Kalend. Julii, annum gerens ætatis ſexageſimum ac nonum, ſuperque menſem, ac diem ſeptimum. Convenit inter omnes, tam certum eum de ſua ſuorumque genitura ſemper fuiſſe, ut poſt aſſiduas in ſe conjurationes auſus ſit affirmare ſenatui, *aut filios ſibi ſucceſſuros, aut neminem.* Dicitur etiam vidiſſe quondam per quietem ſtateram in media parte veſtibuli Palatinæ domus poſitam examine æquo: cum in altera lance Claudius & Nero ſtarent: in altera ipſe ac filii. Nec res fefellit: quando totidem annis, parique temporis ſpatio utrique imperaverunt.

TORRENT.

VIII. Kal. Julii annum gerens.] Liber opt. *nono Kal. Jul. annum agens,* &c.

25. *In media parte veſtibuli.*] Idem lib. *med. part. veſt.* ſine *in*, ut mox *altera lance*, & iterum *altera ipſe*, omiſſa ubique præpoſitione.

CASAUBON.

24. *Imperatorem ait ſtantem mori oportere.*] Stoicorum eſt ſcitum: Sapientem in actu mori oportet. de quo Seneca epiſtola octava. in XXXVII. autem, *Recto*, inquit, *tibi invictoque moriendum eſt.* idem epiſtola LXXXII. *O efficacem concionem! quis poſt hanc dubitet ſe infeſtis ingerere mucronibus, & ſtans mori.*

IX. Kalend. Julii.] Ita noſtri MSS. omnes, non ut vulgo VIII. *Kalend. Jun.*

Annum agens ætatis ſexageſimum ac nonum, ſuperque menſem ac diem ſeptimum.] Intellige menſem ſeptimum ac diem ſeptimum. Dio: Ἔζησε δὲ ἔτη ἐννέα καὶ ἑξήκοντα καὶ μῆνας ὀκτώ. imperaſſe autem ſcribit idem annos decem, ſex diebus minus. At Clemens annos XI. menſes totidem, dies XXII. Cauſam tantæ diverſitatis diſcas ex iis, quæ notat Xiphilinus extremo Veſpaſiano. Mitto Theophilum, Epiphanium, alios.

C. SUETONII TRANQUILLI
LIBER VIII.
TITUS FLAVIUS VESPASIAN. AUG.
CAPUT I.

Titus, cognomine paterno, amor ac deliciæ generis humani, tantum illi ad promerendam omnium voluntatem vel ingenii, vel artis, vel fortunæ ſuperfuit, &, quod difficillimum eſt, in imperio, quando privatus, atque etiam ſub



Torrent.

1. Amor ac deliciæ gen. humani.] Idem de Tito Victor & Eutropius tradunt. Atque Auguſti quidem, & Galbæ nummis inſcriptum legimus, SALUS GENERIS. HUMANI. alii quoque conſervatores reſtitutoreſque ſeſe orbis terrarum vocant, ſed omnes omnium titulos Titus ſuperat, qui, omni virtutum genere admirabilis, gentium conſenſu ſic appellatus ſit.

In imperio.] Hoc ergo eſt, quod ſolus Titus in imperio factus dicitur melior.

Casaubon.

1. *Titus cognomine paterno.*] Græci quidam ita hæc ſunt interpretati, quaſi poſt mortem demum patris, cognomen ejus aſſumſiſſet, ac tum dici incepiſſet Titus Veſpaſianus. Pæanius apud Eutropium, Ὁμώνυμος μετὰ τὴν τοῦ πατρὸς τελευτὴν γενόμενος τῷ πατρί. ſed falſam eſſe eam interpretationem omnes ſciunt, in Latinorum libris verſati. Porro quin illa verba *cognomine paterno* de *Veſpaſiani* cognomine ſint intelligenda, non autem de ſequentibus, *amor ac deliciæ generis humani*, ut eruditi quidam contendunt, ne dubitari quidem poteſt, aut debet. nam breviſſime Suetonius ſignificare voluit diſcrimen inter duos filios Veſpaſiani, ratione aſſumtorum ab illis cognominum. Titus cognomine paterno dictus Veſpaſianus: alter frater cognomine materno a Domitilla, Domitianus eſt appellatus. Hæc vera mens Tranquilli, non quam putarunt nonnulli. Sic & Victor & Eutropius ac Suidas videntur illa verba *Amor & deliciæ generis humani* ex ſua potius quam Suetonii mente interpretati. Vox *deliciæ* ut hic accipitur, una ex illis eſt, quas alibi dicebamus negotium faceſſere Græcis interpretibus. Itaque ex iis alii omiſerunt iſto loco, ut Pæanius, qui ita vertit: Τὸ πλῆθος γοῦν αὐτὸν Κοινὸν ἔρωτα προσηγόρευε. alii pro ea poſuerunt τρυφή. cujus tamen dictionis ſimilem uſum non reperias apud eos, qui vere ἑλληνίζουσι. Suidas: ὡς πρὸς ἁπάντων Ἔρως τε καὶ τρυφὴ τοῦ θνητοῦ προσαγορευθῆναι γένους. Mirum erratum notabamus aliquando in hoc vocabulo in Græca verſione libri Hieronymi, cui index, Catalogus Scriptorum Eccleſiaſticorum. ſiquidem hæc Latina verba, *Antionum autem in deliciis habuiſſe Cæſar Adrianus ſcribitur*, ita vertuntur, Τὸν δὲ Ἀντίνουν ἐν τῷ μεταξὺ τῶν αἰδιλικίων ἐσχηκέναι Ἀδριανόν τινες συγγράφονται, O ſocordiam! ſed videtur interpres deceptus, cum in depravatum codicem incidiſſet.

Varior.

1. *Deliciæ generis humani, tantum illi.*] Multa hic Marcilius infeliciter, in quibus, quod non patitur eſſe παρένθεσιν, & reddit nexas arenas. Omnino enim ſic audiendum: *Titus cognomine paterno* (id eſt Veſpaſianus,) *amor ac deliciæ generis humani*, (*tantum illi*, &c. *caruit*) *natus eſt*: & mutandi capitum numeri. Brevis eſt Suetonius, ſed ubi commodum eſt, non inepte, neque moroſe. Qualem facit in omnibus, quæ in hanc rem adducit Marcilius. Cap. 3. *præcipuum robur*, non eſt præciſum, nec fert τελείαν ὑποστιγμήν: nam cum omnibus vicinis pendet ab τῷ *exſplenduerunt*. Cap. 8. ſimiliter non poteſt lacerari & recidi a ſequentibus: *Natura autem benevolentiſſimus.* Senſus enim: *Ceterum, ut qui eſſet natura benevolentiſſimus.* quæ per ſe non ſubſiſtit oratio, ſed ἀπόδοσιν deſiderat. In Julio jam judicatum eſt feliciſſime feciſſe Lipſium, *Eloquentia militarique re aut æquavit*: & eſſe hoc commune principium duabus præcipuis laudibus Cæſaris, quæ late deinde enarrantur. Domitiano cap. 22.

ſub patre Principe, ne odio quidem, ne dum vituperatione publica caruit, natus eſt III. Kalend. Jan. inſigni anno Cajana nece, prope Septizonium, ſordidis ædibus, cubiculo vero perparvo, & obſcuro: nam manet adhuc, & oſtenditur. Educatus in 2 aula cum Britannico ſimul, ac paribus diſciplinis, & apud eoſdem magiſtros inſtitutus. Quo quidem tempore, ajunt, Metopoſcopum a Narciſſo Claudii liberto adhibitum, ut Britannicum inſpiceret, conſtantiſſime affirmaſſe: illum quidem nullo modo, ceterum Titum, qui tunc prope adſtabat, utique imperaturum. Erant autem adeo familiares, ut de potione, qua Britannicus hauſta periit, Titus quoque juxta cubans guſtaſſe credatur, gravique morbo afflictatus diu. Quorum omnium mox memor, ſtatuam ei auream in Palatio poſuit, & alteram ex ebore equeſtrem, quæ Circenſi pompa hodieque præfertur, dedicavit, proſecutuſque eſt. In puero ſtatim corporis animique dotes ex- 3 ſplenduerunt: magiſque ac magis deinceps per ætatis gradus, forma egregia, & cui non minus auctoritatis ineſſet, quam gratiæ: præcipuum robur, quamquam neque procera ſtatura, & ventre paullo projectiore: memoria ſingularis, docilitas ad omnes fere, tum belli, tum pacis artes. Armorum & equitandi peritiſſimus, Latine Græceque vel in orando,

Libidinis nimiæ, non poteſt præcidi a ſequentibus, quibuſcum etiam ſic cohæret, ut illud in Tito: *Porro qui eſſet libidinis nimiæ, aſſiduitatem*, &c. Talem παρένθεσιν cum damno ſenſus aboleverunt & in Tiberio cap. 47. *Princeps neque opera ulla magnifica fecit, (nam & quæ ſola ſuſceperat* &c. *reliquit) neque ſpectacula omnino edidit.* Torrentius habet. GRONOVIUS.

TORRENT.

Ne odio quidem, nedum vitup.] *Odio*, ob cædes quas præfectus Prætorio perpetravit; *vituperatione*, ob amores & libidinem.

2. *Prope Septizonium.*] Si Septizonium tanto ante Veſpaſiani Imperium Romæ fuit, quomodo Spartianum intelligimus, qui Severi Imperatoris opus fuiſſe ſcribit, ad caput Appiæ viæ, non procul a Circo maximo, ſub Palatio, regione x Urbis? Aut igitur collapſum reſtituit Severus, aut locum ea Urbis regione fuiſſe dicemus hoc nomine, ubi poſtea Septizonium Severus exſtruxerit. Quod ſi ita eſt, nominis etiam ratio in dubium veniet. ſiquidem ſic appellatum volunt, quod ſeptem ſive zonis, ſive cingulis (ſic enim columnarum ordines vocant) opus illud aſſurrexerit. Sunt qui Septiſolium vocare malint. Meminit ejus etiam Ammianus.

Metopoſcopum.] Perinde ac ſi frontis inſpectorem dicas. Utitur eo vocabulo etiam Plin. lib. XXXV. cap. X. *Phyſiognomi* generalius nomen eſt, pro eo qui ſe profiteatur hominum mores naturaſque ex corpore, oculis, vultu, fronte pernoſcere, qualis Zopyrus, qui Socratem notarat apud Xenophontem, & Ciceronem lib. de Fato. Adde Juvenalis locum e Sat. VI. *frontemque, manumque Præbebit vati.*

Qui tum prope aſt.] Particula *tum*, vel *tunc*, abeſt ab optimis codicibus.

Morbo affl.ctatus.] Duo codd. *afflictus*, neque diſplicet. Horat. Sat. I. lib. I.

Aut aliquis caſus lecto te affixit.

De quo vocabulo alibi plura.

Hodieque.] Sic etiam tres noſtri MSS. Alii *hodie quoque.*

3. *Magis ac magis.*] Libri duo *magiſque ac magis*, & mox *ſtatura procera.*

Memoria ſingularis.] Liber opt. *memoriæ.*

Latinæ Græcæque linguæ.] Idem codex *Latina, Græcaque*, abſque verbo *linguæ*. Sed nihil muto, ut *promptus linguæ* dicat Græcorum more.

CASAUBON.

2. *Kalend. Januar.*] Memmii & Pithœi cod. IIII. Kal.

Erant autem adeo familiares.] Quidam libri, *Erat autem adeo familiaris*: nempe Titus Britannico.

Titus quoque juxta cubans g.] *Cubans?* atqui Britannicus ipſe non cubabat, verum ſedebat. Lege Tacitum, & Tranquillo negligentiam dicti condona.

3. *Latinæ Græcæque linguæ.*] MSS. Cujacii, *Latine Græceque vel in orando, vel in fingendis poematibus promptus.*

VARIOR.

Vel fortunæ ſuperfuit.] Affuit. In hunc ſane ſignificatum cœpit id verbum circa Plinii & Tranquilli tempora uſurpari, quod Gellius ait a peritioribus repudiatum. SABELLICUS.

3. *Magis ac magis deinceps.*] V. C. Salm. *magiſque deinceps.*

3. *Quam neque.*] *Quamvis* ſcribi videtur, vel *quamquam*. GUJET.

Latinæ Græcæque linguæ &c. *promptus.*] Leg. *Latine Græceque promtus*. SALM. in cujus codice non exſtat *linguæ*. uti nec in Cujacii libro vetuſto, nec in Palatino ſecundo.

do, vel in fingendis poematibus promtus, & facilis ad extemporalitatem uſque: ſed ne muſicæ quidem rudis, ut qui cantaret & pſalleret jucunde ſcienterque. E pluribus comperi, notis quoque excipere velociſſime ſolitum, cum amanuenſibus ſuis per ludum jocumque certantem, imitarique chirographa quæcumque vidiſſet, ac profiteri, *ſæpe ſe* 4 *maximum falſarium eſſe potuiſſe.* Tribunus militum & in Germania & in Britannia meruit ſumma induſtria, nec minore modeſtia, & fama: ſicut apparet & ſtatuarum & imaginum ejus multitudine, ac titulis per utramque provinciam. Poſt ſtipendia, foro operam dedit, honeſtam magis quam aſſiduam. Eodemque tempore Arricidiam Tertullo patre equite Roman. ſed præfecto quondam prætorianarum cohortium, duxit uxorem: & in defunctæ locum Marciam Furnillam ſplendidi generis: cum qua, ſublata filia, divortium fecit. Ex quæſturæ deinde honore legioni præpoſitus, Taricheam & Gamalam urbes

TORRENT.

Fingendis poematibus.] Hanc gloriam etiam Domitianus affectabat, ſed uter præſtantior in poetica haberetur, incertum eſt. Alii Domitianum magis commendant, Titum Sueton. Vide Plinii epiſtolam operi Naturalis hiſtoriæ præfixam, & mox Domit. cap. II. ac rurſum XX.

Notis quoque excipere.] De notis diximus Galb. cap. V. De celeritate vero notarum, & quam multa parvo ſpatio ſcriberentur, Seneca Epiſt. XIV. ad Lucilium, & Quinctilian. lib. XI. cap. II. Vulgatum & illud, Homeri Iliadem in nucis putamine ſic inſcriptam fuiſſe, ex Solino. Sed & Plutarch. Catone auctor eſt orationem ejus, quam adverſus Cæſarem de Catilinæ ſociis habuit, notis exceptam ſua adhuc ætate exſtitiſſe.

Cum amanuenſibus.] *Libertos ſervoſque a manu* vocant etiam vetuſti lapides, ipſe Sueton. Cæſ. cap. LXXIV. & Veſpaſ. cap. III. Paullus J. C. *notarios* l. XL. de Teſtam. milit. *Scribas* quoque, & *librarios* dici invenias.

Ac profiteri ſæpe ſe max. falſarium.] Mallem, ut in duobus MSS. *ac ſæpe profiteri.* nam qui tam perite alterius chirographum imitaretur, quotieſcunque vellet, falſarius eſſe poterat. *Chirographum* autem vocat, quod propria cujuſque manu ſcriptum ſit, uti & Aug. cap. LXIV. *Nihil æque laboravit quam ut imitarentur chirographum ſuum.* Sed & Paullus J. C. l. XXX. de Teſtamentis: *Singulos teſtes qui teſtamento adhibentur, proprio chirographo annotare convenit, quis & cujus teſtamentum ſignaverit.* Eleganter Cic. II. Philipp. *Quo me teſte convinces? An chirographo? in quo habes ſcientiam quæſtuoſam. Qui poſſis? ſunt enim librarii manu.* notat enim Antonium, id facientem, quod Titus ſe facere poſſe dicebat. *Chirographum* hac ſignificatione Græci ἰδιόχειρον appellant. nam χειρόγραφον proprie ad contractus pertinet, & debitoris, aut alterius manu ſignata cautio eſt. συμβόλαιον γραμματεῖον, ut exponit Heſychius.

4. *Summa induſtria, nec min. modeſtia & fama.*] Multo elegantius quod in fragmento vetuſti cujuſdam cod. repperi, *ſumma induſtriæ, nec minore modeſtiæ fama.*

Apparet ex imaginum.] Liber opt. *ſicut apparet ſtatuarum & imaginum ejus multitudine ac titulis.* *Titulos* autem operum inſcriptiones vocat, quibus ob quas cauſas ea eſſent poſita, declarabatur.

Arricidiam Tertullo patre.] Melius libb. duo MSS. (meo quidem judicio) *Arricidiam Tertullam, patre Eq. R. ſed Præf.* Meminiſſe autem debemus, præfecturam prætorii ſummum fuiſſe honorum equeſtris ordinis gradum. Galb. cap. XIV. Male igitur qui *ſed & præfecto* hic legunt. Tertullum enim equitem tantum fuiſſe ſignificat, ſed in eo ordine ſummum.

Marciam Furnillam.] Sic in optimo cod. Vulgati *Furvillam* vocant. Interpretes, & MSS. duo *Fulviam*, non recte. nam & Furnia gens Romana eſt, & quidem conſularis, Marcia tamen multo illuſtrior. Hoc igitur eſt, quod eam ſplendidi generis fuiſſe adjicit Sueton. Sunt qui *Marciam Flavillam* legant, ſed auctoritas deeſt.

Taricheam & Gamalam.] De his Joſeph. & Hegeſipp. Plin. quoque, & alii.

CASAUBON.

Certantem imitari chirographa quæcunque vidiſſet.] In Græcorum commentariis legi: Διόφαντος ἦν γραμματεὺς Ἡρώδου βασιλέως, χειρὸς ἁπάσης γράμματα δυνάμενος μιμεῖσθαι, ὡς καὶ ὁ Τῖτος βασιλεὺς ἐκεῖνος ὁ Ῥωμαίων.

VARIOR.

Summa induſtriæ, nec minore modeſtiæ fama.] Codex Salmaſ. legit: *ſummæ induſtriæ, nec minore modeſtia & fama.* leg. *ſumma induſtria, nec minore modeſtia & fama.* Et ſic Robertus Stephanus edidit.

4. *Arricidiam Tertullam.*] V. C. Salm. *Adretidiam Tertullam.*

Martiam Furnillam.] V. C. Fulv. Urſin. *Martiam Fulvillam.*

urbes validiſſimas Judææ in poteſtatem redegit: equo quadam acie ſub feminibus amiſſo, alteroque inſcenſo, cujus rector contra ſe dimicans occubuerat. Galba mox tenente 5
remp. miſſus ad gratulandum, quaqua iret, convertit homines, quaſi adoptionis gratia *a.* arceſſeretur. Sed ubi turbari rurſus cuncta ſenſit, rediit ex itinere, aditoque Paphiæ Veneris oraculo, dum de navigatione conſulit, etiam de Imperii ſpe confirmatus eſt. Cujus brevi compos, & ad perdomandam Judæam relictus, noviſſima Hieroſolymorum oppugnatione VII propugnatores totidem ſagittarum confecit ictibus: cepitque eam natali filiæ ſuæ, tanto militum gaudio ac favore, ut in gratulatione Imperatorem eum conſalutaverint, & ſubinde decedentem provincia detinuerint, ſuppliciter nec non & minaciter efflagitantes, *aut remaneret, aut ſecum omnes pariter abduceret.* Unde nata ſuſpicio eſt; quaſi deſciſcere a patre, orientiſque regnum ſibi vindicare tentaſſet. Quam ſuſpicionem auxit, poſtquam Alexandriam petens, in conſecrando apud Memphim bove Api diadema geſtavit: de more quidem rituque priſcæ religionis; ſed non deerant, qui ſecus interpretarentur. Quare feſtinans in Italiam, cum Rhegium, dehinc Puteolos oneraria nave appuliſſet, Romam inde contendit expeditiſſimus: inopinantique patri, velut arguens rumorum de ſe temeritatem, *Veni*, inquit, *pater*, *veni.* Neque ex eo deſtitit 6
participem, atque etiam tutorem Imperii agere. Triumphavit cum patre, cenſuramque geſſit *b.*
una. Eidem collega & in tribunicia poteſtate, & in ſeptem conſulatibus fuit. Receptaque *c.*
ad ſe prope omnium officiorum cura, cum patris nomine & epiſtolas ipſe dictaret, & edicta conſcriberet, orationeſque in ſenatu recitaret etiam quæſtoris vice, præfecturam quo-

TORRENT.

5. *Rediit ex itinere.*] Corinthum uſque proceſſerat. *RedIt* autem pro rediit ſcribunt fere antiquiſſ. codices, uti & Pandectæ Florent. veterum more, qui *I* longum pro geminato ponebant.

Paphiæ Veneris oraculo.] Id in Cypro inclitum habebatur. Tacit. lib. II. Hiſtor.

Natali filiæ ſuæ.] VIII. menſis Septembris die. Joſeph. Belli Judaici lib. VII.

Bove Apide.] Sic codex Turnebi, & edit. Gallica. Alii *bove Api* ſcribunt.

De more ſiquidem.] Edit. Frobenii *de more is quidem*, qua ratione locum ſimilem correximus Veſpaſ. cap. XX. ſed hic *ſiquidem* retineo. De Api autem qui plura velint, Plinium, Diodorum Siculum, Ælianum, & præ cæteris Marcellinum lib. XXII. Hiſtor. conſulant.

Secus interpret.] Liber opt. *ſecius*, alias *ſequius*, quod etiam Turneb. ſequitur, & mox *dein Puteolos* pro *dehinc*.

6. *Quæſtoris vice.*] Id enim quæſtorum qui candidati Principis vocabantur, officium erat. Aug. cap. LXV.

CASAUBON.

5. XII. *propugnatores totidem ſagittarum confecit ictibus.*] Emendavimus ex codice Viterbienſi: nam cæteri omnes corrupti. quod apparet ex Eutropio & Pæanio, qui cum noſtro codice in numero iſto conſentiunt.

De more id quidem p.] Scribe vel ſic, vel ut in MSS. *de more quidem.* vulgo *ſiquidem* inepte.

Sed non deerant, qui ſecius interpretarentur.] Et ſane qui circa illa tempora vixerunt, ſic loquuntur, quaſi alia vulgo opinio hominum fuerit. Philoſtratus libro VI. Ἀναῤῥηθεὶς δὲ ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ἐν τῇ Ῥώμῃ, καὶ ἀριστείων ἀξιωθεὶς τούτων, ἀπῄει ἰσομοιρήσων τῆς ἀρχῆς τῷ πατρί. At quod ait de ſalutato Romæ tunc temporis Tito Imperatore, an verum? non ſane, ſed prorſus nugatorium: nam id factum in caſtris ad Hieroſolyma, ut modo dixit Suetonius, & narrat Joſephus libro VI. cap. XXXII. neque aliter ſalutatus a ſuo exercitu Titus Imperator, quam vetuſto ſub Republica more, qui omnibus notus. Vide libro primo ad caput LXXVI.

Veni, inquit, pater, veni.] ἦλθον, non ἔρχου.

VARIOR.

Contra ſe dimicans.] V. C. Salm. *circa ſe dimicans.*

5. *Cepitque ea.*] Sic melius Salmaſ. Cod. quam vulgo, *cepitque eam.* Ea ſcilicet Hieroſolyma.

Cepitque eam natali filiæ ſuæ.] Scrib. *ea*, ut ad τὸ *Hieroſolyma referatur.* & ita habet cod. Salmaſ. GUJET.

TOR-

(*a*) *A. U. C.* DCCCXXI. (*b*) *A. U. C.* DCCCXXIV. DCCCXXV. (*c*) *A. U. C.* DCCCXXIII. DCCCXXIV. DCCCXXV. DCCCXXVII. DCCCXXVIII. DCCCXXIX. DCCCXXX. DCCCXXXII.

quoque prætorii ſuſcepit, numquam ad id tempus niſi ab equite Rom. adminiſtratam, egitque aliquanto incivilius, & violentius. Siquidem ſuſpectiſſimum quemque ſibi, ſubmiſſis qui per theatra & caſtra, quaſi conſenſu ad pœnam depoſcerent, haud cunctanter oppreſſit. In his A. Cæcinam conſularem virum, vocatum ad cœnam, ac vix dum triclinio egreſſum, confodi juſſit: ſane urgente diſcrimine, cum etiam chirographum ejus præparatæ apud milites conjurationis deprehendiſſet. Quibus rebus ſicut in poſterum ſecuritati ſatis cavit, ita ad præſens plurimum contraxit invidiæ: ut non temere quis, tam
7 adverſo rumore magiſque invitis omnibus tranſierit ad Principatum. Præter ſævitiam, ſuſpecta in eo etiam luxuria erat: quod ad mediam noctem comiſſationes cum profuſiſſimo quoque familiarium extenderet. Nec minus libido, propter exoletorum & ſpadonum greges, propterque inſignem reginæ Berenices amorem, cui etiam nuptias pollicitus ferebatur. Suſpecta & rapacitas: quod conſtabat in concionibus patriis nundinari, præmiarique ſolitum. Denique propalam alium Neronem & opinabantur, & prædicabant.

TORRENT.

Niſi ab equite R.] Hoc ergo eſt, quod præfatione ſua ad Titum ait Plin. *Triumphalis, ac Cenſorius tu, ſexieſque Conſul, ac Tribunitiæ poteſtatis particeps, & (quod his nobilius feciſti, dum illud patri pariter & equeſtri ordini præſtas) Præfectus Prætorio ejus.* Porro ex equeſtri ordine præfectos prætorio ſumi ſolitos etiam alter Suetonii locus oſtendit, Claud. cap. XII. neque in eo ordine majus quicquam, aut ſublimius fuiſſe, Galb. cap. XIV. Idem etiam Capitolinus nos docet de Pertinace, ſcribens M. Aurelium palam doluiſſe, quod eum, cum ſenator eſſet, præfectum prætorii facere non poſſet. Primus vero Alexander ſtatuit, ut præfecti prætorio ſenatorii ordinis inſignia haberent, ne ſenatorem per non ſenatorem judicari contingeret. ſic enim de eo tradit Lamprid. Nec diſſimilis Spartiani de Hadriano locus eſt: *Cum Tatianum ex Præfecto Prætorii, ornamentis Conſularibus præditum, faceret Senatorem, nihil amplius quod in eum conferre poſſet, ſe habere oſtendit.* Loquitur autem de ordinis ſenatorii dignitate.

Egitque aliquanto incivilius.] Præfecturam ſcilicet. ut *agere tribunitiam poteſtatem, agere honorem*, pro gerere.

Depoſcerentur.] Plura & meliora exemplaria *depoſcerent.* Placet. ſic enim & Victor: *Præfecturam prætorianam patre imperante adeptus, ſuſpectum quemque, & oppoſitum ſibi, immiſſis qui per theatra, & caſtra invidioſa jactantes ad pœnam poſcerent, quaſi criminis convictos oppreſſit.*

A. Cæcinam conſ. virum.] Deleo *virum.* ſic enim & opt. codices, & Victor ad verbum e Suetonio. A quo tamen in eo diſcrepat, quod ob ſuſpicionem ſtupratæ Berenices, quam etiam uxoris nomine dignabatur, jugulatum dicit.

7. *Comiſſationes.*] *Comeſſationes* etiam hoc loco habent MSS. noſtri. Vide Vitell. cap. XIII.

In concionibus patriis.] *Patris* legitur in antiquis codicibus, & nonnullis etiam impreſſis. Sed quæ (obſecro) e concionibus rapina? Victor ſcribit jurgia ſub patre vænumdata. Unde affirmare non dubitem *cognitionibus* eſſe legendum. Principum enim cognitionibus jurgia decidebantur.

Præmiarique.] Verbum elegans, & antiquum, pro quomodolibet quæſtum facere. *præmia* enim veteres quaſcunque utilitates, & vitæ commoda dicebant. Lucret. lib. III. *Omnia perfunctus vitai præmia.* & initio lib. V. *qui talia nobis Pectore partu ſuo quæſitaque præmia liquit.* Hinc *præmioſus* pro pecunioſus apud Feſtum, & *præmiatores* nocturnos prædones exponit Nonius, quod ſuo in Lucretium indice annotavit Obertus Giſanius. Atque hinc porro intelligimus Tibulli locum lib. I. Eleg. II.

Nec ſinit occurrat quiſquam, qui corpora ferro
Vulneret, aut rapta præmia veſte petat.

Deinde propalam.] *Denique propalam*, libb. MSS. & edit. Germanica.

CASAUBON.

6. *Præparatæ apud milites conjurationis.*] Scribe *concionis*, & ita ſcriptum in melioribus libris.

Tam adverſo rumore.] Nemo dubitat hanc lectionem eſſe optimam: mei tamen officii duxi non tacere lectionem duorum codd. Viterb. & Liſlæi, *adverſa re.*

7. *Reginæ Berenices amorem.*] Scribe, *Beronices*, & mox *Beronicen.* ſic ſcripti cum Græcis conſentientes, Dione, Joſepho, aliis.

In cognitionibus patris.] Omnes libri hac parte corrupti, præferunt *concionibus.* quod abſurdum eſt adeo, ut dubitari nequeat ſic eſſe ſcribendum, ut & Torrentius monuit probavitque. In antiquiſſimo regiæ bibliothecæ offendimus ſcriptum *evictionibus.* quod compendium male interpretati ſunt, qui ſcripſerunt primi *concionibus.* At *præmiari*, non autem *prædari* omnes libri.

VARIOR.

6. *Quaſi conſenſu.*] An judicum? locus integer non videtur. GUJET.

bant. At illi ea fama pro bono ceſſit, converſaque eſt in maximas laudes: neque ullo vitio reperto, & contra virtutibus ſummis. Convivia inſtituit jucunda magis, quam profuſa. Amicos elegit, quibus etiam poſt eum Principes, ut & ſibi & reipubl. neceſſariis, acquieverunt: præcipueque ſumtam ſibi Berenicem, ſtatim ab urbe dimiſit invitus invitam. Quoſdam e gratiſſimis delicatorum, quamquam tam artifices ſaltationis, ut mox ſcenam tenuerint, non modo fovere prolixius, ſed ſpectare in publico omnino cœtu ſuperſedit. Nulli civium quidquam ademit: abſtinuit alieno, ut ſi quis umquam: ac ne conceſſas quidem ac ſolitas collationes recepit. Et tamen nemine ante ſe munificentia minor. Amphitheatro dedicato, thermiſque juxta celeriter exſtructis, munus edidit apparatiſſimum, largiſſimumque. Dedit & navale prælium in veteri naumachia, ibidem & gladiatores: atque uno die quinque milia omne genus ferarum. Natura autem bene- 8
volen-

Præparatæ apud milites conjurationis.] Cod. Salm. *contionis.*

Conjurationis.] *Concionis* e vett. codd. ſcrib. videtur. Gujet.

7. *Præmiari.*] Id eſt, quæſtum facere. Id.

Quod conſtabat in cognitionibus patris nundinari præmiarique ſolitum.] V. C. habet: *Quod conſtabat in negotiationibus patris nundinari, prædarique ſolitum.* quod non diſplicet. Fulvius. Ursin.

Torrent.

Neque ullo vitio rep.] Codex opt. *neque vitio ullo reperto.* *Vitium* vocare videtur, quod natura inſeverit, non quod ætas attulerit, aut paterni imperii occaſio. ſic enim Tacit. initio lib. II. Hiſtor. *Lætam voluptatibus adoleſcentiam egit, ſuo quam patris imperio modeſtior.*

Acquieverunt.] Sic Tib. cap. LVI. *quibus vel maxime acquieſcebat.*

Præcipueque ſumptam ſibi Beren.] Lector diligens facile animadvertet ſubeſſe mendum. Beroaldus in cod. MS. legi affirmat, *præcipueque ſunt viſi*, quomodo & codex Tornacenſ. habet. Nemini itaque dubium, quin hæc præcedentibus annectenda ſint, legendumque, *acquieverunt, præcipueque ſunt uſi. Berenicen*, &c. ac ſic cod. Patavinus De Berenice qui plura velit, Tacitum, Xiphilinum, Joſephum, & Hegeſippum legat. De eadem Juvenal. Sat. VI.

- - - adamas notiſſimus, & Berenices
In digito factus pretioſior. Hunc dedit olim
Barbarus, inceſtæ dedit hunc Agrippa ſorori.

E gratiſſimis delicatorum.] *Enervatos greges* vocat Victor. Vide ad Veſpaſ. cap. III. *delegatam.*

Scenam tenuerint.] Id eſt, principem in ea locum habuerint. Sic *ſcholam tenere, tenere Remp.* Cicero, & alii.

Fovere prolixius.] Lib. unus *pronixius*. Adſcriptumque, *alias prolixius.* Et conſuevit quidem hujuſmodi verbis uti Sueton. *prolixius* tamen & elegans eſt, & Ciceroni familiare.

In publico omnino cœtu.] Vulgati codd. *in publico omni cœtu.* Omnium opt. ſic, *ſpectare omnino in publico ſuperſedit.* quæ lectio germana eſt.

Celeriter exſtructis.] MSS. tres *celebriter.* Sed *celeriter* retineo ex hiſtoria. ſic enim & Martial.

Hic ubi miramur velocia munera thermas.

Quinque millia.] Sic Eutropius, & Oroſius Chronicis. Dionis compendium, impudentius, novem ponit.

Casaubon.

Quoſdam e gratiſſimis delicatorum.] Refer ad illa ſuperiora, *ſuſpecta libido fuit, propter exoletorum & ſpadonum greges.* Sunt enim delicati, quos Græci παῖδας ἁπαλοὺς vocant. Dio Chryſoſtomus de regno, κομᾶν ὄπισθεν ἀφεὶς, ὥσπερ οἱ νῦν τοὺς παῖδας τοὺς ἁπαλούς.

Thermis celeriter exſtructis.] At MSS. omnes noſtri *celebriter.* Dio, τὸ βαλανεῖον τὸ ἐπώνυμον αὐτοῦ ἱερώσας.

Ibidem & gladiatores, atque uno die quinque millia omne genus ferarum.] Dio ſic refert: Γέρανοί τε γὰρ ἀλλήλοις ἐμαχέσαντο, καὶ ἐλέφαντες τέσσαρες. ἄλλά τε ἐς ἐννακισχίλια καὶ βοτὰ καὶ θηρία ἀπεσφάγη. Sed grues in theatrum productas ad pugnam quis veterum narrat præter Dionem? Scio commiſſiones gallorum gallinaceorum & coturnicum fuiſſe inter ſpectacula: ſed Græcorum, non Romanorum. Lego vero mutata diſtinctione Γέρμανοί τε γὰρ ἀλλήλοις ἐμαχέσαντο. καὶ ἐλέφαντες τέσσαρες, ἄλλά τε ἐς ἐννα. En μεταμόρφωσιν: unius litterulæ adjectione facimus de gruibus Germanos. Intelligit auctor commiſſiones gladiatorum, quorum & Suetonius, uti vides, ſimiliter meminit. inter hos producti & Germani captivi. ſic fuit moris, ut ſciunt omnes. Seneca epiſtola LXX. *Nuper in ludo beſtiariorum unus e Germanis cum ad matutina ſpectacula pararetur.* Vopiſcus in Probo: *Edita præterea gladiatorum paria trecenta, Blemyis pleriſque pugnantibus, qui per triumphum erant ducti, pleriſque Germanis & Sarmatis, nonnullis etiam latronibus Iſauris.*

Varior.

Quinque millia omne genus ferarum.] *Amphithea-*

volentiſſimus, cum ex inſtituto Tiberii omnes dehinc Cæſares beneficia a ſuperioribus conceſſa Principibus, aliter rata non haberent, quam ſi eadem iiſdem & ipſi dediſſent: primus præterita omnia uno confirmavit edicto: nec a ſe peti paſſus eſt. In ceteris vero deſideriis animum hominum obſtinatiſſime tenuit: ne quem ſine ſpe dimitteret. Quin & admonentibus domeſticis, *quaſi plura polliceretur quam præſtare poſſet: Non oportere*, ait, *quemquam a ſermone Principis triſtem diſcedere.* Atque etiam recordatus quondam ſuper cœnam, quod nihil cuiquam toto die præſtitiſſet, memorabilem illam, meritoque laudatam vocem edidit: *Amici, diem perdidi.* Populum in primis univerſum tanta per omnes occaſiones comitate tractavit, ut propoſito gladiatorio munere, *non ad ſuum, ſed ad ſpectantium arbitrium editurum ſe* profeſſus ſit. Et plane ita fecit. Nam neque negavit quidquam petentibus: & ut quæ vellent, peterent, ultro adhortatus eſt. Quin & ſtudium armaturæ Thracum præ ſe ferens, ſæpe cum populo & voce &

theatrum, quod Titus ædificandum curavit, Breviarium Dionis appellat τὸ θέατρον τὸ κυνηγετικὸν, id eſt, Theatrum venatorium, quod venationum cauſſa exſtructum eſſet: ut & thermas βαλανεῖον: in quo pro quinque millibus ferarum a Tranquillo ſcriptarum, referuntur novem millia. TURNEBUS. Codex Salmaſ. *omnigenus ferarum.*

TORRENT.

8. *Aliter rata non haberent.*] Dictio *rata*, quod miror, abeſt ab omnibus MSS. Neque indigna fortaſſis Suetonio locutio eſt.

DIEM PERDIDI.] D. Hieronymum lege Commentario in cap. VI. Epiſt. ad Galatas.

Propoſito glad. munere.] Sic *propoſito millies* HS. Tib. cap. XLVIII.

Studium armat. Thracum.] Contra Domitianus mirmillonibus favebat, cap. X. Cajus etiam Thracibus, cap. XXX.

CASAUBON.

8. *Primus præterita omnia uno confirmavit edicto.*] Edicti hujus meminit & Dio. Habes ejuſdem plane argumenti edictum divi Nervæ libro decimo epiſtolarum Plinii. Titi enim exemplum plerique deinceps Principum imitati. De patre ſuo M. Antonino Philoſopho teſtatur Commodus apud Modeſtinum Juriſconſultum: Ὁ θειότατος, inquit, πατήρ μου παρελθὼν εὐθὺς ἐπὶ τὴν ἀρχὴν, διατάγματι τὰς ὑπαρχούσας τιμὰς καὶ ἀτελείας ἐβεβαίωσεν.

Quaſi plura polliceretur quam præſtare poſſet.] Græci hæc verba ita acceperunt, quaſi auctor diceret, re vera plura ſolita promitti a Tito quam præſtari. Cedrenus ita vertit, καὶ τινος τῶν συνήθων ἐρωτήσαντος Ὅτου χάριν τοῦτο ποιεῖς, πολλάκις μὴ ἐκπληρῶν τὰς ὑποσχέσεις; non eſt Suetonii ea mens, non eſt: neque Titus de eo hominum genere fuit, quos frontis imbecillitas facit liberales, ſed benignitas & χρηστότης ἔμφυτος.

AMICI, DIEM PERDIDI.] Omnino legendum ut apud Græcos & Latinos, credo, omnes: *Amici, hodie diem perdidi*: vide Euſebium in Chronico, Victorem, Eutropium, Zonaram, Pæanium, atque alios minorum gentium hiſtoricos. Adde his Themiſtium oratione ſexta: Τίτου τοῦ γενναίου τὸ λαμπρὸν καὶ μέγα ἐκεῖνο ῥῆμα, ὅτι Τήμερον οὐκ ἐβασίλευσα· οὐδὲν γὰρ εὖ ἐποίησα. Meminit idem Themiſtius & alibi. Atque hoc vere χρυσοῦν ἔπος Titi Imperatores ſunt imitati principio conſtitutionis de patrimonialibus rei dom. *Prope eſt ut beneficium accepiſſe credamus, quotiens offertur nobis cauſſa præſtandi: & diem periiſſe procul dubio ſuſpicemur, quem noſtri numinis munificentia non illuſtrat.* Alluſerunt & alii multi; ut Leo Auguſtus in conſtitutione quadam de Imperatoris officio in hæc verba diſſerens: Τέλος τῷ βασιλεῖ τὸ εὐεργετεῖν. διὸ καὶ εὐεργέτης λέγεται. καὶ ἡνίκα τῆς εὐεργεσίας ἐξατονήσῃ, δοκεῖ κιβδηλεύειν, κατὰ τοὺς παλαιοὺς καὶ τὸν βασιλικὸν χαρακτῆρα. *Finis regi præpoſitus eſt, facere bene hominibus: idcirco benefactor appellatur. quod ſi quando benefaciendi facultas ei defuerit, videtur eſſe non legitimus, prout quidem regius character a veteribus eſt proditus.* alludit ſine dubio ad hanc Titi vocem, eamque appellat notam ſive characterem veri regis. alluſit & Radevicus, de geſtis Friderici I. lib. I. cap. XIV. *Nullos ſibi dies otioſos tranſire paſſus eſt: eos ſe ratus perdidiſſe, in quibus non aliquid de utilitatibus Imperii diſpoſuiſſet.* Guntherus Ligurini lib. VI. de eodem:

Non tamen in tanta Princeps ignava quiete
Ocia carpebat, credens hoc perdere tempus,
Quo nihil adjectum regni proventibus eſſet.

Et ut quæ vellent, peterent, ultro adhortatus eſt.] Plinius in Panegyr. de Trajani liberalitate: *Impetratum eſt quod poſtulabatur, oblatum quod non poſtulabatur: inſtitit ultro, & ut concupiſceremus, admonuit.*

TOR-

& geſtu, ut fautor, cavillatus eſt: verum majeſtate ſalva, nec minus æquitate. Ne quid popularitatis prætermitteret, non numquam in thermis ſuis, admiſſa plebe, lavit. Quædam ſub eo fortuita ac triſtia acciderunt: ut conflagratio Veſevi montis, in Campania: & incendium Romæ, per triduum, totidemque noctes: item peſtilentia, quanta non temere alias. In his tot adverſis ac talibus, non modo Principis ſollicitudinem, ſed & parentis affectum unicum præſtitit: nunc conſolando, per edicta: nunc opitulando, quatenus ſuppeteret facultas. Curatores reſtituendæ Campaniæ e conſularium numero ſorte duxit. Bona oppreſſorum in Veſevo, quorum heredes non exſtabant, reſtitutioni afflictarum civitatum attribuit. Urbis incendio nihil, niſi ſibi publice periiſſe teſtatus,

Torrent.

Cavillatus eſt.] *Cavillatio* (ut eleganter exponit Feſtus) jocoſa calumniatio eſt, & Nonius *cavillatur* pro jocatur exponit. Adde (ſi lubet) JCtos l. LXXVII. De verb. ſignif. & l. LXV. De regulis juris, ubi *cavillationem* eſſe tradunt, quam Græci σωρίτην vocant. Cicero *cavillari* & *jocari* conjungit epiſt. ad Att. lib. II.

Conflagratio Veſevi montis.] Libb. duo *Veſebii*, & mox *Veſebio*, nota litterarum *v* & *b* cognatione. Alii *Veſuvium* vocant, *Veſbium* quoque, & *Veſuium*, ut Græci Βέσβιον. Hinc *Veſuvia juga*, & *Veſevia*. At Virgil. *vicina Veſevo Ora jugo.* Neque temere rei unius nomen toties mutatum invenias. Ut taceam primam ſyllabam nunc produci, non corripi. De hiſtoria autem plura Xiphilin. Tito, & Plin. Epiſt. ad Tacitum. Sed & Tertullian. Apolog. cap. XLVIII. & Minucius Felix Octavio, & elegans auctor Pacianus de Pœnitentia & Confeſſ. hæc a Deo viva exempla quædam conceſſa tradunt ignis æterni, quo ſontes apud Inferos puniuntur, pœnam ſimul inferentis, neque abſumentis quod exurit. Neque efficacius argumentum incendio periturum mundum ex carminib. Sibyllinis apud Lactantium de Ira Dei cap. XXIII.

Nihil niſi ſibi publice periiſſe teſtatus.] Hic quoque variant codices MSS. Unus ſic habet, *Urbis incendio nihil periſſe teſtatus eſt publice.* Alter ſic, *nihil niſi ſibi periſſe teſtatus eſt publice.* Optimus ſic, *Urbis incendio nihil publice periſſe teſtatus, cuncta prætoriorum ſuorum ornamenta*, &c. quæ lectio mihi magis placet. nam illud, *niſi ſibi*, rei ipſius narratione intelligitur.

Casaubon.

Nonnunquam in thermis ſuis, admiſſa plebe, lavit.] Lampridius in Alexandro Severo: *Thermis & ſuis & veterum frequenter cum populo uſus eſt, & æſtate maxime, balneari veſte ad palatium revertens: hoc ſolum Imperatorium habens, quod lacernam coccineam accipiebat.* Eginhardus de Carolo Magno: *Non ſolum filios ad balneum, verum optimates & amicos, aliquando etiam ſatellitum & cuſtodum corporis turbam invitavit; ita ut nonnunquam centum vel eo amplius homines lavarentur.*

Ut conflagratio Veſevi montis.] Chronicon Euſebii, in anno primo Titi: *Mons Veſuvius ruptus in vertice, tantum ex ſe jecit incendii, ut regiones vicinas, & urbes cum hominibus exureret.* prolixe Xiphilinus.

Et incendium Romæ per triduum.] Euſebius in anno poſteriore Titi: *Romæ plurimæ ædes incendio concremantur.* videndus Xiphilinus.

Nihil niſi ſibi publice periſſe teſtatus.] Trajectio. nam *publice* jungi cum *teſtatus* debet. ſic membranæ. ἡ σύνταξις, *nihil niſi ſibi periiſſe, publice eſt teſt.* Titi hanc vocem imitati ſunt Imperatores Theodoſ. & Valent. AA. in conſtitutione de indulgentiis reliquorum: *Nobis perit deterior poſſeſſor effectus, nobis proficit non gravatus.*

Varior.

8. *Ut fautor cavillatus eſt.*] Id eſt, diſſimulavit. Gloſſ. Græco-Lat. Εἰρωνεύομαι, *vellico, cavillor.* Gl. Ph. *Cavillatio*, εἰρωνεία. τὸ *ut fautor*, hic alienum videtur & ſubdititium. Gujet.

Majeſtate ſalva.] Id eſt, modeſte, & non effuſe, voce & geſtu favens Threcum adverſariis mirmillonibus. Idem.

Conflagratio Veſevi montis.] Memorabilis hujus incendii multi meminerunt, Euſebius, Dio apud Xiphilinum, Plinius junior, Joſephus, Martialis. Simile ejuſdem montis incendium accidit anno Chriſti CCCCLXXIII. Marcellinus Comes: INDICTIONE X. Marciano & Feſto Coſs. *Veſuvius mons Campaniæ torridus inteſtinis ignibus æſtuans exuſta vomuit viſcera, nocturniſque in die tenebris omnem Europæ faciem minuto contexit pulvere. Hujus metuendi memoriam cineris Byzantii annuc celebrant VIII. Idus Novembris.* Hodie periit illius cultus inſtauratio ex Menologiis Græcorum. Josephus Scaliger.

Sorte duxit.] Cur *ſorte* Romani in deferendis hujuſmodi muniis uſi, Tacitus 4. Hiſt. 8. cauſam hanc adducit, *ne ambitioni aut inimicitiis* (inter competitores) *locus foret.* Bern.

Veſevo.] Cod. Salmaſ. *Veſuvio.* At Virgilius:
- - - *Vicina Veſevo*
Ora jugo.

tus, cuncta prætoriorum ſuorum ornamenta operibus ac templis deſtinavit: præpoſuitque complures ex equeſtri ordine, quo quæque maturius peragerentur. Medendæ valetudini, leniendiſque morbis, nullam divinam humanamque opem non adhibuit, inquiſito omni ſacrificiorum remediorumque genere. Inter adverſa temporum, & delatores mandatoreſque erant, ex licentia veteri. Hos aſſidue in foro flagellis ac fuſtibus cæſos, ac noviſſime traductos per Amphitheatri arenam, partim ſubjici in ſervos, ac venire imperavit: partim in aſperrima inſularum avehi. Utque etiam ſimilia quandoque auſuros perpetuo coerceret, vetuit inter cetera: de eadem re pluribus legibus
9 agi, quærive de cujuſquam defunctorum ſtatu, ultra certos annos. Pontificatum maximum ideo ſe profeſſus accipere, ut puras ſervaret manus, fidem præſtitit: nec auctor poſthac cujuſquam necis, nec conſcius. quamvis interdum ulciſcendi cauſſa non deeſſet, ſed *periturum ſe potius, quam perditurum* adjurans. Duos patricii generis convictos in affecta-

TORRENT.

Omnium ſacrificiorum.] Mallem, ut in cod. Tornacenſi, *omni ſacrificiorum.*

Delatores mandatoreſque.] *Mandare* eſt gerendum aliquid alicui committere. Hinc *mandatores* dupliciter fere accipiuntur apud JCtos, & hi videlicet quorum mandato pecunia alicui creditur (nec quicquam a fidejuſſoribus differunt, niſi quod illi tanquam auctores præcedunt, fidejuſſores vero ſequuntur) & hi qui delatores inſtruunt ſubornantque ad accuſandum. Quare ut in pari ſunt turpitudine, ita parem quoque pœnam detecta calumnia merentur. ſic enim Calliſtratus l. II. de Jure fiſci: *Divus Pius Cæcilio maximo reſcripſit conſtitutionem patris ſui, qua compelleretur delator edere mandatorem, ac niſi edidiſſet ut in vincula deduceretur, eo pertinere, non ut delator pœnæ ſubduceretur ſi mandatorem haberet, ſed ut mandator quoque perinde atque ſi ipſe detuliſſet, puniretur.* Differt tamen a mandatore exhortator, aut inſtigator tantum, quod Papinianus reſpondit l. xx. De his qui not. infamia. Auctorem ergo fieri neceſſe eſt, ut mandatoris nomine quis puniatur. Male autem, qui *amandatores*, aut *emendatores* hic legunt.

Subjici in ſervos aut venire.] Mallem *ac venire.* nam illud *ſubjici in ſervos*, ſic interpretor, ut haſtæ ſubjecti pro mancipiis vendantur Juvenal. Sat. III.

Et præbere caput domina venale ſub haſta.

Nihil muto tamen. ſæpe enim (quod pulchre Paullus J. C. ait) *conjuncta pro disjunctis, & disjuncta pro conjunctis accipi neceſſe eſt.* l. LIII. De verb. ſignific.

Ultra certos annos.] Hinc titulus ille Codicis Juſtiniani, Ne de ſtatu defunct. poſt quinquennium quæratur. Sed & Capitolin. de M. Antonino, *De ſtatu* (inquit) *defunctorum intra quinquennium quæri juſſit.*

9. *Puras ſervaret manus.*] Sic Horat. lib. I. Sat. III.

- - - at bene ſi quis,
Et vixit puris manibus.

Nec diſſimile illud Plinii lib. XVIII. cap. III. *Honeſtis manibus omnia lætius proveniunt.* loquitur enim de agricultura, in qua cultorum innocentia felicius agitur. At quanto ea magis in Pontifice requiritur? Sancte igitur Titus. nam Dii (quod in Alcibiade docet Plato) integritate animorum, & precibus placantur. Eleganter etiam Horat. lib. III. Od. XXIII.

Immunis aram ſi tetigit manus, &c.

Sed periturum ſe potius quam perditurum.] Digna vox optimo Principe. Libri vero nonnulli habent *punitururn*, ſed *perditurum* magis placet.

CASAUBON.

Partim in aſperrimas inſularum avehi.] Vide quæ ſcripſimus libro primo, ad caput LXVI.

VARIOR.

Flagellis ac fuſtibus cæſos.] Solebant noxii fuſtibus cædi, & per Amphitheatri arenam traduci. Scribit Philo Judæus in Ægypti urbe Alexandria ita punitos, & per orcheſtram traductos, ac cæſos. J. LIPSIUS.

Per Amphitheatri harenam.] Ob hoc dixiſſe videtur Epigrammatum ſcriptor:

- - - nec cepit arena nocentes,
Et delator habet, quod dabat exſilium.

Partim ſubjici in ſervos.] Optimus codex *in ſervos* non habet. & recte. intelligitur autem ſubjici beſtiis vinctos, ſic ut reſiſtere beſtiis, corporibus inſidentibus non poſſent. J. LIPSIUS.

De eadem re pluribus legibus agi.] Multa ſunt inventa legum diverticula, & vafritiæ: ut ſi actionem intendero adverſario ſecundum formulam legis Aquiliæ, & ille abſolvatur, tunc alterius legis actionem mihi competere dicam, ut ita infelix reus divexetur. Ad hæc vaframenta, calumniaſque tollendas noluit Titus, ut de eadem re actio fieret pluribus legibus, ſed una tantum lege competeret. BEROALD.

Cujuſdam.] *Cujuſquam* ſcribendum videtur. GUJET.

affectatione Imperii, nihil amplius, quam ut deſiſterent monuit, dicens *Principatum fato dari:* ſi quid præterea deſiderarent, promittens ſe tributurum: & confeſtim quidem ad alterius matrem, quæ procul aberat, curſores ſuos miſit, qui anxiæ filium ſalvum nuntiarent. Ceterum ipſos non ſolum familiari cœnæ adhibuit, ſed & inſequenti die gladiatorum ſpectaculo circa ſe ex induſtria collocatis, oblata ſibi ornamenta pugnantium inſpicienda porrexit. Dicitur etiam cognita utriuſque genitura, *imminere ambobus periculum* affirmaſſe, *venturum quandoque & ab alio:* ſicut evenit. Fratrem inſidiari ſibi non deſinentem, ſed pæne ex profeſſo ſollicitantem exercitus, meditantem fugam, nec occidere, neque ſeponere, ac ne in minore quidem honore habere ſuſtinuit: ſed, ut a primo Imperii die, conſortem ſucceſſoremque teſtari perſeveravit: non numquam ſecreto lacrymis & precibus orans, *ut tandem mutuo erga ſe animo vellet eſſe.* Inter 10
hæc morte præventus eſt, majore hominum damno, quam ſuo. Spectaculis abſolutis, in quorum fine, populo coram ubertim fleverat, Sabinos petit aliquanto triſtior: quod ſacrificanti hoſtia aufugerat, quodque tempeſtate ſerena tonuerat. Deinde ad primam ſtatim manſionem febrim nactus, cum inde lectica transferretur, ſuſpexiſſe dicitur dimotis plagulis cælum: multumque conqueſtus, *eripi ſibi vitam immerenti. Neque enim exſtare ullum ſuum factum pœnitendum, excepto dumtaxat uno.* id quale fuerit, neque ipſe tunc prodidit, neque cuiquam facile ſuccurrat. Quidam opinantur conſuetudinem recor-

Defunctorum ſtatu.] Id eſt, τῶν τῆς δίκης ἀπηλλαγμένων. IDEM.

9. *Quam perditurum.*] Scribendum *quam quemquam perditurum.* &c. GUJET.

TORRENT.

Ornamenta pugnantium.] Victor mirmillonum gladios exponit. Quos editori mos exhibere, ut periculum faceret, ſatiſne eſſent acuti. *Ornare* autem eleganter dixerunt veteres pro inſtruere. Sic *ornati aſini* apud Catonem de Re Ruſtica, *ornata jumenta* apud Ulpianum l. XXXVIII. De Ædilit. edicto, *ornata provincia*, & *ornare provinciam* apud Suetonium Cæſ. cap. XVIII. Male igitur, qui hic *inſtrumenta* ſubſtituunt.

Venturum quandoque & ab alio.] Quanto venuſtius in opt. codice eſt *verum quandoque, & ab alio.* Cicero VI. Famil. *donec ille quandoque veniat.*

10. *Hoſtia aufugerat.*] Sic Cæſ. cap. LIX. Vide Galb. cap. XVIII. Liber unus non malus *afugerat*, ut *afuit* in Pand. Florent. pro *abſuit.*

Tempeſtate ſerena.] Idem de Cæſaris morte Virgil. I. Georg.

> *Non alias cælo ceciderunt plura ſereno*
> *Fulgura.*

Horat. lib. I. Od. XXXIV.

> - - - *per purum tonantes*
> *Egit equos, volucremque currum.*

Sup. Aug. cap. XCV.

Dimotis plagulis.] *Plagæ* (inquit Nonius) *grande tegmen linteum, quam lecticariam ſindonem dicimus.* Hinc igitur *plagulæ* non totum illud lecticæ tegmen, ſed quibus feneſtra lecticæ obtegeretur. Quo vocabulo uſus eſt etiam Livius lib. IX. ubi de luxu ex Aſia Romam advecto conqueritur. Male ergo qui *pallulis* legunt, pejuſque qui *paludamentis.* CASAUBON.

9. *Oblata ſibi ornamenta pugnantium.*] Ornamentum eſt σκευὴ, quam Græci vocant. ſic σκευὴ Ἡρακλέως dicitur, quicquid prodituro in ſcenam aſſumendum, ut Herculis perſonam agat; puta, leonina pellis, clava, pharetra, & cætera omnia id genus. Latini *ornamenta* vocant, ut ex Feſto, Seneca, & Suetonio recte animadverſum viris eruditis. Seneca in epiſtola XLVIII. *ſubornare* pro armis inſtruere. nihil igitur mutandum. In codice tamen Viterb. & Cujaciano, *ferramenta* ſcriptum, non *ornam.*

10. *Dimotis plagulis.*] Liſlæi codd. pars *pellibus*, pars *paludibus.* Pithoei *pallulis.* Viterb. *paludamentis.* omnia mendoſa. vide Nonium in *Plaga.*

Quidam opinantur.] Alii, inquit Dio, pœnituiſſe ajunt, quod fratrem Domitianum manifeſto vitæ ſuæ inſidiantem non intere miſſet: & his aſſentiri ſe ait ille. ego aliter judico: rapiunt enim me in alia omnia verba Suetonii, quæ potius ſuadent, ſenſiſſe Titum de aliquo inſigni aut flagitio, aut ſcelere a ſe quondam patrato. ſed Dio aliter narrat vocem Titi, ἀποψύχων εἶπεν, ὅτι Ἓν μόνον ἐπλημμέλησα.

VARIOR.

Ornamenta pugnantium.] Id eſt, arma, gladios, quaſi ad explorandam aciem victor addidit. GUJET.

Seponere.] *Seponere* alias eſt removere, procul ponere. Ut Propert. I. eleg. *ſepoſitus fons.* Hic autem peculiariter eſt, honeſta aliqua negotii ſpecie quaſi relegare, adeoque paullo minus quam in exſilium mittere. BERN.

Dimotis

recordatum, quam cum fratris uxore habuerit. Sed nullam habuiſſe perſancte Domitia jurabat, haud negatura, ſi qua omnino fuiſſet: immo etiam gloriatura, quod illi promtiſſimum erat in omnibus probris. 11 Exceſſit in eadem, qua pater, villa, Idibus Septembris, poſt biennium ac menſes duos, dieſque XX quam ſucceſſerat patri, altero & quadrageſimo ætatis anno. Quod ut palam factum eſt, non ſecus atque in domeſtico luctu mærentibus publice cunctis, ſenatus prius quam edicto convocaretur, ad Curiam concurrit: obſeratiſque adhuc foribus, deinde apertis, tantas mortuo gratias egit, laudeſque, quantas congeſſit ne vivo quidem umquam atque præſenti.

Domi-

10 *Dimotis plagulis.*] *Dimotis pallulis* in juratiſſimis antiquitatis libris reperi. quid ni enim vela obducta lecticæ *pallulæ* vocari queant? quod ita a me affirmatur, ut tamen plagulis de ſuo jure nullam controverſiam faciam, ne momenti actionem mihi intendant, & a prætore reſtitui petant, ſi a me dejiciantur. TURNEBUS. *Pallulæ* exſtat in Cod. Salmaſ.

Neque cuiquam facile ſuccurrit.] Cod. Salm. *ſuccurrat.*

TORRENT.

11. *Exceſſit.*] De morte Titi, & quidem tanquam veneno ſublati, nonnulla minime vulgaria & Philoſtratus de vita Apollonii lib. VI. & Xiphilin. Quem vide.

Ad curiam cucurrit.] MSS. duo *concurrit*, ut ſup. Oth. cap. VIII.

Quantas congeſſit.] Male. ſic enim legendum, *tantas mortuo gratias egit, laudeſque congeſſit, quantas ne vivo quidem unquam.* Quam hujus loci correctionem Eutropio debemus, Suetonii verba referenti.

CASAUBON.

11. *Exceſſit in eadem, qua pater, villa.*] Euſebius: *Titus morbo periit in ea villa qua pater ejus, anno ætatis* XLII. Exſtinctum veneno leporis marini ſunt qui narrent. Tzetzes: Τῖτος θνήσκει βεϐρωκὼς λαγὼν τῶν θαλασσίων. eadem etiam Glycas in Annalibus. aliter alii, ut notat Scaliger ad Euſebium.

Idibus Septembris.] Euſebius, pridie Idus Sept.

Poſt biennium, ac menſes duos, dieſque XX.] Conſentiunt Dio & Zonaras. Clemens dies omittit. aliter alii.

Non ſecus atque domeſtico luctu mœrentibus publice cunctis.] Et iſtud videntur Græci de Suetonio vertiſſe, quem etiam Eutropius eſt imitatus. Cedrenus, vel is potius, unde habet Cedrenus: Τοσῦτος θρῆνος ἐπὶ τῇ τελευτῇ τῦ Τίτυ κατέσχε τὴν Ῥώμην, ὡς ἐν χρόνῳ πολλῷ τῦτον ὑπομνημονεύοντες, καὶ τὰς ἀρετὰς αὐτῦ ἀναλογιζόμενοι, δημοσίᾳ καὶ κατ' οἴκυς κλαίειν, ὥσπερ οἰκείῳ πάθει κατεχόμενος ἕκαστος. quam bene aſſecuti ſint Græculi iſti mentem Suetonii, qui valent judicio, ſatis intelligunt.

Senatus prius quam edicto convocaretur ad curiam cucurrit] Simile huic eſt, quod de populo Romano obſervat Tacitus: audita morte Germanici ultro illum ſibi indixiſſe juſtitium. Annalium lib. II. 82. *Hos vulgi ſermones audita mors adeo incendit, ut ante edictum magiſtratuum, ante ſenatuſconſultum, ſumto juſtitio deſererentur fora, clauderentur domus.*

Obſeratiſque adhuc foribus.] Mutata diſtinctione ſcrib. *ſenatus prius quam edicto convocaretur, ad curiam cucurrit, obſeratis adhuc foribus: deinde ap.* aut etiam cum copula *obſeratiſque.* ita Memm. apud Tacitum, vulgo homines, ubi lætiora de valetudine Germanici erant allata, *curſant per urbem, moliuntur templorum fores.* Porro hæc quæ narrantur hoc loco, ſub crepuſculum diei videntur eſſe geſta. nam veſpera erat, quando Romæ de morte Titi palam eſt factum. Vide hiſtoriam Miſcellam.

VARIOR.

11. *Exceſſit in eadem, qua pater, villa.*] Periit conjectus in arcam ligneam nive oppletam, ſi Dioni credimus. Aliter Tzetzes, eſu leporis marini: Τῖτος δὲ θνήσκει βεϐρωκὼς λαγὼν τῶν θαλασσίων. Unde Græculus hæc tam diſcrepantia a Dione, & aliis? Plutarchus in balneo exſtinctum fuiſſe, in libro ὑγιεινῶν παραγγελμάτων. Stulti Judæi, muſcam in ejus cerebrum ingreſſam, unde σφακελισθεὶς perierit. Quæ ſunt portenta Judaica. JOSEPHUS SCALIGER.

Ad curiam cucurrit.] In Palatinis codd. eſſe, *concurrit*, monet Gruterus: quod haud dubie rectius eſt. Nam *cucurriſſe* ſenatores, quis credat? *Concurrere* autem, ut & *confluere*, Romane loquentes etiam de iis uſurpant, qui βάδην eundo, conveniunt frequentes. BERN. Hanc lectionem firmat Cod. Salm. & Rob. Steph. ed.

Gratias egit laudeſque congeſſit, quantas ne.] Sic uno Eutropio auctore Torrentius, cum MSS. & editi veteres: *gratias egit laudeſque, quantas congeſſit ne vivo.* Quod vereor ne mutatum ſit ob ſermonem antiquum & minime vulgarem *agere laudes.* Plautus Trinummo 4. 1. *Lætus lubens laudes ago & grates gratiaſque habeo.* Livius lib. 7. *Diis laudes grateſque agunt.* lib. 26. *Primam diis immortalibus laudeſque & grates egit.* lib. 27. *Diis immortalibus, ut in tali re, laudes grateſque ago.* GRONOV.

TOR-

A. U. C.
DCCCIV.

C. SUETONII TRANQUILLI
LIBER VIII.
TITUS FLAVIUS DOMITIANUS.
CAPUT I.

DOmitianus natus eſt IX Kalend. Novembris, patre COS. deſignato, inituroque menſe inſequenti honorem, regione urbis ſexta, ad Malum Punicum, domo, quam poſtea in templum gentis Flaviæ convertit. Pubertatis ac primæ adoleſcentiæ tempora tanta inopia, tantaque infamia geſſiſſe fertur, ut nullum vas argenteum in uſu haberet. Satiſque conſtat, Clodium Pollionem prætorium virum, in quem eſt poema Neronis, quod inſcribitur *Luſcio*, chirographum ejus conſervaſſe, & non numquam protuliſſe, noctem ſibi pollicentis: nec defuerunt, qui affirmarent corruptum Domitianum
&



TORRENT.

1. HOnorem.] Conſulatus ſcilicet, quam per duos noviſſimos anni menſes geſſit. Veſpaſ. cap. IV.

Ad Malum Punicum.] Declarat hoc P. Victor De regionibus Urbis, cum ait, *Malum Punicum, ad quod Domitianus dedicavit templum Minervæ Flavianæ, ſeu templum gentis Flaviæ, & erat domus ejus.* Quod dictum volui, ne quis malum Punicum inſigne domus illius fuiſſe exiſtimet. Fuit autem regione Urbis VI. De quo præfatione operis ſui Valerius Flaccus, *Ille tibi cultuſque Deum, delubraque genti Inſtituet.* loquitur enim de Domitiano, non de Tito, ut quidam viri docti credidere. quamvis enim Titus patrem Veſpaſianum conſecravit, non idcirco Domitianus excluditur, qui & ipſe templi, de quo agimus, dedicatione divinos parenti ſuo honores inſtituit. Quo referendum etiam illud Martialis lib. IX.

Addita quid Latio Flavia templa polo?

nam *Latium polum* appellat eam veluti poli partem, cui Latinorum Romanorumque Dii tranſcripti fuerant, eoſque inter Veſpaſianus. At Beroald. *foro* pro *polo* legit.

Adoleſcentiæ tempus.] Lib. unus *tempora.*

Prætorium virum.] Mallem abeſſe *virum.* ſic enim loquebantur veteres.

Poema Neronis.] Ut hunc Clodium Pollionem, ſic Afranium Quinctilianum, vel (ut alii volunt) Quinctianum, probroſo carmine diffamavit Nero. Auctor Tacit. lib. Annal. XV. Hinc itaque Juvenalis verſum intelligimus e Sat. IV.

- - - *improbior Satyram ſcribente cinædo.*

Neronem enim ſignificat, qui molles, ipſe mollior ac nequior carminibus ſuis perſtrinxerat.

Policentis.] Sic omnino ſcribendum. *Policenti* tamen habent MSS. noſtri omnes. Ut *policiti* legendum eſſe merito quis ſuſpicetur.

Corruptum Domitianum.] Dictio *Domitianum* rectius abeſſet.

CASAUBON.

1. *Adoleſcentiæ tempus tanta inopia tantaque infamia geſſiſſe fertur.*] Malim *egiſſe.* ſimilis error in Veſpaſiano cap. ultimo, ubi *annum gerens* multi codices legunt, perperam, ut arguunt libri omnes meliores. hic tamen Memmianus quoque *geſſiſſe.*

Quod inſcribitur Luſcio.] Viterbienſis *Lutio.* Memmii & alii *Luſcio.* Fortaſſe ad iſtud Neronis carmen reſpiciebat Perſius Sat. 3. cujus magna pars adverſus Neronem, in extremo ita dicens:

Non hic, qui in crepidas Grajorum ludere geſtit
Sordidus, & luſco qui poſſit dicere luſce.

VARIOR.

1. *Primæ adoleſcentiæ tempus.*] Libri meliores *tempora*, idque melius, J. LIPS. cui etiam ſubſcribit Rob. Stephani editio.

Tantaque infamia geſſiſſe fertur.] Sic & Palat. tres non *egiſſe*, quod forſan hic aptius. GRUT.

Satiſque conſtat.] Melius *conſtet.* J. LIPS.

Quod inſcribitur Luſcio.] Palat. prim. *Lutio.*

& a Nerva ſucceſſore mox ſuo. Bello Vitelliano confugit in Capitolium, cum patruo Sabino, ac parte præſentium copiarum: ſed irrumpentibus adverſariis, & ardente templo, apud ædituum clam pernoctavit: ac mane Iſiaci celatus habitu, interque ſacrificulos vanæ ſuperſtitionis, cum ſe trans Tiberim ad condiſcipuli ſui matrem comite uno contuliſſet, ita latuit, ut ſcrutantibus qui veſtigia ſubſequuti erant, deprehendi non potuerit. Poſt victoriam demum progreſſus, & Cæſar conſalutatus, honorem præturæ urbanæ conſulari poteſtate ſuſcepit titulo tenus: quam juriſdictionem ad collegam proximum tranſtulit. Ceterum omnem vim dominationis tam licenter exercuit, ut jam tum, qualis futurus eſſet, oſtenderet. Ne exſequar ſingula, contrectatis multorum uxoribus, Domitiam Longinam Ælio Lamiæ nuptam etiam in matrimonium abduxit: atque uno die ſuper xx. urbana officia, aut peregrina diſtribuit: mirari ſe Veſpaſiano dictitante, *quod ſucceſſorem non & ſibi mitteret.* Expeditionem quoque in Galliam, 2
Germaniaſque, neque neceſſariam, & diſſuadentibus paternis amicis inchoavit: tantum ut fratri ſe & operibus, & dignatione, adæquaret. Ob hæc correptus, quo magis ætatis & conditionis admoneretur, habitabat cum patre una, ſellamque ejus ac fratris, quoties

TORRENT.

Iſiaci cel. hab. interque ſacrif.] Libri duo *inter ſacrificulos*, haud dubie melius. ita enim eadem de re Tacit. *lineo amictu turbæ ſacricolarum immixtus.* Sic nimirum & M. Voluſius, ædilis plebis, proſcriptus a III-viris, Iſiaci habitu per itinera viaſque publicas ſtipem petens, evaſit. Appian. Bellor. civilium IV. & Valerius Max. lib. VII. cap. III. Quem vero *Iſiaci habitum* hic Sueton. vocat. Tacit. *lineum amictum* appellat, ut *linteam religioſamque veſtem* ipſe etiam Sueton. Tib. cap. XXXVI. & Oth. cap. XII. Eleganter etiam Tibull. lib. I. Eleg. III. *Ut mea votivas perſolvens Delia voces Ante ſacras lino tecta fores ſedeat.* Sed & Juvenal. Sat. VI. Iſiacorum gregem linigerum pariter & calvum vocat, ab amictu nempe linigerum; calvum, quod & caput raderent. Unde Martial. quoque, *Linigeri fugiunt calvi, ſiſtrataque turba.* Neque ineleganter Gratius de Venatione, *Vix operata ſuo ſacra ad Bubaſtia lino Velatur ſonipes æſtivi turba Canopi.* Ortum id vero ex Orphei, & Pythagoræ diſciplina, lanea omnia in rebus divinis, ut impura & profana, damnabant. Qua de re in defenſione ſua Apollonius apud Philoſtratum lib. VIII. cap. III. Cui addere poteris Plinium lib. XIX. cap. I. & Plutarchum de Iſide & Oſiride.

Hon. præt. urb. cum conſulari pot.] Mallem abeſſe præpoſitionem *cum*, ut in duob. MSS.

Ælio Lamiæ nuptam.] Hunc poſt interfecit. Inf. cap. X. Juvenal. Sat. IV.

Mirari ſe Veſpaſiano dictitante.] Xiphilin. ex Dione, Veſpaſianum gratias egiſſe, ſcribit, Domitiano filio per litteras, quod ſe adhuc ſineret imperare. De Domitiani vero ambitione Tacit. extremo lib. IV. Hiſtor.

2. *Ob hæc correptus, quo magis ætatis.*] Lib. MS. *Ob hoc correptus, quo magis & ætatis & condit.*

CASAUBON.

Mirari ſe Veſpaſiano dictitante, quod ſucceſſorem non & ſibi mitteret.] Suſpicati ſumus aliquando, verba hæc Suetonii occaſionem quibuſdam præbuiſſe fingendæ illius ineptæ epiſtolæ, quam ſub Veſpaſiani nomine profert Dio.

2. *Expeditionem quoque in Galliam Germaniaſque.*] Adi Joſephum, qui plenis velis laudat Domitiani hoc inceptum Ἁλώσεως lib. ſeptimo cap. XI.

Sellamque ejus ac fratris quoties prodirent, lectica ſequebatur.] Sella igitur lectica dignior? ita videtur colligi ex hoc loco poſſe. ſed ſi de curuli intelligas, non de vulgari ſella, plane ruit ὁ συλλογισμός.

VARIOR.

Inter ſacrificulos vanæ ſuperſtitionis.] Sic & Palat. tert. Nam ſecundus *uterque ſacrificulos variæ ſuperſtitionis.* prim. *interque ſacrif. variæ ſuperſtitionis.* forſan quatuor iſtæ voces interpretis ſunt, certe duæ poſteriores. GRUT. Salmaſ. codex quoque *variæ ſuperſtitionis.* ſed perperam. *Variæ* tamen probat Turnebus lib. XXII. Adverſar. cap. 16. Varia, inquit, etiam eſſe potuit illa religio, variuſque cultus & cærimonia, variique cultores, unde & facilior Domitiano latebra.

Suſcepit titulo tenus, quam juriſdictionem.] Scribo, *titulo tenus, quum juriſdictionem ad collegam proximum tranſtuliſſet.* GRONOV.

2. *Germanias.*] De hac Domitiani adhuc pueri expeditione Germanica ſentire videtur Silius, cum ait in tertio Punicorum:

At puer auricomo præformidate Batavo.

Germanias ideo pluraliter protulit, quia & ſuperior & inferior Germania eſt. BEROALD.

Et operibus.] Codex Salmaſ. *& opibus.*

Habitabat cum patre una.] Ut eum coerceret. Nam ſignum hoc demiſſionis, quad cum patre habitaret

quoties prodirent, lectica ſequebatur: ac triumphum utriuſque Judaicum, equo albo comitatus eſt. In ſex conſulatibus, non niſi unum ordinarium geſſit: eumque cedente, & ſuffragante fratre. Simulavit & ipſe mire modeſtiam: in primiſque poeticæ ſtudium, tam inſuetum antea ſibi, quam poſtea ſpretum & abjectum: recitavitque etiam publice. Nec tamen eo ſecius, cum Vologeſus Parthorum rex auxilia adverſus Alanos, ducemque alterum ex Veſpaſiani liberis depopoſciſſet, omni ope contendit, ut ipſe potiſſimum mitteretur. Et quia diſcuſſa res eſt, alios Orientis reges, ut idem poſtularent, donis ac pollicitationibus ſollicitare tentavit. Patre defuncto, diu cunctatus, an duplum dona-

bitaret ut privatus. Nam Titus qui non ſolum Cæſar, ſed Auguſtus conſalutatus, ſeorſim habitabat. J. LIPS.

Sellamque ejus ac fratris, quoties prodirent, lecticà ſequebatur.] Intelligit geſtatoriam, non ut Beroaldus curulem. Lectica vehebatur Domitianus ſequens, quod honorem valde deminuit. Nam lectica minor erat, quam ſella. in illa enim jacentes, in hac ſedentes ferebantur, qui Principibus cari ob rem bene geſtam, aut etiam eadem cum Principe ſella ferebantur, ut Titus cum patre, quod inter honores eſſe oſtendit in Neron. cap. 9. cum recenſet quibus honoribus matrem Agrippinam coluerit inter hos, quod veheretur eadem ſella, *ac deinceps, ejuſdem ſæpe lectica per publicum vectus.* IDEM.

TORRENT.

Equo albo comitatus eſt.] Ἐπὶ κέλητος vertit Zonaras. Nec male Zonaræ interpres equum ſingularem exponit. nam & navigia quædam actuaria, quod non tantum remo agantur, ſeu remorum ordine potius, Græci κέλητας vocant, *celoces* Gellius. Vide quæ notavimus ad Tib. cap. VI. *funali equo.*

Unum ordinarium.] *Ordinarii conſules* dicebantur qui Kal. Jan. inibant, a quorum etiam nomine ordinabatur annus, alii *ſuffecti.* Cæſ. cap. LXXVI.

Poeticæ ſtudium.] Pertinent huc elegantes Valerii Flacci ex opere primo Argonauticωn verſus Quos adſcribam, & quod obſcuri ſunt, & ſimul ut medicinam eis faciam: *Verſam proles tua pandit Idumen, (Namque poteſt) Solymo nigrantem pulvere fratrem, Spargentemque faces, & in omni turre furentem. Prolem* in primis Domitianum ſentit. Clarum id ex eo quod ſubjungit, fratrem, ſcilicet Titum, qui duntaxat patri expeditionis Judaicæ comes. Ab eoque ſcriptum iri carmine Judaicum bellum auguratur, ſiquidem leve mendum e verſu tollimus. nam germanum eſt *panget*, non *pandit*, ab ea ipſa quæ in manibus ſtudii poetici mente. Proxime etiam turbant codices, ut in cauſa dubia teſtes. alii enim *potes*, alii *poteſt* exhibent, neutri meo animo bene. Et alioqui deplenda conjunctio eſt, quam aperte ſenſus poſtulat, Idumen, & fratrem. Itaque viſum amico noſtro, qui poetam eum purgavit, reſcribere, *Solymoque nigrantem*, &c. Sed verius ego, ni fallor, (*Namque pote*) *& Solymo*, &c. Nec firmare opus exemplis tritum hoc ſignificatu *pote* in optimis auctoribus, & e contrario dictum Catullo *impote. Nunc jam illa non vult. Tu quoque impote es. Quare Nec quæ fugit ſectare, nec miſer vive.* Scio aliter nunc legi, ſed quod ſcripſi, arbitror verum.

Et quia diſcuſſa res eſt.] Scribo ſine *eſt. Diſcuſſam* autem *rem* dicit quovis modo tranſactam atque compoſitam. Sic *diffindere, ſecare, decidere.*

Duplum donativum militi donaret.] Mallem, ut in uno cod. *offerret*, non quod diſpliceat *donativum donare*, ſed quia *offerre* hic magis idoneum eſt. *duplum* enim intelligo ejus, quod frater Titus promiſerat.

CASAUBON.

Simulavit & ipſe mire modeſtiam, in primiſque poeticæ ſtudium.] Codex Cujacii *ſim. & ipſe mire modeſtiam in primis, poeticæque ſt.* De poetica Domitiani idem Tacitus: at Fabius & Plinius mire laudant.

Adverſus Alanos.] Joſephus Ἀλώτεως libro ſeptimo cap. XXIX. Hegeſippus libro V. cap. L.

VARIOR.

Equo albo comitatus.] Optime vertit Zonaras ἐπὶ κέλητος, ut Torrentius notat. Κέλης enim Græcis eſt equus ſingularis, & eques qui ſolo ac ſingulari equo vehit. Pro κέλης Æoles dicunt κέληρ, ut πίθος πίθορ, & ſimilia. Inde Latini recentiores *celetes* etiam dixerunt, veteres vero *celeres*, ut pluribus oſtendit SALMAS. ad Ælii Lamprid. Commodum p. 114. Hoc autem ideo factum, ut depreſſior eſſet fratre, ut cum frater cum patre veheretur, ipſe more ovantium equo albo inſideret. J. LIPS. vid. quæ notata ſunt ſupra ad Tib. cap. 6.

Adverſus Alanos.] Alani populi Sunt Scythiæ Europææ, juxta quos ſunt Roxolani: auctor Plinius in IV. Refert Ammianus Marcellinus, Alanos appellari, quos priſci Maſſagetas dixerunt: ab eodem Alani Europæi cognominantur. Martialis:

Nec te Sarmatico tranſit Alanus equo.

Alani, ut docet Euſebius in VI. Præparationis Evangelicæ, carnibus aluntur, panem non eſitant. BEROALD. Alani duplices fuerunt, Europæi & Aſiatici.

TOR-

donativum militi donaret, numquam jactare dubitavit, *relictum ſe participem Imperii, ſed fraudem teſtamento adhibitam.* Neque ceſſavit ex eo inſidias ſtruere fratri clam, palam: quoad correptum gravi valetudine, prius quam plane efflaret animam, pro mortuo deſeri juſſit: defunctumque nullo, præterquam conſecrationis honore dignatus, ſæpe etiam carpſit obliquis orationibus, & edictis. Inter initia Principatus, quotidie ſe- 3 cretum ſibi horarium ſumere ſolebat: nec quidquam amplius, quam muſcas captare, ac ſtilo

TORRENT.

Participem Imperii.] Sic etiam duo noſtri MSS. Ceteri, & vulgati omnes, *principem Imperii,* ſed male. nam quod Titus eum conſortem Imperii teſtabatur, (ut ſup. eſt cap. IX.) id voluntarium erat, non ex teſtamento debitum.

Pro mortuo deſeri.] Xiphilin. & Zonaras, ambo (ut opinor) ex Dione juſſiſſe tradunt in ciſtam nivis plenam conjici, tanquam refrigerio ſcilicet indigeret, atque ut interim citius periret.

Secretum horarium.] Xiphilin. & ante Imperium, & cum jam Imperator factus eſſet, in Albano degere, & hujuſmodi ridicula factitare ſolitum ſcribit. Idem ferme Plin. Panegyr. tradit, ut tenebras ſemper ſecretumque optantem, neque umquam ex ſolitudine ſua prodeuntem, niſi ut ſolitudinem faceret, graviter reprehendens. Quo fit, ut ſecretum iſtud *horarium* vocari a Suetonio, & quidem initio Principatus, admirer. nam & Victor has nugas pæne aſſiduas fuiſſe oſtendit. Sunt qui *ſolarium* pro *horarium* legant, ut ſecretiori alicui ſolario, ſeu diætæ ad ſolem poſitæ ſe incluſerit. De quo vocabulo dictum in Claud. Et ſane id cum muſcis non male convenit, *horarium* tamen retineo, ut *ſecretum ſumere* dixerit, quemadmodum *captare,* & *deſiderare ſecretum* Oth. & Claud. cap. x. idque *horarium* vocet, non quod unius tantum horæ, ſed ad tempus aliquod fuerit, aut certa diei parte. Ut *hora matutina, meridiana, veſpera* apud Plinium lib. XIX. cap. XII.

CASAUBON.

Priuſquam plane efflaret animam, pro mortuo deſeri juſſit.] Zonaras auctor, vel Dio potius apud Zonaram, Tito adhuc ſpirante Domitianum celeriter Romam veniſſe, & ſtatim caſtra Imperatoriſque nomen & potentiam occupaſſe. Scribunt vero Græci nonnulli, ſpirantem adhuc Titum, a fratre in arcam ligneam nivis plenam, per cauſſam faciendæ medicinæ, conjectum, ibique exſtinctum.

Nullo præterquam conſecrationis honore dignatus.] Atque id non ſtatim, ſed altero poſt obitum anno; ſi legitimo loco poſita eſt hæc Euſebii nota in Chronico: *Decreto ſenatus Titus inter deos refertur.*

3. *Inter initia Principatus quotidie ſecr.*] Ut hæc lectio eſt, videtur Domitianus conſuetudine captandi ſecretum iſtud horarium per initia tantum Principatus eſſe uſus: poſtea mutaſſe morem. Contrarium tamen ſuadet Plinius in Panegyrico, cum ait: *non adire quiſquam, non alloqui audebat, tenebras ſemper ſecretumque captantem.* Hac, credo, ratione inducti viri docti, verba illa, *inter initia Principatus,* rejicienda in finem ſuperioris capitis cenſuerunt. probabilis conjectura: maxime cum dicat Plinius, *ſemper.* An igitur ita emendandum? nequaquam. Repugnant enim libri omnes ſcripti, in vulgata diſtinctione conſentientes. Repugnat & ratio: cum palam ſit de principiis Principatus Domitiani loqui Suetonium, non de univerſa vita. Attende, lector, & mecum, ſcio, ſenties. Quare falluntur, qui Plinianum locum ſuperiorem cum iſto Suetonii comparant. nam illud ſecretum, de quo Plinius, diverſum eſt ab iſto horario. ille ἁπλῶς de moribus Domitiani loquitur: hic de primis illius geſtis poſt adſumtum imperium. clarum hoc vel ex voce *deinde,* quæ ſtatim ſubjicitur. At clariſſimus ſenator Paullus Petavius, vir doctiſſimus, monuerat nos videri ſcribendum *Inter vitia Princip.* ſic enim ſe legiſſe in veteri ſuo codice: cum poſtea eam lectionem in uno e libris regiis eoque perantiquo invenimus: manemus tamen ἐν πείσῃ, neque ab edita lectione recedimus. Nam de vitiis Domitiani capite ſolum decimo tractare Suetonius incipit.

Secretum ſibi horarium ſumere ſolebat.] Non *horarium,* ſed *horarum* eſt ſcriptum in regiis Viterb. & Pith. codd. inde ſuſpicio eſt, deeſſe numeri notam, & hoc aut ſimili modo ſcribendum: *ſecretum ſibi horarum III ſum. ſol.*

Muſcas captare ac ſtilo præacuto figere.] Et animi quidem, ſed & corporis fortaſſe vitium ad hoc inſaniæ genus Domitianum adegit. Nam Hippocrates inter alia indicia hominis, quem atra bilis vexat, hoc quoque recenſet, & muſcas eum captare ſcribit. Locus eſt in libro de internis affectionibus.

VARIOR.

Participem Imperii.] Sic primus emendavit ex conjectura Turnebus lib. v. Adverſ. cap. 10. poſtea in priſcis libris F. Urſini, Salmaſ. Corſendoncenſi, Alvari Nonii, aliiſque hæc lectio fuit inventa.

3. *Secretum ſibi horarium.*] Palat. *horarum,* littera una minus, quæ excidit ignoratione forſan vocis alterius minus uſitatæ. GRUT. Salmaſ. cod. quoque *horarum.*

TOR-

ſtilo præacuto configere. ut cuidam interroganti, *eſſetne quis intus cum Cæſare*, non abſurde reſponſum ſit a Vibio Criſpo, *Ne muſca quidem.* Deinde uxorem ſuam Domitiam, ex qua in ſecundo ſuo conſulatu filium tulerat, alteroque anno conſalutaverat ut Auguſtam, eandem Paridis hiſtrionis amore deperditam, repudiavit: intraque breve tempus impatiens diſcidii, quaſi efflagitante populo, reduxit. Circa adminiſtrationem autem Imperii aliquandiu ſe varium præſtitit: miſtura quoque æquabili vitiorum atque virtutum, donec virtutes quoque in vitia deflexit: quantum conjectare licet, ſuper ingenii naturam, inopia rapax, metu ſævus.
4 Spectacula magnifica aſſidue, & ſumtuoſa edidit, non in Amphitheatro modo, verum & in Circo: ubi præter ſollemnes bigarum quadrigarumque curſus, prælium duplex etiam equeſtre ac pedeſtre commiſit: at in Amphitheatro

TORRENT.

Stylo præacuto configere.] Hinc Victoris locum emendo, *ſigniſque ridicule remotis omnibus muſcarum agmina perſequebatur.* legendum enim, *ſtyliſque ridicule, remotis omnibus, m. agm. perſ.*


A Vibio Criſpo.] De hoc ſic Quinctilian. lib. x. *Vibius Criſpus compoſitus, & jucundus, & delectationi natus, privatis tamen cauſis quam publicis melior.* Similem ejus jocum de Vitellio refert Xiphilin. cum enim contracto in Vitellii conviviis morbo per plures dies ea intermiſiſſet, ac nonnulli interea comeſſando periiſſent, ſe quoque niſi ægrotaſſet, omnino periturum fuiſſe dixit. Pulchre igitur Juvenal. Sat. IV.

> - - - *venit & Criſpi jucunda ſenectus,*
> *Cujus erant mores qualis facundia, mite*
> *Ingenium.*

Tacit. tamen Hiſtor. lib. II. & IV. ut delatorem notat. Quod eum fortaſſis fidentiorem fecit. Verum fides penes auctorem ſit.

Conſalutaverat ut Auguſtam.] *Ut* particulam abeſſe malim, uti & dictionem *eandem*, quæ ſubſequitur. inſertæ ſunt enim ab imperito aliquo, qui periodi longitudine offendebatur.

Repudiavit.] Sed & Paridem interemit. Ex Xiphilino. Cum vero eam poſtea reduxiſſet, ſignari tam ejus, quam Domitiæ nummi cum inſcriptione: CONCORDIA AUGUSTI. Filium præterea e Domitia natum obiiſſe infantem, ac conſecratum fuiſſe, præter Martialem & Papinium, oſtendunt alii Domitiæ nummi, quibus illa DIVI CÆSARIS MATER inſcribitur, & alius ejuſdem Domitiæ multo pulcherrimus apud Johannem Vivianum cum hac inſcriptione, DIVUS CÆSAR IMP. DOMITIANI F.



Miſtura quoque inæquabili.] Lego ex duobus codd. *miſtura æquabili vitiorum atque virtutum.* Quam lectionem teſtatur etiam Pulmannus.

4. *Solennes bigar. quadrigarumque curſus.*] *Solennes* vocat, ſine quibus Circenſes nulli peragerentur.

CASAUBON.

Ne muſca quidem.] Vide quæ notat Scaliger ad Chronicon Euſebii ſuper his verbis.

Conſalutaverat ut Auguſtam.] Euſebius in anno altero imperii Domitiani: *Domitiani uxor Auguſta appellatur.* quæ verba quomodo ſint accipienda, pauci intelligent, qui Joſephi Scaligeri Notas non conſuluerint.

VARIOR.

Ex qua in ſecundo ſuo conſulatu filium tulerat.] Hunc infantulum mortuum in Divos relatum, & immortalitate donatum fuiſſe, ex argenteo Domitiæ denario intelligimus, in cujus altera parte puerulus nudus quaſi ſupra cœlum collocatus videtur. F. URSINUS.

Alteroque anno conſalutaverat ut Auguſtam, eandem.] Particulam eſſe tollendam adſentior Torrentio; pronomen non item. Eſt enim, ut Livii: *Cultrum, quem ſub veſte habebat, eum in corde defigit.* de quo I Obſerv. 23. Mox ſcribe, *impatiens diſcidii*, non *diſſidii.* divortium enim ſignificat. Diximus ad Livium. J. F. GRONOV. *Diſcidii* in Salmaſiano codice etiam exſtat.

Intraque breve tempus reduxit.] In cujus gratiam nummi cuſi ſunt: DOMITIA. AUGUSTA. IMP. DOMIT. CONCORDIA. AUGUST. Item: ΔΟΜΙΤΙΑ. ΛΟΝΓΕΙΝΑ. ΣΕΒΑΣΤΗ. JOS. SCALIGER.

Circa adminiſtrationem Imperii.] Codex Salmaſ. *Circa adminiſtrationem autem Imperii.*

4. *Spectacula magnifica aſſidue.*] Cod. Salm. *ſpectacula aſſidue magnifica.*

At in Amphitheatro navale quoque.] Neque hoc explicant commentatores, quo pacto prælium navale in Amphitheatro repræſentari potuerit. Pudet alios fateri ignorantiam. Sed id eſt parum ingenui hominis, & diffidentis ſibi in aliis. GLAREANUS. Hoc ſpectaculi genus quomodo in Amphitheatro re-

theatro navale quoque. Nam venationes gladiatoreſque, & noctibus ad lychnuchos: nec virorum modo pugnas, ſed & feminarum. Præterea quæſtoriis muneribus, quæ olim omiſſa revocarat, ita ſemper interfuit, ut populo poteſtatem faceret, bina paria e ſuo ludo poſtulandi, quæ noviſſima aulico apparatu induceret. Ac per omne gladiatorum ſpectaculum ante pedes ei ſtabat puerulus coccinatus, portentoſo parvoque capite, cum quo plurimum fabulabatur, non numquam ſerio. Auditus eſt certe, dum ex eo quærit, *ecquid ſciret, cur ſibi viſum eſſet, ordinatione proxima Ægypto præficere Metium Rufum*: Edidit navales pugnas pæne juſtarum claſſium, effoſſo & circumſtructo juxta Tiberim lacu: atque inter maximos imbres proſpectavit. Fecit & ludos ſeculares: com-

præſentari potuerit, in Tito docet e Dione Xiphilinus. Verba ipſa ſubjeci: Τὸ γὰρ θέατρον αὐτὸ ἐκεῖνο ὕδατος ἐξαίφνης πληρώσας, εἰσήγαγε μὲν καὶ ἵππους καὶ ταύρους καὶ ἄλλα τινὰ χειροήθη δεδιδαγμένα πάνθ' ὅσα ἐπὶ τῆς γῆς, πράττειν καὶ ἐν τῷ ὑγρῷ· εἰσήγαγε δὲ καὶ ἀνθρώπους ἐπὶ πλοίων. καὶ οὗτοι μὲν ἐκεῖ ὡς οἱ μὲν Κορκυραῖοι, οἱ δὲ Κορίνθιοι ὄντες, ἐναυμάχησαν. Ait, derepente immiſſis aquis impleto theatro, naumachiam quandam exhibitam fuiſſe. Θέατρον autem ibi pro Amphitheatro accipiendum. Nam in dedicatione Amphitheatri tale quid Titus populo præbuit. Et ſic a Xylandro quoque vertebatur. Quod perperam ab emendatore Xylandri poſtea ſollicitatum. SCHILDIUS.

TORRENT.

Ad lychnuchos.] Libb. duo *lychnos*. Vide Cæſ. cap. XXXVII.

Quæſtoriis muneribus.] Videnda, quæ notavimus Claud. cap. XXIV.

Portentoſo parvoque.] Melius *parvo portentoſoque*, ut in uno cod. MS.

Fabulabatur.] Libb. duo *fabulari*.

Ecquid ſciret, cur ſibi viſum eſſet.] Inter varias lectiones hæc Turnebo potiſſimum placuit. Nec mihi ſane diſplicet: nullum tamen vidi codicem, qui ſic legeret. Mallem itaque *ecquid ſciret, & ecquid ſibi viſum eſſet.* quærebat enim primum, anne ſciret quid proxima provinciarum ordinatione factum eſſet: deinde, an & illi viſum fuiſſet Metium Rufum præficere Ægypto.

Circumducto.] Libri omnes quos viderim, *circumſtructo.* Unius tantum margini adſcriptum, *alias circumducto.* Quod non probo. *effoſſo* enim dixiſſe ſatis erat. *Circumſtructum* vero intelligo, in cujus circuitu ſedilia exſtructa fuerint, unde ſpectari pugna poſſet. ſic enim Aug. cap. XLIII. Ut fortaſſis hæ porticus fuerint, quas inter Domitiani opera enumerat Eutropius, uti naumachiam cap. ſequenti Sueton.

Inter maximos imbres.] Ipſe mutata ſæpius pænula, cum aliis neque abire permitteretur, neque pænulam ſumere. *Perſpectavit* etiam lego, ut Aug.



cap XCVIII. *quinquennale certamem gymnicum, honori ſuo inſtitutum, perſpectavit.*

Ludos ſæculares.] A. U. C. DCCCXLI. quo Domitianus XIV. cum L. Minucio Rufo cos. fuit. Cenſorin. De die natali, nummi veteres.

CASAUBON.

4. *Et noctibus ad lychnuchos.*] Noctibus & ſpectacula & convivia ſæpius exhibere ſolita a Domitiano, Xiphilinus: Δεῖπνον σφίσι δημοσίᾳ διὰ πάσης τῆς νυκτὸς παρέσχε· πολλάκις δὲ καὶ τοὺς ἀγῶνας νύκτωρ ἐποίει. idem paullo ante narraverat noctu Domitianum ſylvanos vino manantes multis locis populo exhibuiſſe: οἰνόν τε σφίσι, πολλαχῆ ῥέοντα, νυκτὸς παρέσχεν.

Effoſſo & circumſtructo juxta Tiberim lacu.] Hoc vult Dio, qui naumachiam ſcribit exhibitam *in novo loco*, id eſt, recens cavato & circumſtructo: ἐν καινῷ τινι χωρίῳ ναυμαχίαν ἐπετέλεσε.

Circumſtructo juxta Tiberim lacu.] Ita Viterbienſis, non ut vulgo *circumducto.* Tacitus loco ſimili Annalium XII. 56. *lacu in ipſo navale prælium adornatur, ut quondam Auguſtus ſtructo cis Tiberim ſtagno.*

VARIOR.

Nec virorum modo pugnas, ſed & fœminarum.] Diſcite, & credite priſcis, non in caveam ſolum fœminas veniſſe, ſed in arenam. Teſtatur Juvenalis Sat. VI. Statius iiſdem ludis, de quibus hic Suetonius:

Stat ſexus rudis inſciuſque ferri,
Et pugnas capit improbus viriles:
Credas ad Tanaim ferumque Phaſim
Thermodontiacas calere turmas.

Adeoque id verum & vulgatum, ut Severo imperante cavendum SC. fuerit, μηκέτι μηδεμίαν γυναῖκα μονομαχεῖν, *non ultra fœminam ullam ad gladium depugnare*, ait in Severo Xiphilinus. Quin & Tacitus in rebus Neronis: *fœminarum illuſtrium ſenatorumque plures per arenam fœdati ſunt.* LIPSIUS.

Ante

computata ratione temporum ab anno, non quo Claudius proxime, ſed quo olim Auguſtus ediderat. In his Circenſium die, quo facilius centum miſſus peragerentur, ſingulos a ſeptenis ſpatiis ad quina corripuit. Inſtituit & quinquennale certamen, Capitolino

Ante pedes ejus ſtabat.] Salmaſ. Cod. *ante pedes ei ſtabat.*

Ecquid ſciret, cur ſibi viſum eſſet ordinatione proxima.] Sic Turneb. lib. XXII. cap. 26. neque abit Palat. ſec. quam quod is habet, *& quid ſciret.* &c. nam primus: *& quid ſciret, & quid ſibi viſum eſt.* tert. *& quid ſciret, quid ſibi viſum eſſet.* J. GRUTER. Salmaſ. Cod. *& quid ſciret, cur ſibi viſum eſſet.* &c.

TORRENT.

Centum miſſus.] Cum XXV. tantum peragi ſolerent, & ſeptenis quidem ſinguli ſpatiis, Domitianus centum, ſed quinis tantum ſpatiis exhibuit, ut egregie explicat Beroaldus. Adde (ſi lubet) Servium in illud Virgilii lib. III. Georg.

Centum quadrijugos agitabo ad flumina currus.

De ſeptenis ſpatiis noti Propertii verſus lib. II. Eleg. XXV. *Aut prius infecto depoſcit præmia curſu, Septima quam metam triverit arte rota.* *Corripuit* autem, id eſt, contraxit. Utitur & alibi.

Quinquennale certamen.] Uti & Nero cap. XII. Sed Domitiani certamen, quod ab eo annus magnus, ſeu luſtrum (ut Cenſorin. tradit) obſervari cœperit, uſque ad Conſtantini tempora duravit. Adde Plinium lib. IV. Epiſt. XXII. quæque ad Aug. notavimus cap. XCVIII. ad Claud. cap. XII. ad Calig. cap. XX.

CASAUBON.

Inſtituit & quinquennale certamen, Capitolino Jovi.] Factum A. U. C. DCCCXXXIX. coſs. Domitiano XII. & Ser. Cornelio Dolabella. vide Cenſorinum. ſed nemo plura de hoc agone quam Statius Papinius in Sylvis. quem eximium poetam certum eſt in eo ſuperatum eſſe, aliis contra eum coronatis. teſtis ipſe cum in carmine ad Claudiam uxorem, tum in epicedio patris. Non dicam meminiſſe hujus agonis, & Papinii victi, Juvenalem Satyra ſeptima, cum canit de eo loquens:

- - - ſed cum fregit ſubſellia verſu,
Eſurit, intactam Paridi niſi vendit Agaven.

Nam, ut οὐδὲ πάρεργον optimi poetæ locum explicem, non aſſentior doctiſſimo viro, ita illum explicanti. Ejus vero interpretatio, niſi fallor, neque inſtituto Juvenalis neque verbis ſatis convenit. inſtituto, quia poetæ ibi mens non alia, quam ut doceat optimos quoſque poetas cum maxime placeant, & in ore omnium verſentur, nihil tamen ex eo commodi percipere præter inanem gloriam, adeo ut victus cauſſa illa ipſa, ob quæ tolluntur in cœlum, poemata cogantur vendere turpiter. hoc velle Juvenalem doceat Satyræ totius argumentum, quam vulgo proſcribunt De ſterilitate ſtudiorum. Cum igitur Statius ponatur eo loci in exemplum optimi poetæ, qui cum maxime placeat, nihilominus eſuriat; abſurde feciſſe videatur, ſi ἥττας ipſius mentionem injecit. nam quid mirum, aliquis dicat, ſi victus poeta jaceat? Sed nec verbis quadrare ea viri præſtantiſſimi interpretatio videtur. nam *frangere ſubſellia*, poetica licentia vel δεινότητι potius dictum accipio, pro vehementiſſime placuiſſe, ſic ut plauſu & κρότῳ *Euge* & *ſophos* acclamantium quaſi frangerentur ſubſellia. Stat a me Sidonius Apollinaris, qui ſine dubio dicendi hoc genus ita accepit: quod ex his illius e libro quinto apparet in epiſtola ad Sabaudum: *Nam debetur ab eo percopioſus litteris honor: hunc olim perorantem, & rhetorica ſedilia plauſibili oratione frangentem ſocer eloquens ultro in familiam patritiam adſcivit.* certum eſt ita locutum Sidonium intendentem oculos ad iſtum Juvenalis locum. Quid quod Polybius ſimillime locutus in hiſtoria decima quinta: Τῶν δὲ διαταφέντων τὰ παρὰ τοῦ βασιλέως, κατερρήγνυτο πᾶς ὁ τόπος ὑπὸ τοῦ κρότου καὶ τῆς κραυγῆς. Affinis huic λόγου δεινότης in ſententia eadem apud Platonem in Euthydemo: Ὀλίγου καὶ οἱ κίονες οἱ ἐν τῷ Λυκείῳ ἐθορύβησάν τ' ἐπὶ τοῖν ἀνδροῖν, καὶ ἥσθησαν. Virgilius:

Et cantu querulæ rumpent arbuſta cicadæ.

Potius ergo referamus ad recitationes quod ait Satyricus. neque ſane alio poſſunt trahi, ſi attendimus quæ paullo ante præcedunt,

- - - lætam fecit cum Statius urbem
Promiſitque diem.

Pæne omiſeram, quod totius rei caput eſt: neque enim verum, τόγ' ἐμοὶ δοκοῦν, victum Statium fuiſſe, cum commiſiſſet Thebaidem ſuam in agone Capitolino; neque ea poetæ ſententia in epicedio patris: ubi hoc potius ait, ideo ſe eſſe victum, quia inviderit eam gloriam Jovi Capitolino Thebais; quæ tunc temporis Statium ſibi totum aſſerebat, & ejus omnia ſtudia. Enimvero quid Thebaidi cum Jove Capitolino? ad cujus certamen non alia afferre carmina moris videtur fuiſſe, quam de laudibus ipſius compoſita. Suadet Quintilianus libro tertio: *An laudes Capitolini Jovis, perpetua ſacri certaminis materia, vel dubiæ ſunt, vel non oratorio genere tractantur?* Quanquam non neſcimus præſtantiſſimum virum Jo. Scaligerum Quintiliani verba in aliam ſententiam eſſe interpretatum. Ratio quæ illum movit, erat, quod dura nimis lex oratoribus videtur fuiſſe propoſita, ſi de uno & eodem argumento

tolino Jovi triplex, muſicum, equeſtre, gymnicum, & aliquanto plurium, quam nunc eſt, coronatorum. Certabant etiam proſa oratione Græce, Latineque: ac præter citharœdos chorocithariſtæ quoque, & pſilocithariſtæ. In ſtadio vero curſu etiam virginum certamini præſedit crepidatus, purpureaque amictus toga Græcanica, capite

omnibus foret dicendum. Mihi vero aliter videtur: qui ſciam in natalibus Sanctorum celebrandis eundem hodieque morem ſervari.

VARIOR.

Centum miſſus.] Vide ſupra ad cap. 21. Claud.

Inſtituit & quinquennale certamen Capitolino Jovi, &c.] Capitolinus Agon a Græcis paſſim vocatur Καπιτώλια & Καπετώλια. In nummo Domitiani legimus: ΚΑΠΕΤΩΛΙΩΝ ΣΕΒΑΣΤΩΝ. Vocatur autem luſtrum ſemper in veteribus inſcriptionibus, ut in illa egregia, adducta ab Onuphrio Panvinio: L. VALERIO. L. F. PUDENTI. HIC. CUM. ESSET. ANNORUM XIII. ROMÆ. CERTAMINE. JOVIS. CAPITOLINI. LUSTRO. SEXTO. CLARITATE. INGENI. CORONATUS. EST. INTER. POETAS. LATINOS. OMNIBUS. SENTENTIIS. JUDICUM. HUIC. PLEBS VNIVERSA. HISCONIENSIUM. STATUAM. AERE. COLLATO. DECREVIT. In ea inſcriptione manifeſto luſtrum eſt Agon Capitolinus, celebratumque eſt illud luſtrum anno a Chriſto CVI. Exſtat Romæ luculenta ſtela ex portu Anconitano devecta, quæ tota pertinet ad hunc agonem. Et quamvis ſit Græca, tamen pro luſtro littera L. ſingularis appoſita eſt. Etiam in numiſmatis Græcis nunc L. nunc Λ. pro luſtro ponitur. JOSEPHUS SCALIGER.

TORRENT.

Coronatorum.] Scribo *coronarum*, etiam adverſus libros omnes quos viderim. Sic *ampliare numerum palmarum* Ner. cap. XXII.

Chorocithariſtæ & pſilocithariſt.] Sic Turneb. Adverſar. XX. cap. XVI. & nonnulli ex noſtris MSS. Ut *pſilocithariſtas* intelligamus eos, qui ſolo nudoque citharæ cantu pſallunt: *chorocithariſtas* vero, qui plures una fidibus modulate concinunt. nam citharœdi etiam ad fides canunt. Sic ille. Ego *pſallocithariſtæ*, ut plures habent codices, retineo. *citharœdus* enim, ſive (quod idem eſſe arbitror) *cithariſta*, generale nomen eſt pro eo qui citharam pulſat, ſive voce accinat, ſive non. *Chorocithariſtæ* vero plures ſunt citharœdi una modulantes, quod vocabuli ratio oſtendit. Qui ſi non citharis tantum, verum etiam voce accinentes ſymphoniam ſervent, tanquam cantores quidam citharœdici, *pſallocithariſtæ* appellantur. Varro apud Nonium: *In conviviis pueri modeſti, ut cantarent carmina antiqua, in quibus laudes erant majorum, & aſſa voce, & cum tibicine. Aſſa voce*, id eſt, ſola linguæ voce. ut enim ex altero Varronis loco ibidem tradit Nonius, *melos in canticis bipartitum erat; in aſſa voce, & organicon.*

In ſtadio vero curſu etiam virginum.] Melius ſic quidem quam ut in vulgatis legitur, *curſu etiam virginis:* mallem tamen *curſu virginum* legere ſine *etiam.* ſolæ enim virgines decurrerunt. Ex Xiphilino. Nec diſplicet, quod Juſto Lipſio viſum ad Annalem Taciti XIV. & *pſilocithar. in ſtad. vero cur. & virgines. Certamini*, &c. Ut certamini toti quinquennali præſederit crepidatus, non ſoli virginum.

Toga Græcanica.] Neſcio quomodo in codices omnes noſtros MSS. *Germanica* irrepſerit, maxime cum etiam crepidarum inducat. Crepidæ autem Græcorum ſunt, & certamen ipſum Græcum fuit. Attamen cum Germanici nomine præcipue delectaretur, & togam Græcanicam dicere perinde abſurdum ſit ac pallium Romanum, lector cogitet.

CASAUBON.

Chorocithariſtæ quoque & pſilocithariſtæ.] Invenimus in nonnullis & *pſallocithariſtæ.* ſed optimi quique & vetuſtiſſimi, *pſilocithariſtæ*, quod eo monemus, quia hanc vocem ut a Turnebo excogitatam docti rejiciendam cenſuerunt. De pſilocithariſtis & arte pſilocithariſtica, Athenæus libro XIV. ſic apud Græcos ψιλὴ κιθάρισις, cui adjungitur vocis melodia: ut in II. Platonis de Legibus. κιθαρίσαι ψιλὴν eleganter in ſecunda hiſtoria Diodori.

In ſtadio vero curſu etiam virgines.] Ad verbum fere Xiphilinus, καὶ παρθένοι τῷ δρομικῷ ἠγωνίσαντο.

Purpureaque amictus toga Germanica.] Non potuimus inſuper habere conſenſum MSS. in quibus hanc lectionem offendimus, ut & Torrentius in ſuis, ut ait, omnibus. veram tamen eſſe ſcripturam iſtam non cenſeo. nam duorum alterum puto verum; aut cum editione prima ſcribendum eſſe *toga Græcanica*, & accipiendum de chlamyde Græcanica, quæ καταχρηστικώτερον quidem, ſed ἀναλόγως tamen dicta Suetonio toga: vel corrigendum, *Hermionica.* inter purpuræ ſpecies eſt Hermionica longe excellentiſſima. Plutarchus in Alexandro: Καὶ πορφύρας Ἑρμιονικῆς εὑρεθῆναι τάλαντα πεντακισχίλια, συγκειμένης μὲν ἐξ ἐτῶν δέκα δεόντων διακοσίων, πρόσφατον δὲ τὸ ἄνθος ἔτι καὶ νεαρὸν φυλαττούσης.

VARIOR.

Plurium, quam nunc eſt, coronarum.] Sic *ampliare numerum palmarum* Ner. cap. XXII. Hunc locum ſic correxit Torrentius contra omnes libros, in quibus legitur *coronatorum.*

Purpureaque amictus toga Germanica.] Ut toga nihil aliud erat quam pallium rotundum, ſic pallium Græca-

pite geſtans coronam auream cum effigie Jovis, ac Junonis, Minervæque: aſſidentibus Diali ſacerdote, & collegio Flavialium pari habitu: niſi quod illorum coronis inerat & ipſius imago. Celebrabat & in Albano quotannis Quinquatria Minervæ, cui collegium inſtituerat: ex quo ſorte ducti magiſterio fungerentur, redderentque eximias venationes & ſcenicos ludos, ſuperque oratorum ac poetarum certamina. Congiarium populo numorum trecentorum ter dedit: atque inter ſpectacula muneris, largiſſimum epulum: Septimontiali ſacrorum quidem die, ſenatui, equitique panariis, plebei ſportellis cum

Græcanicum aliud nihil quam toga quadrata. Hinc *togam Græcanicam* Suetonius pro pallio Græco dixit. Ita enim optimus librorum, quem vidi, legit, pro *Germanica*, quod editiones nunc occupat. Fruſtra enim laborant in quærenda illa Germanica purpura viri eruditiſſimi. *Toga Græca purpurea* eſt pallium purpureum Græcum. SALMASIUS.

Ducti magiſterio.] An magiſtratibus urbanis? GUJET.

TORRENT.

Minervæ, cui collegium inſtit.] Minervam, cujus etiam filius dici ac credi voluit, viderique ejus omnia conſilio agere, præcipua veneratione Domitianus ſemper coluit. Quod non ſolum ejus ætatis hiſtorici, ſed & Quinctilian. & Philoſtratus atteſtantur, nummi præterea plurimi, deæ effigiem præferentes. Quare in Albano monte non ſolum Quinquatria annis ſingulis celebravit, ſed & collegium inſtituit. Quod inſigniter deſcribit Juvenal. Sat. II. tam liber, & verax, atque ubique ſui ſimilis, quam contra vani ac futiles Papinius & Martialis, quavis occaſione turpiſſime adulantes.

Magiſterio fungerentur.] Sup. Aug. cap. II. *Avus municipalib. magiſteriis*, &c.

Redderentque.] Mallem *ederentque eximias venationes.* Natus inde error, quod præcedens dictio in *r* deſinit. De his autem venationibus intelligendus Juvenalis locus e Sat. IV.

- - - cominus urſos
Figebat Numidas Albana nudus arena
Venator.

Nummorum trecentorum.] Meliores libri *trecenorum.*

Inter ſpectacula muneris.] Hujus loci ſententia eſt, Domitianum ſpectaculo muneris gladiatorii populo ibidem ſedenti epulum dediſſe. Ex Xiphilino.

Septimontiali ſacrorum quidem die.] Dictio *die* abeſt ab omnibus noſtris MSS. Ex quibus etiam unus *ſacro*, non *ſacrorum* habet. Lego igitur, *Septimontiali ſacro quidem.* Niſi quis *quondam* pro *quidem* malit. nam hæ dictiones & cognatæ ſunt, & una atque altera ſæpe littera notabantur. Varro autem lib. V. de Ling. Lat. *Septimontium* diem ipſum vocat, quo id ſacrum celebrabatur, dictum (ut inquit) *ab his ſeptem montibus, in queis ſita Urbs eſt.* Idem ferme Feſtus. Turneb. vero Adverſar. V. totum hunc locum ſic reſtituit: *Septimontiali die ſenatui & equiti panaria, plebi ſportellas cum opſonio diſtribuit.* Verum Turneb. (quod pace tanti viri dixerim) illi excellenti ſuo ingenio nimium indulget. Noſtra emendatio ſecurior ac modeſtior eſt, & quæ ſequuntur, melius cohærent. *Panaria* autem, tanquam capaciora, atque honeſtiora, equiti & ſenatui data, ut *ſportellæ* plebi. Similis locus Calig. cap. XVIII. *panaria cum opſonio viritim diviſit.*

CASAUBON.

Celebrabat & in Albano quotannis Quinquatria.] Dio, *fere*, ait, *quotannis*, καθ᾽ ἔτος, ὡς εἰπεῖν. *In Albano* accipiendum, ut *in Tuſculano.* non enim Albanum montem intelligit, ſed arcem ad ejus radices ſitam. Albanum ſeceſſum Tranquillus nominat cap. XIX. Dio fere, τὸν Ἀλβανὸν, vel τὸ Ἀλβανὸν χωρίον. Ulpianus ad Sabinum: *Albanus fundus principalibus uſibus deſerviens.*

Magiſterio fungerentur, redderentque eximias venationes.] Aufer litteram παρέλκουσαν, & ſcribe *ederentque.*

Ac poetarum certamina.] Ter victor diſceſſit ex hoc certamine Papinius, in carmine ad uxorem:

------ ter me vidiſti Albana ferentem
Dona comes, ſanctoque indutum Cæſaris auro,
Viſceribus complexa tuis, ſertiſque dediſti
Oſcula anhela meis.

VARIOR.

Cum effigie Jovis & Junonis.] In corona aurea, quam geſtabat Domitianus, viſebantur effigies & ſimulacra deorum Capitolinorum, qui ſunt Jupiter, Juno, & Minerva. Erant enim hæc ſpectacula Jovi Capitolino dicata. BEROALD.

Collegio Flavialium.] Sacerdotum, quos ille patri, & Flaviæ genti conſecrarat. Papinius:

--- Eſt hic, agnoſco, miniſter
Illius, æternæ modo qui ſacraria genti
Condidit, atque alio poſuit ſua ſidera cœlo.

Martialis:

Templa deis, mores populis, dedit otia ferro,
Aſtra ſuis, cœlo ſidera, ſerta Jovi.

SABELLICUS.

Superque oratorum ac poetarum certamina.] Inſcriptio, quam ex Onuphrio ſubjecimus, poteſt referri ad Quinquatria Albana, in queis erant oratorum & poetarum certamina: L. SURREDIO. L. F. CLU.

cum obſonio diſtributis, initium veſcendi primus fecit: dieque proximo omne genus rerum miſſilia ſparſit: & quia pars major intra Popularia deciderat, quinquagenas teſſeras in ſingulos cuneos equeſtris ac ſenatorii ordinis pronuntiavit. Plurima & ampliſſima opera incendio abſumta reſtituit: in queis & Capitolium, quod rurſus arſerat: ſed omnia ſub titulo tantum ſuo, ac ſine ulla priſtini auctoris memoria. Novam autem exci-

CLU. FELICI. PROCURATORI. AB. SCEN. THEAT. IMP. CÆSAR. DOMITIAN. PRINCIP. CORONATO. CONTRA. OMNES. SCENICOS. Quod autem in ea inſcriptione dicitur *coronatos contra omnes ſcenicos*, manifeſto oſtendit, in commiſſione poematum hoc contigiſſe. Et qui ita coronati erant contra omnes, ſive poetæ eſſent, ſive Hieronicæ, omnes illi dicebantur paradoxi. JOS. SCALIGER.

Septimontiali ſacro.] Septimontium dies feſtus appellatur menſe Decembri, qui dicitur in faſtis Agonalia, quod in ſeptem montibus fiunt ſacra, Palatio, Velia, Fagutali, Subura, Cermalo, Cælio, Oppio, Ceſpio. Hæc Feſtus. Varro differens de feſtis, quæ in menſem Decembrem incidebant, ponit & inter ea Septimontium. Agonalia vero eodem menſe erant propridie Idus Decembres, alia ab illis Agonalibus, quæ notant faſti menſe Januario. Hoc tantum intereſt, quod Agonalia ſint ante Larentinalia: Varro vero Septimontium ponat poſt Larentinalia. De Septimontio habes & apud Tertullianum libro de Idololatria: *Etiam ſtrenæ captandæ & Septimontium & brumæ & caræ cognationis honoraria exigenda omnia.* Ex quibus apparet, non ſolum menſe Decembri fuiſſe, quia is eſt brumæ menſis: ſed etiam circa finem ejus menſis fuiſſe, quia proximum ſit ſtrenæ exigendæ, quod fiebat Kalendis Januariis. JOSEPHUS SCALIGER.

Septimontiali ſacro quidem, ſenatui.] Scribendum forte: *Septimontiali quidem ſacro, ſenatui equitique panariis.* GUJET.

Senatui equitique panariis.] *Panarium* dicitur repoſitorium panum, ut a *grano granarium*. vide in Calig. c. 18. Suet. Stat. lib. 1.

Et panaria candidaſque mappas
Subjectas epulaſque lautiores.

Panaria digniora ſunt ſportulis non magnitudine, ſed materia, quod hæ ex ligno, illa ex viminibus: & hæ capaciores, quod ex iis interdum plures numero ſumant; illa minora, quod unus tantum ex iis cibum caperet. J. LIPSIUS.

TORRENT.

Intra popularia.] Liber unus *inter.* Vide quæ notavi Ner. cap. XI. & Calig. cap. XXVI. Obſervandum vero obiter, quod & ſenatorum loca cuneis diſtinguebantur. Quod etiam ex Virgilio animadvertere eſt II. Georg. *hunc plauſus hiantem Per cuneos* (*geminatur enim*) *plebiſque, Patrumque Corripuit.*

5. *Novam autem excitavit ædem.*] Domitianus apud æditumm eo quo ſupra Suetonio ſcriptum modo ſervatus, patre adhuc rerum potiente, dejecto æditui contubernio, modicum ſacellum Jovi Conſervatori, aramque poſuit. Poſtea vero, factus Imperator, Jovi Cuſtodi templum ingens, ſeque in ſinu Dei ſacravit. Tacit. lib. III. Hiſtor. Exſtant & nummi ærei cum inſcriptione, JOVI SERVAT. Ei quoniam de Domitiani hic operibus agitur, de iiſdem ſic Eutropius: *Romæ quoque multa opera fecit. In his Capitolium, & forum tranſitorium, odeum, porticum, Iſeum, Serapeum, ac ſtadium.* Ex quibus Eutropii verbis diſcimus, forum quod poſtea Nervæ vocatum ſit, primo *tranſitorium* dictum fuiſſe, quod etiam ex Lampridii Alexandro colligitur; deinde *odeum* hic legi debere, non (quod aliqui ſomniant) *methodium.* ᾠδεῖον enim ſcribunt Græci, ut Ἰσεῖον, Σαραπεῖον, Ἐνυεῖον, & Ὁμωνόειον, pro Iſidis, Serapidis, Bellonæ, ac Concordiæ templis, apud Dionem & alios. Latini per E, ſicut conopeum, & prytaneum. Odeum porro, & ſtadium Græcorum imitatione Domitianus exſtruxit. Et ſtadium quidem quid fuerit, omnibus notum eſt; odeum vero muſicorum choris, ac poetarum recitationibus, commiſſionibuſque ſerviebat, quale Athenis inſtar theatri fuiſſe Pauſanias Atticis, & Plutarch. Pericle tradunt. Ejus vero quod Romæ fuit, præter Suetonium & Eutropium, Euſeb. Chronicis, Xiphilin. Hadriano, & Ammianus Marcellin. Hiſtor. lib. XVI. meminerunt.

CASAUBON.

Omne genus rerum miſſilia ſparſit.] Melius ſcripta lectio *omne genus miſſilia ſparſit.* leges apud hiſtoricos paſſim, *miſſilia, res miſſiles*, & *miſſilia variarum rerum.*

5. *Plurima & ampliſſima opera.*] Habes apud Eutropium & Euſebium in Chronico multorum operum nomina, quæ partim Titus, partim Domitianus fecerunt. neque enim ſatis diſtincte hæc ab auctoribus ſunt tradita.

Plurima & ampliſſima opera incendio abſumta reſtituit: in queis & Capitolium.] Appoſitum ad hunc locum Martialis epigramma, quod libet adſcribere. eſt enim in genere κολακικῷ ſingulare:

Quantum jam ſuperis Cæſar, cæloque dediſti,
Si repetas, & ſi creditor eſſe velit:
Grandis in ætherio licet auctio fiat Olympo,
Coganturque dei vendere quicquid habent:
Conturbabit Atlas, & non erit uncia tota,
Decidat tecum qua pater ipſe deûm.

Pro

excitavit ædem in Capitolio Cuſtodi Jovi, & forum quod nunc Nervæ vocatur. Item Flaviæ templum gentis, & ſtadium, & odeum, & naumachiam: e cujus poſtea lapide
6 maximus Circus, deuſtis utrimque lateribus exſtructus eſt. Expeditiones partim ſponte ſuſcepit, partim neceſſario. Sponte in Cattos; neceſſario unam in Sarmatas, legione cum Legato ſimul cæſa. In Dacos duas, primam Oppio Sabino conſulari oppreſſo, ſecundam Cornelio Fuſco præfecto cohortium prætorianarum, cui belli ſummam commiſerat. De Cattis Daciſque poſt varia prælia, duplicem triumphum egit. De Sarmatis lauream modo Capitolino Jovi retulit. Bellum civile motum a L. Antonio ſuperioris

Pro Capitolinis quid enim tibi ſolvere templis,
Quid pro Tarpejæ frondis honore poteſt!
Quid pro culminibus geminis matrona Tonantis?
Pallada prætereo: res agit illa tuas.
Quid loquar Alciden, Phœbumque pioſque Laconas?
Addita quid Latio Flavia templa polo?
Exſpectes & ſuſtineas, Auguſte, neceſſe eſt:
Nam tibi quod ſolvat, non habet arca Jovis.

VARIOR.

5. *In queis & Capitolium.*] Quod ſub mortem Veſpaſiani conflagrarat, reſtituit. Unde Stat. ſcribit: *Reddidit Capitolio Tonantem.*

TORRENT.

6. *Expeditiones.*] De Domitiani expeditionibus eadem ferme Eutropius. Quæ vero de Cornelio Fuſco hic narrantur, declarant locum illum Juvenalis Sat. IV.

Et qui vulturibus ſervabat viſcera Dacis
Fuſcus.

Quo etiam ſpectat Epigramma Martialis LXXVI. lib. VI. quod Fuſci hujus epitaphium eſt.

Capitolino Jovi retulit.] Sic Plin. Panegyr. *Allata erat ex Pannonia laurea. Hanc Imperator Nerva in gremio Jovis collocarat*, &c. Trajanus enim profligatis Pannoniis ejus victoriæ teſtem lauream Nervæ miſerat, quam Nerva ipſo adoptionis die Jovi Capitolino conſecravit. Sed & Pacatus ſuo in Theodoſium Panegyr. *Curii, Coruncani, Fabricii, cum induciæ bella ſuſpenderant, inter aratra vivebant, &, ne virtus quiete langueſceret, depoſitis in gremio Capitolini Jovis laureis, triumphales viri ruſticabantur.* Poſtremo Plin. lib. XV. cap. ult. de lauro loquens, *Faſces* (inquit) *Imperatorum decorat. Exhinc* (ſic enim in meo cod. non *ex his*) *in gremio Jovis Opt. Max. deponitur quoties lætitiam nova victoria attulit.*

CASAUBON.

E cujus poſtea lapide maximus Circus eſt exſtructus.] Mirari licet, cur auctorem tanti operis reticuerit. Is autem eſt Trajanus. Multa de hoc Circo Plinius in libro Panegyrico.

6. *Oppio Sabino conſulari oppreſſo.*] Scrib. *Appio Sab.* ex antiquis, Eutropio, & Faſtis conſularibus.

De Cattis Daciſque poſt varia prælia duplicem triumphum egit.] Ita habent & Memmianus & alii MSS. Euſebius in Chronico de Dacis & Germanis ait triumphaſſe. ad quem locum vide notata Scaligero.

De Sarmatis lauream modo Capitolino Jovi retulit.] Clarum ex hoc loco, errare doctiſſimos viros, qui triumphare, & Jovi Capitolino lauream referre, idem eſſe putant. majus enim & longe dignius triumphi quam laureæ jus. quod etiam ſtante Rep. omnibus competit, qui cæſis hoſtibus Imperatores ſalutati fuiſſent: ſive illi res triumpho dignas geſſiſſent, ſive ſtarent eorum facta intra gloriam triumphi. præter hoc certiſſimum teſtimonium, ſunt & alia non minus liquida. lib. V. ſcribit Suetonius cap. XIII. Neronem ob Teridatis in urbem adventum, *Imperatorem conſalutatum, lauream in Capitolium latam.* nemo tamen ſanus triumphaſſe eum propterea dixerit. Antonium collegam Ciceronis ex bello Catilinario lauream reportaſſe quis neſcit? atqui triumphandi neque jus neque ſpem ullam habuiſſe Antonium certiſſimum eſt, M. quoque Tullium præliis aliquot in Cilicia feliciter geſtis, & Imperatorem fuiſſe ſalutatum, & laurea faſces ſuos ornaſſe conſtat: triumpho res dignas eum geſſiſſe adeo non conſtabat, ut Catoni & ſenatorum pleriſque aliis abſurde facere viſus ſit, qui triumphum peteret.

VARIOR.

Odeum.] Salm. Cod. *Odium.*

6. *De Cattis Daciſque poſt varia prælia, duplicem triumphum egit.*] DACICUM & GERMANICUM, cognomina ex devictis gentibus reportaſſe teſtis Juven.

- - - cum lance beata
Dacicus, & lato ſplendet Germanicus auro.

Et tamen nullus nummus exſtat, nullum monumentum, in quo Dacici cognomen ſit. At GERMANICUS ſæpiſſime in ejus nummis legitur, quod cognomen non habet, niſi jam conſul decies. Sane in XI. & XIV. conſulatu nummi habent tropæum cum inſcriptione, GERMANIA CAPTA. *Joſephus Scaliger.*

Duplicem triumphum.] De hoc triumpho Martialis lib. VIII. ep. 64.

Hic gemini currus numerant elephanta frequentem,
Sufficit immenſis aureus ipſe viis.

Non

ris Germaniæ præſide confecit abſens, felicitate mira: cum ipſa dimicationis hora re-
ſolutus repente Rhenus, tranſituras ad Antonium copias Barbarorum inhibuiſſet. De
qua victoria prius præſagiis, quam nuntiis comperit. Siquidem ipſo, quo dimicatum eſt,
die, ſtatuam ejus Romæ inſignis aquila circumplexa pennis, clangores lætiſſimos edidit:
paulloque poſt occiſum Antonium adeo vulgatum eſt, ut caput quoque ejus apporta-
tum vidiſſe ſe plerique contenderent. Multa etiam in communi rerum uſu novavit. 7
Sportulas publicas ſuſtulit, revocata cœnarum rectarum conſuetudine. Duas Circenſi-
bus gregum factiones aurati purpureique panni ad quatuor priſtinas addidit. Interdixit
hiſtrionibus ſcenam, intra domum quidem exercendi artem jure conceſſo. Caſtrari mares
vetuit.

Non tamen eos vicit, ſed tantum cum iis pepigit, & de his quaſi victis triumphavit. Stat.

Qui nec in externos facilis ſævire furores,
Das Cattis Daciſque fidem. J. LIPS.

De Sarmatis lauream modo Capitolino Jovi retulit.] Solent Romani, qui victores erant, ſi parva erat victoria, aut ſi Imperatores modeſti nollent triumphare, nihilominus tamen diis habere honorem, & lauream in Jovis Capitolini ponere templo, ut Plinius refert. Detrahebant eam faſcibus lictorum: nam his alligabatur. Auguſtus autem conſtituerat, ut ea quæ reportaſſent ex hoſte, in Martis gremium referrent. Vide Suet. in Aug. cap. 49. quod poſt non diu obſervatum. J. LIPS.

TORRENT.

Prius præſagiis.] Simile huic, quod notavimus Ner. cap. I. De utroque vero, atque aliis famæ celeritatis exemplis Plutarch. Æmilio.

Occiſum Antonium.] De hujus L. Antonii Saturnini interitu elegans Epigramma Martialis lib. IV.

7. *Sportulas publicas ſuſtulit.*] Sub Nerone (ut Suetonii verbis utar cap. XV.) *publicæ cœnæ ad ſportulas redactæ. Publicas* hic igitur *ſportulas* intelligo, quæ loco cœnæ publicæ dabantur. Quas Domitianus ſuſtulit, revocata cœnarum rectarum conſuetudine. *Sportæ* autem, unde *ſportulæ*, & *ſportellæ*, calathi erant viminei, quibus ad rem penuariam utebantur. Ulpian. l. III. De penu legata. Hinc dictæ *ſportulæ*, quæ pro ſalutationis officio clientibus erogabantur, ſive id opſonii aliquid, ſive ſtipes, aut quadrantes eſſent, ut facete Martial.

Centum miſelli jam valete quadrantes,
Anteambulonis congiarium laſſi.

Ac ſæpe alias, & Papinius Silvar. libris. Sed & Cyprian. Epiſt. XXXIV. *ſportulas* vocat, quæ Chriſtianorum conſuetudine ſacerdotibus diſtribuebantur, his verbis: *Presbyterii honorem deſignaſſe nos illis jam ſciatis, ut & ſportulis iiſdem cum presbyteris honorentur, & diviſiones menſtruas æquatis quantitatibus partiantur.* Unde etiam *ſportulantes* dicti ab eodem Cypriano, quibus dabantur ſportulæ Epiſt. LXVI.

Aurati purpureique panni.] Xiphilin. τὸ μὲν χρυσοῦν, τὸ δὲ ἀργυροῦν ὀνομάσας. quam recte, neſcio. quid enim argento cum purpura? Sed de Circi factionibus alibi latius.

Interdixit hiſtrionibus.] Sup. Ner. cap. XVI.

Caſtrari mares vetuit.] De hoc ſic Dionis epitome: *Etſi Carinum amabat, quia tamen Titus exſectos dilexerat, vetuit in ejus contumeliam, ne quis in poſterum intra fines Rom. Imperii caſtraretur.* Adde Martialem lib. VI. Epigr. II. & lib. II. Epigr. LX. & JCtos l. IV. & l. VI. De ſicariis.

CASAUBON.

Paulloque poſt occiſum Antonium adeo vulgatum eſt.] Papinius:

Quæque tuas laurus volucri, Germanice, curſu
Fama vehit prægreſſa diem, tardumque ſub aſtris
Arcada, & in medio linquit Thaumantida cælo.

Caſtrari mares vetuit.] Statius:

Qui caſtæ Cereri diu negata
Reddit jugera, ſobriaſque terras:
Qui fortem vetat interire ſexum.

Poſtquam hoc exiit edictum, ſolita peti venia a Principe vel præſide provinciæ, ſi quis vel ſe vel alium vellet evirare. Juſtinus Apolog. II. Ἤδη τις τῶν ἡμετέρων βιβλίδιον ἀνέδωκεν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ Φήλικι ἡγεμονεύοντι, ἀξιῶν ἐπιτρέψαι ἰατρῷ τοὺς διδύμους αὐτοῦ ἀφελεῖν· ἄνευ γὰρ τῆς τοῦ ἡγεμόνος ἐπιτροπῆς τοῦτο πράττειν ἀπειρῆσθαι οἱ ἐκεῖ ἰατροὶ ἔλεγον.

VARIOR.

Occiſum Antonium vulgatum eſt.] Quum auctor hujus nuntii quæreretur, inventus eſt nemo: ſed alter alterum allegabat. Tandem vero quia in plebem, veluti in vaſtum quoddam pelagus ſermo referebatur, apparebatque nullum certum habuiſſe principium, ſubito hujuſmodi fama prolapſa ceciderat: ſed poſtea Domitiano cum exercitu ad bellum proficiſcente, in ipſa via certus nuntius, & litteræ de victoria adverſus Antonium venerunt. Dies pugnæ idem fuerat, quo Romæ victoriam fama vulgaverat, ultra diſtantiam viginti millium ſtadiorum.

7. *Aurati purpureique panni.*] Xiphilinus notat etiam duas adjeciſſe; ſed auream, & argenteam. male. Nam diverſas habebant veſtes, ut diſtinguerentur. Argentea autem cum alba conveniret. erant autem veſtes ſic

vetuit. Spadonum, qui reſidui apud mangones erant, pretia moderatus eſt. Ad ſummam quandam ubertatem vini, frumenti vero inopiam, exiſtimans nimio vinearum ſtudio negligi arva, edixit, Ne quis in Italia novellaret: utque in provinciis vineta ſuccidérentur, relicta, ubi plurimum, dimidia parte: nec exſequi rem perſeveravit. Quædam ex maximis officiis inter libertinos militeſque Romanos communicavit. Geminari legionum caſtra prohibuit: nec plus, quam mile numos a quoquam ad ſigna deponi: quod L. Antonius apud duarum legionum hiberna, res novas moliens, fiduciam cepiſſe etiam ex depoſitorum ſumma videbatur. Addidit & quartum ſtipendium militi, aureos ternos.

ſic diſtinctæ, aliæ albatæ, aliæ ruſſatæ, praſinæ & venetæ. His Domitianus, ut recte Suet. auream & purpuream addidit: ſed non diu hic mos valuit, nec a poſterioribus obſervatus fuit. J. LIPS.

TORRENT.

Apud mangones.] Hi enim caſtrabant pueros, quo pluris venderent. Quod Martial. oſtendit, cum ait:

Non puer avari ſectus arte mangonis.

Oſtendit & Quinctilian. lib. v. cap. XII. pulcherrima illa ſimilitudine qua de mancipiorum negotiatoribus utitur, qui formæ puerorum exciſa virilitate lenocinantur: ac poſtremo Ulpian. l. XXVII. ad legem Aquiliam his verbis: *Si puerum quis caſtraverit, & pretioſiorem fecerit, Vivianus ſcribit ceſſare Aquiliam, ſed injuriarum erit agendum, aut ex edicto Ædilium.*

Ne quis in Italia novellaret.] Hoc eſt, vites novellas (quo verbo aptiſſime uſus eſt Virgil.) inſtitueret. Male autem apud Euſebium Chronicis vetuiſſe ſcribitur Domitianus vites in Urbe ſeri, pro, in Italia. Neque infacete apud Philoſtratum Apollonius intellecto Domitiani de vitibus edicto: *At hic* (inquit) *præclarus Imperator, qui mares caſtrari vetuit, terram eunucham fecit.* quod etiam citat Beroaldus, & Pauli JCti locum l. VI. De impenſis in reb. dotalibus factis, ubi *novelleti* vocabulo pro vinea recenter inſtituta utitur. Sed tamen *olivetum* etiam ibi legitur.

Libertinos militeſque R.] Liber unus minime malus *equiteſque Rom.* Ego *milites* ſervo, amota dictione *Romanos.* nam & qui *equites* repoſuit, ideo id fecit, quod dictio *Romanos* alioqui otioſa videretur.

Ad ſigna deponi.] Veget. lib. II. cap. XX. divinitus inſtitutum ſcribit, ut, cum milites publica ſuſtinerentur annona, ex donativo quod conſequebantur pars dimidia ipſis ſervaretur, ne inutiliter ſua abſumerent, & depoſiti memores ſigna non deſererent. Domitianus tamen ultra mille nummos deponi noluit. Cauſam addidit Sueton. At Peſcennius Niger milites ſuos ituros in prælium aurum, argentumve quod in zonis portarent, publice commendare juſſit, recepturos poſt prælia quod dederant.

Quartum ſtipendium mil. aureos ternos.] Vide quæ notamus Cæſ. cap. XXVI. Quanquam (ut verum fatear) non nimium mihi ſatisfacio, placeretque reſcribi *militare* pro *militi.* Quod capitalib. litteris non integre exaratum hoc quam illo modo potius ab imperitis librariis exceptum, ſuſpicio mihi eſt. Cujuſmodi errorum fontes non ſemel hoc in opere deprehendimus.

CASAUBON.

7. *Exiſtimans nimio vinearum ſtudio negligi arva.*] Non ſolum in vita Apollonii lib. VI. meminit hujus rei Philoſtratus, quem locum laudat Beroaldus: ſed uberius in vita Scopeliani ſophiſtæ. Is eſt qui totius Aſiæ nomine legationem obiit ad Domitianum, deprecaturus edicti hujus exſecutionem. in quo tanta fuit illius vel dexteritas vel felicitas, ut non ſolum colendi vineas impunitatem ſuis nactus ſit, ſed etiam neceſſitatem. rediit enim, μὴ μόνον τὸ ἐξεῖναι φυτεύειν ἔχων, ἀλλὰ καὶ ἐπιτίμια κατὰ τῶν μὴ φυτευόντων. Cauſam latæ legis quod ad Aſiam provinciam attinet, aliam affert Philoſtratus: ſeditiones nempe ſæpe ortas ex temulentia: Ἐδόκει τῷ βασιλεῖ μὴ εἶναι τῇ Ἀσίᾳ ἀμπέλους, ἐπειδὴ ἐν οἴνῳ στασιάζειν ἔδοξαν· ἀλλ᾽ ἐξαιρεῖσθαι μὲν τὰς ἤδη πεφυτευμένας, ἄλλας δὲ μὴ φυτεύειν ἔτι. Ideo ſervatum videtur ſub Imperatoribus inſequentibus, ut promiſcui non eſſet juris vitem inſtituere: ſed eorum tantum, qui a Principe veniam impetraſſent. Vopiſcus in Probo: *Gallis omnibus & Hiſpanis ac Britannis hic permiſit, ut vites haberent vinumque conficerent.* Eutropius in eodem: *Vineas Gallos & Pannonios habere permiſit.* quo loco ridicula eſt Pæanii appendix ad verba ſuperiora, οὔπω πρότερον τοῦτο εἰδόσι. quaſi ante Probum vineas colere neſcierint Galli.

Geminari legionum caſtra prohibuit.] Quid eſt geminari caſtra? & quæ legis hujus cauſſa? Puto geminari caſtra dici, non, ut cenſent interpretes, cum ex veteri more pro occaſione fierent majora & minora: ſed cum duæ legiones coeunt in unum locum, & caſtra una: quod ſemper experientia docuit eſſe periculoſum. fere enim *ſecuta exercitus ſeditio, qui plerumque contemplatus frequentiam ſuam a diſciplina deſciſcit*, ait Vellejus veriſſime, & Dio quoque lib. XLIX. *milites*, inquit, πρὸς τὴν ὄψιν τοῦ πλήθους σφῶν θρασύνονται. ideo ſeditionem parantes,

 aquilas

ternos. Jus diligenter & induſtrie dixit. Plerumque & in foro pro Tribunali extra 8 ordinem ambitioſas centumvirorum ſententias reſcidit. Recuperatores, ne ſe ſemper perfuſoriis aſſertionibus accommodarent, idemtidem admonuit. Numarios judices cum

aquilas, ſigna, caſtra jungebant, ut de legionibus Germanicis narrat Tacitus libro primo. confirmant hanc interpretationem, quæ ſtatim ſequuntur de occaſione legis hujus ferendæ.

Addidit & quartum ſtipendium militi, aureos ternos.] Prorſus mendoſa lectio, etſi ita habetur in omnibus MSS. ſed ſcribendum *ad aureos ternos*: vel *aureis ternis*, ut docuit pridem Juſtus Lipſius, in Electis ſuis, ubi de ſtipendii militaris modo diſputat docte & acute. Exſtitit tamen nuper vir eruditus, qui Lipſii ſententiam labefactare conaretur, & quidem rationibus non ſane levibus. itaque de tota re ad ſextum Polybii, deo propitio, accurate ſumus acturi.

VARIOR.

Addidit & quartum ſtipendium militi, aureos ternos.] Hoc eſt, tres annuos aureos addidit veteri ſtipendio Domitianus. A C. Julii Cæſaris temporibus, qui ſtipendium duplicaverat, quotannis acceperant novem aureos. Domitianus autem tres addidit aureos, ut duodecim annuos acciperent. Stipendium eſt hoc loco una annui ſtipendii penſio, ſive quarta pars ſtipendii annui, ſive tres aurei; ſicut aurei novem erant tria ſtipendia. Sic hunc locum recte expoſuerunt duo viri excellentes, HERMANNUS RHABODIUS SCHELIUS, in Diſſertationibus pulcherrimis, quas addidit Polybio & Hygino de caſtrametatione Romanorum, cap. III. de Stipendio militari, & J. F. GRONOVIUS lib. III. de Pecun. vet. cap. 2. ubi doctiſſime refutarunt aliorum de hoc loco vexatiſſimo ſententiam, ſuamque multis certiſque rationibus firmarunt.

TORRENT.

8. *Ambitioſas centumvirorum ſent.*] De centumviris ante dictum eſt, Veſpaſ. cap. X. *Ambitioſas* vero *ſententias* vocat non qua decet libertate latas, ſed obſequio, favore, & gratia. Simile illud Ulpiani l. IV. De decretis ab ord. faciendis: *Ambitioſa decreta decurionum reſcindi debent.* Sic *judex ambitioſus* apud Livium, *ambitioſa & fucoſa amicitia* apud Ciceronem.

Recuperatores ne ſe ſemper.] Dictio *ſemper* abeſt a nonnullis codicibus, & bene. De Recuperatoribus vero ante diximus, Ner. cap. XVII.

Perſuaſoriis aſſertionibus.] Qui in libertatem vindicandi erant, quia, cum pro ſervis haberentur, judicio ipſi agere non poterant, aſſertores ſibi quærebant. Hi vero libertatis favore precibus ſæpius ac blanditiis, quæſitiſque coloribus, quam veris probationibus nitebantur. Judices igitur Domitianus admonuit, ne contra jus dominorum his temere nimis crederent. Sic fere Turnebus, & ante eum Beroaldus. Exemplum etiam iſtiuſmodi aſſertionis nobis proponitur Veſpaſ. cap. III. Nec diſſimile eſt, quod Græcorum legibus inquilini verſari in judicio ſine auctore ac vindice, quem προςάτην appellabant, vetabantur. Verum quia recuperatores (quod ante oſtendimus) non de liberalibus tantum cauſis cognoſcebant, ſed de quibuſcunque prætor ipſos adiri juſſerat, præſertim ſi de facto quærendum eſſet, *aſſertiones perſuaſorias* hoc loco accipio quæ non probationibus certis, ut puta, per teſtes atque inſtrumenta, affirmarentur, ſed nudis tantum verbis, quæſitiſque orationis coloribus proponerentur. Quibus Domitianus ſtari noluit. Id quod in facti cognitione periculoſum eſt. nam ubi de jure diſceptatio incidit, aut æquitas quæritur, liberum relinquitur ſuas cuique rationes adducere, quibus judici perſuadeat, dummodo ſordes abſint & gratia. Jacobus Cujacius *perfuſoriis* pro *perſuaſoriis* legit, an recte, lector judicet.

Nummarios jud. cum ſ. q. conſilio.] *Cauſam nummariam, judiciumque nummarium* vocant JCti noſtri, quando de pecunia diſceptatur. ſic enim Calliſtratum intelligo l. ult. Ne de ſtatu defunctorum poſt quinq. quæratur. Atqui contra Cicero Verr. V. *nummarium* appellat *judicium*, quod acceptis pecuniis agitur, ut *nummarios* quoque *judices* pro Cluentio, & lib. I. ad Attic. ſordidos mercenarioſque, qui nummis ſe corrumpi ſinant, quales (ut Sueton. hoc loco tradit) Domitianus una cum aſſeſſoribus ac conſiliariis ſuis notavit infamia. Sic *nummarios* quoque *ſacerdotes* dixit Hieronymus, *nummarium tribunal*. Seneca de Benef. I. cap. IX. Verba hæc ſunt: *Provincias ſpoliari, nummarium tribunal audita utrimque licitatione alteri addici non mirum, quando quæ emeris vendere gentium jus eſt.*

CASAUBON.

8. *Ne ſe perſuaſoriis aſſertionibus accommodarent.*] Plerique codices hanc lectionem agnoſcunt: quidam *perfunctoriis*. Legendum vero *perfuſoriis*, ut habet liber optimus Turonenſis, & plures alii, ut teſtatus eſt vir præſtantiſſimus Jacobus Cujacius ὁ τῆς Νομικῆς ἄωτος. qui hujus loci ſententiam adverſus interpretes explicat doctiſſime ad legem XIII. Dig. de Excuſationibus.

VARIOR.

8. *Recuperatores, ne ſe perſuaſoriis aſſertionibus accommodarent, identidem admonit.*] Olim qui in libertatem vindicabantur, cum ſervi eſſent, nec pro ſe judicio liberali experiri poſſent, aſſertorem quærebant. in cauſſis igitur liberalibus monuit recupe-

cum ſuo quemque conſilio notavit. Auctor & tribunis pleb. fuit, ædilem ſordidum repetundarum accuſandi, judiceſque in eum a ſenatu petendi, magiſtratibus quoque urbicis, provinciarumque præſidibus coercendis, tantum curæ adhibuit, ut neque modeſtiores umquam, neque juſtiores exſtiterint: e quibus pleroſque poſt illum reos omnium criminum vidimus. Suſcepta morum correctione, licentiam theatralem promiſcue in equite ſpectandi inhibuit. Scripta famoſa, vulgoque edita, quibus primores viri ac feminæ notabantur, abolevit non ſine auctorum ignominia. Quæſtorium virum, quod geſticulandi ſaltandique ſtudio teneretur, movit ſenatu. Probroſis feminis lecticæ uſum ademit: juſque capiendi legata, hereditateſque. Equitem Romanum ob reductam in matrimonium

cuperatores, ne, tametſi favorabilis libertas eſt, ſequerentur in judicio aſſertiones vel prece, vel pretio, vel perſuaſione eblanditas contra jus dominorum. Juriſconſultorum tamen princeps Cujacius *perfuſoriis* legendum cenſet, & ut legit, in antiquiſſimo libro reperi, pudetque diſſentire. Turnebus.

Ne ſe perſuaſoriis aſſertionibus accommodarent.] Credes licet Cujacio, Turnebo, Lipſio, Caſaubono, *perfuſoriis* eſſe legendum. *Perſuaſoriæ aſſertiones* Latine tantundem ſunt, quantum Nævii buttubatta. Sed de his in renovata Diatriba cum Deo benevolente. J. F. Gronovius. Codex item Salmaſii *perfuſoriis*. Cujacium vero conſule ad legem xiii. Dig. de excuſationibus.

Torrent.

Auctor & tribunis pl. fuit.] Vetus codex ſic, *Auctor & T. P. R. C. L. fuit Ædilem*, &c. quas notas aliis interpretandas relinquo.

Ædilem ſordidum repet. accuſ.] *Sordes* apud optimos quoſque auctores etiam pro avaritia legimus. At JCti manifeſtius pro pecuniaria corruptione accipiunt cum alibi ſæpe, tum l. 11. & l. ix. De receptis ut arbitr. dicant, & l. xv. De judiciis. De arbitro nempe agitur ſordibus corrupto, cujuſve ſordes manifeſtæ ſint, item de judice cujus evidens vel gratia, vel inimicitia, vel ſordes ſint. *Sordidum* ergo *Ædilem* hic accipio, qui pecunia corruptus aliter officium exercuit quam debuit, ut cap. ſequenti, *ne quid ſordide facerent.* Et, *ſordide egiſſe tutorem* legimus apud Ulpian. l. iii. De ſuſpectis tutoribus qui per avaritiam pupillum defraudavit, &, *ſordide proconſulatum gerere* apud Plinium Epiſtolis, *ſordide concionari* apud Cic. ad Attic. cum pretio quis ſe corrumpi patitur. Porro tribunis plebis ea demandata accuſatio fuit, quia plebis maxime intereſt, ut ædiles ſuo rite munere fungantur.

Suſcepta morum correctione.] Sic Tib. cap. xlii. *in ipſa publicorum morum correctione.* Domitianus autem Cæſaris dictatoris exemplo conſulatum in annos decem, & cenſuram perpetuam aſſumpſit. Dionis epitome, & nummi veteres. Unde adulator Martial.

Cenſor maxime, Principumque Princeps.

At contra ſemper ſerius ac verax Juvenal. eum irridet, cum ait, *caderet ſub judice morum*, Sat. iv.

In equite ſpectandi.] Id eſt, in equeſtribus, ſive equitum cuneis, ut ego interpretor. Quod qui non intellexere, locum varie corruperunt. nam & *promiſcua iniquitate*, &, *promiſcue in æquitate* legitur. Sabellicus vero *promiſcue & inquiete*, ſi diis placet. Vide Ner. cap. xi.

Scripta famoſa.] Vide quæ notavi Aug. cap. lv.

Quæſtorium virum.] Cæcilium Rufinum appellat Xiphilin.

Probroſis feminis.] Eaſdem (ut puto) *famoſas* vocat Tib. cap. xxxv. ſicut & Ulpian. l. 11. Ad S. C. Tertullianum, & maxime quidem ob ſtuprum, aut lenocinium. probrum enim in femina proprie ſtuprum eſt. Ut cum probrum virginis Veſtalis capite puniri, virum qui eam inceſtaviſſet verberibus necari lex jubet, de qua Feſtus in *Probrum.* Cicero Philipp. 11. *Probri inſimulaſti pudiciſſimam feminam.* Lamprid. Alexandro: *A mulieribus famoſis matrem, & uxorem ſuam ſalutari vetuit.* Adde Catonis verba apud Gellium lib. x. cap. xxiii. & feſtiviſſimi hominis Egilii jocum in Q. Opimium, conſularem, lib. 11. de Oratore, *nam me ad famoſas vetuit mater accedere.*

Juſque capiendi legata.] Huic legi fraudem fieri conqueritur Juvenal. Sat. 1.

Cum leno accipiat mœchi bona, ſi capiendi
Jus nullum uxori.

Lenonem adulteræ maritum vocans, cui legabat mœchus quod uxori legare vetabatur.

Casaubon.

Cum ſuo quemque conſilio.] *Conſilium* pro conſiliariis & adſeſſoribus, qui judicantibus ſoliti adeſſe. ut *conjugium* pro conjuge. alioquin per c *concilium* eſſet legendum, ſed membranæ aliter.

Auctor & tribunis plebis fuit.] Non erat cauſſæ, cur in notis illis T. P. R. C. L. hæreret eruditiſſimus Torrentius, quas in veteri codice invenerat. Nam & nos eadem offendimus in nonnullis. ſed mendam eorum librorum Memmianus arguit, in quo ita perſcriptum T. R. P. L. ſatis autem norunt, qui aliquem membranarum uſum habent, voces

monium uxorem, cui dimiſſæ adulterii crimen intenderat, eraſit judicum albo. Quoſdam ex utroque ordine lege Scantinia condemnavit. Inceſta Veſtalium virginum, a patre quoque ſuo & fratre neglecta, varie ac ſevere coercuit: priora capitali ſupplicio, poſteriora more veteri. Nam cum Ocellatis ſororibus, item Varonillæ liberum mortis permiſiſſet arbitrium, corruptoreſque earum relegaſſet: mox Corneliam virginem Maximam, abſolutam olim, dehinc longo intervallo repetitam atque convictam, defodi imperavit: ſtupratoreſque virgis in comitio ad necem cædi, excepto prætorio viro: cui dubia etiam tum cauſſa, & incertis quæſtionibus atque tormentis de ſemet profeſſo, exſilium indulſit. Ac ne qua religio Deum impune contaminaretur, monumentum, quod libertus ejus e lapidibus templo Capitolini Jovis deſtinatis filio conſtruxerat, diruit per milites: oſſaque & reliquias, quæ inerant, mari merſit. Inter initia uſque adeo ab omni cæde abhorre- 9
bat, ut abſente adhuc patre, recordatus Virgilii verſum:

Impia quam cæſis gens eſt epulata juvencis:

edicere deſtinarit, *ne boves immolarentur.* Cupiditatis quoque atque avaritiæ vix ſuſpicionem ullam, aut privatus umquam, aut Princeps aliquamdiu dedit: immo e diverſo magnæ

ces ad eandem dictionem pertinentes, ita ſolitas interdum dividi puncto interjecto. quare verum erat, T. R. P. L.

TORRENT.

Cui dimiſſæ.] *Lex* (inquit Ulpian.) *mariti lenocinium coercet, qui deprehenſam in adulterio uxorem retinuit.* Atque hic dimiſerat quidem, ſed cum eam mox reduxiſſet, videri poterat non dimiſiſſe. Vide l. XXIX. De adulteriis.

Lege Scatinia.] Hæc impudicitiam coercebat, ut lex Julia ſtuprum, adulterium. Quanquam & Julia (ſi Juſtiniano credimus) eos puniebat etiam, qui cum maſculis deliquiſſent. Qua de re Aug. cap. XXXIV. Pœna autem Scatiniæ legis primum pecuniaria fuit, ſub Chriſtianis vero capitalis. l. XXXI. Cod. De adulter. Quinctilian. lib. IV. cap. II. *Ingenuum ſtupravit, & ſtupratus ſe ſuſpendit. Non tamen ideo ſtuprator capite, ut cauſa mortis, punietur, ſed* X. *millia, quæ pœna ſtupratori conſtituta eſt, dabit.* Similis locus lib. VII. cap. IV. Meminere ejuſdem legis Cic. Philipp. III. Cœlius ad Cicer. epiſt. Fam. lib. VIII. Juvenal. Sat. II. Tertullian. De monogamia, & Prudent. hymno in Romanum Martyrem. Sunt qui Scantiniam vocatam velint, a C. Scantinio Tr. pl. ſtupri in Marcelli filium commiſſi damnato, de quo Valer. Max. lib. VI. cap. I.

More veteri.] De quo Livius lib. XXII. Plutarch. Numa, Feſtus in *Probrum.* Juvenal. Sat. IV.

- - - cum quo nuper vittata jacebat
Sanguine adhuc vivo terram ſubitura ſacerdos.

Corneliam virg. max.] Recte. in quibuſdam enim libris *Corneliam Maximam*, quaſi id ejus cognomen ſit, legitur, uti & in Plinii vulgatis exemplaribus lib. IV. Epiſt. XI. ubi ſermo de hac ipſa Cornelia: *Cum Corneliam Maximillam virginem*, &c. pro *Corneliam virg. Maximam.* ſic namque in antiquis marmoribus, COELIÆ CLAUDIANÆ V. V. MAXIMÆ, & FL. PUBLICIÆ V. V. MAXIMÆ. Præter Corneliam vero & tres alias ſub Domitiano damnatas fuiſſe Euſeb. Chronicis refert. Cui adde Plutarchum Probl. Roman. Quæſt. LXXXIII.

Prætorio viro.] Valerium Licinianum vocat Plin. Epiſt. quam ante dixi.

CASAUBON.

Lege Scatinia.] Vel *Scantinia*, ut alibi ſcribitur: & Turonenſis quoque *n* agnoſcit.

9. *Vix ſuſpicionem ullam.*] Cujacii liber, *ſuſpectionem.*

VARIOR.

Corneliam.] Vide Herald. I. de Auct. r. jud. I. §. 15. GOES.

9. *Impia quam cæſis.*] Virgilius in II. Georgicorum ſic ſcribit:

Ante etiam ſceptrum Dictæi regis, & ante
Impia quam cæſis gens eſt epulata juvencis,
Aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat.

In expoſitione hujus verſus ait Servius: *Quod majores boves comeſſe nefas putabant.* Plinius quoque & Columella tradunt, in tanta fuiſſe apud antiquos veneratione boves, ut tam capitale eſſet bovem necaſſe, quam civem. BEROALD.

Ne boves immolarentur.] Ex dogmate Pythagorico præcipitur apud Ovidium, ne boves immolentur, neve adhibeantur in cibatu. Sic enim ſcriptum eſt:

Quid meruere boves, animal ſine fraude doloque,
Innocuum, ſimplex, natum tolerare labores?

Porphyrius quoque refert, ex iniquitate hominum eſſe inductum morem immolandi hoſtias, quem fœdiſſimum appellat, & crudelitatis plenum: cum ex ſanguine occiſorum animalium imbuantur aræ deorum. BEROALD.

TOR-

magnæ ſæpe non abſtinentiæ modo, ſed etiam liberalitatis experimenta. Omnes circa ſe largiſſime proſecutus, nihil prius aut acrius monuit, quam ne quid ſordide facerent. Relictas ſibi hereditates ab iis, quibus liberi erant, non recepit. Legatum etiam ex teſtamento Ruſci Cæpionis, qui caverat, *ut quotannis ingredientibus Curiam ſenatoribus, certam ſummam viritim præſtaret heres ſuus*, irritum fecit. Reos, qui ante quinquennium proximum ærarium apud pependiſſent, univerſos diſcrimine liberavit: nec repeti, niſi intra annum, eaque conditione permiſit, ut accuſatori, qui cauſſam non teneret, exſilium pœna eſſet. Scribas quæſtorios negotiantes ex conſuetudine, ſed contra Clodiam legem, venia in præteritum donavit. Subſeciva, quæ diviſis per veteranos agris carptim ſuperfuerunt, veteribus poſſeſſoribus, ut uſucapta conceſſit. Fiſcales calumnias, magna calumniantium pœna repreſſit: ferebaturque vox ejus, *Princeps qui delatores non caſtigat, irritat.* Sed neque in clementiæ, neque in abſtinentiæ tenore permanſit: & tamen aliquanto celerius ad ſævitiam deſcivit, quam ad cupiditatem. Diſcipulum Paridis pantomimi puberem adhuc, & cum maxime ægrum, quod arte formaque non ab-

TORRENT.

9. *Omnes circa ſe largiſſime proſecutus.*] *Circa ſe* Græcorum more dixit, ut *omnibus circa eum.* Cæſ. cap. XXVII. *Proſequi* etiam abſolute, pro beneficio ac liberalite proſequi, quod antea quoque notaſſe memini.

Non recepit.] Exempla bonorum de hac re Principum annotavimus Calig. cap. XXXVIII.



Ruſcii Cæpionis.] Cæpio notum Serviliæ gentis cognomen eſt, Ruſcii minus cogniti. Ut fortaſſis *Ruſtii* legendum ſit, uti in veteri nummo, qualem ſervo, L. RUSTI.

Apud ærarium pop.] Sup. Claud. cap. IX. docuimus eorum, qui publico tenebantur nec ſolvendo erant, nomina apud ærarium ſuſpendi ſolere. Eos Domitianus poſt quinquennium liberavit, & ſi qui forte ipſos judicio repetere vellent, his annum præfixit, ſub exſilii pœna, ſi forte non probarent.

Scribas quæſtorios.] Talis Flavius Liberalis, Veſpaſiani ſocer, Veſpaſ. cap. III.

Contra Clodiam legem.] Legis Clodiæ de ſcribis nemo (quod ſciam) præter Suetonium meminit. Sunt qui velint lege Clodia, ſeu Claudia, quæ de ſenatorum navibus lata fuit, aliquid etiam de ſcribis, maxime quæſtoriis, cautum fuiſſe, ne & ipſis navem maritimam quæ pluſquam trecentarum amphorarum eſſet, negotiandi cauſa habere liceret. Quod ego quoque crediderim non tam ob ordinis honeſtatem, quam quod publicis rationibus non conveniret, ſi quæſtorum ærarii ſcribæ negotiarentur. Porro de hac lege Clodia Livius lib. XXI. Cic. Verrina VII. & nos Claud. cap. XIX.

Subſeciva.] Sic fere meliores codices, a ſubſecando, proprium menſorum vocabulum, ut apud Varronem lib. I. De re ruſt. cap. X.

10. *Puberem adhuc.*] Sic edit. Gryphii, & unus e noſtri MSS. verum nullo ſenſu idoneo. Alii *impuberem* legunt. Sunt qui *pauperem* ſubſtituant. Sed *impuberem* ſervo, ut nec ætas obſtiterit, quo minus ob magiſtri odium diſcipulum perderet. Paridem enim ante necaverat. Nec vero miretur quiſpiam puerum adhuc adeo excellere potuiſſe. exſtat enim hæc inſcriptio : D. M. PUERI SEPTEMTRIONIS QUI ANNORUM XII. ANTIPOLI IN THEATRO BIDUO SALTAVIT ET PLACUIT. Non abſimile mendum Claud. cap. XXVII.

CASAUBON.

Ruſcii Cæpionis.] Viterb. *Ruſti*, Liſlæi & Memmii, *Ruffi.* ita non eſſet gentis nomen.

Apud ærarium pependiſſent.] Veteres multi, *ærarium apud pepend.* intelligit diuturnos reos, quorum nomina ab accuſatoribus delata, inter acta magiſtratuum ad ærarium fuerant delata. Similis locus in vita Auguſti capite XXXII. Ita potius capiam hæc verba cum eruditiſſimo Juriſconſulto Gul. Ranchino: quam ut Torrentius, qui ex libri quinti capite nono locum interpretabatur.

Venia in præteritum donavit.] Exemplar Viterb. *in perpetuum.* non probo.

Veteribus poſſeſſoribus ut uſucapta conceſſit.] Aggenus Urbicus commentariis in Julium Frontinum: *Domitianus per totam Italiam ſubſeciva poſſidentibus donavit, edictoque hoc univerſis notum fecit.*

VARIOR.

Qui cauſam non teneret.] Id eſt, obtineret, ſimplex pro compoſito. ſic l. f. ff. de Except. rei jud. *Paulus reſpondit, ei qui in rem egiſſet, nec tenuiſſet, poſtea condicenti non obſtare exceptionem rei judicatæ.* GOES.

Subſeciva.] Vetus auctor de limitibus apud Rigaltium

abſimilis magiſtro videbatur, occidit. Item Hermogenem Tarſenſem, propter quaſdam in hiſtoria figuras, librariis etiam qui eam deſcripſerant, cruci affixis. Patremfamilias, quod *Thracem mirmilloni parem*, *munerario imparem* dixerat, detractum ſpectaculis in arenam, canibus objecit, cum hoc titulo: *Impie locutus parmularius.* Complures ſenatores

galtium pag. 299. *Subſeciva ſunt proprie, quæ ſutor de materia præcidens, quaſi ſupervacua abjicit: inde & ſubſecivi agri, quos in pertica diviſos recuſant, quaſi ſteriles aut paluſtres.* Item: *ſubſeciva, quæ in diviſura agri non efficiunt centuriam, id eſt, jugera ducenta.* hoc loco *ſubſeciva* ſunt agri, qui poſt diviſionem ſuperfuerant. Cod. Salm. *ſubſiciva.*

TORRENT.

Quaſdam in hiſtoria figuras.] Sic *cauſidicorum figuras* dixit Veſpaſ. cap. XIII.

Librariis etiam.] MSS. duo *Librarios etiam q. e. deſ. cruci affixit.*

Thracem mirmilloni parem.] Hoc quoque, ſeu ſcomma ſeu figuram, ad ſe traxit Domitianus. nam cum gladiatorio munere paterfamilias quidam non infacetus Thracem mirmilloni, cum quo committebatur, parem quidem eſſe diceret, ſed munerario imparem, quod nempe Domitianus, qui munus edebat, aut (ut apud Homerum Achilles, apud Virgilium Æneas) muneri forte præſidebat, ob adverſæ factionis favorem eum premeret, id ſævus Imperator, ut in ſe dictum, morte puniit. Sic igitur *munerarii* vocabulum accipio, uſurpatum primo ab Auguſto. Auctor Quinctilian. lib. VIII. cap. III. Florus lib. III. cap. XX. *muneratorem* vocat muneris editorem, ſeu ludi dominum. *Patrem* quoque *familias* dixit pro quendam e populo, ut ſup. Calig. cap. XXVI. *patresfamilias notos*, &c. Mirmillonum autem factioni vel in fratris odium favebat Domitianus. Titus enim ſtudium armaturæ Thracum præ ſe tulit.

Impie locutus parmularius.] Sunt qui *palmularius* legant, ſed male. nam Thraces, a quorum armatura altera gladiatorum factio nomen accepit, parma uti ſolitos, auctores oſtendunt. Argute igitur Martial. & quidem in Domitiani gratiam, lib. XIV. Epigr. CCXIII.

Hæc, quæ ſæpe ſolet vinci, quæ vincere raro,
Parma tibi ſcutum pumilionis erit.

Impie vero *locutum* intellige, qui Domitiani ſcilicet Numen dicto læſerat. læſæ enim majeſtatis crimen etiam *impietas* vocabatur, ut paſſim in Taciti hiſtoria eſt cernere. Eleganter ad hoc ipſum Domitiani factum reſpiciens Plin. Panegyr. *Nemini* (inquit) *impietas* (*ut ſolebat*) *objecta, quod odiſſet gladiatorem*, & quæ ſequuntur, lectu digniſſima.

CASAUBON.

10. *Patrem familias.*] Hoc eſt, τὸν δεῖνα civem Romanum, ut interpretamur ad librum IV. cap. XXVI.

Impie locutus parmularius.] Non ſolum in ſpectaculis periculum fuit ſub tyrannis favere alicui contra ſtudium Principis: ſed etiam domi in vino & conviviis liberam vocem de his nugis miſiſſe verti ſolitum in occaſionem calumniæ, & impietatis crimen, ut appellabant. Alluſit ſuo more ad hanc hiſtoriam Plinius in Panegyrico: *Jam quam libera ſpectantium ſtudia, quam ſecurus favor? Nemini impietas, ut ſolebat, objecta, quod odiſſet gladiatorem: nemo ſpectator ſpectaculum factus, miſeras voluptates unco & ignibus expiavit.* Similis ſævitiæ exemplum in Caligula, cap. XXXV. Martialis de ſuo convivio:

De Praſino conviva meus Venetoque loquatur,
Nec facient quemquam pocula noſtra reum.

Porro parmularios, vel, ut Græci ſcribunt hanc vocem, παλμουλαρίους appellabant, qui Thracibus in arena favebant, quorum erat propria parma. Ab eadem cauſſa dicti Praſiani vel Praſiniani, Venetiani, & Secutoriani.

Complures ſenatores, in his aliquot conſulares, interemit.] Adde etiam aliquot triumphales, vel certe triumphalibus ornamentis donatos. in his Julium Agricolam Taciti ſocerum. Libet ἐν παρόδῳ Dionem in hac narratione emendare, & veram illi ſententiam reddere, ſimul & Tacito conciliare. Scriptum in compendio Dionis de Agricola, καὶ τέλος ἐσφάγη διὰ ταῦτα ὑπὸ Δομιτιανοῦ, καίπερ τὰς ἐπινικίους τιμὰς παρὰ τοῦ Τίτου λαβών. Ait occiſum eum a Domitiano, licet a Tito ornamentis triumphalibus fuiſſet donatus. Primum, non ſatis video, cur ſic loquatur, & quam vim habeat illud καίπερ. deinde falſum, quod ait de Tito: nam Domitianus fuit, qui eo honore Agricolam auxit. quod graviſſimo teſti, & genero amplius accredamus neceſſe eſt. Enimvero ſcripſiſſe Dionem ajo, καίπερ τὰς ἐπινικίους τιμὰς παρ᾽ αὐτοῦ τούτου λαβών. plane elegans emendatio.

VARIOR.

10. *Munerario imparem dixerat.*] In V. C. eſt, *Retiario*, pro *Munerario*. & poſt: *Acilium Glabrionem in exſilio*, &c. nam in vulgatis deeſt *in* prævpoſitio. FULVIUS URSINUS.

TOR-

res, in his aliquot conſulares, interemit: ex quibus Civicam Cercalem in ipſo Aſiæ proconſulatu, Salvidienum Orfitum, Acilium Glabrionem exſilio quaſi molitores novarum rerum. Ceteros leviſſima quemque de cauſſa: Ælium Lamiam, ob ſuſpicioſos quidem, verum & veteres, & innoxios jocos: quod poſt abductam uxorem laudanti vocem ſuam, *Heu taceo*, dixerat: quodque Tito hortanti ſe ad alterum matrimonium reſpon-

TORRENT.

Civicam Cerealem.] Lego *Civicum Cerialem.* Quanquam quis ille Civicus fuerit, ignoro. Cerialis autem per tertiam vocalem ſcribendum eſſe & lapides oſtendunt, & veteres denarii cum inſcriptione:



MEMMIUS ÆD. CERIALIA. PREIMUS FECIT. Eſt autem Cerialis Aniciorum, & Petilliorum cognomen apud Tacitum. Dictus vero Civicus Cerialis hic (quiſquis fuerit) ut Bellicus Natalis, qui ſub Galba conſulatum geſſit.

Salvidienum Orfitum, Acilium Glabrionem.] Orfiti meminit Philoſtratus, Acilii Dionis compendium, Juvenal. Sat. IV. Xiphilin. Glabrionem Chriſtianum fuiſſe indicat. Conſulatum vero geſſit cum Ulpio Trajano, Imperii Domitiani anno X. Legendum etiam aperte *Glabrionem in exſilio.*

Ælium Lamiam.] De hoc ſup. cap. I.

Laudanti vocem ſuam.] Laudaverat forte vocem Lamiæ vel Domitianus ipſe, vel eo præſente alius. At ille, Heu taceo, inquit. Quod cum indignantis abductam ſibi uxorem videretur indicium, interfectus fuit. Urbanius vero quod ſequitur, Num & tu vis ducere, ſi forte alteram ſumpſero?

CASAUBON.

Quod poſt abductam uxorem laudanti vocem ſuam, Heu taceo, dixerat.] Parum ſatisfaciunt mihi interpretes in explicatione hujus Lamiæ dicti: nam quod putant *Heu taceo*, ſuſpirium eſſe ejus, indicem doloris ob abductam uxorem magni, ſed latentis, nobis non ita videtur: ſed notatam potius fuiſſe tyrannidem Principis, qui omnia in ſuo genere pulcra & excellentia poſſeſſoribus eriperet. unde neceſſitas incumbebat ſua bona diſſimulandi celandique. ſic eſſe exponendum, docent illa verba, *laudanti vocem ſuam.* ad quæ parum attendiſſe interpretes videntur. Similes ſententiæ multæ apud poetas. Tibullus poſtquam laudaſſet puellam ſuam, ſubjicit:

Nil opus invidia eſt: procul abſit gloria volgi:
Qui ſapit, in tacito gaudeat ille ſinu.

Agathias epigramma quo Ariadnæ cithariſtriæ laudes prædicat, ita claudit:

Σιγῇ ἐφ' ἡμείων, ἵνα μὴ Διόνυσος ἀκούσας,
Τῶν Ἀριαδνείων ζῆλον ἔχοι λεχέων.

Sunt codices, qui hic aliquid Græce muginentur loco illorum *Heu taceo.* Ut Liſlæi, ubi ſcriptum fere ἐν ταυτῷ forte pro ἐν σαυτῷ ſupple ἔχε. id eſt, digito compeſce labellum. ſed vulgata perplacet: licet Græcæ lectionis ſervare veſtigia videantur optimi codd. Memmii, Viterb. Pithœi, & regii tres, in queis eſt *eutacto* & *tutacto.* docti cogitent. Atque hæc cum edita eſſent a nobis, litteras poſtea ab illuſtriſſimo Scaligero accepimus, quibus ille nobis ſuam de iſto loco ſententiam aperit. Sic autem acutiſſimus vir: *Placet* eutacto *ut erat in optimo Turonenſi codice, vel* ἐυτακτῶ, *ut in quibuſdam. Acer & mordax jocus.* οὐκ ᾄδω μὲν, ἀλλὰ τοὺς ᾄδοντας ἐυτακτῶ. *Proverbium etiam inter Gallos jactitatum.* Je ne chante point, mais j'accorde. *Nam non potiebatur uxore ſua, ut Domitianus: ſed ſtuprum diſſimulando, pacem inter ſe & uxorem & Imperatorem nutriebat.* ἐυτακτεῖν *cum accuſativo ſatis frequens: & ita ſemper Georgius Codinus.* Heu taceo, *quod vulgo legitur ineptum eſt.* σφῶ ἐστὲ οἱ ᾄδοντες, ἐγὼ δὲ ὁ ἐυτακτῶν, *Eſt locus elegans & notabilis.* Hæc Scaliger. Ego non memini legere hac notione verbum ἐυτακτῶ apud ullum ſcriptorem. Non multo tamen aliter vocem ἐυτάκτως uſurpat B. Chryſoſtomus homilia XII. in Pauli ad Philippenſes epiſtolam: ἐν χορῷ, inquit, τὸν χορηγὸν δεῖ μιμεῖσθαι τοὺς λοιποὺς, καὶ οὕτω βαδίζειν ἐυτάκτως. ſic etiam τάξις nomen ea in re apud eundem poſitum alibi: ut ad Hebr. ἂν χοροῦ τὸν κορυφαῖον ἀνέλῃς, οὐχὶ κατὰ μέλος καὶ τάξιν ὁ χορὸς ἔσται.

VARIOR.

Civicam Cerealem.] An *Civicum?* GUJET.

Heu taceo.] *Eutacto* Turon. cod. Locus obſcurus nec integer videtur. An ſcribendum *En taceo* pro *eutacto?* GUJET.

Poſt abductam uxorem laudanti vocem ſuam, Heu taceo, dixerat.] Hujus ænigmatis ſenſum mihi capere videor. Scriptura vera eſt, Ἐυτακτῶ. hoc eſt, *Venere abſtineo. uxorem non habeo.* quo ſibi raptum exprobrari intelligebat tyrannus. Laudanti vocem ſuam Domitiano reſpondit, ἐυτακτῶ. *diſciplinam ſervo.* Quæ illa diſciplina? dicet Horatius:

Abſtinuit Venere & Baccho, qui Pythia cantat.

Ælianus

ſponderat, μὴ καὶ σὺ γαμῆσαι θέλεις; Salvium Coccejanum, quod Othonis Imperatoris patrui ſui diem natalem celebraverat: Metium Pompoſianum, quod habere Imperatoriam geneſim vulgo ferebatur: & quod depictum orbem terræ in membrana, concioneſque regum ac ducum ex Tito Livio circumferret: quodque ſervis nomina Magonis & Annibalis indidiſſet. Salluſtium Lucullum Britanniæ legatum, quod lanceas novæ formæ appellari *Lucullæas* paſſus eſſet. Junium Ruſticum, quod Pæti Traſeæ & Helvidii Priſci laudes edidiſſet, appellaſſetque eos *ſanctiſſimos viros*: cujus criminis occaſione, philoſophos omnes urbe Italiaque ſubmovit. Occidit & Helvidium filium, quaſi ſcenico exodio ſub perſona Paridis & Oenones divortium ſuum cum uxore taxaſſet. Flavium Sabinum alterum e patruelibus, quod eum comitiorum conſularium die deſtinatum, perperam præco non conſulem ad populum, ſed Imperatorem pronunciaſſet. Verum aliquanto poſt civilis belli victoriam ſævior, pleroſque partis adverſæ, dum etiam latentes conſcios inveſtigat, novo quæſtionis genere diſtorſit: immiſſo per obſcena igne, nonnullis & manus amputavit. Satiſque conſtat duos ſolos e notioribus venia dona-

Ælianus 3. ποικ. 30. Ἀμοιβέας ὁ κιθαρῳδὸς σωφρονέστατος ἐλέγετο καὶ γυναῖκα ὡραιοτάτην ἔχων μὴ ὁμιλεῖν αὐτῇ. Sic Nero ηὐτάκτει, quum omitteret nihil, quæ *generis ejus artifices vel conſervandæ vocis cauſa vel augendæ factitarent*, cap. 20. Non mirari te oportet me bene canere: ſervo enim diſciplinam: &, ut ſervare poſſim, tu feciſti uxore abducta. GRONOV. Cod. Salm. & tres Pall. *eutacto*.

TORRENT.

Salvium Coccejanum.] Cujus pater L. Salvius Titianus, Othonis frater. Auctor Tacit.

Metium Pompoſianum.] Veſpaſ. cap. XIV. Metii Modeſti, viri optimi, mentio apud Plinium lib. I. Epiſt. V. quem Domitianus relegaverat.

Junium Ruſticum.] Hic ille Junius Ruſticus Arulenus, de quo ſæpe Tacit. & Philoſtrat. Plinius quoque cum alibi, tum lib. I. Epiſt. V.

Appellaretque.] Libri duo, *appellaſſetque*. Sed nihil muto.

Philoſophos omnes.] Dionis epitome quoſdam etiam occiſos tradit. Inter ſubmotos autem Urbe & Italia (ut de ſe ipſe teſtatur Orat. XL. Dion) Chryſoſtomus, Epictetus, de quo Gell. lib. XV. cap. XI. Muſonius, Demetrius, Peregrinus, ut in ejus vita auctor eſt Lucian. Cui adde Philoſtratum Apollonii vitæ lib. VII. & VIII. At Euphrates ex philoſopho aſſentator. ac delator factus eſt. Sed & Euſeb. Chronicis ſub Domitiano bis pulſos ab Urbe philoſophos, & mathematicos tradit.

Helvidium filium.] Patrem Helvidium Veſpaſianus occiderat, cap. XV.

Quod quaſi ſce. exodio.] Recte, non *exordio*, ut in vulgatis, & duobus MSS. Altera quoque illarum dictionum *quod quaſi* ſupervacanea eſt.

Deſtinatum.] Sic ſæpe alibi, pro deſignatum. Huic autem Flavio Sabino nuptam primum fuiſſe Juliam, Titi filiam, indicat Philoſtratus. Vide inf. cap. XV. & XXII.

Civilis belli.] Quod Antonius Saturninus moverat. Sup. cap. VI.

Latentes conſcios.] Dictionem *conſcios*, ex gloſſemato adjectam, omnino rejicio. Malim etiam *inveſtigatos* pro *inveſtigato*.

CASAUBON.

Appellaſſetque eos ſanctiſſimos viros.] Dio vertit, ἄνθρωπος ἱερός: qua de voce ad Athenæum notamus. Junius Ruſticus de quo hic Suetonius, is eſt de quo Plutarchus, in lib. De curioſitate.

Divortium ſuum cum uxore taxaſſet.] Hæc ſcriptura librorum omnium veterum. at vulgo, *tractaſſet*. illa voce uſus & libro ſecundo capite quarto.

Flavium Sabinum alterum e patruelibus.] Adjice, generum Titi fratris. Philoſtratus libro VII. Σαβῖνον ἀπεκτονὼς ἕνα τῶν ἑαυτοῦ ξυγγενῶν, Ἰουλίαν ἤγετο· ἡ δὲ Ἰουλία γυνὴ μὲν ἦν τοῦ πεφονευμένου, Δομιτιανοῦ δὲ ἀδελφιδῆ, μία τῶν Τίτου θυγατέρων.

Latentes conſcios, inveſtigato novo quæſtionis genere, diſtorſit.] Multis modis abſurda lectio. qui appellat *latentes conſcios?* deinde quomodo ſævitiam in latentes exercuit? emenda igitur *latentes per conſcios inveſtigatos, novo quæſtionis genere diſtorſit.*

VARIOR.

Flavium Sabinum.] Exſtat de hoc inſcriptio vetus ex lapide Tiburtino, his verbis concepta: EX. AUCTORITATE. IMP. CÆSARIS. TITI. VESPASIANI. AUG. IN. LOCO. QUI. DESIGNATUS. ERAT. PER. FLAVIUM. SABINUM. OPERUM. PUBLICORUM. CURATOREM. TEMPLUM. EXTRUXERUNT. NEGOTIATORES. FRUMENTARI. *Fulv. Urſinus.*

TOR-

onat os, tribunum laticlavium, & centurionem, qui ſe, quo facilius expertes culpæ oſtenderent, impudicos probaverant: & ob id neque apud ducem, nec apud milites,
11 ullius momenti eſſe potuiſſe. Erat autem non ſolum magnæ, ſed & callidæ inopinatæque ſævitiæ. Auctorem ſummarum pridie quam crucifigeret, in cubiculum vocavit: aſſidere

TORRENT.

Trib. laticlavium.] Sic *Tribunum anguſticlavium* dixit Oth. cap. x. Vide quæ notavi Aug. cap. XXXVIII. & XL. Adde Turnebum Adverſar. XXVI. cap. XI.

Impudicos probaverant.] Sic Nero profeſſis apud ſe obſcenitatem cetera quoque conceſſit delicta, cap. XXIX. Xiphilin. unum tantum nominat his verbis, Ἰούλιος Καλούαστρος, κεχιλιαρχηκὼς εἰς βουλείας ἐλπίδα. ſic enim interpretatur Tribunum laticlavium, qui in ſpem ſenatoriæ dignititatis tribunus factus ſit. Et ſane laticlavium ſenatorii ordinis virum vocat Sueton. Ner. cap. XXVI. Aliter tamen Tribunos laticlavios interpretor Aug. cap. XL.

11. *Auctorem ſummarum.*] Nihil dubito, quin *actorem* legendum ſit. *agendi* enim vocabulum latiſſime patet. Hinc *rerum actus*, & *agentes in rebus*, quorum tam frequens in Cæſarum conſtitutionibus mentio. *Actores* etiam *ſervi* quibus præcipua rerum domini incumbebat cura, atque in magna familia aliis ſub ſe ſervis (quos vicarios vocabant) in ſua quiſque functione imperabant, quos Theophilus διοικητὰς vertit, Scævola πραγματευτὰς l. XLI. De fideicommiſſ. libertatibus. Interdumque abſolute *actores* appellantur, interdum adjuncto aliquo, ut *actores rerum*, *actores bonorum*, *actores prædiorum*, *fundorumque*, de quibus etiam Columella lib. I. de Re Ruſt. & Plin. Epiſt. ad Calviſium lib. IV. Simili ergo ratione *actorem ſummarum* eum vocat Sueton. qui omnium rationibus diſpungendis præerat, eaſque obſervabat, quales qui ἀντιγραφεῖς a Græcis, a nobis Gallico vocabulo *contrarotularii* appellantur. Poſt Suetonii vero ætatem *rationarii*, & *rationales* a Marcellino, & Lampridio dici cœpere. Fuit & *actor ſummæ rei* in provinciis, cujus officii meminit etiam Euſeb. Hiſt. Eccl. lib. VII. cap. XIII. τοῦ μεγίστου πράγματος προστατεύων. Sed hoc ſervile non erat munus. De quo ſup. Claud. cap. XXIV.

CASAUBON.

Tribunum laticlavium & centurionem.] De juvenibus laticlaviis dictum eſt ad lib. IV. cap. XXXVIII. nam fuiſſe iſtos juvenes certum eſt. *impudicos* intellige muliebria paſſos.

11. *Auctorem ſummarum.*] Liſſæi, *actorem ſ.*

VARIOR.

Tribunum laticlavium.] Laticlavii tribuni ſunt, qui non tantum ex ſenatu lecti, ut Lipſius vult, ſed qui aut ex equeſtri, aut ſenatorio genere erant. Ut ſub conſulibus quidam tribuni a populo, alii in exercitu creabantur, hi *Rufuli*, illi dicebantur *Comitiati*: ita ſub Imperatoribus plebei quidem tribuni per merita & labores ad hanc dignitatem adſcendebant. equeſtres autem voluntate Principis fiebant. Illi dicebantur *tribuni anguſticlavii*, de quibus vide ad Othon. cap. 10. hi *laticlavii*. Equites qui ad tribunatum militum adſcenderant, ſenatoria ornamenta conſequebantur. Senec. ep. 47. *Variana clade quam multos ſplendidiſſime natos* (id eſt, ex equeſtri antiqua familia) *ſenatorium per militiam auſpicantes gradum fortuna depreſſit.* hi etiam dicebantur majores tribuni. Vegetius lib. 2. cap. 7. *Tribunus major per epiſtolam ſacram Imperatoris judicio deſtinatur, minor tribunus provenit ex labore.* Stat.

Quam deceat clari præſtantior ordo tribuni.

Equites qui ad ſenatorium ordinem aut per urbanos honores, aut per militiam adſpirabant, facile latum clavum adipiſcebantur etiam ante honores geſtos. Ita Metius Celer equeſtri genere natus, primis ſtipendiis jam latum clavum geſtabat. Statius:

- - - puer hic ſudavit in armis
Notus adhuc tantum majoris munere clavi.

Ita & Severus longo tempore antequam tribunatum gereret, latum clavum impetravit a D. Marco, ut Spartianus de eo refert. Atque hanc noſtram opinionem aperte firmat Xiphilin. ex Dione in Domit. Εἷς δ᾽ οὖν νεανίσκος Ἰούλιος Καλούαστρος κεχιλιαρχηκὼς εἰς βουλείας ἐλπίδα παραδοξότατα ἐσώθη. *Quidam ergo juvenis Julius Calvaſter tribunus militum in ſpem ſenatoriæ dignitatis præter omnium opinionem ſervatus eſt.* Ecce hic Julius Calvaſter in ſpem ſenatorii ordinis tribunatum militum geſſerat. Ergo nondum ſenator erat. Aſt hunc eundem tribunum laticlavium appellat hoc loco Sueton. Ut igitur in Urbe ii laticlavii, qui ſenatorio & equeſtri genere orti ἐπὶ τῇ βουλῆς ἐλπίδι latum clavum portant; ita & tribuni laticlavii ſunt non ſolum ii, qui ex ſenatu lecti ſunt, ſed qui ex equeſtri vel ſenatoria ſtirpe ad tribunatus dignitatem pervenerunt, ea ſpe, ut per tribunatum in ſenatum ingrediantur. Etenim tam expedita erat via per tribunatum ad ſenatoriam dignitatem, ut etiam ſenatu moti ingrederentur per eum in Curiam. Horat. 1. Sat. 6.

- - - Quo tibi Tulli
Sumere depoſitum clavum, fierique tribunum?

Hic enim Tullius ſenatu motus, atque ita depoſito lato clavo in equeſtri ordine conſiſtens, ut rurſus ſenatorium ordinem acciperet, militiæ ſe dederat, atque ita ad tribunatum perveniens, latum clavum iterum ſumſerat. ALBERT. RUBEN. lib. 1. De lato

aſſidere in toro juxta coegit, ſecurum hilaremque dimiſit, partibus etiam de cœna dignatus eſt. Arretinum Clementem conſularem virum, e familiaribus & emiſſariis ſuis capitis condemnaturus, in eadem, vel etiam in majore gratia habuit, quoad noviſſime ſimul geſtanti, conſpecto delatore ejus: *Vis*, inquit, *hunc nequiſſimum ſervum cras audiamus?* Et quo contentius abuteretur patientia hominum, numquam triſtiorem ſententiam, ſine præfatione clementiæ, pronuntiavit: ut non aliud jam certius atrocis exitus ſignum eſſet, quam principii lenitas. Quoſdam majeſtatis reos in Curiam induxerat: & cum prædixiſſet *experturum ſe illa die, quam carus ſenatui eſſet*, facile perfecerat, ut etiam more majorum puniendi condemnarentur: deinde atrocitate pœnæ conterritus, ad leniendam invidiam interceſſit, his verbis: neque enim ab re fuerit ipſa cognoſcere: *Permittite Patres Conſcripti a pietate veſtra impetrari, quod ſcio me difficulter impetraturum, ut damnatis liberum mortis arbitrium indulgeatis. Nam & parcetis oculis veſtris, & intelligent me omnes, ſenatui interfuiſſe.* Exhauſtus operum ac munerum 12
impenſis, ſtipendioque quod adjecerat: tentavit quidem, ad relevandos caſtrenſes ſumtus, militum numerum diminuere. Sed cum & obnoxium ſe Barbaris per hoc animadverteret; neque eo ſecius in explicandis oneribus hæreret, nihil penſi habuit, quin prædaretur omni modo. Bona vivorum & mortuorum uſquequaque, quolibet & accuſatore & crimine corripiebantur. Satis erat objici qualecumque factum dictumque, adverſum

to clavo cap. 15. quem ibi vide latius hæc explicantem.

11. *Callidæ.*] *Calidæ* Salmaſ. id eſt, repentinæ. GUJET.

Auctorem ſummarum.] Sic quidem omnes MSS. etiam Palatini & Salmaſ. legendum tamen ſine controverſia cum Torrentio, *auctorem ſummarum.* Servos Actores vocant JCti, qui reditus dominorum a colonis exigebant, peculio præerant, & rationes conſcribebant. l. 1. §. ult. ff. De ſervo corrupto: *Deteriorem facit ſervum, qui actori ſuadet, ut rationes dominicas intercidat, vel adulteret, vel etiam rationes ſibi commiſſas conturbet.* Iidem & *diſpenſatores*, *arcarii*, quibus fiſcalium theſaurorum tuteia commiſſa eſt. REINES. Epiſt. XXXV. ad Rupertum, quem vide.

TORRENT.

Aretinum Clementem.] In veteri marmore M. ARRICINUS CLEMENS legitur. Conſul fuit cum L. Nonio Aſprenate Imperii Domitiani anno XIII.

Simul geſtanti.] Galb. cap. VIII. *inter geſtandum*, &c. Male, qui *guſtanti* legunt.

More majorum.] Ner. cap. XLIX.

Liberum mortis arbit.] Simile de L. Veteris morte Neronis factum apud Tacitum circa initium lib. XVI. his verbis: *Nero interceſſit, mortem ſine arbitrio relinquens.* Ubi *ſuo arbitrio* legendum eſt. id eſt, liberam.

12. *Sed cum obnoxium.*] Melius libri MSS. *ſed cum & obnoxium ſe Barbaris per hoc animadverteret, neque eo ſecius*, &c.

Bona vivorum.] Ante hæc verba punctum deponendum, ut ſenſus ſit apertior, *omni modo. Bona viv. & mort. uſquequaque quolibet*, &c.

Factum dictumque.] Libb. veteres *dictumve*, & mox, *vel uno exiſtente.*

TORRENT.

Aſſidere in toro juxta coegit.] Ita moris, intra cubiculum ſedere in toris, ut fit hodie in ſcamnis: non ſolum cum ad cibum ſumendum diſçumberent, ſed in omni otio aut negotio, quod quieſcere non prohiberet. Galenus in libro de præcognoſcendo, loquens de matre, quæ puero ægro adſidebat: *ἐν τῷ οἰκήματι ἦν καὶ κλίνη, καθ' ἧς ἡ μητὴρ τοῦ παιδὸς ἐκαθέζετο.* totum illum locum vide, &, ſi lubet, quæ notavimus lib. II. cap. LXXVIII.

Sed cum obnoxium ſe Barbaris per hoc animadverteret.] Zonaras dubio procul ex Dione, expoſito incremento ſtipendii de quo ante dictum, *Μεταμεληθεὶς δὲ τὴν μὲν ποσότητα οὐκ ἐμείωσε, τὸ δε πλῆθος τῶν στρατευομένων συνέστειλε· καὶ ἑκατέρωθεν μεγάλα τὸ δημόσιον ἔβλαψε, μήθ' ἱκανοὺς τοὺς ἀμύνοντας αὐτῷ, καὶ τούτους μεγαλομίσθους ποιήσας.*

VARIOR.

Aretinum Clementem conſularem virum.] Ex antiqua inſcriptione legendum *Arricinum Clementem* &c. Nam vidimus inſcriptionem ad hunc ipſum Arricinum pertinentem, in qua ARRICINUS CLEMENS. inciſum eſt Præterea exſtat alia inſcriptio, quæ habet M. ARRICINI HELI. ut dubitari non poſſit de hujus nominis ſcriptura. F. URSINUS. Iſta inſcriptio num. 6. pag. 104. apud Gruterum, ſed ad hunc Clementem illam pertinere nemo facile dixerit. Mera conjectura eſt. Itaque a libris Taciti & Suetonii non eſt diſcedendum.

TOR-

ſum majeſtatem Principis. Confiſcabantur alieniſſimæ hereditates, vel exiſtente uno, qui diceret, audiſſe ſe ex defuncto, cum viveret, *heredem ſibi Cæſarem eſſe.* Præter ceteros, Judaicus fiſcus acerbiſſime actus eſt: ad quem deferebantur, qui vel improfeſſi Judaicam intra urbem viverent vitam, vel diſſimulata origine impoſita genti tributa non pependiſſent. Interfuiſſe me adoleſcentulum memini, cum a procuratore, frequentiſſimoque conſilio inſpiceretur nonagenarius ſenex, an circumſectus eſſet. Ab juventa minime

Torrent.

Judaicus fiſcus.] *Judaicum fiſcum* vocat, quacunque ratione non adverſum Judæos tantum, ſed etiam Chriſtianos ageretur. Et hæc illa ſecunda fuit Chriſtiani nominis perſecutio, de qua Euſebius, & alii. nam Judæorum nomine Chriſtiani fere comprehendebantur. Vide Xiphilinum. De odio vero in Chriſtianos Tertullian. Apologet. cap. 11. *Chriſtianum hominem omnium ſcelerum reum, Deorum, imperatorum, legum, morum, naturæ totius inimicum exiſtimas.* Iterumque xxxv. & xl. habitos tradit publicos hoſtes. *Quos* (inquit) *exiſtiment omnis publicæ cladis, omnis popularis incommodi eſſe cauſam. Si Tiberis aſcendit, ſi Nilus non aſcendit in arva, ſi cælum ſtetit, ſi terra movit, ſi fames, ſi lues, ſtatim Chriſtianos ad leonem. Agere* autem *fiſcum* dixit, ut *agere publicum quadrageſimæ* Veſpaſ. cap. 1.

Frequentiſſimoque conſil.] *Que* particula prorſus ſupervacanea eſt.

Circumſectus.] Vulgo circumciſos dicimus. Hinc verpus, recutitus, curtus, apella, Judæorum epitheta.

Casaubon.

Præter cæteros Judaicus fiſcus acerbiſſime actus eſt.] Quod factitatum alibi notabamus in artibus ſordidis & vetitis, ut pretio depenſo permitteretur illarum profeſſio: idem factum in religione Judaica, ac mox quoque in noſtra, ſicut declarat Tertulliani locus quem ad lib. iv. laudavimus. is eſt quem vocat auctor *fiſcum Judaicum*, & a duobus hominum generibus penſitatum fuiſſe indicat. prius fuit eorum, qui liberam ſuæ ſectæ profeſſionem in urbe redimebant. Judæis enim licuit ſoluto pretio quod erat imperatum, in urbe manere. nam interpretes qui ad perſecutionem ſecundam Chriſtianorum ſub Domitiano hæc verba referunt, falluntur. Tributi hujus meminit Xiphilinus in Veſpaſiano: Ἀπ' ἐκείνȣ δίδραχμον ἐτάχθη τȣ̀ς τὰ πάτρια αὐτῶν ἔθη περιςέλλοντας τῷ Καπιτωλίῳ Διῒ κατ' ἔτος ἀποφέρειν. id eſt, *Ex eo conſtitutum eſt, ut Judæi qui patrios ritus ſervare vellent, didrachmum quotannis Jovi Capitolino inferrent.* Tertullianus in Apologetico: *Sacras litteras Judæi palam lectitant: vectigalis libertas vulgo aditur ſabbatis omnibus.* Meminit & Appianus in Syriacis, ubi φόρον τῶν σωμάτων vocat. ita interpretor illa verba, *qui velut profeſſi Judaicam intra urbem viverent vitam.* quæ tamen poſſis fortaſſis etiam aliter accipere: Judæos omnes fuiſſe urbe pulſos, nec aliter permiſſam Romæ habitationem, quam ſi patrios ritus ejuraſſent: graveſque multas dictas, ſi qui nacti poſt ejurationem manendi in urbe facultatem, vixiſſent vitam Judaicam. mihi placet magis prior interpretatio: & profeſſionem intelligo, qualis ea quæ Tertulliani temporibus ipſo teſte apud beneficiarios fieri ſolita a tabernariis, aleonibus, & Chriſtianis. Scribendum autem, *qui vel ut prof.*

Vel diſſimulata origine.] Poſſunt hæc verba etiam ad Chriſtianorum perſecutionem ſub Domitiano referri. Nam hi videntur eſſe, quos pro Judæis paſſim habitos diſſimulatæ originis arceſſebant.

Varior.

12. *Judaicus fiſcus.*] Significat tributum, quod Judæi omnes, qui in Imperio Romano erant, ſolvebant. nam viritim binæ drachmæ exigebantur ab iis, qui Judaicam religionem colebant, Jovis Capitolini nomine, ut Dio refert. Turnebus. De hac re in numiſmate Nervæ ſic habetur, judaici. fisci. calumnia. sublata. *Fulv. Urſin.*

Qui veluti profeſſi, Judaicam.] Nec ſcribitur, ut oportet, neque intelligitur hic locus. Lege: *qui vel improfeſſi Judaicam intra urbem viverent vitam.* Quintilianus avus Decl. 241. *Res furtiva improfeſſa apud publicanos. Quod quis per publicanos improfeſſum tranſtulerit, commiſſum ſit.* l. 16. π. 1. De Publican. *Si quis improfeſſus ſervus fuerit, & probabitur in commiſſum cecidiſſe.* His autem verbis cenſeo deſignari proſelytos, qui gente non Hebræi, eoque nec matriculæ fiſcali inciſi, tamen ſabbata & caſtus Judaicos obſervabant: quemadmodum ſequentibus natos Hebræis & pro non Judæis ſe gerentes ad ſubterfugiendum jus fiſci. Gronov.

Qui vel improfeſſi.] Lego *qui improfeſſi velut Judaicam intra urbem viverent vitam.* Nam *vel* ſæpe pro *velut* exaratum in codicibus mss. monui etiam alibi & ita quoque reſtituendum puto apud Macrobium 1. in Somn. Scip. 2. Legendum enim ibi: *Sciendum eſt tamen, nec in omnem diſputationem philoſophos admittere fabuloſa velut licita, ſed his uti ſolent, cum.* &c. Qui autem improfeſſi velut Judaicam, fuere Chriſtiani, qui quod ut Judæi idolis non ſacrificarent, gentibus videbantur agere vitam Judaicæ ſimilem, nec tamen eandem. Videbant enim Judæos ſabbata ſolenniter celebrare;

 Chri-

minime civilis animi, confidens etiam, & cum verbis, tum rebus immodicus. Cænidi patris concubinæ ex Iſtria reverſæ, oſculumque, ut aſſueverat, offerenti, manum præbuit. Generum fratris indigne ferens, albatos & ipſum miniſtros habere, proclamavit: οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη. Principatum vero adeptus, neque in ſenatu jactare dubitavit, 13
& patri ſe & fratri imperium dediſſe: illos ſibi reddidiſſe. Neque in reducenda poſt divortium uxore edicere, *revocatam eam in pulvinar ſuum.* Acclamari etiam in Amphitheatro epulari die libenter audivit: *Domino & Dominæ feliciter.* Sed & Capitolino certamine cunctos ingenti conſenſu precantes, ut Palfurium Suram reſtitueret, pulſum olim

Chriſtianos vero non illum, ſed ſequentem. Præterea Judæorum veterem eſſe religionem, Chriſtianorum recentem. Certe cum hæc ſcriberet Suetonius, hoc non ignorabat, qui jam tum ſcripſerat Nerone c. 16. *Afflicti ſuppliciis Chriſtiani, genus hominum ſuperſtitionis novæ & maleficæ.* GOESIUS.

TORRENT.

Oſculum ut aſſueverat.] Tib. cap. XXXIV. *quotidiana oſcula.* Manum autem per contemptum ac faſtum Cænidi, patris concubinæ, ſed uxoris loco habitæ, Domitianus oſculandum porrexit, ut Chereæ Caligula cap. LVI. nam manum oſculari ſummæ reverentiæ erat indicium. Plutarch. Catone Uticenſi: *Ejus abitum ægre ferentes milites veſtes ſuas qua iturus erat ſternebant, & manus deoſculabantur.* Adde Plinium lib. XI. cap. XLV. & lib. XXVIII. cap. II.

Generum fratris.] Inf. cap. XXII. Notandum vero ex hoc loco Principum miniſtros albatos incedere ſolere. albus enim color (ut ſcribit Plato lib. XII. De republ.) Diis Immortalibus convenit, & lætitiæ ſignum præfert. Nigrum vero contra mortalem vocat Hippocrates lib. De morbo ſacro, ſive alius eſt ejus libri auctor. Hinc porro factum, ut in ſacrificiis, conviviiſque, & ſpectaculis albis veſtibus uterentur. Elegans Vopiſci locus vita Taciti Cæſaris: *Quo in Principem lecto, ſenatores elati lætitia albati ſederunt, atque albas hoſtias immolarunt.*

Proclamavit, Οὐκ ἀγαθὸν.] Homeri verſum ex Iliad. II. ſimili exclamatione ſupplet Caligula cap. XXII.

13. *In pulvinar ſuum.*] Quaſi nimirum & ipſe Deus eſſet. Diis enim pulvinaria ſternebantur. Hinc *ad omnia pulvinaria ſupplicare* Cic. & Livius. Eleganter igitur de Meſſallina e proſtibulo ad ſacrum cubiculum redeunte Juvenal.

- - - fumoque lucernæ
Fœda lupanaris tulit ad pulvinar odorem.

Sed & Seneca Conſolat. ad Polybium, loquens de Fortuna, „*Poteſt hæc* (inquit) *adverſus privatas domos ullam æquitatem noſſe, aut ullam modeſtiam, cujus implacabilis ſævitia toties funeſtavit ipſa pulvinaria?* Pulvinaria privatis Laribus opponit.

Epulari die.] Quo (ut arbitror) inter muneris ſpectacula epulum dedit. Sup. cap. IV. Ex Xiphilino.

Libenter audit.] *AudIt* pro *audiit*, ut ante notavimus. Libri tamen variant.

Domino & Dominæ feliciter.] Domini nomen, Romanis odioſiſſimum (ſi Sex. Aurelio credimus) primum Caligula ſibi ſumpſit (ſi Euſebio & aliis) Domitianus. Verbum autem *feliciter* in nuptiis uſurpari ſolitum docet nos Juvenal. Sat. II. *dictum feliciter.* Quare Domitiano ſic acclamatum crediderim reconciliata jam ipſi Domitia.

Palfurium Suram.] Hujus quoque meminit Juvenal. Sat. IV. Ubi *Parfurius* habent MSS.

CASAUBON.

13. *Et patri ſe & fratri imperium dediſſe.*] Hinc illud Martialis:

Solus Iüleas cum jam retineret habenas,
Tradidit, inque ſuo tertius orbe fuit.

VARIOR.

Indigne ferens, albatos & ipſum miniſtros habere. Albati miniſtri Imperatorum, id eſt, albis tunicis induti. Nec ſolum albæ illæ tunicæ, ſed etiam auro diſtinctæ. Lampridius: *auratam veſtem miniſtrorum nullus vel in publico convivio habuit.* auratam veſtem vocat, qualem gerebant regii miniſtri, tunicam albam, auro diſtinctam. Alexander vero albatos tantum, non etiam auratos habuit miniſtros. Tunicæ autem illæ Imperialium miniſteriorum non per totum auro ſparſæ & intextæ, ſed paragaudis, hoc eſt, loris auratis prætextæ. Cod. de Veſtibus hol. leg. II. *nemo vir auratas in tunicis aut in lineis habeat paragaudas: niſi hi tantummodo, quibus hoc propter Imperiale miniſterium conceſſum eſt.* Albati igitur illi miniſtri, & in tunicis albis, auro limbatis. Sed hæc pluribus in libro de officiis Auguſtæ domus. SALMASIUS.

13. *Edicere, vocatam eam in pulvinar ſuum.*] Annon *revocatam?* GRONOV.

Epulari die.] Quo datum eſt populo epulum. Papinius:

Una veſcimur omnis ordo menſa,
Parvi, fœmina, plebs, eques, ſenatus.

SABELLICUS. Codex Salmaſ. *epuli die.*

Palfurium Suram.] Codex Salm. *Palfarium Suram.*

TOR-

olim ſenatu, ac tunc de oratoribus coronatum: nullo reſponſo dignatus, Tacere tantummodo juſſit, voce præconis. Pari arrogantia cum procuratorum ſuorum nomine formalem dictaret epiſtolam, ſic cœpit: *Dominus & Deus noſter ſic fieri jubet.* Unde inſtitutum poſthac, ut ne ſcripto quidem ac ſermone cujuſquam appellaretur aliter. Statuas ſibi in Capitolio non niſi aureas & argenteas poni permiſit, ac ponderis certi. Janos arcuſque cum quadrigis & inſignibus triumphorum per regiones urbis, tantos ac tot exſtruxit: ut cuidam Græce inſcriptum arcui ſit, ΑΡΚΕΙ. Conſulatus XVII. cepit, quod ante eum nemo. Ex quibus ſeptem medios continuavit: omnes autem pæne titulo tenus geſſit: nec quemquam ultra Kalendas Maji: plures ad Idus uſque Januarias. Poſt autem duos triumphos, Germanici cognomine aſſumto, Septembrem menſem & Octobrem ex appellationibus ſuis, Germanicum, Domitianumque transnomi-

TORRENT.

Formalem dict. epiſt.] *Formalem* a *familiari* diſtinguit, qua nempe ſtatuitur aliquid. Quod Principi licere etiam per epiſtolam JCti tradunt. Inf. cap. XX. Nec diſſimile quod *formatæ* vocantur *epiſtolæ* in jure Pontificio, quæ certa forma, commeatus cauſa, Eccleſiaſtici ordinis viris alio ſe conferentibus dabantur. De quibus peculiari libello Gerard. Rodolphus Gravienſis.

Dominus & Deus noſter.] Sic de eo Victor: *More Caligulæ Dominum ſeſe, Deumque dici coegit.* & adulator Martial.

Edictum Domini, Deique noſtri.

Quin & Palladis ſe filium dici voluit. Auctor Philoſtrat. lib. VII.

Ponderis certi.] Priſcilla apud Statium Silv. v. *Nunc, quod cupis ipſe juberi,* (ita lego cum Lipſio, non *videri*) *Da Capitolinis æternum ſedibus aurum, Quo niteant ſacri centeno pondere vultus Cæſaris.*

Tantos ac tot.] Ingentes vocat Plin. Panegyr. Vide Aug. cap. XXXI.

Inſcriptum arcui ſit.] Libri duo MSS. *inſcriptum ſit arcui*, ac poſtea relictum ſpatium, nec verba ulla Græca. Lego igitur ex Turnebi ſententia, ſive hæc conjectura, ſive vetus ſit lectio, *ut cuidam Græce inſcriptum ſit*, ΑΡΚΕΙ. quod magis placet quam ἄρτι, vel ἀρθητι. Illud vero, *aream & calvitium*, merum ſomnium eſt. Quanquam & calvum fuiſſe Domitianum norunt omnes, & venuſta tranſlatione *aream* calvi verticem appellat Petronius pulcherrimo de capillis epigrammate:

Nunc umbra nudata ſua jam tempora mœrent,
Areaque attritis ridet aduſta pilis.

Accedat Martial. lib. V. Epigr. L.

- - - nec ullus
In longa pilus area notetur.

& Cornel. Celſus lib. VI. cap. IV. de *area*, capitis morbo, quo capilli defluunt.

Conſulatus XVII.] E quibus decimum ſeptimum, qui illi ultimus fuit, adorat (ſic enim loquitur) Papinius lib. IV. Sil. I. Aliter quidem Plin. Panegyrico in Trajanum, & altero in Gratianum Auſonius.

Septembrem menſem & Octobrem.] Macrobius Saturnal. I. cap. XII. *Menſis September principalem ſui retinet appellationem, quem Germanici, Octobrem vero ſuo nomine Domitianus invaſerat.* Reſpexit eo Martial. lib. IX. Epigr. II.

Dum Janus hiemes, Domitianus autumnos,
Auguſtus annis commodabit æſtates,
Dum grande famuli nomen aſſeret Rheni
Germanicarum magna lux Calendarum.

Plinius quoque Panegyr. *De ampliando* (inquit) *numero gladiatorum, aut de inſtituendo collegio fabrorum conſulebamur, & quaſi prolatis Imperii finibus nunc ingentes arcus, exceſſuroſque templorum faſtigium titulos, nunc menſes etiam, neque hos ſingulos, nomini Cæſarum dicabamus.*

CASAUBON.

Formalem dictaret epiſtolam.] Græci hiſtorici vocant ἐγκυκλίους ἐπιστολάς: de quibus alius nobis dicendi locus conſtitutus.

Statuas ſibi in Capitolio non niſi aureas & argenteas poni permiſit.] Plinius panegyrico ad Trajanum: *Paullo ante aditus omnes, omnes gradus totaque area hinc auro, hinc argento relucebat.*

Ut cuidam Græce inſcriptum ſit arcui Ἀρκεῖ.] Hæc ſcriptura cod. Viterb. & regiorum MSS. niſi quod vox Græca, ut alibi multis locis, in omnibus deſideratur. quam, judicium ſecuti Turnebi, reſtituimus, faventibus Memmii ac Liſlæi libris & quibuſdam e regiis, in quibus partim *arti*, partim *arci* exaratum. In eiſdem libris, vulgatæ lectionis *Aream & calvitium* nec vola exſtat neque pes. Quare abeant, cenſeo, Morboniam.

VARIOR.

Formalem dictaret epiſtolam.] *Formalem epiſtolam* vocat Tranquillus, *formatam epiſtolam*, qua aliquid Imperator edicebat, & publice imperabat: aut publice ad aliquos ſcribebat: ut ex ejus ſtylo & forma & exemplari, ſimiles ſcriberentur: nam cum

 habent

nominavit: quod altero ſuſcepiſſet Imperium, altero natus eſſet. Per hæc terribilis 14
cunctis & inviſus, tandem oppreſſus eſt amicorum libertorumque intimorum conſpiratione, ſimul & uxoris. Annum diemque ultimum vitæ jam pridem ſuſpectum habebat, horam etiam, nec non & genus mortis. Adoleſcentulo Chaldæi cuncta prædixerant. Pater quoque ſuper cœnam quondam fungis abſtinentem palam irriſerat, ut ignarum ſortis ſuæ, quod non ferrum potius timeret. Quare pavidus ſemper atque anxius, minimis etiam ſuſpicionibus præter modum commovebatur: ut edicti de excidendis vineis propoſiti, gratiam facere non alia magis re compulſus credatur, quam quod ſparſi libelli cum his verſibus erant:

Κἢν μὲ φάγῃς ἐπὶ ῥίζαν, ὅμως ἔτι καρποφορήσω,
Ὅσσον ἐπισπεῖσαι Καίσαρι θυομένῳ.

Eadem formidine oblatum a ſenatu novum & inexcogitatum honorem, quamquam omnium talium appetentiſſimus, recuſavit, quo decretum erat: *ut quoties gereret conſulatum, equites Roman. quibus ſors obtigiſſet, trabeati, & cum haſtis militaribus, præcederent eum, inter lictores apparitoreſque.* Tempore vero ſuſpecti periculi appropinquante, ſollicitior in dies, porticuum, in quibus ſpatiari conſueverat, parietes phengite lapide diſtinxit: e cujus ſplen-

habent eam formam, quam inſtrumenta publica & edicta habent, *formales epiſtolæ* dicuntur. Suetonius: *epiſtolas orationeſque & edicta alieno formabat ingenio.* Itaque epiſtola formalis alia eſt, quam familiaris. Turnebus.

Sic fieri jubet.] Cod. Salmaſ. *hoc fieri jubet.*

Torrent.

14. *An. diemque ult. vitæ.*] Dictio *vitæ* abeſt ab uno cod. ms.

Super cœnam quandam.] Lego, *quondam*, quanquam nulli codd. ſuffragantur.

Edicti gratiam.] Aug. cap. xvi. *conjurandi gratiam fecit.*

His verſibus.] Verſus, ex Eveno poeta ſumptos, primus Politianus hoc loco reſtituit Miſcellan. cap. xxvi. Eum vide.

Novum & inexcogitatum hon.] Sic quidem Gryphii edit. ſed Frobenii, & mss. noſtri omnes *novum & excogitatum hon.* Scribendum putarem, *novum tunc excogitatum honorem*, vel *novum excogit. hon.* ſine copulatione.

Trabeati & cum haſtis.] Abeſſe mallem particulam &. *Trabeam* autem & Deorum, & Regum, & Ducum, & Augurum fuiſſe volunt grammatici, triumphantium quoque togam pictam, ac tunicam palmatam vocari interdum *trabeam.* Verum propius huc ſpectat de Germanici funere locus Taciti lib. iii. Annal. *Præcedebant incompta ſigna, verſi faſces, atque ubi colonias tranſgrederentur, atrata plebs, trabeati equites.* Dictæ autem *trabeæ*, quod diſcolores haberent tanquam pannorum trabes.

Phengite lapide.] Plin. lib. xxxvi. cap. xxii. Mox, opinor, legendum, *provideret, nec niſi*, &c. deleto &. nam reciſamentum eſt præcedentis vocis.

Varior.

14. *Edicti de excidendis vineis.*] Philoſtratus in vita Scopeliani: Ἐδόκει τῷ βασιλεῖ μὴ εἶναι τῇ Ἀσίᾳ ἀμπέλους, ἐπειδὴ ἐν οἴνῳ στασιάζειν ἔδοξαν. ἀλλ᾽ ἐξαιρεῖσθαι μὲν τὰς ἤδη πεφυτευμένας, ἄλλας δὲ μὴ φυτεύειν ἔτι. Eam ob rem a communi Aſiæ Scopelianus legatus ad aulam miſſus eloquentia ſua pervicit, ὡς μὴ μόνον τὸ ἐξεῖναι φυτεύειν ἐπανελθεῖν ἔχων, ἀλλὰ δὲ ἐπιτίμια κατὰ τῶν μὴ φυτευόντων. Gronov.

Κἢν μὲ φάγῃς ἐπὶ ῥίζαν, &c.] Verto: *Etſi me comederis ad radicem, tamen adhuc fructum producam, quantum infundi Cæſari immolato ſufficiat.* Quod vitis capro minitabatur apud Evenum poetam, hoc eadem nunc Cæſari, pulcherrima, hercule, parodia: Vel ſi me, inquiens, ad radicem comederis, tantum tamen vini producam, quantum immolando Cæſari poſſit infundi. Mos enim veteribus, uti capitibus ſtantium ſub ictu cultroque victimarum vinum infunderetur. Sic apud Maronem:

Ipſa tenens dextra pateram pulcherrima Dido,
Candentis vaccæ media inter cornua fundit.

Igitur neci Domitianum Cæſarem per hos verſiculos libelli deſtinabant, ob edictum de excidendis vineis. Politian.

Trabeati.] *Trabea* fuit chlamys alba purpura prætexta, & inſuper clavis aut trabibus e cocco diſtincta, a quibus *trabea* dicebatur. qua olim uſi ſunt reges, poſtea ſalii & equites in tranſvectione, ut pluribus docet Alb. Rubenius lib. i. de lato Clavo cap. 5.

Tempore quoque ſuſpecti periculi.] Cod. Salm. *tempore ſuſpecti periculi.*

Phengite lapide.] Scribit Plinius in xxxvi. repertum eſſe lapidem in Cappadocia Neronis principatu duritia marmoris, candidum atque tranſlucentem

ſplendore per imagines quidquid a tergo fieret, provideret. Et nec niſi ſecreto atque ſolus pleraſque cuſtodias, receptis quidem in manum catenis audiebat. Utque domeſticis perſuaderet, ne bono quidem exemplo, audendam eſſe patroni necem: Epaphroditum a libellis, capitali pœna condemnavit: quod poſt deſtitutionem, Nero in adipiſcenda morte, manu ejus adjutus exiſtimabatur. Denique Flavium Clementem patruelem ſuum contemtiſſimæ inertiæ, cujus filios etiam tum parvulos ſucceſſores palam deſtinaverat: & abolito priore nomine, alterum Veſpaſianum appellari juſſerat, alterum Domitianum: repente ex tenuiſſima ſuſpicione tantum non in ipſo ejus conſulatu interemit. Quo maxime facto maturavit ſibi exitium. Continuis octo menſibus tot fulgura facta, nuntiataque ſunt: ut exclamaverit, *Feriat jam, quem volet.* Tactum de cælo Capitolium, templumque Flaviæ gentis: item domus Palatina, & cubiculum ipſius: atque etiam e baſi ſtatuæ triumphalis titulus excuſſus vi procellæ in monumentum proximum decidit. Arbor,

tem, qui ex argumento Phengites appellatus eſt. φέγγω enim apud Græcos ſignificat illumino: & φέγγος, lumen: unde phengites, luminoſus dictus. Hoc lapide conſtruxerat Nero ædem Fortunæ, quam aurea domo complexus eſt: quare etiam foribus opertis interdiu claritas diurna erat haud alio, quam ſpeculari modo, tanquam incluſa luce, non transmiſſa. Beroald.

Torrent.

Epaphroditum a libellis.] Sup. Ner. cap. XLIX.

15. *Flavium Clementem patr. ſ.*] Flavius Sabinus, præfectus Urbi, Veſpaſiani Principis frater, Capitolii oppreſſus incendio, duos reliquit filios, Flavium Sabinum, de quo ante cap. x. & Flavium Clementem. Utrique prænomen Titus.

Ex tenuiſſima ſuſp.] Dionis compendium ἀθεότητος crimen vocat, quod in Judæorum (ut ait) mores, ut alii tunc multi, tranſiſſe una cum uxore, & ſororis ſuæ filia, Flavia Domitilla, in inſulam Pontiam relegata, ac ſub Trajano paſſa pro Chriſti fide die VII. Maji. Quam Philoſtratus Domitiani ſororem vocat, ſed male. Ejuſdem meminerunt Hieronymus Epiſt. XXVII. & Euſeb. Eccleſ. Hiſtor. III. cap. XIV. Cum autem hunc Flavium Clementem contemptiſſimæ inertiæ hominem vocat Sueton. eo ipſo Chriſtianum fuiſſe demonſtrat. De quo injuriæ in Chriſtianos titulo, quod inertes & inutiles atque infructuoſi dicerentur, Tertullian. Apologet. cap. XLII. Vide inf. cap. XVII.

Maturavit ſibi exitum.] Mallem *exitium.*

Feriat jam, quem volet.] Libet unus *velit.* Fulmina ergo expavit, ut omnes conſcii.

Casaubon.

15. *Quo maxime facto maturavit ſibi exitium.*] Philoſtratus declarat libro octavo: Ἐώθουν οἱ θεοὶ Δομετιανὸν ἤδη τῆς τῶν ἀνθρώπων προεδρίας· ἔτυχε μὲν γὰρ Κλήμεντα ἀπεκτονὼς, ἄνδρα ὕπατον, ᾧ τὴν ἀδελφὴν τὴν ἑαυτοῦ ἐδεδώκει. πρόσταγμα δὲ ἐπεποίητο περὶ τρίτην ἢ τετάρτην ἡμέραν τοῦ φόνου, κἀκείνην ἐς ἀνδρὸς φοιτᾷν. Στέφανος τοίνυν ἀπελεύθερος τῆς γυναικὸς, ὃν ἐδήλου τὸ τῆς διοσημίας σχῆμα, εἴτε τὸν τεθνεῶτα ἐνθυμηθεὶς, εἴτε πάντας, ὥρμησεν ἴσα τοῖς ἐλευθερωτάτοις ποτὲ Ἀθηναίοις, εἰς τὸν τύραννον. *Jam dii a gubernatione mortalium Domitianum deturbabant: qui cum Clementem virum conſularem* (ὕπατον dixit pro ὑπατικὸν, ut nuper notatum nobis ad Apulejum: paret ex verbis Suetonii *tantum non ipſo ejus conſulatu:* non ergo conſul fuit cum occideretur) *cui ſororem ſuam nuptum dederat, occidiſſet: tertio vel quarto die a cæde dixerat, ut ipſa quoque in publicum prodiret:* (lego enim εἰς ἄνδρας: vulgata lectio ſonat: *ut & ipſa in manum viri conveniret*) *quamobrem Stephanus mulieris ejus libertus, quem divinitus datum oſtentum denotabat, ſive defuncti, ſive omnium cauſa, non minus quam illi omnium liberrimi Athenienſes, impetum cepit tollendi tyranni.*

Varior.

Pleraſque cuſtodias audiebat.] Seneca Ep. v. *eadem catena & cuſtodiam & militem copulat.* Solebat, Ulpiano teſte, æſtimari, eſſetne reus in carcerem conjiciendus, an militi tradendus, vel fidejuſſoribus committendus. fereque, niſi tam grave ſcelus admiſſum eſſet, ut ſupplicium carceris pœna præcedere deberet, militibus ſontes aſſignabantur, dicti *cuſtodiæ* ab eo, quod patiebantur, toto titulo π. de Reorum cuſtodia & exhibitione, nominatim ibi: *Si cuſtodia ſe interfecerit, vel præcipitaverit, militis culpæ adſcribitur.* Et alibi: *Ne quis receptam cuſtodiam ſine cauſſis dimittat, mandatis ita cavetur,* &c. Hinc clarus hic Suetonii locus. Modius.

15. *Tot fulgura facta nuntiataque ſunt.*] Fulgura pro fulminibus uſurpat: ut Plinius lib. XXXV. cap. X. lib. XV. cap. XVIII. & lib. II. cap. LIV. cum loquatur de fulminibus, *Quæ jam*, inquit, *fulgura emin-*

Arbor, quæ privato adhuc Veſpaſiano everſa ſurrexerat, tunc rurſus repente corruit.
Prænestina Fortuna, toto Imperii ſpatio annum novum commendanti, lætam eandemque
ſemper ſortem dare aſſueta, extremo triſtiſſimam reddidit: nec ſine ſanguinis mentione.
Minervam, quam ſuperſtitioſe colebat, ſomniavit excedere ſacrario: negantem ultra ſe
tueri eum poſſe, quod exarmata eſſet a Jove. Nulla tamen re perinde commotus eſt,
quam reſponſo, caſuque Aſcletarionis mathematici. Hunc delatum, nec inficiantem
jactaſſe ſe, quæ providiſſet ex arte, ſciſcitatus eſt, quis ipſum maneret exitus? & affir-
mantem *fore*, *ut brevi laceraretur a canibus*, interfici quidem ſine mora, ſed ad coar-
guendam temeritatem artis, ſepeliri quoque accuratiſſime imperavit. Quod cum fieret,
evenit, ut repentina tempeſtate dejecto funere ſemiuſtum cadaver diſcerperent canes:
idque ei cœnanti a mimo Latino, qui præteriens forte animadverterat, inter ceteras diei
fabulas referretur. Pridie quam periret, cum oblatos tuberes ſervari juſſiſſet in craſti- 16
num: adjecit, *Si modo uti licuerit*. Et converſus ad proximos, affirmavit *fore*, *ut ſe-
quenti die, Luna ſe in Aquario cruentaret: factumque aliquod exiſteret, de quo loqueren-
tur homines per terrarum orbem*. Ad mediam noctem ita eſt exterritus, ut ex ſtrato
proſiliret. Dehinc mane haruſpicem ex Germania miſſum, qui conſultus de fulgure
mutationem rerum prædixerat, audiit condemnavitque. Ac dum exulceratam in fronte
ver-

enuntiare, non putant fas. Nonius quoque *fulguritum*, pro fulgure ictum, explanat, & *fulgurire*, pro fulgur jacere. Denique locus eſt lib. II. de Divin. in quo *fulgurare*, pro fulmen jacere, dictum eſt. A. MANUTIUS.

TORRENT.

Arbor quæ.] Veſpaſ. cap. V.

Sine ſanguinis mentione.] Placet, non *miſſione*, ut quidam volunt.

Aſcletarionis.] Idem, paullo aliter tamen Xiphilin. & Zonaras ex Dione.

Mimo Latino.] De hoc Juvenal. Sat. I.

- - - *a trepido Thymele ſummiſſa Latino.*

Referretur.] Melius ex vet. codice *referebatur*.

16. *Oblatos tuberes.*] *Tuberes* non terræ callus, ut tubera, ſed arboris fructus ſunt, prima ſyllaba correpta. Plin. lib. XV. cap. XIV. Columella XI. cap. II. Martial. XIII. Epigr. XLII.

Ita eſt exterritus.] Tunc forte cum ſomniavit Junium Ruſticum, quem occiderat, ſtricto ad ſe gladio venire. Ex Xiphilino.

Aruſp. ex German.] Largum Proculum vocant Xiphilin. & Zonaras, pro Largium.

CASAUBON.

Minervam, quam ſuperſtitioſe colebat.] Ita oportuit matrem coli a filio. præter alios teſtatur Philoſtratus libro ſeptimo, quendam periiſſe commemorans: Ἐπειδὴ θύων ἐν Τάραντι οὗ ἦρχε, μὴ προσέθηκε ταῖς δημοσίαις εὐχαῖς ὅτι Δομιτιανὸς Ἀθηνᾶς εἴη παῖς.

Quam reſponſo caſuque Aſcletarionis mathematici.] Simpliciſſimam narrationem quæ deinceps ſequitur, corrumpunt Græci non uno modo. Cedrenus quidem aliter, aliter vero Glycas, Conſtantinus Manaſſes. Hæc eſt iſtorum hominum in hiſtoria fides: imo verius παραδοξολογία vitium in rerum conditoribus a Polybio & Tacito meritiſſime exagitatum.

Inter cæteras diei fabulas referretur.] Sic ſcribendum, non *referebatur*. repetendum enim *evenit*.

16. *Audiit condemnavitque.*] Sed ſupplicio dilato, ut poſt fugam periculi tanto alacriori Imperatori pœnas daret, ſervatus eſt: moxque a Nerva præmium loco pœnæ retulit. Dio.

VARIOR.

A mimo Latino.] Latini mimi, qui temporibus Domitiani floruit, meminerunt poetæ, & in primis Martialis, cum ait ad Domitianum:

Qua Thymelem ſpectas, deriſoremque Latinum,
Illa fronte, precor, carmina noſtra legas.

Apud eundem exſtat epitaphium Latini mimi, in quo ſic ipſe loquitur:

Dulce decus ſcenæ, ludorum fama Latinus,
Ille ego ſum, plauſus deliciæque tuæ.

BEROALD.

16. *Luna ſe in Aquario cruentaret.*] Cum Aquarius ſit ſignum humectum & imbricum, dixit Domitianus, Lunam ſe in Aquario cruentaturam: quia non aqua, ſed cruor effunderetur. Et hoc prædixit, præſagiens mortem ſuam futuram ſanguinariam, quo tempore Luna eſſet in Aquario, quem Græci ὑδροχόον vocant. Unde Germanicus in Arato ait:

Infimus Hydrochoos, ſed qua veſtigia figit,
Sunt aliæ ſtellæ. ID.

At

verrucam vehementius ſcalpit, profluente ſanguine, *Utinam*, inquit, *hactenus*. Tunc horas requirenti, pro quincta, quam metuebat, ſexta ex induſtria nuntiata eſt. His velut tranſacto jam periculo lætum, feſtinantemque ad corporis curam, Parthenius cubiculo præpoſitus convertit: nuntians eſſe, qui magnum neſcio quid afferret, nec differen-
17 dum. Itaque ſummotis omnibus, in cubiculum ſe recepit, atque ibi occiſus eſt. De inſidiarum cædiſque genere, hæc fere divulgata ſunt. Cunctantibus conſpiratis, quando & quomodo, id eſt, lavantemne, an cœnantem aggrederentur: Stephanus Domitillæ procurator, & tunc interceptarum pecuniarum reus, conſilium operamque obtulit. Ac ſiniſteriore brachio velut ægro, lanis faſciiſque per aliquot dies ad avertendam ſuſpicionem obvoluto, ad ipſam horam, dolum interjecit: profeſſuſque conſpirationis indicium, & ob hoc admiſſus, legenti traditum a ſe libellum & attonito, ſuffodit inguina. Saucium ac repugnantem adorti Clodianus cornicularius, & Maximus Parthenii libertus, & Satu-

At circa mediam noctem.] Paullo ante pro *tuberes* Cod. Salm. *tubures*. & pro *de ſtrato proſiliret*, idem codex, *e ſtrato proſiliret*. Rob. Steph. *ex ſtrato proſiliret*.

TORRENT.

Requirenti.] Lib. unus *inquirenti*, & mox, *tranſito*, pro *tranſacto*, & bene.

17. *Domitillæ procurator.*] Domitillam hanc eſſe puto quam Flavius Clemens (ſi Dionis compendio credimus) uxorem duxerit, quos ambos Domitianus illato impietatis crimine occiderat. At Euſebius Flaviam Domitillam Flavii Clementis ex ſorore neptem facit, & quod Chriſtiana eſſet, in inſulam Pontiam relegatam ſcribit. Sunt qui Clementem Pontificem huic genti adſcribant.

Clodianus cornicularius.] Clodianum etiam Victor vocat. libri MSS. variant. *Corniculariorum* vero (qui etiam *corniculo merere* dicebantur) ordo ac gradus in militia erat, neque aliud quam accenſi tribunorum, centurionumque, ac decurionum fuiſſe videntur, qualis & optio ſup. Oth. cap. V. De *Cornicul ariis* Pedianus Verrina III. Valer. Max. lib. VI. cap. I. Sueton. De claris Grammat. Orbilio, Conſtitutiones Cæſarum Cod. Juſtin. lib. X. XI. XII.

CASAUBON.

Pro quinta quam metuebat.] Cæſum circa meridiem ait Philoſtratus.

In cubiculum ſe recepit, atque ibi occiſus eſt.] At Cedrenus ait ἐν ναῷ Ῥώμης.

17. *Siniſteriore brachio velut ægro lanis faſciiſque obvoluto.*] Ita moris fuit: atque hæ ſunt lanæ, quarum meminit Ulpianus §. *Ne ea quidem.* Lege, *Si cui lana*, Dig. de Legatis III. Apud Hippocratem & alios medicos leges ſæpe ἐρίοις ἐπικαταδεῖν aut περιελίσσειν προσηνείης ἕνεκα, id eſt, ut pars affecta commodius ſeſe habeat. Martialis:

Quod lana caput alligas, Charine.

Meminit & Ariſtides in Sacris ſæpius. Leontius in epiſtola ad Lamiam: Οὐκ ἂν αὐτῷ ἠνεσχόμην φθειριῶντος καὶ φιλονοσοῦντος καὶ καταπεπλημένου εὖ μάλα πόκοις ἀντὶ πίλων. ex eo eſt iſtud Artemidori libro I. Ἔρια ἀντὶ τριχῶν ἔχειν νόσους μακρὰς καὶ φθίσιν προαγορεύει. hinc dicti ſunt *lanoculi*, ut docet Feſtus. Cæterum Philoſtratus in hac hiſtoria dexterum brachium, non autem ſiniſtrum fuiſſe involutum tradit.

Brachio obvoluto ad ipſam horam dolum interjecit.] Scribe *dolonem*. ſic emendavit hunc locum εὐστοχώτατα Jacobus Ferrarius, ut teſtatur clariſſimus doctiſſimuſque Petrus Faber III. Semeſtrium. *Dolo* ſicæ vel pugionis eſt genus. Heſych. Δόλωνες, ξιφίδια ἐν ξύλοις ἀποκεκρυμμένα. Servius: *Dolo eſt flagellum, intra cujus virgam latet pugio.* Plutarchus in Gracchis interpretatur λῃστρικὸν ξιφίδιον. Vide in Claudio cap. XIII. Unice comprobat hanc pulcherrimam conjecturam Philoſtrati locus, quem adſcribam, ſimul ut emendem. ita enim editum: Στέφανος τοίνυν, ξίφος ὑφόρας τῷ τῆς ἀριστερᾶς πήχει, καὶ τὴν χεῖρα ἐπιδέσμοις ἀναλαβὼν, οἷον κατεαγυῖαν, ἀπιόντι τοῦ δικαστηρίου προσῆλθεν. mendoſum eſſe illud ὑφόρας conſtat. lego ὑφαρμόσας. perſpicua ſententia. Faber ὑφ' ὥρας, ex illis Suetonii *ad ipſum horam*. ſed Helleniſmus eam emendationem non admittit.

VARIOR.

17. *Levantemne.*] An *levantem corpus*, id eſt, ventrem exonerantem. Sed omnino *lavantemne* pro *levantemne* ſcribendum. infra: *Ac lavabat de die, prandebatque ad ſatietatem.* GUJET.

Domitillæ procurator.] Flaviam Domitillam Judæorum religione addictam ſcribit Dio, quum Chriſtiani tunc iidem cum Judæis eſſe putarentur. Unde Suetonius, *Judæos duce Chreſto tumultuantes.* Dio de Domitilla, & Flavio Clemente: Ἐπηνέχθη δὲ ἀμφοῖν ἔγκλημα ἀθεότητος, ὑφ' ἧς οἱ ἄλλοι εἰς τὰ τῶν Ἰουδαίων ἤθη ἐξοκέλλοντες πολλοὶ κατεδικάσθησαν. Hieronymus Epitaphio Paulæ: *Delata ad inſulam Pontiam, quam clariſſimæ quondam fœminarum ſub Domi-*

Saturius decurio cubiculariorum, & quidam e gladiatorio ludo, vulneribus ſeptem contrucidaverunt. Puer, qui curæ Larium cubiculi ex conſuetudine aſſiſtens, interfuit cædi, hoc amplius narrabat, ſe juſſum a Domitiano ad primum ſtatim vulnus pugionem pulvino ſubditum porrigere, ac miniſtros vocare: neque ad caput quidquam excepto capulo, & præterea omnia clauſa reperiſſe: atque illum interim correpto deductoque ad terram Stephano, colluctatum diu, dum modo ferrum extorquere, modo quamquam laniatis digitis, oculos effodere conatur. Occiſus eſt XIIII. Kalend. Octobris, anno ætatis XLV. Imperii XV. Cadaver ejus populari ſandapila per veſpillones exportatum, Phyllis

Domitiano Principe pro confeſſione nominis Chriſtiani Flaviæ Domitillæ nobilitavit exſilium: videnſque caulas, in quibus illa longum martyrium duxerat, &c. JOSEPHUS SCALIGER.

Faſciiſque.] Codex Salmaſ. *faſceiſque.*

Clodianus cornicularius.] Cornicula inter dona militaria virtutis ergo conferri ſolita fuiſſe Livius ſignificat lib. X. cap. 44. Fuerunt autem cornicula iſta galearum ornamenta, quæ cornuum ſpeciem referebant, ex ære vel ferro. In Romana militia veteri honoratiores milites, tribunorumque & centurionum beneficiarii, ab hoc inſigni galearum, quo dignoſcebantur a cæteris, *Cornicularii* nominabantur. vid. Valer. Max. VI. I. Quos Suetonius *corniculo merere* dixit in libello de Grammat. de Orbilio. SALMAS. Plin. Exercitat. p. 548. quem vide.

TORRENT.

Saturius decurio cubiculariorum.] Sunt qui *Satrius* legunt. nam & apud Ciceronem lib. III. De off. corrupte in vulgatis exemplaribus *Satirius* pro *Satrius* ſcribitur. Et Satria quidem gens Romana eſt, unde cognomen Satrienus, hoc loco tamen *Saturius* retineo, aut *Saturus* ſcribo. ſervum enim, aut libertum ſignificat. Saturio ſane elegans paraſiti nomen eſt apud Plautum Perſa. Xiphilinus & Zonaras Parthenio Sigerum, & ipſum cubicularium, quem προκοιτον vocant, adjungunt. *Decurionem* autem *cubiculariorum* vocat Sueton. qui ad militiæ ſimilitudinem parti alicui cubiculariorum præfuit. nam omnibus ſimul præfectum fuiſſe Parthenium crediderim, qui etiam gladii geſtandi honorem adeptus fuerat. Exſtat Romæ in hortis Cardinalis Carpenſis hæc inſcriptio: TI. CLAUDIUS AUG. L. QUADRATUS DECURIO LECTICARIORUM BRITANNICI VIX. A. LX. Recentiores fere *Decanos* vocant, ut olim quoque in monaſteriis *Decanos* appellatos fuiſſe, qui decem monachis præerant Auguſtinus tradit lib. De moribus Manichæorum.

Omnia clauſa.] Liber vetus *clauſa omnia*, & mox *arrepto* pro *correpto*. Stephanum vero ab iis qui neſcii conjurationis accurrerant, occiſum fuiſſe ſcribit Zonaras. Mirum quoque quod de Apollonio Xiphilin. & Philoſtratus lib. VIII. tradidere, cum Epheſi eſſet, hanc eum vidiſſe cædem, & Stephani cum tyranno luctam.

An. æt. XLV. *imp.* XV.] Zonaras, *Vixit an.* XLIV. D. XXVI. *Imperavit* A. XV. D. V.

Popul. ſandapila per veſpillones.] Ut hi qui propter inopiam funebri pompa duci nequibant. Feſt. in *Veſpæ*. Qui tamen *veſpiliones* ſcribit, ut hic quoque in duobus MSS. *veſpilliones*. At in Pandectis Florent. nota litterarum *b* & *v* tranſmutatione, *biſpelliones* ſcribitur. Nec deſunt qui *bipelliones* malint, ut iidem ſint qui *verſipelles* appellantur, non tam officio, quam alia quamvis turpitudine deteſtabiles. JCti enim de ſolis ſervis eo vocabulo uſi ſunt. Denique & *veſpillo*, & *veſpilio*, & *viſpello*, & *viſpellio*, & *viſpilio* invenias. Sed *veſpillo* magis placet. ſic enim in veteri denario, Q. LUCRETIUS Q. F. VESPILLO. & in antiquo codice C. Cæſaris lib. III. De bello civili: *Erat tunc Orici Lucretius Veſpillo.* Sidonius Apollinaris lib. I. Epiſtolar. *ſandapilarios* & *veſpillones* conjungit. Græci καταγεώτας, & νεκροθάπτας, & νεκροφόρους, & κοπιάτας vocant, quos nos *libitinarios*, *pollinctores*, *deſignatores*, *veſpillones*, *ſandapilarios*. Fuere & *Decani*, qui in urbe Conſtantinopoli, humandorum cadaverum curam gerebant. l. IV. De ſacroſ. Eccleſ.

CASAUBON.

Anno ætatis XLV. *imperii* XV.] Dio: Ἔζησε μὲν ἔτη τέσσαρα καὶ τεσσαράκοντα, μῆνας δέκα, καὶ ἡμέρας ἓξ καὶ εἴκοσιν· ἐμονάρχησε δὲ ἔτη πεντεκαίδεκα καὶ ἡμέρας πέντε. imperio addit octo amplius menſes Clemens Alexandrinus. aliter alii: quæ annotent, quibus operæ eſt λεπτολογεῖν.

VARIOR.

Saturius decurio.] Codex Salmaſ. *Satur decurio.* Pal. ſec. *Sator*. Mox idem ſollemni Suetonio ſyncope *contrucidarunt*. ut paullo poſt: *educarat*. & ſtatim: *curæ larum* pro *larium*.

Neque ad caput quidquam.] Id eſt, ad pulvinum, in quo ſcil. reponitur caput. a *caput* ſunt *capitale* & *capetum*, unde vulgaria *capezzale* Italice, & Gallice *chevet*. GUJET.

Atque illum interim correpto deductoque ad terram Stephano.] Palat. tres *arrepto*, non *correpto*. nec aliter videtur fuiſſe in primis editionibus, quarum quædam *arrecto*. GRUTERUS.

Veſpillones.] Cod. Salm. *veſpillonis*. idem *Phyllix* pro *Phyllis*.

TOR-

lis nutrix in ſuburbano ſuo Latina via funeravit: ſed reliquias templo Flaviæ gentis clam
18 intulit, cineribuſque Juliæ Titi filiæ, quam & ipſa educarat, commiſcuit. Statura fuit procera, vultu modeſto, ruboriſque pleno, grandibus oculis, verum acie hebetiore: præterea pulcer ac decens, maxime in juventa, & quidem toto corpore, exceptis pedibus, quorum digitos reſtrictiores habebat: poſtea calvitio quoque deformis, & obeſitate ventris, & crurum gracilitate: quæ tamen ei valetudine longa remacruerant. Commendari ſe verecundia oris adeo ſentiebat, ut apud ſenatum ſic quondam jactaverit, *Uſque adhuc certe animum meum probaſtis, & vultum.* Calvitio ita offendebatur, ut in contumeliam ſuam traheret, ſi cui alii joco, vel jurgio objectaretur: quamvis libello, quem De cura capillorum ad amicum edidit, hoc etiam ſimul illum ſeque conſolans inſeruerit:

Ὀυκ ὁρᾶας οἷος κἀγὼ καλός τε μέγας τε;

Eadem me tamen manent capillorum fata, & forti animo fero comam in adoleſcentia ſe-
19 *neſcentem. Scias nec gratius quidquam decore, nec brevius.* Laboris impatiens, per urbem pedibus non temere ambulavit; in expeditione, & agmine, equo rarius, lectica aſſidue vectus eſt. Armorum nullo, ſagittarum vel præcipuo ſtudio tenebatur. Centenas

varii

TORRENT.

18. *Vultu mod. ruboriſque pl.*] De rubore conſentiunt Plin. Panegyr. & Tacit. de modeſtia non ita.

Calvitio.] Ob id eum Juvenal. & Auſon. calvum Neronem vocant.

Hoc etiàm illum.] Recte ſic Pulmannus. nam vulgati codices corrupti ſunt. Græcus vero verſus eſt ex Iliad. XXI.

Eadem me tamen.] Recte & hoc ex Turnebo Pulmannus. ſic enim etiam MSS. noſtri.

Laboris impatiens.] Plin. Panegyr. ad faſtum magis referre videtur, quod non temere pedibus ambularet: *Ante te Principes faſtidio noſtri, & quodam æqualitatis metu uſum pedum amiſerant. Illos humeri, cerviceſque ſervorum ſuper ora noſtra vehebant.* Pulchre igitur Juvenal. Sat. III.

Si vocat officium, turba cedente vehetur
Dives, & ingenti curret ſuper ora Liburno.

CASAUBON.

18. *Vultu modeſto, ruboriſque pleno.*] Ea *vultum modeſtum* hic, & mox *verecundiam oris*, accipe, ut loquuntur Juriſconſulti, ſine effectu. quomodo ſæpe Suetonium loqui ante notavimus. modeſtum ergo vocat, qui, ut Tacitus ait, imaginem modeſtiæ præ ſe ferret. nam falluntur interpretes, qui aliter ſenſiſſe Suetonium quam Tacitum ac Plinium notant. modeſtiæ illa imago fuit rubor: qui color in vultu pudoris ingeniti argumentum eſſe ſolet, ideoque non parvam commendationem affert. Lege epiſtolam Senecæ undecimam. propterea Heſychius θέμερον quod eſt rubrum, explicat etiam σεμνόν· & vocem θεμερῶπις (ut in Æſchyli Prometheo vincto, ἔπληξέ μου τὴν θεμερῶπιν αἰδῶ) interpretatur idem, ἐρασμία. Domitiani vultum ita depingit Philoſtratus libro ſeptimo: Δεῖ δὲ καὶ πρὸς τὸ φθέγμα τοῦ βασιλέως παρεσκευάσθαι σε, καὶ πρὸς τὸ δύστροπον τοῦ προσώπου· φθέγγεται μὲν γὰρ βαρὺ, κἂν πρᾴως διαλέγηται. ἡ δὲ ὀφρὺς ἐπίκειται τῷ τοῦ ὀφθαλμοῦ ἤθει· μεστὴ δὲ παρειὰ χολῆς. ταυτὶ γὰρ μάλιστα ἐπιφαίνει. ubi vides omnia tribui illi ingrata, & plane contraria deſcriptioni Suetonii: cujus unius teſtimonium plus ponderis apud omnes ſani judicii habebit, quam ſexcentorum ſive Philoſtratorum ſive Apolloniorum.

Commendari ſe verecundia oris adeo ſentiebat.] Arguunt hunc ejus ſenſum adulatores poetæ, Statius & Martialis, qui hoc nomine ſæpe illum laudant: nempe quia ſciebant gratius ei nihil accidere poſſe.

Scias, nec gratius quidquam decore nec brevius.] Eanden ſententiam elegantiſſime perſecutus Arbiter in hoc capillorum elegidario:

Quod ſolum formæ decus eſt, cecidere capilli:
Vernanteſque comas triſtis abegit hiems.
Nunc umbra nudata ſua jam tempora mœrent:
Areaque attritis ridet aduſta pilis.
O fallax natura deum! quæ prima dediſti
Ætati noſtræ gaudia, prima rapis.

VARIOR.

18. *Uſque adhuc.*] Cod. Salm. *Uſque adhoc.*

19. *Armorum nullo, ſagittarum vel præcipuo ſtudio tenebatur.*] Exercitium armorum ab exercitio ſagittarum, miſſilium, pilorumque diverſum. Sic exercitium armorum a ſagittis hic ſeparat Suetonius. Pilum autem & ſagittas conjungit Vopiſcus in Aureliano: *Nullum unquam diem prætermiſit, quamvis feſtum, quamvis vacantem, quo non ſe pilo & ſagittis cæteriſque armorum exerceret officiis.* Si arma generaliter accipiantur, non ſum neſcius & ſagittas, & pila, & alia miſſilia eo nomine comprehendi. Sub

 armo-

varii generis feras ſæpe in Albano ſeceſſu conficientem ſpectavere plerique: atque etiam ex induſtria ita quarundam capita figentem, ut duobus ictibus quaſi cornua effingeret. Nonnumquam in pueri procul ſtantis, præbentiſque pro ſcopo diſpanſam dextræ manus palmam, ſagittas tanta arte direxit, ut omnes per intervalla digitorum innocue
evaderent. Liberalia ſtudia in initio imperii neglexit, quamquam bibliothecas incendio 20
abſumptas impenſiſſime reparare curaſſet, exemplaribus undique petitis, miſſiſque Alexandream, qui deſcriberent, emendarentque. Numquam tamen aut hiſtoriæ, carminibuſve cognoſcendis operam ullam, aut ſtilo vel neceſſario dedit. Præter commentarios & acta Tiberii Cæſaris nihil lectitabat: epiſtolas, orationeſque & edicta alieno formabat ingenio, ſermonis tamen nec inelegantis, dictorum interdum etiam notabilium, *Vellem*, inquit, *tam formoſus eſſe*, *quam Metius ſibi videtur.* Et cujuſdam caput
varietate capilli ſubrutilum & incanum, perfuſam nivem mulſo dixit. *Conditionem* 21
Prin-

armorum vero exercitio, ſcutum & gladius tantum comprehendebantur. Ovidius jaculandi peritiam ab armis diſtinguit:

Sicut illis celereſque pilæ, jaculumque, trochique,
Armaque, & in gyros ire coactus equus.

Cicero in Catone majore, ubi exercitationum militarium genera enumerat, arma quoque ab haſtis ſeparat. SALMAS.

TORRENT.

In Alb. ſucceſſu.] Legerim *ſeceſſu*.

Pro ſcopulo.] Mallem abeſſe hæc verba, vel *ſcopo* legere. Victor ſic refert: *Sagittarum tam doctus fuit, ut inter patentes digitos extentæ manus viri procul poſiti ſpicula tranſvolarent.*

Diſpanſam.] Libri MSS. *expanſam* & *diſpaſſam*.

20. *Miſſiſque Alexandriam.*] Idem Victor tradit, quanquam maximam illam Ptolemæi Philadelphi bibliothecam bello Alexandrino exuſtam auctor Plutarch. Cæſare. Meminit & Seneca De tranquill. vitæ cap. IX.

Carminibuſque.] Niſi ad Titi fratris æmulationem. Sup. Tit. cap. III. Atque hæc quidem Suetonii opinio eſt, Plinius tamen in præfatione præclari illius operis ſui primas Domitiano tribuere videtur, quem frater Titus feliciſſime imitatus fuerit. Sed de eo Plinii loco alii viderint. Martialis certe Domitianum eo nomine pæne in cælum fert cum alibi, tum lib. VIII. Epigr. ult. Idem de Domitiano Papinius, Silius Italicus, Valerius Flaccus, de quo ſup. cap. II. Quinctilianus, Tacitus.

Comment. & acta Tiberii.] Commentarii quidem quem ſummatim ac breviter de vita ſua ſcripſit Tiberius, mentio cap. LXI. magis tamen crediderim Suetonium hic aliorum de Tiberio libros intelligere, atque acta publica ejus temporis.

Alieno formabat ingenio.] Hinc *formales* (ut credo) *epiſtolæ*, (ſup. cap. XIII.) quod in vim legis tranſituræ, majore cura, & fere de conſilii ſententia certa aliqua formula conciperentur. Mirum autem MSS. noſtros omnes *Alpheno*, & *Alfeno* legere. Ut fortaſſis Alfeni alicujus opera uſus fuerit. Videtur etiam mox legendum, & *dictorum*, &c. Alioqui τὸ *neque*, quod præcedit, curtum eſt, & ἀνανταπόδοτον.

Conditionem Princip. miſerrimam.] Idem dictum Hadrianus Imp. uſurpabat. De quo elegans M. Antonini ad L. Verum epiſtola apud Vulcatium vita Avidii Caſſii.

CASAUBON.

Præbentiſque pro ſcopulo diſpanſam d. m. palmam.] Mira librorum omnium conſtantia in voce *ſcopulo*. tamen Urſinus profert ex ſuis *ſcopo*. ſane rectius. niſi hoc Tranquilli καινοφωνίᾳ putet aliquis adſcribendum.

20. *Alieno formabat ingenio.*] Hæc quidem plana lectio: ſed mirum in optimis membranis aliter legi: vel *Alpheno*, ut in libris Torrentii: vel *Alphabeto*, ut in Viterbienſi. nihil elicio: niſi ſi corruptum nomen eſt alicujus liberti vel ſervi ab epiſtolis.

Et incanum, perfuſam nivem mulſo dixit.] Græci incanum σπαρτοπόλιον dicunt: apud eoſdem leges pro canitie & χιόνα & τὸ χιονούμενον τοῦ τριχώματος. & apud Græcos poetas, γήρως εὐρῶτα πάχνην. quod dictum laudat & explicat Philoſophus lib. v. De generatione animalium.

VARIOR.

20. *In initio imperii.*] Cod. Salm. *imperii initio.* Idem: *Alexandream* pro *Alexandriam*. Dein, pro *carminibus cognoſcendis* idem *carminibus noſcendis*.

Qui deſcriberent emendarentque.] Non ex bibliotheca Philadelphi, quæ teſte Plutarcho bello Alexandrino exuſta fuerat, ſed ex aliis bibliothecis, quæ in illa urbe florentiſſima abundabant. GUJET.

Perfuſam nivem mulſo.] Non ſimpliciter hoc dictum putes, ſed ſcito alluſiſſe ad potionem mulſi & nivis, quæ ſimul in convivio dari ſolebant, miſtura coloris rutili & albi facta: quod indicat Plinius, cum ſic ait in Epiſtola ad Septitium Clarum: *Paratæ erant lactucæ ſingulæ, cochleæ ternæ, ova bi-*
na.

Principum miſerrimam ajebat, *quibus de conjuratione comperta non crederetur, niſi occiſis.* Quoties otium eſſet, alea ſe oblectabat, etiam profeſtis diebus, matutiniſque horis: ac lavabat de die, prandebatque ad ſatietatem: ut non temere ſuper cœnam præter Matianum malum, & modicam in ampulla potiunculam ſumeret. Convivabatur frequenter ac large, ſed pæne raptim: certe non ultra ſolis occaſum, nec ut poſtea comiſſaretur. Nam ad horam ſomni nihil aliud, quam ſecreto ſolus deambulabat.
22 Libidinis nimiæ, aſſiduitatem concubitus velut exercitationis genus, clinopalen vocabat. Eratque fama, quaſi concubinas ipſe divelleret, nataretque inter vulgatiſſimas meretrices. Fratris filiam adhuc virginem oblatam in matrimonium ſibi, cum devinctus Domitiæ nuptiis pertinaciſſime recuſaſſet, non multo poſt alii collocatam, ultro corrupit, & quidem vivo etiam tum Tito: mox patre ac viro orbatam, ardentiſſime palamque dilexit, ut etiam cauſſa mortis exſtiterit, coactæ conceptum a ſe abigere.
23 Occiſum eum, populus indifferenter, miles graviſſime tulit, ſtatimque eum Divum appellare conatus eſt: paratus & ulciſci, niſi duces defuiſſent. quod quidem paullo poſt fecit, expoſtulatis ad pœnam pertinaciſſime cædis auctoribus. Contra, ſenatus adeo lætatus eſt, ut repleta certatim Curia non temperaret, quin mortuum contumelioſiſſimo atque acerbiſſimo acclamationum genere laceraret: ſcalas etiam inferri, clypeoſque & imagines ejus

na, alica cum mulſo & nive. Nam hanc quoque computabis, imo hanc in primis, quæ perit in ferculo. BEROALDUS.

TORRENT.

21. *Etiam profeſtis diebus.*] Sic ferme de Auguſto cap. LXXI.

Prandebatque ad ſatietatem.] Sup. Aug. cap. LXXVIII.

Super cœnam.] Accipiet hinc lucem, quod de Priſcilla Abaſcantii refert Statius Silv. V. *Ipſa dapes modicas, & ſobria pocula tradit, Exemplumque ad herile monet*, &c. nam *herile exemplum* Domitiani heri intelligit.

Matianum malum.] Sic noſtri quoque MSS. duo, non *Martianum*, ut vulgati. Similis error Cæſ. cap. LII. ubi *C. Martium* pro *C. Matium* legitur. A quo (ut arbitror) pomo nomen. nam is C. Matius primus nemora tonſilia invenit. Auctor Plin. lib. XII. cap. II. ubi tamen Cn. vocat. De pomo idem Plin. lib. XV. cap. XIV. & Columella lib. V. cap. X. Macrob. lib. III. Saturnal. cap. XIX. quanquam is Mattianum vocat, ſed errore.

In ampulla potiunculum.] *Ampulla* vaſculum erat ventroſum, oris anguſti. Cujus præcipuus erat in balneis uſus. Unde *ampulla olearia* apud Apulejum, & *ampullariæ unctiones* apud Plautum. Ampulla quoque, & ſtrigilis apud eundem Perſa, & Ciceronem IV. De finibus, Cynici ſupellex. Sed & viatorem Plautus chlamyde, zona, machæra, petaſo, atque ampulla inſtruit, verum vinariam potius (ut arbitror) quam oleariam intelligens. nam & *potoriæ ampullæ* in menſis uſus. De qua Martialis lib. XIV. Epigr. CX. & Suetonius hic.

Comiſſaretur.] *Comeſſari* potius ſcribendum videri oſtendimus Vitell. cap. XIII.

21. *Clinopalen.*] Sic Victor quoque, *Furens*, (inquit) *libidine, ejus fœdum exercitium* κλινοπάλην *vocabat.*

Concub. ipſe divelleret.] Pro *velleret.*

Vulgatiſſimas.] Mallem *vulgariſſimas*, ut in veteri cod. Sic *muliere vulgari*, Vitell. cap. II.

Alii collocatam.] Generum Titi, ſed ſine nomine commemorat Sueton. ſup. cap. XII. Et Philoſtratus quidem Flavio Sabino, quem Domitianus occidit, nuptam fuiſſe ſcribit, ſed Suetonius necem narrans conjugii non meminit, cap. X.

Coactæ conc. a ſe abigere.] Tanquam ex priori marito concepiſſet. Aliter Juvenal. Sat. I.

Cum tot abortivis fecundam Julia vulvam
Solveret.

CASAUBON.

23. *Scalas etiam inferri clypeoſque & imagines ejus coram detrahi.*] Quid ſi potius? *Scalis etiam inferri, clyp.* nam *Scalas* dici abſolute Scalas Gemonias, quo ſolita abjici aut trahi ſupplicio affectorum corpora, non mirum. Græci quoque ἀναβαθμοὺς ἁπλῶς ſæpe vocant, ut Dio libro LVII. de hoc autem more vide libro III. cap. ultimo. Vulgatam tamen lectionem non damno: quoniam ſimile eſt vero, ſcalis opus fuiſſe ad detrahendos clypeos & tyranni imagines, quæ in Curia. *Detrahere*, eſt de loco ſuperiore dejicere aut amovere. Clypei & imagines dedicabantur ſublimes, ut cuilibet eſt compertum. quare in re ſimili verbum *detraho* eſt uſitatiſſimum. Juſtinus libro XXXVIII. *Tunc populus Alexandrinus ſtatuas & imagines ejus detrahit.* & inter ſenatus acclamationes exſtincto Commodo, fuit hæc: *Gladiatoris ſtatuæ detrahantur.* Apud Juvenalem ſtatuas male interpretantur iſto loco Satyræ VII.

 --- *rumpe*

ejus coram detrahi, & ibidem ſolo affligi juberet: noviſſime eradendos ubique titulos, abolendamque omnem memoriam decerneret. Ante paucos quam occideretur menſes, cornix in Capitolio elocuta eſt, ἔςαι πάντα καλῶς. Nec defuit, qui oſtentum ſic interpretaretur:

Nuper Tarpejo quæ ſedit culmine cornix,
Eſt bene, *non potuit dicere: dixit*, erit.

Ipſum etiam Domitianum ferunt ſomniaſſe, gibbam ſibi pone cervicem auream enatam: pro certoque habuiſſe, beatiorem poſt ſe lætioremque portendi reipublicæ ſtatum. Sicut ſane brevi evenit abſtinentia & moderatione inſequentium Principum.

--- *rumpe miſer tenſum jecur, ut tibi laſſo*
Figantur virides ſcalarum gloria, palmæ.

Scalæ hic ſunt, aditus domus, janua. ita autem vocat ἐμφατικῶς ad indicandam oratorum pauperiem, qui more omnium tenuium & mendicorum in cœnaculis habitabant; ut habitationes ſuas niſi ſcalis introire non poſſent. Erat autem moris oratorum & cauſſidicorum, victoriam partam in foro, teſtari appenſa pro foribus palma. Lucianus Ῥητόρων διδασκάλῳ expreſſe notat hanc conſuetudinem, ac ſimul ejus finem oſtendit. quo videlicet clientes appenſa palma plures conciliaret: Κἂν ἐν ταῖς δίκαις ἐξετάζομαι, προδιδȣ̀ς τὰ πολλὰ, καὶ τȣ̀ς δικαςὰς τοῖς ἀνοήτοις καθυπισχνȣ́μενος· καὶ ἡτlῶμαι μὲν τὰ πλεῖςα· οἱ φοίνικες δὲ ἐπὶ τῇ θύρᾳ χλωροὶ ἐςεφανωμένοι· τȣ́τοις γὰρ ἐπὶ τȣ̀ς δυςυχεῖς χρῶμαι τοῖς δελέασι. Lucanus in Panegyrico ad Piſonem:

- - - *licet exercere togatæ*
Munera militiæ: licet & ſine ſanguinis hauſtu
Mitia legitimo ſub judice bella movere.
Hinc quoque ſervati contingit gloria civis;
Altaque victores intexunt limina palmæ.

Ad oratorum palmas alludit Tertullianus De anima, de Socrate loquens: *Nihil mirandum, ſi & in carcere lemniſcatas Anyti & Meliti palmas geſtiens infringere, ipſa morte coram immortalitatem vindicat animæ.* nam in re veteri alluſit ſcriptor doctiſſimus ad morem ſui ævi. Non legeram alibi expoſitum hunc Juvenalis locum.

VARIOR.

21. *Lavabat de die.*] Balnearum ſignificat lotionem, qua Commodus Imperator adeo oblectabatur, ut per diem ſepties, atque octies in balneis lavaretur. E contrario priſci, ut inquit Seneca in XIII. Epiſtolarum moralium, brachia tantum ac crura quotidie abluebant, quæ ſcilicet ſordes opere collegerant: cæterum toti nundinis lavabantur. Tempus autem lavandi erat, ut docet Vitruvius, poſtmeridianum. BEROALDUS.

22. *Ipſe divelleret.*] Scrib. *develleret.* ſubintellige in balneis inter lavandum. GUJET.

23. *Clypeoſque.*] Clypei erant imagines virorum illuſtrium, quæ ſuſpendebantur in templis, de quibus LIPS. ad II. Annal. Tac. cap. 83. quem vide.

TORRENT.

23. *Abol. om. mem.*] Multa nunc quoque Romæ marmora, in quibus eraſum Domitiani nomen.

CASAUBON.

Ἔςαι πάντα καλῶς.] Viterb. vocula una auctior ἔςαι ἤδη πάντα καλῶς.

VARIOR.

Abolendamque omnem memoriam.] Hinc hodieque Inſcriptionum noſtrarum opus aliquam multis locis deturpatum, etiam e marmoribus nomen ejus, ut & Neronis, aliorumque aliquot, diligenter nimis eradente populo, vel eis quibus id injunctum. GRUTERUS.

Qui oſtentum ſic interpreturetur.] Codex Salm. *quod oſtentum.* forte: *qui id oſtentum ſic interpretaretur.* SALMAS.

Portendi ſtatum reipublicæ.] Cod. Salm. *portendi rerum ſtatum publicæ.*

Ἑνὶ ΘΕΩ καὶ μόνῳ δόξα καὶ χάρις.

FINIS.

C. SUETONII TRANQUILLI

LIBRI DUO

DE ILLUSTRIBUS

GRAMMATICIS,

ET

DE CLARIS

RHETORIBUS,

Cum annotationibus doctiſſimorum virorum.

HENRICO PRINCIPI
INFANTI
PORTUGALLIÆ,
ACHILLES STATIUS
S. P. D.

LIberalitatem non in dando ſolum, ſed in accipiendo quoque poſitam eſſe ſapientiſſimi viri cenſuerunt: idque omnino præclare, atque, ut ita dicam, liberaliter. Quorum ſententiam ſic accipio, ut iiſdem longe liberaliores videantur ii, qui minima quæque multo alacrius, quam maxima cum tribuuntur, accipiunt. Hoc autem liberalitatis genus augetur ejus, qui accipit, magnitudine atque auctoritate, non minus quam ejus qui dat, etiam tenuitate. Nec enim principibus viris ac rerum maximarum copia ſemper affluentibus tam damus id, quod plane damus, quam eo ipſo noſtros animos, quibus nec majus nec præſtantius eſſe quidquam poteſt, quodam modo largimur ac devovemus. Hujuſmodi eſt, HENRICE Princeps, hoc munuſculum meum. Etenim cui mitterem, Principem, quam te, majorem non habebam, aut cui pluribus & gravioribus de cauſis deditus magis ac devotus eſſe deberem. Multa tua conſtant in patrem meum beneficia, multa in fratres, multa in me ipſum denique. Nam quidquid illis bene feciſti, mihi factum exiſtimo. Deinde quæ ex Italia atque urbe Roma litteris tuis amantiſſimis accito tam multa liberaliter & prolixe polliceris, perinde mihi grata ſunt, ac ſi jam etiam acceperim. Poſtremo autem hoc ipſo accipiendo munuſculo, quod ſupra poſui, mihi quoque plurimum tribuis. Quid enim agerem, qui nihil habebam in promptu majus? & ad te venire vacuum pudebat. Veniebam tamen in ſpem, munus hoc me ornare atque augere meum. Namque ut ad te venero, aut etiam antequam ad te venio, fiet ad hoc ipſum, ut ſpero, munuſculum haut paullo major acceſſio. Ut enim natura parvos primum fœtus edit, quos alens augenſque poſtea grandiores efficit; ſic per te noſtra quoque creſcent ipſa, meamque hanc lucubratiunculam majorum vigiliarum munera conſequentur. Vale.

Romæ, Kal. Aprilib. CIↃ.IↃ.LXV.

C. SUETONII TRANQUILLI
DE ILLUSTRIBUS
GRAMMATICIS
LIBER.
CAPUT I.

GRammatica olim Romæ ne in uſu quidem, nedum in honore ullo erat: rudi ſcilicet ac bellicoſa etiam tum civitate, necdum magnopere liberalibus diſciplinis vacante. Initium quoque ejus mediocre exſtitit: ſiquidem antiquiſſimi doctorum

ACHILL. STAT.

1. DE *Inluſtribus Grammaticis.*] Hunc, & qui ſequitur libellus, excerpta puto e Suetonii libro de viris inluſtribus. quod imitatio divi Hieronymi facile declarat. verba illius in epiſtola ad Deſiderium ſunt: *Scripſi librum de inluſtribus viris, ab Apoſtolis uſque ad noſtram ætatem, imitatus Tranquillum, Græcumque Apollonium.* Ac liber quidem Hieronymi de Apoſtolis doctiſque viris fuit, ut Suetonii librum ejuſdem argumenti atque ſententiæ fuiſſe neceſſe ſit. Ut autem excerpta exiſtimem, facit id quod adducitur ejuſdem Suetonii in libro de viris inluſtribus, de Plinio. Verba Suetonii ſunt: *Dum idem Plinius legiones in Siciliam duceret, eruptione favillarum ab Ætna eructantium præfocatus interiit, anno vitæ ſuæ* LVI. Non ergo de his tantum grammaticis atque rhetoribus qui nominantur, ſed de Plinio quoque, cæteriſque, librum conſcripſerat. Itaque *inluſtres* viros, doctos & in doctrinæ ſtudiis excellentes vocabant.

Siquidem antiquiſſimi doctorum quidem & poetæ & oratores ſemigræci erant.] Legendum videtur, *doctorum quidam.*

CASAUBON.

Duo iſti libelli, pars dumtaxat ſunt, aut fortaſſe etiam particula, operis majoris a Suetonio quondam editi. Satis hoc vel ex eo poteſt conſtare, quod non ſolum grammaticos, & rhetores, ſed etiam poetas illuſtres ab eo fuiſſe deſcriptos, res ipſa arguit. Nam & Horatii & Lucani vitæ, quæ hodieque exſtant, Suetonium in antiquis libris præferunt auctorem: & ſtilus ipſe, concinna quadam brevitate inſignis, item illa accurata inquiſitio rerum ad πολυμάθειαν & eruditionis copiam ſpectantium, etiam mediocriter verſatis in lectione hujus eruditiſſimi ſcriptoris, fidem ejus abunde fecerint. Terentii quoque vita, initio Προλεγομένων in eum poëtam deſcripta, ſicut obſervavit, & monuit vere in ſuis ad Euſebium notis illuſtriſſimus Scaliger, hujus eſt ſcriptoris. Tranquillo enim dubio procul adſcribi debent, quæcunque in fronte illorum Prolegomenωn leguntur, uſque ad iſta verba, HÆC SUETONIUS TRANQUILLUS. Quin & Perſii vitam, initio veterum Scholiorum poſitam, fallor, aut alius nemo præter hunc compoſuit. Habemus igitur operis Suetoniani tres partes diſtinctas, de grammaticis, de rhetoribus, de poetis. Quemadmodum autem prius quam profeſſores grammatices aut rhetorices enumeret, artium illarum originem apud Romanos & incrementa videmus illum expoſuiſſe: ita etiam poeticæ ortum, & prima illius ſtudia, quæque eodem pertinent, omnia exſecutus erat Suetonius antequam poetas ipſos in ordinem digereret. id enim nonnulla quæ hodieque ſuperſunt, fragmenta indicant; imprimis autem illud egregium, quod e libro VIII. Iſidori inter cætera deſcripſimus. Præter haſce tres, videntur & aliæ corporis ejuſdem fuiſſe partes. Nam Plinii quoque vitam a Tranquillo fuiſſe compoſitam, poſtea oſtendemus. quem non putamus in ullo ordine e tribus ſuperioribus fuiſſe collocatum: etſi non negamus omnibus illis facultatibus fuiſſe ipſum præditum. Fuere qui exiſtimarent, non ſolum de viris litteratis egiſſe iſto opere Tranquillum; ſed in univerſum de omnibus aut pleriſque omnibus Romanis, aliqua inſigni laude illuſtribus. Primus, quod ſciam, auctor hujus opinionis exſtitit Alexander Minutianus: qui ante centum & octo annos ſub titulo SUETONII DE VIRIS ILLUSTRIBUS & hos duos libellos Mediolani publicavit, & una cum iſtis librum integrum Sexti Aurelii Victoris, quo priſcos Romæ ſive reges, ſive duces enumeravit. Tam abſurda ſententia, quam ipſius auctor, qui ejus patrocinium ſuſcepit, ne ſimilitudine quidem aliqua veri potuit firmare, invenit tamen quibus placeret. nam Minutiani editio aliis quoque locis poſtea eſt repetita. Porro licet non ignoremus, & apud Græcos & apud Romanos plures fuiſſe, qui ſimilis argumenti libros a ſe compoſitos, ΠΕΡΙ ΑΝΔΡΩΝ ΕΝΔΟΞΩΝ & DE

rum, qui iidem & poetæ & oratores ſemigræci erant (Livium & Ennium dico: quos utraque lingua, domi foriſque docuiſſe adnotum eſt) nihil amplius quam Græce interpreta-

VIRIS ILLUSTRIBUS inſcriberent, ut Cornelium Nepotem, Plutarchum & alios: nos tamen exiſtimamus, operis hujus Suetoniani indicem minus laxe conceptum fuiſſe, hoc aut ſimili modo: DE VIRIS IN LITTERIS ILLUSTRIBUS. non obſcure præit nobis ad hanc ſententiam B. Hieronymus; qui Suetonium enumeraſſe ſcribit, non ſimpliciter *viros illuſtres* Romanorum: ſed *litterarum viros illuſtres.* Eſt vero dolendum, priorum ſæculorum homines, ea fuiſſe rerum cognitu digniſſimarum incurioſitate; ut tam eruditum ſcriptum poſteris conſervare neglexerint: niſi quod haud ratione caret, ut qui meliores litteras penitus & ignorarent & contemtui haberent, eorum quoque memoriam vellent exſtinctam, qui bene de litteris merendo nomen & famam ſibi pepererant. Inde eſt, quod quum librorum octo de Cæſaribus paſſim in omnibus bibliothecis ſcripta manu exemplaria reperiantur, horum tamen libellorum ne veſtigium quidem ullum in librariis vel locupletiſſimis apparet. Nos in Regia nuſquam illos offendimus. Unum exemplar Senator ampliſſimus Paulus Petavius exhibuit, alterum olim habuit V. CL. & præſtantiſſimus Petrus Pithœus; unde excerptas διαφόρȣς γραφὰς optimus virorum Jacobus Bongarſius ὁ πάνυ nobiſcum cummunicavit. Multa in iis notata, quæ ex aliis libris protulerunt in lucem Achilles Statius & Elias Vinetus, viri doctiſſimi, & de his libellis præclare meriti: nos pauca attingemus illis intacta.

DE ILLUSTRIBUS GRAMMATICIS.] Mediol. DE CLARIS GR. Scripta lectio, *De illuſtribus.* Sic apud A. Gellium lib. II. cap. XXV. *Duo Græci grammatici illuſtres Ariſtarchus & Crates.* Atejus philologus dicitur Aſinio Pollioni *nobilis grammaticus.* infra cap. X.

I. *Grammatica olim Romæ, ne in uſu quidem, n.*] Scripta lectio, cui conſentit Mediolanenſis editio, *Gra. Ro. ne in uſu q. olim, ned.*

VARIOR.

I. *Rudi ſcilicet ac bellicoſa etiam tum civitate.*] Sunt qui ante Lælii ætatem & Scipionis ingenii cultum Romanis ignoratum velint. At non tam male de priſcis illis Cicero eſt opinatus, ut eos, qui incredibiles ad omnem excellentiam curſus feciſſent, eruditionis gloria plane deſtitutos fuiſſe crederet. Imo vero, etiam veteres illos ac horridos a vicino Pythagora ſapientiæ plurimum hauſiſſe, cum conjectura probabile eſſe, tum quibuſdam etiam veſtigiis indicari, judicat. *Quis eſt*, inquit, *qui putet, cum floreret in Italia Græcia, potentiſſimis & maximis urbibus, ea quæ magna dicta eſt, in hiſque primum ipſius Pythagoræ, deinde poſtea Pythagoreorum tantum nomen eſſet, noſtrorum hominum ad eorum doctiſſimas voces, aures clauſas fuiſſe?* Cætera, quæ ad ſententiæ ſuæ præſidium affert, ediſſerentem vide ſub initium lib. IV. Tuſc. Quæſt. Ex quibus intelligere licet, ſapientiæ ſtudium antiquiores amplexos fuiſſe, ſed *non ultra, quam conceſſum Romanis.* SCHILDIUS.

Doctorum, qui iidem.] Sic hic locus dudum a doctis viris eſt ſuo nitori reſtitutus.

ACHILL. STAT.

Livium & Ennium dico, quos utraque lingua domi, foriſque docuiſſe adnotum eſt.] Docuiſſe fabulas ſcilicet. nam ſi nihil amplius quam Græce interpretabantur, Latine alios profecto non docebant.

Adnotum.] Ut adprime, adfabre. loquitur eodem modo Corn. Tac. in V. *Fortunæ quidem meæ fortaſſe minus expediat adnoſcere crimen, quam abnuere.*

TORRENT.

Qui iidem & poetæ & oratores ſemigræci erant.] A codice Mediol. abeſt vox *oratores*: quod non probo. ibidem ſine parentheſeos notis locus ita concipitur: *Siquidem antiquiſſimi doctorum quidem, & poetæ & ſemigræci erant. Livium & Ennium d.*

Quos utraque lingua domi foriſque docuiſſe, adnotum eſt.] Viri eruditi *docuiſſe* hic accipiunt, ut cum dicimus docere fabulam, & Græci διδάσκειν, unde διδασκαλίαι δραμάτων. & certum quidem eſt, Livium atque Ennium fabulas multas docuiſſe. at Græcas tragœdias aut comœdias ipſos compoſuiſſe vel docuiſſe, non legimus. eſt vero indubitata res, Ennium litteras docuiſſe & domi, id eſt, Romæ; & foris, hoc eſt, in Sardinia inſula, ubi ipſum Porcius Cato invenit; qui, ut ſcribit Sex. Aurelius Victor, in prætura Sardiniam ſubegit, ibique eſt ab Ennio Græcis litteris eruditus. Sed aut Cato Ennium Roma ſecum in Sardiniam abduxit, aut Victor præturæ Catonis tribuit, quod quæſturæ ejuſdem congruebat. Æmilius Probus, ſive Cornelius Nepos in vita Catonis: *Prætor provinciam obtinuit Sardiniam; ex qua quæſtor ſuperiore tempore ex Africa decedens Q. Ennium poetam deduxerat: quod non minoris æſtimamus, quam quemlibet ampliſſimum Sardinienſem triumphum.* Romæ autem multos annos Græcas litteras Ennium docuiſſe, eximie probant hi verſiculi ipſius Ennii de Romanis:

Contendunt Græcos: Grajos memorare ſolent ſos.
Quod Græca lingua longos per temporis tractus
Hos pavi.

Lege quæ ſcripſit olim Joſephus Scaliger ad Feſtum in voce *Regium.*

Nihil amplius quam Græce interpretabantur.] Omnino legendum *Græca interpretabantur.* nam cui

pretabantur : ac ſi quid Latine ipſi compoſuiſſent, prælegebant. Nam quod nonnulli tradunt, duos libros De litteris ſyllabiſque, item De metris, ab eodem Ennio editos, jure arguit Lucius Cotta, non poetæ, ſed poſterioris Ennii eſſe : cujus etiam de augurandi diſciplina volumina feruntur.

2 Primus igitur, quantum opinamur, ſtudium grammaticæ in Urbem intulit CRATES MALLOTES Ariſtarchi æqualis, qui miſſus ad ſenatum ab Attalo rege, inter ſecundum ac tertium bellum Punicum, ſub ipſam Ennii mortem, quum in regione Palatii, prolapſus in cloacæ foramen, crus fregiſſet, per omne legationis ſimul & valetudinis tempus

cui bono Latina Græce interpretari, quum illi quos docebant, Græcas litteras ignorarent?

VARIOR.

Domi foriſque adnotum eſt.] Scribo, *adnotatum eſt.* Plinius 28. 2. *Quin & repente conticeſcere convivium adnotatum eſt non niſi in pari præſentium numero.* Idem lib. 29. 4. *E volucribus in auxilium contra ſerpentes primus vultur eſt. Annotatum quoque minus virium eſſe nigris.* GRONOV.

ACHILL. STAT.

Ac ſi quid Latine ipſi compoſuiſſent, prælegebant.] In veteri impreſſo, *præallegabant.* legendum fortaſſe, *præ aliis legebant.* Sed legendum potius, *prælegebant.* nam diphthongi vocales ſeparatæ ſcriptæ fuerunt ordine præpoſtero.

2. *De Cratete.*] In vet. impr. hi tituli nulli fuerunt, nec in utroque Vaticano.

Qui miſſus ad ſenatam ab Attalo rege inter ſecundum.] Deeſſe verbum puto, *legatus*, ut ſit, *ab Attalo rege legatus* : ſed legi poſſit etiam illo modo.

Cum in regione Palatii.] In vet. impr. abeſt *in.* ſic Virg. *qua te regione reliqui.*

VINETUS.

2. MALLOTES.] Cui patria Mallos, Ciliciæ urbs, auctore etiam Strabone. nomen priorem ſyllabam producens apud Dionyſium & Lucanum. Eſt autem Μελλώτης apud Suidam : & Μαλώτης apud Diogenem, pro Μαλλώτης.

CASAUBON.

Ac ſi quid Latine ipſi compoſuiſſent prælegebant.] Scripti, *aut ſi q. Prælegere* autem vox artis eſt : quæ de præceptore uſurpatur, ut de diſcipulo *legere.* paullo poſt : *Lucilii Satyras legiſſe ſe apud Archelaum Pompejus Lenæus prædicat.* Sic apud Græcos, ἀναγινώσκειν de diſcipulo dicitur, παραναγιγνώσκειν de magiſtro : vel etiam ἐπαναγιγνώσκειν ; ut apud Sextum Empiricum initio libri, quo diſputat de loco : Ἐπίκουρος κομιδῇ νεανίσκος ὢν ἤρετο τὸν ἐπαναγιγνώσκοντα αὐτῷ γραμματιστήν. ſed & ἀναγινώσκειν de præceptore, apud Apollonium grammat. ſæpe.

Cujus etiam de augurandi diſciplinà volumina feruntur.] Mediol. *ferantur.* nonnihil diverſa ſententia : ut exiſtimo verius & melius.

2. *Crates Mallotes Ariſtarchi æqualis, miſſus ad ſenatum ab Attalo rege.*] Cratetes olim viri celebres multi fuerunt. Diogenes Laertius libro IV. decem enumerat, inter quos ſeptimum locum Mallotes obtinet. fuiſſe hunc grammaticum & criticum inſignem, Ariſtarchi æqualem, vetus quoque ſcriptor apud Suidam memoriæ tradidit : ambos circa Olympiadem CLVI. regnante in Ægypto Philometore, floruiſſe ex iis conſtat, quæ de utroque illorum apud eundem leguntur. Sed Crates hic, qui propter facultatem criticam dictus eſt non ſolum γραμματικὸς καὶ κριτικὸς, verum etiam Ὁμηρικὸς, hoc amplius philoſophus Stoicus audiit, ut ait Suidas, & confirmat nonnihil Strabo, qui Panætium, Stoicorum, judice M. Tullio, prope principem ab eo fuiſſe inſtitutum ſcribit libro XVI. Apparet vero ex hoc Suetonii loco, etiam politica ipſum attigiſſe, & in Pergamenorum regum aula non ſine dignatione eſſe verſatum. Vixit in eadem urbe etiam Ariſtarchus; habuitque ibi acrem ſuorum ſtudiorum æmulum Cratetem alium, loci indigenam. Suidas: Ἀρίσταρχος Κράτητι τῷ γραμματικῷ Περγαμηνῷ πλεῖστα διημιλλήσατο ἐν Περγάμῳ. Quod igitur dicit hoc loco Suetonius, primum Cratetem ſtudium grammaticæ Romam intuliſſe : nam de primis litteris debet intelligi, aut de litteratoris alicujus grammatiſtica, qua neque urbs Roma, neque ulla unquam civitas mediocris caruit : ſed de ſeria utriuſque linguæ cognitione, & auctorum qua interpretatione, qua imitatione.

Inter ſecundum ac tertium bellum Punicum, ſub ipſam Ennii mortem.] Obiit Ennius coss. Qu. Martio Philippo II. Qu. Servilio Cæpione : anno poſt finem impoſitum bello alteri Punico trigeſimo ſecundo : ante principium belli Punici tertii XIX.

Quum in regione Palatii prolapſ.] Dele *in* ex auctoritate librorum, & uſu Latine loquentium. Idem in Auguſto, cap. V. *Natus eſt paullo ante ſolis exortum, regione Palatii, ad capita bubula.*

pus, plurimas ἀκροάσεις ſubinde fecit, aſſidueque diſſeruit: ac noſtris exemplo fuit ad imitandum. Hactenus tamen imitati, ut carmina parum adhuc divulgata, vel defunctorum amicorum, vel ſi quorum aliorum probaſſent, diligentius retractarent, ac legendo commentandoque etiam ceteris nota facerent: ut CAJUS OCTAVIUS Lampadio, Nævii Punicum bellum, quod unico volumine & continenti ſcriptura expoſitum, diviſit in ſeptem libros: ut poſtea QUINTUS VARGONTEJUS annales Ennii, quos certis diebus in magna frequentia pronuntiabat: ut LÆLIUS, ARCHELAUS, VECTIUS, QUINTUS PHILOCOMUS Lucilii ſatyras familiaris ſui: quas legiſſe ſe apud Archelaum

ACHILL. STAT.

Ἀκροάσεις.] In vet. impr. & manuſcriptis Latine ſcriptum: *acroaſis*. ſunt autem ἀκρόασις & ἀκρόαμα verba τεχνικά.

Ac noſtris exemplo fuit ad imitandum.] Non ſunt in vet. impr. verba, *ad imitandum*. idque, ut opinor, commode.

Cæteris nota facerent.] Nota facere, id eſt, explicare. nota eſſe dicuntur ea quæ intelliguntur. Sic poſt de Craſſitio, *Intima cui ſoli nota ſua exſtiterint.*

Continenti ſcriptura.] Perpetua, non diſtincta libris ac numero.

Ut Lælius, Archelaus, Vectius, Q. Philocomus Lucilii ſatyras, familiaris ſui, quas legiſſe apud Archelaum Pompejus Lenæus, apud Philocomum Valerius Cato prædicant.] Legendum, *Vettius & Philocomus.* Ac poſt, *prædicantur*, non *prædicant.*

CASAUBON.

Plurimas ἀκροάσεις *ſubinde fecit.*] Melius, *acroaſis*, ut in Mediol. nam Romani illam vocem uſu fecerunt ſuam: neque ſolum de litterarum profeſſoribus eam uſurparunt, ſed etiam de aliarum artium magiſtris. Vitruvius lib. x. cap XXII. *Architectus ab Arado nomine Callias, Rhodum quum veniſſet, acroaſin fecit.* dixerunt & *auditiones*, verbum e verbo exprimentes. A. Gellius lib. XVII. cap. II. *eaſdem auditiones, eoſdem doctores colebamus.* Cicero ſæpe, *ſcholam habere* vel *explicare*. poſtea etiam *lectiones* dixerunt. B. Auguſtinus in Confeſſionibus, *lectionem exponere*, de ſe rhetore docente.

Ac noſtris exemplo fuit ad imitandum.] Mediol. *n. ex. fuit.* ſine illis *ad imitandum*: quæ poſſunt abeſſe, nullo ſententiæ damno.

Diligentius retractarent.] Pithœi lib. *recitarent.* alii ſic, *retractarent legendo, comm.* ſine copula.

Nævii Punicum bellum, quod uncio volumine & continenti ſcriptura expoſitum, diviſit in ſeptem libros.] Quæ narrantur fuiſſe apud Græcos litterarum initia, quæ incrementa, eadem fere etiam apud Romanos fuerunt. Narrant Græci, Homerum ea ſimplicitate in ſtudiis verſatum, ut & Iliadis & Odyſſeæ carmina continenti ſcriptura componeret, ſine ulla librorum diſtinctione; quæ poſtea ſtudio & induſtria grammaticorum in partes vicenas quaternas ſint diviſæ. auctorem ejus partitionis Ariſtarchum grammaticum Græci vulgo faciunt. Ecce apud Rom. ſimilem ferme per omnia hiſtoriam. Nævius ut Homerus, continuum carmen ſcribit: C. Octavius Lampadio ſeu alter Ariſtarchus opus Nævianum ſecat in partes. Obſervare tamen licet, Varronem, Feſtum, A. Gellium, & alios veteres eruditos partitione Octaviana aut raro, aut nunquam uti: non enim aliter Nævium in eo opere laudant, quam hoc pacto, *Nævius carmine belli Punici*; aut potius *Pœnici.* & ita Priſcianus aliquoties. Sane ſi verum eſt, Ariſtarchum grammaticum, de quo paullo ante dicebamus, primum omnium poemata Homeri in libros diſtinxiſſe, ignoravit Nævius hanc partitionem; ut qui aliquanto fuerit natu major Ariſtarcho.

Quintus Vargontejus annales Ennii, quos certis diebus in magna frequentia pronuntiabat.] Annalium Ennii opus in XL. libros fuit digeſtum: quam partitionem a Varguntejo eſſe profectam, ex his Suetonii verbis neque dicere pro certo queas, neque negare. cæterum recitatio hæc Annalium in corona circumſtantium, morem Græcorum rhapſodorum in Homericis verſibus pronuntiandis referebat. quare ut fuere in Græcia, qui Homeridæ vel Homeriſtæ dicebantur: ſic in Italia, qui Ennianiſtæ. A. Gellius lib. XII. cap. V. *Puteolis Juliano nunciatur,* ἀναγνώστην *quendam, non indoctum hominem, voce admodum ſcita & canora, Ennii Annales legere ad populum in theatro. Eamus, inquit, auditum neſcio quem iſtum Ennianiſtam. hoc enim ſe ille nomine appellari volebat.* Pro *Varguntejus* eſt in Mediol. *Vurguntius* perperam. eſt enim gens Romana ſatis nota, *Varganteja*, ex qua hic fuit ortus, aut adoptione in eam inſertus.

Ut Lælius, Archelaus, Vectius, Quintus Philocomus.] Liber Mediol. *Lælius Archeas Vectii Q. Philocomus.* Fort. *Lælius Archias, L. Vectius, Q. Philocomus.* Sed nihil affirmo: & mox in eodem libro *Archelaus* ſcriptum, non Archeas. illud non dubito, *Lælius Archelaus*, unius hominis eſſe nomina, quorum prius manumiſſione meruit. Sic mox *Pompejus Lenæus* appellatur libertus Pompeji, qui ante manumiſſionem dicebatur Lenæus, Ληναῖος. Tres

lium Pompejus Lenæus, apud Philocomum Valerius Cato, prædicant. Inſtruxerunt auxeruntque ab omni parte grammatica, LUCIUS ÆLIUS LANUVINUS, gener Quinti Ælii, SERVIUS CLODIUS, uterque eques Romanus, multique ac varii & in doctrina & in republica uſus.

Lucius

Tres igitur ſunt, non quatuor qui hic nominantur grammatici. Pro *Philocomus* Petavii cod. & Pithœi *Philoconius* mendoſe. eſt enim uſitatum Græcis nomen φιλόκωμος.

Lucilii Satyras familiaris ſui.] An ejus, qui poſtremo nominatus? an omnium trium? *Satiras* autem per *i* ſcribendum ſemper eſſe, certo probavimus libro De Satira Romana.

Varior.

Hactenus tamen imitati, ut carmina.] Scribo: *ac noſtris exemplo fuit ad imitandum. Hactenus tamen, ut carmina parum adhuc divulgata* &c. nam τὸ *imitati* eſſe ab enarratore judico. Sed & ajunt τὰ *ad imitandum* non eſſe in vett. lib. Ergo: *exemplo fuit. Hactenus tamen, ut carmina.* Gronov.

Lælius, Archelaus, Vectius, Quintus, Philocomus.] Scribo: *Lælius Archelaus, Vectiuſque Philocomus.* Sic mox quoque ſcribendum: *L. Ælius Lanuvinus, generque Ælii Ser. Clodius.* Sed hoc poſterius jamdudum vidit Carrio in Antiquis Lectionibus. Idem.

Achill. Stat.

Inſtruxerunt, auxeruntque ab omni parte grammatica Lælius Lanuvinus.] Legendum, ut in impr. vet. & manuſcriptis, *grammaticam L. Ælius Lanuvinus.*

Servius Clodius.] In vet. impr. *Ser. Clodius. Uſus*, non eſt in vet. imp. Legitur autem in manuſcriptis eodem modo hic locus, quo in vet. impreſſo, *L. Ælius Lanuvinus gener, Q. Ælii Ser.* Ego conjecturam hanc faciebam, *L. Ælius Lanuvinus genere, Q. Ælii ſervus, & Clodius.* Jam quod ſequitur, *Uterque eques Romanus*, in manuſcripto altero, uno minus verbo legitur, *uterque Romanus*, ut ille quidem Lanuvinus genere, vel Lanuvio fuerit oriundus, natus tamen Romæ. in veteribus autem monumentis, SER. ſervum interdum ſignificat. ſic in hortis Vaticanis, CÆS. N. SER.

Vinet.

Lælius Lanuvinus.] Fuerunt Lælius & Ælius inter Romana nomina, ut hoc apud Ennium:

Egregie cordatus homo catus Ælius Sextus.

illud apud Silium libro quinto decimo:

Ac pelago victus ſervata Lælius hora.

Sed prænominis Lucii nota L. quam nullo ſigno ab inſequenti Ælio negligentes librarii disjunxerant, Lælios multos fecit, qui L. Ælii fuerant. Hoc enim loco qui eſt Lælius, & apud AUlum Gellium multis locis, & Ciceronem in Academicis, & de legibus, Ælius ſine prænomine legitur apud Cariſium libro primo, apud Feſtum in verbis *Maniæ, Monſtrum, Nebulo*, & alibi: Arnobium libro tertio. Quinctilianum decimo, de Comicis: Plinium nono de Unionibus. At Lucius Ælius apud Ciceronem in Bruto, & Plinium libro triceſimo tertio de annulis equitum Romanorum: ubi Hermolaus etiam *L. Helium Stellionem* ſcriptum repererat: ſed qui caſtigandum cenſuerit, *L. Hælium Stilonem.* Sic enim in ejus caſtigationib. ſcriptum invenio, ut & vetuſtis quoque inſcriptionib. Hælius interdum aſpiratum reperitur. Sed aliud vitii etiam hic accidit. Nam quem oſtendimus Lucium Ælium fuiſſe appellatum, eundem *Cornelium Stilonem* Marci Varronis fragmenta de Lingua Latina me puero appellabant. quem uno vocabulo in duo nuper mutato, *Cajum Ælium Stilonem* nunc nuncupant, pro *Lucio Ælio Stilone*: niſi forte ſit is alius *Ælius Stilo*: quod non puto. *Præconini* autem nomen etiam apud Plinium integrum locis aliquot reperi, veluti libro ultimo, & triceſimo tertio: ubi ſcribit Plinius præcones etiam olim Romæ vulgo purpura latiore tunicæ uſos fuiſſe, ſicut patrem Lucii Ælii Stilonis. unde filius ſit Præconinus cognominatus. Cæterum quartum iſtud ejuſdem hominis nomen, *Stilo, Iſtilo* eſt in nonnullis Suetonii codicibus: ſed apud Cariſium, Plinium, Quinctilianum, nuſquam *Iſtilo* triſyllabum: *Stilo* ſemper. niſi ſi quid in media voce ſit depravatum: ut apud Plinium *Stellio*, Quinctilianum *Stolo* pro *Silo*. Deinde tractum nomen hoc ab eo quod eſt ſtilus, qua ſignificatione Cicero ſtilum artificem, effectorem, magiſtrum dicendi optimum dixit: quod orationes nobiliſſimo cuique ſcribere ſoleret Lucius Ælius, ut ait Suetonius: vel ut Cicero de Claris Oratoribus, quod ſcriberet orationes, quas alii dicerent: ut Quinto Metello, Quinto Cæpioni, Quinto Pompejo Ruf. Viri ergo egregii, & equitis Romani patre præcone geniti, ejuſdemque oratoris, & grammatici, Græcis Latiniſque litteris eruditiſſimi, quem Marcus ille Terentius Varro magiſtrum habuit, Cicerone, Gellio, & Cariſio auctoribus, & idem Cicero adoleſcens audivit, quatuor nomina ſunto, *Lucius Ælius Præconinus Stilo.* Qui autem apud Cariſium de genitivo *poematorum* citatur Quinctus Lælius grammaticus, hic quis ſit, non habeo compertum.

Casaubon.

Prædicant.] Scripſimus, *legiſſe ſe prædicant* cum MSS. & Mediol. codice, non *legiſſe prædicantur*: quod ex conjectura docti ſubſtituerant: ſententia multum variante.

LUCIUS ÆLIUS cognomine duplici fuit: nam & Præconinus, quod pater ejus præconium fecerat, vocabatur: & Stilo, quod orationes nobiliſſimo cuique ſcribere ſolebat: tantus optimatum fautor, ut Quintum Metellum Numidicum in exſilium comitatus ſit. SERVIUS cum librum ſoceri nondum editum fraude intercepiſſet: & ob hoc repudiatus, pudore ac tædio ſeceſſiſſet ab Urbe, in podagræ morbum incidit: cujus impatiens veneno ſibi perunxit pedes & enecuit, ita, ut parte ea corporis quaſi præmortua vixerit. Poſt hoc magis ac magis & gratia & cura artis increvit, ut ne clariſſimi quidem viri abſtinuerint, quo minus & ipſi aliquid de ea ſcriberent: utque temporibus quibuſdam, ſuper viginti celebres ſcholæ fuiſſe in Urbe tradantur: pretia grammaticorum tanta, mercedeſque tam magnæ, ut conſtet LUTATIUM DAPHNIDEM, quem LENÆUS MELISUS per cavillationem nominis, Πανὸς ἄγημα dicit, ducentis 3

Achill. Stat.

3. *Lælius.*] In vet. impr. *L. Ælius.*

Et Iſtilo.] Alii legunt, *& Stylo.*

Tantus optimatum favor, ut Q. Metellum Numidicum in exſilium comitatus ſit.] In vet impr. *tantum qui manum fautor.* vel, ut manuſcriptis, *tantus optimatum fautor.* Legendum, *tantus quidem optimatum fautor.* vel, *in tantumque Metellorum fautor.* Simile quiddam narrat poſt de Aurelio Opilio.

Ut conſtet Lutatium Daphnidem, quem Lenæus Meliſſus per cavillationem nominis Πανὸς ἄγημα dicit.] Πανὸς ἄγημα, idque συμβολικῶς. fuit autem hic, opinor, finis carminis veteris poetæ. itaque inſigniter ſtolidum ac ſtupidum ſignificabat. In manuſcriptis vitio ſcriptum, *panſagaſanſema*: vel, ut in vet. imp. *panoſagacema.*

Vinet.

3. *Lutatium Daphnidem.*] Omnes hi fere grammatici, fuerunt ſervi: qui a dominis ſuis tandem manumiſſi, eorum nomina ſumpſerunt: ut Romæ quondam fieri ſolitum jam pridem oſtendit Angelus Politianus in capite triceſimo primo Miſcellaneorum. atque ita pluribus pro uno nominibus more Romano ſunt appellati. Daphnis ergo hic, quem prius Marco Scauro ſerviiſſe ſcribit Plinius libro ſeptimo Naturalis hiſtoriæ, De pretio hominis in ſervitio geniti maximo, ab alio domino ſuo Quincto Lutatio Catulo libertate donatus, Quinctus Lutatius Catulus Daphnis fuit dictus.

Casaubon.

3. *Tantus optimatum fautor, ut Quintum Metellum Numidicum in exſilium comitatus ſit.*] Q. enim Cæcilius Metellus populari factione patria pulſus, ait Valerius Maximus libro IV. capite primo, in Aſiam ſeceſſit, & Smyrnæ exſulavit. nota hiſtoria ex Livii Epitome, A. Gellio, Aurelio Victore, Cicerone ipſo, atque aliis. Simillima ſequitur narratio de Aurelio Opilio, qui cum Rutilio Rufo Smyrnæ item exſulante conſenuit. Adeo verum eſt litteras adverſis lætiſque rebus pariter eſſe utiles.

Veneno ſibi perunxit pedes, & enecuit, ita, ut parte ea corporis quaſi præmortua vixerit] Mediol. & MSS. *viveret.* Hiſtoriam narrat Plinius lib. XXV. cap. III. *Tradit M. Varro, Servium Clodium equitem Romanum magnitudine doloris in podagra coactum, veneno crura perunxiſſe, & poſtea caruiſſe ſenſu omni æque quam dolore in ea parte corporis.* Alii ad ejuſdem rei effectum non veneno uſi, verum aceto: cujus vim ναρκωτικὴν, & vere ὀδυνήφατον, experimento ſuo cognovit M. Agrippa, ſupremis ſuis annis conflictatus gravi morbo pedum. Plinius lib. XXIII. cap. II.

Poſt hoc mag.] *Hoc*, nempe tempus. Sed ſcribendum eſt *hos.* poſt modo enumeratos grammaticos ars cepit incrementum.

Et gratia & cura artis increvit.] Quidam: *& gratia & cura ars increvit.* non ſequar.

Super viginti.] Scripta lectio, *ſuper decem.* Mediolanenſis editio, quæ inſtar MSS. eſt, *viginti.*

Quem Lenæus Meliſſus per cavillationem nominis, Πανὸς ἄγημα dicit.] Mediol. litteris Latinis corruptiſſime, *panoſagajema.* Scripta lectio fere ut eſt editum. id eſſet *Panis admiratio*, ſive *ſtupor.* ut intelligatur affine aliquid voci ἐμβρόντητος: quam uſurpabant de eo, qui eſſet ſtupore defixus. erit alluſio ad Panicos terrores, quos a Pane credebant immitti, ut ſcribit Polyænus & alii. eſt & vox militiæ ἄγημα *agema*, legio vel ala, ut Livius & Curtius vertunt. Sed prior ſignificatio hic potius convenit, Πανὸς ἄγημα, quaſi dicas, o ſtupide & litterarum oblivio! Sed refellit iſta perſpicue, quod ait Suetonius, *per cavillationem nominis*: nam in Πανὸς ἄγημα, nulla eſt ad nomen Daphnis alluſio. Itaque Joſephus Scaliger ſcribebat δαπάνης ἄγημα *impenſæ portentum*, vel δαπάνημα: vel Δαπανίδης: ut & ad nomen eſſet aliqua alluſio, & ad rem quæ narratur. Tentabam aliquando, δάνυς ὄφλημα, propter cujus pretium ingens æs alienum ac damnum eſſet contractum. vel δάνυς ἄγρευμα: quoniam ἄγημα aut tale quid libri omnes tuentur.

Varior.

3. *Quod pater ejus præconium fecerat.*] Id eſt, præco

tis milibus numum Quinto Catulo emptum, ac brevi manumiſſum: LUCIUM APPULEJUM ab Eficio Calvino equite Romano prædivite quadringenis annuis conductum

co fuerat. Cic. VI. ad Fam. ep. 19. *Reſcripſit eos, qui facerent præconium, vetari eſſe in decurionibus.* Accurate multiplex præconium officium, & varias in pronuntiando formulas explicat Briſſonius.

Per cavillationem nominis Πανὸς ἄγημα *dicit.*] Omnino retinenda vulgaris ſcriptura, quam libri omnes tuentur. Quod enim ea lectione nullam fieri ad nomen Daphnidis alluſionem putant doctiſſimi viri, manifeſto falluntur. Daphnis ille fabulis decantatus Panis fuit delicium. Meleager:

Αἰπολικαὶ σύριγγες ἐν οὔρεσι μηκέτι Δάφνιν
Φωνεῖτ' αἰγιβάτῃ Πανὶ χαριζόμεναι.

Pan autem pecoribus præerat, & pecorum magiſtris. Hinc per cavillationem nominis Πανὸς ἄγημα eum dicebat, non Panis delicias, Daphnis ut fuit, ſed pecus. Virgil.

Pan curat oves oviumque magiſtros.

fortaſſe etiam aſinum intelligere voluit, qui Arcadiæ peculiaris, quæ in tutela Panis. *Pan Deus Arcadiæ.* CL. SALMASIUS. Obſervandum eſt, nomen, per cujus cavillationem Lenæus Meliſſus Πανὸς ἄγημα dicebat hunc grammaticum, fuiſſe DAPHNIDES, non DAPHNIS, id eſt, Δαφνίδης non Δάφνις. Latine autem *Daphnides* videtur eſſe rectus pluralis τοῦ DAPHNIS, quamquam revera ſit Græcorum Δαφνίδης. Hinc quæſita jocandi materies. Appellatus enim a Lenæo Meliſſo DAPHNIDES Πανὸς ἄγημα *Panis agmen*, ſive *legio*, quaſi plures eſſent, non unus Daphnis. Jam vero Daphnis paſtor erat Mercurii filius, a Pane educatus, atque inſtitutus in Muſicis. Erat autem Pan deus ruſticus, paſtorum προστάτης:

Pan curat oves oviumque magiſtros:

itaque in ejus comitatu non niſi paſtores & ruſtici erant, qui nil niſi ſilveſtre & barbaricum tenui arundine ſonare poterant. Notat igitur Lenæus Meliſſus Daphnidem inficetiarum, quaſi eſſet plane litterarum rudis, quantus quantus erat, & rus merum. SAM. PETITUS.

Per cavillationem nominis Πανὸς ἄγημα *dicit.*] Docte Salmaſius in Solinum. p.41. nec minus docte Petitus 3. Miſcel. 15. Cogitabam tamen aliquando Πανὸς ἄγαλμα, vel ἄθυρμα. Euſtathius ad Ἰλ. α. Ἡ τρίγλα κατὰ τοὺς παλαιοὺς, Ἀρτέμιδος ἄγαλμα. Et mox: Οὕτω καὶ λύκος Ἀπόλλωνος ἄθυρμα. Laudare videtur: ſed deridet hominem tanquam merum & inficetum rus, nec niſi ruſticis & imperitis probatum. Panos ἄθυρμα & bucolicus ille Daphnis, & quæ *certamen venit ad impar* ſoli Midæ prælata. GRONOV.

Πανὸς ἄγημα.] Δαπάνην, reſcribendum videtur, ut ad τὸ Δάφνιν alludatur. GUJET.

ACHILL. STAT.

Ducentis millib. nummum.] In vet. impr. *Dec. nummum.*

L. Appulejum ab Eficio Calvino equite Romano.] Legendum videtur *a Fufecio Calvino.* Sed in vet. imp. totus hic locus legitur: *L. Appulejum ab Eficio Calvino equite Romano prædivite quadringenis annuis conductos multos edocent.* Ex quo faciebam, *L. Appulejus a Fufecio Calvino, equite Romano prædivite, quadringenis annuis*, vel, quadringentis aureis, *conductus multos edocuit.*

CASAUBON.

Ducentis millibus nummum.] Ut ſi hodie dicas, aureis ad quinquies mille. Sed longe alio nos vocant libri alii, in quibus ſcriptum, *DCC millibus:* ea eſſent aureorum: quibus hodie utimur, millia circiter ſeptemdecim & quingenti. Plinius libro VII. cap. XXXIX. *Pretium hominis in ſervitio geniti, maximum ad hanc diem, (quod equidem comperetim) fuit grammaticæ artis Daphnidis, Cn. Piſaurenſi vendente, & M. Scauro principe civitatis III. M. DCC. ſeſtertiis licente.* Omnino ridicule expreſſa ſumma, quæ ne ad centum quidem aureos accedit. Ego vero nullus dubito & in Suetonii & in iſto Plinii loco numerum aliquem deſiderari, omnibus ante dictis longe majorem. Franciſcus Hotomannus, clariſſimus Juriſconſultus, & in hac parte antiquitatis diligenter verſatus, emendabat, *tricies ſeptingentis.* cui equidem, ut in re dubia, aſſentior: etſi ſumma illa prægrandis eſt ac plane ſtupenda. Sed Romanas opes & animos cogitet lector, non res hodiernas.

Ab Eficio Calvino.] Mediol. *Efficio.* Scripti *Æficio*, omnia ſuſpecta. Calvini cognomen plures Romanorum gentes uſurparunt, ut Domitia, Veturia, Sextia. Eficios nuſquam legere memini: legi Ericios vel Erucios.

VARIOR.

Quadringenis annuis.] Id eſt, eſt X. M. coronat. Id autem cum privati hominis modum excedat, (namque Imperator Veſpaſianus annua ſolum centena Latinis Græciſque rhetoribus conſtituit, ut eſt in ejus vita cap. XVIII. & Verrius Flaccus ab Auguſto ſeſtertia centena in annum accepit, infra capite XVII.) facile adducor, ut legam *quadringentis aureis:* vel, *quadringentis annuis.* Ita e contrario cap. XLI. Octavii, quo loco vulgatæ editiones exhibent *quadragenos*, Salmaſii codex ſubſtituit *quadringenos.* Adde locum cap. XXIII. *nec ſufficeret ſumptibus, quamquam ex ſchola quadragena annua caperet.* SCHILD.

Quadringenis annuis.] *Quadragenis* ſcribendum videtur, id eſt, quingentis aureis ſolidis. GUJET.

ACHIL

ductum multos edocuiſſe. Nam in provincias quoque Grammatica penetraverat, ac nonnulli de notiſſimis doctoribus peregre docuerunt, maxime in Gallia Togata, inter quos OCTAVIUS TEUCER, & SISCENNIUS JACCHUS, & OPPIUS CARES: hic quidem ad ultimam ætatem, & cum jam non greſſu modo deficeretur, ſed & viſu.

Appellatio GRAMMATICORUM Græca conſuetudine invaluit: ſed initio litterati 4
vocabantur. Cornelius quoque Nepos in libello quo diſtinguit litteratum ab erudito: litteratos quidem vulgo appellari ait eos, qui aliquid diligenter & acute ſcienterque poſſint aut dicere aut ſcribere: ceterum proprie ſic appellandos poetarum interpretes, qui a Græcis γραμματικοὶ nominentur: eoſdem LITTERATORES vocitatos. Meſſalla Corvinus, in quadam epiſtola non eſſe ſibi dicens rem cum Furio Bibaculo, nec cum Sigida quidem, aut litteratore Catone: ſignificat enim haud dubie Valerium Catonem poetam ſimul grammaticumque notiſſimum. Sunt qui litteratum a litteratore diſtinguant, ut Græci

ACHILL. STAT.

Et Siſcennius.] In vet. impr. *Seſcenius.*

Et cum jam non greſſu modo deficeret.] In vet. imp. *deficeretur*, ut in manuſcr.

4. *Cæterum proprie ſic appellandos poetarum interpretes, qui a Græcis grammatici nominentur, eoſdem litteratos vocitatos.*] Cic. ſic, ut Cornelius Nepos, poetarum grammaticos vocat in 1. de Divinat. niſi memoria fallor.

VINET.

4. *Nec cum Sigida.*] Hic Sigida quia nemini notus aliunde eſt, Lilius Gregorius ſcribit libro decimo de poetis, ſe ſemper arbitratum eſſe, pro *Sigida*, *Ticida* reponi debere: ut ſit Cajus Ticida, cujus infra videbis verſum de Valerio Catone.

CASAUBON.

Multos edocuiſſe.] Scripta lectio, *edoceret.* Scribendum, *ut multos edoceret.* ſiquidem aliquid mutandum.

De notiſſimis doctoribus.] Scripti, *de doctiſſimis doct.* perperam autem *Cares* ſine aſpiratione, pro *Chares*, Χάρης. Oppius iſte, is fortaſſe eſt, qui Macrobio vir doctus dicitur Saturnal. lib. II. cap. XIV. Librum fecerat De ſilveſtribus arboribus.

4. *In libello quo diſtinguit litteratum ab erudito.*] Ut hæc lectio eſt, videtur Cornelius Nepos ad id ipſum libri ſcriptionem inſtituiſſe, ut diſcrimen explicaret inter litteratum & eruditum, quod vix putem. quare probo lectionem mihi repertam in codice Bongarſii: *Cornelius quoque Nepos, libello quodam diſtinguit litteratum ab erudito.* Proprie litteratus is eſt, qui litteras habet, ſive earum doctrinam poſſideat, hoc eſt, ὁ πεπαιδευμένος, ſive ipſarum notis ſit inſcriptus, ut ſervi ἐστιγμένοι, *frontem litterati* Plauto & Apulejo. ideo vertit auctor Gloſſarum *litteratus*, γεγραμμένος. Cornelio Nepoti diſcrimen facienti inter *litteratum* & *eruditum*, litteratus idem erat ac grammaticus. Diomedes lib. II. *Artium genera ſunt plura, quarum grammatice ſola litteralis eſt, ex qua rhetorice & poetice conſiſtunt: iccirco litteralis dicta, quod a litteris incipiat. Nam & grammaticus Latine litteratus eſt appellatus: & grammatica, litteratura, quæ formam loquendi ad certam rationem dirigit.* At *eruditi* qui dicantur Romanis ſcriptoribus, & quid *eruditionem* proprie appellarint, expoſuimus ad lib. II. Suet. cap. LXXXIX. ſic cape *eruditionis variæ volumina* cap. VI. id eſt, ποικίλην φιλολογίαν περιέχοντα.

Eoſdem litteratores vocitatos. Meſſalla Corvinus quadam ep.] Reſtitue e codice Mediolanenſi & MSS. vocem quæ deeſt, ac diſtinctione mutata, ſcribe: *eoſdem litteratores vocitatos Meſſala Corvinus in quadam epiſtola oſtendit, non eſſe ſibi dicens rem.*

Nec cum Sigida quidem.] Scripta lectio, *ne cum Rigida q.* neutrum poſſumus probare. Ticidam nominat Suetonius cap. XI. qui an huc pertineat, neſcio. fortaſſe verius eſt, quod viro eruditiſſimo, & veteri conſuetudine καὶ συμβιώσει mihi conjunctiſſimo Johani Wouerio Hamburgenſi videbatur: *ne cum Sedigito quidem.* Volcatium Sedigitum de poetis ſcripſiſſe teſtis A. Gellius lib. XV. cap. XXIV.

Sunt qui litteratum a litteratore diſtinguant, ut Græci grammaticum a grammatiſta.] Qui diligentius ſive Græce ſive Romane loquuntur, hæc diſcrimina accurate ſervant. Juvat vero hoc loco referre, quæ de differentia inter grammatiſtam & grammaticam, Sextus Empiricus, ſcriptor eruditiſſimus nondum Græce editus, differit, docens, ab eadem quidem voce utramque eſſe appellatam: ſed non ab eadem vocis ejuſdem notione. γράμματα quippe Græcis dici, & litterarum elementa, quæ in prima pueritia pueri docentur: & ſcripta auctorum. igitur grammatiſticam quidem a priore ſignificatione eſſe appellatam, grammaticam vero a poſteriore: quæ quidem auctorum omnium intelligentiam & interpretationem profiteatur. Sic ille in iis, quæ ſcripſit adverſus μαθηματικοὺς, cap. Ποσαχῶς λέγεται ἡ γραμματική. Καὶ ἡ τέλειος γραμματικὴ ἀπὸ τῆς τῶν γραμμάτων εἰδήσεως

καὶ

Græci Grammaticum a Grammatiſta: & illum quidem abſolute, hunc mediocriter doctum exiſtiment, quorum opinionem ORBILIUS etiam exemplis confirmat. Nam apud majores, ait, cum familia alicujus venalis produceretur, non temere quem litteratum, in titulo, ſed litteratorem inſcribi ſolitum eſſe: quaſi non perfectum litteris, ſed imbutum. Veteres Grammatici & Rhetoricam docebant: ac multorum de utraque arte commentarii feruntur, ſecundum quam conſuetudinem poſteriores quoque exiſtimo, quamquam jam diſcretis profeſſionibus, nihilominus vel retinuiſſe, vel inſtituiſſe & ipſos quædam genera inſtitutionum ad eloquentiam præparandam, ut problemata, paraphraſes, elocutiones, ethologias, atque alia hoc genus: ne ſcilicet ſicci omnino atque aridi pueri Rhetoribus traderentur: quæ quidem omitti jam video deſidia quorundam & infantia: non enim faſtidio putem. Me quidem adoleſcentulo, repeto quendam Principem nomine, alternis diebus declamare, alternis diſputare, nonnullis vero mane diſſerere, poſt meridiem remoto pulpito, declamare ſolitum. Audiebam etiam memoria patrum

κατ᾽ ἀρχὰς ὀνομασθεῖσα, διετάθη καὶ ἐπὶ τὴν ἐν τοῖς ποικιλωτέροις αὐτῶν, καὶ τεχνικωτέροις θεωρήμασι γνῶσιν. τάχα δὲ ὥς φασιν οἱ περὶ τὸν Ἀσκληπιάδην καὶ αὐτὸ ἀπὸ μὲν γραμμάτων ὠνόμασαι οὐκ ἀπὸ τούτων δὲ, ἀφ᾽ ὧν καὶ ἡ γραμματιστική· ἀλλ᾽ ἐκείνη μὲν, ὡς ἔφην, ἀπὸ τῶν στοιχείων. αὕτη δὲ ἀπὸ τῶν συγγραμμάτων περὶ οἷς πονεῖται· ΓΡΑΜΜΑΤΑ *γὰρ καὶ ταῦτα προσαγορεύεται. καθὰ καὶ δημόσια καλοῦμεν γράμματα. καὶ πολλῶν τινὰ γραμμάτων ἔμπειρον ὑπάρχειν φαμέν. τουτέστιν οὐ τῶν στοιχείων, ἀλλὰ τῶν συγγραμμάτων. καὶ Καλλίμαχος δὲ ποτὲ μὲν τὸ ποίημα καλῶν γράμμα, ποτὲ δὲ τὸ καταλογάδην σύγγραμμά φησι.* prius probat allato epigrammate Callimachi, ubi ſunt iſta: --- *Ὁμήρειον δὲ, καλεῦμαι Γράμμα Κρεωφύλου, Ζεῦ φίλε, τοῦτο μέγα.* poſterius, allato verſu ex epigrammate ejuſdem in Cleombrotum: *Ἓν τὸ περὶ ψυχῆς γράμμ᾽ ἀναλεξάμενος.* ubi *γράμμα* eſt Phœdo Platonis. Affert poſtea Sextus Grammaticæ deſcriptionem ex Dionyſio Thrace hanc: *Γραμματική ἐστιν ἐμπειρία ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον, τῶν παρὰ ποιηταῖς τε καὶ ξυγγραφεῦσι λεγομένων.* deinde vocem *ξυγγραφεὺς*, quæ ſcriptoribus Atticis hiſtoricum fere ſignificat, interpretatur addens: ΞΥΓΓΡΑΦΕΙΣ *καλῶν, ὥς ἐστι ἐκ τῆς πρὸς τοὺς ποιητὰς ἀντεμφάσεως πρόδηλον, οὐκ ἄλλους τινὰς, ἢ τοὺς καταλογάδην πραγματευσαμένους.* Hæc Sextus Empiricus.

VARIOR.

Græca conſuetudine invaluit.] Non protritus uſus vocis. Sic Cæſar 7. de bello Gallico: *univerſis civitatibus, quæ Oceanum attingunt, quæque eorum conſuetudine Armoricæ appellantur.* GRONOV.

ACHILL. STAT.

Et illum quidem.] Vet. impr. *ne illum quidem.* Legendum fortaſſe, *ut illum quidem.*

Non temere quem.] Id eſt, *aliquem.*

Quaſi non perfectum litteris, ſed imbutum.] Horat. lib. 2. Epiſt. ad Florum, de puero ſervo venali, *Litteris Græcis imbutus.* In vet. imp. diſtinctum a cæteris caput, & in manuſcriptis.

Remoto pulpito.] E quo docebant. Horat. in 1. Serm.

Grammaticas ambire tribus, & pulpita dignor.

Audiebat etiam, memoria patrum quoſdam e grammaticis ſtatim ludo tranſiſſe in forum.] Vet. imp. *eludendo*, non *ludo.* leg. *e ludo.* In manuſcripto altero, *e grammatici ſtatim ludo:* in altero, *e grammatici Statii ludo.*

CASAUBON.

Cum familia alicujus venalis produceretur.] Cum aliquis mango, aut alius ſervos ſuos vænum producebat in cataſta. Titulis enim & voce præconis ſingulorum mancipiorum pretia indicabantur. Lege Lucianum *Βίων πρᾶσει.* Propertius libro IV. *At quorum titulus per Barbara colla pependit Cælati medio cum ſaliere foro.* Vide A. Gellium libro IV. cap. 11.

Secundum quam conſuetudinem poſteriores quoque exiſtimo, qu.] Confer hunc locum cum iis, quæ ſcribit Quintilianus libro I. cap. IX. & libro II. cap. primo.

Periphraſes, elocutiones, ethologias.] Mediol. *Paraphraſes, allocutiones.* Optime & veriſſime in eodem *æthologias:* putet aliquis, pro *ætiologias:* ſed rectum eſt, *ethologias.* De iſtis omnibus exercitationibus habes apud rhetores, præſertim Græcos. *ἠθολογίαι* ſunt morum deſcriptiones, puta avari, aut meticuloſi. de quibus notationibus diximus in Prolegomenis ad Theophraſti Characteres.

VARIOR.

Non perfectum litteris.] Cicero in Bruto: *C. Memmius L. F. perfectus litteris: ſed Græcis.* GRONOVIUS.

Repeto quendam Principem.] Hoc eſt, memoria repeto, recordor. GUJET.

VVVV ACHIL.

patrum, quoſdam e grammaticis ſtatim e ludo tranſiſſe in forum, atque in numerum præſtantiſſimorum patronorum receptos. Clari profeſſores, & de quibus prodi poſſit aliquid duntaxat a nobis, fere hi fuerunt.

Sævius Nicanor primus ad famam dignationemque docendo pervenit: fecitque præter 5 commentarios, quorum tamen pars maxima intercepta dicitur, ſatyram quoque: in qua libertinum ſe duplici cognomine eſſe hoc indicat:

Sævius Nicanor Marci libertus negabit:
Sævius Poſthumius idem ſed Marcus docebit.

Sunt qui tradant ob infamiam quandam eum in Sardiniam ſeceſſiſſe, ibique diem obiiſſe.

Aurelius Opilius Epicurei cujuſdam libertus, philoſophiam primo, deinde rhetoricam, 6 noviſſime grammaticam docuit. Dimiſſa autem ſchola, Rutilium Rufum damnatum in Aſiam ſecutus, ibidem Smyrnæ ſimulque conſenuit: compoſuitque variæ eruditionis aliquot volumina, ex quibus novem unius corporis, qui, quia ſcriptores ac poetas ſub clientela Muſarum judicaret, non abſurde & ſcripſiſſe & feciſſe ſe ait ex numero Divarum & appellatione. Hujus cognomen pleriſque indicibus & titulis per unam litteram ſcriptum animadverto: verum ipſe id per duas effert in paraſtichide libelli: qui inſcribitur PINAX.

Marcus

ACHILL. STAT.

5. *Satyram quoque, in qua libertinum ſe, ac duplici cognomine eſſe hoc indicat.*] Placet lectio vet. impr. *In qua libertinum ſe duplici cognomine eſſe per hoc indicat.* Horat. quoque in II. Serm. de ſervo, opinor:

Tanquam habeas tria nomina.

Sævius Nicanor Marci libertus, negabit Sævius Poſthumius idem. At Marcus docebit.] In vet. imp. *Sævius Poſthumus ac Marcus.* in manuſcripto altero, *Servius poſt hujus:* in altero, *Servius poſt hic.* Ego vero verſus e Satyra Nicanoris hos eſſe putabam, itaque conſtituebam, *Sævius Nicanor Marci libertus, negavit Sævius Poſtumius, aſt idem Marcus docebit.*

6. *Verum ipſe id per duas effert in Paraſſichide libellis, qui inſcribitur Pinax.*] Vet. impr. *in paraſtichide libelli.* leg. *in paraſtichide*, ut erat in manuſcriptis, vel *proſtichide libelli, qui inſcribitur Pinax.*

VINET.

5. *Sævius Nicanor.*] Hic, non video, cur eſſe non poſſit, qui *Suevius*, V pro A, dicitur libro tertio & ſexto Saturnaliorum Macrobii. cujus verſus aliquot adducturus Macrobius, poetam longe doctiſſimum appellat.

6. *Aurelius Opilius.*] Qui Cariſio & Feſto frequenter citatur.

CASAUBON.

Quoſdam e grammaticis ſtatim e ludo tranſiſſe in forum.] Poſterius *e* abeſt a Mediolan. Legendum omnino cum libris Achillis Statii: *quoſdam e grammatici ſtatim ludo, tranſ.* ea vera lectio & mens Suet.

5. *Sævius Nicanor.*] Scribo *Suevius*, cum doctiſſimo viro Elia Vineto.

In qua libertinum ſe, ac duplici cognomine eſſe hoc indicat.] Vix conſtat Latinitas. melius Mediol. *in q. l. ſe duplici cognomine eſſe, per hoc indicat: Suevii* duplex cognomen, *Nicanor Poſthumius*, vel *Poſtumejus*, ut videtur ſuadere mox alterius lex verſus.

Ibique diem obiiſſe.] Alia lectio, *ibique dicitur obiiſſe.*

6. *Non abſurde & ſcripſiſſe & feciſſe ſe ait, ex numero Divarum & appellatione.*] Mira brevitas ſermonis. nam hoc vult: quod integrum opus in partes novem tribuiſſet, quodque illi nomen Muſarum impoſuiſſet, non abſurde feciſſe ſe, ex numero Divarum & appellatione. Exiſtimant eruditi novem iſtis libris novem Muſarum nomina eſſe præfixa, ut in Herodoteo opere factum eſt: ſed falluntur. nam opus univerſum Opilii Muſarum nomen tulit: ſingulæ autem dictæ ſunt, liber primus Muſarum, ſecundus Muſarum &c. neque aliter, quod meminerim, a veteribus laudantur.

Hujus cognomen in pl.] Curioſa & grammatica eſt hæc obſervatio: quam refero ad liquidæ geminationem in cognomine *Opillius.* nam in hujuſmodi nominibus quidam ſemel litteram *l* ponebant, quidam geminabant. inde eſt illa etiam in antiquiſſ. codd. varietas, Lucilius, & Lucillius, Popilius & Popillius, & ſimilia.

VARIOR.

5. *Sævius Poſtumius idem.*] Numquid, *Sævius Poſtumianus idem.* Nam *Poſtumius* eſt gentile, eoque nequit eſſe cognomen. GRONOV.

6. *Per unam litteram ſcriptum.*] Videtur excidiſſe figura litteræ, & fuiſſe; *per unam L litteram ſcriptum.*

Gellius

7 Marcus Antonius Gnipho ingenuus, in Gallia natus, ſed expoſitus: a nutritore ſuo manumiſſus inſtitutuſque, Alexandriæ quidem, ut aliqui tradunt, in contubernio Dionyſii Scythobrachionis: (quod equidem non temere crediderim: quum temporum ratio vix congruat) fuiſſe dicitur ingenii magni, memoriæ ſingularis, nec minus Græce quam Latine doctus: præterea comi facilique natura, nec umquam de mercedibus pactus, eoque plura ex liberalitate diſcentium conſecutus. Docuit primum in Divi Julii domo pueri adhuc: deinde in ſua privata. Docuit autem & rhetoricam, ita ut quotidie præcepta eloquentiæ traderet, declamaret vero non niſi nundinis. Scholam ejus claros quoque viros frequentaſſe ajunt: in his Marcum Ciceronem, etiam cum prætura fungeretur. Scripſit multa, quamvis annum ætatis quinquageſimnm non exceſſerit: etſi Attejus Philologus duo tantum volumina de Latino ſermone reliquiſſe eum tradit. Nam cetera ſcripta diſcipulorum ejus eſſe, non ipſius: in quibus & ſuum alicubi reperiri nomen.

8 Pompilius Andronicus, natione Syrus, ſtudio Epicureæ ſectæ deſidioſior in profeſſione grammaticæ habebatur, minuſque idoneus ad tuendam ſcholam. Itaque cum ſe in Urbe non ſolum Antonio Gniphoni, ſed ceteris etiam deterioribus poſtponi videret, Cumas tranſiit, ibique in otio vixit, & multa compoſuit: verum adeo inops atque egens, ut coactus præcipuum illud opuſculum annalium elenchorum ſedecim milibus numum cuidam

Gellius 14. 5. *habere debebit in caſu vocandi I litteram extremam.* IDEM.

In paraſtichide libelli.] Παραςιχὶς, unde *παραςιχίδιον*, continuum ordinem notat. item capita, & primas verſuum litteras.

ACHILL. STAT.

7. *Marcus Antonius Gnipho.*] Hujus etiam meminit Quinctilianus in I. *Sicut*, inquit, *Antonius Gniſo, qui robur quidem & ebur atque etiam marmur fatetur eſſe: verum fieri vult ex his, robura, ebura, marmura.*

Sed expoſitus.] Diſtinguendum videtur hoc loco.

Nam cætera ſcripta diſcipulorum ejus eſſe, non ipſius, in quibus & ſuam alicubi reperi nomen.] In vet. impr. *reperiri*, non *reperi.* ut repetatur, *Attejus Philologus tradit:* itaque eſt in manuſcript.

8. *Præcipuum illud opuſculum Annalium Elenchorum ſexdecim millibus nummum cuidam vendere.*] Placet vet. impr. *Annalium Ennii Elenchorum* XVI. *nummum*, & quæ ſequuntur.

VINET.

7. *Marcus Antonius Gniſo.*] Quem citat Quinctilianus libro primo, & Cariſius ex commentariis in Virgilium, epiſtolis, & orationibus. Macrobius libro tertio Saturnaliorum: *Item Antonius Gniſo, vir doctus, cujus ſcholam Cicero poſt laborem fori frequentabat.*

Dionyſii Scythobrachionis.] Qui ſcribitur Σκυτοβραχίων apud Suidam, & Σκυτευς.

CASAUBON.

7. *In contubernio Dionyſii Scytobrachionis.*] Videtur hic, altero brachio debilis factus, effigiem brachii e corio aliave re levi facto geſtaſſe. id enim eſt *σκυτοβραχίων.* Sed Suida auctore non ſolum Scytobrachion dictus eſt, verum etiam *Σκυτεὺς*, ſutor calceolarius. quare alia fuerit cauſſa hujus appellationis. Recte autem Suetonius antiquiorem hunc fuiſſe pronuntiat, quam ut illi convivere Gnipho hic, Ciceroni æqualis, potuerit. Ætatem illius certo definire non poſſumus: ſed vetuſtum admodum ſcriptorem fuiſſe, declarant verba Athenæi e libro XII. *Ἱςορεῖ Ξάνθος ὁ Λυδὸς, ἢ ὁ τὰς εἰς αὐτὸν ἀναφερομένας ἱςορίας συγγεγραφὼς, Διονύσιος ὁ Σκυτοβραχίων, ὡς Ἀρτεμὼν φησιν ὁ Κασανδρεὺς ἐν τῷ Περὶ συναγωγῆς βιβλίῳ.* Hiſtoriam Lydiaca inſcriptam plerique Xantho Lydo tribuebant; quidam Dionyſio Scythobrachioni. hic Xanthus antiquiſſimus fuit ſcriptor ante Ephorum & Herodotum. Si igitur Dionyſius iſte Julii Cæſaris & M. Tullii ætate vixiſſet: quis tam fatuus eo vel proximo ſæculo reperiri potuiſſet, qui vetuſtiſſimam Hiſtoriam illi adſcriberet? Profecto ne dubitandum quidem erat Suetonio, quin hujus & Gniphonis tempora parum inter ſe congruerent.

8. *Pompilius Andronicus.*] Mediol. *Marcus Pomp. Andr.*

Ut coactus ſit, præcipuum illud opuſculum Annalium Elenchorum ſedecim millibus numum cuidam vendere.] Si hæc lectio vera eſt, index libri a Pompilio editi fuit, *Elenchi Annalium.* quem titulum ferre & aliquo modo interpretari poſſemus, niſi Mediolan. editio & MSS. aliud ſuaderent. In iis ſcriptum: *præc. illud opuſculum ſuum Annalium Ennii Elenchorum* XVI. *numum cuidam vendere.* Docti viri emendanto: ego nihil poſſum.

cuidam vendere. Quos libros Orbilius ſuppreſſos redemiſſe ſe dixit vulgandoſque curaſſe nomine auctoris.

Orbilius Puppillus Beneventanus, morte parentum, una atque eadem die, inimicorum 9 dolo interemptorum, deſtitutus, primo apparituram magiſtratibus fecit: deinde in Macedonia corniculo, mox equo meruit: functuſque militia, ſtudia repetit: quæ jam inde a puero non leviter attigerat: ac profeſſus diu in patria, quinquageſimo demum anno Romam, conſule Cicerone, tranſiit: docuitque majore fama quam emolumento. Namque jam perſenex pauperem ſe, & habitare ſub tegulis, quodam ſcripto fatetur. Librum etiam, cui eſt titulus Perialogos, edidit, continentem querelas de injuriis, quas profeſſores negligenter ab ambitione parentum acciperent. Fuit autem naturæ acerbæ non modo in antiſophiſtas, quos omni ſermone laceravit, ſed etiam in diſcipulos, ut Horatius ſignificat, plagoſum eum appellans, & Domitius Marſus ſcribens,

Si quos Orbilius ferula ſcuticaque cecidit.

Ac ne principum quidem virorum inſectatione abſtinuit: ſi quidem ignotus adhuc, quum judicio frequenti, teſtimonium diceret, interrogatus a Varrone diverſæ partis advocato

ACHILL. STAT.

9. *Librum etiam, cui eſt titulus Perialogos, edidit, continentem querelas de injuriis, quas profeſſores negligenter.*] Legendum videtur, *cui eſt titulus,* *αἰτιαλόγος*. Nam *αἰτία* etiam querelam Græce ſignificat. Senex enim, qui ab Ariſtotele *φιλαίτιος* dicitur, ab Horatio *querulus* nominatur. in vet. impr. *neglegente*, non *neglegenter*. legendum fortaſſe *neglegentes*, vel ut in manuſcriptis, *neglegentia & ambitione.*

VINET.

9. *Et habitare ſub tegulis.*] Turnebus in capite undecimo libri tertii decimi Adverſariorum.

Perialogos.] Si non placet Achillis Statii conjectura de hoc verbo Græco, alias invenies in capite undecimo libri tertii decimi Adverſariorum Turnebi.

Ut Horatius ſignificat.] Verſu ſeptuageſimo epiſtolæ ad Auguſtum libro ſecundo.

Interrogatus a diverſæ partis advocato.] *Prodierat Orbilius in reum teſtis*, inquit Macrobius libro ſecundo Saturnaliorum de jocis, *quem Galba ut confunderet, diſſimulata ejus profeſſione, interrogavit, Quid artium facis? Reſpondit: In ſole gibbos fricare ſoleo.* Erat enim Galba hic, pater Imperatoris Galbæ, vir eloquentia quidem clarus, ſed brevi corpore, & gibbo informi: ut idem Macrobius & Suetonius ſunt auctores.

CASAUBON.

Quos libros Orbilius ſuppreſſos redemiſſe ſe dixit, vulgandoſque curaſſe nomine auctoris] Revocavit nempe Orbilius exemplum Xenophontis, qui in libris Thucydidis idem fecit, magnamque ex ea re nivei candoris laudem eſt conſecutus.

9. *Pauperem ſe, & habitare ſub tegulis.*] Recte *ſub tegulis*, non *pergulis*, ut placet nonnullis. Erat enim paupertatis indicium, in meritorio cœnaculo quod multis ſcalis adiretur, habitare, ut etiam ad extremum Domitianum notabamus.

Cui eſt titulus Perialogos.] Mendoſa vox ſine dubio: quod omnes Græce docti mihi concedent. *Περὶ ἀλογίας* eſſet, *De contemtu*; atque hoc videntur ſequentia Suetonii verba confirmare non obſcure. Vereor tamen, ne, ut fieri amat in librorum titulis, aliquid moroſius excogitatum ſit ab Orbilio.

Quas profeſſores negligenter ab ambitione parentum acciperent.] Quid ſit *negligenter accipere injurias*, alii quærant. ego ſuſpicor ſcribendum, *negligentia & ambitione parentum.*

Quos omni ſermone laceravit.] Non *ſermone*, ſed *occaſione* codex Mediol.

VARIOR.

9. *Primo apparituram magiſtratibus fecit.*] Id eſt, apparitorem egit, ſive ut lib. II. cap. II. Valerius Maximus, *magiſtratibus apparuit.* Locutio, qualis eſt cap. II. & IX.

Deinde in Macedonia corniculo, mox equo meruit.] Adſpice notata ad caput XVII. Domitiani.

Pauperem ſe, & habitare ſub tegulis.] Homines Romæ mediocris fortunæ ſuarum ædium partem ſuperiorem inquilinis locare ſolebant, imam ſibi retinebant: ſed & erant qui cœnaculariam faciebant. Itaque pauperes cœnacula conducebant, cum in ſuo non habitarent. Prudent. lib. I. contra Symm.

Omnis qui celſa ſcandit cœnacula vulgus.

Qui autem omnium tenuiſſimi erant, cœnacula tegulis proxima conducebant. Huc pertinet illud, quod eſt in Epigrammate Martialis:

- - - tegula ſub una,
Et ſcalis habito tribus, ſed altis.

Significat enim, ſe ultimo cœnaculo habitare ſub tegulis. TURNEBUS.

ACHIL.

vocato, quidnam ageret, & quo artificio uteretur, *Gibberoſos ſe de ſole in umbram transferre* reſpondit: quod Muræna gibber erat. Vixit prope ad centeſimum ætatis annum, amiſſa jam pridem memoria, ut verſus Bibaculi docet:

Orbilius ubinam eſt litterarum oblivio?

Statua ejus Beneventi oſtenditur, in Capitolio, ad ſiniſtrum latus, marmorea, habitu ſedentis ac palliati, appoſitis duobus ſcriniis. Reliquit filium ORBILIUM, & ipſum Grammaticum profeſſorem.

10 Attejus PHILOLOGUS libertinus, Athenis natus. Hunc Capito Attejus notus juriſconſultus inter grammaticos rhetorem, inter rhetores grammaticum fuiſſe ait. De eodem ASINIUS POLLIO in libro, quo Salluſtii ſcripta reprehendit, ut nimia priſcorum verborum affectatione oblita, ita tradit. In eam rem adjutorium ei fecit maxime quidam Attejus prætextatus nobilis grammaticus Latinus, declamantium deinde adjutor atque præceptor, ad ſummam Philologus ab ſemet nominatus. Ipſe ad Lucium Hermam ſcripſit, ſe in Græcis litteris magnum proceſſum habere, & in Latinis nonnullum: audiſſe ANTONIUM GNIPHONEM, ejuſque HERMAM: poſtea docuiſſe. Præcepiſſe autem multis & claris juvenibus: in quibus APPIO quoque & PULCHRO, CLAUDIIS, fratribus, quorum etiam comes in provincia fuerit. Philologi appellationem aſſumpſiſſe videtur: quia ſicut Eratoſthenes, qui primus hoc cognomen ſibi vindicavit, multiplici variaque doctrina cenſebatur: quod ſane ex commentariis ejus apparet, quamquam pauciſſimi exſtent; de quorum tamen copia, ſic altera ad eundem Hermam

ACHILL. STAT.

Varrone.] Non eſt in vet. impr. neque quod ſequitur poſt, *Murena.*

10. *Hunc Capito Attejus juriſconſul.*] In vet. impr. *Hunc Capito Attejus natus juriſconſultus.* legendum fortaſſe, *notus juriſconſultus*, quemadmodum in Vaticano altero ſcriptum reperi.

Inter grammaticos rhetorem, inter rhetores grammaticum.] Simile illud de Hermogene rhetore: *Inter ſenes puer, inter pueros ſenex.*

Declamantium deinde adjutor, atque præceptor.] In vet. impr. verbum, *adjutor*, non erat. Ego legendum ſuſpicabar, *auditor, atque præceptor*, ut quos doceret, declamantes audiret.

Ipſe.] Diſtinguendum hoc loco.

Ad Lælium Hermam ſcripſit.] In vet. impr. *Ad L. Hermam ſcripſit.* quod placet.

Audiſſe Antonium Gniſonem, ejuſque Hermam, poſtea docuiſſe.] Lego ac diſtinguo: *Audiſſe Antonium Gniphonem, ejuſque F. Hermam, poſtea docuiſſe.* Ut ſententia ſit, uſum illum præceptoribus, Gniphone atque ejus filio Herma, poſtea præceptorem aliorum fuiſſe.

In quibus Appio quoque & Pulcro Claudiis fratribus.] Deeſſe aliquid videtur ad diſtinctionem Claudiorum fratrum.

Sibi vendicavit.] Lege, *vindicavit.*

VINET.

10. *Attejus Philologus.*] Qui citatur Feſto Pompejo in verbis *Vacerra, Stroppus*, & alibi Cariſio, ac Servio ad verſum ſexcenteſimum & quinctum libri primi Æneidos Virgilii.

Appio quoque.] Publius Clodius fuit a Milone interfectus, anno ab Urbe condita ſeptingenteſimo ſecundo: qui Pompejum Magnum & Metellum Scipionem habuit conſules Iſti Clodio frater fuit Cajus Clodius: duoſque habuit filios, qui patrui ſui mortem adoleſcentuli ſunt perſecuti: ut ſcribit Aſconius Pedianus, ſi forte ſint hi, Clodii fratres, quos Attejum Philologum docuiſſe, Suetonius hoc loco tradit.

CASAUBON.

Quo artificio uteretur.] Fort. *ſe tueretur.* ſic enim M. Tullius & alii Latinitatis optimi ſcriptores loquuntur.

10. *In eam rem adjutorium ei fecit.*] Liber Petavii; *ad. ei fuit.*

Attejus prætextatus.] Scrib. *Prætextatus.* nam eſt Atteji cognomen.

Ejuſque Hermam poſtea docuiſſe.] Quis iſte Hermas? filius Gniphonis an diſcipulus?

Sicut Eratoſthenes.] De hujus ſtudiis & eruditione varia habes apud Strabonem, quæ huc faciunt; ubi plura olim adnotavimus.

VARIOR.

10. *Audiſſe ſe Antonium Gniphonem ejuſque Hermam.*] Fortaſſis, *ejuſque L. Hermam.* id eſt, *libertum.* GRONOVIUS.

Hermam epiſtola ſignificat: HYLEN noſtram aliis memento commendare: quam omnis generis coegimus, uti ſcis, octingentos in libros. Coluit poſtea familiariſſime Cajum Salluſtium, & eo defuncto ASINIUM POLLIONEM: quos hiſtoriam componere aggreſſos, alterum breviario rerum omnium Romanarum, ex quibus quas vellet, eligeret, inſtruxit: alterum præceptis de ratione dicendi. Quo magis miror Aſinium Pollionem credidiſſe, antiqua cum verba & figuras ſolitum eſſe colligere Salluſtio: quum ſibi ſciat nil aliud ſuadere, quam ut noto civilique & proprio ſermone utatur: vitetque maxime obſcuritatem Salluſtii, & audaciam in tranſlationibus.

Valerius Cato, ut nonnulli tradiderunt, Burſeni cujuſdam libertus ex Gallia: ipſe 11 libello, cui eſt titulus INDIGNATIO, ingenuum ſe natum ait, & pupillum relictum, eoque facilius licentia Syllani temporis exutum patrimonio. Docuit multos, & nobiles: viſuſque eſt peridoneus præceptor maxime ad poeticam tendentibus: ut quidem apparere vel his verſiculis poteſt:

Cato Grammaticus, Latina Siren,
Qui ſolus legit, ac facit poetas.

Scripſit præter grammaticos libellos, etiam poemata, ex quibus præcipue probantur Lydia, & Diana. Lydiæ Ticida meminit:

Lydia doctorum maxima cura liber.

Dianæ Cinna:

Sæcula permaneat noſtri Diana Catonis.

Vixit ad extremam ſenectam, ſed in ſumma pauperie, & pæne inopia, abditus modico gurguſtio, poſtquam Tuſculana villa creditoribus ceſſerat, ut auctor eſt Bibaculus:

Si quis forte mei domum Catonis,
Depictas minio aſſulas, & illos

Cuſto-

ACHILL. STAT.

11. *Viſuſque eſt peridoneus præceptor, maxime ad poeticam tendentibus.*] In vet. impr. *ad poetas tendentibus.*

Inſcripſit præter grammaticos libellos etiam poemata.] Legendum videtur, non *inſcripſit*, ſed *idem ſcripſit*, vel *conſcripſit.*

Depictas minio.] Legendum puto, *Et pictas*, propter ordinem.

CASAUBON.

Hylen noſtram] Sunt Excerpta, qualia Plinius ſibi confecerat digeſta in Commentarios centum & ſexaginta, ut narrat Plinius junior.

Alterum breviario rerum Romanarum.] Scripti perperam, *breviore.* amat Suetonius hanc vocem in Auguſto cap. CI. *breviarium totius imperii.* in Veſpaſiano cap. XXI. *perlectis officiorum omnium breviariis.*

Præceptis de ratione dicendi.] Imo vero, *ſcribendi*, atque ita corrige e Mediol. & MSS.

Vitetque maxime obſcuritatem Salluſtii.] Mirum eſt, ſi diſerte monitus fuerat Aſinius Pollio ab Atejo, ut Salluſtii obſcuritatem vitaret; tam iniquum fuiſſe ipſi Atejo Pollionem, ut ſcriberet voces obſoletas ſuggeri ab eo ſolitas Salluſtio. Sed puto verum eſſe quod inveni adnotatum in codice Bongarſii, delendam iſto loco eſſe vocem *Salluſtii.*

11. *Lydiæ Ticida meminit.*] C. Ticida poeta epigrammatarius, de quo, ut de aliis, erudite doctiſſimus Gyraldus. Apud Priſcianum libro V. in noviſſima editione adoleſcentis eruditiſſimi, in cujus obitu damnum fecit Reſp. litteraria, *Atticidas* perperam ſcriptum, pro *C. Ticidas*, ſive quod aliud fuit huic viro prænomen.

Sæcula permaneat noſtri Diana Catonis.] Scribe e libro Petavii, *noſtri Dictynna C.* notum ex poetis & eorum interpretibus Dianæ nomen.

VARIOR.

11. *Depictas minio aſſulas.*] Hoc eſt, fores ex aſſulis compactas. Plautus paſſim habet *aſſulas* pro foribus. GUJET.

Aſſulas.] Aſſulas marmoris in Vitruvio legimus: ſic enim in eo ſcribitur lib. VII. cap. VI. *Cæmenta marmorea ſive aſſulæ dicuntur.* vereor tamen, ne e Paulino *aſtulæ* legendum ſit, cujus verſus eſt libro X. natali Sancti Felicis:

Quamque aqua non poterat, vicit brevis aſtula flammam.

Illam autem aſtulam paulo ante explicat:

De

Cuſtodis videt hortulos Priapi,
Miratur, quibus ille diſciplinis
Tantam ſit ſapientiam aſſecutus,
Quem tres cauliculi, & ſelibra farris,
Racemi duo, tegula ſub una
Ad ſummam prope nutriant ſenectam.

Et idem rurſus,

Catonis modo, Galle, Tuſculanum,
Tota creditor urbe venditabat.
Mirati ſumus unicum magiſtrum,
Summum grammaticum, optimum poetam,
Omnes ſolvere poſſe quæſtiones,
Unum difficile expedire nomen.
En cor Zenodoti, en jecur Cratetis.

Cor-

De crucis æternæ ſumptum mihi fragmine lignum
Promo.

Ut enim quæ franguntur e ligno, aſtulæ ſunt t ſic quod a marmore malleis decutitur. Turneb.

Achill. Stat.

Et illos cuſtodes videt hortulos Priapi.] Legendum, *cuſtodis*, ut ad Priapum referatur. Sæpe cuſtos hortorum Priapus a poetis dicitur.

Quem tres calculi, & ſelibra farris.] Verſus non ſtat, niſi dure ſibi hiatum concurrentium vocalium permiſerit. Et alieni ſunt ab hujus loci ſententia calculi. Emendaram olim, *Quem tres culeoli:* vel *Quem tres cariculæ.* Sed multo probabilius Gabriel Faernus, *Quem tres cauliculi.*

Tegula ſub una.] Idem ante in Orbilio, *Et habitare ſub tegulis quodam ſcripto fatetur.*

Omnes ſolvere poſſe quæſtiones, unum difficile expedire nomen.] *Solvere* atque *expedire* idem valent in quæſtionib. *ſolvere* tranſlatum eſt a nodis: quamobrem etiam addidit, *expedire*, proprie. namque ſolvendo qui non erant, nervo inligati domum ducebantur.

En cor Zenodoti, en jecur Cratetis.] Jecur ſimiliter poſuit Pacuvius apud Cic. in I. de Divin. *Nam iſtis qui linguam avium intelligunt, pluſque ex alieno jecore ſapiunt, quam ſuo, magis audiendum quam auſcultandum cenſeo.*

Vinet.

II. *En cor.*] Turnebus capite undecimo libri tertii decimi, probat hic cor & jecur eſſe prudentiam & ſapientiam. de Zenodoto grammatico Græco Suidas.

Casaubon.

Unum difficile expedire nomen.] Non ſunt audiendi, qui mutant hanc lectionem. jubet enim vir doctus ſcribi, *explicare n.* & affert ex Ambroſii ſermone XXXIX. *tributa ſunt gravia, fiſcalia explicare non poſſumus.* quaſi vero non ſæpe apud Ciceronem & in libris Juris occurrant illa genera loquendi, *expedire pecuniam*, & *expedire nomina:* item his ἀνάλογα multa.

Varior.

Miratur, quibus ille diſciplinis.] An *Miretur quibus ille diſciplinis?* Gujet.

Racemi duo, tegula ſub una.] Poteſt eſſe hyperbole, qualis in cæteris. Suſpicabar tamen, *tegula ſub ipſa.* Gronov.

Tegula ſub una.] Forte *ima*, hoc eſt, tecto imo, id eſt, depreſſo. An *tegula una*, hoc eſt, tecto exiguo, ὑπερβολικῶς; τὸ *tegula una* alludere videtur ad τὸ *racemi duo.* Gujet.

En cor Zenodoti, en jecur Cratetis.] Cor eſſe Latinis prudentiam & ſapientiam, cognomen Corculi ſatis oſtendit: & verſus Ennii:

Egregie cordatus homo, catus Ælius Sextus.

Jecur etiam in eadem ſignificatione hic ponitur. Nam in eo etiam, non tantum in corde, ſenſa animi collocata & affectus credebant, eamque animi ſedem domiciliumque exiſtimabant. Ita plane Perſius Sat. I.

Quo didiciſſe, niſi hoc fermentum, & quæ ſemel intus
Innata eſt, rupto jecore exierit caprificus?

Eleganter & perfacete dixit: ut erumpere ſolent e parietinarum & monumentorum veterum commiſſuris ſteriles ficus. Non ab alia origine & mente eſt, quod dixit eadem Satyra:

- - - neque enim mihi cornea fibra eſt.

Et quinta:

Quod latet arcana non enarrabile fibra.

Nam in jecore fibræ ſunt. Turnebus.

Achil.

Cornelius Epicadius Lucii Cornelii Syllæ dictatoris libertus, calatorque ſacerdotio 12
augurali, filioque ejus Fauſto gratiſſimus fuit: quare nunquam non utriſque ſe libertum edidit. Librum autem, quem Sylla noviſſimum de rebus ſuis imperfectum reliquerat, ipſe ſupplevit.

Staberius Hiera ſuo hero emptus de cataſta, & propter litterarum ſtudium manumiſ- 13
ſus, docuit inter ceteros Brutum & Caſſium. Sunt qui tradant tanta cum honeſtate præditum, ut temporibus Syllanis, proſcriptorum liberos, gratis & ſine mercede ulla in diſciplinam receperit.

Curtius Nicia hæſit Cnæo Pompejo & Cajo Memmio: ſed quum codicillos Memmii 14
ad Pompeji uxorem de ſtupro pertuliſſet, proditus ab ea, Pompejum offendit: domoque ei interdictum eſt. Fuit & Marci Ciceronis familiaris: in cujus epiſtola ad Dolabellam hæc de eo legimus: Omnino mihi litteræ magis ſunt expetendæ a te, quam a me tibi. Nihil enim Romæ geritur quod te putem ſcire curare, niſi forte ſcire vis me inter Niciam noſtrum & Vidium judicem eſſe. Profert alter, opinor, duobus verſiculis expenſum Niciæ: alter Ariſtarchus hos ὀβελίζει. Ego tamquam criticus antiquus judicaturus

ACHILL. STAT.

12. *Quare nunquam non utriuſque ſe libertum edidit.*] In vet. impr. *quaſi numquam non* quod idem valet, quod *fere ſemper.* ſed prior lectio etiam probanda, quæ in altero erat manuſcripto.

13. *Taberius Hiera ſuo hero emtus de cataſta.*] In vet. impr. *Taberius hero ſuo morem emtus,* in qua lectione tantum muto, *more.* quod poſitum videri poſſit, ut a Cic. *moribus*, in Orat. pro Cæcina: *Placuit Cæcinæ de amicorum ſententia conſtituere, quo die in rem præſentem veniretur, ut de fundo Cæcina moribus deduceretur.* Ac poſt: *Ibi tum Cæcinam poſtulaſſe, ut moribus deductio fieret.* In manuſcripto altero legitur: *Staberius hero ſuo Metre emtus de cataſta.* in altero: *Straberius nametra epturus.* ex quo faciebam, N. M. C. ut ſit *nummorum millibus centum.*

14. *Curtius Nicia.*] In vet. impr. *Hirtius Nicia.*

Omnino mihi.] Pauciora leguntur in vet. impr. hæc ſcilicet: *Nihil Romæ geritur, quod te putem ſcire curare, niſi forte ſcire vis, me inter Niciam noſtrum, & Vidium, judicem eſſe. profert alter duobus verſiculis,* & quæ ſequuntur.

VINET.

12. *Cornelius Epicadus.*] Is fortaſſe, quem citat Macrobius libro primo Saturnaliorum de Sigillaribus.

Quem Sylla.] Lucius Cornelius Sylla dictator, de rebus ſuis commentaria ſcripſit, auctore Plut.

13. *Laberius Hiera.*] Qui & *Tiberius Hiera*, T. pro L. ut principium hujus vocabuli varie corruptum eſſe a librariis, annotavit Statius.

14. *In cujus epiſtola ad Dolabellam.*] Libro nono earum, quæ vulgo Familiares inſcribuntur: *Non ſum auſus.* ad Atticum vero libro duodecimo.

CASAUBON.

12. *Calatorque ſacerdotio augurali.*] Καλήτωρ Dionyſio Halic. in hiſtoria Rom. Græcis κῆρυξ. Plautus, Feſtus, alii.

13. *Laberius Hiera ſuo hero emptus de cataſta.*] Mediol. *Staberius*; quod perplacet. gens Romæ nota Staberia. cætera ſive in Med. ſive in MSS. corruptiſſima, ut jam adnotavit Achilles.

14. *Inter Niciam noſtrum & Vidium.*] Med. *Nidium.* Scripti, *Nudium.* editiones Ciceronis *Videum.*

VARIOR.

14. *Emptus de cataſta*] Cataſta erat pegma ligneum, in quo ſuos vænales collocabant mangones, cum illos vendebant aut venditionem parabant, in quo nudabantur, ut emptores diligentes, eſſentne omnia membra integra & valida, poſſent perſpicere. Plin. lib. XXXV. de Chryſogono Syllæ liberto: *Talem in cataſta videre Chryſogonum Syllæ.* Cicero *machinas* vocat cataſtas, de petitione Conſulatus, loquens de Catilina: *quo in magiſtratu amicam, quam palam domi haberet, de machinis emit.* CASAUBONUS ad Perſ. Sat. VI. quem vide pluribus ibi de cataſta erudite diſputantem.

14. *Ego tanquam criticus antiquus judicaturus ſum, utrum ſint τῶ ποιητῶ, an παρεμβεβλημένοι.*] Critici, tertium genus grammaticorum, non probos tribu movere poſſunt, ut ille apud Auſonium:

Quique notas ſpuriis verſibus addiderat.

Neque tantum quæ perperam ab auctoribus dicta, ſcripta, pronunciata ſunt, ἀθετεῖν, ὀβελίζειν, ſed & aliorum criticorum temere ſcita notare ac caſtigare ſolebant. quam κρίσιν εἰκαίως ἀθετήσεις vocabant. Sed præcipua hujus ſtudii pars, tranſpoſita in auctoribus ſuis ſedibus vindicare, ut fecit ille,

Qui ſancti lacerum collegit corpus Homeri.

Quo nomine μεταθέσεις τῶν γραφῶν valde celebrarunt. Et conciliatio ſententiarum etiam in philoſophis ad

caturus ſum, utrum ſint τῦ ποιητῦ, an παρεμβεβλημένοι. Item ad Atticum: De Nicia quod ſcribis, ſi ita me haberem ut ejus humanitate frui poſſem, in primis vellem illum mecum habere, ſed mihi ſolitudo & receſſus provincia eſt. quod quia facile ferebat Sicca, eo magis illum deſidero. Præterea noſti Niciæ noſtri imbecillitatem, moll ciem, conſuetudinem victus. Cur ergo illi moleſtus eſſe velim, quum mihi ille jucundus eſſe non poſſit? Voluntas tamen ejus mihi grata eſt. Hujus de Lucilio libros etiam ſatyra comprobat.

15 Lenæus Pompeji Magni libertus, & pene omnium expeditionum comes, defuncto eo, filiiſque ejus, ſchola ſe ſuſtentavit: docuitque in Carinis ad Telluris ædem: in qua regione Pompejorum domus fuerat: ac tanto amore erga patroni memoriam exſtitit, ut SALLUSTIUM hiſtoricum, quod eum oris improbi, animo inverecundo ſcripſiſſet, acerbiſſima ſatyra laceraverit, laſtaurum & lurconem, & nebulonem, popinonemque appellans: & vita ſcriptiſque monſtroſum: præterea priſcorum, Catoniſque verborum ineruditiſſimum furem. Traditur autem puer adhuc catenis ſubreptus, refugiſſe in

eos pertinebat. ejuſmodi ſunt συμφωνίαι τῶν δογμάτων in Platone a veteribus Criticis notatæ. JOSEPHUS SCALIGER.

ACHILL. STAT.

Item ad Atticum, de Hicia.] Legendum, *De Nicia.* In vet. impr. *De Hirtio.* epiſt. Cic. in XII. ad Atticum, cujus initium, *Scripſit ad me diligenter Sicca.*

Cur ego illi.] Probabiliter etiam in vet. imp. *Cur ergo illi.*

Hujus de Lucilio libros etiam ſatyra comprobat.] Mendoſe, opinor, ſic legitur. emendabant, *Ejuſdem Lucilii libros etiam ſatyra comprobat.* vel, *Hujus de Lucilio libros etiam Santra comprobat.* Santræ Quinctil. & Nonius Marcellus in verbo *Bacchari* meminerunt.

15. *Quod eum oris improbi, animo inverecundo ſcripſiſſet.*] Vet. imp. *quod eum oris probum.* in altero manuſcripto, *oris probi.* Legebam, *ore probo.* vel *quod eum ore is probo.* illud enim *os probum* Pompeji valde commendatur.

Laſtaurum.] Græco verbo.

Præterea priſcorum, Catoniſque verborum ineruditiſſimum furem.] Probior lectio vet. impr. *præterea priſcorum Catonis verborum,* &c.

VINET.

15. *Lenæus.*] Apud Plinium libro quincto decimo & viceſimo quincto, Pompejus Lenæus: ut liberti ſuorum patronorum nomina ſumebant. Lenæus tantum apud Aulum Gellium libri ſeptimi decimi capite ſexto decimo.

CASAUBON.

Hujus de Lucilio libros etiam ſatyra comprobat.] Script. *Satura compr.* quid ſibi hæc verba velint, non facile dixero.

15. *Laſtaurum.*] Λάσαυρον. hoc eſt, πόρνον & impudicum. ſcripta lectio varie corrupta ex imperitia Græcæ linguæ videtur. Lenæus hanc vocem mutuatus ab aliquo e Latinis poetis, qui poetica licentia eam fecerat Romanam.

Traditur autem puer adhuc catenis ſubreptus.] Videtur ab aliquo amicorum ſubreptus, cum ipſe oſtiarius veterum more in catena eſſet, ſicut loquitur Tranq. in Octacilio. Sed non ſit abſurdum ſuſpicari, pro *catenis*, ſcribendum eſſe *quadriennis*, aut tale quid.

VARIOR.

15. *In Carinis.*] De his, ac Pompejana domo ad cap. XV. Tiber.

Ad Telluris ædem.] Telluris ædes, quæ Romæ prima memoretur, ea eſt, quam exſtruxere in area Spurii Caſſii, publicata anno CCLXVIII. Meminit Cicero pro domo ſua, & Valerius Maximus libro VI. cap. III. Anno quoque CCCCLXXXV. P. Sempronius Sophus ædem Telluri vovit: cum, acie jam inſtructa adverſus Picentes, terra contremuiſſet, eaque res ingentem incuſſiſſet horrorem Romanis, ſic ut ad pugnandum vix poſſent compelli. Auctores Florus lib. I. cap. XIX. & Oroſius lib. IV. cap. IV. Etiam deæ hujus ædem memorat Plinius lib. XXXIV. cap. VI. Non multum abfuiſſe a Carinis, indicat hic Suetonius. Sicut & P. Victor, qui in quarta collocat Urbis regione, itidem non procul a Carinis. VOSSIUS.

Oris improbi, animo inverecundo.] Haud dubie, *oris probi.* Plinius 7. 12. *Magno Pompejo Vibius quidam e plebe & Publicius etiam ſervitute liberatus, indiſcreta prope ſpecie fuere ſimiles, illud os probum reddentes.* Idem lib. 37. 2. *Imago Cn. Pompeji, illa regio honore grata, illa probi oris venerandique per cunctas gentes.* Seneca epiſt. 11. *Nihil mollius ore Pompeji: nunquam non coram pluribus erubuit, utique in concionibus.* Ubi & Lipſius ſic, ut volebamus. GRONOVIUS.

Laſtaurum.] Taurus pars eſt obſcœna: ut apud Feſtum in Solitaurilibus: *Atque harum hoſtiarum omnium*

in patriam: perceptiſque liberalibus diſciplinis, pretium domino ſuo retuliſſe: verum ob ingenium & doctrinam manumiſſus.

Quintus Cæcilius Epirota, Tuſculi natus, libertus Attici Satrii equitis Romani, 16
ad quem ſunt Ciceronis epiſtolæ, cum filiam patroni nuptam Marco Agrippæ doceret, ſuſpectus in ea, & ob hoc remotus, ad Cornelium Gallum ſe contulit: vixitque una familiariſſime, quod ipſi Gallo inter graviſſima crimina ab Auguſto objicitur. Poſt deinde damnationem mortemque Galli, ſcholam aperuit: ſed ita, ut paucis, & tantum adoleſcentibus, præciperet, prætextato nemini, niſi ſi cujus parenti hoc officium negare non poſſet. Primus dicitur Latine ex tempore diſputaſſe, primuſque Virgilium & alios poetas novos prælegere cœpiſſe: quod etiam Domitii Marſi verſiculus indicat:

Epi-

omnium immolati ſunt tauri, quæ pars cæditur in caſtratione. inde laſtauri dicti. TURNEB. Adde Suidam: *λάσταυρος, πόρνος, δασὺς τὸν ταῦρον, λασιόταυρός τις ὤν.*

Puer adhuc catenis ſubreptus.] Conjiciebam, *Catinæ*, quod Siciliæ oppidum eſt. Fuerit a plagiario quodam ſurreptus ſuis aſportatuſque in alium locum & venditus ſervitutem ſervierit; deinde grandior undecumque cognita origine refugerit in patriam, atque ibi ſtudiis exculius adeo non tulerit jacturam domini, ut ultro ei referret ſummam pretii, quo ab eodem emptus fuerat. GRONOVIUS.

ACHILL. STAT.

Pretium domino ſuo retuliſſe.] In vet. imp. ut in manuſcriptis, *pretium ſuum retuliſſe.* Emendabam, *pretium ſui retuliſſe*: nam *domino*, addititium videtur.

16. *Attici Satrii.*] Vet. impr. *Sarti*, non *Satrii.*

Suſpectus in ea.] Legendum fortaſſe *in eo.*

Poſt deinde damnationem.] In vet. impr. *poſtinde*, uno verbo, quod accuſandi caſum regat.

Et alios poetas novos perlegere cœpiſſe.] Lego *prælegere*, non *perlegere*, ut in manuſcriptis erat.

VINET.

Libertus Attici Satrii equitis Romani.] Nemini dubium ſit, quin hic intelligat Suetonius Titum Pomponium Atticum, ad quem exſtant libri ſedecim Epiſtolarum a Marco Tullio Cicerone ſcriptarum. Primum enim a majoribus acceptam equeſtrem dignitatem perpetuo obtinuit: filiamque virginem Agrippæ Auguſti Cæſaris poſtea genero, collocavit Atticus ille: ut de eo memoravit Cornelius Nepos. Deinde, ut auctores ſunt iidem Nepos, & Cicero in prima illarum epiſtolarum, avunculum is habuit Quinctum Cæcilium: a quo moriente fuit teſtamento adoptatus, hæreſque factus ex dodrante. Adoptati autem nomina eorum gerebant, a quibus adoptati fuerant: ut de Scipionibus & Cæſaribus oſtendimus in iis, quæ in Eutropium ſcripſimus. Atticus ergo noſter, Titus Pomponius Atticus, Quinctus Cæcilius Pomponianus fuit appellatus. Atque hinc ejus libertus Epirota, Quinctus Cæcilius, patroni nominibus: ut ſupra diximus Romæ fieri ſolitum. Verum iſtud *Satrii* vocabulum undenam ortum? Fuit quidem Satrius inter Romana nomina. In epiſtolis namque ejuſdem Ciceronis ad Brutum memoratur Satrius quidam Trebonii legatus. In prima ad Atticum, qui nunc *Satyrus* eſt, vidi, cum *Satrius* imprimeretur. Eſt Satrius Secundus apud Tacitum libro quarto. Suntque alibi alii. Verum de tertio Quincti Cæcilii avunculi nomine nihil comperi, & timeo ut ne iſtud *Satrii*, quod & *Sarti* quoque aliquando fuit, ortum ſit ex hac confuſione, *Liberti Attici.* Idem Suetonius de Tiberio Cæſare: *Agrippinam Marco Agrippa genitam, neptem Cæcilii Attici equitis Romani, ad quem ſunt Ciceronis epiſtolæ, duxit uxorem.*

CASAUBON.

Pretium domino ſuo retuliſſe.] Servi quibus erat peculii copia, libertatem ſuam præſenti pecunia redimebant; quibus non erat, fidem ſuam obligabant. quod hic videtur feciſſe. refert igitur pecuniam veteri domino jam patrono ſuo, quam ex pacto illi debebat. Dominus in honorem litterarum pretium non accipit. Poteſt etiam dici, tam diu ſerviſſe Lenæum, donec litteras docendo idoneam pecuniam quæſiiſſet. Ita interpretamur editam lectionem, quam docti quidam ſollicitant.

16. *Libertus Attici Satrii.*] Satriam gentem Romanam etiam ex epiſtolis Ciceronis habemus notam. Sed hoc cognomen unde Pomponio Attico? aut quis alibi illud legit? Omnino inducenda vox *Satrii*; quæ e depravata lectione Mediol. & aliquot MSS. ortum habuit. in illis eſt, *Libertus Sarti eq.* littera *S* e fine præcedentis dictionis initio ſequentis male adhærens, fons & origo depravationis fuit. Porro Cæcilius hic etſi libertus Attici erat, Pomponius tamen dictus ab eo non eſt, verum Cæcilius, de nomine avunculi Q. Cæcilii, cujus hereditatem Atticus adierat. neque dubium bonorum Cæcilii partem fuiſſe hunc ſervum.

Poſt deinde damnationem.] Med. *Poſt inde damn.* elegans trajectio, *ἀντὶ τοῦ*, *deinde poſt damn.*

ACHIL.

Epirota tenellorum nutricula vatum.

17 Verrius Flaccus, libertinus, docendi genere maxime inclaruit. Namque ad exercitanda diſcentium ingenia æquales inter ſe committere ſolebat, propoſita non ſolum materia, quam ſcriberent, ſed & præmio, quod victor auferret. Id erat liber aliquis antiquus, pulcher, aut rarior. Quare ab Auguſto quoque nepotibus ejus præceptor electus, tranſiit in Palatium cum tota ſchola; verum ut ne quem amplius poſthac diſcipulum reciperet: docuitque in atrio Catilinæ domus, quæ pars palatii tunc erat; & ſeſtertia centena in annum accepit. Deceſſit ætatis exactæ ſub Tiberio. Statuam habet Præneſte, in inferiore fori parte, contra hemicyclum: in quo faſtos a ſe ordinatos, & marmoreo parieti inciſos, publicarat.

Lucius

ACHILL. STAT.

17. *Verum ut neque amplius poſthàc diſcipulum reciperet.*] Lego, *ut ne quem amplius.*

In atrio Catilinæ domus.] Uno in manuſcripto, *Catulinæ*, ut Catuli domus fuerit. fuit enim domus Q. Catuli regione X. in qua Palatium, alia ejuſdem regione V.

Seſtertia centena.] In vet. impr. *centena ſeſtertia.*

Statuam habet Præneſte in inferiore fori parte.] Mendoſe ſcriptum videtur *Præneſte.* Octavius Pantagathus mutabat in, *pro Veſtæ.* ut ſtatua Verrii fuerit ante Veſtæ templum, octava regione videlicet, in qua forum. Antonius Auguſtinus legebat, *pedeſtrem.* Ego vero faciebam, *pura veſte.* ut ſtatua Flacci veſte ſuerit pura & ſimplici, nullis argumentis. Eodem prope modo eſt in veteri monumento Romæ apud Marianum, civem Romanum, in eo vico qui hodie dicitur, Spolia Chriſti:

HUIC SENATUS, AUCTORE M. AURELIO ANTONIO AUG. ARMENIAC. MEDIC. PARTHIC. MAXIMO. GERM. SARMAT. STATUAM PONI HABITU CIVILI, IN FORO DIVI TRAJANI, PECUNIA PUBLICA, CENSUIT. Sic Plin. in XXXI. *puros limniſcos* dicit. *Puri*, inquit, *diu fuere hi, cælare eos primum inſtituit P. Appius Pulcher.* Nec tamen repugno, quo minus etiam *Præneſte* legatur. fieri enim potuit, ut etiam Præneſte, quemadmodum Romæ, Verrii ipſius faſti fuerint marmoreo parieti inciſi.

Contra hemicyclum.] In vet. impr. *contra heniculum.* Legendum opinor, *contra ſenaculum.* fuit enim eadem regione, inter Capitolium & forum, ſenaculum, ubi magiſtratus cum ſenioribus deliberabant. auctor Victor. id erat, opinor, ſenaculum aureum. in altero manuſcripto, *hemicyclum*, in altero *hemicidium*: ac ſi id factum Præneſte accipimus, hemicyclum illic fuiſſe intelligamus. cujus nulla apud Victorem mentio.

In quo faſtos a ſe ordinatos, & marmoreo parieti inciſos] Quorum putantur eſſe fragmenta, quæ hodieque viſuntur Romæ in Capitolio, muro impreſſa, eruta e fori ipſius ruinis.

Publicaret.] Lego, *publicarit*, vel *publicarat.* Utrumque enim convenit, utrumque aptius, quam *publicaret.*

VINET.

17. *Verrius Flaccus.*] Prænomine Marcus. quem floruiſſe ad annum Chriſti nati decimum, Latina Euſebii Chronica memorant. Citatur Plinio, Gellio, Feſto, Macrobio, Priſciano, & aliis veteribus.

Seſtertia centena.] Centum ſeſtertia ſunt Budæo duo millia & quingenti aurei Francici.

Præneſte.] Hoc Præneſte, & hæc Præneſtis, auctore Servio, urbs fuit, ab Roma non plus viginti millia paſſuum diſtans. Sed hic aliter eſſe legendum, quam *Præneſte*, multi docti viri ſunt ſuſpicati: ut ex Stano, & Onuphrio de tabulis Capitolinis, cognoſces.

CASAUBON.

17. *Ab Auguſto quoque nepotibus ejus.*] Scrib. *nepotibus ſuis.* error e ſcribendi conſuetudine, nota vel ex Florentinis Pandectis.

Statuam habet Præneſte.] Aſſentior Octavio Pantagatho, feliciter emendanti *pro Veſtæ*, vel *pro æde Veſtæ.* cauſſas emendationis pluribus perſequitur Onufrius initio Faſtorum.

Et marmoreo parieti inciſos.] Petavianus codex, *& marmori perite inciſos.*

VARIOR.

17. *Seſtertia centum.*] Sunt bis mille quingenti coronati.

Contra hemicyclum.] Lego, *hemicyclium.* Cicero de Amicitia: *tum memini domi in hemicyclio ſedentem in eum ſermonem illum incidere.* Plutarchus in Nicia: Νέȣς ἐν παλαίςραις καὶ γέροντας ἐν ἐργαςηρίοις καὶ ἡμικυκλίοις συγκαθεζομένȣς. Idem Περὶ ἀδολεσχίας· κἂν ἐν ἡμικυκλίῳ τινὶ καθεζόμενοι. Sidonius lib. 2. epiſt. 2. *excepto ſolii capacis hemicyclio.* Apud Plinium quoque lib. 5. ep. 6. *Rectus hic hypodromi limes. In extrema parte hemicyclio frangitur*, legendum. nam in membranis bibliothecæ Acad. eſt *hemicidio*: & diſtinguitur prorſus ſcribiturque *ypodromi* & *hypodromus*, ut voluit ad Sidonium Sirmondus, non *hippodromus.* GRONOV.

Lucius Craſſitius genere Tarentinus ordinis libertini, cognomine Paſides, mox Panſam ſe tranſnominavit. Hic initio circa ſcenam verſatus eſt, dum Mimographos adjuvat. deinde in pergula docuit, donec commentario Smyrnæ edito, adeo inclaruit, ut hæc de eo ſcriberentur: 18

Uni Craſſitio ſe credere Smyrna probavit:
Deſinite indocti conjugio hanc petere,
Soli Craſſitio ſe dixit nubere velle:
Intima cui ſoli nota ſua exſtiterint.

Sed cum edoceret jam multos, ac nobiles, in his Julium Antonium triumviri filium, ut Verrio quoque Flacco compararetur, dimiſſa repente ſchola tranſiit ad Quinti Septimii philoſophi ſectam.

Scribonius Aphrodiſus, Orbilii ſervus atque diſcipulus, mox a Scribonia Libonis filia, quæ prior Auguſti uxor fuerat, redemptus & manumiſſus, docuit, quo Verrius tempore, cujus etiam libros de Orthographia reſcripſit, non ſine inſectatione ſtudiorum morumque ejus. 19

Cajus

ACHILL. STAT.

18. *Ordinis libertini.*] Ordo conditionem ſignificare videtur hoc loco, ut apud Terentium in Eunucho: *Conveni hodie adveniens quendam mei loci hinc atque ordinis.* Aliter Eventius, ſed apud me Suetonii pluris eſt auctoritas.

In pergula docuit.] Vet. impr. *percula.* pergulam autem pro pulpito videtur accepiſſe.

Intima cui ſoli nota ſua exſtiterint.] In vet. impr. *vota*, non *nota*, in eam ſententiam, Vota Smyrnæ Craſſitio fuerunt intima: ſolus quid ſibi vellet Smyrna, Craſſitius intellexit. Intelligit autem, opinor, *Smyrnam*, poema Cinnæ.

Ad Q. Septimii ſectam.] In vet. impr. *Septimi.* Atque hic ſit fortaſſe Septimus, de quo ſæpe Horatius.

19. *Cujus etiam libros de Orthographia reſcripſit.*] Damnavit, &, ut docti quidam loquuntur, retractavit. Fuit autem, in quo reprehenditur, Verrius putidiuſculus.

VINET.

18 *Commentario Smyrnæ edito.*] Commentario in Smyrnam carmen Cinnæ: de quo exſtat Catulli epigramma, & cujus meminit Servius in nonum Bucolicum Virgilii.

CASAUBON.

18. *Cognomine Paſides.*] Corrige e MSS. *Paſicles.* error frequentiſſimus, *d* pro *cl.* quod autem Paſicles poſtea Panſam dici ſe maluit, ratio clara eſt, quia Panſa cognomen erat multarum gentium Romanarum, ut Apulejæ, Genutiæ, Serviliæ, Seſtiæ, Vibiæ. at Paſicles Græcum nomen, memoriam ſervabat prioris ſervitutis, quæ per hanc tranſnominationem videbatur poſſe aboleri.

Ad Q. Septimii philoſophi ſectam.] Pithœi & Petavii codd. *Ad Sextii phil. ſ.*

19. *Cujus etiam libros de Orthographia reſcripſit.*] Reſcribere librum ſuum auctor dicitur, qui corrigendi ſtudio illum recenſet, aut iterum ſcribit. Sic loquitur Suet. in Julio cap. LVI. *exiſtimatque reſcripturum & correcturum fuiſſe.* at pro ἀντιγράφειν & contra ſcribere *reſcribere librum* vix putem Latinum. Lego igitur, *libris de O. reſc.*

VARIOR.

18. *Cognomine Paſides.*] Leg. *Paſicles*, aut *Paſides.* SALMAS.

Deinde in pergula docuit.] Cum Suetonius inquit, Auguſtum Apolloniæ adſcendiſſe pergulam Theogenis mathematici, intelligendum, adſcendiſſe ad locum apertum in domus ſuperna parte, in quo Theogenes artem ſuam docebat & profitebatur, quo in loco & alii artifices ſe exercere, & res venales exponere conſueverant. Vopiſcus in Saturnino: *In Africa rhetoricæ operam dederat, Romæ frequentaverat pergulas magiſtrales.* Juvenalis:

Sed nec ſtructor erit, cui cedere debeat omnis
Pergula.

Hinc & illud Lucilii:

Pergula pictorum veri nihil, omnia ficta.

MARCELLUS DONATUS.

Uni Craſſitio ſe credere.] Lego, *cedere.* id eſt, evenire, vel in manum convenire. Ut Ovidius lib. 1. Met. *Ceſſerunt nitidis habitandæ piſcibus undæ.* Juſtinus lib. 13. *Summus caſtrorum tribunatus Seleuco Antiochi filio ceſſit.* De ipſo poematio Catullus: *Smyrna mei Cinnæ nonam poſt denique meſſem, Quam cœpta eſt nonamque edita poſt hiemem.* GRONOVIUS.

Uni Craſſitio.] An Catulli eſt, cujus & illud *Smyrna mei Cinnæ nonam poſt denique meſſem, Quam cœpta eſt.* &c. GUJET.

19. *Cujus etiam libros.*] Leg. *libro*, vel *libris.* SALM.

ACHIL.

20 Cajus Julius Higinus, Augusti libertus, natione Hiſpanus, etſi nonnulli Alexandrinum putant, & a Cæſare puerum Romam advectum, Alexandria capta. Studioſe & avide imitatus eſt Cornelium Alexandrum grammaticum Græcum: quem propter antiquitatis notitiam, Polyhiſtorem multi, quidam Hiſtoriam vocabant. Præfuit Palatinæ bibliothecæ: nec eo ſecius plurimos docuit: fuitque familiariſſimus Ovidio poetæ & Cajo Licinio conſulari, hiſtorico: qui eum admodum pauperem deceſſiſſe tradit, & liberalitate ſua, quoad vixit, ſuſtentatum. Hujus libertus fuit Julius Modeſtus, in ſtudiis atque doctrina veſtigia patroni ſecutus.

Cajus

ACHILL. STAT.

20. *Et a Cæſare puerum Romam advectum.*] In vet. imp. *adductum*, non *advectum*.

Studioſe & avide imitatus eſt Cornelium Alexandrum.] In vet. impr. non *avide*, ſed *audiit*. Legendum fortaſſe, *ſtudioſe audiit, & imitatus eſt Cornelium Alexandrum*.

In ſtudiis atque doctrina, veſtigia patroni ſecutus.] Legendum fort. *in ſtudiiſque doctrinæ*.

VINET.

23. *Cajus Julius Hyginus.*] Huic duo priora nomina ſunt a patrono Cajo Julio Cæſare Octaviano Auguſto. Tertium undecumque ſit, *Hyginus*, *Higinus*, *Iginus*, in noſtris codicibus varium reperimus: ſed in antiquis Veronenſium marmoribus *Hygenus*, & inde *Hygina*, eſt prima vocali Græca, & ea aſpirata, uti nuper vulgatum fuit. Poteſt autem hic eſſe cujus exſtant fabulæ, & aſtronomica ad Marcum Fabium: quiſquis hic ſit Fabius. Nam Quintilianum credere, qui libros de Inſtitutione Oratoria ſcripſit, nihil neceſſe eſſe video: & cujus commentaria in Virgilium memorat Aulus Gellius libri primi capite ſexto. Aurelius Macrobius libro tertio Saturnaliorum, libros de Diis Penatibus, & Proprietatibus Deorum: ac de Urbibus, libro quinto, Serviuſque in ſeptimum Æneidos Virgilii. de Agricultura vero Cariſius, & quædam alia. Sed qui de Limitibus Conſtituendis ſcripſit, & quæ Gromatica inſcribuntur, in quorum titulo *Hygenus*, (*e* in ſecunda ſyllaba,) vocatur: hunc vel ſolum, quod in eo mendoſiſſimo opere legitur, *Nuper ecce quidam evocatus Auguſti, vir militaris diſciplinæ, profeſſionis quoque noſtræ capaciſſimus, quum in Pannonia agros veteranis ex voluntate & liberalitate Imperatoris Trajani Auguſti aſſignaret*, potuit Volaterrano probare, alium omnino eſſe a Cajo Julio Hygino. Trajanus enim annis poſt natum Chriſtum plus centum imperare cœpit: & Julius Hyginus annis jam multis ante natum Chriſtum illuſtris erat: ut ipſa etiam Euſebii Latina Chronica teſtantur.

Cornelium Alexandrum grammaticum Græcum.] Huic proprium nomen eſt Ἀλέξανδρος apud Suidam, ſed qui a Cornelio Lentulo, cui ſerviit, & pædagogus fuit, manumiſſus, *Cornelius Lentulus Alexander* dictus ſit. Ei patria fuit, quæ Bianti illi ſapienti, Miletus urbs Aſiæ. Syllanis temporibus Romæ erat. ſed non addit Suidas, quoto Urbis anno apud Laurentes incendio perierit. unde cognoſcamus, numne Julius Hyginus audire potuerit, an non. Nam Alexandria urbs Ægypti, ab Julio Cæſare dictatore capta fuit, non plus annis triginta quinque poſt felicem illam victoriam Syllanam.

Quem.] Cornelium Alexandrum. *Polyhiſtor* autem cur hic & apud Solinum, & Gellium de Apione, aſpiratur contra morem ſuorum Græcorum? qui πολυΐστωρ ſcribunt, hoc eſt, p lyiſtor.

Et Cajo Licinio conſulari hiſtorico.] Hunc ego non poſſum agnoſcere inter multos poetas, oratores, hiſtoricos, Senecæ, Gellio, Feſto, Cariſio, & aliis memoratos.

Julius Modeſtus.] Quem Cariſius, Diomedes, Gellius, Quintilianus citat, & ſic laudat Martialis in epigrammate viceſmo primo libri decimi:

Scribere te, quæ vix intelligat ipſe Modeſtus,
Et vix Claranus, quid, rogo, Sexte, juvat?

Sed quis eſſet hic Modeſtus, Martialis commentator Domitius ignoravit, qui pro Herennio Modeſtino juriſconſulto accepit.

CASAUBON.

20. *Cajus Julius Higinus,*] Cognomen iſtud etiam in MSS. varie ſcriptum & depravatum invenimus. non dubito rectum eſſe, *Hyginus*, vel *Hygenus*, Ὑγεινος pro Ὑγιεινὸς, ut ὑγεία pro ὑγίεια. at pro ει vel *e* vel *i* promiſcue ſcribebant. Hygini hujus meminit & Hieronymus in Chronico Euſebii.

Studioſe & avide imitatus eſt.] Scribe cum antiquis, *Stud. & audiit & imitatus eſt.* favente etiam Mediol.

Quem propter antiquitatis notitiam Polyhiſtorem multi, quidam Hiſtoriam vocabant.] Recte *vocabant*, nempe ſui æquales. nam qui de Alexandro loquuntur ſcriptores, Polyhiſtorem ſemper, nunquam vocant Hiſtoriam. neque ejus appellationis meminit Suidas, qui de hoc viro multa narrat ſcitu digna. Paſſim hunc Græci Latinique ſcriptores laudant, ſed Euſebius integrum fere illius librum in IX. Præparationis ſuæ tranſtulit, ubi hoc elogio ornatur: ὁ Πολυΐστωρ Ἀλέξανδρος πολύνους ὢν καὶ πολυμαθὴς ἀνήρ. τοῖς τε μὴ πάρεργον τὸν ἀπὸ παιδείας καρπὸν πεποιημένοις Ἕλλησι γνωριμώτατος.

Cajus Meliſſus, Spoleti natus, ingenuus, ſed ob diſcordiam parentum expoſitus, 21
cura & induſtria educatoris ſui altiora ſtudia percepit: ac Mæcenati pro grammatico muneri datus eſt. Cui quum ſe gratum & acceptum in modum amici videret, quamquam adſerente matre, permanſit tamen in ſtatu ſervitutis: præſentemque conditionem veræ origini antepoſuit: quare cito manumiſſus, Auguſto & inſinuatus eſt. Quo delegante, curam ordinandarum bibliothecarum in Octaviæ porticu ſuſcepit. Atque, ut ipſe tradit, ſexageſimum ætatis annum agens, libellos Ineptiarum, qui nunc Jocorum inſcribuntur, componere inſtituit: abſolvitque centum & quinquaginta, quibus & alios diverſos poſtea addidit. Fecit & novum genus Togatarum, inſcripſitque Trabeatas.

Marcus Pomponius Marcellus ſermonis Latini exactor moleſtiſſimus, in advocatione 22
quadam (nam interdum & cauſſas agebat) ſolœciſmum ab adverſario factum uſque adeo arguere perſeveravit, quoad Caſſius Severus interpellatis judicibus dilationem petiit: ut litigator ſuus alium grammaticum adhiberet, quando non putat is cum adverſario de jure ſibi, ſed de ſolœciſmo controverſiam futuram. Hic idem cum ex oratione Tiberium reprehendiſſet, affirmante Attejo Capitone, & eſſe illud Latinum, &, ſi non eſſet, futurum certe jam inde. Mentitur, inquit, Capito. Tu enim, Cæſar, civitatem dare

ACHILL. STAT.

21. *Quare cito manumiſſus Auguſto, & inſinuatus eſt.*] Diſtinguo, ac lego, *Quare cito manumiſſus, Auguſto etiam inſinuatus eſt.*

Quod eleganter curam ordinandarum bibliothecarum in Octaviæ porticu ſuſcepit.] Omnino legendum, *Quo delegante curam ordinandarum bibliothecarum in Octaviæ porticu ſuſcepit.* Suetonius idem in Cæſaris dictatoris vita, eodem verbo, & eodem in genere eſt uſus: *Quos omnes libellos vetuit Aug. publicari in ea epiſtola, quam brevem admodum ac ſimplicem ad Pompejum Macrum, cui ordinandas bibliothecas delegaverat, miſit.*

Libellos Ineptiarum, qui nunc Jocorum ſcribuntur.] In vet. impr. *locorum*, non *jocorum*: ſed illud, opinor, rectius.

Fecit & novum genus Togatarum, inſcripſitque Trabeatas.] In vet. impr. *trachatas*, non *trabeatas*. legendum fortaſſe, *brachatas*. Sed illud probabilius, itaque erat in manuſcriptis.

22. *M. Pomponius Marcellus ſermonis Latini exactor modeſtiſſimus.*] Lego *moleſtiſſimus*, non *modeſtiſſimus*, ut eſt in manuſcriptis.

Quoad.] In vet. impr. *quod.* illud rectius.

Quando non putat is cum adverſario, ſed ſibi de ſolœciſmo.] Diſtinctio atque ordo concinnior in vet. impr. *Cum adverſario de jure ſibi, ſed,* &c.

Jam inde mentitur.] In vet. imp. non eſt *inde* verbum.

Tu enim, Cæſar, civitatem dare potes hominibus, verba non potes.] Argute Gabriel Faernus *verba* mutabat in *verbis*. *Dare civitatem*, eodem modo dixit in x. epiſt. Plin. *Quare rogo des ei civitatem Romanam.*

VINET.

21. *Spoleti natus.*] Spoletinus in Latinis Chronicis Euſebii, annis duobus poſt natum Chriſtum, ex Spoleto Italiæ oppido, quod Σπολήτιον Græci vocant, quatuor ſyllabis. Hic autem neſcio an ſit Meliſſus, quem citat Cariſius de genere nominis *clunes*: ſed eſſe, qui Helius Meſſus ſcribitur in capite ſexto libri duodeviceſimi Noctium Gellii, Lilio Gregorio non videtur in dialogo octavo de Poetis. Meminit in elegia ultima libri quarti de Ponto Ovidius:

Et tua cum ſocco Muſa, Meliſſe, levis.

Quare cito manumiſſus.] Servus ergo dicebatur Meliſſus: ſed a domino ſuo Cajo Mæcenate manumiſſus, Cajus Mæcenas Meliſſus dictus eſt. Hic enim eſt, quem Mæcenatem Meliſſum legere oportet apud Plinium viceſimi octavi capite ſexto.

22. *Caſſius Severus.*] De quo oratore plura memorat Lilius Ferrarienſis libro quarto de Poetis ex Seneca, Quintiliano, Tacito, Macrobio & aliis: ſed quem in Euſebii Chronicis leges in exſilio mortuum eſſe anno Chriſti triceſimo quarto.

CASAUBON.

21. *Quibus & alios diverſos poſtea addidit.*] Scripta lectio, *animos div.* alii, *nimios.* leviter adjuva & ſcribe, *mimos d.*

22. *Et ſi non eſſet futurum. Certe j.*] Vera diſtinctio eſt, *& ſi non eſſet, futurum certe jam inde. Mentitur, inq. C. jam inde*, hoc eſt, ſimulac innotuiſſet Tiberium eo verbo uſum.

VARIOR.

22. *Caſſius Severus.*] Auguſt. cap. LVI. & Calig. XVI.

Futurum: Certe jam inde mentitur.] Diſtinguendum cenſeo: *affirmante Atejo Capitone, & eſſe illud Latinum, &, ſi non eſſet, futurum certe jam inde: Mentitur, inquit, Capito.* Nempe, ex quo Cæſar eo uſus eſſet. Lucianus de Mercede Conduct. Χρὴ δὲ καὶ σοφὰς καὶ ῥήτορας εἶναι αὐτὰς, κἂν εἰς σο-

dare potes hominibus, verbis non potes. Pugilem olim fuiſſe Aſinius Gallus hoc in eum Epigrammate oſtendit:

Qui caput ad lævam didicit, gloſſemata vobis
Præcipit: os nullum, vel potius pugilis!

23 Remmius Palæmon Vicentinus, mulieris verna, primo, ut ferunt, textrinum, deinde

σιλοικίζαντας τύχωσι, αὐτὸ τὸ τῆς Ἀττικῆς καὶ Ὑμήττȣ μεςȣ̀ς δοκεῖν καὶ νόμον εἶναι τὸ λοιπὸν ὅτω λέγειν. GRONOV.

ACHILL. STAT.

Qui caput ad lævam didicit.] Verſus elegiaci ſunt:

Qui caput ad lævam didicit, gloſſemata nobis
Præcipit, os nullum, vel potius pugilis.

Itaque hos verſus repræſentare videtur vet. impr. & manuſcriptus. ſed pro *caput*, legebam, *capere*, ut pugilum ac luctatorum λαβὰς & ἀντιλαβὰς ſignificet. *Gloſſemata* vocabant verba exquiſita, neque vulgo nota, aut etiam vetuſta: de quibus Quinctilianus in I. *Protinus enim poteſt interpretationem linguæ ſecretioris, quas Græci γλώσσας vocant.* Atque alibi: *Circa gloſſemata etiam, id eſt, voces minus uſitatas, non ultima ejus profeſſionis diligentia eſt.* Ex quibus intelligimus, grammatici operis ac muneris fuiſſe, gloſſas præcipere atque interpretari. Et Placidus grammaticus gloſſas interpretari atque accipere ſic videtur.

Os nullum, vel potius pugilis.] *Os nullum*, nullo pudore adfici ſignificat. *Os pugilis*, durum os ſignificat.

23. *Rhemmius Palæmon.*] Scribendum puto *Remmius*, non *Remnius*. in veteri enim monumento, quod apud me eſt, M. REMMIUS. M. L. PHILER. POMPEIA. Ɔ. L. PRIMA, SEX. POMPEIUS. Ɔ. L. STATIUS.

Mulieris verna primo.] Vet. impr. *mulieris verna, primo.* quod placet.

Primo, ut ferunt, textrinum] Vel legendum, *textrinum*, vel faciendum, *textricis*. illud probabilius.

VINET.

Aſinius Gallus.] De quo poeta Aſinii Pollionis filio idem Lilius libro octavo.

Qui caput.] Vide in hunc locum Statium, & Turnebum in eodem capite undecimo libri tertii decimi Adverſariorum.

23. *Rhemnius Palæmon Vicetinus.*] Prænomine *Quinctus* in grammaticis neſcio quibus, quæ illi inſcripta proſtant. Rhemnius autem, quod *Rhemmius*, *Ramnius*, *Rammius*, & aliter etiam ſcriptum reperies, neſcio quid nominis ſit, ut illi ſua reſtituatur orthographia. ſed Palæmon, Palæmo quoque legitur apud Quinctilianum. Vicetinus vero, a Vicetia eſt, urbe ejuſdem Galliæ cum Verona. quod nomen varie etiam corruptum reperitur, *Vincentia*, & *Vicentia*: ſed Hermolaus caſtigator Plinii, aliique ſine *n* ſcribi debere, jam pridem docuerunt.

CASAUBON.

Qui caput ad lævam didicit.] Non *didicit* ſcribendum, quod nihil ſignificat. ſed *deicit*, ut pridem docti emendarunt. Lego autem cum libris, *gloſſemata nobis Præcipit.* non *vobis*. Jam quod Suetonius ex iſtis Aſinii, *Os nullum, vel potius pugilis!* colligit, auctorem epigrammatis affirmare, fuiſſe aliquando Pomponium pugilem: mihi videtur frigidum, ac leve, ne dicam ineptum. nam ſi omnes epigrammatum jocos aut ſcommata, pro ſeriis veri argumentis libeat accipere, quantam feneſtram falſis aſſertionibus aperiemus? Ego non dubito, παροιμιακῶς dictum a Gallo, *os pugilis*, imitatione Græcorum, qui ὠτοθλαδίαν & ὠτοκάθαξιν convitii loco etiam de iis uſurpant, qui nunquam cæſtibus pugnarunt: quantumvis proprie in pugilibus locum habeant illæ voces.

r. 21. *Remmius Palæmon Vicentinus.*] Mediolanenſis *Veicetinus.* Vide Hieronymum in anno Claudii VIII.

VARIOR.

Qui caput ad lævam didicit.] Scribe *deicit*, hoc eſt, *dejicit.* Sic apud Virg. *reice capellas*, διϛυλλάβως pro rejice. GUJET.

Qui caput ad lævam didicit.] Ita diſtinguendum:

Cui caput ad lævam, didicit gloſſemata, nobis
Præcipit: os nullum, &c.

SALMAS.

Os nullum, vel potius pugilis.] Solent pugiles, cum dextra adverſarium petere ſoleant, caput ab ictu in lævam longius deflectere, ne feriantur. Maro:

Abduxere retro longe capita ardua ab ictu.

Et quia tuber plagis & deformatum tumidumque redditur eorum caput, interdum etiam ſic male mulctantur, ut exoſſetur ejus aliqua pars, idcirco addidit, *os nullum, vel potius pugilis.* In quo etiam ei objicitur impudentia & inſcitia litterarum. TURNEBUS.

Os nullum, vel potius pugilis.] Hic ego tam ſevere a Caſaubono carpi Suetonium nollem. Accipio enim verba ejus, non quaſi ex eo ſolo carmine collegerit, Marcellum pugnaſſe aliquando cæſtibus, ſed ut indicet, cum conſtaret pugilem fuiſſe, id quoque ei ſic exprobraſſe Aſinium. Nec vero tantum id

de herilem filium dum comitatur in ſcholas, litteras didicit: poſtea manumiſſus, docuit Romæ, ac principem locum inter grammaticos tenuit: quanquam infamis omnibus vitiis, palamque & Tiberio, & mox Claudio, prædicantibus, nemini minus inſtitutionem puerorum vel juvenum committendam: ſed capiebat homines cum memoria rerum, tum facilitate ſermonis: nec non etiam poemata faciebat ex tempore. Scripſit & variis, nec vulgaribus metris. Arrogantia fuit tanta, ut Marcum Varronem porcum appellaret: ſecum & natas & morituras litteras jactaret; nomen ſuum in Bucolicis non temere poſitum, ſed præſagiente Virgilio fore quandoque omnium poetarum ac poematum Palæmonem judicem. Gloriabatur etiam latrones quondam ſibi propter nominis celebritatem parſiſſe. Luxuriæ ita indulſit, ut ſæpius in die lavaretur: nec ſufficeret ſumptibus, quamquam ex ſchola quadragena annua caperet, ac non multo minus ex re familiari, cujus diligentiſſimus erat: cum & officinas promercalium veſtium exerceret: & agros adeo coleret, ut vitem manu ejus inſtitutam ſatis conſtet trecenta ſexaginta quinque vaſa edidiſſe. Sed maxime flagrabat libidinibus in mulieres, uſque ad infamiam oris: dictoque non infaceto notatum ferunt cujuſdam, qui quum in turba oſculum ſibi ingerentem, quanquam refugiens, devitare non poſſet: *Vis tu*, inquit, *magiſter*, *quotiens feſtinantem aliquem vides*, abligurrire?

Marcus Valerius Probus Berytius, diu centuriatum petiit, donec tædio ad ſtudia ſe 24
con-

id colligere eſt *ἐκ τοῦ vel potius pugilis*, ſed etiam *ἐκ τοῦ Qui caput ad lævam deicit*: quod honeſte dumtaxat de alio, quam de pugile intelligi non poteſt. Vide Turnebum 13. 11. Sed & alius ſub his verbis ſenſus latet, quem deprehendit Palmerius in ſeptimo Spicilegio: eumque forte ſolum in his agnovit Caſaubonus. Ego vero quæ epigrammatum lingua eſt, utrumque ſignificari puto, & pugilem fuiſſe & illud, quod dicere nolo. Neque enim *ἀλύσατα* ſunt vel Olympionicen eſſe & *τραχηλίζεσθαι καὶ τὸν αὐχένα ἀνακλᾶσθαι ὑπὸ τῆς ἐρωμένης*. Gronovius.

23. *Mulieris verna.*] Intelligo ſervum receptitium, de quo Gell. 17. 6. Octavio 19. *Telephi mulieris ſervi nomenculatoris.* Gronovius.

Achill. Stat.

Facilitate ſermonis.] Sic Cic. in Bruto Curionem laudat, quod facile dicebat.

Nec non etiam poemata faciebat ex tempore. ſcripſit ex variis, nec vulgaribus, metris.] Legendum puto, *ſcripſit ex variis, nec vulgaribus metris.* Metro enim ſcribuntur poemata, id eſt, hoc vel illo genere & numero. Sic Martialis in IV. loquitur:

Cum ſis improbior, Maſſiliane,
Quam qui compoſitos metro Tibulli
In Stellæ recitat domo libellos.

Nomen ſuum in Bucolicis non temere poſitum, ſed præſagiente Virgilio fore quandoque.] Legi etiam commode poſſit, *ſcilicet*, pro *ſed*.

Quamquam ex ſchola quadragena annua caperet.] In vet. impr. *quadringena*, non *quadragena*.

Sed maxime flagrabat libidinibus in mulieres, uſque ad infamiam oris.] Lego, *uſque ad infamiam orationis.* Sic etiam Cicero, opinor, *orationem* accepit. Ita enim legendum etiam illa, quæ ſequuntur, prope declarant, *dictoque non infaceto.*

24. *Marcus Valerius Probus Berytius.*] In vet. impr. *Berritius* per *i* Latinum.

Vinet.

Quadragena annua.] Mille aureos Francicos: ſi quid Budæi rationibus credis.

Ut vitem manu ejus.] Vide Hermolaum in libri decimi quarti caput quartum Plinii, & Lilium libro quarto de Poetis.

24. *Marcus Valerius.*] Cujus ſic meminit in epigrammate ad librum ſuum, libro tertio, Valerius Martialis:

Illo vindice, nec Probum timeto.

Eum ſe non jactat vidiſſe, ſed quoſdam ex ejus diſcipulis & familiaribus, Aulus Gellius in capitibus quinto decimo, nono, & nono, librorum primi, noni, & ſeptimi decimi. Floruit autem Romæ ſub Nerone illo immani Principe, ut Euſebii Chronica monent. qui *Berytius* cognominatus eſt, ex civitate Phœniciæ, quæ Græcis *Βηρυτὸς*, noſtris Gallis *Barut*.

Casaubon.

Sæpius in die lavaretur.] Melius ſcripta lectio, *lavaret.*

24. *M. Valerius Probus.*] Hieronymus recenſet in anno 11. Neronis apud Euſebium.

Varior.

Luxuriæ ita indulſit, ut ſæpius in die lavaretur.] Id in grammatico carpi, minime mirum. nam & in Commodo Imperatore notatur, ſepties aut octies in

contulit. Legerat in provincia quoſdam veteres libellos apud grammatiſtam, durante adhuc ibi antiquorum memoria, nec dum omnino abolita, ſicut Romæ. Hos quum diligentius repetere atque alios deinceps cognoſcere cuperet, quamvis ſe contemni, magiſque opprobrio legentibus, quam gloriæ & fructui eſſe animadverteret, nihilominus in propoſito manſit: multaque exemplaria contracta emendare, ac diſtinguere, & adnotare curavit, ſoli huic nec ulli præterea grammatices parti deditus. Hic non tam diſcipulos quam ſectatores aliquot habuit. Nunquam enim ita docuit, ut magiſtri perſonam ſuſtineret. Unum vel alterum, vel, quum plurimos, tres aut quatuor, poſtmeridianis horis admittere ſolebat, cubanſque inter longos ac vulgares ſermones, legere quædam, idque perraro. Nimis pauca & exigua de quibuſdam minutis quæſtiunculis edidit. Reliquit autem non mediocrem ſylvam obſervationum ſermonis antiqui.

Rheto-

in die laviſſe. Etiam inter Chriſtianos Siſennius quidam Epiſcopus bis in die, non ſine ſuſpicione intemperantiæ & voluptatum: ſed ille dicterio culpantes illuſit, *Quia ter lavare non poſſet.* Lipſium vide.

Quadragena annua.] Mille coronatos, ſeu ducatones.

ACHILL. STAT.

Quamvis ſe contemni.] In vet. impr. *omnes contemni*, ut ad veteres libellos referatur.

Opprobio.] In vet. impr. *obprobio*, veteri more ſcriptum.

Aut quatuor pomeridianis horis.] Veteri more etiam ſcriptum in eodem, & utroque manuſcripto, *Aut quatuor poſtmeridianis horis.*

Idque perraro.] Diſtinguendum hoc loco, ut dein ſequantur, *Nimis pauca & exigua*, &c.

VINET.

Reliquit autem.] Cuicunque parti grammatices ſe dederit hic homo, Aulus Gellius epiſtolam ab eo ſcriptam ad Marcellum citat: & commentarium de occulta litterarum ſignificatione epiſtolarum Caji Cæſaris. In Virgilium aliquid ſcripſiſſe, Macrobius Serviuſque innuere videntur. Probi grammatica quædam memorant Terentii vetus interpres, Diomedes, Cariſius, Priſcianus. Exſtant, quæ Valerio Probo inſcribuntur, grammatica quædam: De ſcripturis antiquis opuſculum: Commentaria in Virgilium, Perſium, & Juvenalem. ſed de quorum ego titulis dubito, & probi ſi ſint, an Probi Berytii.

CASAUBON.

Nimis pauca & exig.] Mediol. *id perraro nimis. Pauca & exig.*

VARIOR.

24. *Quamvis ſe contemni.*] Deleo τὸ *ſe.* ipſos enim veteres contemni, magiſque opprobrio eſſe legentibus quam gloriæ & fructui animadvertebat. GRONOVIUS.

C. SUETONII TRANQUILLI DE CLARIS RHETORIBUS, LIBER.

CAPUT I.

Rhetorica quoque apud nos, perinde atque grammatica, fere recepta eſt, paulo etiam difficilius; quippe quam conſtet nonnumquam etiam prohibitam exerceri. Quod ne cui dubium ſit, vetus ſenatuſconſultum, item Cenſorium edictum, ſubjiciam: CAJO FANNIO STRABONE, MARCO VALERIO MESSALLA CONSULIBUS, Marcus Pomponius prætor ſenatum conſuluit. Quod verba facta ſunt de Philoſophis & de Rhetoribus, de ea re ita cenſuerunt: Ut Marcus Pomponius prætor animadverteret, curaretque, uti ei e Republica fideque ſua videretur, uti Romæ ne

ACHILL. STAT.

1. *Fannio Strabone, M. Valerio Meſſalla* coss.] Initium edicti. quod exſtat etiam apud Gellium in XV. cap. XI.

Quod verba facta ſunt.] Hæc ſingularibus litteris ſcribebant, utpote ſolennia: hoc modo: Q. V. F. S. ut illa, De ea re ita cenſuerunt: D. E. R. I. C.

S. conſ. de ea re ita.] In vet. impr. non erat, *S. conſ.* Nec fere ponitur, ut opinor, in edictis ac ſenatuſconſultis. aut ponendum tantum, *conſ.* vel potius, *cenſ.* ut ſit, *conſules*, vel *cenſores*. Ejuſmodi multa ſunt edicta & ſenatuſconſulta apud Cic. in VIII. epiſt. ad Cælium. Apud Gellium in IV. Apud Frontinum de Aquæductibus.

Uti Romæ ne eſſent.] *Ne*, pro, *non*, antiquo more.

VINET.

1. *Cajo Fannio.*] Anno ab Urbe condita quingenteſimo tertio. Idem autem ſenatuſconſultum, & Cenſorium edictum invenies in capite undecimo libri quinti decimi Noctium Atticarum Auli Gellii.

CASAUBON.

1. CAJO FANNIO STRABONE, MARCO VALERIO MESSALA COSS.] Anno III. Olympiadis CLIV. a Palilibus Romæ DXCII. factum eſt hoc ſenatus decretum, quo philoſophi ſimul & rhetores Urbe pelluntur. Videntur circa illa tempora philoſophiæ & rhetoricæ ſtudia magnum Romæ & in Italia cepiſſe incrementum, per illos mille Achæos exſules, quos ſenatus e patria accitos poſt bellum Perſei in Urbe aut per Italiam multos annos detinuit, ut nuper in Polybiana Chronologia oſtendimus. Non enim dubito, in tanta multitudine hominum Græcorum, qui præcipuas in urbibus ſuis dignitates obtinuerant, plures fuiſſe doctos litteras, & ſtudiis philoſophiæ imbutos. Exemplo ſit Polybius Megalopolitanus, ille quidem non e multis unus, ſed plane inter paucos excellens & eximius: quem tamen non debemus exiſtimare ſolum inter tot populares, litterarum & philoſophiæ ſtudium cum uſu & actu rerum conjunxiſſe. Exiſtimamus igitur iſtos, quum & ignavo otio torperent, & rebus etiam neceſſariis, ut ſolent exſules, plurimum carerent, ad philoſophiæ ſtudia converſos, multis Romanorum ad ſimile propoſitum hortatores exſtitiſſe, atque huic ſenatuſconſulto occaſionem præbuiſſe. Meminit hujus decreti Athenæus lib. XIII. ubi σοφιστὰς uno verbo appellat, qui in ſenatuſconſulto philoſophi & rhetores nominantur. Ῥωμαῖοι, inquit, οἱ πάντα ἄριστοι ἐξέβαλλον τοὺς σοφιστὰς τῆς Ῥώμης, ὡς διαφθείροντας τοὺς νέους. οὓς ἔπειτ' οὐκ οἶδ' ὅπως κατεδέξαντο. Seneca, Conſolatione ad Helviam: *Apicius in ea urbe ex qua aliquando philoſophi, velut corruptores juventutis, abire juſſi ſunt*, &c.

De ea re cenſuerunt.] Inſere ante hæc verba e libris Achillis Statii, S. CON. atque adeo totum locum ita ſcribe ac lege, S. CON. D. E. R. I. C. *Senatus conſultus de ea re ita cenſuit.* Frequens formula in antiquis ſenatuſconſultis, exempla tirones apud Briſſonium legant.

VARIOR.

1. *Quod verba facta de Philoſophis & Rhetoribus.*] Conſules de eo quod retulerant, verba feciſſe dicebantur. Id patet cum ex hoc ſenatuſconſulto, tum etiam ex iis quæ a Frontino lib. II. de Aquæductibus, & a lib. VIII. Epiſt. Famil. & ex Opmiano S. C. quod a Cicerone VIII. Philipp. citatur, nec non ex S. C. Vellejano, & de petitione hereditatis, quæ a Jureconſultis referuntur. Eratque idem loquendi genus commune cum his omnibus, qui ſive

ne eſſent. De iiſdem interjecto tempore, Cnæus Domitius Ænobarbus, & Lucius Licinius Craſſus cenſores, ita edixerunt, RENUNTIATUM EST NOBIS ESSE HOMINES, qui novum genus diſciplinæ inſtituerunt: ad quos juventus in ludos conveniat: eos ſibi nomen impoſuiſſe Latinos Rhetoras: ibi homines adulcſcentulos totos dies deſidere. Majores noſtri, quæ liberos ſuos diſcere, & quos in ludos itare vellent, inſtituerunt. Hæc nova, quæ præter conſuetudinem ac morem majorum fiunt, neque placent neque recta videntur. Quapropter & iis, qui eos ludos habent; & iis, qui eo venire conſueverunt, videtur faciendum ut oſtendamus noſtram ſententiam, nobis non placere. Paulatim & ipſa utilis honeſtaque apparuit: multique eam præſidii cauſa, & gloriæ, appetiverunt. Cicero ad præturam uſque Græce declamavit. Latine vero ſenior quoque, & quidem conſulibus Hirtio & Panſa: quos diſcipulos, & grandeis prætextatos, voca-

ſive ſententiæ loco, ſive legatione fungentes, ſermonem de re aliqua in ſenatu habebant. BUISSONIUS.

Curaretque uti e rep. fideque ſua videretur, uti Romæ ne eſſent.] Scribendum videtur: *Curaretque uti, ſi e republ. fideque ſua videretur, Romæ ne eſſent.* GUJET.

ACHILL. STAT.

De iiſdem.] In vet. impr. *de eiſdem:* in veteribus monumentis ſemper, *iſdem.*

Ita edixerunt.] In manuſcripto altero, *item edixerunt.*

Renuntiatum eſt nobis.] Referre, verba facere, nuntiare, & renuntiare, ſolennia verba ſunt in hoc genere. Nuntiare verbum eſt apud Gellium in IV. cap. VI.

Ad quos juventus.] Magis, opinor, e veterum conſuetudine in vet. impr. *juventus ad quos.*

In ludos.] In manuſcripto, *in ludum.* quod placet.

Eos ſibi nomen impoſuiſſe Latinos rhetoras.] In vet. impr. *Eos ſibi nomen impoſuiſſe Latine ſcilicet rhetoras.* lego ego, *haud Latine ſcilicet rhetoras.* vel potius, *haud Latine*, tantum, ne in edicto verbum rhetoras fuiſſe intelligamus, quod eſſe id contra conſuetudinem atque auctoritatem ſenatus videretur, tametſi in ſuperiore edicto philoſophos & rhetoras poſitos legamus.

Et quos in ludos itare.] In vet. impr. *intrare.*

Conſueverunt.] In vet. impr. *conſuerant.*

Nobis non placere.] Hæc verba ſententiæ ſollemnia. ut illa, *Senatui populoque placere.*

Appetiverunt.] In vet. impr. *appetivere.*

Et quidem conſulibus Hirtio & Panſa, quos diſcipulos, & grandeis prætextatos vocabat.] Melius vet. impr. *& quidem cum conſulibus Hirtio & Panſa, quos diſcipulos, & grandeis prætextatos vocabat.* Cum illis enim ſeſe exercebat.

VINET.

Lucius Licinius Craſſus.] Hic eſt Craſſus ille orator, qui iſtius ſui edicti meminit apud Ciceronem, libro tertio de oratore. Cenſores autem hi fuerunt, Cajo Claudio Pulchro, Marco Perperna conſulibus: ut eſt in fragmentis illis faſtorum, anno a Roma condita ſexcenteſimo ſexageſimo ſecundo, ut putat Plinius in principio libri ſeptimi decimi.

Latine vero ſenior.] Epiſtola ad Pætum *Delectaverunt* me libro nono. Fuerunt autem conſules Aulus Hirtius, & Cajus Vibius Panſa, anno ab urbe Roma condita ſeptingenteſimo & undecimo. quo anno, ſeptimo Idus Decembres, occiſus fuit Cicero: ut eſt apud Cornelium Tacitum in dialogo de Oratoribus.

CASAUBON.

De iiſdem interjecto tempore.] Septuageſimo anno poſt ſuperius conſultum ſenatus. Adi ad Faſtos Conſulares & Cenſorios, in anno Urbis IↃCLII.

Latine vero ſenior, & quidem coss. *Hirtio & Panſa, quos diſcipulos & grandes prætextatos vocabat,*] Mediol. editio; *& quidem cum conſulibus Hir.* Sed qui potuit fieri, ut cum iſtis conſulibus Cicero declamaret? quorum quidem conſulatus in eum annum incidit, quem populus Rom. vidit turbulentiſſimum & luctuoſiſſimum? quare etiam eodem anno ſunt omnes exſtincti: Ciceronem dico, & ambos conſules. Adde quod ne in urbe quidem, niſi paucos admodum menſes poſt aditum conſulatum, Hirtius & Panſa remanſerunt. Nam quum principio anni hoſtis Antonius eſſet judicatus, belli adminiſtrandi provincia Cæſari cum coss, demandata, primo vere, aut etiam exeunte hieme, Hirtius & Panſa Roma profecti, nunquam poſtea urbem viderunt. quod igitur liberum tempus ad declamandum illis conſulibus fuit? Ipſum quoque Ciceronem in tantis curis ſuis, & graviſſimus pro Rep. contentionibus, quarum teſtes ſunt orationes Philippicæ, ad has exercitationes rhetoricas animum potuiſſe convertere, quis putet? neque hoc ſane aut Plutarchus dicit, aut quiſquam veterum. Narrat Seneca pater præfatione in primum librum Controverſiarum, ſcribere M. Tullium, *in atriolo duos grandes prætextatos ſecum declamare ſolitos.* Ego non ambigo, duos illos prætextatos, fuiſſe Hirtium. & Dolabel-

 lam

vocabat. CNÆUM POMPEJUM, quidam hiſtorici tradiderunt, ſub ipſum civile bellum, quo facilius Cajo Curioni promptiſſimo juveni cauſam Cæſaris defendenti, contradiceret, repetiſſe declamandi conſuetudinem. MARCUM ANTONIUM, item AUGUSTUM ne Mutinenſi quidem bello omiſiſſe. NERO CÆSAR & primo imperii anno, publice quoque bis antea declamavit, plerique autem oratorum, etiam declamationes ediderunt. Quare magno ſtudio hominibus injecto, magna etiam profeſſorum ac doctorum profluxit copia, adeoque floruit, ut nonnulli ex infima fortuna in ordinem ſenatorium, atque ad ſummos honores proceſſerint. Sed ratio docendi nec una omnibus, nec ſingulis eadem ſemper fuit; quando vario modo quiſque diſcipulos exercuerunt. Nam & dicta præclare, per omnes figuras, per caſus, & apologos, aliter atque aliter exponere: & narrationes tum breviter & preſſe, tum latius & uberius explicare conſueverant: interdum Græcorum ſcripta convertere, ac viros illuſtreis laudare, vel vituperare: quædam etiam ad uſum communis vitæ inſtituta, tum utilia, & neceſſaria, tum pernicioſa & ſupervacanea oſtendere: ſæpe fabulis fidem firmare, aut hiſtoriis demere, quod genus θέσεις & ἀνασκευὰς & κατασκευὰς Græci vocant, donec ſenſim hæc exſoleverunt: & ad controverſiam ventum eſt. Veteres CONTROVERSIÆ, aut ex hiſtoriis trahebantur: ſicut ſane nonnullæ uſque adhuc: aut ex veritate, ac re, ſi qua forte recens accidiſſet. Itaque locorum etiam appellationibus adjectis, proponi ſolebant.

Iam, quos ipſe nominat, pulcherrima epiſtola ad Pætum, libro IX. Hi non eo anno quem ait Suetonius, ſed triennio prius, itare ad Ciceronem & illud atriolum celebrare ſoliti: quando M. Tullius, Cæſare belli civilis reliquias in Africa perſequente, inter ſpem metumque pendens animi, foro & curia ſe abſtinens, ac domi plurimum continens, inglorium ſuum otium ſtudiis litterarum ſolabatur. Exiſtimabat Nicolaus Faber V. CL. ſublatam iri ἀτοπίαν hujus dicti, ſi deleta voce *Conſulibus* ſcriberetur, *& quidem cùm Hirtio & Panſa.* Mihi videbatur Suetonius, qui probe meminerat alterum horum prætextatorum fuiſſe Hirtium, in alterius nomine vitio memoriæ lapſis: atque hoc pacto accidiſſe, ut in ratione temporum tantum delinqueret. Porro Ciceroni, eo quo diximus tempore, etiam alios proceres Romanos operam dediſſe, perquam fit mihi veriſimile. Ac fortaſſe illam declamandi conſuetudinem reſpiciebat B. Hieronymus, cum in Euſebii Chronico Munatium Plancum Ciceronis diſcipulum appellavit. quod & illæ Planci epiſtolæ, puriſſimæ Latinitatis, & vel Cicerone digniſſimæ, ſuadent, quæ hodieque inter Ciceronianas leguntur.

VARIOR.

Ut oſtendamus noſtram ſententiam nobis non placere.] Scribendum videtur: *ut oſtendamus noſtra ſententia nobis non placere.* GUJET.

ACHILL. STAT.

Nero Cæſar, & primo imperii anno.] In vet. impr. non erat, *&*.

Profluxit.] In vet. impr. *profluit.*

Floruit.] In eodem, *fluit*, ſed utrumque vitio, ut videtur.

Per figuras.] Κατὰ σχήματα. ac fortaſſe figuratas intelligit controverſias, de quibus Quintilianus in IX. quarum cum triplex genus eſſe dicat, primum frequens in ſcholis eſſe tradit.

Per caſus.] Eventus, ut quid quoque caſu dicendum. vel caſum intelligit, de quo Quintilianus in V. *Caſus autem*, inquit, *qui & ipſe præſtat argumentis locum, ſine dubio eſt ex inſequentibus*, & quæ ſequuntur.

Tum breviter.] In vet. impr. *cum breviter.*

Conſueverant.] In eodem, *conſuerant.*

Dum utilia & neceſſaria, dum pernicioſa & ſupervacanea.] Id eſt, qua utilia, qua pernicioſa.

Donec ſenſim hæc exoleverunt.] Hæc progymnaſmata. in vet. impr. ſcriptum, *exſoluerunt*. a verbo *ſoleo.*

Locorum etiam appellationibus adjectis.] Ut jam prope fierent ὑποθέσεις. ſed in vet. impr. *additis*, non *adjectis*.

CASAUBON.

Publice quoque bis antea declamavit.] Non neceſſario quidam emendant *bis ut antea* quod nulli libri confirmant. Sententia non eſt obſcura, &, ut puto, vera, Neronem privatim declamaſſe & ante imperium ſæpius, & primo etiam imperii anno aliquoties, publice vero bis tantum, idque ante imperium.

Per omnes figuras, per caſus.] Conſentiunt in hac lectione Mediol. & omnes MSS. Suſpicabar ſcribendum *per cauſſas.* Sed ἐπέχω.

Tum latius & uberius.] Scripti omnes, *& liberius.*

ACHIL.

lebant. Sic certe collectæ editæque ſe habent. ex quibus non alienum fuerit unam & alteram, exempli cauſa, ad verbum referre. Æſtivo tempore adoleſcentes urbani cum Oſtiam veniſſent, litus ingreſſi, piſcatores trahentes rete adierunt: & pepigerunt, bolum quanti emerent: numos ſolverunt. diu exſpectaverunt, dum retia extraherentur. aliquando extractis, piſcis nullus infuit, ſed ſporta auri obſuta. Tum emptores bolum ſuum ajunt, piſcatores ſuum. Venalicii quum Brunduſii gregem venalium e navi educerent, formoſo & pretioſo puero, quod portitores verebantur, bullam & prætextam togam impoſuere, facile fallaciam celarunt. Romam venitur. res cognita eſt. petitur puer, quod domini voluntate fuerit liber, in libertatem. Olim autem eas appellationes Græci συντάξεις vocabant: mox controverſias quidam, ſed aut fictas, aut judiciales. Illuſtres profeſſores, & quorum memoria aliqua exſtet, non temere alii reperientur quam de quibus tradam.

2 Lucius Plotius Gallus. De hoc Cicero ad Marcum Titinnium ſic refert: Equidem memoria

ACHILL. STAT.

Adierunt.] Vet. imp. *adiere.* & ſtatim etiam, *pepigere.* ac poſt, *nummos ſolvere.*

Diu ſpectaverunt.] Diu exſpectaverunt.

Infuit.] Vet. impr. *adfuit.* In altero manuſcripto, *adfuit:* in altero, *infuit.*

Sed ſporta auri.]. in eodem, *porta auri.* in manuſcriptis, *ſporta.*

Quod domini voluntate fuerit liber in libertate.] Verbis, opinor, utitur e veteri conſuetudine petitis, fuiſſe liberum in libertate.

Mox controverſias.] Quarum ſunt exempla apud Senecam & Quinctilianum ſeniores.

2. PLOTII rhetoris meminit Varro, ut adducit Nonius Marcellus in verbo *Bubulcitare.* Et Hieronymus in Chronicis Euſebii, *Plotius*, inquit, *Gallus primus Romæ Latinam rhetoricam docuit.* de quo Cic. ſic refert: *Memoria teneo, primum Latine docere cœpiſſe Plotium quendam.*

L. Plotius Gallus. de hoc.] Titulum, opinor, capiti præpoſuerat Suetonius, *L. Plotius Gallus.* cui attexit conſequentia. Credo ego, eodem verſu & contextu titulos poni ſolitos: ut in epiſtolis etiam ſolebant eorum, ad quos ſcribebant, nomina ponere.

Ad M. Ticinnium.] Legendum fortaſſe, *ad M. Licinium*, vel potius, ut in manuſcripto erat, *Titinnium.*

VINET.

Venalitii.] Venalitiarii ff. de Verborum ſignificatione. l. *Mercis appellatione.*

Liber in libertate.] *In libertatem* legendum crediderim, & ſic interpungendum: *Petitur puer, quod domini voluntate fuerit liber, in libertatem.* ſicut *petere in ſervitutem* dixit, qui Livium contraxit, de Virginia, libro tertio.

2. *Lucius Plotius Gallus.*] Quem memorant Euſebii Latina Chronica ad annum primum Olympiadis centeſimæ & ſeptuageſimæ tertiæ ante annos octoginta tres, quam Chriſtus naſceretur. Quintilianus quoque ejus meminit.

CASAUBON.

Bolum quanti emerent.] Græcum eſt, βόλον πρίασθαι, *jactum emere.*

Venalicii quum Br.] Separanda hæc ſunt a præcedentibus, ut quæ nihil commune cum iis habeant. eſt enim alterum veterum controverſiarum exemplum. Scribendum vero, *venaliciarii:* id eſt, ἀνδραποδοκάπηλοι. Gloſſæ veteres: *Venaliciarius*, σωματέμπορος.

2. *L. Plotius Gallus.*] B. Hieronymus, quem conſtat totum fere hunc de Claris Rhetoribus libellum Sueton. in Chronicon Euſebii retuliſſe, in Olympiadis CLXXIII. anno primo hæc poſuit: *Plotius Gallus primus Romæ Latinam rhetoricam docuit: de quo Cicero ſic refert: Memoria teneo, pueris nobis primum Latine docere cœpiſſe Plotium quendam.*

VARIOR.

Bullam, & prætextam togam impoſuere.] Ut conditionem ejus diſſimularent, liberorum puerorum habitu induti.

Quod domini voluntate fuerit liber, in libertatem.] Vide quam parvis rebus viri quantumvis docti impediantur. Legebatur hic olim, *liber in libertate* In quo non modo Ach. Statius neſcio quid antiqui ſibi fingit, ſed & Pet. Faber delet τὸ *liber*, pro interpretamento ejus, quod ſequitur, *in libertate*, & quidem tam inepto & falſo, ut ferri non poſſit: neque id paucis exponi poſſe. itaque differt nos in alind tempus ex penitiſſimis antiquæ juriſprudentiæ fontibus hauſturus, quæ nos in eam rem doceat, 2. Semeſt. 15. Reddiderat rem ſatis exſpectatam: ſed omnis ea exſpectatio concidit, ex quo Elias Vinetus unicam litteram adjecit, & interpunxit, ut oportuit. jam enim puerum *in libertatem peti*, id eſt, aſſeri vel vindicari, quod volente domino liber egerit, quivis videt. Sane ſubtilius agentes, *in libertate* puerum *fuiſſe* concedunt, *liberum* non *fuiſſe* urgebunt, ut apparet ex Fabii avi declam. 340. & 342. Sed id diſcrimen inſuper habuit Suetonius. Alioquin

 ei

memoria teneo, pueris nobis primum Latine docere cœpiſſe Lucium Plotium quendam: ad quem quum fieret concurſus, quod ſtudioſiſſimus quiſque apud eum exerceretur, dolebam mihi idem non licere. Continebar autem doctiſſimorum hominum auctoritate: qui exiſtimabant Græcis exercitationibus ali melius ingenia poſſe. Hunc eundem (nam diutiſſime vixit) M. Cœlius in oratione, quam pro ſe de vi habuit, ſignificabat dictaſſe Atratino accuſatori ſuo, actionem: ſubtractoque nomine, ordearium eum rhetorem appellat, deridens, ut inflatum, ac levem, & ſordidum.

Lucius Otacilius Pilitus ſerviſſe dicitur, atque etiam hoſtiarius, veteri more, in cate- 3
na fuiſſe: donec ob ingenium ac ſtudium litterarum manumiſſus accuſanti patrono ſub-
ſcripſit. Deinde rhetoricam profeſſus, Cnæum Pompejum Magnum docuit, patris
ejus res geſtas, nec minus ipſius, compluribus libris expoſuit: primus omnium libertino-
rum

ei dicendum fuiſſet: *Aſſeritur puer, quod domini voluntate in libertate fuerit*: vel, *Petitur puer in libertatem, quod domini voluntate fuerit in libertate.* GRONOVIUS.

Eas appellationes Græci συντάξεις vocabant.] Schottus ex membranis timide, tamen, ut ait: *appellatione Græca συνθέσεις*, 4. Obſervat. 7. De *appellatione Græca* non erat, quod timeret: planum enim ſic legi oportere, vel ſi nullo ſcripto affirmaretur. At θέσεις ſcribendum, non συνθέσεις, M. Seneca præfat. 1. Controverſ. *Declamabat autem Cicero, non quales nunc controverſias dicimus: ne tales quidem, quales ante Ciceronem dicebant, quas theſes vocabant.* Cicero in Topicis: *Quæſtionum duo ſunt genera, alterum infinitum, alterum definitum. Definitum eſt, quod ὑπόθεσιν Græci, nos cauſam dicimus. Infinitum, quod θέσιν illi appellant, nos propoſitum poſſumus nominare.* IDEM.

ACHILL. STAT.

Dictaſſe a Cratino.] In vet. impr. *Atratino*, unico verbo, & dandi caſu: quod placet, itaque erat in manuſc.

Ordearium eum rhetorem appellat, deridens ut inflatum ac levem, & ſordidum.] In vet. impr. *Ordinarium*, non *Ordearium.* atque ita in manuſcripto altero: at in altero, *hordeam eum rhetorum.* ſed quod impreſſum, rectius. illud corruptum ex *hordiario*: in antiquiſſ. enim monumentis, *ſementes & meſſes hordiariæ.*

3. *L. Octacilius Pilitus.*] In vet. impr. *Pilutus.* itaque in manuſc.

Accuſanti patrono ſubſcripſit.] Legendum fortaſſe, *accuſanti patrono ſuo ſcripſit.* quod multi alii factitarunt rhetores ipſi foro abſtinentes, aliis orationes ſcripſerunt: quamobrem a patrono ſit ille manumiſſus. ſin illo modo malumus, ſubſcriptorem intelligamus. ſunt autem *ſubſcriptores*, ut juriſconſulti definiunt, qui ſe accuſationi ejus, qui rei nomen detulerat, ſubſcribunt.

VINET.

Marcus Cœlius.] Sic per œ Cœlios ſcribunt vetuſtiſſima quæque monumenta. Oratio autem illa Marci Cœlii non exſtat: ſed ea quam pro Cœlio Cicero habuit, ex qua quædam cognoſces de Attratino. quem leges in Euſebii Chronicis mortuum eſſe ſub Octaviano Auguſto Principe. Cæterum in *Attratinis* quintam litteram ſcalpunt *T*, non *C* vetuſta marmora.

3. *Lucius Othacilius Pilvius.*] Vultacilius Plotus in Euſebii Chronicis ad annum quartum Olympiadis centeſimæ ſeptuageſimæ quartæ.

CASAUBON.

Hordearium eum rhetorem appellat, deridens, ut inflatum ac levem & ſordidum.] Quem M. Tullius appellat oratorem gracilem & ſtrigoſum, is hoc loco dicitur hordearius. tranſlata vox a pane, quod præcipuum eſt omnium alimentorum fundamentum. Omnium optimi panes ſunt triticei, πύρινοι vel αὐτόπυροι. minus laudabiles κρίθινοι & hordeacei. minus enim alit hordeum quam triticum; & parata ex hordeo alimenta eſſe φυσώδη, ſcribit Dioſcorides; quod ad illa verba Suetonii pertinet, *ut inflatum.* Poteſt & ad rem militarem eſſe reſpectus: nam inter ignominias militares erat hordeo paſci. quod in ſexta hiſtoria Polybius non prætermittit: & ſunt multa in hiſtoria Romanorum exempla. Galenus libro primo De facultate alimentorum ſuper ea re hæc obſervat: Οἱ παλαιοὶ καὶ τοῖς στρατευομένοις ἄλφιτα παρεσκεύαζον· ἀλλ' ἔτι γε νῦν τὸ Ῥωμαίων στρατιωτικὸν ἀλφίτοις χρῆται, κατεγνωκὸς αὐτῶν ἀσθένειαν· ὀλίγην γὰρ τροφὴν δίδωσι τῷ σώματι.

3. *L. Otacilius Pilitus.*] Mediolan. ut fere ſcripti, *Octacilius Pilutus.*

VARIOR.

2. *Atque etiam hoſtiarius, veteri more in catena fuiſſe.*] Hoſtiarius pro Oſtiario. Fuerunt quondam apud Romanos janitores vinculis ad fores alligati. Ejus autem moris mentio & apud alios, & apud Ovidium in illo verſu:

Janitor indigne dura religate catena.

MURETUS.

ACHIL.

rum, ut Cornelius Nepos opinatur, ſcribere hiſtoriam orſus, non niſi ab honeſtiſſimo quoque ſcribi ſolitam.

4 Ad id tempus Epidius calumnia notatus, ludum docendi aperuit: docuitque inter ceteros Marcum Antonium & Auguſtum. Quibus quondam Cajus Canutius, objicientibus ſibi, quod in Republica adminiſtranda potiſſimum conſularis Iſaurici ſectam ſequeretur, Malle, reſpondit, Iſaurici eſſe diſcipulum, quam Epidii calumniatoris. Hic Epidius ortum ſe ab Epidio Nunciono prædicabat: quem ferunt olim præcipitatum in fontem fluminis Sarni, paulo poſt cum cornibus exſtitiſſe, ac ſtatim non comparuiſſe, in numeroque deorum habitum.

5 Sextus Clodius e Sicilia, Latinæ ſimul Græcæque eloquentiæ profeſſor, male oculatus, & dicax, par oculorum in amicitia Marci Antonii triumviri exſtitiſſe ſe, ajebat. Ejuſdem uxorem Fulviam, cui altera bucca inflatior erat, acumen ſtili tentare dixit; nec eo minus, immo vel magis ob hoc, Antonio gratus. A quo mox conſule ingens etiam congiarium accepit, ut ei in Philippicis Cicero objicit: Adhibes joci cauſa magiſtrum ſuffragio tuo, & compotorum tuorum rhetorem: cui conceſſiſti, ut in quem vellet, diceret, ſalſum omnino hominem: ſed materia facilis, in te, & in tuos dicta dicere. At quanta merces rhetori eſt data, audite, Patres Conſcripti, & cognoſcite Reipublicæ vulnera: duo milia jugerum campi Leontini Sexto Clodio rhetori adſignaſti, & quidem immunia: ut tanta mercede nihil ſapere diſceres.

6 Cajus Albutius Silus Novarienſis, quum ædilitate in patria fungeretur, quum forte ejus

ACHILL. STAT.

Scribere hiſtoriam orſus: non niſi ab honeſtiſſimo quoque ſcribi ſolitam.] In vet. impr. verbum *ſcribi*, non erat. quæ lect. etiam probanda.

In vet. imp. novum ac diſtinctum caput, ut eſſe omnino debet: ſed fefellit eos qui confudere, & veterum ſcribendi ratio. de qua ante: & quod Suetonius, cum dicat, *Ad id tempus*, utrumque ſimul videatur contexere.

4. *Epidii.*] In vet. imp. *Epidi*, more veterum ſcriptum.

Fluminis Sarni.] In vet. impr. *Scarni.* ſed vitio, opinor.

5. *Male oculatus & dicax, par oculorum in amicitia M. Antonii triumviri exſtitiſſe ſe ajebat.*] In vet. impr. *Male oculatus & dicax, par oculorum in amicitia M. Antonii extricte ſe ajebat.* itaque erat in utroque manuſcripto, in quibus verbis mutabam tantummodo *extricte*, in *extriſſe*, id eſt, extriviſſe: quod eſt conſumſiſſe ac diſperdidiſſe, a verbo extero. ſic etiam Catullus, *triſti*, pro *triviſti* dixit. itaque ſe libidine & luſtris cum Antonio ſocio & conſcelerato perdidiſſe oculos ſignificat, & Antonium ſic notat.

Cui altera bucca inflatior erat, acumen ſtili tentare dixit.] Stilo enim medici inflationes fodicabant, qua re cognita jocus apparet. *Aciem tentare* ſic idem dixit in vita Neronis Cæſ. *Duos pugiones, quos ſecum attulerat, arripuit, tentataque utriuſque acie, rurſus condidit.*

Tibi & joci.] Credo apud Ciceronem eſſe, *ibi.* ſed videndus locus.

Sed materia facilis & in tuos.] Lege, *ſed materia facilis in te, & in tuos.*

VINET.

5. *Ut ei in Philippicis.*] In ſecunda.

6. *Cajus Albutius Silus.*] Silo pro Silus apud Euſebium ſub Octaviano Auguſto, apud annum tertium Olympiadis centeſimæ nonageſimæ tertiæ. Et Silius etiam pro Silus apud Senecam.

CASAUBON.

4. *Conſularis Iſaurici.*] Pithœi liber, *Conſidii Iſ.* perperam: neque enim Conſidiorum, verum Serviliorum cognomen erat Iſauricus.

Quam Epidii calumniatoris.] Pithœanus, *Epidici.* an eſt jocus cum alluſione ad vocem Græcam ἐπίδικος? qui legibus eſt obnoxius, & qui, ut ſic dicam, ſtatus controverſiam patitur. initio dixit Tranquillus, Epidium calumnia fuiſſe notatum: ἐπίδικος interdum fere idem atque ὑπόδικος.

6. *C. Albutius Silus Novarienſis.*] Hieronymus in Chronico Euſebii ad numerum MMXI. *Albucius Silo Novarienſis clarus rhetor agnoſcitur.* in Suetonii & Senecæ libris Silus hic dicitur, non Silo.

VARIOR.

4. *Ad id tempus Epidius.*] Forte: *Ad idem tempus.*

5. *Male oculatus.*] Hoc eſt, μύωψ. GUJET.

Triumviri exſtitiſſe ſe ajebat.] An *triumviri perdidiſſe ſe ajebat.* IDEM.

Ejuſdem

ejus diceret, ab iis contra quos pronuntiabat, pedibus e tribunali detractus eſt. Quod indigne ferens, ſtatim contendit ad portam, & inde Romam: receptuſque in Planci oratoris contubernium: cui declamaturo mos erat, prius aliquem, qui ante diceret, excitare: ſuſcepit eas partes, atque ita implevit, ut Planco ſilentium imponeret, non audenti in comparationem ſe dimittere. Sed ex eo clarus, propria auditoria inſtituit, ſolitus propoſita controverſia ſedens incipere, & calore demum provectus conſurgere, ac perorare. Declamabat autem genere vario: modo ſplendide atque adornate: tum, ne uſquequaque ſcholaſticus exiſtimaretur, circunciſe ac ſordide, & tantummodo trivialibus verbis. Egit & cauſas, verum rarius, dum ampliſſimam quanque ſectatur, nec alium in ulla locum, quam perorandi. Poſtea renuntiavit foro, partim pudore, partim metu. Nam quum in lite quadam centumvirali adverſario, quem, ut impium erga parentes, inceſſebat, jusjurandum quaſi per figuram ſic obtuliſſet: Jura per patris matriſque cineres, qui inconditi jacent: & alia in hunc modum: arripiente eo conditionem, nec judicibus aſpernantibus, non ſine magna ſui invidia negotium afflixit. Et rurſus in cognitione cædis, Mediolani, apud Lucium Piſonem proconſulem, defendens reum, quum cohibente lictore nimias laudantium voces, ita excanduiſſet, ut & deplorato Italiæ ſtatu, quaſi iterum in formam provinciæ redigeretur, Marcum inſuper Brutum, cujus ſtatua in conſpectu erat, invocaret, legum ac libertatis auctorem & vindicem, pæne pœnas luit. Jam autem ſenior ob vitium vomicæ Novariam

Ejuſdem uxorem Fulviam.] An, *in ejuſdem uxorem?* Idem.

Achill. Stat.

6. *Contubernium.*] Scribi etiam poteſt, *Contibernium:* namque in veteri monumento Romæ in hortis Albertinis, CONTIBERNALI.

Actaque ita implevit.] Vet. impr. *atque ita implevit.* quod placet. vel illo modo, *itaque implevit.*

Solitus propoſita controverſia ſedens in opere, & calore demum provectus conſurgere.] Recte hunc Gabriel Faernus locum diſtinguebat, ac reſtituebat, *ſolitus propoſita controverſia ſedens incipere, & calore demum provectus conſurgere.*

Gemere.] Indignans ſcilicet.

Dum ampliſſimam quamque.] Legendum ut in vet. *ampliſſimam quanque.*

Nec alium in ulla locum quam perorandi.] Legi etiam fortaſſe poſſit, *nec alio in illa loco.*

Quaſi per figuram.] Dixit ante in proœmio, *per omnes figuras:* vel *per figuram*, ὡς ἐν τύπῳ.

Negotium adflixit.] Cauſſam perdidit.

In cognitione cædis.] In judicio.

Vinet.

Planci oratoris.] Lucii Munacii Planci. de quo ſic Latina Euſebii Chronica, de Octaviani Auguſti temporibus, apud annum quartum Olympiadis centeſimæ octogeſimæ octavæ: *Munatius Plancus, Ciceronis diſcipulus, orator habetur inſignis. Qui quum Galliam Romanam regeret, Lugdunum condidit.*

Casaubon.

Ne uſquequaque ſcholaſticus exiſtimaretur.] Scholaſticum appellabant, qui in umbra circa fictas hypotheſes ſe occuparet. Quintilianus libro XII. *Cognoſcere & præcepta vivendi perdiſcere, & in foro nos experiri potuimus, dum ſcholaſtici ſumus.* In aureo Longini libello ἀληθινοῖς λόγοις opponitur νόησις σχολαστική, ſententia ſcholaſtica, ſive puerilis, frigida & ineptæ affectationis plena. Τί ποτ᾽ οὖν, ait, τὸ μειρακιῶδές ἐστιν; ἢ δῆλον ὡς σχολαστικὴ νόησις ὑπὸ περιεργίας λήγουσα εἰς ψυχρότητα. Sed de varia acceptione hujus vocis diximus ad Capitolini Maximinos.

Nec alium in ulla locum quam perorandi.] M. Tullius in Oratore: *Miſerationibus eo ſum uſus pluribus, quod etiamſi plures dicebamus, perorationem mihi tamen omnes relinquebant.* in Bruto ait ipſe Brutus: *De te quod optarent rei, quod ipſe Hortenſius judicaret, videbamus: qui quum partiretur tecum cauſſas, (ſæpe enim interfui) perorandi locum, ubi plurimum pollet oratio, ſemper tibi relinquebat.*

Multa hodie in hoc libello deſiderari, ex indice apparet, quem in vetuſtis codicibus repertum hujus editionis fronti præfiximus. Quoniam autem B. Hieronymus, ut antea dicebamus, quæcumque de Claris Oratoribus in Euſebii Chronico adnotavit, ea ab hoc ſcriptore fuit mutuatus; nos viciſſim, quæ huc pertinebant, ex illo præſtantiſſimo opere deſcripſimus, atque infra ſubjecimus.

Achil.

variam rediit: convocataque plebe, cauſis propter quas mori deſtinaſſet, diu, ac more concionantis, redditis, abſtinuit cibo.

ACHILL. STAT.

More concionantis.] Concionem habentis, verba facientis.

Deeſſe huic libro multum, intelligi poteſt ex catalogo Rhetorum eorum, qui principio utriuſque manuſcripti libri legitur. namque præter ſuperiorum nomina, hæc etiam leguntur:

L. CÆSTIUS PIUS.
M. PORCIUS LATRO.
Q. CURTIUS RUFUS.
L. VALERIUS PRIMANUS.
VIRGILIUS FLAVUS.
L. STATIUS URSULUS.
P. CLODIUS QUIRINALIS.
M. ANTONIUS LIBERALIS.
SEX. JULIUS GABINIANUS.
M. FABIUS QUINTILIANUS.
JUL. TITO.

CASSII Parmenſis verſus, qui ſequuntur, in Bruttiis inventos, quos inde mihi Sertorius Quadrimanus, juvenis doctrina moribuſque elegantiſſimis curavit, auctarii loco damus, ne pereant ſcilicet: digniſſimi enim Caſſio viſi ſunt, cujus Horatius, Plinius, cæterique meminerunt.

CASSII PARMENSIS ORPHEUS.

Arguta primum cum plectra parentis, & auro
Diſtinctam ſumpſit citharam Rhodopeius heros,
Ridebant ſegnes pulſus, digitoſque micantes
Serius, & chordis indoctæ diſſona vocis.
Mox pudor exardens, & gloria dulcis honeſti,
Luſibus avertit puerilibus, omnis & illuc
Perditus incumbens Muſæ pallebat amore.
Et nunc maternis inhiat, nunc ille paternis
Cantibus, hinc illinc diſcens dependet utrimque.
Nulla Venus faciem cepit mentita doloſis
Compedibus: ſomni fuerat, parcuſque Lyæi:
Donec ridiculus dudum, modulamine ſilvas,
Evulſoſque ſuis ſcopulos radicibus egit.
Auſus & ire viam viventibus inconceſſam,
Pœnarum oblitos demulſit carmine Manes.
Non levis adſcenſus, ſi quis petit ardua: ſudor
Plurimus hunc tollit, nocturno exſomnis olivo
Immoritur. delet quod mox laudaverat in ſe,
Qui cupit æternæ donari frondis honore.

L. CÆSTIUS PIUS.

Chronicon Euſebii numero MMIV. in anno Auguſti XXXI. *Ceſtius Smyrnæus Rhetor Latine Romæ docuit.* multa de hoc rhetore paſſim leguntur apud M. Senecam in Controverſiarum libris.

M. PORCIUS LATRO.

Hieronymus numero MMXIII. in anno Auguſti XL. *Marcus Porcius Latro Latinus Declamator, tædio duplicis quartanæ ſemet interficit.*

L. STATIUS URSULUS.

Chronicon Euſebii numero MMLXXIV. in anno tertio Neronis: *Statius Surculus Toloſenſis in Galliis celeberrime Rhetoricam docet.* Legendum, *Statius Urſulus*, ut habent omnes codices Suetonii in noſtro laterculo. errorem eorum, qui Statium Papinium poetam cum hoc confundunt, docte confutat Joſephus Scaliger ad hunc locum.

DOMITIUS AFER.
P. CLODIUS QUIRINALIS.

Hieronymus numero MMLX. in anno IV. Claudii: *Domitius Afer Nemauſenſis clarus Orator habetur; qui poſtea Nerone regnante ex cibi redundantia in cœna moritur.*

Clodius Quirinalis Rhetor Arelatenſis, Romæ inſigniſſime docet.

In noſtro indice nomen Domitii non exſtat: ſed nos judicium Scaligeri ſecuti ſumus, qui etiam iſta e libro Suetonii putabat eſſe deſcripta. eſt tamen dubitationi locus, quia Hieronymus ait ORATOR, non autem Rhetor. Sane Domitius etiam honores geſſit in Rep. Prætor enim fuit ac Conſul. videndus Dio.

M. ANTONIUS LIBERALIS.

Hieronymus numero MMLXIV. in anno Claudii nono: *M. Antonius Liberalis Latinus Rhetor, graviſſimas inimicitias cum Palæmone exercet.* Cur non poſſit hic ille eſſe, cujus hodie exſtat Μεταμορφώσεων συναγωγὴ, cauſſam equidem video nullam.

SEX. JULIUS GABINIANUS.

Hieronymus numero MMXCII. in anno Veſpaſiani octavo: *Gabinianus celeberrimi nominis Rhetor in Gallia docuit.* meminit etiam alibi idem Hieron. ut adnotat Scaliger.

Iſti ſunt Rhetores Suetoniani, quorum in Euſebiano Chronico meminit Hieron. Exiſtimat Scaliger ex eodem Tranquillo etiam alia eſſe deſumpta, quæ ibi leguntur: ut quæ in anno Auguſti XXXIX. de M. Tullio Tirone Ciceronis liberto: & ſi qua his ſimilia. Sunt & nonnulli in noſtro laterculo, quorum in Chronico non meminit Hieronymus: velut Q. Curtius Rufus. quem illum eſſe, cujus hiſtoria rerum Alexandri elegantiſſime ſcripta in doctorum manibus verſatur, pene aſſentior viris eruditis ſic exiſtimantibus. at ille Curtius Rufus, cujus meminit Tacitus in XI. Annalium, cum noſtro Rhetore nihil videtur commune habuiſſe.

PUB. TERENTII AFRI CARTHAGINIENSIS

V I T A.

PUblius Terentius Afer Carthagine natus, ſervivit Romæ Terentio Lucano ſenatori: a quo ob ingenium, & formam non inſtitutus modo liberaliter, ſed & mature manumiſſus eſt. Quidam captum eſſe exiſtimant; quod fieri nullo modo potuiſſe, Feneſtella docet: cum inter finem ſecundi belli Punici, & initium tertii natus ſit, & mortuus: nec ſi a Numidis aut Getulis captus ſit, ad ducem Romanum pervenire potuiſſet, nullo commercio inter Italicos & Afros, niſi poſt deletam Carthaginem, cœpto. Hic cum multis nobilibus familiariter vixit, ſed maxime cum Scipione Africano, & C. Lælio: quibus etiam corporis gratia conciliatus exiſtimatur, quod & ipſum Feneſtella arguit, contendens utroque majorem natu fuiſſe; quamvis & Cornelius Nepos æquales omnes fuiſſe tradat, & Portius ſuſpicionem de conſuetudine per hæc faciat:

Dum laſciviam nobilium, & fucoſas laudes petit:
Dum Africani voce divina inhiat avidis auribus:
Dum ad Furium ſe cœnitare & Lælium, pulchrum putat:
Dum ſe amari ab hiſce credit, crebro in Albanum rapi
Ob florem ætatis ſuæ: ipſus ſublatis rebus ad ſummam
Inopiam redactus eſt.
Itaque e conſpectu omnium abiit in Græciam in terram ultimam.
Mortuus eſt in Stymphalo Arcadiæ oppido: nihil Publius
Scipio profuit, nihil ei Lælius, nihil Furius:
Tres per idem tempus qui agitabant nobiles facillime.
Eorum ille opera ne domum quidem habuit conductitiam,
Saltem ut eſſet, quo referret obitum domini ſervulus.

Scripſit comœdias ſex, ex quibus primam Andriam cum ædilibus daret, juſſus ante Cærio recitare; ad cœnantem cum veniſſet, dictus eſt, initium quidem fabulæ, quod erat contemptiore veſtitu, ſubſellio juxta lectulum reſidens, legiſſe: poſt paucos vero verſus invitatus ut accumberet, cœnaſſe una, deinde cetera percurriſſe, non ſine magna Cærii admiratione. Et hanc autem, & quinque reliquas æqualiter populo proba-

VARIOR.

Terentio Lucano ſenatori.] An *Terentio Culleoni*, ut ſit ille, quem major Africanus e captivitate liberavit. GRONOVIUS.

Ad ducem Romanum pervenire potuiſſet.] Forte *ad dominum Romanum*. IDEM.

Dum ad Furium ſe cœnitare & Lælium.] Scaliger in Euſebium: *ad Furii ſe cœnitare & Lælii.* Si e ſcripto antiquo, tolero & applaudo; ſin, profecto illud mutandum non eſt. Nam, *ad Furium*, *ad Lælium* eleganter dicitur in illorum ædibus. Ut Ciceroni 4. Attic. 4. *Fuit ad me cum Cæſare.* In quo opere ſæpe ſic loquitur: ut & Comici. IDEM.

Saltem ut eſſet quo referret.] 1. Si nihil aliud, ut locus eſſet vel domus, quo ſervus eum comitatus in peregrinatione & redux nunciaret mortem patrisfamilias. Eo enim naturaliter contingit & ex deſtinatione illorum, qui abſenti adfuerunt, hunc nuncium portari. Nullo igitur modo probare poſſum Scaligeri: *qui referret obitum domini, ſervolum.* Quæ eſt enim iſta oratio, *non habuit domum, ſaltem ſervolum?* Dein quid eſt, *qui referret obitum domini?* Et quis credat ne ſervolum quidem Terentio fuiſſe? IDEM.

Nihil ei Lælius.] *Illi* pro *ei* ſcribe. GUJET.

Quo referret obitum domini.] An *obitu domini?* hoc eſt, per obitum domini, obitu domini interveniente. Scribendum autem videtur: *Saltem ut eſſet, quo referret ſe obitu domini ſervulus.* GUJET.

probavit. Quamvis Volcatius de enumeratione omnium ita ſcribat:

Sumetur Hecyra ſexta ex his fabula.

Eunuchus quidem bis die acta eſt, meruitque pretium, quantum nulla antea cujuſquam comœdia, id eſt, octo milia numum: propterea ſumma quoque titulo adſcribitur. Nam Adelphorum principium Varro etiam præfert principio Menandri. Non obſcura fama eſt, adjutum Terentium in ſcriptis a Lælio & Scipione, quibuſcum familiariter vixit. Eandem ipſe auxit: nunquam enim, niſi leviter, ſe tutari conatur: ut in prologo Adelphorum:

Nam quod iſti dicunt malevoli homines nobiles
Hunc adjutare, aſſidueque una ſcribere:
Quod illi maledictum vehemens exiſtimant,
Eam laudem hic ducit maximam, cum illis placet,
Qui vobis univerſis & populo placent:
Quorum opera in bello, in otio, in negotio
Suo quiſque tempore uſus eſt ſine ſuperbia.

Videtur autem ſe levius defendiſſe, quia ſciebat Lælio & Scipioni non ingratam eſſe hanc opinionem: quæ tamen magis & uſque ad poſteriora tempora valuit.

Q. Memmius in oratione pro ſe ait: *P. Africanus, qui a Terentio perſonam mutuatus, quæ domi luſerat ipſe, nomine illius in ſcenam detulit.* Nepos auctore certo comperiſſe ſe ait, C. Lælium quondam in Puteolano Cal. Martiis admonitum ab uxore, temporius ut diſcumberet, petiiſſe ab ea, ne interpellaretur, ſerius tandem ingreſſum triclinium dixiſſe, non ſæpe in ſcribendo magis ſucceſſiſſe ſibi: deinde rogatum ut ſcripta illa proferret, pronuntiaſſe verſus, qui ſunt in Heautontimorumeno:

Satis pol proterve me Syri promiſſa huc induxerunt.

Santra Terentium exiſtimat, ſi modo in ſcribendo adjutoribus indiguerit, non tam Scipione & Lælio uti potuiſſe, qui tunc adoleſcentuli fuere, quam Sulpitio Gallo, homine docto, & qui conſularibus ludis initium fecerit fabularum dandarum: vel Q. Fabio Labeone, & M. Popilio, conſulari utroque, ac poeta. Ideo ipſum non juvenes deſignaſſe, qui ſe adjuviſſe dicerentur: ſed viros, quorum operam & in bello & in otio & in negotio populus ſit expertus. Poſt editas comœdias, nondum quintum atque trigeſimum egreſſus annum, cauſa evitandæ opinionis, quia videbatur aliena pro ſuis edere, ſeu percipiendi Græcorum inſtituta, moreſque, quos perinde exprimeret in ſcriptis, egreſſus urbem eſt, neque amplius rediit. De morte ejus Volcatius tradit:

Sed ut Afer ſex populo edidit comœdias,
Iter hinc in Aſiam fecit. navim cum ſemel
Conſcendit, viſus nunquam eſt. ſic vita vacat.

Q. Conſentius redeuntem e Græcia periiſſe in mari dicit cum centum & octo fabulis, converſis e Menandro. Ceteri mortuum eſſe in Arcadiæ Stymphalo, ſive Leucadia tradunt, Cn. Corn. Dolabella, Marco Fulvio Nobiliore COSS. morbo implicitum acri, dolore ac tædio amiſſarum ſarcinarum, quas in navi præmiſerat; ac ſimul fabularum, quas novas fecerat. Fuiſſe dicitur mediocri ſtatura, gracili corpore, colore fuſco. Reliquit filiam, quæ poſt equiti Romano nupſit. Item hortulos XX. jugerum in via Appia ad Martis villam. quo magis miror Portium ſcribere:

---- ---- *nihil Publius*
Scipio profuit, nihil ei Lælius, nihil Furius:
Tres per idem tempus qui agitabant nobiles facillime.
Eorum ille opera ne domum quidem habuit conductitiam:
Saltem ut eſſet, quo referret obitum domini ſervulus.

Hunc Afranius quidem omnibus Comicis præfert, ſcribens in Compitalibus:

Terentio non ſimilem dices quempiam.

Volcatius autem non ſolum Nævio, & Plauto, & Cæcilio, ſed Licinio quoque poſtponit. Cicero in Limone hactenus laudat:

Tu quoque qui ſolus lecto ſermone, Terenti,
Converſum expreſſumque Latina voce Menandrum
In medio populi ſedatis vocibus effers,
Quicquid come loquens, ac omnia dulcia dicens.

Item C. Cæſar.

Tu quoque, tu in ſummis, o dimidiate Menander,
Poneris, & merito, puri ſermonis amator.
Lenibus atque utinam ſcriptis adjuncta foret vis
Comica, ut æquato virtus polleret honore
Cum Græcis, neque in hac deſpectus parte jaceres.
Unum hoc maceror, & doleo tibi deeſſe, Terenti.

HORATII
VITA.

HOratius Flaccus Venuſinus, patre, ut ipſe tradit, libertino, & exactionum coactore: ut vere creditum eſt, ſalſamentario, quum illi quidam in altercatione exprobraſſet: Quotiens ego vidi patrem tuum cubito emungentem? Bello Philippenſi, excitus a Marco Bruto imperatore, tribunus militum meruit: victiſque partibus, venia impetrata, ſcriptum quæſtorium comparavit. Ac primo Mæcenati, deinde Auguſto inſinuatus, non mediocrem locum in amborum amicitia tenuit. Mæcenas quantopere eum dilexerit, ſatis monſtratur illo epigrammate, ubi inquit:

Ni-

VINET.

Ut ipſe tradit.] In ſexto ſermone libri prioris.

Bello Philippenſi.] Sidonius Apollinaris carmine quarto.

Illo epigrammate.] Conſtat Mæcenatem (Servii verba ſunt in librum ſecundum Georgicῶn) fuiſſe litterarum peritum, & plura compoſuiſſe carmina. Horatius ipſe in Ode duodecima libri ſecundi:

- - - *tuque pedeſtribus*
Dices hiſtoriis prælia Cæſaris,
Mæcenas, melius.

Sed vide plura de Mæcenate in poetis Lilii Gregorii.

VINET.

Ni te viſceribus meis, Horati,
Plus jam diligo, Titum ſodalem
Mimo tu videas ſtrigoſiorem.

Sed multo magis extremis, tali ad Auguſtum elogio: Horatii Flacci, ut mei, memor eſto. Auguſtus ei Epiſtolarum officium obtulit: hoc ad Mæcenatem ſcripto ſignificat. Ante ipſe ſcribendis epiſtolis amicorum ſufficiebam: nunc occupatiſſimus & infirmus, Horatium noſtrum a te cupio abducere. Veniet ergo ab iſta paraſitica menſa ad hanc regiam: & nos in ſcribendis epiſtolis juvabit. Ac ne recuſanti quidem aut ſuccenſuit quicquam, aut amicitiam ſuam ingerere deſiit. Exſtant epiſtolæ, ex quibus, argumenti gratia, pauca ſubjeci: Sume tibi aliquid juris apud me, tanquam ſi victor mihi fueris: recte enim & non temere feceris, quoniam id uſus mihi tecum eſſe volui, ſi per valetudinem tuam fieri poſſit. Et rurſus: Tui qualem habeam memoriam, poteris ex Septimio quoque noſtro audire. nam incidit, ut illo coram fieret a me tui mentio. Neque ſi tu ſuperbus amicitiam noſtram ſpreviſti, ideo nos quoque ἀνθυπερηφανȣ̃μεν. Præterea ſæpe inter alios jocos puriſſimum penem, & homuncionem lepidiſſimum appellat: unaque & altera liberalitate locupletavit. Scripta quidem ejus uſque adeo probavit, manſuraque perpetuo: ut non modo Sæculare carmen componendum injunxerit, ſed & Vindelicam victoriam Tiberii Druſique privignorum: cumque

VINET.

Ex Septimio.] Ode ſexta libri ſecundi carminum ipſius Horatii.

Quum tot ſuſtineas.] Epiſtola prima libri ſecundi.

Et in Satyris.] Et in epiſtola quarta libri prioris.

VARIOR.

Plus jam diligo, Titium ſodalem.] Alii, *tu tuum ſodalem Ninnio.* Lego: *tu Titii ſodalis Ginno me videas ſtrigoſiorem. Ginnus*, brevis mulus. Martialis 6. 77. *Non aliter monſtratur Atlas cum compare ginno.* Ubi vide Scriverium & Scaligerum ad Manilium. Talem vocem poſcebat τὸ *ſtrigoſus*, in jumentis proprium. Livius lib. 27. *ſcuta vetera hoſtium notavit, quæ ante non viderat & ſtrigoſiores equos.* Frontinus in eadem hiſtoria 1. 2. *quod ab itinere ſtrigoſiores notabat equos & coloratiora hominum corpora.* Maſſurius Sabinus apud Gellium 4. 20. *equum nimis ſtrigoſum & male habitum, ſed equitem ejus uberrimum & habitiſſimum.* Quibus omnibus locis *ſtrigoſus* ἰσχνὸς eſt, ſive attenuato corpore ac macilentus: non morabundus aut tergiverſator, ut volunt. Sed nec apud Lucilium, ſecus atque Scaliger & alii homines docti tradidere. Verba ſunt: *Hicce ſtrigoſus bovinatorque ore improbus duro. Bovinator* equidem eſt tergiverſator, at non *ſtrigoſus:* ſunt enim hæc duo ſeparata vitia in equo, alterum corporis eſt, alterum ingenii. Itaque quod in equo vitium, in cane venatico virtus eſt. Columella 7. 72. *Pecuarius canis neque tam ſtrigoſus aut pernix debet eſſe, quam qui damas cervoſque & velociſſima ſectatur animalia, nec tam obeſus aut gravis, quam villæ horreique cuſtos.* Vides τὰ *ſtrigoſus* & *obeſus* divortere, ut *pernix* & *gravis*; ut apud Maſſurium *ſtrigoſus* & *uberrimus*, *male habitus* & *habitiſſimus.* Neque aliter accepit Cicero, ut oſtendit, ubi pulcherrime transfert in Bruto, de Lyſia: *Habet enim certos ſui ſtudioſos, qui non tam habitus corporis opimos quam gracilitates conſectentur, quos, valetudo modo bona ſit, tenuitas ipſa delectat: quanquam in Lyſia ſunt ſæpe etiam lacerti, ſic ut fieri nihil poſſit valentius: verum eſt certe toto genere ſtrigoſior. Titii ſodales* notum genus ſacerdotii. Credibile eſt quendam ex iſtis vicinum Mæcenati aut qui crebro ædes ejus præterveheretur parum curato jumento inſidens, viciniæ aut Cilnio ipſi aut familiæ ejus occaſionem proverbii fingendi dediſſe, ut *Titii ſodalis equum* vel *mulum* pro male curato, *Titii ſodalis mulo ſtrigoſiorem* pro macilento, male vivo, vix vivo & monogrammo, ut alibi Lucilius, dicerent. *Videas* genus eſt jurandi. Dio in Nerone: Ἦν δέ τις Μάρκος Σαλβȣ̃ιος Ὄθων, ὃς ȣ̃τως ἔκ τε τῆς ὁμοιότητος τῶν τρόπων καὶ τῆς κοινωνίας τῶν ἁμαρτημάτων τῷ Νέρωνι ᾠκείωτο, ὥστε καὶ εἰπών ποτε πρὸς αὐτὸν, Οὕτω γε Καίσαρα ἴδοις, ȣ̓δὲν διὰ τȣ̃το κακὸν ἐπάθει. GRONOVIUS.

Titium ſodalem mimo tu videas ſtrigoſiorem.] Scribendum videtur: *Tu tuum ſodalem Hinno me videas ſtrigoſiorem.* GUJET.

Multo magis extremis.] Vetus codex Reg. *Sed multo magis extremis judiciis.* ID.

Et nos in epiſtolis ſcribendis juvabit.] Al. *& nos in epiſtolis ſcribendis adjuvabit.* ID.

Amicitiam ſuam ingerere.] Al. *ſuggerere.* ID.

Nos quoque ἀνθυπερηφανȣ̃μεν.] Al. ἀνθυπερφρονȣ̃μεν. hoc eſt, viciſſim deſpicimus, contemnimus. Ariſtoph. IDEM.

que coegerit propter hoc, tribus carminum libris, ex longo intervallo, quartum addere: poſt Sermones quoque lectos, nullam ſui mentionem habitam ita ſit queſtus: Iraſci me tibi ſcito, quod non in pleriſque ejuſmodi ſcriptis mecum potiſſimum loquaris. An vereris, ne apud poſteros tibi infame ſit, quod videaris familiaris nobis eſſe? expreſſitque elogium, cujus initium eſt:

Cum tot ſuſtineas, & tanta negotia, ſolus:
Res Italas armis tuteris, moribus ornes,
Legibus emendes: in publica commoda peccem,
Si longo ſermone morer tua tempora, Cæſar.

Idem Horatius habitu corporis brevis fuit, atque obeſus: qualis a ſe ipſo & in Satyris deſcribitur, & ab Auguſto hac epiſtola: Protulit ad me Dionyſius libellum tuum, quem ego, ne accuſem te, quantuluſcunque eſt, boni conſulo. Vereri autem mihi videris, ne majores libelli tui ſint, quam ipſe es; ſed ſi tibi ſtatura deeſt, corpuſculum non deeſt. Itaque licebit in ſextariolo ſcribas: quum circuitus voluminis tui ſit, ὀτηκωάντατος, ſicut eſt ventriculi tui. Ad res Venereas intemperantior traditur. Nam ſpeculato cubiculo ſcorta dicitur habuiſſe diſpoſita: ut quocunque reſpexiſſet, ibi ei imago coitus referretur. Vixit plurimum in ſeceſſu ruris ſui Sabini aut Tiburtini: domuſque ejus oſtenditur circa Tiburtini luculum. Venerunt in manus & elegi ſub titulo ejus, & epiſtola proſa oratione, quaſi commendans ſe Mæcenati: ſed utraque falſa puto. Nam elegi vulgares, epiſtola etiam obſcura: quo vitio minime tenebatur. Natus eſt ſexto Idus Decembres, Lucio Cotta & Lucio Torquato COSS. Deceſſit quinto Calendas Decembres, Cajo Marcio Cenſorino, Cajo Aſinio Gallo COSS. poſt nonum

VINET.

Lucio Cotta.] Cujus ſui natalis ipſe meminit in carmine viceſimo primo libri tertii. conſules autem fuerunt, Lucius Aurelius Cotta, & Lucius Manlius Torquatus, anno urbis ſexcenteſimo octogeſimo nono: ſed Cajus Marcius Cenſorinus, & Cajus Aſinius Gallus annis poſt quinquaginta ſeptem, hoc eſt, anno Romæ ſeptingenteſimo & quadrageſimo ſexto. Quare in Euſebii Chronicis rectius notatum eſt, Horatium quinquageſimo ſeptimo ætatis ſuæ annno Romæ eſſe mortuum, quam hic ſcriptum, poſt nonum & quinquageſimum annum deceſſiſſe.

CASAUBON.

Non pertinere hanc vitam ad libellos de grammaticis & rhetoribus, initio oſtendimus: neque dubitare poſſumus, de poetica & poetis Suetonium quoque ſcripſiſſe. Quædam in hac vita, ex fide virorum eruditorum, qui illam primi publicarunt, hic edita, ſunt animadvertenda. Initio, *ut vere creditum eſt*, malim, *ut fere cr.* Helleniſmus eſt in illis, *vidi patrem tuum cubito emungentem*, ἀπομύττοντα pro ἀπομύττοντα ἑαυτὸν, vel ἀπομυττόμενον. ut in Laertii Bione. ſic *exercere* pro ſe exercere. puto tamen ſcripſiſſe heic Suet. *cubito ſe mungentem.* Mæcenatis verſiculi alibi ſic ſcribuntur emendatius:

Ni te viſceribus meis, Horati,
Jam plus diligo, ut tuum ſodalem
Ninnio videas ſtrigoſiorem.

Scribe mox, *ut hoc ad* M. Deinde: *tanquam ſi convictor mihi fueris.* ea mens Auguſti certo. Sequitur item in verbis Auguſti: *ſed ſi tibi ſtatura deeſt, unde eſt* Videtur poſtulare ſententia, *ſi t. ſt. deeſt, venter abunde eſt.* vocem Græcam, quæ depravatiſſime eſt edita, reſtitue, ὀγκωδέστατος. Illa ſub finem verba *poſt nonum & quinquageſimum annum*, conferenda cum iis quæ Hieronymus ſcribit in Euſebiano Chronico; & Notis ad locum illum virorum præſtantiſſimorum Arnaldi Pontaci Epiſcopi, & Joſeph. Scaligeri.

VARIOR.

Protulit ad me Dionyſius.] Leg. *Pertulit ad me Dionyſius.* GUJET.

Sed ſi tibi ſtatura deeſt, unde eſt.] Legendum videtur: *Sed ſi tibi ſtatura deeſt, corpuſculum non deeſt.* GUJET.

Sit. Ὀτηκώαντατος.] Scrib. *ſit* ὀγκωδέστατος. IDEM.

Venerunt in manus] Leg. *in manus meas.* IDEM.

nonum & quinquageſimum annum, hærede Auguſto palam nuncupato: quum urgente vi valetudinis, non ſufficeret ad obſignandas teſtamenti tabulas. Humatus & conditus eſt extremis Eſquiliis, juxta Mæcenatis tumulum.

LUCANI
VITA.

M. Annæus Lucanus Cordubenſis prima ingenii experimenta in Neronis laudibus dedit quinquennali certamine. Dein civile bellum quod cum Pompejo & Cæſare geſtum eſt, recitavit. Qui tantæ levitatis & tam immoderatæ linguæ fuit, ut in præfatione quadam ætatem & initia ſua cum Virgilio comparans, auſus ſit dicere, *& quantum mihi reſtat ad culicem?* Hic initio adoleſcentiæ, cum ob infeſtum matrimonium patrem ſuum ruri agere longe cognoviſſet, revocatus Athenis a Nerone cohortique amicorum additus, atque etiam quæſtura honoratus: non tamen permanſit in gratia. Siquidem ægre ferens, recitante ſe ſubito, ac nulla niſi refrigerandi ſui cauſa, indicto Senatu Neronem receſſiſſe: neque verbis adverſus Principem, neque factis exſtantibus poſt hæc temperavit. Adeo ut quondam in latrinis publicis clariore cum ſtrepitu ventris emiſſo, hemiſtichium Neronis magna cum ſeſſorum fuga pronuntiarit: *ſub terris tonuiſſe puto.* Sed & famoſo carmine cum ipſum, tum potentiſſimos amicorum, graviſſime proſcidit. Ad extremum pæne ſignifer Piſonianæ conjurationis exſtitit. Multis in gloriam tyrannicidarum palam indicenda: ac plenus minarum, uſque eo intemperans, ut Cæſaris caput proximo cuique jactaret. Verum detecta conjuratione, nequaquam animi conſtantiam præſtitit. Facile enim confeſſus, & ad humillimas devolutus preces, matrem quoque innoxiam inter ſocios nominavit: ſperans impietatem ſibi apud parricidam Principem profuturam. Impetrato autem mortis libero arbitrio, codicillos ad patrem de corrigendis quibuſdam verſibus ſuis exaravit: epulatuſque largiter, brachia ad ſecandas venas medico præbuit. Poemata etiam ejus prælegi memini: confici vero, ac vænalia proponi non tantum operoſe & diligenter, ſed inepte quoque.

PLI-

CASAUBON.

Hanc vitam ita ut erat deſcripta e veteri codice, ad me miſit Theodorus Canterus vir clariſſimus. cujus etiam pleræque notæ ſunt, quas ſubjeci.

Quæſturæ honoratus.] Deeſt *honore*, vel ſcribe *Quæſtura.*

Clariore cum ſtrep.] Dele *cum*, aut ſcrib. *clariore ſono ſtr.* Deinde ſcribe, *magna conſeſſorum fuga.* non *cum ſeſſ.*

Multis in gloriam tyrannicidarum indicenda.] Scribe, *Multus in gloriam tyrannicidarum palam in dicendo, ac plenus minarum.* hoc adeo verum eſt, ut ne in ſcribendo quidem, nedum in dicendo, temperare ſibi potuerit, a certis indiciis animi veteris libertatis revocandæ cupidiſſimi, & imperantibus infeſti. Lector attentus paſſim deprehendet in libris decem de Bello Civili.

Brachia ad ſecandas venas medico præbuit.] Videtur hinc mutuatus Hieronymus, cum ſcriberet numero MMLXXX. in anno X. Neronis. *M. Annæus Lucanus Cordubenſis poeta in Piſoniana conjuratione deprehenſus, brachium ad ſecandas venas medico præbuit.*

VARIOR.

Neque factis exſtantibus.] Hoc eſt, manifeſtis. GUJET.

Nequaquam animi conſtantiam.] Lege: *nequaquam parem animi conſtantiam.* SALMAS.

Ad patrem corrigendos quibuſdam verſibus.] Leg. *ad patrem de corrigendis quibuſdam verſibus.* IDEM.

VI-

PLINII VITA.

PLinius Secundus Novocomenſis, equeſtribus militiis induſtrie functus, procurationes quoque ſplendidiſſimas, atque continuas, ſumma integritate adminiſtravit, & tamen liberalibus ſtudiis tantam operam dedit, ut non remere quis plura in otio ſcripſerit. Itaque bella omnia, quæ unquam cum Germanis geſta ſunt, viginti voluminibus comprehendit. Item naturalis hiſtoriæ triginta ſeptem libros abſolvit. Periit clade Campaniæ. Nam quum Miſenenſi claſſi præeſſet, & flagrante Veſebio, ad explorandas propius cauſas, liburnicas prætendiſſet: neque, adverſantibus ventis, remeare poſſet, vi pulveris ac favillæ oppreſſus eſt: vel, ut quidam exiſtimant, a ſervo ſuo occiſus: quem, deficiens æſtu, ut necem ſibi maturaret, oraverit.

VINET.

Quum Plinii ex Suetonio Tranquillo vitam Pictavio edendam abhinc annos quindecim curavi, eam non ante videram, nec de ea quicquam audieram: quam Arnoldus ille Ferronus Toloſa ex vetuſto codice Fuxenſis Bibliothecæ deſcriptam, mihi Burdigalam ſuam miſiſſet. verum quatuor poſt annis venit forte in manus meas Hiſtoria Naturalis Plinii ante impreſſa, quam natus fuiſſem: in quo exemplari eam vitam quum reperiſſem, non potui non ſuccenſere & imprecari, qui ex noſtris codd. illam ſuſtuliſſent. Diceres in Veronenſium gratiam id feciſſe, qui minime libenter ibi legunt Plinium fuiſſe Novocomenſem. Quum namque in præfatione Plinius Catullum vocet ſuum conterraneum: qui poeta patriam habuit Sirmionem, ſi quid ipſi de ſe credimus, peninſulam lacus Benaci in agro Veronenſi: Plinium Hiſtoriæ Naturalis auctorem, & Plinii alterius avunculum, Torellus, Mathæus Rufus, & alii Veronenſes, in mediis ipſis mœnibus Veronæ natum eſſe contendunt. quaſi vero conterranei dici nequeant, qui ſint tantum ex eadem terra, regione, provincia: ut Novocomum, quod prius Comum fuit dictum, auctore Strabone libro quinto: & Verona, quæ civitates ſunt ambæ in eadem Italia, illa nimirum, quam veteres Romam Tranſpadanam, & Ciſalpinam Galliam vocitabant. Sed Suetonius Tranquillus, qui Plinium utrumque vidit, & juniorem intimum amicum habuit, noſſe ſatis potuit, niſi fallor, quæ utrique patria fuerit.

Periit clade Campaniæ.] Vide Hermolai Barbari caſtigationes, quoniam in exemplari Toloſano par mendum erat, atque in iis quibus uſus eſt Plinii caſtigator Hermolaus. Cæterum de eodem Plinio ſi quis plura noſſe cupierit quam hic ex Suetonio ſit excerptum, is legat Plinii junioris Epiſtolam quintam libri tertii, & quintam decimam, ac undeviceſimam libri ſexti.

CASAUBON.

Non eſt Suetonii: quod & dictio clare arguit & ſupina negligentia in tanti viri rebus memoriæ prodendis. Amat, fateor, brevitatem Tranquillus: ſed eruditam, & quæ cognitioni rerum nihil officiat. denique, auctor hujus vitæ, neque Suetonius eſt, neque quiſquam alius, qui meliore illo ſæculo vixerit, ſicut etiam Joſephus Scaliger pronunciavit. Scripſiſſe tamen Tranquillum Plinii hujus vitam, teſtimonio eſt locus ille, quem ex ejus libro de viris illuſtribus laudatum, commemorat Achilles Statius: *Dum idem Plinius legiones in Siciliam duceret, eruptione favillarum ab Ætna eructantium, præfocatus interiit, anno vitæ ſuæ* LVI.

JUVENALIS VITA.

JUnius Juvenalis liberti locupletis incertum filius, an alumnus, ad mediam fere ætatem declamavit, animi magis cauſſa, quam quod ſcholæ aut foro præpararet. Deinde paucorum verſuum Satyra non abſurde compoſita in Paridem pantomimum, poetamque Claudii Neronis, ejus ſemeſtribus militiolis tumentem, genus ſcripturæ in-

CENOTAPHIUM

Lucii Cæſaris Auguſti F.

XIII. K. OCTOBR. PISIS. IN FORO. IN. AVGVSTEO. SCRIB. ADFVER.
Q. PETILIVS. Q. F. P. RASINIVS. L. F BASSVS. M. PVPPIVS. M. F.
Q. SERTORIVS. Q. F. PICA. CN. OCTAVIVS. CN. F. RVFVS. A. ALBIVS.
A. F. GVTTA.

QVOD. C. CANIVS. C. F. SATVRNINVS. IIVIR. V. F. DE. AVGENDIS. HONORIBVS
L. CAESARIS. AVGVSTI. CAESARIS. PATRIS. PATRIAE. PONTIFICIS. MAXSVMI
TRIBVNICIAE. POTESTATIS. XXV. FILI. AVGVRIS. CONSVLIS. DESIGNATI. PRINCIP.
IVVENTVTIS. PATRONI. COLONIAE. NOSTRAE. Q. D. E. R. F. P. D. E. R. I. C.
CVM. SENATVS. POPVLI. ROMANI. INTER. CETEROS. PLVRIMOS. AC. MAXSIMOS
HONORES. L. CAESARIS AVGVSTI. CAESARIS. PATRIS. PATRIAE. PONTIFICIS. MAXSIMI. TRIBV
NICIAE. POTESTATIS. XXV. FILIO. AVGVRI. CONSVLI. DESIGNATO. PER
CONSESSVM. OMNIVM. ORDINVM.

Hæc lacuna, in qua nonnullæ lineæ
periere, hodie cœmento & calce expleta eſt.

TETVR. DATA. CVRA. C. CANIO. SATVRNINO. IIVIRO ET. DECEM. PRIMIS. ELEGENDI
ASPICIENDIQVE. VTER. EORVM. MAGIS. IDONEVS. VIDEATVR. EMEND . . . .
PVBLICA PECVNIA. A. PRIVATIS. EIVS. LOCI. QVEM. MAGIS. PROBAVERINT. VTIQVE
APVD. EAM. ARAM. QVOD. ANNIS. A. D. XII. K. SEPT. PVBLICE. MANIBVS. EIVS. PER. MAGIS
TRATVS. EOSVE. QVI. IBI IVRI. DICENDI. PREERVNT. TOGIS. PVLLIS. AMICTOS.
QVIBVS. EORVM. IVS. FASQVE. ERIT. EO. DIE. EIVS. VESTIS. HABENDAE. INFERIAE. MIT
TVNTVR. BOSQVE. ET. OVIS. ATRI. INFVLIS. CAERVLIS. INFVLATI. DIIS MANIBVS. EIVS
MACTENTVR. EAEQVE. HOSTIAE. EO. LOCO. ADOLEANTVR. SVPERQVE. EAS.
SINGVLAE. VRNAE. LACTIS. MELLIS. OLEI. FVNDANTVR. AC. TVM. DEMVM. FACTAM
CVNCTIS. POTESTATEM. SIQVI. PRIVATIM. VELINT. MANIBVS. EIVS. INFERIAS. MITTERE
NEVE. QVIS. AMPLIVS. VNO. CEREO. VNAVE. FACE. CORONAVE. MITTAT. DVM. II. QVI. IM
MOLARINT. CINCTI. GABINO. RITV. STRVEM. LIGNORVM. SVCCENDANT. ADQVE.
SVA. INDE. HABEANT.
VTI. LOCVS. ANTE. EAM. ARAM. QVO. EA. STRVES. CONGERANTVR. COMPONANTVR. PATEAT . . .
QVOQVE. VERSVS. PEDES. XL. STIPITIBVSQVE. ROBVSTIS. SAEPIATVR. LIGNORVMQVE.
ACERVOS. EIVS. REI. GRATIA. QVOD. ANNIS. IBI. CONSTITVATVR. CIPPOQVE. GRANDI.
SECVNDVM. ARAM. DEFIXSO. HOC. DECRETVM. CVM. SVPERIORIBVS. DECRETIS. AD. EIVS
HONORES. PERTINENTIBVS. INCIDATVR. INSCVLPATVRVE. NAM. QVOD. AD. CETERA
SOLENNIA. QVAE. EODEM. ILLO. DIE. VITARE. CAVERIVE. PLACVISSENT. PLACERENT
QVE. . . : : ID. SEQVENDVM. QVOD. DE. IIS. SENATVS. P. R. CENSVISSET. VTIQVE. PRIMO
QVOQVE. TEMPORE. LEGATI. EX. NOSTRO. ORDINE. IMPER. CAESAREM. AVGVSTVM
PATREM. PATRIAE. PONTIFICEM. MAXIMVM. TRIBVNICIAE. POTESTATIS. XXV.
ADEANT. PETANTQVE. DE. EO. VTI. COLONIS. IVLIENSIBVS. COLONIAE. OBSEQVENTI
IVLIAE. PISANAE. EX. HOC. DECRETO. EA. OMNIA. FACERE. EXSEQVIQVE. PERMITTAT.

C E N O T A P H I U M

CaI Cæſaris Auguſti F.

Deſunt dies ac menſis. PISIS. IN. FORO. IN. AVGVSTEO. SCRIB. AD.......
Fver. Q. SERTORIVS. Q. F. ATTILIVS. TACITVS. P. RASINIVS. L. F. BASSVS. L. LAPPIVS.
P. F. THALLVS. Q. SERTORIVS. Q. F. ALPIVS. PICA. C. VETTIVS. L. F. VIRCVLA. M. HERIVS
M. F. PRISCVS. A. ALBIVS. A. F. GVTTA. TI. PETRONIVS. TI. F. POLLIO. L. FABIVS. L. F. BASSVS.
SEX. APOMIVS. SEX. F. CRETILVS. C. CANIVS. C. F. SATVRNINVS. L. OTACILIVS. Q. F. PANTHERA.

QVOD. ADSVNT. CVM. IN. COLONIA. NOSTRA. PROPTER. CONTENTIONES. CANDIDATO
RVM. MAGISTRATVS. NON. ESSENT. ET. EA. ACTA. ESSENT. QVAE. INFRA. SCRIPTA. SVNT.
CVM. A. D. IIII. NONAS. APRILES. ALLATVS. ESSET. NVNCIVS. CAIVM. CAESAREM. AVGVSTI. PATRIS. PATRI
AE. PONTIF. MAXSVMI. CVSTODIS. IMPERI. ROMANI. TOTIVSQVE. ORBIS. TERRARVM. PRAE
SIDIS. FILIVM. DIVI. NEPOTEM. POST. CONSVLATVM. QVEM. VLTRA. FINIS. EXTREMAS. POPV
LI. ROMANI. BELLVM. GERENS. FELICITER. PEREGERAT. BENE. GESTA. RE. PVBLICA. DEVICTEIS. AVT
IN. FIDEM. RECEPTIS. BELLICOSISSIMIS. AC. MAXSIMIS. GENTIBVS. IPSVM. VOLNERIBVS. PRO. RE
PVBLICA. EXCEPTIS. EX. EO. CASV. CRVDELIBVS. FATIS. EREPTVM. POPVLO. ROMANO. IAM. DESIGNA
TVM. IVSTISSIMVM. AC. SIMILLVMVM. PARENTIS. SVI. VIRTVTIBVS. PRINCIPEM. COLONIAEQVE
NOSTRAE. VNICVM. PRAESIDIVM EAQVE. RES. NON. DVM. QVIETO. LVCTV. QVEM. EX. DECES
SV. L. CAESARIS. FRATRIS. EIVS. CONSVLIS. DESIGNATI. AVGVRIS. PATRONI. NOSTRI. PRINCI
PIS. IVVENTVTIS. COLONIA. VNIVERSA. SVSCEPERAT. RENOVASSET. MVLTIPLICASSETQVE
MOERORE M. OMNIVM. SINGVLORVM. VNIVERSORVMQVE. OB. EAS. RES. VNIVERSI. DECV
RIONES. COLONIQVE. QVANDO. EO. CASV. IN. COLONIA. NEQVE. IIVIR. NEQVE. PRAEFECTI
ERANT. NEQVE. QVISQVAM. IVRE. DICVNDO. PRAEERAT. INTER. SESE. CONSENSERVNT. PRO.
MAGNITVDINE. TANTAE. AC. TAM. INPROVISAE. CALAMITATIS. OPORTERE. EX. EA. DIE.
QVA. EIVS. DECESSVS. NVNTIATVS. ESSET. VSQVE. AD. EAM. DIEM. QVA. OSSA. RELATA. ATQVE
CONDITA. IVSTAQVE. EIVS. MANIBVS PERFECTA. ESSENT. CVNCTOS. VESTE. MVTATA. TEMPLIS
QVE. DEORVM. IMMORTALIVM. BALNEISQVE. PVBLICIS. ET. TABERNIS. OMNIBVS. CLAVSIS.
CONVICTIBVS. SE. SE. APSTINERE. MATRONAS. QVAE. IN. COLONIA. NOSTRA. SVNT. SVBLVGERE
DIEMQVE. EVM. QVO. DIE. C. CAESAR. OBIT. QVI. DIES. EST. A. D. VIIII. K. MARTIAS. PRO. ALLIENSI.
LVGVBREM. MEMORIAE. PRODI. NOTARIQVE. IN. PRAESENTIA. OMNIVM. IVSSV. AC.
VOLVNTATE. CAVERIQVE. NEQVOD. SACRIFICIVM. PVBLICVM. NEVE. QVAE. SVPPLI
CATIONES. NIVE. SPONSALIA. NIVE. CONVIVIA. PVBLICA. POSTEA. IN. EVM. DIEM.
EOVE. DIE QVI. DIES. ERIT. A. D. VIIII. K. MARTIAS. FIANT. CONCIPIANTVR. INDICAN
TVRVE. NIVE. QVI. LVDI. SCAENICI. CIRCIENSESVE. EO. DIE. FIANT. SPECTENTVRVE.
VTIQVE. EO. DIE. QVOD. ANNIS. PVBLICE. MANIBVS. EIVS. PER. MAGISTRATVS. EOSVE.
QVI. PISIS. IVRE. DICVNDO. PRAEERVNT. EODEM. LOCO. EODEMQVE. MODO. QVO.
L. CAESARI. PARENTARI. INSTITVTVM. EST. PARENTETVR.
VTIQVE. ARCVS. CELEBERRIMO. COLONIAE. NOSTRAE. LOCO. CONSTITVATVR. ORNA
TVS. SPOLEIS. DEVICTARVM. AVT. IN. FIDEM. RECEPTARVM. AB. EO. GENTIVM. SVPER.
EVM. STATVA. PEDESTRIS. IPSIVS. TRIVMPHALI. ORNATV. CIRCAQVE. EAM. DVAE.
EQVESTRES. INAVRATAE. CAI. ET. LVCI. CAESARVM. STATVAE. PONANTVR.
VTIQVE. CVM. PRIMVM. PER. LEGEM. COLONIAE. DVO. VIROS. CREARE. ET. HABERE. PO
TVERIMVS. II. DVO. VIRI. QVI. PRIMI. CREATI. ERVNT. HOC. QVOD. DECVRIONIBVS
ET. VNIVERSIS. COLONIS. PLACVIT. AD. DECVRIONES. REFERAN. T. EORVM. PV
BLICA. AVCTORITATE. ADHIBITA. LEGITVME. ID. CAVEATVR. AVCTORIBVSQVE
IIS. IN. TABVLAS. PVBLICAS. REFERATVR. INTEREA. T. STATVLENVS. IVNCVS
FLAMEN. AVGVSTALIS. PONTIF. MINOR. PVBLICORVM. P. R. SACRORVM. ROGARE
TVR. VT. CVM. LEGATIS. EXCVSATA. PRAESENTI. COLONIAE. NECESSITATE. HOC
OFFICIVM. PVBLICVM. ET. VOLVNTATEM. VNIVERSORVM. LIBELLO. REDDITO.
IMP. CAESARI. AVGVSTO. PATRI. PATRIAE. PONTIF. MAXSIMO. TRIBVNICIAE
POTEST. XXVI. INDICET,
DQVE. T. STATVLENVS. IVNCVS. PRINCEPS. COLONIAE. NOSTRAE. FLAMEN. AVGVST.
PONTIF. MINOR. PVBLICORVM. P. R. SACRORVM. LIBELLO. ITA. VTI. SVPRA. SCRIPTVM.
EST. IMPERATORI. CAESARI. AVGVSTO. PONTIFICI. MAXIMO. TRIBVN. POTEST. XXVI. PATRI
PATRIAE. REDDITO. FECERIT. PLACERE. CONSCRIPTIS. QVAE. A. D. IIII. NONAS. APRILES
QVAE. SEX. AELIO. CATO. C. SENTIO. SATVRNINO. COS. FVERVNT. FACTA. ACTA.
CONSTITVTA. SVNT. PER. CONSENSVM. ORDINVM. EA. OMNIA. ITA. FIERI. AGI. HA
BERI. OBSERVARIQVE. AB. L. TITIO. A. F. ET. A. T. ALLIO. T. F. RVFO. IIVIRIS. ET. AB. EIS. QVICVM
QVE. POSTEA. IN. COLONIA. NOSTA. IIVIR. PRAEFECTI. SIVE. QVI. ALI. MAGISTRATVS.
ERVNT. OMNIA. IN. PERPETVOM. ITA. FIERI. AGI. HABERI. OPSERVARIQVE. VTIQVE. L. TITIVS
A. F. T. ALLIVS. T. F. RVFVS. IIVIRI. EA. OMNIA. QVAE. SVPRA. SCRIPTA. SVNT. EX. DECRETO
NOSTRO. CORAM. PRO. QVAESTORIBVS. PRIMO. QVOQVE. TEMPORE. PER. SCRIBAM. PV
BLICVM. IN. TABVLAS. PVBLICAS. REFERENDA. CVRENT. CENSVERE.

induſtrioſe excoluit. Et tamen diu ne modico quidem auditorio quicquam committere eſt auſus. Mox magna frequentia, magnoque ſucceſſu bis ac ter auditus eſt, ut ea quoque quæ prima fecerat, inferciret novis ſcriptis:

Quod non dant proceres, dabit hiſtrio, tu Camerinos,
Et Bareas, tu nobilium magna atria curas.
Præfectos Pelopæa facit, Philomela tribunos.

Erat tum in delitiis aulæ hiſtrio: multique fautorum ejus quotidie provehebantur. Venit ergo Juvenalis in ſuſpicionem, quaſi tempora figurate notaſſet: ac ſtatim per honorem militiæ, quanquam octogenarius, urbe ſummotus, miſſuſque ad præfecturam cohortis in extrema parte tendentis Ægypti. Id ſupplicii genus placuit, ut levi atque joculari delicto par eſſet. Verum intra breviſſimum tempus angore & tædio periit.

PERSII
VITA.

AULUS PERSIUS FLACCUS natus eſt pridie Nonas Decembris, Fabio Perſico, L. Vitellio Coss. deceſſit 8. Kal. Decemb. Rubrio Mario, Aſinio Gallo Coss. Natus in Etruria Volaterris, Eques Romanus, ſanguine & affinitate primi ordinis viris conjunctus. Deceſſit ad octavum milliarium via Appia, in prædiis ſuis. Pater ejus Flaccus pupillum reliquit moriens, annorum fere ſex. Fulvia Siſennia mater nupſit poſtea Fuſio, Equiti Romano: & eum quoque extulit intra paucos annos. Studuit Flaccus uſque ad annum XII. Volaterris: inde Romæ apud Grammaticum Remmium Palæmonem & apud Rhetorem Verginium Flaccum. Cum eſſet annorum XVI. amicitia cœpit uti Annæi Cornuti, ita ut ab eo nuſquam diſcederet, a quo introductus aliquatenus in Philoſophia eſt. Amicos habuit a prima adoleſcentia Cæſium Baſſum, & Calpurnium Staturam, qui eo vivo juvenis diſceſſit. Coluit ut patrem Servilium Numanum. Per Cornutum cognovit Annæum etiam Lucanum, æquævum auditorem Cornuti. Nam Cornutus illo tempore Tragicus fuit, ſectæ Stoicæ, qui libros Philoſophiæ reliquit. Sed Lucanus adeo mirabatur ſcripta Flacci, ut vix retineret ſe illo recitante a clamore (quin illa eſſe vera poëmata diceret.) Sero cognovit Senecam, ſed non ut caperetur ejus ingenio. Uſus eſt apud Cornutum duorum convictu doctiſſimorum, & ſanctiſſimorum virorum acriter tum philoſophantium, Claudii Agaterni Medici Lacedæmonii, & Petronii Ariſtocratis Magnetis, quos unice miratus eſt & æmulatus, cum æquales eſſent, & Cornuto minores. Ipſe etiam decem fere annis ſumme dilectus apud Thraſeam eſt, ita ut peregrinaretur quoque cum eo aliquando, cognatam ejus Arriam uxorem habente. Fuit morum leniſſimorum, verecundiæ virginalis, formæ pulcræ, pietatis erga matrem & ſororem & amitam exemplo ſufficientis. Fuit frugi & pudicus. Reliquit circa HS. XX. matri & ſorori, ſcriptis tantum ad matrem codicillis, rogavit eam ut daret Cornuto ſeſtertia, ut quidam dicunt,

VARIOR.

Coluit ut patrem Servilium Numanum.] Lege *Nonianum.* M. enim Servilius Nonianus eſt Pliniis, alteri, 28. 2. & 37. 6. alteri, 1. epiſt. 13. & Quinctiliano 10. 1. appellatus. GRONOVIUS.

Seſtertia, ut quidam dicunt, centies.] Lege *centum.* nam ne ipſe quidem centies poſſedit: dein, *argenti facti pondo* XX. GRONOV.

dicunt, centies, ut alii volunt plus, & argenti facti pondera viginti, & libros circa ſeptingentos, Chryſippi, ſive bibliothecam ſuam omnem. Verum Cornutus ſublatis libris, pecuniam ſororibus, quas frater hæredes fecerat, reliquit. Et raro, & tarde ſcripſit. Hunc ipſum librum imperfectum reliquit. Verſus aliqui dempti ſunt in ultimo libri: & quaſi finitus eſſet, leviter recitavit Cornuto: & Cæſio Baſſo petenti, ut ipſe ederet, tradidit edendum. Scripſerat etiam in pueritia Flaccus prætextam, & Ὀδοιπορικῶν librum unum, & paucos in ſororem Thraſeæ & in Arriæ matrem verſus quæ ſe ante virum occiderat. Omnia autem Cornutus auctor fuit matri ejus, ut ea aboleret. Editum librum continuo mirari homines, & deripere cœperunt. Deceſſit autem vitio ſtomachi, anno ætatis xxx. Sed mox ut a ſchola & magiſtris deverterat, lecto libro Lucilii decimo, vehementer Satyras componere ſtuduit: cujus libri principium imitatus eſt, ſibi primo, mox omnibus detrectaturus, cum tanta recentium Poëtarum & Oratorum inſectatione, ut etiam Neronem illius temporis principem, culpaverit: cujus verſus in Neronem cum ita ſe haberet,

Auriculas aſini Mida rex habet,

in hunc modum a Cornuto ipſo tantummodo eſt emendatus,

Auriculas aſini quis non habet?

Ne hoc Nero in ſe dictum arbitraretur.

VARIOR.

Ὀδοιπορικῶν.] Leg. Ὁδοιπορικὸν.
Deripere.] Leg. *Diripere.* Seneca III. de Ira: *ac tota civitate direptus eſt.* Idem de Brev. vitæ cap. 7. *diripitur ille toto foro patronis.* Martial. VII. ep. 75.

Quod te diripiunt potentiores,
Per convivia, porticus, theatra.

H. RUBENIUS.

In ſororem Thraſeæ in Arriæ matrem.] Lege: *in ſocrum Thraſeæ Arriam matrem.* Duæ enim fuerunt Arriæ, mater & filia, illa Pæto Cæcinæ, hæc Pæto Thraſeæ nupta. Tacitus 16. Annalium extremo, Plinius epiſt. 16. IDEM.

INSCRIPTIO-

INSCRIPTIONES ANTIQUÆ ILLUSTRIORES *DE* CAESARIBUS SUETONIANIS,

Quæ commentario non ſunt inſertæ.

D. IVLIO CÆSARI.

I.

In Hiſpania Tarraconenſi.

BELLVM. CÆSARIS.
ET. PATRIÆ. EX. MAGNA. PARTE. CONFECTVM.
SEX. ET. CN. MAGNI. POMPEII. FILIIS. HIC. IN. AGRO.
BATESTANIORVM. PROFLIGATIS.

II.

Auguſtæ Taurinorum.

C. IVL. CÆSAR. C. F.
DE
GALLEIS
ET
ALLOBROGIBVS
TRIVMPHAVIT.

III.

Treveris.

CÆS. PRO. EXERC. IMP. P. P.
S. C. AV. TREVE.
INGRESSVM. H. CASTRA. SARRÆ.
FLV. PRO. MIL. CVSTODIA.
BIEN. POTITVS. EST.

IV.

Eboræ.

DIVO. IVLIO.
LIB. IVL. EBORA.
OB. ILLIVS. IN. MVN. ET. MVN.
LIBERALITATEM.
EX. D. D. D.
QVOIVS. DEDICATIONE.
VENERI. GENETRICI.
CÆSTVM. MATRONÆ.
DONVM. TVLERVNT.

D. AVGVSTO CÆSARI.

I.

Tergeſtæ.

IMP. CAESAR. COS. DES. TERT. III. VIR. R. P. C.
ITERVM. MVRVM. TVRRES. QVE. F.

II.

SENATVS. POPVLVSQVE. ROMANVS.
IMP. CAESARI. DIVI. IVLI. F. COS. QVINCT.
COS. DESIGN. SEXT. IMP. SEPT.
REPVBLICA. CONSERVATA.

III.

IMP. CAES. DIVI. F. AVGVSTVS. PONT. MAX.
COS. XI. TRIBVNIC. POTEST. X. IMP. VIIII.
ORBE. MARI. ET. TERRA. PACATIS. TEMPLO.
IANI. CLVSO. ET. REP. P. R. OPTIMIS. LEGIBVS.
ET. SANCTISSIMIS. INSTITVTIS. REFORMATA.
VIAM. SVPERIOR. COS. TEMPORE. INCHOATAM.
ET. MVLTIS. LOCIS. INTERMISSAM. PRO.
DIGNITATE. IMPERI. P. R. LATIOREM.
LONGIOREM. QVE. GADEIS. VSQ. PROMOVIT.

IV.

Romæ.

IMPERATOR.
CAESAR. DIVI. F. AVGVSTVS.
PONTIFEX. MAXIMVS. IMP.
XII. COS. XI. TRIB. POT.
XIV. AEGYPTO. IN. POTESTATEM.
POPVLI.
ROMANI. REDACTA.
SOLI. DONVM. DEDIT.

V.

Romæ.

IMP. CAES. DIVI. F. AVGVSTVS.
PONTIFEX. MAXIMVS.
IMP. XIII. COS. XI. TRIB. POTEST. XV.
EX. STIPE. QVAM. POPVLVS. ROMANVS.
ANNO. NOVO. APSENTI. CONTVLIT.
NERONE. CLAVDIO. DRVSO.
T. QVINCTIO. CRISPINO. COS.

VOLCANO.

VI.

LARIBVS. PVBLICIS. SACRVM.
IMP. CAESAR. AVGVSTVS.
PONTIFEX. MAXIMVS.
TRIBVNIC. POTESTAT. XVIII.
EX. STIPE. QVAM. POPVLVS. EI.
CONTVLIT. K. IANVAR. APSENTI.
C. CALVISIO. SABINO.
L. PASSIENO. RVFO. COS.

VII.

Romæ.

COLLEGIO. CENTONARIORVM. . . . .
CVM. BASI. MARMOREA. ET. CERIOLARIB. DVOBVS.
ÆREIS. HABENTIBVS. EFFIGIEM. CVPIDINIS. TENENTIS. CALATHOS. L. SEXTILIVS. SELEVCVS. DVCVRIO.
D. D. HOC. AMPLIVS. ARK. RET. P. COLLEGII. SS. DONVM. DEDIT. -X- V. VT. EX. VSVRIS. CENTESIMIS. EIVS.
QVANTITATIS. QVÆ. EFFICIT. ANNVOS. -X- DC. DIE.
VIIII. KALEND. OCTOB. NATALI. DIVI. AVGVSTI. EROGENTVR. EX. ARK.

VIII.

Romæ.

IMP. CÆSAR. DIVI. IVLI. F. AVGVSTVS.
PONTIFEX. MAXIMVS. COS. XII.
TRIBVNICIÆ. POTESTAT. XIX. IMP. XIIII.
RIVOS. AQVARVM. OMNIVM REFECIT.

IX.

Seduni in Valeſia.
ex emendatione Caſauboni.

IMP. CAESARI. DIVI. IVLI. F.
AVGVSTO. COS. XIII.
TRIBVNITIA. POTESTATE. XXVIII.
PATRI. PATRIAE.
PONTIFICI. MAXIMO.
CIVITAS. SEDVNORVM.
... PATRONO.

X.

In Piceno.

IMP. CAESAR. DIVI. F. AVGVST.
PONTIFEX. MAXIMVS. COS. XIII.
TRIBVNITIAE. POTESTATIS. XXXII.
IMP. XVI. PATER. PATRIAE.
MVRVM. DEDIT.

TIBERIO NERONI CÆSARI.

I.

Romæ.

TI. CLAVDIVS. TI. F. NERO.
PONTIFEX. COS. ITERVM.
IMP. ITERVM.
LVDOS. VOTIVOS. PRO. REDITV.
IMP. CAESARIS. DIVI. F. AVGVSTI.
PONTIFICIS. MAXIMI.
IOVI. OPTIMO. MAXIMO. FECIT.
EX. S. C.

II.

Alliæ.

TI. KAISARI. AVG. F.
DIVI. IVLII. N. AVGVSTO.
PONT. MAX. COS. V. IMP. VIII. TRIBVNIC.
POTEST. XVIII.
PONTIFICES. ALBANI.
Q. IVLIVS. Q. F. FAB. RVFVS.
C. IVLIVS. C. F. SCA. BASSVS.
T. IVLIVS. TIB. F. FAB. MERVLA.
M. IVLIVS. C. F. FAB. SENICIO.

III.

In Hiſpania.

TI. CAESARI. DIVI. AVG. F. DIVI. IVLI. N.
AVGVSTO. PONT. MAX. TRIB. POT. XXIIX.
COS. IIII. IMP. VIII. AVGVRI. XV. VIRO. S. F.
VII. VIRO. EPVLON.
T. PAPIRIVS. EVRVS.
DECRETO. ORDINIS. ILVRCONIENSIS.
A. F.
Q. MARCIO. BAREA.
T. RVSTIO. NVMMIO. } COS.

IV.

Romæ juxta Ædem S. Andreæ.

OSSA.
TIB. CAESARIS. DIVI. AVG. F. AVGVSTI.
PONTIFICIS. MAXIMI.
TRIB. POTEST. XXXIIX.
IMP. VIII. COS. V.

TI. CLAVDIO DRVSO.

I.

Ravennæ.

TI. CLAVDIVS. DRVSI. F. CAESAR. AVGVSTVS. GERMANICVS. PONT. MAX. TRIB. POT. II. COS. DES. III. IMP. III. P. P. DEDIT.

II.

Romæ.

TI. CLAVDIVS. DRVSI. F. CAESAR. AVGVSTVS. GERMANICVS. PONTIFEX. MAXIMVS. TRIB. POTEST. V. IMP. X. P. P. COS. DESIG. IIII. ARCVS. DVCTVS. AQVAE. VIRGINIS. DISTVRBATOS. PER. C. CAESAREM. A. FVNDAMENTIS. NOVOS. FECIT. AC. RESTITVIT.

III.

In Hiſpania.

CLAVDIO. CÆS.
AVG. GERMAN. PONT. MAX.
TRIB. POT. V. IMP. X. P. P. COS. DESIG. IIII.
OPTATVS. REBVRRI. L.
IMAG.
CÆS. AVG. IMP.
D. S. P. D.
EAMQVE. CVM. OPTATO. ET. REBVRRO.
FILIIS. DEDICAVIT.
SENATVS. CENSVIT. PERPETVO.
BONIS. PVBLICIS. INTERESSE.

IV.

P R O S A L V T E.

TI. CLAVDI. CÆSARIS. AVG. GERMANICI. PONTIF. MAX. TRIB. POT. VII. COS. IIII. IMP. XV. P. P. CENSORIS. . . . . LIBERORVM. QVE. . . . . . . EX. VOTO. SVSCEPTO. C. IVLIVS. SEX. F. COR. POSTVMVS. PRÆF. ÆGYPTI. TI. CLAVDI. CÆSARIS. AVG. GERMANICI. EX. AVRI. P. XVI.

V.

Romæ.

TI. CLAVDIVS.
DRVSI. F. CAISAR.
AVG. GERMANICVS.
PONT. MAX. TRIB. POT.
VIIII. IMP. XVI. COS. IV.
CENSOR. P. P.
AVCTIS. POPVLI. ROMANI.
FINIBVS.
POMERIVM.
AMPLIAꟻIT. TERMINAꟻIT. QUE.

VI.

PRO SALVTE.

TI. CLAVDI. CAES. AVG. GERMANICI. PONT. MAX.
TRIB. POTEST. X. IMP. XIIX. COS. III. DESIGN. V.
SIGN. ARGENTI. P. X. ET. PRO. SALVTE.
NERONIS. CAESARIS. F. AGRIPPINAE. AVG.
SIGN. ARG. P. V.. .VOTO. SVSCEP.
VIATORES. ET. SCRIBAE. LIBR. ET. PRAEF.
PRINCEPS. ET. LVTINVS. FELIX. DED.

NERONI CLAVDIO CÆSARI.

I.

Romæ.

NERONI. CLAVD. CAIS.
AVG. PONT. MAX.
OB. PROVINC. LATRONIB.
ET. HIS. QVI. NOVAM.
GENERI. HVM. SVPER-
STITION. INCVLCAB.
PVRGATAM.

II.

Neapoli.

Q. VOLVSIO. SATVRN.
P. CORNELIO. SCIP. COS.
AVGVSTALES.
QVI. NERONI. CLAVDIO.
CAESARI. AVGVST. ET.
AGRIPPINAE. AVGVSTAE.
I. O. M. ET. GENIO. COLONIAE.
LVDOS. FECER. XIII. XII. K. MART.

SERGIO GALBÆ CÆSARI.

I.

Romæ.

IMAGINVM. DOMVS.
AVG. CVLTORIBVS. SIGNVM.
LIBERTATIS. RESTITVTAE.
SER. GALBAE. IMPERATORIS. AVG.
CVRATORES. ANNI. SECVNDI.
C. TVRRANIVS. POLYBIVS.
L. CALPVRNIVS. SENA.
C. MVRDIVS. LALVS.
C. TVRRANIVS. FLORVS.
C. MVRDIVS. DEMOSTHENES.

In ſiniſtro latere.

DEDIC. IDIB. OCTOB.
C. BELLICO. NATALE. } COS.
P. CORNELIO. SCIPIONE, ASIATIC. } COS.

A. VITELLIO.

I.

Romæ.

A. VITELLIVS. L. F.
IMPERATOR.
COS. PERP.

D. VESPASIANO.

I.

Romæ.

PACI. ÆTERNÆ.
DOMVS,
IMP. VESPASIANI.
CÆSARIS. AVG.
LIBERORVMQ. EJVS.
SACRVM.
TRIB. SVC. JVNIOR.
DEDIC. XV. KAL. DEC.
L. ANNIO. BASSO. } COS.
C. CÆCINA. PÆTO. } COS.

II.

VICTORIÆ. AVGVSTI.
SACRVM.
PRO. REDITV.
IMP. CÆS. T. FLAVI.
VESPASIANI. AVG.
PONT. MAXIM.
TRIB. POT. COS. II.
P. P.
STATVAM. EX. ÆRE.
ORDO. SPOL. CONLOC.

III.

IMP. CÆSAR. VESPASIANVS. AVG. PONT. MAX. TRIB. POT. II. IMP. VI. COS. III. DESIGN. IIII. P. P. AQVAS. CVRTIAM. ET. CÆRVLEAM. PERDVCTAS. A. DIVO. CLAVDIO. ET. POSTEA. INTERMISSAS. DILAPSAS QVE. PER. ANNOS. NOVEM. SVA. IMPENSA. VRBI. RESTITVIT:

IV.

Cumis.

IMP. CÆSARI.
VESPASIANO. AVG.
PONT. MAX. TR. POT. III.
IMP. IIX. P. P. CONS. III. DES. IIII.
S. PVTEOL.
QVOD. VIAS. VRBIS.
NEGLIGENTIA.
SVPERIOR...... TEMPOR.
CORRVPTAS. IMPENSA. SVA.
RESTITVIT.

V.

IMP. CÆSARI.
VESPASIANO AVG.
PONTIF. MAX. TR. POT. IIII.
IMP. VIII. P. P. COS. IIII.
LEG. III. AVG.

VI.

EX AVCTORITATE.

IMP. CÆS. VESPASIANI.
AVG. P. M. TRIB. POT. IIII.
IMP. X. P. P. COS. IIII. DES.
V. CENSORIS
C. CALPETANVS. RANTIVS
QVIRINALIS. VAL. CESTVS.
CVRATOR. RIPARVM. ET.
ALVEI. TIBERIS. TERMINAVIT
R. R. PROX. CIPP. P. CLXXIIII.

VII.

Romæ.

IMP. CÆSARI. VESPASIANO
AVG. PONT. MAX. TRIB. POT. IIII.
COS. VIII. DES.
SACRARVM. ÆDIVM. RESTITVTORI
ET. RITVVM. ANTIQVORVM
CONSERVATORI
SODALES. TITII.

VIII.

IMP. CÆSAR.
VESPASIANVS. AVG.
PONTIF. MAX. TRIBVNIC.
POTESTAT. VI. IMP. XIIII. P. P.
COS. VI. DESIG. VII. CENSOR
LOCVM. VINEÆ. PVBLICÆ
OCCVPATVM. A. PRIVATIS.
PER. COLLEGIVM. PONTIFICVM
RESTITVIT.

IX.

IMP. CÆSARI.
VESPASIANO. AVG.
PONT. MAX. TRIB.
POT. VIII. IMP. XIIX.
COS. VIII. P. P.
L. PORCIVS. SABELLVS
II. VIR. PEQVNIA. SVA
D. D. D.

X.

Romæ.

FRANCISCUS DE ALBERTINIS,

Lib. II. De Mirandis Veteris Romæ, edit. ibid. anno MDX.

In ærario & in templo Jovis Capitolini (ut ſupra diximus) multæ exſtabant æreæ tabulæ affixæ: e quibus unam tantum noſtro tempore in Lateranenſi baſilica proſpexi apud Tabernaculum ſacratiſſimi corporis Chriſti. Latitudo ejus ped. IV. *longitudo vero* VI. *in qua continentur infra ſcripta:*

Fœduſve cum quibus volet facere liceat, ita uti licuit Divo AVg. Iulio Cæſari AVg. Tiberioque Claudio Cæſari AVg. Germanico. Vtique ei Senatum habere, relationem facere, remittere Senatusconſulta per relationem, diſceſſionemque facere liceat, ita uti licuit Divo AVg. Ti. Iulio Cæſari AVg. Ti. Claudio Cæſari AVg. Germanico.

Vtique cum ex voluntate auctoritateve, juſſu mandatuve ejus, præſenteve eo Senatus habebitur, omnium rerum jus perinde habeatur, ſervetur, ac ſi e lege Senatus edictus eſſet habereturque.

Vtique quos magiſtratum, poteſtatem, imperium, curationemve, cujus rei petentes Senatui populoque Rom. commendaverit, quibuſque ſuffragationem ſuam dederit, promiſerit, eorum comitIs quibuſque extra ordinem ratio habeatur.

Vtique ei fines pomerii proferre, promovere, cum ex Republica cenſebit eſſe, liceat, ita uti licuit Ti. Claudio Cæſari AVg. Germanico. Vtique quæcunque ex uſu Reipublicæ, Majeſtate divinarum, humanarum, publicarum, privatarumque rerum eſſe cenſebit, ei agere, facere jus poteſtaſque ſit, ita uti divo AVg. Tiberioque Iulio Cæſari AVg. Tiberioque Claudio AVg. Germanico fuit.

Vtique, quibus legibus plebiſve ſcitis ſcriptum fuit, ne Divus AVg. Tiberiuſve Iulius Cæſar AVg. Tiberiuſque Claudius Cæſar AVg. Germanicus tenerentur, iis legibus plebiſque ſcitis Imp. Cæſar Veſpaſianus ſolutus ſit; quæque ex quaque lege, rogatione Divum AVg. Tiberiumve Iulium Cæſarem AVg. Tiberiumve Claudium Cæſarem AVg. Germanicum facere oportuit, ea omnia Imp. Cæſ. Veſpaſiano AVg. facere liceat.

Vtique quæcunque ante hanc legem rogatam acta, geſta, decreta, imperata ab Imperatore Cæſare Veſpaſiano AVg. juſſu mandatuve ejus a quoque ſunt, ea perinde juſta rataque ſint ac ſi populi plebiſve juſſu acta eſſent.

S A N C T I O.

Si quis hujuſce legis ergo adverſus leges, rogationes, plebiſve ſcita, Senatuſve conſulta fecit, fecerit, ſive quod eum ex lege, rogationeve, plebiſve ſcito, S. ve C. facere oportebit, non fecerit, hujus legis ergo id ei ne fraudi eſto, neve quid ob eam rem populo dare debeto, neve cui de ea re actio, neve judicatio eſto, neve quis de ea re *apud ſe* agi ſinito.

Omittitur particula ex anguli fractura.

D. TITO CÆSARI.

I.

Romæ.

IMP. T. CÆSARI.
DIVI. VESPASIANI. F.
VESPASIANO. AVG.
PLEBS. VRBANA.
QVÆ. FRVMENTVM.
PVBLICVM. ACCEPIT.
ET.
TRIBVS.

II.

Romæ.

IMP. TITO. CÆSARI.
DIVI. VESPASIANI. F.
VESPASIANO.
CENSORI. CONSERVATORI. ÆDIVM. PVBLICARVM.
ET. RESTITVTORI. ÆDIVM. SACRARVM.
SODALES. FLAVII.
P. MARTIVS. VERVS.

III.

IMP. TITVS. CÆSAR. DIVI. F. VESPASIANVS. AVG.
PONT. MAX. TRIBVNICIÆ. POTEST. IX. IMP. XV.
CEN. COS. VII. DES. IIX. RIVOM. AQVÆ. MARCIÆ.
VETVSTATE. DILAPSVM. REFECIT. ET. AQVAM.
QVÆ. IN. VSV. ESSE. DESIERAT. REDVXIT.

IV.

Romæ.

IMP. T. CÆS. DIVI. F. VESPASIANVS. AVG. PONT. MAX.
TRIB. X. POT. IMP. XVII. P.P. CENSOR. COS. VIII. AQVAS.
CLAVDIAM. ET. ANIENEM. PERDVCTAS. A. DIVO.
CLAVDIO. ET. POSTEA. A. DIVO. VESPASIANO. PA-
TRE. SVO. VRBI RESTITVTAS. CVM. A. CAPITE. A-
QVARVM. A. SOLO. VETVSTATE. DILAPSÆ ESSENT.
NOVA. FORMA. REDVCENDAS. SVA. IMPENSA.
C V R A V I T.

V.

Ibidem.

IMP. TITO. CÆSARI. VESPASIANI. F.
VESPASIANO. AVG. PONTIFICI. MAXIMO. TRIB.
POT. X. IMP. XVIII. COS. VIII.
PRINCIPI. SVO.
S. P. Q. R.
QVOD. PRÆCEPTIS. PATRIS. CONSILIISQ. ET. AVSPICIIS.
GENTEM. IVDÆORVM.
DOMVIT.
ET.
VRBEM. HIEROSOLYMAM.
OMNIBVS. ANTE. SE. DVCIBVS. REGIBVS.
GENTIBVSQVE. AVT. PETITAM. FRVSTRA. AVT. OMNINO.
INTENTATAM.
DELEVIT.

DOMITIANO CÆSARI.

I.

CÆSARI. AVG. F.
DOMITIANO.
COS. DESIGNATO II.
PRINCIPI. JVVENTVTIS.
C. PAPIRIVS. ÆQVOS. 7. LEG. III. AVG.
TESTAMENTO. PONI. JVSSIT.
EX. AVRI. P. X.

II.

IMP. CÆSAR. DIVI. VESPASIANI. F. DOMITIANVS. AVGVSTVS. GERMANICVS. PONTIFEX. MAXIMVS. TRIBVNIC. POTESTAT. XII. IMP. XXII. COS. XVI. CENSOR. PERPETVVS. P. P. AD. III. IDVS. IVLIAS. M. LOLLIO PAVLLINO. VALERIO ASIATICO. SATVRNINO. C. ANTIO. IVLIO. QVADRATO. COS.

III.

III.

IMP. CÆSARI.

DIVI. VESPASIANI. F.
DOMITIANO. AVGVST.
GERMAN. PONT. MAX.
TRIB. POTEST. XIII.
IMP. XXII. COS. XVI.
CENSOR. PERPET. P. P.
REG. VICI.
VESTORIANI. ET
CALPVRNIANI.

IV.

In Tabulis Capitolinis.

A. P. R. C. DCCCXLI.

IMP. CÆSARE. DIVI. VESPASIANI. FILIO
DOMITIANO. AVGVSTO. GERMANICO
MAGISTRO. XV. VIR.
EX. S. C. LVDI. SÆCVLARES. FACTI.

Nomen Domitiani, quod eradendum ubique Senatus, Onuphrius hic reſtituit. Corollarium inſcriptionum eſto, quam Scaliger ad Euſebium laudat, illa non inficeta Palæmonis, cujus vita exſtat de Ill. Gramm. cap. xxIII.

PALÆMON. L. L. L. D. F.
GRAMMA. VEICET. ATQVE. RHET.
SIBI. ET. TVBERONIÆ. CONTVBERNALI.
ATQVE. BENEMERENTI.
LAPIDEVM. STRVXIT. TVMVLVM.
IN. EO. QVIDEM. CADAVER. QVIES. ESTO.
ALIO. AVTEM. REVERTITO. ANIMVS.

CENO-

JOANNIS GEORGII GRÆVII

NOTÆ IN

SUETONII CÆSAREM.

C. *Julius Cæſar.*] Miror quoſdam eruditos affirmare Plinium & Solinum nos docere Scipionem Africanum primum Romanorum Cæſarem dictum eſſe. Sed illos a Solino deceptos eſſe Solinum cum Plinio comparanti liquebit. Locus Plinii exſtat lib. 7. cap. 9. *Auſpicatius enecta parente gignuntur: ſicut Scipio Africanus prior natus, primuſque Cæſarum a cæſo matris utero dictus: qua de cauſa & Cæſones appellati.* Solinus: *Rurſum necatis matribus natus eſt auſpicatior, ſicut Scipio Africanus prior, qui defuncta parente, quod exciſus utero in diem venerat, primus Romanorum Cæſar dictus eſt.* Atqui non hoc Plinius dicit, quem Solinus exſcribit, nec quiſquam veterum, ſed ait Plinius Scipionem Africanum priorem ſic natum eſſe, eumque qui primus Cæſaris cognomen apud Romanos accepit. Conjungit Solinus quæ disjungenda ſunt. Scripſiſſe debuit, *& qui defuncta parente.* In antiquiſſima Plinii editione Veneta anni 1487. *Auſpicatius enecta parente gignuntur. Sicut Scipio Africanus prior natus. Primuſque Cæſar a cæſo matris utero dictus. Qua de cauſa & Cæſones appellati.* Coetier. Recte Vir Clariſſimus, uti & Hermolaus Barbarus, & Salmaſius ad Solinum hunc errorem Solini caſtigarunt. Cæſarem a Cæſarie dici, non a cæſo utero, qui potius *Cæſones* eſſent dicendi: cum Cæſar antiqua vox ſit, quæ τὸν κερίῶντα ſignificet, unde *Cæſaries* vel *Cæſaria*, ἡ κόμη κεριῶσα, bene notavit Salmaſius. Sed quod addit ante bellum Samniticum exſtitiſſe quendam Claudium Cæſarem, id vero minime credendum. Plinius enim & Solinus Scipionem Africanum primum Romanorum Cæſarem dictum affirmarunt. Error vero ille magni viri manavit ex corruptis Tabulis Capitolinis, depravatiſſime deſcriptis & lectis ab Hermolao Barbaro, qui ſic ea laudat: Cæsar Claudius G. F. Ap. N. Cæcus. Sed legendum eſſe Cæns. Ap. Claudius C. F. Ap. N. Cæcus, ut hodie legitur in Tabulis Capitolinis, quod bene monuit Rupertus in epiſtola ad Reineſium.

Primi Cæſaris mentio fit in annalibus Romanis tempore belli Punici II. Is fuit Sextus Julius Cæſar, qui M. Marcello V. & T. Quintio Criſpino coss. prætor erat. Vide Liv. lib. XXVII. 22. & 29.

Julius Cæſar Divus, annum agens ſextum decimum.] Codex Salmaſianus & Roberti Stephani editio ſic incipit: *Annum agens ſextum decimum.*

Sequentibus Conſulibus Flamen Dialis deſtinatus.] Hoc eſt, ætatis anno 17. Sed Suetonium hic in limine ipſo impegiſſe, nuperius V. Cl. Noriſius in doctiſſimis diſſertationibus ad Cenotaphia Piſana L. & C. Cæſarum multis diſputat. Nam Cæſarem ait natum eſſe anno Urbis 653. annum egiſſe 16. cum pater ejus moreretur A. V. 669. Flaminem Dialem deſtinatum anno ſequente, qui fuerit A. U. 670. Sed Marium mortuum eſſe triennio ante A. 667. Idibus Januarii. Itaque fefelliſſe memoriam accuratiſſimum ſcriptorem. Fundus hujus ſententiæ eſt Vellejus Paterculus, qui lib. II. cap. 43. tradit Cæſarem in Cottæ conſularis locum pæne puerum a Mario, Cinnaque Flaminem Dialem conſtitutum fuiſſe. Unde conficiatur vivo Mario & Cinna Flaminem creatum eſſe Cæſarem, quod fieri non potuerit anno 17. Cæſaris, quia anno tertio ante finitus fuerit Marius. Itaque Cæſarem creatum eſſe Flaminem anno A. V. 666, cum eſſet puer duodecennis, a Mario qui Juliam Cæſaris amitam in matrimonio habuerit; Sullam vero, non cum rediret ex Aſia, ſed cum A. 666., quia cum lege Sulpicia provinciam belli Mithridatici ei adimere voluiſſet Marius, regrederetur Romam ex itinere ſuſcepto in Aſiam, victuſque Marius, qui cum reduce manus conſeruerat, cogeretur ſolum vertere, & in Africam exſul fugere, Cæſarem Flaminio multaſſe. Verum ſi hæc tum geſta ſunt, non *pæne* fuit *puer*, ut ſcribit Vellejus, ſed vere puer Cæſar, quippe qui nondum ad pubertatis annos pervenerat, nec aliter dici poterat quam puer. Dein non eſt credibile duodecennem puerum duxiſſe Cinnæ quater Conſulis filiam repudiata Coſſutia. Nam propter hoc matrimonium ſacerdotio, & uxoris dote, & gentilitiis hereditatibus fuit multatus. Suetonius vero non dicit a Mario Cæſarem fuiſſe Flaminem deſtinatum. Dicit id Vellejus Paterculus, qui erravit, cum ſcripſit a Mario & Cinna Flaminem creatum eſſe Julium, cum a ſolo Cinna, cujus filiam duxerat, hoc ſacerdotium ei fuiſſet deſtinatum pæne puero, cum vix exceſſiſſet pubertatem. Cinna autem occiſus eſt anno V. 670. cum IV. Conſul eſſet, illo ipſo anno, quo Cæſar agebat annum ſeptimum decimum. Erravit quoque Vellejus cum ſcripſit, ſi ſic ſcripſit, Cæſarem in Cottæ locum Flaminem conſtitutum, cum in Merulæ locum Flamen fuerit deſtinatus, ſed non inauguratus. Nam ut Lipſius, Scheckius, G. Voſſius, & alii dudum ex Tacito, Dione, Suetonio docuerunt, nullus poſt Merulam uſque ad Cornelium

nelium Maluginenſem ſub Auguſto fuit Romæ Flamen Dialis. Sed locum Velleji optime ſecutus ductum antiquorum codicum conſtituit ὁ πάνυ Lipſius: *abſens Pontifex factus erat in Cottæ Conſularis locum, cum pæne puer,* & quæ ſequuntur. Nec Plutarchus poteſt de alio ſacerdotio intelligi, quam de Flaminio Diali; cujus quo minus potiretur, obſtiterit Sulla reverſus ex Aſia, quamvis aliter ſentiat Vir doctiſſimus. Quod enim aliud ſacerdotium peteret Sulla reduce, cum diverſarum partium haberetur, & ejus metu cogeretur diſcedere ex medio, & hoc ipſo, quod ſoceri beneficio & munere conſecutus fuerat, privaretur. Sed offendit Plutarchus, cum id ſacerdotium a populo petiiſſe Cæſarem narrat, cum illud ei detuliſſet ſocer. Si id contigit ante annum 673, ut ait V. Cl. certe debuit contingere anno 672, quo Sulla rediit in Urbem, cum is tamen obſtaret, quo minus votorum potiretur. At non potuiſſe hoc fieri illo tempore ex iis, quæ modo dixi, ſatis liquet. Sane Suetonius hic quidem nullius lapſus convinci poteſt.

Ab inquiſitoribus.] Ἐρευνάδες in Novellis Juſtiniani non ſunt φυγαδοθῆραι, ut videtur Caſaubono, ſed quæſitores, qui rebus capitalibus præſunt.

Pecunia redimere.] Salmaſ. æque ut Viterbienſis: *redimeret.* Ibid. *Syllam.* ſic Cod. Salmaſ. & Rob. Steph. vulgg. *Sullam.*

Incolumem tanto opere.] Sic & Salmaſii codex. ut *magno opere* in Aug. 92. *Enatam inter juncturas lapidum ante domum ſuam palmam in compluvium deorum penatium tranſtulit, utque coaleſceret magno opere curavit.* Ubi recte id retinuerunt emendatiores editiones. Tib. 45. *Fœminarum quoque & quidem illuſtrium capitibus quanto opere ſolitus ſit illudere,* ut ibi quoque Salmaſianus, ut & in Calig. 51. *Nam qui deos tanto opere contemneret.* & in Veſpaſ. 2. *Aviæ memoriam tanto opere dilexit,* ſic paſſim, imo ſemper fidiſſimæ membranæ.

4. *Cornelium Dolabellam,* &c.] Duos eodem tempore Dolabellas fuiſſe eodem prænomine; alterumque Dolabellam Cæſarem accuſaviſſe, nec damnaviſſe; alterum M. Scaurum accuſaviſſe, & damnaviſſe notat Aſcon. ad Orat. Cic p. M. Scauro. Hi ambo Cn. Cornelii Dolabellæ appellati, & uterque repetundarum accuſatus eſt. Quem Cæſar accuſavit, Conſul fuit cum M. Tullio Decula A. V. C. 673, & triumphavit de victis Thracibus ſecundum Faſtos: cujus triumphi mentionem facit Cicero in Piſonem. Defenderunt eum C. Aurelius Cotta & Hortenſius, quod Cicero refert in Bruto; ubi hic Dolabella Conſularis vocatur ad diſtinctionem alterius Dolabellæ. Docet nos Valer. Max. lib. 8. cap. 9. in accuſatione Cæſarem dixiſſe: *extorqueri ſibi cauſam optimam C. Cottæ patrocinio.* Sed abſolutus hic Dolabella, ut auctor N. hic refert. Alterum Cn. Cornelium Dolabellam accuſavit M. Aurelius Scaurus & condemnavit, ut ex Verrinis Ciceronis conſtat. Prætor hic fuit, & ex Prætura Provinciam accepit Ciliciam, in qua parum integra fide verſatus eſt, & occiſo Malleolo Quæſtore, C. Verre Legato pro Quæſtore uſus eſt, cujus inſidiis & perfidia circumventus cauſa cecidit Cicero in Verrinis. Turbat & permiſcet hos Dolabellas in Commentariis ſuis paſſim ipſe Aſconius, modo condemnatum, modo abſolutum affirmans, Dolabellamque Conſularem cum Prætorio confundens. Videtur hos Dolabellas quoque non bene diſtinxiſſe Aurelius Victor de Viris illuſtribus in Julio Cæſare: *Cum ſæpe,* inquit, *ad Nicomedem regem Bithyniæ commearet, impudicitiæ infamatus eſt. Mox Dolabellam judicio oppreſſit.* Male. non oppreſſit judicio, ſed accuſavit tantum, nec damnare potuit ſecundum Suetonium & Plutarchum. *Opprimere judicio* eſt condemnare. Liv. lib. 2. cap. 52. *Q. Conſidius & T. Genucius auctores agrariæ legis T. Menenio diem dicunt. invidiæ erat amiſſum Cremeræ præſidium, quum haud procul inde ſtativa Conſul habuiſſet. Eum oppreſſere; quum & Patres haud minus quam pro Coriolano annixi eſſent, & patris Agrippæ favor haud dum exoleviſſet.* Cæſar pluribus actionibus Dolabellam accuſavit: tertiæ actionis mentio fit apud Gell. lib. 4. cap. 16. Reſponſionis ipſius Dolabellæ, ut videtur, infra cap. 49. COETIER.

Apollonio Molonis.] Codex quoque Salmaſ. *Apollonio Moloni.* Non fuit immutanda veterum librorum omnium lectio. Nam ſic quoque appellatur a Quintiliano & Cicerone, more Latinorum. Ibid. idem codex: *Pharmacuſſam.*

Non ſine ſumma indignatione.] Non auſus ſum hanc lectionem tot manuſcriptorum & editionum fide ſuffultam ſollicitare. Nullus tamen dubito recte vidiſſe Caſaubonum, qui legit: *ſumma dignatione.* Quod jam olim Urſinus & Gruterus probarunt.

Supplicio quod illis ſæpe minatus inter jocum fuerat, afficeret.] N. infra cap. 74. *Jugulari prius juſſit, deinde ſuffigi.* Feneſtella lib. 2. apud Diomedem Grammaticum: *Quemadmodum Cæſar a piratis captus ſit, utque eos poſtea ceperit & decollaverit.* & interpretatur *ſecuri percuſſerit.* Securi videtur percuſſiſſe Cæſar piratas illos, corpus autem illorum in crucem ſuſtuliſſe, quæ mitior pœna fuit. Vivos enim in crucem ſublatos res nota eſt, & pœna crucis ordinaria hæc fuit. Sed aliquando caput fuiſſe amputatum, corpus vero cruci ſuffixum docemur ex hiſtoria Joſephi Geneſ. cap. 40. v. 19. Ubi LXX. Interpretes ita habent: Ἔτι τριῶν ἡμερῶν, καὶ ἀφελεῖ Φαραὼ τὴν κεφαλήν σου ἀπὸ σοῦ· καὶ κρεμάσει σε ἐπὶ ξύλου· καὶ φάγεται τὰ ὄρνεα τοῦ οὐρανοῦ τὰς σάρκας σου ἀπὸ σοῦ· Quibuſcum conſentit Philo Judæus in Hiſtoria Joſephi p. mihi 422. Τὰ τρία κανᾶ σύμβολον τριῶν ἡμερῶν ἐστιν· ἐπισχὼν ταύτας ὁ βασιλεὺς, ἀνασκολοπισθῆναί σε καὶ τὴν κεφαλὴν ἀποτμηθῆναι κελεύσει, καὶ καταπτάμενα ὄρνεα τῶν σῶν εὐωχηθήσεται σαρκῶν, ἄχρις ἂν ὅλης ἐξαναλωθῇς. Diodorus Siculus lib. 2. pag. 90. de Cyro Perſarum

Rege:

Rege: Ἡ βασίλισσα τῶν Σκυθῶν τό τε ςρατόπεδον τῶν Περσῶν κατέκοψεν, καὶ τὸν Κῦρον αἰχμάλωτον γενόμενον ἀνεςαύρωσε. Juſtinus autem, Valerius Maximus, aliique Cyri caput amputatum in uterum humano ſanguine repletum conjici Scytharum reginam juſſiſſe, auctores ſunt: quod utrumque verum eſſe potuit. Atque ita Feneſtella cum Suetonio aliiſque, & Diodorus cum Juſtino & Valerio conciliari poſſunt. COETIER. Pro *inter jocum* Mss. quidam *per jocum*, teſte Caſaubono. Si ſint antiquiores & ceteris meliores, non abnuerem. Inferius 20. *Ut non nulli urbanorum, cum quid per jocum teſtandi gratia ſignarent.* Sic frequenter Seneca & alii. Paullo ante membranæ Harlemenſes, quarum excerpta mecum olim communicavit eximii ingenii & doctrinæ homo, Philippus Rulæus, cujus deſiderium nunquam ex animo meo effluet, *in initio ſtatim ad expediendas pecunias, quibus redimeretur, dimiſit.*

Nutantes ac dubias civitates.] Codex Salmaſ. *nutantis ac dubias.* Sic idem in cap. 7. *Gadis* pro Gades, in cap. 27. *commeantis* pro commeantes. c. 28. *abſentis* pro abſentes. c. 66. *ſubſequentis*, pro ſubſequentes. c. 31. *cohortis* pro cohortes. cap. 76. *pluris* & *tris* pro plures & tres. & ſic mille aliis in locis cum in Suetonio, tum in Cicerone, & Virgilio. ſic *ludos ſæcularis* in antiqua inſcriptione. Vide Gellium 13. 19. & Servium ad 1. Georg. & inprimis quæ congeſſit magna diligentia de his tertiæ inflexionis quartis caſibus numeri multitudinis Noriſius diſſertat. 4. cap. 3. de Cenotaph. Piſano.

5. *Lege Plotia.*] Codex Salmaſ. *lege Plocia.*

6. *E more pro roſtris; & in amitæ quidem laudatione.*] Codex Salmaſ. & Rob. Steph. *pro roſtris. Sed in amitæ quidem laudatione.* Ibid. pro *mandatu Prætoris*, Codex Salm. *mandatu P. R.*

9. *Diem cædi deſtinatum non obiiſſe.*] Male Gruterus probat nonnullorum librorum lectionem, in quibus *adiiſſe.* Nullus Latinorum ſcriptorum ſic loquitur. At *obire diem* elegantiſſimum eſt. Cic. pro Milon. c. 10. *Quam niſi obire facinoris locum tempuſque voluiſſet, nunquam reliquiſſet.* Plin. IX. ep. 37. *Vides quam non delicata me cauſſa obire primum Conſulatus tui diem non ſinat.*

10. *Præter comitium ac forum.*] Aſconius Pædianus ad Ciceronis Verrinam de Prætura Urbana, ubi c. 19. hæc verba habentur, *Tenem pulcherrime factum, quem quondam in comitio vidiſtis*, notavit, ædiles olim ad ornandum forum ex provinciis ſtatuas petiiſſe mutuas, quas poſt ludos ſociis reddiderint: *Licebat*, inquit, *mutua hæc ſigna deportare Romam ædilibus, ad ornatum ludorum, & rurſum ſociis reportare.* Idem ad c. 22. *Olim cum in foro ludi populo darentur, ſignis ac tabulis pictis partim ab amicis, partim e Græcia commodatis utebantur ad ſcenæ ſpeciem, quia adhuc theatra non fuerant.* Ipſe Cicero lib. IV. in Verrem c. 3. *C. Claudius, cujus ædilitatem magnificentiſſimam ſcimus fuiſſe, uſus eſt hoc Cupidine tamdiu, dum forum diis immortalibus populoque Romano habuit ornatum: & cum eſſet hoſpes Hejorum, Mamertini autem populi patronus, ut illis benignis uſus eſt ad commodandum, ſic ipſe diligens fuit ad reportandum.*

11. *Invicem diminueret.*] Codex Salmaſ. *deminueret.*

12. *Tam cupide condemnavit.*] Eſt, tantum partium ſtudium oſtendens in eo damnando. Cicero in orat. pro Fontejo cap. 9. *Talem virum tam cupide, tam temere dixiſſe.* & cap. 6. *Si qui ob aliquod emolumentum ſuum cupidius aliquid dicere videntur, iis credi non convenit.* Sic apud eundem cap. 6. *cupidi teſtes: Igitur teſtibus, judices, non credere cupidis & iratis & conjuratis non ſolum poteſtis, ſed & debetis.* Teſtes cupidi ſunt ſtudio partium occæcati, ut nihil penſi habeant, quid dicant, modo ſuis ſerviant commodis, aut partibus. Et *cupiditas* eſt partium ſtudium. Cic. in ead. orat. cap. 8. *Recordamini, judices, quantopere laborare ſoleatis, &c. quibus verbis utamini, ne quod nimis moderate poſitum, ne quod ab aliqua cupiditate prolapſum verbum videatur. Vultu denique laboratis ne qua ſignificari poſſit ſuſpicio cupiditatis.* Pro Roſc. Comœdo 16. *Levior eſſet auctoritas Cluvii, ſi diceret juratus, quam nunc eſt, cum dicit injuratus. Tum enim forſan improbis nimis cupidus videretur, qui, qua de re judex fuiſſet, teſtis eſſet.*

14. *In his Ciceronis conſulis fratre.*] Optime Cod. Salmaſ. *In his Cicerone, conſulis fratre.*

17. *A L. Vettio Judice.*] Debebat hic audiri Caſaubonus, & F. Urſinus, qui ex membranis, numis, & lapidibus dudum & hic & apud Ciceronem ſic legendum eſſe cenſuerunt. Cur enim hunc ſolum nominaret indicem, cum index quoque eſſet Q. Curius, cui tamen hoc nomen non dedit. Unde patet Judex eſſe Vettii cognomen. Et ſic inferius c. 20. reſtituimus quoque cum F. Urſino: *intercepiſſe Judicem.*

Male multatum.] Omnino ſcribendum ex Mss. *mulcatum*, hoc eſt, male habitum, pulſatum, verberatum. Phœdrus:

Male mulcatus graculus
Redire mœrens cœpit ad proprium genus.

ubi quoque male *multatus* in editis, ſicut innumeris aliis locis, ut Victorius, Lambinus, Gronovius pridem monuerunt.

Male mulcatum.] Sic & Cod. Salmaſ. & ſtatim ante idem, *ſuppellectile.*

Provinciæ ordinarentur.] Nihil certius quam ſcribendum ex libris Lambini & Urſini: *ornarentur.* Mirum dubitare Turnebum, Torrentium, Gruterum.

18. *Ambienti ut legibus ſolveretur.*] Non niſi una lege ſolvi cupiebat Cæſar, qua vetabatur abſentis petitoris ratio haberi. Sed Livius, Cicero aliique

veteres ſic loquebantur. *Legibus ſolvi* dicebatur, qui una tantum lege ſolvebatur. Inde quoque locutio illa manavit, Principem legibus eſſe ſolutum, non quod omnibus legibus ſit ſolutus, ſed certis quibusdam, quæ in antiquo monumento, quo in Veſpaſianum conferuntur omnes illi honores & immunitates, quæ deceſſoribus erant a ſenatu & populo tributæ, notantur. Peſſime poſtea prolapſa omni vetere diſciplina & libertate hoc loquendi genus interpretati ſunt juriſconſulti, & illos ſecuti civilis prudentiæ doctores, quaſi Princeps nullis legibus, niſi naturalis juris & gentium teneretur. Tales Principes veteribus Platoni, Ariſtoteli, & ceteris Philoſophis dicebantur tyranni. Sed de his uberius hic agere non licet.

19. *Cum Bibulo conſul creatur.*] Sic etiam Salmaſ. Cod.

Opera optimatibus data eſt.] Cod. Salmaſ. & Rob. Steph. *opera ab optimatibus data eſt.* Sed vulgata non improbanda. ſic mox: *Campum Stellatem majoribus conſecratum*, pro a majoribus. Tac. 1. 1. *Veteris populi Romani proſpera vel adverſa claris ſcriptoribus memorata.* mox ibid. idem Cod. *Cneum Pompejum adſecutus eſt*, pro *adſectatus.*

20. *Ut tam ſenatus quam populi diurna acta.*] Actorum antiquiſſimorum ſenatus, anni nimirum 585. exemplum illuſtre mihi non ita pridem ex Britannia miſit virtute & doctrina in primis conſpicuus Vir J. Lock, quem & honoris & amoris, quo eum proſequor, cauſſa nomino. Scribit id ſecum communicaſſe Illuſtriſſimum Comitem de Carbury exceptum ex perantiquo codice.

V. K. APRILES

FASCES. PENES. AEMILIVM
BENE. MANE. SACRIFICAVIT. AD. APOLLINIS
OVE. FECIT. LAVREATVS
HORA. OCTAVA. SENATVS. COACTVS. IN. HOSTILIA
SC. FACTVM. VTI. Praetores EX. SVIS
PERPETVIS. EDICTIS. JVS. DICERENT
Q. MINVTIVS. SCAPVLA. ACCVSATVS. DE. VI. A. P. LENTVLO
APVD. CN. BAEBIVM. PR. VRB.
DEFENSVS. A. C. SVLPICIO
SENTENTIIS. CONDEMNATVS. XV.
AMPLIATVS. XXXII

IV. K. APRILES

FASCES. PENES. LICINIVM
FVLGVRAVIT. TONVIT. ET. QVERCVS. TACTA. IN
SVMMA. VELIA. PAVLVM. A. MERIDIE.
RIXA. AD. IANVM. INFIMVM. IN CAVPONA. ET.
CAVPO. AD. VRSVM GALEATVM. GRAVITER. SAVCIATVS
C. TITINIVS. AEDILIS. PL. MVLTAVIT. LANIOS
QVOD. CARNEM. VENDIDISSENT. POPVLO. NON. INSPECTAM.
DE. PECVNIA. MVLTATICIA. CELLA. EXTRVCTA
AD. TELLVRIS. LAVERNAE.

III. K. APRILEIS

FASCES. PENES. AEMILIVM
LAPIDIBVS. PLVIT. IN. VEIENTI
POSTVMIVS. TRIB. PL. VIATOREM. MISIT. AD. COS.
QVOD. IS. EO. DIE. SENATVM. NOLVISSET. COGERE
INTERCESSIONE. P. DECIMI. TRIB. PL. RES. EST. SVBLATA.
Q. AVFIDIVS. MENSARIVS. TABERNAE. ARGENTARIAE. AD. SCVTVM
CIMBRICVM. CVM MAGNA. VI. AERIS. ALIENI. CESSIT
FORO. RETRACTVS.
EX. ITINERE. CAVSSAM. DIXIT. APVD. P. FONTEIVM
BALBVM. PRAET.
ET. CVM. LIQVIDVM. FACTVM. ESSET. EVM. NVLLA. FECISSE
DETRIMENTA. IVSSVS. EST. IN. SOLIDVM. AES. TOTVM. DISSOLVERE.
PRID.

PRID. K. APRILEIS
FASCES. PENES. LICINIVM
LATINAE. CELEBRATAE. ET. SACRIFICATVM. IN. MONTE
ALBANO. ET. DATA. VISCERATIO
INCENDIVM. IN. CAELIOLO. INSVLAE. DVAE. ABSVMPTAE.
SOLO. TENVS. ED. AEDES. QVINQVE. AMBVSTAE. QVATVOR.
DEMIPHON. ARCHIPIRATA. CAPTVS. A. CN. LICINIO
NERVA. LEGATO. IN. CRVCEM. ACTVS
VEXILLVM. RVBEVM. IN. ARCE. POSITVM
SACRAMENTO. NOVO. ADLEGERVNT. IVVENTVTEM
IN. CAMPO. MARTIO.

KAL. APRIL.

L. AEMILIO. PAVLLO. II. C. CLINIO. CRASSO. COS
PAVLLVS. COS. ET. CN. OCTAVIVS. PRAET. PALVDATI
EGRESSI. SVNT
VRBE. IN. PROVINCIAM. MACEDONIAM. PROFECTI
INGENTI. ATQVE.
INVSITATA. FREQVENTIA. PROSEQVENTE
. . . . TOTA. SACRA. VIA
EX. AEDIBVS. . . VSQVE. AD. CARINAS. ET. SACELLVM. STRENIAE
MAGNA. CONSTERNATIONE. VICINORVM.
FVNVS. MARCIAE. SEX. F. CVM. MAIORE. POMPA. IMAGINVM.
QVAM. FREQVENTIA. HOMINVM.
PONTIFEX. SEMPRONIVS. EDIXIT. MEGALESIA.

IV. NON. APRIL.

VER SACRVM. VOTVM. DE. PONTIFIC. SENTENTIA. A. BOEBIO. PRAETORE
LAVTIA. LEGATIS. AETOLVM. DATA AERIS. GRAVIS. IN. SINGVLOS 
DIMIDIVM. EIVS. COMITIBVS
M. AEBVTIVS. IN. PROVINCIAM. SVAM. SICILIAM. PROFECTVS. EST
EPVLVM. IN. FVNERE. MARCIAE. POPVLO. DATVM. A. FILIIS. EIVS.
Q. ET L. METELLIS. ET. LVDI. SCAENICI. FACTI
CLASSIS. CARTHAGINIENSIS. OSTIAM. INGRESSA. CVM. TRIBVTO

III. NON. APRIL.

G. POPILIVS. LAENAS. C. DECIMVS. C. HOSTILIVS. LEGATI
MITTVNTVR. AD. REGES. SYRIAE. ET. AEGYPTI AD. BELLVM
INTER. IPSOS. COMPONENDVM
LEGATI. BENE. MANE. CVM. TVRBA. CLIENTVM. ET. PROPINQVORVM
SACRIFICARVNT. AD. CASTORIS. DIS. PENATIBVS. P. R.
TAVRO. FECERVNT. ET. PERLITARVNT.
PONT. MAX. . . . IN. AEDE. VESTAE
L. L. V. V.

Priorum trium dierum acta debemus Generoſiſſimo Comiti de Carbury, & ejus munere Cl. V. Lockio. Ceteros dies excerpſi ex annalibus Stephani Pighii, qui antiquiſſimæ hujus tabulæ fragmentum inventum fuiſſe narrat inter ſchedas Ludovici Vivis, ſibique communicatum a Jacobo Suſio. Ex illis hoc antiquitatis pulcherrimum monumentum retulit quoque Reineſius in opus inſcriptionum a ſe publicatarum. Sed id poſthæc accurate cum apographo Voſſiano contulit vir & amicus ſummus Henricus Dodwellus, & eruditiſſimis notis illuſtravit in appendice prælectionum Academicarum.

Populi diurna acta conficerentur & publicarentur.] Codex Salmaſ. *populi diurna acta confierent, & publicarentur.* quod non improbem. Hoc vocabulum quia rarius occurrit, notius ei fuit ſuppoſitum. Sed & in epiſtola Balbi apud Cic. VIII. ad Att. ubi vulgo legebatur: *Quomodo in hujuſmodi re, commodius cadere non potuit, quam ut res ſine ſanguine conficeretur,* reſtituit ex priſcis Codicibus Victorius ὁ πάνυ, *quam ut ne ſine ſanguine confieret.* Et Sulpitius ad Ciceronem lib. IV. ep. 5. *Etſi hoc genus conſolationis miſerum atque acerbum eſt: propterea quia, per quos ea confieri debet, propinquos ac familiares, ipſi pari moleſtia afficiuntur.* Lucret. lib. V.

Ne forte ex homine & veterino ſemine equorum
Confieri credas Centauros poſſe.

Ac XX *milibus civium.*] Recepi lectionem Caſauboni emendantis: *ad* XX *milibus civium*, hoc eſt, circiter viginti milibus. Inferius c. 25. *Gallia patetque ad bis & tricies centum milia paſſuum.* In Octav. c. XX. 16. *Ad* XX *ſervorum milibus manumiſſis & ad remum datis.* ubi quoque perperam in editionibus vulgatis *ac* legitur. Siſenna: *Ad binum milium numero ſauciis utrimque factis.* Firmat hanc ſcripturam Codex Salmaſ. & Roberti Stephani editio. ſed & Gronovius eam probavit, quem vide lib. 1. cap. 7. de Pecunia vetere. paullo ante pro *utque vulgo mox ferretur*, Codex Salmaſ. *utique vulgo mox ferretur.* Mox idem Codex & Rob Steph. *horaque nona transduxit.* Sic & alibi & alii libri veteres *transdux* pro *traduxit* ſcribunt.

Induxit Vettium præmiis.] Accepi hanc lectionem ex Codice Cujacii cum aliis. In codice Salmaſii legitur: *inductam præmiis, ut ſc.* Rob. Steph. editio, *induxit præmiis.*

22. *In Aſſyria.*] Salmaſ. Cod. etiam ut nonnulli alii *in Suria.* Credo alterum ſubſtituiſſe ſciolos, qui neſcierunt *Syria* ſæpe poni pro *Aſſyria*, & in Syria regnaſſe Semiramin veteres tradidiſſe. Mela lib. 1. cap. 11. de Syria: *Olim ac diu potens, ſed cum eam regno Semiramis tenuit, longe potentiſſima.* ne dicam Syriam olim latiſſime patuiſſe, ut etiam Meſopotamiam, Aſſyriam, quam Mela Adiabenen vocat eodem capite, & Babyloniam fuerit complexa. Hinc & apud Æſchylum Σύριον αἷμα, pro Aſſyrio, ut notat Scholiaſtes. Quin Græcos Syros appellaſſe, quos Barbari Aſſyrios, Herodotus auctor eſt: Οὗτοι δὲ ὑπὲρ μὲν Ἑλλήνων ἐκαλέοντο Σύροι· ὑπὸ δὲ βαρβάρων Ἀσσύριοι ἐκλήθησαν. *A Græcis iſti*, Aſſyrii nimirum, *Syri vocabantur, a Barbaris autem Aſſyrii.*

E competitoribus.] Mirum iſtam lectionem ferri in editionibus, cum rectiſſime in Mss. Palatinis & plurimis aliis legatur: *e petitoribus.* cui lectioni ratio ſuffragatur. Non enim ſuos competitores juvit, ſed petitores honorum, ſeu candidatos magiſtratuum.

23. *Qui ſibi recepiſſent.*] Sic & Salmaſ. Cod. vulgo: *pepigiſſent.*

24. *Conſulatum alterum peterent.*] Codex Salmaſ. *conſulatum alterum peteret.* forte: *conſulatum alter eorum peteret*, inquit Salmaſ. Sed & ſequentia in illo libro ſic leguntur: *perfecitque, ut in quinquennium ſibi imperium propagaretur.* Sed Copeſii codex & Rob. Stephani & aliæ vetuſtiores editiones: *perfecitque utrumque, & ut in quinquennium ſibi imperium prorogaretur.* Sed vulgata non eſt immutanda. Nam ob duas cauſſas arceſſiit ad ſe ſocios Craſſum & Pompejum, prima erat ut conſulatum peterent, altera ut ei imperium prorogaretur Utrumque impetravit Cæſar. Utrumque non poterat dici perfeciſſe, quam de utraque re locutus ante fuiſſet. Sed ante non locutus erat Suetonius de prorogatione imperii, ſed tantum de detrudendo Domitio. Vides in libris & editionibus illis verba eſſe inverſa. Et dein Salmaſ. *alios privato ſumtu addit*, pro quo in vulgatis, *addidit.*

Proſpere decedentibus rebus.] Vere ſuſpectum fuit hoc loquendi genus Caſaubono, Latio omni incognitum, quantum licet ex ſcriptoribus, qui ſuperſunt, judicare. Quia tamen in omnibus libris ſic legitur, inter καινοπρεπίας Suetonii exempla idem retulit, cum ante conjeciſſet, poſſe legi aut *proſpere ei cedentibus rebus*, vel *cadentibus.* Minus a librorum veſtigiis recedemus, ſi pro *decedentibus*, ſcribamus, *dein cedentibus.*

Præter ſocias, ac bene meritas civitates.] Cod. Salmaſ. *præter ſocios ac bene meritas civitates.*

26. *Neptem amiſit.*] Quamvis diſſentiant ſcriptores, nepos an neptis fuerit, quia tamen non Vaticanus tantum, ſed & duo Palatini & Salmaſ. legunt *nepotem*: quibus cum aſſentiantur Lucanus & Vellejus Paterculus, merito mihi contendiſſe videtur Lipſius legendum eſſe *nepotem*, quem vide Elect. II. 17.

Et prædia.] Fulv. Urſinus Grutero, Caſaubono, & Berneccero probante legendum conjecit: *ex præda.* Nullus dubito Suetonium ſic ſcripſiſſe. ſine librorum tamen auctoritate nihil temere mutem.

27. *Conditione ei detulit.*] Palatinus ſecundus: *Conditionem*, quod unice probo. Latinæ linguæ genium non exiſtimo noſſe, quid ſit *ferre conditione neptem alicui.* Quis ita loquitur? Sed *deferre neptem conditionem* per ἐπεξήγησιν, pro *ut ſit conditio*, ut apud Juſtinum lib. 11. *Pretium arma reginæ accepit. Conditio* vero, ut *matrimonium* & *conjugium* pro uxore, ut bene Bernecccerus. Martialis:

Dum tibi noſter eques ſordida conditio eſt.

30. *Semper Cæſarem in ore habuiſſe Euripidis verſus, quos ſic ipſe convertit, Nam ſi violandum.*] Ut in codicibus habetur Viterbienſi & Turonenſi, ſic & in Salmaſiano, additis Græcis verſibus, ſic & in Copeſ. niſi quod pro Græcis ſpatium ſit relictum. lego itaque cum Roberto Stephano: *Semper Cæſarem*

rem in ore habuiſſe eos in Phœniſſis Euripidis verſus:

Εἴπερ γὰρ ἀδικεῖν' χρὴ τυραννίδος πέρι
Κάλλιςον ἀδικεῖν τ' ἄλλα εὐσεβεῖν χρεών.

quos ſic ipſe convertit.

35. *Novarum rerum materia eſſet.*] Codex Salmaſ. *materi eſſet*, pro *materies eſſet.*

37. *Non acta belli ſignificantem, ſicut ceteri, ſed celeriter confecti notam.*] Optime Salmaſ. Copeſ. & Robert. Steph. *ſicut ceteris*, ſcilicet in titulis.

Lychnuchos geſtantibus.] Bene Mss. *lychnos geſtantibus.* Faces enim proboſcide geſtarunt. Hinc vocat Dio, λαμπάδας φέροντας. Non hoc primum feciſſe Cæſarem, ſed a Græcis accepiſſe, ſive Aſiaticis regibus ex Antiochi Dionyſii numo præclare docuit Vir dignitate & eruditione ſummus Ezechiel Spanhemius in diſſertatione tertia de præſtantia & uſu numiſmatum.

38. *In equites vicena quaterna milia.*] Codices ſcripti Vaticanus, Memmianus, Viterbienſis; Pithœi, Palatinus primus & ſecundus non habent τὸ *in equites.* Nec Groſlotianus: τὸ *quaterna.* Hæc ipſa Suetonii ſcriptura eſt, conſentiuntque Appianus & Dio. Τὸ *in equites* adjecerant, qui putabant pedites non debere nominari, niſi & equitum mentio fieret. At Suetonius de ſolis peditibus commemoravit, cum omnibus notum eſſet, quod peditibus daretur, id duplicari centurionibus, dari triplex equiti, quadruplum tribunis & præfectis equitum. ſic Gronovius lib. 11. de Pec. vet. c. 2. quem vide, ut & Lipſium Admirand. 11. c. 22. qui ipſe hanc lectionem aſſeruit, & in textum jam olim recepit Berneccerus. *In equites* deſideratur etiam in Salmaſ.

Annuam habitationem Romæ uſque ad bina milia numum.] Et hunc locum Gronovius optime interpretatur lib. 11. de Pec. vet. cap. 2. ubi oſtendit & male Torrentium hæc verba accepiſſe, nec recte Caſaubonum optimum Suetonii interpretem, contrarium Suetonio feciſſe, ſi hic recte explicetur, nimirum *uſque ad bina milia* habitantibus, ſeu qui binis milibus habitarent, ſive Romæ, ſive in Italia iis largitum aliquid Cæſarem. Romæ quidem iis remiſiſſe habitationem annuam, hoc eſt, pro iis ſolviſſe de ſuo dominis ædium omnem penſionem anni; qui habitarent in Italia extra Romam in conducto, iis vero remiſiſſe habitationis annuæ non ultra quingentos ſeſtertios, hoc eſt, pro iis tantum pependiſſe *quingenos ſeſtertios.* Vide plura in dicto loco.

39. *Tyriæ & Ægyptiæ claſſes.*] Reſcripſi ſic ex Memmia & Rob. Steph. editione *Tyriæ & Ægyptiæ claſſis*, quod & Caſaubonus probabat.

Bina caſtra ex adverſo.] Salm. *bina caſtra ex adverſum conſtituta.*

40. *Ex Kalendis Januariis nobis.*] Legendum conjiciebat Salmaſius *novis.* Sic ante Urſinus probante Caſaubono.

Fuit is annus, quo hæc conſtituebantur, XV. menſium.] Is a chronologis vocatur annus confuſionis. Sequens, quo Jul. Cæſar IV. conſulatum Kal. Januarii ſuſcepit, eſt primus Julianus, qui fuit XLV. ante Chriſtum natum epochæ Dionyſiacæ.

41. *Quos ipſe edidiſſet. Et edebat per libellos.*] Cod. Salmaſ. *quos ipſe dediſſet. edebat per libellos.*

Circum tribus.] Antiquæ editiones: *cuique tribui.*

Recenſum populi.] Recenſus hic eſt examen eorum, qui frumentum publicum acceperunt, non cenſus luſtralis, ut primus docuit Lipſius Elect. l. 27. quem vide.

Qui recenſiti non eſſent.] Salmaſ. *qui recenſi non eſſent.*

42. *Minorve* XL.] Codex Salmaſ. Copeſ. & Rob. Steph. ed. *minorve decem, qui ſacramento.* Idem paullo poſt: *Cuncta collegia, præter antiquitus conſtituta diſtraxit.* hoc eſt, diſſolvit. vulgo male: *detraxit.*

43. *Conchyliata veſtis*] Ex hoc loco & Dionis, quem laudat Caſaubonus, conficit A. Rubenius de Re veſtiaria lib. 1. cap. 8. non omnem purpuræ uſum, ſed certas tantum ſpecies vetitas fuiſſe, & ἀλουργίδας non omnes veſtes purpureas dictas, ſed Theſſalinas, ſive ἁλιπόρφυρα ἱμάτια. Ita in Artimidoro, inquit, a purpureis veſtibus diſtinguuntur. Sic etiam apud Perſas ὁ κάνδυς ὁ μὲν βασίλειος ἁλιπόρφυρος, ὁ δὲ τῶν ἄλλων πορφυροῦς: *Regia veſtis, quæ Candys dicitur, erat conchyliata, aliorum purpurea*, ut Julius Pollux ait. Dicebatur autem ἀλουργὶς a colore, ut idem Pollux tradit. Hinc exiſtimo ἀλουργίδα proprie vocari a Græcis conchyliatam veſtem, cui color auſterus in glauco, & iraſcenti ſimilis mari, ut Plinius ait. Hinc apparet Julium & Auguſtum non omnem purpuræ uſum Romano populo ademiſſe, ſed tantum τὴν ἐσθῆτα ἀλουργῆ, ſive conchyliatam veſtem. Sed hæ ſtatim leges obliteratæ ſunt. Nero rurſus certas ſpecies purpuræ, amethyſtini nempe ac Tyrii coloris interdixit: quin etiam inter canendum animadverſam matronam e ſpectaculis vetita purpura cultam demonſtraſſe procuratoribus ſuis creditur, detractamque illico non veſte modo, ſed & bonis exuit, teſte Suetonio. Vide plura in dicto libro.

44. *Emittere Fucinum lacum: viam munire a mari ſupero per Apennini dorſum ad Tiberim uſque.*] Quod Cæſar fruſtra deſtinaverat facere, fecit poſtea Claudius, & cum ſub illo res non eſſet optime adminiſtrata, perfecit tandem Hadrianus, ut ex Spartiano, Tacito, Plinio, & inſcriptionibus tradidit & pluribus explicuit Lucius Camarra in Theatro antiquo lib. 1. cap. 5.

45. *Ore paullo pleniore.*] Repugnant tamen omnes ſtatuæ, & omnes numi, qui referunt Cæſaris faciem longam & macilentam. Hinc forte legendum: *ore pallidiore*, aut *paullo oblongiore.*

Revocare a vertice aſſueverat.] Legit V. Cl. J. Schultin-

Schultingius mihi quamdiu in vivis fuit, amicus gratiſſimus, *revocare ad verticem.* Ad diſſimulandam ſcilicet calvitiem. quod poterat, cum laureæ geſtandæ jus eſſet ei decretum, qua circumpoſita reducti crines continebantur.

Deficientem capillum revocare a vertice aſſueverat.] Retinent omnes libri & editiones *a vertice.* Atque ita quoque Johannem Sarisberienſem legiſſe liquet ex lib. 3. cap. 14. de nugis Curialium: *Cum enim*, inquit, *calvitium iniquiſſime ferret & deficientem capillum a cervice convocaret ad frontem.* Veteres enim magna cura deficientes capillos in frontem revocare ſolebant, ut calvitii turpitudinem hoc pacto celarent. Sen. de Brev. vitæ cap. 12. *Quid? illos otioſos vocas, quibus apud tonſorem multæ horæ tranſmittuntur, dum decerpitur, ſi quid proxima nocte ſuccreverit, dum de ſingulis capillis in conſilium itur, dum aut disjecta coma reſtituitur, aut deficiens hinc atque illinc in frontem compellitur.* Capillum autem ad verticem revocare (quo habitu crinibus in nodum tortis veteres Germanos fuiſſe, Diodorus, Tacitus & Sidonius teſtantur) Græci ἀναχαιτίζειν vocant. Heliodor. lib. 2. cap. 35. ita Theagenem deſcribit: Ὀρθὸς τὸν αὐχένα, καὶ ἀπὸ τῦ μετώπυ τὴν κόμην καὶ πρὸς τὸ ὄρθιον ἀναχαιτίζων. *Erecto collo atque a fronte comam etiam in altum revocans.* Coetier.

Etiam cultu notabilem ferunt.] A. Rubenius in politiſſimis de re veſtiaria Romanorum libellis, quos de lato clavo inſcripſit, lib. 1. cap. 2. & 11. 13. Cæſaris cultum triplici ratione diſcrepaſſe a communi aliorum Romanorum veſtitu docuit. Primo quod tunicam habuerit manuleatam, ſive manicis, quas ornabant fimbriæ, inſtructam, cum reliquorum tunicæ eſſent ſine manicis: dein quod tunicam laticlaviam cinxerit, cum ceterorum laticlavi nullo cingulo conſtringerentur: tertium eſt, quod togæ cinctura fuerit laxior ſolito, ita ut laciniam traxerit, ut ait Macrobius. Verum ultimum de cinctura togæ rejicit Octavius Ferrarius in Analectis de Re veſtiaria, quæ oppoſita ſunt Rubenii libro laudato. Is contendit togam nunquam fuiſſe cinctam niſi in cinctu Gabino, & Macrobium erroris damnat cum præcincturam adſcribit togæ. Verum eſt togas nullo unquam cingulo ſic ut tunicas fuiſſe compreſſas. Sed Rubenius recte oſtendit *præcincturam togæ* dictam fuiſſe balteum, qui ſub dextro brachio ad ſiniſtrum ducebatur, quo cingebatur umbo, & tanquam nodo conſtringebatur toga, ne efflueret. Inde Quintilianus lib. XI. ubi deſcribit habitum togati oratoris, illo balteo dicit contineri togam: *Ille*, inquit, *qui ſub humero dextro ad ſiniſtrum ducitur velut balteus, nec ſtrangulet, nec fluat. Pars togæ quæ poſtea imponitur, ſit inferior. Nam ita & ſedet melius, & continetur*, ſcilicet pars togæ impoſita illi balteo, ſed qua continetur etiam tota fere toga præter illam partem quam ſiniſtrum brachium ſuſtinet. Balteo hoc ſoluto, ſimulque ſubducto ſiniſtro brachio, cui & ipſi innitebatur magna togæ pars, effundebatur toga & ejus ſinus in pedes, quod Cæſarem moriturum feciſſe Suetonius in cap. 82. prodidit: *toga caput obvolvit: ſimul ſiniſtra manu ſinum ad ima crura deduxit.* Hæc omnia inſpicientibus togatas ſtatuas ſunt liquida. Vere itaque Macrobius de Cæſare: *ita toga præcingebatur, ut trahendo laciniam velut mollis incederet.* Si erravit, ut ſtatuit Ferrarius, Macrobius, & pro *toga* ſcribendum fuiſſet *tunica*, quomodo cincta tunica potuit *lacinia trahi*, cum tunicæ, eſſent ſtrictiores & breviores, & vix infra genua pertinerent? Unde *lacinia* nunquam tribuitur tunicæ, ſed ſemper togæ: vide multa exempla apud ipſum Ferrarium in Analectorum cap. 40. & Rubenium lib. 11. cap. 9. qui iiſdem exemplis antea uſus eſt. De illa ipſa præcinctura togæ loquitur etiam Macrobius lib. 11. cap. 9. ubi Hortenſii luxum & mollitiem deſcribit: *Hortenſius vir alioquin ex profeſſo mollis & in præcinctu ponens omnem decorem.* Fuiſſe illum præcinctum non tunicæ, ſed togæ, verba ſequentia innuunt: *Fuit veſtitu ad munditiem curioſo, & ut bene amictus iret, faciem in ſpeculo ponebat; ubi ſe intuens togam corpori ſic applicabat, ut rugas non forte ſed induſtria locatas artifex nodus conſtringeret, & ſinus ex compoſito defluens nodum lateris ambiret.* Vides artificem nodum conſtrinxiſſe rugas togæ. & hic fuit ille præcinctus togæ, quem ita formavit laxe Cæſar contra conſuetudinem aliorum, ut laciniam traheret, hoc eſt, ut ima pars togæ longius promineret, quam aliorum civium, quod & vetuit Quintilianus: *Balteus, nec ſtrangulet, nec fluat.* Et aliis verbis Curius Fortunatianus: *Quid in umbone? nec fluxe*, (hoc eſt verbis Quintiliani, *balteus nec fluat*,) *nec adſtricte*, hoc Quintilianus dicit, *nec ſtrangulet?* Aliter autem cingebatur toga cinctu Gabino, quem recte, mea ſententia, Ferrarius expoſuit. Illo utebantur inprimis tempore belli Imperatores, hoc vero præcinctu omnes cives tempore pacis. Non autem probo Ferrarii ſententiam, cum *præcinctus*, *procinctus*, *cinctus* & *incinctus* unum idemque eſſe putat. *Præcinctus* ſemper dicitur de toga, nunquam de tunica. *Præcingi* autem dicitur toga, non quod ille cinctus totam togam, ſed quod anteriorem partem togæ ambiret, & inſtar cinguli ſeu baltei conſtringeret, unde *balteus* dictus eſt. Quid enim eſt balteus, niſi cingulum? Gloſſæ: Ζωςὴρ, *cingula*, *balteum*, *cingulum.* Si balteus eſt dicta *illa* pars togæ anterior, quamvis non totam cingeret togam & hominem, cur non potuit & *præcincta* dici toga, quam balteus ille, ſive ille artifex nodus conſtringit. Sic igitur dicta eſt, quia baltei & formam præ ſe ferebat, & uſum præſtabat in continendis illis rugis & ſinu togæ, ſive magna illa togæ parte. Non nego ſcrupulum ſupereſſe in his verbis Suetonii, *nec aliter, quam ut ſuper eum cingeretur.* Nam omnium laticlaviorum togæ ſuper

latum

latum clavum cingebantur, quia omnes togæ illo balteo præcingebantur: ſed videntur hæc junctim ſumenda, *ſuper eum cingeretur, & quidem laxiore cinctura.* Quod interpretor, præcingebatur Julius Cæſar, ſed laxiore cinctura, ut laciniam traheret toga, contra quam alii faciebant, qui præcingebantur ſtrictius. Manet eadem difficultas in loquendi genere, *ſuper eum cingi*, quamvis accipias de tunica. Nam *ſuper latum clavum cingi* aut *ſuper laticlaviam tunicam cingi* pro laticlaviam tunicam cinctam fuiſſe, eſt inuſitatum loquendi genus. Dupliciter autem, non tripliciter notabilem veſtitum Cæſaris fuiſſe cenſeo, & quod tunica uſus fuerit manicata ac fimbriata, & quod in toga præcinctura laxior & magis fluxa fuerit.

46. *Teſſellata & ſectilia.*] Male doctiſſimi Viri teſſellata & λιθόστρωτα eadem faciunt. Lithoſtrota ſectis parvulis marmorum cruſtis ſtrata erant ex diverſi generis & coloris marmoribus non tinctis. Suetonius *ſectilia* Latine dicit τὰ λιθόστρωτα, & diſtinguit a teſſellatis h. l. ut & Vitruv. lib. VII. cap. I. Lithoſtrota in pavimento ac ſolo manſere, teſſellata ad cameras tranſlata & *muſivi operis* nomine appellata ſunt. Salmaſ. Exercit. Plin. p. 1214. ubi plura vide.

47. *Sua manu exegiſſe pondus.*] *Exigere pondus* eſt lance explorare pondus alicujus rei. Servius *ad exactum redigere* appellat. Sed locus iſte in omnibus libris fœde corruptus eſt. Sic enim legitur ad 4. Æn. V. 476. *Tempus ſecum ipſa modumque Exigit. Exigit*, inquit, *ad certum redigit, ut ſolent pondera vires & ad exactum redigi.* ſcrib. *Exigit. ad certum redigit, ut ſolent ponderari res & ad exactum redigi.* Transfert hoc verbum eleganter Valer. Max. lib. 9. cap. 12. *Quid attinet inerti mora gaudere, ſi magis vitam exigis quam approbas.* i. e. ſi magis conſideras, exploras quamdiu vixeris, quam quam bene, ut Seneca alicubi loquitur. Idem ep. 93. *Quid illum octoginta anni juvant per inertiam exacti? non vixit iſte, ſed in vita moratus eſt.* In veteri inſcriptione apud Gruter. pag. 647. *Pecora ſub exagio vendere*, quod paullo poſt *pondere comprobata vendere.* Gloſſæ veteres: Ἐξάγιον. *Penſacio.* Recte. eſt enim exploratio ponderis per lancem. COET.

47. *Servitia recentiora.*] Gronovius ad Senecæ Epiſt. 100. probat Viterbienſem codicem, in quo ſcribitur *rectiora ſervitia*, hoc eſt, ſanos ſervos & emendati corporis. Catullus:

Ut provincia quod mala incidiſſet,
Non poſſem octo homines parare rectos.

Horat. I. Sat. 2.

Candida rectaque ſit.

Nec probat ſolus Gronovius *rectiora*, ſed & Iſaacus Voſſius ad laudatum Catulli locum, idque exponit, recti & proceri corporis, quales ſervos veteribus in pretio fuiſſe docet. Lipſius legebat pro *recentiora decentiora.* Sic ſane Plinius ep. XXII. lib. I. *Credo decentes eſſe ſervos, qui mihi ſint empti conſilio tuo.* Sed cum in Ms. Salmaſii legatur *retiora*, Nicolaus Heinſius ὁ πάνυ legebat *teretiora*, quæ nec obeſa erant nec macilenta, ſed ſucci plena & optime habita, in quibus nihil exſtabat, ſed omnia quaſi facta erant ad amuſſim. Sic Horatio Epod. XI. *teres puer.* & ſuperius cap. 45. *teretia membra.* Sed Viterbienſis codicis ſcriptura ceteris præferenda, cui proxime accedit Salmaſianus codex, in quo una tantum littera deſideratur. ſcribit enim *retiora* pro *rectiora*. Mox idem: *cujus ipſe etiam puderet.*

49. *In cubiculum regium eductum.*] Nihil certius legendum eſſe cum Torrentio ex Ms. *deductum*, fruſtra repugnante Salmaſio. Nam *deducere* & *perducere* proprie dicuntur lenones, & amorum obſcænorum conciliatores, aut miniſtri. Juſtin. IX. 6. *perductum in convivium*, loquitur de Pauſania, cujus corpus in convivio aliorum libidini exponebatur. Hinc *perductores* apud Cic. I. Verr. 12. ſunt lenones.

Oro te.] *Te* ab aliis ut gloſſ. omiſſum. Quædam etiam editiones & Ms. Abb. Gand. non agnoſcunt.

Quid illi tu dederis.] Salmaſ. & Copeſ. & R. Steph. ed. *Quid illi tute dederis.*

50. *Proximo ſuo conſulatu.*] Codex Urſini antiquus: *Primo.* Et ſic conjecerat Torrentius. Probe.

Sexagies HS.] Salmaſius notat in margine: *Sexagies ſeſtertii, vel Sexagies ſeſtertio prius videtur in manuſcripto fuiſſe, ſed correctum ſeſtertium.*

52. *Ut Naſo ſcripſit.*] Cod. Salmaſ. *Ut Vaſta ſcripſit.* Copeſ. quoque *Vaſa*, ſed prima littera a recentiore manu in N eſt mutata, cui hæ litteræ ſic *p. n.* ſunt ſuperſcriptæ *Naſa.*

Quam denique accitam in urbem, &c.] Negat magnus Scaliger ad Num. 1972. Chronici Euſebiani (ad verba *Cleopatra regio comitatu urbem ingreſſa*) urbem Romam Cleopatram unquam adiiſſe, ſed in eo humani aliquid paſſum ſummum virum monuit jam magnus interpres. Diſerte auctor N. illud ait, diſerte Dio, diſerte Hieronymus & Jornandes. Sed de loco Dionis, cum eum explodat Scaliger, videndum eſt. Ait Dio lib. 43. p. 227. Cleopatram in urbem veniſſe μετὰ τȣ̃ ἀνδρὸς, *una cum viro.* Negat Scaliger habuiſſe maritum Cleopatram poſt mortuum Ptolemæum niſi Antonium, & quidem longo poſt tempore. Res ita ſe habet. Duos fratres Ptolemæos maritos habuit Cleopatra, mortuo majore maritum accepit minorem adhuc puerum. Clare Dio lib. 42. p. 205. Οὕτω μὲν τὴν Αἴγυπτον ὁ Καῖσαρ ἐχειρώσατο. ȣ μέντοι καὶ ἀλλὰ τῇ Κλεοπάτρᾳ, ἧσπερ ἕνεκα καὶ ἐπεπολεμήκει, ἐχαρίσατο. φοβηθεὶς μέντοι, μὴ Αἰγύπτιοι νεωτερίσωσιν αὖθις γυναικὶ ἄρχειν παραδοθέντες, καὶ οἱ Ῥωμαῖοι διά τε τȣ̃το καὶ ὅτι συνῆν αὐτῷ, χαλεπήνωσι, τῷ, τε ἑτέρῳ ἀδελφῷ συνοικῆσαι δῆθεν αὐτὴν ἐκέλευσε, καὶ τὴν βασιλείαν ἀμφοτέροις σφισιν, ὥς γε καὶ λόγῳ εἰπεῖν. τῷ γὰρ ἔργῳ, ἡ Κλεοπάτρα μόνη πᾶν τὸ κράτος σχήσειν ἔμελλεν. ὅ τε γὰρ ἀνὴρ αὐτῆς παιδίον

ἔτι ἦν, καὶ ἐκείνη πρὸς τὴν παρὰ τοῦ Καίσαρος εὔνοιαν οὐδὲν ὅ, τι οὐκ ἐδύνατο. *Ita Cæſar Ægyptum ſubegit: neque tamen eam Romanorum dominio ſubjecit, ſed Cleopatræ conceſſit, cujus gratia totum bellum geſſerat. Metuens tamen ne Ægyptii, mulieris imperio addicti, denuo tumultuarentur, neve Romanorum in ſe animos, cum hujus rei, tum ſuæ cum Cleopatra conſuetudinis cauſa commoveret; conjugem eam fratris ſuperſtitis eſſe juſſit, regnumque utriſque commune fecit. Id quidem in ſpeciem agebat, re ipſa totum Cleopatræ regnum deferebatur. Quippe ejus maritus puer ætate erat, ipſa autem apud Cæſarem gratia nihil non poterat.* Venit ergo Romam ſecundum Dionem Cleopatra cum fratre minore Ptolemæo eodemque marito. COETIER.

Ac ne cui dubium.] Salm. Cod. *ad ne cui dubium* leg. auctore Salmaſio, *at ne cui dubium.*

53. *Pro viridi appoſitum.*] Apicius lib. 1. 28. *Olivas de arbore ſublatas in muriam mittis, & erunt tales quovis tempore quaſi mox de arbore demtæ, de quibus ſi volueris oleum viride facies*, hoc eſt, oleum novum, non diu conditum & ſervatum. Sic & *uvæ virides* cap. 17. eod. lib. *Accipies uvas de vite illæſas* &c. *quando volueris uvas virides invenies*

54. *In Hiſpanias a proconſule.*] Nihil certius lectione, quam ex Turonenſi adfert Caſaubonus. Non enim a deceſſore proconſule acceperat pecuniam, ſed ipſe, cum pro conſule illam adminiſtraret provinciam. Applaudit Memmianus, in quo legitur: *In Hiſpania proconſul.* Sed Latinius Turonenſis *pro conſule.* Sic enim veteres loqui malebant. Qui autem prætura functi erant, cum mitterentur in provinciam conſularem, proconſules quoque dictos eſſe & hic Caſaubonus & alii plures oſtenderunt.

55. *Oratorum quem huic antepones.*] Salm. Cod. *Oratorem quem huic antepones eorum.*

Auguſtus orationem vix ipſius putat.] Salmaſ. Cod. omittit *orationem.*

56. *Cicero in eod. libro.*] C. Salm. *Cicero in eodem Bruto.* Sic & Copeſianus.

Qui illa volunt calamiſtris inurere.] Bene Copeſ. ac Salmaſ. Codd. & Rob. Steph. *qui illa volent calamiſtris inurere.*

Cæteri enim quam bene & emendate.] Nec in Salmaſ. nec in Copeſ. hæc habentur verba.

Quas primum.] Cum & Urſini Ms. *primus* habeat, & Caſaubonus & Torrentius probet hanc lectionem, eam recepi.

Si quis inveſtigare.] Cod. Salm. *ſi qui inveſtigare.*

Feruntur & a puero & ab adoleſcente.] Cod. Salm. *feruntur & ait vero ab adoleſcente.* Ex hoc natum eſt *& a puero*, quæ delenda ſunt & ſcribendum cum Torrentianis duobus, & Copeſ. *feruntur vero ab adoleſcentulo quædam ſcripta.* aut: *feruntur & ab adoleſcentulo quædam ſcripta.*

In epiſtola.] Salmaſ. & Copeſ. *in epiſtulis.*

57. *Meritoria reda centum milia paſſuum.*] Cod. Salm. *meritoria reda centum millia paſſum.* ſic & ſuperius idem cod. *paſſum* pro *paſſuum.*

58. *Teneo te Africa.*] Quaſi complecteretur amicam deſideratam. Eſt enim hæc ſollemnis formula, qua utebantur veteres, cum in amicum optatum inciderent, ſi in ejus ruerent complexum. Terent. Heaut. II. 4. 26. *Salve, anime mi.* ANT. *mi Clinia, ſalve.* CL. *Teneo te, Antiphila maxime omnium optata animo meo.* Plaut. Moſtell. Act. III. Sc. I. v. 30. 32. Petron.: *Teneo te qualem ſperaveram, tu deſiderium, tu voluptas mea.*

59. *Salutioni cognomen.*] Cod. Salm. *Saluitoni.*

60. *Ad dimicandum cunctantior.*] Cod. Salm. *ad dimicandum cunctacior.*

Quantum auferre calamitas poſſet. Nullum unquam hoſtem fudit.] Cod. Salm. & Copeſ. *quantum hoſtem fudit*, ceteris neglectis. Mox idem: *ita ut nullum ſpatium perterritis dabat.* niſi quod Copeſ. *nullis.*

61. *Ungulis fiſſis.*] Cod. Salm. *fiſis.* ſic cap. 68. *excuſo* pro *excuſſo.* & *abſciſa* pro *abſciſſa.* Rob. Steph. *ungulis ſciſſis.* Mox idem: *nec patientem ſeſſoris alterius primus eſcendit.* optime. ſæpiſſime enim verbum hoc mutatum a ſciolis, ut pridem docti viri ad Ciceronem & Livium monuerunt, hic quoque reſtituendum eſt. Copeſ. *aſcendit.*

62. *Aquilifer moranti cuſpide ſit comminatus.*] Recepi ex Salmaſiano, quod & alii quoque libri præ ſe ferunt, *aquilifer moranti ſe cuſpide ſit comminatus.*

Non minora illa conſtantiæ ejus, immo majora etiam indicia fuerunt.] Cod. Salmaſ. *non minor illa conſtantia ejus, majora etiam indicia fuerint. fuerint* omnino probo, &, ſat ſcio, mecum omnes Latinæ docti. *fuerunt* ſane friget.

65. *Militem neque a moribus.*] Cogitavi aliquando: *neque a majoribus*, h. e. genere, ut Marius qui capite cenſos contra leges & inſtituta Reip. in legionibus adſcripſerat, præſertim cum ipſe Cæſar lib. VII. Gall. bell. profiteatur, *nec minus ſe in milite modeſtiam & continentiam, quam virtutem atque animi magnitudinem deſiderare.* Sed cum Suetonius narret ganeones & luxu perditos in ejus caſtra confluxiſſe: & ipſe Cæſar, *milites ſuos etiam unguentatos bene pugnare poſſe*, nihil muto. Continentiam & modeſtiam præſtare debebant in militia, cum jam nomen dediſſent; utque præſtarent, ſeveritate diſciplinæ conſecutus eſt, quamvis ante fuiſſent ſolutis moribus. *Probare* autem eſt proprium in hac re verbum. Quem enim in delectu militem admittebant ad ſacramentum, qui delectui præerant, eum dicebant *probare.* Plin. lib. x. ep. 39. *Neque enim multum intereſt, quod nondum per numeros diſtributi ſunt. Ille enim dies, quo primum probati ſunt, veritatem ab his originis ſuæ exigit.* Quintil. in milite Mariano: *En quanta delectui tuo fit invidia! Dico adverſus Cimbros puerum probaſſe.*

66. Ut

66. *Ut ſerius ſubſequentes defatigaret.*] Cod. Salm. *Ut ſertus ſubſequentis defatigaret.*

67. *Et inquiſitor & punitor.*] Cod. Salm. *& pœnitor.*

68. *Quanta fortitudine dimicaverint.*] Cod. Salm. *dimicarint*, ut mox idem: *ſuperarunt.*

Tranſilivit in navem.] Cod. Salm & Copeſ. *tranſiluit in navem.*

70. *Decumanos.*] Cod. Salm. & Copeſ. *decimanos.*

72. *In diverſorio loco quod unum erat, ceſſerit.*] Hanc lectionem non poſſe ferri viderunt multi. Caſaubonus emendat: *diverſoriolo quod unum erat, ceſſerit.* Verum quamvis unum eſſet diverſorium, an propterea totum cedendum erat Oppio, ut Cæſar cogeretur ſub Jove cubare frigido. Urſinus, Stephanus, Torrentius tranſpoſitione medelam quæſiverunt. Ille: *In diverſorio, quod unum erat, loco ceſſerit.* Mihi videtur legendum: *divorſorio cubiculo, quod unum erat ceſſerit.* Diverſoriolum hoc deſcribit Plutarchus in Cæſare: Ἐν ὁδῷ δέ ποτε συνελασθεὶς ὑπὸ χειμῶνος εἰς ἔπαυλιν ἀνθρώπε πένητος, ὡς ἐδὲν εὗρον πλέον οἰκήματος ἑνὸς γλίσχρως ἕνα δέξασθαι δυναμένε. &c. μετὰ δὲ τῶν ἄλλων αὐτὸς ἐν τῷ προστεγίῳ τῆς θύρας ἐκάθευδεν. *Compulſus aliquando in itinere per tempeſtatem in hominis pauperis caſam, ubi nihil præter unum cubiculum reperit, quod capere vix poſſet unum*, &c. *cum ceteris ipſe ſub protecto januæ cubuit*, οἴκημα eſt *cubiculum.* Sic cellæ meretricum οἰκήματα. Pollux VII. πορνεῖα, οἰκήματα. Et cella carceris, in qua in vinculis detinebatur Petrus, οἴκημα dicitur Act. XII. Aut dele *loco*, & lege: *ut C. Oppio comitanti ſe per ſilveſtre iter correptoque ſubita valetudine, diverſorio quod unum erat, ceſſerit*, quod proxime accedit ad optimorum librorum ſcripturam. Nam nec Salmaſ. nec Copeſ. agnoſcunt particulas *& in.* Poſſes etiam legere *diverſoriolo*, ut *co* natum ſit ex ſequente ſyllaba *quo.*

73. *Hoſpitio patris ejus, ſicut conſueverat, uti perſeveravit.*] Παρόραμα Suetonii illud eſſe docere nos jampridem voluit maximus Scaliger in Animadv. Euſebianis ad Num. 1960. ejuſque ſententiæ ſubſcribit Caſaubonus. Pace tamen tantorum nominum dixero, cum argumenta eorum excuſſi, rationem nullam video, quare non potuerit uti Cæſar poſt reconciliationem cum Catullo ipſius patris hoſpitio. Argumentatur nobiliſſimus Scaliger poſt triumphos Cæſaris & poſt bellum civile confectum, epigrammata illa fuiſſe inſcripta, quod in iis mentio fiat triumphorum Cæſaris, adeoque paulo ante mortem illius, qui poſt confecta bella urbe non exceſſit, atque adeo illius hoſpitio uti non potuit. Epigramma Catulli, quo hæc tota nititur diſputatio, verba hæc habet:

Paterna primum lancinata ſunt bona,
Secunda præda Pontica, inde tertia
Hibera: quam ſcit amnis aurifer Tagus.
Hunc Galliæ timent, timent Britanniæ.

Prædarum mentio fit, non triumphorum, & quidem Ponticæ tantum & Hiberæ, cum de Galliis & de Ægypto & de Africa triumphaverit. Scriptum Catulli epigramma videtur poſt expeditionem Cæſaris Britannicam, cujus in illo mentio fit, ſed ante civile bellum. Per Ponticam prædam videtur intelligere, quidquid rapinarum ex Aſiatica expeditione & Bithynico Nicomedis contubernio corripuit. Bithyni a Geographis inter gentes Ponticas recenſentur. Hibera præda ſunt manubiæ & ſpolia ab Hiſpanis Luſitaniſque capta cum ex prætura ulteriorem Hiſpaniam ſortitus eſſet. Suet. Jul. cap. 54. *Luſitanorum quædam oppida, quamquam nec imperata detrectarent, & advenienti portas patefacerent, diripuit hoſtiliter.* Atque ita poſt ſatisfactionem Catulli Cæſar patris illius hoſpitio uti potuit. Hæc ante aliquot annos in Adverſaria conjeceram, cum in eadem ſententia eruditiſſimum Iſaacum Voſſium fuiſſe ex Animadverſionibus ejus in Catullum videre contigit. COETIER.

Sicut conſueverat, uti perſeveravit.] Cod. Salm. *ſicut perſeverat, uti perſeverat.* & correctum, *ſicut perſuerat, uti perſeveravit.* At Cod. Copeſ. *ſicut conſuerat, uti perſeveravit.* quem ſequor.

Nec ulli periſſe niſi in prælio reperiuntur.] Cod. Salmaſ. *nec ulli periſſe niſi in prælio reperientur.* bene Cod. Copeſ. *reperirentur.* idem poſt: *rebellaverunt.* Dein idem: *redire permiſerat.*

75. *Tempore extremo etiam quibus non ignoverat cunctis*, &c.] Dio lib. 41. pag. 170. τοῖς τε ἐκπεπτωκόσι κάθοδον πᾶσι, πλὴν τε Μίλωνος, ἔδωκε. *Et exſulibus omnibus, Milone excepto, reditum liberum fecit.* Quid ergo eſt quod Plutarchus in Cæſare & Appian. lib. 2. de bellis civ. referunt Tullium Cimbrum, qui primus conjuratorum Cæſarem adortus eſt, eo ſenatu, quo necatus eſt Cæſar, fruſtra a Cæſare fratris reditum petiiſſe.

76. *Sedem auream.*] Locum Dionis a Caſaubono allatum vere & eleganter emendat A. Rubenius legens: καὶ στολὴ ᾗ ποτε οἱ βασιλεῖς ἐκέχρηντο. *& toga qua olim reges utebantur.* ea fuit toga purpurea, ut ex Cicer. Philipp. 2. & Dione oſtendit lib. 1. de Re Veſt. cap. 21.

77. *Ut T. Ampius ſcribit.*] Codex Salmaſ. & Copeſ. *Ut Titus Amprius ſcribit.* ſed F. Urſinus legendum eſſe ſciſcit, *Ut Tampius ſcribit*, quia tam in V. V. C. C. quam in antiquis inſcriptionibus, itemque Tampiæ Familiæ denariis ſic dicatur Sed cum in Palat. 1. &. 2. nec non in aliis libris ſcribatur *T. Ampius*, & in priſcis monumentis commemorentur quoque T. Ampii, recte Viri docti hic nihil immutari voluerunt.

Ac ſpecie.] Notant Salmaſium legere: *ſpeciem.* Quod arridet. Legendum enim, *appellationem modo, ac ſine corpore ſpeciem.* Species enim ſunt inanes imagines quæ re vera non ſunt, ſed hominum imaginoſorum mentibus præcipue in ſomniis obverſantur,

quas Græci φαντασίας dicunt. Noſter in Calig cap. 50. *incitabatur inſomnia maxime: neque enim plus quam tribus nocturnis horis quieſcebat: ac ne his quidem placida quiete, ſed pavida miris rerum imaginibus, ut qui inter cæteras pelagi quondam ſpeciem colloquentem ſecum videre viſus ſit.* In Claud cap. 37. *Altera in admirationem formata ſibi quoque eandem ſpeciem aliquot jam noctibus obverſari retulit.* Plin. *vana ſpecies.* Feſtus in Lympha: *Quicumque ſpeciem quandam e fonte, id eſt, effigiem Nymphæ viderint, furendi non feciſſe finem.* Quod igitur Brutus moriens efflavit, non in re, ſed in verbo tantum eſſe virtutem; hoc Cæſar de republica ſenſit, eſſe tantum inane nomen, nullum corpus, nihil quod revera exiſtat, ſed vanam ſpeciem, & imaginem. Nimirum Cæſar fecit quod etiamnum faciunt ii homines, qui libertatem & rempublicam, quam tuendam clamant boni, & ſapientes ab omni memoria in cœlum tulerunt, eunt everſum. Quid enim illi fœdiſſimi adulatores aliud jactant quam pretioſiſſima illa deorum munera nihil eſſe, ſed inania tantum vocabula, quibus populo illudatur? *Hoc Priamus velit.*

79. *Candida faſcia præligatam.*] Belle Cod. Salmaſ. *candida faſcia præligata.* ut ſignificet, illum ante ſtatuam præligaſſe faſcia candida, ſeu diademate, illique diademati impoſuiſſe coronam lauream, ut ea tegeretur Mox idem: *Cæſetiuſque Flavius.*

Exhauſtaque Italia delectibus.] Cod. Salmaſ. *dilectibus.* Sic idem codex Octav. c. 31. *hos quoque dilectu habito.*

Quoniam libris fatalibus contineretur.] Salmaſ. Cod. *quoniam fatalibus detineretur.*

80. *Bonum factum, ne quis.*] Salmaſianus non inepte ſollemnem edictorum formulam repetit: *Bonum factum, bonum factum, ne quis ſenatori novo.* Hæc repetitio vim quandam addit huic libello, ut majorem riſum juxta & indignationem excitaret.

Iidem in curia.] Ex Regio & Salmaſ. emendavi, *in curiam.* ille idem Cæſar, qui Gallos in triumphum duxit, duxit eos etiam in curiam. Longe tum eſt argutior ſententia hujus verſus ex ambiguo uſu verbi *ducere.* Plane Copeſianus, *idem in curiam.*

Gallos Cæſar.] Verſus hi duo trochaici ſunt, quod pridem Turnebus 3. Adverſ. 22. annotavit: in quorum poſteriore *ſumpſerunt* penultimam brevem habet, ut *ſteterunt* apud Virgil. Cujus generis multa exempla notavit natalibus, ingenio, & doctrina nobilis Nicolaus Heinſius ad Ovid. epiſt. VII. Heroid. v. 166.

Trimeſtrique conſule.] Salmaſ. & Copeſ. *trimenſtrique conſule.*

Sepulchra vetuſtiſſima disjicerent.] Cod. Salmaſ. *ſepulchra vetuſtiſſima diſſicerent.*

81. *Tabula ænea in monumento, in quo, &c.*] Quod hic tabulam æneam Suetonius, id juvencam æneam fuiſſe Servius vult ad I. Æn. v. 35. *Nam his temporibus quibus Cæſar occidi habuit, Capuæ juvenca ænea dicitur inſcriptum fuiſſe, iiſdem temporibus unum de genere conditoris periturum.* In libello Scauri de Orthographia mentio fit fœderis Græciæ quod *camelo æreo* inciſum erat. Puto tamen apud Servium leviſſima mutatione reſtitui poſſe *inventa ænea.* Similem autem huic locum vide apud Strabonem lib. 8. pag. 381. de colonis a C. Julio Cæſare Corinthum deductis. COETIER.

Fore ut Julio prognatus.] Forte: *foro ut Ilio prognatus.* Salmaſ.

Rubiconi flumini conſecrarat.] Sic lege ex Mss. & edd. quibus accedit optimus Salmaſianus, probante Turnebo & Caſaubono. Fluvii inter Deos referebantur.

82. *Alter Caſſius adverſum.*] Codex Salmaſ. *alter e Caſſiis averſum*, quod rectum eſt. Sic & ſuperius legendum videtur: *Marcoque & Decimo Brutis.* ut in Aug. cap. 100. *Duobus Sextis Pompejo & Appulejo Coſs.* Notat Gruterus ſervare & hanc ſcripturam ſuos tres Palatinos, adeo ut nihil debeat mutari, neque hic, neque mox infra. *Averſum* eſt etiam in Copeſiano.

Sine ulla noxa.] Gruterus ex tribus codicibus Palatinis & editionibus veteribus reſtituit: *ſine ulla ſua noxa.* ſed illud eſt rotundius, & *ſua* in antiquis codicibus aliis non legitur.

Καὶ σὺ ἐκείνων, καὶ σὺ τέκνον.] Codex. Salmaſ. & Rob. Steph. cum nonnullis aliis καὶ σὺ τέκνον, omiſſis tribus verbis prioribus.

84. *Men'me ſervaſſe.*] Cod. Salmaſ. & Copeſ. *Men' ſervaſſe.* Dein idem: *Acili* pro *Attilii.* Harlem. *Acilii.* Sic idem codex in Aug. pro *Atia* ſcribit *Accia.*

Ex Electra Attilii.] Repoſuimus omnium veterum codicum lectionem, quam male mutat Caſaubonus, ut docet Reineſius ex Ciceronis l. de finibus, qui teſtatur Electram ab Attilio e Sophocle verſam eſſe. Ei M. Attilio quartum inter Comicos locum dedit Volc. Sedigitus l. de poëtis apud Gell. XV. 24. Ejuſdem meminit Varro VI. de L. L. & lib. V. apud Chariſium extrem. lib. 2. vide REINES. Var. Lect. III. cap. 3. p. 379.

Quicquid præterea ad donum aderat.] Quamvis tueantur hanc lectionem viri ſummi Torrentius & Caſaubonus, mihi tamen videtur eſſe depravata. Nam qui munera rogo inferenda portabant, non erant in foro, ſed variis viis in campum Martium erant egreſſi, ubi rogus erat exſtructus. Hinc ex antiquorum codicum veſtigiis colligo Suetonium ſcripſiſſe: *quicquid præterea idoneum aderat*, ſcilicet fovendo & alendo igni, quo cadaver Julii combureretur.

86. *Cum gladiis ſectantium ſe.*] Cod. Salmaſ. *cum gladiis inſpectantium ſe.* Quanta varietas ſit in priſcis membranis, notatum eſt ſuperius. Forte legendum *ſtipantium ſe.*

Alii

Alii e diverſo opinantur, inſidias undique imminentes ſubire ſemel confeſſum ſatius eſſe, quam cavere ſemper.] In his ὕπουλον ulcus. *Confeſſum* equidem nullius hic eſt ſententiæ. Quis enim ſanus diceret, *quidam opinantur illum confeſſum eſſe.* Sed dicendum fuiſſet, quidam narrant illum confeſſum eſſe. Cave putes hic accipi *opinari* pro loqui, ut alibi cum dixit *male de illo opinatos.* Sed quid tricamur. Cum in duobus Mss. *confeſſum* non repererit Torrentius, nec exſtet in Copeſiano, & in iiſdem ſit *opinatum*, nullus dubito cum Torrentio reſcribere, non probata tamen ejus interpunctione: *Alii e diverſo opinatum, inſidias undique imminentes ſubire ſemel ſatius eſſe, quam cavere ſemper.* Subaudiendum autem ex præcedentibus: Alii putant Cæſarem opinatum, ſive in illa fuiſſe opinione.

Perſuaſione vulgi.] Cod. Salmaſ. *perſuaſione volgi.*

D. OCTAV. CÆSAR AUGUSTUS.

1. *Ara Octavio conſecrata.*] Malit Gujetus, *ab Octavio conſecrata.* Sed ne credas. vide quæ ſupra notavi ad Julii cap. 19.

Ab auctu, vel ab avium geſtu, guſtuve.] Vere Gujetus cenſuit hæc eſſe inſititia. Nihil enim his vocibus, quæ videntur ex Paullo, qui Feſtum contraxit dicam an corrupit, huc adducta, inſulſius & Suetonio indignius. Recte dixit loca augurio conſecrata dici auguſta, & ſic dicta ſunt ab *augure* a quo conſecrantur. Ut enim ab *honor honeſtus*, a *major majeſtas*, hic ab *augur*, *auguſtus.* Omnia divina, etſi non augurato conſecrata, dicta ſunt auguſta.

2. *Inter Romanas gentes allecta, in ſenatum mox a Ser. Tullio in patricias transducta.*] Sic cum Ms. Abbatis Gandenſis, tribus Palatinis, multiſque aliis Codicibus diſtinguendum. A Tarquinio jure civitatis fuit donata gens Octavia, a Serv. Tullio inter patricias in ſenatorium album ſcripta. Tum temporis enim nulli ſenatores erant niſi patricii. Mallem vero *in patriciis*, hoc eſt, inter patricias. Cornel. Nep. Miltiad. *Domi autem creati decem prætores, qui excercitui præeſſent. in eis Miltiades.* Cæſar. III de bello civili cap. 37. *Noſtri cognitis inſidiis duas nacti hoſtium turmas exceperunt. In his fuit M. Opimius.*

Magno intervallo per D. Julium.] Codex Salmaſ. *magno inter Divum Julium.* Sic quoque codex Pithoei, qui id non temere reſpuendum judicat, cum veteres ſæpe *magno* abſolute dixerint. Palat. tert. & nonnulli alii *magna vi.* Sed vulgata lectio non videtur ſollicitanda.

3. *Et re & exiſtimatione magna fuit.*] Sic Copeſianus, & Caſaub. ed. vulgati *æſtimatione.*

4. *Morte obiit repentina.*] Bene Salmaſ. Cod. *mortem obiit repentinam.* ſic idem codex inferius cap. 13. hujus vitæ: *voluntariam occubuiſſet necem*, pro vulgatis: *voluntaria occubuiſſet nece.*

Profiteri ſe candidatum.] Sic recte Robertus Stephanus & Gruterus ediderunt ex Urſini & Caſauboni codicibus. male alii libri & editiones *confiteri.*

Materna tibi farina, ſiquidem ex crudiſſimo Ariciæ piſtrino.] Notat Torrentius in multis antiquis libris non reperiri *ſiquidem*, nec in Rob. Steph. ed. conſpicitur. legendum ex Codice Salmaſ. *materna tibi farina eſt ex crudiſſimo Ariciæ piſtrino.*

Ex crudiſſimo Ariciæ piſtrino.] Non hoc ad crudelitatem piſtoris in ſervos piſtrienſes referendum, ut viro doctiſſimo viſum; ſed recte Marcellus Donatus *crudiſſimum* recentiſſimum exponit. Hæc enim ſententia eſt: mater tua piſtoris filia eſt, quam duxit ex recentiſſimo piſtrino pater tuus collybiſta. Sic *crudum ſervitium* apud Tacitum eſt recens cui nondum ſunt adſueti. Ceterum Palatini quoque tres pro *ſiquidem*, habent *ſi.* Sed utrumque delendum. In Salmaſ. neutrum habetur.

4. *C. Lectorius.*] Salmaſ. cod. *C. Lætorius.*

5. *M. Tullio Cicerone & Antonio Coſſ.*] Rectius Salmaſ. cod. *M Tullio Cicerone, C. Antonio Coſſ.* adſtipulante Copeſiano.

7. *In regione Thurina.*] Salm. *regione Thurina.*

Et ipſe nihil amplius quam mirari ſe reſcribit.] Cod. Salmaſ. *& ipſi nihil amplius q. m. ſ. r.* Mox idem: *ſibi prius nomen obici.*

Prævaluiſſet.] Salmaſ. & Copeſ. *prævaluiſſe* optime. Et cap. ſeq. pro *Hiſpanias*, idem *Spanias.*

8. *Annum agens duodecimum.*] Legendum eſſe *decimum* contendunt viri doctiſſimi, & cum in vivis eſſent, mihi amici, Ferrarius in lib. II. de Re Veſtiar. c. I. & Valeſius ad excerpta Polybii, & Nicolai Damaſceni, quæ ex Peireſciana Bibliotheca edidit. Inprimis patere hoc putant clariſſime ex Nicolai verbis, qui de hac ipſa Auguſti educatione hæc prodidit: Κατέβαινε δὲ εἰς τὴν ἀγορὰν περὶ ἔτη μάλιστα γεγονὼς τεσσαρεσκαίδεκα, ὥστε ἀποθέσθαι μὲν αὐτὸν ἤδη τὴν περιπόρφυρον ἐσθῆτα, ἀναλαβεῖν δὲ τὴν καθαρὰν, σύμβολον οὖσαν τῆς εἰς ἄνδρας ἐγγραφῆς. hæc ſic interpretatur Valeſius: *Inde annos circiter quatuordecim natus in forum deſcendit poſita prætexta togam puram indutus, quod virilis tirocinii argumentum eſt.* Unde colligit Suetonium ſcripſiſſe x *annum*, idque probat quoque loco Servii, qui ad VII. Æn. notat, tirones anno 14. exeunte togam virilem ſumſiſſe, quintodecimo armis ſe exercuiſſe in campo Martio, ſexto decimo exeunte ſtipendia mereri incepiſſe. At Eminentiſſimus Noriſius in Cenotaphia Piſana, diſſertatione ſecunda, tuetur ſcripturam quæ in editis ſervatur, & Damaſcenum erraſſe cenſet, idque probat ex ipſo Damaſceno. Scribere enim Nicolaum togam puram depoſita prætexta ſumſiſſe Auguſtum eadem die, qua Pontifex creatus fuerit in locum L. Domitii,

mitii, qui e vivis exceſſerit. At L. Domitium Pontificem periiſſe in acie Pharſalica anno 706. adulta æſtate, id quod ex Lucani lib. 7. patet. At cum Auguſtus natus eſſet A. V. 691. die 23. Septembris, A. V. 706. præcipiti æſtate occubuerit Domitius, in cujus locum cum Auguſtus Pontifex creatus fuerit eo ipſo die, quo virilem togam induerit, ſub initium anni vitæ 16. conſtare Suetonio fidem, ſolideque firmari annum 16. eſſe togæ virilis ſumendæ tempus quod multis ſtabilit in illa doctiſſima diſſertatione.

Inde in Parthos.] Salm. *inde Parthos.*

9. *Sigillatim.*] Cod. Salm. *ſingillatim.*

Secundum adverſum Brutum.] Cod. Salm. & Copeſ. *adverſus*, & ita ſemper in hoc capite pro *adverſum*, & paullo ante idem: *e quibus* pro *ex quibus.*

10. *Quia præviſum periculum.*] Cod. Salm. & Rob. Steph. *quia proviſum periculum.*

Candidatum ſe oſtendit.] Harlem. codex ut multi alii, *candidatum petitorem ſe oſtendit.* Torrentius exiſtimat ex margine irrepſiſſe *petitorem*, ſed ego potius putem *candidatum*, tanquam interpretationem vocis minus tritæ, ut ſuperius ad Julium docuimus, irrepſiſſe. quamvis utramque vocem, quam quidam libri præ ſe ferunt, potuit uſurpaſſe Suetonius, ut integra ſit locutio, cum candidatus conciſe per ellipſim dicatur, petitor candidatus. Hoc non infrequenter alibi facit, ut viri docti monuerunt. Vide Gronovii Obſervat. II. 25. ubi hunc locum aſſeruit.

Subiiſſe.] Cod Salm. & Copeſ. *ſubiſſe.*

12. *Conſentire pro patribus.*] Recte Steph. ed. codiceſque meliores: *conſentire pro partibus*, quod dudum viris doctis probatum & recte explicatum cur reſpuerunt recentiores editores? Auguſtus ab optimatibus ad partes ſeu factionem, quæ duce Antonio, quo cum ſe Lepidus junxerat, contra rempublicam coierat, tranſierat.

13. *Nec ſucceſſum.*] Viterbienſi codici accedunt tres Palatini, ſcribentes: *Nec ſucceſſu.* quod rectum puto. Nec, inquit, cum feliciter ei ſuccederet, moderate victoria eſt uſus, ſed inſolenter & crudeliter ſe geſſit. *Succeſſu* ut ſuperius *mandatu* in Jul. c. 7. *Cum mandatu prætoris jure dicundo conventus circumiret.* Et cap. præced. *Tribunatu militum, qui primus Romam reverſo per ſuffragia populi honor obtigit, auctores reſtituendæ tribunitiæ poteſtatis, &c. enixiſſime juvit?* Inf. c. 17. hujus vitæ: *Aſia Syriaque circuitu Ægyptum petit.* cap. 43. *Sed & Trojæ ludum edidit frequentiſſime, majorum minorumve delectu, priſci decorique moris exſtimans, claræ ſtirpis indolem ſic noteſcere.* cap. 44. *Conſeſſu frequenti.* cap. 57. *Equites Romani natalem ejus ſponte atque conſenſu, biduo ſemper celebrarunt.* Tib. 11. *Nihil aliud ſeceſſu devitaſſe ſe.* Veſpaſ. 2. *Tribunatu militum in Thracia meruit.* hoc eſt, cum tribunus militum eſſet. quæ lectio non eſt vexanda. Cic. 1. de orat. c. 1. *Si infinitus forenſium rerum labor & ambitionis occupatio decurſu honorum, etiam ætatis flexu conſtitiſſet.* Paullo poſt: *Conſulatu devenimus in medium rerum omnium certamen atque diſcrimen.* Idem IX. ad Att. ep. 10. *Quem φιλόπατριν ac πολιτικὸν hominis prudentis & amici, tali admonitu, non moveret auctoritas.* plures hujus generis locutiones minus nunc uſitatas apud noſtrum & alios facile reperias.

Reſpondiſſe dicatur.] Cod. Salm. *reſpondiſſe dicitur.* Statim idem: *jam iſtam volucrum fore poteſtatem*, ut bene Turnebus, applaudentibus Caſaubono & Gronovio ultima littera in *iſtam* repetita tranſiit in τὸ *in.* Paullo ante cod. Harlem. *ſtatuæ Cæſaris ſubmitteretur*, ut multi Mss. & editi ante Caſaubonum.

15. *Cum patre, qui ſe obtulerat, occiſo filius quoque voluntaria occubuiſſet nece.*] Melius Salmaſ. & Palatini codices: *Cum patre, quia ſe obtulerat, occiſo, filius quoque voluntariam occubuiſſet necem.* Statim idem: *quare ceteri, in his M. Favonius*, omiſſa copula.

Vel dimicare.] Firmant τὸ *micare* codex Salmaſii & manus prima codicis primi Palatini. quod immerito reſpuerunt editores. Vult enim, ut aut alio ſortis genere, aut micatione digitorum vitam alteruter redimat.

Compecto eum ad arma.] Cod. Copeſ. *conſulto eum ad arma.* Sed margini pro varia lectione adſcriptum, *conſpecto eum ad arma*, ut & Salmaſ. *Compecto* eſt de compacto.

16. *Eum adſpicere.*] Salm. & Copeſ. *eum aſpicere.* ſic & fere Mss.

Item cum præter Locros] Salmaſ. quoque Cod. & Rob. Steph. *iterum cum præter Locros.*

In conſpectum fuiſſe.] Hanc lectionem firmant duo codices Palatini, teſte Grutero. Sed codex Salmaſii, Copeſ. & Harlemenſis *in conſpectum veniſſe.*

Simulacrum dei detraxerit.] Codex Salmaſii, *deinde traxerit.*

Cum partem reliquam copiarum continenti repeteret.] Codex Urſinianus, editio Roberti Stephani, probante Urſino & Caſaubono: *Cum ad partem copiarum continentem repeteret.* Sed pro vulgata ſtant Salmaſ. & Copeſ. codd. eamque tuetur J. Fr. Gronovius ad Senecam Tragicum. Sane vulgatæ longe præſtat.

Servus Æmilii Paulli, comitis ejus, dolens proſcriptum olim ab eo patrem Paullum.] Non fuiſſe patrem Æmilii Pauli proſcriptum illum Æmilium, cujus nomen in proſcriptorum album fuerit relatum, ut ſuſpicatur Caſaubonus, inde conficit doctiſſimus Perizonius in animadverſ. Hiſtoric. c. 5. quia tum nulli fuerint Æmilii Paulli, præter Paullum Lepidum, & ejus patrem Conſularem, cui id nomen non hereditarium, neque commune cum quoque fuerit, ſed impoſitum a patre ad renovandam memoriam L. Paulli illius Macedonici, qui ultimus fuerit

ſit iſtius nominis in illa gente. Æmilios vero fuiſſe plures. Sic L. Æmilium Bucam inveniri in numis Quatuor-virum ſub Cæſare Dictatore, & apud Appianum lib. v. Ἐμφυλ. Plures illorum temporum Æmilios ibi Perizonius recenſet, ac talem etiam fuiſſe putat Æmilium ab Appiano inter proſcriptos & occiſos relatum. Sed hic apud Suetonium per Æmilium Paullum, non alium poſſe intelligi, quam qui affinitate Cæſaris & honorum dignitate unus ex Æmilia gente tunc maxime floruerit Paullus Lepidus, de quo multis ibidem agit, & multis ſuam adſtruit ſententiam.

Male focillatam.] Salmaſ. & Copeſ. *male focilatam.*

17. *Cum Samum inſulam.*] Non Palatini tantum, ſed nec Salmaſ. cod. nec Copeſ. nec Rob. Steph. agnoſcunt, *inſulam.* Salmaſianus etiam non habet, *militum.* Ex quo hic locus ſic ſcribendus: *Ab Actio cum Samum in hiberna ſe recepiſſet, turbatùs nunciis de ſeditione præmia & miſſionem poſcentium.* Pannos male adſutos recidimus. Mox idem: Cod. Salmaſ. *promuntorium* ſcribit & *utrubique*, ut Pandectæ Florentini.

Majorem de duobus Fulvia genitis.] Cod. Salmaſ. *majorem duobus Fulvia genitis.*

Quem ex Cæſare Cleopatra.] Codex Salmaſ. & Copeſ. cum vulgatis, *quem ex Cæſare patre.*

18. *Floribus aſperſis.*] Cod. Salm. *floribus aſperſus.* Harlem. & al. *aſperſum.* poſt Salmaſ. *Apollonis* pro *Apollinis*, & ſic ſemper.

19. *M. Egnatii.*] Cod. Salm. *M. Genaiti.* Harlem. *M. Genatii.* Mox idem *Plauti*, *Audaſi*, *Aſini*, pro *Plautii*, *Audaſii*, *Aſinii.* dein: *deſtinarant.* Sic & cap. 32. *collegi novi*, pro *collegii novi.*

20. *Dalmaticum.*] *Delmaticum* & *Delmatia*, pro *Dalmaticum* & *Dalmatia* idem codex ſemper, ut multi alii: vide quæ notantur ad Claud. c. 13. ſic & in numis antiquis ſemper ſcribitur *Delmatius Cæſar*, non *Dalmatius.*

Altera autem & crus.] Cod. Salm. & Copeſ. ut Pall. *altera & crus.* Mox idem: *Mediolaneum* pro *Mediolanum.*

21. *Ubios & Sicambros.*] Sic cum Grutero edidi ex codicibus Urſini, & Pithœi. Salmaſianus, æque ut Pithœi legit *Suebos.*

Graviore unquam multatus eſt pœna.] Salmaſ. Cod. & optimi quique: *graviore unquam ultus eſt pœna*, ut apud Terent. *Ego te pro iſtis dictis & factis, ſcelus, ulciſcar, ut ne impune nos illuſeris.* Tralaticium eſt *ulciſci* pro punire. Mox idem: *triumphos tris egit*, & cap. 32. *ad tris judicum decurias.* ut alibi ſæpius. ſic in eod. cod. *in quis*, pro *in queis.* cap. 36. vide quæ notamus ad. 1. ep. Cic. ad Fam. lib. 1.

23. *Reſpublica in meliorem.*] Hanc lectionem librorum Memmiani, & Pithœi confirmat codex Salmaſii & tres Palatini, quos merito cum Grutero ſequimur. vulgo, *rempublicam.*

Adeo namque conſternatum ferunt.] Lege ex Salmaſ. *adeo denique conſternatum ferunt.* Ignoratio ſignificationis elegantioris τοῦ *denique* hujus loci veram ſcripturam perdidit in vulgatis. *Denique* enim Latinis eſt, ut paucis dicam, ex quibus intelligi poſſunt reliqua. Flor. 1. 16. *Omnium non modo Italia, ſed toto orbe terrarum pulcherrima Campaniæ plaga eſt. Nihil mollius cœlo. Denique bis floribus vernat.* Juſtin. IX. 4. *Hujus victoriæ callida diſſimulata lætitia eſt. Denique non ſolita ſacra Philippus illa die fecit: non in convivio riſit, non ludos inter epulas adhibuit.* plura notavi ad Ciceronem. videndæ quoque viri doctiſſimi, & perelegantis ingenii Joh. Schultingii τοῦ μακαρίτου, notæ ad XI. declam. Calpurnii.

24. *Diſciplinam ſeveriſſime rexit.*] Recte tuetur hanc lectionem Caſaubonus contra Urſinum. Sic & ſuperius locutus eſt in Cæſare cap. 48. *domeſticam diſciplinam in parvis ac majoribus rebus diligenter adeo ſevereque rexit.*

Statione deſerta itidem.] Lipſius hæc accepit de deſertoribus ordinum, cum intelligat excubiarum deſertores. Capitale autem erat ſtationes deſerere.

25. *Commilitones appellabat.*] Cod. Salm. *appellat.* forte *appellavit.*

Et quicquid auro argentoque.] Sic editio Romana, probante Caſaubono.

27. *T. Vinium.*] Sic Cod. Salmaſ. vulgg. *T. Junium.*

Tantis perterruit minis.] Cod. Salm. *tantis conterruit minis.* Idem cum multis aliis: *tabellas duplices*, pro vulgato *tabulas.* Dein idem: *Oculos ejus ſua manu effuſos.*

29. *Addita porticus.*] Salm. Cod. *addidit.*

Fulgur perſtrinxiſſet.] Salmaſ. Cod. *fulgur præſtrinxiſſet.*

30. *E plebe cujuſque viciniæ lecti.*] Cod. Salmaſ. *e cujuſque vicinia electi.* legendum ut edidimus.

Prolapſionibus.] Ms. Salmaſii: *prolationibus.* quod non improbaverim. Intelligit enim moles in Tiberim jactas ad proferenda domuum ſpatia, de quibus veteres ſcriptores non nunquam queruntur.

Utpote qui in cellam Capitolini Jovis.] Cod. Salmaſ. & Copeſ. *ut qui in cellam Capitolini Jovis.*

31. *Inſequentium ætatum.*] Cod. Salm. *inſequentium ætatium.*

Compitales Lares ornare bis anno inſtituit.] Longe rectius vetus codex Urſini, & editio Rob. Steph. *Compitalitiis lares ornari bis anno inſtituit.* idque rectius. Nam cum narraſſet, quid in ſæcularibus ludis Auguſtus inſtituiſſet, ſubjicit ea quoque quæ in Compitalitiis celebrandis præceperit obſervari.

Exigerentur.] Non eſt requirerentur, ut vir doctus exponit, ſed probarentur, examinarentur. Proprie exigere eſt libra, ſeu trutina examinare. Noſter in Cæſ. c. XLVII. *Gemmarum pondus ſua manu exegiſſe.*

Hinc

Hinc examen, quaſi exagimen, libræ lingua qua explorantur pondera, & inde ipſa exploratio. Seneca ex emendatione Lipſii: *Principatus tuus ad anni guſtum exigitur.* Liv. *Nolite ad veſtras leges & inſtituta exigere, quæ Lacedæmoniorum ſunt.*

Theatri ejus regiam.] Sic & regia theatri Marcelli apud Aſcon. in Orat. Cic. pro Scauro: *In hujus domus atrio fuerunt quatuor columnæ marmoreæ, inſignis magnitudine, quæ nunc eſſe in regia theatri Marcelli dicuntur.*

32. *Igitur graſſatores, diſpoſitis.*] Cod. Salmaſ. *Igitur graſſatur ad diſpoſitis.* Unde Salmaſius conjiciebat legendum, *Igitur graſſaturas diſpoſitis.*

Triginta amplius dies.] Perperam princeps J. Ctorum J. Cujacius I. Obſervat. cap. 18. eumque ſecuti alii præſtantes viri hunc locum accommodant legi III. §. ult. De accuſationibus: in qua de XXX. diebus repetendo reo conſtitutis agitur, quaſi ii ab Auguſto inſtituti ſint, idque hoc loco a Suetonio doceretur: cum id ſolum tradatur, Auguſtum & litium, propter quas & novum forum fuerat exſtruendum, & feriarum, quibus nulla experiundi juris poteſtas erat, multitudine permotum XXX. dies detraxiſſe ludis, qui edebantur ab iis, qui ad honores & magiſtratus fuerant evecti, & adjeciſſe diebus faſtis, ita ut XXX. dies, qui antea nefaſti fuerant, & addicti ludis honorariis, nunc faſti facti impenderentur rebus agendis.

Ducenariorum.] Cur ducenarii dicti ſint, dudum docuerunt Viri docti. Appellatos autem eſſe illos judices ducenarios eadem ratione, qua centenarii appellentur liberti in lege Papia, nimirum a cenſu centum milium HS. plane aſſentior doctiſſimo & amiciſſimo Perizonio. Quia ducenarii erant lecti ex hominibus inferioris cenſus, qui tantum ducena ſeſtertia poſſidebant, non, ut ceteri quadringena, ideo de levioribus quoque ſummis tantum judicarunt. Propter hanc cauſſam Paullum Samoſatenum, Antiochiæ Epiſcopum maluiſſe dici ducenarium, teſte Euſeb. Hiſt. Eccleſ. VII. 27. quam Epiſcopum, quia & ipſe adſcriptus erat albo judicum illius urbis, qui lites dirimebant, recte ſentit χαριέστατος Harduinus ad Plin. 33. c. 1. Nec diſſentio in inſcriptione antiqua CC. EPISCEPSEOS. CHORÆ. INFERIORIS. recte illum exponere *ducenarium epiſcepſeos choræ inferioris*, hoc eſt, Ægypti inferioris circa Alexandriam, ut idem recte docuit in numis antiquis illuſtratis; ſed hunc ducenarium cum maluit ad Plinium fuiſſe illius diœceſeos judicem, quam ut in numis ſentit, procuratorem, qui reditus Imperatorios illius tractus curabat, cauſſæ cur credam nihil video. Nam illi procuratores ducenarii dicebantur, ut docet ipſe Suetonius in Claud. 24. ubi videndum, quid docti notarint. Ceterum cum ex Juvenalis Scholiaſte hic Caſaubonus animadvertit, fuiſſe decuriam judicum quæſtoriam, quam Sarmentus emerit, labitur, & aliquid humani paſſus eſt. Nam per decuriam quæſtoriam non intelligitur apud Scholiaſtem, decuria judicum, ſed decuria ſcribarum quæſtoriorum. Nam & accenſi, & apparitores, & ſcribæ in decurias dividebantur, quarum crebra mentio in antiquis inſcriptionibus. vide quæ Thomas Reineſius notavit in corpore inſcriptionum quod confecit. Deprehendit hoc παρόραμα Caſauboni quoque dudum H Valeſius ad Ammianum Marcellinum.

Quartam addixit.] V. C. Urſini: *addidit*: ut & Torrentius ex conjectura emendat. Nec dubitem ſic legendum eſſe.

33. *Prætori delegavit urbano.*] Cod. Salm. *delegebat urbano.* lege: *delegabat urbi*, ut recte Caſaubonus.

35. *Orcinos.*] Cod. Salm. *Orcivos.*

36. *Quæſtura functi.*] Cod. Salm. *quæſturam functi.* idem: *conſuerant.*

37. *Præfecturam urbis.*] Miror Torrentium affirmare præfecturam urbis non eſſe ab Auguſto inſtitutam, ſed tantum auctam, cum utique plane nova fuerit poteſtas, quamvis nomen antiquum. ideo & Meſſalla ſe ea abdicavit, quod incivilem eſſe judicaret, ut Euſebius notavit, hoc eſt, majorem, quam civem deceret, ut Tacitus: *Jam quidem inviſus, quod pluſquam civilia agitaret.* hoc eſt, incivilia. Non audiendus Vir Illuſtris, qui in Euſebio corrigit: *cum imbecillem ſeſe poteſtati conteſtaretur.* Fuit hic magiſtratus inſtitutus ab Auguſto conſilio Mæcenatis, ut videre eſt apud Dionem lib. 52. & longe diverſus ab antiquis illis præfectis, qui ſub Regibus olim & primis Coſs. ad tempus conſtituebantur. Illi abſentibus magiſtratibus remp. adminiſtrabant, hi præſentibus etiam Coſs. & Imperatoribus commiſſæ ſibi functioni præerant. Alia prætermitto. Satis enim pervulgata ſunt. vide Tacit. VI. ann. c. 11.

Quotieſcunque opus eſſet.] Cod. Salm. *quotienſque opus eſſet.*

38. *Protinus virilem togam.*] Cod. Salm. cum aliis: *protinus virili toga.* Rob. Steph. *protinus virili togæ latum clavum inducere*, ut codices duo Torrent.

Protinus virilem togam, latum clavum inducere.] Puto certam eſſe correctionem Caſauboni, quam & Rubenius probavit, *protinus a virili toga latum clavum induere.* ſtatim poſt virilem togam liberis ſenatorum, qui ſcilicet non erant patricii, permiſit tunicam laticlaviam induere. Nam *protinus*, quod quidem eſt continue, non ita intelligendum eſt, quaſi ipſo die tyrocinii, ſumenda quoque fuiſſet tunica laticlavia, tum enim rectam ſumebant, non negante ipſo Ferrario, ſed ſtatim, aut non longe poſt, &, ſi liberet, ſequente die. Patriciorum autem filios, latum clavum geſtaſſe ante togam virilem in prætexta nihil mihi videtur liquidius eſſe. Si die tyrocinii tunicam rectam boni ominis cauſſa induebant, unde Auguſto virilem togam induenti tunica

laticlavia, quæ ad pedes illius decidebat. Habuit ergo die tyrocinii tunicam laticlaviam. Sed illa die recta erat ſumenda. Itaque tunicam illam laticlaviam ante habuit, eaque indutus venit in forum, ſed antequam exueretur, reſuta ab utroque humero decidit ad ejus pedes. Ergo latum clavum geſtavit prætextatus, & ante diem virilis togæ, & quidem quia jam ante in patricios erat a Cæſare allectus. Nec eſt quod nos moveat Dio Caſſius, qui ſcribit propter hoc omen tunicæ laticlaviæ, quæ ad pedes deciderat, Julium retuliſſe Octavium in patricios. Nam Dionem quoties non calculi modo, ſed ipſa ratio fefellerit in rebus Romanis, viri docti infinitis exemplis docuerunt. Conſulatur vel una Corradi quæſtura Ciceronis. Præterea non eſt veroſimile, hoc quaſi fauſto prodigio permotum Cæſarem ad Octavium adſcribendum patriciis, quia nihil tribuebat Julius ominibus, auguriis, & auſpiciis, ut in ejus vita prodidit Tranquillus. Præterea locus Statii in Protreptico ad Criſpinum tantopere firmat hanc ſententiam Rubenii, ut nihil fieri poſſit liquidius. Per Tyrios ſinus nihil poteſt intelligi niſi prætexta, non vero, ut interpretatur Ferrarius, tunica ad pectus, ſive in ſinu lato clavo inſignis. Quis enim unquam ſinum tribuit tunicæ? Togæ ſinus habebant. Ovid.

Nec toga ſit laxo conſpicienda ſinu.

Sinus enim ſunt proprii togæ æque ut umbo ac balteus.] *Tyrius ſinus* per ſynecdochen eſt prætexta toga, ut apud Perſium *candidus umbo* eſt toga pura, ut recte hoc vidit Rubenius. Non poſſunt igitur verba illa Statii, ad Criſpinum,

Sic te, clare puer, genitum tibi curia ſenſit,
Primaque patritia clauſit veſtigia luna.
Mox Tyrios ex more ſinus, tunicamque potentem
Agnovere humeri.

aliter explicari quam hoc modo: Tu natus es in ſpem ſenatoriæ dignitatis, itaque infanti ſtatim inductus eſt patricius lunatus calceus, dein prætexta nec non tunica laticlavia es indutus. Vides igitur Rubenii opinionem oppugnari fruſtra in hoc capite a Ferrario, quod & in pluribus aliis Analectorum ſuorum capitibus fecit. Ferrarii vivi doctrinam & amicitiam magni feci, mortuique memoriam ſemper colam. Hoc tamen pace manium ejus dixerim, in Analectis illis contra Rubenium calidius ſæpe ſuas ſententias illum defendiſſe, & Rubenii opiniones impetiiſſe, quam validius. Non tamen inficior in nonnullis Ferrarium rectius ſentire. Sed cogitandum erat Alberti Rubenii de lato clavo libros poſtumum opus eſſe & quaſi inchoatum, ex infinitis & incompoſitis ſcidis poſt ejus fata collectum a me, cum fere adoleſcens eſſem. Longe perfectius id futurum fuiſſe, ſi ipſe id per ætatem & negotia potuiſſet elimare.

Reddendi ejus gratiam fecit] Hoc eſt, poteſtatem, facultatem dedit, conceſſit reddere. Nam & ſic *gratiam facere* uſurpatur. Plaut. in Caſina A. II. ſc. 6. v. 20. *de iſthac Caſina huic noſtro villico gratiam facias:* Sic & alibi Plautus. ut non opus hic ſit cum viro magno reſcribere: *retinendi equi gratiam fecit.* ſed hoc, ni fallor, & alii jam ante obſervarunt.

39. *Atque ex improbatis.*] Cod. Salm. *atque in exprobatis.*

Si deeſſent candidati, ſenatores ex equitibus Romanis creavit.] Salmaſius ſic putat diſtinguendum: *Si deeſſent candidati ſenatores, ex equitibus Romanis creavit.*

40. *Populi recenſum vicatim egit.*] Cod. Salmaſ. *Populi R. cenſum vicatim egit.* Harlem. *Romani populi cenſum v. e.* Salmaſ. ſtatim: *ab negotiis vocaretur.* dein *quaternum menſuum* pro menſium, notante Salmaſio. idem dein: *tribubus ſuis. & civitates Romanas.*

En, ait, Romanos rerum dominos, gentemque togatam. Negotium.] In Copeſiano codice ſic rectius legitur & diſtinguitur hic locus: *En*

Romanos rerum dominos gentemque togatam:
negotium ædilibus dedit.

41. *Fœnore diminuto.*] Cod. Salm. *deminuto.*

Pro octingentorum milium ſumma duodecies HS. taxavit.] Diſſenſus Dionis & Suetonii recte componi poteſt, ſi ſequamur eximium illum noſtrum amicum Perizonium, qui in diſſertatione de lege Voconia oſtendit, ſenatorium cenſum octingentorum milium fuiſſe ante Auguſti imperium, qui eum redegerit primum ad quadringenta milia, quia teſte Dione, multi erant per bella nimirum civilia ſpoliati paternis bonis; poſtea vero ad decies centena milia perduxerit, poſtremo etiam ad duodecies. Poſuiſſe Suetonium ait cenſum ſenatorum, quem Auguſtus inveniſſet ad remp. accedens, & quem moriens reliquiſſet; at Dionem, quomodo ab Auguſto primum conſtitutus poſt bellum civile, & dein prima vice ampliatus fuerit. De duodecies HS. nihil quidem diſerte Dionem tradere, ſed tamen ex eo ipſo non male forſan colligi, ea tandem ſumma taxatum fuiſſe cenſum ſenatorium ab Auguſto, quia tradat lib. 55. Auguſtum multis adoleſcentibus ſenatorii & equeſtris generis, non ſua culpa redactis ad paupertatem, conſtitutum cenſum ſuppleſſe, octoginta autem ex iis uſque ad XII. HS. auxiſſe. Qui locus declarare videatur Auguſtum jam tunc in animo habuiſſe hanc ſummam præfinire tandem cenſui ampliſſimi Ordinis, vel certe illud Auguſti factum Suetonio errandi cauſſam præbuiſſe, ut, cum animo ejus obverſaretur Auguſtum tot ſenatoriis adoleſcentibus cenſum ſuppleviſſe ad duodecies HS. eamque ſummam certo ſciret poſt illum Imperatorem fuiſſe propriam cenſui ſenatorum, ex eo exiſtimarit, id tunc ab illo fuiſſe conſtitutum.

Quadragenos.] Cod. Salm. *quadringenos.* ſic & Rob. Steph. nec dubitandum, quin ſic legendum ſit.

43. *Trojæ ludum.*] Cod. Salm. & Copeſ. *Trojæ*

 luſum.

luſum. paullo poſt idem & Salm. *Aſernini nepotis.* Harlem. *Aſſevirini nepotis.* ſtatim iidem codices, *crus fregerat.* dein uterque, *adoleſcentem Lycium*, pro *Lucium.*

Si quando quid inviſitatum.] Sic recte codex Salmaſii, vulgo *inuſitatum*, ut & apud Liv. XXVII. 39. *Inviſitati namque antea alienigenis* Gronovius ex Putaneo & optimis codicibus, & Lipſius ex conjectura reſtituere. *Inviſitatus* enim ſæpius apud Liv. & *inviſus* apud Cic. eſt antea non viſus. Sicut contra *viſitatus* apud Plaut. in Pſeud. Act. II. Sc. 4. eſt, ſæpe viſus. & *viſitare* in Epidic. & in Trinum. ſæpe videre. Frequenter hæc vox *inviſitatus* mutata eſt a correctoribus in *inuſitatus.* Sic apud Juſtin. lib. XVIII. 1. ex emendatione Gronovii legendum: *Sed Romanos vincentes jam inviſitata ante elephantorum forma ſtupere primo, mox cedere prælio coëgit.* Vulgo: *inuſitata.*

44. *Quoties quid ſpectandum.*] Cod. Salmaſ. *quoties quid ſpectaculi.* procul dubio vere. Firmant tres codices Torrentii, & olim recepit Rob. Stephanus.

Muliebrem ſexum omnem.] Cum in plurimis antiquis libris legatur *muliebre ſecus omne*, iſta formula vero *muliebre*, *virile ſecus* nunquam in nominandi caſu, ſed ſemper in gignendi uſurpetur apud ſcriptores elegantes, ut primus pulchre obſervavit GRONOVIUS ad Liv. lib. XXVI. 47. legendum ille ipſe hic cenſet veriſſime: *muliebre ſecus omnes adeo ſubmovit.* vide notas ejus ad d. l.

In ſequentis diei.] Salmaſ. & Copeſ. *In inſequentis diei.*

Mulieres ante horam quintam venirent in theatrum non placere.] Palatini tres, aliique Mss. ac ed. Rob Steph. ipſa verba edicti & editiones antiquiores omnes *venire*, quod merito repoſuit Gruterus.

45. *Spectaculo plurimas horas.*] Cod. Salmaſ. *ſpectacula plurimas horas.* dehinc *ſeu ſtudio exſpectandi.* ſic in fine cap. idem *expectatorem*, pro *ſpectatorem.* & cap. 53. *exſpectante eo ludos*, pro *ſpectante.* idem poſtea: *præmia in alienis quoque muneribus*, ut & Steph. ed. perperam. dicitur n. ut ſtatim *ludis & ſcena.*

Gladiatores ſine miſſione edi prohibuit.] Non eſt, ut Beroaldus vult, niſi victoribus miſſio pro præmio propoſita foret, qua impetrata rude donabantur: ſed ſine miſſione pugnare eſt *ad mortem pugnare*, ut dudum viri docti præceperunt.

Coërcitionem in hiſtriones, magiſtratibus in omni tempore & loco.] Cod. Salm. *coërcionem in hiſtriones magiſtratibus omni tempore & loco.* Sic. & Cic. & infr. in Calig. inferius paullo idem: *flagellis verberavit*, leg. *verberarit*, ut ſuperius in hoc cap. idem cod. *quemque honorarit.* inferius ex eod. cod. rectius ſcribe: *Pyladem Urbe.*

Præterquam ludis & ſcena.] Recepi hanc lectionem cum Grutero ex codice F. Urſini, ſicut & ante ex conjectura legendum oſtenderant Torrentius & Lipſius, qui ait: Mos vetus puniri hiſtriones ab Ædilibus, Prætoribus, Conſulibus, quovis tempore & quovis loco permittebat: arctavit Auguſtus, & non niſi per tempus ludorum permiſit, & in loco ipſo ubi peccarant, id eſt, in ſcena. Ademit etiam virgarum: (quod redditum eſſe magiſtratibus videtur lege Julia de vi publica, non quidem nominatim, ſed prudentum interpretatione) at carcerem tamen & exſilium reliquit. Probat & hanc lectionem Caſaubonus: dicitur autem *ludis*, pro cum ludi ederentur, ut inferius, *feriis*, cum feriæ eſſent, & *gladiatoribus*, cum ludi gladiatorii ederentur.

Hylam.] Salm. cod. *Ylan.* & idem mox cum Copeſ. *Pyladen.*

46. *Sub die comitiorum.*] Sic Salmaſ. pro vulg. *ſub diem.*

47. *Non eſt, ut opinor, provincia.*] Salmaſ. Cod. & Rob. Steph. ed. *nec eſt, opinor, provincia.*

48. *Regna, quibus belli jure.*] Salmaſ. & Copeſ. *Regnorum quibus belli jure potitus eſt.*

Rectorem quoque ſolitus eſt apponere ætate parvis, ac mente lapſis.] Melius Salmaſ. & Rob. Steph. *rectorem quoque ſolitus apponere ætate parvis aut mente lapſis.* ſed τελεία ϛιγμὴ ante *rectorem* delenda.

49. *Certum numerum.*] Cod. Salmaſ. *ceterum numerum.*

Ut qui a loco eidem perferrent litteras, interrogari quoque.] Codex Corſendoncenſis, quem vidit Pulmannus: *ut qui a loco perferunt litteras, iidem interrogari quoque, ſi quid res exigerent, poſſent.* Salmaſ. codex, *ut qui a loco idem perferunt litteras.* Copeſ. *ut quia loco idem perferunt litteras, interrogari quoque, ſi quid res exigant, poſſint.* Suo loco mota fuit vox *iidem*, inde nata diverſitas ſcripturæ. Sed *a loco* etiam valde ſuſpectum. Suetonii manum fuiſſe ſuſpicor: *ut qui alicunde perferrent litteras, iidem interrogari quoque, ſiquidem id res exigerent, poſſent. Alicunde* uſitatum Plauto, Terentio, Ciceroni. *Sicunde* inferius in Calig. 4. *Quoties aliquo adveniret, vel ſicunde diſcederet.* & cap 51. *Non mediocrem fore conſternationem, ſicunde hoſtis appareat.*

50. *Dioſcordis manu.*] Cod. Salmaſ. *Dioſcuridi manu.* idem: *perſeverarunt.* ut idem ſeqq. capp. *inquiſiit*, pro *inquiſivit.*

51. *Tiberio quoque.*] Reſtituit Gruterus lectionem veram huic loco ex codice Urſini: *Tiberio quoque eadem de re, ſed violentius*, ut ante quoque conjecerat F Pithœus, cum in ſuo reperiſſet: *ſedulo lentius*, quod & exſtat in Salmaſiano & Copeſiano. Primæ ſyllabæ in *violentius* male ſunt repetitæ & adhæſerunt præcedenti voculæ *ſed.*

53. *Niſi veſpere aut noctu.*] Cod. Salmaſ. & Copeſ. *niſi veſpera aut noctu.*

Adoperta ſella.] Sic recte legunt Mss. etiam Palatini. Perperam Beroaldus, Scriverius, Caſaubo-

nus & Gruterus contendunt legendum eſſe *aduperta*, aut *haut operta*, præfati non videri ſolummodo voluiſſe Auguſtum, ſed & patere adeuntibus. Nullam enim virtutem eſſe, qua ſibi populum magis demereatur Princeps, quam ſi libenter & obvie excipiat deſideria ſuorum. Quod Gruterus multis exemplis ad Livium oſtendiſſe teſtatur. Sed de hoc civilitatis genere hic non loquitur Suetonius, verum de illo, quod noluerit inquietare obvios officii cauſſo, ideo adoperta ſive clauſa ſella per publicum eum ait inceſſiſſe: ſicut eandem ob cauſſam egreſſus & ingreſſus eſt oppida noctu, & conſul pedibus inceſſit. Talis etiam fuit *obſuta lectica*, qua Tiberius nurum & neptem aſportari juſſit in cap. 64.

Et diſcedens eo modo ſedentibus ſingulis vale dicebat.] Non dubitavi recipere codicis Salmaſiani & Viterbienſis lectionem: *valere dicebat.* Sic enim ſemper meliores ſcriptores orationis, præcipue pedibus ſolutæ, loquuntur. Sed & *ſingulis* delendum ex Salmaſiano, qui quoque pro *eo modo* legit, *eodem modo.* Totus igitur locus ſe melius habebit, ſi ex illis membranis ſcripſeris: *etiam diſcedens eodem modo ſingulis valere dicebat.* eodem modo, ſcilicet ſedentibus ſtans ipſe. & ſic plane quoque membranæ Copeſii.

54. *Grandior jam natu.*] Cod. Harl. *grandiore jam ornatu.* ſcribe cum Gronovio: *grandiore jam natu.*

55. *Contumacia fraudi fuit.*] Contumacia non eſt indomabilis jactatio libertatis, ut vult Boxhornius, ſed contradicendi ſtudium & libido in cenſendo, cum in Auguſti ſententia non conquieſcerent; cui recte opponitur, obſequium deforme. *Contumacia* enim Latinis eſt, quæ barbaris *inobedientia*, ut & *contumaces*, qui male *inobedientes* dicuntur.

Nec magna cura redarguit] Sic repoſui cum Torrentio ex codice Ferrarienſi. Res ipſa loquitur. Sic & deceſſor ejus Julius contemſit hos ſcurras.

56. *Ne ſenatus quicquam conſtitueret.*] Cod. Salm. *ne quicquam conſtitueretur.* Sic & Copeſianus, in quo tamen vulgata lectio ab eadem manu margini eſt adſcripta, *at ne ſenatus quicquam conſtitueret.*

Ferebat & ipſe ſuffragia in tribubus.] Sic reſcripſi ex primo & ſecundo Palatino & Ms. Alvari Nonni, probante Caſaubono & Grutero. Nam in duabus tribubus ſuffragium ferre poterat Auguſtus, ut patet ex cap. 40.

57. *Sponte atque conſenſu.*] Cod. Salmaſ. *conceſſu.*

Strenam in Capitolio.] Salmaſ. & Copeſ. *ſtrenuam in Capitolio.*

Sigillatim.] Codex Salmaſii: *ſingillatim.* Et ſic ubique ſcribendum. Neque enim video, ut ex hoc conficiatur, quia ex *ſignum* fiat *ſigillum*, ideo & ex *ſingulus*, *ſigillatim* naſci; ſed hoc potius, ex *ſingulus*, *ſingillatim.*

58. *Per Valerium Meſſallam id mandantibus cunctis.*] Cod. Salmaſ. *per Valerium Meſſallam is mandantibus cunctis.* Proba lectio, ſi juvetur interpunctione hac: *per Valerium Meſſallam. Is mandantibus cunctis: Quod bonum, inquit, fauſtumque ſit tibi.*

59. *Jovis Olympici,*] Cod. Salm. *Jovis Olymphii.* leg. *Olympii.*

62. *Et poſtulantibus.*] Salm. & Copeſ. *expoſtulantibus.*

Neceſſitudine aliqua jungerentur.] Copeſ. *neceſſitudine aliqua unirentur.* ſed in marg. *neceſſitudine aliqua jungerentur.*

63. *Cotiſoni.*] Cod. Salm. *Coſoni.*

In matrimonium petiiſſe,] Cod. Salmaſ. & Copeſ. *petiſſet.*

64. *L. Tucinio.*] Salmaſ. *L. Vicinio*, vel *Jucinio* Copeſ. *Licinio.*

Ac nihil æque laboravit.] Codex quoque Salm. & Copeſ. *elaboravit.*

65. *Ob ingenium ſordidum.*] Salmaſius conjicit legendum, *ob ingenium ſcordalum.* Sic & alibi Seneca loquitur, præter locum a Schildio laudatum, in ep. 83. *Tullius Cimber & nimius erat in vino & ſcordalus.* Et in Suaſor. 7. de M. Tullii filio: *Erat autem etiam, ubi pietas non exigeret, ſcordalus*, ex J. Fr. Gronovii emendatione. *Sordidi* Latinis ſunt avari, ſed avaritia nunquam fuit in Agrippa notata, verum robore corporis ſtolide ferocem fuiſſe Tacitus tradit. Hoc vero eſt *ſcordalus.*

Etiam quibus corporis notis vel cicatricibus.] Torrentius hoc ideo voluiſſe obſervari & ſcire Auguſtum conjicit, ut inde adulterinos partus poſſet cognoſcere. Sed cicatrices parentum liberi referre non ſolent, raro quoque notas, quamvis de ingenuis illis notis exempla quædam ſint, ut Seleucidarum. Potius igitur hoc Auguſtum exiſtimo mandaſſe, ut cum ipſi conſtaret de iis, qui ante filiam adierant, reſcire etiam poſſet ex cuſtodibus appoſitis filiæ, iidemne eſſent, qui ad illam venirent, an vero alii ſub eorum nomine.

Agnoſci alique] Salmaſ. *adcognoſci alique.* Sed rectius Copeſianus cum vulgatis *agnoſci alique.*

66. *Cornelium Gallum.*] Non hic fuit aliis dictus Ælius Gallus, ut Caſaubonus putat, ſed alius. Nam Cornelius Gallus celebris ille poëta primus fuit Ægypto præfectus ab Auguſto, huic ſucceſſit Petronius, huic vero ſuffectus fuit Ælius Gallus, ut docuit Voſſius de natura Rhetorices.

67. *Diomedem diſpenſatorem.*] Cod. Salm. *Diomeden diſp.*

Fero apro objectus eſt.] Male ſollicitat hunc locum Torrentius, qui *fero* delendum cenſet. Ovidius:

Et ferus in ſylvis farra metebat aper.

Crura effregit.] Salmaſ. *crura ei fregit.* Sed Copeſian. ſtat a vulgata.

67. *Graſſantes oneratis gravi pondere cervicibus.*] Cod. Salm. *graſſatos, oneratos g. p. c.* vere. *Graſſatos* probat quoque Robertus Stephanus & Cod. Copeſii.

68. *Pudicitiam delibatam a Cæſare, etiam Hirtio in Hiſpania trecentis milibus numum ſubſtravit.*] *Pudicitiam ſubſternere* nemo Latinorum dixerit, ſed *ſe* aut *corpus.* Cenſeo Suetonium ſcripſiſſe: *Quaſi ſe, pudicitia delibata a Cæſare, A. etiam Hirtio* CCC *milibus numum ſubſtraverit.*

Verſum in ſcena pronuntiatum.] Cod Salm. *verſu in ſcena pronuntiato.*

69. *In quam arrigas*] Salm. & Copeſ. *in qua arrigas.* paullo ante uterque codex *Titiſeniam.*

70. *Notatus eſt ut pretioſa ſupellectilis.*] Omnino copula inſerenda ex Salmaſ. Rob Steph. & duob. Pal. *notatus eſt & ut pretioſa ſupellectilis.* Mox pro *& deinde*, idem *& inde.*

Cum primum iſtorum conduxit menſa choragum.] In hoc verſu vix quidquam ſani. Friget τὸ *iſtorum* in initio epigrammatis, nulla mentione facta, quinam *iſti* ſint. Dein non *choragus conducitur*, ſed *a chorago* conducitur choragium, ſicut nec manceps operarum conducitur, ſed operæ a mancipe. Dein quam durum menſa dicitur choragum conducere, pro accumbentes menſæ convivas conduxiſſe choragum. Omnia ſunt inquinatiſſima. Scribendum vero exiſtimo:

> *Cum mimum hiſtrorum conduxit menſa choragi.*

hoc eſt, cum mimici hi hiſtriones, qui Deos Deaſque ludunt, convenerunt ad hoc Auguſti convivium. Choragus eſt, ut bene Torrentius obſervavit, ipſe Auguſtus, qui Græcorum more choragus dicitur, quod ſuis ſumtibus hoc convivium inſtruxerit, ut Græcis dicuntur χορηγοὶ, qui ſuis ſumtibus ludos edunt. *Conducere* hic non eſt ea notio, qua opponitur τῷ *locare*, ſed conducere hic eſt *cogere*, in unum ducere, facere ut conveniant, ut apud Cæſarem: *Omnes copias auxiliaque conducunt*, & ſæpe alias. *Hiſter* dicitur pro *hiſtrio.* Liv. lib. VII. *Accepta itaque res, ſæpiuſque uſurpando excitata vernaculis artificibus, quia hiſter Tuſco vocabulo ludio vocabatur, nomen hiſtrionibus inditum.* Sic apud Valerium Maximum II. 4. ſcribendum eſſe ſanxerunt viri doctiſſimi: *Et quia ludius apud eos* (nimirum Etruſcos) *hiſter, ſcenico nomen hiſtrionis inditum.* Ab *hiſter* ſane eſt *hiſtricus*, ſicut ab *hiſtrio hiſtrionius.* Plautus Poenul. prol.

> *Audire jubet vos imperator hiſtricus.*

Quæ vox & apud Appulejum legitur. Jam *mimus hiſtrorum* ſunt mimici hiſtriones, non veri hiſtriones, qui inſtar hiſtrionum induerant perſonas deorum dearumve non in ſcena, ſed in convivio, in quo mimum illum epularem δωδεκαθέων acturi erant. Hiſtri enim ſeu hiſtriones dicuntur *mimum agere* proprie, cum hujus aut illius perſonam ſuſtinent in ſcena, Petron.

> *Grex agit in ſcena mimum: Pater ille vocatur,*
> *Filius hic, nomen Divitis ille tenet.*

Hinc *mimus* omnis actio ſimulata, ſeu quæ verum mentitur. Florus II. 14. *Pſeudophilippus regiam formam, regium nomen, mimo quoque regio implevit*, ut pulchre vereque emendavit Gronovius cap. 25. Obſerv. in Script. Eccleſ. ubi vide exempla plura. Sic Florus eodem capite illum ipſum Pſeudophilippum vocat *ſcenicum regem*, qui inſtar hiſtrionis, qui mimum Regis in ſcenis agit, non diu regnum obtinet. Eſt igitur, ut modo monui, cum menſa choragi conduxit mimum hiſtrorum, cum iſti hiſtriones vocatu Auguſti conveniſſent in Capitolio ad hunc epularem mimum agendum. In poſtremo verſu legendum cum Torrentio *toros*, quia *thronos*, ut probe monet, Latina lingua non agnoſcit. Locus Auctoris pervigilii Veneris, quem affert Caſaubonus ad lectionem vulgatam ſtabiliendam, ipſi Caſaubono ſuſpectus eſt. Epigrammatis autem hujus parens dicit Jovem ipſum ex auratis pulvinaribus Capitolii aufugiſſe, hoc eſt, Capitolium deſeruiſſe, propter ſceleſtos & inceſtos hos ludos. Licet tum nullum fuiſſet lectiſternium, quod Caſaubonus obducit, tamen poëta commode dixiſſet: *Jupiter fugit ſuos toros*, pro, ſua pulvinaria, quæ illi ſolent ſterni, hoc eſt, deſeruit Capitolium, ut idem fere dixerit quod Virgilius, *exceſſere omnes adytis dii.* Palatinus primus *thoros* vitioſe pro *toros*, inde natum vitioſius *thronos.*

Sylvius pater.] Cod. Salm. & Rob. Steph. *Silius pater.* Ibid. cod. Salmaſ. *forum aleatorum.* & *retractum eſt.*

Aſſidueque in urbe hiemaret.] Eraſmus exponit, hiemis incommodo affligeretur. Non recte, inquit Torrentius. qui nec ipſe rectius, dum explicat, hiemem in urbe peragebat. Nam ſic luxata eſſet ratio ſtructuræ, ut bene vidit Eraſmus, quæ poſtulabat in hoc ſenſu *aſſidue tamen in urbe hiemabat.* Nihil puto mutandum, ſed hiemare hic accipiendum ut apud Columell. XI. 2. *Fidicula exoritur, hiemat & pluit.* Id. lib. XI. c. II. *Auſter aut Africus hiemat.* Plin. XVII. 22. *dies hiemant.* Horat.

> *Et atrum defendens piſces hiemat mare.*

Sic hiems eſt tempeſtas. C. Nep. Attic: *Quod ſi gubernator præcipua laude fertur, qui navem ex hieme marique ſcopuloſo defendat.* Nihil tritius, apud poëtas præſertim. Hoc itaque commendat in Auguſto Tranquillus, illum in urbe manſiſſe, quamvis aſſidue in illa ſpurciſſima & humidiſſima tempeſtas eſſet, cum tamen ejus valetudini ea valde adverſaretur. Aliter accipitur hiems in præcedente verſu, quo narrat eodem cubiculo Auguſtum hieme & æſtate manſiſſe. Sic qui-

quidem olim hunc locum exponendum exiſtimavi, ſed nunc cum accuratius expendo, puto ſic eum eſſe conſtituendum: *quamvis parum ſalubrem valetudini ſuæ hiemem experiretur, aſſidueque in urbe hiemaret.* Non video ſane, ut τὸ *urbem* & *in urbe* in eodem verſu poſſit ferri: Auguſtus in eodem cubiculo manſit etiam hieme, quamvis illa ejus valetudini eſſet infeſta, & quamvis aſſidua eſſet aut diuturna illa hiems, nec molliretur aut mitigaretur blandioribus auris, quibus valetudo Auguſti, quam affligebat, levaretur. Copeſ. cod. *aſſidueque extra urbem hiemaret.*

72. *Quem Syracuſas & τεχνόφυον vocabat.*]. Videtur Auguſtus Syracuſas appellaviſſe receſſum iſtum, quod in illo loco non minus novas artes excogitaret, quibus imperium ſuum moderaretur, generique humano uſui eſſet, quam Archimedes quondam Syracuſis, cujus patria & domicilium fuere, in artibus mechanicis mathematiciſque diſciplinis multa utilia & pulcherrima invenerat. Vid. Plut. in Marcello. Itaque receſſus iſte Auguſti Syracuſæ fuere & τεχνόφυον. COETIER.

74. *Invitaſſe ſe quendam.*] Non male Salmaſ. cod. *invitaſſe ſe quondam.* Mox idem: *ternis ferculis.* &: *ut non minimo ſumtu.* mox: *aut tromata aut hiſtriones.* pro *aut acroamata & hiſtriones.* Dein: *ex circo ludos* pro *ludios.*

75. *Averſas tabularum picturas.*) Sic ſcribendum ex cod. Salm. & Rob. Steph. ed. vulgo male *adverſas.*

76. *Duas bucceas.*] Cod. Salm. *duas baccas.* id. *ex hac inobſervantia,* ut recte alii quoque.

78. *A cœna lucubratoriam ſe in lecticulam recipiebat.*] Cod. Salm. & Rob. Steph. *a cœna in lecticulam ſe lucubratoriam recipiebat.* inferius Salmaſ. cod. *maturius vigilandum.*

79. *Deductiorem.*] Omnino eſt depreſſiorem, demiſſiorem, humiliorem, non tenuiorem. opponitur eminentiori, quales ſolent eſſe aquilini naſi, qui hinc jocoſe etiam nunc Cæſarei naſi dicuntur vulgo.

Etiam in memoriam ejus.] Cod. Salmaſ. *etiam memoriam.*

Adſtantis.] Salm. & Copeſ. *aſtantis.*

80. *Genitivis.*] Salmaſ. *genetivis.* ſic *Venus Genetrix* ſup. & veteres tituli.

81. *Jecinore.*] Salmaſ. & Copeſ. *jocinore.*

82. *Et ſubucula thorace laneo.*] Cum ſubucula ſit interior tunica lanea, thorax vero tantum pectoris munimentum contra telorum ictus æreum, aut ferreum, merito Ferrarius de Re Veſtiaria præfert veterum editionum lectionem iſti, quæ nunc obſidet recentius editos. Illa vero hæc fuit: *Hieme quaternis cum pingui toga tunicis, & ſubucula, & thorace laneo.* Subuculam appellavit intimam tunicam laneam corpori adhærentem. Itaque hoc fuit notabile, quod præter quatuor tunicas uteretur ſubucula: dein quod pro ferreo thorace muniretur laneo.

Ungebatur enim ſæpius & ſudabat ad flammam.] Cod. Salmaſ. Copeſ. & Rob. Steph. *unguebatur enim ſæpius, aut ſudabat ad flammam.* & in fine capitis iidem: *manus ac pedes alternis jactaret.* pro quo vulgo inepte: *manus ad pedes alternis jactaret.*

84. *Non deficeret.*] Recepi ex optimo codice Salmaſii & editione Roberti Stephani *deficeretur ad ſubita extemporali facultate.* Juſtin. *quorum non ſtudiis deficiatur quam annis.* Vellejus Paterc. *Non merito, ſed materia adipiſcendi triumphalia defectus eſt.* Sic *defici viribus, vigore.*

85. *In ſpongiam*] Salm. & Copeſ. *in ſphongeam.* Sic & ſuperius iidem libri.

86. *Atque inconcinnitate.*] Cod. Salm. *atque concinnitate.* paullo poſt idem: *neque præpoſitiones urbibus addere.* Optime. ſolent enim ea omitti, ut notum eſt. ſic omnino legendum.

Exagitabat nonnunquam.] Cod. Salm. & Copeſ. *exagitabatque nonnunquam.* Dein idem: *addit hæc.* poſt idem: *ne moleſte ſcribas & loquaris.*

Inanibus ſententiis.] Optime J. Fr. Gronovius olim legendum eſſe cenſuit: *inanis ſententiis verborum volubilitas.*

87. *Quotidiano ſermone.*] Copeſ. *cotidiano ſermone.*

Et pro pullo pullejaceum.] Cod. Salm. & *apud paullum pullejaceum.* mox *cerrito* pro vulgato *cerito.* item: *vapide ſe habere,* vulgo *vapide ſe ſe habere.* Dein: *betizare,* & *lachanizare,* ut omnes editi. eſt hoc quoque inter Auguſti nova.

88. *Pro z autem duplex aa.*] Codex Salmaſ. & Copeſ. *pro x autem duplex aa.* & ſic Rob. Steph. quæ veriſſima ſcriptura eſt. nam *z* rariſſime Latinis in vocibus occurrit.

89. *Eruditione varia repletus Sphæri.*] Cum in Urſini aliiſque pluribus codicibus exſtet *contubernio,* ſine *iniit*, puto hunc locum ſic ſcribendum eſſe: *Deinde etiam eruditione varia repletus in Sphæri, & Arei philoſophi, filiorumque ejus Dionyſii & Nicanoris contubernio.* Salmaſius legit: *repletus per Arei philoſophi contubernium*, quia in ſuo codice reperit, *repletus ſper Arei.* Sed repleri eruditione per contubernium Arei non puto quenquam meliorum temporum ſcriptorem dixiſſe, aut probare. In Codice Copeſiano, *Sphæri & Arei* non legitur.

Ingenia ſeculi ſui.] Salm. & Copeſ. *ſæculi ſui.* ſtatim idem *audiit.*

90. *Circa religiones*] Salm. *circa relegionis.* Semper autem in illo codice ſcribitur *relegio*, notante Salmaſio.

Concameratum locum.] Salm. *concamaratum locum.*

91. *Emendicabat a populo.*] Cod. Salm. *emendicabat e populo.* ante *quodannis* pro *quotannis.* Sic & in nonnullis inſcriptionibus apud Gruterum.

92. *Aut nonis quidquam rei ſeriæ inchoaret.*] Hanc ego

ego cauſſam exiſtimo hujus ſuperſtitionis, quod inciperet hoc vocobulum a *non*, quod vetat: quaſi omen eſſet rem inchoatam non ſucceſſuram. Hæc eſt *δυσφημία* nominis. ut in illo *Cauneas* quaſi eſſet *cave ne eas*.

93. *Dimiſſo concilio*] Lege: *conſilio*. hoc eſt, aſſeſſoribus in tribunali. Diximus ad Livium. GRONOVIUS. Firmat codex Salmaſii, in quo *conſilio* legitur. Tib. cap. XVIII. *Nihil non de conſilii ſententia agit*.

94. *Velitrini.*] Codex Salmaſii: *Veliterni*, ut apud Livium quoque ſcribitur.

Quo ad ſe quiſque ſpem traheret.] Scribe ex Salm. cod. & Rob. Steph. *quod ad ſe quiſque ſpem traheret*.

Cum ceteræ matronæ dormirent, obdormiſſe.] Horum verborum ſenſum ineptum eſſe quivis non ineptus facile videt. Gruterus conjicit legendum: *dum cetera matronæ edormirent*. ut velit, inquit, in lecticis quamque ſuis compleſſe ſomnum, domi interruptum, dum maturant ad hanc Apollinis ædem. Sed nec ſic inſulſus ſenſus tollitur, qui poſtulat, ut aliud quid matronæ dicantur feciſſe quam Livia, quæ obdormierit. Torrentius tanquam immedicabile vulnus recidit hæc verba: *dum ceteræ matronæ dormirent*. Sed hoc eſt violentum contra omnium codicum fidem. Mutatione levi omnia poſſe, quæ hic morantur lectorem, tolli, cognoſces, ſi mecum legeris: *dum ceteræ matronæ domum irent*. Cum peractis ſacris ceteræ domum irent, hæc forte obdormiit.

Nec potuiſſe unquam eximi.] Jure J. Fr. Gronovius veterum librorum ſcripturam *exigi* prætulit editionibus. Et ſic videtur Ovidius quoque ſcripſiſſe:

Exigit ipſa dies omnes de corpore mendas.

Apollinis filium exiſtimatum] Ideo & Apollinis in convivio *δωδεκαθέῳ* perſonam geſſit, ut c. 70. tradidit Suetonius, & non modo in nummo vetere, quem produxit Torrentius, ſic fingitur, ſed & in antiqua inſcriptione ſic appellatur:

APOLLINI. DIVO. AVG.
Q. LVTATIVS. Q. F. CLA. CA...
Q. LVTATIVS. Q. F. CLA....

Unique olim omnino Magno Alexandro.] Cod. Salmaſ. *unique omni Magno Alexandro. Olim* depravatum eſt in *omni*, quod poſtea aliis quoque inſertum codicibus cum vera lectione, indeque ortum illud *omnino*, quod ſane expungendum eſt, quæ & Salmaſii eſt ſententia.

Demiſſum cœlo.] Cod. Salmaſ. *demiſſo e cœlo*.

Tunica laci clavi reſuta.] Excidiſſe litteram unam puto, legendumque *tunica laticlavia*, ut ſolent veteres. Sic inferius *laticlavii*. Valer. Max. V. I. *Puerum annulo, fibulaque aurea, & tunica laticlavia, Hiſpanoque ſagulo, & ornato equo donatum, datis qui eum proſequerentur equitibus, ad Maſaniſſam remiſit.*

Enata ſoboles] Salm. *enata ſuboles*.

95. *Ad ſpeciem cœleſtis arcus.*] Cod. Salmaſ. *ad ſeriem cœleſtis arcus*.

97. *Aquila ad primam literam ſedit.*] Quid iſtud oſtentum portenderit, non explicat Suetonius. Sed Auguſtum mortem ſibi imminere ex illo conjeciſſe tradit. Nempe aquila ſignum conſecrationis erat, atque ea in nummis Imperatorum, præcipue M. Antonini Pii cum fulmine paſſim apparet, cum inſcriptione CONSECRATIO. Inter quos unus exſtat, in quo anima Antonini inſtar nudi hominis aquilæ inſidens ad cœlum fertur. In funeribus Imperatorum poſtquam rogus arſerat, e buſto aquila emittebatur, ut ex Dione, Xiphilino, Herodiano pridem viri docti obſervarunt. Scilicet aquila illa in proximam ædem ſe contulerat, atque ad primam litteram nominis Agrippæ conſederat, quæ prima quoque eſt nominis Auguſti. quod ſignum erat Auguſtum propediem conſecratum, hoc eſt, inter Deos relatum iri, quod fieri non poterat niſi poſt mortem. Sed ne vigilans ſomniare videar, a conjectorum ſomniis ἐπέχω, COETIER.

Atque itinere inchoato.] Cod. Salm. *atque in itinere inchoato*.

98. *De hoc quoque conſuluit.*] Cod. Salm. *Adde quoque*. lege: *ac de hoc quoque*. Poſt idem codex, *etiam tum infirmis*.

99. *Δότε Ιxρότον.*] Salmaſ. ΕΤϹΙΔΕΤΑΧΟΙ ΚΑΩϹΤΟΙΤΑΙϹΝΙΟΔΟΤΕ, Unde & Turnebus ex aliis libris legit:

Εἰ δὲ πᾶν ἔχοι καλῶς, τῷ παιγνίῳ δότε κρότον, & quæ ſequuntur. Vide & Caſaubonum. Gruterus in Palatino primo & ſecundo illa quoque verba invenit; in tertio vero tot Græcis verbis ſpatium eſt relictum, ut & in Copeſiano. Hinc non dubitavi cum Grutero iſta verba, quæ dudum exciderant, reponere, ne fruſtra in notis ſolum & adverſariis eruditorum legerentur, ſed quo maxime debebant loco.

Id quoque magis præſagium.] Salmaſ. *id quoque magis præſagum*.

100. *Euntem in cœlum vidiſſe juraſſe.*] Scribe ex Salmaſ. & Rob. Steph. *juraret*.

Tunc jam publicarat] Salm. *jam tum publicaret*.

101. *Quos & ferre nomen ſuum juſſit.*] Notavit Caſaubonus Liviam poſt mariti exceſſum non Liviam, ſed Juliam vocatam fuiſſe. Verum utrumque nomen retinuit, ut patet ex inſcriptionibus antiquis, in quibus *Livia Auguſta*, & *Julia Livia Auguſta* appellatur, ut erudite diſputat Illuſtris Spanhemius in diſſertatione VII. de Præſtantia & uſu numiſinatum.

Ad vicena ſeſtertia.] Legendum, ut pulchre vidit Cl. Perizonius, *ad vicies ſeſtertium*, hoc eſt, quinquaginta milia Philippeum. *Producere* hic eſt extendere. Non nulla legata tam ampla fuerunt, ut quinquaginta milium Philippeum ſummam æquarent,

rent. Hinc & annuam diem eis perſolvendis conſtituit. Propterea quia tam ſero hæc legata numerabantur, excuſavit rei familiaris mediocritatem. Quis credat Auguſtum, cum milies & quingenties relinqueret, annuam diem vicenis ſeſtertiis præfixiſſe?

101. *Polybii & Hilarionis.*] Salmaſ. etiam codex *Polybi & Hilarionis*, ut & Rob. Steph. Hujus Polybii meminit antiquum epigramma apud Gruterum:

C. IVLIVS. POLYBI. DIVI. AVGVSTI. LIBERTI. ANTHVS.
SALTVM. FORTVNAE. OPIFERAE.
RESTITVIT. PRO. SALVTE.
POLYBII. LIBERALIS. PATRIS.

Poſt: *qua ante Mauſoleum.* Codex Salmaſ. *quem ante Mauſoleum.* inde legendum forte putat Salmaſ. *qua in ante Mauſoleum.*

Produxitque quædam.] Salmaſ. & Copeſ. *Perduxitque quædam.*

Sub ſignis.] Palatini etiam codices omnes *eſſent*, quos ſequor.

TIBER. NER.

CAP. 2. *Secus admiſſa.*] Cod. Salmaſ. *ſequus admiſſa.* idem: *notatiſſimum eſt*, pro *notiſſimum.* id. *tribunos plebi.* leg. *plebei.*

Statua ſibi cum diademate.] Codex Salmaſ. *Statua ſibi diademata.*

3. *Inſertus eſt & Liviorum familiæ adoptato in eam materno avo.*] Atqui apud Tacitum VI. ann. c. 51. ait, matrem Tiberii in Liviam familiam adoptatam eſſe. Sed credo cum Theod. Ryckio V. Cl. avum adoptione tranſiiſſe in illam gentem, cum jam ei nata fuiſſet Livia, Tiberii parens.

Nec, ut fama, extortum.] Cod. Salm. & Rob. Steph. *nec, ut fama eſt, extortum.*

4. *Pater vero Tiberii.*] *Vero* deeſt in Salmaſ. cod.

In queis Narbona & Arelate.] Cod. Salm. *in queis Narbo & Arelate.* Putat tamen Joannes Ortwynius, moderator Gymnaſii Delphenſis doctiſſimus, etiam dici *Narbona*, ut *Ancon* & *Ancona.* Potuit etiam *Narbon* ſcripſiſſe Suetonius, uti veteres dixerunt *Plato* & *Platon*, *Dio* & *Dion*, *Cimo* & *Cimon.*

5. *Poſt bellum Philippenſe.*] Cod Salmaſ. *per bellum Philippenſe.* id eſſet, tempore ejus belli. Nam & bellum Philippenſe, iis, quos Suetonius dicit, coss. geſtum eſt.

6. *Habuit luxurioſam & exercitatam.*] Ms. Salmaſii: *laxorioſam.* Unde recte viri docti conjecere legendum, *laborioſam & exercitam*, ut apud Plin. in Paneg. Et ſic primus hunc locum reſcribendum eſſe vidit Err. Memmius teſtante Lambino ad Corn. Nep. Cimonem. *Exercitam* recepit quoque R. Stephani editio. *Exercitatam* tamen ferri quoque poſſe Ortwynius cenſet, cum apud Horat. legatur Epod. 9. *Exercitatas aut petit Syrtes noto*, h. e. vexatas. Virgilius tamen, idem ait, *exercitam* quaſi tuetur. III. Aen. v. 182. & V. Aen. v. 725. *Nate Iliacis exercite fatis.* quod Noninus ſic explicat: *exercite*, fatigate.

Per Siciliam quoque & Achaiam circumductus.] Cod. Salm. *per Siciliam quoque & per Achaiam circumductus.* idem paullo poſt, *quod in tutela Claudiorum erant.* leg. cum Rob. Steph. *qui in tutela Claudiorum erant.*

Præſedit Actiacis.] Codex Salmaſ. *Aſticis.* lege: *iſelaſticis*, vide ad Calig. c. 20.

7. *Ne unquam in conſpectum ejus poſthac veniret.*] Cod. Salmaſ. *ne unquam in conſpectum ei poſthac veniret.*

9. *Exhinc Rhœticum.*] Salm. cod. *Exin Rhœticum.*

Pœne junctim percurrit.] Optime Salmaſ. codex: *percucurrit.*

11. *Forte quodam.*] Codex Salmaſ. cum non nullis aliis: *forte quondam.* Scripſerit forſan Suetonius: *forte quadam.* ut Florus aliique ſcriptores Latini loquuntur.

Quicquid ægrorum in civitate eſſet, velle ſi viſitare.] Jure vir doctiſſimus, & mihi, cum in vivis eſſet, amiciſſimus, Tanaquillus Faber in epiſtola ad Urbanum Chevræum hunc locum habet ſuſpectum depravationis. *Qui enim*, inquit, *fieri potuit, ut quod a Tiberio dictum fuerat, male a proximis exceptum dicatur?* Sed cum emendat, *quicquid librorum in civitate eſſet, viſitare ſe velle*, id vero probare non poſſum. Quis enim dixerit *viſitare libros?* Nam Latinos appellaſſe *libros* tabernas in quibus libri venduntur, ut Græcis ὄινος dicitur ὀινοπωλεῖον, de quo loquendi genere in lectionibus Heſiodeis egi, nemo credet. nec ſic accipiendum eſſe Faber ſenſit. ne dicam, quam longe abeat *librorum* vox a τῷ *ægrorum.* Ego cenſeo Tiberii male accepta verba fuiſſe: *Quicquid Grajorum in civitate eſſet*, hoc eſt, Philoſophorum, Rhetorum, & Grammaticorum. Illos enim *Grajos* & *Græcos*, quod idem eſt, a Romanis appellatos inferius ad hanc ipſam Tiberii vitam docebitur. Hanc emendationem damnabit, credo, nemo, qui verba, quæ proxime antecedunt, non oſcitanter leget: *ſine lictore aut viatore gymnaſia interdum obambulans, mutuaque cum Græculis officia uſurpans prope ex æquo.* Sequitur: *forte quodam in diſponendo die mane prædixerat, quidquid ægrorum*, & quæ ſequuntur. Vides quam omnia cohæreant apte, ſi legas *Grajorum.* Mutua quia cum Græcis uſurpabat officia, dixit aliquando Tiberius mane, ſe illo die omnes Græcos velle viſitare, non promiſcue omnes incolas illius civitatis, ſed eruditos homines, quorum gymnaſia obambulabat.

bat, illos profeſſores, quorum circa ſcholas & auditoria frequens erat, ut paullo poſt loquitur, & quorum conſuetudine & colloquiis etiam Romam reverſus, cum ſucceſſiſſet Auguſto, maxime delectabatur. Hanc vocem *Grajorum*, exceperant male proximi, ac ſi dixiſſet *ægrorum*. Magna enim eſt ſoni horum nominum affinitas, ut non attentiſſimos facile potuerit fallere.

Unum hoc tantummodo.] *Tantummodo* non legebatur in codice Salmaſ.

Exercuiſſe jus tribunitiæ.] Palatinus ſecundus *exeruiſſe*, & hoc Gruterus repoſuit. Sed obſtat & codicum vulgatam lectionem ſervantium copia, & quod loquendi hoc genus non ineptum nec inelegans ſit.

Lætus animo.] Codex Salmaſ. *lætus nuncio*, ut omnes editiones ante Caſaubonum, qui hoc ſine ullo indicio mutavit.

12. *Quaſi legatus ab Auguſto.*] Salmaſ. & Palat. unus: *quaſi legatus Auguſto*, pro *legatus ab Auguſto.* Cato apud Feſtum in *oratores: M. Fulvio conſuli legatus ſum in Ætoliam.* Tacitus: *claris ſcriptoribus dicta.* Ovid. *Barbarus his ego ſum, quia non intelligor ulli.* pro *ab ullo.* De his locutionibus ſuperius ſemel iterumque egimus.

Diverteret Rhodum.] Codex Salmaſii: *deverteret.* Et ſic in multis locis veterrimi codices, ubi vulgati *diverteret.*

14. *Geryonis oraculum.*] Meminit ejus inſcriptio antiqua apud Gruterum VI. 4.

IM. D. D. JOVI
ET. JVNONI. REG.
ET. GENIO. LOCI
ET. : : : : : : : : : :
: : : GERIONIS SR
VERVS. MIL. LEG.
XXII. ANTONIAN.
B. F. COS. PRO. SVA
ET. SVOR. : : : : : : : :
: : : : DIV. : : : : : : : :
ANTON. : : : : : :

Tunc maxime.] Codex Salmaſ. *cum maxime.* h.e. illo ipſo tempore. Eſt elegans harum particularum uſus. Tacitus III. ann. *Littora & lacus Campaniæ cum maxime peragrantem.* Sic frequenter optimi ſcriptores. Sed nec illud infrequens Tacit. ann. IV. *Cœptantem tum maxime conjurationem disjecit.* Sic & Florus male a nonnullis ſollicitatus. Mox & *nave proviſa* idem Cod. pro *præviſa.*

Nec hæreditatem quidem.] Codex Salmaſii cum in hoc loco, tum & in hoc ultimo, de quo dubitabat Gronovius ſagaciſſimus, emendationibus ejus ſuffragatur. Exſtat enim in his locis *ne* pro *nec.* quin & deprehendi poſtea in iis omnibus Suetonii locis, quæ allata ſunt, in Roberti Stephani editione *ne* legi rectiſſime.

Cajo & Lucio intra triennium defunctis] At in Auguſto c. 65. dixerat: *Cajum & Lucium in duodeviginti menſium ſpatio amiſit ambos.* Scrupulum, quem in definitione temporis hic ſibi movet Caſaubonus, quaſi ſibi adverſetur Suetonius, evellit Eminentiſſimus Noriſius ad Cenotaphia Piſana diſſertatione 2. cap. 17. Lucium docens obiiſſe circiter 20. Auguſti A. V. 755. ut pateat ex cenotaphio, & de quo fuſius egerit cap. 15. Cajum vero e vivis exceſſiſſe die 21. Febr. A. V. 757. menſis Aprilis ineuntis, quod conſtet ex altero lapide Piſano. Ita in duodeviginti menſium ſpatio ambos Auguſtum amiſiſſe. At *intra triennium* defunctos dici, quia Cajus poſt Lucii mortem ſuperſtes fuerit parte anni Juliani 47. uſque ad exitum Decembris, item altero anno inſequenti, ac parte anni Juliani 49. a Kalendis Januarii ad VIII. Kalendas Martias, atque ſic intra triennium ambos mortuos eſſe.

17. *Prætextatus.*] Habitu nimirum conſulari, non triumphali. Triumphales enim veſtes fuiſſe togas pictas, & tunicas palmatas nemo ignorat. Tribuitur tamen nonnunquam etiam triumphantibus prætexta. Valer. Max. V. 5. de Scipione Africano: *Itaque clariſſimorum cognominum alterum ſumſit, alterum dedit: triumphique prætextam hujus excepit, illius tradidit.* Id. VII. 1. de Metello: *Speciosiſſimi triumphi prætextam largitus eſt.* Sed *prætexta* ponitur hic generaliter pro veſtitu & cultu magno, ut non nunquam apud poëtas accipitur.

20. *Poſt biennium.*] V. C. Salmaſii *poſt biennio.* Cur ſpernamus cauſſæ nihil eſt optimi codicis lectionem. Sic *poſt multo* Ovidio, & cui non?

21. *Ambitione tactum.*] Codex Salmaſ. & Rob. Steph. editio, *tractum.* Ovidius:

Nominis & famæ quondam fulgore trahebar.

Idem:

Nec timide promitte: trahunt promiſſa puellas.

Plin. lib. 26. H. N. c. 10. *Trahebat præterea mentes artificio mirabili.* Cic. pro Archia: *Studio laudis trahebatur.* Virg.

Trahit ſua quemque voluptas.

Et rem gere feliciter.] Cod. Salm. *& feliciter rem gere.*

Τοσαύτην ῥαθυμίαν] Salmaſius legendum cenſet ἀποθυμίαν.

Et dux νομιμώτατε, *Vale, & Ordinem æſtivorum tuorum.*] Male hunc locum diſtingui recte viderunt Glareanus, Torrentius, Salmaſius. *Et* h. l. nihil eſt niſi indicium capitis alius epiſtolæ Auguſti. Copeſii liber, ut alii, quos Beroaldus, Torrentius & alii inſpexerunt: *Dux* εὐβουλέστατε. In margine eadem manus vertebat: *Dux conſultiſſime.* Nec video quid cauſæ ſit, cur repudiemus lectionem codicis Urſini, & editionis R. Stephani: *Ordinem æſtivorum tuorum ègo vero, mi Tiberi, laudo.* Mihi ſane magis arridet quam abruptum hoc dicendi genus, quo minime delectatus eſt Auguſtus, ſi Suetonio fides.

Sive

Sive quid ſtomachor valde, medius fidius Tiberium meum deſidero.] Novi apud Ciceronem eſſe *ſtomachor omnia*: codex tamen Salmaſianus: *ſive quid ſtomachorum, vel de medius fidius.* Unde Nicolaus Heinſius conjiciebat: *ſive quid ſtomachoſum.* Scilicet incidit.

23. *Quoniam ſiniſtra fortuna.*] Probo ſcripturam codicis Salmaſiani: *quoniàm atrox fortuna.* Sic ſæpe apud Senec. *atrocitas fortunæ.*

25. *Germaniciani.*] Paulus JCtus in l. 35. §. 4. D. *Ex quibus cauſis majores*, eadem terminatione *urbanicianos* milites dixit. Coetier.

Ante omnia ut æquarentur ſtipendio prætorianis, Germaniciani quidem.] Secutus ſum diſtinctionem & lectionem editionis Stephanianæ: *ante omnia ut æquarentur ſtipendio prætorianis. Germaniciani quidem:* quam merito probavit Caſaubonus, & Torrentius firmavit ex codice Tornacenſi.

26. *Vix unius bigæ.*] Hoc & laudi datur in vetere inſcriptione apud Gruterum Veratio L. F. Pal. Severiano, equiti Romano: *Huic cum & populus in ſpectaculis adſidue bigas ſtatui poſtulaſſet, & ſplendidiſſimus ordo merito decreviſſet, pro inſita modeſtia ſua unius bigæ honore contentus, alterius ſumptus reipublicæ remiſit.*

Civicam in veſtibulo coronam.] Ritum illuſtrarunt dudum docti viri pulchre. Sed in loco Valerii Maximi, quem adfert Caſaubonus, hæret menda. Nam pro vulgatis: *qua poſtea Auguſtæ domus ſempiterna gloria triumphant*, legendum: *quæ poſtes Auguſtæ domus ſempiterna gloria triumphant.* ut apud Ovidium:

Poſtibus Auguſtis eadem fidiſſima cuſtos
Ante fores ſtabis, mediamque tuebere quercum.

Uſque in Idus Majas.] Lapis Nolanus docet in VII. Idus Majas Tiberium conſulatum geſſiſſe.

TI. CÆSAR. AVG. V.
SVF. VII. ID. MAI. FAVSTVS.
CORNELIVS. SVLLA.
SEXTEIDIVS. CATVLL. COS.
SVF. K. IVL. L. FVLCINIVS.
TRIO. COS.
SVF. K. OCT. P. MEMMIVS.
REGVLVS. COS.

Unde doctiſſimus Noriſius Suetonium erroris arguit. Sejani autem nomen in hoc monumento non legi, quia id ſculptum ſit poſt Sejani damnationem, recte notat. Vide illius epiſtolam Conſularem Tom. XI. Theſauri Antiquitatum Romanarum p. 404. Cl. Pagius autem putat Suetonium Iduum nomen abſolute poſuiſſe, nec voluiſſe definire, ad quem Iduum diem illam dignitatem ſuſtinuerit. Idus enim & Kalendas nonnunquam ſic accipi apud veteres probat ex regula S Benedicti cap. 48. ubi Kalendas Octobres poni pro XVIII. Kalend. Octobres. Sed quia meliorum temporum ſcriptoris Latini auctoritas deſideratur, exiſtimo in antiquis Suetonii libris excidiſſe numerum VII. quem nobis ſervavit inſcriptio Nolana.

26. *Ullis niſi ad reges ac dynaſtas epiſtolis.*] Cod. Salm. *nullis niſi ad reges ac dynaſtas epiſtolis.* Dein omnino reponendum ex Salmaſ. & Rob. Steph. *nec amplius quam mox tres Conſulatus.* paullo inferius, Salmaſ. *ſenatum ſe audiſſe.* legendum *adiſſe* cenſet Salmaſ.

28. *Sed & adverſus.*] Sic ſcripſi cum cod. Salmaſ. & tribus Palat. aliiſque libris veteribus & Grutero.

Hoc prætextu.] Cod. Salmaſ. *prætexto.* Ita noſter Cæſ. cap. XXX. *Et prætextum quidem illi civilium armorum hoc fuit.*

30. *Legionum & auxiliorum deſcriptione.*] Cod. Salm. *diſcriptione.* nec dubito, quin ubique, ubi *deſcribere* & *deſcriptio* in hac notione ponitur, pro diviſione & diſtributione ſcilicet, legendum ſit *diſcribere* & *diſcriptio*, uti & Lambinus & alii viri docti in membranis antiquiſſimis ſcriptum invenerunt. ſed de hoc agemus alibi accuratius.

31. *Eiſdem aſſurgere & decedere de via.*] Sic & C. V. Salmaſ. cum Torrentianis: *Eiſdem & aſſurgere & decedere.* bene.

32. *Venientem eum.*] Sic codex Salmaſ. & Palatini, quorum auctoritatem ſecutus Gruterus pridem hanc, quæ exciderat, particulam reſtituit ſuo loco.

33. *Aſſidebatque miſtim.*] Codex Salmaſii quoque *juxtim*, hoc eſt prope, juxta, quod verius puto vulgato *miſtim.*

Vel ex adverſo.] Salm. Cod. *vel ex adverſum*, ut *inante, exante, inſimul*, & hujus generis alia. mox idem *Pollentina plebs*, pro vulgato *Polentina.* Sic & ſuperius in Auguſto, *ex adverſum*, ubi itidem editi *ex adverſo.*

Exercuit principem.] Optime Turnebus ex vett. codd. *exeruit principem*, hoc eſt, oſtendit ſe imperare. Firmant Turnebi emendationem codices Palatini duo, quos merito Gruterus ſequitur. Ovid.

Tu Piſo latentem Exere.

34. *Mercedibus ſcenicorum reciſis.*] Sic ex Salmaſiano libro veteri, & duobus aliis Mss. Torrentii & Stephani editione reſcripſi. Vulgati *reſciſſis.* Aliud eſt *reſcindere*, aliud *recidere.* Reſcindere eſt irritum facere, ut capite præcedente: *conſtitutiones quaſdam ſenatus reſcidit.* ubi cod. Salmaſ. male *recidit*, ut etiam hinc liqueat iſta verba ſæpe in membranis antiquis permutari. *Recidere* vero eſt minuere, tollere ſupervacua. Et jam olim ſic ſcribendum eſſe monuit ſagaciſſimus ille J. Fr Gronovius, cui Suetonius, & omne genus ſcriptorum tantum debet, quam ulli alii, qui ſtudium in eis emendandis poſuit.

Quotidiana oſcula.] Ms. Salmaſ. *cotidiana*, ut fere vetuſtiſſimi quique codices, & inſcriptiones vetuſtæ: *cottidianus.* Paulo poſt idem codex: *Con-*

 ſue-

ſueverat quadriplam ſtrenuam & de manu reddere. ubi vides *ſtrenuam* pro *ſtrena* ſcribi æque ut in Liſlæi codd. & Gloſſario. Sic & ſuperius in Auguſto c. 57. in eodem Salmaſiano codice legitur *ſtrenua.*

35. *Pridie ſortitionem.*] Sic & Salmaſianus codex. Nollem Gruterum probaſſe Palatinorum librorum lectionem, qui cum nonnullis aliis præferunt *ſortitione ductam.* Nihil verius expoſitione Turnebi.

37. *Populares tumultus exortos graviſſime coërcuit.*] Cod. Salmaſ. *populares tumultus & ortos graviſſime coërcuit.*

Cotii regno.] Ms. Salmaſ. Rob. Steph. aliæque veteres editiones: *Cotti.* Hinc *Cottiæ Alpes.* Sic & nomen iſtud ſcribitur in antiquis marmoribus. Male Urſinus hic legendum ſtatuit *Cotis*, ut bene monuit Caſaubonus.

Partem majorem plebis.] Ms. Salmaſ *plebei*, & ſic ubique. Frequentius veteres hac flexione ſunt uſi. Sic in antiquiſſimis libris & inſcriptionibus fere ſemper, *tribunus plebei.*

Thraſcypolim Thracem.] Quam varie in libris ſcribatur hoc nomen, monuerunt docti viri. Rectiſſime ſcribitur apud Tacitum *Rheſcyporim*, pro quo more Dorum Dio *Rhaſcyporim* ſcripſit. Omnem dubitationem nobis eximunt duo nummi ærei, quorum alter eſt hujus, alter alterius Rheſcuporidis, qui nepos illius fuit, & vixit tempore Neronis. in altero legitur ΡΗϹΚΟΥΠΟΡΙΔ. in altero, ΡΙϹΚΟΥΠ. quos debemus CL. Vaillantio in notis, quas dedit ad ſelecta Seguini numiſmata. Doleo non id ſecutos eſſe librarios in hac editione.

41. *Non decurias Equitum unquam ſupplerit.*] Interpretes male hæc de decuriis judicum ſupplendis intelligunt, cum judices nunquam vocentur equites, quamvis ex equitum ordine legerentur. Itaque decurias equitum hic eſſe, qui legebantur, ut mererent in ala, a Cenſore. Decuriam eſſe tertiam turmæ partem, cui qui præſit, dici decurionem, decem turmas eſſe alam: Equites vero, qui in decurias judicum referantur, ad hanc functionem legi a prætore docuit Vir inſignis Ph. a Turre ad monum. Veteris Antii cap. 3.

42. *Quaſi civitatis oculis remotus.*] Cod. Salm. Copeſ. & R. Steph. edit. *quaſi civitatis oculis remotis.* quod & non improbandum.

Seſtio Gallo.] Cod. Salm. *Seſtio Gallio.*

43. *Sellariam.*] Codex Salmaſii cum Palat. primo & ſecundo & duobus Torrentianis: *ſellaria.*

Caprineum.] Pulchre H. Grotius emendavit: *καπριᾶν eum*, aut ut politiſſimus Rutgerſius *καπρᾶν eum.* Eo alludit quoque illud Atellannæ dictum; *Hircum vetulum Capreis naturam ligurire*, ubi alluſum eſt ad inſulam Capreas ſimul & ad laſciviſſimum animal.

44. *Quod mutuo flagitium exprobrabant.*] Rectius codex Salmaſ. *exprobrarant.*

45. *Quam perductam.*] Male mutatum vult Caſaubonus. Non *producere* & *deducere* ſola ſunt verba lenonia, ſed & *perducere.* Juſtin. IX 6. *Perductum in convivium ſolutumque mero Attalus non ſuæ tantum, verum & convivarum libidini velut ſcortum vile ſubjecerat.* Hinc *perductores* in I. Verrin. Ciceroni lenonum ſunt ſocii, fœdarum ſcilicet noctium conciliatores: *Lenonum, aleatorum, perductorum nulla mentio fiat.*

Unde nota in Atellanico exodio.] Ms. Salmaſ. & ceteri fere omnes, *unde mora in Atellanico exodio.* quod non erat mutandum. *Mora* eſt femina fatua, aut quæ fatuæ feminæ in illo exodio partes agebat, ſicut *morio*, qui viri fatui perſonam ſuſtinebat. Sic in Claudio cap. 38. *Μωρῶν ἀνάϛασις.* in Ner. 33. *Nam & morari eum inter homines deſiiſſe, producta prima ſyllaba jocabatur.* Plaut. Trinummis: *Is mores hominum & moros & moroſos facit.* Idem Mil. glor. II. 4. *Ego ſtulta & mora multum, quæ cum hoc inſano fabulem.* Ibid. A. III. I. *Morus es. Nam in mala uxore atque inimica ſi quid ſumas, ſumtus eſt.* Sed forte rectius legeretur: *unde mora in Atellanico exodio proximis ludis aſſenſu maximo exceptum percrebuit.*

46. *Sed Græcorum.*] Sic codex Salmaſ. Palat. priores duo, edit. R. Stephani, Gruteri, aliorumque. In aliis vero editionibus & vetuſtis membranis quoque legitur: *gratorum.* Et forſan ſcripſit Suetonius *Grajorum.* quod & Gronovio in mentem veniſſe audio. Sæpe pro *Grajus* ſcribi *gratus* in libris veteribus oſtendit pluribus exemplis decus meum & litterarum Nicolaus Heinſius ad v. Faſt. v. 8. & ad carminis de Phœnice, quod Lactantio tribuitur, v. 70. C. Nep. præfat: *Non admirabuntur nos in Grajorum virtutibus exponendis mores eorum ſecutos.* P. Mel. II. 3. *Calcatum Grajo Herculi ſolum.* Sicut autem hic *Gratorum* pro *Grajorum* ſcribitur, ſic apud Gratium in Cynegetico *Gratia* pro *Græcia*: *quem plurima ſemper Gratia per noſtros unum teſtabitur uſus.* Ubi ſine dubio ſcribendum *Græcia.* Viciſſim vero apud Juſtin. VIII. 4. legendum *gratiæ imperantis æmulos* pro vulgato *Græciæ*, ut in notis oſtendimus. Cave vero cum Boxhornio per Græcos intelligas hic paraſitos, aut viles & contemptos homines, ſed doctos viros, Philoſophos, Rhetores, & Grammaticos, quos in contubernio habuit, & quotidie poſitis quæſtionibus exercuit, ut bene Caſaubonus docuit. Cap. 56. *Græculos convictores* dixit: *Nihilo lenior in convictores Græculos, quibus vel maxime acquieſcebat.* qui illi fuerint, in ſequentibus illius capitis verbis oſtendit, nimirum Zeno, Seleucus Grammaticus, Theodorus Gadareus Rhetor. vide & cap. 70. Talis etiam fuit comitatus Milonis. Cic. pro Milone: *Obviam fit ei Clodius expeditus in equo, nulla rheda, nullis impedimentis, nullis Græcis comitibus, ut ſolebat.* Et Piſonis.

Idem

Idem in Piſon. *Atque hoc quidem etiam iſti tui dicunt voluptarii, Græci: quos utinam ita audires, ut erant audiendi.* vide ſequentia & orationem pro Archia. Hunc morem & Vonones ex diſciplina & conſuetudine Romanorum in regnum Parthicum reverſus tenebat, quo popularium in ſe invidiam & irriſum concitavit. Tacit. Annal. II. *Irridebantur Græci comites, ac viliſſima utenſilium annulo clauſa.*

47. *Quo peracto pleroſque modeſtia.*] Recepi emendationem Lipſii ſcribentis, ſuffragante Grutero, *quo pacto*, quæ confirmatur duobus Palatinis prioribus.

48. *Excepta Aſia disjectis terræ motu civitatibus.*] Inſigne marmor in memoriam hujus munificentiæ Tiberianæ, ante non multos annos inventum fuit Puteolis, cum ſignis duodecim urbium a Tiberio reſtitutarum, quod docte illuſtravit amicus meus, Vir CL. Theodorus Laurentius Gronovius, quem vide.

50. *Juliæ uxori tantum abfuit.*] Codex Salmaſianus & hic & ubique *afuit*, ſicut & Virgiliani vetuſtiſſimi libri, & quorumvis aliorum ſcriptorum.

Quibus tantum interdum & ægre uti ſolebat.] Nihil verius eſt ſcriptura cod. Salmaſiani: *quibus tamen & interdum & egere & uti ſolebat.* ſubſcribunt tres Palat. & R. Stephani editio applaudente Grutero.

Actum a ſenatu.] Et hic melius Salmaſianus codex: *actum in ſenatu*, cui & hic adſtipulatur perinſignis R. Stephani editio.

Admonuit, quod non majoribus.] Glareanum, Stephanum, Torrentium edidiſſe video: *admonuit, majoribus nec convenientibus fœminæ negotiis abſtineret.* Ut Cicero ſecunda in Catilinam: *ſed eos hoc moneo, deſinant furere ac proſcriptiones & dictaturas cogitare.* Quomodo igitur in Caſauboni editione inſinuavit illud ſemibarbarum, *quod non?* Nihilo melius quam apud Ovidium 5. Triſt. eleg. 1. *Præmoneo, nunquam ſcripta quod iſta legat.* Sed auctoris fuiſſe cenſeo: *Præmoneo, non eſt ſcripta quod iſta legat*, ut Gronovius pater ὁ πάνυ docet. Sane non conſpicitur etiam *quod non* in Salmaſ. codice, nec in Copeſiano. R. Stephani & Gruteri edit. male ſtant pro vulgata.

51. *Allegeret.*] Ms. Salmaſ. *adlegeret.* Sic ſemper vetuſtiſſimi codices: ſicut & in iiſdem membranis, uti etiam numis & marmoribus, ſemper *adlocutio* ſcribitur, non ut vulgo *allocutio.*

Toto quidem triennio.] Bene librorum lectionem tuetur Caſaubonus contra Lipſium emendantem: *toto quidem biennio.* Adſtipulatur Caſaubono Pagius, qui oſtendit Suetonium tres annos incompletos dixiſſe totum triennium, ut ſæpe veteres ſoliti ſint loqui. Sic Suetonius in Tib. c. 15. *Cajo & Lucio intra triennium defunctis*, cum tamen in Auguſto c. 65. ſcripſerit: *Cajum & Lucium in duodeviginti menſium ſpatio amiſit ambos.* Itaque in ſuperiore loco itidem Lipſius *biennium* volebat corrigi perperam. Nam Suetonius utrumque extremum annum incompletum pro integro poſuit, licet in ultimo nec duo menſes integri effluxerint. Nam Lucium Cæſarem circa menſem Septembrem anni Chriſti ſecundi, Cajus vero Februario quarti anni obiit. Eadem ratio eſt illius περικοπῆς in ſacris litteris, ubi Chriſtus dicitur tres dies & tres noctes futurus eſſe in corde terræ, cum tamen primi & ultimi diei paucis horis tantum fuerit in ſepulchro. Nimirum dies primus & tertius imperfecti pro perfectis accipiuntur.

52. *Ut & præclara facta ejus pro ſupervacuis elevaret.*] Ms. Salmaſ. Copeſ. & Rob. Steph. editio: *elevarit.* Stephanus quoque *increparit.*

Putant quidam mandata prolaturum, niſi ea ſecreta obſtarent. per quæ multifariam increpitum.] Codex Salmaſ. & Copeſ. *niſi ea ſecreto oſtentant quæ multifariam inſcriptum. Secreto* exſtat etiam in Palatinis duobus, & uno Torrentiano. Locus eſt corruptus, ſed qui ſanari poſſit, nondum mihi liquet. Conjiciebam quidem: *niſi ea ſecreta mors tegeret*, aut *occultaret.* ſed nihil affirmo. vide Tacit. III. Ann. 17. Nec rejiciendum exiſtimem illud *inſcriptum*, quod & Palatinus ſecundus retinet, cum pluribus aliis. Inſcriptum nimirum fuit multifariam, hoc eſt, in multis locis, ſicut & acclamatum fuit: *Redde Germanicum.* Hæc utique vera lectio eſt. nihil inſulſius illo *increpitum*, hoc quidem loco.

53. *Simulans ſe veneni crimine accerſitum: cum præſtructum.*] Legendum ex codice Palatino ſecundo, Copeſ & Robert. Stephani editione: *arceſſi: cum præſtructum.* Cui adſtipulantur codex Salmaſii & Palatinus tertius, niſi quod corruptam ſequantur ſcribendi rationem *accerſi* pro *arceſſi.* in Palat. primo eſt *accerſiri*, quæ omnia ſunt ſeculorum barbarorum. Melior ætas ubique ſcripſit *arceſſi*, uti hæc jam certa & decreta habentur apud eruditos homines.

Strangulatam.] Codex Salmaſ. *ſtrangylatam.*

54. *Perderentur.*] Ms. Salmaſ. *proderentur*, quod non rejecerim. prodere enim ſæpe eſt perdere. Terent: *prodidiſti te, & illam miſeram, & gnatum, quod quidem in te fuit.* ſic *prodita cauſa*, eſt perdita. Exempla alia ſunt obvia.

Amborum ſic reliquiis diſperſis.] Sequor trium Palatinorum & codicis Salmaſiani, nec non Copeſiani, ac Stephanianæ editionis ſcripturam: *reliquias diſperſas.* pendent enim a præcedente *putant.*

55. *Vix duos aut tres.*] Codex Salmaſ. *anne tres.* & ſtatim idem *benivolentia.*

Nepotemque ſuum ex Druſo filium naturalem.] Stultus ſit, qui non videat cum Salmaſ. cod & R. Steph. edit legendum: *nepotemque ſuum ex Druſo filio naturalem.*

56. *Zenonem.*] Codex Salmaſ. Copeſ. & prim. Palat. *Xenonem.*

Relegavit Cinariam.] Forte: *relegavit in Ænariam.*

57. Πηλὸν αἵματι πεφυραμένον.] Adjicit interpretationem codex Salmaſ. *id eſt, lutum a ſanguine maceratum*, quam & in nonnullis Caſaub. reperit. Per *lutum* lenta natura, per *ſanguinem* ſævitia Tiberii ſignificatur. Codices qui legunt συμπεφυρμένον tuetur Nazianzenus in oratione περὶ φιλοπτωχείας, Οὐκ οἶδα, καὶ πῶς εἰκών τε εἰμὶ Θεοῦ, καὶ τῷ πηλῷ συμπεφύρομαι. *Neſcio & quomodo ſimul & imago Dei ſim, & cum cœno miſcear*, vel *macerer.* male interpres Pariſienſis, *& cum cœno voluter.*

Qui prætereunte funere elato mortuo mandarat.] Ms. Salmaſianus & R. Stephani editio & ceteræ omnes, *clare mortuo mandarat.* quod malim. Cum enim præteriret funus, efferebatur utique. Videtur itaque *elato* hic ſuperfluum, & recte pro eo legi in antiquis libris: *clare.* quod ex uno codice immutavit Caſaubonus, quia Dio in aurem mortuo inſuſurraſſe hæc ſcurram ſcribit.

58. *Qui honores in colonia ſua eodem die decerni ſibi paſſus eſt.*] Cod. Salmaſ. *honorem.*

59. *Et Marium, ſi vis, adſpice.*] Iſtud *ſi vis*, valde friget. Forte & *Marium in vivis adſpice.* hoc eſt, Marium redivivum, qui æque crudeliter ſævit in optimates ac nobiles viros ac Marius fecerat.

Ab impatientibus Romæ dominii.] Codex Salmaſii & Copeſ. optime: *ab impatientibus remedium*, omiſſa ſyllaba, pro *remediorum*, qui nollent luxum & alia vitia corrigi.

61. *Adverſus liberos Germanici filii ſui.*] Sic codex Salmaſianus. Idem deinde: *ſingillatim*, pro *ſigillatim* cum R. Stephano, & ſic ubique ſcribendum: eſt enim a *ſingulus*, ut ſupra notatum.

Nullus a pœna hominum ceſſavit dies.] Quinam alii puniebantur, quam homines? Exiſtimo Suetonium ſcripſiſſe: *nullus a pœna omnino ceſſavit dies.*

Cum liberis ſuis.] Cod. Sal. *a liberis ſuis.*

Agamemnonem probris laceſſiſſet.] Mortuus, cui maledicitur, neſcio quam bene probris laceſſi dicatur. Mallem *laceraſſet*, aut *læſiſſet.* Cod. Salmaſ. *Agamemnoni propriis laceſſiſſet.* Scribendum puto: *Agamemnoni propriis ſe laceſſiſſet.* ipſum Tiberium ſub perſona Agamemnonis perſtrinxiſſet, quod ſæpe faciebant. ſic in Octav. ſub Galli tympanizantis perſona creditus fuit Auguſtus traduci:

Videſne, ut cinædus orbem digito temperet?

Aut forte ſcribendum: *Agamemnoni probra is ingeſſiſſet.* ut inferius cap. 66. *nullo non damnatorum omne probri genus coram, vel per libellos in orcheſtra poſitos ingerente.* & ſuperius c. 54. *Amariſſime congeſtis etiam probris.*

Et ad vexationem ignominiamque.] Codex Salmaſ. *ſed ad vexat.* ſcribe: *ſed & ad vexationem.*

Carnulium.] Codex Salmaſ. *Carnulum.* Palat. ſec. *Carmulum.* Primus, *Carrulum.* Sic ſtatim Salmaſianus, *Carrulus me evaſit.*

Frequenti quondam convivio.] Codex Salmaſ. *quoddam.* leg. *frequenti quodam convivio.*

63. *Haruſpices ſecreto & ſine teſtibus conſuli vetuit.*] Hoc etiam poſtea vetuit Juſtinianus Imperator, & quidem ſub pœna capitis l. 3. C. de Maleficis & Mathematicis: *Nullus haruſpex, nullus ſacerdos, nullus eorum, qui huic ritui ſolent miniſtrare, ad limen alterius accedat, nec ob alteram cauſſam; ſed hujuſmodi hominum amicitia, quamvis vetus, repellatur, concremando illo aruſpice, qui ad domum alienam acceſſerit: & illo in inſulam deportando, poſt ademtionem bonorum, qui eum advocaverit ſuaſionibus vel præmiis.* Hoc ante Imperator Conſtantinus quoque vetuerat, ut conſtat ex Codice Theodoſiano, eodem titulo leg. 2. in qua tamen permittit conſulere haruſpices publice. Nam cum ſanxiſſet propoſita pœna, ne quis haruſpex adeat privatam domum, addit: *Qui vero id vobis exiſtimatis conducere, adite aras publicas atque delubra, & conſuetudinis veſtræ celebrate ſollemnia: nec enim prohibemus præteritæ uſurpationis libera luce tractari.* Vide quæ de his legibus diſputat Gothofredus in commentario ad Codicem Theodoſianum ad hanc legem & ſequentes.

Non auſus a ſe dimittere.] Palatini duo non agnoſcunt illud *a ſe.* Mox ſcribendum cum Salmaſiano codice & R. Stephani editione: *uſque eo detinuit.*

65. *Qui ſenem ſe & ſolum.*] Cod. Salmaſ. *qui ſe ſenem & ſolum.* & paulo poſt legit Salmaſius: *& ducem conſtitui.* que in ejus libro deſideratur.

Quem vinculis continebat.] Scripſit, credo, Tranquillus: *quem in vinculis.*

67. *Exempli cauſa cavendum.*] Codex Salmaſ. & R. Stephani editio: *cavendum eſſe.*

68. *Crebri & ſubtiles tumores.*] Quid Latinis ſit *ſubtilis tumor*, equidem ignoro: quid barbaris ſignificet, novi, hercule, optime. Sed hos non moror. Latine ſcripſit Suetonius. Itaque non poſſum non probare lectionem codicum, quibus uſus eſt Caſaubonus & Pulmannus, in quibus legitur, *crebri & ſubiti tumores.* cui adſtipulantur codex Salmaſianus & duo Palatini, optimæque editiones Roberti Stephani & Jani Gruteri. *Subitus tumor* eſt qui ſubinde oritur celeriter, & poſt evaneſcit. Lipſium, qui ad Tacit IV. Annal. c. 66. corrigit *ſubſtilli*, aut *ſubſtilles*, miror magis, quam audio. Eſt enim Latio hæc vox inviſa, quamvis *ſubſtillum* ſemel iterumque inveniatur.

Demum rurſum hebeſcebant.] Non male codex Salmaſ. *deinde rurſum hebeſcebat.*

70. *Hiſtoriæ fabularis.*] Non tam ea eſt, quæ narrationibus poëticis referta eſt, quam quæ perſequitur res fabuloſi temporis, quod Græcis μυθικὸν dicitur, & *heroicum*, de quo Varro apud Cenſorinum:

rinum: *Secundum* (diſcrimen temporum) *a cataclyſmo priore ad Olympiadem primam: quod quia in eo multa fabuloſa referuntur, μυθικὸν nominatur.* Oſtendunt quæſtiones hic ſubjectæ, quæ omnes ex hiſtoria temporis mythici.

71. *Sermone Græco, quanquam alias promtus.*] Melius cod. Salmaſ. & R. Stephani editio, *quanquam alioqui promtus.* Sic enim loquuntur Cicero melioreſque ſcriptores. Non tamen propterea cum Scioppio exagitaverim & tanquam ultimos litteratorum irriſerim, qui *alias* pro *alioqui* aut *aliter* uſurpant. Sic enim accipit non ſolum Suetonius in Aug. cap. 94. *Ac die proximo obvium ſibi Auguſtum, cum incognitum alias haberet, non ſine admiratione contuitus, ſimillimum dixit puero, de quo ſomniaſſet.* ſed & Terentius in Andria, teſte Soſipatro Chariſio lib. 2. Inſtit. *Alias pro aliter. Terent. in And. Quid alias malim quam hodie has fieri nuptias.* quanquam Fl. Caper de Latinitate *alias* pro *aliter* dubitet.

Cum ἔμβλημα recitaretur.] Quid ſint emblemata, dudum nos docuerunt eruditi. *Emblemata inſertas* Latine dici putavit illuſtriſſimus Scaliger, ſed uno Publii Syri, altero Tertulliani loco ſummum virum deceptum fuiſſe, oſtendit pridem in Exercitationibus Plinianis Salmaſius. Ἔμβλημα auctor Gloſſarum *Gemmam* interpretatur. Paulo melius dixiſſet, ſi *inſertam gemmam* interpretatus fuiſſet. *Inſertæ feneſtræ* occurrunt apud Virg. quæ parieti immiſſæ ſunt. 3. Æn. v. 152. *qua ſe Plena per inſertas fundebat luna feneſtras.* quo in loco titubarunt veteres Grammatici. Serv. *Inſeratas, aut clatratas, aut non ſeratas; ut ſit quaſi inſeratas, id eſt, non clauſas.* Liquet in eodem errore fuiſſe Gloſſarum auctorem, quiſquis eſt, cum ἀνεωγμένας *inſectas* interpretatur. ubi *inſertas* ſcribi debet, ut ex Gloſſis Latino-Græcis liquet. Atque hunc Virgilii locum in animo habuiſſe Grammaticum illum, cum hoc ſcriberet, vero ſimile eſt, cum poëta hic ſæpius ab ipſo citetur. COETIER.

72. *Erat ei in oblectamentis ſerpens draco.*] Ex hoc genere manſuetorum draconum fuerunt, in quos a poëtis finguntur mutati eſſe, Cadmus & uxor ejus Harmonia, de quibus Ovid. IV. perpetui operis:

- - - *At illis*
Lubrica perlucent criſtati colla dracones,
Et ſubito duo ſunt: junctoque volumine ſerpunt,
Donec in appoſiti nemoris ſubiere latebras.
Nunc quoque nec fugiunt homines, nec vulnere lædunt:
Quidque prius fuerint, placidi meminere dracones.

Aſturæ in languorem incidit.] Gruterus repoſuit ex tribus Palatinis: *Aſturæ ſtatim in languorem incidit.*

73. *Lucilliana.*] V. cod. Salmaſ. *Lucullana.* Et ſic omnino legendum. A *Lucillius* enim eſt *Lucillianus*, ſed a *Lucullus* eſt *Lucullanus.* ut apud Symmachum VI. ep. 71. *Quædam Lucullanis operibus æquanda feciſſe.*

Morte ejus ita lætatus eſt populus.] Codex Salmaſ. *Mortem ejus ita lætatus eſt populus.* Quod non reprobem. Cic. *Illud in primis mihi lætandum eſſe jure video.* Et: *Utrumque lætor, & te ſine corporis dolore fuiſſe, & animo valuiſſe.*

IN CALIGULAM.

Cap. 1. *Præter livores, qui toto corpore erant.*] Hoc *erant* non videtur eſſe a manu Suetonii. Equidem valde languet hoc in loco. Tranquillum autem ſcripſiſſe cenſeo: *præter livores, qui toto corpore extiterant,* hoc eſt, orti erant, apparebant. Superius in Auguſto c. 94. *Statim in corpore ejus extitiſſe maculam velut dipicti draconis, nec unquam potuiſſe exigi.*

3. *Oravit cauſas etiam triumphalis.*] Codici Viterbienſi & Pithœano ſubſcribit Palatinus primus ac tertius, quos merito Gruterus ſequitur, & Caſaubonus.

Clientelas diu vexanti.] Baudius non inepte corrigit: *clientelas divexanti.* Sic & Salmaſius.

5. *Tamen longe minora.*] In Epigrammate vetere, quod adfert Caſaubonus ad hunc locum:

Admoneat, patriæ fraude quod hic jaceo.

legendum vidit Caſaubonus:

At moveat, patriæ fraude quod hic jaceo.

recte *at moveat*, pro *admoveat*. Sed quæ fuit illa *patriæ fraus*, quæ eum perdidit? Atqui patriæ fuit in deliciis & amoribus, ſi quis umquam. Emendandum ſine dubio:

At moveat, patrua fraude quod hic jaceo.

Patrua fraus, ut *patruæ verbera linguæ.* Nimirum patrua fraus eſt Tiberii patrui fraus, ut nemo non videt.

Conſenſiſſe ad inducias] Salmaſ. *Conſenſiſſe ad indutias.*

6. *Romæ equidem.*] Non male codex Salmaſ. *Romæ quidem*, quod omnino prætulerim vulgato, & ſic quoque Robertus. Stephanus.

Revulſæ ædes] Salm. *Revolſæ ædes.* ut *Volnus, Volcanus* antiquis Codd.

7. *Cujus effigiem habitu Cupidinis.*] Iſtam effigiem hujus pueri videre licet in antiquo Achate illo ſtupendi operis, qui in gazophylaceo Chriſtianiſſimi Regis ſervatur, complectens ἀποθέωσιν Auguſti, & totius fere ejus gentis deſcriptionem artificioſiſſimam, quam ex ſchedis A. Rubenii edidi olim cum doctiſſimis viri elegantiſſimi explicationibus inter alia ejus opera poſtuma.

8. *Quæ ſola actorum reſtat & publici inſtrumenti auctoritas.*] Cod. Salmaſ. *quæ ſola auctor reſtat.*

Sic & Palat. ſecundus. primus, *quæ ſola auctore reſtat.* tert. *ſola auctorum.* Nihil certius Caſauboni emendatione. quam non probarem, niſi fide meliorum codicum niteretur. *Actorum* tanquam interpretatio *publici inſtrumenti* margini adſcriptum ex præcedentibus, in contextum irrepſit.

11. *Et ſe nutricem.* (*ſerpentis id genus*) *populo Romano.*] Hæc verba *ſerpentis id genus*, nullus dubito, quin a diſcipulo ex ore magiſtri interpretantis vocem *natrix* ſint profecta, & margini adſcripta, ex margine vero inſarta contextui.

15. *Antoniæ aviæ, quidquid unquam Livia Auguſta honorum cepiſſet, uno ſenatus conſulto congeſſit.*] Nimirum, ut ſicut Livia diceretur Auguſta, ac ſacerdos Divi Auguſti, ut non ſolum ex Dionis lib. LIX. & inſcriptione antiqua apud Gruterum CCXXXVI. ſed & ex numo præclaro Antoniæ, teſte Ill. Spanhemio diſſert. VII. de antiquis numiſm. conſtat.

HABEO.] Codex Salmaſ. ABEBO. Editio etiam Rob. Stephani: *habebo.* & mox, QUAM CAJUM ET ABEO SORORES EJUS. unde Salmaſius legendum vidit *quam Cajum habeo & ſorores ejus.*

16. *Centeſimam auctionum.*] Codex Salmaſ. tres Palatini, & Rob. Stephani editio cum pleriſque omnibus aliis antiquis libris & editionibus: *ducenteſimam.* Repugnat, fateor, Dio; ſed & in multis aliis rebus diſſentit Suetonius a Dione, ut propterea conſenſus iſte antiquorum librorum minime ſit aſpernandus, quem firmat antiquiſſimus ac elegantiſſimus numus Caligulæ, quem ad hunc locum produxit Vir & amicus eximius Carolus Patinus. In illo legitur: C. CÆSAR DIVI AVG. PRON. AVG. In medio SC. In adverſo latere: P. P. COS. TERT. PON. M. TR. P. III. In medio R. CC. hoc eſt, ut recte interpretatur ὁ μακαρίτης, *Remiſſio Centeſimæ*, aut *Remiſſa Centeſima*, ut in numo Galbæ R. XL. eſt remiſſa quadrageſima.

Et redituum medii temporis.] *Fructus* & *reditus* Latinis eandem rem ſignificant. Ciceroni frequentius eſt τὸ *fructus* quam *reditus.* Vides ergo inepte dici *fructus redituum.* Codex Salmaſ. & Rob. Steph. editio legit *reditum.* quod omnino probo, niſi malis *reditus.* ſed & illud rectum eſt.

17. *Ex omnibus duos noviſſimos conjunxit.*] V. Cl. Pagius in Prolegom. diſſertationis de Conſulibus Cæſareis oſtendit, aut Suetonium hic ceſpitaſſe, aut ſcripſiſſe: *ex omnibus tres noviſſimos conjunxit.* ſc. Conſulatus ordinarios. Nam anno Chriſti 39. Cajus Aug. II. Coſſ. fuit cum L. Apronio Cæſiano. Anno Chriſti 40. Cajus Aug. III. Conſulatum ſolus geſſit. Anno 41. Cajus Aug. IV. & Cn. Sentius Saturninus Cos. fuit. Recte vero paullo ante Torrentium emendaſſe *primum ex Kal. Juliis*, duo Mss. quos evolvit & Noriſius, confirmant. Nam cum Tiberius Cn. Acerronio Proculo & C. Pontio Nigro mortuus eſſet, X. Martii, Cajus Caligula collega Claudio patruo conſulatum ſuſcepit, & dein prid. Id. Septembris eo ſe magiſtratu abdicavit.

18. *Quoſdam autem præcipuos.*] Recepi cum Grutero lectionem veterum librorum & editionum, quibus adſtipulatur Salmaſii codex & Palatini: *& quoſdam præcipuos.*

19. *Aggere terreno.*] Firmat lectionem editam loco Virgilii, ex XI. Æn. *terreno ex aggere buſtum* præſtantiſſimus Ortwynius.

20. *Aſtycos ludos.*] Codex Salmaſ. ut plerique veteres omnes: *Aſticos.* quod tamen improbat Scaliger: Inſtar eorum, inquit, qui ἐν ἄϛει Athenis, qui erant ludi ſcenici. Recte autem ἀϛυκοὶ per Y. Omnino ἀϛυκοὶ ἀγῶνες ſunt Græci inſtituti, ut ne mireris, quare ἀϛυκοὶ ἀγῶνες in urbe Græca Syracuſis a Caligula inſtituti. Philoſtratus: Ἦν μὲν ὁ παρὰ τοῖς Νεαπολίταις ἀγών· ἡ δὲ πόλις ἐν Ἰταλίᾳ ᾤκισαι· γένος ἕλληνες καὶ ἀϛυκοὶ, ὅθεν καὶ τὰς σπȣδὰς τῶν λόγων ἑλληνικοί εἰσι. Ergo ἀϛυκοὶ ἑλληνικοι, & ludi aſtyci ἑλληνίζοντες, qualia omnino τὰ ἐν ἄϛει διονύσια· Nam τὸ ἄϛυ ſunt veræ Athenæ. Hæc Scaliger. Cum vero manuſcriptorum codicum optimi & antiquiſſimi legant *aſticos*, *aſticorum* vero nullus ſcriptor Latinus meminerit, legendum cenſeo *ſelaſticos.* *Selaſtici* autem *ludi* Suetonio ſunt, uti & in antiqua inſcriptione Malphenſi apud Gruterum, qui Plinio XII. epiſt. 119. & ſeq. dicuntur *iſelaſtici*; ſicut illa ætate dicebant *Spania*, quod etiamnum obtinet, pro *Hiſpania.* *Iſelaſtici ludi* vero ſunt ludi ſacri, ut Olympiaci, Nemei, & qui ad eorum rationem inſtituti ſunt. Sic & apud Tacitum XII. Annal. c. 21. pro *caſticis ludis* legendum *ſelaſticis* ut pluribus oſtendo in Obſervationum mearum libris

Sed & certamen.] Codex Salmaſ. *Sed hic certamen.* leg. *ſed & hic certamen.*

21. *Regione Tiburi.*] Roberti Stephani & Torrentii editio & codex Salmaſianus: *regione Tiburti.* Optime.

22. *Olympici Jovis.*] Codex Salmaſ. *Olympi Jovis.* leg. *Olympii Jovis*, adſtipulantibus duob. Palatinis & aliis.

Ἐις γαῖαν Δαναῶν περάω σε.] Clare Salmaſianus codex: Ἤ μ' ἀνάειρ' ἢ ἐγώ σε. Robertus Stephanus Ἐις αἶαν Δαναῶν περάω σε· Cum lectionem præſtantiſſimi codicis Salmaſiani aſſerat quoque Viterbienſis & vetuſtiſſimus D. Marci Ms. quem Victorius inſpexit, nec non Dio, & Seneca de ira, cur non recipiamus, quid obſtet non video, præcipue cum rationes, quas attulit Torrentius, cur eam reſpuat, ſint frigidæ. Comminantis ſane magis vox eſt, quam timentis. vide Senecam loco, quem dixi.

23. *Aufidium Lingonem.*] Cod. etiam Salm. & Palatinus: *Lyrgonem*, alter *Lirgonem.* Unde recte emendavit Caſaubonus, *Lurconem.* Quin & ante

Caſau

Caſaubonum hanc præ ſe fert lectionem inſignis illa Rob. Stephani editio, quam merito cum Grutero ſequimur. Quid? quod etiam ſic emendandum cenſuit olim Fulvius Urſinus.

24. *Capitale fuit.*] Salm. *Capital fuit.* Juſt. 11. 7. *Capital eſſe apud Athenienſes coepit.*

26. *Ex Selena.*] Codex Salmaſ. & R. Steph. editio: *Selene*, Græcorum more.

Occurrere.] Codex Salmaſ. & Palat. ſec. *currere.* Sed alii Palatini *occurrere.* quod non eſt mutandum. *Occurrere* enim eſt præſto eſſe. Liv. XXXVII. *Quatere muros terraſque cœpit, deinde cum eo multitudo occurreret ad defendendum.* Cic. de orat. *Ipſi pedes occurrent orationi, ipſi, inquam, ſe offerent & reſpondebunt non vocati.* Idem II. ad Att. 22. *Domus celebratur, occurritur, renovatur memoria Conſulatus*, hoc eſt, præſto ſunt homines, cum illos voco. Sic & inferius cap. 39. *Comprehenſis ad deportandum meritoriis quoque vehiculis, & piſtrinenſibus jumentis, adeo ut panis Romæ ſæpe deficeret, & litigatorum plerique, quod occurrere abſentes ad vadimonium non poſſent, cauſſa caderent.* Et in Claud. 8. *Nam etſi paullo ſerius ad prædictam cœnæ horam occurriſſet.*

27. *Sævitiam.*] Salm. *ſævitiem.*

29. Ἀδιατρεψίαν.] Palatini tres: codex Salmaſ. Copeſ. Rob. Stephani editio legunt: Ἀδιατρεψίαν, *hoc eſt, inverecundiam.*

Omnia mihi & homini licere.] Probant alii lectionem, quæ in Roberti Stephani editione & non nullis aliis reperitur: *Omnia mihi in omnes licere.* Sed magnus Rhabodus Schelius ad Hyginum: *Omnia mihi in homines licere*, hoc eſt, in hominum omnium bona. Codex Salmaſ. & Copeſ. ut & Palatini tres, *& hominis.* ſed in tertio additum ab eadem manu, *in omnes:* quod & editiones vetuſtiores ſequuntur cum Grutero. Sane & ego hoc aliis prætulerim lectionibus, ſi accedat antiqui libri auctoritas.

31. *Sui oblivionem imminere.*] Bene Salmaſianus codex: *ſuo* nimirum principatui. poteſt tamen & vulgata ferri.

33. *Tam bona cervix ſimul ac juſſero, demetur.*] Vix dubito, quin olim fuerit exaratum, *tam bona cervix ſimul ac juſſero, demetetur.* Hoc enim verbum in hac re proprium eſt.

34. *Adverſus omnis ævi homines.*] Roberti Stephani editio cum nonnullis libris antiquis: *adverſus omne genus hominum.* Salmaſianus codex: *adverſus omnis ævi hominum genus.* Credo Suetonium ſcripſiſſe: *adverſus omne omnis ævi hominum genus.*

Licuit.] Sequor Rob. Stephanum & codicem Salmaſianum, qui merito ſcribunt, *licuiſſet*, & paulo poſt: *amoveret*, pro *amoverit.* mox pro *me hercle*, Salmaſ. codex: *mehercule.*

Præter eum.] Varie hic locus emendatur a viris doctis. Forte legendum: *ne qui reſpondere poſſint, præter ſe.* Rugerſ. Var. Lect. III. cap. 6. conjiciebat legendum eſſe, *præter reum.* acute. hoc ſenſu. Caligulam effecturum, quia JCtis invidebat, & minatus erat, ſe omnem eorum ſcientiam aboliturum, ne qui reſpondere poſſent præter eos, qui accuſati eſſent. Eſſe luſum in ambiguo in verbo *reſpondere.* Nam & JCti, quoties de jure conſuluntur, dicuntur reſpondere, & reſpondent rei ad crimina, quorum ſunt accuſati. Sed adhuc in mendo cubat, quod nulla vis ingenii, ſed ſolus liber antiquus bonæ notæ eluere poteſt.

35. *Accerſitum.*] Miror hanc ineptiſſimam vocem tolerari & in hoc & in aliis ſcriptorum, quos viri recenſuerunt doctiſſimi, locis plurimis, cum nihili ea ſit & a barbaris ficta, ut dudum homines eruditi tam liquido oſtenderunt, ut nulli dubitationi locus ſit, præſertim cum, ut hic Salmaſianus codex, ſic omnes membranæ paullo vetuſtiores ſemper præferant: *arceſſunt.* Et ſic ubique ſcribendum, ut ſupra monuimus. Unde enim *accerſo?*

Non alia de cauſſa repente percuſſit.] Cl. Perizonius legendum conjecit, *perculit.* Superius 55. *Ceteros alium alia de cauſſa perculit.* Et ſic paſſim noſter.

Erat Eſius Proculus.] *Erateſius* codex Salmaſ. Forte: *Cæſius Proculus.*

35. *Præceps per gradus iret.*] *Ire per gradus præcipitem* Latinis, credo, ignotum & inauditum loquendi genus eſt. Lege: *præceps per gradus rueret.*

37. *De cedris.*] In Palatino ſecundo legebatur *de ceterus*, quod tamen deletum erat, & ſubſtitutum *deceris.* Sic & Salmaſian. liber. ut de Turnebi emendatione non ſit poſthac dubitandum. Vox inſolentior aut deſcriptoribus aut ſciolis fraudi fuit. *Deceris* ſcriptum eſt pro *deceres*, ut *omnis homines* apud Salluſt. pro *omnes*; *tris* apud Cic. pro *tres*, & mille talia.

38. *Ut vetera & obſoleta deflebat.*] Mallem ſane *difflabat.* ut apud Plaut. Mil. glor. *Cujus tu legiones difflaviſti ſpiritu, quaſi ventus folia.* Codex Salmaſ. *deflabat.* hoc eſt, aſpernabatur, irridebat. Faſtidientes enim & contemnentes aliquid non raro emittere flatum ore, & quaſi explodore ſolent. Sic *flare* pro ſpernere Prudent. III. περὶ ςεφαν. v. 21.

Spernere ſuccina, flare roſas,
Fulva monilia reſpuere.

ut Buchnerus obſervavit. Uſus etiam hoc verbo *deflare* Auſonius in Profeſſoribus, ſed in alia notione:

Copia cui fandi longe pulcherrima, quam ſi
Auditu tenus acciperes, deflata placeret,
Diſcuſſam ſcires ſolidi nihil edere ſenſus.

39. *Servos atque liberos.*] Cod. Salmaſ. *Servos atque liberios* Salmaſ. legendum cenſet *libertos.* vere.

40. *Quantum quæque uno concubitu mereret.*] Lenones & nomina meretricum, & quantus cujusque quæſtus eſſet diurnus, perſcriptum habebant ſuis in tabulis, ut multis oſtendit Cl. Schultingius in notis ad Senec. lib. I. Controv. 2.

43. *Commeatu, quantum nunquam alius iter ingreſſus*

greſſus eſt.] Locus corruptus. Salmaſ. codex: *quantos nunquam aut alter ingreſſus eſt.* Rob. Steph. edit. *quanto nunquam ante, iter ingreſſus eſt.* lege: *quanto nunquam ante alius iter ingreſſus eſt.*

44. *Ad ſex milium ſummam reſcidit.*] Codex Salmaſ. Palatini tres, Robert. Stephanus, ut alios taceam: *ad ſexcentorum millium recidit.* quod verum puto.

45. *Tantis criminibus objecto.*] Legendum omnino *tantis diſcriminibus objecto*, ut multæ editiones meliores præ ſe ferunt, quod neſcio ut in prioribus meis fuerit neglectum, ſicut & quod ſequitur *intempeſtiva convivia*, cum *tempeſtiva* ubique legendum eſſe, antea monuerimus, idque hoc loco Salmaſianus jubeat.

47. Ἀξιοθριάμϐητον.] Sic cod. Salmaſ. ſed legendum, ut in multis jam exſtat editionibus, & ſcribendum monuit Salmaſius, ἀξιοθριάμϐευτον.

48. *Cui animadvertendos tantorum dedecorum rumores palam minabatur.*] Hæc maculata ſunt fœdiſſime. Nemo enim, qui animum modo advertit, & paullo eſt humanior, intelligit, quid ſit *animadvertendos rumores minari ſenatui.* Codex Salmaſianus & Copeſ. *ad vertendos.* In quo una littera deſideratur ad veram lectionem, quam vidit Sabellicus, qui ſcribendum cenſuit: *cui ad avertendos.* hunc ſequutus eſt Rob. Steph. & vidit etiam ſic legendum eſſe Dominicus Baudius. Nihil eſt liquidius & verius. Ut a ſe amoliretur invidioſos rumores de decimatione legionum illarum, minabatur ſenatui, quaſi is fuiſſet auctor hujus conſilii. Itaque veram & huic loco reſtituimus lectionem expuncta illa fœda, quæ vulgatas pleraſque omnes tenet editiones.

50. *Pallido colore.*] Salmaſ. cod. *expallido colore.*

55. *Armaturam reſcidit.*] Leg. ex Salmaſ. *recidit.* Sæpius in vulgatis libris in Suetonio *reſcidit* legitur, pro *recidit*, ut ante notavimus.

Agitatori Eutycho.] Sic Rob. Stephani editio, ſuffragante Salmaſiano, in quo *Euticho.*

Monile e gemmis.] Salmaſianus liber: *monilia e gemmis.*

57. *Monuerunt & ſortes Antiatinæ.*] Vir Clariſſimus, Philippus a Turre, decus Italiæ ſuæ, in explicatione monumentorum Veteris Antii notat, ſe XV. manuſcriptos Suetonii codices, qui in bibliotheca Vaticana ſerventur, conſuluiſſe. In tredecim legi, *Fortunæ Antiatinæ*, in duobus tantum *ſortes Antiatinæ.* Sic & tres Otthobonianæ bibliothecæ, alterumque Marchionis de Maximis, quibus & adſtipulatur Copeſianus in meo Muſæo, ſcribunt *Fortunæ*, quod probat eruditiſſimus Philippus, & quia fortunarum Antiatinarum mentio fiat in antiquo titulo ap. Gruterum LXXII, 3. FORTVNIS. ANTIATIBVS. M. ANTONIVS. RVFVS. ANXIVS. ut & apud Tacitum, alioſque: fuiſſe enim Antii duas Fortunas, quas ſorores vocarit Martialis lib. VI. & quia Fortunæ Antiates non per ſortes reſponderint; ſed ipſe tamen poſtea monuit, ſi Suetonius ſcripſerit *ſortes*, intelligendum eſſe oraculum Antiatinarum Fortunarum, quia ſors ſæpe generatim accipiatur pro oraculo. Vide ejus commentarii ad inſcriptionem Antiatem de M. Aquilio caput primum. Vide etiam Fabrettum ad corpus inſcriptionem quas edidit cap. 9. qui conjicit geminarum Fortunarum, quæ Antii fuerint cultæ, alteram eſſe bonorum eventuum auctricem, alteram malorum. Sed Philippum Bonarottam in Obſervationibus Hiſtoricis ad aliquot numiſmata, nimirum ad numiſma XI. Macrini, tradere geminas Fortunas ſibi videri eſſe duas Nemeſes, quarum una ſit bonorum remuneratrix, una malorum vindex, & Adraſtea, hoc eſt, inevitabilis ultionis divinæ neceſſitas.

Vomuit ut plures.] Salmaſ. *Vomitu plures.* Sed Copeſ. *Vomuit: ut plures*, cum vulgatis.

58. *In auxilium accurrerunt.*] Cod. Salmaſ. *in auxilium accucurrerunt.*

IN CLAUDIUM.

1. *Quandoque reſtituturum, ſi poſſet.*] Codex Salmaſ. *quandoque poſſet reſtituturum.* quod non temere improbandum. *Quandoque* enim frequenter eſt *quandocunque.* Horat. *Indignor quandoque bonus dormitat Homerus.* Sexcenta alia exempla obvia ſunt, & ab aliis pridem collecta. Hujus tamen elegantiæ ignoratio fraudi fuit Suetonio.

2. *Lugduni.*] Cod. Salmaſ. *Lugudini.* Sic in marmoribus quoque ejus loci antiquis, & in numiſmatibus legi, viri docti teſtantur. At Batavorum Lugdunum, non *Lugudunum*, ſed *Lugedunum* appellatum invenimus.

4. Ἀτυχεῖ πάνυ ἐν τοῖς σπουδαίοις λίαν.] Cod. Salmaſ. ἀτυχεῖ λίαν ἐν τοῖς σπουδαίοις. quod probat Salmaſius.

Quin poſthac.] Codex Salmaſ. & tres Palatini, cum Torrentianis, ut & Rob. Steph. editio, pluresque aliæ vetuſtiores recte legunt *quid quid.* Vult enim eandem ſemper Auguſto fuiſſe ſuper Claudium opinionem, quæ tunc fuerat, idque etiam confirmari teſtamenti tabulis.

5. *Modo in hortis & ſuburbana domo.*] *Domo* non habetur in codice Salmaſiano. Forte legendum: *modo in hortis & ſuburbano.* ut *Tuſculanum* & ſimilia.

6. *Reverentia publica.*] Cod. Salmaſianus: *publice.*

Lacernas deponere.] Hoc ſolebant honoris teſtandi gratia facere, quod obſervavit Ferrarius de Re Veſtiar. lib. II. quem vide.

Expoſceretur.] Codex Salmaſii & Rob. Stephanus: *expoſcerent.* quos ſequor.

Seſtertia vicies.] Rectius cod. Salmaſ. *ſeſtertium vicies.*

10. *Solarium proximum.*] V. C. Salmaſ. *ad ſcholarium proximum.*

Et quia ſervi diffugerant.] Cur non reſtituitur lectio

ctio omnium Mss. cum Palatinorum, tum quos Caſaubonus & Pulmannus viderunt, in quibus conſtanter legitur: *& quia ſui diffugerant.* quibus accedit editio Rob. Stephani & Aldi Manutii & Salmaſianus codex. *Sui diffugerant*, hoc eſt, qui ſolebant circa eum eſſe, ſervi comiteſque.

Capitoliumque occuparunt.] Codex Salmaſ. *occupaverant.* Nullus dubito ſcripſiſſe Suetonium: *occuparant.* Et hoc ſententia poſtulat.

11. *Ne Marcum quidem Antonium.*] Erat hic Claudii maternus avus, pater Antoniæ, quæ mater fuit Claudii, quam ex Octavia Auguſti ſorore ſuſceperat. Hinc ait ipſe Claudius apud Senecam: *M. Antonius avus meus nullo minor, niſi eo, a quo victus eſt, fratrem interfectum audivit.*

Vetuit inter feſtos referri.] Peſſime non nullæ editiones, *faſtos.* Feſtus enim ſolebat eſſe primus dies, quo imperium ſuſcipiebant Imperatores.

12. *At in ſemet augendo.*] Recepi *at* pro vulgato *ac* cum Grutero & R. Stephano, ex codice Palatino primo, Corſendoncenſi, Alvari Nonii, Salmaſii, aliiſque. in nonnullis eſt *et.* Cum oſtendiſſet ejus curam & pietatem in ornandis parentibus & neceſſitudinibus, nunc contra ea narrat ejus civilitatem in honoribus recipiendis qui ſibi offerebantur. Hinc rectius *at* legitur, quam *ac.*

13. *Dalmatiæ.*] V. cod. Salmaſ. *Delmatiæ.* Sic & veteres libri apud Plin. III. 25. *In Delmatiæ ora*, teſte Pintiano. Vetus Inſcriptio: BELLO DELMATICO. Sic & numi & Inſcriptiones aliæ, probante Velio Longino, & Stephano, quod dudum alii obſervarunt.

Caſu quodam an divinitus.] Omnes Mss. omneſque vulgati libri ante Torrentii editionem: *caſu quodam ac divinitus.* quod cur invitis codicibus immutemus non eſt. Nam ſæpe fortuita adſcribuntur Deo, & qui recte ſentiebant, per Fortunam nihil aliud intelligebant quam divinam providentiam & voluntatem cuncta curantem & gubernantem. Hoc Cicero docet, cum ait Deum nonnunquam vocari Fortunam, *quod efficiat multa improviſa, nec opinata nobis, propter obſcuritatem ignorationemque cauſſarum.* Hinc quæ Horatio *fors* eſt, Ovidio eſt *Deus.* Ille:

- - - *Ut nemo quam ſibi ſortem*
Seu ratio dederit, ſeu fors objecerit.

Hic: *At tu, ſeu ratio te noſtris appulit oris,*
Sive deus, regni commoda carpe mei.

Sic pro eo, quod ſuperius in Julio dixit cap. 1. *proclamaſſe, ſive divinitus ſive aliqua conjectura,* potuiſſet dicere *ſive forte quadam, caſu quodam, ſive conjectura.* Ut hic *caſu quodam ac divinitus*, ſic *forte quadam divinitus*, ſine copula tamen, conjunguntur apud Liv. lib. 1. cap. 4. *Forte quadam divinitus ſuper ripas Tiberis effuſis lenibus ſtagnis.* Ubi Gruterus malebat: *forte quadam an divinitus.* Sed rectiſſime veterum omnium codicum ſcripturam aſſeruit optimus Livii Soſpitator Gronovius, quem ibi vide.

14. *Ex quibus duos primos junctim.*] Optime Salmaſianus codex, & procul dubio alii quoque, ſed prætermiſſum eſt hoc ab eruditis: *e quibus duo primos junctim.* Veteres enim promiſcue dixerunt *duo* & *duos*, *ambo* & *ambos*, ut & antiqui notarunt Grammatici, & viri docti infinitis fere oſtenderunt exemplis, inter quos & Gronovius non pauca collegit ad Livii lib. 35. c. 21.

Semeſtrem noviſſimum.] Codex Salmaſ. *ſemenſtrem noviſſimum.* Sic idem codex in Nerone c. 14. *ſemenſtres, & quadrimenſtres.* Gloſſæ Vulcanii: *ſemenſtre*, ἡμιμήνιον. *ſemenſtris*, ἑξαμηνιαῖος καὶ ἡμιμηνιαῖος.

15. *Nullo delectu, culpane quis, an aliqua neceſſitate ceſſaſſet.*] Eſt hæc emendatio Sabellici. Libri tam ſcripti, quam editi ante noviſſimos: *Nullo delectu culpa, niſi quis in aliqua neceſſitate ceſſaſſet.* Duo Torrentii, *ne quis.* Manus Tranquilli fuit: *Nullo delectu culpa, ne ſi quis aliqua neceſſitate ceſſaſſet.* Nulla habita ratione culpæ, gravis ne ſit an levis, cui facile judex ignoſceret, quin ne ſi vel neceſſitate quis coactus vadimonium non obiret.

De quodam etiam negotio ita ex tabella pronuntiaſſe creditur.] Non pertinet ad iſtas tabellas, quæ judicibus dabantur ut in ciſtas conjicerent, quibus aut A. aut C. aut N. L. inſculptum erat, ut cenſet F. Urſinus: ſed ad illas tabellas, de quibus judices pronuntiabant nonnunquam ſententias. Interdum enim memoriter pronuntiabant; interdum ex tabella ſententiam recitabant. In Codice dicitur *periculum.* Titulus enim *de ſententiis ex periculo recitandis* nihil aliud notat, quam ex tabella. Illæ vero ſententiæ plerumque breves erant. Sic acta antiquiſſima ſententiam in Cyprianum, quam ex tabella recitatam narrant, hanc fuiſſe teſtantur: *In Thaſium Cyprianum gladio animadverti placet.*

Mortuus eſt, inquit, Puteolis.] Editio Romana antiquiſſima: *puteo licuit.* V. C. Salmaſ. & Rob. Stephan. editio: *puto, licuit.* ſicut & alii libri, quos Caſaubonus, Torrentius, Gruterus viderunt, & editiones fere omnes ante Pulmannianam, quæ hanc lectionem propagavit: ſed nos cum Grutero reſtituimus veterem ſcripturam, in qua idem acumen, quod in reſponſo eſt, quod ſtatim ſequitur: *Et tamen fieri ſolet.*

16. *Hanc quoque inæqualiter.*] Optime cod. Salmaſ. *inæquabiliter.* Sic in Galba cap. 9. *per octo annos varie & inæquabiliter provinciam rexit.* Sic contra *æquabiliter* Cic. de orat. *Oratio cum lenitate quadam æquabiliter profluens.* & *æquabilitas.* Cic. 1. de off. *præclara eſt æquabilitas in omni vita, & idem ſemper vultus, eademque frons.*

17. *Neque tentatum ulli poſt D. Julium.*] Falſum. Revera tentavit aliquando Cajus. Vide in Calig. c. 44.

Quare a Maſſilia Geſſoriacum uſque pedeſtri itinere confecto.] V. C. Salmaſ. *Quare Maſſilia Geſoriacum*

Ggggg

ſoriacum uſque. quod conſuetudini Latinæ linguæ, quæ has ellipſes amat, convenientius. *Geſoriacus* ſcribitur & in tabula antiqua itineraria, & apud Melam III. 6. Eſſe vero eundem, qui dicatur *Icius* portus Cæſari, quique poſtea appellatus ſit *Bononia*, nunc *Boulogne*, multis oſtendit Ph. Cluverus lib. II. Antiqu. German. c. 28. *Pedeſtre iter* hic non opponitur equeſtri, ſed maritimo ſive *curſui pelagio*, ut Phædrus loquitur. Sic *pedeſtres copiæ* Juſtino II. 14. opponuntur claſſi. Polybio πεζικαὶ δυνάμεις. & *pedeſtre prælium* Liv. XXII. 49. navali. Vell. Paterc. II. 121. *Concuſſis hoſtium viribus, claſſicis peditumque expeditionibus.* peditum expeditiones ſunt terreſtres, & opponuntur claſſicis, hoc eſt, maritimis. Hirtius de bello Alexandrino: *Tota Ægyptus maritimo acceſſu Pharo, pedeſtri Peluſio velut clauſtris munita exiſtimatur.*

Currum ejus Meſſalina uxor carpento ſecuta eſt.] Caſaubonum in nota ad hæc verba bis lapſum eſſe Cl. Schefferus oſtendit de Re vehic. c. 17. Primo cum putavit hæc duo ſimilia fuiſſe, cum ſecus ſe res habeat. Matri enim Claudii decretum eſſe carpentum mortuæ, quo in pompa Circenſi ejus imago veheretur; Meſſalinæ vero vivæ, quod carpento ei liceret ferri in Circenſi pompa, quod non aliis niſi diis deabuſque ac heroibus, itemque viris, qui in magiſtratu eſſent, hoc tributum. Vide pluribus hæc eum explicantem. Addit hoc quoque σφάλμα μνημονικὸν Caſauboni eſſe, quod Lolliam nominavit alteram Claudii uxorem, cum deberet Agrippinam dicere.

18. *Fragminibus panis ita inſtratus.*] V. C. Salmaſ. etiam iis adſtipulatur qui legunt *infeſtatus.* Sic & ejus codex & Rob. Steph. editio. Præferendum vulgato. *Inſterni panibus* quis dicit?

Nihil non excogitavit.] V. C. Salmaſ. Rob. Steph. Pulmanni, aliæque vetuſtiores editiones: *nihil non ex eo cogitavit.* quod non diſplicet. Eundem Salmaſianum codicem, cum & alii ſint, qui ei ſubſcribant, ſecutus ſum in expungendo τῷ *in.*

19. *Civibus vacationem.*] V. C. Salmaſ. ut & Ms. Corſendoncenſis, & Alvari Nonii, antiquiſſima editio Romana, & Veneta Manutii, *civis.* unde Salmaſius conjecit legendum: *civi.* Pro *Latinis* plerique libri: *Latinæ.* ſed recte Salmaſianus codex: *Latino jus Quiritium.* quod cum & in ſuis duobus repererit Torrentius, meritoque probaverit, & jam diu ante repræſentarit Robertus Stephanus, cauſſæ nihil eſt, cur id non revocemus. Nam ſic ſcripſiſſe Suetonium perſuaſiſſimum habeo, quod & Caſaubonus obſervavit.

20. *Quam multa perfecit.*] Robertus Stephanus: *opera magna potius quam neceſſaria, multa perfecit.* Et ſic in veteri codice ſe reperiſſe teſtatur F. Urſinus. nihil tamen muta. *Quam multa* hic ſunt valde multa. Plinius Trajani Panegyrico c. 27. *Næ ille quam brevi tempore effecerit.* ut recte emendarunt viri docti. Cic. *litteræ ſane quam gratæ.*

Profundo jam ſolo.] Repoſui *ſalo*, ut recte conjecit Caſaubonus, & olim repræſentavit Robertus Stephanus, ſententia hoc imperante.

21. *Congiaria populo ſæpe diſtribuit.*] Hic ſecuti Robertum Stephanum, codicem Salmaſianum, & ſententiam doctiſſimi Torrentii, novi capitis initium ſtatuimus. Et ratio jubet.

Qui feros tauros.] Locum Plinii non eſſe corruptum, ſed *cornu intorta cervice tauros necare* eſſe ex equis, in quibus adequitabant, inſilire tauros, deinde prehenſis manu extremis cornibus, & ſic intorta cervice in terram deſcendere, ac porro inflexa cervice tauros proſternere, docet Iſaacus Voſſius, in cujus morte nuperius magnam jacturam fecit res litteraria, ad Catullum, additque id etiam nunc apud Mauros, Hiſpanos & alias gentes fieri ſolere. In epigrammate Græco ἅμμα & πλάγμα dici de vinculo manuum. Veriſſimam viri ſummi ſententiam eſſe, liquido declarant marmora Arundelliana p. 266. editionis Oxonienſis. In his vides Theſſalos equites aliquos ex equis in tauros ſalientes, & eos intortis cornibus proſternentes ac necantes. Spectaculum Ταυροκαθαψία dicebatur. Sic enim habet ſubſcriptio illius ſaxi: Ταυροκαθάψια ἡμέρα β.

22. *Commonito pro Roſtris.*] Cod. Salm. abeſt *commonito.* Copeſ. *commonente.*

23. *Obrogavit.*] Sic & Salmaſii codex & Palatinus primus, quos merito ſequor. vide Torrentium.

24. *Etiam App. Cæcum generis ſui proauctorem, cenſorem.*] Codex Salmaſianus & Robertus Stephanus: *Etiam App. Cæcum cenſorem, generis ſui proauctorem.*

Aut utique prætura functi.] V. C. Salmaſ. *aut uti nunc prætura functi.* ſic conjecerat Turnebus. Illi prætores, qui curabant ante Claudium ærarium, dicuntur in inſcriptionibus *Prætores ærarii.* Grut. p. CCCLX, 3.

QVÆSTOR. DECEMVIRATIIVM
LITIVM. IVDICANDARVM
TRIB. PLEB. ÆDIL. CVRVL
IVDEX. QVÆSTIONIS. PRÆTOR
ÆRARI.

In alia, quæ eſt CCCCLII, 5. vocatur *Prætor ad ærarium:*

P. PLAVTIVS. PVLCHER. &c. PR.
AD. ÆRARIVM. COMES. DRVSI. &c.

25. *Sacra Eleuſina etiam transferre ex Attica Romam conatus eſt.*] Sacra Cereris (non tamen Eleuſina) diu ante Ciceronis ætatem admiſſa in Urbem fuiſſe, ex iis abunde conſtat, quæ ad Aug. cap. XCIII. ex oratione ejus pro C. Balbo notantur. In eo capite, cum Auguſtus de privilegio ſacerdotum Atticæ Cereris cognoviſſe dicitur, de Eleuſinis accipiendum videtur, ut cauſam ſacerdotum, quanquam in Attica religionum ſuarum ſedem habentium, Romæ tractatam intelligas. Sequitur enim: *cum ſecretiora quædam proponerentur.* Sed & ipſe Auguſtus Athenis initia-

initiatus fuerat, ut paullo ante Suetonius inibi memorat. Pro *Eleuſina* cod. Salmaſ. & R. Steph. ed. habent *Eleuſinia*, imitatione Græcorum, queis τὰ Ἐλευσίνια hæc myſteria vocantur.

26. *Altero primipilari.*] Tacitus *equitem* vocat. Recte. Nam qui primum pilum duxerat, apud quem cuſtodiebatur aquila legionis, defunctus hoc munere, dignitatem equeſtrem conſequebatur.

27. *Cui & ante paucos dies.*] Puto ſcripſiſſe Suetonium *cum ei ante paucos dies.* Alioqui non video cur ſcribatur *deſpondiſſet*, cum ſi vulgata lectio retinetur, dicendum fuiſſet, *deſponderat.*

Militibus pro concione.] Codex Salmaſ. *militi.* Sic ſæpe *eques* pro equitibus.

28. *Poſidem.*] Codex Salmaſ. formatione Græca *Poſiden*, & mox *Harpocran*, quem ſequor.

Trium reginarum maritum.] Certiſſime lapſus eſt Tacitus, Hiſt. v. Nam Druſilla Antonii & Cleopatræ neptis non potuit ejus uxor eſſe, cum Judææ præeſſet. Druſillam enim Judæam, Agrippæ ſororem, ut vidit Felix, ut deperiit, ejuſque ambiit ſtatim matrimonium. Illam autem vidit, cum vix Judæam attigiſſet, uti videre eſt ex Ant. Jud. xx. cap. 5. Uxorem vero qui potuiſſet Felix ſecundum Romanorum leges & mores aliam ducere, ſi tum ei nupta fuiſſet Druſilla neptis Antonii? Nam de divortio ut cogitemus non eſt in iſto antiquitatis ſilentio. Itaque in animum inducimus, Druſillam Antonii diem ſuum obiiſſe, antequam Felix venerit in Judæam; ibi vero duxiſſe Druſillam Agrippæ ſororem. Nam hanc Judæam fuiſſe præter Joſephum confirmat Lucas in Actis Apoſtolicis cap. xxiv. Duas igitur Druſillas non bene diſtinxit Tacitus. Habes autem hic duas Reginas, aut Regum filias, quas duxit iſte libertus. Tertia ignoratur.

29. *Non principem ſe, ſed miniſtrum egit.*] *Ago me principem, patrem, miniſtrum* Latinis auribus eſt inſolens loquendi genus & inauditum. Illæ enim aſſuerant audire, *ago principem, patrem, miniſtrum.* Superius in Tiberio 12. *Tunc non privatum modo, ſed etiam obnoxium & trepidum egit.* c. 26. *Liberatus metu civilem admodum inter initia ac paullo minus quam privatum egit.* Juſt. 1. 6. *Nepotem in illo magis quam victorem egit.* vii. 9. *Philippus diu non regem, ſed tutorem pupilli egit.* Hæc eſt perpetua Latine loquentium conſuetudo. Nullus igitur dubito, quin *ſe* ortum ſit hoc loco ex repetitione voculæ *ſed*, quod librarii ſomnolenti vitium eſt. Delendum igitur cenſeo. Novi quidem ſuperius in Claudio 25. legi: *Libertinos, qui ſe pro equitibus Romanis agerent, publicavit*, & recte ſic legi. Potuiſſet etiam ibi ſcribere: *libertinos, qui equites Romanos agerent*, ut hic *non pro principe ſe, ſed miniſtro egit.* ſed quod libri præ ſe ferunt in hoc loco, refutat conſuetudo, quamvis forte ratio non repugnet. Hæc enim pronomina ſubaudiri poſſe non eo inficias. Sumtæ ſunt locutiones ex ſcena. Ibi *ago Davum, Simonem*, eſt ejus perſonam gero, ſic & *agere mimum, comœdiam* dicebantur hiſtriones, qui & propterea actores dicebantur.

Ac ne ſigillatim minima quæque enumerem.] Codex Salmaſ. *Ac ne ſingillatim minora quoque enumerem.* quam ſcripturam ex ſuo quoque codice protulit Turnebus Adverſar. lib. xxii. cap. 32. ut & Torrentius ex ſuis Mss. Romana editio anni 1470. & Aldina ab Egnatio correcta: *ac ne ſigillatim minora quæque.* Vera eſt ſcriptura codicis Salmaſiani, a qua non longe abiere priſca illa exemplaria, ex quibus editiones illæ vetuſtæ fuerunt editæ.

Immutatos datorum officiorum codicillos.] *Dare officia* videtur ſapere magis idiotiſmum Germanicum aut Belgicum, quam Latinum. Quid ſi legas *ratorum officiorum*? Sed nihil muto invitis codicibus. Novi enim talia loquendi genera non pauca reperiri, quæ, niſi apud optimos ſcriptores legerentur, tanquam ficta ad noſtrarum linguarum morem & genium repudiarentur.

Nec defenſione ulla data.] Suetonius videtur ſcripſiſſe, *nec defenſione ulli data.*

32. *Convivatus eſt & ſuper.*] Sic codex Corſendoncenſis, Alvari Nonii, Salmaſii, Roberti Steph. editio. Male vulgo *eſt* omittitur.

33. *Adſcendit ad ſacerdotes.*] Optime Salmaſ. *eſcendit ad ſacerdotes.* Dudum obſervarunt docti *eſcendere*, quod in libris antiquis exſtat ſæpiſſime ab editoribus mutatum eſſe in adſcendere.

35. *Et ne cuivis comiti.*] Optime V. V. codd. F. Urſini, Salmaſii, ac tres Palatini, ut & R. Stephani editio: *& ne cujus comiti.* Sic omnino legendum.

38. *Utrumque excuſavit.*] Cod. Salm. & al. Mss. *utrumque excuſavit.*

Obviam non miſerint.] Recte Fulvii liber antiquus: *miſerant.*

Repente tantum non ſatisfacientibus veniam modo dedit.] Codex Salmaſ. & Palatinus ſecundus: *ſatisfacientes veniam mod.* Sed rectiſſime Torrentianus: *repente tantum non ſatisfacientis modo veniam dedit.* ſenſu optimo, ut oſtendit Torrentius. Hanc ſcripturam veriſſimam cum Grutero recepimus. Miror inſulſam illam, quæ in vulgatis exſtat, toleratam fuiſſe tam diu in nitidiſſimis editionibus.

Villicumque intervenientem flagellaſſet.] Codex Salmaſ. *vilicumque.* Sic & Pandectes Florentinus ſemper *vilicus*, & *vilica.* Inſcriptio antiqua:

SILVANO
SACR.
AMPLIATVS
HILARI
AVGVSTOR.
LIBERTI. SER.
VILICVS.
D. D.

Sunt & aliæ hujus ſcriptionis teſtes. Sed ſunt & quæ vulgatam tuentur.

39. *Μετεωρίαν καὶ ἀδλεψίαν.*] Codex Salmaſianus & Rob. Steph. *Μετεωρίαν* & *ἀβλεψίαν.* recte.

Ad alse luſum admoveri.] V. C. Salmaſ. & Palatini tres: *admoneri.* quod dudum etiam laudat Turneb. in Adverſariis. & miror rejectum ab editoribus recentioribus, cum recte receperint Pulmannus & Torrentius.

Adſciturus in nomen familiæ ſuæ Neronem.] Rob. Steph. omittit *ſuæ.* Ego etiam *familiæ* omittendum cenſeo. videntur hæ duæ voces e margine irrepſiſſe. aut forſan legendum: *adſciturus in nomen ſuum.*

40. *De quæſtore quodam candidato.*] Optime Beroaldus *de quæſturæ quodam candidato.*

Λάλει καὶ μὴ θίγγανε.] Reſtitui veterem ſcripturam, quam præ ſe ferunt omnes Mss. in quibus Græca non omiſſa ſunt. Nam præter eos, quibus uſi ſunt Caſaubonus & Torrentius, ſic & Palatini duo, & Salmaſianus codex. Veſtigia ſane hujus lectionis liquido in iis deprehendas. In Salmaſiano eſt, *λάλει καὶ με θινγανα.* alii *τίντινα.* Optime vero Turnebus interpretatur, *loquere, ſed verberibus parce*, præfatus parum hoc pro dignitate & imperio locutum eſſe Claudium cum iſta uſurparit, quaſi plagas & verbera veritus eſſet, quæ merito ut inconſiderati hominis verba a Tranquillo ſint notata. quibus ego plane aſſentior.

41. *Sed & tranſiit ad inferiora.*] Fragmentum Claudii, quod advocat tentatque Caſaubonus, in Priſciano bibliothecæ Academicæ antiquiſſimo, Longobardicis litteris ſcripto, ſic habetur: *Claudius in III. hiſtoriarum: ut viderent, ne reſpueret verminaret: litteris addi valis quod verminatu ne ad cancer perveniret.* Unde conjiciebam: *Claudius III. hiſtoriarum litteris ad Senatum: ut viderent, ne res ſinerent* (vel *paterentur*) *verminare; quod verminatum, ne ad cancer perveniret.* Dixit *verminare*, Senecæ etiam frequens verbum, *ἀντὶ τοῦ* tacite ægreſcere & *ὕπουλον* ulcus concipere: quod *ſuppurare* Curtius dixit, verbo ſimiliter inflexo, lib. VII. cap. 1. *Cæterum recruduit ſuppuratus dolor.* Ita præclare Freinshemius. Quo magis miror cum dubitare de verbis Curtii ejuſdem libri cap. ſequenti: *Niſi quæ delata eſſent, excuſſiſſem, valde diſſimulatio mea ſuſpecta eſſe potuiſſet.* Nam non modo Conſtantienſis ille, ſed & duo Gruteri & Florentinus & Academiæ noſtræ codices, pro *τοῖς ſuſpecta eſſe*, exhibendo *ſuperare* clamant veram eſſe Matt. Klockii conjecturam: *valde diſſimulatio mea ſuppurare potuiſſet.* Quod igitur ſic ſuppuratum vel verminatum eſt, id, niſi curetur in tempore, ad gangrænam & inſanabile malum pervenit. GRONOV.

42. *Cum utroque ſermone noſtro ſis peritus.*] Codex Salmaſ. aliique, & editio Glareani in margine: *Cum utroque ſermone ſit paratus.* ſcilicet ad dicendum. & ſic ſcribendum. Cic. de or. *Gracchi omnibus vel naturæ vel doctrinæ præſidiis ad dicendum parati.* Id. de claris orat. *Qu. Scævola in jure paratiſſimus.* Poſſet etiam legi: *cum ab utroque ſermone ſis paratus.* ſicut apud Cic. *a copiis, a pecunia paratus.*

Alexandriæ Muſæo alterum additum.] Salm. Cod. *Alexandriæ Muſio additum.*

43. *Ὁ τρώσας καὶ ἰάσεται.*] Sic veriſſime Victorius. Salmaſ. cod. *ὁ τρώσας πείσεται.* In Palatinis legitur litteris Latinis: *rectas facite, en rectas facite.* quæ corrupta ſunt ex Græca lectione, quam dedit Victorius.

44. *Cibo affluente.*] Codex Salmaſ. *afluente.* Sic legendum exiſtimo. *Cibus affluens* Latinis eſt copioſus, qui hic locum non habet: præterea pendet oratio & hiat. Quid enim eſt? *Nonnulli inter initia conſopitum, deinde cibo affluente evomuiſſe omnia.* Num antequam conſopiretur, hoc eſt, mente alienaretur, cibus non erat affluens? an conſopito cibi ingeſti? vides abſurdam eſſe hanc lectionem. *Cibo* vero *afluente*, eſt, cum cibus deflueret ex ſtomacho per os, egereturque per vomitum, ſimul cum cibo venenum evomuit. *Afluere* ut *effluere*, *defluere*, quod quamvis nuſquam nunc legatur, plures tales tamen occurrunt voces, quas Græci *μονήρεις* dicunt, & forte pluribus in locis hæc eſt corrupta. Sic *amonere* pro deterrere, monere ne quis faciat, diſſuadere, reſtituerunt Latio viri docti, quin & infinita alia, de quibus alias. Si quis tamen ab iſta voce, tanquam inſolente, nimis abhorret, poteſt is per me legere: *cibo effluente.* Vulgata ſane ferri non poteſt. Mox pro *clyſterem*, idem codex Salmaſ. & Copeſ. terminatione Græca: *clyſtera.*

45. *Quarto decimo anno. Funeratus eſt.*] Salm. & Copeſ. *quarto decimo anno, funeratuſque eſt.*

46. *Acceſſiſſe ad finem.*] Sic recentiores editiones. Sed recte veteres: *acceſſiſſe ſe ad finem.*

Honorem a Nerone deſtitutum abolitumque recepit.] Salm. & Copeſ. *honorem a Nerone deſtitutum abolitum recepit.* Cum copula non reperiatur in optimis codicibus, vix dubito, quin *deſtitutum* irrepſerit aliunde, & ab imperito homine appoſita hæc vox ſit tanquam interpretatio *τοῦ abolitum.* Quid enim eſt *honor deſtitutus a Nerone.* Non enim Latinis dicitur *honor deſtitui*, ut *honor aboleri.*

IN NERONEM.

1. *Per ternas perſonas.*] V. C. Salmaſ. & Copeſ. per *trinas perſonas.* Et mox idem: *ſequentes rurſus.*

Ut appareat ita degeneraſſe a ſuorum virtutibus Neronem.] Antiquiſſimi libri, quos evolvit Caſaubonus: *Nero.* quibus cum ſubſcribant Palatini tres, Salmaſianus, editiones priſcæ, & inter eas optima Roberti Stephani, non video cur vulgatam huic præferamus.

2. *Arverniſque.*] V. C. Salmaſ. *Averniſque.* & mox pro *invectus eſt* idem *vectus eſt.* quod & in

Libri

Liſlæi & Viterbienſi, nec non Palatinis codicibus omnibus reperitur, ac jam olim expreſſit Rob. Stephanus. ſecuti & nos ſumus optimorum & antiquiſſimorum codicum auctoritatem, approbante Latinæ linguæ genio.

Cui os ferreum, cor plumbeum eſſet.] Sic præter Salmaſianum, & Corſendoncenſis, & Alvari Nonii libri, vetereſque editiones, quas ſequor.

4. *Venationes & in Circo & in omnibus Urbis regionibus dedit.*] Hoc modo reſcripſimus & diſtinximus ex codice Salmaſ. & Rob. Stephani editione.

5. *Comes ad orientem C. Cæſarem juvenis, occiſ.*] Diſtinguo: *Comes ad orientem C. Cæſaris, juvenis.* ut juvenis referatur ad Neronem.

Querentibus dominis factionem, repræſentanda præmia in poſterum ſanxit.] Quomodo quid in poſterum ſancire potuit ſoror hujus Domitii Neronis? legendum: *Querentibus dominis factionum repræſentanda præmia in poſterum dixit.* Jocus in eo eſt, ut ne poſt victoriam præmiis defraudarentur, aurigas debere ſtipulari, ut ſibi illa ſolvantur ante victoriam, de qua incertum erat. quod ridiculum. Si *ſanxit* retineas, interpretandum, dixit ſanciendum eſſe.

6. *Nero natus eſt Antii poſt novem menſes.*] Itaque Nero agebat annum ſeptimum decimum, cum imperium ſuſciperet. Onuphrius Panvinius in Faſtis, cum animadvertiſſet ſcribere Suetonium periiſſe Neronem 32 ætatis anno, & quidem nono Junii, ſtatuit errorem in hunc locum irrepſiſſe, ac legendum: *natus eſt* IX. *menſes quam Tiberius exceſſit*, in qua ſententia fuit quoque Torrentius. Sed Pagius in diſſertatione Hypatica cap. 2. num. 1. oſtendit locum Suetonii non eſſe ſollicitandum, ſed explicandum de anno ætatis 32 utrinque incompleto, ita ut ultimos dies menſis Decembris anni Chriſti 37 pro integro anno numerarit, & ultimum etiam ætatis annum licet incompletum in rationes retulerit, quod ſæpe factum ab Hiſtoricis. Vide quæ notavi ad Suet. Tib. 53.

7. *Necdum matura pueritia.*] V. C. Salmaſ. *pueritiæ.* forte ſcripſit Suetonius, *necdum maturæ pueritiæ.*

Britannicum fratrem, quod ſe poſt adoptionem Ænobarbum ex conſuetudine ſalutaſſet.] Hinc intelliges illud in Octavia:

Utinam ſuorum facinorum pœnas luat
Iſte inſitivus, Domitio genitus patre.

Ut recte emendatus iſte locus a J. Fr. Gronovio. Sic enim exprobrans contumelioſe genus, quod averſabatur Nero, Octavia loquitur. Oſtendit clarius inferius Suetonius, quam inviſum ei hoc nomen eſſet. c. 41. *Nihil æque doluit, quam ut malum ſe citharœdum increpitum, ac pro Nerone Ænobarbum appellatum. Et nomen quidem gentile, quod ſibi per contumeliam exprobraretur, reſumturum ſe profeſſus.* Et Tacitus: *Obvii inter ſe Nero Britannicum, ille Domitium ſalutavere.*

Exinde patri gratias egit.] V. C. Salmaſ. *exin patri g. e.* mox idem *præfectus urbi*, pro vulgato *urbis*, & *tralaticias* pro *translaticias.* Sic veteres ſcripſerunt. Inſcriptio antiqua: *Corporibus tralatis. Trafero* & *tralatus* in antiquiſſimis libris Ciceronis exſtare P. Victorius teſtatur.

8. *Imperator conſalutatus, lectica in caſtra, & inde raptim appellatis militibus in curiam delatus eſt.*] Hic locus viam munit ad purgandum ſpurciſſimum locum Octaviæ, qui ſic refingendus eſt:

Invidia caſtris victa conſenſu pio
Ceſſit, renatus equitis accenſus favor
Plebiſque votis, atque judicio patrum eſt.

Invidia victa eſt in caſtris prætorianis, & equeſtris ordinis favor eſt renatus & accenſus plebis votis, atque judicio patrum. Vulgo legitur inepte & ſine ſenſu:

Invidia triſtis victa conſenſu pio
Ceſſit. Senatus equitis accenſus favor
Plebiſque votis, atque judicium patrum eſt.

Vide quæ notarunt interpretes. Pluribus hæc exſequemur alias.

10. *Graviora vectigalia abolevit aut minuit.*] Reſcripſi ex codice Salmaſiano, & Roberto Stephano fido ejus comite: *graviora vectigalia aut abolevit, aut minuit.*

Declamavit & ſæpius.] V. C. Salmaſ. & R. Steph. *declamavitque ſæpius.* Sed præſtat omittere copulam.

Sed & in theatro.] Sic reſcripſi ex tertio Palatino.

Atque pars carminum aureis litteris Jovi Capitolino dicata.] Scripſit Tranquillus: *eaque pars carminum*, nimirum quam recitaverat, columnæ fuit inciſa & in Capitolio dedicata.

11. *Inducta eſt & Afranii togata.*] Cod. Salmaſ. & Copeſ. *Inducta Afranii togata.* Lege: *Inducta Afranii togata, quæ incendium inſcribitur, conceſſum, ut ſcenici ardentis domus ſupellectilem diriperent.*

Sparſa & populo miſſilia omnium rerum per omnes dies ſingula quotidie milia. Avium cujuſque generis multiplex penus.] Laborare hunc locum prava interpunctione, ſi recte attendamus, facile deprehendemus. Inepte & parum Latine dicitur: *avium cujuſque generis multiplex penus.* Si ſic interpunxeris, *Sparſa populo miſſilia omnium rerum per omnes dies: Singula quotidie milia avium cujuſque generis, multiplex penus, teſſeræ frumentariæ*, omnia recte ſe habebunt. *Multiplex penus*, eſt varii generis eſculenta. *Singula milia avium cujuſque generis*, ut mille turdos, mille phaſianas, mille pavones, & hujus generis alia. Hæc miſſilia ſparſit per omnes dies ludorum maximorum, quos ſic dixit ad diſcrimen ludorum magnorum, qui Romæ ſolebant olim edi, ut & Romani.

12. *In regione Martii campi.*] Salm. Copeſ. & alii codices, *Regione Martii campi.*

Exhibuit autem ad ferrum etiam quadringentos ſenatores, ſexcentoſque equites Romanos.] Unde tot ſenatores? lege audacter *quadragenos*, & *ſexagenos*, ut recte Lipſius probante Torrentio. Codex Salmaſ. *ſeſcentoſque*, ut & ſuperius in Claud. c. 21. *ſeſcenos*. *Seſcenti* autem non ſunt ſeſquicenteni, ſed antiqua ſcribendi ratione pro ſexcenti. Gloſſæ Cyrilli: Ἑξακόσια, *ſeſcenta*. Et ſic in vetuſtiſſimis libris Virgilii ſcribi Pierius notavit. Eodem modo veteres *Seſtius*, (ſic ſcribitur tabulis Capitolinis, ac marmoribus veteribus quamplurimis, & Ciceronis exemplaribus vetuſtis, teſte Victorio) & *Sextius*: *Eſquilinus*, & *Exquilinus*, *Piſtris*, & *Piſtrix* ſcripſere.

Confectoreſque ferarum & ad varia arenæ miniſteria.] Procul dubio hic ſanior eſt ſcriptura codicum vetuſtorum Salmaſii, Palatinorum, editionis Rob. Stephani: *Confectoreſque ferarum & varia arenæ miniſteria. miniſteria* enim ſunt miniſtri, ut *ſervitia* ſervi, *matrimonia* conjuges, & ſexcenta talia. probavit etiam Gruterus hanc lectionem. Scribendum præterea ex Mſs. quibus accedit Salmaſianus, ut Torrentius monuit, *confectores quoque ferarum*. nemo, puto, qui hæc attente legit, negabit. Beſtiarii enim ſunt deſpectiores, quam gladiatores. quod ſequitur *varia arenæ miniſteria*, ſunt miniſtri, qui ludiis arma ſuggerebant, exuebant cadavera, & aliis vacabant amphitheatri miniſteriis. Ii dicebantur aliter *arenarii*.

Paſiphaën.] Codex Salmaſ. *Paſiphaan*, flexione Græca, pro *Paſiphaam*, ut idem codex inferius cap. 21. pro vulgato *Nioben* legit *Nioban*. ſic *Æginan* dixerunt & *Æginam*. Statius VII.

Namque ferunt raptam patriis
Æginan ab undis.

Sic dixerunt *Danaa*, teſte Priſciano lib. 5. & *Danaë*, *Creta* & *Crete*, *Europe* & *Europa*. vid. Fl. Soſipatrum lib. 1. & Priſc. d. l.

Spectare conſueverat.] Codex Salmaſ. *conſuerat*. Amant veteres in hac & in nonnullis aliis vocibus ſincopen. ſic *decrerint* pro *decreverint*, *decrero* pro *decrevero* apud Cic. & multa talia, a doctis pridem notata.

Inſtituit & quinquennale certamen.] Egregie vir elegantiſſimus & accuratiſſimus mihique amiciſſimus Toinardus apud Pagium in Criticis animadverſionibus ad Baronium, ad annum Chriſti 59. notat, Suetonium in cap. 11. & 12. hic temporis ordinem non ſervaſſe de variis ſpectaculorum generibus, cum tradat Neronem quinquennale certamen, quod gymnicum erat, inſtituiſſe, quod anno Chriſti LX. factum fuerit. dein cum ſubdat, eum dedicaſſe gymnaſium, quod Tacitus XIV. Hiſt. Pæto & C. Petronio Coſs. anno nempe Chriſti LXI. contigiſſe teſtetur. In ea dedicatione Neronem magiſtros toti certamini præpoſuiſſe Conſulares Suetonium ſcribere. Denique Neronem barbam poſuiſſe in gymnico, quod in ſeptis ediderit. Eo itaque in loco non de unico, ſed de triplici certamine diverſis annis editis loqui Suetonium. Quod primum habitum eſt, ultimo loco memorari, quia duo priora, ut videatur, longe fuerint celebriora. Quinquennale enim tunc primum fuiſſe inſtitutum, & in ſecundo, quod in dedicatione gymnaſii fuerit editum, Neronem primum ad gymnaſia dediſſe oleum, cum antea populo in congiario tantum dederit, notante Lipſio ad 14. Taciti. Mihi hic Viri doctiſſimi Toinardus & Pagius merito virgulam cenſoriam ſtrinxiſſe in Tranquillum videntur.

Citharam autem a judicibus ad ſe delatam.] Nihil certius quam ut Caſaubonus vidit ex antiquis libris legendum & diſtinguendum eſſe. His adſtipulantur Salmaſianus, Palatinus ſecundus, & illa omnium optima R. Stephani editio. Vulgata lectione nihil fingi poteſt ineptius. Citharam enim quis ad Auguſti ſtatuam Neronem miſiſſe credat? coronæ mittebantur. Itaque & huic loco in noſtra hac editione ſuum reddimus nitorem, abſterſa labe, quæ illum fœdarat. Ad *Citharæ autem* intelligendum coronam ex præcedentibus.

Quia Olympiæ quoque Cereris ſacerdotibus.] Sic ſcribo ex codice Salmaſiano & editione Roberti. vulgo omiſſum *quoque*.

13. *Tam nullo quam reſiduo bello.*] Faernus & Torrentius: *tanquam nullo reſiduo bello*. probe.

15. *In cognoſcendo morem eum tenuit.*] Codex Salmaſ. æque ut Torrentii optimus: *Cognoſcendi morem eum tenuit*. Sic etiam Palatinus ſecundus, niſi quod pro *eum tenuit*, legat corrupte *continuit*. Cur vetuſtiſſimorum codicum ſcripturam non amplectemur?

Admiſſis a prioribus Principibus honores denegavit.] Recepi & hic lectionem optimi codicis Salmaſiani, quam & R. Stephanus approbaverat. Vulgo perperam editur: *admiſſiſque*.

De quibuſdam rebus rationes.] Legendum eſt ex Salmaſiano & R. Stephano: *orationes*. Sic etiam aliæ editiones vetuſtiores. Miror, unde iſtud *rationes* irrepſerit in pleraſque omnes recentiores. Tit. 6. *Orationes in ſenatu recitaret etiam quæſtoris vice*. Rectius idem quoque liber Salmaſii: *per conſulem*.

17. *Item ut litigatores pro patrociniis certam juſtamque mercedem.*] Suetonius memoria lapſus hic fuit. dedit enim Claudio Neroni, quod debuit Tiberio Claudio, errore ſcilicet ex ſimilitudine nominum nato. Nam Neronis indultu lex Cincia per novum SC. ad priſtinam vim fuit reducta. Tacit. XIII. ann. 5. *Multaque arbitrio ſenatus conſtituta ſunt. Ne quis ob cauſſam orandam mercede aut donis emeretur.* Claudius autem *capiendis pecuniis poſuit modum uſque ad dena ſeſtertia, qua egreſſi repetundarum tenerentur*, ut Tacitus oſtendit XI. ann. c. 7. Certam igitur & juſtam mercedem, quam patrociniis definitam a Nerone fuiſſe Suetonius ſcripſit, Claudii *denis ſeſtertiis* vindicandam eſſe docte oſtendit vir eximius Andreas Brummerus, qui in ipſo ætatis flore, cum per

Gallias

Gallias iter faceret in Italiam, exſtinctus magno meo politorumque hominum cum dolore, in elegantiſſimo commentario ad leg. Cinc. cap. 4. & 5. præfatus huic ἁμαρτήματι μνημονικῷ fidem facere duo alia ejuſdem generis in verbis, quæ hæc proxime præcedunt: *Adverſus falſarios tunc primum repertum, ne tabulæ niſi pertuſæ, ac ter lino per foramina trajecto obſignarentur: ac ne quis alieni teſtamenti ſcriptor legatum ſibi adſcriberet.* Namque has duas ῥήσεις exprimere duo capita, in edicto Claudii, ſecutoque SC. quibus lex Cornelia de falſis confirmata fuerit, cap. v. docet cum P. Fabro & Jac. Cujacio.

20. *Excellentiſſimo cultu pueri, nec ſine annulo lævis.*] Locus eſt contaminatiſſimus. Quid hic pueri, cum hæc omnia pertineant ad adoleſcentes, quos ex equeſtri legit ordine & plebe? Illi fuerunt pinguiſſima coma, & excellentiſſimo cultu, ut ex contextu orationis patet. MS. Salmaſ. & Pal. prim. *pueris ac ſine annulo leviis.* In Palatino tamen ſcribitur *levis.* Palatinus ſecundus: *pueris ac ſine annulo velis.* tert. *pueri, ac ſine annulo levis.* forſan legendum: *& inſignes pinguiſſima coma, & excellentiſſimo cultu pueros, nec ſine annulo lævis.* aut potius *pueros* expungendum. Tum enim commode omnia ſe habent, nec opus eſt illa copula *&*, quæ inſerenda eſſet invitis codicibus vetuſtis, ſi lectionem alteram ſequamur. Sane quo magis cogito, tanto veroſimilius mihi videtur *pueros* a mala manu irrepſiſſe. *Nec ſine annulo lævis*, hoc eſt, dedit illis jus annulos geſtandi in lævis. Equeſtris ordinis adoleſcentes id quidem ante habebant, ſed videbantur id amiſiſſe, quia quaſi fuerant inter operas ſcenicas, æque ut Julius Cæſar Laberio poſt mimum actum, dedit & cenſum equeſtrem, & annulum aureum, quia equeſtrem dignitatem amiſerat, cum in ſcena mimum ſuum egiſſet ipſe. ſup. in Jul. 39. Sic in Galba c. 10. *Delegit & equeſtris ordinis juvenes, qui manente annulorum aureorum uſu evocati appellarentur, excubiaſque circa cubiculum ejus vice militum agerent.* quia excubitorum munere non fungebantur equeſtris ordinis juvenes, & ideo videbantur ſui ordinis jure excidiſſe. Forte ſcripſit Suetonius, *ac in annulo levis. Lævæ in annulo* ſunt lævæ annulis ornatæ. Phædrus lib. v. *Curſu volucri pendens in novacula, Calvus.* hoc eſt, novaculam gerens manu. Virg. v. Æn.

- - - occurrit Aceſtes
Horridus in jaculis.

eſt jacula tenens. Exempla alia multa in promtu ſunt.

21. *Nomen ſuum in albo profitentium citharœdorum juſſit adſcribi.*] Uſitatius dicitur *albo adſcribi*, quam *in albo adſcribi.* nihil tamen muto.

Sorticulaque in urnam cum cæteris demiſſa.] Ex Plauto conſtat, quæ fuerit harum ſortium ratio. Globuli erant ex ligno, ſignis diſtincti, quos in urnam aquariam ſinguli mittebant, ut quo ordine a puero, cui hoc negotium mandatum erat, exciperentur, eo dein prodirent ſortientes.

22. *Ad omnes etiam minimos Circenſes.*] Fuerunt ludi magni, qui publico ſumtu populi Romani committebantur, & ſtatis diebus anno quoque, ut menſe Decembri. Fuerunt his minores, quos Quæſtores, Pontifices, privato ſumtu edebant, nec tam magno apparatu.

Circenſes commeabat ſeceſſu.] Lege ex Salmaſiano: *Circenſes commeabat e ſeceſſu.*

Caſſiopen.] Legendum *Caſſopen* cenſuit F. Urſinus ex Græco numiſmate, in quo ΚΑΣΣΩΠΑΙΩΝ. Stephanus de Urbibus: Κασσώπη πόλις ἐν Μολοσσῷ, ἐπώνυμος τῇ Κασσωπίᾳ χώρᾳ. τὸ ἐθνικὸν Κασσωπαῖος, καὶ Κασσώπιος καὶ Κασσωπία. Strabo lib. VII. Χάονες μὲν οὖν καὶ Θεσπρωτοὶ καὶ μετὰ τούτους ἐφεξῆς Κασσωπαῖοι. Paullo poſt tamen Κασσιόπην dicit. Καὶ πάλιν ἄλλος, Κασσιόπη, ἀφ᾽ οὗ ἐστι Βρεντέσιον χίλιοι ἑπτακόσιοι στάδιοι. *Et rurſus alius (portus) Caſſiope, a quo Brunduſium ſtadia ſunt mille ſeptingenta.* Eadem ſane urbs *Caſſope* & *Caſſiope* dicta. Hinc Plinio IV. I. *Caſſiopæi.* Dicta etiam hæc civitas Κασσιωπεία (ſic enim apud Harpocrat. legendum pro Κασσιιοπεία) & Κασσιωπία. vid. Harpocrat. in Πανδοσία. Sane apud Gellium in vetuſto libro pro *Caſſiopeia* legitur *Caſſopia.*

23. *Juſſit, Olympiæ quoque.*] Sal. *juſſit, & Olympiæ quoque.*

Omnia ſe facienda feciſſe.] Valde vereor, ne *facienda* ſit gloſſema, & ne ſcripſerit Suetonius: *omnia ſe feciſſe.* quia tamen codices repugnant, ἐπέχω.

24. *Obediebat.*] Cod. Salm. *obœdiebat*, ut ſemper Pandectes Florentinus, aliique veteres libri, ſed male.

25. *De hinc diruto Circi maximi arcu.*] Cur hunc arcum diruit? quia ſolebant Hieronicæ in patriam invehi diruta parte muri, ut notum. Sed quoniam Romani muri erant ſacri, ideo iis pepercit Nero, & loco murorum, dejecit Circi maximi arcum, ne quid videretur deeſſe pompæ, qua victores ludorum ſacrorum domum reverſi ſe ſuis civibus jactabant. Cum vero triumphantes Imperatores ſolerent petere Capitolini Jovis, Nero Hieronica petiit Palatini Apollinis templum.

Ingeſtæque aves.] Quam varii generis res in honorem victorum jactaverint veteres, oſtendit Caſaubonus. Sed de avibus quis unquam audivit? Vivæne illæ erant, an mortuæ? Nugæ. Quid pro voce corrupta *aves* reponendum ſit, non ſane liquet. Forte: *ingeſtique flores.* Non enim credibile φυλλοβολίαν uſitatiſſimam in honoribus Hieronicarum fuiſſe Romæ tum prætermiſſam.

In cubili circa lectos.] Inepta eſt ſcriptura. Lege ex codice Salmaſiano & editione Roberti Stephani: *Sacras coronas in cubiculis circa lectos.* Nam quamvis etiam in obeliſco ſuſpenderit coronas, ut ex

Xiphi-

Xiphilino Nicolaus Loenſis docuit, potuit tamen etiam in cubiculis dedicare quaſdam, ut iis oculos paſceret, qui tantopere iis capiebatur.

27. *Tempore æſtivo nivatis.*] Solebant veteres non ſolum nive refrigerare pocula, ſed & piſcinas. Hinc Seneca IV. Nat. Quæſt. cap. ult. *Itaque nix iſta, in qua etiamnum natatis, eo pervenit uſu, & quotidiana ſtomachi ſervitute, ut aquæ locum obtineat.* Ubi recte Palatini tres: *in qua etiam natatis.* Gruterus hunc locum non eſſe ſanum affirmat, ego nihil vitii video. Nam Senecæ tempore etiam in piſcinis nivatis natare ſolebant, ut ex hoc loco Suetonii patet. Credo tamen Senecam ſcripſiſſe, quia libri multi præ ſe ferunt *etiamnum, in qua etiam nudi natatis.*

Diverſoriæ tabernæ parabantur inſignes ganeæ & matronarum inſtitorio.] Procul dubio recte vidit Salmaſius de uſuris p. 351. legendum eſſe, *inſignes ganea & matronarum inſtitorio.* Illæ tabernæ diverſoriæ inſignes erant ganea & inſtitorio matronarum, hoc eſt, in illis tabernis vendebantur omnis generis obſonia, & matronæ copas imitantes erant pro inſtitoribus, qui illas merces ſolebant vendere. Inſtitores enim erant, qui aliorum merces ſolebant venales proponere & circumferre, quive præpoſiti erant alicui negotiationi, ut notum eſt ex JCtis. *Inſtitor hibernæ tegetis.* Juvenal. Sat. 7. Et Horat. Od. 6. lib. 3.

Sed juſſa coram non ſine conſcio
Surgit marito, ſeu vocat inſtitor,
Seu navis Hiſpanæ magiſter,
Dedecorum pretioſus emtor.

Sive matronam vocet inſtitor, qui magiſtri navis Hiſpanæ merces vendit, ſive ipſe magiſter navis, qui merces Hiſpanicas advexit. Ipſi enim mercatores ſolebant navibus aut ſuis aut conductis negotiandi cauſſa ſæpe terras exteras adire. Horat.

Currit mercator ad Indos.

Interpretes ſuperiorem locum Horatii male vulgo exponunt. Ovid.

Inſtitor ad dominam veniet diſcinctus emacem.

Si *ganeæ* legatur, quod in omnibus editis habetur, nihil eſt unde pendeat *inſtitorio.* Sed ab *inſignes* pendet *ganea & inſtitorio.* *Inſtitorium* autem ſubaudi munus, ut bene Torrentius, eſt inſtitoris functio, partes. Dicitur ut *inſtitoria actio* in Pandecte. Clariſſimus & amiciſſimus collega meus Paullus Bauldri veteriorum editionum lectionem non putat improbandam. In iis ſcribitur *inſtitorias operas.* Sic autem totum locum conſtituit, *inſignes ganeæ matronarum, inſtitorias operas imitantium, atque hinc inde orantium, ut appelleret.* ganeæ, in quibus matronæ inſtitores imitantes, & ſuas merces laudantes invitabant ad emendum prætervehentes. *Inſtitoriæ operæ*, ut in Auguſto c. 43. *ſcenicæ & gladiatoriæ operæ.* *Ad ſcenicas quoque & gladiatorias operas etiam equitibus Romanis aliquando uſus eſt.* Nonnullos equites qui ſcilicet hiſtriones in ſcena, nonnullos qui gladiatores agerent in amphitheatro adhibuit. Cui ſane ſubſcriberem, niſi veterrimi & fideliſſimi codices aliud ſuaderent. Nam in Salmaſiano clare *inſtitorio copas imitantium.* Corrupte quidem Viterbienſis, ſed ut veſtigia veri clariſſime in illo liceat videre: *matronarum inſtitor locopaſimit.* Male convulſæ ſunt & male coierunt divellendæ voces. pro *inſtitorio* ſcriptum eſt *inſtitor*, dein *copas imitantium* coaluit in *copaſimitantium.* Unde Robertus Stephanus corruptius edidit: *matronarum inſtitorum loco paſſim imitantium.* Alii vulgatiores voces, quia minus tritæ & notæ erant *inſtitorio* & *copas*, ſubſtituerunt *inſtitorias operas.*

Mellita.] *Mellita*, credo, dicta eſt, quia in illa cœna fuerunt pretioſiſſima bellaria mellita. Utebantur enim melle in bellariis conficiendis pro noſtro ſaccharo, cujus uſus illo tempore non niſi in medicina erat. *Mitellita* Salmaſii nec librorum nec aliorum ſcriptorum fide & auctoritate nititur. *Roſaria* vero, in qua fuerunt unguenta & coronæ roſaceæ magni pretii. Dein. Salmaſ. *pluris aliquanto roſaria*, omiſſa voce *abſortio*, quæ in vulgatis exſtat. Copeſ. cod. *pluris aliquanto raſaria.*

28. *Perſollenni nuptiarum celeberrimo officio.*] Recepi hanc lectionem ex tribus Palatinis & Roberto Stephano. Nam vulgata *per ſolenne nuptiarum officio* Priſcianus vapulans reſpuit.

29. *Quaſi genus luxus excogitaret.*] Optime Salmaſianus ac Copeſianus codex, ut & Roberti Stephani, vetuſtioreſque editiones aliæ: *luſus.* Luſus certe fuit, non luxus, nimirum qui in Amphitheatro ludebatur ad inſtar venationis. Aut *luſus* eſt concubitus. Petron. *luſum puerilem libidinoſa ſpeculabatur diligentia.* Sic *ludere.* *Ludunt formoſæ* apud Ovidium. &, *Luditur in noſtris inſtita nulla libris.* Petron. *invenit me cum fratre ludentem.* Sic ſtatim pro *quatenus* longe melius codices Palatini tres, Salmaſianus, Corſendoncenſis, R. Stephani & Aldi Manutii edd. *quo*, nimirum luſu.

Neminem hominem pudicum.] Melius Salmaſianus & Copeſ. *hominum.*

30. *Piſcatus eſt rete aurato.*] Salmaſ. *piſcatus eſt veſte aurato.* Copeſ. *piſcatus eſt veſte aurata.* Salmaſ. ſuo codici adſcripſerat an *reſte?* nimirum aurato.

31. *Non in alia re damnoſior.*] Cod. Salmaſ. *Non in alia re tamen damnoſior*, quam lectionem nemo improbet. Qui autem *damnoſus* interpretantur hic, qui damnum infert (ajunt enim vere non in alia re damnoſiorem fuiſſe Neronem quam in ædificando. quippe ut tranſitoriam ſuam perageret, multa ſine dubio aliorum ædificia diruiſſe) ii vim vocis non ceperunt. *Damnoſus* hic eſt non qui aliis, ſed qui ſibi, hoc eſt, ſuis facultatibus damnum affert, prodigus, profuſus. Non hic de damno, quo alios affecit, ſed profuſione ſumtuum Neronis loquitur. *Damnoſus* enim eſt prodigus. Sic Plautus ſæpe, Pſeud. I. 5. I. Curc. IV. I. 24.

Fiſtu-

Fiſtulatis, ut unguenta.] Hanc lectionem veteris codicis a Salmaſio probatam aſſerunt etiam antiquiſſimæ editiones, Romana, Manutii, & R. Stephani. Nihil verius. Fuit enim in deliciis Romanorum, ut convivarum capita floribus coronarent & unguentis perfunderent, ſed ut puerorum ad id opera communiter utebantur, ſic Nero ſingularis artificii laquearibus. vulgo male, *fiſtulis.*

32. *Pro ſemiſſe dextans.*] Recepi hanc lectionem cum Grutero tot antiquorum librorum, quos videre Caſaubonus & Torrentius, fide nitentem. quibus accedunt Salmaſianus, Palatini tres, Corſendoncenſis, Alvari Nonii, & antiquiſſima editio Romana. Statim pro *illæ familiæ* reſcripſi ex Salmaſiano, Corſendoncenſi, & tribus libris Torrentianis, nec non Aldi Manutii ac Roberti Stephani edd. *ullæ familiæ.* Intelligit Juliam, Octaviam, Claudiam, Antoniam, Domitiam. pro *ſi qui eſſent* Salmaſ. & Copeſ. *qui eſſent*, Corſendonc. *ſi qui eſſent.* Sane veteres editiones, æque ut Salmaſianus: *cogeretur ei, qui ſine probabili cauſſa.* Puto *ei* natum eſſe ex *ſi* quod in Corſendoncenſi legebatur codice, & Suetonium ſcripſiſſe, ut conjecerat Lipſius: *inſtituit, ut e libertorum defunctorum bonis pro ſemiſſe dextans cogeretur, ſi qui ſine probabili cauſſa eo nomine fuiſſent, quo eſſent.* Nam pro *cogeretur ei* dicendum fuiſſet auctore Priſciano, *cogeretur ſibi.* Quod autem dicit *ſine probabili cauſſa*, inde poteſt colligi, non ob id e libertorum bonis coëgiſſe dextantem, quia liberti fuiſſent illarum familiarum, quas contingeret ipſe, ſed quia nomen earum familiarum ſine cauſſa, quæ probabilis eſſet, uſurpaſſent, & ſic familias ipſius affeciſſent probro. Solent enim velamenta quærere tyranni, quibus rapinas ſuas tegant, & ea velamenta, quæ ſpeciem aliquam juris habent.

Revocavit & præmia.] Non inſcite quidem liber Fulvii: *Revocavit & præmia civitatum, quæ unquam ſibi in certaminibus coronas detuliſſent.* Nihil tamen eſt immutandum. Recte hunc locum interpretatur Torrentius. Exigebat Nero pecuniam ad coronam ſibi tanquam hieronicæ conſtitutam a civitatibus olim, jubebatque illam pendi, cum ante eam repudiaſſet, & præter honorem illum coronæ ſibi decretum nihil deſideraſſet. Fuit hæc exactio ad inſtar auri coronarii: quod ob varias cauſſas petebatur.

Præcluſit cunctos negotiatores.] Phœnix ſui temporis Guilielmus Budæus de aſſe & partibus ejus legit *perculit* applaudente Grutero, quamvis & ipſi Palatini codices vulgatam aſſerant. Sed conſenſus omnium veterum librorum, ſententiaque haut abſurda, quam hæc ſcriptura præ ſe fert, facile refutat virorum doctiſſimorum correctionem. *Præcludere cunctos negotiatores*, eſt claudere negotiatorum tabernas, nec pati prius abire, merceſve inde deportare, quam pecuniam ab eis extorſiſſet, qua redimerent pœnam, qua tenebantur qui vetitos colores vendidiſſent.

Matronam e ſpectaculis vetita purpura cultam.] Codex Salmaſ. *matronam in ſpectaculis.* non male. *Vetita purpura* recte legitur. Perperam quidam: *vitta purpurea.* Fuit enim etiam purpura vilior licita. Certæ quædam purpuræ ſpecies vetitæ fuerunt. vid. quæ notavit Alb. Ruben. de Re Veſtiaria lib. I. cap. 8. Mox pro *demonſtraſſe procuratoribus ſuis creditur*, lege ex Salmaſiano, Corſendoncenſi, Alvari Nonii membranis, & Roberti Stephani editione: *demonſtraſſe p. ſ. dicitur.*

34. *Submiſſis & qui Romæ morantem.*] Optime Copeſ. *ſubmiſſis qui & Romæ morantem.*

Vel cameræ ruina.] Salmaſ. *camaræ*, ut ubique ſcribendum cenſuit Verrius Flaccus, teſte Fl. Soſipatro, qui tamen *camera* etiam recte ſcribi oſtendit auctoritate Lucretii. Cameras longe aliud eſſe quam laquearia diſputat Salmaſius ad Hiſtoriam Auguſtam. quem vide, & Vitruv. VII. 3.

Objecto clam juxta pugione.] Quomodo clam objici poſſit pugio, non video. legendum, ut eſt in nonnullis editis: *abjecto clam juxta pugione.*

Matremque occidi.] Salmaſ. & Copeſ. *matrem occidi.*

Nec incertis auctoribus.] Alii libri, & editiones vetuſtiores: *ſed incertis auctoribus.* Sic ſcripſit Suetonius, ſi non diſſentit a Tacito, qui ait, famam hanc ab aliis affirmatam, ab aliis negatam fuiſſe.

Peregrinatione Græciæ, Eleuſiniis ſacris.] Codex Salmaſ. *Peregrinatione Græciæ, & Eleuſinis ſacris.* Mox pro *Junxitque* melius idem codex cum Palatinis & Roberto Stephano: *Junxit parricidio matris amitæ necem.* Pro *ex duritia*, Salmaſ. *duritia.*

Nam nec dum defunctæ.] Expunxi illud *nam*, confiſus codici Salmaſiano, Copeſiano, tribus Palatinis, Corſendoncenſi, plurimiſque aliis vetuſtis libris & editionibus. Sed & ratio ipſa poſtulat. Pro *Poppæam* codex Salmaſ. ſemper *Pompejam.*

35. *Similiter interemit cæteros.*] Salmaſ. & Copeſ. *Similiter inter cæteros.* Unde Salmaſ. legendum cenſet, *Similiter ceteros.* ſcilicet *interemit.*

Per vim conſtupraſſet.] Codex Salmaſ. Copeſ. tres Palatini, Corſendoncenſis, & nonnulli alii codd. *conſpurcaſſet.* quod non temere repudiem. Sic *ſpurci oris homo, ſpurciſſimum propudium*, & ſimilia.

Rufinum Criſpinum.] Omnino legendum *Rufium Criſpinum*, uti in duobus codicibus reperit Torrentius. Pater enim ejus fuit *Rufius Criſpinus*, maritus Poppææ Sabinæ, cujus meminit Tacitus XIII. ann. 45. Perperam & hic & in multis Taciti locis *Rufinum* dici, & in libris non nullis *Rufrium* Cl. Ryckius ὁ μακαρίτης ad Taciti XII. 42. declarat. Sic & hic *Rufrium* legitur tam in Salmaſ. quam Copeſiano aliiſque.

Dominationis ſuæ fautores.] Salmaſ. *fauctores.* unde Salmaſ. *fautores.*

36. *Duabus conjurationibus promulgatis.*] Quis unquam dixit Latine loquens *promulgare conjurationes.* Optime Salmaſianus & Corſendoncenſis: *conjurationibus*

nibus provulgatis. Nec longe abit editio princeps: *conjurationibus pervulgatis. Provulgatis conjurationibus*, eſt divulgatis, proditis, quum in vulgus dimanaſſent.

Poſterior Viniciana.] Hujus hiſtoriæ non meminerunt alii, niſi quod Plutarchus de Garrulitate ſcribat, detectam eſſe hanc conjurationem, quod damnato ad beſtias, & mortem præſentem deploranti, quidam inſuſurraſſet, ſalvum fore, ſi in craſtinum ſupervivere poſſet.

37. *Imagines reſtituiſſet.*] Omnino legendum: *retinuiſſet*, ex codice Salmaſiano, tertio Palatino, & editione principe, aliiſque libris vetuſtis quos Caſaubonus evolvit. Merito pœnas luiſſet Longinus, ſi poſt tanti temporis intervallum reſtituiſſet percuſſoris Cæſaris imaginem. Hoc enim potuiſſet pro argumento haberi, quo populus ad novas res ſollicitaretur. Verum cum eam retinuiſſet in ſtemmate ſuo Longinus, idque alii Principes ante Neronem tuliſſent haut irate, merito inter crudelitatis exempla, & eos quos ſine cauſſa interemit, refertur.

38. *Cum ſtupa tædaque.*] Salmaſ. *cum ſtuppa.* Sic & antiquiſſimus Virgilii liber:

Stuppea vincula collo.

Græcis ϛύππη.

Quod ſaxea muro conſtructa erant.] Nemo negabit rectius legi in codice Salmaſiano & Roberti Stephani editione: *quod ſaxeo muro conſtructa erant.* Murus erat exſtructus ex ſaxis grandibus e montibus excíſis ideoque bellicis machinis fuit labefactandus, ædificia vero inflammata.

39 *Peſtilentia unius autumni, qua triginta funerum milia.*] Melius Salmaſianus: *quo triginta f. m. quo* ſcilicet autumno. Mox idem: *notabile inter hæc fuerit.* vulgati, *fuit.*

Νεόνυμφον.] Salm. ΝΕΟΨΗΦΟΝ.

40 *Quo majore venia meditaretur.*] Reſcripſi ex Salmaſiano & Roberto Stephano: *quo majore ſcilicet venia.*

41. *Romam prætrepidus rediit.*] Duo diverſi, obſervante Noriſio, Neronis adventus Romam, poſtquam ex Oriente redierat, commemorantur a Suetonio. Alter c. 25. cum ex Græcia redux, Neapolim albis equis, ac dein Romam triumphantis more, coronamque capite gerens Olympiacam introiit, quod factum ſit Decembri anni Chriſti 67. Alter cum Neapolim eſſet regreſſus & inde Romam, priori longe diſſimilis, cum non triumphans, ut ante, ſed prætrepidus redierit, de quo Suet. c. 40. id quod acciderit Aprili anni 68. Perperam hi duo diverſi reditus Neronis a multis confunduntur. Vide autem Noriſium hoc pluribus aſſerentem argumentis apud Pagium in annum Chriſti 68.

42. *Animo male fracto diu & ſine voce.*] Cod. Salmaſ. *animo male facto diu ſine voce.* mox pro veſte *deſciſſa* idem *diſcuſſa.* legend. *diſciſſa.* Dein *quod ſuum imperium vivus amitteret.* Salmaſ. *quod ſummum imperium vivus amitteret.* Sic & ſcribitur in Corſendoncenſi & Alvari Nonii codd. & editione principe. Non longe abhinc Salmaſianus pro *ſecius* ſcribit *ſetius*, & pro *vulgo innotuerunt*, *vulgo noτuerunt.*

46. *Numquam antea ſomniare ſolitus. Occiſa demum matre vidit per quietem.*] Omnino diſtinguendum eſt, ut diſtinxit Palatinus tertius & duo Torrentiani, probante Grutero: *cum veteribus tum novis. Nunquam antea ſomniare ſolitus, occiſa demum matre vidit per quietem.*

47. *Quos Homericos.*] Salmaſ. & Copeſ. *Quos Homerios*, hoc eſt ὁμηρείȣς, notante Salmaſio.

48. *A quodam miſſicio.*] Miſſicii dicebantur, qui honeſta miſſione miſſi erant, ſive exauctorati.

Ad adverſum villæ parietem.] Scribo *ad averſum.* nam a parte poſtica acceſſiſſe videtur. GRONOV. Sic etiam hunc locum emendandum eſſe vidit olim Vir ſumme Reverendus & doctiſſimus ANTONIUS PERIZONIUS, Theologiæ Doctor Daventrienſis eruditiſſimus, uti ſuis ad me datis litteris ſignificavit.

In ſpecum egeſtæ harenæ concederet.] Non male codex Alvari Nonii, cum uno Torrentiano: *ſe conderet.*

49. *Scrobem coram fieri imperavit.*] Non mihi fit vero ſimile, ſcrobem ideo factam eſſe ab iis, qui carnificis manu peribant, aut ſibi ipſi vim inferebant, ne caſus eſſet ἀσχήμων, ut vir ſummus notavit. Nam Eunuchus etiam Cleopatræ foveam ſibi præparabat moriturus ſerpentum morſu, qui ſe poterat poſtea componere ex libidine. Dio lib. 51. Ὁ γὰρ εὐνȣ̃χος, ἅμα τῷ συλληφθῆναι αὐτὴν, τοῖς τε ἑρπετοῖς ἑαυτὸν ἐθελοντὴς παρέδωκε, καὶ δηχθεὶς ὑπ᾽ αὐτῶν, ἐς σορὸν προπαρεσκευασμένην οἱ ἐσπεπηδήκει. *Nam Eunuchus, ſimul atque Cleopatra capta fuit, ſerpentibus ſeſe ultro mordendum præbuerat, morſuſque in foveam præparatam ſibi ad id inciderat.* Forte id fecerunt, ne omnino eſſent expertes ſepulturæ. Nam inſepultum perire triſtiſſimum habebatur.

Semianimiſque adhuc interrumpenti centurioni.] Quid interrumpebat centurio? Inepta eſt hæc ſcriptura. lege cum codice Salmaſiano, & fido ejus comite Roberto Stephano: *irrumpenti centurioni.* Quis dubitet?

50. *Impoſitum eſt colle hortorum.*] Codex Salmaſ. & Copeſ. & tres Palat. *collo hortulorum.* Sed recte legendum cenſuit Torrentius: *colli hortulorum.* Sane *colli* eſt in libro vetuſto Fulvii Urſini. Hortulorum autem ille collis dicebatur aliter Pincius. Male retinuerunt operæ in contextu *colle hortorum.*

Superſtanti Lunenſi ara.] Hic etiam probanda eſt lectio præſtantiſſimi codicis Salmaſiani, & optimæ editionis Roberti, quæ præ ſe ferunt: *ſuperſtante Lunenſi ara.* Sane conſtructionis ratio hanc lectionem exigit.

51. *Statura fuit pœne juſta.*] Salm. & Copeſ. *ſtatura*

tura fuit prope juſta. mox iidem codices, *corpore maculoſo & fœtido.* vulgo, *& fœdo.*

53. *Deſtinaverat etiam, qui Apollinem cantu.*] Melius Salmaſianus & duo Palatini: *quia Apollinem cantu.* quod & Gruterus probavit.

IN GALBAM.

1. *Sed evidentiſſime duobus.*] Non excludenda eſt vocula *vel*, quæ & in duobus Torrentianis & in Salmaſiano legitur codice.

Pangique ramulum placuiſſet.] Codex Salmaſ. *pangi.* & mox pro *ſoboles*, idem *ſuboles*, & ſic ſemper optimi quoque & antiquiſſimi alii libri & lapides.

Inde laureas decerperent.] Poſt hæc verba codex Salmaſianus ſpatium unius lineæ cum dimidia reliquit. Si quid in eo exaratum olim fuit, id hactenus alta oblivione ſepultum latet. quod cum in Memmiano quoque codice ſe deprehendiſſe tradat Salmaſius, ſatis apparet, ut & ex multis aliis locis, quem vocamus codicem Salmaſianum, nullum alium eſſe, quam Memmianum, quem Salmaſius compoſuit cum editione Caſauboni.

2. *Pronepotem Q. Catuli.*] Salmaſ. Mſs. *Pronepotem ſequenti.* Hinc Salmaſ. cenſet legendum *Pronepotem ſe Quinti Catuli.* & ſic ed. Rob. Stephani, non nullæque aliæ, ut & codex Copeſii.

Paſiphaën.] Codex Salmaſ. *Paſiphaan.* ut ſuperius in Nerone, & ſic quoque liber optimus Torrentii. Emendationem autem Torrentii pulchre firmat locus Silii Italici:

Huic genus orditur Minos, incluſaque tauro
Paſiphaë.

3. *Galbeo uteretur.*] Galbeum & calbeum dici veteribus armillam, quæ virtutis cauſſa donabatur militibus, aliis viriola dicta, recte tradit Salmaſius ad Hiſtoriam Auguſtam. Hinc *Calbienſes* appellabantur milites, calbeis, ſeu galbeis donati. Antiquus titulus apud Gruterum:

SOLI. SANCTISSIMO.
SACRUM
TI. CLAVDIVS. FELIX. ET
CLAVDIA. HELPIS. ET
TI. CLAVDIVS. ALYPVS.
FIL. EORVM
VOTVM SOLVERVNT.
LIBENS. MERITO
CALBIENSES. DE. COH. III.

Temporum ſuorum eloquentiſſimus.] Codex Salmaſ. *& temporum ſuorum eloquentiſſimus.* Cicero: *Servius Galba eloquentia præſtitit: cujus tamen orationes exiles fuerunt, & redolentes antiquitatem, quæ ob id exaruerunt.*

Quam brevi corpore.] Cod. Salmaſ. *quamquam.* Sed non eſt ſollicitanda vulgata lectio: *quam brevi corpore*, eſt valde brevi. Cic. *litteræ ſanè quam gratæ*, id eſt, valde gratæ. ſic ſæpe veteres loquuntur.

4. *In villa colli ſuppoſita.*] Merito Gruterus probavit duorum Palatinorum ſcripturam, quæ eſt, *in villa colli ſuperpoſita.* Villæ enim non ſupponi, ſed ſuperponi ſolent collibus, ut latius ex illis in ſubjectos campos poſſit proſpici. Firmant hanc lectionem Roberti Stephani editio, F. Urſini & Salmaſii codices. mox hic *ſiniſtrorſus* pro vulgato *ſiniſtrorſum.*

Liviæ nomen & Ocellæ cognomen.] Codex Salmaſ. *Liviam nomen & Ocellare cognomen.* Exiſtimo Suetonium ſcripſiſſe: *Liviam nomen, & Ocellam cognomen aſſumſit.*

Et Lucium mox pro Servio.] Hinc Galbam conſulatus ſui anno non Servii, ſed Lucii prænomen habuiſſe, ex hac teſſera gladiatoria probat Cl. Noriſius in epiſtola Conſulari:

MYRTILUS
ATTIÆ
SP. III. NON. JUN
L. SULL. L. SULP.

Ex iſta teſſera ſemeſtrem ait conſulatum Galbæ Suetonio cap. 6. memoratum intelligi, ſimulque Lucii prænomen, quod pro Servio poſt adoptionem uſque ad acceptum imperium tulerit. Opponit huic ſententiæ Pagius in Criticis animadverſionibus in Baronium, Tacitum, qui lib. 6. & Dionem, qui lib. 58. ubi hujus anni Conſules laudant, Galbam vocent Servium. Opponit etiam inſcriptionem ex Grutero p. 1087. in qua legatur:

SER. SULPICIUS. GALBA.
L. SULLA. FELIX. COS.

Sed Dionem & Tacitum poſuiſſe prænomen, quo poſt imperium adeptum ſemper uſus eſt, non attendentes ad prænomen, quo inſigniebatur poſt adoptionem, etiam in conſulatu, certum eſt. Nam prænomen Lucii fuiſſe Galbæ cum eſſet conſul, præter teſtimonium Suetonii teſſera gladiatoria clariſſime docet, cui nihil poteſt opponi. Inſcriptio autem vetus apud Gruterum poſt Imperatoris mortem fuit ſculpta, itaque & in illa uſitatum & populo notum prænomen Imperatori fuit datum, quamvis in conſulatu id non geſſerit.

Frugiferam quercum.] Sic omnes Mſs. & editiones, quod non mutandum in *fructiferam.* Nam & Cornificio *arboreæ fruges*, ſunt fructus arborum, ut poma, glandes, quanquam Paullus JCtus fruſtra repugnet. Elegia de nuce:

Nos quoque frugiferæ, ſi nux modo ponor in illis,
Cœpimus in patulas luxuriare comas.

Quanquam autem nondum ætate conſtanti] Robertus Steph. non agnoſcit *autem.* & ſane rectius abeſſet.

5. *Ut inter conventum matronarum.*] Melius Salmaſianus, Copeſ & Rob. Steph. quod & in duobus invenit Torrentius, *ut in conventu matronarum.* Mox Salmaſ. codex & Copeſ. *a matre Lepidæ.* non, ut vulgo, *a matre Lepida.*

 7. *Mili-*

7. *Militi.*] Mss. *Meliti.* Forte ſcripſit Suetonius: *veliti.*

8. *Ne ad geſtandum quidem.*] Cum *aliter* repertum ſit a Fulvio in antiquo codice, quod deſiderabant Caſaubonus & Torrentius, cur id non recipiemus cum Roberto Stephano?

9. *Verſanti pecunias.*] Nollem præſtantiſſimo Caſaubono ſuſpectum eſſe τὸ *pecunias*. Imo *verſanti pecunias* eſt tractanti. Sic Virgil. *verſemus oves.* Eclog. ult. Servius explicat *exerceamus & tractemus.*

10. *Et adſtante nobili puero.*] *Aſtante* codex Salmaſ. idem *e proxima Baliari inſula.* & pro *deinde*, *dein.*

Ac e primoribus.] Rob. Steph. & cod. Salmaſ. *at e primoribus.*

11. *Mors Vindicis.*] Codex Salmaſ. & ſec. Pal. *mors ſui indicis.* primus *mors ſui vindicis.* ut videatur reſcribendum cum Caſaubono: *mors Julii Vindicis.*

12. *Denarios quinque.*] Plutarchus procul dubio hic erravit. Aurei enim denarii Romanis ætate illa nulli, ut multis luculentiſſime oſtendit Gronovius de Pecun. vet. lib. XIII. c. 15.

14. *Sed nequaquam tam grata erant quam inviſa quæ ſecus fierent.*] Ita fere ſolet. Vere Tacitus: *Inviſo ſemel Principe, ſeu bene ſeu male facta premunt.*

Jam ſummi equeſtris gradus.] Omnes Palatini & Salmaſ. nec non Roberti Stephani edit. *jam ſummæ equeſtris gradus.* forte ſcripſit Suetonius: *jam ſummæ equeſtris dignitatis candidatus.* ut *gradus* ſit interpretatio τῦ *dignitatis*, quæ poſtea in contextum tum irrepſit.

Atque illius ætatis.] Salmaſ. & Copeſ. *atque illud ætatis.* Sic & alibi loquitur Suetonius.

15. *Pretio adipiſci.*] Neſcio unde hoc *adipiſci*, cum cod. Salmaſ. optime *pretio addici*, hoc eſt, vendi. Et ſic quoque editiones non nullæ. Copeſ. cod. corrupte *pretio adjici.* itidem Rob. Steph. editio male *pretio adduci.*

18. *Spiculator.*] Cod. Salm. *ſpeculator* ut ſupra.

Excepit terra tremore.] Nihili hæc eſt lectio. Reſcripſi ex Salmaſiano, & ora Corſendoncenſis, *terræ tremor*, ut Torrentius ſola conjectura ductus emendandum vidit, adſentiente Caſaubono.

Pullos evolaſſe.] Melius Salmaſianus, *pullos avolaſſe.*

20. *Germanicorum vexillatione.*] Cod. Salmaſ. *Germanciorum vexillatione.* Copeſ. *Germanitiorum vexillatione.*

21. *Excreverat in dextro latere ejus caro.*] Nonnulli codices, *gibbus.* dein Salmaſ. Rob. Steph. & plures alii, *præpendebatque.* Martialis:

Præpendet Samia nec tibi barba minor.

Sic enim ille locus ex veſtigiis antiquorum librorum, in quibus *ſane* legitur, eſt refingendus, ut alibi docebo. Pythagoras enim fuit barba promiſſa. Male Iſ. Voſſius ad Melam: *Præpendet meta nec tibi barba minor*, Statim idem Salmaſ. Pall. nec non plurimi alii, *inter cœnam vero uſque adeo abundanti.* Gruterus mallet, *abundanter.* Ego vero cenſeo ſcripſiſſe Tranquillum, *abundantis*, ut pendeat a præcedente *cibi plurimi traditur.*

IN OTHONEM.

1. *Nondum nubilem.*] Salmaſ. *Vixdum nubilem.* Copeſ. cod. *vix nubilem.*

2. *Camillo Arruntio, Domitio Ahenobarbo* Coſs.] Sive Suetonii error ſit, ſive librariorum, ſcribendum eſt *Camillo Furio*, ut V. C. Noriſius in epiſtola Conſulari docuit, quia Camillus Scribonianus non fuit ex gente Arruntia, ſed ex Furia. Hoc probat ex Faſtis Capitolinis, in quibus anno quo Auguſtus erat Tribunitiæ poteſtatis XXX. ponitur Conſul M. FURIUS. P. F. P. N. CAMILL. ut & ex nummo, in quo triumvir monetalis nominatur M. FURIUS. P. F. CAMILLUS. Hunc credit patrem fuiſſe Camilli, cujus hic fit mentio, qui nimirum Collega fuerit Cn. Domitio in conſulatu ordinario. Ejus quoque meminiſſe Suetonium in Claudio cap. 13. *Bellum civile movit Furius Camillus Scribonianus Dalmatiæ legatus.* Ex his omnibus colligitur male nominari Arruntium. Mihi ſane ſcribarum videtur eſſe culpa.

Domitio Ænobarbo.] Mss. *Ahenobarbo.* recte, ut ſupra oſtendimus.

Vel potulentum.] Hæc vox in hac ſignificatione nuſquam, ſi recte memini, legitur. Codex Salmaſii *potu lentum*, hoc eſt, cujus pedes vinum captavit, ut Plautus jocatur, qui per ebrietatem lente incedit. forte legendum, *temulentum.*

Quo efficacius coleret.] Hoc eſt, omni officii genere proſequeretur. Ovidius diſcrimen quoque inter cultorem & amatorem oſtendit:

Qui fuerat cultor, factus amator erat.

4. *Magnam quidem ex conditione temporum.*] Delevi copulam ſecutus cum Grutero Torrentii codicum & Palatini primi ſcripturam. vulgo male, *magnam quidem & ex conditione temporum.* Occaſio autem temporum hæc erat, quod imperatrix domus, ſive familia Cæſarum radicitus intercidiſſet.

Alium alia via militum.] Optime Theologus doctiſſimus & σεβαστμιώτατος A. Perizonius conjecit legendum eſſe: *alium alia via militem demerebatur.* quod P. Scriverii editio confirmat.

5. *Ab hoſte in acie, an in foro ſub creditoribus caderet.*] Non vulgare loquendi genus eſt, *ab aliquo cadere.* Sic Ovidius quoque:

A tanto cecidiſſe viro.

Pluribus affuturis.] Codex Salmaſ. *plures adfuturis*, Pall. prim. & ſec. *plures adfuturi.* Omnino ſcribendum, quod & Gruterus vidit, *plures adfuturos*,

6. *Tule-*

6. *Tulerat animus.*] Sic Gronovius, & jam olim Salmaſius legendum cenſuerat ex ſuo codice. Receperat etiam dudum in ſuam editionem Robert. Stephanus, nonnullique alii.

7. *Reponi paſſus eſt.*] Sic apud Ovidium *repoſtor templorum* eſt reparator, inſtaurator.

8. *In Vitellii verba juraverant.*] V. C. Salm. *jurarant.*

Expertus eſt. Placuerat per claſſiarios arma transferri, remittique navibus: ea cum in caſtris ſub noctem.] Sic interpunxi hunc locum, & refinxi, ſecutus Torrentianum codicem, editionem Germanicam, Caſauboni judicium, &, quod potiſſimum, ſanam rationem. *Et* enim hic nulli rei erat, ortum ex præcedente *eſt.*

Motis nec dum conditis ancilibus.] Recte Beroaldus interpretatur de tempore, quo ancilia circumferebantur a Saliis. Circumferebantur enim per triginta dies. tum enim dicebantur moveri; condi vero, cum poſt diem trigeſimum reponerentur in templum Martis. Hoc omne vero tempus religioſum erat, & infauſtum habebatur rebus gerendis. Liv. lib. XXVII. *Stativa deinde ad Helleſpontum aliquamdiu habuerunt: quia dies forte, quibus ancilia moventur, religioſi ad iter inciderant.* Pro *haberetur*, Salmaſ. cod. *habetur.*

Victimas Diti patri cæſas litavit.] Stultiſſima eſt hæc lectio, quæ in omnibus recentioribus exſtat editionibus. Victimæ litant, non litantur. Veriſſime vero Salmaſianus codex & Roberti Stephani editio: *victima Diti patri cæſa litavit.* hoc eſt, bona in illa ſigna apparuerunt, læta portendentia. *Contraria exta* ſunt adverſa ſignificantia.

9. *Nec illi pugnæ adfuit.*] Quænam eſt illa pugna, cui non adfuit: num illa noviſſima, cum res in diſcrimen veniret? an una harum trium levium, quas commemorat? Nugæ. Scribe ex codice Salmaſiano: *nec ulli pugnæ adfuit.*

Subſtititque Brixelli.] Sic reſcripſi ex Salmaſ. Corſendonc. Alv. Nonii codd. nec non priſcis edd. prima Romana, Ald. Manut. & Rob. Steph. Ptolemæo etiam Βρίξελλον, ſicut & antiquæ membranæ Plinianæ. Vulgati vero libri æque ut Suetonii, *Brixilli.*

Apud Betriacum.] Cur non meliores libros, quos ſic habere Caſaubonus teſtatur, ſequamur, cum inferius illos ſecuti ſimus, in Vitell. 10. *De Betriacenſi victoria, & Othonis exitu.* & cap. 15. *Hinc Betriacenſes copias.* In Veſpaſ. c. 5. *Acieque Betriacenſi.* Sic ubique meliores libri.

In ipſa conſalutatione.] Præter duos Torrentianos, Mss. tres, Salmaſ. Corſendonc. Alvar. Non. & prima edit. Rom. *in ipſa conſultatione.* hoc eſt, dum deliberabant & conſultabant de pacis conditionibus, quod merito non diſplicuit Torrentio. vide Tacit. II. Hiſt. 41.

Integriſque etiam nunc.] Probo ſcripturam codicis F. Urſini: *integriſque etiam tunc.*

11. *Et celeriter, nam ita præceperat, funeratus.*] Lectio quæ exſtat in editione Rob. Stephani, de qua Caſaubonus, eſt a Fulvio Urſino. is enim ſic legendum eſſe conjecit ex vulgata *apud Veliternam.*

XCV. *Imperii die.*] Accuratior Xiphilinus & Zonaras, qui XC. tantum dies tribuunt Othonis imperio. Tacitus enim lib. II. Hiſtor. Othonis mortem Romæ nuntiatam tradidit, dum Cereales ludi ex more ſpectabantur. Hi ludi tertio Idus Aprilis inchoabantur, & XIII. Kal. Maji, id eſt, XIX. Aprilis finiebantur, ut id docet vetus Kalendarium a Lambecio publicatum in Cæſarea bibliotheca. Otho Betriaci igitur periit ante XX. Aprilis, alioqui dum ludi Cereales celebrabantur, Romæ nuntiari non potuiſſet, cum Romam inter & Betriacum longa via intercedat, cui percurrendæ dies unus atque alter fuit impendendus. Oſtendit hoc quoque Joſephus V. de bello Jud. c. 8. cum ait Othonem tres menſes & biduum tenuiſſe imperium. hoc vero contigiſſe XVI. Aprilis. Id confirmat quoque Clemens Alexandrinus, qui Othoni tribuit menſes tres, ſic enim emendavit Caſaubonus, diem unum, qui diem emortualem excludit. Jam Vitellius, cum Kalendis Januariis hujus anni exercitus ſuperioris Germaniæ rupiſſet Galbæ imagines, & in acta ſenatus juraſſet, die poſtero Vitellius Imperator fuit conſalutatus Tac. I. Hiſt. Inde Otho, qui Galbæ ſucceſſerat, ſe ipſe interfecit, cum regnaſſet biduum & tres menſes.

IN VITELLIUM.

2. *Aulus in conſulatu obiit, quem cum Domitio Neronis Cæſaris patre inierat.*] At hoc falſum eſt. Nam Camillus Scribonianus conſulatum iniit cum Cn. Domitio Ahenobarbo anno U. C. 785. uti conſtat ex Dionis lib. 58. & Taciti VI. Annal. Camillo vero, cum hoſtis publicus declaratus eſſet Sc. & a militibus interfectus, ſubſtitutus fuit Kal. Jul. A. Vitellius, ut ex Nolana tabula apud Gruterum oſtendit præſtantiſſimus Noriſius. In illa enim ſic legitur:

CN. DOMITIUS. AHENOBARBUS. COS.
SUF. KAL. JUL. A. VITELLIUS. COS.

Exiſtimat autem idem Noriſius *conſulatum iniiſſe Vitellium cum Domitio*, idem Suetonium hic denotare, cum Aulum Vitellium ſcribit, collegam habuiſſe Domitium in conſulatu, non tamen eadem die ſimul auſpicatum eſſe cum Domitio magiſtratum Vitellium. Sed hanc interpretationem vis locutionis *inire conſulatum* non fert, quæ nunquam aliter quam de magiſtratuum auſpicio ſive initio ponitur. Igitur hoc quoque lapſibus Suetonii adſcribendum.

Duos inſuper ordinarios conſulatus, cenſuramque geſſit.] Exſtat nummus Vitellii eximius hujus cenſuræ teſtis, in quo legitur *Vitellius Cenſor* II. SC. Mirantur viri docti cur conſulatus ſit omiſſus, & ſolius fiat mentio cenſuræ. Rationem docuit nos Vir dignitate, ingenio, & doctrina maximus Ezech. Spanheimius,

mius, quia nimirum cenſura eſt omnium dignitatum apex. Sic & Pollio tradit Valerianum antea Cenſorem, poſtea Imperatorem fuiſſe, omiſſa aliarum dignitatum appellatione. Vide pulcherrimum de præſtantia & uſu numiſmatum antiquorum opus, cui hæc accepta referenda ſunt.

Primus C. Cæſarem adorari ut Deum inſtituit.] Codex Salmaſii *adorare*. Suetonium ſcripſiſſe puto: *Primus C. Cæſarem adorare ut Deum inſtitit.* hoc eſt, primus cœpit adorare, ut apud Terentium Hecyra: *Habere orationem inſtitit.* Liv. lib. XXVII. *Nero non modo ſuadere, ſed ſumma ope orare inſtitit, ne conſilium ſuum, quod tutum celeritas feciſſet, morando temerarium facerent.* Hoc vocabulum etiam Gellio reddendum eſt, cum in lib. XII. cap. I. *Puellamque defeſſam labore ac vigilia ſomnum capere cognovit, fabulari inſtitit prolixius.* ſic legendum. In editis eſt: *fabulari inſtituit.* tum in lib. XV. cap. 22. *Hanc* (cervam) *ſibi oblatam divinitus, & inſtinctam Dianæ numine colloqui ſecum, monereque & docere, quæ utilia factu eſſent, perſuadere omnibus inſtituit.* ſcribendum: *perſuadere omnibus inſtitit.*

3. *Vitellius L. filius Imperator natus eſt* VIII. *Kal. Octobres, vel, ut quidam,* VII. *Idus Septembris, Druſo Cæſare & Norbano Flacco Coſs.*] Itaque, ut docet Pagius, natus eſt Vitellius ſecundum Zonaram XXIV. Septembris, ſeu VIII. Kalend. Octobris anno Chriſti XV. periit die XXI. Decembris anno Chriſti LXIX. Zonaras enim ſcribit: *Vixit annos* LIV. *& dies* LXXXIX. *imperavit annum unum.* Hoc accepit ab antiquo ſcriptore. Joſephus vero cum lib. V. de bello Judaico c. 13. narrat, in media urbe jugulatum eſſe Othonem, cum octo menſes & dies quinque potitus eſſet imperio, regnum Vitellii, ait Pagius, a XVI. Aprilis, quo Otho ſe interfecerit, exorditur, & diem mortualem excludit, quod ex ſequentibus Joſephi verbis certius confirmat idem Pagius, in Criticis ad Baron. ad annum Chriſti 71. quem vide.

4. *Cum ſuccedenti fratri legatus ſubſtitutus eſſet.*] Vere Caſaubonus. Nec credibile eſt legatum ſucceſſoris egiſſe Vitellium, qui modo fuerat præfectus provinciæ. Qui enim aliter frater potuiſſet ſuccedere? Itaque legendum videtur: *decedenti fratri.* Proprie enim dicebantur decedere præſides provinciarum, cum ex illis domum redirent. Codex Salm. *cum ſuccedenti fratri ſubſtitiſſet.*

Cadaverum tabem.] Hoc eſt, putrefactorum cadaverum fœtorem. Tac. II. ann. 69. *ſemuſti cineres ac tabe obliti*, quem locum merito contra Lipſium & Muretum vindicat, Vir cl. & cum in vivis eſſet, mei amantiſſimus Ryckius.

7. *T. Vinii ſuffragio.*] Cod. Salm. & Copeſ. & ed. Rob. Steph. *T. Juni ſuffragio.*

Factionis ſuæ favorem.] Cod. Salm. & Rob. Steph. ed. *factionis Venetæ favorem.*

12. *Conſilio & arbitrio viliſſimi cujuſque hiſtrionum & aurigarum.*] Non minus fœda Hieronymi Hieronis nepotis Syracuſarum tyranni cum *calone* familiaritas, ut Livius recenſet lib. 24. cap. 5. *Conjuratio in tyranni caput facta indicatur per calonem quendam æqualem Hieronymi, & jam a puero in omnia familiaria jura aſſuetum.* Sed puto Livium ſcripſiſſe *per Gelonem quendam*, ut intelligat nobilem aliquem juvenem Syracuſanum æqualem Hieronymi: nam quamvis perditis fuerit moribus Hieronymus, vero ſimile tamen non eſt puerum Hierone vivente tam ſordidam contraxiſſe familiaritatem; & qualis ille puerulus calo? COETIER.

Poſcam vendentem.] Poſca eſt acetum aqua dilutum. Gloſſæ: *Poſca*, ὀξύκρατον. Celſus ſcribit *puſca.* Unde Græci recentiores formarunt φȣ̃σκα. cujus mentionem facit Alexander Trallianus lib. XI. & deſcribit Phæmon Cynoſophii cap. 7. quod ſit ὄξος καὶ ὕδωρ θερμὸν καὶ ὦα δύω· *Acetum, aqua calida & ova duo.* Fuit militum, ſervorum & vilis plebeculæ potus. *Poſca* autem dicitur ab obſoleto verbo *po*, quod ex Græco πόω, cujus ſupinum *potum* adhuc in uſu eſt, ut ab *edo eſca*, a *noceo*, *noſca*, & per metatheſin *nocſa*, &, ut poſtea ſcripſerunt, *noxa.* ut docuit doctiſſimus amicus meus Chriſtianus Daumius de amiſſis radicibus Latinæ linguæ cap. 5. Spartianus in Adriano leviter intuenti inter cibos referre videatur. Sic enim ille: *Cibis etiam caſtrenſibus in propatulo libenter utens, hoc eſt, larido, & caſeo, & poſca.* Sed generalius, pro omni alimento, cibi nomen acceperit.

Deprehendiſſet.] Cod. Salmaſ. ut & Alvari Nonii & princeps editio, *reprehendiſſet.* quod Torrentio quoque placuit. mox reſcripſimus cum Caſaubono ex Roberti Stephani editione, *ſtatimque ſolvit*, cum in vulgatis inepte legatur, *ſtatimque coluit.*

13. *Jentacula.*] Codex Salmaſii, *jantacula.* Sicut antea *jantaſſent* pro *jentaſſent.*

Clypeum Minervæ αἰγίδα πολιȣ́χȣ dictitabat.] Codex Salmaſii & Rob Steph. *clypeum Minervæ πολιȣ́χȣ dictitabat.* Et ſic legendum videtur.

Scarorum jocinora.] Codex Salmaſii ut &, quem vidit Turnebus, *ſcarorum ſacrorum jecinera.* Forſitan vere. Sane ſacros quoſdam piſces fuiſſe docet Martialis lib. III. ep. 30.

Sacris piſcibus hæ natantur undæ,
Qui norunt dominum, manumque lambunt.

Et ibidem:

Et piſces venerare dedicatos.

Vide quæ ibi notarunt viri docti. Sed tamen, ut verum fatear, *ſacrorum* h. l. natum eſt ex *ſcarorum.*

A Carpathio uſque fretoque Hiſpaniæ.] V. cod. Salmaſ. etiam: *a Parthia uſque fretoque Hiſpanico.* ſicut recte legendum eſſe vidit Caſaubonus. Ubi eſt *Carpathium fretum?* Mare Carpathium quidem notum eſt omnibus, ſed non fretum.

15. *Eadem verba, verum libello.*] Copeſ. *eadem illa, verum e libello.* Sic & Rob. Steph. ed.

16. *Suaſit*

16. *Suaſit ſenatui.*] Copeſ. *ſuaſitque ſenatui.* Rob. Steph. ed. *ſuaſit ſenatoribus.*

17. *Quisnam eſſet interrogabatur.*] Salmaſ. Copeſ. & Rob. Steph. *quis eſſet, nam ignorabatur.*

Mucrone gladii ſubjecto.] Salmaſ. & Copeſ. *mucrone gladii ſubrecto.*

Miniſtratorem exhiberet.] Duo quoque Palatini: *miniſtratorem ſe exhiberet.* Legitur hæc vox etiam apud Senecam.

IN VESPASIANUM.

1. *Centurio an evocatus.*] Egregie litarunt, qui hic deæ Criticæ operati exciderunt ſecuti auctoritatem veterrimorum codicum *incertum ſponte. evocati* enim non fuerunt centuriones, ſed eadem dignitate erant qua centuriones, & vitem gerebant, æque ut centuriones.

Fratremque ſenatorem.] Cod. Salmaſ. ſine copula *fratrem ſenatorem.*

Spoletium.] Sic olim edidi ductu codicis Salmaſiani, cui meus accedit. Vide Cluver. Ital. Antiqu. lib. 11. p. 632.

Solerent.] Salm. & meus cod. *ſoleant.*

2. *In Sabinis.*] Salm. meus & al. codd. *In Samnis.*

Cui nomen eſt Phalacrine.] Sic & meus codex cum editis. Sed Salmaſ. cod. *Phalacrinæ*, quod non improbem, ut ſit tertius caſus a primo Phalacrine, Phalacrines, Φαλακρίνη. Eſt loquendi genus vulgo minus tritum, ut apud Juſtinum XXIX. 1. *Cui ex facinoris crimine cognomentum Philopatori fuit.* Sic recte Juntina. vulgati *Philopator.* vide me, ſi tanti eſt, ad illum locum.

Tribunatum militum in Thracia meruit.] Sic repoſui ex codice Salmaſiano, Roberto Steph. & aliis antiquis edd. hoc eſt, propter virtutem ſuam evectus eſt ad tribunatum militum in Thracia. Poteſt tamen vulgata quoque ferri & explicari: *tribunatu militum in Thracia meruit*, hoc eſt, Tribunus militum in Thracia fuit, tribunatum geſſit in Thracia. De quibus locutionibus egi ſuperius. vide quæ notavi ad Auguſti cap. 13.

4. *In deditionem redegit.*] Probo cod. Salmaſ. & Robert. Steph. qui ſcribunt *in ditionem redegit.*

Quantum eventu poſtea patuit.] Codex Salmaſ. quoque *paruit*, hoc eſt, apparuit. quod rectum cenſeo cum Caſaubono.

Uno quoque & altero.] Placet magis ut eſt in V. C. *unoque & altero.*

Ictum genu.] Cod. Salmaſ. *ictu genu.*

5. *In ſuburbano Flaviorum quercus antiqua, quæ erat Marti conſecrata.*] Melius Salmaſianus: *quercus antiqua erat, Marti ſacra. Sacra* habet etiam Robertus.

Tantum quod exemtum.] Huic ſcripturæ dum repugnat Marcilius, talem ſeſe oſtendit, quales criminatur eſſe, qui eam defendunt. Non nego *tantum non* placuiſſe Suetonio: ſed & *tantum quod* ei placuit, quemadmodum ex Auguſto cap 63. & 98. & Nerone cap. 6. apparet. Habet autem utraque particula ſuam Venerem loco poſita. Nam *tantum non* propemodum ſignificat, non etiamnum, nec plane, ut vult Marcilius; *tantum quod* vero, commodum ante, pauxillum ante. Quod ſi dens fuit *tantum non* exemtus, manſit in gingivis, quamvis labefactatus, & parum abfuit, quin eximeretur. At medicus oſtendit eum jam exemtum, quod modo, vel paullo ante. Utramque particulam fruſtra invident Cornelio Nepoti in Datame, cap. 1. *conſilii, quo tantum non omnes ſuperabat.* id eſt, ferme, propemodum. cap. 6. *Mithrobarzanem perſequitur, qui tantum quod ad hoſtes pervenerat.* id eſt, commodum, vix dum, paullo ante. Sic utrobique ſcripſit Cornelius, ut jam deprehenderunt viri docti: nec audiendi ſcripti (quippe recentes omnes nec optimæ notæ) qui mutant. Vide & quæ notavi ad Luciani Solœciſtem.

Carmeli Dei oraculum.] Veteres montes coluerunt pro diis. Prudent. 1. contra Symmachum:

Quidquid humus, quidquid pelagus mirabile gignit,
Induxere Deos: Colles, freta, flumina, flammas.

Hinc Moſes Maimonides in Sepher Akam c. 8. §. 1. *Gentiles venerantur montes.* Et Maximus Tyrius diſſertat. 38. *Nec Jovem quidem immunem hujus honoris habuerunt primi mortalium. Culmina montium illius ſunt, Olympi & Idæ, aut ſi quis præterea montium cœlo proximus eſt.* In primis hoc fecerunt Perſæ, qui, teſte Herodoto 1. 131. *Solent editiſſimis montibus conſcenſis Jovi hoſtias immolare.* & Palæſtini, quibus propterea mons circa Tyrum dicitur θεῦ πρόσωπον, *Dei facies* apud Scylacem Caryandenſem in Periplo, & Pomp. Melam. Et Cappadoces, quibus & Deus, & jusjurandum, & ſtatua eſt mons, ut auctor eſt Maximus Tyrius in laudata diſſertatione, quod ſic explicat Voſſius de idololatria lib. 11. cap. 62. Significat, montem & Deum eſſe, & Dei ſedem, ac fanum. Sic *Juppiter Caſius* in antiquo monumento commemoratur, cum Caſius mons ſit, & Jovis templum, & ipſe Juppiter. Fuerunt autem tres montes in Palæſtina, quibus Carmeli nomen, ut præclare docuit Vir Illuſtriſſimus, qui natalium & dignitatum ſummum ſplendorem æquavit ingenii eruditioniſque magnitudine, Caſpar de Mendoza Ibanez de Segovia & Peralta in diſſertatione pulcherrima, quam de hoc loco Suetonii edidit, cui hæc pleraque debemus.

Et in Circum deduceret.] Cod. Salmaſ. duo Pall. *& inde in Circum*, quod merito recepit Gruterus.

6. *Cum ceteros alium alia de cauſa.*] Sic Salmaſ. meus tamen codex æque ut multi alii, *cum ceteros alii alium alia de cauſa.*

Tiberius Alexander.] De hoc vide inſcriptionem fratrum Arvalium ap. Grut. p. 124. 1. & Pigh. ad ann. 818.

8. Mu-

8. *Maluiſſem allium oboluiſſes.*] Salm. cod. *alium*, & ſic plerique veteres codices ſcribunt hanc vocem.

Juſſit poſthæc excalceatos.] Salm. cod. *juſſit poſthac excalceatos. Poſthac* ut *antehac.*

Inſtrumentum imperii pulcherrimum & vetuſtiſſimum confecit.] Ultimum verbum in Mss. deſideratur.

De ſocietate, fœdere, ac privilegio cuicunque conceſſit.] Optime codex Salmaſianus, & Robertus, *de ſocietate, fœdere ac privilegio cuicunque conceſſis.* Non dubitandum. *conceſſis* nimirum *ſocietate, fœdere. Conceſſit* ferri non poteſt. Torrentii vero emendatio modum excedit.

9. *Recenſito ſenatu.*] Salm. Cod. *recenſo ſenatu.*

11. *Ut quæ ſe alieno ſervo junxiſſet.*] Utrumque ante Veſpaſianum conſtituiſſe Claudium obſervarunt homines eruditi. Nimirum quia, ut docuit elegantiſſimi ingenii juvenis And. Brummerus, cap. 7. de lege Cincia, auctores non raro rem & jus ante jam ab aliis conſtitutum, ei ſolent tribuere, qui obſoletum renovavit. Sic Cajus l. 1. §. 2. D. de his qui ſui vel alieni juris, ait: *Nam ex conſtitutione D. Antonini, qui ſine cauſa ſervum ſuum occiderit, non minus puniri jubetur, quam qui alienum ſervum occiderit.* Hadrianum tamen primum id conſtituiſſe Spartianus in ejus vita oſtendit: *ſervos a dominis occidi vetuit, eoſque juſſit damnari per judices.* Vide plura exempla in laudato libro.

14. *Abire in Morboniam.*] Salm. & al. Mss. *abire in Morboviam.*

Metium Pompoſianum.] Cod. Salm. *Mettium Pompuſianum.*

18. *Nec non & artifices coemit.*] Acute quidem Lipſius conjecit *artifices ſcenæ*, cui & ipſi ſubſcripſiſſemus, niſi veram lectionem detexiſſet codex Salmaſianus, in quo legitur *coeuencris.* Legendum & diſtinguendum: *nec non & artifices, Coæ Veneris, item coloſſi refectorem.* Notiſſima eſt hæc Venus Coa, de qua Plin. XXXV. cap. 10. *Apelles inchoaverat aliam Venerem Cois, ſuperaturus etiam ſuam illam priorem. Invidit mors peracta parte: nec qui ſuccederet operi ad præſcripta lineamenta, inventus eſt.* Nihil certius & exploratius hac emendatione, quam palmariam ſolebat vocare J. Fr. Gronovius ὁ μακαρίτης. Vides ut in vulgata explicanda ſudent interpretes fruſtra. Non tam vilis præſtantium poetarum & artificum erat annona, ut venales haberentur, & poſſent emi, ut inepte ſentit Marcilius. Terentius captus Romam ductus fuit ex Africa, & ibi liberaliter inſtitutus poeta factus eſt. Nec Publius Syrus cum venderetur poeta erat. Sed puer cum eſſet feſtivo ingenio, adultior manumiſſus & majore cura eruditus mimos cœpit ſcribere. Præterea τὸ *item coloſſi* poſtulat aliud ſimile, quod præceſſerit, nimirum *Coæ Veneris, item* (hoc eſt, ut &) *coloſſi refectorem.*

19. *Ac ſæpius recte ac dapſile.*] Codex Salmaſ. *recta* merito probante Torrentio. Domit. cap. VII. *revocata cœnarum rectarum conſuetudine.* Sed germinus huic loco eſt alter Aug. cap. LXXIV. *convivabatur & aſſidue, nec umquam niſi recta.*

Cybioſactem.] Cod. Salm. *Cybioſantem.* Hanc vocem recte Caſaubonus ad Strabonem expoſuit. Seleucus Rex, cum eſſet ſordidus & αἰσχροκερδὴς, quique ex omni re lucrum captaret, dici cœpit ab Alexandrinis, quorum nota eſt ſcurrilitas, Cybioſactes, qui ſalſamenta componit, & vendit. vide Caſaub. ad Strab. XVII.

Centum ſibi ſeſtertia.] Sic omnes Mss. nec puto ſollicitandum eſſe. Nam hoc magis exprimit ſordes turpiſſimas Veſpaſiani, quaſi qui, cum audiviſſet centies ſeſtertio conſtare ſuum funus, exclamarit, non centies ſeſtertium, ſed centum ſeſtertia ſibi darent, licere per ſe, ut ſuum corpus ſine ullis exſequiis projicerent in Tiberim. Pluris enim ſe facere centum ſeſtertia, nedum centies HS, quam omnem pompam funebrem.

20. *Inediamque unius diei per ſingulos menſes interponeret.*] Cornelius Celſus lib. 3. cap. 6. *Poteritque a balneo etiam pingue jus aut dulcius dari vinum: poterit ſemel aut bis interponi Græcum ſalſum.* Martialis I. 107. *Interponis aquam ſubinde, Ruſe.*

21. *Ac de nocte evigilabat.*] Salmaſ. & Rob. Steph. *ac de nocte vigilabat.* Sic & alibi loquitur Horat. *Surgunt de nocte latrones.* Contra *de die cœnare*, quod eſt multa die.

Ac ſecreto in balneum.] Ratio cur ſecreto in balneum & triclinium tranſierit, nulla eſt. Optime Tornacenſis, Salmaſianus & tres Pall. *A ſecreto in balineum & triclinium.* hoc eſt, poſtquam quieti vacaſſet. quam ſcripturam Gruterus quoque probavit, & Torrent.

22. *Super cœnam autem & ſuper aleas.*] Recepi Viterbienſis codicis ſcripturam, quæ tantopere probatur Caſaubono, jure. Nam vulgato & *ſemper alias* nihil eſt frigidius. Si ſemper fuiſſet communis, inepte dixiſſet, *ſuper cœnam.* Mallem tamen pro *aleas* legi *aleam.* Quam ſæpe pro *communis* ſcribatur in vulgatis *comis* non uno in loco ad Ciceronem notavi.

In quibus & hæc.] Sic melius Salmaſ. & Rob. Steph. Vulgati: & *hoc.* ſtatim iidem *Meſtrium Florum* probante Palatino primo. ſic & Plutarchus in Othone. In Salmaſ. tamen *Mæſtrio.*

Perductæ.] Sic Pall. prim. & ſec. Salmaſ. Viterb. Rob. Steph. edit. Notum *perduci* honeſtas puellas & matronas dici, quæ ad ſtupra deducuntur, mox pro *rationibus referri* Salmaſ. & Rob. Steph. *rationibus inferri.* Eſt quidem *referre* proprium in hac re verbum. *Referre in rationes, in tabulas accepti:* Sed *referri rationibus* pro *referri in rationibus* eſt ellipſis inſolens. Itaque Salmaſianum codicem ſequor.

23. *Et de quodam procera.*] Salm. & Rob. Steph. ed.

ed. rectius *ut de quodam proceræ. ut* hic eſt exempli gratia.

Nuntiantibus legatis.] Pall. Salmaſ. & editio Rob. Steph. *nuntiantis legatos* pro *nuntiantes*, ut ſæpe. Statim iidem *juſſit vel continuo ponerent*, pro vulgato, *juſſit ut continuo ponerent.* Paullo poſt in Salmaſiano his in verbis *Mauſoleum Cæſarum* non habetur *Cæſarum.*

Ut, inquit, puto, Deus fio.] Salmaſ. *Væ, inquit, puto, Deus fio.* Forte: *Vah, inquit, puto, Deus fio.*

IN TITUM.

1. *Titus, cognomine paterno, amor ac deliciæ generis humani, (tantum illi ad promerendum &c. caruit) natus eſt* III. *Kalendas.*] Sic veriſſime hunc locum interpunxit J. Frid. Gronovius. In vulgatis peſſime poſt *caruit* interpungitur. & longe pejus in iis *natus eſt*, novi capitis initium habetur. Dein Salmaſ. *natus eſt* IIII. *Kalendas*, vulgo III. *Kalendas.*

3. *Cum amanuenſibus ſuis per ludum jocumque certantem imitari chirographa.*] Hic locus male diſtinguitur. Non in imitandis chirographis ludebat cum ſuis amanuenſibus, ſed in excipiendis velociſſime notis. Codex Salmaſ. *imitarique chirographa.* ſic legendum: *cum amanuenſibus ſuis per ludum jocumque certantem, imitarique chirographa quæcunque vidiſſet.* ſcilicet ſolitum.

4. *Marciam Furnillam ſplendidi generis.*] Repoſui ex duobus Mss. quos vidit Torrentius, & editione Rob. Stephani *Marciam Fulviam*, aſſerente hanc lectionem indubie numo, quem publicavit in Suetonio a ſe edito ad hunc locum Carolus Patinus. Illum videbis infra in numis, quos & Titi vitæ præfixi.

5. *Ut remaneret, aut ſecum omnes pariter abduceret.*] Bene Salmaſ. codex, & Rob. Steph. *aut remaneret, aut ſecum omnes pariter abduceret.* & ſtatim iidem: *quaſi deſciſcere a patre*, pro vulgato *deſciſceret.* Mox Salmaſ. *de more quidem*, omiſſo *id.*

Veni, inquit, veni.] Puto Titum dixiſſe, & Suetonium ſcripſiſſe: *Venio, pater, venio.*

6. *Eidem collega & in tribunicia poteſtate.*] Id etiam conſtat ex multis numis. Sed præterea proconſulare imperium ei quoque fuiſſe tributum, Pagius ad annum Chriſti 71. docet, quia & Philoſtratus, & Joſephus eum Imperatorem appellent. Locum Philoſtrati ex VI. de vita Apollonii Tyanei c. 14. produxit Caſaubonus ad Sueton. Sed nugari ait Philoſtratum, cum Romæ ab exercitu Titum Imperatorem ſalutatum eſſe prodat, cum id factum ſit in caſtris ad Hieroſolyma antiquo reipublicæ more. Sed recte Pagius oſtendit & hoc modo ipſum ſalutatum eſſe Imperatorem, & alio modo, quo Auguſti poſt inſtitutum imperium, appellati ſunt Imperatores idque Romæ factum eſſe a patre. Anno ſuperiore anno Chriſti 70. captis Hieroſolymis Titum a militibus Imperatorem appellatum, hoc vero anno 71. a patre. Itaque Joſephum lib. VII. cap. 24. & Veſpaſianum & Titum, ubi de utriuſque triumpho agat, utrumque vocare αὐτοκράτορας. utriuſque imperii dignitatem conſpici in numis apud Mediobarbam. Quando præponatur Imperatoris nomen proconſulare imperium notari, cum poſtponatur militare victoria partum. Præponi autem hoc modo: T. CÆSAR. IMP. VESP. vel iſto: IMPERATOR. T. CÆSAR. AUGUST. F. Poſtponi, cum referatur ad victorias Titi ſic: T. CÆSAR. VESPASIAN. IMP. IIII. eſſe quoque numum in quo utrumque Imperium commemoretur, cujus apud Mediobarbam hæc ſit inſcriptio: T. CÆSAR. IMP. VESPASIANUS. in poſtica IMP. XIII. COS. VI.

Præfecturam Prætorii, nunquam ad id tempus niſi ab equite Romano adminiſtratam.] Erraſſe Suetonium Lipſius ad IV. Hiſt. Taciti obſervavit, cum ibi tradat Tacitus Arretinum Clementem, licet ſenatorii ordinis, præfectum prætorio fuiſſe. Sic & quod Cl. Noriſius obſervavit, Sejanus præfectus prætorio fuit ad mortem uſque, cum tamen conſul fuiſſet.

7. *Berenices amore.*] Sic recte libri omnes Mss. quamvis Græce ſcribatur Βερονίκη. Sic qui Græcis Πτολομαῖος, Latinis Ptolemæus.

In cognitionibus patris nundinari præmiarique ſolitum.] Male Fulvii codex: *in negotiationibus patris nundinari prædarique ſolitum. Cognitiones* ſunt judicia. pecuniam ab iis accipiebat, quorum cauſſas pater cognoſcebat, vendebat eventus litium. *præmiari* vero eſt prædari. hinc *præmiatores.* res trita, & a Torrentio notata.

Ut mox ſcenam tenuerint.] Hieronymus in Chronicis Euſebii: *Publius mimographus, natione Syrus, ſcenam tenet.* Cicero I. Tuſcul. *Pythagoras cum Superbo regnante in Italiam veniſſet, tenuit magnam illam Græciam cum honore & diſciplina, tum etiam auctoritate.* Bruto: *Hic optimus illis temporibus patronus eſt habitus, eoque forum tenente plura fieri judicia cœperunt.* Sic ad Atticum *tenere judicia.*

Celeriter exſtructis.] Cod. Salmaſ. *celebriter.* Sed *celeriter* retine ex hiſtoria. Sic enim & Martialis:

Hic ubi miramur velocia munera thermas.

8. *In ceteris vero deſideriis omnium hominum.*] Salm. Cod. & Rob. Steph. ed. *In ceteris vero deſideriis hominum.* recte.

Cavillatus eſt.] Jocularia ſcommata jaciebat in diverſæ factionis gladiatores, & ſalſe riſit.

Partim in ſervos ſubjici.] *In ſervos* nec in Salmaſiano legitur, nec in Lipſii, nec in Copeſii vetere codice. Excidiſſe voculam puto, & Suetonium ſcripſiſſe: *haſtæ partim ſubjici*, id eſt, pro mancipiis vendi. Vocem *haſtæ* abſorpſit præcedens vox *harenarum.* Sed tamen *ſubjici* non nunquam etiam per ellipſin accipitur pro *ſubjici haſtæ.*

9. *Oblata ſibi ornamenta.*] Salmaſianus, æque ut

Viterbienſis & Cujacianus, *ferramenta*, quod magis probem, pro armis, quibus utebantur gladiatores. Sic *ferrum* in Nerone, *ad ferrum exhibere. Ornamenta* pro inſtrumento ſcenico, quo hiſtriones utuntur, non ignotum, ſed pro gladiatoriis armis ubi legitur?

11. *Ad curiam cucurrit.*] Salmaſ. Copeſ. & Rob. Steph. ed. *ad curiam concurrit.*

Gratias egit laudeſque, quantas congeſſit ne vivo quidem.] Sic R. Stephani editio, & aliæ vetuſtiores, quod merito probavit Gronovius ad Liv. XXVI. c. 48.

IN DOMITIANUM.

1. *Corruptum Domitianum a Nerva.*] Rectius Salmaſ. codex & Rob. Steph. *Corruptum Domitianum & a Nerva.*

Iſiaci celatus habitu inter ſacrificulos.] Hujus rei monumentum exſtat elegans numus, in quo viſitur Domitianus, perſonam gerens ſacrificuli Iſiaci, cum hac inſcriptione: CÆS. DOMIT. AUG. GERM. P. M. TR. P XV. quem erudito commentario illuſtravit vir dignitate & doctrina illuſtris Ulricus Obrechtus. Mox pro *vanæ ſuperſtitionis* Salm. & Copeſ. Mss. cum aliis ſcribunt *variæ ſuperſtitionis.*

Honorem præturæ urbanæ cum conſulari poteſtate.] Abeſt & a Salmaſiano ac Copeſiano τὸ *cum*, ut duobus libris, quos Torrentius vidit, & probat merito. ſic *tribuni militum conſulari poteſtate*, & *Imperator tribunitia poteſtate.*

Honorem præturæ cum Conſulari poteſtate ſuſcepit.] Quæ eſt illa poteſtas Conſularis? Non ea utique, quæ olim tributa fuit iis, qui dicebantur *tribuni poteſtate Conſulari*, qui vice Conſulum Remp. adminiſtrabant. Nam pater & frater Domitiani erant Conſules, ille vero Prætor. Hæc explicatio Onuphrii Panvinii in Faſtis non poteſt probari, qui per Conſularem poteſtatem putat intelligi, ſuffectum Conſulatum ſequentis anni. Atqui Prætura illi erat decreta. Præturam vero & Conſulatum ſimul gerere non poterat, quod & Pagius animadvertit. Tacitus IV. Hiſt. 3. vocat *imperium Conſulare. Ipſi*, inquit, *Conſulatus cum Tito filio, prætura Domitiano & Conſulare imperium decernuntur.* Cum patri & fratri majori Conſulatus decerneretur, Domitiano proxima Conſulatui dignitas, Prætura fuit data, ſed ſimul cum illa *Conſularis poteſtas*, ſeu quod idem eſt *Conſulare imperium*, ut ſupra ceteros Prætores & Proceres filius Auguſti minor emineret. Fuit autem poteſtas Conſularis tum, quæ tribuebatur legatis Conſularibus, qui aliter dicuntur Legati Imperatoris pro Prætore, Proprætores, qui præfecti mittebantur in Imperatorum provincias, uti ii, qui in populi provincias a ſenatu legabantur, Proconſules appellabantur: unde & hæ *Proconſulares*, illæ *Conſulares* provinciæ nominantur a Capitolino, ut docuit maximus Salmaſius. Iſti Conſulares dicti quoque ſunt *legati Conſulari poteſtate*, uti conſtat ex inſcriptione antiqua Plinio Juniori dedicata apud Gruterum, in qua laudatur *legatus pro Prætore Provinciæ Ponticæ Conſulari poteſtate.* Regere provinciam Conſulari poteſtate, idem eſſe quod proconſulari imperio, non docent ſaltem verba Taciti & Suetonii ſuperius allata, ſed & alia loca. Sane Cicero Philipp. XI. Trebonium Smyrnæ occiſum *Conſulari imperio Aſiam obtinuiſſe* ſcribit. Et de Lucullo pro Flacco: *Cum Aſiam provinciam Conſulari imperio obtineret*, quæ duo loca Vir Illuſtris, &, quod ſummo honori duco, mihi amicus, Ezechiel Spanhemius quoque affert in diſſertatione VI. de uſu numiſmatum. Nam quod alius Vir eximius ſtatuit nuperius Conſularem poteſtatem denotare tantum juriſdictionis exercendæ facultatem, illiſque tribui, qui mittantur in provincias pacatas, in quibus nulli ſunt exercitus; Conſulare vero imperium pertinere ad militaris rei functionem, id nullo nititur certo fundamento & auctoritate. Imperium quidem proprie ſignificat poteſtatem ac jus Imperatoris, ſeu jus adminiſtrandi belli quod olim tempore Reipublicæ dabatur Proconſulibus aut Proprætoribus lege Curiata, a qua dicebantur Imperatores, ſed ſignificat etiam civilem magiſtratum aut poteſtatem, quam habebant tam urbani, quam provinciales magiſtratus, ut multis docet Sigonius lib. III. Provinc. c. 6. & in diſſertationibus de lege Curiata contra Gruchium. Sed hæc diſtinctio ſub Imperatoribus exolevit, cum ſummum in omnes exercitus imperium ſibi vindicaſſent Auguſti, qui propterea dicti ſunt Imperatores, præfectis tantum legatorum nomine conceſſo. Exiſtimo autem Conſularem poteſtatem & imperium dari a ſenatu Domitiano, non uti ab Auguſtis dabatur ſuis legatis Conſularibus, qui in aliquam mittebantur provinciam: ſed ſicut Proconſulare imperium cum aliis majeſtatis inſignibus datum fuit Imperatoribus, ut id in omnibus exercerent provinciis pro lubitu, ſic Conſularem poteſtatem honoris cauſſa contulerunt in Domitianum, ut quaſi cum illa poſſet mitti in quaſcunque provincias. Sicut miſſus poſtea fuit in Germaniam ad bellum, teſte Tacito IV. non tanquam legatus Conſularis Germaniæ, ſed tanquam Cæſar Conſulari poteſtate ſeu imperio præditus, qui illam exerceret & non in una, ſed in omnibus, ubi parenti ejus illam exerceri placuiſſet. De Proconſulatu Imperatorum multa nos docuerunt viri ſummi Salmaſius ad Hiſtoriam Auguſtam, & Ezech. Spanhemius in libro modo laudato. Ceterum de conſulatu Titi, & de prætura Domitiani rariſſimum adfert numum idem Spanhemius ad Juliani Satyram de Cæſaribus, in quo ſignata ſunt duo capita Titi & Domitiani Cæſarum cum hac inſcriptione: CÆSAR AUG. F. COS. CÆSAR. F. PR. quo alter Conſul, alter Prætor fuiſſe deſignatur.

3. *Secretum ſibi horarium ſumere.*] Iſaacus Voſſius ὁ πάνυ in notis ad Catullum putat legendum eſſe *larium.* Lararium autem erat ſacrarium, in quo

lares colebantur. Capitolinus in vita M. Aurelii: *Tantum honoris magiſtris ſuis detulit, ut imagines eorum aureas in Larario haberet, ac ſepulchra eorum additis hoſtiis & floribus ſemper ornaret.* Sed *lararium ſumere* non eſt Latinum loquendi genus. Cum optimi libri Mss. inter quos Salmaſ. & Pall. legant *horarum*; veram eſſe cenſeo magni Caſauboni conjecturam, qui numeros hic excidiſſe putat, & ſcripſiſſe Suetonium *ſecretum horarum* III. aut ſi vulgatum retinemus', *ſecretum horarium* eſt ſecretum unius horæ, non plurium horarum, ut ſentit Torrentius: ſic *horarium ſpatium* in Ner. 37. *Mori juſſis non amplius quam horarium ſpatium dedit*, eſt unius horæ. Aliud eſt *hora matutina*, *veſpertina*, quod eſt tempus matutinum, veſpertinum, ut *hora verna* pro tempore verno. Sed cum horaria dicitur res aliqua, non poteſt aliter Latine loquentibus intelligi, quam res unius horæ.

Uxorem ſuam Domitiam.] Copeſ. *uxorem Domitiam*, ut etiam Caſaubonus edidit.

In ſecundo ſuo conſulatu filium tulerat alteroque anno conſalutaverat ut Auguſtam, eandem Paridis.] Locus hic eſt contaminatiſſimus. Conſulatu ſecundo, quem geſſit Cæſar cum Valerio Meſſalino anno Chriſti 73. patre ſuperſtite, quomodo potuit filium tollere, cum is natus ſit poſt mortem Titi, ut conſtat ex epigrammate III. lib. VI. Martialis:

Naſcere Dardanio promiſſum nomen Iulo:
Vera Deum ſoboles, naſcere, magne puer.
Cui pater æternas poſt ſecula tradat habenas:
Quique regas orbem cum ſeniore ſenex.

Numeris credo notatum fuiſſe annum a Suetonio, qui ſunt vitiati ſcribarum culpa, ſcribendumque VIII. *ſuo Conſulatu.* Sequentia quoque non ſunt integra: *alteroque anno conſalutaverat ut Auguſtam.* Altero anno a ſecundo conſulatu nondum erat Auguſtus, quomodo igitur poterat uxorem Auguſtam ſalutare, cum tantum Cæſar eſſet? Viri doctiſſimi Rupertus in ep. 48. ad Reineſium, & Cl. Pagius exiſtimant hæc intelligenda eſſe de ſecundo conſulatu ordinario, nulla ratione habita hoc loco conſulatuum ſuffectorum. Sed non eſt credibile, cum inferius Tranquillus commemoret conſulatum XVII. cap. 14. qui commemorari non poterat, niſi ordinariis ſuffectos accenſeat, hic tantum ordinarios numerari. Fores ad veram hujus loci lectionem nobis pandunt veteres codices. Salmaſianus præſtantiſſimus omnium: *alteroque anno conſulatu filiam, Auguſtam eandem.* Ad oram adſcriptum erat, *deeſt aliquid.* In alio vetuſto codice legitur: *alteroque anno conſulatus filiam.* Scribendum forte: *alteroque anno ab hoc conſulatu filiam: Auguſtam eandem Paridis hiſtrionis amore deperditam repudiavit.* Eandem Domitiam, altero ab hoc conſulatu anno, quo filiam ex ea tulerat, ex qua ante VIII. ſuo conſulatu filium ſuſceperat, & cum jam Auguſta eſſet, repudiavit. *Diſcidii* pro *diſſidii* aſſerit quoque Salmaſianus.

4. *At in amphitheatro navale quoque.*] Legendum ex Salmaſ. cod. & nonnullis editis, *at in theatro navale quoque.* vulgo: *atque in amphitheatro navale quoque.*

Quæ olim omiſſa revocaverat.] Codex Salmaſ. *revocarent.* leg. *revocarat.*

Computata ratione temporum ab anno.] Salmaſ. cod. *ad annum.* Hos ludos ſæculares exhibuit Domitianus anno 14. ſui conſulatus, cum ejus collega eſſet L. Minutius Ruffus, teſtantibus pluribus numis antiquis, & Cenſorino de die natali cap. 17. ex emendatione virorum doctorum. vulgo enim male legebatur conſulatu XVI. hos ludos fuiſſe celebratos. Fuit is annus U. C. ſecundum Cenſorinum 841. Auguſtus vero ludos ſæculares celebravit A. U. C. 737. ut interceſſerint anni centum & quatuor. Deerant quidem juſto ſæculo ſex anni: ſingulis enim centum decem annis hi ludi inſtaurabantur, auctore Horatio in carmine ſæculari, & commentariis XV-virorum, nec non edictis Auguſti: Domitianus tamen magis ingenio ſuo obſequens & libidini hos ſæculares ludos edendi, quam accuratum calculum Chronologorum obſervans, quia centeſimum annum exceſſerat intervallum illud temporis quo Auguſtus eos celebraverat, ad illum Auguſti annum temporum rationem computavit. Inter ludos vero quos Claudius ediderat & hos a Domitiano datos, interjecti erant anni quadraginta.

Purpureaque amictus toga Germanica.] Legendum *Græcanica* Octavius Ferrarius, vir diſertiſſimus, lib. II. de Re Veſtiaria cap. II. Caſaubono aſſentitur, & chlamydem fuiſſe contendit, non pallium, quia Suetonius de Nerone in re ſimili dixerit: *In veſte purpurea diſtinctaque ſtellis aureis chlamyde.* Sane crepidæ ſatis oſtendunt legendum eſſe *Græcanica.* Compoſuit autem ſe Domitianus ad morem Agonothetarum in ludis ſacris. ii enim veſte utebantur purpurea, & corona, ut ex Luciano, Dione, aliiſque ſcriptoribus oſtendit P. Faber I Agoniſt. cap. 19. qui & ibi hunc locum laudans *Græcanica* ſcribit. vid. & Turneb. lib. V. Adverſ. cap. 10.

6. *Appio Sabino.*] Sic emendavit hunc locum Caſaub. ex antiquis, Eutropio, & Faſtis, cum ante legeretur *Oppio Sabino.* Sed vulgatam tuetur celeberrimus Noriſius in epiſtola Conſulari duabus rationibus: primo quia hic Suetonius ſcribat, in prima expeditione Oppium Sabinum Conſularem oppreſſum eſſe; dein, quia apud Gruterum p. 446. 4. laudetur Hadriano imperante *C. Oppius Sabinus* Cos. ſed ſuffectus, qui hujus Oppii Sabini a Dacis interfecti filius videri poſſit. Sed apud Suetonium in Salmaſiano, & in aliis, quos conſuluit Caſaubonus, legitur *Appio Sabino*, quod cum confirmet Eutropius, qui Suetonium ſolet deſcribere, neutiquam repudianda eſt hæc lectio, quam non ex ingenio, ac ſola conjectura ductus, ſed ex antiquis libris repoſuit Caſaubonus. Ceterum plerique exiſtimant, Oppium Sabinum

 initio

initio belli primi Dacici, & Cornelium Fuſcum ſecundi initio periiſſe, ſed perperam. Nam ex Martialis lib. VI. 76. conſtat poſt Fuſci mortem ſuſcepiſſe ſecundam expeditionem Domitianum. Itaque hoc ſignificat Suetonius, Domitianum in Dacos profectum eſſe, primum Sabino, ſecundo Fuſco interfectis, quæ docenti Pagio ad annum Chriſti 88. credimus.

De Cattis Daciſque.] De utroque triumpho Statius lib. I. Sylv. I.

An te Palladiæ talem, Germanice, nobis
Effinxere manus? qualis modo frena tenentem
Rhenus, & attoniti vidit domus ardua Daci.

7. *Ad ſummam quondam ubertatem vini.*] Optime Cod. Salmaſ. *Ad ſummam quandam ubertatem vini.* Cic. *Incredibilis quædam exſpectatio.* Id. *Commemoranda quædam & divina Cæſaris liberalitas.* plura exempla apud eloquentiæ parentem, alioſque ſcriptores facile invenias.

8. *Suſcepta morum correctione.*] Cod. Salmaſ. *ſuſcepta correptione morum.* in eod. *lege Cantinia* ſcribitur pro *Scantinia.* In eod. lib. pro *Ocellatis* ſcribitur *Oculatis*, & pro *Varonillæ*, *Varronillæ*, pro *dehinc* vero *dein.* Mox idem melius: *cui dubia etiam tum cauſſa.* vulgo, *etiamnum.* Mox idem ut & Copeſ. *extruxerat.*

9. *Edicere deſtinaverit.*] Cod. Salmaſ. *deſtinavit.* ſcribe, *deſtinarit.* & mox ex eodem reſcribe: *magna ſæpe non abſtinentiæ modo, ſed etiam liberalitatis experimenta.* vulgo *magnæ.*

Ex teſtamento Ruſci Cæpionis.] Sic Salm. cod. duo Pall. & Rob. Stephan. ed. Tert. Palat. *Ruſti.* vulgo *Ruſcii.*

Reos qui ante quinquennium proximum apud ærarium pependiſſent.] Non illi ſoli, qui publico tenebantur, ut cenſet Torrentius, ſed qui cujuſcunque criminis rei ante quinquennium eſſent accuſati, & nec dum abſoluti, vel damnati. Hi cum magiſtratuum actis ad ærarium, in quo illa ſolebant condi, & cuſtodiri, delati, quæ & Gronovii patris eſt ſententia.

10. *Et tum maxime ægrum.*] Cod. Salmaſ. *& cum maxime ægrum*, hoc eſt, qui illo tempore æger erat. *Cum maxime* enim Latinis eſt in præſenti, ut ſupra notatum.

Crucifixis.] Hoc vocabulum ignorant veteres ſcriptores probati, a Chriſtianis deſcriptoribus hic & alibi inculcatum. Scribendum ex veſtigiis codicum Torrentii: *cruci affixis.*

Detractum e ſpectaculis.] Codex Salmaſ. *detractum ſpectaculis.* rectius procul dubio. Ner. 32. *Templis compluribus dona detraxit.* Jul. 79. *Coronæ faſciam detrahi &c. juſſiſſent.*

Metium Pompoſianum.] Cod. Salmaſ. *Mettium Pompoſianum:* ut apud Liv. *Mettius Fufetius.* ubique etiam pro *Helvidii* ſcribit *Elvidii.*

Quod quaſi ſcenico exodio.] In codice Salmaſiano deeſt *quod.* poteſt commode abeſſe.

Dudum etiam latentes conſcios, inveſtigato novo quæſtionis genere, diſtorſit.] Hunc locum male habere viderunt viri docti, Caſaubonus & Torrentius. Codex Salmaſ. & Pal. ſecundus: *dum etiam latentis conſcios, inveſtigato.* Certiſſima eſt ſcriptura editionis Roberti Stephani: *dum etiam latentes conſcios inveſtigat, novo quæſtionis genere diſtorſit. Latentes conſcii* ſunt qui in Cæſarem conſpirarant, ſed qui ignorabantur. Hos ut proderent qui jam deprehenſi erant & convicti conjurationis, diro illo quæſtionis genere diſtorſit.

11. *Aretinum Clementem conſularum virum.*] Pall. *Arrentinum Clementem conſularem unum.* Sic & Salmaſ. niſi quod pro *Arrentinum* ſcribat *Arretinum.* Et ſic omnino ſcribendum. ſic enim dicti ſunt ab *Arretio*, urbe Etruriæ, unde originem trahunt, & Romam migrarunt, ſicut a Vitellia Vitellii, a Gabiis Gabinii, ab Atinia Campaniæ Atinii. Multa Romanorum alia nomina, quæ ſumſerunt a locis, unde in Urbem ſe contulerunt, collegit Reineſius, ὁ πάνυ in Epiſtola XXXV. ad Rupertum. *Arretium* vero ſemper in antiquis inſcriptionibus legitur, quamvis in libris vulgo *Aretium.* Nec reſpuendum τὸ *Conſularem unum*, pro quendam, ut apud Catullum:

Hæc cum legas, tum bellus ille & urbanus
Suffenus, unus caprimulgus aut foſſor
Rurſus videbitur.

de quo loquendi genere viri docti ad Plautum.

12. *Sed cum obnoxium ſe barbaris.*] Codex Salm. tres Pall. & Rob. Steph. *ſed cum & obnoxium ſe barbaris.* ſtatim rectius ſcribitur in Salmaſiano: *neque eo ſecius in explicandis oneribus hæreret*, omiſſo τῷ *omnibus*, quod natum ex *oneribus.*

Qui vel improfeſſi, Judaicam.] Sic emendavit J. Fr. Gronovius, quam emendationem firmat Salmaſian. codex, in quo ſcribitur: *qui vel improfeſſi Judaicam viverent vitam*, omiſſis etiam *intra urbem.* Et ſane Judæi non ii ſoli qui in urbe, ſed qui in toto Imperio Romano vivebant, pendere tributum cogebantur, ut ex Xiphilino conſtat. Ad Judaicum fiſcum autem delati ſunt cum ii, qui Judæorum quidem cultui & cærimoniis erant addicti, neque id diſſimulabant interrogati, (ſive illi Judaicæ originis eſſent, ſive προσήλυτοι) ſed tamen non erant profeſſi apud fiſcum hanc ſuam ſectam: tum qui diſſimulabant originem & religionem ſuam.

13. *Inſcriptum ſit arcui* ΑΡΚΕΙ.] Salm. *inſcriptum ſit arci* ΑΡΚΕΙ.

14. *Receptiſque in manu catenis.*] Melius cod. Salm. & Rob. Steph. *receptis quidem in manu catenis.*

15. *Tot fulgura facta.*] Suetonius procul dubio ſcripſit, *tot fulgura jacta.* Sic enim veteres loquebantur. In aliis quoque locis depravate *facta* pro *jacta* ſcribitur.

16. *At circa mediam noctem.*] Cod. Salm. *ad circa*

circa mediam noctem. Qui hunc locum expenderit accuratius, facile deprehendet ſententiam non ferre *τὸ at.* Scripſit Suetonius: *ad mediam noctem. circa* eſt interpretatio *τοῦ ad.* quod cum in contextum irrepſit, *ad* mutatum eſt in *at.* *Ad mediam noctem* dicebatur tempus quod *intempeſtam* ſequebatur, & *mediam noctem* præcedebat. Cenſorinus de die natali cap. 24. *Exinde intempeſta, id eſt, multa nox, qua nihil agi tempeſtivum eſt: tunc ad mediam noctem dicitur: & ſic media nox.* Sic & *ad meridiem* eſt tempus, quod meridiem antecedebat. Idem: *poſt hoc ad meridiem, tunc meridies.* In Jul. cap. 31. *Ad lucem duce reperto.* in Domit. cap. ſequente 17. *Ad ipſam horam dolonem interjecit* (ſic enim legendum cum Ferrario) eſt circa ipſam horam, ſub ipſam horam. Nihil huc pertinent quæ notavit Salmaſius. non enim dictum eſt ut *ad præſens*, quod idem eſt ac in præſenti, ſed ut inferius in cap. 21. *Ad horam ſomni nihil aliud quam ſecreto ambulabat.* Cæſ. lib. 1. de Bell. Civ. 3. *Miſſo ad veſperum ſenatu.* Aliud vero eſt in Calig. c. 45. *ad lumina reverſus*, quod vir ſummus perperam interpretatur circa illud tempus quo lucernæ accenduntur, hoc Latinis dicitur *luminibus accenſis*, aut *prima face.* *Ad lumina reverti* eſt accenſis & prælatis facibus reverti, ut in Jul. *ad lumina aſcendit Capitolium*, quæ ſcilicet cum lychnuchis geſtabant quadraginta elephanti.

17. *Modo ferrum extorquere, modo, quanquam laniatis digitis, oculos effodere conatum.*] Codex Salmaſ. *dum modo ferrum extorquere.* lege cum Roberto Stephano, probante Salmaſiano, *dum modo ferrum extorquere, modo, quanquam laniatis digitis, oculos effodere conatur.*

18. *Hoc etiam illum ſimul ſeque conſolans.*] Codex Salmaſ. Pall. Robert. Steph. *hoc etiam ſimul illum ſeque conſolans.* Salmaſ. etiam *hæc* pro *hoc.*

Eadem me tamen manent capillorum fata.] V. C. rectius quam in vulgatis: *eadem tamen manent me cum capillo fata.* F. Urſinus. ſed hoc Latinitas non fert. Dicendnm eſſet: *eadem tamen manent me capillo fata. eadem capillo*, eſt eadem quæ fuerunt capillo fata. *Eadem cum capillo* non eſt Latini ſaporis. ſed vulgata non eſt ſollicitanda.

19. *Præbentiſque pro ſcopo.*] Sic lego cum F. Urſino ex vetere codice, & Rob. Stephani editione. inepte vulgo *ſcopulo.*

23. *Divum appellare conatus.*] Melius Salm. & Robert. Steph. *Divum appellare conatus eſt.* quos ſequor. mox Salmaſ. *temperarent*, ut *pars in fruſta ſecant.* ſed a vulgata non diſcedendum.

Eradendos ubique titulos.] Hujus rei veſtigia invenies in inſcriptione II. p. XII. & V. p. LXXXVIII. operis Gruteriani. In illis enim Imperatoris Domitiani nomen eſt deletum.

IN ILLUSTRES GRAMMATICOS.

1. *Qui iidem poetæ & oratores ſemigræci.*] Semigræci dicuntur, quia Livius fuit Græcis parentibus natus, ut ejus nomen oſtendit. Hinc Terentianus Maurus de Metris: *Livius ille vetus Grajo cognomine:* Ennius vero ſemigræcus dicitur, quia fuit in Calabria natus. Rudiæ enim ejus eſt patria.

2. *Miſſus ad ſenatum.*] Non eſt ut cum Achille addas *legatus.* Nam *mittere* ſæpe eſt legatum mittere. Tacit. 1. Hiſt. 74. *Rurſus ad utrumque Germanicum exercitum & ad legionem Italicam ſpecie ſenatus miſit.* Sueton. Aug. 44. Sic & Græci *πέμπειν* Matth. XII. 16. & alibi.

Lælius Archelaus.] Cum in Mediolanenſi editione ſit *Lælius Archæas*, videtur ſcripſiſſe Suetonius *Lælius Archelas.* ſicut enim dixerunt *Arceſilas*, & *Arceſilaus*, ſic & *Archelas*, & *Archelaus.*

3. *Lenæus Meliſſus.*] Nomen *Lenæus* corruptum eſſe cenſeo. Is enim fuit Pompeji libertus, ut docet inferius cap. 15. Hinc & Plinio dicitur *Pompejus Lenæus.* Sed *Meliſſus* fuit libertus Mecænatis, vide cap. 21. Legendum *Cilnius Meliſſus.* Nam quis ignorat Mecænatem Cilnium eſſe dictum. Hinc & Plinio XXVIII. 6. vocatur Mecænas Meliſſus: *Triennio Mecænatem Meliſſum accepimus ſilentium ſibi imperaſſe, a convulſione reddito ſanguine.* Sed apud Gellium, cap. 6. lib. XIIX. alius eſt *Ælius Meliſſus*, qui vixit tempore Gellii. Sicut & alius *Meliſſus* fuit ille *Samius*, cujus vitam deſcripſit Diogenes, qui longe fuit vetuſtior: alius *Meliſſus Euboicus*, cujus Fulgentius meminit 11. Mythol.

11. *Miratur.*] Optime Gujetus *miretur.*

Tegula ſub una.] Gujetus emendat: *tegula ſub ima.* Quod ferri non poteſt, cum cœnacula ſint in ſuprema ædium parte. Conjiciebam: *tegula ſub uda.* nam Plautus imbrices & tegulas quoque conjungit. hoc eſt, in cœnaculo, cujus tectum perpluit. Sed invitis libris nihil muto. Poteſt enim eſſe anguſtiſſimum cœnaculum ac gurguſtiolum, *ὑπερβολικῶς.*

15. *Catenis ſubreptus.*] Fuiſſe oſtiarium, & hinc poſſe dici *catenis ſubreptum* Caſaubonus exiſtimat. Catenis alligatos fuiſſe oſtiarios nemo ignorat. Sed *catenis ſubripi* nemo Latinorum in hac notione dixerit, & intellexerit. Præterea oſtiarii non erant pueri. Nam apud C. Nep in Hannib. *puer a janua* eſt ſervus a janua, ut centies hæc vox hic apud Latinos & Græcos accipitur, ut olim notabamus ad Heſiodum. Recte procul dubio viderunt, legendum eſſe *Athenis ſubreptus.* ultima littera proxime præcedentis vocis *adhuc*, ut ſæpe, ab oſcitante librario eſt repetita, & aſpiratio omiſſa hoc vitium peperit. Hæc quoque ſententia fuit Nicolai Heinſii *τοῦ πάνυ*, cujus deſide-

rium nunquam apud me conſeneſcet. Sic & paullo poſt, *nepotibus ejus præceptor datur*, τὸ *ejus*, quod abeſſet rectius, videtur natum ex iterata ultima ſyllaba vocis, quæ antecedit proxime.

21. *Componere inſtituit.*] Lego *inſtitit*. Sic enim veteres loquebantur, quod ſæpius ſcioli refinxerant in notius illis *inſtituit*. Ciceroni ex antiquis quoque libris reſtituimus non ſemel, ut ſuperius notavimus.

23. *Uſque ad infamiam oris.*] Male Achilles, *orationis*. Sic ſuperius Tiberio, in ejus vita, *obſcœnitas oris* exprobrata, cum eſſet quod dicere nolo. Hinc ut hic *abligurire feſtinantem*, ſic ille ibidem *capris naturam ligurire*.

IN VITAM HORATII.

Scriptum quæſtorium ſibi comparavit.] Hoc eſt, ſcribæ quæſtorii munus, ſeu partes ſibi comparavit. Sic apud Cic. *ſcriptum facere*, hoc eſt, ſcribam eſſe.

Horati Flacci, ut mei, memor eſto.] *Ut* hic ſine ulla ſententia additum. Lege: *Horatii Flacci mei memor eſto.* mox diſtingue: *nunc occupatiſſimus & infirmus Horatium noſtrum a te cupio abducere.* Male interpungitur poſt *infirmum*.

*Sed ſi tibi ſtatura deeſt. * unde eſt.*] Forte ſcripſit Auguſtus: *Sed ſi tibi ſtatura deeſt, venæ abunde eſt.*

IN VITAM LUCANI.

Clariore cum ſtrepitu emiſſo.] Lege: *clariore crepitu emiſſo.* & mox: *conſeſſorum fuga*, qui ſimul ſedebant in latrina.

Multis in gloriam tyrannicidarum palam indicenda.] Scribendum: *Multus in gloria tyrannicidarum prædicanda fuit.* Nam Latinis frequentiſſimum dicendi genus, *multum in aliqua re eſſe*.

Confici vero & venalia proponi.] Hæc verba aut delenda ſunt. quid enim eſt *confici poemata?* & quid eſt, *venalia proponi operoſe?* aut tranſpoſita ſic reſtituenda: *Poemata ejus venalia proponi, prælegi etiam memini, non modo operoſe & diligenter, ſed inepte quoque.*

IN VITAM PLINII.

Flagrante Veſevo.] Sententia poſtulat, ut ſcribamus, *& flagrante Veſevo.*

IN VITAM JUVENALIS.

Quod ſcholæ & foro præpararet.] Lege: *quod ſe ſcholæ & foro præpararet.*

Miſſuſque ad præfecturam cohortis in extrema parte tendentis Ægypti.] Verbum *tendentis* loco motum ſic eſt reponendum: *Miſſus ad præfecturam cohortis tendentis in extrema parte Ægypti.* Nam *tendere* verbum eſſe militare & quod apud Suetonium occurrit quoque, quis neſcit?

IN VITAM PERSII.

A quo introductus in philoſophia.] Leg. *in philoſophiam.*

Ut ea aboleret.] Ex eadem cauſſa, quam paullo ante notavi, ortum eſt vitium, quod hunc locum contaminat. *Ea* enim παρέλκειν, & hic locum non habere, facile omnes poſſunt animadvertere. Id factum eſt propter bis ſcriptam primam litteram τοῦ *aboleret*. Scripſit auctor hujus vitæ: *Omnia autem Cornutus auctor matri ejus fuit ut aboleret.*

Prætextam.] Leg. *Prætextatam.*

ADDEN-

ADDENDA NOTIS
AD
SUETONIUM.

JULIO CAP. V. *Auctores reſtituendæ tribunitiæ poteſtatis enixiſſime juvit.*] In Memmiano codice, teſte Turnebo & Caſaubono, fuit *actores*, quamvis id non notaverit Salmaſius. In Viterbienſi, Liſlæi, & vetere Romano legi *auctoreſque* idem Caſaubonus notavit. Ex veſtigiis horum codicum colligo, veram hujus loci ſcripturam fuiſſe, *actores auctoreſque reſtituendæ tribunitiæ poteſtatis*, ut eſt apud C. Nepotem in vita Attici cap. 3. *Hunc enim in omni procuratione rei publicæ actorem auctoremque habebant. Actor* eſt, qui ipſe rem agit, ſeu gerit, *auctor*, qui oſtendit quomodo res ſit gerenda, idem qui ſuaſor. Sic in cap. ſeptimo hujus libri Caſaubonus in hæc verba, *arbitrium orbis terrarum portendi*, cum in MS. F. Pithœi legiſſet, *arbitrium orbis terrarum potiendi*, ſic ſcribenda eſſe non inepte conjicit *arbitrium orbis terrarum potiundi portendi interpretantes.*

IBID. *Poſt necem Conſulis.*] Caſaubonus notavit morbo tamen mortuum Lepidum eſſe, quo ſignificat non accurate locutum eſſe Suetonium, quaſi *nex* non ſignificet mortem naturalem, ſed violentam. Sic tamen Juſtinus etiam lib. XLII. 1. *Poſt necem Mithridatis*, quem in præcedente libro, *glorioſa ſenectute* deceſſiſſe ſcripſit. Sic quoque Senecam *necem* pro fatali morte poſuiſſe notat ibi Freinshemius, quem vide.

IN OCTAVIANO CAP. LXXIII. *Veſte non temere alia, quam domeſtica uſus eſt, ab uxore & ſorore & filia neptibuſque confecta.*] Omnino legendum eſt: *Veſte non temere alia domeſtica uſus eſt, quam ab uxore & ſorore & filia neptibuſque confecta*, quod & Torrentius vidit. *Domeſtica* opponitur *forenſi*, de qua ſtatim.

TIBERIO C. XXXVII. *Thraſcypolim Thracem.*] Nummi veteres, quos attulit Patinus ad hunc locum, docent legendum eſſe *Rheſcyporim*, & hic & in Tacito. Vellem ſane in editione hac id non fuiſſe neglectum.

CALIG. C. XVI. *Centeſimam auctionum Italiæ remiſit.*] Sic edidit ex uno MS. Caſaubonus quomodo & Turnebus ante ex Dione reſtituendum exiſtimavit. Sed ex nummo vetere, in quo legitur C. CÆSAR. DIVI. AUG. PRON. AUG. SC. & in averſa parte COS. TERT. PON. MAX. TR. P. III. P. P. R. CC. hoc eſt, *remiſſa ducenteſima*, retinendum eſſe *ducenteſima*, quod eſt in aliis MSS. & add. etiam illa Roberti Stephani, credimus Patino; qui hunc nummum ad hunc locum attulit.

CALIG. C. LI. *Ut eos calonibus & impedimentis ſtipatos reperit.*] Male qui malunt legi *jumentis*. Nam *impedimenta* ſæpe ſunt *jumenta*. Tacitus I. ann. 47. *Cæterum ut jam jamque iturus legit comites, conquiſivit impedimenta, adornavit naves.* pro quo Sueton. in Tiberio c. 38. de eadem re: *vehiculis comprehenſis*. Sic & apud Cæſarem VII. bell. Gal. 45. *Prima luce magnum numerum impedimentorum ex caſtris mulorumque produci.* ubi itidem Ciacconius perperam corrigendum cenſet *jumentorum.*

NERON. C. XXVI. *Quintana domi conſtituta, ubi partæ ad licitationem dividendæ prædæ pretium aſſumeretur.*] Hic quoque Torrentius fuit audiendus, legendum eſſe *divendendæ*. Nam ad Quintana in caſtris erat forum, ubi vendebantur, non dividebantur res ibi venales.

VITEL. C. II. *Cenſuramque geſſit.*] Cujus memoriæ nummus eſt flatus, quem vide apud virum ſummum, & tam dignitate, quam eruditione illuſtriſſimum Ezechielem Spanhemium in diſſertatione de uſu antiquorum numiſmatum pag. 737. ut & Patinum ad hæc verba, qui plures nobis nummos honori iſtius cenſuræ dicatos protulit.

De Plautia ad Suet. Claud. 26. & 27. vide inſcript. Grut. p. 452. 6.

De Quæſtoribus ærarii qui ſubſtituti Prætoribus a Claudio ap. Suet. c. 24. Claud. vid. inſ. Grut. 452. 5. & ad 437. 2.

FINIS.

C. SUETONII TRANQUILLI

LIBER VIII.

Sive tres Imperatores Cæſares

VESPASIANI,

Interpretati, & Emendati

à

THEODORO MARCILIO
Profeſſ. Eloquent. Regio.

Varie aliorum quoque AUCTORUM locis plurimis, qua interpretationis, qua emendationis lux data eſt.

AMPLISSIMO ET CLARISSIMO VIRO

D. DAVY DU PERRON,

Sacri Conſiſtorii, publicique Ærarii Conſiliario.

AMPLISSIME DN.

MAgno ſemper cum metu, & quaſi æſtu *multa adverſa revertentis* animi, donationem libelli alicujus mei facio, non tam præ verborum aut ſententiarum inopia, quam quia decori obſervatio difficilem ſe præbet, ſine qua oratio ſcriptioque omnis fatua quodammodo inſulſaque ſit, neceſſe eſt. Ut enim ſalem ajunt ceteris condimentis pro condimento eſſe: ſic decorum ceterarum vitæ actionum laudibus ipſis pro laude eſt. In tali cum cogitatione verſarer, in eoque eſſem, ut haſce in tres C. Suetonii Veſpaſianos notas & emendationes meas tibi offerrem, argumentaque dicerem, quare conveniens in tuæ dignitatis ampliſſimam perſonam illa donatio eſſet, repentinus caſus, & quaſi Solis Gallici occaſus, quæ inſtitueram præfari, profari non ſivit, contraque animi mei ſententiam ac votum vertere ſtilum coëgit, longeque aliam a propoſita inſiſtere dicendi viam. Alacer, lætus, experrectoque animi vigore orſus eram præfari ad te V. C. triſtis, conturbatus, & ſtilo quaſi hebeſcente aliud principium capere neceſſe habui. Narrabam, ad noſtros, aut potius orbis terræ, omni dignitate principes HENRICUM IV. patrem, & filium ejus LUDOVICUM XIII. exempla Veſpaſiani patris & Titi filii, aptiſſime convenire, quod ille re, hic ſpe amor eſſet ac delicium generis humani. Quemadmodum Veſpaſianus pater, imperii Romani alter quaſi Camillus fuit, quia, ut C. Suetonii ore dicam, *incertum diu & quaſi vagum imperium ſuſcepit, firmavitque tandem*: ſic HENRICUS IV. ampliſſimum Galliæ imperium agitatum aliquamdiu & fluctuans, in portu: de gradu prope convulſum, in ſede ſtabili fixaque collocavit. Nec vero tantum aut Romani Camillo debent, aut Perſæ Cyro, aut Philippis & Alexandris Macedones, Cononi Athenienſes, Pelagiis aut Ferdinandis ſuis Iberi, Egibertis ſuis Angli, alii aliis, quantum Gallia Henrico, omnis ætatis, omnis memoriæ principi, qui unus omnium virtute ſua veteri veriverbio fidem maxime fecit. Debere *annorum bonitatem, de magnis non tam fructibus, quam poteſtatibus æſtimari.* Abrupit hunc ſtili mei curſum repente, quaſi fulminis interjectus, famæ vox, unum & unicum hoc virtutis ſpecimen, illum

patriæ, aut orbis omnium terrarum verius, Solem occidiſſe, ereptam illi vitam, cujus omnes unius ſpiritu vivebant: ſpirare illum publico unius parricidio deſiſſe, per quem ut ſpiritum vitalem, totiuſque imperii mentem, tot centena millia ſpiritum trahebant: ſalvum non eſſe illum, à cujus ſalute tanquam filo pendebat imperii florentiſſimi ſtatus, omniumque ſalus. Inventum parricidam, qui unus *Cajum* illum diritate omni atque immanitate teterrimum ſuperaret. Illum optare auſum, *Utinam populus Romanus unam cervicem haberet*, paratum eam demere ſcilicet: hunc repertum, qui procella patriæ, turbo & tempeſtas publicæ quietis, non voto, ſed re ipſa, omnes in uno jugularet. Exſtitiſſe unum, cujus animus omnium vitiorum ſentina, qui θηρίον ἐν μορφῇ ἀνθρώπȣ, in ſpecie figuraque humana urſus bipes, publico parenti vitam extorqueret, quem Lacedæmoniis aliiſque gentibus, etiam mortuum deſerere aut inultum relinquere, nefas ſemper ſummum fuiſſet: ſceleratiſſimo quidem, & in omni ſæculorum, terrarum, gentium, nationum, linguarum varietate, miſero, tetro, exſecrando, deteſtabili exemplo. Itane deſubito fieri potuiſſe, ut ullius unius omni ſcelere inflammatus furor, unam & unicam Reipubl. Columnam everteret, adfligeret, comminueret, diſſiparet? Si cum *terrarum victor, & orbis terræ domitor, gentium ac regnorum diribitor, generique humano quædam Deorum immortalium portio*, populus Romanus, ſederet in C. Curionis theatris geminis, cardinum ſingulorum verſatili ſuſpenſis libramento, cardines illos Curio ipſe, ut rebus ceteris amens erat & vecors, aut alius aliquis Curioni geminus germanus, confringere, aut laxare & ſolvere auſes eſſet, ullumne ab inferis excitata furia, facinus atrocius, capitalius deſignare potuiſſet? Quid autem eſſe aliud publico parenti, πρὸς ὃν τὸ κοινὸν βλέπει, ὡς κέντρῳ κύκλος περιγραφόμενος, *quem Reſpub. ut circulus centro deſcriptus intuetur*, vitam abſtuliſſe, in qua tanquam ſede fixa & ſtabili ſalus omnium nitebatur, quam populum imperii ampliſſimi, quantum in parricida ipſo fuit, ſimul ac ſemel evertiſſe, obruiſſe? Etiam Græcis & Romanis reges ſemper ſanctos fuiſſe, & laudari in monumentis annalium ritum populi Romani, quo receptum fuit, *ne quis rex etſi armis captus eſſet, vita privaretur*. Sic à Criſpo Salluſtio, M. Cicerone, C. Julio Cæſare, *ſanctitatem regii nominis* prædicari. Scholæ Pythagoricæ dictum celebrari, θειότατον ὁ βασιλεὺς, *res diviniſſima Rex*. Oculatiſſimum illum cæcum vidiſſe, quanta illa ſanctitas, quamque omnibus modis inviolata eſſe debeat, cum diceret, Δεινὸν δὲ γένος βασιλήϊόν ἐςι κτείνειν, *Reges occidere dirum eſt*. Unde ergo, non dicam in ullo Chriſti ſanctiſſimum nomen profeſſo, ſed in ulla ſpecie figuraque hominis, tanta feritas & immanitas belluæ, ut regiæ vitæ oppugnatione, tanquam regio facinore glorietur? Non iſtos qui ſe homines dici volunt, & feritate belluas tranſiliunt,

ſi

ſi neſciunt legibus Romanis ſcelus hoc, inter publicorum judiciorum crimina, *aſperrimum*, & *primum*, *maximumque* eſſe, neque pœnis quibus ſancitum hoc parricidium publicum, abſterrentur: ſaltem naturæ ipſius voce ac fati neceſſitate revocari, ipſiuſque cœli graviſſimo judicio & ſuppliciis in eos divinitus immiſſis, qui ſanctitatem regum violaviſſent? Philippi quidem illius inclyti Macedonum regis, C. Julii Cæſaris, Gordiani Junioris, Dionis, aliorumque principum percuſſores, ipſo etiam quo parricidium fecerant, pugione, Dirarum auſpiciis, ſeſe interfeciſſe. Hujuſmodi vocibus, cum tecta, viæ, compitaque omnia perſonarent, cui non ad res alias omnes lingua obmuteſceret, manus obtorperet, mens debilitata metu concideret? Meæ quidem rivulus dictionis, quam alias quoque jejunam, exilem, aridam, exſanguem, exſuccamque comperior, publica illa conſternatione & luctu, nihil propius factum eſt, quam ut prorſus tanquam Novanus fluvius bruma ſiccaretur, certe ut Padi fons meridie ipſo interquieſcens, areſceret, aut quaſi Anapauomenus ille Jovis fons deficeret pro tempore. Atque huic quidem rei argumenta nunc dicere, ſiccitatemque locutionis meæ, & quaſi jejunitatem oſtendere & patefacere velle, actum agere ſit. Nam res ipſa etiam me indicente ſatis arguit, & volenti fidem facere, acutus aliquis homo, & vernulæ urbanitatis amans dixerit, quod pingendi olim artifici non optimo, cum de pingendi celeritate glorians, ex tempore illam a ſe depictam tabellam diceret, Apelles facete reſpondit: Tabellam hoc ipſam ſatis dicere. Tamen dolor ipſe, & dolor juſtiſſimus quidem, has mihi voces dedit, qui, ut Romanus orator quondam dixit, etiam ex *infantiſſimorum ingeniis elicere voces & querelas ſolet*, cujuſque *magnitudo vim quamdam dicendi dare poteſt*, quique, ut cum M. Seneca dicam, *pars magna ingenii eſt.* Magno itaque cordis mei dolore factus eloquens, dicam, quod tanto etiam facilius dici a me poteſt, quanto etiam te V. C. ad quem mihi ſermo eſt, dolor hic & acerbiſſimus animi ſenſus tangit præ multis, cum de amicis ſummi illius & imperio & virtute principis, & in ſanctiore ejus concilio, & quaſi pars corporis principalis, ut Arcadius princeps loquitur, fueris. Eo ipſo enim facilius me ex ejuſdem doloris ſenſu verba etſi non diſertiſſima facientem & ferre, & intelligere potes. Volui tres tibi offerre Veſpaſianos patrem & filios, neque munus hoc injucundum, aut diſconveniens fore putavi, cum Veſpaſianus pater, & Titus filius, regum noſtrorum tanquam ſpecula eſſe viderentur, in quæ intuentes amici eorum, tuque in primis C. V. non mediocrem quaſi ex imagine ipſa & ſpecie poſſetis capere voluptatem. Domitianum autem his oppoſui, ut illorum dignitatem & laudem ipſa turpitudine ſua inluſtraret quodammodo, ut diei candor & claritas,

noctis nigrore & quaſi triſtitia : virtutis ſpecies ac pulchritudo, vitii deformitate ac turpitudine oppoſita intelligi facilius poteſt. Etenim quod de Cn. Pompejo M. prædicavit eloquentiæ Romanæ pater, de Julio Agricola ſuo C. Tacitus, *cum virtutibus eum ſuis, tum alienis etiam vitiis magnum fuiſſe*, hoc de Veſpaſiano patre ac Tito filio non minus convenienter enunciemus licet, eos non ſuis ſolum virtutibus, ſed Domitiani vitiis quoque magnos eſſe. Hac itaque nunc etiam mente ac fine tres tibi uni offero, ſed non qua potui nuper lætitia & alacritate, poſtquam ille hujus imperii ampliſſimi Camillus, ille Regii Borboniorum ſtemmatis flos delibatus in victoriarum ſuarum ac triumphorum curſu, quaſi medio ipſo die lucidus orbis Solis, obſtupeſcente genere humano, raptus in occaſum eſt. Tu tamen, Vir ampliſſime, pari non quidem frontis ſerenitate, quod fieri non poteſt, benevolentia tamen & humanitate accipies hoc ingenii mei munus : quod quanquam ipſum per ſe tenue eſt, nihilominus a Veſpaſianis patre filioque quorum in rebus geſtis verſatur, & Regum noſtrorum aliqua ſimilitudine, quæ aut re aut ſpe in his exprimitur, commendationem accipere aliquam poteſt. Eaque tanto & facilior apud te & major, ut ſpero, futura eſt, quanto & felicius, & in majoribus Regis quem oculis amiſſum, mentibus tenemus tamen, negotiis verſatus es, & in hujuſce nunc *Regis* qui ſceptrum imperii tanti, Deo auſpice ac duce accepit, utque diu feliciterque teneat, Deum impenſe omnes ei veneramur, *Reginæque matris*, quæ cuſtos Regis, & pro tempore imperii tanti rectrix eſt, negotiis officia tibi omnia conſtabunt, curamque & fidem tuam felicitas auraque Dei aſpirans proſequetur. Lutetiæ Pariſiorum a. d. Prid. Non. Junii, anno ſalutis cIↃ IↃ x.

Ampliſſimæ tuæ dignitati cliens

THEODORUS MARCILIUS.

T. FLAVIUS

AD T. FLAVII VESPASIANI PATREM, *EX* C. SUETONII LIB. VIII. EXPOSITIO & EMENDATIO THEODORI MARCILII Profeſſ. Eloquent. Regii.

Caput I.

R*Ebellione trium Principum.*] Rebellione *trium principum* dixit, non autem imperio, quia intelligi vult, tres illos, Galbam, Othonem, Vitellium, non tam *principes* quam tyrannos fuiſſe. Qui à principe deficit eique bellum facit, tyrannus proprie dicitur. Galba defecerat à Nerone, Otho & Vitellius à Galba, antequam Veſpaſianus imperium ſuſciperet. Galba igitur, Otho, & Vitellius tyranni potius quam principes.

Idem vero eſt *tyrannus*, *rebellis*, & *rebellio*. Gloſſæ: *Rebellio*, ἀποςάτης, ἀπόςασις. Sic *rebelliones* pro tyrannis in epiſtola Fauſtinæ A. ad M. Antoninum apud Volcat. Gallicanum. Sic autem tyrannus accipitur in Jure civili paſſim, ut §. *Publica autem.* Inſtit. De publ. judic. ubi criminis majeſtatis pœna eſt, *animæ amiſſio*, & *memoriæ rei damnatio poſt mortem*, &c. Melius veteres membranæ & *memoriæ tyranni*, &c. quemadmodum legit quoque Theophilus eodem §. Similiterque uſus §. x. Inſtit. De hered. ab inteſt. Sic & in Baſilica eſt lib. LX. c. XII. tit. XXXV. ὁ ἐπὶ τυραννίδι ἐλεγχθείς, *tyrannidis convictus*, id eſt, reus majeſtatis. Et C. Theod. rubrica eſt, *De infirmand. his quæ ſub tyrannis.* Sic apud Trebell. Poll. XXX. *Tyranni.* Tyrannus nempe qui *contra Imper. vel Remp. aliquid molitur*, ut d. §. *Publica autem.*

Firmavitque tandem.] *Tandem*, quia etiam Veſpaſianus aliquamdiu jactatus procellis Reip. ut loquitur C. Plinius c. III. lib. III.

T. Flavius Petro.] Aliqui libri veteres, *T. Flavius Petro:* ſed majore numero alii, *T. Flavius Petronius.* Sic etiam paullo poſt plerique *Petronis patrem*, ſed plures *Petronii patrem.* Petronii ſcilicet nomen etſi a Petrone deductum, paullo tamen honeſtius, quia *Petronii* cives, *Petrones* nulli. *Petrones* ruſtici a petris apud Feſtum, ut *rupices* a rupibus.

Incertum, ſponte, an evocatus.] Delent vocem illam *incertum* Critici, quia ſæpe C. Suetonius ſic ludit κατ᾽ ἔλλειψιν ſive defectu & dubitatione, ut infra c. VI. & Claudii c. XIII. Galbæ c. XII. etiam non ſemel Cicero. Item C. Plinius. Frequens hæc formula dubitationis apud C. Tacitum. Veruntamen his exemplis nihil efficitur. Nam & pro vulgari lectione ſtat conſenſus librorum & quaſi conſpiratio: & ſic C. Suetonius etiam alias locutus eſt, ut Auguſti c. XIX. *Impoſne mentis, an ſimulata dementia, incertum.* Sic ergo Deæ criticæ qui ſacrificet, nunquam litaverit.

Petro autem ille ſive magis Petronius evocatus, centurio, non miles gregarius: evocati enim milites, quia confecerant ſtipendia, ſive erant emeriti, ducebant ordines ſive centuriones erant. Hinc illud in excerptis Gloſſar. *Evocatus*, ταξίαρχος.

Miſſione imperata.] Intellige de miſſione dari ſolita veteranis, de qua eſt l. IX. C. Quando prov. non eſt nec. eaque miſſio *honeſta* plerumque, interdum tamen eſſe potuit *cauſaria*, ut d. l. IX. contraque non veterani nonnunquam etiam honeſta l. XIII. §. *Miſſionum* D. de Re milit.

Conctio-

Coactiones argentarias factitavit.] Non dixit abſolute ſive præciſe *coactiones*, ſed cum diſcrimine *coactiones argentarias*: ut & l. propen. §. ult. D. De ſtatu lib. *coactorem argentarium.* Coactorum quippe genera multa, ut *coactores argentarii*, *coactores auctionarii*, *coactores auri luſtralis*, & id genus alii. Argentarii coactores fuere mercenarii eorum, qui argentariam ſive menſam haberent. Acro & vetus interpres Horatii in Sat. vi. lib. i. Auctionarii coactores, qui pecunias in auctionibus cogebant. Auri luſtralis coactores, qui cogere ſive exigere ſoliti aurum luſtrale ſive vectigale, ut in vetere inſcriptione Tordæ in Dacia: *P. Ælio T. F. Quæſt. R. auri luſtralis*, &c. id eſt, *collectori auri vectigalis ex Dacia.* Vectigalia nempe exigi ſolita luſtris. Quod autem eſt in gloſſis Philoxeni: *Coactor*, κωμάκτωρ, ἀνάϊκως. corrige, ἀργυρεκόπος, non ut Bonav. Vulcanius εἰσπράκτωρ, ut in gloſſis etiam ipſis patet.

Etſi quidam eum primipilarem, nonnulli, cum adhuc ordines duceret.] Opponit *primipilari*, *ducentem ordines.* hoc ita intellige. Centurionum alii primipili, ſive primipilares ſive in ordinibus primis: alii centuriones tantum ſive qui ordines ducerent. itaque intelligi vult C. Suetonius, hunc T. Flavium Sabinum Veſpaſiani patrem fuiſſe, ut nonnullis placet, *primipilum*, ſive *primum pilum*, ſive *primopilum*, ſive *primipilarem*, ſive *primipilarium*: ut alii, tantummodo centurionem. Ordines itaque generis nomine in ſpecie poſt primum pilum.

De primipilari, ſive primopilari, ſive primipilario, ſive primopilario non neceſſe habeo dicere. Nam copioſe Aldus Manutius in Jugurtham C. Salluſtii. Juſtus Lipſius de Militia Romana dialogo viii. lib. ii. Etſi non deeſſet ſpicilegium volenti, ut primipilos alios fuiſſe milites gregarios, alios centuriones: & primipilum eſſe, vel ipſum ordinem primum, vel centurionatum illius ordinis ſive ut Vale. c. i. lib. vi. & C. Tacitus loquitur annali xiii. *honorem primipili*, ſive ut l. i. C. de primipilo, *primopilatum*; vel commodum illius centurionatus, aliaque id genus plurima. Sed nunc operæ non eſt centones farcire.

Sacramento ſolutum per cauſam valetudinis.] Ut ſi diceret, *impetraviſſe miſſionem cauſariam*, ut l. xiii. §. *Miſſionum.* De re milit. l. ii. §. *Ignominia.* De his qui not. inf. D. Apuleji Aſinus lib. iv. Exſertiſſime de hac miſſione Gordianus Imp. l. iv. C. de Re milit. ubi de examinatione hujusmodi militum, antequam dimitterentur, ſolita fieri a judice competente & medicis.

Sacramentum autem abſolute dixit pro ſacramento militiæ. Nam hoc ſacramentum proprie. Idemque στρατεία, ut Gloſſæ: *Sacramentum*, ὅρκος στρατιωτικός. Item, Ὅρκος στρατιωτικὸς, *ſacramentum.* Formula ſacramenti militaris eſt apud Veget. c. v. lib. ii. ubi quod eſt, *nam puncturis*, &c. male corrigitur *nam victuris.* Attice Vegetius *puncturas punctas*, ut alii *picturas pictas. Puncturam* vero etiam Jul. Firmicus dixit c. xxi. lib. viii. Alia ſacramenti formula fuit in Republica vetere, ut apud A. Gell. c. iv. lib. xvi.

Publicum quadrageſimæ egit in Aſia.] Publicum agere V. C. Lævinus Torrentius interpretatur *vectigal colligere.* Qui quod Suetonium quoque ipſum Vitellii c. vii. ſic locutum ait, ejus rei nec volam ibi nec veſtigium deprehenderis: Tullius tamen non diſſimiliter dixit Verrina vi. *Agere crimen oſtiatim* pro colligere. ſed verius eſt, *agere publicum* exercere vectigal: ut *agere Remp.* Paullus l. xxxv. §. iii. D. Quib. ex cauſ. major. *menſuram rei agere*, Plin. c. iii. lib. xv. ſic *ſecretum agere* Sueton. Claudii c. xxv.

Publicum autem quadrageſimæ, non portorium ſive telonium intelligi vult, ut Fabii Declam. ccclix. Hinc *quadrageſimæ portorium* apud Symmachum epiſt. cxcii. lib. v. Joan. Caſſian. c. xxxii. collat. xxi. Et hoc ipſo c. Sabinus hic dicitur τελωνήσας, id eſt, telonarius fuiſſe. At Suetonii Cajo c. xl. etiam *quadrageſima ex litibus.*

Manebantque imagines.] Intelligi vult hodie non manere. Itaque male V. C. Juſtus Lipſius ad C. Taciti Annal. xiii. correxit, *Mantantque imagines.* Quod reprehendere alii poſtea, ſed neque ipſi recte ſublatas imagines illas a Veſpaſiano.

Καλῶς τελωνήσαντι.] *Bono quondam telonario*, aut qui bene telonium exercuit. Publicanus genus, telonarius ſpecies, ut l. iii. C. Theodoſ. De indulgent. debit. Neque recte V. C. Jacobus Cujac. ad l. xvi. de Verb. ſign. differre illa d. l. iii. non putavit. Nam publicanus eſt, qui ſive terra ſive mari aut flumine vectigal exegit: Telonarius autem proprie, qui mari aut flumine. Sic apud Marcell. in *Portitores*, telonarii portitores. Et Moſchopulo τελώνης, ὁ τὰ τῆς θαλάσσης καὶ τὰ τȣ̃ ἀντιναύλȣ διενεργῶν. Sic in Conſtitutione Friderici de Regalibus feudor. c. lvi. lib. ii. *vectigalia & quæ vulgo dicuntur telonia.* Sic enim libri emendatiores. Similiter *teloneum* in privilegio, quod Carolus M. monachis S. Germani Pariſiis dedit apud Aimon. Monach. c. i. lib. v.

Poſtea fenus exercuit.] Sic dicere maluit, & quaſi *urbanatim*, ut Pomponii verbo dicam, ſive paullo civilius loqui, quam *ruſticatim* dicere, *Fenerator fuit* aut *uſurarius fuit.* Nam fenus exercere, quaſi artificium eſt, fenerator convicium, ut Ciceron. ii. de Offic. odioſi *portitores*, *feneratores.* Et Jul. Firmic. c. viii. lib. iii. junxit, *delatores*, *abſconſos*,

abſconſos, ſubdolos, malitioſos, maleficos, feneratios. Abſconſus, κρυψίνες.

Mancipem operarum.] *Manceps* conductor aut redemptor: *menceps* mente captus Priſcian. cap. III. lib. I. cap. III. lib. V. unde jocus in cupidos nimis & cæcos conductores vectigalium, ſive eos, qui male redimunt, non eſſe *mancipes*, ſed *mencipes*.

Quamvis ſatis curioſe.] Curioſitas nempe inter laudes hiſtorici, in Auguſta ſive Principum hiſtoria maxime. Rationes Dio reddit lib. LIII. I. Quia Principum pleræque res omnes arcanæ. II. Quia plurimæ. III. Quia ſcripta & ſermones de iis ad gratiam & voluntatem Principis. IV. Quia multa non facta pro factis narrari ſolita, & vice verſa. V. Famam a rebus ipſis ut plurimum diſcrepare. His & talibus de cauſis ſcriptionem hiſtoriæ Auguſtæ ſive Principalis nulli facilem eſſe, Dio ille ſapienter diſſerit; adde, ſcholaſtico inprimis & parum curioſo. Neque tamen ſic curioſus eſſe ſcriptor ille hiſtoriæ debebit, ut minutiſſima etiam quæque & non neceſſaria perſequatur, eaque de re ſapiens Luciani libro de ſcribenda Hiſtoria præceptum eſt. Talia enim ſcribere & narrare velle, quaſi corpuſcula in ſole ſive *atomos numerare eſt*, quemadmodum urbane Ammian. Marcellinus luſit principio lib. XXVI. idemque lib. XXVII. ſapienter præcepit, *Non decere hiſtoriam producere per minutias ignobiles.* Dixeris: at minutias ejuſmodi curioſe Cajus Suetonius conſectatur: hiſtoriæ itaque leges violat. ut Veſpaſianum *in ſphæriſterio defricari ſolitum*, & id genus alia infra c. XXI. *tonderi diligenter ac radi aut etiam velli ſolitum C. Cæſarem: Octavianum Saturnalibus totos dies aleam luſiſſe*, aliaque ejuſdem ſortis plurima. Sed bene hoc ita Cajus noſter. In clarorum enim virorum, & maxime Principum vitis, etiam parviſſima quæ videntur, magni tamen ad exemplum momenti ſunt. Itaque Attica Siren Xenophon, ex eoque Eunapius, καὶ τὰ πάρεργα δεῖν τῶν σπουδαίων ἀνδρῶν ἀναγράφειν. *Etiam joca & nugas induſtriorum & gravium virorum litteris mandari oportere.* Idemque & Muſarum & Martis alumnus Xenophon, apud Plutarchum in Ageſilao: Τῶν ἀγαθῶν ἀνδρῶν ἔχειν τι καὶ τὰς ἐν οἴνῳ καὶ παιδιᾷ φωνὰς καὶ διατριβὰς ἀξιομνημόνευτον. id eſt, *Præclarorum virorum etiam in ludo jocoque & vino voces & uſum, habere aliquid dignum memoria.* Diſtinguere itaque oportet hiſtoriam rerum geſtarum a vitarum hiſtoria. Huic etiam minutiſſima quæque perſequi decorum eſt, illi non item. Sic capiendum, quod Flav. Vopiſc. in Proculo: *Minima quæque jucunda ſunt, atque habent aliquid gratiæ, cum leguntur.* Curioſitatis autem nomine in laude uſus ſum, ut & πολυπραγμοσύνης nomen Græce uſurpes non male, contra quam A. Gellio c. XVI. lib. XI. Nam πολυπραγμοσύνη laudi, φιλοπραγμοσύνη vituperationi eſt, eaque de re Suidas.

CAP. II.

Cui nomen eſt Phalacrino.] Itinerario Antonini, *Ultra Reate & Interocrium, Falacrinus.* nempe vicus. Apud Geographum autem lib. V. vicus Reatis finitimus Ἰντερόκρεαι. Phalacrine itaque via Salaria, qua itur Amiternum: & hodieque Salaria via eunti Aſculum, ſe offert templum D. Sebaſtiani in Phalacrino haud procul Reate.

Q. Sulpicio Camerino, C. Poppæo Sabino coss.] Rectum fuiſſet C. Poppæo Sab. Sulp. Camerino coss. Nam Poppæus cos. major, Sulpicius minor, ut patet in Faſtis. Sed uſitatiſſima illa in nominibus coss. πρωθυστερία eſt, ut Valerii c. IV. lib. I. M. *Popillio Lænate, Cn. Culpurnio Piſone* coss. Atqui major Piſo, minor Lænas. Sic C. Plinii c. I. lib. XXXIX. C. Taciti Annal. IV. & §. *Reſtituta.* Inſtit. de Fideicom. hered. paſſim.

Educatus ſub paterna avia Tertylla.] Hunc locum interpretatus ſum ad illum Horatii epiſt. I. lib. I. verſum:

Pupillis, quos dura premit cuſtodia matrum.

Quare Princeps quoque.] Totus hic locus vitioſe interpunctus a Critica gente omni. Quippe Suetonius voluit: *Quare Princeps q. e. l. i. a. frequentavit, manente villa, qualis fuerat olim, ne quid ſ. o. c. deperiret: & aviæ memoriam*, &c.

Ne quid ſcilicet oculorum conſuetudini deperiret.] Ne quid minueretur ei de voluptate, quam capiebat ex adſpectu & quaſi facie ipſa villæ, in qua repſiſſet puer; cujuſmodi Ciceronis voluptas ex Arpinate villa ejus avita, principio ſecundi Legum. Hinc itaque commiſeratio Fabii Declam. CCCXXVII. *Penates illos, in quibus natus ſum, qui mihi quotidiana imagine verſantur ante oculos, amiſi*, &c. Et illa apud Sidon. Apollin. epiſt. V. lib. III. *Rus non ſolum notum, verum etiam inter lactantis infantiæ rudimenta reptatum*, &c. Ejuſdem quoque commiſerationis veſtigium l. XLVIII. D. de Rei vindic. l. XXII. C. de Admin. tut. Hinc itaque natum jus προτιμήσεως ſive redhibitionis gentilitiæ, ſive retractus gentilitii.

Ut ſollemnibus ac feſtis diebus.] Feſtis nempe diebus ſoliti pateras Diis libare, deinde & ipſi perpotare. Itaque matronæ, quanquam lege Romuli temeto abſtinere juſſæ, tamen feſtis diebus ſolitæ poſt libationem obducere, ut narravi de leg. XII. Tabul. c. XCVI.

Pocillo quoque ejus argenteo potare perſeveraverit.] Suum cuique patrifamilias & matrifamilias poculum; pleruinque autem patritium & avitum, ad libatio-

libationes, patera nempe: ut Ciceronis Verrina VI. *Patera, qua mulieres ad res divinas uterentur*, &c. Hujuſmodi patera caſca voce etiam *Calpar* apud Feſtum. Neque Romanis tantum, ſed gentibus etiam aliis pleriſque hic ritus, ut patera Didonis, Æneide I. Patera Pterelæ regis, Plauti Amphitr. Veſtigium quoque in litteris ſacris, ut Rectorum c. XLIV.

Latum clavum quanquam fratre adepto.] Adeptum latum clavum intellige a Principe impetratum. Argumento eſt Papinii locus Silva penult. lib. IV. quem locum reſtituere in animadverſis ad C. Suetonium aggreſſi, deſtituere. Sic autem legendus eſt:

Quippe & opes & origo ſinunt, hac lampade prima
Patritias intrare fores, ac pube ſub ipſa
(Si modo prona bonis invicti Cæſaris adſint
Numina) Romulei limen pulſare ſenatus.

Opes, inquit, o Menecratis fili, & origo ſinunt te patritium puerum fieri, ſi tamen placitum Principi. Quippe ut eques a Principe ſenator fieret, duo requiſita, cenſus & ſplendor generis. Quare C. Plinius epiſt. III. lib. X. cum a Trajano peteret, ut Voconium Romanum in ſenatum legeret, oſtendit, ei cenſum eſſe & ſplendorem natalium.

Atque iidem illi qui male reſtituunt locum Papinii, etiamne recte cenſent tunicam laticlaviam ſenatorum liberis non aliter fuiſſe, quam indulgentia ſive beneficio Principis? Atque diſtinguere oportuit: nempe iis, qui non eſſent ſenatorum liberi, opus indulgentia illa Principis, ut nunc Sabino ac Veſpaſiano: at ſenatorum liberis omnibus hoc jus lati clavi, & cum toga virili ſumta ſimul tunica liticlavia. Hinc illud Papinii Silva II. lib. V.

— Mox Tyrios ex more ſinus, tunicamque potentem
Agnovere humeri, &c.

melius alii, *tunicamque patentem*. Ait puerum Criſpinum ſimul cum calceis lunatis etiam latum clavum, ſive tunicam laticlaviam, ſumſiſſe, idque factum de more, nempe, ſenatorum liberis ſolito.

Opponunt locum Iſidori, qui c. IV. lib. IX. ait, ſenatorum liberos equites fuiſſe, uſque ad legitimam ætatem, ſive annum quintum & vigeſimum. Sed nihil juvat eos Iſidorus. Non liberi ſenatorum equites, ſane, ſed laticlavii. Atque hoc inſtitutum ſic ab Auguſto ut patet C. Suetonii cap. XXXVIII. ubi, *protinus*, intellige, ante legitimam ætatem, ſive pariter cum toga virili. Senatorum itaque liberi non fuere ſenatores ante legitimam ætatem; at laticlavii fuere.

Ad jus itaque hoc lati clavi, quod ſenatorum liberis, antequam ſenatores fierent, competebat, pertinent illæ in Jure civili quæſtiones Pauli & Ulpiani D. de Senatoribus, quia lati clavi prærogativæ plurimæ.

I. Quæſtio, An etiam adoptatus a ſenatore, ſit ſenatoris filius, ſive jus lati clavi habeat? Adfirmatur l. V. D. eod.

II. An etiam ille ſenatoris filius, qui ſuſceptus patri ante ſenatoriam dignitatem? Adfirmatur d. l. V. & l. II. §. *In filiis.* de Decurionibus. l. *Moris* §. penult. de Pœnis D. Neque obſtat l. XI. C. de Dignitat. Nam turbide admodum a librariis accepta eſt, ſic autem digerenda: *Si ſenator vel alius clariſſimus privatos habeat filios, editos quippe, antequam ſuſciperet dignitatem (cum paternos honores invidere filiis non oporteat) a ſenatore vel alio clariſſimo ſuſceptum, in Clariſſimatus ſciendum eſt dignitate manſurum. Quod non ſolum circa maſculos dignoſcitur conſtitutum, verum etiam circa filias ſimili conditione ſervandum.* Scio viſum aliis aliter, ſed ut Plautus dixit, etiam *oculis* eos *utilitatem* hac in re *parum* obtinuiſſe ſcio.

III. An, qui adoptatus a ſenatore, & poſt emancipatus, maneat tamen filius ſenatoris? Negatur l. VI. D. de Senatoribus.

IV. An ſenatoris filius datus in adoptionem ei, qui dignitatis inferioris eſt, maneat ſenatoris filius? Adfirmatur d. l. VI.

V. An filius naturalis emancipatus a patre ſenatore, habeatur filius ſenatoris? Adfirmatur l. VII. D. eod.

VI. An poſtumus quoque ſenatoris filius? Adfirmatur d. l. VII.

VII. An qui conceptus & natus, poſtquam pater ſenatu motus eſt, ſenatoris filius? Negatur d. l. VII.

VIII. Qui conceptus patre ſenatore, natus autem patre jam regradato, an ſenatoris filius? Adfirmatur d. l. VII.

IX. Is cui & pater & avus ſenator, ſed pater ſenatu motus, antequam is conciperetur; an, quia ſenatoris filius non eſt, etiam nepos ſenatoris habendus non ſit? Negatur d. l. VII.

Magis convicio, quam auctoritate.] Patris poteſtas ſive majeſtas dicitur, matris auctoritas. Pater jubere poteſt, mater non poteſt, quia non habet in poteſtate; ſive patris juſſus eſt jure civili, matris non eſt juſſus, ſed auctoritas tamen aliqua. Unde illud l. XXI. C. de Inoff. teſt. *Filia matre volente nupſit*, &c. itaque matris poteſtas aliqua naturalis tantum: patris & naturalis & civilis. Hinc patris & matris poteſtas inæqualis dicitur l. IV. D. de Cur. furioſ. M. Seneca Controverſ. IV. lib. VII. *Primæ partes ſunt patris, ſecundæ matris*, &c.

Per contumeliam anteambulonem fratris.] Salutatores ſive antelucana officia Romæ dicti *anteambulones*. Martialis epigr. LXXIV. lib. X.

—— Quamdiu ſalutator

Anteambulones & togatulos inter
Centum merebor plumbeos die toto.

Anteambulones & togatulos δὶς τὸ αὐτὸ dixit pro anteambulones togatos. Sic Epigr. XVIII. lib. II.

Sum comes ipſe tuus, tumidique anteambulo regis.

Tumidi nempe toga durata, & tabellis compoſita ſive tabula. *Anteambulare*, προπέμπειν, ut in Gloſſis: *Anteambulo*, προπέμπω. Iidem quoque *Antepedes*. Agrætius: *Circumpedes ſervorum obſequia; antepedes amicorum.* Ex Juvenale, opinor, cujus illud Satyra VII.

---- *Togati antepedes.*

De his quoque Simplicius in Epictetum. Veſpaſianus igitur quaſi anteambulo ſui fratis, albatus quippe ſolitus cum prætextato & laticlavio eſſe. Reges autem ipſi prætextati Romæ: clientuli ſive anteambulones illi albati, ut apud Martialem Epigr. LVI. lib. I. Hinc apud Juvenal. Sat. X.

---- *Niveique ad fræna Quirites.*

Anteambulones vero illi non ſemper pedites, ſed lautiores quoque in equis, ſellis, lecticis. Indicio eſt Idem Sat. I.

Tribunus militum.] Sic melius plerique libri, quam alii, *Tribunatu militum*, &c. ut etiam mox *Quæſtor Cretam*, &c. non autem *Quæſtura*, &c. Tamen Julii c. IV. dixit, *Tribunatu militum auctores juvit*, &c. Sed res diverſa eſt.

Quæſtor Cretam & Cyrenas provinciam.] Creta inſula, & Cyrenæ ſive Pentapolis una provincia, ut Appian. lib. III. ubi C. Caſſio Cæſaris percuſſori provincia Cyrena & Creta.

Quæſtores autem alii provinciales, ut nunc Veſpaſianus, alii candidati Cæſaris, ut l. unica §. II. D. de Offic. quæſt. Atque horum melior longe conditio, de qua Vellejus lib. II. Et tangitur Quinctiliani cap. III. lib. V. Hi in republ. vetere quæſtores ærarii, ſive quæſtores urbani. Aſcon. in III. Verrin. T. Livius lib. IV.

Sorte cepit.] De quæſtoria provinciarum ſortitione Tullius pro Murena, Philipp. II. Epiſt. VI. lib. VI. ad Attic.

Sextoque loco.] Eoque ultimo. Tullii Cic. ſæculo ultimus in ædilium creatione, quartus locus; nam ædiles tunc IV. Veſpaſiani tempore, ſextus. nam ædiles VI. l. II. §. *Deinde Cornelius Sylla.* de Orig. Jur. T. Livius fine lib. VI. Dio fine lib. XLIII.

Vix adeptus eſt.] *Vix* intellige non ſenatus ſuffragiis, ſed beneficio Principis Caji, proptereaque Veſpaſianus infenſus ſenatui, ut infra dicturus Suetonius, videlicet, quia repulſam paſſus a ſenatu. Quemadmodum vero magiſtratus beneficia eſſent Principis, patet Dionis lib. LVIII.

Olim videlicet ſive in republica vetere ſuffragia populi in comitiis: poſt in rep. nova ſenatus ſuffragia in curia, ut patet Dionis loco anted. Qui locus mendoſus male notata interpoſitione.

Princeps itaque aut ipſe per ſe mandabat magiſtratus, aut petitores commendabat ſuffragiis ſenatus: quibus neutrum eſſet a Principe, his petere neceſſe a ſenatu, Dionis loco eodem. Poſtremi hujuſce generis petitor Veſpaſianus repulſam paſſus a ſenatu in ædilitatis petitione, eandem adeptus a Cajo Principe. Hinc odium ejus in ſenatum, benevolentia in Cajum. Ac commendare quidem tribuum ſuffragiis primus inſtituit Julius Cæſar, Suetonii cap. XLI. Sed Auguſtus cum lege regia populi poteſtas omnis in eum tranſlata eſſet, ſuffragia tranſtulit ad ſenatum, eo prætextu, quaſi multitudine præpediente, jam populus convenire non poſſet: qui prætextus ut vera cauſa ponitur l. II. §. *Deinde quia difficile* D. de Origine Jur. §. *Scriptum autem jus.* Inſtit. de Jure nat. Sic intellige dictum Modeſtini l. unica de Ambitu: *Ad curam Principis magiſtratuum creatio pertinet, non ad populi favorem*, &c.

Ut autem nunc Veſpaſianus vix ſine beneficio Principis, & ultimo loco ædilis factus, non diſſimiliter apud Ciceronem Vatinius vix ædilis factus beneficio coſ. & poſtremus.

Et inprimis prætor.] Renunciatio quæſtorum, ædilium, prætorum plures habuit gradus. Itaque Tullius pro Murena, *Renunciatio*, inquit, *gradus habet.* Hi gradus potiſſimum tres: primus, medius, poſtremus. Primo gradu illi, qui primi renunciantur: Secundo ſive medio, qui inprimis, ut nunc Veſpaſianus, & Tullius de ſe ipſo in Piſonem: Tertio ſive poſtremo, qui ultimi renunciantur, ut nunc Veſpaſianus quæſtor, & Vatinius apud Cic. Imprimis itaque renunciati, qui ſecundo ſive medio renunciationis gradu. Primus renunciationis gradus honeſtiſſimus, unde frequens gloriatio M. Tullii, ſe primum prætorem renunciatum, ut pro Pompejo, in Toga candida, apud Aſcon. in Piſonem, fine Bruti. & Servius Sulpic. apud Cic. pro Murena, gloriatur, ſe *primum quæſtorem* factum, & Auſonius in Grat. act. ſe *Conſulem priorem factum.* Medio gradu alii honeſtiores aliis, nempe, ut primo quiſque proximus. Sed omnes inprimis, quia ante poſtremum. Et hinc etiam gloriatio Tullii in Piſon. ſe *quæſtorem renunciatum inprimis.* & nunc Suetonii de Veſpaſiano. Ultimus autem locus non ſine rubore & quadam quaſi infamia, ut nunc Veſpaſiano, & Vatinio apud Ciceronem.

Renunciationem accipe nunc factam ab eo, qui habet comitia, ut coſ. Erant enim & aliæ duæ, una voce alicujus de centuria ſua, altera voce præconis in centuria.

Ludos extraordinarios pro victoria ejus Germanica.] Ludi ordinarii, quos prætor initio aut exitu præturæ, & ob præturæ honorem dabat, ut res nota cum aliunde, tum ex Plutarchi Bruto. Ubi C. Caſſius M. Brutum ſic adfatur, *ab aliis Prætoribus*

ribus ludos, ab ipſo libertatem exſpectari. Et Dionis lib. LIV. ubi Auguſtus, ut rem ſolennem, permittit Prætoribus ludos initio & exitu præturæ: extraordinarii autem, ſi quis daret in prætura, neque ob præturam, ſed alterius rei cauſa, ut nunc Veſpaſianus.

Pœnæque conjuratorum.] De qua contra Cajum conjuratione Dio lib. LIX. C. Tacitus principio lib. XIV. Joſeph. Orig. CI. lib. XIX. Tangit quoque Sueton. Caji cap. XXIV. L. Seneca epiſt. IV. Rutil. Numant. Itinerarii lib. I.

Ut inſepulti projicerentur.] Hæc peculiaris pœna perduellioni ſive crimini majeſtatis, ut patet l. I. D. de Cadaver. punit. ſic Titius Sabinus majeſtatis reus projectus in *gradus Gemonios* apud C. Tacitum Annali VI. C. Plinium c. XL. lib. VIII. Similiter etiam Sejanus ejuſque complices, apud Tacit. Annali VI. & Pomponius Labeo lib. eod. Veſtigium quoque libro eodem, ubi de ſupplicio Aſinii Galli, & ubi de morte Agrippinæ libro eodem, & apud C. Sueton. Neron. c. LIII.

Quemadmodum projicerentur, unco, ſcilicet, a carnifice protracti in Gemonias, patet C. Taciti & Suetonii locis anted. & Suetonii Tiberio c. LXI. & LXXV. & C. Taciti Hiſtoriar. lib. III. A Gemoniis deinde tracti quoque poſt in Tiberim, ut apud C. Plin. c. XL. lib. VIII. ubi Sabinus Veſpaſiani frater natu major ſic trahitur, qui tractus quoque ante in Gemonias, apud Tacitum III. Hiſtor. ſic in Tiberim tracti quoque complices Sejani apud Tacitum Annali VI. Suetonii Tiberio c. LXXV. ſic infra Veſpaſiani c. XIX. *in Tiberim projicere.*

Egit & gratias ei apud ampliſſ. ordinem.] Ritus ſolennis accepto a Principe beneficio, ut magiſtratu, gratias ei agendi in ſenatu. Sic Ælius Verus Hadriano apud Spart. ſic C. Plin. a Trajano conſulatum adeptus ei gratias agit oratione illa, quam plebecula *panegyricum* vocat, cum ſit Gratulatio ſive Gratiarum actio, ſed propter laudes Trajani ſpeciem aliquam habens panegyrici. Recteque in genere eodem Auſonii ad Principem oratio inſcripta, non *panegyricus*, ſed *Gratiarum actio*. Et ipſum Plinium *Gratiarum actionis*, non autem *Panegyrici* nomine librum illum indigetari voluiſſe, ipſe teſtis locupletiſſimus. Nam & ipſius orationis principio, *Tantumque*, inquit, *a ſpecie adulationis abſit gratiarum actio mea*, &c. Et mox, *Principi*, inquit, *gratiam acturus*, &c. Epiſt. XIII. lib. III. cum ait, *Librum, quo nuper optimo Principi gratias egi, miſi exigenti tibi*, &c. Et ejuſdem lib. epiſt. XVIII. cum ita ſcribit: *Officium conſulatus injunxit mihi, ut reip. nomine Principi gratias agerem*, &c. Quo loco etiam patet ratio, cur non *Panegyricus* ille ſit, ſed *Gratiarum actio*: quippe quia dictus ritu ſolemni, quo Principi gratias agere ſoliti in ſenatu, qui beneficio ejus conſulatum adepti eſſent. Unde illud Plinii epiſt. illa XVIII. *ex more feciſſem*, &c. In repub. vetere conſul principio initi magiſtratus populo agere ſolitus gratias pro concione, ut patet Æmilii Pauli exemplo apud Plutarch. in Vita ejus. Patet quoque apud Ciceronem principio Agrariæ II. In rep. autem nova Principi agebat gratias in ſenatu, ut Plinius, Auſonius, & alii. Receptum autem hoc ita in rep. nova Scto, de quo C. Plinius ead. orat. *Parendum*, inquit, *eſt Scto, quo ex utilitate publica placuit, ut* cos. *voce, ſub titulo gratiarum agendarum, boni Principes, quæ facerent, recognoſcerent: mali, quæ facere deberent.* &c. Unde liquet, ſenatum ipſum voluiſſe ejuſmodi orationes Gratiarum actiones vocari, non Panegyricos; quanquam ſub ſpecie gratulationis laudaretur quoque Princeps.

Adhæſit autem illi C. Plinii orationi nomen *Panegyrici*, quia ſic eam Sidon. Apollinaris vocat epiſt. x. lib. VIII. atque in errorem traxit porro etiam Criticorum agmina. Idemque Sidonius Panegyricum illum vocat *comparabilem*: Juſtus Lipſius V. C. corrigit, *incomparabilem.* Sed ipſius C. Sidonii ſenſu ac verbis refellitur. Nam *Panegyricum* illum, ut ipſe nominat, videri vult inferiore ſive minore laude, quam ejuſdem C. Plinii orationem pro Actia Variola. Non eſſet autem inferior, ſi *incomparabilis.*

Honore cœnæ dignatus eſſet.] Cœnæ Imperatoriæ ſive Principali adhiberi, honor ingens, ut patet Suetonii Cajo c. XXXIX. Domit. c. XXIV. Atque is *honor menſæ Regalis* apud Amm. Marcel. lib. XV. Hinc Euchariſticon, ſive Gratulatorium carmen, ſive gratiarum actio Papinii ad Domitianum *pro epuli honore.* Silva II. lib. IV. Ubi & cauſa illa, cur tantus hic honor æſtimaretur. Nempe, quod nunquam alias cuiquam fas ſedentem loqui Principi, niſi in epulo. Tunc enim etiam jacenti ſive accubanti ſermo eſſe potuit ad eum purpurato, ut apud C. Sidonium epiſt. XI. lib. I. Dictæ vero Principis epulæ *divinæ* ut l. VII. C. de comitibus & tribunis ſcholar. Eoque facit Martial. epigr. XXXIX. lib. VIII. epigr. XCIII. lib. IX.

CAP. III.

Equitis Romani Sabratenſis ex Africa.] Bono diſcrimine, *equitis Rom. Sabratenſis*, ut ſignificaret equitem Romanum quidem, ſed municipalem. Equitum Romanorum genus triplex fuit. Nam aut domo ſive origine Romani fuere proprie Romani: aut ex municipio Italiæ, iique municipales. cujuſmodi M. & Q. Cicero: itaque apud Juvenal. Sat. VIII. Cicero *municipalis eques.* aut ex provincia, iique provinciales, cujuſmodi eques L. Seneca. Itaque ipſe apud C. Tacitum Annali XIV. *equeſtri ſe & provinciali loco ortum ait.* Primo dignationis gradu equites Romani, ſecundo municipales, tertio provinciales. Differt autem quo-

quoque eques municipalis & provincialis Romanus, ab equite municipali aut provinciali ſimpliciter dicto. Nam illi in ordine equeſtri Romæ, hi in ordine equeſtri tantum municipii ſui, aut provinciæ. Quippe ut in republ. Romana coss. ſenatus, eques, plebes: ſic & in municipiis Italiæ & provinciarum, duumviri, decuriones, equites, plebeji. Hinc *reſp. municipalis* apud Cicer II. Legum.

Libertam olim Latinæque conditionis.] Male in aliis, *Delegatam olim, Latinæque conditionis.* Neque recte V. C. Petrus Pithœus Subſec. c. IX. lib. II. *deligatam olim*, &c. & intelligi vult pœnæ cauſa vinctam fuiſſe. Bene hoc refellit Lævinus Torrentius. Parum etiam recte Hadrianus Turneb. Adverſ. c. XV. lib. XXII. *Delicatam olim*, &c. Nec moror ſic vocari *delicatos* a Suetonio Titi cap. VII. Suetonius enim lectionem illam ipſe refellit, & docet a ſuo ſtilo & manu eſſe, *libertam olim*, &c. quia ſubjungit, *Sed mox ingenuam, & civem Romanam reciperatorio judicio pronunciatam*, &c. Libertæ opponit ingenuam: Latinæ conditioni civem Romanam. Ne Torrentius quidem ſat ex mente Suetonii legit *libertam delegatam olim* aut *delegatam olim.* Quid enim delegatio ad libertinitatem? Plane quidem ita Suetonii ſtilo fuiſſe *libertam olim*, &c. indicio Aurel. Victor. in Veſpaſ. qui nihil aliud quam *libertam* fuiſſe.

Dixit vero Suetonius *libertam*, reſpiciens ad patronum ejus Statilium: *Latinæ* autem *conditionis*, ut diſtinguat libertinitatem ejus. Triplex enim libertinitas olim: Romana, ex manumiſſione vindicta, cenſu, teſtamento: Latina ſive Juniana ex manumiſſione inter amicos, per epiſtolam, per menſam ſive convivium: & Dedititia ex manumiſſione ejus, qui a domino pœnæ cauſa vinctus aut tortus, aut notis compunctus. Juſtinian. Inſtit. §. ult. de Libert. & ibidem Theophilus, Cajus Inſtit. Tit. I. Ulpian. Reg. Tit. XI. Auctor Veter. fragm. de Libertis. Pithœus Subſec. c. IX. lib. II. Alciatus Parerg. c. XIV. lib. I.

Sed mox ingenuam & civem Rom. recip. jud. pronunc.] Solitus M. Cicero, item alii, tanquam res differentes ponere *judices* & *reciperatores*. Ut Verrina V. *Nullum unquam judicem aut reciperatorem dedit.* Et pro Cæcinna, *Si quis judex reciperatorve dicat.* Sic etiam diſcriminis cauſa, alias dicuntur *judicia* tantum, alias *judicia reciperatoria*, ut nunc, & apud Ciceron. II. de Invent. C. Plinium epiſt. penult. lib. III. Valerius in Notis: *Quanti ea res erit, tanti judicium reciperatorium dabo.* Eaque formula eſt Prætoris dantis reciperatores. Quid autem judex ac reciperator interſit, varie traditum eſt. V. C. Cujacius recitatione ſolenni ad §. *Præjudiciales.* Inſtit. De actionibus. reciperatores definit eſſe *judices pedaneos.* Sed forte verius eſt, pedaneum judicem eſſe genus. Quivis a Prætore judex datus, eſt *pedaneus judex*, idemque *judex delegatus*: ſed reciperator eſt ſpeciatim ac proprie is, qui datus a prætore ad res reciperandas, ut Plauti Bacchid. Sc. *Ibo.* T. Livii principio lib. XLIII. Huic opponitur judex a prætore datus, nempe, ad petitiones quaſvis alias. Itaque nonnulli diſtinguunt quoque judices dari ad juris quæſtionem: reciperatores ad quæſtionem facti. Sed illa differentia non æque conveniens eſt.

Dicuntur quoque reciperatores generis ſui nomine *judices*, ut in legis Maniliæ c. V. & paſſim D. de Liber. cau.

Sed reciperatoris eſt quoque nomen generale, ſive reciperatorum genera multa ſunt. Primi generis reciperatores ſunt jure belli ac gentium, de quibus eſt apud Feſtum, & dicendi nobis locus quoque infra ad caput X. Alterius generis reciperatores, in quavis alia rerum repetitione, dati a prætore: tertii generis *reciperatores peregrini*, de quibus Theophilus §. *Eadem lege.* Inſtit. Quib. ex cauſ. manum. non poſſ. Tangit quoque Ulpian. Regul. Tit. I. §. *Eadem lege.* Inſtit. Quibus ex cauſis manum. non poſſ. Inter hoc & ſecundi generis reciperatores intereſt, quod illi ſine prætore judicant: hi autem procos. aut præſidi in conſilio ſunt in cognitione manumiſſionis, qua minor XX. annis manumittit. Theophil. d. §. *Eadem.* Quarti generis *in præjudiciis reciperatores*, ut hoc C. Suetonii loco & Plauti Rudente Sc. XXVII. utrobique in præjudicio ingenuitatis, de quo tit. D. Si libert. ingen. eſſe dic.

Patre adſerente.] *Adſerente ex libertinitate ingenuitati*, ut loquitur Saturninus l. II. §. I. D. eodem.

Nec quicquam amplius quam quæſtorio ſcriba.] Contemtim dixit, *nec quicquam amplius*, &c. quia ſcribarum ordo, etſi honeſtus ille, ut M. Tullii Verrina V. infra tamen ordines alios fuit, ut ſenatorium, equeſtrem, tribunorum ærariorum, &c. Itaque de D. Matrinio ſcriba ædilitio M. Tullius contemtim, *hominem tenuem*, &c. pro A. Avito. Et A. Gellius c. IX. lib. VI. de Cn. Flavio *ſcriptum faciente.* Et Horatius Sat. V. lib. I. & Catoni probro datæ nuptiæ cum ſcribæ ſui filia. Plutarchus in Catone. Hinc etiam jocus Themiſtii in tyrannum ex ſcriba, Orat. IX. Declamat quoque in ſcribas Aurelius Victor in Gallieno.

Signanter autem quoque dictum, *Quæſtorio ſcriba.* Nam quæſtorii ſcribæ inferiores prætoriis ſcribis, atque ædilitiis, ſive ultima quæſtoriorum ſcribarum decuria, ut Caji noſtri Claudio c. I.

Atque utramque adhuc privatus amiſit.] Privatum accipe, non ſine magiſtratu, ſed necdum Principem. Facta comparatione ad Principem ceteri omnes privati ſunt, etiam ipſi magiſtratus. Unde illud Herodiani lib. VIII. agentis de Maximo

Imper. eum ὅτε ἰδιώτευεν, ſive cum adhuc privatus eſſet, ἄρξαι τῶν Γερμανῶν, *præfuiſſe cum imperio Germanis.* Et idem lib. VII. opponit ῥάβδους βασιλικὰς, *faſces regios* ſive *imperatorios*, *faſcibus privatorum* ſive ῥάβδοις ἰδιωτικαῖς, ut faſcibus coss. & Prætorium. Ergo & Imperatoris faſces *laureatos* ſemper fuiſſe ait, ſive δαφνηφοροῦντας, ceteros ſine lauru. Quippe ut olim populus, ſic deinde Princeps creator magiſtratuum. Tryphoninus l. unica §. de Lege Jul. amb. Poſt videlicet legem Regiam. Sic comparatione ad dictatorem, magiſtratus omnes privati. Unde caput illud de Dictatore, in lege M. Tullii de magiſtratibus. lib. III. Legum: *Is quando eſt, conſules magiſtratuſque populi reliqui, magiſtratus ne ſunto.* Sic enim locus ille ex libris antiqua manu ſcriptis legendus eſt.

Cænidem Antoniæ libertam & a manu.] De Cænide Dio in Veſpaſiano, Sueton. Domit. c. XII. Bene autem Lævinus Torrentius legit, *Antoniæ libertam a manu.* Sic enim & inſcriptionibus antiquis ſæpe, *liberta a manu*, id eſt, amanuenſis.

Revocavit in contubernium.] Domitiani c. XII. hanc ipſam Veſpaſiani *concubinam* vocat. Sed nunc proprie *contubernium* dixit. Concubinatus enim proprie dictus libertæ cum patrono ſuo: minus proprie vero etiam cum alieno, ut nunc Cœnidis cum Veſpaſiano, & cum *ingenua*, ut l. III. de Concubin. l. XVI. §. I. De his quæ ut indign. D. §. ille verbis culpa librariorum turbatis obſcurus eſt, ut alias docui. At contubernium generatim eſt quævis illicita conjunctio, ut l. XIV. D. de his quæ ut indign. Sic *contubernium* oppoſitum *matrimonio* l. XI. §. I. D. ad Leg. Jul. de adult. Et Novella Leonis XXCIX. Eodem ſignificatu conſortium l. VI. C. de Inceſt. nupt. ex l. III. C. Theod. eod.

Habuitque etiam Imp. pæne juſtæ uxoris loco.] Similiter locutus Caji c. XXIV. Sic apud Papinianum l. XVI. §. I. De his quæ ut indign. *Coccejus Caſſius Rufinam ingenuam honore pleno dilexit.* Male ibi *honorem plenum* interpretati, *honorem maritalem.* Verius dixeris, *pæne juſtæ uxoris locum*, ſive honorem pæne maritalem, honorem qui amplior concubinæ honore, minor honore juſtæ uxoris, de quo Ælius Verus apud Spartian. *Uxor*, inquit, *dignitatis nomen eſt*, &c. Contraque l. III. §. I. D. de Don. int. vir. & ux. liberta Pontii Paullini *non adfectione uxoris habita, ſed magis concubinæ*, &c. Veſpaſiani vero Imp. *pæne juſtam uxorem* accipe, pæne Auguſtam, qualis Marcia concubina Imper. Commodi apud Herodian. lib. I. cui, ut ipſe inquit, ἄλλα πάντα ὑπῆρχεν ὅσα Σεβαστῇ, πλὴν τοῦ πυρός. *conceſſæ omnes Auguſtarum prærogativæ, excepto igne*, id eſt, extra quam quod ignis ſive lampas ei non præferebatur ut Auguſtæ, qui ritus notiſſimus.

CAPUT IV.

Tricies cum hoſte conflixit.] Eutropius, ex eoque Paull. Diacon. *Tricies & bis.* Notavere quoque alii, ut in Adpendice, ad Suetonium, & augeri meſſem Suetonii ex Eutropii ſpicilegio vellent, ſed fruſtra vellent. Sic enim C. Plinius c. XXV. lib. VII. de C. Cæſare dixit, *Signis collatis quinquagies dimicavit*, &c. at C. Solinus c. VI. *Signis collatis quinquagies & bis dimicavit.* Puto diligentiæ ſuæ ſpecimen Solinus præbere volens, ex alio auctore aliquo tanquam ſupplens verba C. Plinii, adſcripſit, *& bis*, eademque ductus forte ratione Eutropius, ſuppleri voluit C. Suetonium; neque tamen reſcribillandi talia auctorum loca cuiquam auctor fuerim. Illi enim majorum gentium, ſoliti rotundare numerum plerumque & aliquid excurrens omittere, ut C. Plinius c. V. lib. III. in Urbis ambitu: minorum vero gentium ſcribæ, ut Solini, Eutropii, Oroſii, alii, etiamſi quid excurrit, diligenter adnotare, ut Critici hodieque obſcuro genere diligentiæ.

In deditionem redegit.] Pro dedere ſe coegit. Aliud eſt *in ditionem redigere* apud Ciceronem, neque is ſolitus dicere, *in deditionem redigere.* Nam libri quidem aliqui Philipp. IV. ſic habent: *Bellicoſiſſimas gentes in deditionem hujus imperii redegerunt*, &c. Sed manuſcripti, & de meliore nota libri habent, *in ditionem*, &c. quemadmodum ſcripſerat etiam forte C. Suetonius.

Partim A. Plautii conſularis legati.] Legatum intellige Cæſaris, ſive Imperatoris, ſive Auguſti, hoc eſt, præſidem miſſum a Cæſare in aliquam de provinciis Cæſaris, ut l. penult. D. de Offic. præſ. Nam ſic miſſi præſides, dicebantur *legati Cæſaris.* Dicti quoque *proprætores*, ſive prætorii viri eſſent, ſive conſulares, ut eſt apud Dionem lib. LIII. Atque is nominat πρεσβευτὰς ἀντιστρατηγοὺς, ut ſi dixeris, *legatos pro prætore.* Hinc D. titulus de Offic. præſ. perinde eſt, ac de Officio legati Cæſaris, ut d. l. penult. *Legatus*, inquit, *Cæſaris*, id eſt, *præſes.* Et l. XII. D. de Accuſat. *Legatum Imperatoris*, hoc eſt, *præſidem provinciæ.* Et conjunctim, *Procos. legatuſque Cæſaris* l. IV. D. de Manum. vind. Oppoſiti procoſ. & legatus Cæſaris, quia procoss. erant, quos mittebat populus Rom. in ſuas provincias. Adfirmant aliqui etiam illos, qui a Principe mitterentur, dictos quoque procoss. Hoc ut probent, corrigunt locum Tertulliani, qui eſt Apologetici c. IX. *& proconſulatum Tiberii*, vertunt in proconſulem

ſulem Tiberii, ſed Vertumno parum propitio. Neque felicius, legatos quoque prætorios dictos, qui mitterentur a Cæſare. Proferunt exemplum de Hadriano, de quo ſic Ælius Spartianus: *Legatus*, inquit, *poſtea prætorius in Pannoniam inferiorem miſſus*, &c. Hinc elici volunt, qui mitterentur a Cæſare, dictos quoque legatos prætorios. *En cor Zenodoti, en jecur Cratetis*, &c. Atqui Spartianus intelligi vult, ex prætura miſſum Hadrianum legatum Cæſaris, ſive cum anno ſuperiore prætor fuiſſet, anno ſequente prætorium, a Trajano miſſum legatum in Pannoniam. Quid hoc ad legatos prætorios? Idem quod *Sextili menſe caminus*. At, inquiunt, lapis antiquus habet, *Prætorio legato Provinciæ Africæ*. Atqui eſt, *Prætorio legato Provinciæ Aſiæ*. Quid tum poſtea? Num idcirco legati illi proprætores, aut legati prætorii? Imo intellige ſic. Prætorio nempe viro, legato provinciæ Aſiæ. Hic ergo nihil agunt. At ſexcentis inſcriptionum locis patet, eos qui mitterentur a Cæſare dictos pro prætore mitti, ut recte apud Dionem eſt, neque conſtitutionem Auguſti hanc aut filius ejus Tiberius aut alii infregere.

Neque tamen ii omnes, quos mitteret Cæſar præſides, dicti quoque *legati*, ſed aliqui etiam *correctores*, ut Lucaniæ & Brutiorum, de quibus Caſſiodorus epiſt. III. lib. IV. epiſt. XXXIII. lib. VIII. aliqui etiam *procuratores*, ut Judææ, ut apud C. Tacitum Annali XII. & XV. Philon. Herennium legatione ad Cajum: aliquis etiam *præfectus Auguſtalis*, videlicet, præſes Ægypti: aliqui denique *conſulares*, ut is de quo nunc agitur, *conſularis legatus A. Plautius*, de quo etiam Suetonius Claudii c. XXIV. Dio lib. LX.

Dicti vero præſides aliqui conſulares, vel quia exconſules, ut *legatus Britanniæ conſularis Julius Agricola*, apud C. Tacitum in Agricola, vel quia præfecti conſularibus provinciis, ut nunc A. Plautius. Neque enim cos. aut conſularis in provinciam miſſus, ſed prætor conſularibus ornamentis, apud Dionem lib. LX. Ejuſmodi provinciæ in oriente XV. in occidente XXII. quarum mentio etiam in Jure noviſſimo, ut Novel. VIII. c. I.

Partim Claudii ipſius ductu.] Narrat Dio lib. LX.

Quare triumphalia ornamenta.] *Inſignia triumphi*, Tacito, Annal. II. & III. & *inſignia triumphalia* Annali I. & abſolute, *triumphalia* Hiſtor. lib. II. Ejuſmodi autem ornamenta, *corona aurea*, *patera aurea*, *ſella curulis*, *ſcipio eburnus cum inſidente aquila*, *toga picta*, *tunica palmata*, *ſtatuæ laureatæ*, *nomina triumphalia*, &c.

Et duplex ſacerdotium accepit.] Sic Serv. Galba Suetonii c. VIII. ornamenta triumphalia accepit, & ſacerdotium triplex, unum *inter X-viros*, alterum *inter ſodales Titios*, tertium inter *Auguſtales*: Multa enim ſacerdotia uni ſimul, neque alterum alteri obſtabat, ut Chriſtiano ritu obſtare debent. Et Julio Agricolæ apud C. Tacitum, adjicitur *pontificatus ſacerdotium*.

Et defuncti quoque Narciſſi amices peroſam.] Legendus C. Tacitus principio Annalis XII. & XIII.

Rapa in eum jacta ſunt.] *Rapa in eum jacta*, jus in foro dicentem. Cauſa illius contumeliæ ac ſeditionis caritas annonæ. Nulla ex alia cauſa citius Romæ olim & in provinciis ſeditiones odiaque populi adverſus Principem, ut Auguſtum, Suetonii c. LXXI. Claudium c. XVIII. in quem jus in foro dicentem populus quondam propter annonam gravem, *conviciis & fragminibus panis* ſic velitatus eſt, *ut ægre, nec niſi poſtico evadere in palatium valuerit*, &c. Narrat quoque Paullus Oroſius c. VI. lib. VII. Sic Antoninus quoque Pius *ob inopiæ frumentariæ ſuſpicionem lapidibus a plebe Romana perſtrictus eſt*, ut narravit Aurelius Victor. Michael autem Ducas novæ Romæ Imper. ex gravitate annonæ & odium populi, & cognomentum traxit ex contumelia, ut *Parapinacius* diceretur apud Zonoram lib. III.

Hæc itaque cauſa, cur maximæ curæ principibus Romanis annona ſemper fuerit, ut Auguſto Suetonii c. XLII. Tiberio apud C. Tacitum Annali V. Claudio Suetonii c. XVIII. Severo apud Spartianum, Theophilo apud Cedrinum, Baſilio Macedoni apud Zonaram lib. III.

Ex proviſione tali ortus *canon frumentarius* urbis Romæ, de quo tit. C. Idemque *canon populi Rom.* apud Lamprid. in Avito, *canon urbicarius*, *canon urbanus* ut in C. Theodoſii non ſemel. Et *canon ſacratiſſimæ urbis*. C. Eodem. Hinc etiam privilegium claſſis Alexandrinæ, de quo l. Seneca epiſt. LXXVII. Contra quoque amor populi ex procuratione copiaque annonæ. Eaque de re Aurel. Caſſiodor. Formula XVIII. lib. VI.

Contumeliæ vero cauſa in Veſpaſianum *rapa* illa conjecta, ut in Claudium *fragmina panis*; in hoc genere lapidationes quoque, & luti ac cœni adſperſiones, ut apud Geographum lib. VIII. Gregor. Turonenſem Hiſtor. Francor. lib. VII. & *pulveris*, ut in Nicephorum Imperatorem apud Zonar. lib. II. *fimi* ut in Bibulum cos. apud Plutarchum in Pompejo & in Julio. Sic *fimo*, *cœno*, *luto perfundi* l. I. §. II. D. de Extraord. crimin. Paulli Sentent. Tit. IV. lib. V.

Rediit certe nihilo opulentior.] Hanc Suetonius adpoſuit ut integritatis notam; neque diſſimilem C. Gracchus ipſe ſibi adpoſuit in concione, quam habuit reverſus ex Sardinia provincia: *Zonas*, inquit, *quas plenas argenti extuli, eas ex provincia inanes retuli: alii vini amphoras, quas vini plenas tulerunt, eas argento plenas domum reportaverunt*, &c. A. Gellius c. XII. lib. XV. Plutarchus in Gracchis.

Neceſſa-

Neceſſarioque ad mangonicos quæſtus.] *Mangonicos quæſtus*, nempe, ex mulis. Prædia ejus nempe in agro Reatino. Reatini muli optimi. Varro c. VIII. lib. II. de Re Ruſt.

Sed proprie quidem mangonici quæſtus ex venalibus, ſive quos ex venalibus faciunt venalitiarii. Atque hi proprie *mangones*, Porphyrio in Horatii epiſt. II. lib. II. & Gloſſæ Philoxeni. latiore tamen ſignificatu mangonici quæſtus etiam ex equis, mulis, canibus, &c. Gloſſæ: Ἱπποβοσκός, *Mango*. &, *Mango*, κυνοτρόφος. &, Σωματέμπορος, *Venaliciarius*, *mango*. Etiam ex rebus inanimis, ut apud C. Plin. c. ult. lib. ult. *Mangones gemmarum*, &c. Dixit autem Suetonius, *ad mangonicos quæſtus deſcendere*, &c. propter ejuſmodi quæſtuum vilitatem. Vilitas vero illa inde, quod mangones *ad lucrum turpiter faciendum proni*, ut loquitur Paulus l. XLIV. §. I. D. de Ædil. ed. Notata quoque improbitas eorum ſive impudentia, ut de mangone apud Fabium eſt, Declam. CCCXL. *Res eſt nobis cum homine, qui non erubeſcit, nihil reſervat: etiam periculoſe avarus eſt.*

Ducenta HS. expreſſiſſe.] Mercedem videlicet ſuffragii ſive ſuffragationis, & gratiæ ſive interceſſionis apud Principem. Utraque res *ſuffragium*, ipſa nempe ſuffragatio, & merces ſuffragationis, ut l. ult. C. de Silentiar. Agrætius, *Suffragia*, inquit, *quæ donantur.* Gloſſæ Philoxeni: *Suffragium*, δόσις. Sic *pecuniam cum ſuffragatore ſuo paciſci*, infra c. XXXIII.

Cui latum clavum adverſus patris voluntatem.] *Adverſus patris voluntatem*, quia ſoliti patres ſanæ mentis averſari hujuſmodi male emtas filiis ſuis faleras, ut apud Horat. Sat. III. lib. II.

Explicant autem *latum clavum*, ſenatoriam dignitatem, verius dicturi laticlaviam equeſtrem dignitatem. Quippe hanc ſoliti adoleſcentuli a Principe impetrare, ut Sextius ſuffragante C. Plinio epiſt. IX. lib. II. Severus apud Spartianum. Sic *latum clavum petere* dixit Cajus. l. XLII. D. de Donat. int. vir. & ux. Et *lato clavo ab Imperatore honorari*, Ulpian. Regul. Tit. VII. Atque his etiam locis interpretes *latum clavum* accepere ſenatoriam dignitatem, ſed fruſtra. Nam latus clavus *equitum illuſtrium* ſive *ſplendidorum* ſive inſignium, oppoſitus anguſto clavo, ſivo clavo eorum qui equites tantum. Sic latum clavum impetrare ſoliti a Principe, equitum anguſticlaviorum filii, ut in exemplis ſupradictis, non autem filii ſenatorum. His enim latus clavus etiam abſque beneficio Principis, ut ante docui, & Criticis aliter ſentientibus auriculam pervelli. Atque horum quidem etiam illa fruſtratio eſt, quod cenſent, eos qui latum clavum impetraviſſent a Principe, vocatos *ſenatores juvenes*, ut apud C. Tacitum principio Annalis VI. ubi oppoſiti *ſenatores juvenes*, & *ſenatores honoribus perfuncti*. Atqui *ſenatores juvenes* ibi omnes, qui necdum perfuncti aliquo magiſtratu, ſive ii equites laticlavii tantum, ſive ſenatorum filii. Neque tamen idem eques laticlavius aut ſenatoris filius, & *ſenator juvenis*, quæ omnia illi miſcuere interpretes: ſed equitis filius laticlavius, aut ſenatoris filius tum demum *ſenator juvenis*, cum in curiam ei aditus, ætate ſcilicet legitima ſive anno XXV. Hoc anno primum in curiam aditum fuiſſe, notum ex ætate quæſtoria, & ex Dionis lib. LII. Quanquam apud C. Plinium epiſt. LXXXIII. lib. X. ætas ſenatoria annus XXII.

Senatores vero illi juvenes, non tam *ſenatores*, quam *ſenatorii*, ut apud C. Salluſt. Orat. II. De republ. ordin. ubi Poſtumius & Favonius *ſenatorii*, quaſi nihil aliud quam ſenatores juvenes, & quibus nullum jus ſententiæ dicendæ.

Peregrinatione Achaica.] De qua peregrinatione Dio Romanus Orat. Rhodiaca, C. Sueton. Neronis c. XXII. Themiſt. Euphrad. Orat. V. Philoſtratus Apollonii lib. IV. Zonaras Annali II.

Cum cantante eo aut diſcederet ſæpius.] Quam plena periculi diſceſſio illa, patet Suet. Nerone c. XXIII.

Prohibituſque non contubernio modo.] De qua prohibitione Sueton. infra c. XIV. *Contubernium* autem dixit pro comitatu Principis, ut & cap. ſeq. & Neronis c. XXXVI. Julii c. II. & XLII. Similis prohibitio ſive remotio a contubernio Tiberii c. LVI. Ejuſmodi *contubernales* poſtmodo *palatini*.

Sed etiam publica ſalutatione.] Salutatio publica, qua ſolitus mane ſenatus ſalutare Principem, de qua Dio lib. LVII. Ubi Tiberius vult, *ſe a ſenatu collecto ſalutari, ne jactarentur in turba.* τοὺς γοῦν βουλευτὰς ἀθρόως ἀσπάζεσθαι αὐτὸν ἐκέλευεν, ἵνα μὴ ὠθίζωνται. Male hoc Latinus interpres, *Ne certando de priore aditu, ſe invicem truderent.* De publico ſalutationis officio Æl. Spart. in Hadriano: *Unde*, inquit, *hodieque Imperatores ſine penulis, a togatis ſalutantur*, &c. Ut ſi diceret: *Unde hodieque Imperatores togati ſalutantur a togatis. Sine penulis* ſua lingua dixit Ælius, pro *non penulati.* Et fruſtra eſt, qui corrigit, *Unde hodieque Imperatores ſine penulis togati videntur*, &c. quod perinde eſt ut ſi dixeris, *Unde hodieque Imperatores togati videntur.* Battologice. Sed hoc taliaque videndi alius locus. Tangitur idem publicæ ſalutationis officium Suetonii Auguſto c. XXVII. Ubi male *Q. Gallus* pro *Q. Gallio.* Et C. Taciti Annali IV. ubi male ſcriptum, *ſublatiſque inanibus vera potentia augere*, &c. pro *ſublatiſque inanibus veram potentiam augeri*, &c. Tangitur quoque infra c. XXI.

Etiam-

Etiamque extrema metuenti.] De quo metu Dio in Veſpaſ. C. Tacitus principio Annal. XVI.

Percrebuerat toto oriente rumor.] Rumor ille ex oraculis Judaicis ſive vatum ſive prophetarum prædictis de Chriſto Rege omnium ſæculorum. Qua de re Hegeſippus Exſcidii c. XLIV. lib V. Suetonius quidem nunc, & C. Tacitus Hiſtoriarum lib. VI. de Veſpaſiano male interpretati hanc prædictionem, de Chriſto neſcientes ſcilicet, ut etiam Joſephus neſciens, Exſcidii c. XXXI. lib. VI. *oraculum* vocat *ambiguum*, *in ſacris repertum libris.* χρησμὸν ἀμφίβολον, ἐν τοῖς ἱεροῖς εὑρημένον γράμμασιν. Etiam C. Tacitus Hiſtor. lib. V. *Antiquis ſacerdotum litteris contineri*, &c. Ex Joſepho autem eadem de re Euſebius Eccleſ. Hiſtor. cap. VIII. lib. III. Et Sarisberienſis Polycratici cap. IV. lib. II. Fallitur autem etiam Paullus Oroſius cap. IX. lib. VII. qui hunc ex Carmeli montis ſortibus rumorem ortum putavit, ea re deceptus, quod de Veſpaſiani felicitate ſortes Carmeli montis prædixere, ut eſt, cap. ſeq. & apud C. Tacitum lib. II. Hiſtor. Atqui oraculum illud vetus, ex quo rumor ille toto oriente. Carmeli autem Dei, ut Suetonius cap. ſeq. loquitur, ſortes editæ ipſi Veſpaſiano. Neque diſſimile de Galba Imperatore ex Hiſpania, C. Suetonius Galbæ cap. IX.

Cæſoque præpoſito.] Hunc præpoſitum aliqui Sabinum arbitrati, quos refellit ratio ipſa temporis. Sabinus ille ſub Auguſto: neque Judææ, ſed Syriæ ἐπίτροπος apud Joſephum Exſcidii c. III. lib. II. Geſſium Florum fuiſſe, patet C. Taciti Hiſtoriar. VI. Joſephi loco anted. Huic Floro ſuppetias tulit *Ceſtius* Gallus Syriæ legatus Conſularis. C. Tacitus loco eod. Joſeph. Exſcidii lib. II. &c. III. lib. III. Hegeſippus male id nomen expreſſit cap. V. lib. III. cui *Creſcentius* eſt. Quod autem Florus ille non legitur cæſus a Judæis, & Suetonius cæſum ait, forte alios auctores ſecutus eſt.

Rapta aquila fugaverunt.] Non minus de aquila rapta expreſſit, quam de fuga legati, quia non minus turpe nomini Romano aquilam veniſſe in hoſtium poteſtatem, quam legatum fugiſſe. De turpitudine aquilæ amiſſæ eſt in hiſtoriis, ut C. Taciti hiſtoriar. lib. II. L. Flori c. ult. lib. IV. Appiani lib. II. in narratione de Pompejo vincente Cæſarem, & paſſim apud alios.

Ipſe potiſſimum dilectus eſt.] De quo dilectu Joſephus Exſcidii c. I. lib. III.

Ut & induſtriæ expertæ.] Maluerunt Critici plerique, *ut & induſtriæ expertus*, &c. Melius libri veteres, *ut & induſtriæ expertæ.* Sic enim etiam T. Livius lib. XXXVIII. *Audaciæ expertæ delegerunt equites.* Et C. Tacitus Annali III. *Præponitque centuriones virtutis expertæ.* Quippe ut recte Priſcianus admonet, etiam paſſive dicimus *rem expertam*, quam experti ſumus, & profert teſtimonia veterum c. II. lib. VIII. Sic Tibulli eleg. I. lib. II. *Ars inexperta*, quam necdum vulgo experti, ut Propertii eleg. lib. III. *Expertæ bello proræ*, id eſt, ſpectatæ. Exempla, quæ Lævinus Torrentius & alii attulere, non faciunt: in iis enim expertus non eſt ſpectatus, ut hoc C. Suetonii loco, ſed peritus, ut ex T. Livii X. *Experto certamine*, & Æneid. X. *Expertos bello juvenes.* Expertus nempe vel eſt qui periculum fecit, vel qui peritus, vel qui ſpectatus. Iique tres ſignificatus ita recte in Gloſſis: *Expertus*, πειράσας, εἰδὼς, καὶ ἀποπειρασθείς.

Ob humilitatem generis ac nominis.] Et genus ſive gens Veſpaſiani humilis, nempe Flavia, quæ ut ipſe dixit c. I. *obſcura*, & nomen humile ac plebejum, nempe cognomentum Veſpaſiani a Veſpaſiis. Itaque & Petrus Apollonius Exſcidii lib. IV. *Veſpaſium* pro *Veſpaſiano* dixit. Veſpaſii autem a Veſpis, nomen vile ac plebejum, ut etiam *Veſparum* Romæ ac *Veſpilonum* cognomenta. Sic *Veſpa Terentius* apud Ciceron. II. de Orat. *Q. Lucretius Veſpilo* in Bruto, & apud Auctor. de Viris inluſtr. c. LXIV. *Veſpæ* vero ipſæ a *Veſpero*, apud Feſtum.

Genus autem pro gente, ut Ciceronis Bruto: *Si quis ejuſdem generis occidiſſet*, &c. Et apud Feſtum in *Gentiles.* Hinc illud l. I. D. De probat. *Genus vel gentem*, &c. Sed proprie quidem genus & gens differunt, ut tradit Agræt. & Iſidor. II. differ.

Additis igitur ad copias.] Ad copias videlicet Ceſtii Galli præſidis Syriæ. Succeſſor enim miſſus in copias Syriacas Veſpaſianus. Itaque Joſeph. Exſcid. c. I. lib. III. agens de Nerone ac Veſpaſiano: Πέμπει, inquit, τὸν ἄνδρα διαληψόμενον τὴν ἡγεμονίαν τῶν ἐπὶ Συρίας στρατευμάτων.

Duabus legionibus, octo alis, cohortibus decem.] Joſephus c. V. lib. III. Exſcid. ad ſummam numerat in Veſpaſiani exercitu tres legiones, quinctam, & decimam, & quinctam decimam. III. & XX. cohortes, alas equitum ſex. In cohortibus autem decem ſingulis pedites fuiſſe M. in alis XIII. pedites ſingulis DC. equites CXX. A vicinis regibus inſuper miſſa XI. peditum ſagittariorum, & equitum duo millia. Ad ſummam, exercitum totum fuiſſe VI. myriadum ſive LX. millium. In cohortibus igitur & regum auxiliis XXX. M. in legionibus totidem. Fuerint ergo, neceſſe eſt, legiones ſingulæ decem millium; qui numerus legionis unius immanis, neque alibi facile inventu exemplum.

Solitæ vero ſic junctim, ut nunc a Suetonio, numerari legiones, alæ, cohortes. Sic enim quoque

que

qui idem junxit Galbæ c. X. Et C. Tacitus Hiſtor. II. *Agmen*, inquit, *legionum, alæ, cohorteſque.*

Cohortes autem dicuntur biſariam, nempe vel partes legionum, ut apud Vegetium c. VI. lib. II. atque ita *cohortes legionum* C. Taciti II. Hiſtor. vel extra legiones cohortes ſociorum ſive auxiliorum, ut hoc C. Suetonii loco & C. Taciti libro eod. oppoſitæ *legionibus auxiliorum cohortes.* Et ibidem: *Tungrorum cohortes, & Ligurum cohors, & Pannoniorum, & Cohortes Germanorum, Cohortes Batavorum.*

Ex Joſephi autem loco anted. patet quoque diſtingui ſolitas cohortes, & regum auxilia. Ex provinciis nempe cohortes, ex regnis auxilia.

Proximas quoque convertit in ſe.] Ut Ægyptum & Syriam, infra c. ſeq.

In oppugnatione caſtelli.] Joſephus c. XVI. lib. XIII. Hegeſipp. c. XII. lib. III. Petrus Apollonius Collatius.

CAP. V.

In ſuburbano Flaviorum.] Flavios intelligi vult gentem Flaviam. Ex ea gente deinde gentes Flaviæ, de quibus Trebell. Pollio in Claudio: *Claudius*, inquit, *velut futurorum memor, gentes Flavias, quæ Veſpaſiani & Titi, nolo autem dicere Domitiani, fuerant, propagavit*, &c. Intelligi vult, olim a Veſpaſiano & Tito fuiſſe propagatas ſive ortas *gentes Flavias*: hodie autem eſſe a Claudio. Quippe ex cujus fratris nempe Criſpi filia Claudia, natus Cæſar, pater Conſtantini M. Sic itaque Trebellius ipſe: at interpretes Trebellii conſomniavere de gentium patritiarum numero aucto a Cenſoribus Veſpaſiano & Tito, eaſque omnes dictas *Flavias.*

Quercus antiqua, quæ erat Marti ſacrata.] Arbores grandes & antiquas Diis ſoliti ſacrare, ut Ovidii lib. VIII. in fabella de Eriſichthone. Fabii c. I. lib. X. Arnobii lib. I. Ac perſeveravit ritus ille in Africa etiam ſæculo D. Auguſtini, ut ipſe conqueſtus eſt, Sermone CCLXI. De tempore. Idem quoque diutiſſime ritus in Gallia. Nam Gregorius Papa epiſt. V. lib. VII. petit a Brunilde Francorum regina, ne cultores arborum in regno ſuo eſſe patiatur. Patet quoque in Capitul. Caroli M. CXCIV. lib. I. Et apud Sulpicium Severum in hiſtoria D. Martini. Neque aliter in Italia. Nam Gregorius idem epiſt. XX. lib. ejuſdem de ea re ſcribit ad Agnellum Terracinæ epiſcopum. Toto denique orbe Romano, etiam Theodoſii junioris tempore. Nam l. XII. C. Theodoſ. De pagan. ſacrific. & templ. vetat, *Ne quis ridiculo exemplo metuens ſubitoque, vel redimita vittis arbore, vel erecta effoſſis ara ceſpitibus, vanas imagines honorare tentet*, &c. Perverſe ſcriptum ibi *ſubitoque*. Corrige, *ſubidoque*, & intellige ὑώδει, nempe exemplo, quale ſus aut Suillius aliquis imitetur. Neſcientes vecordes Critici, quis *ſubidus*, fecere ingenium ſuum *ſubidum*, & pro *ſubido ſubitum* repoſuere. *Subidum* dixere hominem Latini, quem ſignificare vellent non *plus ſapere, quam occiſam olim ſuem*, ut Plautus quiſpiam dixerit. Atque ſic A. Gellius c. II. lib. XII. L. Senecam, honoris cauſa, opinor, *hominem* vocat *ineptum, inſubidum, inſulſum*, &c. *Inſubidum*, valde ſubidum & ſine controverſia *Suillium*, ut recte Hadrian. Turneb. c. I. lib. XVII. ſed Critici *inſipidum* ibi maluere.

Illud quoque d. l. XII. *vel redimita vittis arbore*, &c. male eſt, pro *redimitam vittis arborem.* Male quoque l. XX. eodem tit. *epholis*, pro *epulis*,

Ramos a frutice dedit.] De fruticatione agens, proprie fruticem potius quam *ſtipitem* aut *truncum* dixit. Sic *arborem fruticari*, M. Cicero lib. XV. ad Attic. *fruticoſum arboribus mare* Plinius c. XXII. lib. VI. & *arboris fruticationem* c. I. lib. XVII. *Frutex* nempe arbor gignens ramos: *ſtipes* truncus ſine ramis. Itaque *frutex* a fronde, ut recte Iſidor. c. VI. lib. XVII. Quippe *frus* olim, quæ nunc *frons.* Cariſius lib. I.

Signa futuri cujuſque fati.] Ex ramis ſoliti præſagire poſterorum fata, ut Galbæ c. I. Sic nato etiam puero virgam ſolo depangebant, ut indicio eſt Donatus in vita Maronis.

Liberi nempe ramorum inſtar, etiam in ſomniorum ſolutione ſive conjectione, ut Artemidori Dald. c. VIII. lib. II. Junge Hadr. Turneb. c. XXVI. lib. XXVII. ubi de quercu Mariana.

Ideoque puella nata non perannavit.] Critici negant referre *perennavit* legas aut *perannavit.* Atqui plurimum intereſt. Intelligi enim vult Suetonius, puellam ſive ſororculam Veſpaſiano, anno necdum vertente mortuam. *Perannat*, qui annum vivit; *perennat*, qui perennis. *Perannare* videlicet annum vivere, ut Claudius Quadrigarius apud A. Gell. *diurnare* dixit pro diu vivere. Ubi comparat A. Gellius *diurnare* & *perannare*, non ut male vulgo ſcriptum, *perennare.*

Multæ ſic in lingua Latina per litteræ unius variationem differentiæ, ut *dejerare, dejurare: detrectare, detractare: compaſcere, compeſcere: devertere, divertere: deripere diripere*, &c.

Nepotem ei Cæſarem genitum.] Nepos avo & aviæ naſcitur, & avo maxime. In hujus enim poteſtate nepos, niſi ſuſceptus patri emancipato. Ergo etiam patre mortuo in avi poteſtate, nepos patris ſui locum obtinet in bonis avi, jure, quod repræſentationis vulgo nuncupant, de quo illud Herennii Philonis in legatione ad Cajum, *ritu Romano nepotes patribus mortuis in filiorum loco numerari.* υἱωνὸς πατέρων ἀποθανόντων ἐν υἱῶν τάξει καταριθμεῖσθαι. Aviæ autem paternæ naſcitur nepos: in ejus enim cuſtodia futurus præmortuis patre

tre

tre & matre ut ſupra. c. II. *Veſpaſianus educatus ſub paterna avia Tertylla.* Plane igitur vates Sabinus hic pater Veſpaſiani, *natum Tertyllæ nepotem Cæſarem*, quaſi diceret, cuſtodem eam ſive educatricem fore Cæſaris, Tertylla ſuperſtite, ipſo & matre mortuis.

Mox cum ædilem eum.] Ædilem minorem ſive plebejum. Veſpaſianus enim gentis plebejæ, & ædilium minorum fuit curatio urbis l. II. §. *Deinde Cornel.* & §. *Iiſdem temporibus.* De orig. jur. Varro IV. de ling. Lat. Cicero Verrina VII. Aſcon. in III. Verrin. Theoph. §. *Prætorum.* Inſtit. De Jure nat. Feſtus in *Ædiles.* Ergo etiam in Republ. nova, ſive ſub Imperatoribus viarum curatio, quæ cenſoris olim fuerat, tranſlata eſt in hos ædiles l. unica D. De via publ. Cenſoriam fuiſſe curam illam in republ. vetere patet Tullii III. legum. T. Livii lib. IX. & lib. XXXIX. Et lib. XXIX. Zonaræ Annali II. Voluere ſcilicet Imperatores morum quidem agere cenſuram, ſed ceteris oneribus cenſuræ ſoluti ac liberi eſſe, ut parum dignis majeſtate Imperatoria. Peccant autem, qui etiam in republ. vetere viarum curam arbitrati ædilitiam fuiſſe. Cur autem cura illa potiſſimum derivata in ædiles, etiam ratio altera elici ex Julii Frontini de Aquæductibus lib. II. poteſt. Videlicet, in republ. etiam vetere, cum cenſores non eſſent, talia officia transferri ſolita in Ædiles. Eadem vero ſcilicet viarum cura & purgatio urbis, etiam Aſtynomorum Athenis, qui quaſi Ædiles, Ulpian. in Demoſt. contra Timocratem, Ἀστυνόμος, inquit, ὁ ἐπὶ τοῦ εἶναι καθαρίαν τὴν πόλιν. Interpres Ariſtophan. in Aves. Plato etiam tangit VI. Legum, Ariſtot. lib. VII. de Rep. Suidas in ἀστυνόμος & in Ætolia. Plaut. Captiv. Sc. XII.

Succenſens curam verrendis viis non adhibitam.] Apertius hæc Dio lib. LIX. anno urbis DCCXCI. ubi tradit, Veſpaſianum ſimul & ædilem & curatorem viarum fuiſſe.

Ac velut in gremium.) Paullo ante *ſinum* dixit, nunc gremium. Sed differunt. Proprie ſinus ad pectus, gremium infra pectus. Hinc illud Albinovani Conſolatione Liviæ:

-------- *Gremiumque ſinuſque.*

Et Virgilianum illud Æneid. VI.

--- *Pandentemque ſinus, & tota veſte vocantem*
Cæruleum in gremium. ---

Fabius c. ult. lib. XI. *Sinus*, inquit, *ſupra imam togam.* Ut ſi diceret: Sinus in toga reſpondet parti tunicæ, quæ ſupra cinctum: gremium parti, quæ infra. Neque recte Servius ad Eclog. VII. *Sinum* explicat *gremium.* De gremio eſt proverbium vetus: *Nec mulieri nec gremio credendum:* de quo Feſtus. At ſinui non male creditur, ut Ciceron. epiſt. XII. lib. II. Hinc *ſinu fovere.* Duplex itaque ſinus & gremium. videlicet, tunicæ & togæ. De togæ ſinu & gremio nunc Sueton. quippe ait, *in prætexta ſinum.*

Canis extrarius e trivio.] Ominis exprimendi cauſa *extrarius* adjunxit, ut Terent. Phorm. Act. IV. Sc. IV. *Introiit in ædes ater alienus canis.* ſic Martial. epigr. XLIII. lib. XII. *Quicunque canis.* ὁ τυχών. Male apud Dionem in Veſpaſ. præteritum eſt nomen *extrarii.* Signanter autem quoque Suetonius dixit *trivio.* Hujuſmodi enim ex triviis omina. Petronius, *Aut quod*, inquit, *purgamentum in nocte calcaſti in trivio, aut cadaver?* Auſonius:

Abjecta in triviis inhumati glabra jacebat.

Sic *omnia e triviis* Tibulli eleg. III. lib. I. non autem *puer e triviis*, ὁ τυχὼν, ut Critici.

Rettulit e triviis omina certa puer.

Rettulit, ſcilicet puer emiſſus in trivium ominis captandi gratia. Captabat emiſſus puer primam in trivio auditam vocem, & renunciabat ut omen, aut rem notabat in trivio, quæ rei ſuſcipiendæ omen eſſet.

Etiam apud Abdiam Babylonicum canis in convivio circumfert manum humanam, in vita D. Thomæ.

Manum humanam intulit.] Eoque manus omine denunciabatur, fore, ut Veſpaſiani manu omnia regerentur. Manus nempe dextra imperii ſignum, cujus & inſtrumentum eſt. Unde elegans illud Crinagoræ in Cæſarem epigr. Antholog. c. V. lib. I. *Non ſi Oceanus ſe, quantum poteſt, inflet; non ſi Germania Rhenum ſuum epotet, Romæ ullum ab eis periculum eſſe.*

---- ἄχρι κε μίμνῃ
Δεξιὰ σημαίνειν Καίσαρι θαρσαλέη.
------ *Dextra donec*
Sufficiet noſtro Cæſari ad imperium.

Sic apud L. Senecam in Satyra Claudiana, Claudius Imperator geſtu manus jubet. Et apud Pompon. l. II. §. I. De orig. jur. *Omnia manu a regibus gubernabantur.*

Bos arator decuſſo jugo.] Bos ille omen orbis terræ ſe ſummittentis Veſpaſiano. Neque recte omiſſum a Dione bovis adjunctum illud, *arator.*

Arbor quoque cupreſſus.] Narrat idem C. Tacitus lib. II. Hiſtoriar. Signanter autem Suetonius, *cupreſſum illam ſine ulla vi tempeſtatis radicitus evulſam atque proſtratam fuiſſe*, &c. Nam ad ominis magnitudinem hoc plurimum facit. C. Tacitus hoc leviter tangens, *repente*, inquit, *prociderat.* Sed Dio ſane mirifice contra omen ipſum, & fidem hiſtoriæ, πρόῤῥιζος, inquit, ὑπὸ σφοδροῦ πνεύματος ἀνατραπεῖσα. *valida ventorum vi radicitus everſa.* At illud recte Dio, *cupreſſum* fuiſſe περιφανῆ ſive *inſignem*, ut & C. Tacitus *cupreſſum conſpicua altitudine.* Hoc incaute omiſit C. Sueto-

Suetonius. De arboris autem hujuſce iterato caſu Cajus noſter infra Domitiani c. XV.

Initium ſibi ſuiſque felicitatis.] *Felicitas* illa imperium. Hæc nempe ſumma in rebus humanis felicitas & fortuna. Hinc *fortuna* illa Principum *aurea*, de qua Suetonius Galbæ c. IV. Jul. Capitolin. fine Antonini Pii, & in Marco, Ælius Spartianus fine Severi, & alii. Non male itaque, quam Suetonius nunc *Felicitatem* dixit, Dio interpretatus ἀυταρχίαν.

Progreſſus in atrium medicus.] Progreſſus nempe in atrium, ubi caſtra ſalutatorum, ut apud Horat. epiſt. V. L. Senecam epiſt. XIX. & LXXVI. Medicus autem ille chirurgus. Iidem videlicet olim medici, chirurgi, pigmentarii, ſive unius officium & officina triplex, ut alias dixi.

Dentem tantum non exemptum.] Hebeti acie & caligante ingenia Critica legunt, *tantum quod exemptum*, &c. nullo aut ſubido exemplo. Suetoniana vero dialectus eſt *tantum non*, pro eo ipſo temporis articulo, *ilico, tum, modo*, inquit Prænestinus. Plauti Trinum. Sc. IX. Suet. Domitiani c. XV. *Repente ex tenuiſſima ſuſpicione, tantum non ipſo ejus conſulatu interemit*, &c. Vitellii c. XIV. Tiberii c. LII. & LXVI. Quibus locis omnibus *tantum non*, aut eodem ſignificatu, quo nunc; aut pro plane, ut apud L. Florum c. XII. lib. IV. *etiamnum*. & apud Tibullum *modo non* eleg. I. lib. I. Quæ lectio male a nonnullis pervellitur.

Apud Judæam Carmeli Dei oraculum conſulentem.] Signanter *apud Judæam* potius quam in Judæa, quia, ut inquit C. Tacitus Hiſtoriar. II. *Carmelus mons & Deus, inter Judæam Syriamque eſt*, &c. *Apud Judæam* tamen quoque in Judæa accipi poteſt, ut *apud forum* pro in foro dixit Terentius Andria, *apud Pergamum* pro Pergami C. Tacitus Annali XIV. *apud Præneſte* C. Salluſtius, ut citat Priſcianus c. I. lib. XV. Ibidem ex eodem, *apud Mutinam, apud Ilerdam*. Sic Attici quoque, ut Thucydides παρὰ τὰς Ἀθήνας ἐκκλησιάζουσι, pro Ἀθήνησι. Nonnullis videlicet Carmelus hic mons in Judæa & tribu Iſachar. Carmeli autem Dei commentum paganicum natum inde, quod in Carmelo ſedes olim Eliæ, Eliſæo & filiis prophetarum, ut patet in litteris Sacris, Regum c. II. & IV. lib. IV. Hinc itaque poſtea introductum Carmeli Dei oraculum, & ſortes in monte Carmelo, de quibus nunc Sueton. & Paullus Oroſius c. IX. lib. VII.

Conſtantiſſime adſeveravit.] Narrat Joſephus ipſe Exſcidii c. XXVII. lib. III. Dio in Veſpaſiano. Ac Joſephus quidem non ſolum de patre, ſed etiam de filio Veſpaſiano Tito prædictum narrat.

Ut ab eodem brevi ſolveretur.] De qua ſolutione Joſephus loco, quem dixi.

Neronem monitum per quietem.] Dio in Veſpaſiano.

Ut tenſam Jovis opt. max.] Tenſæ illius in Veſpaſiani domum deductione, tranſlatio denunciata imperii a Nerone ad Veſpaſianum, videlicet, quaſi deinceps non Nero, ſed Veſpeſianus deducturus. Tenſam quippe Jovis deducere, Imperatoris partes, ut apud Sueton. Auguſti c. XLIII. In republ. vetere conſulis eæ partes, aut hoc abſente, prætoris, ut apud Juvenal. Sat. X. in pompæ Circenſis deſcriptione. Ex qua & intelligi poteſt, eum, qui tenſas deduceret, habitu triumphali fuiſſe, ut patet quoque Tertulliani c. XIII. De corona mil. nomenque prætoris acceptum a Juvenale generatim. Tenebat deductor lora tenſæ illius, quam deduceret, ut apud Aſcon. in III. Verrinam. Jovis vero tenſam deducere ſolitus Princeps, quia prima illa, & quam deinde aliæ ſequebantur, ut & Imperatorem deducentem deductores alii.

Proprie vero tenſa plauſtrum Jovis, ſive quo Circenſibus invehi ſolitus Jupiter. Patet Tertulliani c. XIII. de Spectaculis. *Etſi unam*, inquit, *tenſam trahat, Jovis tamen plauſtrum eſt*, &c. Etiam corona illa Hetruſca, quæ imminebat capiti tenſam deducentis, Jovi ſacra erat. Idem c. XIII. de Corona mil.

Tenſas porro quam *thenſas* rectius dixeris, quia res tota Romana, non Græcula eſt, neque ſat recte Aſconius in III. Verrinam. Cur vero *tenſa* illa potius quam *tenta*, eſt apud Diomedem c. IV. lib. I.

Et in circum.] Jam alius, neque unus monuit, eſſe rectius, *& inde in circum.*

Comitia ſecundi conſulatus ineunte Galba.] Lectio vera manifeſtario eſt, *in comitio ſecundum conſulatum ineunte Galba*, &c. quam tamen Critici non auſi adſerere, præ magnitudine judicii ſcilicet. Atqui plebeja lectio mere nugatoria eſt. Nam neque Galba comitia ſui conſulatus ipſe habere potuit, ridiculaque locutionis ſartago eſt, *comitia inire*, &c. Quippe comitia haberi dicuntur, conſulatus iniri.

De ſecundo Serg. Galbæ conſulatu C. Tacitus principio lib. I. Hiſtoriar. *Initium*, inquit, *mihi operis Ser. Galba II. T. Vinius Coss. erunt.* Et mox, *Ser. Galba iterum, Titus Vinius Coss. inchoavere annum*, &c.

Statua D. Julii ad orientem ſponte converſa.] C. Tacitus I. Hiſtoriar. Plutarchus in Othone.

Acie Bedriacenſi.] C. Tacitus II. Hiſtor. Sueton. ipſe infra c. XVII.

Duas aquilas.] Aquila nempe regale auſpicium, ut res notiſſima.

CAP. VI.

Bina e tribus legionibus milia.] De his C. Tacit. II. Hiſtor.

Miſſa.

Miſſa auxilia Othoni.] Cauſa miſſionis patet Taciti loco, quem citavi.

Iter ingreſſis nunciatum eſt.] Nuntiavere Vitelliani, Tacitus loco eodem. Hæc cauſa, cur ſex millia illa ire perſeverarint, nempe quia Vitellianis parva apud eos fides.

Omni rapinarum genere.] Neque enim privatarum res tantum, ſed Vitellii quoque pecuniam rapuere, C. Taciti loco eodem.

Ne ſibi reverſis reddenda ratio.] Alia & probabilior hac de re C. Taciti narratio eſt, loco quem citavi.

Aut Hiſpanienſi exercitu.] De quo Suetonius Galbæ c. x.

Aut Germaniciano.] Utriuſque Germaniæ, ſuperioris atque inferioris. C. Tacitus primo Hiſtoriarum.
Germanicianus autem exercitus, qui ex militibus Romanis, ſed Germaniciis ſive militantibus in Germania, ut Tiberii c. xxv. Othonis c. VIII. Sed C. Tacitus Annali. I. lib. III. Hiſtoriar. ut Sueton. ipſe hoc c. *Germanicas* quoque legiones dixere, pro Germanicianis.

Alium alia de cauſa.] Vulgo eſt, *alii alium de cauſa*, &c. Bene corrigit Lævinus Torrentius, & alii.

Et quidem e legione tertia.] Ea nempe in Veſpaſianum propenſiſſima, C. Tacitus lib. II. Hiſtoriar.

Nomenque ejus vexillis omnibus inſcripſerunt.] Ritus militaris omnibus vexillis inſcribendi nomen Imperatoris noviter creati, ut nunc, & Dionis lib. XL. Ubi patet, nomina illa ſolita vexillis inſcribi Φοινικοῖς γράμμασι, ſive *litteris Puniceis.* Sub iis litteris imago picta Imperatoris, ut apud Dionem, Vitellio. Contra cum deficerent ab Imperatore, ſoliti lacerare nomina illa & imagines. Sic accipe καθαιρεῖν τὰς εἰκόνας, &c. Dionis Vitellio, ubi male interpres, *delere imagines.* Sic C. Taciti lib. II. Hiſtoriar. *Laceratiſque vexillis, Vitellii nomen præferentibus*, &c.
Vexilla omnia, intellige omnium cohortium. Suum nempe cuique cohorti vexillum, ſive legionariæ illæ cohortes, ſive auxiliares. Sic *Pelignæ cohortis vexillum*, T. Livii lib. XLV. *Germanica vexilla* C. Taciti lib. I. Hiſtoriar. id eſt, legionum Germanicarum. *Vexillares cohortes* lib. II. Hiſtoriar. *Vexillaria cohors*, Amm. Marcellini lib. XXIX. Et in Notitia Imperii: *Cohortes ſive vexillationes peditum Pannonicianorum juniorum*, &c. Itaque fruſtra illi ſunt, qui negant ſuum cuique cohorti ſignum fuiſſe, cum etiam T. Livii lib. V. centurio ſuæ cohortis ſignifero dicat: *Signifer, ſtatue ſignum*, &c. Atque ii teſtes, quos illi pro ſe laudant, planiſſime contra dicunt teſtimonium.

Revocatis ad officium numeris parumper.] *Numeri* vel ſunt cohortes, vel milites ſinguli. *Cohortes* ut accepit Ulpian. l. II. §. I. De his qui not. inf. & alii paſſim. D. Similiterque Claudian. Epithalam. Palladii. Fl. Vopiſcus in Probo Imp. Atque hinc idem *tribunus numerorum*, qui *tribunus cohortis.* l. IX. D. De excuſ. tut. Sic *tribunatus numerorum.* l. ult. C. de teſtam. mil. ubi peccant, qui legunt *in tribunatu numerorum. Milites* vero *ſinguli*, etiam numeri, ut apud Ammian. Marcellin. lib. XXIII. XXV. XXVII. XXIX. XXXI. Utroque modo numeros nunc acceperis non male.
Sed eſt quoque tertius ſignificatus, videlicet, *numeri*, pro militarium officiorum gradibus ipſis. Sic enim Capitolinus in Maximo & Balbino: *Attamen*, inquit, *militaris tribunus fuit, & multos egit numeros*, &c. Quemadmodum Trebell. Pollio in Mario Tyranno, *Militaribus*, inquit, *uſque ad imperium gradibus evectus eſt*, &c.
Quarto etiam modo *numeri* pro matricula, in quam inſcripti milites, C. Plinius Epiſt. VIII. lib. III. *Nomen in numeros referre.* Neque diſſimiliter Ulpian. l. propen. De teſtam. milit. Et alii paſſim. D. Ergo etiam quod *in numeros referre* dicitur, eodem ſignificatu eſt, *nomina militum militaribus matriculis referre* l. propen. C. eod. Et *matriculis inſerere*, apud Vegetium c. VI. lib. II.

Tiberius Alexander præfectus Ægypti.] Narrat C. Tacitus lib. II. Hiſtoriar. De Tiberio autem hoc Alexandro ſatyrice Juvenal. Sat. I. ubi melius fuerit,

---- *atque Alabarches*, &c.

quam ut nunc vulgo eſt,

---- *aut Alabarches.*

Atque id Tiberius frater Herennii Philonis, *Præfectus* vero *Ægypti*, *præfectus Auguſtalis*, de quo titulis D. & C. Auguſtalis vero ille, quia primitus ab Auguſto.

In verba Veſpaſiani legiones adegit.] Ad jurandum in verba Veſpaſiani egit. *In verba jurare alicujus*, eſt jurare hoc ipſum, quod ille præit, ſive dictat, ſive præjurat, per ſe ipſe aut per alium. Priſcian. c. VIII. lib. XVIII.
De ritu vero jurandi in verba Imperatoris T. Livius lib. XXII Plutarchus in Romanicis Quæſt. XXXIX. A. Gellius c. IV. lib. XVI. Vegetius c. V. lib. II.
Antequam miles ſic juraviſſet, fas ei non fuit pugnare in hoſtem. Diodori lib. XII. Tullii I. de Offic. T. Livii lib. IV. & VIII. Valerii c. VII. lib. II. Neque juravere milites ante quam notati, ſive ut Vegetius loquitur c. V. lib. II. *puncturis in cute puncti, & ſcripti, ſive matriculis inſerti*, ſive in numeros relati, ut eſt apud Vegetium loco, quem dixi. neque repugnat C. Plinii epiſt. XXXVIII. lib. X. Nam extraordinarium eſt ibi, quod juraverant,

verant, qui necdum diſtributi in numeros. Male ſcriptum ibi *ut jam* pro *etiam.*

Qui principatus dies in poſterum obſervatus eſt.] C. Tacitus lib. II. Hiſtor. dixit, *celebratus eſt.* C. Suetonius dixit *obſervatus*, reſpiciens ad faſtos, in quibus obſervatus ſive notatus ſive adſcriptus is dies imperii primus: C. Tacitus ad ludos Circenſes. Circenſibus enim celebrabantur dies Imperatorum natalitii.

Sed natalitius eorum dies triplex, unus *vitæ*, alter *imperii*, tertius *adoptionis*. Jul. Capitolinus in Pertinace, *Circenſes*, inquit; *& imperii natalis additi, & genitalitii*, &c. Natalitius imperii dies Pertinaci *pridie Calend. Januarias*, ut diſertim Jul. Capitolin. & fallitur, qui in notis poſuit, *ipſas Kalendas Januarias.* Nam in ſenatu quidem ſalutatus nomine Imperatorio ipſis Calendis: ſed imperii primus dies ei, cum a *Læto præfecto Prætorii, & Electo cubiculario, in caſtra ductus & milites adlocutus eſt, & donativum promiſit*, &c. nempe ut Imperator. Sic enim Capitolinus. Neque aliter Dio, aut Herodianus, & ceteri. Planiſſime itaque rectum illud, *pridie Kalendas Januar.* Nam etiam priuſquam ſenatus Imperatorem eum ſalutavit, Probus jam Imperator, & *Claudius Pompejanus gener Marci*, ut inquit Capitolinus, *jam Imperatorem Pertinacem videbat.* At, inquiunt notæ illæ, in membranis nonnullis eſt, *Kalendis Januariis.* Ergo, *ipſis Kalendis.* Reſpondeo, ut ſæpe alias, membranæ veteres quaſi interdicta ſunt *Quorum bonorum*, proſunt bene utenti. Natalis autem vitæ Pertinaci Kalendæ Auguſti. Sic duplex natalis Principi, unus vitæ, alter imperii, Conſtit. Valent. Theodoſ. Arcad. AAA. VII. c. De feriis. Et *certamen Circenſe in ortum aut natalem Principis*, Conſtit. Leonis & Anthemii C. eod. Sic apud Æl. Spartianum *Circenſes natalitii* Hadriani, nempe ut Principis, ſive natalitii imperii. Et natalis Trajani apud C. Plin. in Gratiarum actione, accipiendus natalis dies primus imperii. At natalis Auguſti celebratus Circenſibus apud Dionem lib. LIV. & lib. ſeq. accipiendus non *imperii*, ſed *vitæ*: ut etiam Tiberii natalis apud C. Suet. c. XXVI. Neque circumſpecte turbatur hoc diſcrimen a pleriſque.

Adoptionis vero natalis, ut apud Æl. Spart. Hadrianus, *natalem adoptionis ſuæ celebrari jubet.*

V. Idus Julii.] Melius C. Tacitus lib. II. Hiſtor. v. *Non. Julii*: ex quo etiam ratione elici poteſt, cur ita melius. Videlicet, quia eo ardore juravit exercitus ille, ut ne Titus quidem filius exſpectaretur. Unde ergo mora illa uſque ad v. Idus Julii?

Extrema obteſtatione ultionem mandantis.] Hoc quaſi *phyſicum* Othonis *teſtamentum*, de quo teſtamentorum genere Varro apud Marcell. in *Belliores.* Mandatum videlicet morientis, quaſi teſtamentum eſt juris gentium, cujuſmodi Micipſæ regis apud C. Salluſtium in Jugurthina, Archippi & Antigenis apud Antipatrum in Epigrammatis, Pæti apud Propert. eleg. v. lib. III. aliorum apud alios. Exque hoc genere teſtamentorum phyſico nata eſſe civilia, recte Tullius notavit lib. III, de Finibus: *Teſtamenta*, inquit, *commendationeſque morientium natâ ex naturali morientium adfectione.* Mandata autem illa Veſpaſiano ab Othone ultio ut heredi & amico. Soliti Romani ultionem mortis ſuæ mandare amico, aut heredi, ut Germanicus apud C. Tacitum Annali II. quique non ulciſcitur injuriam mortui heres, jure civili habitus indignus hereditate: ut l. IX. C. De his quæ ut indign. Paulli Sentent. Tit. v. lib. III. Hinc etiam filii conqueſtio apud Attium in Epigon. ex quo Marcellus profert in *Ulſo.* Sic enim legendum ibi, non ut perverſe ſcriptum eſt, *Ullo.* Ejuſdem modi Francorum jus apud Aimon. Monach. Hiſtor. Francor. c. XXVIII. lib. IV. Non diſſimiliter quoque ſenatuſconſultum Silanianum de ultione domini. Ridicule autem hoc loco in Beroaldum eunt Animadverſiones.

Licinius Mucianus.] C. Tacitus lib. I. Hiſtor.

Ille depoſita ſimultate.] Tacitus Hiſtor. lib. II.

Syriacum promiſit exercitum.] Idem lib. I. Hiſtoriar. & II.

Hic XL. *millia ſagittariorum.*] Idem lib. IV. Hiſtoriar.

CAPUT VII.

Ut clauſtra Ægypti obtineret.] Clauſtra Ægypti, duo Nili oſtia, Parætonium & Peluſiacum, urbeſque ad ea munitæ, ſive ut locuti aliqui, *firmitates*, quod hodieque in Gallico ſermone verbum eſt. Hæc itaque L. Florus c. XI. lib. V. *Ægypti cornua* vocat, C. Suetonius nunc, & Tacitus lib. II. Hiſtor. *clauſtra Ægypti.* Eademque *clauſtra annonæ* C. Taciti lib. III. Hiſtoriar. Hæc quanti ad victoriam momenti Veſpaſiano, aut cuivis imperium petenti, patet narratione Taciti Annali II. Dionis lib. LII. Suetonii Julio c. XXXV. Joſephi Exſcidii c. XXXVII. lib. IV. Obtinentibus enim clauſtra illa facile Romanis indicere famem. Eaque ratio, cur Auguſtus, & alii deinde Principes non ſenatorem aut equitem laticlavium, ſed tantum equitem præfecere, ut res notiſſima eſt. Hic præfectus prætorio Auguſtali lib. II. C. De offic. præf. Auguſt. ubi delent aliqui, ut Cujacius Obſerv. XXI. lib. VIII. nomen *prætorio.* Sed non neceſſe delere. nam etiam l. VII. C. Theod. de contrah. emt. quæ Gratiani eſt, reſcripta eſt, ad Remegium P. F. P. Auguſtalem. Et l. VIII. C. De diverſ. reſcr. Arcadii eſt ad Remegium P. F. P. AUG. Alius quoque, P. P. P. P. P. *Super. Præfectus Prætorii per provinciam Pannoniam ſuperiorem*, in vetere inſcriptione. Et in aliis quoque alii.

Baſi-

Baſilides obtuliſſe viſus eſt.] Multiplici omine. Primum ipſo Baſilidis nomine, deinde quia ſacerdos Dei Carmeli, cujus ſortibus confirmatum jam Veſpaſiano imperium; præterea quia divinitus offert, poſtremo quia *verbenas*, *coronas*, *panificia* offert.

Recte autem Lævinus Torrentius delet liberti nomen, ut patet C. Taciti lib. IV. Hiſtor. Aut forte an παρόραμα hoc Suetonii eſt, ut etiam alia infra hoc capite, ubi de miraculis. Et ſupra c. VI. Ubi de *idib. Julii*, &c. eodem, ubi de *reddenda ratione*. Et ſupra c. IV. ubi de *duabus legionibus*.

Ut ſcilicet inopinato.] Lævinus Torrentius, *ut ſolet inopinato*. Sed vulgaris lectio melior.

Ex plebe quidam.] *Plebe* nimirum Alexandrina, ut narrat C. Tacitus lib. IV. Hiſtor. Et Dio in Veſpaſiano.

Crebræ vero ejuſmodi Principum admirandæ curationes in hiſtoriis, ut Pyrrhi regis apud C. Plinium c. II. lib. VII. Plutarchum in Pyrrho. Hadriani apud Ælium Spartianum, Alexandri M. aliorum apud alios. Hæc dæmonum præſtigiis fieri cenſuere aliqui, alii ad Dei providentiam regnis atque imperiis peculiariter conſulentem retulere: Principes enim Chriſti domino Deo, ut Eſaiæ c. XLV.

Item alius debili crure.] Aliter C. Tacitus, nempe *alius manu æger*, &c. Similiterque Dio, ἐκ ἀρτίχειϛ.

Demonſtratam a Serapide per quietem.] *Quietem* intelligi vult incubantium, ſive captantium in ſomnis oraculum Serapidis. De incubandi, & caſtus ſive jejunii præcurſione, atque id genus aliis ritibus Cicero I. de Divin. Geographus lib. XVI. Pauſanias Laconicis, Tertullianus c. XXVII. de Anima.

Ejuſdem vero Dei numina Serapis atque Æſculapius, ut arbitrati plerique. C. Tacitus lib. IV. Hiſtor. De incubationib. vero in Æſculapii fanis Geographus lib. VIII. Suetonius Claudii c. XXV. Arnobius lib. I.

Reſtituturum oculos, ſi inſpuiſſet.] Καί τοι δάκνω γ' ἐμαυτὸν, ἀλλ' ὁμῶς γελῶ. *& labra mordeo mi ipſe, & rideo tamen*, inquit apud Ariſtophanem ille. Hoc mihi nunc uſu venit, legenti animadverſionem ad hunc locum. Opportunior declamitatio fuiſſet, ſalivam jejuni hominis ſemper loco amuleti habitam, ſive rem morbis amoliendis efficacem, ut *veneno ſerpentum*, *morbo comitiali*, *faſcinationi*, *furunculis*, *licheni*, *lepræ*, *lippitudini*, *carcinomati*, *cervicis dolori*, *aurium dolori ex animali in auricula*, & id genus aliis plurimis, quæ recenſet C. Plinius c. IV. lib. XXVIII. Hinc itaque ſomnium illud a Serapide inmiſſum de ſaliva.

Palam pro concione utrumque tentavit.] Admonent Animadverſiones in hunc locum notabile eſſe, accipi nunc a C. Suetonio *concionem* pro *quavis multitudine adſtante*, &c. Diſtinguit quidem ſic Tullius in Bruto *concionem* & *coronam*, ut *concio* ſit pro roſtris, *corona* in judiciis: atque ita nunc Suetonius *coronam* dicere debuiſſet. Verum tamen etiam pro quavis multitudine & populo concionem alii dixere, ut Lucretius lib. VI.

Verum aliquid genere eſſe ex hoc, quod concio dicat. Similiterque *concio* in loco illo L. Senecæ vexato a Criticis c. XXIII. lib. II. de Benefic. *Ita accipienti adhibenda concio eſt*, &c. Etenim proprie quidem concio, ἐκκλησία: ſed communiter etiam quævis multitudo audiens, ut nunc corona circum tribunal Veſpaſiani.

CAP. VIII.

Acto de Judæis triumpho.] Narrat hunc triumphum Joſephus Exſcidii c. XVI. & deinceps lib. VII. & tangit Dio in Veſpaſiano.

Ex triumpho tamen illo Judaici cognomentum repudiavit, ut ignobile & infame. Dio ibidem. Sic magnus Princeps Aurelianus Carpis populis devictis, *Carpicum* ſe dici noluit, ut eſt apud Vopiſcum.

Conſulatus VIII. *veteri addidit.*] Veterem vocat, quia primus ille conſulatus ejus annis ipſis XIX. ante ſecundum. Primo autem illo ſive vetere conſulatu ſuffectus conſul Veſpaſianus ex Kal. Novembr. Suetonius ſupra c. IV. & Domitiani c. I. Suffectus autem, ut alii numerant, Scipioni Orfito Cos. ut alii, Salvio Othoni.

Signanter autem dictum a Suetonio, *addidit*. intelligi enim vult addidiſſe jure ſuo, ut Imperatorem.

Suſcepit & cenſuram.] Suſcepit *cenſuram perpetuam* Cos. iterum ſive ſecundo ſuo conſulatu, & Titi primo; ſed condidit luſtrum cenſor cum Tito filio Cos. ipſe V. & Tito III. C. Plinius c. V. lib. III. c. XLIX. lib. VII. & alias non ſemel. Julius Cenſorinus de Die natali c. XII. Jul. Capitolinus principio Marci. Peccat Onufrius in Faſtis, qui luſtrum Veſpaſiani refert in annum DCCCVII. De perpetua vero cenſura dixi ad Titum C. Suetonii c. VI. Sic itaque in nummis quoque antiquis, *Veſpaſianus Cos.* IV. *& Cenſor*: & inſcriptionibus antiquis, *Veſpaſianus Cos.* VIII. *& Cenſor. Veſpaſianus Cos.* VIII. *& Cenſor. Veſpaſianus Cos.* VIII. *Deſ.* IX. *Cenſor.*

Litteraſque revocavit.] Non diſſimilis ſeveritas Auguſti, qui *legato conſulari ſucceſſorem dedit, quod ixi pro ipſi, manu ejus ſcriptum animadvertiſſet*, Suetonii c. LXXXVIII. Ubi cur legatus ille ita ſcripſerit, quærunt Animadverſiones, & rationem reddunt, quia tunc nova *x* littera, itaque adfectari ſolitam. Sed verius, negligentiæ id commiſſum.

miſſum aut imperitia, atque inde offenſionem Auguſto natam. Etſi forte verior alia cauſa latens, hic autem color quæſitus dandi ſucceſſorem.

Claſſiarios vero, qui ab Oſtia & Puteolis.] Claſſes populi Romani maritimæ VI. Duæ majores ſive prætoriæ, *Miſenenſis* & *Ravennas*, Sueton. Auguſti c. XLIX. C. Tacitus Annali IV. Renatus Vegetius c. XXXI. lib. IV. Duæ minores, una Galliæ in portu & colonia Galliæ Narbonenſis, Foro Julio, Geographus lib. IV. C. Tacitus Annali IV. Hinc C. Plinii c. IV. lib. III. Forum Julium *Octavianorum colonia*, & *Pacenſis* & *Claſſica*: altera Ponti, C. Tacitus lib. II. Hiſtor. Joſephus Excidii lib. II. His tertiam hic C. Suetonii locus adjungere videtur, *Oſtienſem* aut *Puteolanam*. Oſtia *navale Romæ*. Geographus lib. V. ἐπίνειον τῆς Ῥώμης. Puteoli ſive Dicæarchia olim *navale Cumanorum*, ἐπίνειον Κυμαίων. Geographus lib. eod. Hæc itaque proprie olim claſſis urbis Romæ in oſtio Tiberis, ad tutelam videlicet urbis & annonæ.

Claſſiarii autem milites illi quidem maritimi, ſed minore in pretio, quam legionarii; unde apud C. Tacitum ſubinde claſſiarii *legionariam militiam* petunt ut honeſtiorem.

Petentes conſtitui ſibi aliquid calciarii nomine.] Penſionem aliquam pecuniæ in calcios. ut *legatum calciarii* l. propen. D. de Alim. leg. Sic *veſtiarium*, *cerarium*, *ſalarium*, *hordearium*, *unguentarium*, *linguarium*, *vaſarium*, *locarium*, *clavarium*. Neque diſſimilia *chartaticum*, *ſynodaticum*, & id genus alia, quæ alii notavere.

Et ex eo ita curſitant.] Non diſſimile illud eſt apud Jul. Capitolinum in Marco: *Cunabulis poſt puerorum lapſum, culcitras ſubjici juſſit, unde hodieque rete prætenditur*, &c.

Item Tracheam Ciliciam.] Cenſent Animadverſiones defendi poſſe illud: *Item Thraciam, Ciliciam*, &c. Fundus eis Eutropius, qui *Thraciam* nominavit. ſane ita Eutropius. Sed idem quoque *Tracheam Ciliciam*. Hoc itaque argumento eſt, Thraciæ nomen a librario intruſum, ſoliti librariis iteratione ex ſimilitudine vocabuli aliqua, ut in *Thraciam* & *Thracheam*. Pæanius Eutropii *ſubdiga*, ſive mavis *ſublingio*, geminavit errorem, & Thraciæ nomine poſito, & Tracheæ nomine omiſſo. Legendus Dio lib. LVIII. ubi de Antiocho rege. Suetonius Neronis c. XVIII.

Veteribus incendiis ac ruinis.] Obnoxia urbs Roma incendiis ac ruinis propter ædes ligneas, & parietes craticios, de quibus dixi ad legem XII. Tabull. c. XLIV. Hinc frequens ruinarum atque incendiorum mentio in libris.

Si poſſeſſores ceſſarent, cuicunque permiſit.] Galli Tranſalpini apud T. Livium fine lib. XXXIX. Romanis reſpondent, *Pœnam ſtatuendam eſſe his qui in alieno ſolo ædificant*, &c. Sed hoc quidem ita ille ex jure naturali ſive gentium: at jure civili ſive lege XII. Tabularum, & jure Prætorio, & jure conſtitutionum ſive jure novo, nulla propoſita pœna eſt inædificantibus in ſolo alieno. Et vero etiam qui mala fide inædificat tignis ſuis in ſolo alieno, tignorum tamen dominus manet, l. II. C. de Rei vind. Prærogativa nempe illa eſt ædificantium, quia expedit Reipubl. urbes ædificiis ornari, ut oſtendi ad legem XII. Tabull. c. LX. Theodoricus Italiæ rex apud Aurel. Caſſiodor. epiſt. XXIX. lib. III. *Confert*, inquit, *magnum Reip. munus, quiſquis diruta ſuſcipit reparanda.*

Ipſe reſtitutionem Capitolii adgreſſus.] Intellige Capitolii novi, quod regione urbis VIII. ſive regione Fori Romani: aliud vetus fuit regione urbis VI. ſive regione Circi Flaminii. De utroque P. Victor in topographia urbis, & Notitia Imperii. M. Varro lib. IV. de Ling. Lat. Martial. epigr. LXXII. lib. VII. De vetere autem etiam Valerius Max. c. IX. lib. IV. Novi Capitolii conditores Tarquinii reges Priſcus & Superbus, dedicator autem Horatius Pulvillus apud C. Plinium c. V. lib. III. C. Tacitum lib. III. Hiſtor. Veteris conditor Numa Pompilius apud Aurel. Caſſiodor. in Chronicis.

Reſtitutionem vero Capitolii novi, de qua nunc agit Suetonius, narrat quoque C. Tacitus lib. IV. Hiſtor. Dio in Veſpaſ. Tangit quoque C. Plinius c. XIX. lib. XII.

Fallitur Aurelius Victor, qui reparati a Veſpaſiano Capitolii dedicationem tribuit Domitiano. Capitolium Veſpaſiani patris incendio conſumtum erat ſub Tito. Titus deinde reparare adgreſſus eſt, Domitianus perfecit ac dedicavit. Patet Dionis Tito, Suetonii Tito c. VIII. Incendium illud erupit de terra, Dionis loco antedicto. Cujuſmodi quoque incendio templum Pacis conſumptum, de quo Herodianus in Commodo.

Ac ſuo collo quædam extulit.] Similiter apud Nicetam lib. V. Manuel Comnenus novæ Romæ Imper. Urbem Dorylæum inſtauraturus, Νωτοφορεῖν τοὺς λίθους ἀρξάμενος, οὕτω καὶ τοὺς ἄλλους ἠρρένωσεν. *Dorſo ipſe lapides ſuo ferre exorſus, alios ad opus animavit.*

Ærearumque tabularum, quæ ſimul conflagraverant.] Quæ fixa ad parietes Capitolii, ut Plauti Trinummo Sc. *Staſime* Tullii Philipp. II. & ſeq. Neque diſſimiliter moribus Græciæ leges fixæ ad parietem. Andocides Orat. de magiſteriis, Τοὺς δὲ, inquit, κυρωμένους τῶν νόμων ἀναγράφειν εἰς τὸν τοῖχον. *Leges populi ſuffragiis acceptas, ſcribere ad parietem.*

CAP. IX.

Fecit & nova opera, templum Pacis, &c.] Huiuſce

juſce templi conditorem primum Veſpaſianum etiam alii fecere, ut Joſephus Exſcidii c. XIX. lib. VII. Dio in Veſpaſ. Tangit quoque C. Plinius c. VIII. lib. XXIV. c. VII. lib. XXXVI. D. quoque Hieronymus, & alii. Solus, quod ſciam, Clemens Alexandrinus Stromat. lib. V. jam olim etiam a Numa Pompilio templum Paci & Fidei conſtructum fuiſſe, Ὁ μὲν, inquit, *βασιλεὺς Ῥωμαίων Νουμᾶς Πυθαγόρειος ὢν πρῶτος ἀνθρώπων ἁπάντων Πίστεος καὶ Εἰρήνης ἱερὸν ἱδρύσατο.* Id eſt, *Numa Romanorum rex, Pythagoræ inſtitutorum æmulus, primus omnium mortalium templum ſtatuit Fidei & Paci*, &c. Sed forte an hæc *Ara Pacis*, quæ in Aventino, XIII regione urbis. At Theodoretus orat. VIII. de Curatione Græcarum adfectionum, tradit, Veſpaſianum, ut etiam poſt Hadrianum, ipſos quoque ſibi tanquam Diis templa ſtruxiſſe, dum viverent. Ac Titi quidem Veſpaſiani A. templum P. Victor ponit VIII regione urbis ſive Fori Romani. Sed hoc Titi Veſpaſiani F. eſſe, non T. Veſpaſiani patris, arguit, quod Veſpaſiani templum illud alterum Theodoretus Veſpaſiano exſtincto etiam ipſum periſſe ait: ex quo etiam facere conjecturam licet, Domitiani templum illud potius fuiſſe, cujus mortui abolita Scto memoria.

Templum autem Pacis foro Romano fuiſſe proximum, patet Martial. Epigr. II. lib. I. & Herodiani lib. I.

In templo illo diſputationes haberi ſolitas, patet Galeni libro de ſuis libris, & lib. I. de Different. pulſuum, Trebellii Pollionis Victoria. Contiguaque huic templo bibliotheca. A. Gellius. c. ult. lib. V.

Divique Claudii Cælio monte.] De quo P. Victor, & Sex. Rufus in Topographia urbis IV regione, ſive templi Pacis.

Sed a Nerone funditus deſtructum] Invidente nempe divinationi, ſive ἀποθειώσει patris ſui Claudii. Nam quod ipſe Claudium in Deos adſcripſerat, id derididiculi cauſa factum ab eo, teſtis C. Plinius in Gratiarum actione, quæ ineptorum vulgo Panegyricus. *Dicaverat*, inquit, *tamen cœlo Claudium Nero, ſed ut irrideret.*

Item amphitheatrum urbe media.] Dixi ad ſpectacula Martial. epigr. II.

Ampliſſimos Ordines.] Juſtus Lipſius V. C. correxit: *Compererat Auguſtum ampliſſimum. Ordines & exhauſtos*, &c. Critica ille hoc quidem iratiſſima. Sed longe infelicius deinde alius Criticæ Deæ antiſtes *ampliſſimos ordines* mirifica transformatione & fabeilis Ovidii digniſſima mutavit in *ambos ordines.* Miſeret me C. Suetonii, qui tales plagas cogitur Spartana nobilitate concoquere. Atqui Cajus noſter *ampliſſimos ordines* intelligi vult ſenatorium & equeſtrem. Uterque Cajo *ampliſſimus*, quia uterque laticlavius. Senatorius totus laticlavius, equeſter in parte. Nam equitum alii laticlavii ſive inluſtres, alii anguſticlavii, ut res tritiſſima. Et vero ſenatorius & equeſter proprie ordines, propter dignitatem. Ordo ſenatorius quaſi meſſis dignitatum ipſa: equeſter tanquam ſementis aut ſeminarium, ut apud T. Livium lib. XLII. Alexandrum Severum in Lampridio. Plebejus proprie ordo non eſt, quia neque ulla dignitate: ſic ergo etiam Tullius de Haruſp. reſponſ. *gravitatem* dixit *ampliſſimorum ordinum.* Quocirca etiam C. Plinius c. I. lib. XXXIII. *Ordinibus populum* oppoſuit. *Si*, inquit, *populo reconciliaſſet ordines.* Solitus tamen Cicero etiam *plebejum* dicere *ordinem*, ut pro Murena & Philipp. II. ſed contemtim *ordinem infimum.*

Honeſtiſſimo quoque Italicorum ac prov. allecto.] Adlegit ergo gentes patricias Veſpaſianus. Ex earumque aliqua Trajani pater patricius apud C. Plinium in Gratiar. act. Ubi Trajanus *patricio & conſulari & triumphali patre genitus*, &c. Aurelius Victor: *Mille gentes patricias* a Veſpaſiano factas, *cum ducentas ægerrime reperiſſet.*

Civile faſque eſſe.] Civile conveniens civilitati, id eſt, æquæ libertati, ſive æqualitati civium. Sic uſus eo nomine Suetonius Tiberii c. XXVI. Ammian. Marcellin. principio lib. XV. & alii, ut infra dico ad Titi c. VI. Aliter Caſſiodorus epiſt. XVII. lib. IV. oppoſuit *bellum* & *civilitatem.*

Fas autem, quod jure licet. Gloſſæ: *Fas*, *θεμιτόν. Θεμιτὸν*, *licitum, fas, fandum.* Sic Ulpian. l. XIII. §. *Cum autem.* de His, qui not. inf. Pompon. l. II. §. *Populo.* de Orig. jur.

CAP. X.

Litium ſeries ubique major. in mod. excrev.] *Litium ſeriem* vult intelligi catalogum, ſive matriculam, ſive indicem litium, ſive, ut nunc loquelariter dicimus, *rotulam*, qui proprie *ordo* dictus olim. Accenſus nempe aliquis, adſtans prætori aut præſidi, vocabat lites ordine, ut quæque prior aut poſterior. Plane hoc Philo Herennius in Flaccum, agens de Lampone accenſo, Προεστὼς, inquit, *τοῖς ἡγεμόσιν ὁπότε δικάζοιντο, ὑπεμνηματίζετο τὰς δίκας, εἰσάγων, ὡς ἔχων τάξιν.* Corrige *ὡς εἶχον τάξιν.* Et interpretor: *Adſtans præſidibus cum jus dicerent, ſuggerebat eis lites, vocans eas, ut quæque ordinem haberet*, &c. id eſt, ut prior quæque aut poſterior eſſet. Tangit hunc ordinem quoque Servius ad Æneid. II. *In ordinem*, inquit, *dicebantur cauſæ propter multitudinem vel tumultum litigantium, cum erat annus*, &c. Corrigo: *In ordinem ducebantur*, &c.

nempe,

nempe, ſorte. Hinc illud Domit. Ulpiani l. IX. §. *Obſervare*. de Offic. Procos. *Procos. obſervare debere, ut ſit ordo aliquis poſtulantium*, &c. ubi & ratio adſcripta, cur litium ordo ille ſervandus, videlicet, ne aut *dignitas*, aut *improbitas* aliquorum, *obſtet mediocrium deſideriis.*

Similis ordo etiam Athenis, apud interpretem Ariſtophanis in Veſpaſ. Σανίδες, inquit, περιέχουσι τὰ ὀνόματα τῶν εἰσαχθησομένων εἰς τὸ δικαστήριον, ποῖον δεήσει πρῶτον εἰσαχθῆναι, καὶ κατὰ τάξιν. Hoc eſt, *Tabellæ continentes nomina eorum, qui introducendi in judicium, quem oporteat primum induci, & quem deinceps ordine.*

Ab ordine illo vitilitigatores & φιλόδικοι dicti *ordinarii homines*, nempe quod in ordine litium adſidui, ut apud Feſtum.

Sorte elegit, per quos rapta bello reſtituerentur.] Reciperatores nempe, quales ii, de quibus Gallus Ælius, ſive is C. Aquilius eſt, apud Feſtum in *Reciperatio*. Sed hoc intereſt, quod illi reciperatores jure gentium, hi jure civili. Per illos reciperatio inter peregrinos: per hos inter cives. Itaque ad exemplum illorum hos reciperatores ſorte elegit Veſpaſianus. Sic & ante Veſpaſiani adventum Mucianus elegerat. C. Tacitus lib. IV. Hiſtor, *Tum ſorte*, inquit, *ducti, per quos redderentur bello rapta*, &c.]

Quibus vix ſuffectura litigatorum ætas videbatur.] Cujuſmodi *lites immortales* l. XIII. C. de Judic. *Ne fiant*, inquit, *lites pæne immortales, & vitæ hominum modum excedant.* Eædem *lites in infinitum extenſæ* l. XVI. C. eod.

Extra ordinem dijudicarent.] Centumviri, judices ordinarii, adſeſſores, ſive conſeſſores, ſive conſiliarii prætoris in cauſis privatis, ut apud C. Plinium epiſt. XXI. lib. V. *Hoc facto*, inquit, *Nepotis commotus prætor, qui centumviralibus cauſis præſidet*, &c. ubi etiam prætor dimittit *centumviros*. Atque hinc conſeſſus eorum dictus *concilium*, ut apud Domit. Ulpian. l. II. D. de Offic. ejus cui mand. eſt juriſd. & C. Plinium epiſt. penult. lib. VI. Et centumviri ipſi, *judices privati*, Sueton. Claudii c. XIV. Extra ordinem ergo cauſis privatis Veſpaſianus judices dedit, ut lites minueret ac deoneraret partem aliquam litium a prætore ac centumviris in judices aliquos extraordinarios.

Differunt vero centumviri, decemviri, ſeptemviri. Centumviri omnes generatim, qui in concilio prætoris, X-viri quaſi præſides in decuriis, VII-viri ad certas cauſas. X-viri magiſtratus, ceteri C-viri privati, ut C. Suetonii Claudio c. XIV. & dixi ad Ciceronis libr. III. Legum. VII-viros vero ad certas cauſas intellige, ut teſtamentarias. Hinc Julii Paulli liber ſingularis de Septemviralibus judiciis, ut l. VII. XXVIII. XXXI. de Inoffic. teſtam. Male ad legem illam VII. & l. XIII. tit. eodem, correxere, De centumviralibus judiciis. In cauſis teſtamentariis apte convenienterque judices VII-viri, ut in teſtamento ipſo, VII teſtes, VII ſubſcriptiones, VII ſignacula.

Sed opponet forte aliquis: Petitio hereditatis eſt apud centumviros, ſive eſt centumvirale judicium l. ult. §. I. C. de Petit. hered. l. penult. D. de Liber. leg. Et querela inofficioſi eſt centumvirale judicium l. XIII. D. de Inoffic. teſtam. Puto diſtingui poſſe, generatim accepto judicii centumviralis nomine, quæ VII-viralia, eadem quoque centumviralia, ut petitio hereditatis, & accuſatio inofficioſi legibus antedictis: ſpeciatim vero & proprie petitio illa & accuſatio eſt judicii ſeptemviralis, ut ante dictum eſt. Quod autem apud C. Plinium epiſt. penult. lib. VI. actio inofficioſi eſt apud centumviros, id extra ordinem opinor eſt, ob cauſæ magnitudinem, propter quam judicium illud quadruplex, & ſedent centumviri CLXXX.

Redigerentque ad breviſſimum numerum.] Principis nimirum hæ partes, lites minuere. Recteque ita nunc Veſpaſianus, & poſt quoque Theodoſius Novel. Ne Duciani vel limit. milites. & Juſtinian. l. XIII. de Judic. & §. I. Inſtit. de Pœna tem. litig. etiam Philippus l. XC. de Tranſact.

CAP. XI.

Ut quæ ſe al. ſer. junxiſſet, ancilla haberetur.] Ejuſdem modi Sctum quoque Claudianum, apud C. Tacitum Annali XII. *Statuiturque*, inquit, *ut ignaro domino ad id prolapſa, in ſervitutem ſui conſenſiſſet, & qui nati eſſent, pro libertis haberentur*, &c. Vexatus hic locus a Criticis eſt, quia inſolens viſum illud *in ſervitutem ſui conſenſiſſet*, pro in ſervitutem ſui conſenſiſſe videretur, neque animadverſum, & pro *etium*, &c. ut ſi diceret, non ſolum mater, ſed etiam qui nati eſſent. &c. Juſtus autem Lipſius V. C. correxit: *Ut ignaro domino ad id prolapſa in ſervitute: ſi conſenſiſſet, pro liberta haberetur*, &c. Sed hoc quidem ipſo Claudii ſenſu refellitur. Voluit enim haud dubie natorum ex contubernio illo ſervitutem ad matris conditionem adjungere, neque liberos prætermittere, ſed & matrem domino illi tradere in ſervitutem, & natos ex ea vernas. idque patet l. I. & l. VI. C. Theodoſ. ad Sctum Claudian. ubi ſimiliter cum matris ſervitute conjungitur filiorum ſervitus, ex formula nempe Scti Claudiani. Codex autem Mirandulanus ſic legit: *Ut ignaro domino ad id prolapſa, ac ſi in ſervitutem ſui conſenſiſſet, ex ea qui nati eſſent, pro vernis haberentur*, &c. Eaque lectio ad Scti ſententiam rectiſſime convenit, ſed libere aut licenter potius interpolata eſt. Juſtus Lipſius tamen ſuam κρίσιν auctoritate V. C. Cujacii tuetur, qui Obſerv.

ſerv. XVI. lib. XXI. ait, Scto illo cautum fuiſſe, ut ſi conſentiente domino mulier ſe junxiſſet ſervo ejus, non ancilla, ſed liberta eſſet. Sed Cujacius non alio id argumento efficere poteſt quam ex Paulli Sententiis Tit. X. ad Sctum Orfitian. lib. IV. Sed de filia ibi, non de matre agitur; itaque nihil ad id, quo de nunc agitur. Aliud eſt matrem ex Scto, aliud filiam libertam fieri. Cujuſmodi caſus etiam l. III. C. Theodoſ. ad Sctum Claudian. Neque Suetonius nunc quicquam de matre liberta adjungit. Eadem vero ſententia Scti Claudiani, cum eo cujus auctor Veſpaſianus, neque novum Veſpaſiani hoc jus, ſed renovatum, oblitterato videlicet per bella civilia Scto Claudiano.

Ejuſdem autem modi quoque lex Danica olim, apud Saxonem Grammaticum Hiſtoriæ Danicæ lib. V. *Frothonem*, ſcilicet regem, *ſtatuiſſe, ut ſi libera conſenſiſſet in ſervum, ejus conditionem æquaret.*

Exigendi crediti.] Proprie dixit *crediti*. Credendi enim verbo uſus ſenatus. Nempe, Macedonem ſolitum *incertis nominibus pecuniam filiisf. credere* l. I. D. ad Sc. Macedon. Proprie ſcilicet *credi* pecunia dicitur. Quæ ſint autem *nomina certa, incerta, falſa, fallacia*, dixi ad Horatii epiſt. I. lib. II.

Hoc eſt, ne poſt patris quidem mortem.] Feneratores dare ſoliti pecunias fenori filiisfamiliarum, tali ſtipulatione, ut patre mortuo & fenus & ſortem ſolverent, videlicet, cum facti patresfam. aut ut fenus quidem ſolverent præſentarium, ſive idibus; ſortem vero ſive caput, patre mortuo. Peſſima itaque ſtipulatio illa, collata in mortem patris, invitans quodammodo filium, ut aut exſpectaret mortem patris, aut ne exſpectaret quidem l. I. §. I. D. de Scto Macedon. Paulli Sentent. Tit. X. lib. II. Similiter Claudius apud C. Tacitum Annali XI. *Claudius*, inquit, *lege lata ſævitiam creditorum coercuit, ne in mortem parentum pecunias filiisfam. fenori darent*, &c. Idem videlicet ſenatuſconſultum Claudianum & Macedonianum, ut recte Petr. Faber in Semeſtribus c. ult. lib. I. *Claudianum* ab auctore: *Macedonianum* ab eo, adverſus quem factum. Et quia bellis civilibus jam oblitteratum & evanidum Veſpaſianus vigori priſtino reſtituit, *Flavianum* quoque dixeris. Non diſſimilis lex in Capitulariis Caroli M. c. CCXXV. lib. VII. ubi nomine pecuniæ, accipiendæ quoque res aliæ, creditæ filiofam. in fraudem legis, ut eſt quoque l. III. §. *Is autem* D. de Sc. Macedon. Vetat enim quicquam credi *in fraudem* Scti. Neque diſſimile jus moribus Galliæ.

CAP. XII.

Et Patris patriæ adpellationem niſi ſero recepit.] Sic etiam Auguſtus *non niſi ſero recepit hanc adpellationem*, ut patet Suetonii c. LVIII. & in Faſtis. Etiam Nero Suetonii c. VIII. & Hadrianus apud Æl. Spartianum, Antoninus Pius apud eundem. Tiberius ne recepit quidem omnino, Suetonii c. XXVI. Sed paullatim conſuetudine receptum eſt, ut Principes omnes *patres patriæ* dicerentur, Dio lib. LIII. Unde illud Calliſtrati l. XIX. de Interdict. & releg. & in Baſilico: *Eſt enim Princeps pater patriæ.*

Nam conſuetudinem ſalutantes ſcrutandi.] Scrutandi conſuetudo illa regia olim, apud Plutarchum in Timoleonte, & in Dione apud Juſtinum lib. XXXVIII. ubi *mos* ille dicitur eſſe *regius*. Regium deinde hunc morem uſurpavit primus Romæ Auguſtus, cum ſenatum legeret, Suetonii c. XXXV. Poſt autem alii quoque nonnulli ut Claudius, Suetonii c. XXXV. etiam Nero, alii. Veſpaſianus deinde repudiavit, ſed poſt alii repetivere, ut Severus apud Æl. Spartianum.

CAP. XIII.

Cauſidicorum figuras.] Cujuſmodi Salvii Liberalis cauſidici *figura*, ſive aculeus ſive morſus figuratus, hoc ipſo capite in Veſpaſianum.

Figuras nempe Cajus noſter intelligi vult, quos Macrob. Saturnal. c. III. lib. VII. *morſus* vocat *figuratos*, Fabius c. II. lib. IX. *ſchemata*, Aurel. Victor in Veſpaſiano *oblique dicta*, Æl. Spartianus in Severo *dicta figurata*. At Eutropius parum recte *convicia*. Convicia enim aperte graſſantur, figuræ quaſi ex inſidiis ſive ſubſeſſis. Neque Suidas optime in Veſpaſiano σκώμματα ῥητόρων dixit. Nam ſcommata recta & aperta ſunt: figura tecta & obliqua, & quaſi cum velo eſt. Cujus modi *velum Lucilianum* apud Ciceronem epiſt. XI. lib. XVI. ad Attic. ubi male ſcriptum vulgo, *vallum Lucilianum*.

Fallitur, qui eaſdem apud Herodianum lib. IV. cenſet nominari quoque ὑπογραφάς. Nam ibi ὑπογραφαὶ ſunt, quas auctor ad Herenn. lib. VI. *notiones* vocat, Theophraſtus *characteres*. Et quidem tria ibi apud Herodianum illa differunt, σκώμματα, ὑπογραφαὶ, παιδιαί. *Scommata* ſive *cavillationes*, & *notiones*, & *luſus*. Scommata breviter dicta, notiones longæ, luſus hilaritatis. Scommata vero & notiones etiam ſerio dici poſſunt. Horum nihil eſt proprie, quod nunc Suetonius *figuram* vocat. Herodiani verba ſunt, de Alexandrinis: Πεφύκασι δέ πως εἶναι φιλοσκώμμονες, καὶ λέγειν εὐστόχως ὑπογραφάς, ἢ παιδιάς.

Soliti autem Romæ cauſidici etiam cauſæ ſuæ diſpendio, intemperantia linguæ provecti, in judices

dices quoque ipſos velitari ſubinde, ut queritur Fabius c. I. lib. IV. Neque temere Ulpianus l. IX. §. II. de Offic. Procoſ. *Circa advocatos*, inquit, *patientem Procos. eſſe oportere, ſed ingenio, ne contemtibilis videatur.* Neque recte forte illo §. ſcriptum eſt: *Si quos cauſarum concinnatores vel redemtores deprehendit*, &c. Ulpianus non ſemel antiquarius eſt, & qualis apud Athenæum ille ὀνοματοθήρας, & hoc etiam loco non tam priſce quam ſignanter dixiſſe videtur *contionatores*, aut *cu ctionatores*, aut *cocionatores*, & intelligi voluiſſe arrilatores ſive cociones, ſive μεταβόλους litium, qui Cic. Divinat. in Verrem, *mercatores litium.* dixeris quoque *moratores litium* ex Tullii orat. eadem: *Niſi forte*, inquit, *ex illo grege moratorum.* Cocionatores ſive moratores litium, qui moras nectunt in judicio, ut cocionatores in auctione. *Barguigneurs.* Eleganter Fabius ille ſive quis alius eſt Declamat. XII. *Vendidit*, inquit, *quantum voluit, quanti voluit, & ut hoc ad noſtras accederet moras, fortaſſe diu concionatus eſt*, &c. Corrige *contionatus eſt* aut *cunctionatus eſt*, aut *cocionatus eſt.* Manifeſtaria fruſtratione aliqui negant cociones, & cocionatores a *cunctando* dictos, & ipſi a *coquendo* eſſe voluere.

Ac Philoſophor. contumaciam leniſſime tulit.] Philoſophorum vitium peculiare contumacia ſive αὐθάδεια adverſus Principem & magiſtratus. Stoici eximii eo in genere & Cynici, ut plurimorum exemplis fides fieri facillime poteſt. Hinc philoſophi Romæ in odio. Contumaces vero in Veſpaſianum philoſophi, Hoſtilius Stoicus, & Demetrius Cynicus, Dio in Veſpaſiano. quos tamen ſic leniter tulit Veſpaſianus, ut in inſulam relegarit utrumque, Dio ibidem. Denique etiam a Minuciano perſuaſus philoſophos omnes urbe expulit. Ergo cum Suetonius nunc dicit *leniſſime tuliſſe*, intellige, tuliſſe aliquamdiu. Eſt vero *contumacia* proprie contemtus eorum, quibus obſequium debetur. Itaque opponitur *contumaciæ obſequium*, ut l. II. D. de Re judic.

Notæ impudicitiæ.] Signanter dixit, *non impudicum*, ſed *notæ impudicitiæ.* Nam proprie infamem facit *nota impudicitia.* Itaque tales impudici, ut infames vetiti poſtulare, ut eſt apud Domit. Ulpian. l. I. §. VI. de Poſtul. Eoſdem Attica lex vetat ἀγορεύειν ſive *concionari*, ut auctor Demoſth. contra Androtionem, & ibi Ulpianus. Suidas in Ἔνδειξις, & in Δοκιμασίαν, & in Ἐπαγγεῖλαι. Vetiti etiam Jure Attico ſacra limina intrare. Demoſthenes orat. eadem, & contra Timocratem.

Hactenus retaxare ſuſtinuit.] *Taxare* eſt convicio figurave perſtringere, unde ſcænici olim, *taxatores* dicti, ut eſt apud Feſtum. Hoc M. Varronis Modio apud Marcell. *pungere: Si te pupugit hic modo ſcænatilis.*

Quid ad Cæſarem, ſi.] Morſus figuratus in Veſpaſianum illius cauſidici, quaſi bona Hipparchi divitis inhiantem: ſed Cæſar accepit quaſi dictum ſine figura. Soliti Romæ plerique Principes divitibus invidere. Hinc laus illa Alexandri apud Lampridium: *Divitiis nullius invidit, pauperes juvit*, &c.

Obvium ſibi poſt damnationem.] *Poſt damnationem*, videlicet interea, dum exſpectatur tempus avehendi hunc moloſſum in inſulam. Eo tempore oblatranti miſit Veſpaſianus, qui diceret, *Tu quidem nihil non facis, ut te occidam; ſed ego canem mihi oblatrantem non interficio.* Dio in Veſpaſiano: Σὺ μὲν πάντα ποιεῖς, ἵνα σε ἀποκτείνω, ἐγὼ δὲ κύνα ὑλακτοῦντα οὐ φονεύω, &c. Mora videlicet intercedebat poſt damnationem aliqua, dum locatur exportandus. M. Seneca Controverſ. VI. lib. IX. *Cum ſciret in exſilium exportandos locari ſolere*, &c.

Satis habuit Canem adpellare.] Convicium eſt militare *Canis.* Evanthius Interpres Terentii. Sed leve, & vix convicium eſt in ἀπλοκύνα Cynicum profeſſione. Nam Cynici etiam populariter dicti *Canes*, ut apud Laert. in Diogene, & Menedemo, Ælian. Variis c. XXX. lib. XIV. Martial. epigr. LIII. lib. IX. Antiſthenes vero Cynicus ἁπλοκύων apud Laert. & M. Favonius Stoicus apud Plutarch. in Bruto, hoc eſt, nihil aliud quam canis, ſive non melitæus, non venaticus, non paſtoritius, nec quicquam aliud, ſed hoc tantum, quod canis.

CAP. XIV.

Minime memor exſecutorve.] Ab interpunctione male habet hic locus. Nam vulgo eſt, *minime memor exſecutorve, Vitellii hoſtis ſui*, &c. Eſſe debet, *minime memor exſecutorve. Vitellii hoſtis ſui*, &c.

Dotavit etiam atque inſtruxit.] Recte junxit *dotare* & *inſtruere.* Nam pater aut extraneus qui dotem dabat, ſolitus quoque dare ornamenta, ſive inſtruere. Terent. Heautontim: *Pro ornamentis minæ decem, dotis talenta duo.*
Dari ſolita ornamenta illa, ut ſponſa nuptiali die honeſtius ad virum deduceretur, unde Ulpianus l. V. §. *Interdum.* Commodati. *Si quis*, inquit, *ſponſæ forte ſuæ vel uxori commodavit, quo honeſtius culta ad ſe deduceretur*, &c.

Quidam ex officio admiſſionis.] *Quidam*, ille Phœbus, Neronis libertus apud Dionem.
Quendam autem *ex officio admiſſionis* Suetonius dixit, pro quodam admiſſionali. Corpus ipſum &c. quaſi collegium admiſſionalium vocavere officium.

cium admiſſionis, ut nunc Suetonius, aut *officium admiſſionum* ut l. II. C. de Privileg. eor. qui in ſacro palat. milit. aut *officium admiſſionalium* ut l. ult. C. de Diverſ. offic. In officio illo triplex genus admiſſionalium. Primus omnium & quaſi princeps admiſſionalium eſt *magiſter admiſſionum*, qui admiſſionalibus præerat ceteris. Ejuſmodi Liburnus, Juvenalis Satyra IV. ubi Gloſſæ veteres, *Liburnum* illum *admiſſionalibus præfuiſſe*, &c. Sic *magiſter admiſſionum* Vopiſco in Aureliano, Marcellino lib. XV. Proxima huic erat dignitate is, qui *proximus admiſſionum* dicebatur, ut Amm. Marcellini lib. XXII. Ceteri deinde ſimpliciter *Admiſſionales.*

Admiſſionalibus autem partita fuere admiſſionum officia, ſive ut alii aliis in cauſis ac negotiis ad Principem admitterent. Argumento eſt, quod apud Herenn. Philonem libro de Legatione ad Cajum, *Homilus legationum eſt admiſſionalis*, ſive ἐπὶ τῶν πρεσβειῶν.

Habuere autem ad exemplum Principis, etiam privati proceres aliquos admiſſionales, libertos ſuos, ut C. Plinii c. III. lib. XXIII. ut imitati quoque albatos ejus miniſtros, Sueton. Domitiani c. XII. & curſores albatos, Vopiſci Aureliano. Marcus quidem hujuſmodi imitationem etiam *permiſit claris viris*, Capitolinus in Marco.

Abire Morboniam juſſerat.] Dixerat forte Phœbus ille Græcanice, Ἔῤῥ' εἰς Μακαρίαν, *Apage te in Macariam.* De qua formula interpres Ariſtophanis in Equites. Vis eadem quæ illius Plautinæ in Patruo: *Cape reſtim ac ſuſpende te:* aut illius in teſtamento Grunnii Porcelli: *Liget ſibi collum de reſte.*

Morboniam retinere volenti, accipienda Anticyra, quæ tunc forte dicta *Morbonia*, quod veratro egentes ac morboſi eo navigarent. Quaſi dixerit Phœbus ille Veſpaſiano, ut ille Plauti Menechmis:

--- Non tu abis, quo dignus es:
Aut te piari jubes, homo inſaniſſime?

Inſanum Phœbus ille Veſpaſianum videri vult, qui non temperaverit ſibi a ſomno & diſceſſu, cum cantaret Nero. Non diſſimiliter Plutarch. lib. de communibus notitiis dixit: Ἐις τὴν τῶν ἐώλων καὶ ψυχρῶν ἀγορὰν παρεῖναι. *In forum inanium ac frigidorum*, id eſt, manium *ablegare.* Sed Hadrian. Turnebus cenſet, Morboniam eſſe oppidi alicujus nomen commentitium.

Tantum abſuit, ut monentibus amicis, &c.] Melius, *tantum abſuit: monentibus amicis*, &c. Stilus Caji gaudet ſcribere διάλυτα. Sic infra vulgo eſt, *inſuper Coſ. fecerit: ſpondens*, &c. Melius alii, *inſuper conſulem fecit ſpondens*, &c. Non obſervata familiaris Suetonio διάλυσις, locis plurimis fraudi fuit.

Cavendum eſſe Metium Pompoſianum.] De Pompoſiano, & geneſi ejus Imperatoria eſt quoque Domitiani c. X. & Dionis Veſpaſiano. Quod autem *geneſis* ſive *genitura* eſt D. Auguſtini c. II. lib. V. de Civit. Dei, C. Tacito eſt *hora genitalis*, Annali VI. Alia eſt *hora conceptionalis*, ſive alius *horoſcopus conceptionalis*, D. Auguſtini lib. eod. c. V.

CAP. XV.

Niſi abſente eo & ignaro.] Interea dum ipſe abeſt in Syria, & Romæ Ducianus quaſi regnum obtinet, inſcio Veſpaſiano, interfecti C. Calpurnius Piſo Galerianus, L. Piſo & alii proceres. Narrat C. Tacitus Hiſtoriar. lib. IV.

Omnibus edictis ſine honore.] Solti nempe Prætores aliique magiſtratus ordiri ab honorifica præfatione Imperatoris, ſive Imperatorem initio præfari.

Quam altercationibus inſolentiſſimis.] Tangit haſce altercationes Arrianus Epicteti c. II. lib. I. *Altercatio*, ἀψιμαχία. Gloſſæ.

Pæne in ordinem redactus.] Quaſi abrogato imperio. In ordinem cogitur, cui magiſtratus abrogatur, ut C. Plinii epiſt. XXIII. lib. I. epiſt. VI. lib. II. Magiſtratus extra ordinem eſt, ſive excellit. Extra ordinem eſt, ſcilicet, privatorum. Aliter Priſcianus, neque ſat recte c. XVIII. lib. XVIII.

Hunc quoque quamvis relegatum prius.] *Relegatus*, pro deportato. Deportare eſt relegare in inſulam. Sic *relegationem* pro deportatione dixit Ulpianus l. XI. de Teſtam. Calliſtratus l. XXVII. de pœnis. & *relegatum* pro deportato l. XVII. C. Theodoſ. eod. Gloſſæ: Ἐξορία ἐν νήσῳ, *Deportatio*, id eſt, *exſilium inſulæ*, ut *relegatio inſulæ*, Paulli Sentent. tit. V. lib. V.

Deinde & interfici juſſum.] Perſeverantem ſcilicet in contumacia. Ejuſmodi contumacia Agrippæ nepotis in Auguſtum, Suetonii c. LXV. Agrippinæ in Tiberium c. LIII.

Ritus autem ille mittendi percuſſores ad deportatorum cædem eſt Suetonii Cajo c. XXVIII. Neronis c. XXXV. Dionis Domitiano, Philonis Herennii Invectiva in Flaccum.

Niſi jam periiſſe falſo nunciatum eſſet.] Arte aulica, quali opprimitur etiam Meſſallina, C. Taciti Annali XI. Alii apud alios.

Juſtis ſuppliciis inlacrumavit etiam & ingemuit.] Elegans de tali adfectu Biantis Prienenſis vox apud Stobæum Serm. CLIV.

CAP. XVI.

Sola eſt, in qua merito culpetur.] Sed Dio excu-

ſat, culpamque confert in Licinnium Mucianum. Excuſavere quoque alii neceſſitate, ut Suetonius infra hoc ipſo capite dicturus eſt.

Auxiſſe tributa provinciis.] Ante *vectigalia* dixit, nunc *tributa*, ſed non abſque diſcrimine. *Vectigalia* intelligi vult, quæ ex portoriis ac mercibus: *tributa* vero ex agrorum fructibus, eaque crebra differentia in Jure civili. Ponit quoque aliam differentiam V. C. Cujacius Obſerv. IV. lib. VII. *Vectigalia* publicanis locari ſolita: *tributa* non item. Atqui Ulpianus l. 1. de Publicanis, ait, *publicanos etiam tributa conſequi*, id eſt, ſectari ac redimere.

Ut autem *vectigal* & *tributum* differt, ſic Dio lib. LIII diſtinguit πρόσοδον & φόρον. Φόρον a Dione intelligi tributum, patet ejuſdem lib. LII. Oratione Mæcenatis. Refert enim φόρον ad ἐπικαρπίαν ſive uſumfructum. Neque diſſimiliter quoque diſtinguitur τέλος & φόρος.

Negotiationes quoque vel privato pudendas.] Aliter aliis privatis negotiationes pudendæ, ut aliter ſenatori, aliter equiti, aliter plebi. Senatori omnis negotiatio pudenda, equiti negotiatio publicorum ſive vectigalium honeſtior, quam rei privatæ: plebejo turpe *coemere quod pluris poſtea diſtrahat*. In hoc ultimo genere Veſpaſiani negotiatio. Itaque turpis ei non tantum ut Principi, ſed etiam ut ſenatori, ut equiti, ut plebejo. Tullius 1. de Offic. *Sordidos* ejuſmodi vocat mercatores. Senatori quidem populi Rom. non turpe modo negotiari, ſed legibus quoque interdictum, videlicet, Claudia primum, deinde & Julia. Res in triviis notiſſima eſt. Conſtitutione autem Hadriani, vetiti quoque ſenatores publica conducere, Dio in Hadriano. At equiti honeſta illa negotiatio & propria quaſi functio: ſed iidem non multum ſoliti exercere in rebus privatis mercaturam. Equites itaque negotiatores, plebeji mercatores, ſenatores neutrum. Equites tamen negotiati quoque in re ſua, ut prædiorum ſuorum fructibus, quales αὐτοπῶλαι interpreti Ariſtophanis in Plutum. Hinc ergo etiam diſcrimen negotiatorum ac mercatorum, Ciceroni pro Pompejo & in Vatinium. Atque idem pro Pompejo, *abſentes* dixit, intelligens negotiatores, quia his domicilium & negotiatio in provincia: mercatoribus domicilium Romæ, mercatura in provinciis.

Reisve abſolutiones venditare.] Abſolutiones venales habere, per Cænidem concubinam. Dio. Sic C. Verri omnia venalia olim per Chelidonem. Cicero Verrina III. M. Antonio per Fulviam. Idem Philippicis.

Procuratorum rapaciſſ. quemque ad ampliora aſſic.] Hi procuratores Cæſaris, de quibus creberrima in Jure civili mentio. Iidem *curatores Cæſaris* Calliſtrato l. ult de Offic. procur. Cæſ. Ulpiano l. v. de Jure fiſci. Et in Gloſſis: *Curator* λογιστής. Iidem *rationales Cæſaris*, ut l. VIII. C. ubi Cauſæ fiſcal. Et in rubrica D. de Offic. proc. Cæſ. vel *rationalis*. Lamprid. in Alexandro, *procuratores, id eſt, rationales*: Iidem quoque *procuratores rei dominicæ* l. IX. de Jure fiſci.

Sed qui olim procuratores, ii dicti poſtea comites, factumque genus eorum triplex. Primum *comites ſacrarum largitionum*, qui olim procuratores fiſci. II. *comites patrimonii ſacri*, quibus cura menſæ Principis. Aurel. Caſſiod. epiſt. IX. lib. VI. epiſt. IV. lib. XII. Tertium genus *comites rerum privatarum*, quos primus inſtituit Severus apud Spartianum. Iidemque dicti *magiſtri æris*, & *privatæ rei rationales* l. unica C. de Annon. & capit. Et *magiſtri rei privatæ* l. v. C. Ubi cauſa ſtatus. l. II. C. Theodoſ. de Jure fiſci, Patrimonium Principis profectitium: res privata quaſi adventitium patrimonium, ut Spartiani loco quem dixi, Aurel. Caſſiodori epiſt. VIII. lib. VI.

Hoc itaque diſcrimen a Severo. Ante, patrimonium dicebatur, quæ poſt nominari cœpta *res privata*. Nam profectitium quidem patrimonium ſuum totum, plerumque ſoliti Principes elargiri principio ipſo imperii, ut apud Capitolin. in Antonino Pio, Suidam in Antonino, Dionem in fragmentis, Flavium Vopiſcum in Tacito, Petrum Chryſologum Sermone XXIII.

Imitari voluiſſe videntur Auguſtum, qui domum ſuam Palatinam publicavit, quod Pontifex max. eſſet. Dio lib. LIV. & ſeq. Itaque & M. Antoninus apud eundem: Ἡμεῖς γὰρ ἔφη πρὸς τὴν βουλὴν λέγων, οὕτως οὐδὲν ἴδιον ἔχομεν, ὥς τε καὶ ἐν τῇ ὑμετέρᾳ οἰκίᾳ οἰκοῦμεν. *Nos*, inquit, *verba faciens ad Senatum, adeo nihil habemus proprium, ut in veſtra etiam habitemus domo*, &c. Hinc etiam Nerva apud C. Plinium in Gratiar. act. *palatium* inſcripſerat *ædes publicas*. Pontifex quippe max. habitare debuit in publico, ut patet loco Dionis, quem citavi de Auguſto.

Dixi autem, *plerumque ſoliti Principes*, &c. Neque enim eſt ſine exceptione, ut Antonin. Pius *privatum patrimonium ſuum filiæ relinquit*; apud Capitolinum. Et tamen idem uxori dixerat, initio imperii: *Stulta, poſteaquam ad imperium tranſivimus, & illud quod habuimus ante, perdidimus.*

Ad ampliora denique *officia promovere*, intellige, ut ex ſpecialibus faceret provinciales ſive catholicos ſive catholicianos.

Quibus quidem pro ſpongiis dicebatur uti.] Sic populus Athenienſis apud Ariſtophanem Equitibus

tibus ait, ſe videre magiſtratuum furta, ſed diſſimulare, ut poſt cogat evomere,

> Τηρῶ γὰρ ἑκάϛοτ' αὐ-
> τὺς ὐδὲ δοκῶν ὁρᾶν
> κλέπτοντας· ἔπειτ' ἀναγ-
> κάζω πάλιν ἐξεμεῖν,
> ἅττ' ἂν κεκλόφωσί μυ.

Et Juſtinus Imper. apud Agathiam lib. IV. Joannis Afri furta diſſimulat ex ſtipulatu. Ejuſmodi ſpongia Ptolemæus dux, de quo Suidas.

Sed boni Principes plerumque procuratores ſuos a furtis coercuere, ut Marcus Imper. etiam puer apud Jul. Capitolin.

Negata ſibi gratuita libertate.] Neque enim ſoliti plerumque domini manumittere gratis, ſed ſervi dominis pecuniam offerre pro capite ſuo & ſtipulari libertatem, quæ res tritiſſima eſt, & patet cum aliis locis ſexcentis, tum L. Senecæ epiſt. LXXX. ubi male *comparaverunt*, pro *comparſerunt*. Imitatus enim Terentii locum ex Phormione Act. I. Sc. I. Tangitur quoque non ſemel hic ritus in Jure civili.

Sed heri benigni etiam gratis manumittere ſoliti propter merita, ut apud Terent. Andria, Sueton. de Inluſtribus Gramm. c. XVI. XVIII. XXIV. & de Claris Rhetoribus. c. III. & paſſim apud alios, aut propter ævitatem, qua de re Plutarch. Catone ſuperiore. Sperabat vetulus hic bubſequa talem propter ſenium a Veſpaſiano benignitatem: poſtquam ea ſpes decollavit, ultus eſt ſe joco in Veſpaſianum ut natura non *tenacem* ſed *pertinacem*.

Ad manubias & rapinas neceſſitate compulſum.] Similiter de Veſpaſiano Dio. Et quidem etiam alios pleroſque Principes, Reipubl. neceſſitas & fiſci ſubegit, ut pecuniæ ſtuderent. Ac plerumque prodigo perditoque Principi ſuccedit *parcipromus*, ac frugi, ut Avito Alexander Severus, de quo Lampridius, *Ad aurum*, inquit, *colligendum attentus, ad ſervandum cautus, ad inveniendum ſollicitus, ſed ſine cujuſquam exſcidio*, &c. Sic Aurelianus qui Gallieno ſucceſſit, de quo Amm. Marcellin. lib. XXX. Fridericus III. qui Sigiſmundo & Alberto, de quo Æneas Silvius c. XVI. De ſtatu Europæ, &c.

Sed ſubinde publica neceſſitas etiam velamentum, & tanquam ſiparium avaritiæ, ut Agrippinæ, de qua C. Tacitus Annali XII. *Cupido*, inquit, *auri immenſa obtentum habebat, quaſi ſubſidium regno pararetur*, &c. Similiter de Valentiano Amm. Marcellin. lib. XXX. De aliis alii.

Manubias porro Suetonius dixit, (reſpiciens ad Cæſaris procuratorem,) ſpoliationes: *rapinas* autem ad honores & ſententias venales. Veſpaſianus procuratores ſuos tanquam ſpongias exprimens, eis detrahebat quaſi manubias. Quippe, ut eſt in Gloſſis: *Manubiæ*, σκῦλα ἀπὸ ζώντων ἀφαιρύμενα, id eſt, *ſpolia viventibus detracta.* eaque de re Varro VII. de Ling. Lat. Cariſius lib. I. Aſcon. in III. Verrin. Alii.

CAP. XVII.

* *Explevit cenſum ſenatorum.*] Aliqui legunt: *Explevit cenſum ſenatorium*, &c. Idque accipiunt ita, quaſi poſt Auguſtum Veſpaſianus cenſum ſenatorium auxerit. Sed nihil a Caji mente alienius. Narrat Cajus noſter Veſpaſiani liberalitates. Non eſt autem liberalitas augere cenſum ſenatorium: ſed eſt liberalitas ſenatoribus qui egent, ſupplere quod ad cenſum legitimum deeſt, ne ordine moveantur a cenſore, aut cogat eos neceſſitas ultro latum clavum deponere. Atque ſic alii quoque plerique Principes munifici ſenatoribus, qui non ſuo, ſed fortunæ vitio inopes, ſive ut C. Tacitus dixerit, *quorum innoxia paupertas*, cenſum ſupplevere, ut Auguſtus apud Dionem lib. LIX. Καί τισι τῶν εὐβιύντων, ἐλάττω τότε μὲν τῶν δέκα, αὖθις δὲ τῶν πέντε καὶ εἴκοσι κεκτημένων, ἐχαρίσατο, ὅσον ἐνέδει. *Et nonnullis qui honeſti, minus habentes in bonis, quam vel tunc decem, vel poſtea v. & xx. myriadas, gratificatus eſt, quod eis ad cenſus ſenatorii ſummam deerat*, &c. *Tunc*, intellige ante ampliatum ab Auguſto cenſum: *poſtea* autem, poſt ampliationem. Sic Hadrianus Imper. apud Sparitanum: *Senatoribus, qui non vitio ſuo decoxerant, patrimonium ſenatoriæ profeſſionis explevit*, & quidem *pro liberorum modo*, &c. Aliqui etiam penſionibus & ſalariis juvere, ut Tiberius quanquam præfrigide, Suetonii c. XLVII. L. Senecæ c. VII. & ſequente lib. II. de Benefic. C. Tacit. Annali II. & Nero, ſed impenſius, Sueton. c. X.

Nec vero ſenatorius cenſus auctus a Veſpaſiano, ſed idem ſub Veſpaſiano fuit, qui tempore Auguſti, HS duodecies, ſive ad vulgi æſtimationem aureorum millia XXX. Patet Satyra Juvenal. XIV, quam ſub Veſpaſiano ſcriptam, indicio eſt illud:

> —— *Lucri bonus eſt odor ex re*
> *Qualibet.*

Tangit enim vectigal Judaicum e lotio, de quo infra c. XXIII. Satyra vero illa cenſus equeſter *quadringenta ſeſtertia*, is vero triplex ſenatori.

Sume, inquit, *duos equites, fac tertia quadringenta*: Ac Suetonio quidem ſenatorius cenſus *duodecies*, ut & Juvenali: ſed Dioni eſt *decies*. Nam libro LIV. non ſemel, cenſum ſenatorium auctum fuiſſe ait v. & xx. myriadas. Atqui hoc eſt *decies*, ut tradit Plutarchus in Antonio.

Juſtus

Juſtus Lipſius in Electis c. XVII. lib. II. ex Dione Suetonium corrigit. Sed hoc refellitur facile ex Juvenalis loco, quem dixi. Alii ex Suetonio Dionem corrigunt, ſed neque illi ſat correcte. Nam videtur Dio drachmas intelligi voluiſſe majores, Plutarchus minores. Atque ita Plutarchus deceptus *decies*, interpretatus eſſe pro *duodecies*.

Drachmarum aliæ Atticæ, aliæ Italicæ: ut *drachmæ Italicæ*, Appiani lib. IV. *drachma Attica* ejuſdem lib. II. & apud Jul. Pollucem lib. IX.

Conſulares inopes quingenis ſeſtert. ann. ſuſtentavit.] Sic Nero Suetonii c. X. *Senatorum nobiliſſimo cuique, ſed a re familiari deſtituto, annua ſalaria, & quibuſdam quingena conſtituit*, &c. Et apud C. Tacitum Annali XIIII. *Oblati a Nerone Valerio Meſſalæ conſuli in ſingulos annos quingena ſeſtertia.*

CAP. XVIII.

Primus e fiſco Latinis Græciſque rhetor. annua centena.] Ante jam ab Auguſto Verrius Flaccus grammaticus *HS. centena in annum acceperat*. Sueton. De inluſtrib. Gramm. c. XX. Sed hoc ita unus atque extra ordinem, aut potius ſine ordine profeſſionis, qui tunc nullus erat.

Optimi autem cujuſque Principis ſemper exſtitit præſtans liberalitas, ſive ut Cicero dixerit, *magnificentia liberalitatis* in profeſſores, tanquam *publicos*, ut Marci Imperatoris verbis dicam quæ Dio commemorat, *generis humani doctores*. In exemplum eſt Hadrianus apud Spartianum, Antoninus Pius apud Julium Capitolinum, Alexander Severus apud Lamprid.

Sub Marco rhetorum ſalaria drachmarum decem millia, Lucianus in Eunucho. Lucianus nempe Marci coævus, quemadmodum ipſe teſtis in Pſeudomante. Drachmarum autem decem millia, quaſi aurei CCCXXXIII. & regales IV. Drachma nempe quaſi regalis Ibericus. Sed Tatianus apologetico adverſus barbaros, ſuo tempore pleroſque in aureis ſexcentis ſalaria fuiſſe ait. Refertur autem Tatianus ad tempus imperantis Commodi. Ὥς τε, inquit, παρὰ τοῦ Ῥωμαίων βασιλέως ἐτησίους χρυσοῦς ἑξακοσίους λαμβάνειν τινὰς, εἰς οὐδὲν χρησίμους. ὅπως μὴ δὲ τὸ γένειον δωρεὰν καθήμενον αὐτῶν ἔχωσι. Hoc eſt, *Ita ut a Principe Romano annuos plerique philoſophi ſexcentos aureos accipiant, etſi nulla in re utiles. Ne vel barbam ſuam paſcant gratis*, &c. *Nulli rei utiles* intelligi vult, non docentes juventutem. Aurei vero ſive ſolidi Romani ſexcenti, noſtrates ſunt quaſi milleni centeni. Ejuſmodi ſalaria philoſophis cum propoſuiſſet pater Antoninus, perſeveravit ea ſcilicet dare filius, & videri poteſt etiam hæc inter cauſas fuiſſe famæ illius, qua M. Antoninus philoſophus adſperſus, quod *ſub philoſophorum ſpecie quidam rempubl. vexarent*, ut Capitolinus notavit in Marco.

Nulla vero cauſa eſt, cur aliqui, quod Eumenius rhetor in poſtulatione *pro Menianis*, ait, datum ſibi a Conſtantio *ſalarium in ſexcenis milibus numûm*, &c. corrigerent, *in ſexagenis milibus numûm*. Cauſam dicunt, quod ſexcena illa numûm millia, pro captu rhetorica profitentis nimia ſit. *Sexcena* enim *milia numûm* eſſe noſtratium aureorum millia quaſi XV. At ſexagena millia eſſe aureos quaſi MD. quæ mediocris munificentia. Atqui ſi cauſa inſpiciatur, ob quam datum ejuſmodi ſalarium, pateſcet nihil in eo nimium aut ſupra fidem eſſe. Nam adſignatum Eumenio eſt, non ſolum ut rhetori, verum etiam ut magiſtro memoriæ, ſive ut merita ejus compenſarentur, & revocatio ejus ex curſu honorum illo quaſi honore honeſtaretur.

Quin autem ſalarium illud grande fuerit, dubitare non poteſt cogitans, ſatis fuiſſe illud tantæ ſcholarum ædificationi.

Illa jam puerilis exerratio eſt putantis recte apud Eumenium legi *ſexcentis* aut *ſexcentenis*, pro *ſexcenis*. Ineptiæ vero illæ diſtinguentis *tercena* & *tricena*, cum differant *triceni* & *trigeni*, ut apud Agrætium. Quod denique ait Suetonius *Latinis Græciſque rhetoribus*, &c. dixeris quoque *rhetoribus & ſophiſtis*. Nam *rhetores* ſive *oratores*, qui Latine: *ſophiſtæ*, qui Græce docent rhetorica, ut l. unica C. De ſtud. liberal. urb. Romæ. Sic etiam l. III. C. Theodoſ. eod. illis *eloquentiæ Romanæ doctrina* tribuitur, his *facundia Græcitatis*. Hoc diſcrimine in Jure civili junguntur paſſim rhetores ac ſophiſtæ.

Præſtantes poetas nec non artifices coemit.] *Coemit* interpretati conduxit, quia, inquiunt, *emere* olim conducere, ut *miles emtitius* pro conductitio apud Feſtum, & *emere auxilia*, pro conducere apud Jul. Capitolin. in Marco. Sed interpretatio illa non uno modo exerrat. Primum, quia *emere* non eſt ſimpliciter conducere, ſed ſive magno conducere, ut locis antedictis. Sic enim qui conducit, quaſi emere videtur. Deinde, neque conduxit Veſpaſianus ita poetas & artifices, ſed emit plane poetas & artifices ſervos, ut eos deinde manumitteret ac libertos haberet, quæ multo impenſior liberalitas, quam conductionis. Poetæ plerique olim ſervi, ut Terentius, Syrus, alii: & Grammatici, ut Meliſſus, Palæmo & alii plerique apud Sueton. De inluſtrib. Grammat. c. XVI. & XXII. & apud alios.

Ejuſdem libri c. IV. *Lutatius Daphnides* grammaticus *ducentis milibus numûm Q. Catulo emtus, ac brevi manumiſſus*, &c. & mox. Hinc *Lenæus Meliſſus per cavillationem, eum πανὸς ἄγημα dixit*, &c. Corrigit Joſephus Scaliger δαπάνης ἄγημα.

Sed

Sed nihil certius, quam Suetonii ſtilo fuiſſe Δαπανίδης, captata cavillatione ex nominis paragrammate, Δαφνίδης, Δαπανίδης. Quaſi mater ei Δαπάνη ſive *Expenſa* : ut Λητοΐδης, cui mater Latona : Δαναΐδης, cui mater Danae ; Νιοβίδης, cui mater Niobe : eaque de re Etymologiſta in Ἀτρείδης. Non diſſimili joco dixeris in fucos Muſarum rodentes alvearia, *non Daphnidæ*, ſed *Dapanidæ*. Sic Hebræorum dialecto *filius pacis*, *filius potentiæ*, *filius perditionis*. Et Romana, Cajus *filius caſtrorum*, Suetonii c. XXII. & Græca, ἁμέρα παῖς ἁλίου Pindari Pythiis Oda II. *Dies filius Solis.*

Emebantur quoque artifices. Nam etiam hi plerumque ſervi, ut *topiarii*, *textores*, *tectores*, *notarii*, *medici*, & alii in Jure civili.

Summa vero Veſpaſiani in poëtas liberalitatis exemplum Salejus Baſſus, poeta eximius apud auctorem Dialogi de Oratoribus, qui una ejus donatione accepit *quingenta*, quæ aureorum quaſi millia XII. & inſuper quingenti.

Item coloſſi refectorem.] Interpretor hunc locum ad ſpectacula Martialis epigr. II.

Sineret ſe plebeculam paſcere.] Ut ſi dicere voluiſſet cum Tiberio, *Boni paſtoris eſſe tondere pecus, non deglubere*, ſive non exhaurire vectigalibus nimiis, ut Princeps facere cogitur, qui ſumtus nimios facit. Ad grandes ejuſmodi columnas, majore opus quoque ſtructura Capitolii ; hinc ſumtus quoque majores, propter quos non ſatis tondere eſſet. Profert Tiberii dictum Suetonius c. XXXII. Suetonius *deglubere* dixit, Dio idem dictum recitans lib. LV. ex eoque Zonaras, dixere ἀποξύρεσθαι, idque interpretes Latini reddidere, *deglubi*. Non rectiſſime. Neque enim ἀποξύρειν eſt *deglubere*, ſed ἐκδέρειν, ut recte in Gloſſis : *Deglubat*, ἐκδέρει. *Regluvo*, ἐκδέρω. Ἐκδέρω, *decorio*, *deglubo*. Putavere aliqui tamen ἀποξύρειν eſſe quoque *deglubere*, & κείρειν ſive *tondere* uſurpari quoque pro deglubere. Proferunt Maximi Tyrii locum ex Sermone XL. Καμβύσης δ᾽ ἦν καὶ αὖθις Ξέρξης ἐκ ποιμένων ἀγαθῶν, πονηροὶ λύκοι, κείροντες τὴν ἀγέλην, καὶ τῆς ἐπιστήμης ἀπεληλαμένοι. Hoc eſt, *Cambyſes etiam & deinde Xerxes de bonis paſtoribus, facti ſceleſti lupi, adtondentes gregem, & procul deviantes a ſcientia recte imperandi*, &c. κείρειν τὴν ἀγέλην illi eſſe arbitrati *gregem deglubere* ſive decoriare, longiſſime a ſenſu Maximi, qui κείρειν τὴν ἀγέλην voluit intelligi *adtondere* ſive minuere gregem. Ideoque Tyrius ille non dixit πρόβατα ſive oves, ſive pecus, ſed ἀγέλην ſive gregem. Cambyſes nempe & Xerxes *mali lupi* adtonderunt ſive minuerunt gregem, ut lupus minuit ſive adtondet, non autem tondet aut deglubit : at ovem ſive pecus deglubit. Sic κείρειν & ἀποκείρειν eleganter ſæpe Græci uſurpant. Epaminondas in epigrammate apud Pauſan. Bœot. Σπάρτη ἐκείρατο δόξαν. *Sparta gloriam ſuam adtonſa eſt.* Hoc eſt, deminuta ei gloria eſt. Tullius Latine Tuſcul. V. dixit, *Laus eſt adtonſa Laconum.* Demades orat. περὶ δωδεκαετείας· Ἀπέκειρε τὴν ἀκμὴν τῆς Σπάρτης ὁ Θηβαῖος. *Thebanus florem Spartæ ipſum adtondit*, hoc eſt, minuit.

Bene autem Dio Tiberii dictum expreſſit, præ quam Suetonius. Ὅτι, inquit, κείρεσθαί μου τὰ πρόβατα, ἀλλ᾽ οὐκ ἀποξύρεσθαι βούλομαι. *Tonderi oviculas meas non ſtrictim, ſed per pectinem volo.* Ad duplex tonſus ſive tonſuræ genus luſit Tiberius, unum *ſtrictim*, alterum *per pectinem*. Illud novacula fieri ſolitum : hoc autem forfice. Plautus Captiv. Sc. IV. *Sed utrum ſtrictim adtonſurum dicam eſſe, an per pectinem?* Sic *ſtringere novaculam* Martial. epigr. LX. lib. VII. Tondere novacula dici poteſt deglabrare, & calvitiem facere. Alia tonſuræ genera recenſet Interpres Ariſtophanis in Aves, σκάφιον καὶ κῆπον.

CAP. XIX.

Scena Marcelliani theatri dedicabatur.] De qua Suetonius Auguſti c. XXIX. P. Victor & Sex. Rufus in Topographia urbis, IX. regione ſive Circo Flaminio. Ovidius *marmoreum* vocat eleg. VII. lib. II. Amor.

Dedicari autem ſolita, ludorum ſcenicorum datione, editione, non ſolum theatra, ſed & templa, patet apud T. Livium in dedicatione templi Fortunæ lib. LII. Herodianum lib. V. ubi narratur de Avito, templum Solis dedicante.

Super plurimas coronas.] Hæ dictæ *coronæ ſcenicæ*, ut Suetonii Nerone c. LIII. Plinii c. VIII. lib. XXXIV.

Sed & conviv. adſidue, ac ſepius recte.] Melius fuerit, *ac ſæpius recta*, &c. ut in pleriſque libris eſt. Sic de Auguſto c. LXXIV. *Convivabatur adſidue, nec unquam niſi recta*, &c. *Recta*, nempe, cœna, ut *recta*, pro recta via. Contraria, *convivari recta*, & *dare* ſive *mittere ſportulas*, ut Neronis c. XVI. Domit. c. VII. & non ſemel apud Martialem, ut epigr. L. lib. II. &c.

Recta vero *cœna*, pro integra & ſportulis oppoſita, quaſi vera cœna oppoſita ſimulatæ. In rectis cœnis res ipſa, in ſportulis ſimulatio. Hinc *ſportularum*

tularum fabula Martiali epigr. XIV. lib. III. Attice itaque *recta cœna* pro vera. Sic enim Atticis ὀρθὸν pro vero & ſincero, ut Platoni, & aliis non ſemel. Aliqui putavere Luciano in Lapithis *rectam cœnam* eſſe τὸ ἐντελὲς δεῖπνον. Sed id verius ibi eſt caput ac flos ipſe cœnæ.

Dabat ſicut Saturnalibus apophoreta.] *Apophoreta* enim munuſcula Saturnalitia, ſive Saturnalibus ſive poſtremo Decembri menſe dari ſolita, ut ſtrenæ Kalendis ac deinceps ineunte Januario.

Convivalia tamen quoque apophoreta fuere aliqua, ut dixi ad Horatii Odam IV. lib. I.

Ita & per Kalendas Martii feminis.] Explico hunc locum ad Horatii Odam IV. lib. I.

Alexandrini Cybioſacten vocare perſev.] *Perſeveraverunt*, exorſi nempe in ſeditione primum excitata contra Veſpaſianum, de qua narratum eſt a Dione. De Cybioſacte Geographus lib. XVII. Dictus autem hac ipſa ratione Veſpaſianus σμικρῖνος apud Julianum in Satyra de Cæſaribus, quaſi *parvipromus* aut *parcipromus*.

Solita plebecula Principibus cognomenta facere, cum ex aliis vitiis, tum ex avaritiæ ſordibus vel inprimis. Sic Darius dictus a Perſis *caupo*. Eaque de re Themiſtius Orat. V. ex Herodoti lib. III. Antoninus Pius Imper. apud Dionem dictus κυμινοπρίστης, ſive *ſector cumini*. Pertinax Imper. apud Capitolinum *chreſtologus*, ſive re ipſa *pertinax*, *verbis largus ac munificus*, qualem dixeris quoque ex Suida προδοσίκομπον.

Favo Archimimus perſonam ejus ferens.] *Archimimi* & *archimimæ* differentes a pantomimis, ut patet inſcriptionibus antiquis. *Archimimus* nempe qui præfectus pantomimis.

In funeribus quidem mimi ſive ſaltatores proprie dicti *lentiones*. Gloſſæ: *Lentio*, ἐν τοῖς πένθεσιν ὀρχούμενος. Peccant, qui corrigunt ἐνωχούμενος. Fortean vero *lentiones* a lente, quæ in funeribus adhiberi ſolita, ut teſtis Plutarchus in Craſſo, Appianus in Parthic. Idemque ritus Judaicus apud D. Hieronymum ad Paullam, de obitu Bleſillæ. Aut *lentiones* a corpore lento & flexili.

Quanti funus & pompa conſtarent.] Ut ſi diceret, quanti funus & pompa locata eſſent. Ut enim operum, ſic etiam funerum, maxime indictivorum ac publicorum, Romæ locatio & conductio fuit, ſive redemtores aliqui erant, ſive conductores funerum. Eumque ritum Valerius Antias tangit apud A. Gellium c. IX. lib. VII. Plaut. Aulul. Sc. XVII. Horat. Oda XVIII. lib. II. L. Seneca epiſt. CI. ſive ut ego numero c. Apulejus Florid. II. *Adſpexit*, inquit, *in pomœriis civitatis funus ingens locatum*. Hæc redemtoris merces pars præcipua impenſæ funeris, quæ deducitur ante Falcidiam l. penult. De religioſ. l. VIII. §. ult. De legat. II. l. II. §. *Quod ſi*. De hered. vel act. vend. D. Paulli Sentent. Tit. ult. lib. I. Dixi *pars præcipua*. nam extra quoque mercedem illam ſumtus aliqui ſive impenſæ, ut l. XIV. §. *Funeris*. l. XXXVII. D. de Religioſ.

Centum ſibi HS. *darent.*] Sic libri omnes vulgarii. Atque hoc aliqui ſic interpretati ſunt: Vel centeſimam ſibi partem ejus ſummæ darent, quæ funeri deſtinata. Sed ne dubitari quidem poteſt, quin ſcripſerit C. Suetonius, *Centies ſibi* HS. *darent*. Imitatus enim archimimus procuratorum vocem, qui HS. *centies* dixerunt, reſpondit mimice verbis iiſdem *Centies ſibi* HS. *darent*, &c. *Centies ſibi ſeſtertium darent*, &c.

Centies mihi ſeſtertium date, ac vel me in Tiberim
projicite.

Optat *Tiberinus* fieri, dum centies illud accipiat, quæ ingens ſumma eſt.

Aliqui nimiam illam cenſuere ſummam eſſe. Quo argumento? Quia, inquiunt, Nero *funeratus impenſa ducentorum milium*. Suetonii c. L. Sed alia ibi ratio. Funeratur enim Nero ſumtu Seji, qui Galbæ libertus, ac pæne furtim, quippe *terræ odium*: Veſpaſianus & herede & gratia omnium florens, ac publice.

CAP. XX.

Vultu veluti nitentis.] Hinc Martiali natus jocus in Phœbum epigr. LXXXVIII. lib. III. *Utere lactucis*, &c.

Fauces ſibimet defricaret ad numerum.] Cornel. Celſus c. III. lib. IV. *Frictio cum omnibus in homine vertebris utilis ſit, tum iis præcipue, quæ in collo ſunt*, &c. De numero autem Celſus idem c. XIV. lib. II. repugnare videtur huic Veſpaſiani conſuetudini, neque repugnat tamen. Ait enim: *Non audiendos, qui numero frictiones finiunt, quia id ex viribus hominis colligendum ſit*, &c. Numerus nempe hic defrictionum ex viribus Veſpaſiani collectus.

In ſphæriſterio.] Solitus ſe *defricare in ſphæriſterio*, ut mox deinde balneo uteretur. In ſphæriſterio pila, aliove modo exercere ſoliti corpus ante balneum, ut Martial. epigr. CLXIII. lib. ult. Papinii lib. I. Silvar. in Balneo Hetruſci. Ergo etiam juncta balneis ſphæriſteria, aliaque gymnaſia, ut C. Plinii epiſt. VI. lib. V. epiſt. XVII. lib. II. Martial. epig. anted. Sic junctum quoque *ſphæriſterium hypocauſto*, Domit. Ulp. l. XVI. Mandati. Hypocauſtum quippe ad calfactionem aquæ balnearis. Vitruvius c. X. lib. V.

Inediamque unius diei.] Ἱπποκράτης ἀφορίζων, τὴν ἔνδειαν ἔφη ὑγιείας μητέρα. Hippocrates in Aphoriſmis, *Inediam eſſe*, ait, *bonæ valetudinis*

nis matrem. Syneſ. epiſt. cxv. legit hoc nempe in Aphoriſmis tunc Syneſius.

CAP. XXI.

Ordinem vitæ fere hunc tenuit.] *Ordinem vitæ tenere* nunc dixit, quod *diem diſponere*, in Tiberio c. XI. Similiterque C. Plinius epiſt. XXXVI. lib. IX At L. Seneca, *diem ordinare*, epiſt. XII. Et c., VII. De brevit. vitæ. Juvenal. vero Sat. I. *Diem diſtinguere ordine rerum*, id eſt, negotiorum. Ordinem illum Dio in Veſpaſiano, & in Severo *κατάςασιν τȢ̃ βίȢ* vocavit, ſive *ſtatum vitæ*. Lamprid. in Alexandro, *uſum vivendi*. Tali autem ordine ſive diſpoſitione, uſus quoque jam olim Xenocrates philoſophus. Stobæus Serm. CXXVI. *Ξενοκράτης*, inquit, *διαιρῶν ἕκαςον μέρος τῆς ἡμέρας εἰς πρᾶξίν τινα, καὶ τῇ σιωπῇ μέρος ἀπένεμε.* *Xenocrates cum ſuam cuique actioni partem diei diſtribueret, etiam ſilentio partem ſuam adtribuit.* Etiam Regum Ægypti ordo ejuſmodi, de quo Diodor. Siculus lib. I.

In Principatu maturius ſemper ac de nocte evigil.] Quaſi ex Jovis Homerici præcepto Iliade II. *Principi non eſſe noctem totam dormiendum.* Hoc Silius Italicus Latine ſic enunciavit, lib. III.

Turpe duci totam ſomno conſumere noctem, &c.
De præcepto illo etiam Plutarchus in vita Homeri, & libro ad Principem ineruditum. Theo Sophiſta in Progymnaſm. Sic Princeps *pervigili cogitatione* Theodoſius A. Novel. De Judæis. Et de vigilantia ejus Nicephorus c. III. lib. XIV.

Deinde perlectis epiſtolis.] Non matutinas ut Veſpaſianus, ſed pomeridianas huic lectioni operas dedit Alexander Severus, apud Lamprid.

Per lectiones vero epiſtolarum intellige nunc dictationem quoque & ſubſcriptionem. In his Principes uſi officio illorum, qui *magiſtri epiſtolarum*. Hos qui eoſdem faciunt magiſtris libellorum, & magiſtris memoriæ, hallucinantur, ut ad Trebellii Pollionis Claudium. Nituntur autem l. XI. C. De excuſ. muner. quæ eſt quoque l. XIV. C. Theod. De extraord. ſive ſord. munerib. Sed fraudi eis fuit interpunctio, quæ utrobique vitioſa eſt. legendum autem: *Eos qui cum honore comitum, nomine magiſtrorum, memoriæ præfuere, vel epiſtolis, vel libellis*, &c. Vulgo male eſt: *Eos qui cum honore comitum, nomine magiſtrorum memoriæ præfuere vel epiſtolis vel libellis*, &c. Diſtinguuntur autem ſæpe in Jure civili *magiſtri memoriæ, epiſtolarum, libellorum, diſpoſitionum*, ut l. VI. & paſſim C. De prox. ſacr. ſcrin.

Poſt deciſa negocia, geſtationi & inde quieti vacab.] Hoc A. Perſius Sat. V. dixit. *Opus & requiem diſponere.*

Unum opus & requiem pariter diſponimus ambo.
L. Seneca, *Diem inter otium & curas dividere* c. ult. de Tranquill. animi. ubi Aſinius Pollio decimam & undecimam, ſive duas ante ſolem occaſum horas tribuit quieti.

De geſtatione autem longiſſima hiſtoria, & cui locus propediem alius.

Accubante aliqua pallacarum, quas plurimas.] Signanter non dixit *concubinarum*, ſed *pallacarum*, ſive pellicum, ut indicaret, nihil contra jus civile factum a Veſpaſiano. Concubinas quippe multas habere nefas jure civili. Itaque Juſtinianus Novel. XVIII. c. V. *Ἄλλας ἐπ' ἄλλαις ἐπεισάγειν τῇ προτέρᾳ παλλακάς.* *ſuper alias, ſive alias priori ſuperinducere concubinas*, id eſſe ait, *ἐκκεχυμένα ἔχειν τὰ τῆς ἐπιθυμίας*, *effuſas habere ſive indomitas libidines*, *καὶ πλῆθος ἔχειν γυναικῶν πορνευομένων*, *& habere multitudinem uxorum ſcortantium.* *Γυναικῶν* interpretati Latine, *concubinarum*: melius dtxiſſent, *uxorum*. *Γυνὴ* pro uxore Attice, ut Latine *mulier*, quæ res notiſſima. *Concubinas* uxores vocat, quia concubina eſt quaſi *ſemi-uxor*, ſive *uxor ſemilegitima* ſive *ἡμίγαμος*, ut apud Philoſtratum in Scopeliano, Zonaram in Michaele Paphlagone, & Conſtantino gladiatore. Quocirca etiam l. III. C. De natural. lib. l. I. C. Theodoſ. de Collegiat. Concubinatus dicitur *inæquale conjugium. Inæquale*, videlicet quia patroni eſt cum liberta. Et Julianus anteceſſor Novel. XIII. *Concubina*, inquit, *uxorem imitatur.* Sed quia concubina proprie non eſt uxor, Juſtinianus d. Novel. XVIII. c. V. quaſi *ἐπιδιορθῶν* dixit, *ȣ̃τω γὰρ εἰπεῖν κάλλιον*, *ſic enim dicere præſtat.* Intelligi vult, ſic dicere ſatius eſſe, ut magis ponatur quaſi ante oculos turpitudo rei, ſive multitudinis concubinarum, quia ſit quaſi multitudo uxorum.

Sic itaque Cænis dum viveret, ſola Veſpaſiani concubina fuit, ac pæne juſtæ uxoris loco, ut dixi ad c. III. in locum vero defunctæ, deinde Veſpaſiano multæ non concubinæ, ſed pallacæ ſive pellices, ſive amicæ.

Pellex proprie concubina non eſt, ſed amica, ſive abſque ulla ſpecie uxoris, ſive non ſemi-uxor. Sic capienda l. CXLIV. De verb. ſign. Ergo diſcriminis cauſa nunc C. Suetonius Græca voce *pallacas* dixit, ut & C. Plinius c. X. lib. XXXV. Novæ Romæ Principes tamen pro concubina *pellicem* dixere, ut Juſtinianus d. Novel. XVIII. c. V. quia nempe alio deſtituti nomine. Ergo & in Gloſſis: *Παλλάκιον*, *Concubinatus.* Et, *Concubina*, *παλλακή.* Quæque ibidem adjunguntur, *σύνευνος*, *σύγκοιτις* communia quoque uxori.

Ac ſecreto in balneum tricliniumque tranſibat.] *Secreto*; accipe itinere cæco, quale apud Virgil. Æneide II.

Limen erat cæcæque fores, & pervius uſus, &c. Junxit autem *balneum* ac *triclinium*, quia, ut inquit Artemidorus, c. LVI. lib. I. τὸ βαλανεῖον ὁδὸς ἐπὶ τὴν τροφήν. *Balneum via ad cænam.* Sic apud Ciceronem Cæſariana III. Cæſar ex balneo tranſit in triclinium, ex triclinio in cubiculum. Hinc etiam illud Plutarchi lib. de Cura valetud. Aliquos ne guſtare quidem poſſe aliquid, niſi ante uſi balneo ſint, & putare aliquos, de hoc genere Titum fuiſſe Veſpaſiani F.

Eaque momenta magnopere captabant.] Sic captatæ manumiſſiones in tranſitu Prætoris l. VII. D. de Manum. vind.

CAP. XXII.

Et ſemper alias communiſſimus.] Hanc veram eſſe lectionem oſtendo ad Titi c. I. & falli eos, qui legunt *comiſſimus.*

Falluntur vero etiam illi neque perfunctorie, qui corrigunt, *& ſuper aleas.* Quam tamen ſibi lectionem aliqui mirifice placere ajunt: at Suetonio quidem certe nullo pacto placita eſt. Neque enim ſuper cœnam ſolum aut in alea, communiſſimum Veſpaſianum, ſed in omni vita intelligi vult. Quippe qui *joco tranſigere* ſolitus pleraque non ſolum ſuper cœnam, aut in alea, ſed & in negotiis *maximeque in deformibus lucris.* Infra c. ſeq.

Multa joco tranſigebat.] Hoc c. ſequente dixit, *cavillatione aliqua diluere transferreque ad ſales.* Dixi ad Horat. Sat. ult. lib. I.

Erat enim dicacitatis plurimæ.] Quæ Principi tamen parum decora, ut doceo ad Titi c. VIII.

Ut ne prætextatis quidem verbis abſtineret.] Prætextata verba impudica & obſcœna, ut apud Macrob. Saturnal. c. I. lib. II. Sic *prætextate*, id eſt, verbis obſcœnis, Prologo Captivor. Plautinæ, ubi perperam ſcriptum, *pertractate:* quod cum ego jam olim ſic notaviſſem, alii quoque poſt ligurivere. Eadem *Veneris vocabula* Varroni apud Marcellum, in *Acerbum. verba obſcœna* eidem apud eundem in *Redurare* & in *Obſcœnum.* Eadem *nupta verba*, apud Feſtum.

Plauſtra potius quam ploſtra dicenda.] Ratio illi Floro aliqua. Nempe, quia ruſticatim *ploſtrum* dixere olim: urbanatim *plauſtrum.* Ruſtici nempe *orum*, *oratam*, *oriculas*, pro *auro*, *aurata*, *auriculis* dixere. Feſtus in *Orata.* Hinc quoque alii Claudii, alii Clodii. Aliter de hoc diſcrimine pronunciationis Servius ad lib. II. & III. Georg. Diomedes c. IV. lib. I. Probus ad I. Georg. Priſcian. c. IV. lib. I.

Quaſi amore ſui deperiret.] In libris pleriſque abeſt *ſui*, ut Lævinus Torrentius notavit. Sed voluit Cajus noſter *ſui* pro ejus, ut Cicero uſus quoque Philipp. IV. Tibullus eleg. V. lib. II. & notavit Evanthius ad Terent.

Cùm perductæ HS. quadringenta donaſſet.] Sic legendum eſſe, docui ad Horatii Sat. V. lib. II. & oſtendi, aliud eſſe *perducere*, aliud *producere*: alios *perductores*, alios *productores.* Idem autem quod *perducere*, dicitur quoque interdum *adducere*, ut apud Cornel. Frontonem eſt. Dicitur quoque *deducere*, ut Suetonii Julio c. I.

Fruſtra vero eſt, qui in Animadverſis hunc locum ſic corrigi vellet, *cum perducta pro concubitu*, &c. Longe fallitur: videri enim vult non Veſpaſianum huic *adamatrici*, ſed ipſam Veſpaſiano dediſſe *quadringenta* illa HS, ſive aureorum quaſi millia decem. Dicit huic rei argumenta. Primum quia deparcus homo Veſpaſianus: deinde quia æquum bonum mulierem dare, quæ adpetivit; non virum, qui adpetitus. Potuit adjungere tertium, ſolitas ejuſmodi Venerias neptes ultro etiam largiri, ut Plauti milite, *Talentum Philippum* Sc. XIII. Sed argumentorum acies illa profligatur facillime. Quippe ridiculum eſt lupulam illam pro concubitu Principi Romano quadringenta offerre auſam, & veriſimilius, non tam *adamatum* a mœcha illa quam *adhamatum* Veſpaſianum. Quod autem ille de Veſpaſiano deparco, & id genus alia: nugæ. Largus quippe in amationes fuit, cui etiam pellices plurimæ ſupra c. XXI. & in cantores ſupra c. XIX. Sed illud peremtorium eſt, quod qui mœchillio huic tribuit hanc liberalitatem, omnem dicterii urbanitatem ac gratiam, & quaſi Veſpaſianum ex Veſpaſiano tollit. Omnis nempe in eo argutia, quod Veſpaſianus ſe ipſe in tabulis expenſi debitorem ſubſtituit a ſe ipſo, & debitorem pro adamatrice quaſi debitrice. Sic triplex urbanitas illa Veſpaſiani, & ut forte tetricior quiſpiam dixerit, *triſcurrium.* Primum quia in ſe ipſe luſit, ut puerum pulchellum, aut Venerium nepotulum: deinde quia in mœcham illam ut *adamatricem*, poſtremo in eandem ut *adhamatricem.* Videtur quoque Princeps dicax & ingenioſus ἀμφιλογίᾳ ludere voluiſſe in Veſpaſiano *adamato* & *adhamato.*

Adhamandi verbo uſus M. Cicero Academica II. ſi qua Marcello fides. Spes apud me illius hac in re, ut alias non ſemel, *ſubleſta* eſt *fides.* Etenim locus ipſe, quem profert, ſtat contra eum acerrime. Locus eſt ejuſmodi: *Qui enim ſerius honores adamaverunt, vix admittuntur ad eos, nec ſatis commendati multitudini poſſunt eſſe*, &c. Atqui ſi *adhamaviſſent* illi honores, admiſſi eſſent. Quippe *adhamare*, quaſi hamo capere eſt. Sed *adamaverunt* illi quidem, neque *adhamaverunt*, ſive capere voluerunt; nec valuerunt. Neque inepta vox tamen *adhamare.* Nam & C. Plinius *hamata munera* dixit epiſt. XXX. lib. IX. & apud Iſidor. in Gloſſis: *Hamatores, piſcatores.*

CAP. XXIII.

Ut de quodam proceræ ſtaturæ improbiuſque nato.]

Duplex

Duplex hujuſce hominis vitium C. Suetonius notat. Unum corporis, quod *enormi* ſivi abnormi *proceritate*, cujuſmodi etiam in Vitellio Cajus noſter notavit c. XVII. *Erat*, inquit, *in eo enormis proceritas*, &c. Alterum animi, quod *improbius natus*, ſive natura improbus, id eſt, impudens. Intelligi Veſpaſianus voluit, muſcam illam aulicam petitionis impudentia geminam germanam eſſe muſcæ Homericæ, Iliade XVII.

Ἥτε καὶ ἐγρομένη μάλα περ χροὸς ἀνδρομέοιο
Ἰσχανάα δακέειν ----

Corpore quæ licet humano depellitur uſque,
Uſque tamen redit ac mordet. ----

Improbum pro impudente uſurpari plurimis docti exemplis adpoſitis in civitate Veri die XI. ut ex Odyſſea XI. Æneide XII. Salvio Juliano l. XIV. §. *Qui vim.* Quod met. cau. l. II. §. *Ceterum.* De vi bonor. rapt. Suetonio De clar. Gramm. c. XII. Terentii Eunucho. Impudentiam vero hujuſce Longini Veſpaſianus argute cum haſtæ vibratione comparavit, quia impudenter petens, & inſtans atque urgens, quaſi haſtam vibrare videtur, atque intentare. Cujus ergo *miſcellionis* eſt illa κρίσις, quæ inquit, *alioqui poſſis ſcribere, male pedato*, ut Othone c. XII.

Ad ſubterfugiendum jus fiſci.] Cerylus nempe ille Veſpaſiani libertus: itaque mortui ſine liberis bona dedita patrono ex lege Papia: vel ſi ſuperſtites liberi aliqui, pars debita ei ſive ſemiſſis, ut res notiſſima. Idemqne jus patroni agnatis l. XVII. & XXXVIII. D. de Bon. libert. Suetonii Nerone c. XXXII. Renovatur hoc jus antiquum a Juſtiniano l. ult. C. de Bon libert. §. *Multis.* Inſtit. De ſucceſſ. libert. Dixit autem Suetonius nunc *jus fiſci*, quia libertus ille fiſcalis ſive Cæſaris, ut *ſervi fiſcales* Paulli Sentent. Tit. XIII. lib. V. *Fiſcalis ancilla* l. II. C. Commun. de uſucap. Liberti autem Cæſaris etiam abſolute *Cæſariani* dicti, ut apud Dionem, & alios.

Se Lachetem mutato nomine cœperat ferre.] Nominis mutatio latebra ſæpe fraudis & ſervis ac libertis frequens, ut apud Ciceron. Philip. I. Appian. lib. III. Capitolin. in Pertinace Lucian. in Timone.

Ac ſumſit quidem Cerylus hic Lachetis nomen ut ingenuum. Amm. tamen Marcellino lib. XXVIII. *Soſius*, *Mitio*, *Laches*, nomina libertorum.

Ὦ Λάχης Λάχης.] Acroteleutium ac verſus integer ex comœdia forte aliqua Menandri. Bene autem Lævinus Torrentius vidit ex gloſſemate, illud eſſe ἐξ ὑπαρχῆς, & interpretamentum verbi αὖθις.

------ Ὦ Λάχης Λάχης
Ἐπὰν ἀποθάνῃς, αὖθις ἐρήσῃ Κηρύλος.

------ *O Laches, Laches,*
A morte fies, rurſus, ut ante, Cerylus.

Ut invidiam aliqua cavillatione dilueret.] Sic, *eluere ſuperbiæ crimen & eludere.* A. Gellius c. III. lib. VII. *Cavillatio* autem pro dicterio ac joco, ut Plauti Sticho. Sc. III. Trucul. Sc. XI. & *cavilla* aut *cavillum.* Aulul. Sc. XXI. Trucul. ibidem.

Diſpenſationem cuidam petentem.] Sic *imperare diſpenſationem* Othonis c. V. *Diſpenſationem* videlicet rerum Cæſaris. Ejuſmodi vero diſpenſationes aut *ordinariæ*, nempe rationum Cæſaris domeſticarum, ut *ordinarius diſpenſator* Sueton. Galbæ c. XII. *diſpenſator rei privatæ* Inſcript. antiq. aut *extraordinariæ*, ut rerum Cæſaris provincialium, ut *ſervus* Neronis *belli Armeniaci diſpenſator.* C. Plinii c. XXXIX. lib. VII. Druſillianus Claudio *diſpenſator Hiſpaniæ.* Plinii c. XI. lib. XXXIII. *Diſpenſ. rat. cop. expedi. Germ.* Inſcript. antiq.

Ac dicti quidem diſpenſatores ut in urbe & ruri, ſed in urbe magis plerumque diſpenſatores, ruri autem villici. l. CLXVI. De verb. ſignif. Et in gloſſis.

Pecuniæ quantam is cum ſuffr. ſuo pepigiſſet.] Hujuſmodi ſtipulationes vetitæ necdum erant, ſed poſtea prohibitæ Juſtiniani Novella VIII. Tiberii Novel. CLXI. At ante Julianus & Theodoſius permiſerant, ut patet C. Juſtinian. & C. Theodoſ. De ſuffragiis.

Ad calceandas mulas diſiliſſe.] Mulis ad vehiculum junctis uſi ad celeritatem, ut Suetonii Julio c. XXXI. Et apud Paul. Diaconum hiſtoriæ Miſcellæ lib. XI. in Juliano, *publicus curſus mularum.* Quin & in Olympiis olim mularum curſus apud Pauſaniam lib. V. Ariſtotelem Rhetoricor c. II. lib. III. Etiam Romæ in Circenſi curriculo circum metas mulæ apud Feſtum.

De calceatione autem equorum ac mularum res nota in triviis.

Quod etiam urinæ vectigal commentus eſſet.] Narrat quoque Dio in Veſpaſ. Sed fallitur Ioannes Tzetzes in verſibus ſuis Politicis, Chiliadis I. Hiſtor. II. qui narrat vectigal hoc non e lotio, ſed fimo fuiſſe, Ait autem:

Ὥσπερ Οὐεσπασιανὸς τὴν κόπρον τὴν τῶν ἵππων
Καίπερ καταμενφόμενος υἱῷ πολλὰ τῷ Τίτῳ,
Πρὸς ὅνπερ ἔφασκεν αὐτὸς, Φίλτατον τέκνον Τίτε,
Τῆς κόπρȣ, τὸν δὲ τοι χρυσὸν ὄσφρησαι
Πῶς ὁ κ' ὄζει.

Sed ſcripſerat Joannes ipſe:

Καίπερ καταμεμφομένȣ υἱοῦ πολλὰ τοῦ Τίτου,

Latine autem dixeris:

Veſpaſianus ſicuti fimos ſolens equorum.
Hoc filio quanquam Tito vectigal haud placeret:
Quem ſic parens adfatus eſt, Dilecte, quæſo, fili,
Uſurpa hoc aurum naribus, tum judica de odore,
&c.

Urinæ autem illud vectigal, qui poſt Beroaldum ſcripſere veſtigia ejus prementes, intelligi voluere quod fullonibus impoſitum. Horum enim ars vitaque tota fere in lotio, ut Athenæi lib. XI & Dionis lib. XLVI. in oratione maledica Q. Fuſii Caleni; aut quod impoſitum amphoris, quæ in angiportis locaticiæ ad exonerationem veſicæ, ut Macrobii Saturnal. c. XVII. lib. III. Et Lucretii lib. V. Sed neque hæc neque illa interpretatio ad ſenſum C. Suetonii. Verius eſt illud ex *defrutis potionum*, ut honeſte cum Theologo Afro dixeris, vectigal; neque in fullones, neque in amphoras, ſed in capita omnium Judæorum impoſitum fuiſſe ac viritim. Cujuſmodi etiam poſtea novæ Romæ Imperatoribus vectigal, quod chryſargyrum: ſed in eo differens, quod Veſpaſianus in omnium Judæorum capita impoſuit ejuſmodi vectigal; Principes novi Romani, in capita etiam pecorum. Cedrenus in Anaſtaſio Dicoro, & Conſtantino Manaſſe. Michael Glycas lib. IV. in Anaſtaſio. Paullo aliter Zonaras in Anaſtaſio; nempe fuiſſe non in omnium, ſed mercenariorum capita ſolummodo. legendus quoque Zonaras & Cedrenus in Leone Iconoclaſta. Zoſimus hiſtoriæ novæ lib. II. in Conſtantino, Evagrius Eccleſiaſticæ hiſtoriæ cap. XXXIX. & ſequente, lib. III. Ac Zoſimus quidem hujuſce tam fœdi vectigalis Conſtantinum M. inventorem facit: contra Evagrius c. illo XXXIX. abolitum fuiſſe a Conſtantino. ubi illud ἐπ᾽ ἃς εἶναι corrige, ἐπ᾽ ἀδείας εἶναι, &c. *Impune ſive impunitam fore*, &c.

Sciſcitatus num odore offenderetur.] Hinc jocus Satyricus Juvenal. Satyra XIV.

--.-- *Lucri bonus eſt odor ex re*
Qualibet. -----

Ex Juvenale deinde illud Ammiani Marcellini lib. XXII. de muſcis aulicis Conſtantii Cæſaris, *Lucra ex omni odorantes occaſione.*

Nunciantibus legatis decretam ei ſtatuam coloſſeam.] Veſpaſianus pecuniam maluit quam ſtatuam, in fiſci nempe inopia, ut etiam Julius Cæſar apud Dionem lib. XLII. & alii, de quibus Dio idem lib. XLIX. Sed Pius Imper. non reſpuit auream ſtatuam apud Jul. Capitolinum.

Narrat autem hoc Veſpaſiani factum etiam Dio, qui cum ait ςῆσαι οἱ ψηφισαμένων τινῶν. Latinus interpres male reddidit: *Cum aliquot homines ſtatuiſſent*, &c. Dictum oportuit, *Cum aliqui publice decreviſſent*, &c. Aliquos intelligi vult Dio, ut provinciam aliquam, aut municipium. Ergo etiam Dio legatos dixit nunciaviſſe, intelligens legatos provinciæ aut municipii ſive reip. ſive civitatis, ſive legatos provinciales aut municipales, de quibus titul. in D. & C. de Legationibus.

Hujuſmodi legatorum tanta Romam & in aulam copia veniebat, ut Veſpaſianus hic noſter, edicto *præceperit omnibus civitatibus, ne plures quam ternos legatos mitterent.* Marcianus l. IV. §. ult. eodem.

Statuam autem *coloſſeam* dixit quoque C. Plinius c. VII. idemque coloſſicam c. VIII lib. XXXIV. Vitruvius autem quoque *coloſſicoteram*, c. III. lib. III. c. IV. lib. X. Hinc ut eſt apud Sueton. Caji c. XXXV. Eſius Proculus Romæ dictus *coloſſeros.* Ubi acuti aliqui eſſe voluere, ſed arguti ſunt, qui commenti *Coloſſeri* cognomentum eſſe junctum ex coloſſo & erote ſive amore. Atqui patet plebeja conciſione *coloſſeron* dictum pro *coloſſotero*, aut *coloſſicotero.*

Non mediocris ſummæ.] Summam Dio expreſſit, nempe myriadas drachmarum XXV. Similiterque ex Dione Zonaras.

Cavam manum oſtentans.] Ex ritu nempe, quo ad pecuniam porrigere ſoliti cavam manum. Amm. Marcellin. lib. XIV. *Ad nuptias ubi aurum dexteris manibus cavatis offertur, impigre pergunt*, &c. & apud eundem lib. XVI. *Agentes in rebus, utraque manu cavata aurum accipiunt*, &c. & Auguſtus Suetonii c. XCI. *cavam manum aſſem porrigentibus præbet.* & apud Tibullum eleg. IV. lib. II. amica *pretium flagitat uſque cava manu.* Commemorabile autem, quod interpres Ariſtophanis Equites notavit, judices nundinatores ſive mercatores litium Athenis, ut declarent ſe paratos accipere, ſolitos cavam manum ſub pallio prætendere: Οἱ διατείοντες, inquit, καὶ δωροδοκοῦντες κοιλαίνουσι τὴν χεῖρα, καὶ ὑποβάλλοντες ὑπὸ τὸ ἱμάτιον αἰτοῦσι. *Judices concuſſores, & donivori manum cavant, & palliolo eam ſubjicientes, ita petunt.* Atque ipſe de judicibus Ariſtophanes in Theſmophoriazuſis, eos φιλεῖν, id eſt, ſolere,

--- --- --- τὴν δεξιὰν
κοίλην προτείνειν, ἀργύριον ἤν τις διδῷ.
---- --- --- *dexteram*
Manum cavam porrigere danti munera.

Mauſoleum Cæſarum.] Neque tamen in Mauſoleum Cæſarum ſive gentis Juliæ inlatus Veſpaſianus, ſed in ſepulchrum, ubi poſt ædificatum a Domitiano templum gentis Flaviæ, Sueton. Domit. c. V. & XVII. Recteque prodigium hoc ad ſe non pertinere, ſed ad Juniam Calvinam, Veſpaſianus dixit: quia Mauſoleum illud familiare ſepulchrum Cæſarum, ſive ut Geographus loquitur lib. V. Αὐγούστου καὶ τῶν συγγενῶν καὶ οἰκείων. id eſt, *Auguſti & cognatorum ejus ac domeſticorum.* Hoc proinde eſt ut ſi dixiſſet, Auguſti & heredum ejus tam ſuorum quam extraneorum. Suos Geographus intelligi voluit οἰκείους ſive *domeſticos*, extraneos συγγενεῖς ſive *cognatos.* Sive intelligi voluit, familiare illud, non autem hereditarium ſepulchrum fuiſſe. De quo diſcrimine Cajus l. V. Ulpianus l. VI. De religioſ. *Suos* autem heredes vocari etiam domeſticos, admonet Juſtinian. §.

Sed

Sed ſui quidem. De hered. qual. & diff. & utitur ſic C. Plinius in Gratiar. act.

Et ſtella in cœlo crinita adparuit.] Principum mortes, regnorumque converſiones portendere ſoliti cometæ, ſive ſtellæ comatæ. Hinc Lucanus lib. I.

---- *Et terris mutantem regna cometen.*

Alterum ad Parthorum regem.] *Perſarum regem* dixit Aurelius Victor in Veſpaſ. videlicet quia gentes illæ finitimæ. Rex vero ille Vologeſus, ſupra c. VI.

Qui capillatus eſſet.] Perſis & Parthis inſigne regium ἄφετος καὶ ἀνειμένη κόμη, *ſoluta & demiſſa coma.* Suidas in Λεόνατος. Etiam Galliæ, Franciæque regum, & aliorum plurimorum ritus ille.

Prima quoque morbi acceſſione.] *Morbi acceſſio prima* eſt, quam Galenus in Hippocratis Prognoſtica Comment. I. ita expreſſit: Ἡ πρώτη εἰσβολὴ τοῦ νοσήματος, οὐδὲν οὔπω πλάτος ἔχουσα. *Prima morbi invaſio, necdum habens latitudinem.* Eandum quoque ἀρχὴν, id eſt, *principium* vocat. Aetius vero primam acceſſionem eſſe ait, cum primum vis ejus a negociis abſtinere cogit, lib. II. &. v. Galenus vero etiam παροξυσμὸν dicere ſolitus & ἐπισημασίαν & προσβολήν.
At Dio dixit, non *prima acceſſione morbi*, ſed ἐπειδὰν ἐπίστευσεν ὅτι τελευτήσει, *cum jam mortem ipſe ſibi præſagiret.*

Ut puto, Deus fio.] Factus Deus ſive divinatus ſive conſecratus Veſpaſianus mortuus, a Tito F. Titus deinde a fratre Domitiano. Plinius in Gratiar. act. *Dicavit*, inquit, *cælo Veſpaſianum Titus, Domitianus Titum: ſed ille ut Dei filius, hic ut frater videretur.*

CAP. XXIV.

Tentatus motiunculis levibus.] De hujuſmodi motiunculis Cornel. Celſus c. II. lib. II. In hoc genere ſunt *calores* febri præcurrentes. Sic calorem a febre diſtinguit M. Varro apud Marcell. in *Febris.* qui locus, mendis adſperſus, quas ſic elue: *vel mali, ut a calendo calor. Var. Andabatis: Ideoque alterum adpellamus a calendo calorem, alterum a fervore febrim*, &c. Motiunculas vero ejuſmodi ex Terentio *pavitutiones* dixeris.

Ubi æſtivare quotannis ſolebat.] Principum mos valetudinis cauſa alibi æſtivare, alibi hibernare ſive hiemare. Itaque ut commemorabile illud de Auguſto Suetonius notavit c. LXXII. *quod per annos amplius LX eodem cubiculo hieme & æſtate manſerit, quamvis parum ſalubrem valetudini ſuæ urbem hieme experiretur, adſidueque in urbe hiemaret*, &c. & tamen æſtivare ſolitum quoque Auguſtum Antii, patet narratione Geographi lib. VI. ut ſolitus quoque poſt Hadrianus, & Principes plerique alii, ut notavi ad Horatii Odam XXXV. lib. I. & cauſam ad. poſui ex Ciceronis epiſt. VIII. lib. IV. ad Atticum. Sic etiam Marcus Imp. apud Jul. Capitolin. *ſi ad ſenatum referre vellet, de Campania venit*, &c. nempe quod ibi æſtivaret. Nec modo Principum, ſed etiam divitum ritus ille, ut etiam utendi ædibus, cœnationibus, tricliniis, ſupellectile, anulis aliis æſtate, aliis hieme, ut narravi quoque ad Horatii epiſt. I. ad Mæcenatem.
Non mediocres hæ deliciæ ſane: ſed majores quoque illæ, quod etiam tecta quædam eis temporaria, ſive quæ ponerentur hieme, tollerentur æſtate, ut in hypæthris ſive ſubdivalibus, argumento eſt Javolenus l. CCXLII. §. II. de Verb. ſignif.

Frigidæ aquæ uſu & inteſtina vitiaſſet.] Dyſenteriarum cauſæ ψύξιες συνεχέες, *refrigerationes adſiduæ.* Aretæus De morbis diuturnis c. II. lib. II.

Imperatorem ait ſtantem mori oportere.] Qua occaſione hoc Imperator dixerit, patet apud Dionem & Zonaram lib. II. nempe, ad medicos hac eum voce uſum reprehendentes, quod in valetudine tam adflicta non ſolum victu quo ſanus uteretur, ſed etiam partes Imperatorii muneris omnes ut recte ſanus impleret. Proinde igitur eſt, ut ſi dixiſſet, Imperatorem non modo ægrotare, ſed & mori oportere ſtantem, id eſt, munere Imperatoris fungentem. Neque admodum diſſimilis vox Hadriani apud Æl. Spartian. *Sanum Principem mori debere, non debilem.* ut illa Severi A. morientis apud Dionem: Ἄγετε, δότε, εἴτι πρᾶξαι ἔχομεν. *Agite, date, ſi quid eſt quod agamus.* Veſpaſiani autem verbum imitatus quoque poſtea moriens Turbo, Hadriani præfectus Prætorio: *Præfectum prætorio ſtantem mori oportere*, ut a Dione commemoratum eſt. Sixto etiam V. P. P. frequens in ore Veſpaſiani hoc verbum fuiſſe, traditum in vita ejus ab Antonio Cicarella. Etiam D. Martinus Turonenſis Epiſcopus apud Sulpic. Severum epiſt. de tranſitu ejus, moriens non diſſimili verbo, ſed Chriſtianæ ſanctitati convenienter uſus eſt: *Non decere Chriſtianum niſi in cinere mori.* Decretum vero illud Stoicum fuiſſe olim, *Sapientem in actu mori debere*, patet L. Senecæ epiſt. VIII. & XXXVII. & c. XXVIII. de Vita beata. Etenim epiſt. VIII. *Ubi*, inquit, *illa præcepta veſtra, quæ imperant in actu mori?* & epiſt. XXXVII. *Recto tibi*, inquit, *invictoque moriendum eſt*, &c. *Tibi*, nempe Stoico ſive ſapienti, & c. illo XXVIII. *Stoici*, inquit, *dicunt, uſque ad ultimum vitæ finem in actu erimus.*

Superque diem ac menſem VII.] Zonaras poſuit *menſem ac diem octavum*, ex Dione haud dubie; ſed hodie numerus menſium apud Dionem eſt, dierum

dierum excidit, haud dubie culpa breviatoris Xiphilini.

CAP. XXV.

In media parte veſtibuli Palatinæ domus.] Veſtibulum eſt, quod prothyrum Labeoni apud Pomponium l. CCXLV. de Verb. ſign. & Vitruvio c. x. lib. VI. Sed Vitruvius admonet Romæ prothyra vocari, quæ ſint Græcis *διάθυρα*. Quæ ſint autum *διάθυρα*, ſive quid interſit *prothyrum* & *diathyram*, notavi ad d. l. CCXLV.

Quod autem eſt d. l. CCLV. *iterumque*, corrigitur a pleriſque *interdum*; ſed melius dixeris, *plerumque*.

Stateram poſitam examine æquo.] *Poſitam* intellige pedi ſuo impoſitam ad perpendiculum, ſive, ut loquitur Cicero, *ad lineam*, ſive ut Græci *κατὰ κάθετον*. Atque ſic apud Ariſtotelem Mechanicis Problem. III. & tangit Iſidor. c. XXIV. lib. XVI.

Hujuſmodi pes ſtateræ in Cottabo, ut dixi ad Horatii Odam XXVII. lib. I.

Cum in altera lance Claudius & Nero.] Tribuit *ſtateræ lances*. Atqui ſtatera ſive *φάλαγξ* negatur lances habere Ariſtotelis Mechanicis Problem. XXI. ubi *ζυγος ἐπὶ θάτερα ἔχει πλάστιγγα*, id eſt, *utrinque lancem habet: φάλαγξ ἐπὶ θάτερα τὸ σφαίρωμα*, id eſt, *altera in parte æquipondium.* Sic enim Vitruvius interpretatur *σφαίρωμα* c. VIII. lib. X. Inibique Ariſtoteles *φάλαγγα* eſſe ait *ἡμιζύγιον*, id eſt, *dimidiatam bilancem.* Sed *ſtateram* C. Suetonius nunc accepit pro jugo bilancis, ut etiam Suidæ & aliis *φάλαγξ* eſt *ὁ κανὼν τοῦ ζυγοῦ*. A cujus *phalangis* ſimilitudine *phalangæ*, quibus onera geſtantur ex humero. Cujuſmodi bajuli *palangarii* apud Marcellum. Græcis ejuſmodi fuſtes, *ἀνάφορα*, quæ depingit Suidas. In eoque genere mirifica fertur hodie Sinenſium bajulorum induſtria.

Quando totidem utrique annis imperaverunt.] *Totidem* hoc non extra controverſiam eſt. Nam Claudio & Neroni ſimul imperium annorum XXII. ut patet Suetonii Claudio c. ult. Nerone c. VIII. & ult. At Titi imperium biennium, menſes II. dies XX. Domitiani anni XV. Suet. Domit. c. XVII. Veſpaſiani ergo imperium annorum fere XI. ut compleantur anni XXVIII. At in faſtis anni Veſpaſiano IX. menſes VI. quæ ſumma eſſet annorum XXVI. menſium VIII. dierum XX. Sed Dio imperium Veſpaſiani facit annorum X. demtis diebus ſex. Clemens Alexandrinus Stromat. lib. I. imperio Veſpaſiani tribuit annos XI. menſes totidem, dies XXII. Sed idem notat aliquos ei tribuere annos præciſe XI. Atque hoc magis conveniens ad numerationem Suetonii. Cedrenus annos numerat X. dies VIII. Epiphanius lib. de Ponderibus annos IX. menſes VII. dies XII.

TOGATÆ

TOGATÆ MILITIÆ PRINCIPI, ILLUSTRISS. VIRO D. POMPONIO BELLIVRÆO

Magno Franciæ Cancellario.

Titum Veſpaſianum Principem a C. Suetonio pictum offero tibi, togatæ militiæ Principi, te digniſſimum, ſi Titum per ſe ipſum ſpectes: indigniſſimum, ſi ex panno, quem ego pictæ ſive triumphali ejus togæ addidi. Nam hoc quidem plebejum munus ac proletarium eſt, neque te dignum togæ Principe. Nam quid meus ad Titum hic labor, ſi Titum ipſum & togam ejus pictam, tunicamque palmatam ſpectes, aliud eſt, quam ut Nævius olim Poeta dixit:

------ *pannum poſitum in purpura?*

Cur ergo aut Tito pannum talem addidi ego, aut talem pro munere, & quaſi felice bonaque ſtrena offerre auſus ſum? Utriuſque conſilii rationem ſtrictim, de tua cognoſcendi benignitate ſperans, explico. Tu omni dignitate & laude Princeps. Principes autem etiam, illos dico, qui rerum potiti, ſæpe humilia æque ut ſumma, dum utilia eſſent, æqui bonique habuere; nec minus ſæpe magna & magnifica, & ſpeciei pompæque pleniſſima flocci habuere. Vel patrem hujus Titi, cognominem filio Veſpaſianum vide obſecro, de quo ita Suetonius: *Mechanico grandes columnas exigua impenſa perducturum in Capitolium pollicenti, præmium pro commento non mediocre obtulit, operam remiſit, præfatus: Sineret ſe paſcere plebeculam.* Ad hoc exemplum ſpero hæc mea, quæ in Titum juventuti & tirunculis data ſunt, tibi quoque nihilominns D. D. L. M. grata fore & volenti, æque aut & amplius quam ſi abſtruſa tantum aliqua & recondita, aut rara præclaraque promerem, doctis & eruditis viris quaſi columnas grandes perducens in Capitolium.

Volo ſi moleſtus non ſum, & alterum magni Principis, magna illa & ſpecioſa magis quam utilia contemnentis, exemplum adponere. Alexander ille cognomento Magni notiſſimus, æque ſapienter dimiſit machinarium,

ſive ut aliqui dicere auſi Latine ingeniatorem, magnæ quiddam & mirandæ rei promittentem. Ajebat inventam ſibi rationem, qua in ſpeciem ſiguramque Alexandri effigiaret Athonem montem quaſi coloſſum, qui duas non minimas urbes, hanc dextra, illam læva ſuſtineret. Mons autem ille qua magnitudine & celſitate ſit, notiſſima res in geographiis. At humanum in modum effigiem regi magno ſi quis obtuliſſet, ſalivam facile moviſſet, ſigna, ſtatuas, tabellas amanti.

Una igitur hæc pro libelli mei popularitate mihi oratio: altera nunc ad te, ſumme Juſtitiæ Antiſtes, de humilitate munuſculi ad tuum faſtigium, ſed hanc breviter decurro. Nam vel ominis cauſa tibi non diſconveniens eſt. Titus *amor & deliciæ generis humani* eſt: talem Galliæ Delphinum fore, & nunc jam exiſtere, ſive eſſe incipere, ſpes magna & prope certa eſt; Deumque illi & nobis veneramur, ne ſpes illa unquam hujus imperii, immo & generis humani, vota fruſtretur. Ille ſpes parentis, memoria nominis, ſubſidium generis, heres familiæ, deſignatus maximi imperii Princeps, ab his qui ſapientiæ juſtitiæque Antiſtites, quorum tu facile princeps, olim ad Titi exemplum a populo ſic in amore & deliciis habiti, ſubinde reſpiciendum, haud dubie invitabitur. Cum hoc itaque omine Titus noſter ad te proficiſci auſus eſt. Noſter, inquam, Titus, qualis qualis. Nam ſuus ſive per ſe ipſe Phidiæ in hoc genere Minerva eſt, & ipſiſſima gemma in pala bonorum Principum annuli, ſive, ut olim dixere, unguli, de quo mimi veteris argutia notiſſima eſt. Longiorem forte commendationem hæc noſtra in Suetonii Titum deſiderant, tua certe benignitas breviorem. Nam ſi humanitas & æquitas ipſa exprimi ſe vellet ſpecie figuraque humana, non alio vultu quam tuo cerneretur. Et quod de Plotino dixere olim, φιλοσοφία σωματωθεῖσα μετ᾽ ἀνθρώπων ὡς ἄνθρωπος ἀναστρέφεται, transfero in perſonam tuam rectiſſime. *Benignitas & humanitas corporata inter homines ut homo verſatur.* Lutetiæ Pariſior. e. a. d. XVII. Kalend. Februar. cIↃ. IↃC. III.

Summæ tuæ dignitati

Inſimus cliens

THEODORUS MARCILIUS.

LECTORI BENIVOLO S.

THEODORUS MARCILIUS.

Brevis etiam ad te mihi ſermo; Lector amice, de libelli mei brevitate. Sunt quibus libri mole ipſa moleſti placent, quales Senecio ille pictus a M. Seneca ſibi voluiſſet, qui quod grandia omnia ſibi vellet, pro Senecione vocari cæptus Grandio. At quanto ſanior Callimacho mens, qui ſcurras poeticos, & riſores poematis ſuis obtrectantes, & quod brevia eſſent vituperantes, ultro ipſe ridens; de Invidia & Apolline ſic fingit:

Ὁ φθόνος Ἀπόλλωνος ἐπ' οὔατα λάθριος εἶπεν,
Οὐκ ἄγαμαι τὸν ἀοιδὸν, ὃς οὐδ' ὅσα πόντος ἀείδει.
Τὸν φθόνον ὡ' πόλλων ποδί τ' ἤλασεν, ὧδέ τ' ἔειπεν·
Ἀσσυρίου ποταμοῖο μέγας ῥόος, ἀλλὰ τὰ πολλὰ
Λύματα γῆς καὶ πολλὸν ἐφ' ὕδατι συρφετὸν ἕλκει.
Δηοῖ δ' οὐκ ἀπὸ παντὸς ὕδωρ φορέουσι Μέλισσαι
Ἀλλ' ἥτις καθαρή τε καὶ ἀχράαντος ἀνέρπει.
Πίδακος ἐξ ἱερῆς ὀλίγη λιβὰς, ἄκρον ἄωτον.

Eadem mihi oratio, ſi quis brevitatem hujus aut alius libelli mei vituperet. Itaque dico, non lepore quidem gratiaque, ſenſu tamen ipſo Cyrenæi Poetæ, verſibus ex me Latinis:

Dixit in auriculas Phœbi clam talia Livor:
Ille miſer vates, qui non quot in æquore fluctus,
Tot verſus fluit. At pede Livorem impulit ultro
Phœbus, & hoc ſuper edixit: Sunt magna fluenta
Aſſyrii fluvii Euphratæ, purgamina terræ
Sed multa, inluviemque trahit cum flumine vivo.
Pocula ſed Cereri non quovis de amne Meliſſa
Ponit, at inlimi & puro ex libamina fonte.
Parvulus ille latex, ſed flos adprimus aquaï.

Sed non oportuit, inquient, unum ab Imperatorum Suetonii XII. *quaſi colle-*

gio ſegregem fieri. An non libri VIII. *Suetonii? An non* VIII. *librorum tomi duo, ut ad Titi principium oſtendi, unus Cæſarum gentis Juliæ : alter menſurnorum Principum & gentis Flaviæ? Qui minus itaque fas mihi Titum ſeorſim dare, cum Suetonius ipſe Nervam, Trajanumque certis quidem de cauſis, quas nunc commemorare nihil adtinet, certe omiſerit? Deinde autem ſi operæ olim fuerit, alios item Suetonii pleroſque aut omnes demus licebit Imperatores.*

B.L. Debes autem etiam illud moneri de hiſtoriola, quam tetigi in præfatione : A Geographo narratam illam lib. XIV. *Plutarcho in Alexandro & Luciano* ὑπὲρ εἰκόνων. *Tzetza Hiſtor.* CXCIX. *Chiliad.* II. *Hiſtor.* CCCLXIV. *Chiliad.* XI. *Copioſiſſime autem a Vitruvio, Præfat. lib.* II. *Architectus autem ille Straboni Chirocrates, Vitruvio Dinocrates, Tzetzæ Staſicrates, aut Paſicrates. Diſcrepat nonnihil & a Geographo Lucianus. Nam hic duas in manibus coloſſi urbes pingit : at ille urbes a latere coloſſi hanc dextro, illam lævo; ipſum autem coloſſum dextra tenere capedinem, ex eaque fluvium effundere in ſubjectam pateram. Fluvium vero illum decurrere ex urbe una in alteram. Hæc Geographi mens dilucida quidem, ſed objecta ei nubecula in libris hactenus editis, omiſſione vocis* ποταμόν. *Nam eſſe debuit,* ἐκ πρόχȣ τινὸς εἰς φιάλην καταχέοντα σπονδὴν ποταμὸν, qui ex capedine quadam effundit quaſi libamen fluvium in phialam, *ſive, ut apud Vitruvium eſt,* pateram. *Et rurſus fine periodi recte eſt,* ῥέοντα ποταμὸν, *&c.*

Hæc tibi cum tuæ ſalutis augurio, & Tito Suetonii noſtro, Lector amice, offero. Lutetiæ Pariſ. XVI. *Kalend. Februar.* CIↃ IↃCIII.

TITUS

TITUS VESPASIANUS D. VESPASIANI F.

EX C. SUETONII TRANQUILLI

LIB. VIII.

Cum interpretatione & emendatione

THEODORI MARCILII,

Profeſſoris Eloquentiæ Regii.

IN libros hujuſce operis factam eſſe partitionem, recte jam ex Suida & Lampridio prænotatum aliis: ego quanquam mihi extra Titi Veſpaſiani vitam hac commentatiuncula excurrere animus non eſt, tamen huic cœnulæ quaſi anticœnium, aut & paracœnium do ex Suida. Nominatum a Suida opus hoc Tranquilli συγγενικὸν Καισάρων ſive *de cognatione Cæſarum.* Recte hoc Nam hic Suetonio tanquam ſcopus, exſequi progeniem Julii Cæſaris. Ergo & Ser. Galbæ vitam ſic orſus eſt, *Progenies Cæſarum in Nerone defecit*, &c. Præcipua nempe illius operis pars a Julio ad Galbam: ceteri quaſi adpendicis & auctarii loco. tres nempe, quos Eunapius ἀθλίȣς καὶ ἐνιαυσίȣς ἄρχοντας vocat, *miſeros & annales Principes*, verius *menſurnos* dixiſſet: tres item Flavii.

CAP. I.

Titus cognomine paterno.] Intellexere aliqui: *Titus cognomine paterno*, Veſpaſianus. Non peſſime. Nam Flavii plerique omnes Titi prænomine: ſed aliis atque aliis cognomentis, ut T. Flavius Petro, T. Flavius Sabinus, T. Flavius Veſpaſianus, &c. Neque tamen ordo his Tranquilli verbis, quem arbitrati hactenus, ſed hujuſmodi: *Titus cognomine paterno Veſpaſianus, amor fuit ac deliciæ generis humani. Tantum illi*, &c. Quid ſi autem & alia Tranquilli mens, Titus patris ſui cognomine dictus eſt *Amor & deliciæ generis humani?* Inſolens auriculis pleriſque accidet interpretatio illa; vero tamen ſimilis, forte & vera eſt. Nempe ut Veſpaſianus ante cognomento Amor & deliciæ generis humani: ſic eodem quaſi hereditario filium fuiſſe. Digna res, quam notaret Suetonius. Cognomen autem hoc patri, opinor, ex morum ſuavitate; ut & filio. Itaque junxit in hoc genere laudis patrem & filium D. Auguſtin. c. XXI. lib. V. de Civit. Dei. *Veſpaſianus*, inquit, *pater & filius, ſuaviſſimi Imperatores.* Eamque & Dio Veſpaſiani patris laudem ſic tangit. Adminiſtratione quidem curaque reip. Imperatorem fuiſſe: Ἐς δὲ τ' ἄλλα, inquit, πάντα κοινὸς καὶ ἰσοδίαιτος σφίσιν ἦν, &c. *ceteris omnibus communis eis, & victu vitaque non differens erat.*

erat. *Nam & jocabatur una populariter, aliorumque in ſe jocoſe dicta jucunde accipiebat*, &c. Laus illa Veſpaſiani & apud Eutropium lib. VII. *Cum*, inquit, *ſenatui, populo, cunctis amabilis ac jucundus eſſet.* Etiam Suetonius notavit c. XXII. *Et ſuper cœnam autem*, inquit, *& ſemper alias comiſſimus, multa joco tranſigebat*, &c. Melius alii *communiſſimus*. Sic quod Eutropius lib. VIII. in Trajano dixit: *Amicis eum culpantibus, quod nimis circa omnes comis eſſet*, Paullus Diaconus, ſive quiqui ſcriptor ille Hiſtoriæ miſcellæ lib. x. melius: *Amicis eum culpantibus, quod nimium circa omnes communis eſſet*, &c. Aliud comitas, aliud communitas. Comitas paris cum pari: communitas ſuperioris cum inferiore, ut Principis cum populo, quæ & civilitas nominata. Itaque ſignanter Dio interpretans dixit κοινὸς καὶ ἰσοδίαιτος. Et Philo Herennius legatione ad Cajum ἴσος τε καὶ κοινωνικὸς εἶναι νομισθεὶς ὁ Γάϊος. *Æqualis & communis eſſe creditus Cajus.* Bene & Cornelius Nepos hanc Pomponio ſuo laudem adtribuens, *Hic autem ſic*, inquit, *ſe gerebat, ut communis infimis, par Principibus videretur*, &c. Pluraque dixi ad ſpectacula Martialis epigr. xv.

Amor & deliciæ generis humani.] Suidas in Tito delicias explicat τρυφήν. In quo reprehenſus injuria. Nam ad Latini verbi ſignificatum proxime acceſſit. At propriiſſime quid deliciæ vel delicium, Græci non habent, quo reddere poſſint. Itaque Plutarchus in Antonio, Ὁ δὲ Σάρμεντος, inquit, ἦν τῶν Καίσαρος παιγνίων παιδάριον, ἃ δηλίκια Ῥωμαῖοι καλοῦσι. *Sarmentus vero*, inquit, *puerculus inter Cæſaris ludicros erat, quos Romani delicia vocant*, &c. leg. nempe δηλίκια, & D. Hieronymus in Catalogo, *Antinoum autem*, inquit, *in deliciis habuiſſe Cæſar Hadrianus ſcribitur.* Interpres Græce reddidit: Τὸν δὲ Ἀντίνοον ἐν τῷ μεταξὺ τῶν δηλικίων ἐσχηκέναι Ἀδριανὸν τινες συγγράφονται. Mala librarii manus ibi ſcripſit ἀδιλικίων. & injuria reprehenſus, neque σωφρόνως, Sophronius ille.

Tangit ille.] Acclamatio cauſam illius cognomenti explicans, ſive cur dictus Titus, *Amor ac deliciæ*, &c. Tangit quoque inſcriptio vetus: *Imp. Titus Cæſ. Veſp. Aug. Pon. M. Trib. P. V. Coſ. VIII. P. P. Generis humani amor & deſiderium etiam vivens.* Meliuſque Tranquillus virtuti ac meritis Titi hanc laudem tribuit, quam alii fortunæ, ut Dio, ex eoque Zonaras annali II. Longiſſimam vero hinc aliqui παρένθεσιν ſive interpoſitionem fecere, & quæ terminetur, ubi populariter initium capitis ſequentis, *Natus eſt*, &c. At hoc a conciſa brevitate Suetonii quam alienum eſt? Ne Tullius quidem Cicero in ſuo illo fluxu orationis populari ſic faceret. Bene itaque ſine ulla interpoſitione eſt, *Titus cognomine paterno Amor atque deliciæ generis humani.* Totus in hoc abſciſo genere loquendi Suetonius eſt. Sic c. III. *Præcipuum robur.* &c. VIII. *Natura autem benevolentiſſimus.* & Julii c. LV. *Eloquentia militari.* Domitiani c. XXII. *Libidinis nimiæ.* Dixerit aliquis: nihil neceſſe notari hæc iſta, nam quivis intelligit. Atqui non tam hæc de trivio eſt nota, quam videtur Patet vel interpoſitionis hujus, de qua dixi, periculo, & altero infelicis correctionis. Cum enim ſcripſiſſet Suetonius Julii c. LV. *Eloquentia militari. Quare*, &c. correxere: *Eloquentia militarique re*, &c. Infeliciter. Non enim propoſitum ibi Suetonio narrare de laude Cæſaris militari, ſed oratoria. Nam caput hoc LV. & ſequens de Cæſaris eloquentia eſt, LVII. deinde capite proponit de laude ejus militari. *Armorum*, inquit, *& equitandi peritiſſimus*, &c. Hanc deinde proſequitur laudem uſque ad c. LXXI. Cæſarem vero eloquentia militari fuiſſe, credamus Fabio Quintiliano licet, qui fine c. I. lib. x. notat. Cæſarem ea dicendi contentione uſum, ut *videatur eodem animo dixiſſe, quo bellavit.*

Et quod difficillimum eſt, in imperio.] Difficultatis ratio, quia, ut inquit Julius Capitolinus in M. Antonino, *nemo eſt Principum, quem non gravis fama perſtringit, uſque adeo ut etiam Marcus in ſermonem venerit*, &c.

CAP. II.

Prope Septizonium.] Quæſtiuncula eſt. Septizonium a Septimio Severo ædificatum ait Spartianus in Severo, & in Geta. P. Victor in Urbis topographia. Item alii. Qui pote fieri ergo, ut natus ad Septizonium Titus, qui tam multis ætatibus prior Severo? Septizonium ſtatuo ego duplex, vetus & novum. Vetus quod jam Titi ſæculo fuit: novum quod Severi Septimii opus. Vetus XII. regione urbis, novum x. regione. P. Victor tamen in topographia x. regione urbis, *Septizonium vetus*, inquit, *alias Severi.* Ubi librarium exerratio duplex. Una tranſpoſitionis, cum Septizonium vetus in x. regionem tranſtulere, novum in XII. Altera, quod vetus, & Severi Septizonium pro eodem accepere, cum vetus Titi ævo jam exſtiterit, & M. Antonini ſæculo apud Ammian. Marcellin. lib. xv. Item aliorum apud alios Principum ævo, qui anteriores Severo. Scripſerat nempe Victor, *X. regione urbis Septizonium Severi: XII. Septizonium vetus.* Hodie vulgo *Septem ſolia*, &c. ut Platinæ in Gregorio VII.

Alius & ille nodus de Septizonio, cum Spartianus idem in Geta, *Inlatum*, inquit, *majorum ſepulchro, hoc eſt, Severi, quod eſt in Appia via*, &c. Majorum ſepulchrum vocat, quaſi reliquiæ Severi inlatæ Septizonio illi Severi ſive novo At Spart. idem fine Severi reliquias ejus conditas inquit Antoninorum ſepulchro, ut & Dio & Aurelius Victor in Severo. Sed, puto, Septizonium illud majorum

jorum ſepulchrum Spartianus vocat, quia deſtinatum Severi ſepulturæ, qui tamen inlatus ſepulchro Antoninorum.

Quæ in Circenſi pompa hodie quoque præfertur.] Præfertur ſtatua illa Britannici, nempe tanquam Herois. Heroum ſtatuæ Circenſibus præferri ſolitæ. Narrat rem Dionyſius lib. VII. & copioſe diſſerit Onufrius Panvinus Circenſium ſuorum c. II. lib. II.

Proſecutuſque eſt.] Nempe ipſe *in pompa Circenſi.* Proſecutio ſtatuæ illa, deductio tenſæ, de qua dixi ad Veſpaſiani c. V.

CAP. III.

Et cui non minus auctoritatis ineſſet quam gratiæ.] Sic apud C. Tacitum principio II. Hiſtoriar. *Tito decor oris cum quadam majeſtate.*

Latinæ Græcæque linguæ promptus.] Libri veteres: *Latinæ Græcæque vel i. o. v. i. f. p. promptus*, &c. Veræ lectionis veſtigium hoc. Scripſiſſe Suetonium ſcilicet, *Latine Græceque vel i. o. v. i.f.p. promptus*, &c. *Græce promptus*, ut *Græce ſciens*, & id genus alia Ciceroni. Item aliis. Plauto Curcul. *ſcire divinitus*, eſt ſcire divinare.

Ut qui cantaret & pſalleret.] Cantaret voce: ſed pſalleret fidibus ſive nerviis. Aperte ita diſtinguit A. Gellius c. IX. lib. XIX. cum ait, *qui canerent voce & qui pſallerent.* Sic *pſallendi & cantandi ſcientia*, Spartian. in Hadriano. Hinc junctim *pſallocithariſtæ* Sueton. Domit. c. IV. Sic & Græci accipiunt, ut Heraclides Cumanus lib. I. Rerum Perſicarum Athenæi lib. XII. Pellices regi Perſarum noctu ᾀδούσας καὶ ψαλλούσας διατελεῖν, *aſſidue canere & pſallere.* Et Cteſias Athenæi lib. eod. ψάλλουσαι καὶ ᾄδουσαι γυναῖκες. *pſallentes canenteſque mulieres.* Atque idem Heraclides Athenæi lib. IV. agens de Perſarum rege, Καὶ παρὰ τὸ δεῖπνον, inquit, ᾄδουσί τε καὶ ψάλλουσιν αἱ παλλακαὶ αὐτῷ. *& in cœna pellices cantant ei pſalluntque.* Quod & Euſtathius profert ad Iliad. XXII. & ᾄδειν explicat μελίζειν, ψάλλειν δὲ τὸ δι' ὀργάνων μουσικῶν. Recteque Suidas, Κυρίως, inquit, ψάλλειν τὸ τῷ ἄκρῳ τῶν δακτύλων, τῶν χορδῶν ἅπτεσθαι. *proprie pſallere eſt ſummis digitis tangere nervias*, &c. At propriiſſime quidem pſallere uſurpatur de nablio ſive pſalterio, ut patet in gloſſis. Scio, eruditis hæc talia domi naſcuntur: ſed nos ea tironi damus. Ut & ſequens hoc, & pleraque alia.

Notis quoque excipere velociſſime.] Differunt notæ & ſingulæ. Notæ ſunt ex litteris ad ſcripturæ celeritatem verſis ac mutatis, ut patet notis deſcriptis ex M. Tullii libro de notis apud Trithemium Polygraphiæ lib. V. Singula vero ſive ſigla ſive ſingla, litteræ ſingulæ verbum exprimentes aut ſyllabam, ut S. P. Q. R. Sic Manilius lib. III. in notariorum genitura:

--- *Cui littera verbum eſt,*
Quique notis linguam ſuperet ---

Litteram pro ſigla dixit, notiſque oppoſuit. Similiter notarios & ſingularios ſeparat Aurelius Caſſiodorus epiſt. XXXI. lib XI. & l. I. §. VIII. C. De præf. Præt. & Notitia imperii.

Velocitas vero laus & notarii & ſingularii, ut L. Senecæ epiſt. XC. Martial. epigr. CCVIII. lib. ult. Manilii loco anted. Auſonii epigr. XXII. quod ei natum ex Martiale.

Arbitrati aliqui, ut obſerv. III. lib. III. & XXIII. lib. I. *notoriam* ſive *notariam* eſſe hanc per notas ſcribendi artem. Atqui neque *notaria* probe Latina vox eſt: & *notoria* non ars ejuſmodi, ſed indicium ſive indicina, per quam res occultæ noteſcunt, ut l. XXXI. C. Theodoſ. de Epiſc. & cler. *Notoriis deferre in notitiam*, &c, Gloſſæ: Μήνυσις, *indicatio, notaria, indicium.* lege, *notoria*, ut recte alibi: *Ex notoria*, ἐκ τῆς ἀναφορίας. & in Excerptis: *Notoria*, ἀνάφορα. lege ἀναφορία. Sic notoria pro indicio Apuleji lib. VII. & l. VII. C. de Accuſat. & junctim, *notorium indicium.* l. VI. §. III. D. ad Turpilian. quæ lex in Baſilicis eſt c. XV. Tit. I. lib. LX. ubi notoria πιττακώματα. Omnibus itaque his locis recte *notoria*, non autem *notaria.* Neque a nota notaria, ſed a notore notoria. Notor, qui notitiam rei aut perſonæ profitetur, ut L. Senecæ epiſt. XXXIX. & in Satyra Claudiana. Petronius: *At ego ne mea quidem veſtimenta ab officioſo recepiſſem, niſi notorem dediſſem*, &c. Melius, *ab officio recepiſſem*, &c. Ab officio nempe balneatorio, ſive balneatoris. Porphyrio in epiſt. XIV. *Mediaſtinus in officio balneatoris.* dixi ad Martialem epigr. LXXI. lib. XII. Nota res officia pro officialibus, miniſteria pro miniſtris, ut *Officium præſidis* l. pen. D. de Fugit. d. l. VII. C. de Accuſat. & paſſim. Nota item res, ſervos aut officia aut artificia eſſe.

Ac communiter quidem quævis indicia, notoriæ; ſed proprie adparitorum publica indicia, notoriæ, ut d. l. VII. C. de Accuſat. d. l. XXXI. C. Theodoſ. de Epiſc. & cler. & D. Auguſtini epiſt. LIX. & ſeq. ubi male ſcriptum *notaria.* Ut & *notariis* male pro *notoriis* ex epiſt. LIX. in Jure canonum c. I. XXIII. Quæſt. V. Errant, qui arbitrati nihil intereſſe.

Altera differitas indicii & notoriæ. Indicium vel vocis vel ſcripti eſt: notoria autem proprie ſcripti, ut d. l. XXXI. & apud Trebell. Pollionem fine Claudii, ubi notoria eſt epiſtola faciens indicinam. Sic l. VI. D. de Cuſtod. & exh. reor. *Elogia ſcribere.* Nam res eadem ibi *elogium* & *notoria* & *epiſtola.* Ergo & in Eclogis πιττακώματα, notoriæ. lib. LX. Tit. I. c. XV.

Cum amanuenſibus ſuis.] Gloſſæ: *Amanuenſis*, προχειροφόρος, προχειράριος. Tullius refugiens aut nec habens nomen *amanuenſium*, *librarios* dixit, ut Philipp. II.

Se maximum falſarium eſſe potuiſſe.] Bene cum imi-

imitandi peritia crimen falſi junxit. Falſarii enim, *qui ſe chirographis imitandis exercent* ad fraudem. Et *Falſitas verarum litterarum imitatio.* παραποίησις, τῶν ἀληθῶν γραμμάτων μίμησις. Procemio Novel. LXXIII. Gloſſæ: Πλαςογράφος, *falſarius.* Summi autem falſarii ſpecimen *Priſcus Emeſenus*, de quo Suidas.

CAP. IV.

Tribunus militum meruit.] Sic & Veſpaſiani patris. c. II. *Tribunus militum in Thracia meruit*, &c. Ubi legunt male, *Tribunatu militum*, &c.

Ac titulis.] Titulis ſtatuarum, ut Veſpaſiani c. I. Tullii Philipp. IX. & Verrina IV. Aut & titulis, in atriis ad imagines. De his titulis Valerius c. VIII. lib. V. Effigies majorum cum titulis ſuis, idcirco in prima ædium parte poni ſolere, &c. Hæc *pagina honorum* Juvenali Sat. X. ubi Gloſſæ: *Tabulam patronatus* vocant, & definiunt *æneam paginam, quæ ante imagines patritiorum ſtans omnes eorum gradus honorum inſcriptos continet*, &c. Sic ergo & in provincialium atriis, præſidum bene merentium, & Imperatorum imagines cum titulis: ut Ciceronis Verrina IV. Etiam hodieque ſic Regum ac Principum.

Sed præfecto quondam Prætorianarum cohortium.] Præfectorii viri filia Tertulla. Diligenter monuit hoc Suetonius, ne impares nuptiæ viderentur, Titi cum equitis filia. Præfecti prætorio ampliſſima non quidem dignitas, ſed certe poteſtas, ut in tironum gratiam explico.

I. Præerat cohortibus Prætorianis.

II. Regii corporis cuſtodia huic credita. Herodianus lib. V. in epiſtola Macrini: Καὶ ἀυτὸς ὁ βασιλεὺς τοῖς ἐπάρχοις τῶν στρατοπέδων πεπίστευται. *Etiam Princeps ipſe creditus præfectis Prætorianarum cohortium.*

III. Principis ſigillum in cuſtodia præfecti, quæ moribus noſtris Cancellarii partes. Athenis autem ἐπιστάτου. Suidas: Ἐπιστάτης φυλάττει τοῦ ἱεροῦ τὰς κλεῖς, ἐν ᾧ τὰ δημόσια χρήματα, ἔτι μὴν καὶ τὴν δημοσίαν σφραγῖδα.

IV. Imperatoris litteras & diplomata per milites ſuos præfectus mittebat. Itaque apud Plutarchum in Galba non mediocriter indignantur conſulibus Nymphidius præfectus, quod diplomata obſignata, μὴ παρ᾽ ἀυτοῦ καὶ σφραγῖδα καὶ στρατιώτας λαβόντες ἀνέπεμψαν. neque ſigillo, neque militibus ab eo acceptis miſiſſent, &c.

V. *Pleniſſima licentia data præfectis ad diſciplinæ publicæ emendationem.* l. un. §. I. D. De Offic. Præf. præt.

VI. Adpellatio nulla a ſententiis præfectorum d. l. un. §. II. l. XVI. C. Theod. De appellat. l. un. C. de Sentent. Præfect. præt. Aurel. Caſſiod. Form. III. lib. VI.

VII. *Omnes omnino judices* præfecti prætorio *cenſuræ ſubditi.* l. XXXVIII. C. de Decur. *Omnes omnino*, Caſſiod. loco anted. & in Pſalm. CIV.

VIII. *Cunctæ & caſtrenſes & ordinariæ poteſtates* præfectum prætorio *ſuſpiciebant.* Amm. Marcellin. lib. XXI.

IX. *Etiam fiſcum pro ſua deliberatione diſtribuebat præfectus.* Caſſiod. Form. III. lib. VI. epiſt. XX. lib. VIII.

X. *Ingreſſus palatium Imperatoria conſuetudine*, ſive quaſi Princeps ipſe *adorabatur.* Caſſiod. Form. eadem. Sic & l. XVI. C. Theodoſ. de Adpellat. Præfecti veneratio, quaſi Principis ipſius veneratio eſt.

XI. *Vice ſacra*, id eſt, loco Principis, *ubique judicabat* d. l. XVI. C. Theod. de Adpellat. Caſſiod. Form. ead.

XII. *Præfecti reverentia* & Principem ipſum *ita conſtringebat, ut ſine dubitatione faceret* Princeps, *quæ præfectus decreviſſet.* Caſſiod. Form. ead.

XIII. Denique *præfectura honorum omnium apex* Ammian. loco anted: Sed intellige, poteſtate. *Summa* nempe *rerum* præfectis *commiſſa* l. XL. C. eod. Et a præfecto *pæne totum gerebatur*, *quidquid in imperio tractaretur.* Caſſiod. Formula ead. Quippe ut magiſter equitum ſecundus a dictatore olim: ſic in Rep. nova præfectus prætorio ſecundus a Principe d. l. un. §. I. l. II. §. *Hunc magiſtratum*, de Orig. Jur. D. Sozimus Hiſtor. novæ, lib. II. ἡ τῶν ὑπάρχων ἀρχὴ δευτέρα μετὰ τὰ σκῆπτρα νομιζομένη. *præfectorum magiſtratus ſecundus poſt ſceptra*, id eſt, Principem. Atque ut Caſſiodor. notat epiſt. XX. lib. VIII. Præfectus Prætorio *prædicatur a legibus*, *Pater provinciarum*, *Pater imperii*, &c. ubi & comparatio præfecti cum rege. Nec temere Eunapius in Proæreſio, præfecturam Prætorii eſſe βασιλείαν ἀπόρφυρον, *Regnum ſine purpura.* Quaſi diceres, Imperatorem eſſe præfectum purpuratum: præfectum Imperatorem ſine purpura. Vere & Opilius Macrinus in litteris ad Senatum, Herodiani lib. V. Præfecturam eſſe οὐ πολὺ τῆς ἐξουσίας βασιλικῆς ἀποδέουσαν. Non multum inſe-

inferiorem poteſtate Imperatoria. Et Evagrius lib. III. κορυφαίαν τῶν ἀρχῶν.

Hinc itaque præfectis imperium ſalivam ſæpe movit, ut *Nymphidio* apud Plutarchum, *Cleandro* apud Herodianum. lib. I. Lamprid. Commodo, *Plautiano* Herodiani lib. III. Spartiani Severo. *Opilio Macrino*, apud Jul. Capitolin. Nec mirum ergo, ſi Principes ut minuerent poteſtatem illam, equiti eam voluere, non ſenatori committere, ut poſt paullo dicendi locus. Hujuſmodi autem olim fere in Franciæ regum aula, *Majores domus.*

Caute itaque Auguſtus, cum primitus hunc magiſtratum inſtitueret, nimiam ejus poteſtatem minuere volens, duos ſimul præfectos creavit. Dio lib. LV. Recteque Aurelius Arcadius d. l. unic. non præfectum, ſed præfectos dixit. Remora eſſe ab Herodiano videtur, qui lib. III. agens de inſidiis Plautiani præfecti a Septimio Severo deprehenſis & oppreſſis, ſubjungit, Ὁ δὲ Σεβῆρος τοῦ μὲν λοιποῦ ὑπάρχοντας δύο τῶν στρατοπέδων κατέστησεν. *At Severus deinceps duos præfectos prætorios fecit.* Intellige non quaſi primus hoc ita Severus, ſed quaſi corrigens ſe ipſe, quod præter ſolitum & tanto periculo commiſiſſet uni hanc poteſtatem, deinceps mutarit conſilium, & vetere inſtituto duos ſecerit. Ut autem Auguſto primum, ſic & Tiberio & aliis deinceps duo præfecti. Patet C. Taciti annali XII. Dionis lib. LV. Extraordinarie autem Commodo tres præfecti apud Lamprid. Et aliis pleriſque unus. Conſtantino magno etiam IV. Zoſimi lib II. ut & in Notitia imperii. Juſtiniano autem etiam V. Denique ſub Imperatoribus præfecti, qui ſub dictatoribus olim magiſtri equitum. Cariſius l. unica, de Offic. Præf. præt. Pompon. l II. §. *Populo deinde.* de Orig. jur. Proptereaque Juvenal. Sat. IV. Criſpinum præf. præt. *principem equitum* vocat. Succeſſit autem præfectura illa magiſterio equitum ab Auguſto introducta, dante conſilium C. Mæcenate apud Dionem lib. LII. Triplex itaque hujuſce dignitatis mutatio. Nam ſub regibus, *tribuni celerum*: ſub dictatoribus, *magiſtri equitum*: ſub Imperatoribus *præfecti præt.* Patet legibus & locis antedictis. Atque hinc perſpicua res, quam cognitum *antiquitatis iter*, Aurelio Caſſiodoro in formula Præf. præt. III. lib. VI. Sed longior hæc jam forte quam par eſt, nobis præfectura. Nec enim præfecturæ hiſtoriam pertexere, ſed tironi, quare ut rem magnam Suetonius hoc de præfectorii viri filia notet, oſtendere volui.

Tarichæam.] *Tarichæas* Joſephus Exſcidii c. XXXII. lib. III. Hegeſippus c. XXXIII. lib. III.

In poteſtatem redegit.] Sed auxilio patris. Joſeph. Exſcid. c. XVII. XIX. lib. III. c. II. & III. lib. IV. Hegeſipp. c. XXIII. lib. III.

CAP. V.

Quaſi adoptionis gratia.] Narrat rem C. Tacitus principio II. Hiſtoriar.

Rediit ex itinere.] Hæc lentiora illa ſpatia, ut C. Tacitus vocat loco antedicto. *Inde*, inquit, *Syriam audentioribus ſpatiis petebat.* Lege: *Lentioribus ſpatiis*, &c. Sic Nicetas in Andronico lib. I. ὁμαλαῖς κινήσεσι, καὶ σταθμοῖς βραχέσι.

Paphiæ Veneris oraculo.] C. Tacitus loco eodem. ubi quod eſt, *Sed ſcientiam artemque Haruſpicum accitam & Cilicem Thamyram intuliſſe*, &c. melius alii libri, *Accitum e Cilicia Thamiram*, &c.

Imperatorem eum conſalutaverint.] *Maximis adclamationibus*, Joſephus Exſcidii c. XXXII. lib. V. Καὶ τὸν Τίτον μετὰ μεγίστων εὐφημιῶν ἀπέφηναν αὐτοκράτορα. Decies vero & quinquies Titum ſalutatum Imperatorem, & XV vice in Britannia, Dio tradit in Tito.

Decedentem provincia.] Provincia Judææ, ut C. Taciti II. Hiſtoriar. Vicinæ Provinciæ Syria & Judæa. Syria provincia conſularis: Judæa neque conſularis neque prætoria, ſed equeſtris & procuratoria. Neque præſides proprie dicti Judææ unquam, ſed procuratores. Ut C. Taciti annali XII. *Felix procurator Judææ.* Sic *Pontius Pilatus procurator Judææ* C. Taciti annali XV. dixi quoque Veſpaſ. c. IV. Alias equeſtris provincia Judæa, ut & Ægyptus. Judæa nempe alias equiti, alias liberto commiſſa. Tacitus idem V. Hiſtoriar. *Claudius*, inquit, *defunctis Judææ regibus aut ad modicum redactis, Judæam provinciam equitibus Romanis, aut libertis permiſit*, &c. Ergo & quod D. Lucæ c. III. eſt ἡγεμονεύοντος Ποντίου Πιλάτου τῆς Ἰουδαίας. Melius forte diceretur, *præfecto Judææ Pontio Pilato*, quam *præſide.*

Qui ſecius interpretarentur.] Bene libri veteres, *Qui ſequius interpretantur.* *Secius* eſt minus: *ſequius*, aliter. Itaque Cariſius lib. II. *Secius* explicat minus: tum ſubjungit, *Sequius*, & profert illud Afranii: *Sin id quod non ſpero, ratio talis ſequius ceciderit.* *Sequius*, hoc eſt, aliter. Hinc *ſequius* pro alio & deteriore, ut Apuleji lib. VII. *Sequior ſexus.*

CAP. VI.

Cenſuramque geſſit una.] De qua cenſura dixi ad Veſpaſiani c. VIII.

Intereſt vero cenſura Reip. veteris & novæ.

1. Reipublicæ veteris ritu, qui cenſores ii & nomine cenſorum uſi & inſignibus: in Rep. nova Principes, cenſoria uſi poteſtate, nomine atque inſignibus abſtinuere, quoniam alia eis auguſtiora. Ergo & Julius Cæſar cenſuræ poteſtatem accepit,

ſed nomine abſtinuit; neque cenſor, ſed morum præfectus dici voluit, quaſi cenſoris nomen infra ipſius dignitatem eſſet. Suetonius Julii c. LXXVI. Dio lib. XLIII. Τρόπων, inquit, ἐπιςάτης ὠνομάσθην, ὥσπερ ἐκ ἀξίας τῆς τῦ τιμητῦ προσρήσεως ἔσης, εἰς τρία ἔτη, &c. *Morum præfectus nominatus eſt, quaſi cenſoris nomen parum ipſo dignum eſſet, in tres annos*, &c. Proprieque Suetonius de Auguſto c. XXVII. *Recepit*, inquit, *& morum legumque regimen*, &c. Non dixit cenſuram, ſed *morum legumque regimen*. Et cenſoriam illam poteſtatem ſine honore & inſignibus fuiſſe, ipſe mox ibi. Subjungit enim: *Quo jure, quanquam ſine cenſuræ honore, cenſum tamen populi ter egit*, &c. Jus nempe illud Auguſto, ſive poteſtas cenſoria, non autem honor cenſuræ. Propter hoc jus tamen ſive hanc poteſtatem a ſcriptoribus Principes etiam dicti cenſores. Itaque Prudentius lib. II. contra Symmachum agens de Julio recte junxit,

--- *Cenſorque bonus morumque magiſter.*

Et Domitianus Dioni eſt τιμητὴς, id eſt, *cenſor*: idemque Juvenali Satyr. IV. *judex morum.*

II. Altera item differitas præfecturæ ſive magiſterii morum & cenſuræ. Cenſura temporaria, ut & a principio Cæſari præfectura morum triennii, ut ex Dione ante dictum eſt: primus Auguſtus *recepit morum legumque regimen perpetuum.* Suetonius c. XXVII. Sed quid Dioni faciemus, ajenti, primum fuiſſe Domitianum, qui perpetuus cenſor? Τιμητὴς διὰ βίυ, inquit, πρῶτος δὴ καὶ μόνος καὶ ἰδιωτῶν καὶ αὐτοκρατόρων ἐκλήθη. *Cenſor in omne vitæ ſuæ tempus dictus eſt primus & ſolus omnium & privatorum & Principum.* Videtur Auguſtus cenſoris nomine abſtinens, primus perpetuus morum præfectus fuiſſe: at Domitianus etiam primus perpetuus cenſor dictus, ſive uſus nomine cenſoris, ſimiliterque & alii poſt Domitianum Principes. Quo reſpiciens Plinius in Grat. act. *Nam vita*, inquit, *Principis cenſura eſt, eaque perpetua.*

Creati autem præfecti morum Principes olim κατὰ τὸ ἀρχαῖον ſive ritu priſco, ut loquitur Dio libro LIII. id eſt, ſuffragiis populi ſive comitiis cenſoriis, ut patet Dionis lib. XLIII. Suetonii Auguſto c. XXVII. quemadmodum & Domitianum cenſorem perpetuum creatum eſſe, Dio inquit: at ſuo ſæculo neque ſuffragiis populi Principes creari cenſores, ſed ſimul cum imperio cenſoriam accipere poteſtatem, neque cenſoris nomen uſurpare, niſi forte ſi populi cenſum agant. Loco autem illo Dionis ex lib. LIII. male ſcriptum κατὰ τὸ ἤδη πάτριον, pro κατὰ τὸ ἦθος πάτριον. Novo autem exemplo ſub Decio Imper. permiſſa ſenatui poteſtate a Decio, ſuffragiis ampliſſimi ordinis Valerianus abſens dictus cenſor, ſed confirmatus a Decio, qui, ut narrat Trebell. Pollio, *Felicem te*, inquit, *Valeriane, Senatus ſententia*, &c. & mox: *Totius orbis humani ſuſcipe cenſuram*, &c. Corrigunt, *orbis Romani.* Fruſtra. Nam *orbem humanum* Pollio dixit, opponens barbarico, ut *gentes humanas* Ulpianus dixit l. 1. de Juſt. & jure. Aut *orbem humanum* dixit, quia orbis Romanus a potiore parte orbis generis humani. Sic *Romana dominatio*, dicitur *generis humani* a L. Floro c. III. lib. IV. & Imperator *generis humani dominus*, ab Eumenio poſtulatione pro Menianis & Panegyrico Conſtantii. Neque diſſimiliter de ſe ipſe Juſtinianus l. VII. §. IV. de Cur. fur. l. XIII. de Judic. Sic etiam C. Plinius in Grat. act. & epiſt. XXVIII. lib. X. & alter Plinius c. IV. lib. XVI. & Inſcriptiones antiquæ.

III. Etiam illa diſcretio cenſuræ veteris & novæ, quod cenſores veteris Reipubl. ipſi cenſum agebant: cenſoribus Reip. novæ ſubcenſores ſive ὑποτιμηταὶ, qui cenſum vice Principis agerent, quales inſtitui Mæcenas Auguſto ſuadet apud Dionem lib. LII. Laborioſum enim & vile Principi cenſum agere.

Eidem collega & in tribunitia poteſtate.] Eaque ipſa tribunitiæ poteſtatis communicatione Titus ad ſpem admotus imperii. Hoc item tironi operæ pretium enucleare.

Ut cenſoria vis ac poteſtas Principi ſine nomine atque inſignibus cenſuræ, ſic tribunitia ei poteſtas ſine nomine & inſignibus tribuni pleb. Tribunitiam illam poteſtatem recepere Principes, duabus potiſſimum de cauſis, quas erudite Dio explicat lib. LIII. Una eſt, quia per hanc poteſtatem ſumma eis facultas intercedendi omnibus decretis, quæ contra ipſorum voluntatem ac nutum a magiſtratibus in Republ. fierent, ſive omnia vetandi quæ facta nollent: altera, quia per illam poteſtatem ſacroſancti erant, ita ut ſi vel verbulo eos civis aliquis læſiſſet, indicta eum cauſa, tanquam hominem ſacrum occiderent.

Longe itaque ac multum differunt tribunatus plebis, & tribunitia poteſtas. Tribunitia poteſtas ſine tribuni plebis nomine & inſignibus, quemadmodum dixi, puta, toga pura, limine noctu atque interdiu patente: tribunatus vero plebis duplex. Unus Reip. veteris, qui junctus cum tribunitia poteſtate: alter Reip. novæ, qui ſine tribunitia poteſtate. Nam ſub Imperatoribus tribuni aliqui, ſed tenui aut nulla poteſtate. Sic C. Taciti annali XVI. in narratione de Thraſea, tribuni pleb. *vana & non profutura interceſſio.* Tangit & Plin. epiſt. XXIII. lib. I. Fuit tamen aliqua poteſtas ejuſmodi ſub Nerva, ut patet C. Plinii epiſt. XIII. lib. IX. ſed ea pauliſper, ſicut *herba ſolſtitialis.* Fuit & ſub Marco, ſub quo, ut inquit Æl. Spart. Severus, qui

qui poſtea Imperator, *tribunatum pleb. ſeveriſſime exercitatiſſimeque egit*, &c. Neque plebei tantum ſub Imperatoribus tribuni, ſed & patricii, ut morem ſui ſæculi Appianus notat lib. I. Juſtus Lipſius in Electis c. XIII. lib. II. cenſet tribunos ad latum clavum redactos plebiſcito Atinio, de quo A. Gellius c. ult. lib. XIV. Sed retuleris melius ad Auguſtum, qui ex conſilio C. Mæcenatis magiſtratibus ſpeciem dignitatis reliquit, poteſtatem novandi quippiam ademit, apud Dionem lib. LII. Non pertinere autem ad plebiſcitum Atinium, inde liquere poteſt, quod, L. Sylla mortuo, Cn. Pompejus integram tribunis poteſtatem reſtituit. Tanta igitur cum poteſtas illa tribunitia eſſet, Princeps quem ad imperii ſpem vocaret, hunc illius poteſtatis conſortem ſolitus facere. Patet narratione C. Taciti annali III. ubi tribunitiam poteſtatem Tiberius Druſo petit a Senatu. *Auguſtus*, inquit, *M. Agrippam ſocium tribunitiæ poteſtatis, quo defuncto Tiberium Neronem delegit, ne ſucceſſor in incerto foret*, &c. Sic ergo & Tiberius ibi Druſo hanc poteſtatem petit tanquam ſucceſſori, & Sejano injecta ſpes tribunitiæ poteſtatis, apud Dionem lib. LVIII. & Titus nunc patri *collega in tribunitia poteſtate*, tanquam proximo ad imperii ſucceſſionem gradu, quales dicti poſt Cæſares, ut l. VI. D. de Jure fiſci l. IV. C. Theodoſ. de Maleſ. Hujuſmodi hodie in Germanico imperio *Rex Romanorum*, in Gallia *Delphinus*, Hiſpanis *Princeps*, Novæ Romæ olim Δεσπότης.

Accepit vero primus hanc tribunitiam poteſtatem Julius Cæſar, Dio lib. XLII. uſurpavit in titulis ſuis primus Auguſtus.

Et in VII. conſulatibus.] In VII. conſulatibus poſtremis. Nam Veſpaſiani patris conſulatus IX. duo ante conſulatum primum filii. Sueton. Veſpaſiani c. VIII.

Epiſtolas ipſe dictaret.] Epiſtolas vel formales, vel quibus reſcriberet conſultus de juris capite aliquo. Formales epiſtolæ, ut ad procuratores, Domitiani c. XIII. Ad hoc exemplum eccleſiaſtico ritu olim epiſtolæ formatæ, quarum genera duo. Nam aut de eccleſiaſtico ritu præceptove aliquo mittebantur ab epiſcopo per eccleſias, eæque apud Caſſianum c. II Collat. X. *epiſtolæ ſolennes*: aut commendabatur ab epiſcopo ejuſmodi epiſtola clericus aliquis de ſua eccleſia proficiſcens in aliam, ut Sidonii epiſt. VIII. lib. VI. Neque fas clerico ſine ejuſmodi litteris proficiſci, ut in Capitular. Caroli M. *De formatis faciendis, & ut ſine formata nullus proficiſcatur clericus.* Qui ritus hodieque in eccleſia Orientis ſub imperio Turcarum. Eaque Græcis ἀπολυτικὰ, ut ἀπολυτικὸν ſive *dimiſſorium* Calliſti Metropolitæ Rhodi. Epiſtolarum vero, quibus Princeps reſcribit aut magiſtratui, aut præſidi, aut privato conſulenti de jure, exempla ſunt epiſtolæ Trajani ad Plinium lib. X. Exerrare videtur Theophilus §. *Sed & quod principi.* Inſtit. de Jure nat. qui cenſet, epiſtolas ejuſmodi tantum fuiſſe ad magiſtratus. Nam mitticulari ſolitas etiam ad privatos, liquet paſſim C. Juſtiniani. Et vero etiam ad feminas, ut Theodoram l. XVIII. C. ad C. Jul. de adult. ubi adpoſitum illud in fine *Accepta*, oſtendit, epiſtolam eſſe, non decretum, aut edictum. Sic etiam *miſſa* l. I. C. Theod. De tractoriis.

Etiam quæſtoris vice.] Quæſtoris nempe candidati Cæſaris. Quæſtores candidati *ſolis libris principalibus in Senatu legendis vacabant*, l. unica §. II. D. de Offic. quæſtor. *Libros principales* intelligit orationes Principis & epiſtolas. Tangit hunc ritum Sueton. Auguſti c. LXV. Neronis c. XV. Dio lib. LIV. & LIX. L. Seneca epiſt. VIII.

Ac olim quidem candidatis omnibus commune hoc recitandi officium: ſed poſtmodo legi cœptus unus de numero candidatorum ceteris excellens, cujus partes hæ. Proptereaque dictus quæſtor ſacri Palatii. Hinc quæſtor ſacri Palatii, *principalis linguæ vox*, Aurel. Caſſiodori Formula V. lib. VI. Et *legum vox*, epiſt. XIII. lib. VIII. Quia ſc. Principis epiſtolæ & orationes, leges ſunt. Eas autem recitare ſolitus Quæſtor. Neque tamen eſſe deſierunt & alii quæſtores candidati. Sic enim Conſtantii Imperatoris *candidatus*, apud D. Hieronymum vita Hilarionis. Et turba candidatorum in palatio apud Luitprandum Ticinenſem c. V. lib XI. Fabella igitur eſt, quod Cedrenus narrat de Juniore A. ὃς πρῶτος ἐποίησε Κανδιδάτον καὶ Προτέκτορας. *Qui primus Candidatum fecit, & Protectores.* Perſuaſi aliqui quæſtorem ſacri palatii recte nominari, qui hodie Cancellarius eſt. Sic enim V. C. Cujacius notavit ad tit. XII. lib. X. Codicis. Sed longe differunt. Cancellarii enim honor, omnium dignitatum apex hodie: quæſtura vero ſacri palatii aditus primus ſive janua quædam ad honores. Hinc Aurel. Caſſiodori epiſt. XIV. lib. VIII. *Quæſtura quaſi janua, per quam venientium dignitatum culmina exeunt.* Et ejuſdem libri epiſt. XIII. *Quæſtura fons omnium dignitatum.* Et epiſt. XIX. *Quæſtura mater Senatoris.* Et form. V. lib. VI. *Quæſtura genitrix omnium dignitatum.* Sic Auſonius Protrept. ad nepotem, quibus honorum quaſi gradibus adſcenderit, recenſet hoc modo: Primum Gratiani A. pædagogus ſive magiſter, deinde quæſtor, tum præfectus prætorio primum Italiæ, deinde Galliæ, poſtremo conſul. Etiam Tribunianus primum Quæſtor. deinde Cos. §. *Cumque hoc Deo.* Procem. Inſtit. *Et principio.* Orat. de Confirm. Digeſtor. Ergo qui Cancellarius hodie, idem hoc nomine & olim, ſed non pari dignitate, ritu veteris Romæ. Cancellarius nempe Palatinus, qui *ſacri conſiſtorii ſecreta cuſtodit.* Aurel. Caſſiodori Formula VI. lib. XI. Alii cancellarii provinciales ſive de palatio emiſſi, ut eſſent quaſi epiſcopi & inſpectores ſive correctores judicum, vice Principis, ut

ut Caſſiodori Form. I. lib. XII. *Faſces tibi judicum parent*, &c. & epiſt. III. lib. XII. Sic *Cancellarius Samnii*, epiſt. XXXVI. *Cancellarius Campaniæ* epiſt. XXXVI. *Campaniæ & Brutiorum* epiſt. XXXIX. lib. XI. *Cancellarii provinciarum diverſi*, epiſt. I. & X. lib. XII. *Cancellarius Calabriæ & Apuliæ*, epiſt. XXXV. lib. I. Sic novæ Romæ varii λογοθέται, ſed aliis omnibus unus excellens ὁ μέγας λογοθέτης, magnus Logotheta, ut Nicephori Gregoræ lib. VIII. Ut hodie *magnus Franciæ Cancellarius*. Diſertim vero Nicetas in Annalibus καγκελάριον eſſe admonet, qui Græcis λογοθέτης. Atque ut Caſſiodori Cancellarius, *conſiſtorii ſecretorum cuſtos*: ſic novæ Romæ in Palatio λογοθέτης τῶν σεκρέτων, *Logotheta ſecretorum*, L. Codinus in offic.

Nec vero recens cancellarii nomen, ſed & jam olim Romæ veteri uſurpatum. Flavius Vopiſc. in Carino, *Præfectum*, inquit, *Prætorii unum ex Cancellariis ſuis fecit, quo fœdius nec cogitari potuit aliquando nec dici*. Sed ſcripſerat Vopiſcus. *Quo fœdior*, &c. Nec enim hoc intelligi vult, fœdum ex cancellario fieri præfectum prætorio: ſed cancellarium illum talem fuiſſe, ut fœdior unus nemo aut cogitari potuerit aut dici.

Dixit Vopiſcus unum ex cancellariis: multi enim, ut & ante dictum ex epiſtolis Caſſiodori. Sic & Novæ Romæ varii λογοθέται, ut λογοθέτης τῶν σεκρέτων apud Nicetam: γενικὸς λογοθέτης, generalis logotheta apud Cedrinum. idemque λογοθέτης ἀπὸ γενικῶν. Alius item λογοθέτης τοῦ δρόμου apud eundem, ubi non recte corrigunt τοῦ δόμου. Nam λογοθέτης δρόμου, logothetes publici curſus, quem & Cedrinus ibi adnumerat inter μεγίστας ἀρχὰς, ſive *maxima imperia*.

Nunquam ad id tempus, niſi ab equite Rom. adminiſtratam.] Propter ſummam præfecturæ prætorii poteſtatem equiti commiſſa tantum hæc præfectura, quemadmodum & præfectura Ægypti, ſive præfectura Auguſtalis. Hinc itaque Suetonii Galbæ c. XIV. præfectura prætorii, *ſummus equeſter gradus*. & apud Lamprid. Paternus quidam laticlavius factus ſive ſenatorii ordinis, ut deſineret præfectus eſſe prætorii. Et apud Jul. Capitolinum Pertinax præfectus fieri non potuit, quia ſenator.

Opponunt exemplum Sejani. Nam is, ut Tiberius apud C. Tacitum inquit, Annali IV. *exceſſit faſtigium equeſtre*, & tamen præfectus prætorio eſt. Hoc ita diluit interpres Taciti, *Sejanum excipi*. Sed tralatitium hoc quidem reſponſum eſt. Melius dixeris, Sejanum exceſſiſſe faſtigium equeſtre, & nihilominus equitem fuiſſe. Nam novo exemplo Sejanus quanquam eques, tamen ornatus a Tiberio inſignibus prætoriis fuerat, ut Dio refert lib. LVII. qui & ut novum hoc atque inſolens miratur, eum qui ne quæſtor quidem aut ædilis fuiſſet, neque in ſenatu omnino eſſet, dignitate fuiſſe prætoria. Sic itaque Sejanus eques, & tamen equeſtri dignitate ſuperior. Adfectavit hoc ipſum in laudis & gloriæ loco Sejanus tali ambitione, quali Pompejus olim eques tantum eſſe voluit, ut eleganter Plutarchus dixit, τὸ ἔνδοξον ἐκ τοῦ παραδόξου θηρώμενος. *captans hominum de ſe opinionem ac gloriam ex inopinato*, &c. Nam reddere verbum pro verbo, haud facile eſt.

Sic & C. Taciti Annali XVI. Criſpinus eques donatus inſignibus conſularibus, & tamen eques Criſpinus ille nihilominus, præfectuſque prætorio. Et principio Annalis XI. Criſpinus idem eques, etſi decreta ei inſignia Prætoria.

Neque Clementis Arretini ex C. Taciti annali IV. obſtat exemplum. Senator enim ille Clemens idem & præfectus prætorio; ſed tumultu militari, non more majorum.

Sic & illud inſolens novique exempli, quod Alexander Severus præfectos prætorio ſenatores fecit. Lamprid. in Alexandro.

Egit aliquanto incivilius & violentius.] Τυραννικώτερόν πως καὶ βιαιότερον. *Inciviliter* eſt tyrannice & vi ac poteſtate dominica. Ut apud Calpurn. Flaccum, Declam. VI. *pluſquam civilia cupere*, eſt adpetere dominatum ſive tyrannidem. Et C. Taciti Annali I. *pluſquam civilia agitare*. Lucanus principio ſui operis:

Bella per Emathios pluſquam civilia campos,

id eſt, incivilia, ſive quibus uterque & Cæſar & Pompejus dominatum petebat. Huic incivilitati contraria civilitas, cum, qui dignitate ſuperior, ἰσονομίᾳ, & morum facilitate par eſt. Ut Suetonii Auguſto c. LI. Capitolini Pio in fine, Lampridii Alexandro. Et *civile imperium* Salluſtii Jugurth. Itaque hanc *civilem æquationem* dixit Calpurnius Flaccus Declam. eadem.

In his A. Cæcinam.] Dioni eſt *Allienus*. Plena itaque nomenclatura ejus *A. Allienus Cæcina*. Hinc apud C. Tacitum lib. I. Hiſtor. qui in pleriſque libris eſt *Alienus Cæcina*, in aliis eſt, *A. Cæcina*. In faſtis autem pleriſque male *A. Licinius*.

Ac vix dum triclinio egreſſum.] Ut T. Livius lib. XL. *Forte triclinio egreſſus*. Etenim cœnaculum ſive diæta ſive zeta ſive cœnatio, ubi tres clinæ ſive lectuli, triclinium eſt. Nota res ex Iſidori c. III. lib. X. Porphyrione in Artem Poet. Neque tamen Servius debuit reprehendi, qui ad Æneid. I. notat triclinium eſſe non locum, ubi tres clinæ; ſed ipſas clinas ſive lectulos. recte Servius. Nam proprie tres clinæ τρίκλινον, figurate autem & cœnatio ipſa triclinium, ſive, ut Græcus diceret, οἶκος τρίκλινος Julii Polluc. c. VIII. lib. I. Varro

itaque

itaque proprie c. XIII. lib. III. de Re Ruſt. *Erat locus celſus, ubi triclinio poſito cœnabamus.* hoc eſt, poſitis ſive ſtratis tribus lectulis. ſed idem, *conſternere triclinium* VIII. de Ling. Lat. Creberrimus tamen & ille uſus triclinii pro cœnatione, ut hoc Suetonii loco & paſſim Sic in excerpt. Gloſſar. *Triclinium*, τρικλινον, *Hiemale*, χειμερινόν. *Æſtivale*, θερινόν. quemadmodum cœnationes hibernæ aut æſtivæ Tullii epiſt. I. lib. III. ad Q. Frat. Apud Vitruvium autem quadruplex tricliniorum genus, *hibernum*, *vernum*, *autumnale*, *æſtivum*: Sic & ſigma *hibernum* aut *æſtivum*, Sidon. in Burgo Leontii. Paulatim vero etiam loca ſine lectulis triclinia, ut triclinium pro apotheca in geſtis Cæciliani, additis Collatiani Carthaginienſi. Et *triclinium rationale* Ammiani Marcell. lib. XV. Et apud Petronium.

Addamus hoc tironi de ſigmate. Sigma neque biclinium eſſe, ut aliqui opinati; neque menſam, ut alii. Refellit enim hoc Lamprid. in Avito. Sed erat ſigma lectulus unus oblongus, & quaſi orbe dimidiato ad ſimilitudinem litteræ ſigma.

CAP. VII.

Neque minus libido.] Hinc deſultor ille Julianus Cæſar in Cæſaribus ſuis Silenum agens, Titum vellicandi occaſionem rapit, & de Tito quaſi ad Jovem, cui mimus ille & momus in conſilio eſt, παίζειν, inquit, κελευε μετὰ τῆς Ἀφροδίτης τῆς πανδήμȣ.

Inſignem reginæ Berenices amorem.] Inſignis ille ad turpitudinem Berenices amor, quippe mulieris Judaicæ. Odioſiſſimi autem & contemtiſſimi Romanis Judæi Ergo neque ex triumpho Judaico vel pater Veſpaſianus, vel Titus filius Judaicos ſe dici voluere. Dio in Veſpaſ.

In cognitionibus patris nundinari & præmiari ſolitum.] Nundinari, vendere litium eventus. Lamprid. in Commodo. *Vendiderunt ſub eo etiam eventus litium liberti.* Et apud eundem in Alexandro Vetranius Turinus ſuffragator, *eventum cauſæ vendis.* & C. Taciti annali XIV. Fabricius Vejento *venditat munera Principis & adipiſcendorum honorum jus*, &c. Præmiari autem præmium ſtipulari ſuffragationis. Ejuſmodi ſuffragationum præmia, dicta ſuffragia, nempe, data pro ſuffragatione ſive interceſſione apud Principem. Gloſſæ: *Suffragium*, δόσις. Agræt. in Orthograph. *Suffragia*, inquit, *& populi quæ honorant dicuntur & quæ donantur.* Lege: *Suffragia populi & quæ honorant dicuntur, & quæ donantur*, &c.

Ejuſmodi præmia ſive ſuffragia, legitima olim ſive legibus permiſſa, ut patet l. un. De ſuffrag. l. II. C. Theod. Si cert. pet. de ſuffrag. Sed conſtitutione Juliani quæ exſtat. l. I. C. Theod. eod. ſemilegitima ſuffragia illa. Vetat enim illa conſtitutio ſuffragia emi, vendi non vetat. Tib. vero Imp. melius Novel. CLXI. qui & emi & vendi vetuit.

Pro bono ceſſit.] *Pro bono*, utilitati. Salluſt. Jugurth. *Populum R. neque recte neque pro bono factum*, &c.

Præcipueque ſunt uſi.] Peſſime ita ſcripſere hactenus omnes. At Suetonii manus: *Amicos elegit, quibus etiam poſt eum Principes, ut & ſibi & Reip. neceſſariis, acquieverunt. Præcipueque ſponſam ſibi Berenicem, ſtatim*, &c. Libri veteres: *Præcipueque ſumtam ſibi Berenicem*, &c. Errore librarii, *ſumtam* pro *ſponſam*, id eſt, deſponſam. Indicio eſt Suetonius ipſe: nam dixit, *cui etiam nuptias pollicitus ferebatur.* Et Dio Veſpaſ. Προσεδοκᾶτο δὲ γαμηθήσεσθαι αὐτῷ, καὶ πάντα ἤδη ὡς καὶ γυνὴ αὐτȣ̃ ȣ̃σα ἐποιεῖτο. *Et opinio erat eam Tito nupturam, jamque omnia quaſi pro uxore agebat.* Articulum *præcipue*, Suetonius non ad amicos Titi refert (nam ſic ἀργῶς & ignaviter ſe haberet) ſed ad ſponſæ Berenicæ dimiſſionem. Hoc enim præcipuum Tito ſive primum & ſummum propter populi offenſionem.

Quoſdam e gratiſſimis delicatorum.] Hunc Suetonii locum imitatus Aurel. Victor in Tito: *Denique*, inquit, *ut ſubiit pondus regium, Berenicen nuptias ſuas ſperantem, regredi domum & enervatorum greges abire præcepit*, &c Scripſerat forte Victor, *& eviratorum greges*, intelligens ſpadonum greges. Sic enim Suetonius ante, *propter exoletorum & ſpadonum greges.* Spadones Latinis *evirati.* Martial. epigr. XLII. lib. V.

Spadone cum ſis eviratior fluxo.

Gloſſæ: *Eviratus*, ἀπόκοπος, κίναιδος. Et in Hiſtoria Lauſiaca, *Moſchus eviratus*, id eſt, ſpado. Ut & apud Frodoardum in Chronico, *Eviratus* pro caſtrato. *Evirare* Marcellus interpretatus *virilitatem amittere*, *& effeminari.* Sed male ibi *evirare*, pro *evirari.* Alio ſenſu in Iſidori Gloſſis: *Evirat, exanimat, evacuat.* Sed puto ſcripſerat Iſidor. *Evitat. Evitare*, vitam adimere, ut in veteris Poetæ verſu apud Cic. Tuſc. I. *Priamo vitam evitari.* Quod autem Victor ait, *abire præcepit*, intellige abire, non urbe aut Italia, ſed aula.

Amicos elegit.] Amicos, conſiliarios, ut apud Lamprid. in Alexandro: *Alexandrum fuiſſe bonum, quia boni ejus amici*, hoc eſt, conſiliarii. ubi quod ſequitur, *atque adeo illum magis odio fuiſſe, qui Rempubl. pejoris vitæ hominibus commendaverat*, puto eſſe debere, *Atqui ait illum magis odio eſſe*, &c. Vox nempe reprehendentis coram & Cynice Trajanum. Sic & amici Principis pro conſiliariis nota res in Jure civili D. & C. Male autem apud Lamprid. eſt *Homulus*, pejus aliis *Omollus*.

Eſſe debet *Homilus*. Sic *Homilus* alius ſub Cajo, de quo Philo Herennius legat. ad Cajum.

Abſtinuit alieno] Abſtinuit quoque Auguſtus apud Sueton. c. LVI. Hadrianus apud Dionem. Trajanus apud Plinium epiſt cx. lib. x. Plurimæque in hanc ſententiam leges in Jure civili D. & C. quibus Princeps vetatur tangere aliena, quas nunc recitare omnes longum eſſet. Opponitur una, ſed fruſtra. Nempe l. 11. §. *Si quis a principe.* D. Ne quid in loc. publ.

Thermiſque juxta.] Hæ thermæ Titianæ. Cariſius lib. 1. Euſeb. Chronicis. P. Victor & Sex. Ruffus topographia Urbis Dio in Tito

Celeriter exſtructis.] Itaque Martiali in Spectaculis epigr. 1. ſunt *velocia munera.*

In veteri naumachia.] In Auguſti naumachia, hortis Caji & Lucii, Dio in Tito.

Quinque millia omne genus ferarum.] Sic item Eutropius, Oroſius, Euſebius Chronicis, alii. Reprehenditur autem Dio, qui novem millia dixit. Sed diſtinguamus licet: feras numerari a Suetonio & his quos dixi, ſive θηρία: a Dione autem & pecudes & feras, ſive βοτὰ καὶ θηρία.

CAP. VIII.

Natura autem benivolentiſſimus, cum.] Lege, *Natura autem benivolentiſſimus. Cum ex inſtituto Tiberii*, &c. Non ſemel in Suetonii ſcriptura peccavere hactenus editiones omnes, cæſuris ejuſmodi non obſervatis, ut dixi ad c. 1.

Omnia uno confirmavit edicto.] Narrat rem Dio in Tito Ad exemplum autem Titi & Nerva deinde ſic edixit apud Plinium epiſtolar. lib. x.

Omnium hominum.] Melius: *In ceteris vero deſideriis omnium hominum, obſtinatiſſime tenuit*, &c.

Non oportere ait.] Ut apud Euſebium Conſtantinus M. principio lib. IV. de vita ejus cenſet, μὴ ἐξεῖναι τοσούτῳ βασιλεῖ παραστάντα κατηφῆ τινα καὶ λυπηρὸν ἀπαλλάτλεσθαι. *Nefas eſſe aliquem, qui tanto regi adſtiterit, confuſum ac dolentem abire.* Ergo & ſubjungit Euſebius, οὐκ ἦν σκοποῦ διαμαρτεῖν, παρὰ τοῦ βασιλέως χάριν αἰτοῦντα. *Nec quiſquam fruſtra erat, qui beneficium a principe peteret.* Neque diſſimiliter de Michaele Paphlagone Imp. Conſtantinus Manaſſes, *neminem ab eo triſtem diſceſſiſſe.* Athalaricus Italiæ rex apud Aurel. Caſſiodor. epiſt. XXII. *Principis ſemper votum eſt, præſtitiſſe*, &c. Talium vero ſententiarum rationem ex Dionis Pruſæi orat 1. de Regno apponere licet: Principem eſſe debere τῶν ἀγαθῶν ἀφειδέστατον, ὡς οὐδέποτε ἐπιλειψόντων. *Bonorum datorem largiſſimum, quaſi cui nunquam opes deficere poſſint.* Bene hoc Dio: nam & Stagirita c. 1. lib. IX. ad Nicom. Τοῖς τυράννοις, inquit, οὐ λέγομεν ἀσώτοις. Τὸ γὰρ πλῆθος τῆς κτήσεως οὐ δοκεῖ ῥᾴδιον εἶναι ταῖς δόσεσι καὶ δαπάναις ὑπερβάλλειν. *Reges prodigos ſive aſotos non vocamus. Nam propter copiam rerum, quas poſſident, non facile videntur largiendi & ſumtus faciendi excedere poſſe modum.* Feſtiva huic rei narratio de Henrico, cui cognomentum Largus, Campaniæ comite, apud Jonvillæum vita S. Ludovici Francorum regis c. x. Ergo neque frugalitas virtus regis eſt, ſed hominis privati M. Cicero Cæſariana III. cum dixiſſet regem Gallogræciæ Dejotarum eſſe *ſingulari & admiranda frugalitate.* Mox ἐπιδιορθῶν, *Etſi*, inquit, *hoc verbo ſcio laudari reges non ſolere. Frugi hominem dici, non multum laudis habet in rege. Fortem, juſtum, ſeverum, gravem, magnanimum, largum, beneficum, liberalem: hæ ſunt regiæ laudes, illa privata eſt.* Digniſſima itaque illa Juſtiniani vox l. VII. C. De bon. quæ lib. *Ut Imperialis fortuna omnes ſupereminet alias, ita oportet & principales liberalitates culmum habere præcipuum.* Et quanquam vecors, tamen illud ſapienter olim C. Calig. Sueton. c XXXVII *Aut frugi hominem eſſe oportere, aut Cæſarem.* Oppoſitæ res, frugi homo & Cæſar.

Amici, diem perdidi.] Auſonius in Gratiarum actione, *Celebre*, inquit, *fuit Titi Cæſaris dictum, perdidiſſe ſe diem, quo nihil boni fecerat*, &c. Puto excidit vox, *cuiquam.* Scripſiſſe Auſonium ſcilicet, *quo nihil cuiquam boni fecerat.* Profert hoc Tit. Veſpaſiani dictum etiam D Hieronymus in c. VI. epiſt. ad Galatas. Etiam Themiſtius Euphrades Orat. VI. Et imitati Principes Theodoſius & Valentinianus. Novel. De patrim. rei dom. Guilielmus autem de Nangis in vita D. Ludovici Franciæ regis hunc Tito anteponit eo nomine, *quod Tito nulla dies ſine beneficiis: Ludovico nulla ſine eleëmoſynis & beneficiis.* Alphonſus quoque Arragonum rex dicere ſolitus, *Nunquam ſibi, hac quidem ex parte, diem periiſſe.*

Armatura Threcum.] Generis gladiaturæ Threcici. Sic Feſtus in *Retiario*, *Myrmillonicum*, inquit, *genus armaturæ Gallicum eſt.*

Cavillatus eſt.] Gloſſæ: Σκώπτω, *cavillor.* Σκῶμμα, *cavillatio.* Et *ridicularia*, *cavillationes.* Plauti Trucul. Scena, *Mirum.* & *cavillator facetus*, Milit. Scena, *Cohibete.* Et *cavillari*, *jocari* apud Feſtum & Marcellum.

Verum majeſtate ſalva.] Quem modum ſupergreſſus male Claudius Suetonii c. XXI. Et pater ipſe Titi Veſpaſianus, Sueton. c. XXII. Sapienter apud Stobæum Serm. CLII. Sopater admonet Principes, ut ſcommatis ſive dicteriis temperent, quia τὸ γελωτοποιεῖν καθαιρεῖ τὸ σεμνὸν τῆς ἀρχῆς. Scurrari, ſive ſcurrilitas, imperii majeſtatem minuit. Neque M. Cato injuria olim Cæcilio Senatori vitio verti, quod *ridicularia funderet*, *jocos diceret.*

diceret. Macrob. Saturn. c. x. l. II. Neque laudatus apud Spartianum Hadrianus, quod *dicaculus* eſſet. Bajazeti autem Turcarum tyranno etiam perniciabilis jocus in Tamerlanem, quaſi *ruſticum*, & *ignobilem*, apud Gregorium Protoveſtiarium c. XXIX. lib. I. Neque Fuſius Cos. impune dicax in Tiberium apud C Tacitum Annali V. ubi ſapiens C. Taciti verbum, *Facetiarum apud præpotentes in longum memoriam eſſe.*

Conflagratio Veſevi montis.] Scripſit forte Suetonius *Veſuvii.* Poetis eſt Veſevus & Veſuius. De conflagratione autem hac Dio in Tito, Plinius epiſt. XLIV. lib. IV. Item alii.

Et incendium Romæ.] Dio in Tito. L. ad Veſpaſ. c. VIII.

Conſolando per edicta.] Nec enim edictis jubere tantum aut vetare ſoliti Principes, ſed & monere, ſuadere, conſolari, docere, &c. Ut Caji c. XXX. Claudii XVI. & XXV.

Curatores reſtituendæ Campaniæ.] Coloniis in Campaniam deductis. Dio in Tito. Curatores autem, qui ſine imperio, ſed cum poteſtate. Feſtus in *Cum poteſtate.* Sic Tullius magiſtratus curatoreſque diſtinguit III. Legum: *At ſi quid erit, quod extra magiſtratus cœratore œſus ſit, qui cœret, populus creato, eique jus cœrandi dato.*

E conſularium numero.] Lecti nempe ſortito conſulares. Dio in Tito.

Reſtitutioni adflictarum civitatum adtribuit.] Titus adtribuit tanquam de ſuo. Caduca nempe & fiſco debita.

Nihil niſi ſibi publice periiſſe teſtatus.] Lege: *Nihil niſi ſibi publice periiſſe, teſtatus.* Nec enim de publica Titi teſtificatione Suetonius laborat, ſed tangere diſcrimen vult rerum, quæ publice & privatim periere. Nec veriſimile, quæ privatim cuique periere, a Tito reſtituta, ſed quæ publice. Perierant autem publice plurima, quæ Dio recenſet, ut Serapidis ac Iſidis fana. Item Septa, & templum Neptuni, & Thermæ Agrippæ, Pantheum, Diribitorium, Theatrum Balbi, Theatrum Cn. Pompeji, Palatium cum bibliotheca. Templum Jovis eique vicina templa, in Capitolio, &c. Dio in Tito. Teſtatio ergo Titi nihil niſi ſibi publice periiſſe, pollicitatio erat hæc taliaque opera reſtituendi. Et quidem ipſe huic interpretationi fundus Suetonius, qui ſubjungit: *Cuncta Prætoriorum ſuorum ornamenta, operibus ac templis deſtinavit.* Ecce ratio, cur nihil publice niſi Tito perierit.

Cuncta prætoriorum ſuorum ornamenta.] Ornamenta in prætoriis. Nam prætoria ad magnificentiam & voluptatem, l. CXCVIII. de Verb. ſign. Sic *prætorium ornare* Symmachus epiſt. LXVII. lib. VI. Optatus autem prætoriis locus in littore, aut ripa. Unde illud l. XIII. §. ult. D. de Injur. *Ante prætorium alienum piſcari.* Hinc & prætorium occupans fluvii utramque ripam, Papinii Silva III. lib. I.

Littus utrumque domi, nec te mitiſſimus amnis
Dividit, alternas ſervant prætoria ripas.

Laus prætorii, quod utraque fluminis ripa ei domi, nec tamen a fluvio dividatur. Peccant, qui corrigunt,

Littus utrimque, domus ---

Tollitur hac mutatione Papinio acumen ſuum, & argutiæ. Etiam in triremi prætoria, prætorium: neque tamen, quod apud Petronium eſt *in precario*, correxeris *in prætorio.* Magis enim eſt, ut ibi *precarium* ſit τὸ φεύξιμον, ut alius mihi dicendi locus.

Ex licentia veteri.] A temporibus Tiberii. Sueton. Tiber. c. LXI. C. Taciti lib. VI.

Flagellis ac fuſtibus cæſos.] Fuſtibus cæſi delatores, quia liberi: flagellis autem, quia mox ſervi futuri & vænum ituri. Servi flagellis cædebantur, liberi fuſtibus l. x. D. de Pœnis. Dixi ad l. XII. Tabular. c. LXVI. Tangit autem hoc Titi factum etiam C. Plinius in Gratiarum actione.

Traductos per amphitheatri arenam.] *Pompare* hoc Aur. Caſſiodoro. Item Paullo Diacono Hiſtoriæ miſcel. lib XX. & ſequentibus paſſim.

In aſperrimas inſularum avehi.] Quemadmodum aveherentur, patet narratione Philonis Herennii de Flacco exſule avecto in Andrum inſulam. Et quemadmodum ſub voce præconis ad navim perducerentur, obſervare licet in vetere ſcriptore vitæ D. Apollinaris

Aſperrimas vero *inſularum*, ut Gyarum & alias, de quibus dixi, ad ſpectacula Martialis.

De eadem re pluribus legibus agi.] Pluribus de eodem crimine legibus quæri, pœnas irrogantibus diverſas, vetuit Titus Eadem quoque de re Sctum Paullus profert l. XIV. de Pœnis. & fortean hoc Titi Principis tempore Sctum factum eſt. Sed qui ex pluribus delictis tenetur, de omnibus ſimul recte accuſatur. Ut T. Annius Milo cum P. Clodium interfeciſſet, accuſatus eſt ſimul de ambitu, de vi, de ſodalitiis, &c. *Milo ad Domitii tribunal ipſe venit*, de vi nempe cauſam dicturus: *ad Torquati* tribunal *amicos miſit*, nempe, poſtulaturos pro eo. Aſconius argumento Milonianæ. Eaque hodierni quoque juris regula eſt, ut apud Paullum. l. XXXIV. Ulp. l. penult. de Oblig.,

Ultra certos annos.] Forte, quinquennium. Etenim ad exemplum Titi hoc quærendi ſpatium deinde & Imperatores alii præſcripſiſſe videntur, ut Nerva l. ult. D. Ne de ſtatu defunct. Et poſt Nervam Hadrianus l. I. §. II. De eod. Poſt Hadrianum etiam M. Antoninus apud Jul. Capitolin. Sic c. VIII. idem edictum Titi & Nervæ.

Sed remora nobis eſt d. l. ult. cum ait: *Primus omnium D. Nerva edicto vetuit poſt quinquennium mortis cujuſque de ſtatu quæri*, &c. Si primus Nerva, Titus

Titus primus non eſt. Equidem dixero Titi edicta a Domitiano laudibus ejus obtrectante abrogata fuiſſe, atque ita Calliſtrato d. l. ult. primum Nervam eſſe: at Suetonio repetita antiquitatis memoria primum eſſe Titum.

CAP. IX.

Ideo ſe profeſſus accipere.] Acceperant & Imperatores alii, ſed ſine profeſſione illa.

Dicens principatum fato dari.] Ut Homerus Iliad. II.

> Τιμὴ δ' ἐκ Διός ἐςιν.
>
> --- *Honor a Jove ſummo.*

M. Antoninus apud Jul. Capitolin. in epiſt. ad Ælium Verum agens de Avidio Caſſio, *Si*, inquit, *ei divinitus debetur imperium, non poterimus interficere, etiamſi velimus. Scis enim proavi tui dictum, Succeſſorem ſuum nullus occidit*, &c. Peccat qui corrigit *reſiſtere*, Ex antica quaſi linea pugnat correctio illa cum Antonini mente, ut ex epiſtola Veri, cui reſpondet, vel cæco perſpicuum eſt. In hanc quoque ſententiam, etſi parum tutæ mentis homo, tamen non pro inſano diſſerit rex Cambyſes moriens, apud Herodotum lib. III. Ren. Veget. c. v. lib. III. *Princeps Deo regnat auctore*, &c. & Aurel. Caſſiodor. epiſt. XXXI. lib. X. Eleganter Iſidorus Peluſiota epiſt. CLXI. lib. III. Οἱ ζωγράφοι σώματα ποιȣ̃ντες τὰ ἀσώματα, χεῖρα γράφειν ἐπιχειρȣ̃σι μόνην ςέφȣσαν τῶν τῆς γῆς βασιλευόντων τὰς κορυφὰς, ἵνα δείξωσιν ȣ̓ρανόθεν ἀυτοῖς τὴν ἀρχὴν δεδόσθαι. Hoc eſt, *Pictores corpore aliquo exprimentes, quæ incorporea ſunt, manum ſoliti pingere, quæ ſola ſive ipſa per ſe coronet orbis terræ principum ac regum vertices, ut ſignificent, principatum eis cœlitus datum eſſe*, &c. Puto ſcripſerat Iſidorus σωματοποιȣ̃ντες. Bene & in hiſtoria politica novæ Romæ de Curcuta Bajazitæ Turcarum regis filio natu minimo fruſtra regnum procante adſcriptum eſt: Ἀλλ' ȣ̓κ ἦν ἀυτῷ δεδομένον κυριεύσαι *Sed datum ei non erat, rerum potiri*, &c. Et de filio ejus natu maximo Achumata, cur pater imperio eum fruſtra deſtinarit, non aliam poſſe cauſam reddi ſcriptor ille ait, quam, ὅτι ȣ̓κ ἦν ἀυτῷ ἐκ Θεȣ̃ ἡ βασιλεια, *quod regnum ei deſtinatum a Deo non eſſet.* Scatet hiſtoria veteris novæque Romæ hoc genus exemplis, unum ex C. Taciti annali III. ponam, Claudium, qui ludibrium aulæ magis quam ſperatus imperio, tamen inquit Tacitus, *hunc futurum Principem fortuna in occulto tenebat*, &c. Commemorabile quoque hujuſce rei exemplum in narratione de Juſtino & Juſtiniano apud Zonaram lib. III. in Anaſtaſio Dicoro.

Curſores ſuos.] Imperatori enim ſui curſores; neque Imperatori tantum, ſed & proceribus ſui curſores, ante carrucam aut equum. Martial. epigr. XXIV. lib. XII.

> *Succinctus neque curſor antecedit.*

Et epigr. XLVII. lib. III.

> *Nec feriatus ibat ante carrucam,*
> *Sed tuta feno curſor ova portabat.*

In omnibus nempe magnis familiis ſervi curſores. Itaque curſores ſervi urbani l. XCIX. §. ult. De leg. III. Iique ſervi ad celeritatem ſoliti exerceri a magiſtro in porticibus ædium. Petronius: *Notavi etiam in porticu gregem curſorum cum magiſtro ſe exercentem.* Ab eaque exercitatione dicti *Exercipedes.* Gloſſæ: *Exercipes*, ταχυδρόμος, δρομεὺς, καὶ κȣ́ρσωρ. Tangit hanc ejuſmodi curſorum celeritatem Plautus Trinummo, de ſagaciſſimo fure agens ſuperlatione comica: *Quorum eorum unus ſurripuit currenti curſori ſolum.* Alii ab his milites curſores, qui κȣρσεύοντες Georg. Codino in officiis palatii novæ Romæ. Alii & apud Nicetam κȣρσάριοι piratæ, *corſaires.* Quos male ad l. CXVIIII. de Verbor. ſignif. dictos putant a Coſſæis latronibus, de quibus apud Plinium eſt c. XXVII. lib. VI. Arrian. lib. VII. rerum Alexandri. Sunt enim dicti a *curſu*, id eſt, excurſione, ut apud Nicetam κȣ̃ρσα ποιῆσαι pro ἐκδρομαῖς χρήσασθαι. Quod ſi a gentis alicujus nomine petendum hoc ἔτυμον, rectius a *Corſariis* gente Perſica duceretur, de quibus eſt in Continuatione Belli ſacri c. XVII. lib. III.

Oblata ſibi ornamenta pugnantium.] Narrant Dio & Victor, qui *gladios* dixere, apertius. Nam ornamenta quidem etiam, alia gladiatorum arma, ut & *munimenta* L. Senecæ epiſt. VII. Quanquam proprie quidem *munimenta* arma, *ornamenta* etiam tela.

Neque ſeponere.] Minus *relegatio* quam *exſilium*, minus *ſepoſitio* quam *relegatio.* Sepoſitio eſt relegatio quædam aut exſilium, ſpecie negotii alicujus honeſti velatum. ut L. Antonius M. Antonii III-Viri nepos ſepoſitus ab Auguſto *in civitatem Maſſilienſem, ubi ſpecie ſtudiorum nomen exſilii tegeretur.* C. Tacitus annali IV. Sic de Agrippa Sueton. Auguſti c. LXV.

Sed ut a primo imperii die.] Numerat imperium Titi a primo die, quo patri Veſpaſiano ſucceſſit. Ergo annos ei ad ſummam adſcribit II. menſes totidem, dies XX. quemadmodum & Dio in Tito. Etenim patre ſuperſtite Titus conſors quidem ſucceſſorque imperii fuit, ſive Cæſar, at necdum Imperator. At in aliis pleriſque Imperatoribus primus dies imperii etiam ſuperſtite adhuc illo cui ſucceſſere, ut in Galba, Othone, Veſpaſiano. Imperatoris enim ſibi nomen adſumſere, ubi primum eis delatum imperium ab exercitu. Atque hoc eis

imperii

imperii principium, ut de Veſpaſiano Suetonius c. VI. cui principium imperii etiam ſuperſtite Vitellio. Sueton. Veſp. c. VII. Si quis itaque ſic tempus numeret, ut Imperatorum annos jungat, manifeſtus error calculi eſt. Puta ex numeratione Suetonii, imperii Galbæ menſes VII. Othonis dies XCV. Vitellii VIII. menſes. Hi menſes ad ſummam XXI. dies XI. Sic ergo a morte Neronis ad principatum Veſpaſiani eſſet annus I. menſes X. dies XI. At Dio fine Veſpaſiani oſtendit, annum eſſe unum & dies XXII. nempe quia recte numerat tempus, amputato concurſu Principum, & oſtendit falli, ſi quis aliter numeret. Bene & auctor Dialogi de Oratoribus, Galbæ, Othonis, Vitellii *longum & unum annum* dixit; *longum*, quia excurrunt dies XXII.

CAP. X.

In quorum fine.] Die ultimo ſpectaculorum, id eſt, centeſimo. Spectacula enim Titi per dies centum. Dio.

Sabinos petit.] Aquas Cutilias, & Reatinum ſuum in Sabinis. Patet infra c. ult. Nam *exceſſiſſe* Titum ait *in eadem qua patrem villa.* Exceſſit autem pater in Reatino ſuo. Sueton. c. ult. Dio in Veſpaſ.

Quodque tempeſtate ſerena tonuerat.] Fulmina cæli ſereni, vice prodigii, ut notavi ad Horatii Odam XXXIV. lib. I. Neque ſemper tamen diri ominis hæc tonitrua. Nam Q. Ennius apud Cicer. II. de Divin. dixit: *Cum tonuit lævum bene tempeſtate ſerena.* Et Xenophon lib. VII. rerum Græcarum, *ἐξ αἰθρίας ἀστραπὰς καὶ βροντὰς λέγουσιν αὐτοῖς φανῆναι. Cælo ſereno fulmina & tonitrua ei proſpera ferunt oblata fuiſſe.* Sed qui tonitru cælo ſereno dirum omen arbitrati, his ratio illa. Quia plerumque tonitrua cælo nubilo, ſereno autem rariſſima. Quæ autem rarenter ita eveniunt, ea loco prodigii. Rariſſima vero ejuſmodi tonitrua. T. Lucretius quidem lib. VI. etiam negat ulla unquam cælo ſereno exiſtere tonitrua:

--- Nam, inquit, *cælo nulla ſereno,*
Nec leviter denſis mittuntur nubibus unquam.

Item,

Nec ficti ſonitus cæli de parte ſerena.

Ad primam ſtatim manſionem.] Manſiones aut caſtrenſes, ut paſſim toto jure civili; aut paganicæ, ut Plin. c. XXIII. lib. VI. *A Copto camelis itur, aquationum ratione manſionibus diſpoſitis*, &c. Sic & apud Joann. Caſſian. c. XXVIII. Collat. XXI. c. IV. Collat. XXIV. Inter hæc manſionum genera plurimum intereſt, ſed longus ſermo ſuſcipiendus volenti oſtendere.

Dimotis plagulis] Lecticarum feneſtris munimentum duplex. Vela ſive plagulæ ad radii ſolaris excluſionem, & ſpecularia ventis oppoſita. L. Seneca c. IV. lib. de Provid. *Quem ſpecularia ſemper a flatu vindicarunt.* Specularia illa tam pellucida pæne quam aer ipſe, ſive ut loquitur D. Baſilius Homilia III. in Hexaemeron, *μικροῦ τῷ ἀέρι τὴν διαύγειαν ἔοικεν.* Ergo & *perſpicuam gemmam* dixit Martial. epigr. LXVIII. lib. VIII. intelligens *ſpeculare.* Gloſſæ: *Διαφανῆ, ſpecularia.* De ſpeculariis lecticarum Juvenal. Sat. IV.

Quæ vehitur clauſo latis ſpecularibus antro.

Titus ergo dimotis plagulis cælum ſuſpexiſſe intelligendus, per ſpecularia. At ſomnum captantibus ad lucis excluſionem, ſpecularibus introrſum obducta vela ſive plagulæ, atque ita lecticæ feneſtra cluſa, Juvenal. Sat. III.

Namque facit cluſa ſomnum lectica feneſtra.

Ut in lecticarum, ſic & in cœnationum feneſtris, utrumque illud genus munimenti. L. Seneca Nat. Quæſt. c. ult. lib. IV. *Itaque*, inquit, *quamvis cœnationem velis ac ſpecularibus muniant, & igne multo hiemem doment*, &c. Tangit & Paull. Ægineta c. III. lib. VII. ſpecularibus nempe illis lux admittebatur, ut hodie vitreis. Itaque L. Seneca idem epiſt. LXXXVI. *In caldarium latis ſpecularibus diem admittere.* Martial. epig. XIV. lib. VIII.

Hibernis objecta notis ſpecularia puros
Admittunt ſoles, & ſine fece diem.

Specularia vero illa ex lapide ſpeculari, quem deſcribit D. Baſilius & Paull. Ægineta locis antedictis Plin. c. XXII. lib. XXXVI. L. Seneca epiſt. XC. Philo Herenn. legatione ad Cajum. Hinc & *gemmam perſpicuam* dixit Martialis, ut jam oſtendi. In deſcriptione autem illa D. Baſilii male *ὑπερηγμένος* pro *ὑπερρηγμένος.* Ac olim quidem Romani & vitreis & ſpecularibus uſi, ut C. Plinii loco, quem dixi: nobis vitri uſus tantum.

Quidam opinantur.] Verior illorum opinio, quibus & Dio ſe adſentiri ait, factum illud unum Titi pœnitendum fuiſſe, quod fratrem aperte oppugnantem tuliſſet; neque aut illum ſuſtuliſſet hominem generi humano perniciabilem, aut ſe ipſe tutatus eſſet, cujus morte quaſi *perpetuo cuſtode orbatum orbem* relinquebat, ut eleganter Aurelius Victor.

Interfectum autem a Domitiano Titum, Dio, ex eoque Zonaras, item alii, ut Suidas, notant. Suetonius tamen febri exſtinctum adſtruit, ut & Eutropius, Aurel. Victor, aliique minorum gentium hiſtorici. At cum Dione multi bonique. Nam veneno leporis marini potionatum a fratre narrat Philoſtratus Apollonii ſui lib. VI. qui poſtquam de veneno leporis marini expoſuiſſet, quam id efficax & præſentarium ſit, ſubjungit: Καὶ Νέρωνα μὲν ἐμποιῆσαι τοῖς ἑαυτοῦ ὄψοις τὸν λαγὼν τοῦτον ἐπὶ τοὺς πολεμιωτάτους. Δομετιανὸν δὲ τὸν ἀδελφὸν Τίτου, οὐ τὸ ξὺν ἀδελφῷ ἄρχειν δεινὸν ἡγούμενον, ἀλλὰ τῷ ξὺν πρᾴῳ τε καὶ χρηστῷ. Purgo primitus

 hunc

hunc locum, & relego Δομετιανὸν δ᾽ ἐπὶ τὸν ἀδελφὸν Τῖτον. Et mox, ἀλλὰ τὸ ξὺν πρᾳῶ τε καὶ χρηςῶ. Deinde Latine dico: *Ac Neroni quidem moris fuiſſe opſoniis ſuis hujuſmodi leporem miſcere, ut his infeſtiſſimos ſibi, necaret: Domitianum autem uſum eo contra Titum fratrem ſuum. Non quia grave putaret, quod frater ſibi conſors eſſet Imperii: ſed quod conſors ſibi tam lenis, ac vir bonus*, &c. Hæc multis paraſangis verior quam Suetonii narratio eſt. Patet dialogiſmo Titi & Apollonii, quem, quia perelegans eſt, & fidem huic rei majorem facere poteſt, adſcribo: Μεταςησάμενος δὲ ὁ Τῖτος τοὺς παρόντας, Αὐτοὶ, εἶπεν, ὦ Τυανεῦ, γεγόναμεν. ξυγχωρεῖς γάρ που ἐρωτᾷν ὑπὲρ τῶν ἐμοὶ σπουδαιοτάτων. Ἐρώτα, ἔφη, καὶ τοσούτῳ προθυμότερον, ὅσῳ ὑπὲρ μειζόνων. Περὶ ψυχῆς, εἶπε, τῆς ἐμαυτοῦ, καὶ οὓς μάλιςα φυλαττοίμην ἂν, ἔςαι μοι ἡ ἐρώτησις, εἰ μὴ δόξω δειλὸς, δεδιὼς ἤδη ταῦτα. Ἀσφαλὴς μὲν οὖν, ἔφη, καὶ ἐφεςηκώς. προορᾷν γὰρ τοῦτο χρὴ μάλιςα, καὶ ἐς τὸν ἥλιον ἀναβλέψας, ὤμνυ αὐτὸν, ἦ μὴν αὐτὸς μέλλειν ὑπὲρ τούτων πρὸς αὐτὸν λέξειν μὴ δὲ ἐρωτῶντα. Τοὺς γὰρ θεοὺς φῆναί οἱ προειπεῖν αὐτῷ, ζῶντος μὲν τοῦ πατρὸς, δεδιέναι τοὺς ἐκείνῳ πολεμιωτάτους, ἀποθανόντος δὲ, τοὺς ἑαυτῷ οἰκειοτάτους. Ἀποθανοῦμαι δὲ, εἶπε, τίνα τρόπον; Ὅν γε, ἔφη, Ὀδυσσεὺς λέγεται. φασὶ γὰρ κἀκείνῳ τὸν θάνατον ἐκ θαλάττης ἐλθεῖν. Ταῦτα ὁ Δάμις ὧδε ἑρμηνεύει. φυλάττεσθαι μὲν αὐτὸν τὴν αἰχμὴν τῆς τρυγόνος, ᾗ τὸν Ὀδυσσέα βεβλῆσθαί φασι. Δυοῖν δὲ ἐτοῖν μετὰ τὸν πατέρα τὴν ἀρχὴν κατασχόντα ἀπὸ τοῦ θαλαττίου λαγὼ ἀποθανεῖν. Τὸν δὲ ἰχθὺν τοῦτον παρέχεσθαι χυμοὺς ἀπορρήτους, ὑπὲρ πάντα τὰ ἐν τῇ θαλάττῃ καὶ γῇ ἀνδροφόνα, &c. *Titus remotis arbitris, Soli, inquit, ſumus, o Tyaneu. Faſne jam mihi te interrogare de rebus meis maxime ſeriis? Interroga, inquit, & quidem tanto fidentius, quanto res majores, de quibus interrogaturus es. De vita mea, inquit* Titus, *& quinam mihi potiſſimum cavendi, interrogabo: ſed vereor, ne timidus videar de his jam multo ante interrogans. Immo, inquit, cautus potius reſque tuas curans. Nam hac in re vel inprimis proviſione opus. Tum ſolem intuens hunc teſtatus eſt, ſe his de rebus Tito dicturum fuiſſe, etiam non interrogatum. Nam a diis imperatum ſibi, ut Tito prædiceret, patre quidem ſuperſtite ab ejus inimiciſſimis ſibi caveret; mortuo autem ab his, qui maxime domeſtici. Quo autem genere mortis, inquit* Titus, *moriar? Eo, inquit, quo & Ulyxes. Nam & huic mortem ferunt, e mari accidiſſe. Hoc Damis ita interpretatus eſt: Caveret paſtinacæ piſcis cuſpidem, qua Ulyxem ictum ferunt. Sed cum biennio imperium poſt patrem tenuiſſet veneno leporis marini exſtinctus eſt. Huic autem piſci humores ineſſe ajunt occultos veneni vincentis omnia, quæ terra marique mortifera ſunt*, &c. Lego autem ἐρωτητικῶς, σπουδαιοτάτων; & pro ἀποθανεῖν, ἀποθανεῖ. Item παρέχεσθαί φασι, &c. Hæc itaque cum de Titi morte, & cui etiam Dio credi vult, narratio ſit Apollonii qui coævus Tito & amicus; quis Suetonio magis fidem aliter eadem de re narranti habuerit? Sic autem & Evagrius Eccleſiaſt. hiſtor. c. XLI. lib. III. Τῖτον δὲ, inquit, βασιλεύσαντα. οὐδὲ μετιανὸς φαρμάκοις ἀδελφὸν ὄντα γε αὐτοῦ, ἀνεῖλεν; Lege Τῖτον δὲ βασιλεύσαντα, οὐ Δομετιανὸς, &c. *Titum vero Imperatorem, annon Domitianus veneno, & quidem fratrem ſuum ſuſtulit?* &c. Etiam Tzetzes in verſibus Politicis Hiſtor. XLIII. Chiliad. VI.

Τῖτος δὲ θνήσκει βεβρωκὼς λαγὼν τῶν θαλασσίων.

Titus comeſto mortuus eſt lepore marino.

Verum & a Suetonio, & ab his qui antedicti, longe ac multum diverſus & in alia omnia diſcedit Cedrenus de Titi exitio ſic narrans: Οὗτος ὁ Τῖτος ὥρᾳ θέρους πανήμερος ὁδοιπορήσας καὶ αἱμοῤῥαγήσας διὰ τῶν μυκτήρων ὑπὸ ἡλίου τε φλεχθεὶς καὶ πάνυ λειποθυμήσας, ἔτι ἐμπνέοντος αὐτοῦ ἐνέβαλεν ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ Δομετιανὸς εἰς λάρνακα ξυλίνην χιόνος γέμουσαν, ὡς δῆθεν θεραπεύσων, καὶ ἀπέκτεινεν, &c. Narratiuncula tota σολοικοφανὴς verbis, nec minus ſententia. Hoc autem vult: *Titus hic æſtivo tempore, cum die toto iter feciſſet, ſoliſque radio ictus, copioſum e naribus ſanguinem flueret, animique deliquium pateretur, Domitianus frater adhuc ſpirantem eum in ciſtam nive plenam conjecit, quaſi curaturus eum, atque ita interfecit.* Enimvero & ab his omnibus Plutarchus divertens lib. de Cura valetudinis, ſic agit, quaſi Tito cauſa mortis fuerit, quod ne in febri quidem balnei uſu temperare potuiſſet. Nemini tamen, ut ante dixi, major fides quam Apollonio.

CAP. XI.

In eadem qua pater villa.] Nempe Reatino ſuo, ut prædixi.

Dieſque XX.] Peccat nonnihil Epiphanius lib. de Menſuris, ponens ἡμέρας δύο. Et in ἀγκυρωτῷ Tito biennium tribuens, nullo neque menſe neque die excurrente, quæ item Eutropii & aliorum oblivio.

Θεοῦ διδόντος, οὐδὲν ἰσχύει φθόνος
Καὶ μὴ διδόντος, οὐδὲν ἰσχύει πόνος.

IMP. CÆSAR D. VESPASIANI F. DOMITIANUS. EX C. SUETONII TRANQUILLI

LIB. VIII.

Cum interpretatione & emendatione

THEODORI MARCILII,

Profeſſoris Eloquentiæ Regii.

CAP. I.

Quam poſtea in templum gentis Flaviæ convertit.] Quare *converterit*, elici poteſt ex Auguſti c. v.

Satiſque conſtat.] Sic libri vulgarii omnes: *Pubertatis ac primæ adoleſcentiæ tempus, tanta inopia, tantaque infamia geſſiſſe fertur, ut nullum vas argenteum in uſu haberet. Satiſque conſtat Clodium Pollionem*, &c. At C. Suetonii mens ac manus fuit: *Pubertatis a. p. a. t. t. i. tantaque i. g. f. ut nullum vas argenteum in uſu haberet, ſatiſque conſtet Clodium Pollionem*, &c. Neque enim hæc diſtrahi Suetonius, ſed jungi voluit exempla, unum inopiæ, quod nullum ei vas in uſu argenteum; alterum infamiæ, *chirographum Clodii Pollionis de noctis pollicitatione*. Ut *inopiam* & *infamiam*, ſic de *argento* & *chirographo* conjunxit.

Non neceſſe autem mutare illud, *geſſiſſe fertur*, &c. & legere *egiſſe fertur*: ut Veſpaſiani c. penult. ubi eſt, *gerens annum ſexageſimum ac nonum*, &c. reſcribere, *agens annum*, &c. Nam eſt quidem tritius illud, *agere tempus*, *agere annum*. ſed qui aures notandis C. Suetonii generibus loquendi tritas habent, non neſcire debent, exorbitare ſolitum ἀπὸ τῆς λεωφόρου. L. Florus quidem etiam procœmio ſui operis, *opera gerere* dixit, pro, res gerere, Lucius Apul. aſini lib. I. *Ædilem gerere.* Sic vice verſa etiam *agere* pro *gerere*, ut C. Tacitus annali XVI. *proconſulatum Aſiæ egiſſet*, &c. L. Florus c. VII. lib. I. *poteſtatem agere.* & Epitoma XLVI. *medium ſe agere.* Scripſerat tamen forte C. Taciti manus, *Procoſ.* aut *Proc.* aut P. C. id eſt, *Proconſulem*, ex quo librarii fecere *proconſulatum.* Sic enim dixit quoque Tacitus *ſenatorem agere*, libro eodem, Valer. Max. & Plin. in Gratiarum actione, qui vulgo Panegyricus eſt, *agere conſulem.*

Poema Neronis, quod inſcribitur Luſcio.] Forte an quia luſcus, ſive *unoculus*, ſive *cocles*, ſive ut cum Martiale dixeris, *defioculus* Clodius ille, ipſa inſcriptio ſatyræ *Luſcio* ex contumelia & non ſine morſu ſatyrico. *Luſcio* nempe ut *Lucrio*, *Felicio*, & id genus alia. Neque recte liber aliquis *Lutio.*

Corruptum Domitianum & a Nerva.] Male in pleriſque libris, *Corruptum Domit. a Nerva*, &c.

Intelligi vult, non ſolum a Clodio illo, ſed etiam a Nerva. Huc faciunt, quæ dico ad c. XXII.

CAP. II.

Ut fratri ſe operibus.] *Opera* pro rebus geſtis, ut Flori operis proœmio eodem ſignificatu, *opus*, *res*, *factum*. Item aliis.

Sellamque ejus ac fratris lectica ſequebatur.] Indubitate locus hic de ſella curuli capiendus, qua ſemper niſi Principes, ceteri non aliter quam in magiſtratu. Veſpaſianus itaque pater ut Imperator, Titus F. ut *Princeps atque etiam tutor Imperii*, ut loquitur Suetonius Titi c. VI. vecti ſella curuli, Domitianus eos tanquam privatus in lectica proſequutus. Honor ille perpetuæ ſellæ curulis Scto primum Julio Cæſari delatus apud Dionem lib. XLIII. uſi deinceps quoque alii Principes, ut apud eundem lib. LIV. LIX. LX. Sic Amm. Marcellin. fine lib. XXV. agens de Joviano Imper. *Vectus*, inquit, *in ſella curuli ex more, cum Varroniano filio ſuo admodum parvulo*, &c. Atque primitus quidem vecti ſella Imperatores, poſt luxu creſcente etiam geſtari humeris voluere. Hinc C. Plinius in Gratiarum actione ad Trajanum, *Jam*, inquit, *hoc ipſum quod ingreſſus es, quam mirum lætumque. Nam priores invehi & importari ſolebant, non dico quadrijugo curru, & albentibus equis, ſed humeris hominum, quod adrogantius erat*, &c. *Quadrijugo curru*, nempe in quo ſella curulis. Neque tantum in curru & ſella curuli, ſed etiam in *lecticis* ac *tenſis*. Latinus Pacatus Panegyrico Theodoſii, de Principum, qui anteriores Theodoſio, deliciis agens, *Quin ſi quando*, inquit, *in lucem venire, & diem ferre potuiſſent, lecticis tenſiſque ſubvecti*, &c. Lecticis nempe ut molles ac tenelli: tenſis tanquam Dii. Geſtatur quoque humeris Honorius Imper. apud Claudianum in quarto ſuo Conſulatu:

> *Obnixiſque ſimul pubes electa lacertis*
> *Sidereum geſtaret onus ---*

Sed illa forte Honorii geſtatio Imperatoris & VI. conſulis, ut differret a coſs. ceteris, qui ſubvecti curru, non autem geſtati. Hinc illud C. Plinii in Gratiarum actione illa: *Nos*, inquit, *ſub oculis tuis auguſtior ſolito currus accipiet*, &c. Diſtinguit currum quotidianum coſ. a curru ejus triumphali, quo uſus tantum Circenſibus. Quare neque ſat correcta forte C. V. Juſti Lipſii correctio eſt, reſcribentis: *Nos ſub oculis tuis auguſtiores ſolito, currus accipiet*, &c.

Domitiano tamen quoque curulis ſella in conſulatibus VII. de quibus hoc capite C. Suetonius. Sex nempe exordinariis ſive ſuffectitiis, ſive minoribus: uno ordinario.

Pro mortuo deſeri juſſit.] Dixi ad Titum c. penult.

CAP. III.

Secretum ſibi horarium ſumere ſolebat.] *Horarium*, ad horam, ſive horæ unius quotidie. Secretum illud ſumere ſolitus quaſi Numa quiſpiam cum Egeria ſua; Scipio, aut potius Caligula, cum Jove. Sed illa Egeria, ille Jupiter huic Flavio muſcarum agmen. Victor videri vult ſumi cœptum hoc a Domitiano *ſecretum horarium*, poſtquam minus ad libidinem & κλινοπάλην ſuam virium habere cœpiſſet, cui repugnat aperte C. Suetonius. Nam *horarium ſecretum* hoc a Domitiano ſumi ſolitum ait, *inter initia principatus*. Atqui ut idem ait c. X. neque ſævus neque libidinoſus inter initia illa Domitianus, & *aliquanto* etiam *celerius ad ſævitiam deſcivit, quam ad cupiditatem*, &c. Cum Suetonio etiam Dio facit. Nam apud breviatorem Xiphilinum in Veſpaſiano ſcribit, Domitianum adhuc privatum in monte Albano latitantem adſueviſſe huic *horario ſecreto*; & quod mirum ac ridiculum magis eſt, etiam Principem in ea conſuetudine perſeveraviſſe τὰς μύιας γραφείοις καταχεντῶντα, *muſcas ſtilis conſigentem*, &c. Idemque adſcripſit, hoc facere ita ſolitum Domitianum, ut *ſimularet ſtultitiam* ſive μωρίαν προσποιούμενον. Simulatione autem ſtultitiæ uſum, ὑπὸ τοῦ συνειδότος ὧν τε ἐφρόνει καὶ ἐπεποιήκει; quod *conſcius ſibi eſſet* multorum, quæ ante Veſpaſiani patris adventum male *agitaviſſet animo & feciſſet*. Nempe ut ea pater ſtultitiæ ejus imputaret. Sic itaque privato ſecreti illius horarii cauſa, ſimulatio ſtultitiæ: Principi ſimulatio divinitatis.

Οὐκ ἀστόχως δὲ ἴσως ἐστόχατε, qui reponere tentavit, *ſecretum ſibi horarum trium ſumere ſolebat.* Quod tamen ita longum ſecretum, privato magis videtur quam Principi fuiſſe.

Eandem Paridem hiſtrionis amore deperditam.] Alius quoque hiſtrio Paris, qua traditur occiſus a Nerone, Suetonius Neronis c. LIV. & ad Dione in Domitiano. Sed hunc Domitiani Parin quia offenderat Juvenalis in Satyra, a Domitiano miſſus in exſilium eſt, ut apud Suidam eſt in Juvenale, Sidonium comitem Carmine IX. ad Felicem. Et in Gloſſis veteribus ad Juvenalis Satyram IV. a *calvo Nerone*, ſive *Domitiano Titi fratre*, *Veſpaſiani F. ſub ſpecie honoris relegatum* Poetam *ad curam cohortis in Ægypto Hoaſa, ubi mortuus ſit*, &c. Eædem fruſtra ſunt ad Satyram VII. ingatum Juvenalem a Claudio Nerone. Ac neque illud recte in iis Gloſſis ad Satyram IV. in Oaſi mortuum Juvenalem. Sub Nerva enim reverſum ab exſilio eſſe, argumento eſt verſus ille Sat. IV.

> *Sed periit, poſtquam cerdonibus eſſe timendus*
> *Cœperat ----*

Ergo etiam illud Satyra XV.

ſed

---- *ſed nuper conſule Junio.*
forte minius recte a V. C. Juſto Lipſio reſcribitur,
---- *Sed nuper conſule Vinco.*
Minus etiam recte ab aliis *Junco.* Accipi enim poteſt Appius Junius Sabinus collega Domitiani Cos. x. anno imperantis ejus ſecundo.

CAP IV.

Puerulus, cum quo plurimum fabulabatur, nonnunquam ſerio.] Non diſſimiliter admodum apud Nicetam, Iſacio Comneno Principi Logotheta ſecretorum παιδιον μικρὸν τὴν τῶν κοινῶν διοίκησιν ἀναζώννυται, ὔπω πέρυσιν ἀφειμένον δονακίσκȣ καὶ μέλανος, ὃς ȣ̉ τὸν κρατȣ̃ντα μόνον αὐτὸν, ὡς τὸ κῆτος ὁ λεγόμενος προπομπεὺς μετῆγεν, ὡς ἡγεῖτο καὶ περιέφερεν, ἀλλὰ μετῄει καὶ ὅσα τῶν ϛρατιωτικῶν εἰσι καταλόγων, &c. id eſt, *parvus puerculus non ita pridem relicto calamo & atramento, ſive ludo & magiſtro, accinxit ſe adminiſtrationi totius Reipubl. & non ipſum modo Imperatorem tanquam ingens cete piſciculus parvus qui propompeus dicitur, ducebat & circumagebat quo vellet, verum etiam tractabat numeros militares*, ſive matriculas, ſive catalogos, &c. Cujuſmodi προπομπεὺς ille ἡγητὴς, patet Oppiani lib. v. Ælian. c. vi. lib. x. de Animal. Plutarch lib. de Animal. prudentia.

Ecquid ſciret, cur ſibi viſum eſſet.] Alii, *Ecquid ſciret, & quid ſibi viſum eſſet*, &c. Voluit C. Suetonius, *Ecquid ſciret, quid ſibi viſum eſſet*, &c. *Quid*, pro cur. Nec mirum, ſi V. C. Torrentius negat ſe vidiſſe librum ullum, in quo ita ſcriptum eſſet, *Ecquid ſciret, cur ſibi*, &c.

Circumducto circum Tiberim lacu.] *Circumductus lacus* muris & ſedilibus. Sic *parietem ducere* Tullius pro Milone, *ducere muros* Virgil. Æneide i. Cur ergo maluere aliqui *circumſtructo lacu*, quam ut plerique omnes libri habent *circumducto*, &c. Quia, inquiunt, dixit Suetonius *effoſſo & circumducto lacu.* Idem autem eſſe *effoſſo* & *circumducto.* Atqui ut jam oſtendi, plurimum intereſt. Effoſſus nempe lacus ille ad capacitatem aquæ, circumductus ad ſpectacula.

Curſu etiam virginum præſedit.] *Etiam* dixit, notans inſolentiam ſpectaculi, ut ſi diceret, non virorum tantum & puerorum, ſed etiam virginum,

Purpureaque amictus toga Germanica.] Alii, *purpureaque amictus toga Græcanica*, &c. Sed hoc diſplicuit aliis, qui reſcripſere, *purpureaque amictus toga Hermonica*, Nam eſt genus quoddam hermionicæ purpuræ, de quo dixi ad Perſii Satyr. iii. Sed antiquiſſima forte lectio eadem veriſſima, *purpureaque amictus toga, Germanicam capite geſtans coronam auream*, &c. Ut Germanicæ ſint coronæ, quas excogitaverit Domitianus ipſe, qui Germanicus, & quia in his imago ipſius. Nam etſi in Domitiani quidem ipſius corona Jovis imago, in ceteris etiam Domitiani ſive Germanici, ut narrat Suetonius, tamen communi hoc coronarum genus nomine videtur Domitianus nominari voluiſſe *Germanicum.* Plurimum autem delectatum cognomento Germanici Domitianum, patet paraſitatiunculis Papinii, ut Silva i. lib. i. Silva iv. lib. iii. Silva ii. lib. iv. Martialis vero tam multis, ut viatico ſit opus ad enumerationem. Sic Cajus *novum genus ac nomen coronarum* invenit, *quas diſtinctas Solis ac Lunæ ſiderumque ſpecie, exploratorias appellavit*, &c. Suetonius ipſe c. xlv. Ut autem a Germanici cognomento Germanicæ coronæ: ſic & menſem Septembrem *Germanicum transnominari* voluiſſe, quod eo menſe natalis ei dies imperii narrat Sueton. infra c. xiii.

CAP. V.

Et Odeum & Naumachiam.] Odeum illud templum Minervæ. Itaque Martialis epigr. iv. lib. ix. opera Domitiani recenſens, nuſquam Odei meminit, ſed *templi Palladis*, & *templi gentis Flaviæ*, *templum Palladis* intelligens *Odeum.* Atque hoc inde quoque planius eſt, quod ita ſcripſit,
Pallada prætereo, res agit illa tuas.
Quomodo Pallas res Domitiani agit? Quia in *Odeo*, ſive templo ejus chori Muſicorum, & Poetarum commiſſiones, cantantium laudes Domitiani. Idem dictum quoque forte *Minervium* nona regione Urbis ſive circo Flaminio, apud P. Victorem in Topogr. Urbis. Tangit quoque Odeum hoc Martial. epigr. liii. lib. iv.
Hunc quem ſæpe vides inter penetralia noſtræ
Pallados, & templi limina, Coſme, novi.
Limina templi novi dixit, opponens Odeum ſive Minervium nove perconditum a Domitiano, veteri Minervæ. Nam etiam *vetus Minerva cum luco* eadem regione urbis. Dixit quoque *noſtræ Pallados*, Odeum opponens templo gentis Flaviæ, quod etiam ipſum opus Domitiani hoc capite, & dicatum quoque Minervæ Flavianæ. P. Victor in Topographia Urbis regione ſexta: *Templum Minervæ Flavianæ, alias templum gentis Flaviæ.* &c. Duplex itaque Pallas ſive Minerva, una Flaviana, altera Odei. quam Martialis *noſtram* vocavit, quod in ejus templo Muſicorum & Poetarum chori frequentarentur, & canerent laudes Domitiani. *Noſtra* itaque Pallas ea Poetis, quia tanquam domus hæc eis & auditorium ſive *recitabulum.*
Quod autem Suetonius ait de Domitiani naumachia, ex *ejus poſtea lapide maximum Circum, deuſtis utrinque lateribus, exſtructum eſſe*, &c. intellige exſtructum a Trajano. C. Plinius in Gratiar. act.

act. ad Trajanum: *Hic inmenſum latus Circi, templorum pulchritudinem provocat, digna populo victore gentium ſedes.* Narrat quoque Dio in Trajano. Conditor itaque Circi maximi Cæſar dictator, ut eſt apud C. Plinium c. XV. lib XXXVI. inſtaurator Trajanus.

CAP. VI.

De Cattis Daciſque.] *Cattos* poſuit ante *Dacos*, recte atque ordine, ut etiam Papinius Silva I. lib. I.

Das Cattis Daciſque fidem, &c.

De Cattis enim triumphus ante Dacicum, ut patet Martial. Epigr. III. lib. V. Et Dionis Domitiano. Ergo & in titulo, Imper. Domitianus Cæſar Aug. Germanicus, Dacicus, ut in Faſtis, & apud Martial. Procem. lib. VIII. Germanici cognomentum ei ex triumpho de Cattis Germaniæ populis. Germanici autem cognomento placuit ſibi magis quam Dacici. Primum, quia id nobilius Dacico: deinde, quia gratioſum memoria Germanici patris C. Caligulæ: tum, quia Germanicum bellum ductu ſuo ipſe confecit, Dacicum auſpiciis ſuis; ſed ductu alieno, nempe Juliani, de quo Dio in Domit. Atque hinc illud Valerii Martial. epigr. II. lib. II. ad Domitianum:

Quæ datur ex Cattis, laurea tota tua eſt.

De Sarmatis lauream modo Capitolino Jovi retulit.] Lauri depoſitio in Capitolini Jovis gremio, triumphus non fuit, ut diſputavere ad hunc locum: ſed bonum factum dicere cum diſcrimine, non eſſe juſtum triumphum ſive magnum, eſſe triumphi tamen ſpeciem & imaginem quaſi aliquam, proptereaque Martialem epigr. XV. lib. VIII. agentem de Domitiani hac iſta laureæ de Sarmatis Jovi Capitolino relatione, ſecretum appellare hunc triumphum:

Hos quoque ſecretos numerabit Roma triumphos.

Ubi melius in membranis eſt, *memoravit Roma*, &c. Jntelligi vult Valerius: Hanc quoque laureæ in gremium Jovis deportationem quaſi *triumphum ſecretum* Roma memoravit, ſive celebravit, dum ordines omnes ſacrificant ob victoriam de Sarmatis. Ergo & mutandæ interpunctiones epigrammate illo, & quod eſt,

---- *dum litat ara Jovem:* &c.

legendum eſt,

---- *dum litat ara Jovem,*

Et quod eſt verſiculo quarto,

Et ditant Latias tertia dona tribus:

Legendum,

Et dicant Latiai tertia dona tribus, &c.

Antique ſcriptum *Latiai* pro *Latiæ*, unde factum *Latias.*

Cauſa vero triumphis ſecretis fuit, ut ſi ex cive parta victoria, qualis laurea C. Antonii ex bello Catilinario: aut ex bello, non acie, ſed pace & pactione, qualis hæc Domitiani laurea de Sarmatis: aut non ex bello, ſed actis urbanis, cujuſmodi laurea Neronis, Suetonii c. XIII. aut ex rebus geſtis, ſed non dignis juſto triumpho, qualis laurea Ciceronis. Itaque ex omni victoria, ob quam ſalutatus aliquis Imperator, ejuſmodi ſecretus triumphus.

CAP. VII.

Interdixit hiſtrionibus ſcenam.] Clementer, hoc ille præquam Tiberius, qui urbe & Italia exeſſe juſſit, ut narrat C. Tacitus Annali IV.

Caſtrari mares vetuit.] Narrat quoque Philoſtratus in Apollonio ſuo, fine libri VI. Dio in Domit. ubi patet edictum illud ex Titi fratris obtrectatione profectum, cui ut etiam patri obtrectare ſolitus. Simile Conſtantii edictum apud Ammian. Marcellin. lib. XVIII. Sancita res eadem a Nerva quoque & Hadriano, poſtremo etiam Novella Juſtiniani CXLII. Leonis LX.

Nec exſequi rem perſeveravit,] Cauſa non perſeverandi narratur infra c. XIV. Anne allucinati ergo, qui ad hanc Domitiani prohibitionem referunt, quod Flavius Vopiſcus in Probo refert, a Principe illo *permiſſum Gallis omnibus & Hiſpanis ac Britannis, ut vites haberent, vinumque conficerent*, &c. *Coercebatur enim*, inquiunt, *ejus rei libertas lege Domitiani:* quam refert Suetonius c. VII. &c. Nec vero recte ibidem illi utilitatem oculis ſuis obtinuere, cum ita ſcriberent: *Britanni quare hoc loco nominentur a Vopiſco, non video. Nam earum terram ad vineta non eſſe aptam omnes ſciunt.* Et alia ibi in eam ſententiam, quæ legere licet. Atqui diſtinguere oportuit, aliud eſſe *vites habere*, aliud *vinum conficere*. Vites habent etiam illi, qui non conficiunt, ut Britanni; vinum autem qui conficiunt, & vites habent & vineta, ut Galli, Hiſpani. Vites etiam ad voluptatem in trichilis, cujuſmodi vites hodieque in Britannia. Hoc amplius. Etiam vineta Britannis olim, ſi qua Anglicis ineſt annalibus fides. Sic enim Malmesburienſis lib. IV. in Epiſcopatus Elienſis deſcriptione. *Hic*, inquit, *prætexitur ager vineis, quæ vel per terram repunt, vel per bajulos palos in celſum ſurgunt*, &c. Ejuſdem rei apud alios quoque rerum Anglicarum ſcriptores mentio. Quod autem iidem vellent pro Britannis Pannonios ſcribere, fruſtra ſunt. Subjungit enim mox Vopiſcus ipſe *Sirmium.* Bene autem quod ajunt ſe non *exiſtimare, ex auctoris incogitantia illud peccatum eſſe*, &c. Quippe ut oſtendi, nihil Vopiſcus peccavit tribuens vites Britannis; peccaviſſet, vini confectionem eis adſcribens, cum Ceres eis etiam pro Baccho ſit. Eleganterque Eumenius, ſive quiqui eſt, in Conſtantini Aug. Panegyrico: *In Britannia tantam ſegetum fecunditatem*

cunditatem eſſe, ut muneribus utriuſque ſufficiat, & Cereris & Liberi, &c. Quæ Britanniæ hodieque laus eſt.

Quæret nunc forte aliquis, Si ex Domitiani edicto non eſt, quod gentibus iis nulla vineta, ex qua id lege tandem eſt? Ex nulla. Sed Vopiſcus ὑποκοριζόμενος *permittere* dixit, intelligens jubere. Dicere noluit Probum ita juſſiſſe, quia improbum videri aut certe parum decens potuit, & alienum a Principe, cui natura ipſa perſonam gravitatis impoſuerat, & qui apud Vopiſcum ipſe militibus ſe blandiri non poſſe exclamat, cogere velle milites & paganos ad vini uſum. Non tam autem permiſiſſe Probum, quam juſſiſſe, argumento eſt, quod principium hujuſce rei introduxit, ut operibus exerceret milites ſuos ac vitibus & vinetis inſtituendis, ut Hannibal quondam in Africa oleis ac olivetis. Sic enim Aurelius Victor comparationem fecit. Tangitur quoque in Victoris Epitoma.

Quod autem Vopiſcus dixit, *hinc permiſit*, &c. *Hinc*, inquiunt, *id eſt, poſt iſta, & ut loquitur Aurelius Victor in hujuſce rei narratione, poſtea ſane quam Barbarorum adtritæ gentes ſunt. aut ſcribe, hic*, &c. Sed poſterius hoc aperte ſatis ſerie ipſa narrationis refellitur, & patet intelligi debere, gentibus illis ſub jugum actis, ſive ut Aurelius loquitur, *adtritis*. Sed Aurelius adtritionem illam ad Probi dictum illud ſequens refert, *Brevi milites fruſtra fore*, &c. non ut illi putavere *ad Galliam, Pannonioſque & Mœſorum colles vinetis repletos*, &c. Intelligi vult Aurelius editum a Probo dictum illud, poſt *Barbarorum gentes adtritas*, devictumque Saturninum & Bonoſum. Hac re non intellecta, depravavere locum illum librarii. Sic enim vulgo legitur: *vinetis replevit: poſtea ſane quam Barbarorum adtritæ gentes ſunt, quæ noſtris Principibus ſuorum ſcelere interfectis, irruperant, ſimul cæſis Saturnino per Orientem, Agrippinæ Bonoſo exercitu: nam utrique dominatum tentaverant, ſumpta, cui duces præerant, manu. Qua cauſa receptis omnibus pacatiſque dixiſſe proditur, Brevi milites fruſtra fore*, &c. Sic librarii: ſed Aurelius voluit *vinetis replevit. Poſtea ſane quam B. a. g. ſ. q. n. p. ſ. ſ. i. i. ſ. cæſo Saturnini per Orientem, Agrippinæ Bonoſi exercitu (nam utrique dominatum tentaverant) ſumpta, cui duces præerant, manu, eaque cauſa receptis omnibus pacatiſque dixiſſe proditur*, &c.

CAP. VIII.

Ne ſe ſemper perſuaſoriis adſertionibus accommodarent.] Qui corrigunt, *perfuſoriis adſertionibus*, &c. perfuſorie hunc C. Suetonii locum intellexere. Etenim melius eſſe *perſuaſoriis adſertionibus* jam alii docuere, & quatuor huic rei argumenta dixere, I. Non dicis cauſa illæ adſertiones multiplicatæ, ut cenſet V. C. Cujacius ad l. XIII. D. de Excuſat. tut. ſed re ipſa & favore libertatis, ut victo primo adſertore, locus ſecundo & tertio eſſet. Itaque nec erant perfuſoriæ, l. I. C. De adſert. toll. II. Deinde neque arbitrarium erat judici his adſertionibus ſe accommodare, ſed neceſſarium, quia leges ita præcipiebant d. l. I. At C. Suetonius ſic loquitur, quaſi nulla ejuſmodi neceſſitas. Itaque adſertiones perſuaſorias Domitianus videtur intelligi voluiſſe. in his enim nulla judici neceſſitas. III. Porro & perſuaſoriæ adſertiones recte conveniunt ad *ſententias ambitioſas*, & videtur ut res generis ejuſdem junxiſſe ibi Suetonius ambitioſas centumvirorum ſententias & *adſertiones perſuaſorias*. In utriſque locus ambitioni & gratiæ. IV. Poſtremo, ſi adſertiones illæ iteratæ diſplicuere Domitiano, quin abrogavit, ut poſt Juſtinianus d. l. I. Sed haud dubie, ut in judiciis centumviralibus ambitioni: ſic in reciperatoriis & adſertionibus, gratiæ Domitianus obviam ire voluit, non autem frenos injicere libertati, cujus favor ſummus in jure civili, ut res notiſſima §. ult. Inſtit. De donat. & procœmio Novellæ LIV.

Inceſta Veſtalium virginum.] De crudelitate hac iſta Domitiani apud Dionem eſt.

Priora capitali ſupplicio, poſteriora more veteri.] Hæc a librariis πρωθυστερία eſt: nam Cajus quidem ipſe voluit, *poſteriora capitali ſupplicio, priora more veteri*, &c. Poſteriora intelligi vult inceſta, ipſius tempore commiſſa: priora quæ *a patre ac fratre neglecta* fuerant. Illa leviore ſupplicio coercuit, ut inceſta ſororum Ocellatarum & Varonillæ: hæc graviore, ac more veteri, ut Corneliæ virginis maximæ. Illis *liberum mortis arbitrium permiſit, corruptoreſque earum relegavit*, hanc vivam *defodi imperavit, ſtupratoreſque virgis in comitio ad necem cædi*, &c. Cur autem priora illa ſive antiquiora perſecutus eſt acrius? nempe ut patris fratriſque ſui laudibus obtrectaret, eoſque nota negelectæ diſciplinæ adſpergeret. Sic alia multa fecit, quibus de illorum laudibus quaſi cumulum dirueret, nt cum mares caſtrari vetuit, quia Tito fratri olim ſpadones in deliciis, ut eſt apud Dionem. Supplicii ergo illius tam atrocis quo adfecta Cornelia, non illa ſolum cauſa eſt quam expreſſit C. Plinius epiſt. XI. lib. IV. nempe quod inluſtrari ſæculum ſuum ejuſmodi exemplis arbitraretur, &c. ſed ut patris quoque ſui & fratris laudibus obtrectaret.

CAP. IX.

Ruſcii Capionis.] A *ruſco* Ruſcii, ut a ruſto Ruſtii. Sed quo pacto Ruſcius, cum Cæpionum gens Servilia ſit? in antiquis inſcriptionibus eſt *aliquis Ruſtius Æpio*. Sed quis præſtare poteſt ejuſmodi aliquem pertinere ad hunc locum Suetonii. Nihilo

Nihilo magis fortean, quam illas interpretari notas, quæ in libro vetere Lævini Torrentii ſuperius c. ix. *Auctor & T. P. R. C. L. fuit*, &c. Suſpicari licet tria illa tribunorum nomina eſſe, qualia vero illa non facile hariolari.

Ut uſucapta conceſſit.] Aggenus Urbicus Domitianum ea donaviſſe dixit; at ſignanter C. Suetonius titulum & cauſam donationis expreſſit, nempe quaſi *uſucapta.* Fictio illa juris, cujuſmodi in Publiciana in rem actione.

Ad ſævitiam deſcivit.] Ingenerata ei nempe ſævitia. Itaque recte apud Lampr. d. l. clamat ſenatus de Commodo, *ſævior Domitiano, impurior Nerone*, &c.

CAP. X.

Diſcipulum Paridis pantomimi puberem adhuc.] Hoc nullo ſenſu idoneo dictum, ait Lævinus Torrentius, & corrigit, *impuberem adhuc*, &c. Sed Cajus quidem noſter recte, *puberem* dicere voluit, & intelligi ἔφηβον. Gloſſæ: Ἔφηβος, *pubertus, puberta, pubis, pubeſcens.* Et, *Puberes*, ἐνήλικες, βύταιδες, ἤιθεοι. *Puberes*, nempe quibus necdum plena pubertas, ſive inter annum xiv. & xviii. ut l. xl. D. de Adopt. Iidem Lucilio *Parectati*, ut apud Non. Marcell.

Pubertas nempe prætextata, cum puberes quidem eſſent jam, ſive exceſſiſſent annum xiv. prætexta vero & bulla puerili tamen utebantur, donec togam virilem ſumerent. Iſque in Jure civili *proxime prætextati ætatem.* Domitius Ulpianus l. propenult. §. ult. D. de Lib. exhib. *In hoc interdicto*, inquit, *donec res judicetur, feminam, prætextatum, eumque qui proxime prætextati ætatem accedit, interim apud matremſam. deponi prætor jubet. Proxime prætextati ætatem accedere eum dicimus, qui puberem ætatem nunc ingreſſus eſt*, &c. Soliti autem deponere puerilem prætextam, & togam virilem ſive puram ſumere, anno plerumque xvi. ſive ineunte xvii. Quæ in hiſtoriis ſerius aut citius togæ virilis ſumtæ exempla, ea ut extra ordinem accipienda. Cum ergo nunc C. Suetonius dicit *puberem adhuc*, intelligi vult eum qui proxime accedit ætatem prætextati ſive infra annum xvii. Sumta virili toga ſive ineunte anno xvii. non jam prætextati aut puberes, ſed tirones ac viri. Proprie igitur ætas prætextata uſque ad ineuntem annum xv. pubertas biennii, ſive ab ineunte xv. ad ineuntem xvii. Sed Græcis *exephebi* ineunt anno xviii. apud Cenſorin. c. iv. de Die natali.

Dixi, ſumta virili toga, nominatos *tirones* aut *viros*; hoc ita intellige, dictos tirones militariter, viros paganice. Itaque L. Seneca Epiſt. iv. dixit, *in viros tranſcribi*, intelligens, ſumere togam virilem.

Poſt annum xvii. ineuntem, uſque ad ineuntem xviii. puberes adhuc, ſed proxime plenam pubertatem accedentes, cujus principium annus xviii. Atque hinc deinde principium plenæ pubertatis, cujus mentio apud Herenn. l. xl. §. 11. de Adopt. Juſtinian. §. *Minorem natu.* Inſtit. eod. Julio Paulo eſt *tempus, quo plerique pubeſcunt.* In Sentent. Tit. iv. lib. iii.

Ab ineunte xviii. deinde *barbati*, ſive τῷ ὑποχοριςμῷ aut τωθαςικῶς *barbatuli*, ut Juvenal. Sat. xiii. *Barbato cuicumque* opponit puerum, & ſubjungit,

Tam venerabile erat præcedere quatuor annis.

Quatuor illi anni a xiv. ad xviii. Hinc *barbatuli juvenes* Ciceronis epiſt. xi. & xiii. lib. i. ad Attic. & *barbulæ*, ut pro M. Cælio.

Impie locutus parmularius.] Paullus Sentent. Tit. xxix. lib. v. *Verbis impiis aut male dictis adverſus Imperatorem, pœna capital.* Atque hoc *impietatis crimen* ſive ἔγκλημα ἀθεότητος in Hiſtoria Auguſta.

Et in his aliquot conſulares.] Recte, qui addunt, *etiam triumphales vel certe triumphalibus ornamentis donatos, & in his Julium Agricolam Taciti ſocerum.* Neque injuria reprehendunt quod in Dionis Tito eſt, Agricolæ inſignia triumphi a Tito, ut Juſtus Lipſius quoque V. C. notarat. Sed verius eſt Xiphilini breviatoris potius quam Dionis exerrationem illam eſſe: deinde neque recte illi ad hunc C. Suetonii locum, dictum a Dione καίπερ otioſe aut abſurde. Nam ſive ad Titum ſive ad Domitianum referatur cauſa, fuit dicendum καίπερ. Ad Titum quia intelligi vult, quanquam Agricola in tantum fuit honorem apud Titum, a Domitiano tamen fratris laudibus obtrectante, occiſum eſſe: ad Domitianum, (ut quidem referri debet) ut ſi diceret, quanquam illis ei collatis inſignibus bene de Principe & imperio meritum, teſtatus eſſet.

Ex quibus Civicam Cerialem.] De quo Civica, C. Tacitus in Agricola. Civicarum illud nomen ſuſpicari licet a corona civica eſſe. Sic L. Antonius *Pietas*, Vitellius *Concordia*, L. Tribellius *Fides*, Cornelius Alexander *Hiſtoria*, D. Gregorius P. P. *Dialogus*: & Græce Democritus φιλοσοφία, Protagoras σοφία & λόγος, Anaxagoras νοῦς, &c.

Heu taceo, dixerat.] Sæpe dixi, & nunc quoque dico, libros veteres ac membranas, quaſi *Quorum bonorum interdicta* eſſent, prodeſſe, ſi recte ſcienterque uti noveris. Hoc dicendi occaſionem hic locus C. Suetonii præbet, ad quem notavere in pleriſque codicibus antiquis eſſe, non *heu taceo*, quemadmodum vulgo eſt, ſed *eutacto* ſive *tutacto.* Illi hoc ad neſcio quas Græcanicas nugas referunt, ut ἐν ταυτῷ vel ἐν σαυτῷ, & bene Grammatice, *ſupple*, inquiunt, ἔχε, id eſt, *digito compeſce labellum.*

bellum. Deinde, *ſed vulgata*, inquiunt, *perplacet*, &c. rectius dicturi, diſplicet, ſtulta, fatua, ridicula eſt. nam perridicula illa commiſeratio, *heu*, & nullo idoneo ſenſu, *taceo*. Gratia illis tamen, quod imprudentes veræ lectionis veſtigium impreſſere, *eutacto*. Scilicet, dixiſſe Lamiam illum *εὐτακτῶ*, *diſpenſo recte*, videlicet *ὑποκοριζόμενος* ille hoc, & laudem vocis ſibi a Domitiano datam extenuans modeſte, & dicens, ſe non excellere voce, verum diſpenſare, ita ut non lædat eam clamore, aut cibis voci noxiis. Sic apud C. Tacitum Annali XIII. Pallas Claudii libertus ait, *Nihil unquam ſe domi niſi nutu aut manu ſignificaſſe, vel ſi plura demonſtranda eſſent, ſcripto uſum, ne vocem conſociaret*, &c. Scripſerat haud dubie C. Tacitus *conſauciaret*, &c. Quod ſi quis alius dixit, de meo diſertus fuit. Sic Apulejus lib. VIII. de præcone *rauca voce ſaucius*, &c. vult ergo nunc etiam Lamia hic intelligi, ſolitum ſe *εὐτακτεῖν τὴν φωνήν*. Sed Nero ille calvus intellexit figuram, & ſe taxari quaſi *ἀτακτοῦντα* in republica, quaſi dicente Lamia, *ἐγὼ μὲν εὐτακτῶ τὴν φωνὴν, σὺ δὲ ἀτακτεῖς τὰ κοινά.* Hoc tam acerbe dictum, quidni Dominum Deumque ureret? Itaque nec plane innoxius hic jocus, quemadmodum Cajus noſter videri vult, ut neque ſequens ille in Titum ſine aculei veneno eſt: *Num & tute uxorem ducere vis?* Explicant aliqui, *ſi forte alteram ſumſero.* Nihil ad acumen Lamiæ. Intelligi enim voluit, *Num & tu aliam uxorem ducere vis, ex qua filiam ſuſcipias, quam frater tuus violet?* Legend. Sueton. ipſe inf. c. XXII.

Metium Pompoſianum.] Narrantur hæc taliaque a Dione, ubi & male *ὅτι* pro *ἔτι*.

Philoſophos omnes urbe Italiaque ſubmovit.] Hinc Dionis Chryſoſtomi de exſilio ſuo querimoniæ, ut oratione in patria, in Apologia, Orat. Athenis habita de exſilio, & paſſim.

Divortium ſuum cum uxore tractaſſet.] Fallitur, ſi quis mavult, *taxaſſet*, &c. Taxatio unius eſt figuræ aut dicterii, vel paucorum, ut ſupra in Auguſto c. IV. Itaque Feſtus *ſcenicos* ait *taxatores dici, quod alter alterum maledictis tangit*, &c. Hoc *pangere* M. Varro dixit, Modio apud Marcellum:

Sed, o Petrulle, ut meum taxis librum,
Si te pupugit hic modo ſcenatilis.

Tractare autem eſt totum negocium figurare ſive *σχηματίζειν*· aut agere figurate ſive *ἐσχηματισμένως*. Hinc illud Afranii Emancipato apud Soſipatrum:

Quam lente tractat me atque inludit.

Sic itaque tractatum ſcenico exodio Domitiani cum uxore divortium. Neque recte qui quod Suetonius dixit *quod quaſi ſcenico exodio*, putant melius eſſe *quod ſcenico exodio*, & ſuperfluere vocem *quaſi.* Neutiquam abeſſe illa debet. Cajus enim noſter intelligi vult, non fuiſſe illud exodium ſcenicum proprie, ſed *quaſi exodium ſcenicum.* Proprie ſcenicum exodium ridiculum eſt. Unde Juvenalis Sat. VI.

Urbicus exodio riſum movet Atellanæ.

Et patet Suetonii Tiberio c. XLV. T. Livii lib. VII At illud de Domitiani cum uxore Domitia divortio exodium rei triſtis, & perſonas habens quaſi heroicas, & tragicas, neque tam Atellanæ exodium, quam tragicum. Itaque *quaſi ſcenicum* ſive Atellanæ illud *exodium*, quia res triſtis in eo tractata deridiculi & Domitiani ſugillandi cauſa. In Græcia vero etiam tragica exodia quædam. Interpres Sophoclis in Ajacem *γόους* ſive *lamentationes* triplices facit, *ἐπισκηνίους* ſive *ſcenicas*, *ἐπιταφίους* ſive *epitaphias* ſive *ſepulchrales*, & *ἐξοδίους* ſive *exodias.* Exodias intelligi vult exodii tragici, & lamentationes ſcenicas ipſius eſſe tragœdiæ ſive dramatis: exodias vero exodii tragici. Græcis nullum exodium Atellanæ, ſed ut chorus duplex, tragicus & comicus, ſic duplex quoque exodium, tragicum & comicum. Eaque de re Julius Pollux c. XV. lib. IV. Fallitur Nonius Marcellus, qui *exodium* dictum eſſe *quaſi ἔξω τῆς ὁδοῦ*, id eſt, *extra viam.* Eſt enim exodium *τῷ ὑποκορισμῷ* ad differentiam. Ἔξοδος nempe quivis exitus, exodium exitus ſcenicus, quaſi in re parva nec vera, ſed imitata exitus. Neque ſat proprie L. Apulejus *exodium* dixit pro communi exitu.

Flavium Sabinum alterum e patruelibus.] De altero patruele eſt infra c. XV.

Pleroſque partis adverſæ dudum etiam latentes conſcios.] Corrigunt, *Pleroſque p. a. dudum etiam latentes, per conſcios inveſtigatos, novo quæſtionis genere diſtorſit*, &c. Sed neque liber pro eis ullus facit, & multo minus ipſe C. Suetonii ſtilus. Nam Cajus quidem, ut ex antiquæ ſcripturæ veſtigiis elici facile poteſt, voluit: *Pleroſque partis adverſæ dudum etiam latentes conſcios, inveſtigatos, novo quæſtionis genere diſtorſit.* conſcios partis adverſæ dixit, intelligens complices: conſcios nempe illius partis tanquam ſceleris. At illud, *per conſcios inveſtigatos*, neque ſenſu neque ſono ipſo rectum eſt.

Tribunum laticlavium.] Tribunus hic laticlavius, *Julius Calvaſter*, ut patet apud Dionem, ubi eſt *κεχιλιαρχηκὼς ἐς βουλείας ἐλπίδα. Tribunus, ſpe perveniendi in ſenatum*, &c. Hoc autem eſt, laticlavius, non ſenatoris filius. Dixi quoque ad Veſpaſiani c. I.

CAP. XI.

Sed & callidæ inopinatæque ſævitiæ.] Etenim, ut Dio inquit, Ἐπλάττετο ἀγαπᾷν, ὃν ἀεὶ μά-

λιϛα ἀποσφάξαι ἤθελεν. *Eum a ſe diligi ſemper, quem maxime interficere volebat.* Voluit nempe Dio, ἀεὶ ὄν, &c. Tali quoque ingenio Antoninus Caracallus apud Spartianum in Geta. *Fuit*, inquit, *ejus immanitatis Antoninus, ut iis præcipue blandiretur, quos ad necem deſtinabat, ut ejus magis blandimentum timeretur quam iracundia*, &c. Simili quoque Andronicus ingenio apud Nicetam in Alexio Manuele.

Adſidere in thoro juxta coegit.] *Coegit.* nam aliter impietas & perduellionis crimen, adſidere in thoro Principis, aut ſedili ſive ſella, quæ de more juxta Principis thorum poſita, ut apud Spartianum fine Hadriani, & principio Severi, & in narratione feſtiva Marcellini comitis de medico, Indictione xv. Leone Aug. II. ſolo Cos.

Partibus etiam de cœna dignatus eſt.] Ut Caracallus apud Spartianum, *fratrem patruelem Afrum, cui pridie partes de cœna miſerat, juſſit occidi*, &c. Et Andronicus apud Nicetam, Οὓς χθὲς ἐψώμιζε σέαρ πυροῦ, καὶ οἷς τὸν μόσχον παρετίθει τὸν σιτευτὸν, καὶ τὸν ἀνθοσμίαν ἐκίρνα ζωρότερον, καὶ τῷ κύκλῳ τῶν περὶ ἐκεῖνον ἐνέγραφε, τούτους διετίθει χειρίϛως σήμερον, &c. *Quos enim molli ſiligineo pane acceperat, & quibus vitulum opimum, ſive fartum adpoſuerat, & fragrans vinum miſcuerat meracius, ſuorumque albo inſcripſerat heri, eoſdem hodie peſſime accipiebat*, &c.

Simul geſtanti.] *Geſtans* pro *geſtato*, ut *vertens* pro *verſo*, & id genus alia, quæ dicuntur Attice, ut notavi ad Planudis interpretationem Somnii Scipionis Græcam. Scripſerat autem fortean C. Suetonius, *quoad noviſſime ſimul geſtantis conſpecto delatori ejus*, &c. pro, conſpecto ejus ſimul geſtantis delatori, *Vis inquit*, &c. Neque enim hoc ſimul geſtanti Arricino Clementi, ſed delatori ejus dixit Domitianus.

Nunquam triſtiorem ſententiam ſine præfatione clementiæ pronunciavit, &c.] Amm. Marcellinus lib. XXVIII. *Animadverſum*, inquit, *eſt, recte hoc definitum. Nullam eſſe crudeliorem ſententiam ea, quæ eſt, cum parcere videtur, aſperior*, &c.

Nam & parcetis oculis veſtris.] Ut Cicero Philipp. XII. *Parcite oculis ſaltem meis.*

CAP. XII.

Manum præbuit.] Hinc deinceps aliis præbere orſus manum oſculandam. Eoque illud facit C. Plinii in Gratiarum actione ad Trajanum, *Nec oſculum manu reddis*, &c. Oſculandam ille manum præbuit, nempe, ut ſervis. Nam oſculari manum ſervilis honor, ut apud L. Senecam epiſt. XLVII. & CXXVII. Epictetum Arriani c. XIX. lib. I. Hoc a Domitiano introductum tenuere quoque alii Principes, non ſolum notæ ſuperbiæ, ut Maximinus junior: ſed moderati quoque, ut Valerianus. Flavius Vopiſcus in Aureliano: *Poſt hæc Valeriani dicta, Aurelianus ſurrexit, atque ad manus acceſſit*, &c. Neque Principes ſolum, ſed privati etiam proceres ſic manum præbent, apud Amm. Marcellin. lib. XXIV. *Adulatoribus*, inquit, *offerunt genua ſuavianda vel manus.*

Albatos & ipſum miniſtros habere.] Albati Principum miniſtri, ut Ammiani Marcellini lib. XXXI. Eaque de re dixi quoque ad Veſpaſiani c. XIV. Albatus quoque Princeps ipſe, ut Alexander Severus apud Lamprid. Et apud Phædrum Fabella LXXXVIII. Imperator toga candida, faſciis & calceis candidis. Albati quoque Principis cognati & adfines eorumque miniſtri, ut nunc, & ſupra Veſpaſiani c. II.

CAP. XIII.

Tacere tantummodo juſſit voce præconis.] Sic poſtea quoque Hadrianus, populo valide in arena petenti aliquid, ut eſt apud Dionem, Οὔτε ἔνειμε, καὶ προσέτι ἐκέλευσε δὴ τὸ τοῦ Δομιτιανοῦ κηρυχθῆναι, Σιωπήσατε, &c. *Neque id tribuit, inſuperque juſſit prædicari a præcone, illud Domitiani verbum, Tacete*, &c. Deinde ſequitur apud Dionem aut potius breviatorem Dionis verbis turbatis hoc modo: Οὐκ ἐλέχθη μὲν γὰρ, ὁ γὰρ κήρυξ, ἀνατείνας τὴν χεῖρα, καὶ ἐξ αὐτοῦ τούτου ἡσυχάσας (ὥσπερ εἰώθασι ποιεῖν, οὐ γὰρ ἔϛιν ὁπότε ὑπὸ κηρύγματος σιγάσονται) ἐπειδὴ ἐσιώπησαν, ἔφη, Τοῦτο θέλει, &c. Mira verborum implicatio, neque a Dione illa, ſed Xiphilino breviatore & miſcellione. Dio quidem ipſe voluerat: Οὐκ ἐλέχθη μὴν γάρ. ὁ γὰρ κήρυξ, ἀνατείνας τὴν χεῖρα, καὶ ἐξ αὐτοῦ τούτου ἡσυχάσας, ὥσπερ εἰώθασι ποιεῖν, ἐπειδὴ ἐσιώπησαν (οὐ γὰρ ἔϛιν ὁπότε ὑπὸ κηρύγματος οὐ σιγάζονται) ἔφη, Τοῦτο θέλει. Hoc eſt, *Neque tamen dictum eſt verbum hoc. Præco enim, cum ſuſtuliſſet manum ut ſilentium faceret, quemadmodum ſoliti præcones facere, populuſque tacuiſſet (neque enim accidere ſolitum eſt, ut præconi non pareat ſilentium imperanti) dixit, Hoc voluit*, &c.

Cum dictaret formalem epiſtolam.] Dixi ad Titum c. VI. De Deo autem Domitiano ridiculum illud Philoſtrati lib. VII. ubi accuſator jubet Apollonium ὁρᾶν ἐς τῶν ἁπάντων ἀνθρώπων θεὸν, *Adſpicere ad omnium mortalium Deum*, Domitianum ſcilicet. Dixi quoque de illa divinitate ad Spectacula Martialis Epigr. XVII. Cenſent aliqui *formales* dictas epiſtolas, quod ut eſt infra c. XX. *alieno eas* Domitianus *formaret ingenio*, &c. Sed verius eſt, quia tanquam formæ eſſent, quas procuratores ejus ſequerentur. Nam alioqui etiam *orationes* ejus formales, & *edicta* formalia fuiſſent. Etenim hæc quoque alieno formabat ingenio, c. eod.

Ex quibus ſeptem medios continuavit.] At apud Dionem

Dionem eſt: ὕπατος μὲν, inquit, ἔτη δέκα ἐφεξῆς, id eſt, *conſul perpetuo decennio*, &c. Dio, aut breviator ejus, Faſtis refellitur, & forte an error natus ex nota numeri eſt.

Septembrem & Octobrem menſem.] De Octobri menſe etiam Dio, de Septembri autem omiſit aut ipſe, aut quod vero ſimilius eſt, curtator ejus. Utrique autem natali ſuo menſes illos ſic transnominare voluit, natali imperii ſui, & natali vitæ.

CAP. XIV.

Non alia magis re.] Inter alias autem res, quibus permotus, etiam Ionum legatio fuit, de qua Philoſtratus in Apollonio, fine lib. VI.

Novum & excogitatum honorem.] Δὶς τὸ αὐτὸ, pro *noviter excogitatum*, &c. neque ullus hic correctioni locus eſt.

Et nec niſi ſecreto.] Ut ſupra, *Tempore quoque*, &c. Et mox, *Utque*, &c.

Ne bono quidem exemplo audendam eſſe patroni necem.] Atqui Epaphroditus ille quodammodo ſervator Neronis. Sed periculoſæ plenam eſſe rem aleæ quoquo modo Principi manum admovere, exemplum dedit Baſilius Macedo Imperator apud Michaelem Glycam lib. IV. Ludovicus XI. Galliæ rex apud Philippum Cominæum, Sueno Daniæ rex apud Saxonem Grammaticum lib. XIV. Male Victor Aurelius in Epitoma tribuit hoc auxilium eunucho Sporo.

Quod Nero manu ejus adjutus exiſtimabatur.] Dio etiam prætextum ſive colorem, quo uſus ea in re Domitianus, ita expreſſit, ὅτι μὴ ἤμυνε τῷ Νέρωνι, *quod Neroni non propugnaviſſet.*

CAP. XV.

Tantum non ipſe ejus conſulatu interemit.] Sic Philoſtratus Apollonii lib. VIII. ἔτυχε μὲν γὰρ Κλήμεντα ἀπεκτονὼς, ἄνδρα ὕπατον, &c. *Nam occiderat Clementem conſulem*, &c. Sed Critici notant, ὕπατον a Philoſtrato dictum pro ὑπατικόν. Nollem excidiſſe hoc eis. Nihil enim apertius quam ὕπατον Philoſtrato eſſe conſulem, & C. Suetonio, *tantum non ipſo ejus conſulatu*, &c. eſſe, ipſiſſimo conſulatus ejus tempore. Eaque acta mihi res ad Veſpaſiani caput V. cum oſtendi quoque ex hujuſce ignoratione articuli depravari a Criticis locum illum Caji noſtri. Quid ni autem Dionem quoque, ubi eſt, τὸν Φλάβιον Κλήμεντα ὑπατεύοντα, &c. explicant *Flavium Clementem excoſ.* aut *conſularem*, ut varam ſequatur vibia? Male apud Dionem eſt Φλάβιον, &c. Male & apud Euſebium in Chronicis Latinis, ubi de alia Flavia Domitilla Clementis ex ſorore nepte agitur, *Flavii Clementis Conſulis.* Recte in Græcis Κλήμεντος Φλαβίου ὑπατικοῦ. Flavia enim hæc Domitilla Flavii Clementis ex ſorore neptis, anno ſequente relegata in Pontiam inſulam eſt, quo tempore Clemens non jam conſul, ſed conſularis dici potuit. Ac recte quidem conſularis, quanquam in conſulatu anno ſuperiore occiſus. Quippe qui conſul fuit, etiam mortuus conſularis eſt. Itaque Cardinali etiam Baronio eſt objectus error in Annalibus narranti Flavium Clementem occiſum anno Domitiani XV. exconſulem ſive conſularem. At recte Euſebius Eccleſiaſt. hiſtor. c. XIX. lib. III. Flaviam Domitillam eo anno relegatam ἐξ ἀδελφῆς γεγονυῖαν Φλαβίου Κλήμεντος, ἑνὸς τῶν τηνικάδε ἐπὶ Ῥώμης ὑπάτων. Dici hoc Latine debuit: *ex ſorore natam Flavii Clementis unius eorum, qui Romæ aliquando Coſſ.* &c. Male Baronius reddidit, *qui unus ex Coſſ. tum Romæ fuit*, &c. Philoſtrati autem veba ſic habent: Ἔτυχε μὲν γὰρ Κλήμεντα ἀπεκτονὼς ἄνδρα ὕπατον, ᾧ τὴν ἀδελφὴν τὴν ἑαυτοῦ ἐδεδώκει· πρόσταγμα δὲ ἐπεποίητο περὶ τρίτην ἢ τετάρτην ἡμέραν τοῦ φόνου, κἀκείνην εἰς ἀνδρὸς φοιτᾶν, &c. hoc eſt, *Occiderat enim Clementem Conſulem, cui ſororem ſuam collocarat. Edictum autem propoſitum erat tertio quartoque poſt cædem illam die, ut ipſa quoque in viri veniret*, &c. Corrigunt Critici illi κἀκείνην εἰς ἄνδρας φοιτᾶν & interpretantur, *ut ipſa quoque in publicum prodiret*, &c. Sed longe a ſcopo Philoſtrati, ſive ut locuti olim, petivolo eſt reſcriptio illa. Voluit enim, κἀκείνην εἰς Πανδατέρειαν φοιτᾶν, id eſt, *ut etiam illa in Pandatariam iret*, &c. relegata ſcilicet. Dio: ἡ δὲ Δομιτίλλα ὑπερωρίσθη μόνον εἰς Πανδατάρειαν, *Domitilla vero tantum relegata eſt in Pandatariam.* Scripſerat fortean Philoſtratus, Πανδατέρειαν. Librarii legere neſcientes illud Πανδατέρειαν, ſive, ut rectius Geographo eſt, Πανδατάριαν, pro ſuo captu fecere ἄνδρας, *ex inſula viros*, ut Ovidio ad metamorphoſes illud corollarium & quaſi mantiſſa eſſet, ſcilicet. Sic autem Philoſtratum voluiſſe, ipſa narratonis quoque ſeries argumento eſt. Propoſito enim edicto, Stephanus libertus Domitillæ conſilium cepit interficiendi Domitiani, a quo jam duplicata ei injuria, ut qui non ſatis habens dominum ejus interfeciſſe, patronam quoque relegaret. Hinc itaque Stephano animus ſe ulciſcendi. Hic dolor vera Stephano cauſa, illa quam Philoſtratus profert, ſpecioſa magis quam vera, nempe cogitaviſſe de tyranni cæde Stephanum, ut Clementem privatim, aut etiam publice omnes vindicarent.

Si quis autem cogitet Philoſtrati παρόραμα eſſe εἰς Ἄνδρον, *in Andrum* ſcilicet inſulam, pro εἰς Πανδατάριαν, ego illius accuſationis ſubſcriptor non fuero. Neque ille non error calculi eſt, Flaviam Domitillam, qua de nunc agitur, a Philoſtrato male Domitiani ſororem nominari, cum fuerit Clementis ex ſorore neptis. Atqui ea neptis

alia Flavia Domitilla in Pontiam inſulam ſequente proximo anno relegata, neptis Clementis viri conſularis ex ſorore Plautilla. Deque hac in martyrologiis eſt, nonis Maji. Dio quidem Flaviam Domitillam, qua de nunc ſermo eſt, Domitiani συγγενῆ, id eſt, *cognatam* vocat, ſed aut abutens nomine συγγενοῦς pro ſorore, aut lapſus in hiſtoria.

Quo maxime facto maturavit ſibi exitium.] Cur eo maxime facto, patet facile ex ante a me dictis.

Eandemque ſemper ſortem.] Sortes Fortunæ Præneſtinæ in tabellis, quales ſuffragiorum, ut in nummo M. Plætorii, quam male ibi arcellam eſſe arbitrati.

Minervam quam ſuperſtitioſe colebat.] Hinc Martiali *Pallas Cæſariana* epigr. I. lib. VIII. & *Palatina* epigr. V. lib. V. ubi & *Deus* Domitianus, quippe Minervæ filius. Eodem pertinet epigr. I. lib. VII. Minervæ autem filium ſe dici & haberi voluiſſe præter Philoſtrat. Apollonii lib. VIII. indicio ſunt quoque Fabius, & nummi Domitiani.

Excedere ſacrario.] Additur a Dione, viſam curru nigris equis juncto in terræ hiatum demergi.

CAP. XVI.

Nuncians eſſe, qui magnum quid adferet.] Magnum hoc erat, Flavium Clementem vivere & armari, quem Domitianus interfectum putaret. Nuncius autem ille Stephanus, de quo c. ſeq. Narrat Philoſtratus Apollonii lib. VIII.

Parthenius cubiculo præpoſitus.] De quo etiam ut poeta non malo Martial. epigr. XI. lib. XII. & XXVIII. lib. VIII. & LXXIX. lib. IV. & VI. lib. V. & I. lib. XI.

In cubiculum ſe recepit.] At Philoſtratus ibidem, ἀπολαβὼν ἀυτὸν εἰς τὸν ἀνδρῶνα, ὃν τὰ βασίλεια. *Seducens eum in andronem* ſive *andronitidem*, *ubi regia.*

CAP. XVII.

De inſidiarum cædiſque genere hæc fere divulgata.] Quæ nunc Suetonius, narrat quoque Dionis breviator in fine Domitiani, ſed is paullo ante altius repetito principio aliam quoque telam narrationis texuerat de puerculo & tabellis, in quibus perſcriptum inter reos etiam Domitiæ uxoris Domitiani nomen, &c. Sed narratio illa omnis ex vita Commodi Antonini tranſlata ad Domitianum, vel ipſius Dionis fruſtratione, vel quod verius forte eſt, Xiphilini truncatoris ignavia: ut Herodianum legenti in Commodo, tanquam Solis radio ſcriptum eſt. Et quidem verba ejus etiam ipſa Herodiani ſublegit pleraque bonus ille ἱστοριοτυρβοπλάδης, ut, παιδίον τι τῶν γυμνῶν τῶν ψιθύρων. Item σανίδιον φιλύρινον δίθυρον, Et id genus alia. Sic Commodus factus eſt Domitianus, Martia mutata in Domitiam. Denique Ovidium dixeris aliquem hic Dioni operam dediſſe, qui metamorphoſes ſuas locupletare vellet. Nata vero Dioni aut ejus ſubdigis Xiphilino & Zonaræ implicatio illa ex ſimilitudine quadam hiſtoriæ, quod etiam Domitia Domitiani uxor conſcia illius cædis, & conjurata in virum, ut apud Aurel. Victorem eſt in Epitoma, qui cauſam quoque ſubjungit, nempe quod etiam Domitia ſibi a Domitiano metueret, propter amorem Paridis, præteritum ſcilicet, ſive propter quem repudiata ſemel jam olim fuerat. Dixi *præteritum*. Occiſus enim jam olim mimus ille, & Domitia quoque populo exorante recepta in gratiam & matrimonium a Domitiano, ut eſt apud Zonaram.

Et reus interceptarum pecuniarum.] *Stephanus* hic & *Parthenius* & *Clodianus Cornicularius*, & *Maximus Parthenii libertus*, & *Saturius decurio cubiculariorum*, &c. quos recenſet hoc capite Tranquillus, ii ſunt, quos Juvenalis fine Satyræ IV. *cerdones* vocat, quia ſcilicet omnes quaſi mercenarii & lucriones, maximeque omnium Stephanus.

Sed, inquit, periit, poſtquam cerdonibus eſſe timendus
Cœperat, &c.

Nec male in Juvenalem Gloſſæ veteres, *Cerdo*, inquiunt, *eſt propr.e turpis lucri cupidus.* De ſuppliciis autem horum *cerdonum* Epitoma Aurelii Victoris in Nerva.

Ac ſiniſteriore brachio velut ægro.] Philoſtratus lib. VIII. Ξίφος δ' ὑφόρας τῷ τῆς ἀριστερᾶς πήχει, καὶ τὴν χεῖρα ἐπιδέσμοις ἀναλαβὼν, οἷον κατεαγυῖαν, &c. Hoc eſt, *Pugione autem manus lævæ ulna ſublato, & manus telamonibus obvoluta quaſi fracta eſſet*, &c. Male ſcriptum ibi ὑφόρας pro ὑπάρας, & procul a ſcopo illi qui corrigunt ὑφαρμόσας. Sed iidem non male, quod ex Philoſtrati loco illo confirmant lectionem Jacobi Ferrarii corrigentis, *ad ipſam horam dolonem interjecit*, &c. ubi male vulgo eſt, *dolum*, &c. Ubi autem illi gentium legere Philoſtratum, qui notant, traditum a Philoſtrato dexterum Stephano brachium obvolutum fuiſſe, contra quam narrat Suetonius?

Profeſſuſque conſpirationis indicium.] Quale conſpirationis indicium illud, dixi ad caput antecedens.

Cineribuſque Juliæ commiſcuit.] Et ritu priſco videlicet, quo cineres amantium miſcere ſoliti. Amantes autem Domitianus & Julia. Nam etiam recepta in conjugium Domitia, cum Julia tamen nihilominus ut ante conſuevit. Eaque de re Zonaras. Sic *miſcere cineres* apud Ovid. lib. III. Nequitiæ. Martial. epigr. propen. lib. I. *Oſſa miſcere* apud Propert. eleg. VII. lib. IV. Aliaque ſexcenta, quæ omnibus paginis ſe offerunt.

CAP.

CAP. XVIII.

Vultu modeſto ruboriſque pleno.] C. Tacitus in Agricola: *Sævus ille vultus & rubor, a quo ſe contra pudorem muniebat*, &c. Melius, *quo ſe contra*, &c. Argute & quaſi ὀξυμώρως. Ceteris pudoris nota rubor eſt: Domitiano erat quaſi umbo adverſus pudorem.

Modeſtus autem quoque vultus Domitiani, non a modeſtia, ſed naturæ lineamentis, aut etiam addito ſimulationis artificio, qualis Chærea Terentianus, *Terram intuens modeſte*, &c. Bene C. Plinius in Gratiarum actione quaſi interpretaretur hunc locum, pingens penicillo ſuo Domitianum, inter cetera, *In ore*, inquit, *impudentia, multo rubore ſuffuſa.*

Grandibus oculis.] Addit C. Plinius in Gratiar. act. oculos ei quaſi ſemper iraſcentis fuiſſe, *Superbia*, inquit, *in fronte, ira in oculis*, &c. At Philoſtratus ruborem illum, de quo ante dictum eſt, refert ad iracundiam. Sic enim lib. VIII. Φθέγγεται μὲν γὰρ βαρὺ, κἂν πράως διαλέγηται. ἡ δ' ὀφρὺς ἐπίκειται τῷ τοῦ ὀφθαλμοῦ ἤθει. μεστὴ δ' ἡ παρειὰ χολῆς· ταυτὶ γὰρ μάλιστα ἐπιφαίνεται. *Sonat enim grave quiddam, & iracundum, etiam cum leniter agit: ſupercilium ſolitum oculo ſemper imminere: plena iracundiæ gena. hic etiam potiſſimum adparet*, &c. Hic nempe in ſuperciliis & genis oculorum. Hanc Philoſtrati deſcriptionem ajunt plane contrariam eſſe his, quæ Domitiano tribuit Suetonius, nempe *vultui modeſto ruboriſque pleno.* Sed haud vidi magis. Nam fuit quidem a natura Domitianus & necdum plane tyrannus, tali vultu: poſt ex inſtituto vitæ tyrannicæ, vultu ſemper iracundo, quali pingitur a Philoſtrato, qui de Domitiano agit ut jam plane pleneque tyranno tetro, immani, importuno, atroci. Quocirca ſic agens quoque Plinius *iram* ei *tribuit.* Et tamen illi, qui ſic injuria reprehendere Philoſtratum, quaſi canentes ἐπινίκιον, *unius*, inquiunt, *Suetonii teſtimonium plus ponderis apud omnes ſani judicii habebit, quam ſexcentorum ſive Philoſtratorum, ſive Apolloniorum*, &c. Interroga eos, *Quid ita?* reſpondebunt: *Sic volo.* Nam ratio quidem hic nulla eſt. Etenim Philoſtratus pleraque omnia ſua ex epiſtolis aliiſque tabellis Apollonii tranſcripſit, ut patet fine libri VII. & alias. Apollonius autem teſtis oculatus eſt, quali vultu Domitianus. Anne igitur ſano ſincipite hominibus major eſſe debebit fides & auctoritas Tranquilli teſtis auriti, aut etiam cæci?

Quæ tamen ei valetudine longa remacruerant.] Quomodo remacruerant ei; ſi deformis eorum gracilitas? Dixeris forte, *remacruerant* eſſe pro *macruerant*, & intelligi debere, gracilia ei crura non natura, ſed morbo fuiſſe. Atqui ſic etiam venter ſane remacruiſſet. Timide ſuſpenſeque dicam, verum eſt tamen. A librariis, aut forte an Criticis quoque indoctis, olim adſcriptum C. Suetonio eſt nomen gracilitatis, quod non arbitrarentur, ut ventrem, ſic etiam crura obeſa recte dici. Atqui debuere arbitrari. Sic enim etiam *terga obeſa* Virgilio III. Georg. *Fauces obeſæ*, ibidem, quas Servius male interpretatus, *clauſas. Obeſa inluvies*, id eſt, craſſa, Jun. Columella c. x. lib. VII. A. Gellius quidem c. VII. lib. XIX. obeſum proprie *eſſe gracile, uſitate autem craſſum.* Sed melius Feſtus *proprie* pingue quaſi ob ſive ad edendum, ſive eſui aptum. Scripſit ergo Suetonius, *& obeſitate ventris & crurum, quæ tamen ei*, &c.

Si cui alii vel joco vel jurgio objectaretur.] Sic criminoſum & exitiale, Caji tempore *capram nominare* Suetonii c. L. Eleganter Demetrius Phalereus lib. de Elocutione, *Talia*, inquit, *multa eveniunt apud tyrannos, ut Philippus Macetum rex, quod eſſet unoculus ſive cocles, iraſcebatur, ſi quis audiente eo Cyclopis nomen ederet, aut omnino mentionem oculi faceret. Hermias Acarnenſium tyrannus, quanquam alias lenis, ut fertur, non facile tamen patiebatur, ſi quis cultellum, aut ſectionem, aut exſectionem nominaret, eo quod eunuchus eſſet*; &c. Male interpres omiſit, ἢ ἐκτομήν.

CAP. XIX.

Pedibus non temere ambulavit.] Has tales Domitiani delicias tangit C. Plinius in Gratiar. actione, cum ait: *Jam hoc ipſum, quod ingreſſus es, quam mirum lætumque? Nam priores invehi & importari ſolebant, non dico quadrijugo curru, & albentibus equis, ſed humeris hominum, quod arrogantius erat*, &c. Quem locum ſic imitatione expreſſit Latinus Pacatus in Panegyrico Theodoſii: *Quin ſi quando in lucem venire & diem ferre potuiſſent, lecticis tenſiſque ſubvecti & denſiſſima ſupra circumque cooperti virorum armorumque teſtudine, ſenſim atque ad numerum movebantur*, &c.

Equo rarius, lectica adſidue.] Contra laudatus a C. Plinio in Gratiarum actione Trajanus, quod in expeditionibus *non vehiculum unquam, non equum reſpexerit*, &c.

In Albano receſſu.] *Albanum etiam* C. Plinius vocat, in Grat. act. Dio autem fuiſſe hanc Domitiani quaſi ἀκρόπολιν, dicere, opinor, voluit ἀπραγόπολιν, ludens ad illam, de qua Auguſtus Suetonii c. XCVIII. Gloſſæ veteres in Juvenal. Sat. x. hoc inſulæ Capreis nomen ab Auguſto impoſitum, Suetonius vero inſulæ vicinæ, dictamque *a deſidia ſecedentium.* Juvenalis quidem ipſe de Capreis quoque intelligens & de Tiberio agens, dixit,

--- *Caprearum in rupe ſedentem.*

Pro ſcopulo.] Nulla dubitatio eſſe poteſt, quin

Iiiiii 3 ſcri-

ſcripſerit Cajus *pro ſcopo*, recteque ſic jam olim Lævinus Torrentius.

CAP. XX.

Alieno formabat ingenio.] Hinc *epiſtolas formales* dictas ſupra c. XIII. fruſtra ſuſpicere, ut tunc oſtendi.

Vellem tam formoſus eſſe quam Metius ſibi videtur.] Non diſſimiliter Ariſtoteles apud Stobæum Serm. XLV. viſo adoleſcentulo ſuperbiente, nihilque boni ſciente, Νεανίσκε, ἔφη, ὃιός τι δοκεῖς αὐτὸς εἶναι, ἐγὼ γενοίμην· ὃιος δὲ τῇ ἀληθείᾳ ὑπάρχεις, τοιῦτόι μοι οἱ ἐχθροὶ γένοιντο. *Adoleſcentule, qualis tu tibi videris, ego ſim: qualis autem re ipſa es, tales ſint hoſtes mei*, &c. Male ſcriptum ibi ὃιός μοι δοκεῖς, &c.

Subrutilum & incanum.] *Incanum* dixit non pro valde cano, ut Virgil. Æneid. VI.

--- *incanaque menta*
Regis Romani, ---

id eſt, valde cana. Numa enim, ut Servius notat, *canus a prima ætate.* Neque recte Cariſius lib. IV. *incana* explicat ſimpliciter, *cana:* ſed incanum Suetonio nunc mixtum ſive adſperſum canitie, ut in Gloſſis: Σπαρτοπόλιος, *incanus.* Idemque μεταιπόλιος, ut apud Scholiaſten Homeri ad Iliad. V. Dixi quoque ad Horatii Odam X. lib. IV. unde autem dictus σπαρτοπόλιος, ex C. Plinio intelligi poteſt c. XI. lib. XXXVII.

Atque hic quidem urbanus Domitiani jocus in σπαρτοπόλιον: at ille atrox Commodi Imperat. apud Æl. Lamprid. qui *in jocis quoque pernitioſus, cum quem*, ut ille loquitur, *vidiſſet albeſcentes inter nigros capillos quaſi vermiculos habere, ſturno adpoſito, qui ſe vermes ſectari crederet, capite ſuppuratum reddebat*, &c.

CAP. XXI.

Conditionem Principum miſerrimam.] Tangit hoc Domitiani verbum Volcatius Gallicanus in Caſſio, & ſimile profert Hadriani, *Miſeram eſſe conditionem Imperatorum, quibus de adfectata tyrannide niſi occiſis non poteſt credi.* Neque longe hinc aliena vox Domitiani, quam Philoſtratus profert initio lib. VII. τὴν ἀπιςίαν εἶναι φυλακτήριον τυράννϐ πρὸς πάντας: *Diffidentiam tyranno cuſtodiam eſſe adverſus omnes.*

CAP. XXII.

Fratris filiam adhuc virginem corrupit.] Hinc Domitianus *Princeps inceſtus* C. Plinio in Gratiar. act. Idemque epiſt. XI. lib. IV. narrans de Domitiano puniente inceſtum virginis Veſtalis, *cum ipſe*, inquit, *fratris filiam inceſto non polluiſſet ſolum, verum etiam occidiſſet*, &c. Quemadmodum occiderit, patet hoc capite, cum ait, *ut etiam cauſa mortis exſtiterit*, &c. aut ex alio etiam flagitio, quod innuere Juvenalis videtur Sat. IV. verſu illo,

Rubrius offenſæ veteris reus atque tacendæ.

In eumque locum Gloſſæ veteres tangunt, ſi lectæ ſatis & intellectæ & ſine mendis. Junge ſupra c. I.

CAP. XXIII.

Beatiorem poſt ſe lætioremque Reipubl. ſtatum.] Hinc forte ſuſpicio ejus exſtitit vel aucta eſt, de imperio Nervæ, de qua copioſe Philoſtratus Apollonii lib. VIII.

MEMO-

MEMORIALES LECTIONES

Emendatæ aut defenſæ.

A.

ACceſſio morbi prima. 39
Actionum pœnalium concurſus. 55
Adhamare. 36
Admiſſionales & eorum corpus, genera, officia 28. & 29
Adſertiones perſuaſoriæ. 63
Ædificantium prærogativa. 24
Ædilium munus curatio urbis & viarum. 19
Ægypti clauſtra, cornua. 22
Æſtiva, hiberna Principum. 39
Agere publicum, crimen, rempubl. menſuram, ſecretum. 8
Agere, pro gerere. 59
Agrætius emendatus. 53
Albatus Princeps. 66. & miniſtri ejus. 29. 66. etiam privatorum aliqui. 29
Amici Principis, conſiliarii. 53
Ampliſſimi ordines, ſenatorius & equeſter. 25
Ἀναφορα. 40
Ἀναλυτικόν. 51
Annonæ gravitas cavenda Principi. 15. clauſtra. 22
Anteambulones. 10. 11
Antepedes. 11
Ἀπλοκύων. 28
Apophoreta. 54
Ἀπραγόπολις. 70
Apud. 20
Aquilæ militaris amiſſio. 17
Arbores adoratæ. 18
Archimimi & archimimæ. 54
Aſtynomi. 19
Atrium, caſtra ſalutatorum. 20
D. Auguſtinus emendatus. 47
Auſonius emend. 54

B.

BAlneum via ad cœnam. 36. ei junctum hypocauſtum, ſphæriſterium, gymnaſia. 34
Barbati, Barbatuli anno XVIII. 64
D. Baſilius emendatus. 57

C.

CÆſares. 51
Cæſaris eloquentia militaris. 46
Cæſariani, pro libertis Cæſaris. 37
Calciarium. 24
Calor, febris. 39
Calpar. 10
Cancellarii. 51. eorum genera multa. 52
Canis, convicium militare. 28
Canon frumentarius urbis Romæ. 15
Cantare, pſallere. 47
Capitolium vetus, novum. 24
Julii Capitolini lectio defenſa. 22
Cariſius notatus. 70
Carmelus Deus. 20. Mons. ibid.
Caſtratio vetita. 62
Cava manu accipere. 38
Cauſidicorum figuræ, & linguæ intemperantia. 27
Cedrinus notatus. 52. 59
Κείρειν, adtondere pro minuere. 33
Cenſura reipubl. veteris, novæ. 49. 50
Cenſura, cenſoria poteſtas, præfectura morum differunt. 50
Cenſura perpetua, temporaria. 50
Centumviri. 26
Centuriones, & primipili differunt. 8
Cerarium. 24
Chartaticum. 24
Cicero emendatus 11. lectio ejus defenſa. 36
Circumpedes. 11
Civica. 64
Civile, civilitas. 25
Claſſes populi Rom. quatuor maritimæ. 24
Claſſiarii. 24
Clodii. 36
Coactores argentarii, auctionarii, auri luſtralis. 8
Codex Theodoſianus emendatus. 18
Codex Juſtiniani emend. 35
Cœnæ Imperatoriæ honor. 67. 12
Cohortium genera duo. 18. 21
Coloſſeros. 28
Cometes. 38
Comites, ſacrarum largitionum, patrimonii ſacri,

cri, rerum privatarum. 31
Communis, κοινωνικός. 46
Communitas, comitas differunt. 46
Compaſcere, compeſcere. 18
Concio, corona differunt. 23
Concubina, ſemiuxor. 35
Concubinatus, inæquale conjugium. 35
Coss. nomina πρωθυστέρως. 9
Contionatores, cunctionatores, cocionatores, cociones, arrilatores. 28
Contubernium. 14. 16
Contumacia. 28
Contumeliæ cauſa conjectio raparum, fragminum panis, pulveris, fimi, cœni, luti. 15
Correctores. 15
Coronæ ſcenicæ. 33. Germanicæ, exploratoriæ. 61
Credere. 27
Curatores. 55. Cæſaris. 30
Curioſitas inter laudes hiſtoriæ auguſtæ. 9
Κυρσάριοι. 56
Κυρσεύοντες. 56
Curſores. 56

D.

DEcemviri. 26
Deductio tenſarum. 20
Dejerare, Dejurare. 18
Delicium. 46
Deripere, diripere. 18
Detrectare, detractare. 18
Devertere, divertere. 18
Diathyrum. 40
Diem ordinare, diſponere, diſtinguere. 35
Digeſtorum lectio defenſa. 22. 25. 26. emendata. 28. 40. explic. 56. 64
Dimiſſorium. 51. 52
Dio Nicæus emendatus. 50. 66. 67. 70
ejus lectio defenſa. 31. 32. 54. 64. 67
notatus. 67. 68
Diſpenſatores, villici differ. 37
Diſpenſatio rerum Cæſaris ordinaria, extraordinaria. 37
Diurnare. 18
Domeſtici heredes, pro ſuis. 38
Dotare, inſtruere. 28

E.

EDicta. 55
Elogium. 8
Ἔφηβοι. 64
Epiphanius notatus. 59
Epiſtola formalis, formata, ſollennis, de jure. 51. 66
Equites Romani, municipales, provinciales. 12
Et quod excurrit. 14
Evagrius emendatus. 38. 58
Evirati, evirare. 58
Evitare. 58
Eumenii lectio defenſa. 33
Evocati. 7
Euſebius Chronicis emend. 67
Exephebi. 64
Exercipedes. 56
Expertus, peritus, εἰδώς. 17
Exodii genus triplex. 65
pro exitu quovis. 65
Exſulum deportatio in inſulam locata. 28. ea quemadmodum fieret. 56

F.

FAbius emend. 28
Falacrinus vicus. 9
Falſarii. 48
Fas. 25
Felicitas, pro rei Romanæ dominatu. 20
Filius pacis, potentiæ, perditionis, caſtrorum. 33
Figuræ, figurati morſus, figurata dicta. 27
Flaviæ gentes. 17
Fortuna aurea. 20
Frictiones. 34
Frugalitas an virtus regis. 54
Frutex, fruticare. 18
Fulmina cælo ſereno. 57
Funerum redemptio. 34. impenſæ. 34

G.

GEllius notatus. 69
Geneſis. 29
Genus pro gente. 17
Gerere pro agere. 59
Germanicius, Germanicianus, Germanicus. 21
Geſtans pro geſtato. 66
Gloſſarii emendatio. 8
Gloſſæ veteres in Juvenal. notatæ. 60
Gremium, ſinus diff. 19
Gymnaſia juncta balneis. 34
Γυνὴ uxor. 35

H.

HEroum ſtatuæ in pompa circenſi. 47
Hiſtoriæ Auguſtæ, & βιογραφίας officium. 9
Hordearium. 24
Humanæ gentes, pro gentibus imperii Rom. 50
Humanum genus, pro his qui in imperio Rom. 50
Hypocauſta juncta balneis. 34

Impe-

I.

Imperatorum anni acti in Imperio, ut numerentur. 40. 56
Imperatoris nomen vexillis inſcriptum. 21. & imago picta. 21
Improbus pro impudente. 37
Impudici, impudicitia nota. 28. ejus infamia. 28
Inædificationis jus. 24
Incanus. 70
Inciviliter, tyrannice. 52
Incubationes. 23
Indicium & notoria differ. 47
Inedia bonæ valetudinis mater. 54
Iſidori Gloſſæ emend. 53
Iſidorus Peluſiota emend. 56
Inſtitutiones Juſtiniani emend. 7
Inſubidus. 18
Judaici & Carpici cognomentum ſpretum. 23. 53
Judex & reciperator differ. 13
Jurare in verba. 21
Juvenalis emend. 21. ei lux data. 70. lectio ejus defenſa. 61

L.

Ampridius emend. 53
Latus clavus. 16. ejus impetratio. 16
Lauri in gremium Jovis depoſitio tacitus triumphus. 62
Lecticarum plagulæ, ſpecularia. 57
Legatus Cæſaris. 14. municipalis, provincialis, eorumque Romæ multitudo. 38
Leges fixæ ad parietem. 24
Lentiones. 34
Leporis marini venenum. 57. 58
Libertinitas triplex. 13
Linguarium. 24
Lites immortales. 26. minuendæ. 26. earum mercatores, cociones, moratores. 28
Locarium. 24
Logothetæ. 53. eorum genera. 52
Ludi ordinarii, extraordinarii. 11

M.

Magiſtri rei privatæ. 30. epiſtolarum, libellorum, memoriæ. 35
Manceps, menceps. 9
Mango, mangonici quæſtus. 16
Manſiones caſtrenſes, paganicæ. 57
Manubiæ. 31
Manumiſſiones emtæ, gratuitæ. 31
Manus inſtrumentum, & nota imperii. 19
Marcellus notatus. 36
Martialis emend. 62
Mercatores, negotiatores. 30
Minervium. 61
Miſcere cineres, oſſa. 69
Miſſio honeſta, cauſaria. 7
Morbonia. 29
Mors in actu. 39
Mularum curſus ad celeritatem. 37
Munimenta gladiatorum. 56

N.

Natalitii Imperatorum dies celebrati Circenſib. 22. eorum genus triplex. 22
Negotiari turpe Principi, ſenatori, equiti, plebi: ſed varie. 30
Negotiatores, mercatores differunt. 30
Nepos in avi poteſtate. 18
Nominis mutatio. 37
Notæ, ſiglæ differ. 47
Notarii, ſingularii. 47
Notaria, notoria. 47
Novell. Juſtiniani explic. 35
Numeri militares. 21. genus eorum quadruplex. 21
Nupta verba. 36

O.

Obeſum. 69
Oblique dicta. 27
Odeum. 61
Officium balneatoris. 47
Omen extrarii canis. 19. e trivio. 19. manus humanæ. 19. bovis. 19. arboris. 19
Opera pro rebus geſtis. 59
Oraculum Carmeli Dei. 17. 20. de Chriſto. 17. Serapidis. 23
Orbis humanus, pro Romano. 50
Ordo litium. 25. vitæ. 35
Ordines ampliſſimi. 25
Ordo plebejus. 25
Ordinarii homines. 26
Ordinare diem. 35
in Ordinem cogi. 29
Ornamenta ſponſæ. 28. gladiatorum. 58
Orum, orata, oricula. 36
Oſculatio manus regiæ. 66. etiam privatæ. 66

P.

Pagina honorum. 48
Palangæ, palangarii. 40
Papinius emendatus. 10
Parectati. 64
Patera ad libationes. 9. 10
Paternarum poſſeſſionum caritas. 10
Patria Majeſtas. 10
Patris juſſus, matris auctoritas. 10
Patronorum ſucceſſio in bonis liberti. 37

Pellex, Pallaca. 35
Perducere, producere: perductores, productores differunt. 36
Perduellionis rei, projecti inſepulti. 12
Perennare, perannare differunt. 18
Perſarum reges capillati. 39
Petronius emend. 47
Phalanx. 40
Φείξιμον. 55
Philoſophi contumaces. 28
Philoſtratus in Apollonio ſuo emendatus. 57. 58. 67 68. 69. lectio ejus defenſa. 67. ipſe defenſus. 69
Plagulæ lecticarum. 57
Plinius in epiſt. explic. 21. ejus Gratiarum actio, vulgo male Panegyricus. 12. ejus lectio defenſa. 60
Ploſtra. 36
Pompare. 55
Πολυπραγμοσύνη & φιλοπραγμοσύνη, diff. 9
Præfectus Auguſtalis. 15. 21. Morum. 50
Præfectorum prætorio genera multa. 22. eorum poteſtas multiplex. 48. 49
Præfecti prætorio multi. 49. quales olim magiſtri equitum. 49. equites, non ſenatores. 52. adfectare ſoliti regnum. 49
Præſides. 14. Conſulares. 15
Prætextata verba. 36
Prætorium. 55
Precarium. 55
Primipilaris, primopilaris, primipilarius, primopilarius. 8
Princeps pater patriæ. 27. geſtatus humeris. 60. vectus ſella curuli. 60 albatus. 66
Princeps alieni ut abſtinens ſit. 54. dicacitas ei non decora. 54. 55. ei curanda vilitas annonæ. 15. vigilandum. 35. ſolitus initio principatus totum elargiri patrimonium ſuum profectitium. 30. ejus parſimonia. 31. evaritia velata ſpecie neceſſitatis publicæ. 31
Principibus cognomenta ex avaritia. 34. obtrectationes eis effugere difficile. 46. eorum miracula. 23
Principatus fatales. 35
Principis thoro ſellæve inſidere, Majeſtatis crimen. 66. etiam corpus ejus tangere, etſi bono animo. 67. ejus comparatione, omnes privati. 13
Pro bono. 53
Procurator provinciæ. 15. Cæſaris. 30. pro ſpongia. 30
Profeſſores, doctores generis humani. 32. eorum ſalaria. 32
Proprætores. 14
Πρόσοδος, φόρος. 30
Pſallocithariſtæ. 47
Προτιμήσεως jus. 9
Publicanus, telonarius differ. 8
Puberes inter annum XIV. & XVIII. 64
Pubertas prætextata, plena. 64
Puerulo commiſſa reſpublica. 61

Q.

Quadrageſimæ publicum. 8
Quadrageſima ex litibus. 8
Quæſtor ſacri palatii. 51. non eadem prorſus poteſtate, qua hodie Cancellarius. 52

R.

Rationales Cæſaris. 30. rei privatæ. 30
Rebelles, Rebelliones. 7
Reciperatorum genus triplex. 13
Reciperatores alii jure gentium, alii civili. 26
Recta cœna. 33
Reges nunquam prodigi. 54. virtus eorum largitas. 54. vitia corporis quibus obnoxii, ea nominari moleſte ferunt. 70
Relegatus pro deportato. 29
Renuntiationum in comitiis gradus. 11
Repræſentationis jus. 18
Res privata, patrimonium Cæſaris adventitium. 30

S.

Scribarum ordines. 13. eorum vilitas. 13
Scrutandorum ſalutantium mos regius. 27
Scurrilitas non decora Principi. 54. 55
Secius, ſequius. 49
Senatores juvenes. 16
Senatorii. 16
Senatoris cenſus. 31
Senatorum liberis tunicæ laticlaviæ. 10. Hujus prærogativæ. 10
Sctum Claudianum, idemque Flavianum, de muliere quæ ſervo alieno ſe junxiſſet. 26. Macedonianum idemque Claudianum & Flavianum. 27
L. Seneca emend. 32
Sepoſitio, relegatio, exſilium differ. 56
Septemviri. 26
Septizonium vetus, novum. 46
Sepulchrum familiare, hereditarium diff. 38
Serapis idem qui Æſculapius. 23
Servius emend. 25
Sidonii lectio defenſa. 12
Sigma. 53
Sophiſtæ, qui Græce profitentur rhetorica. 32
Sophronius emend. 46
Sortes Præneſtinæ. 68
Spartiani lectio defenſa. 16
Σπαρτοπόλιος. 70

Specu-

Specularis lapis. 57
Specularia lecticarum. 57
Sportulæ. 33. 34
Statera. 40
Strabo emend. 54
Subcenſores. 51
Suetonius notatus. 20. 22. 23. 33. 58. Operis hujuſce inſcriptio. 45. ἐλλείψεις & præciſiones. 46
Sui pro ejus. 36
Suidas defenſus. 47
Suffragia comitiorum Reipubl. novæ. 11. apud Principem. 16. 53. harum ſtipulationes. 37. 53
Synodaticum. 24

T.

Tabula patronatus. 48
C. Tacitus emend. 16. Lectio ejus defenſa. 27
Tantum non. 26
Taxare. 28. 65
Tecta æſtiva, hiberna. 39
Telonarius, teloneum. 8
Templum pacis, in eoque diſputationes. 24. 25
Tenſæ, & earum deductio. 20
Teſtamentum Phyſicum. 22
Theophilus in Inſtitut. notatus. 51
Thermæ Titianæ. 55
Tibullus explic. 19. lectio ejus defenſa. 19
Tituli ſtatuarum. 48. imaginum in atriis. 48
Tonitrua cælo ſereno. 57
Tonſuræ genus duplex. 33
Tractare. 65
Trebellii Pollionis lectio defenſa. 50
Tribunatus plebis Reipublicæ veteris, novæ. 50. 51
Tribunatus pl. & tribunitia poteſtas diff. 50. 51
Tribunitia poteſtas, ſpes & quaſi gradus ad imperium. 51
Tributum, vectigal, differunt. 30
Triclinium. 52. 53
Triumphalia, triumphi inſignia. 15
Triumphus tacitus. 62
Tyrannus. 7
Tzetzes notatus. 39

V.

Vaſarium. 24
Vegetii lectio defenſa. 8
Velum Lucilianum. 27
Veneris vocabula. 36
Veſpaſianorum nomen. 18
Veſpaſii, veſpæ. 18
Veſtiarium. 24
Veſuvius. 55
Vexillorum laceratio. 21
Vexillum ſuum cuique cohorti. 21
Victor in topographia urbis emend. 46
Aurelius Victor notatus. 25. emendatus. 63
Ultio mandata heredi. 22
Unguentarium. 24
Vopiſcus emend. 53. lectio ejus defenſa. 62
Urinæ vectigal. 37
Uxor juſta, pæne juſta. 14

X.

Xiphilinus notatus. 68

Υ.

Ὑπογραφαί. 27

Z.

Zonaras notatus. 25

GRÆCI VERSUS

ac dictiones, in Latinum per

JOAN. BAPT. EGNATIUM Venetum, tralatæ, ut junioribus conſulatur.

EX JULIO CÆSARE.

Καὶ σὺ τέκνον; *Et tu fili ?* Cap. 82

EX AUGUSTO.

Σπεῦδε βραδέως. *Feſtina tarde : vel, quod verbo uno exprimetur, Matura.* Cap. 25

Ἀσφαλὴς γάρ ἐστιν ἀμείνων ἢ θρασὺς στρατηλάτης. *Tutus enim eſt melior, quam temerarius imperator.* ibid.

Αἴθ' ὄφελεν ἄγαμός τ' ἔμεν ἄγονός τ' ἀπολέσθαι ! *O utinam, & ſine uxore eſſem, & ſine liberis periiſſem !* 65

Δωδεκάθεος. *duodenarii di.* 70

Δυσφημίαν, *malum nomen.* 92. κτίστην, *conditorem.* 99

Κτίστου δὲ τύμβον εἰσορῶ πυρούμενον.
Conditoris ſepulcrum ardens conſpicio. ibid.

Ὁρᾷς φάεσσι Μασγάβαν τιμώμενον.
Vides luminibus honeſtatum Maſgabam. ibid.

Δότε κρότον καὶ πάντες ὑμεῖς μετὰ χαρᾶς κωπήσατε.
Date plauſum, & vos omnes lætabundi applaudite. 100

Εὐθανασίαν. *facillimam mortem & paratiſſimam.* ibid.

EX TIBERIO.

Ἐμοὶ καὶ ταῖς μούσαις στρατηγῶν.
Mihi & Muſis rem gerens militarem. Cap. 21

Νομιμώτατε. *Dux optime, ex majorum inſtitutis.* ibid.

Καὶ τοσαύτην ῥαθυμίαν τῶν στρατευομένων.
Et tantam militum deſidiam. ibid.

Τούτου δ' ἑσπομένοιο, καὶ ἐκ πυρὸς αἰθομένοιο,
Ἄμφω νοστήσαιμεν, ἐπεὶ περὶ οἶδε νοῆσαι.
Hoc comite, & ex media flamma ambo revertamur, quando etiam atque etiam ſapit. ibid.

Πηλὸν αἵματι πεφυραμένον, *id eſt, lutum ſanguine maceratum.* 57

Ἔμβλημα. *Interpoſitum & interjectum.* 71

EX CALIGULA.

Εἷς κοίρανος ἔστω, εἷς βασιλεύς. *unus imperator ſit, unus rex.* Cap. 22. εἰς αἶαν Δαναῶν περῶ σε. *In terram Græciam tranſmittam te.* ibid.

Ἀδιατρεψίαν. *Inverecundiam. Codices habuere Græcum hoc verbum, quod & reſtituendum noſtris arbitror, & Latinum ſuppoſitum, inverecundiam, eradendum.* 29

EX CLAUDIO.

Τοῖς εὐτυχοῦσι καὶ τρίμηνα παιδία. *Felicibus & trimeſtres filii.* Cap. 1. ἄρτιος ὁλόκληρος. *perfectus & abſolutus.* 4. ἠλαττῶσθαι. *imminutum eſſe.* ibid.

Καὶ βεβλάφθαι καὶ εἰς τὴν τοῦ σώματος, καὶ εἰς τὴν τῆς ψυχῆς ἀρτιότητα, *& corruptum, cum ad corporis, tum ad animi perfectionem.* ibid.

Τὰ τοιαῦτα σκώπτειν, καὶ μυκτηρίζειν εἰωθόσι.
Hujuſmodi lacerare, & ſubſannare ſolitis. ibid.

Μὴ προϋποκείμενον ἡμῖν. *non ante nobis propoſitum.* ibid.

Μετεώρως. *ſtolide.* ibid.

Ἀτυχεῖ πάνυ ἐν τοῖς σπουδαίοις λίαν.
Male agit valde in iis, quæ ad ſtudia. ibid.

Ἡ τῆς ψυχῆς αὐτοῦ εὐγένεια.
Ejus animi indoles egregia. ibid.

Ἀσαφῶς. *obſcure.* σαφῶς. *aperte.* ibid.

Καὶ σὺ γέρων εἶ καὶ μωρός. *Et tu ſenex es, & ſtultus.* 15

Μωρῶν ἐπανάστασις. *ſtultorum reſurrectio.* 38

Μετεωρίαν καὶ ἀβλεψίαν. *ſtoliditatem, & hebetudinem.* 39

Λογιώτατος. *maxime rationis capax.* 40

Ἄνδρα ἐπαμύνασθαι, ὅτε τις πρότερος χαλεπαίνῃ.
Virum ulciſci, cum prior ille injuriam intulerit. 42

Τυῤῥη-

Τυῤῥηνικῶν Tyrrhenicam hiſtoriam. ibid.
Καρχεδονικῶν. Carthaginienſium geſta. ibid.
Ὁ ἔρως δ' ἐπείγεται. Amor impellit. 43

EX NERONE.

Ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί.
Me mortuo terra igne peſſum eat. Cap. 38
Ἐμοῦ ζῶντος. Me vivente. ibid.
Νέρων, Ὀρέστης, Ἀλκμαίων μητροκτόνοι.
Νεόνυμφον Νέρων ἰδίαν μητέρα ἀπέκτεινεν.
Nero, Oreſtes, Alcmæon matricidæ.
Novam nuptam Nero matrem propriam interfecit. 39
Νεόνυμφος Νέρων. Sponſus Nero. ibid.
Ὑγίαινε πάτερ, ὑγίαινε μῆτερ.
Bene valeas pater, bene valeas mater. ibid.
Τὸ τέχνιον πᾶσα γαῖα τρέφει.
Artificem omnis terra nutrit. Ut ridendi ſint, qui filiolum interpretentur. ſed de illis hactenus. 40
Θανεῖν μ' ἄνωγε σύγγαμος, μήτηρ, πατήρ.
Mori me juſſit uxor, mater, pater. 46
Οὐ πρέπει Νέρωνι, οὐ πρέπει. νήφειν δεῖ ἐν τοῖς τοιούτοις, ἄγε, ἔγειρε σαυτόν. Non decet Neronem, non decet. In talibus decet magno animo eſſe, age, excita teipſum. 49
Ἵππων μ' ὠκυπόδων ἀμφὶ κτύπος οὔατα βάλλει.
Equorum citatorum aures circumſonat ſtrepitus. ibid.

EX SERG. GALBA.

Καὶ σὺ τέκνον τῆς ἀρχῆς ἡμῶν παρατρώξῃ;
Et tu fili imperium noſtrum guſtabis? Cap. 4.
Ἔτι μοι μένος ἔμπεδόν ἐστι.
Adhuc mihi robur eſt firmum. 20

EX OTHONE.

Τί γάρ μοι καὶ τοῖς μακροῖς αὐλοῖς;
Quid enim mihi cum longis tibiis? Cap. 7

EX VESPASIANO.

Καλῶς τελωνήσαντι.
Bene publicum exercenti. Cap. 1.
Μακρὰ βιβὰς κραδάων δολιχόσκιον ἔγχος.
Et longum incedens quaſſans ingentem haſtam. 23
Ὦ Λάχης, Λάχης, ἐπὰν ἀποθάνῃς.
Αὖθις ἐξ ὑπαρχῆς εἰρήσῃ Κηρύλος.
O Laches Laches, cum morieris, iterum ut ante Cerylus diceris. ibid.

EX DOMITIANO.

Μὴ καὶ σὺ γαμῆσαι θέλεις;
An & tu nubere vis? Cap. 10.
Οὐχ ὁράᾳς, οἷος κἀγὼ καλός τε μέγας τε.
Non vides quam pulcer ego & magnus? 18
Ἔσται πάντα καλῶς.
Erunt omnia bene. 23

MONUMENTUM ANCYRANUM
EX JUSTI LIPSI AUCTARIO.

Ancyræ in ſuburbio.

Series.

I.

RERUM GESTARUM DIVI AUGUSTI QUIBUS ORBEM TERRARUM IMPERIO POPULI ROMANI SUBIECIT ET IMPENSARUM QUAS IN REMPUBLICAM POPULUMQUE ROMANUM FECIT INCISARUM IN DUABUS AHAENEIS PILIS QUAE SUNT ROMAE POSITAE EXEMPLAR SUBIECTUM.

ANNOS. UNDEVIGINTI. NATUS. EXERCITUM. PRIVATO. CONSILIO. ET. PRIVATA. IMPENSA. COMPARAVI. 1. TERQUE. M...... FACTIONIS. OPPRESSAM. IN. LIBERTATEM. 2. VINDICAVI... DECRETIS. HONORIFICIS. ORDINEM. 3. SUUM. . . . .
. . . .
. . . .
. . . .

Cætera deſiderantur.

1. TERQ. M.... Palam eſt eum loqui de primo exercitu comparato. Igitur expleam, PER. QUEM ANTONI. FACTIONIS. quod valet Factiones, ut lapide hoc plerumque ſcriptum. Si placet ternarius numerus: poſſis legere, TERQUE. MEAM. PATRIAM. FACTIONIB. id eſt, Factionibus. Ter autem, nempe primo Antoniano bello, Philippico, Actiaco.
2. VINDICAVI... Expleo, ſi prior noſtra conjectura ſedet, REMP.
3. SUUM. Puto fuiſſe, SUMMUM. Summus ordo, ſenatus eſt.

II.

PATRICIORUM. NUMERUM. AUXI. CONSUL. QUINTUM. IUSSU. POPULI. ET. SENATUS. SENATUM. TER. LEGI. ET. IN. CONSULATU. SEXTO. CENSUM. POPULI. COLLEGA. M. AGRIPPA. EGI. LUSTRUM. POST. ANNUM. ALTERUM. ET. QUADRAGESIMUM. FECI. (LEGI) QUO. LUSTRO. CIVIUM. ROMANORUM. CENSITA. SUNT. CAPITA. QUADRAGIENS. CENTUM. MILLIA. ET. SEXAGINTA. TRIA...... CUM. NUPER. LUSTRUM. SOLUS. FECI. LEGI. 1. CENSORUM.... SINIO. COS. QUO. LUSTRO. CENSA. SUNT. CIVIUM. 2. ROMANORUM... QUADRAGENS. CENTUM. MILLIA. ET. DUCENTA. TRIGINTA. TRIA.... IN. CONSULATU. FI..... CUM. NUPERIME. LUSTRUM. 3. CUM. LEGA. TIBERIO. SEXT. POMPEIO. ET. SEXT. APULEIO. COS. QUO LUSTRO 4. ROM. CAPITUM. QUADRAGENS. CENTUM. MIL.... IGINTA. ET. SEPTEM. MIL. LEGI. PNO. ... EXEMPLA MAIORUM. EXOLESCENTIA. IAM. EX. NOS... MULTARUM. RERUM. EXEMPLA. IMITANDA. . . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .

Hæc etiam deſiderantur.

1. CENSORUM. Puto ſic: CENSORINO. ET ASINIO. qui COSS. fuere anno DCCXLVII. Quod Dio ſolitarium hunc cenſum referre videtur ad annum DCCLVII, de recenſu Italico tantum agit.
2. ROMANORUM.... In hiatu ſcribe, CAPITA.
3. CUM LEGA. Facito CONLEGA.
4. Exple, CENSA. SUNT.

III.

HONORIS. MEI. CAUSA. SENATUS. POPULUSQUE. ROMANUS. ANNUM. QUINTUM. ET. DECIMUM. 1. AGENTIS. CONSULIS. DESIGNAVIT. UT. 2. CUM. MAGISTRATUM. INIRENT. POST. QUINQUENNIUM. EX. EO. DIE. 3. DEDUCTI. IN. 4. EORUMVE. INTERESSENT. CONSILIIS. PUBLICIS. DECREVIT. SENATUS. EQUITES. AUTEM. ROMANI. UNIVERSI. PRINCIPEM. 5.... HASTIS. ARGENTEIS. DONATUM. APPELLAVERUNT.

LIBRI. ROMANI. VIRITIM. 6.... CENOS. NUMERAVI. EX. TESTAMENTO. PATRIS. MEI. ET. 7. NOMINI. MEO. 8.... DRINGENOS. EX. BELLORUM. MANUBIIS. CONSUL. QUINTUM. DEDI. ITERUM. AUTEM. IN. CONSULATU. DECIMO. EX. PATRIMONIO. MEO. BIS. QUADRINGENOS. CONGIARI. VIRITIM. ITERUM. AERE. MERVI. ET. CONSUL. UNDECIMUM. DUODECIM. FRUMENTATIONES. FRUMENTO. PRIVATIM. 9. COLUMEIO. EMENSUS. SUM. ET. TRIBUNICIA. POTESTATE. DUODECIMUM. QUADRINGENOS. NUMMOS. TERTIUM. VIRITIM. DEDI. 10. QUALIMEA. CONGIARIA. FRUMENTI. 11.... NUM. NUNQUAM. MINUS. QUINQUAGINTA. ET. DUCENTA...SIA. 12. DUODEVIGINTESIMUM. CONSUL. TRECENTIS. ET. VIGINTI. MILLIBUS. PLEBIS. URBANAE. SEXAGENOS. DENARIOS. VIRITIM. DEDI. ET. QUINIS. MILITUM. MEORUM. CONSUL. QUINTUM. EX. MANIBIIS. VIRITIM. MILLIA. NUMMUM. SINGULA. DEDI. ACCEPERUNT. ID. TRIUMPHALE. CONGIARIUM. IN CONLONIAS. HOMINUM. CIRCITER CENTUM. ET. VIGINTI. MILLIA. CONSUL. TERTIUM. DECIMUM. SEXAGENOS. DENARIOS. PLEBI. QUAE. TUM. FRUMENTUM. PUBLICUM. 13. ACCE. DEDI.

1. Valet, Agentes Conſules: eſtque ſermo de L. & C. Cæſaribus.
2. Puto, EUM. 3. Puto, QUO. 4. Facio FORUM, & divido, UT. INTERESSENT. ſententia longe alia. 5. Explerem IVV. C. id eſt, principem juventutis Cajum. 6. Subſtituo, CENTENOS, VICENOS. ex Dionis XLIV. qui diſerte ſcribit Octavianum ipſum ita tradidiſſe (hic nimirum) etſi alii (inter quos Suetonius) trecenos ſcribant. 7. Valet, Nomine. 8 Scribe QUADRINGENOS. ex Dionis LI. qui exprimit hanc ipſam ſummam congiarii, in eodem V conſulatu. 9. Fac, COEMPTO.
10. Puto, QUALIA. MEA. 11. Expleo, MEDIMNUM. 12. Erravit ſculptor largiter, faciendumque DUODECIMUM. 13. Facio, ACCEPIT.

III. Seriei continuatio.

EA. MILLIA. HOMINUM. PAULLO. PLURA. QUAM. DUCENTA. FUERUNT. 1. AGRIS. QUOS. IN. CONSULATU. MEO. QUARTO. ET. POSTEA. CONSULIBUS. 2. MARCO. ET. CN. LENTULO. AUGURE. ADSIGNAVI. MILITIBUS. SOLVI. MUNICIPIIS. PA.... 3. ERTIUM. CIRCITER. SEXGENSIM. ITINERIS. EMIT. QUAM. ROMANI.

4. ERAE...

4. ERAE.... NUMERAVI...... QUOD. PRO. AGRIS. PROVINCIALIBUS. SOLVI. UNUS. ET. SOLUS. OMNIUM. QUI. DEDUXERUNT. COLONIAS. MILITUM. IN. PROVINCIIS. AD. MEMORIAM. AETATIS. MEAE. FECI. POSTEA. NERONE. ET. CN. PISONE. CONSULIBUS. ITEMQUE. 5... GANTISSIMO. ET. D. LELIO. CONSULIBUS. ET. 6. L. CANINIO. ET. Q. FABRICIO. CONSULIBUS. 7.... QUOS. EMERITIS. STIPENDIIS. IN. SUA. MUNICIPIA. 8. PRAEM... PERSOLVI. QUAM. 9.... INSEST.... MILI...... IMPENDI.

QUATER. 10. AVI. AERARIUM. ITA. UT. SESTERTIUM. MILLIA. .... QUINGENTA. DED.... RAVI. AERARIO. DETULI...... QUOD. EX. CONSILIO. . . . . .MILITIBUS.
QUIN . . . .
. . . .MERVISSENT. HS. MIL. . . . .
. . . . .O. DETULI . . . . .
. . . . .11. CN. P. LENTULO. . . . . . .
VLES. FUERUNT. CUM. D. . . .CERENT.....CENTUM.
MILLIBUS. HOMINUM. . . . . .O. FRU. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .

1. Videtur legendum. PRO ARIS. 2. Intelligit M. Licinium Craſſum. 3. Fuit, SESTERTIUM. 4. PRAETORIBUS exple. Nam hi tunc ærario præerant. 5. C. ANTISTIO reponito 6. Horum alter hodie non in Faſtis, & male hunc C. prænominant. 7. Expleam MILITIBUS. 8. Malim REMISI. 9. Fuit, QUAM. IN. REM. 10. Anne ADMINISTRAVI? 11. Intelligit duos Lentulos una conſules, anno DCCXXXVI.

Oppoſito latere.

Series.

I.

CURIAM. ET. CONTINENS. ET 1. CALCHIDICUM. TEMPLUMQUE. APOLLINIS. IN. PALATIO. CUM. PORTICIBUS. AEDEM. DIVI. IULII. LUPERCAL. PORTICUM. AD. CIRCUM. FLAMINIUM. QUEM. SUM. APPELLARI. PASSUS. EX. NOMINE. EIUS. QUI. PRIOREM. EODEM. IN. SOLO. FECERAT. OCTAVIANI. PULVINAR. AD. CIRCUM. MAXIMUM. AEDES. IN. CAPITOLIO. IOVIS. FERETRI. ET. IOVIS. TONANTIS. AEDEM. QUIRINIS. AEDES. MUNDO. ET. IUNONIS.

2.... ET. IOVIS. LIBERTATIS. IN. AVENTINO. AEDEM. LARUM. IN. SUMMA. SACRA. VIA. AEDEM. DEUM. PENATIUM. IN. VELIA. AEDEM. IUVENTATIS. AEDEM. MATRIS. MAG. DEIAE. IN. PALACIO. FECI.

3. SERTORIUM. ET. POMPEIUM. THEATRUM. UTRUMQUE. OPUS. IMPENSA. GRANDI. REFECI. SINE. ULLA. INSCRIPTIONE. NOMINIS. MEI. RIVOS. AQUARUM. COMPLURIBUS. LOCIS. VETUSTATE. LABENTES. REFECI. ET. AQUAM. QUAE. 4. MARIA. APPELLATUR. DUPLICAVI. FONTE. NOVO. IN. RIVUM. EIUS. IMMISSO. FORUM. IULIUM. ET. BASILICAM. QUAE. FUIT. INTER. AEDEM. CASTORIS. ET. AEDEM. SATURNI. CAEPTA. PROFLIGATAQUE. OPERA. A. PATRE. MEO. PERFECI. ET. EANDEM. BASILICAM. 5. CONSUMMATAM. IN.... AMPLIATO. EIUS. SOLO. SUB. TITULO.... 6. NOMINIS. FILIORUM. 7.... VIVUS. NON. PERFECISSEM. PERFECI. AB. HAEREDIBUS. 8.... VIRGINE. EXEMPLUM. DEUM. IN. URBE. CONSU.... FECI. FLUVIO. PRAETERMISSO. QUOD. TEMP....... ET.......

1. Dionem

1. Dionem vide LI. in actis anni DCCXXV. 2. Forte MINERVAE. quia jungi hæc tria numina Romanis ſolita.
3. Plane non capio. 4. MARTIA. 5. Eſſe debeat CONSUMPTAM. INCENDIO. AMPL
6. Puto, C. & L. 7. CUM. 8. AQUA.

Continuatio I. Seriei, oppoſito latere.

ULTORIS. TEMPLUM. 1. QUORUMQUE. AUGUSTUM. ET. TEMPLUM. APOLLINIS. IN. SOLO. MAGNAM. PARTEM. 2...... EMPTO. FECI QUOD. 3. SUO. NOMINE. M. MARCELLI. 4. VENERI........ MANIBUS. IN. CAPITOLIO. ET. IN. AEDE. DIVI. IULII. ET. IN. AEDE. APOLLINS. ET. IN. AEDE. VESTAE. ET. IN. TEMPLO. MARTIS.
5. VICTORIS. CONSECRAVI. QUAE. MIHI. CONSTITERUNT. CIRCITER. MILLENIS. AURI. CORONARI. PONDO. TRIGINTA. QUINQUE. MILLIUM. MUNICIPIIS. ET. COLONIIS. ITALIAE. CONFERENTIBUS.
6. AC. TRIUMPHOS. MEOS. QUINTUM. CONSUL. 7. REMISI. ET. POSTEA. QUOCIESCUNQUE. IMPERATOR. M.........AURI. CORONARIUM. NON. ACCEPI. DECERNENTIBUS. MUNICIPIIS.... QUAE. ANTE. DECREVERAM.

TEMPUS. DEFUNCTARUM. AFRICANARUM MEO. NOMINE. AUT. FILIORUM. MEORUM. ET. NEPOTUM. IN. CIRCO...........AUT. IN. FORO. AUT. IN. AMPHITHEATRIS. POPUL..... QUIBUS. CONFECTA. SUNT. BESTIARUM. CIRCITER. TRIUM. MILLIUM. ET. QUINGENTA. NAVALIS. PRAELII. SPECTACULUM. 8. POPUL.....LIBERUM. IN. QUO. LOCO. NUNC. NEMUS. EST. CAESARUM. CAVATO. 9.....LONGITUDINE. MILLE. ET. OCTINGENTOS. PEDES. IN. LATITUDINE. PEDES. DUCENTI. IN. QUO. TRIGINTA. ROSTRATAE. NAVES. TRIREMESQUE. PLURIMAE. 10..... RUMORES. INTER. SE. CONFLIXERUNT. 11.......RUNT. PRAETER. REMIGES. MILLIA........CIRCITER.........

1. FORUMQUE. 2. A. ME. 3. SUB. 4. Reſtituo hæc: GENERI. DEDICAVI. E. MANUBIIS. 5. ULTORIS. 6. AD. 7. Hoc ipſum Dio notat in iſto ipſo conſulatu LI. 8. E Suetonio legam, POPULO. EXHIBUI. AD. TIBERIM. IN. QUO. LOCO. 9. SOLO. IN. 10. Lego: PRAETER. MINORES. INTER. 11. CECIDERUNT: vel OCCUBUERUNT.

IN TEMPLIS. OMNIUM. CIVITATUM. 1. P.....ET. ASIAE. VICTOR. ORNAMENTA. REPOSUI. QUAE. SPOLIATIS. 2. TEMPLIS...PRIVATIM. POSSEDERAT. STATUAE. 3. ....QUADRAGENIS. ARGENTEIS. STETERUNT. IN. URBE. AC. CIRCITER. QUAS. IPSE. SUSTULI. EX. QUA. DE. PECUNIA. DONA. AUREA. IN. AEDEM. APOLLINIS. MEO. NOMINE. ET. 4. FILIORUM. QUAE. MIHI. STATUERUNT. HONOREM. HABUERUNT. POSUI.

1. P......ET. Anne fuit, PELOPONNESI. ET.? credo. Ea enim loca maxime vaſtavit Antonius. 2. TEMPLIS........ Expleo, ANTONIUS. furta enim ejus & ſacrilegia notat. 3. Hæc legam, PLURES. QUADRINGENIS. ARGENTEAE. 4. Lego: ILLORUM, QUI.

II.

MARE. PACAVI. A. PRAEDONIBUS....... DOMIBUS.......
.... SUIS......... I. CONTRA REM.......
. . . . . DOMINI. . . . .

1. Puto hæc fuiſſe de ſervis, quos coercuit, ne contra rem famamve domini venirent, ut audirentur.

III.

REGIS. PARTHORUM. . . . .

AMB. GENTBS....... THORUM. ET. MEDORUM. . . . .

IN CONSULATU. . . . .

Cætera quoque, corroſa & corrupta.

IN

IN ANCYRANUM MARMOR ISAACI CASAUBONI *ANIMADVERSIONES.*

VIvo Auguſto aras & templa fuiſſe in provinciis poſita, teſtantur & hiſtorici, & alia priſci ævi monumenta. Primus ipſe hoc in honorem patris ſui vel imperaverat, vel petentibus conceſſerat, ut eſt apud Dionem lib. LI. Quod poſtquam ſemel inſtitutum eſt, pleræque provinciæ exemplum ſecutæ, pro magno beneficio poſtularunt ſibi jus dari aræ ponendæ, aut templi, in aliqua ſuarum urbium, ubi communi nomine populi totius provinciæ honoris ejus cauſſa, & ſacra facerent & ludos ederent: talis in Gallia Lugdunenſis ara, ad quam ſexaginta populos convenire ſolitos refert Strabo: talis in altera Galliæ parte ara Narbonenſis, & in aliis provinciis aliæ, tum Auguſto, tum Julio Cæſari poſitæ: tanto quidem ſtudio & adulatione, ut earum urbium incolæ quæ hujuſmodi templa apud ſe haberent, non alio magis nomine ſuperbirent, quam quod eſſent iſtorum νεοφύτων numinum æditui: quemadmodum olim in ſenatu Romano Lætorium eſſe locutum refert Suetonius libro II. capite V. Sic interpretor veteres illos nummos, in quibus exſtat vox ΝΕΩΚΟΡΩΝ. cujuſmodi ſunt cum alii, tum iſti ΚΑΙΣΑΡΕΙΑ ΣΕΒΑΣΤΑ ΝΕΩΚΟΡ. ΙΟΥΛΙΟΣ ΘΕΟΣ & ΜΑΜΕΡΤΙΝΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Antiquarii, quorum diligentiæ & induſtriæ plurimùm debemus, falſo exiſtimant, in hujuſmodi nummis vocem νεωκόρος idem ſignificare ac νεόκτιστος: quæ Græci ſermonis imperitia pluribus arguenda non eſt. Sunt etiam nummi, in quibus adjecta particula δὶς, ut ΚΝΩΣΙΕΩΝ, ΔΙΣ ΝΕΩΚΟΡΩΝ, & ΜΕΣΣΑΝΙΩΝ ΔΙΣ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Ea vocula putem (ſi ullus in re perobſcura conjecturæ locus) geminum templum notari, alterum D. Julio, alterum D. Auguſto ſacrum. Porro inter alias urbes, quæ mature templum Auguſto exſtruxerunt, urbs Ancyra fuit. Nam ibi divinos honores Auguſto vivo fuiſſe exhibitos, teſtis ipſe in edicto, quod refert Joſephus Originum lib. XVI. cap. X. Verba edicti ſunt: Τό τε ψήφισμα τὸ δοθέν μοι ὑπ' αὐτῶν ὑπὲρ τῆς ἐμῆς εὐσεβείας ἧς ἔχω πρὸς πάντας ἀνθρώπους, καὶ ὑπὲρ Καΐου Μαρκίου Κηνσωρίνου, καὶ τοῦτο τὸ διάταγμα κελεύω ἀνατεθῆναι ἐν ἐπισημωτάτῳ τόπῳ γενηθέντι μοι (maiim ἀνατεθέντι μοι) ὑπὸ τοῦ κοινοῦ τῆς Ἀσίας ἐν Ἀγκύρῃ· ἐὰν δέ τις παραβῇ τι τῶν προειρημένων, δώσει δίκην οὐ μετρίαν. ἐστηλογραφήθη ἐν τῷ Καίσαρος ναῷ. Vulgo legitur in Joſephi codd. ἐν ἀργύρῃ: nullo ſenſu. Quare etiam Rufi-

nus Joſephi vetus interpres ea verba omiſit. Sed docuit nos in magno opere De emendat. temporum Joſephus Scaliger, unicum litterarum decus, legendum eſſe Ἀγκύρῃ. qua conjectura meo judicio nihil certius. Etſi ſubit mirari, cur commune Aſiæ ei potius civitati illum honorem habuerit, quam Epheſo, quæ erat per illa tempora πρόσχημα & velut metropolis Aſiæ. At Ancyra non Aſiæ, ſed Galatiæ tantum metropolis erat. Sed cauſſa fortaſſe fuit, quod Auguſtus peculiari cura & amore hanc urbem proſequeretur. Reperio enim etiam conditorem Ancyræ Auguſtum fuiſſe: cujus rei auctorem habeo Johannem Tzetzem, qui id narrat Chiliade prima, capite de Mida. Olim non totius Galatiæ, ſed partis tantum Tectoſagum metropolis ea urbs fuit: verum poſtquam tota Galatia per Auguſtum in unam provinciam eſt redacta, totius Galatiæ caput eſſe cœpit: quod non ex Strabone diſcas, quem mirari ſatis non poſſum, tam levem harum rerum feciſſe mentionem: ſed ex iſta veteri inſcriptione, quam Romæ exſtare teſtimonio doctorum virorum diſcimus:

Α. ΦΑΒΙΟΝ
ΚΕΙΛΩΝΑ
ΤΟΝ ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΟΝ
ΕΠΑΡΧΟΝ ΡΩΜΗϹ.
ΥΠΑΤΟΝ. ΤΟ. Β.
Η. ΜΗΤΡΟΠΟΛΙϹ
ΤΗϹ. ΓΑΛΑΤΙΑϹ.
ΑΝΚΥΡΑ
ΤΟΝ ΕΑΥΤΗϹ
ΠΡΟϹΤΑΤΗΝ.

Hinc eſt quod legimus apud Suidam, *Ancyranos* dictos eſſe, qui olim appellabantur Ἑλληνογαλάται. Auctor Itinerarii antiquiſſimi a Petro Pithæo editi, hanc urbem nunquam Ancyram, ſimpliciter: ſed ſemper cum adjectione Ancyram Galatiam aut Galatiæ nominat. Similiter & Græci Ἄγκυραν τῆς Γαλατίας, ut apud Epiphanium libro III. in Marcello Ancyrano: vel una voce Ἀγκυρογαλατίαν, ut apud Athanaſium in epiſtola quadam patrum Sardicenſium. Mortuo Auguſto quin multa ambitioſe decreta in ejus honorem fuerint & Ancyræ & in aliis pleriſque oppidis provinciarum, nemo dubitabit, qui eorum temporum adulationes noverit. Tunc temporis videntur Ancyrani & petiiſſe & impetraſſe a ſenatu facultatem transferendi in templum Auguſti quod in ipſorum urbe erat, hunc rerum geſtarum ejus indicem, quem manu Græcorum linguæ Latinæ prorſus imperitorum fuiſſe vel Romæ deſcriptum, vel poſtea ſculptum, res clamat ipſa: adeo multa ſunt perperam & contra omnem Latinitatem expreſſa. Multa in hoc nobiliſſimo vetuſtatis monumento nuper erudite animadverſa ſunt ab eruditiſſimo clariſſimoque viro Juſto Lipſio: conabimur & nos aliquam illi lucem ex hiſtoria adferre.

Et impenſarum quas in rempubl. populumque Romanum fecit.] Non parum gloriari ſolitus fuit hoc nomine Auguſtus, ut refert Dio non uno loco: & in teſtamento quoque ſuo fecerat idem harum impenſarum mentionem. Breviter indicant illa apud Suetonium in compendio earum tabularum, *Quod pene omne cum duobus paternis patrimoniis cæteriſque hæreditatibus in Rempub. abſumpſiſſet.*

Annos undeviginti natus.] Vellejus Paterculus lib. II. *C. Cæſar* XIX *annum ingreſſus, mira auſus, ac ſumma conſecutus, privato conſilio, majorem ſenatu pro Republ. animum habuit.* ubi vides adulationem hominis: ambitioſe enim uſus eſt voce *ingreſſus.* Melius Auguſtus, *natus:* nam anno qui præceſſit cædem Julii, nono Kal. Octob. ingreſſus annum XIX erat, ac jam totum ferme confecerat, quando contra Antonium pro optimatibus bellum primum ſuſcepit. Atque hæc Octavii ætas in equeſtri ſtatua fuerat notata, quam ei ſenatus in Roſtris poſuerat, teſte eodem Vellejo. Florus qui Octavium, quando furori Antonii cœpit reſiſtere, ait fuiſſe *intra decem & octo annos tenerum*, ad calculum Octavii annos parum exegerat.

Exercitum privato conſilio & privata impenſa comparavi.] Florus de Octavio: *revocatis ad arma veteranis, privatus, quis crederet? conſulem aggreditur.* Idem elogium ab hiſtoricis etiam Pompejo non multo natu grandiori tribuitur. Vellejus: *Cn. Pompejus* XXIII *annos natus, abhinc annos* CXIII *privatis ut opibus, ita conſiliis magna auſus, magnificeque conata exſecutus, ad vindicandam, reſtituendamque dignitatem patriæ, firmum ex agro Piceno, qui totus paternis ejus clientelis refertus erat, contraxit exercitum.*

Ordinem ſuum.] Nihil putem mutandum in his verbis, ſed ſententiam aperte mutilam ita explendam, *ſenatus decretis honorificis ordinem ſuum mihi communicavit*, vel *in ordinem ſuum me aſcivit.* Decreta quæ ait, nota ſunt ex Cicerone & hiſtoricis. Dio inter alia iſtud fuiſſe ait, τὸ βουλεύειν Καίσαρα ἐν τοῖς τεταμιευκόσι. quo dicendæ ſententiæ jus inter quæſtorios Octavio tributum.

Patriciorum numerum auxi conſul quintum.] Poſtrema verba non carent difficultate, ſive illa cum præcedentibus conjungas, ſive cum ſequentibus: ſæpius enim Auguſtus & patriciorum numerum auxit, & ſenatum legit. Vide Dionem in ſecundo ejus conſulatu libro XLIX. & lib. LII. ſub finem in actis anni DCCXXV. qui coss. habuit Cæſarem V. & Sex. Apulejum. De eo anno loquitur hic Auguſtus: nam eodem & ſenatum ordinavit, & patricias gentes ſupplevit.

Conſulatu ſexto cenſum populi collega M. Agrippa egi.] Huc refer notam Euſebii in Chronico ad numerum MDCCCCLXXXIX. *Cenſu Romæ agitato inventa ſunt civium Romanorum* XLI *centena, &* LXIV. *millia.*

Juſſu populi & ſenatus.] Dio lib. XLIX. ψηφισαμένης τῆς βουλῆς, & lib. LII. τῆς βουλῆς οἱ δῆθεν ἐπιτρεψάσης. de populo altum ſilentium: Tacitus contra, lege Sænia hoc negotium Auguſto fuiſſe mandatum ſcribit. Vere igitur Auguſtus juſſum ſe, ait, a populo & ſenatu.

In conſulatu ſexto cenſum populi collega M. Agrippa egit.] Anno priore conſul quintum cenſuram ſive regimen morum ſuſceperat Auguſtus: ſed cenſus eo anno non eſt actus, cum maximam ejus partem Roma afuerit.

Luſtrum poſt annum alterum & quadrageſimum feci.] Tot anni ſunt a noviſſimis cenſoribus Cn. Lentulo & L. Gellio, qui luſtrum condiderunt anno DCLXXXIV. ad hoc luſtrum Auguſti anno DCCXXVI. factum.

Feci, legi.] *Facere luſtrum* & *condere luſtrum* Latina ſunt. *Luſtrum legere* quid ſit, neſcio. Ita tamen mox iterum ſculptum: meo judicio latet mendum.

Cum nuper luſtrum ſolus feci.] Si ita ſcripſit, *nuper* poſuit pro poſtea.

Aſinio cos.] Anno vigeſimo poſt luſtrum ſuperius U.C. DCCXLVI.

In conſulatu ſi.] Hæc verba nihil hic ſignificant: prorſuſque erratum lapidicidæ eſſe videntur.

Cum nuperrime.] Anno uno & vigeſimo poſt proximum luſtrum U. C. DCCLXVII. Ex hoc loco apparet, paucis diebus ante ſuum ex Urbe noviſſimum diſceſſum, ſcriptum hoc ab Auguſto breviarium. Suetonius libro II. cap. XCVII.

Cum lega Tiberio.] Suetonius lib. III. cap. XXI.

Mil......iginta & ſeptem mil.] Scr. *millia triginta & ſeptem millia.* Poſtrema vox vacat: non enim ſolet addi a Latine loquentibus. tamen ferri poteſt, & fortaſſe ita paullo ante expleri debent lacunæ poſt vocem *tria*, duobus locis. Ad hunc porro cenſum pertinent Euſebii verba in Chronico ad numerum MMXXVIII. *Auguſtus cum Tiberio filio ſuo cenſum Romæ agitans invenit hominum nonageſies ter centena millia*, cujus loci immaniſſimum numerum ex hoc lapide corrigendum eſſe, recte obſervat Joſ. Scaliger.

Legi Pno.......exempla majorum.] *Legi* ad ſuperiora referri non poteſt. Scribo, *lectus Pontifex max.* Suetonius lib. II. de Auguſto pontifice maximo: *Nonnulla etiam ex antiquis ceremoniis abolita reſtituit, ut Salutis Augurium, Diale Flaminium, Sacrum Lupercale, Ludos ſeculares & compitalitios.* De eodem ſtudio Auguſti imitandi exempla majorum, vide cap. LXXXIX. Horatius de eodem:

> *Et veteres revocavit artes,*
> *Per quas Latinum nomen & Italæ*
> *Crevere vires, famaque & imperI*
> *Porrecta majeſtas ad ortum*
> *Solis, ab Heſperio cubili.*

Ex nos.] Scribo *ex noſtra Rep.*

Multarum rerum exempla imitanda.] Sententia tale quid poſtulat *multarum rerum imitanda propoſui*, aut ſic potius *multa reſtitui, aliaque exempla imitanda propoſui.* videtur enim duplicem laudem ſibi tribuere, quod fugientia majorum inſtituta revocaverit, quodque multa ipſe egregia inſtituerit, quæ futura ſint exempla poſteris ad imitandum propoſita.

Annum quintum & decimum.] Hoc fortaſſe verum de Lucio: nam Cajum XIV. natum annos creatum fuiſſe conſulem, ex hiſtoria Dionis, & veteri lapide, qui hoc diſerte continet, notum eſt. Quod igitur in altero verum erat, utrique συλληπτικῶς Auguſtus tribuit.

Agentis.] Scribe *agentes filios.*

Conſules deſignavit.] Suetonius cap. LXIV. Sed vide hiſtoriam Dionis in anno DCCXLVIII. libro LV.

Intereſſent conſiliis publicis.] Vide ſupra ad cap. XXXVIII.

Principem .... haſtis argenteis donatum appellaverunt.] Mirum ita Auguſtum loqui, quaſi alter tantum filiorum eo honore fuerit affectus: nam certum eſt, ambos Principes Juventutis eſſe appellatos. etiam de haſtis argenteis diſſentit Dio, qui aureas vult fuiſſe lib. LV.

Libri Romani viritim.] Pro *liberis Romanis viritim.* ſed illud *liberis* emblema eſt adſcititium: nunquam enim Auguſtus ita locutus: verum, *civibus Romanis*, aut *tribubus Romanis.*

... *cenos. numeravi. ex. teſtamento patris mei.*] Lego: *Trecenos nummos* (vel *ſeſtertios*) *num.* Suetonius in Julio Cæſare capite LXXXIII. *Populo hortos circa Tiberim publice & viritim trecenos ſeſtertios legavit.* Sed notamus ad hæc verba Suetonii Dionem, qui ipſum Octavium laudat, in numero diſſentire, & pro trecenis ponere *centenos vicenos.* quare ita potius hoc quoque loco reſcribendum fortaſſe fuerit.

Conſul quintum.] Poſt triumphum Actiacum. Vide Dionem lib. LI.

In conſulatu decimo.] Reverſus ex bello Cantabrico. Dio lib. LIII.

Bis quadringenos congiarii viritim.] Dio, τῷ δήμῳ καθ' ἑκατὸν δραχμὰς δώσειν ὑπέσχετο, id eſt, *populo viritim quadringenos nummos daturum ſe promiſit.* Quare *bis* hoc loco, ſi ita ſcripſit Auguſtus, valet, *iterum*, πάλιν.

Iterum. ære. merui. & conſul. und.] Aſſentior viris eruditis, qui corrigendum putant, *Iterum ære meo viritim conſul undecimum.*

Duodecim frumentationes.] Videtur dicere, toto illo anno ſe privatis ſumptibus aluiſſe turbam frumentantium: nam in anno duodecim frumentationes, id eſt, frumenti largitiones fiebant. Vide cap. XL. De his gratuitis frumentationibus intelligit Suetonius cap. XLI.

Emenſus ſum.] Suetonius dicto cap. *viritim admenſus eſt.*

Tribunicia poteſtate duodecimum.] Is fuit annus U. C. DCCLI. quo rediit Auguſtus Romam ex itinere Gallico, triennio ante ſuſcepto. Eodem anno ludi votivi pro reditu Auguſti a Tiberio Nerone cos. ſunt editi, & Auguſtus in locum Lepidi demortui Pont. Max. creatus, ludos pontificales, ut videtur, edidit. Hæ fuere cauſſæ liberalitatis hoc tempore collatæ. Vide Dionem lib. LIV.

Frumenti........num.] Lego cum Lipſio *frumenti medimnum:* ſed hæc verba importune huc intruſa ſunt: nam oratio ita fuerat continuanda, *Qualia mea congiaria nunquam minus quinquaginta & duc.*

Quali mea congiaria frumenti........ num.] Conclamatus per me locus. ad cujus lucem, neque nos olim, neque alii poſt nos afferre quicquam potuimus, quod videatur vel mediocriter probandum. Omnino apparet, Ancyranos uſos eſſe in monumento hoc in ſaxum incidendo opera lapidicidæ & negligentiſſimi & linguæ Latinæ ignariſſimi: quod in urbe Aſiæ ita accidiſſe, ubi nulla admodum Latinæ linguæ notitia erat, mirari nemo debet; quum etiam Romæ & in Italia ab id genus hominibus ſimilia perſæpe peccarentur. Hæc ſunt, quæ Cicero appellat *errata fabrilia* ad Atticum libro VI. epiſtola prima.

Duodecimum conſul.] Hoc anno Cajum filium Auguſtus die tirocinii in forum ſolenni cum pompa deduxit, quæ fortaſſe occaſio fuit hujus liberalitatis. nam ita ſolitum fieri, ſequentium Principum hiſtoriæ docent. Suetonius cap. XXVI.

Trecentis & viginti millibus plebis urbanæ.] Hæc fuit frumentantium turba ante Julii Cæſaris recenſum & ordinationem, qui ad centum quinquaginta millia eam redegit, ut narrat Suet. lib. I. cap. XLI. Auguſtus, ut mox ſequitur, & Dio teſtatur, τὸ σιτοδοτούμενον πλῆθος εἰς εἴκοσι μυριάδας κατέκλεισε. Verum ad congiarium accipiendum quam ad frumentationem major, uti videtur, numerus admittebatur. Fortaſſe tamen etiam frumentum accipientium ante Auguſti conſtitutionem hic numerus fuit, eſtque hoc illud πλῆθος ἀόριστον quod vocat Dio lib. LV.

Sexagenos ſexagenos denarios viritim dedit.] Tolle alterum *ſexagenos*, vel fac *ſexagenos ſenos, aut ſeptenos.* Sic Claudius congiarium dedit τοῖς σιτοδοτουμένοις denarios ſeptuagenos quinos. Dio lib. LVIII.

Et quivis militum meorum conſul quinctum.] Intelligit donativum, quod dedit poſt illos tres triumphos, quos egit anno U. C. DCCXXV. Vox *quivis* ſine

ne dubio corrupta ex numero militum, qui congiarium acceperunt: qui cum expreſſus non ſit ab hiſtoricis, jure tantum arbitrario conſtitui hujus loci lectio poteſt. Lego autem: *Et quinquag. mill. militum meorum.*

In colonias hominum circiter centum & viginti millia.] Deeſt verbum. Scribo *millia miſi.* vide ſupra, cap. XLVI. non ſolum autem numerum deductarum coloniarum annotabant: ſed etiam civium, qui id beneficium acceperant. Sic in Julio Suetonius: *Octoginta civium millibus in colonias diſtributis.*

Conſul tertium decimum.] Eo anno Lucium filium in forum deduxit, ut biennio ante Cajum, ſicut modo diximus.

In conſulatu meo quarto.] Videtur referendum ad hiſtoriam, quam refert Suetonius cap. XVII. cum Auguſtus Brunduſium venire coactus eſt, & deſideria militum tumultuantium ordinare.

Conſulibus Marco & Cneo Lentulo.] Male ſculptum pro *M. Craſſo & Cn.* non enim ita ſcripſerat Auguſtus, ut eſt expreſſum. Horum conſulatus incidit in annum DCCXL. Vide Dionem lib. LIV. In cujus verbis obſcuram harum inpenſatum Auguſti mentionem reperio: ὁ Αὔγουστος, inquit, πολλὰ μὲν ἀναλώσας ὡς ἑκάστοις, πολλὰ δὲ καὶ παρ' ἑτέρων λαβὼν ἀνεκομίσθη.

Circiter ſexgenſim.] Scrib. *circiter ſexagiens* IM. hoc eſt, ſexagies & ſemel centum millibus. *Sexagiens* pro ſexagies, ea conſuetudine ſcribendi, qua *totiens, quotiens.* Quia tamen hic numerus videtur infra modum pecuniæ expenſæ in emptionem agrorum, fortaſſe ſcribendum *ſexcenties*, aut *ſeptingenties* I.

Itineris emit.] Nihil hic video quod ad verborum reſtitutionem: ſententiam quidem ſatis certo aſſequi mihi videor. commemorat enim agros a ſe militibus ſuis emptos, partim de municipiis, partim de ipſo pop. Rom. qui ut videtur, agros publicos nondum diviſos aliquos habuit. Hos Auguſtus veteranis & legionariis ſuis diviſit, & pretium illorum prætoribus, qui ærarium adminiſtrabant, numeravit. Hoc, ni fallor, Auguſtus voluit: ſed videntur omiſſa quædam verba. *Emi* ſaltem legendum, non *emit.*

Romanis ....era.] Aliorum diſcriptio habet, *pra*, quod firmat emendationem Lipſii *Prætoribus.* Sed an ita locutus Auguſtus *Romanis prætoribus?* non videtur. potius *Romæ* ſcripſiſſe eum putem.

Qui deduxerunt colonias militum.] Ut Sulla, Julius Cæſar, & triumviri. coloniarum militarium meminit Vellejus lib. priore.

Quater ...... avi ærarium.] Lego, *Quater levavi ærarium*, aut *ſuſtentavi.* vult dicere, quod Dio in actis anni DCCXXVI. initio libri LIII. Ἐπειδὴ χρημάτων τῷ δημοσίῳ ἐδέησεν, ἐδανείσατό τινα, καὶ ἔδωκεν αὐτῷ. *Levare ærarium*, pro inopiam ærarii levare, breviter & eleganter dictum.

Seſtertium millia...... quingenta.] Scripſerant fortaſſe *millies & quingenties.*

Curiam & continens & Chalcidicum.] Dio in quinto Auguſti conſulatu, libro LI. Ἐπεὶ δὲ ταῦτα διετέλεσε, τό, τε Ἀθήναιον, καὶ τὸ Χαλκιδικὸν ὠνομασμένον καθιέρωσε. hoc ædificium poſtea Domitianus refecit, ut eſt auctor Euſebius in Chronico, ad numerum MMCV ubi de Chalcidico plura beatæ memoriæ vir, Joſephus Scaliger, ὁ πάνσοφος.

Cum porticibus.] Ex iſto loco ſcribimus apud Suetonium, capite XXIX. quod fugit nos monere, *Addit porticus, cum bibliotheca Latina Græcaque.* ſic codd. Memmianus, Viterb. & Greſlotii, non ut vulgo, *Addita porticus.*

Porticum ad circum Flaminium, quem ſum app. p.] Leve mendum falſi notam Auguſto inurit. Lege, *quam.* & de porticu CN. Octavii accipe, quam refeciſſe ait, & ſiviſſe appellari veteri nomine. Ea fuit regione Urbis nona ad Circum Flaminium, ut hic Auguſtus narrat. & confirmat P. Victoris deſcriptio. Scribo deinde *Octaviam*, non *Octaviani.* Pulvinar Octaviani nuſquam legi: nec puto ſic accipiendum.

Ædes in Capitolio Jovis Feretrii & Jovis Tonantis.] Hanc fecit primus: Suetonius, Dio. illam vetuſtate dilapſam refecit. Livius libro quarto.

Ædem Quirinis.] Barbare, pro *Quirini.* Dio in actis anni DCCXXXIX. τὸν τοῦ Κυρίνου ναὸν καθιέρωσεν ἐκ καινῆς οἰκοδομήσας.

Ædem deum penatium in Velia.] Hanc quoque refecit, non fecit. Dionyſius Halicarnaſſ. lib. I. loquens de Penatibus: Νεὼς ἐν Ῥώμῃ δείκνυται τῆς ἀγορᾶς οὐ πρόσω, κατὰ τὴν ἐπὶ Καρίνας φέρουσαν ἐπίτομον ὁδὸν ἱδρυμένος, ὑπεροχῇ σκοτεινὸς, οὐ μέγας. λέγεται δὲ κατὰ τὴν ἐπιχώριον γλῶτταν Οὐέλιαι τὸ χωρίον. ita ſcribi debet hic locus: nam olim falſus ſum, cum ex vulgata lectione corrupta ὑπελαίας, emendabam Ὑποπαλατίαις. nihil quidem inepti continet ea conjectura, ut illa fatua quorundam & veſana hariolatio, quam refutabamus: vera tamen non eſt. Varro de Vita populi Rom. lib. primo, *Tullum Hoſtilium in Veliis, ubi nunc eſt ædes deûm Penatum.* Meminit etiam Feſtus, in voce *Mutinus.*

Sertorium.] Lego *Diribitorium.* quod mirandum ædificium ab Agrippa inchoatum, perfecit poſt illius obitum Auguſtus, & publicavit, ſine ulla nominis ſui inſcriptione. Lege Dionem in anno DCCLVII. lib. LV. Hoc niſi eſt, putem intelligi aliquam ex adſtructis ædibus Pompejano theatro, de quibus fecimus mentionem ad caput XXXI. Ea ædificia ſæpe incenſa, ſæpe reſtituta. Vellejus de Tiberio: *Quam magnifico animi temperamento, Cn.*

Cn. quoque Pompeji munera abſumta igni reſtituit!

Duplicavi, fonte novo in rivum ejus immiſſo.] Julius Frontinus de Aquæductibus Urbis Romæ: *Auguſtus in ſupplementum Martiæ quoties ſiccitates agerent, auxilio aliam aquam ejuſdem bonitatis opere ſubterraneo perduxit uſque ad Martiæ rivum, quæ ab inventore appellatur Auguſta.*

Quod ſuo nomine.] Quo refertur iſtud *quod?* manifeſtiſſime deeſt in fine ſuperioris verſus aliquid. Lego totam ſententiam hoc modo, *Theatrum quoque ſub nomine M. Marcelli generi ex manubiis.* Suetonius, *Quædam opera ſub nomine alieno fecit, ut theatrum Marcelli.* repete ex proximo, *feci.* nam ut alii deſcribunt nobis hoc marmor, minimum intervallum relictum eſt vacuum ante vocem *manibus.* quod eo libentius amplector, quia neceſſario poſt hanc dictionem apponenda alia eſt: aperte enim ſequentia manca ſunt & claudicant.

In Capitolio.] Scrib. *dona in Capitolio,*

Quæ mihi conſtiterunt circiter millenis auri coronarI pondo, triginta quinque millium.] Donaria Auguſti partim ex auro conflata erant, partim margaritis gemmiſque maximæ indicaturæ ornata. utrumque hic ab eo fuerat expreſſum: & auri, inquam, pondus, quod in ἀναθήματα impendiſſet, & pecunia, qua conſtarent, tum manupretium, tum ornamenta alia. Auri ait fuiſſe circiter mille pondo: reliquam impenſam triginta quinque millium: hæc vero ſumma depravatiſſime & ineptiſſime notata eſt. taceo, quod Latinitas eam lectionem non patitur. Omnino ſcripſerat Auguſtus, XXXV HS. quod eſt, *tricies quinquies* HS. faber ſculptor, vel is potius qui Romæ deſcripſit, & in numerorum interpretatione peccavit inſulſe, & in nota HS. quam putavit millenarii numeri eſſe indicem. Stabilimus hanc noſtram & emendationem & interpretationem auctoritate Suetoniani loci, qui iſti plane geminus eſt, cap. XXX. *Ædes ſacras opulentiſſimis donis adornavit: utpote qui in cellam Capitolini Jovis ſedecim millia pondo auri, gemmaſque ac margaritas quingenties* HS. *una donatione contulerit.*

Quotieſcunque Imperatorem........ auri coronarium non accepi.] Lego, *quotieſcunque Imperator ſum appellatus, aurum coronarium non accepi.* Moris veteris fuit, ut quotieſcunque duces exercituum re feliciter geſta Imperatores ſalutarentur a ſuis, provinciæ & ſociæ civitates ac reges dono darent illis coronas aureas, vel auri tot pondo: quod appellatum eſt *aurum coronarium.* Sub Impp. retenta eſt hæc conſuetudo: nam illi toties ſalutabantur Imperatores, quoties ipſorum auſpiciis hoſtis inſigni clade afficiebatur: vide quæ notamus ad lib. pr. cap. LXXVI. & ſalutato aurum coronarium ex ritu offerebatur, non ſolum a provincialibus, ſed etiam ab Italiæ coloniis & municipiis: a quibus ſe non accepiſſe gloriatur Auguſtus. Dio in quinto conſulatu Auguſti lib. LI. παρὰ τῶν πόλεων τῶν ἐν τῇ Ἰταλίᾳ τὸ χρυσίον τὸ τοῖς στεφάνοις προσῆκον οὐκ ἐδέξατο. Simile eſt, quod narrat Spartianus de Hadriano, *Aurum coronarium Italiæ remiſit, in provinciis minuit.* Idem eſſe factum aliquando & a Juliano, teſtis Ammianus Marcellinus.

Tempus defunctarum Africanarum.] Non ſolum corrupta ſunt iſta, ſed etiam mutila, & perturbata. ſententia tamen non obſcura: narrat enim magnificentiam ſuam in venationibus exhibendis. qua de re libro ſingulari plura, ubi hunc locum tractamus. Fortaſſe autem ſcripſerat Octavius: *Spectacula ampiius mille ducentarum Africanarum.* ut in unam ſummam contrahatur numerus Africanarum, ad populi voluptatem exhibitarum. quem quidem numerum, vereor, ne juſto minorem longe faciam, quum certum ſit, unis aliquando ludis ſexcentas Africanas Auguſtum exhibuiſſe: ut in commiſſione ludorum, quibus Marcelli theatrum dedicabat. Dio libro LIV. κἀν τῇ πανηγύρει τῇ διὰ τοῦτο γενομένῃ, καὶ θηρία Λιβυκὰ ἑξακόσια ἀπεσφάγη.

In templis.] Pridem quo iſta pertinerent, indicavimus ad lib. XIII. Strabonis. notat diligentiſſimus ille ſcriptor de quibuſdam ſignis furto Antonii ſublatis, ab Auguſto reſtitutis. Plinius quoque libro XXXIV. cap. VIII. *Fecit Myro & Apollinem, quem a Triumviro Antonio ſublatum reſtituit Epheſiis divus Auguſtus, admonitus in quiete.* Exemplum hujus æquitatis a P. Scipione, quem Siculis ablata ſigna & Romam illata, reſtituiſſe Plutarchus ſcribit in Apophthegmatis. Ἑυρὼν, ait, τὴν πόλιν ἀνδριάντων Ἑλληνικῶν καὶ ἀναθημάτων ἀπὸ Σικελίας μεστὴν οὖσαν, ἐκήρυξε τοὺς ἀπὸ τῶν πόλεων παρόντας ἐπιγινώσκειν καὶ κομίζεσθαι.

Statuæ.] Adi caput LII. de iis enim ſtatuis intelligit Auguſtus, de quibus ibi Tranquillus.

Mare pacavi a prædonibus.] Vide ad illa cap. XCVIII. *per illum ſe vivere: per illum navigare.*

Regis Parthorum.] Pertinet ad miſſos obſides, & reddita ſigna a Parthis, quæ M. Craſſo & M. Antonio ademerant. Nota hiſtoria: ſupra cap. XXI.]

A me gentes P..thorum & Medorum.] *Parthorum & Med.* Loquebatur de Parthis & Medis, qui regem ab ipſo petierunt. Strabo, Tacitus, Suetonius, Dio, alii.

ANGELI

ANGELI POLITIANI

Præfatio in

CAJUM SUETONIUM.

INter omne ſcriptorum genus, quibus vel Græcæ, vel Romanæ literæ floruerunt, ii mihi haud dubie de humanis rebus egregie meriti eſſe videntur, per quos aut excellentium populorum, aut ſummorum principum, aut omnino illuſtrium virorum res geſtæ fidelibus hiſtoriarum monumentis commendatæ ſunt. Poſuere enim in medio nobis vitam, mores, factaque illorum, conſilia item, atque eventus rerum, in quæ omnis poſteritas, tanquam in exemplar, inſpicere, unde ea capere atque haurire documenta poſſet, per quæ vel publicis, vel privatis rationibus conſuleretur. Nam & juniores ex hiſtoria multiplici quadam exemplorum copia ad vitam redduntur inſtructiores, & majoribus natu viris multo plus inde peritiæ ſuppeditatur, quam quantum longiſſima hominis ætas afferre potuerit. Itaque L. Lucullum ſcribit Cicero cum eſſet Roma ad bellum Mithridaticum profectus, rei militaris omnino rudis, tantam tamen inter navigandum, qua percunctandis peritioribus, qua rebus geſtis legendis operam poſuiſſe, ut cum in Aſiam plane dux factus perveniſſet, tantus in omni genere belli exſtiterit, ut maximi illius regis confeſſione atque judicio, omnibus quorumcunque ſeculorum Imperatoribus anteferretur. Alexander autem Severus Romanus princeps, quoties ſibi deliberandum de negotio bellico foret, peritos hiſtoriæ homines in primis conſulebat, neque id injuria. Si enim ſapientiam, (quod ait Afranius) uſus quidem genuit, mater autem peperit memoria, quinam tandem ſapientiores, vel eſſe, vel haberi debent, quam ii, qui non ætatis unius, atque urbis, ſed omnis ævi, omniumque nationum facta atque mores animo & memoria comprehenderunt? Zenobia quoque illa, quæ poſt Odenatum maritum Imperatoria occupavit inſignia, diuque Romanis principibus inſultavit, non ſolum Græce Latinam hiſtoriam perdidicerat, verum Alexandrinam etiam, atque Orientalem breve ipſamet in compendium redegerat. Quo minus mirandum ſit, non virtutem modo, & conſilium, ſcientiam præterea gerendi Imperii, ſed auctoritatem quoque ei tantam ſuperfuiſſe, ut ſe non Arabes unquam

regnante, & fœmina, & barbara, non Saraceni, non Armenii commoverent, ut ſuſpicari quidem poſſimus tale illi quiddam mulieri contigiſſe, quale de hominis ruſtici uxore fertur in fabulis. Agricola, inquiunt, deformi facie metuens, ne ſibi conſimiles liberi gignerentur, hoc remedium commentus eſt, domi imagines egregie formoſas collocavit, in eas aſpicere uxorem quam minime conniventibus oculis aſſidue juſſit. Ita de ſe quam pulcherrimam ſobolem propagavit. Eodem hæc videlicet pacto fœmina inſignis, magnam virorum excellentium ſimilitudinem contraxerat, quorum ſibi exempla ad imitandum propoſuerat, quorum aſſidue facta, & mores in hiſtoria ipſa quaſi in tabella aliqua, aut ſpeculo contemplabatur. Recte enim eam Cicero temporum teſtem, lucem veritatis, vitam memoriæ, nuntiam vetuſtatis appellat hiſtoriam. Ea eſt una, cujus ope adverſus omnem Fortunæ temeritatem, quaſi Vulcaniis armis muniti ſumus, atque armati, ea quoque nobis præſtat, ut, quod ad rerum cognitionem attinet, ſuperioribus etiam vixiſſe ætatibus videamur: neque non tamen & illud hiſtoriæ ingens eſt meritum, quod & bonos viros laudando extollit, & improbos vituperando deteſtatur, ſola denique & cuſtos eſt fidiſſima temporum: & ipſa a temporibus quaſi mutuo referentibus gratiam cuſtoditur. Negant ſane philoſophi quidam, appetendam gloriam eſſe, eamque rectius a virtute velut minime neceſſariam negligi autumant. Virtus enim, inquiunt, ipſa ſibi eſt pretium, ipſa eſt per ſeſe nullis extrinſecus illecebris expetenda. Atque hæc illi cum ſcribunt, ſuum tamen eis libris nomen inſcribunt. Idque vel maxime tum captant, unde exterrere alios enituntur: nemo eſt enim tam cornea fibra (ut ait Perſius) quin dulcedine aliqua laudis titilletur: nemo tam penitus frontem vel proſtituit, vel amiſit, quin metu infamiæ aliquo vellicetur: quocirca recte illa apud Prodicum Chium virtus, quemadmodum quidem Xenophon Socraticus meminit, iis ad ſe Herculem illecebris contradicente voluptate conatur attrahere, ut inter prima decus ei, honoremque polliceatur: Per me, inquit, juvenes ſeniorum laudibus gaudent. Seniores ipſi juvenum honoribus lætantur. Jucunde præterita meminerunt, ſuaviter in præſentibus agunt. Per me Diis amici, chari amicis, patriæ honorabiles ſunt: ubi autem vita exceſſerunt, non obſcuri, non inglorii jacent, ſed perpetua memoria celebres vigent. Eadem quoque apud Silium Virtus ait:

Mecum honor, & laudes, & læto gloria vultu,
Et decus & niveis victoria concolor alis:
Me cinctus lauro perducit ad aſtra triumphus.

Neque enim exiſtimandum eſt, aut hunc ipſum Herculem, cujus egregia toto orbe terrarum facinora celebrantur, aut heroas cæteros tanta illa fuiſſe

pericula

pericula ſubituros, tanta adituros certamina, ſi ſuarum memoriam rerum juxta ſecum intermorituram putaſſent. Pulchre itaque Valerius Flaccus de ſuo agens Jaſone ad hunc modum exclamat:

---- Tu ſola animos, mentemque peruris
Gloria te viridem vidit, immunemque ſenectæ
Phaſidis in ripis ſtantem, juveneſque vocantem.

Ego vero etiam conditas a primordio urbis, etiam poſita civitatibus jura, etiam multa in uſum hominum inventa, atque excogitata ſola gloriæ cupiditate crediderim, quam niſi eſſe civibus neceſſariam veteres Rerumpublicarum gubernatores exiſtimaſſent, nunquam tanta ejus fomenta, tot coronas, trophæa, palmas, tot arcus illos, magnificoſque triumphos poſuiſſent. Itaque videre eſt noſtris his calamitoſiſſimis temporibus etiam cum virtutis fructu virtutem prope ipſam intercidiſſe: nam quis eam, quæſo, amplectatur, ut Juvenalis inquit, præmia ſi tollas? Præmium autem quidnam eſt honeſtius veræ virtutis, quam ipſa gloria? quæ ut in reliquis monumentis temporalium aliquod habere diverſorium poteſt, ita in excellentium hiſtoricorum libris perpetuum ſibi domicilium fabricata eſt. Nam oratorem quidem facile ut omnia extollentem in majus averſeris, hiſtoria, ſi quid vel gratiæ vel offenſæ dederit, ſuum jam nomen non retinebit. Quam ob rem, ut certior veriorque in ore muliebri ingenuus & nativus color, quam vel ceruſſa vel purpuriſſo illitæ buccæ: ita hiſtoriæ ſincerum teſtimonium fucoſis oratorum præconiis diuturnius, quod ſcilicet & Cicero ipſe intelligens, belle agit cum Lucejo, ſui ut rumores monumentis illius commendentur. Et Plinius Junior homo ætate ſua inter primos eloquens habitus, optat Cornelii Taciti inſeri hiſtoriis, quod immortales futuras eas auguraretur. Sed neque orator quiſquam vel mediocris ſine exemplorum varietate unquam fuerit, quod ſine ipſis (ut ait Cicero) nihil recte docetur, neque hiſtoriæ munus implere alius, niſi eloquentiſſimus, poterit. Itaque & Plinius idem dies, nocteſque cogitare ſe ſcribit, qua ſe quoque ratione poſſit tollere humo, id autem ſolam prope hiſtoriam polliceri, beatoſque putat, quibus deorum munere datum eſt, aut facere ſcribenda, aut ſcribere legenda, beatiſſimos, quibus utrumque: atque utinam Ciceroni quoque ipſi parere aliquando hiſtoriam licuiſſet, quam tunc præcipue egregium illud ingenium parturiebat, cum ſcelere inimicorum caruit rebus humanis, talem jam illam, quantum auguror, haberemus, qualem adhuc ne ſuſpicari quidem poſſumus. Nam ſi in orationibus illis ſuis, ubi omnia ad præſcriptum dicerentur, ita ſunt quædam breves inſertæ narrationes per omnes ductæ ſenſus, atque affectus, ut non dici res illæ, ſed plane geri, atque eſſe oculis ſubjectæ videantur, quanto uberiora tandem,

amplioraque omnia in liberrimo illo hiſtoriæ campo, quaſi in Olympiaco curriculo apparuiſſent, cum forenſi aſperitate carens oratio fuſo atque æquabili ſuo quodam tractu deferretur, cum crebrioribus uti & ſenſibus, & aculeis, liberioribuſque verbis, figuris remotioribus, & ad poëticam ſublimitatem quam proxime accedentibus liceret, cumque omne argumentum magis ad memoriam poſteritatis famamque ingenii, quam ad præſens judicium; ad exponendam rem geſtam, quam ad fidem faciendam componeretur. Et quoniam dicendo provecti ſumus, ut de ſtylo etiam ipſo hiſtorico meminerimus, non alienum fortaſſe videri poterat, reliqua etiam, quæ eſſent in hoc opere obſervanda, quæque item fugienda præcipere, quo utendum principio, qui tenor rebus, qui modus accommodandus, quæ ſubticenda, quibus immorandum, quæ carptim tantummodo perſtringenda, quo pacto fieri fides, quoque modo vacare omni ſuſpicione auctor poſſit, quæ ſint omnino in temporum ordine, locorum deſcriptione, cauſis, conſiliis, eventibus, rebus ipſis geſtis explicandis, obſervanda, quid ſpectare in primis auctorem, a quibus avocare animum, quantum utilitati ſervire, quantum indulgere voluptati oporteat. Verum hæc aliaque impræſentiarum brevitatis ſtudio, ſpatiiſque, (ut Virgilius ait) excluſus iniquis prætereo, atque aliis commemoranda relinquo. Jam nec poëticen quidem, ſi ad gloriam ſpectes, ulla ex parte cum hiſtoria contuleris, quippe cui aut omnino fides abrogetur, aut tum denique habeatur, cum ſeſe maxime ad hiſtoriæ imitationem conformet, & is haberi ſummus poëtarum debeat, qui quam facillime quorum velit auditoribus faciat fidem. Quapropter & Muſæ quoque ipſæ apud Heſiodum in libro eo, qui de Deorum generatione inſcribitur, ad hunc fere modum de ſe prædicant. Nam verſiculos ipſos, etſi fortaſſe incondite, ad unguem tamen Latine exprimere conabor:

Scimus falſa quidem narrare ſimillima veris:
Scimus item, quoties libitum eſt, & vera profari.

Sed & legumlatores, quanquam civitatibus jura inſtituant, niſi hiſtoriam plane tenuerint, mendoſe ſuum officium faciant neceſſe eſt. Ut enim pictor quidam interrogatus, quonam potiſſimum magiſtro profeciſſet, populum digito demonſtrans, illo, inquit: ſic is, qui leges ferat, in ipſos hominum cœtus diligentiſſime inſpicere, tanquam in exemplar debet, ut ex ſingulorum moribus, quæ ad communem omnium utilitatem pertineant, eliciat: eaque in unum contracta, & emendata, tum denique in medium proferat, atque promulget. Ac neque ipſas quidem quamlibet ſacroſanctas leges, quod mihi pace omnium dixiſſe liceat, neque ipſas, inquam,
leges

leges utiliores eſſe hominum generi, quam monumenta hiſtoriarum temere conceſſerim. Nam cum ſit finis idem legumlatori poſitus, & hiſtorico, cumque eundem quaſi in ſcopum uterque aſpiciat, videlicet ut quam optimis moribus inter ſe homines agant, tamen eſſe rerum geſtarum conditoris præſtabilius officium videtur, quam legiferi, quanto doceri hominem, quam puniri atque torqueri præſtat. Ad hæc philoſophia quoque ipſa, neque de moribus agere, neque de domeſticarum publicarumque adminiſtratione rerum ſine exemplorum multiplici copia, varietateque ſatis poſſit. Id ſi cuiquam incredibilius videatur, maximorum clariſſimorumque de ea re philoſophorum libros, atque in primis Ariſtotelis in manus ſumat. In quibus nullum fere, aut præceptum, aut documentum inveniet, quod non ex ipſa hiſtoria, tanquam e capite, venaque perenni, & fonte aliquo uberrimo emanaverit: rerum vero naturam quo pacto tractabit is, qui ipſam Naturæ hiſtoriam non calleat? Negent fortaſſe id argutuli quidam noſtræ ætatis philoſophi, ut qui nec Plinii ſingulare opus de eo negotio comprobent, idcirco videlicet, quia eſt elegantiſſime ſcriptum: nec Ariſtotelis hiſtoriam de Animalibus evolvant, quia Latine jam & ipſa, Theodoro Gaza interprete, cœpit loqui, ii mihi ſimiles eſſe videntur ſervis, qui dominorum hæreditate facti repente divites, neque quo pacto induenda ſit herilis veſtis, neque omnino ipſius tenere ordinem norunt, ſed ſæpe apro aut lepore, turdoque forte, aut ficedula in menſa poſitis, ipſi tamen jus aliquod fatuum, aut pulmentum, & ſordidiſſima quæque cibaria magna ingluvie devorant. Atque ut prægnantes mulierculæ, cum circa tertium fere a conceptu menſem morbo eo laborant, quem Græci medicinæ auctores κίτταν (id Latine pica eſt) appellaverunt, utiles quidem, conſuetoſque cibos aſpernantur, cretam vero, & exſtinctos carbones, aut rudera aliqua avidius comedunt, quod multa videlicet in ſtomacho excrementa male concocta habeant. Ita ii noſtri bene quidem palliati philoſophi, cum ſint & ipſi corruptiſſima illa ſua diſciplina imbuti, elegantes quidem beneque ſentientes ſcriptores, utpote ſui diſſimillimos, jure faſtidiunt: inquinatiſſimum autem quemque auctorum maxime quaſi blandum filiolum amplectuntur. Libuit mihi aliquando excutere ſcrupuloſius commentaria in Ariſtotelem nonnulla, quæ iſti inter prima adamant, ipſis etiam Getis barbariora. Deus bone, quæ monſtra in illis, quæ portenta deprehendi, quam aut omnino nihil ſentiunt, aut contra eum ipſum, quem interpretabantur ridicule ſentiunt! Contuli & Græcum Ariſtotelem cum Teutonico, hoc eſt, eloquentiſſimum cum infantiſſimo, & elingui. Hei mihi qualis erat, quantum mutatus ab illo! Vidi eum, vidi, & vidiſſe pœnituit non converſum e Græco,

ſed plane perverſum, ſic ut ne minimum quidem alterius veſtigium in altero appareret, nihilo tamen ſecius, quæ eſt hominibus duritia oris, arrogare ſibi venerandum philoſophi nomen haud erubeſcunt. Sed quorſum ego hæc? cum ſint, vel iſti in primis, quibus inſana in gymnaſiis ſint poſita præmia, ut tanta mercede Latini hominis nihil ſapere diſcant etiam a barbaris, cum jaceant, pro dedecus! & neglectui habeantur bonæ, hoc eſt, Romanæ literæ, & quæ exerere caput atque attollere paululum oculos ſuperiore ſeculo cœpiſſent, neminem jam reliquum, aut ſane quam paucos habent, qui ſublevare eas, qui erigere proſtratas conentur. Quæ quidem laus propria eſſe veſtræ hujus Reipublicæ debuit, Florentini, ut qua in civitate nuper eæ ſunt renatæ literæ, in eadem etiam alerentur, adoleſcerentque, priſtinumque vigorem aliquando, atque antiquam virtutem recuperarent. Sed redeo unde digreſſus ſum, ne ipſa quidem philoſophia, inquam, ſine hiſtoriæ adminiculo ſuum curſum tenebit unquam, non magis quam ſine velis nautæ atque remigio, utque valentius efficaciuſque docendi genus per exempla, quam per præcepta eſſe nemo non fateatur, ita prolixius humanum genus hiſtoria, quam philoſophia demeretur. Ac philoſophiam quidem multi ceu prorſus inutilem, & neque imperantibus, neque Rempublicam adminiſtrantibus accommodatam reprehenderunt, multi etiam gravius inſectati verbis, inceſſerunt, nonnulli autem, inter quos Cicero, propugnarunt: hiſtoriam nemo agit ream, nemo offendit, nullius quippe patrocinium, quæ ſit innocentiſſima, deſiderat, nullis peti maledictis potuit, quæ præclariſſime de univerſo hominum genere ſit merita. Age vero quid dicam de artibus cæteris? quarum partim ad felicitatem nihil pertinet, partim (ut inquit ille) plus aloës quam mellis habet, neque tantos uſus hominibus, quanta affert detrimenta, quædam etiam docent, non tam quo pacto erigere verum poſſis, atque fundare, quam quomodo proſternere ac demoliri. Hiſtoria & felicitatem participat nobis, & citra ullum nocumentum prodeſt homini, & veritatem ipſam velis, equiſque (quod ajunt) inter prima proſequitur: quapropter, ut in pauca conferam, vere hoc mihi videor eſſe dicturus, nullius aut facultatis, aut diſciplinæ tantam utilitatem, quantam hiſtoriæ exiſtere. Nam cum perpetua ſtigmata inurat improbis, cum ſempiterna gloria afficiat bonos, illos a malis artibus metu dedecoris abſterreat, hos ad præclara facinora ſpe laudis adhortetur, magna merito ex parte præſtantiſſima quæque excellentium verirorum opera, dicta, factaque ipſi accepta referentur hiſtoriæ. Sed quoniam de ea univerſa ſatis (ni fallor) pro tempore locuti ſumus, pauca etiam de illuſtrium vitarum ſcriptoribus perſequamur, qui mihi quidem tanto eos antecellere videntur, qui multifariam illam hominum, locorum, tem-

temporumque diverſorum, quaſi ſylvam in medium exponunt, quanto & diligentius ſingula quæque exprimere, & facilius imitari, atque effingere quam univerſa quis poſſit. Itaque nunquam ego, aut Plutarchum minus hominibus, quam Herodotum, aut Suetonium, quam Salluſtium fatear contuliſſe. Ut enim Sertorianus robuſtiſſimus miles totam ſemel equi caudam manu comprehenſam avellere non potuit, quam deinde tamen lixa imbecillus ſetas ſcilicet ipſas ſingulatim carpens, paulo negotio depilavit: ita imitari congeſta in unum varia exempla difficile ſit omnibus, ſeparata autem, atque digeſta facile cuivis liceat. Auctoris præterea mens cogitata illa ſua rectius quaſi ſagittas collineabit, ſi ſenſum totum atque animum unum ad argumentum atque perſonam, unamque quaſi ad metam direxerit, quam ſi eodem tempore diverſas in partes circumegerit. Neque autem major continentibus illis ſcriptis voluptas ineſt, cum nihil æque hiſtoriæ lectorem afficiat, quam varietas ipſa rerum, in qua ancipites inſint hominum caſus, inexſpectatique eventus: itaque etiam quoquo modo ſcripta (ut Plinius inquit) delectat, quod ſint natura homines curioſi, & qui nuda etiam rerum cognitione capiantur ea, quæ haud minus hoc ſcribendi genere, quam perpetuis hiſtoriis exprimuntur. Cætera vero ad ingenii modo oſtentationem pertinentia, neque ſi adſint, aſperner, neque ſi abſint, magnopere deſiderem. Ut enim Nicoſtrato illi ab Hercule oriundo maximo quidem athlete, ſed turpiſſima facie homini, nemo idcirco Mileſium illi Alcæum luctatorem & ipſum in ſtadio præpoſuerit, quod eſſet adoleſcens formoſiſſimus (neque enim de forma illic agitur, ſed de virtute) ita nec hiſtoria, ſi qua ei extrinſecus ornamenta, velut equo phaleræ adjungantur, nudæ huic atque ſobriæ, ſuaſque tantum partis exſequenti anteferretur. Ut neque citharœdum ſanus quiſquam optimum eſſe eum affirmaverit, qui quam pulcherrimam purpuram ſit indutus, ſed cui & in fidibus & in cantu numerorum & modulationis ratio conſtiterit. Ad illa mihi pro ſe quiſque advertat animum, quantum domeſtica in iis, interioraque exempla, magis quam in ſuperioribus repræſententur, quæ mihi haud dubio multo eſſe conducibiliora, utilioraque videntur, quam eorum, quæ in foro, quæ in bello, quæ in luce, atque in oculis denique hominum gerantur. Altera enim perſæpe & ſimulata, & temporaria, altera propria ſemper, & perpetua eſſe ſolent. Nemo enim, quod in proverbio eſt, diutius perſonam ferre poteſt. Atque hæc ſingula ita Suetonius hic noſter perſecutus in ſua hiſtoria eſt, ut præter explicandi ſcientiam, qua mirifice eſt uſus, etiam diligentiam nobis, fidemque, & libertatem ſuam plane probaverit. Nulla in his libris ſuſpicio eſt gratiæ, nulla ſimultatis, nihil ſtudio dictum, nihil ſuppreſſum metu, rebus ipſis data omnia,

veritati

veritati in primis ſervitum eſt, ut plane appareat ad perpetuam magis poſſeſſionem (ut Thucydides ait) quam ad intuitum hoc opus, pugnamque præſentem comparatum eſt. Nam qui aut fœdis aſſentationibus, aut malignis obtrectatiunculis, ſupra quam res ipſa poſtulet, quaſi ſervire hiſtoriam cogunt, ii mihi haud minus eam dehoneſtare videntur, atque ii, qui Herculem ipſum depingant, Lydiæ Omphalæ in muliebri & crocina tunicula famulantem, ſedentemque cum lana & colu inter ancillulas, cum interim domina leonis induta ſpolium, clavam illius manu ſuſtineat, ac ſupplicantis herois caput ſandalio commitiget. Quam ob rem laudandus in primis Macedo Alexander, qui Ariſtobulo hiſtoriam de ſuis rebus geſtis inter navigandum recitanti, ubi homo adulator multa ſupra veritatem affinxerat, ereptum manibus librum in Hydaſpen fluvium demerſit: Et tu, inquiens, o Ariſtobule, eodem fueras pacto præcipitandus, qui iſto modo ſolus pro me depugnas, quique vel jaculo ipſo interficias elephantos. Et jure id quidem: res enim ab aliis accipere ſcriptorem decet, ipſum domo prudentiam, eloquentiamque afferre. Nam ut Phidias, Praxiteles, Alcamenes, aliique inſignes ſtatuarii non ipſi aurum, argentum, ebur, reliquam materiam conficiebant, ſed ab Eleis puta, Argivis, Athenienſibus acceptam perpoliebant, deſecabant, componebant, coagmentabant, formabant, auroque inſpergebant, itaque ſe præclare artificio ſuo ſatisfeciſſe exiſtimabant: ſic eum profecto, qui ſit res geſtas poſteritati commendaturus, redigere quaſi in quadram, quæ facta ſint, atque in ordinem oportet, eaque quam maxime aperte, evidenter diſponere, ſic ut, qui audiat, non tam excipere ſibi auribus, quam uſurpare oculis videatur. Atque hanc in primis captare hiſtoricus laudem debet, ut libertate uſus maxima in ſcribendo, ut neque aſſentationi quaſi obnoxius, neque obtrectationi quaſi offenſus, ſed fidei ſerviſſe atque incorruptæ veritati exiſtimetur, ne quid in eo ſervile, neve quid malignius deprehendatur, ſic ut nec ullis conditionibus ſollicitatus, neque mercedula cuiquam auctoratus, ſed ſui homo juris, rectus, atque intrepidus neutram in partem præponderet. Neque enim debet hujus operis conditor, inanes illos præſentium rumuſculos ſtatim quaſi manu pretium aucupari, ſed ſolidum poſteritatis exſpectare judicium. Id quod feciſſe Cnidium quendam architectum dicunt, qui fabricatus regi maximam illam, pulcherrimamque in Pharo Ægypti turrim, unde videlicet nautis nocturna lumina oſtenderentur, ſuum quidem nomen in muri ipſius lapide clam incidit, calcem deinde ſuperinducens nomen inſcripſit Regis, fore id, quod accidit, auguratus, ut haud multo poſt literæ illæ cum lorica ſua defluerent, atque inſculptum ſaxo appareret, *Soſtratus Dexiphanis Cnidius diis ſalutaribus ob navigantes.* Non igitur ſeculi tantum ſui

ſui leviſſimum captabat applauſum, ſed ſibi in longum tempus, dum turris illa ſtaret, proſpiciebat, quod idem eſt in hiſtoria aſpiciendum. Præſtare autem Hiſtorico perennem laudem veritas in primis poterit. Sunt enim poſteri rerum ſcriptarum acerrimi judices, & qui a falſis æque diſcernant vera, atque aurum purum facile peritus argentarius ab adulterino dignoſcat. Quocirca tantum abeſt, ut hic noſter quicquam vel metu, vel ſtudio adductus, rebus ipſis detraxerit, ut Nervæ etiam, Trajani, Adrianique ſuæ ætatis Imperatorum vitas tacere præoptaverit, quam aut periculoſe de viventibus male ſentire, aut extollendo potentiores, parum videri liber; ſed neque aut obſcœnitatis apud hunc quiſquam, aut crudelitatis exempla reformidet. Siquidem & Lacedæmonii (ut eſt apud Plutarchum) ſoliti etiam erant per feſtos dies bene potos ſervos, atque ex eo parum ſui compotes, quos illi Ἑιλωτας vocabant, oſtendere inter convivia, atque illo pacto docere adoleſcentes, quantum in ſe mali ebrietas contineret. Et Thebanus Giſmenias bonos juxta maloſque tibicines diſcipulis oſtendens, Hoc modo, ajebat, canere oportet, illo non oportet. Videlicet collatæ vitiis virtutes, magis aliquanto, quam ſi ſeorſum inſpexeris, diluceſcunt. Fuere autem ex Romanis omnibus Imperatoribus nimis quam pauci probabiles, ut non ridicule a ſcurra quodam mimico dictum ſit, in uno annulo bonos omnes principes perſcribi poſſe, atque depingi. Cujus quidem rei multæ in promtu cauſæ ſunt, licentia in primis, qua, (ut Comicus inquit) deteriores ſumus: rerum deinde affluentia, quæ parens contumeliæ eſſe ſolet. Itaque feris tauris faſciculos e fœno antiqui paſtores alligabant cornibus, inſinuantes (ut mihi quidem videtur) nulla adeo ab re alia nimiam illam ferociam, quam ab ſaturitate provenire. Unde in proverbium quoque adducta res eſt, ut cum cavendum a quoquam ſignificare velimus, illum dicamus fœnum in cornu gerere. Poſt hæc amici, aulici, ſatellites, improbi, factioſi, deteſtabiles, in quodvis facinus conſpirantes, ut vere ab Homulio quodam dictum Trajano Imperatori fuit, meliorem eſſe Rempublicam, & prope tutiorem, in qua princeps malus eſſet, quam ea, in qua ſint amici principis mali: unus quippe a multis facile corrigitur, multi ab uno ſuperari nulla ratione poſſunt. Ad hæc ignoratio rerum omnium. Plerique enim aut rapuerunt prius, quam mererentur Imperium, rem invidioſiſſimam, aut ad ipſum tempeſtate quadam, quaſi ad ſcopulum impegerunt, aut impoſitum ſibi illud onus prius, quam vires conſuluiſſent, ſubierunt. Quapropter ut homines equitandi parum periti, facile ab equo ſternace excutiuntur, ita ii ſunt a principali ſolio nullo fere negotio deturbati: ut a privato adhuc Diocletiano vere videatur dictum, Nihil eſſe difficilius, quam bene imperare. Sed de

his hactenus. Nunc quæ de Suetonio ipſo comperta habeamus, haud multa illa quidem, ſed multo conquiſita labore paucis perſtringamus. C. Suetonio Tranquillo pater fuit Suetonius Lenis, Othonis Auguſti clavius, & qui bello ad Bebriacum interfuerit tertiæ decimæ legionis tribunus. Ipſe Tranquillus Adriani principis epiſtolarum magiſter aliquandiu fuit, cui tamen ſucceſſor a principe deinde eſt datus, quod ſe apud uxorem Sabinam injuſſu ejus familiarius egerat, quam reverentia domus aulicæ poſtularet. Hunc nonnulli inter grammaticos recenſent, ac declamatorem fuiſſe perhibent: egiſſe eundem etiam cauſas, de epiſtola quadam Plinii colligimus. Cujus tamen in recentioribus libris mendoſa eſt inſcriptio, non Suetonio Tranquillo, ſed Septitio Claro, qui præfectus prætorii apud Adrianum fuit. Noſtræ lectioni vetuſtiſſimorum codicum fides adſtipulabitur. Familiare ei Suetonio fuit amare brevitatem. Idem a Flavio Vopiſco emendatiſſimus, & candidiſſimus ſcriptor appellatur. Libertas illa, qua malorum principum vitia perſecutus eſt, etiam cuidam poſt eum magno ſtetiſſe dicitur: nam ſceleſtiſſimus Imperator Commodus, eum, qui Tranquilli librum vitam Caligulæ continentem legerat, feris objici juſſit, quod eundem diem natalis ipſe habuerat, quem & Caligula. Hiſtoria duodecim Cæſarum a Julio in Domitianum uſque deſcendens, octo in volumina tantum diſtribuenda eſt. Scripſit item permulta alia, ut de Græcorum luſibus librum unum, de Romanorum certaminibus, & ſpectaculis duos, de anno Romano unum, de ſignis, quæ in libris reperirentur unum, ad hæc de Republica Ciceronis contra Didymum grammaticum, de veſtium genere atque nominibus, de ominoſis verbis, & unde quæque fuerint appellata, de Roma ipſa ejuſque inſtitutis & moribus libros annales, primum etiam ſtemma ſeriemque illuſtrium Romanorum, de quo ſcilicet volumine & divus Hieronymus meminerit, de officiorum inſtitutione, de prætoribus, cujus ex quarto octavoque libro nonnulla verba & Priſcianus adducit. Et ſcriptor alius de poëtis, idemque de triumphis agens, Tranquillum utrobique allegat auctorem. Scripſit etiam de vitiis corporalibus, ut meminit Servius in Bucolicis. Exſtat præterea, ſed mutilum, atque dimidiatum, quod ei quoque adſcribitur, opuſculum de claris grammaticis & rhetoribus. Atque hæc fere ſunt, quæ de auctore hoc ex diverſis vel Græcis vel Latinis ſcriptoribus primi nos (quod arroganter tamen dictum videri nolim) ſed certe primi nos (abſit invidia) collegimus, primi, quantum video, in medium extulimus. Nam de his omnibus apud Domitium quoque ipſum Ariſtarchum alterum, ut iſti volunt eſſe, mirum ſilentium eſt, qui tamen ſiniſteriora quædam de Suetonii moribus conſectatur, Marii, neſcio cujus, teſtimonium

nium citans. Nos enim adoleſcentes ipſum meminimus audire Domitium, cum diceret habere ſe peculiarem Marii Ruſtici librum, quem cæteris incognitum ſecum de Gallia attuliſſet, qui tamen codex, ne extincto quidem illo, nunquam comparuit. Atque ego quidem ſtudio incogniti mihi ſcriptoris incenſus, etiam ad ipſius Domitii parentis Benaci lacus accolam acceſſi, omnemque ejus librorum ſuppellectilem ſcrutatus, Marium certe hunc Ruſticum inveni nuſquam. Itaque neque obfirmabo temere, quæ ille ſcribat, neque ut commentitia refellam, quia neutram mihi in partem ſatis conſtat. Vos qui rem, qui hominem noſtis, de eo pro arbitrio judicaveritis. Scripſere, præter quos ipſe adducit Suetonius, Auguſtorum temporum hiſtoriam, qui quidem exſtent, Græce Dion, atque Herodianus, cujus in Alexandro & Maximino improbatur fides, pauca Plutarchus, nonnulla Procopius. Latini Cornelius Tacitus Suetonii æqualis, cujus ne libri lectorum incuria deperirent, juſſit Imperator Tacitus in omnibus bibliothecis collocari, denoſque annis ſingulis publicitus deſcribi: præter hunc Ælius Spartianus, Julius Capitolinus, Lampridius, Trebellius, Vopiſcus, Marcellinus, ac ſi cui etiam addendi videntur, Oroſius, Eutropius, Paulus, reliqui ævo interciderunt. Græci quidem Dexippus, quo etiam duce victi ab Athenienſibus ſunt Gotthi, item Callicrates, Linus Græcorum longe doctiſſimus ſcriptor, alii etiam nonnulli, quos juſſu Conſtantini principis Tacius Cyrillus e Græco in Latinum convertit. Latini Plinius, Junius, Cordus, loquacior paulo, & minutiſſima quæque ſcrupuloſius conſectatus. Philippus item patris Alexandri libertus, qui & Alexandri quoque ipſius itinera conſcripſit Acholius. Præter hos Marius Maximus, Ælius Sabinus, Fabius Marcellinus, Theoclius Aſclepiodotus, Aſtyanax, Cornelius Capitolinus, Gargilius Martialis, Suetonius Optatianus, qui Taciti Imperatoris vitam ſcripſit, ipſe quoque Imperator Severus vitas bonorum principum verſibus comprehendit. Et is, qui nulla fide hiſtoriam contexuerit Gallus Antipater. Hæc hactenus: reliqua, ſi videtur, altera commentatione tranſigemus.

LOCA SUETONII
PER
ERASMUM RESTITUTA.

ERASMUS ROT. CANDIDO LECTORI S. D.

CUm hanc editionem jam adornaſſem, commodum jam allatus eſt Suetonius, Aldinis typis excuſus, ſed emendatus opera Bapt. Egnatii, viri cum primis tum integri, tum eruditi: nam utrumque juxta requirendum arbitror in eo, qui veterum lucubrationes emendandas, aut explicandas ſuſcipit. Equidem Aldi mei mortem hoc fere moderatius fero, quod in hanc reſtituendi bonos auctores provinciam ei ſucceſſerit, qui demortui per ſe clari gloriam obſcuret, ſi tamen hoc eſt obſcurare, virtute virtutem vincere. Atque utinam ut Suetonium, Aurelium Victorem, & Eutropium dedit, itidem & Ælium Spartianum, ceteroſque huic adjunctos nobis dediſſet, in quibus nos permulta reſtituimus. Nam omnia, qui poteram, niſi codicum antiquorum auxilio adjutus? Tametſi & in Tranquillo non nulla reſtituimus, quæ Egnatium licet oculatiſſimum ſuffugerant: velut in Cæſare Dictatore, 17. *Eodem modo Nonium Quæſtorem, quod compellari apud ſe majorem poteſtatem paſſus eſſet. modo*, expunximus ex fide vetuſtiſſimi codicis, ſiquidem *eodem* heic adverbium eſt, ut ſubaudias, conjecit. Sunt hoc genus & alia non nulla, ſed minutiora, quam ut operæ pretium ſit ſigillatim recenſere. Ceterum quod in Othone 7. Egnatius legendum putat, τί γάρ με δεῖ καὶ τοῖς μακροῖς αὐλοῖς αὐλεῖν; ab illo diſſentio, quod hæc fere verba Beroaldus ab erudito quodam admonitus ex Dione huc tranſtulerit. neque variant heic quæ viderim exemplaria. tantum in non nullis pro αὐλοῖς vitiatum erat ἀσύλοις. Legendum igitur haud dubie, τί γάρ μοι καὶ μακροῖς αὐλοῖς; id eſt, quid mihi cum longis tibiis? Qua de re copioſius nobis dictum in Adagiorum Chiliadibus. In Caligula 38. pro *nec dicendi finem factum*, reſtitueramus ex exemplari pervetuſto, *nec licendi finem factum*: etiamſi poſt comperi locum hunc a Budæo noſtro correctum in Aſſe. Hoc admonere viſum eſt, quo plus ponderis habeat Budæana caſtigatio, quamquam ea nullius vetuſti codicis præfert auctoritatem. Porro quod in Auguſt. 99. legitur, Δότε κρότον, καὶ πάντες ὑμεῖς μετὰ χαρᾶς τι ποιεῖτε, id eſt, date plau-

plauſum, & omnes vos cum gaudio quippiam facite: in quo & Egnatius hallucinatus eſt: ego, ni fallor, & unus, & primus reſtitui, idque ex qualibuſcumque veſtigiis antiquiſſimi codicis. Legendum igitur ad hunc modum Δότε κρότον, καὶ πάντες ὑμεῖς μετὰ χαρᾶς κτυπήσατε. id eſt, date plauſum, & vos omnes cum gaudio plaudite. Eſt enim verſus trochaicus. præceſſerat autem in exemplari noſtro & alter huic ſimilis trochaicus, aut certe hemiſtichion, ſed figuris elementorum adeo depravatis, ut quid ſcriptum eſſet, non quiverimus conjicere. Jam quod eſt in Veſpaſiano. 23. ὦ Λάχης Λάχης, ὅταν ἀποθάνῃς αὖθις ἐξ ὠπαρχῆς εἰρήσῃ Κήρυλος. ſi quid ſuffragarentur exemplaria, lubens legerim ad hunc modum, ὦ Λάχης Λάχης, Ὅταν δ' ἀποθάνῃς, αὖθις ἔσσῃ Κήρυλος, id eſt, o Laches Laches, at ubi mortuus fueris, rurſus eris Cerylus: ut ὦ Λάχης Λάχης ſit clauſula prioris carminis, cui ſuccedit integer jambicus trimeter, tametſi hac de re nolim contendere. Ceterum de nummorum analogia, ſi quid a Budæo diſſentit Egnatius, Portium ſuum ſecutus, quod nobis nec otium ſuppetebat, nec ad hunc laborem proprie pertinebat, non fuit ſtudium excutere. Addidimus autem indicem, quo potiſſimum annotavimus, ſi quid nove, præterque ſuperiorum auctorum conſuetudinem, aut ſi quid etiam Græcanice dictum ſit, ne nihil ſit lucri, quod lectorem ad emendum invitet. nec hoc tamen ſolum accedet, quin & quidquid adjecit Egnatius, heic habes, & præterea non nulla, quæ nos ſoli etiam reſtituimus. Bene vale, cariſſime Lector, & hiſce noſtris laboribus feliciter fruere. Anno. cIↃ. IↃ. XVII.

PRÆFATIO
CASAUBONI
OLIM EDITIONI
SUETONIANÆ
PRÆMISSA.

VIRO CLARISSIMO

PHILIPPO CANAIO

Fraxineti & Monticuli Domino, Sanctioris Conſiſtorii Regii Conſiliario, Germaniæ Exlegato, & in ſupremo Occitaniæ ſenatu Præſidi,

IS. CASAUBONUS S.

TRiennium ferme eſt, Præſes clariſſime, cum Suetonii Tranquilli librum ſecundum in hac ſchola publice explicui, in quo negotio ut ea fide verſarer, quam & muneris mei ratio poſtulabat, & alacritas honeſtiſſimorum adoleſcentium, qui mihi aſſiduam operam navabant, occaſionem nactus ſum inquirendi in omnes hiſtoriæ Romanæ partes, paullo quam feciſſem antea, diligentius. Eſt enim liber ille, quod te minime latet, vir doctiſſime, ita ſcriptus, ut fruſtra ſit aliquis ſperaturus, ſe eum vel explicare aliis, vel intelligere ſatis poſſe, quin omnia omnium veterum ſcrinia excuſſerit, in quibus aliquid lateat, aut ad publicum ejus Reipublicæ ſtatum, aut ad privatam ſingulorum vitam & mores pertinens. Quod cum a nobis non ſegniter ſit tentatum, ejus laboris hunc fructum referre viſi ſumus, ut plurima, qua in Tranquillo, qua in aliis generis ejuſdem ſcriptoribus, necdum cuiquam occupata, obſervaremus. Itaque non deſtiterunt ex eo agere mecum amici quidam, ut ea colligerem ac publicarem. Quibus tamen ut cederem, non ante inducere in animum potui, quam exſtitiſti mihi etiam tu, quando in Germaniam tuo accitu veni, eorum edendi auctor & ſuaſor. Expugnavit propoſitum meum auctoritas tua, vir maxime: quæ merito ſuo tanta apud me eſt, quanta non temere alius cujuſquam. Cepi igitur ab eo tempore præſtantiſſimi hujus auctoris edendi conſilium: quod ſæpe tamen poſtea, deſtitutus antiquis exemplaribus,

bus, præſidio ad eam rem neceſſario, abjeci. Enim vero præter omnem ſpem experti ſumus, quod ille ait, --- πείρῃ θὴν πάντα τελεῖται. Nam unde nunquam exiſtimaram, affulſit noſtro huic incepto lux: de quo cum clariſſimum virum, Auguſtum Thuanum, ſuper cætera decora noſtrarum quoque literarum amore & cognitione juxta magnum, ſcripſiſſem, impetravit is mihi ab humaniſſimo doctiſſimoque Petro Pithœo auxilium libri manuſcripti: qui nobis quanto uſui fuerit, αὐτὸ δείξει. Adfuerunt mox & alia, tam expetita ſemper, quam inſperata diu adminicula: quorum ſuo loco facta a nobis ſingulatim mentio eſt. Omnium tamen maximum, ne quid diſſimulem, fuit, quod ipſi nobis oleo & opera noſtra paravimus: dum enim ſingula Suetonii cum iis contendimus, quæ apud cæteros ſcripta leguntur, multis, niſi fallimur, locis lucem fecimus, quam priores interpretes non fecerant. Quod non eo dico, ut doctiſſimorum hominum laudibus obtrectem: præſtiterunt alii, quantum tempora permiſerunt: alii, quantum per diverſa ſtudia & occupationes licuit: omnes, quantum potuerunt: quo majus aliquid velle exigere, pars injuſtitiæ. Non vidiſſe eos omnia, haud ipſorum culpa, ſed fatum & lex humanæ naturæ eſt. Quare neque illi ſua laude fraudandi, neque nobis, aut iis qui nos porro ſequentur, aditus ad eandem palmam debuit eſſe præcluſus. *Laus eſt publica*, inquit ille. Atqui fuerunt, qui rem me facturum dicerent Lævino Torrentio viro clariſſimo parum gratam, quod in ejus meſſem, ut ajebant, falcem injicerem. Ego vero falli eos perſuaſum habeo: & neque genium noſtrorum ſcriptorum, neque mores tanti viri noſſe: quem ex iis quæ adhuc edidit, novimus non minus candidi pectoris quam doctum & eruditum. Equidem non tam hujus judicium reformido, quam aliorum quorundam jejunas exſpecto querelas, quod toties velut e via in diverticulum, ad opem ferendam aliis ſcriptoribus, Græcis maxime, exceſſerim. Quos tamen ſcire volumus, ſi ſtudio factum hoc a nobis eſſet, potuiſſe nos facile vel alterum tantum obſervationum, aut eo amplius adjicere: atque adeo nihil propius factum, quam ut adderentur & illa. Nam cur oblatam bene merendi de literis occaſionem non ambabus arriperem? tempus tantum & otium defuerunt: pleraque enim horum etſi adnotata pridem in liturariis meis, caſu tamen quodam ſcripta raptim, breviſſimo tempore, prelis urgentibus fuerunt. Sed nimirum animos tu faciebas nobis, Præſes clariſſime. Tuis auſpiciis inchoatum, tuis conſummatum hoc quicquid eſt, qualecunque. Ut militem animat in prælia regis magni præſentia, redditque αὐτὸν αὐτοῦ κρείττω: ita me ſuaviſſima tui recordatio alacrem, & ſemper recentem. Sperabam quidem tuorum in me maximorum meritorum, & meæ ſummæ in te obſervantiæ Polybium potius fore apud omnes interpretem: ſed cum nimis ſpiſſe variis de cauſſis, quæ non erant τῶν ἐπ' ἐμοί, procederet id operis: memor

mor eſſe ἄνθρωπον σκιᾶς ὄναρ, & bullam, non potui diutius debere tibi hanc grati animi mei teſtationem. quæ ut in plurimorum manus veniret, meæ intererat pietatis: id vero a ſcriptore Græco, in hoc ſtudiorum tanto frigore & quaſi ſenecta, exſpectare non poteram. Paucos enim habes, vir doctiſſime, tui ſimiles: qui Græcum ſermonem ita amas, ut nemo magis: ita calles, & quoties lubet uſurpas, ut vix pauci. Dico audenter, neque vereor, ne ludibrium propterea cuiquam debiturus ſim: habeo enim judicii hujus mei obſidem, volumen epiſtolarum tuarum, Deus bone, qua elegantia ſcriptarum! quanta eruditionis copia refertarum! Sane qui diſciplinam juris, qui myſteria philoſophiæ Ariſtoteleæ mirabili ſolertia ſcrutetur, eum non linguæ tantum, ſed literarum quoque Græcarum omnium peritiſſimum eſſe, πᾶσα ἀνάγκη. tua quanta ſit in utroque genere præſtantia, & ſciunt omnes eruditi, qui te norunt: & teſtantur doctiſſima ſcripta, quibus æternitati nomen tuum commendaſti. Nolo verecundiam oris tui commemoratione cæterarum laudum tuarum onerare: de quibus ſi dicere aggrediar,

Τί πρῶτον, τί δ' ἔπειτα, τί δ' ὕςατον καταλέξω;

nam opes quidem avitas, & honores quos ſub duobus maximis regibus obiiſti ſummos, facile prætermitto. Tua enim proprie illa non ſunt. Tuæ ſunt illæ eximiæ animi dotes, quibus excellis: pietas, prudentia, fortitudo, cujus & in publicis ſæpe, & in privatis periculis nonnunquam ſpecimen dediſti, & illa animi altitudo, quæ in utraque fortuna te ſemper eundem præſtitit. Iſta ſunt vere tua, vere bona, vere divina: ſunt enim a Deo, qui hanc, ut dicam cum Alexandrino Clemente, ἐνέςαξέ σοι ἀπόῤῥοιαν θεϊκὴν. His ut fruaris quam diutiſſime, utariſque ad publicam patriæ ſalutem, Muſarum patrocinium, tuum tuorumque decus, ſupplex Deum OPT. MAX. etiam & etiam veneror. Vale, Præſes clariſſime, & me, uſu & mancupio tuum, ama,

O & præſidium, & dulce decus meum.

GERARDI

GERARDI JOANNIS VOSSII

LIB. II. CAP. 31.

DE HISTORICIS LATINIS.

C. Suetonius Tranquillus vixit temporibus Trajani & Hadriani, ſub quo & epiſtolarum magiſter fuit; ut ex Spartiano ſcimus in Hadriani vita. Patrem habuit Suetonium Lenem, anguſticlavium, ut ipſe in Othone ſcribit: non Suetonium Paullinum, virum conſularem, quam opinionem cap. XXVI. refellebamus. Quam amico ſit uſus Plinio Novocomenſe ex multis epiſtolis ſatis liquet. Eo minus veriſimile, vitam Plinii Veronenſis, quæ Suetonii nomen præfert, eſſe genuinam. Nimis illa jejune, & perfunctorie exarata, quam ut de amici tanti avunculo eam ſcripſerit Suetonius. Ac ne dictio quidem Suetonii eſt, ſed omnino alicujus multo junioris. Ex genuinis Libitinam evitare atque effugere potuerunt vitæ XII. Cæſarum, quas libris VII. perſcripſit, ac pari libertate, ac ipſi vixerunt: ut recte cenſet B. Hieronymus. Etiam pervenere ad noſtra tempora illuſtres ejus Grammatici, & aliquot Rhetores. Nam melior pars ejus operis deperdita eſt. Uti & pene omnis liber de Poëtis. Nam nihil ejus habemus præter vitam Terentii, quæ non Donati, ſed Tranquilli eſt, uſque ad illa verba, *Hæc Suetonius Tranquillus.* Item vitam Horatii, quam ei etiam tribuit Porphyrio interpres. Ad hæc fortaſſe, tum vitam Lucani, tum illam Perſii, quæ veteribus gloſſis præfigitur. Multa quoque alia reliquit, ut librum περὶ Ῥώμης, καὶ τῶν ἐν αὐτῇ νομίμων καὶ ἠθῶν: cujus meminit Suidas. Ad hæc libros ludicræ hiſtoriæ: quorum primum Gellium citat lib. IX. cap. VII. Puto ejus operis partem fuiſſe παιδιὰς Ἑλλήνων, quas Tzetzes laudat Chil. VI. Hiſtor. LXXXV. Item alia edidit, quorum Servius, Priſcianus, Suidas, & Etymologus Græcus, meminere. Auctor eſt, Vopiſci judicio, *emendatiſſimus, & candidiſſimus, & cui familiare ſit amare brevitatem.* Ludovico Vivi lib. V. de tradendis diſciplinis dicitur eſſe *Græcorum & Latinorum ſcriptorum diligentiſſimus atque incorruptiſſimus.* Vere quidem, ſi de Vitarum ſcriptoribus loquamur. Nam qui iccirco eum Livio, Salluſtio, Tacito, præponere velit, inſignita, meo judicio, injuria adficiat tantos ſcriptores. Vitam Suetonii hujus ſcripſit Sicon Polentonus. Sed ea vix aſſis eſt, etſi do-

doctiſſimus Pighius non veritus ſit illam, emblematis inſtar, annalibus ſuis inſerere. Pene enim quicquid dicit, pertinet ad Suetonium Paullinum; quem cum Mureto falſo credidit eſſe Suetonii hujus patrem. Atque ut, quæ Tacitus de Suetonio refert, perperam accommodat hiſtorici hujus parenti: ita & falſo putavit, eum ſignari a Plinio in hiſtoria naturali, ubi ex Paullino quædam refert de Africa, de Canariis inſulis. Similis error, cum libros de inſtitutione officiorum, de illuſtribus ſcriptoribus, deque hiſtoria ludicra, non a Tranquillo hoc, ſed a patre ejus, ſcripta fuiſſe arbitratur. Qui error ab eodem fonte, unde priores, demanat.

Dubitant viri eruditi, an non Tranquilli nomen debeat reponi apud Lactantium lib. I. cap. x. ubi legas: *Æſculapius & ipſe non ſine flagitio Apollinis natus, quid fecit aliud divinis honoribus dignum, niſi quod ſanavit Hippolytum? mortem ſane habuit clariorem, quod a Deo meruit fulminari. Hunc Tarquitius, de illuſtribus viris diſſerens, ait, incertis parentibus natum, expoſitum, & a venatoribus inventum, canino lacte nutritum, Chironi traditum didiciſſe medicinam: fuiſſe autem Meſſenium, ſed Epidauri moratum.* Hic Xyſtus Betulejus, in editione ſua, pro *Tranquitius* repoſuit *Tranquillus*; quod eum de illuſtribus viris ſcripſiſſe conſtaret. Sed egit ille de Romanis: quos inter nullus eſt Æſculapio locus. Adhæc cur *Tranquitium* rectum videatur, facit, quod non tantum ita ſit in codd. MSS, item editione Aldina, eaque, quam Michaël Thomaſius recenſuit: ſed illud quoque, quod hic ſermo ſit de Æſculapio fulmine percuſſo: & Tranquitius de fulguritis, & omni augurum atque aruſpicum diſciplina egerit in libris ſuis de rebus divinis. Ammianus Marcellinus lib. XXV: *Confeſtim itaque ante lucis primitias Hetruſci aruſpices arceſſiti conſulti, quid aſtri ſpecies portenderet nova, Vitandum eſſe, cautiſſime reſponderunt, ne quid tunc tentaretur: ex Tarquitianis libris, in titulo DE REBUS DIVINIS, id relatum eſſe demonſtrantes, quod, face in cœlo viſa, committi prælium vel ſimile quidquam non oporteat.* Atque hinc etiam liquet, cur Tranquitium, inter eos, e quibus profecit, reponat Plinius in indice libri ſecundi, proximeque ſubjungat eum Cæcinæ, quem de Hetruſca diſciplina ſcripſiſſe dicit. Vide & quæ de Traquitio hoc notavit Petrus Pithœus Subſecivorum lib. I. cap. XX. ubi docet, pro Tarquinio Priſco ἁπλῶς *Tarquitium* legi debere apud Macrobium lib. II. Saturn. cap. XVI. Quod Tarquitii nomen remanſit lib. III. Saturn. cap. VII. etſi ibi vir eruditus, in Notis ſuis, ex veteri libro *Tarquinius* malit. Sed mihi *Tarquitius* magis placet propter ea, quæ diximus.

SEQUUNTUR EA, *QUÆ AD* SUETONII GENUS, VITAM,

Studia, & hoc opus de duodecim Cæſaribus pertinent.

Lib. IV. *in Caligula, cap.* 19. *de ponte Cajano.*

AVum meum narrantem puer audiebam, cauſſam operis ab interioribus aulicis proditam, quod Thraſylus mathematicus anxio de ſucceſſore Tiberio, & in verum nepotem proniori, affirmaſſet, non magis Cajum imperaturum, quam per Bajanum ſinum equis diſcurſurum.

Lib. VII. *in Othone, c.* 10. *de pugna Bebriacenſi.*

Interſuit huic bello pater meus Suetonius Lenis, tertiæ decimæ legionis tribunus anguſticlavius. Is mox referre crebro ſolebat, &c. *Pater.*

Lib. VIII. *in Domitiano, c.* 12. *de fiſco Judaico.*

Interfuiſſe me adoleſcentulum memini, cum a procuratore frequentiſſimo conſilio inſpiceretur nonagenarius ſenex, an circumſectus eſſet. *Adoleſc. tempora.*

Lib. VI. *in Nerone extremo.*

Denique cum poſt viginti annos adoleſcente me exſtitiſſet conditionis incertæ, qui ſe Neronem eſſe jactaret, tam favorabile nomen ejus apud Parthos fuit, ut vehementer adjutus, & vix redditus ſit. *Apparet incidere natalem Suetonii in principia Veſpaſiani: non longe certe abeſſe.*

Suidas.

Σευητόνιος ὁ Τράγκυλος χρηματίσας, γραμματικὸς Ῥωμαῖος. *Vita genus.*

Plinius Bebio Hiſpano. epiſtolarum lib. 1. 24.

Tranquillus contubernalis meus vult emere agellum, quem venditare amicus tuus dicitur. Rogo cures, quanti æquum eſt, emat. Ita enim delectabit emiſſe: nam mala emptio ſemper ingrata eſt, eo maxime quod exprobrare ſtultitiam domino videtur. In hoc autem agello (ſi modo arriſerit pretium) Tranquilli mei ſtomachum multa ſollicitant, vicinitas urbis, opportunitas viæ, mediocritas villæ, modus ruris, qui avocet magis quam diſtringat. Scholaſticis porro hominibus, ut hic eſt, ſufficit abunde tantum ſoli, ut relevare caput, reficere oculos, reptare per limitem, unaque ſemita terras omneſque viticulas ſuas noſſe, & numerare arbuſculas poſſint. *Studia Tranquilli.* Hæc tibi expoſui, quo magis ſcires, quantum ille eſſet mihi, quantum ego tibi debiturus, ſi prædiolum iſtud quod commendatur his dotibus, tam ſalubriter emerit, ut pœnitentiæ locum non relinquat. Vale.

Ælius Spartianus in Adriani vita.

Septitio Claro præfecto prætorii, & Suetonio Tranquillo epiſtolarum magiſtro, multiſque aliis, quod apud Sabinam uxorem, injuſſu ejus, familiarius ſe tunc egerant, quam reverentia domus aulicæ poſtulabat, ſucceſſores dedit.

C. Plinius Tranquillo ſuo S. Epiſt. lib. III. 8.

Tribunatus mil. Suet.

Facis pro cætera reverentia quam mihi præſtas, quod tam ſollicite petis, ut tribunatum, quem a Neratio Marcello clariſſimo viro impetravi tibi, in Cæſennium Sylvanum propinquum tuum transferam. Mihi autem, ſicut jucundiſſimum ipſum te tribunum, ita non minus gratum, alium per te videre: neque enim eſſe congruens arbitror, quem augere honoribus cupias, huic pietatis titulos invidere, qui ſunt omnibus honoribus pulchriores. Video etiam, cum ſit egregium & mereri beneficia & dare, utramque te laudem ſimul aſſecuturum, ſi quod ipſe meruiſti, aliis tribuas. Præterea intelligo mihi quoque gloriæ fore, ſi ex hoc tuo facto non fuerit ignotum, amicos meos non gerere tantum tribunatus poſſe, verum etiam dare. Quare ego vero honeſtiſſimæ voluntati tuæ parco: neque enim adhuc nomen in numeros relatum eſt; ideoque liberum eſt nobis Sylvanum in locum tuum ſubdere: cui cupio tam gratum eſſe munus tuum, quam tibi meum eſt. Vale.

Plinius lib. X. *Epiſtolarum, ad Trajanum.* 95.

Ἀτεκνίας. Suet.

Suetonium Tranquillum, probiſſimum, honeſtiſſimum, eruditiſſimum virum, & mores ejus ſecutus & ſtudia, jampridem, domine, in contubernium aſſumpſi: tantoque magis diligere cœpi, quanto hunc propius inſpexi. Huic jus trium liberorum neceſſarium faciunt duæ cauſſæ. Nam & judicia amicorum promeretur & parum felix matrimonium expertus eſt: impetrandumque a tua bonitate per nos habet, quod illi fortunæ malignitas denegavit. Scio, domine, quantum beneficium petam, quod peto a te, cujus in omnibus deſideriis meis pleniſſimam indulgentiam experior. Potes enim colligere, quantopere cupiam, quod non rogarem abſens, ſi mediocriter peterem.

Trajanus Plinio S.

Jus trium liberorum.

Quam parce hæc beneficia tribuam utique, mi Secunde chariſſime, hæret tibi, cum etiam in ſenatu affirmare ſoleam, non exceſſiſſe me numerum, quem apud ampliſſimum ordinem ſuffecturum mihi profeſſus ſum: tuo tamen deſiderio ſubſcripſi, & ut ſcias dediſſe me jus trium liberorum Suetonio Tranquillo ea conditione, qua aſſuevi, referri in commentarios meos juſſi.

C. Plin. Tranquillo ſuo S. Epiſt. lib. I. 18.

Religio Suet.

Scribis te perterritum ſomnio, vereri ne quid adverſi in actione patiaris: rogas, ut dilationem petam, & pauculos dies. Certe proximum excuſem difficile eſt, ſed experiar.

Καὶ γὰρ τ᾽ ὄναρ ἐκ Διός ἐϛιν.

Refert tamen, eventura ſoleas, an contraria ſomniare. Mihi reputanti ſomnium meum, iſtud quod times tu, egregiam actionem portendere videtur. Suſceperam cauſſam Julii Paſtoris, quum mihi quieſcenti viſa eſt ſocrus mea advoluta genibus ne agerem, obſecrare. Et eram acturus adoleſcentulus adhuc: eram in quadruplici judicio: eram contra potentiſſimos civitatis, atque etiam Cæſaris amicos: quæ ſingula excutere mentem mihi poſt tam triſte ſomnium poterant. Egi tamen λογισάμενος illud,

Εἷς οἰωνὸς ἄριϛος ἀμύνασθαι περὶ πάτρης.

Nam mihi patria, & ſi quid charius patria, fides videbatur. Proſpere ceſſit: ideo illa actio mihi aures hominum, illa januam famæ patefecit: proinde diſpice, an tu quoque ſub hoc exemplo ſomnium iſtud in bonum vertas: aut ſi tutius putas, illud cautiſſimi cujuſque præceptum, Quod dubitas, ne feceris; id ipſum reſcribe. Ego aliquam ſtropham inveniam agamque cauſſam tuam, ut ipſam agere, cum tu voles, poſſis. Eſt enim ſane alia ratio tua, alia mea fuit. Nam judicium centumvirale differri nullo modo, iſtud ægre quidem, ſed tamen poteſt. Vale.

C. Plin. Tranquillo ſuo S. Epiſt. lib. IX. 34.

Explica æſtum meum. Audio me male legere duntaxat verſus: orationes enim commodius, ſed tanto minus verſus. Cogito ergo, recitaturus familiaribus amicis, experiri libertum meum. Hoc quoque familiare, quod elegi, non bene, ſed melius ſcio lecturum: ſi tamen non fuerit perturbatus: eſt enim tam novus lector, quam ego poëta. Ipſe neſcio quid illo legente interim faciam, ſedeam defixus & mutus, & ſimilis otioſo? an (ut quidam) quæ pronunciabit, murmure, oculis, manu perſequar? Sed puto me non minus male ſaltare quam legere. Iterum dicam, explica æſtum meum, vereque reſcribe, num ſit melius peſſime legere, quam iſta vel non facere, vel facere. Vale.

Idem eidem libro V. *ep.* 11.

Libera tandem hendecaſyllaborum meorum fidem, qui ſcripta tua communibus amicis ſpoponderunt: appellantur quotidie & flagitantur, ac jam periculum eſt, ne cogantur ad exhibendum formulam accipere. Sum & ipſe in edendo hæſitator, tu mora tamen meam quoque cunctationem tarditatemque viciſti. Proinde aut rumpe jam moras, aut cave ne eoſdem illos libellos, quos tibi hendecaſyllabi noſtri blanditiis elicere non poſſunt, convitio ſcazontes extorqueant. Perfectum opus abſolutumque eſt, nec jam ſplendeſcit lima, ſed atteritur. Patere me videre titulum tuum, patere audire, legi, venire volumina Tranquilli mei. Æquum eſt nos in amore tam mutuo eandem percipere ex te voluptatem, qua tu perfrueris ex nobis. Vale.

Auſonius de XII. Cæſaribus per Suetonium Tranquillum ſcriptis.

Cæſareos proceres, in quorum regna ſecundis
Conſulibus dudum Romana potentia ceſſit,
Accipe biſſenos. ſua quemque, monoſticha ſignant,
Quorum per plenam ſeriem Suetonius olim,
Nomina, res geſtas, vitamque obitumque peregit.

Johannes Saresberienſis Policratico ſive de nugis curialium] *lib.* VIII. *cap.* XVIII.

Hæc quidem poſſunt & apud alios hiſtoricos inveniri diffuſius, qui tyrannorum atrocitates & exitus miſeros plenius ſcribunt. Quæ ſi quis diligentius recenſeri voluerit, legat ea quæ Trogus Pompejus, Joſephus, Egeſippus, Q.Curtius,Cornelius Tacitus,T.Livius,Serenus,& Suetonius Tranquillus, & alii hiſtorici, quos enumerare longum eſt, ſuis comprehenderunt hiſtoriis.

Flavius Vopiſcus Syracuſius.

Minuſculos tyrannos ſcio pleroſque tacuiſſe,aut breviter prætериiſſe.Nam & Suetonius Tranquillus emendatiſſimus & candidiſſimus ſcriptor, Antonium & Vindicem tacuit: contentus eo, quod eos curſim perſtrinxerat.

Mox.

Et de Suetonio non miramur, cui familiare fuit amare brevitatem.

Idem Vopiſcus in Probo.

Et mihi quidem id animi fuit, non ut Salluſtios,Livios,Tacitos,Trogos, atque omnes diſertiſſimos imitarer viros in vita principum & temporibus diſſerendis: ſed Marium Maximum,Suetonium Tranquillum,Fabium Marcellinum, Gargilium Martialem, Julium Capitolinum, Ælium Lampridium, cæteroſque,qui hæc & talia non tam diſerte quam vere memoriæ tradiderunt.

Julius Capitolinus in Maximo & Balbino.

Sed priuſquam de actibus eorum loquar, placet aliqua dicere de moribus atque genere. Non eo modo, quo Junius Cordus eſt proſecutus omnia, ſed illo quo Suetonius Tranquillus & Valerius Marcellus.

Sidonius Apollinaris Epiſtolarum lib. IX. *ep.* XIV.

Non ſi omittantur, quæ de titulis dictatoris invicti ſcripta Patavinis ſunt voluminibus, quis opera Suetonii, quis Juvenci Martialis hiſtoriam, quiſve ad extremum Balbi ephemeridem fando adæquaverit?

Tertullianus de Anima.

Sed & Neronem Suetonius, Thraſymedem Theopompus negant unquam ſomniaſſe: niſi vix Neronem in ultimo exitu poſt pavores ſuos.

Servius Æneid. lib. VIII.

Naturaliter enim Auguſtus igneos oculos habuiſſe dicitur, adeo ut quidam eques Ramanus interrogatus ab eo, Curſe viſo verteret faciem: dixerit, Quia fulmen oculorum tuorum ferre non poſſum, ſicut ait Suetonius.

MATTHIÆ BERNECCERI

INDEX IN SUETONIUM TRANQUILLUM,

In quo ſingulorum vitæ literis, vitarum capita, quæ vocant, numeris ſignantur.

Cæſ. ſignificat *Cæſaris* vitam: Aug. *Auguſti*: Tib. *Tiberii*: Cal. *Caligulæ*: Claud. *Claudii*: Ner. *Neronis*: Galb. *Galbæ*: Oth. *Othonis*: Vit. *Vitellii*; Veſp. *Veſpaſiani*: Tit. *Titi*: Dom. *Domitiani*.

Rhet. de Illuſtribus Rhetoribus libellum: *Gr.* de Illuſtribus Grammaticis: *Hor.* Horatii: *Plin.* Plinii: *Luc.* Lucani vitam deſignat.

A libellis. *Ner.* 49. *Dom.* 14. a manu, *amanuenſis*. *Aug.* 67. a manu, liberta Antoniæ. *Veſp.* 3. a manu ſervus. *Cæſ.* 74. a rationibus libertus. *Claud.* 28. a ſtudiis libertus. *ibid.* a voluptatibus, *officii genus*. *Tib.* 42. a cœna. *poſt cœn.* *Aug.* 78. a condita Urbe. *poſt con.* *Aug.* 22. a funere. *poſt funus*. *Cæſ.* 85. *Tib.* 52. a gravi valetudine vix ſum firmus. *Aug.* 8. a matre gradu arctiſſimo contingebat eum. *Aug.* 4. a Brunduſio. *Cæſ.* 58. a cura. *opponitur* ex tempore. *Tib.* 70. a moribus &c. quem probare. *h. e. ex morib.* *Cæſ.* 65. a ſe. *vide locum*. *Cæſ.* 84. a ſe dividere. *Aug.* 40. a pectore diſciſſa veſtis. *Cæſ.* 33. a ſummo. *Aug.* 79. a vertice. *Cæſ.* 45.

ab Actio. *Aug.* 17. ab Apollonia. *Aug.* 95. ab eo tempore. *Aug.* 8. ab epiſtolis libertus. *Claud.* 28. Ab imo. *Aug.* 79. ab itinere. *poſt iter.* *Cæſ.* 60. ab juventa. *Dom.* 12. ab re non fuerit. *Aug.* 94. *Dom.* 11.

abacus *luſorius*. Ner. 22:

abdicare. *adoptatum antea*. Aug. 65. abdicare ſe prætura. *Claud.* 29.

abdere caput in gremium. *Galb.* 20. ſe. *Claud.* 10. abdita ſimulacro Paſiphaë. Ner. 12 abditus. *Oth.* 6. agris. T*ib.* 12. domo. *Cæſ.* 20. gurguſtio. *Gr.* 11. locus. *Aug.* 90. abditi cænaculo. *Vit.* 7. ſpecubus theſauri. Ner. 31.

abducere omnes. *Tit.* 5. *quam* matrimonio. Aug. 62. in matrimonium. *Dom.* 1. abduci. Aug. 91. abducta femina. *Aug.* 69. uxor. *Dom.* 10. marito Poppæa. *Oth.* 3. ſtatio. Ner. 34. abduxit *alteri* collocatam Caligula. *Cal.* 24.

aberrat animus. *Claud.* 4.

abeſſe. *Aug.* 43. Italia quibus & quamdiu lic. *Cæſ.* 42. longe. *Aug.* 20. qui reip. cauſſa aberant, rei non fiebant. *Cæſ.* 23. abfuit tantum a. *Aug.* 21. tantum ut. *Tib.* 50. *Veſp.* 14. paullum quin. *Cal.* 34. *Ner.* 28. minimum quin. *Aug.* 14. non multum quin. *Tib.* 19. *Cal.* 22. *Galb.* 11. abfuturus commeatu. *h. e. per com.* *Tib.* 72.

abhinc annos novem. *Aug.* 69.

abhorrere oſtentum. *Galb.* 4. tabem. *Vit.* 10. pumilos &c. *Aug.* 83. a cæde. *Dom.* 9. a vero. *Tib.* 62. a veritate. *Cal.* 12.

abigere. *Veſp.* 8. a ſe conceptum. *Dom.* 22. victricem. *Veſp.* 5. fuſtibus. *Cal.* 26. abegiſſe Agrippinam doluit. *de divortio*. *Tib.* 7.

abjicere amorem. *Claud.* 36. caput. *Galb.* 20. curam. *Tib.* 41. in Gemonias. *Tib.* 75. abjici nudam. *Claud.* 27. abjecta prætexta. *Cæſ.* 16. ſpes. *Claud.* 5. abjecto ferro. *Cal.* 12. abjectum cadaver. *Ner.* 48. onus. *Galb.* 20. ſtudium. *Dom.* 2. abjecti Lares. *Cal.* 5.

abire Morboniam. *Veſp.* 14. in provinciam. *Cæſ.* 23. Rhodum. *Ner.* 34. conſulatu. *Ner.* 2. honore. *Aug.* 26. poteſtate. *Cæſ.* 20. abite læti, abite locupletes. *Cal.* 46.

ἀϐλεψία. *Claud.* 39.

abligurrire. *Gr.* 23.

ablocare domum. *Vit.* 7.

abnepos. *Tib.* 3. *Claud.* 24. abneptis. *Ner.* 35.

abnuere adoptionem. *Tib.* 21. abnuens. *Cæſ.* 19.

abolere decretum. *Galb.* 23. frumentationes. *Aug.* 42. nomina reorum. *ex numero reorum expungere*. *Aug.* 32. ſcripta. *Dom.* 8. religionem. *Claud.* 25. tragœdiam. *Aug.* 85. vectigalia. *Ner.* 10. abolitus honor. *Claud.* 45. abolita memoria. *Gr.* 24. abolito nomine. *Dom.* 15. abolita.

Aug

Aug. 31. ſcripta. *Tib.* 61. *Cal.* 16. aboliturus uſum ſcientiæ. *Cal.* 34. abolenda memoria. *Cal.* 60. *Dom.* 23. abolitio facti. ἀμνηςία. *Tib.* 4. legis. *Aug.* 34.
abolla purpurea *regis Ptol. Cal.* 35.
abominantes. *Claud.* 46.
Aboriginum Rex Faunus. *Vit.* 1.
abripi. *Aug.* 99. abreptus ſimulacro. *Aug.* 17.
abrogare capiti legis. *Claud.* 23 plebiſcito. *Cæſ.* 28. *cui* magiſtratum. *Cal.* 26 abrogata *cui* fides. *Tib.* 61.
abrumpere ſermones. *Tib.* 21. ſocietatem. *Aug.* 17. abruptus hamus. *Aug.* 25.
abſcedere. *Ner.* 34. *Oth.* 6. *Vit.* 15. non abſceſſit triclinio, niſi diſtentus ac madens Claudius. *Claud.* 33.
abſciſſa dextra. *Cæſ.* 68. lingua. *Cal.* 27. abſciſſæ manus. *Cal.* 32.
abſentes deferre reos cædis. *Aug.* 10. abſentes a petitione honorum ſubmoti. *Cæſ.* 28. eorum ratio non habetur in comitiis. *ibid.* abſentibus ſecundum præſentes facillime dabat Claudius. *in jud. Claud.* 15. abſentiam *alicujus* propugnare. *Cæſ.* 23.
abſimilis magiſtro. *Dom.* 10. non abſimilis facie Tiberio. *Oth.* 1.
abſolvere opera. *Cal.* 21. νόμον. *Ner.* 20. abſolutus. *oppoſ.* accuſatus. *Cæſ.* 4. abſolutus a natura. *Claud.* 3. abſoluta villa. *Cæſ.* 46. abſoluta ſpectacula. *Tit.* 10. abſolutiones reis venditat Flavius. *Veſp.* 16. abſolutoria tabella. *Aug.* 33.
abſortio roſaria *Ner.* 27.
abſterritus. *Cæſ.* 20. *Ner.* 43. religione a. *Cæſ.* 59.
abſtinentia. *ſcil. a rapinis. Cæſ.* 54. *Dom.* 9. ſingularis. *ſcil. ab expilatione provinciæ. Oth.* 3. principum. *Dom.* 23. abſtinere alieno. *Tit.* 7. balneis. *Aug.* 94. cibo. *Tib.* 10. *Rhet.* 6. congreſſu. *Aug.* 65. conſuetudine. *Tib.* 72. convictu. *Cal.* 5. curia. *Cæſ.* 14. fœmina. *Cal.* 36. fungis. *Dom.* 14. honore. *Aug.* 52. inſectatione. *Gr.* 9. jocis. *Veſp.* 23. matrimoniis. *Cæſ.* 51. negotiis. *Tib.* 50. nomine. *Tib.* 6. occaſione. *Cæſ.* 24. pabulo. *Cæſ.* 81. pomis, cibis. *Ner.* 20. prænomine Imperatoris. *Claud.* 12. publico. *Claud.* 36. ſermone Græco. *Tib.* 71. ſocietate. *Cæſ.* 3. verbis. *Veſp.* 22. vino &c. *Ner.* 51. non abſtinuit præfari. *Tib.* 23. non abſtinere quo minus. *Gr.* 3.
abſtrahens. *Cæſ.* 71.
abſtruſus geſtatoria ſella. *Vit.* 16.
abſumere opes. *Cal.* 37. ſummam in. *Aug.* 98. tempus. *Aug.* 84. igni ferroque. *Claud.* 21. in remp. *Aug.* 101. abſumta claſſis vi tempeſtatis. *Cæſ.* 25. incendio domus. *Aug.* 57. *Ner.* 31. abſumtum pretium. *Galb.* 15. triduum per altercationes. *Cæſ.* 23. abſumtæ incendio ædes. *Aug.* 30. bibliothecæ. *Dom.* 20 abſumta. *Tib.* 53. incendio opera. *Dom.* 5. abſumendi. *devorandi. Ner.* 37.
abunde potentiæ gloriæque adeptus. *Cæſ.* 86. abundans copia. *Cæſ.* 10. patrimonium. *Aug.* 2. abundantiſſima cœna. *Ner.* 42. abundantiſſimum epulum. *Cal.* 17. abundantiſſime. *Aug.* 74. abundantia laborans. *ægrotans. Claud.* 44. abundantia tabernarum. *Claud.* 40. auro. *Cæſ.* 54. ſanguine. *Cal.* 57.
abuſus dominatione. *Cæſ.* 76. mendacio. *Cal.* 8. abutentes nomine, *alluſione facta ſc. Tib.* 43. abuti occupationibus. *Ner.* 42. patientia. *Claud.* 15. *Dom.* 11. abutendum ſe *alicui* permittere. *Galb.* 14.
ac *pro* quam. nec prius ac. &c. *Aug.* 16.
accedere. *Cæſ.* 82. accedere alicui. *in partes tranſire. Galb.* 12. conatibus *alicujus. Oth.* 4. pretiis. *Aug.* 41. accedit gloriæ cumulus. *Tib.* 17. acceſſiſſe ad finem. *Claud.* 46. acceſſio morbi. *Veſp.* 23. acceſſus ad inſulam. *Cæſ.* 58.
accenſus ante conſulem it. *Cæſ.* 20.
accenſo lumina. *Cal.* 18.
accerſere citharœdum. *Ner.* 20. accerſitus. *Cal.* 35. accerſitus crimine. *accuſatus criminis. Tib.* 53. accerſita mulier. *Ner.* 33. accerſiti joci. *affectati. Claud.* 21. lectore. *Aug.* 78.
accidit ut. *Cæſ.* 28. *Aug.* 43. *Tib.* 14. accidere. *de morte. ut,* ſi quid his accidiſſet. *Aug.* 101. ſi quid ſibi accideret. *Cal.* 3. & 23. accidere *cui* ad genua. *Cæſ.* 20. accidens ſibi ad genua. *Claud.* 10.
accipere clades, ignominias. *Aug.* 23. congiarium. *Rhet.* 5. congiaria. *Aug.* 41. conſulatum. *Aug.* 10. denarios. *Aug.* 67. Galliam, *provinciam regendam. Cæſ.* 22. horam. i. *cognoſcere. Aug.* 94. injurias. *Gr.* 9. legiones a. *Cæſ.* 24. ornamenta triumph. & ſacerdotium. *Veſp.* 4. pecunias. *Cæſ.* 54. *ex ærario. Cæſ.* 11. pontificatum. *Tit.* 9. teſſeras. *Aug.* 40. urbem. (*ſcil. a majorib.*) *Aug.* 28. vulnus. *Cæſ.* 82. verſum in contumeliam. *Aug.* 68. *quam* in matrimonium. *Aug.* 62. *Claud.* 26. ab *aliquo* rationem factorum. *Claud.* 43. muneri. *Ner.* 56. *ſervos. Galb.* 10. in annum ſeſtertia. 100. *Gr.* 17. principem cœna. *Oth.* 4. accipi lautius. *Cal.* 55. accipe ratum. *Cal.* 58. accipientes frumentum. *Cæſ.* 41. accepta provincia. *Vit.* 12. accepta in matrimonium. *Ner.* 35. accepto nuntio. *Oth.* 12. accepta referre. *Tib.* 15. acceptior Neroni. *Vit.* 4. accepturus. *ſcil. congiarium. Aug.* 42.
accire puerum ex. *Galb.* 10. ad. *Aug.* 94. acciri. *Claud.* 15. accitus Capreas a. *Cal.* 10. domum. *Aug.* 28. in Curiam. *Cæſ.* 16. *Claud.* 10. ab urbe carnifex. *Claud.* 34. acciti in Palatium. *Cal.* 54. liberi. *Aug.* 34. accita in urbem. *Cæſ.* 52.
acclamari. *Dom.* 13. acclamans populus. *Claud.* 7. acclamantes. *Galb.* 20. acclamantium turba. *Claud.* 27. acclamatio. *Aug.* 58. acclamationes fauſtæ. *Oth.* 6. populi immodicæ ac novæ. *Cæſ.* 79.

Senatus

Senatus non temperavit, quin mortuum *Domitianum* contumelioſiſſimo atque acerbiſſimo acclamationum genere laceraret. *Dom.* 23. acclamatum eſt. *Aug.* 70. *Tib.* 52. acclamatum Principi a populo in ludis. *Claud.* 7. *Dom.* 13.

accommodare animum negotio. *Aug.* 98. annum ad. *Cæſ.* 40. dies actui rerum. *Aug.* 32. ſe aſſertionibus. *Dom.* 8. ut humano generi aſſertorem ducemque ſe accommodaret, *rogatur* Galba. *Galb.* 9. prætorianis ſingula millia denariorum largitus eſt Tiberius, quod Sejano ſe non accommodaſſent. *Tib.* 48. accommodata ap. *Cæſ.* 84. accommodatius tempus. *Ner.* 8.

accubans. *Aug.* 98. *Ner.* 12. pallaca. *Veſp.* 21. Tarpejo monti theatrum. *Cæſ.* 44. accubantes. *Cæſ.* 49.

accumbens. *Veſp.* 5.

accuratiſſime ſepeliri. *Dom.* 15.

accurrere in auxilium. *Cal.* 58. accurriſſe ad. *Ner.* 39.

accuſare repetundarum. *Dom.* 8. accuſatur veneficii poſt vigeſimum divortii diem Lepida. *Tib.* 49 accuſatio Dolabellæ. *Cæſ.* 55. accuſator. *Aug.* 38. publicus *Tib.* 35. exoratus. *Aug.* 56. accuſatori *temere litiganti* exilium pœna. *Dom.* 9. accuſatorum denuntiationibus & ſenatuſconſultis ad necem compulſus Gallus. *Aug.* 66.

acer. *Galb.* 9. acerrime. *Tib.* 9.

acerbe loqui. *Cæſ.* 75. acerbius. *Aug.* 27. acerbius repoſcere debitum. *Vit.* 7. acerbiſſime *Cal.* 43. acerbior. *Galb.* 14. acerbiſſimi ſcrutatores. *Claud.* 35. acerbitas *Tib.* 67. deflexa in. *Cal.* 48. ingens. *Ner.* 44. minor. *Cæſ.* 73. judicis prodeſt. *Cæſ.* 12. morum. *Tib.* 51. acerbitates verborum graviſſimæ. *Cal.* 2.

acerra. *Tib.* 44. *Galb.* 8.

Cn. Acerronius Proculus Coſ. *Tib.* 73.

acervus ſummarum. *Aug.* 57. acervi aureorum immenſi. *Cal.* 42.

Achaia. *Tib.* 4. & 6. *Cal.* 21. *Ner.* 19. & 22. *Veſp.* 5. provincia. *Claud.* 25. fit provincia. *Veſp.* 8. Achaia & Macedonia Senatui redditæ a Claudio. *Claud.* 25. Achaica patribus conſcriptis ab eodem commendata. *Claud.* 42. Achaica. *vide* Mummia. *Cal.* 3. Achaica peregrinatio. *Ner.* 51. *Veſp.* 4.

Achilli quod nomen inter virgines. *Tib.* 70.

acies. *pro prælio.* *Tit.* 4. acies Bedriacenſis. *Veſp.* 5. directa. *Cal.* 46. inclinata. *prope ſuccumbens.* *Cæſ.* 62. inſtructa. *Aug.* 16. Mutinenſis. *Aug.* 12. Pharſalica. *Cæſ.* 63. & 75. *Veſp.* 1. Philippenſis. *Aug.* 91. una, altera. *Aug.* 20. (oculorum) hebetior. *Dom.* 18. pugionis explorata. *Oth.* 11. tentata. *Ner.* 49.

Acilius Aviola Coſ. *Claud.* 45.

Acilius Glabrio. *Dom.* 10.

C. Acilius. *Cæſ.* 68. ejuſdem virtus. *ibid.*

acini pauci uvæ. *Aug.* 76.

acquieſcere amicis. *Tib.* 6. honori, *Tib.* 31. vaticinanti mulieri velut oraculo. *Vit.* 14. acquieſcebat Græculis. *Tib.* 56. acquieſcens uno ſolatio. *Cal.* 51.

acquirere. *Claud.* 28. acquiri imperium adultero. *Claud.* 36. nihil acquiſiturus victoria. *Cæſ.* 60.

acroamata cœnis interponebat Auguſtus. *Aug.* 74. vetera revocat in ludis Flavius. *Veſp.* 19.

ἀκροάσεις plurimæ. *Gr.* 2.

acta. *Cæſ.* 82. *Aug.* 10. *Cal.* 8. anni. *Cæſ.* 23. belli. *Cæſ.* 37. Caji reſcidit Claudius. *Claud.* 11. Senatus. *Aug.* 5. & 36. *Tib.* 73. Tiberii. *Dom.* 20. diurna Senatus & populi confecta & publicata. *Cæſ.* 20. Pompeji cunctantius confirmantur, *Cæſ.* 19. publica. *Tib.* 5. in acta jurari. *Tib.* 26. referri. *Cal.* 36. actorum auctoritas. *Cal.* 8.

Acte Neronis liberta. *Ner.* 28. concubina. *Ner.* 50.

actio *accuſatoris.* *Rhet.* 2. actionem eam depoſuit. *Cæſ.* 15. actiones Dolabellæ & Cur. *forenſe vocab.* *Cæſ.* 49. continuæ. *Ner.* 15. oratorum proſperæ. *Cal.* 53. actiones reſtituit iis qui formula excidiſſent, Claudius. *Claud.* 14. actitare cauſſas. *Galb.* 3.

Actium. *Aug.* 18. & 96. apud Actium navali prælio vicit Antonium Auguſtus. *Aug.* 17. Actiacus triumphus. *Aug.* 22. *Tib.* 6. Actiaca victoria *Aug.* 18. Actiacum bellum. *Aug.* 9. Actiaci ludi. *vide* ludi. *Tib.* 6. Actiacæ victoriæ ſolennibus feriis celebrari prohibitæ. *Cal.* 23.

Actius comœdus. *Tib.* 47.

Actor *mimi.* *Cal.* 57. cauſſarum. *Cæſ.* 39.

M. Actorius Naſo. *Cæſ.* 9.

actuarii. *Cæſ.* 55. actum. *litteris ſubſcribitur.* *Cæſ.* 20. actum de ſe pronunc. *Ner.* 42. actus diurnus. *Aug.* 78. tragicus *Ner.* 24. rerum. *Aug.* 32. *Claud.* 15. & 23. *Ner.* 17. actum rerum diviſum conjunxit Claudius. *Claud.* 23. actui rerum. 30. amplius dies ab Auguſto accommodati. *Aug.* 32. actus ad faſtidium. *compulſus.* *Tib.* 49. in crucem. *Cal.* 12. in ſolitudines hoſtis. *pulſus.* *Claud.* 1. acto triumpho de. *Veſp.* 8. acti delectus. *Cal.* 43.

acumen ſtyli. *Rhet.* 5.

acutus ſententiis. *Cæſ.* 55.

ad arbitrium. *Cæſ.* 20. ad breve. *ſcil. tempus.* *Tib.* 68. ad capita bubula. *Aug.* 5. ad cyathum & vinum ſtare alicui. *Cæſ.* 49. ad donum aderat *h. e. in donum, doni loco.* *Cæſ.* 84. ad extremum. *denique.* *Cæſ.* 35. *Aug.* 19. *Tib.* 38. ad ipſam horam dolum interjecit. *Dom.* 17. ad horam ſomni. *Dom.* 21. ad libidinem *Cæſ* 76 ad lucem. *Cæſ.* 31. ad lumina. *Cæſ.* 37. *Cal.* 45. ad Maſſilinam. *Cæſ.* 68 ad necem. *Dom.* 8. ad multam noctem. *Aug.* 78. ad omnem ſuſpicionem tempeſtatis. *Aug.* 90. ad præſens. *Tit.* 6. ad prætextum. *Aug.* 12. ad quartum lapidem. *Aug.* 94. ad ſpeciem. *Cæſ.* 67. ad urbium ſpeciem. *Ner.* 31. ad

ſummam. *in ſumma.* *Aug.* 71. *Gr.* 10. ad tempus. *Cæſ.* 10. ad terram dare. *Aug.* 96. ad verbum. αὐτολεξεί. *Cæſ.* 30 & 55. *Aug.* 86. ad verbum referre. κατὰ πόδα. *Rhet.* 1. ad ſummam ubertatem vini, edixit. *Dom.* 7. ad tot millia paſſuum patet. *Cæſ.* 25.
adæquare. *Aug.* 46. adæquare ſe fratri operibus & dignatione. *Dom.* 2.
adamatus. *Veſp.* 22.
adapertum podium. *Ner.* 12.
adaptare. ita eſſedo alveoque adaptatis. *Claud.* 33. adaptatum capiti galericolum. *Oth.* 12.
adaquari. *Galb.* 7.
addere ad. *Cæſ.* 24. *Aug.* 50. addere clauſulæ. *Veſp.* 13. epiſtolis nomen. *Tib.* 26. ſtipendium militi. *Dom.* 7. venenum in plagam. *Cal.* 55. verbis præpoſitiones. *Aug.* 86. verba. *Cæſ.* 84. additus cohorti amicor. *Luc.* 3. addita monitio. *Tib.* 18. porticus. *Aug.* 29.
addicere ad. (*malim* addere, *vel* adjicere.) *Aug.* 32. quem liberto. *haſtæ ſubjectum.* *Aug.* 24. prædia nummo. *Cæſ.* 50. addici *alicui.* *auctionis vocabulum.* *Cal.* 38. addictus factioni. *Cal.* 55. libertis, uxoribuſque. *Claud.* 29. mathematicæ. *Tib.* 69. uxoribus, libertis. *Vit.* 2.
addiſcere ſermonem. *Gal.* 47.
addormiſcere. *Claud.* 8.
adducere auxilia. *Cal.* 44. mœchum. *Cæſ.* 51. adduci nequeo, quin. *Tib.* 21. adductus vultus. *Tib.* 68.
ademto equo. *Cal.* 16. ademta pars. *Aug* 34. ademtum jus. *Tib.* 49. ademturus ei exercitum. *Cæſ.* 24.
adequitare circa. *Aug.* 64. adequitans juxta. *Cal.* 25.
adeſſe. *Aug.* 35. ægræ. *Tib.* 51. clientibus. i. *in judicio defendere.* *Aug.* 56. convivio. *Tib.* 61. pugnæ. *Oth.* 9 ſpectaculo. *Aug.* 45. intemperantius adverſus *aliquem. in judicio ſcilicet.* *Claud.* 38. ſerius. *Aug.* 94. adeſſe hoſtem quam tumultuoſiſſime nuntiari juſſit. *Cal.* 45.
adeuntes. *Aug.* 53. *Claud.* 38.
adferre vim vitæ ſuæ. *Veſp.* 6.
adhærens. *Oth.* 6. adhærentes. *Galb.* 14.
adhibere *quem* cœnæ *Cæſ.* 73. *Tib.* 9. *Claud.* 32. epulis. *Ca*. 27. adhibere Grammaticum. *Gr.* 22. nil non fraudis. *Cal.* 39. opem. *Tib.* 8. adhibendus ſupellectili modus. *Tib.* 34. adhibitus arbiter. *Oth.* 4. metopoſcop. *Tit.* 2. cœnæ. *Aug.* 74. *Cal.* 25. honoribus modus. *Aug.* 100. ſumptibus modus. *Ner.* 16. adhibito modo. *Vit.* 15. adhibita frequentia. *Vit.* 11. teſtamento fraus. *Dom.* 2. viis cura. *Veſp.* 5. adhibiti tribuni. *Cæſ.* 33.
adhortans. *Cæſ.* 81. adhortationes multæ. *Aug.* 94.
adhuc. *Aug.* 17.
ἀδιατρεψία. *Cal.* 29.
adigere equos. *Galb.* 19. ferrum per obſcœna. *Cal.* 58. ferrum jugulo. *Ner.* 49. legiones in verba alicujus. *Veſp.* 6. ad mortem. *Aug.* 17. adigi ſacramento in nomen ſenatus. *Galb.* 16.
adjicere. *Aug.* 40. & 56. clauſulam. *Aug.* 99. factum arrogantius. *Cæſ.* 79. munus. *Cæſ.* 10. vitæ noctem. *Oth.* 11. ſtipendium. *Dom.* 12. adjici ad numerum. *Claud.* 6. adjectio bigæ. *Tib.* 26. adjectæ appellationes. *Rhet.* 1.
adimere beneficium. *Cæſ.* 29. coërcitionem. *Aug.* 45. *cui* dignitatem. *Claud.* 24. inſignia. *Cal.* 35. ſenatori lat. clavum. *Tib.* 35. libertatem. *Tib.* 37. *Claud.* 25. primos pilos. *Cal.* 44. regna. *Aug.* 48. *cui* ſigna. *Aug.* 21. uſum rei. *Cæſ.* 43. vini. *Aug.* 65. lecticæ. *Dom.* 8.
adipiſci civitatem. *Aug.* 40. honores. *Aug.* 3. imperium. *Ner.* 20. *Galb.* 14. pretio. *Galb.* 15. adipiſcenda mors. *Dom.* 14. adeptus imperium. *Cal.* 13. *Veſp.* 16. latum clavum. *Veſp.* 2. principatus. *Dom.* 13. abunde potentiæ. *Cæſ.* 86. adeptum imperium. *Tib.* 38. adepti ornamenta triumphalia. *Claud.* 17. adepturus victoriam. *Aug.* 16.
adire Alexandriam. *Tib.* 52. campos. *Vit.* 10. colonias. *Cæſ.* 8. diſcrimen. *Tib.* 6. *Cal.* 4. hæreditatem. *Aug.* 8. hoſpitia. *Ner.* 47. oppida. *Cal.* 3. oraculum. *Tib.* 14. periculum. *Aug.* 84. *Claud.* 9. *Ner.* 26. pericula. *Aug.* 16. piſcatores. *Rhet.* 1. provinciam. *Aug.* 47. provincias. *ibid.* temere. *Aug.* 6. adiri. *Tib.* 75. adiri a. *Aug.* 65. littore. *Tib.* 40. aditur urbs. *Aug.* 30. aditus a legatis. *Cal.* 49. adita hæreditate. *Tib.* 6. adito oraculo. *Tit.* 5. adita mœnia. *Tib.* 72. aditus theatri. *Cæſ.* 80. adeunti litigatori in itinere ſpatium *aſtu* præbet mulio *Principis.* *Fl.* 23.
adjudicare loca poſſeſſoribus. *Aug.* 32.
adjungere ſibi *aliquem.* *Cæſ.* 19.
adjurare. *Aug.* 31. adjurans hypocrita. *Ner.* 24. adjurans ſe potius periturum quam perditurum. *Tit.* 9.
adjumentum medicorum. *Tib.* 68. adjutor declamantium. *Gr.* 10. adjutor præcipuus. *Cæſ.* 12. *Aug.* 10. adjutores. *Tib.* 63. imperii. *Cal.* 26. impetrati. *Aug.* 39. adjutorium. *Gr.* 10. adjutus caſu. *Tib.* 13. manu. *Dom.* 14. ſuffragio. *Vit.* 7. adjuvans preces. *Ner.* 21. adjuvare alios. *Cæſ.* 23. macellarios. *Veſp.* 19. mimographos. *Gr.* 18. reditus Cæſaris. *Cal.* 41.
admetiri frumentum pretio. *Aug.* 41.
adminiſtranda reſp. *Aug.* 37. adminiſtrare Africam. *Veſp.* 4. bella. *Aug.* 20. curam. *Vit.* 5. curam annonæ. *Tib.* 8. honores. *Aug.* 3. imperium. *Vit.* 12. imperia. *Oth.* 1 omnia. 20. principatum. *Claud.* 25. proconſulatum. *Aug.* 3. procurationes. *Plin.* 1. provinciam. *Oth.* 3. provincias. *Tib.* 21. res Urbanas. *Cæſ.* 76. triumviratum. *Aug.* 27. adminiſtratio belli. *Cæſ.* 75. imperii. *Dom.* 3. reipub. *Cæſ.* 16. adminiſtrata præfectura. *Tit.* 6. adminiſtratæ res. *Aug.* 46.
Adminius, Cinobellini filius. *Cal.* 44.
admirabilis. *Cæſ.* 75. admiratio. *Aug.* 94. major. *Cæſ.* 56.

admiſſionis officium. *Veſp.* 14. admiſſus. *Dom.* 17. *Aug.* 35. *Veſp.* 7. in conſpectum. *Tib.* 4. propius. *Aug.* 79. admiſſa plebe. *Tit.* 8. turba. *Aug.* 27. admiſſi ſignatores. *Tib.* 23. admiſſi in curiam. *Ner.* 15. admiſſa perfidia. *Cæſ.* 75. admiſſum ſibi. *commiſſum a ſe. Cal.* 15. admiſſa in rempub. *Tib.* 2. admittere amicitias. *Aug.* 66. amicos. *Veſp.* 21. legatos. *Ner.* 22. plebem. *Aug.* 53. plebem ad. *Ner.* 10. unum vel alterum. *Gr.* 24. admittere ad. *Cæſ.* 41. admittere ad genua. *Ner.* 13. ad lecticam. *Tib.* 27.
admodum dives. *Cæſ.* 1. admodum infans. *Ner.* 35.
admonens diſpenſator. *Veſp.* 22. admonens optimates. *Cæſ.* 45. admonere quod. *Tib.* 50. admonens ut. *Cæſ.* 78. admonere judices legum &c. *Tib.* 33. admonere prætores. *Aug.* 89. admoneri ætatis, conditionis. *Dom.* 2. admonitio varia. *Aug.* 39.
admotus ad munera. *Tib.* 10. admota altaribus victima. *Cal.* 32. admotum capiti diadema. *Cæſ.* 79. admotæ legiones ad. *Aug.* 26. admovere aliquem contubernio. *Tib.* 14. digitum ſcripturæ. *Aug.* 80. infantes inguini, papillæ. *Tib.* 44. manus *alicui rei. Veſp.* 8. medicos. *Ner.* 37. pecuniam ad nares. *Veſp.* 23. Cleopatræ pſyllos. *Aug.* 17. ad curam reipub. *Aug.* 64. admoveri ad ſpem ſucceſſionis. *Cal.* 12. in convivium, & ad luſum. *Claud.* 39.
adnotare exemplaria. *Gr.* 24. laniandos. *Cal.* 27.
adnotum eſt. *Gr. præf.*
virgo. *Aug.* 62. virgo honeſta. *Galb.* 9. ingenua. *Tib.* 2. maxima. *Dom.* 8. Veſtalis maxima. *Caſ.* 83. *Tib.* 2. virgines adultæ. *Aug.* 69. vim patientes. *Ner.* 29. virgines Veſtales. *Caſ.* 1. *Aug.* 31. 44. & 101. vitiatæ, ſtrangulatæ. *Tib.* 61. vitiandæ. *Aug.* 71. virginis vaticinatio. *Galb.* 9. virginem ſtrangulare nefas. *Tib.* 61. virgines denudatæ. *Aug.* 69. virgines ſtadio curſu certantes. *Dom.* 4.

virgulta arida. *Caſ.* 84.

Viriatinum bellum. *Galb.* 3.

viridarium. *Tib.* 60.

viride oleum. *Caſ.* 53. viridior arbor. *Veſp.* 5. virides ficus. *Aug.* 76.

virtus bellica honoranda. *Aug.* 38. virtutes corporis animique. *Cal.* 3. virtutes ſummæ. *Tit.* 7.

virus. *Aug.* 17.

vis dominationis. *Tib.* 24. *Dom.* 1. morbi. *Tib.* 73. multitudinis. *Tib.* 72. pulveris, &c. *Plin* 3. tempeſtatis. *Caſ.* 25. *Veſp.* 5. valetudinis urgens. *Hor.* 14. adhibita vivendi. *Tib.* 61. gravior criminum. *Caſ.* 27. vis illata. *Claud.* 37. ſubita, incerta. *Aug.* 6. vis iſta quidem eſt. *Caſ.* 82. vis, legibus *opponitur.* *Aug.* 10. vis legis eluditur. *Aug.* 34. vi procellæ. *Dom.* 15. vi magna. *Aug.* 52. ſubita. *Vit.* 15 ſumma. *Tib.* 25. vires inimicorum penſitatæ. *Caſ.* 30. vires dificientes. *Tib.* 73. a viribus probatus miles. *Caſ.* 65.

viſcus. *Vit.* 13. viſcera hominis. *Cal.* 28. viſceribus plus diligere. *Hor.* 3. viſcerati. *Caſ.* 38.

viſuntur tali ii. *Tib.* 14. viſentes. *Ner.* 49 viſendus Apis. *Aug.* 93. viſendum. *Ner.* 38. viſendum cadaver. *Ner.* 34. nemus. *Cal.* 43. viſendam faciem præbere. *Vit.* 17. viſendi gratia. *Tib.* 12.

viſitare ægrum. *Claud.* 35. *Tib.* 11. cubantem. *Ner.* 34.

viſum nocturnum. *Aug.* 91. viſu defici. *Gr.* 3.

vita communis. *Rhet.* 1. conceſſa. *Caſ.* 68. *Aug.* 16. deſpicienda. *Oth.* 10. interior ac familiaris. *Aug.* 61. Judaica. *Dom.* 12. longior. *Tib.* 62. otioſa. *Claud.* 35. præſens poſtera. *Aug.* 71. remiſſior. *Tib.* 52. vitam Druſi ſcribit Auguſtus. *Claud.* 1. de vita ſua libros 13. ſcripſit Auguſtus. *Aug.* 85. de vita ſua commentarium ſcripſit Tiberius. *Tib.* 61. *Claud.* 41.

vitare congreſſum, ſermones. *Tib.* 50. crimen. *Ner.* 34. frondem. *Aug.* 94. vitans invidiam. *Tib.* 22. officia. *Tib.* 12. vitatum faſtigium. *Tib.* 10. vitatæ ineptiæ. *Aug.* 86.

Vitellia colonia, via. *Vit.* 1. Vitellia, *Fauni uxor*, pro numine culta. *Vit.* 1. Vitelliæ matris mors. *Vit.* 14.

Vitellius Imp. *vide* Aulus. *Vit.* 3. Q. Vitellius D. Auguſti quæſtor. *Vit.* 1. Vitellius Germanicus. *Vit.* 14. Vitellii filia a Veſp. maritata. *Veſp.* 14. Vitellii clades, mors. *Veſp.* 7. Vitellii orti Fauno, &c. *Vit.* 1. Vitelliorum origo. *Vit.* 1.

Vitelliani. *Veſp.* 8. Vitellianum bellum. *Dom.* 1.

vitis inſtituta. *Gr.* 23. vites *in navi*. *Cal.* 37.

vitiare inteſtina. *Veſp.* 24. virginem. *Cal.* 24. vitiatum jecur. *Aug.* 81. vitiatæ virgines. *Tib.* 61. vitiandæ virgines. *Aug.* 71.

vitium corporis. *de gibbo.* *Galb.* 3. vomicæ. *Rhet.* 6. vitium repertum. *Tit.* 7. vitio Pontificum. *culpâ.* *Caſ.* 40. vitia corporis. *Vit.* 17. naturæ, animi. *Tib.* 68. naturæ, ætatis. *Ner.* 26. diſſimulata. *Tib.* 42. diverſiſſima. *Cal.* 51. invaleſcentia. *Ner.* 27. tradita. ingenita. *Ner.* 1. vitioſi. *Aug.* 86.

vitricus. *Aug.* 8. *Tib.* 7. & 10. *Ner.* 6. vitricus. *Auguſtus Caji.* *Tib.* 13. *Tib.* 46.

vituli marini pellis cur ab Auguſto circumferri ſolita. *Aug.* 90.

vivere vitam Judaicam. *Dom.* 12. vivere una familiariſſime. *Gr.* 16. viventium quiſquam. *h. e. hominum.* *Cal.* 34. vivo Lepido. *Aug.* 31.

vixdum. *Aug.* 8. *Tib.* 44.

ulciſci. *Caſ.* 74. ulciſci hoſtem, &c. *Claud.* 42. ulciſcenda nex. *Cal.* 12.

ultima ætas. *decrepita.* *Gr.* 3. pœna. *mortis ſupplicium.* *Caſ.* 14. ultimæ ſortis homines. *abjectiſſimi.* *Aug.* 19.

ultio domini. *Tib.* 25. ignominiæ. *Oth.* 9. ſui reique pub. *Ner.* 41. ultio paterna. *Aug.* 29.

ultra. *Dom.* 15. ultra Albim. *Aug.* 21. ultra fidem. *Caſ.* 57. ultra verba haud excanduit. *Veſp.* 14. non ultra quam. *Caſ.* 75. *Aug.* 67.

ultro. *Caſ.* 20. & 68. *Dom.* 22. *Tit.* 8. *Veſp.* 12. ultro cedentes. *Tib.* 16. ultro data provincia. *Caſ.* 9. ultro deferre. *Caſ.* 17. ultro laceſſitus. *Caſ.* 24. ultro ſcribere. *Caſ.* 73. ultro ſequi. *Caſ.* 70. ultro citro *Cal.* 19. ultro & ſponte, *quomodo differant.* *Caſ.* 16.

Ulyſſes ſtolatus. *Cal.* 23.

umbris inquietati hortorum cuſtodes. *Cal.* 59.

umbo. *Caſ.* 68.

Umbria. *Caſ.* 34. *Veſp.* 1.

unquam. *Aug.* 40.

una eſſe. *Tib.* 21. una ſedens. *Caſ.* 14.

unciæ. *Galb.* 12. uncia panis. *Aug.* 76. unciæ pauculæ. *Ner.* 32.

uncus. *Tib.* 75. unci. *Tib.* 54.

undique. *Aug.* 71. & 83. *Dom.* 20. undique adire. *Aug.* 30. undique comparata. *Caſ.* 10. undique peti. *Caſ.* 82.

ungi. *Aug.* 76. & 82.

unguento fragrans increpitus. *Veſp.* 8. unguenta calida.

lida, frigida. *Cal.* 37. unguenta ſparguntur. *Ner.* 31. unguentaria taberna. *Aug.* 4. unguentati. *Cæſ.* 67.
ungulæ fiſſæ. *Cæſ.* 61.
unice diligere. *Aug.* 62. *Ner.* 35. unicus affectus parentis. *Tit.* 8. unicus magiſter. *incomparabilis.* *Gr.* 11. unici aſſertores. *Tib.* 2.
unio detractus ex aure *Vit.* 7. uniones. *Ner.* 31.
univerſus ſenatus. *Cæſ.* 14.
unus. *ſolus.* *Cæſ.* 20. unus e populo. *Aug.* 56. unus atque alter. *Cæſ.* 20. una & altera. *Hor.* 7. *Rhet.* 1. una voce. *Aug.* 15. unum navigium. *Aug.* 16. unum & idem. *Ner.* 43. in unum conferre. *Cæſ.* 80. unuſquiſque equitum. *Aug.* 39.
vocabulum Gallicum. *Cæſ.* 24.
vocare. *Tib.* 53. vocare miniſtros. *Dom.* 17. tribus ad. *Cæſ.* 80. ad diſquiſitionem. *Cæſ.* 15. *Ner.* 2. ad ſe. *Veſp.* 23. vocatus ad cœnam. *Tit.* 6. vocata concio. *Vit.* 15. vocati ad pileum ſervi. *Tib.* 4. vocatæ ad cœnam. *Cal.* 36 vocatæ ad concionem legiones. *Cal.* 48. vocatores. *Cal.* 39. vocatu ipſius. *Cal.* 39.
vociferari. *Cal.* 36. *Claud.* 40. vociferans. *Aug.* 23. vociferantes incendiarium, &c. *Vit.* 17. vociferatio. *Claud.* 36.
volare altiſſime. *Aug.* 94. volitare. *Cæſ.* 81.
Vologeſus Parthorum rex. *Ner.* 57. *Veſp.* 6. *Dom.* 2.
volubilitas verborum. *Aug.* 86.
volucres perſecutæ. *Cæſ.* 81.
volvere quid animo. *Veſp* 5.
volumen unicum. *Gr.* 2. volumina. *Aug.* 85. volumina. *libri operis.* *Claud.* 41. volumina novem unius corporis. *Gr.* 6. volumina ſignata. *Aug.* 101.
voluntas. *Aug.* 15. & 28. voluntas irrita. *Cal.* 14. mutata. *Aug.* 12. legatoris lata. *Tib.* 31. voluntaria nex. *Aug.* 13. voluntarii. *Vit.* 15.
voluptas canendi, ſaltandi. *Cal.* 54. voluptas quæritur. *Aug.* 32. a voluptatibus novum officium. *Tib.* 42.
volutari. *Cal.* 42.
vomere ſanguinem. *Cal.* 57.
vomitare. *Vit.* 13. vomitu purgari. *Ner.* 20.
vomica. *Rhet.* 6. vomicæ tres Auguſti. *Aug.* 63.
Vonon Parthorum rex perfide occiſus a Tiberio. *Tib.* 49.
votæ ædes deorum. *Ner.* 38. votivi Circenſes. *ſcil. ludi.* *Aug.* 43.
votum. *Aug.* 59. votum pro. *Aug.* 57. votum confodiendi. *Aug.* 51. votum pro ſalute ſua factum exigit Cajus. *Cal.* 27. vota pro ſuperſtite Auguſto facta. *Aug.* 57. vota ſuſcepta pro. *Tib.* 54. *Claud.* 25. vota pro itu & reditu ſuſcipi. *Tib.* 38. *Cal.* 14. vota in proximum luſtrum ſuſcipi mos. *Aug.* 97. vota ſuſcepta apud columnam Cæſaris. *Cæſ.* 85.
vovere. *Ner.* 54. vovere Marti ædem. *Aug.* 29. Jovi ludos. *Aug.* 23. vovere capita ſua. *Cal.* 14.
vox præconis. *Aug.* 84. *Ner.* 34. *Dom.* 13. *Claud.* 21. vox acuta. *Cæſ.* 55. celeberrima. *Ner.* 40. cœleſtis. *Ner.* 21. commutanda. *Tib.* 71. conſervanda. *Ner.* 20. & 25. deteſtabilis. *Vit.* 10. exaudita. *Ner.* 46. excepta. *Tib.* 21. immenſa. *Aug.* 43. jucundior. *Ner.* 33. memorabilis, laudata. *Tit.* 8. prædulcis. *Cal.* 33. præmiſſa. *Cal.* 58. reficienda. *Ner.* 20. ſeveriſſima. *Aug.* 42. vox deficit. *Tib.* 23. vox ei excidit. *Claud.* 15. vocis exiguæ, fuſcæ. *Ner.* 20. voce maxima. *Cal.* 49. conſentiente. *Galb.* 13. voces gratulantium. *Cal.* 6. laudantium nimiæ cohibitæ. *Rhet.* 6. exoletæ, reconditæ. *Aug.* 86.
urbs. *Roma.* *Cæſ.* 56. & 79. *Aug.* 20. 22. 23. 26. 28. 29. 30. 41. 42. 43. 45. 46. 49. 52. & 99. *Claud.* 23. *Veſp.* 8. urbs Nicopolis. *Aug.* 18. urbs exhauſta. *Cæſ.* 42. urbs interdicta. *Aug.* 27. ornanda, inſtruenda. *Cæſ.* 44. repetita. *Cæſ.* 35. *Aug.* 8. *Veſp.* 24. urbs oppidumve. *Aug.* 53. urbis cura ſolicitiſſime acta a Claudio. *Claud.* 18. urbis frequentiæ ut proſpexerit Cæſar. *Cæſ.* 42. urbes fœderatæ, &c. *Aug.* 47. potentiſſimæ. *Cæſ.* 28. propinquæ. *Cal.* 43. validiſſimæ. *Tit.* 4. variæ a Cæſare exornatæ. *Cæſ.* 28.
urbanus prætor. *Aug.* 33. urbana conjuratio. *Cæſ.* 9. urbani. *an eſt faceti, an oppidani?* *Cæſ.* 20. & 51. urbani litigatores. *Aug.* 33. quæſtores. *Aug.* 36. urbanæ res. *Aug.* 46.
urbanorum quidam. *Veſp.* 20.
urbica annona. *Romam devehenda.* *Aug.* 18. urbici magiſtratus. *Aug.* 46. negotiatores. *Cæſ.* 49. urbicæ res. *Ner.* 23.
urget eum vis gravior. *Cæſ.* 27. urgeri fame. *Oth.* 9. urgens diſcrimen. *Tit.* 6. urgens terra marique hoſtis. *Vit.* 15. urgens vis. *Hor.* 14. urgentes nuntii. *Cæſ.* 35. *Ner.* 41.
Vrgulanilla. *Claud.* 26.
urina. *Aug.* 80. *Tib.* 62. urinæ. *Cal.* 15. urinæ vectigal. *Veſp.* 23.
urſa cœleſtis. *Aug.* 80.
urunt mentem convitia. *Tib.* 66.
uſquam. *Aug.* 44.
uſque. ad conſulatum uſque. *Aug.* 66. ad veſperam uſque. *Claud.* 34. in forum uſque. *Galb.* 19. uſque ad. *Cæſ.* 83. *Aug.* 2. uſque adeo ne mori miſerum? *Ner.* 47. uſque adeo. *Dom.* 9. *Gr.* 22. *Cæſ.* 67. *Tib.* 41. uſque huc. *Rhet.* 1. uſque eo. *Cæſ.* 14. *Tib* 34. & 14. *Cal.* 38. *Ner.* 6. uſquequaque. *Aug.* 86. *Tib.* 6. *Claud.* 13. *Dom.* 12. *Rhet.* 6.
uſucapta ſubſeciva. *Dom.* 9.
uſura. *Cæſ.* 42. uſura levior. *Aug.* 39.
uſurpare civitatem Rom. *Cal.* 38. cognomen. *Claud.* 24. nomina. *Claud.* 25. officia. *Tib.* 11. prænomen. *Ner.* 1. uſurpavit Lucium pro Servio, *h. e. nomen Lucii.* *Galb.* 4. uſurpantes civitatem Rom. *h. e. ſe pro civibus gerentes, cum non ſint.* *Claud.* 25.
uſus anulorum. *Galb.* 10. aquæ creberrimus. *Veſp.* 24. balnearum. *Cal.* 37. faſcium. *Tib.* 4. lecticæ. *Dom.* 8. *Cæſ.* 43. mariti. *Cal.* 25. pecuniæ gratuitus.

Aug. 41. rerum communis. *Dom.* 7. ſermonis, colloquii. *Tib.* 61. ſtrigilis aſſiduus, vehemens. *Aug.* 80. togæ. *Galb.* 11. vini. *Aug.* 65. vitæ. *Rhet.* 1. uſus aſſiduus. *Cæſ.* 75 *Aug.* 71. præſens. *Cæſ.* 84. uſus multi ac varii in doctrina & Repub. *Gr.* 2. uſus gratiſſimi ſcyphus. *Ner.* 47 in uſum populi. *Aug.* 100. in uſu eſſe. *Gr.* 1. *Claud.* 41. in uſu habere vas argenteum. *Dom.* 1.

ut. *tanquam, poſtquam.* *Aug.* 12. & 68. ut ſi quis unquam. *Tit.* 7. utcunque meritus. *Tib.* 11.

uter. in utro vellent ordine, *Aug.* 40. uterque ordo. *ſen. & equeſtris.* *Dom.* 8. *Cal.* 49. *Ner.* 11. *Galb.* 14. *Tib.* 35. uterque ſermo. *h. e.* *Græcus & Latinus.* *Claud.* 42. utriuſque ſexus. *Aug.* 100. utraque lingua, *ſcil. Gr. & Lat.* *Aug.* 89. *Gr.* 1. utrumque eloquentiæ doctrinæque genus *Cal.* 3. utriuſque generis artes liberales. *Tib.* 70. in utramque partem. *Claud.* 3. uterque liberorum. *Tib.* 4. utrum ne. *Cæſ.* 80.

uterus Atiæ. *Aug.* 94.

utres inflati. *Cæſ.* 57.

utinam viveres. *Cæſ.* 80.

utique. *præſertim.* *Tib.* 47. *Cal.* 23. *Ner.* 22. & 28. *Tit.* 2.

utpote. *Aug.* 30.

utque primum. *Aug.* 8.

uti aquis. *Aug.* 82. artificio. *Gr.* 9. caſtris. *Aug.* 18. conſiliis. *Tib.* 50. equo. *Cæſ.* 61. equitibus ad. *Aug.* 43. uti habitu, ſermone. *Aug.* 98. hoſpitio. *Cæſ.* 73. interprete. *Tib.* 18. medicamento. *Cal.* 23. ope. *Cæſ.* 72. remediis. *Galb.* 3. ſermone Græco. *Tib.* 71. ſermone proprio. &c. *Gr.* 10. Sphinge. *Aug.* 50. valitudine proſpera. *Cæſ.* 86. *Veſp.* 20. verbo. *Aug.* 99. verſibus. *Veſp.* 23. veſte. *Aug.* 73. veſtitu. &c. *Cal.* 52. uſus alea *Cal.* 41. lato clavo *Cæſ.* 47. magiſtro *Aug.* 89. occaſione. *Cæſ.* 30.

utilitates publicæ. *Tib.* 33.

utricularius. *Ner.* 54.

utrimque. *Claud.* 15. utrobique. *Aug.* 17.

uva duracina. *Aug.* 76.

vulgaris mulier, (*plebeja? an meretrix?*) *Vit.* 2.

vulgare. *Tib.* 66. vulgare thema. *publicare.* *Aug.* 94. vulgari. *Aug.* 70. vulgari honorem. *Aug.* 40. vulgandi libri. *Gr.* 8. vulgata cædes. *Cal.* 60. vulgatum eſt. *Dom.* 6. vulgata carmina. *Ner.* 39. vulgatiſſimum carmen. *Cæſ.* 49. vulgatiſſimæ meretrices. *Dom.* 22.

vulnerare adverſum. *Cæſ.* 82. caput talitro. *Tib.* 68, ſe. *Tib.* 61. vulnerare lanceâ. *Galb.* 18. vulnus lethale. *Cæſ.* 72. vulnera Reipub. *Rhet.* 5. vulnera colligata. *Tib.* 61.

vulpes pilum mutat, non mores. *Veſp.* 16.

vultures duodecim Romulo & Auguſto oblati. *Aug.* 95.

vultus nitentis. *Veſp.* 20. adductus. *Tib.* 68. familiaris. *Cæſ.* 78. horridus, teter. *Cal.* 50. modeſtus. &c. *Dom.* 18. pulcher, venuſtus. *Ner.* 51. tranquillus, ſerenus. *Aug.* 79. triſtior & pædagogi. *Ner.* 37.

uxor gravida, enixa. *Tib.* 4. prægnans. *Aug.* 63. reducenda. *Dom.* 13. uxores contrectatæ. *Dom.* 1. gravidæ. *Aug.* 94. uxor in ſtupro generi comperta & dimiſſa. *Tib.* 35. uxorem intactam & virginem dimittit Auguſtus. *Aug.* 62. uxores liberorum quærendorum cauſſa quas & quot vellet ducere, legem ferri juſſerat Cæſar. *Cæſ.* 52. uxores interviſere legatis Romanis interdictum. *Aug.* 24. uxorium nomen. *Cal.* 25. uxoria ornamenta. *Aug.* 35.

Ὑγίαινε πάτερ, ὑγίαινε μῆτερ. *Ner.* 39.

X.

Xenophon *citatus.* *Cæſ.* 87.
Xerxem æmulatur Thraſyllus. *Cal.* 19.
xyſti *in prætoriis.* *Aug.* 72.
xyſtici. *Aug.* 45. *Galb.* 15.

Z.

Zeno quidam Tiberii convictor. *Tib.* 56.
Zenodoti cor. *Gr.* 11.
zona aureorum plena ſe circumdat Vitellius. *Vit.* 16.

FINIS.

C. SUETONIUS
TRANQUILLUS

Notis & Numiſmatibus

A

CAROLO PATINO

Illuſtratus.




CAROLI PATINI
NOTÆ
IN
SUETONII
JUL. CÆSAREM.

Pag. 3. **F**Lamen Dialis deſtinatus.*] Sacerdotium iſtud exprimit apex ille ſeu albogalerus, a Flamine Jovis geſtari ſolitus, qui cum temone, globo, cornucopiæ & caduceo, in nummo ſignatus eſt, retro caput Julii. Scribit quidem Plutarchus, Sullam, cum in Urbem rediiſſet, Cæſari in comitiis refragatum eſſe, & ne ſuffragiis Populi id ſacerdotium obtineret, effeciſſe. Sed verius eſt, falli ſcriptorem Græcum, rerum Romanarum minus peritum, quam Suetonium & Vellejum Romanos, quorum fidem adſtruunt nummi antiqui, teſtes omni exceptione majores.





Pag 3. *Cinnæ quater Conſulis.*] Nulli Romanorum conceſſum fuit effigiem ſuam monetæ imprimere ante Pompejum. quare vel Cinnæ, aut aliorum, qui ante hæc tempora floruerunt, ineptum eſſet quærere. Hujus



equidem nomen nummo æreo inſcriptum ab Fulv. Urſino vulgatum eſt, in *Familiis Roman.* cujus ſcalptura hic ſuperſedemus, cum præter galeatum caput Romæ & proram navis, nihil contineat. Ne vero quidquam quod ad rem nummariam ſpectat, prætermittamus, adulterinum iſtum ac recentioris notæ nummum adjicere placuit, in quo L. CINNA IIII. Cos. legitur: ſcribendum erat Antiquorum more in recenti nummo, Cos. IIII. Pars ejus averſa templum exhibet MARTI ULTORI ſacratum. Hæc forte ad Suetonii noſtri mentem ficta ſunt.

Pag. 3. *Dictatore Sylla.*] Præclaros hoſce duos nummos adjicere lubet. Primus coævos conſules refert, SULLAM & POMPEJUM RUFUM, Anno V. C. DCLXV. In altero Jugurtha, vinctis poſt tergum manibus a Boccho Rege, Sullæ, in ſolio ſedenti, traditur; quod quidem facinus in annulo Sullam expreſſiſſe, ſcribunt Plutarchus, *in ejus vita.* & *in Mario.* & Plin. *lib.* 37. *cap.* 1. & Val. Max. *lib.* 8. *cap.* 14. Utrumque uberius explicavimus in noſtris *Familiis Romanis.*





Pag. 5. *Apud Nicomedem.*] Plures fuere hujus nominis Bithyniæ Reges. Pruſiæ Venatoris, τȣ̃ Κυνηγȣ̃, filius fuit Nicomedes Ἐπιφανὴς, quem indignum regio nomine notat Polybius. Pileatum enim, capite raſo obviam ire legatis Romanis ſolitum, liberumque ſe P. R. profiteri, inſignia ejus ordinis gerere; Romæ quoque, cum in curiam veniret, ſenatum ſenatoreſque appellaſſe Deos. Illo mortuo ad Nicomedem Philopatorem regnum devolutum eſt, cujus filius vel nepos, ſic enim eſt apud Appianum, υἱωνὸς, fuit Nicomedes ille, qui Populum Roman. regni ſui hæredem nuncupavit. Sunt qui arbitrentur, apud primum prædictorum Nicomedem, Cæſarem deſcdiſſe. Ego, recte computata temporum ratione, de tertio id accipiendum cenſeo. Hujus REGIS ILLUSTRISSIMI NICOMEDIS maximum nummum argenteum hic ære expreſſum vides:



A Ther-

Pag. 6. *A Thermo in expugnatione Mitylenarum corona civica donatus eſt.*] Ille eſt Quint. Minutius Thermus Prætor, cujus contubernio prima ſtipendia Cæſar in Aſia fecerat. Veriſimile eſt, eum corona civica



donatum fuiſſe, ut fieri ſolebat apud Romanos, ob ſervatum civem, quem hoſtis proſtraverat vel ceperat. Hujus rei egregium monumentum mihi videtur nummus iſte gentis Minuciæ.

Pag. 9. *Vaſtante regiones proximas Mithridate.*] Notiſſimus iſte Rex Ponti ob animi corporiſque vires, quibus & ſejuges equos regebat, & duarum ac viginti gentium ore loquebatur. A Romanis ducibus Sylla, Lucullo, & Pompejo ſæpius fuſus, tandem rebus deploratis, veneno ſibi vitam abrumpere ſtatuit. Quo ob frequentem antidoti uſum fruſtra tentato, ad extremum moræ impatiens, ferro fatis viam aperuit. Hujus hæc eſt effigies:



Pag. 11. *Ab Anco Marcio.*] Fuit is quartus Rex Romanorum a Philippo Marcio monetæ impreſſus, indicandæ gentis ſuæ nobilitati, de quo vide *Famil. Romanas*. Diadema manifeſtum eſt regiæ dignitatis ſymbolum, ut lituus pontificatus. *Ancus Marcius*, inquit Livius lib. 1. *religiones neglectas aut prave cultas, ut erant a Numa inſtitutæ, Pontificem Maximum proponere in publico juſſit.* ob quam cauſam *ſacrificus* ab Ovidio appellatur:

Marcio ſacrifico deductum nomen ab Anco.

Cave credas, hunc nummum Regis Anci temporibus cuſum fuiſſe, cum non niſi Anno V.C. CDLXXXIV. argento ſignato Romani uti cœperint, Plin. *lib.* 33. *cap.* 3.



Pag, 12. *Gadeiſque veniſſet apud Herculis templum.*] Gades ad Oceanum, Tyri colonia fuit, teſte Curtio *lib.* 4. *cap.* 2. a qua deductus Herculis cultus mutato cognomine: qui in Oriente Tyrius, in Occidente Gaditanus nuncupabatur. qualis exhibetur in hoc Hadriani nummo, cum navi & freti Gaditani Genio, ſenis forma:





Pag. 15. *Ad Axium.* & paulo poſt, *M. Actorius Naſo.*] De epiſtolis Ciceronis ad *Axium* nihil novi, mallem *Atticum*: cenſeremque pro *Actorius Naſo*, legendum eſſe *Axius Naſo*, cujus nummum exhibent

bent FAMILIÆ noſtræ ROMANÆ, pag. 44.

Pag. 17. *Tropæa C. Marii de Jugurtha, deque Cimbris atque Teutonis reſtituit.*] Idem & clarius a Plutarcho commemoratur: Εἰκόνας ἐποιήσατο Μαρίȣ κρύφα, καὶ νίκας τροπαιοφόρȣς. Locus hic occaſionem forte præbuit artifici cuidam Italo ſcalpturæ apprime perito, fingendi nummos C. Marii cum tropæo de Cimbris atque Teutonis erecto; ſed. cave ne pro antiquis accipias.











Pag. 18. *L. Saturnini ſeditioſum tribunatum.*] Patet hunc Tribunum fuiſſe; quare miror oculatiſſimum Fulv. Urſinum hæc ſcripſiſſe, SENTIA *gens, incertum patriciane an plebeja fuerit: neque vero rerum Romanarum ſcriptores aliquem ex hac gente nominant, qui Lucii prænomen habuerit.* Ad hunc L. Sentium Saturninum, duos hoſce nummos, præter alios in *Familiis Roman.* ſcalptos, referre non dubito:





Pag. 20. *Catulum de refectione Capitolii.*] DEDICATUM fuiſſe CAPITOLIUM a Q. CATULO, probaret hic nummus, ſi, ut eximiæ cælaturæ, ita indubitatæ eſſet antiquitatis. Id tamen abunde conſtat ex his Auctoris noſtri verbis, in Aug. *cap.* 94. *Q. Catulus poſt dedicatum Capitolium*, & in Galba cap. 2. *Qui ſtatuarum titulis* PRONEPOTEM Q. CATULI CAPITOLINI *ſemper adſcripſerit.*




Pag. 22. *L. Vettio Indice.*] JUDICE pro INDICE ſubſtituerat Caſaubonus, refragantibus

tibus aliis, meo quidem judicio optime. En nummum quem citat hujus controverſiæ judicem, in quo manifeſte legitur Vettius Judex.



Pag. 25. *Cum Bibulo.*] Iſtius Bibuli nummum edidit quidem Goltzius, ad annum V. C. dcxciiii. Utinam illum & alios ab eodem aſſertos, aut vidiſſemus, aut antiquitus ſignatos, pro comperto haberemus: quam proxime certe ad antiquos accedunt, ſive eruditionem ſpectes, ſive induſtriam. Sed de his fuſius in Præfatione actum.

Pag. 29. *L. Lucullo.*] Hic ille eſt Lucullus, qui Mithridate & Tigrane, mira felicitate, ſuperatis, tantas opes paraverat, ut inde, ad ſumptuoſam vitam converſus, in ædes, bibliothecas ac prætoria exſtruenda, in villas hortoſque omni ſignorum tabularumque genere exornandos, incredibilem auri vim profuderit. Cum interim quotidiano epularum apparatu fere in proverbium veniret. Hac Luculli effigie, ejuſdem lautitiam exprimere voluiſſe opinor ſculptorem Italum, quiſquis demum iſtum nummum finxit. Imperitiam certe Latinæ linguæ turpiter prodidit, dum C litteram τῷ S præmiſit, quibus notam ſenatuſconſulti deſignare ſine dubio voluit: nec enim alio conſilio factum fuiſſe, arbitror.



Pag. 32. *Craſſum.*] M. Craſſus omnium Romanorum fuit ditiſſimus, negabatque, quempiam divitem habendum, qui annuo reditu exercitum alere non poſſet: tandem in expeditione Parthica miſere occubuit, de quo Plutarchus & Appianus. Faciem ejus, in antiquis numiſmatis non exſtantem, ſibi finxit hujus ſcalptor, quem ideo appono, ne pro antiquo obtrudatur.



Pag. 35. *Titurio.*] Ejus frequentem mentionem faciunt Cæſar lib. 3. de bell. Gall. Cicero & Florus. Tituriæ gentis e Sabinis ortæ plures nummi exſtant in *Familiis Rom. pag.* 278. ob Tarpejam virginem raptumque Sabinarum ſatis ſpectabiles.

Pag. 45. *Afranio & M. Varrone.*] Eorum nummos exhibent *Fam. Rom.* Qui quod vel effigiebus careant, vel nihil inſoliti exhibeant, a nobis ſponte prætermittuntur: neque enim omnes, quorum nomina Auctor refert, exprimere animus eſt.

Pag. 46. *De Pharnace.*] Hic patrem Mithridatem a Pompejo victum in regia obſedit & ad necem ſpontaneam compulit. Deinde cum majore civilis belli, quod tum inter Cæſarem & Pompeji liberos gerebatur, quam propriarum virium fiducia, Cappadociam invaſiſſet, a Cæſare celerrime victus eſt. Regis Magni Pharnacis nummum hic habes, quem porro Mithridatis filium non opinor, cum hunc Magnum cognominatum non legam apud Strabonem lib. 11. & 12. Appianum, de bell. Mithr. & de bell. civil. libr. 2. alioſque qui de eo ſcripſerunt. Mallem ad priorem Pharnacem, de quo ſic Plinius lib. 33. cap. 12. *Argenti uſum in ſtatuas primum ad honorem Divi Auguſti in adulationem temporum tranſiſſe falſo exiſtimatur. Jam enim triumpho Magni Pom-*

Pompeji reperimus tranſlatam PHARNACIS




qui primus regnavit in Ponto, argenteam ſtatuam: item Mithridatis Eupatoris, &c. Quibus adducor, ut credam, nummum ad Mithridatis avum referri.

Pag 46. *Quinquies triumphavit.*] Quare non dubitarem, quinque diverſos nummos peculiares triumphos denotare, quod patet ex captivorum, armorum & tropæorum varietate. Veneris caput Juliorum nobilitatem denotat.



Pag. 48. VENI. VIDI. VICI.] Hæc ipſa verba Cæſar in Urbem, de hac victoria, ſcripſerat, inquit Appianus lib. 2. de bell. civil. quæ ſuperiori ſæculo Joan. Cavinus Italus (a patria, communiter, Patavinus dictus) homo in imitanda antiquorum monetariorum arte valde induſtrius, Cæſaris nummo accommodavit, idque ita eleganter, ut ſui temporis Antiquariis perſæpe impoſuerit.



Pag. 51. *Pyrricham ſaltaverunt.*] Enitens Rhea, ut referunt mythologi, & partus dolores diſſimulans, propter Saturnum, filios devorare ſolitum, Curetum Corybantumque opem admiſit, qui tympanorum tumultu & armorum fragore, infantis vagitus occultantes, Saturnum eluſerunt, Jovemque puerulum in abdita montis Idæ loca ab-

abduxerunt. Hinc ſolemnis ritus toties ab Antiquis celebratus, atque in numiſmatibus ſignatus, præcipue Trajani, Maximini & Trajani Decii. Nominis originem indicat Plinius lib. 7. cap. 56. his verbis: *Saltationem armatam Curetes docuere*, Pyrrichen *Pyrrhus, utramque in Creta.* Auctorem ejus Achillem facit Ariſtoteles. Vide Apulejum, *in Metam. Aſini aurei, lib.* 10. Seguin. *in Sel. Num. & Theſaurum noſtrum*, pag. 123.

Pag. 52. *Trojam luſit*] Illam deſcribit Virgilius *Æneid. lib.* 5. Exhibentque hi nummi Imper. Getæ præſtantiſſimi. *Troja luſus puerorum equeſtris dicitur*, inquit Feſtus. De eo plura ſcripſimus, *in Nummis ex ære mediocri*, Theſauri noſtri pag. 316.



Æ



Æ




Pag. 55. *Octoginta civium millibus in tranſmarinas colonias diſtributis.*] Tranſmarinarum coloniarum a Julio Cæſare deductarum duo hic appoſuimus monumenta, quæ Corinthum indicant & Berythum. Certum eſt, ab eodem Carthaginem amplificatam etiam fuiſſe, & coloniam factam: at nulli ejus ſuperſunt nummi. Quæ ad Corinthum ſpectant diximus *in Nummis ex ære mediocri*. Ad illam referuntur hæc verba Auctoris noſtri, cap. xliv. *Cæſarem iſthmum perfodere deſtinaſſe*, ſcilicet, Corinthiacum, quod poſtea & Nero fruſtra tentavit.

Æ



Æ




Pag. 59. *Ore paulo pleniore.*] Reclamant omnes nummi quos viderim, ex AV. Æ. & AR. quamvis ſupra mille a me inſpecti fuerint: conſtanter enim macilentus & contractis genis obſervatur.

Pag. 60. *Jus laureæ perpetuo geſtandæ.*] Egregie nummi conſentiunt, in quibus raro admodum Cæſar ſine laurea videtur; mos inde geſtandæ laureæ etiam ad ſubſequentes Imperatores dimanavit.

Pag. 62. *Gemmas, toreumata, ſigna, tabulas operis antiqui ſemper animoſiſſime comparaſſe.*] Non immerito Cæſar in numiſmatum noſtrorum frontiſpicio poſitus, cum non modo Cæſarum famil. ducat, ſed & elegantiæ hujus ac vetuſtatis ſtudio, Principes omnes anteiverit; ſuoque exemplo, quidquid eſt hominum eruditorum beneque natorum, ad amorem ingenuæ hujus voluptatis excitaverit.

Pag. 78. *Equo inſigni pedibus prope humanis.*] Idem adſerit Plinius lib. 8. cap. 42. his verbis:

verbis: *Nec Cæſaris Dictatoris quemque alium recepiſſe dorſo equus traditur: idemque humanis ſimiles pedes priores habuiſſe, hac effigie locatus ante Veneris Genetricis ædem.* Ubi vides, priores tantum pedes humanis ſimiles exſtitiſſe. Eadem plane forma, ſive eundem ſive ſimilem exhibet qua equum rariſſimus hic Gordiani nummus apud inclytam Reginam. Dudum quidem vulgatus eſt ille ab illuſtr. amiciſſimoque Viro Ez Spanhemio, *diſſert.* 3. *pag.* 246. & 249. niſi quod vox aliena pro legitima obrepſerit, pro ΒΡΟΤΟΠΟΔΑ nempe ΒΡΟΤΟΛΟΔΑ, quam inauditam recte cenſet vir acutus, ideoque ſupplendam putat ΙΠΠΟΝ ΠΡΟΤΟΛΟιγον ΔΑΙμονα ΝΙΚΑΙΕΩΝ, *Equum hominum perniciem, Genium Nicæenſium.* Verum, præterquam quod ab infauſtis ejuſmodi rebus ac in hominum perniciem natis, Numiſmata merito abhorrent,




ut quæ æterna potius oblivione delendæ, quam monumentorum memoria dignæ videantur, conjecturam ejus deſtruit ſola incriptio, quæ manifeſte prodit ΙΠΠΟΝ ΒΡΟΤΟΠΟΔΑ ΝΙΚΑΙΕΩΝ, *Equum pedibus humanis*, ut nomine, ſic typo conſpicuis. Quare vereor, ne eruditiſſimus vir ex Regine catalogo fuerit deceptus, in quo non perita ſatis manu ΒΡΟΤΟΛΟΔΑ ſcriptum deprehendi. Sicut autem equi pedibus humanis, ita in inſulis Ponti, teſte Plinio, l. 4. c. 13. *homines equinis pedibus naſcuntur, Hippopodes appellati.*

Pag. 78. *C. Caſſium.*] Cajum ſcripſimus, reclamatibus Suetonii codicibus, Dioneque ita ſcribente, *μετὰ τοῦ Κασσίου τοῦ Λουκίου.* Rationes docet erud. Xilander, plurimis nummis confirmatas ab F. Urſino expoſitis, *in Famil. Rom.* pag. 70.

Pag. 79. *Jubæ.*] Illius filiique ac nepotis nummos exhibebimus infra, *in Cajo, cap.* 26.

Pag. 85. *Moderationem vero clementiamque admirabilem exhibuit.*] Quare nullum eſt dubium, CLEMENTIÆ CÆSARIS templum a ſenatu dictum fuiſſe, de quo luculente ſcripſerunt Dio & Plutarchus, ut retulimus in noſtris *Familiis Romanis.* Expreſſius Appianus his verbis, de Bell. Civil. libr. 2. *Καὶ νεὼς ἐψηφίσαντο πολλοὺς αὐτῷ γίνεσθαι, καθάπερ Θεῷ· καὶ κοινὸν αὐτοῦ καὶ* ἘΠΙΕΙΚΕΙΑΣ, *ἀλλήλους δεξιουμένων.* Hoc eſt: *Templa multa tanquam Deo ex S. C. decreta ſunt, & in his unum ipſi* CLEMENTIÆ*que commune, in quo ſimulacra eorum jungerent dextras.* Exſtat Cæſaris ad Ciceronem epiſtola, qua huic laudanti ejus clementiam




reſpondit: *Bene auguraris de me: bene enim tibi cognitus ſum, nihil a me longius abeſſe crudelitate; atque ego, cum ex ipſa re magnam capio voluptatem, tum meum factum probari abs te gaudeo & triumpho.* Plinius lib. 7. cap 25. brevibus, ſed efficacibus verbis de illa: *Cæſari proprium & peculiare ſit præter ſupra dicta* CLEMENTIÆ *inſigne, q a uſque ad pœnitentiam omnes ſuperavit.* Illius templi formam rarus hic meus nummus exhibet, cujus nulla alia ſuperſunt monumenta.

Pag. 88. *Sedem auream in curia & pro tribunali.*] Honorem hunc, a ſenatu Julio Cæſari delatum, abunde Caſaubonus explicat: inſuper Dio, lib. 45. coronæ ei impoſitæ, gemmis ornatæ, mentionem facit. Appiani in hanc rem hæc ſunt verba, lib. 3. de bell. civil. *Interea tempus ludorum inſtabat,*


quas


quas editurus erat Ædilis & Cæſar, ſcilicet Auguſtus, Patri SELLAM AUREAM



atque coronam parabat, id quod illi ex Senatus-Conſulto in perpetuum ludis omnibus decretum fuerat. Sellam & coronam in ſuo nummo ideo Auguſtum ſcalpſiſſe veriſimile eſt, quo patris ſui honores vulgarentur & cunctis innoteſcerent, cujus nomine omnia ſperabat.

Pag. 91. *Monetæ ſervos præpoſuit.*] Minorum magiſtratuum ſcilicet numero adaucto: Hinc pro ſolitis Triumviris A. A. A. F. F. inſtituti ſunt Quartum-Viri, quos demum poſt devictum M. Antonium Auguſtus ad Triumviros redegit. Hæc exempla ex pluribus, ut rariſſima ſelegimus, quibus Quartum-Virorum nomina inſcripta ſunt, patronos ſuos Antonium & Lepidum ſic colentium.





Pag. 95. *Brutus, quia Reges ejecit, conſul primus factus eſt.*] Hic eſt ille Lucius Brutus, qui an. V. C. CCLIV. Tarquinium ob violatam Lucretiam ejecit, libertatiſque Romanæ primus fuit auctor. Nota eſt ejus hiſtoria. Illius effigiem habemus



in hoc nummo, quem M. Brutus, Cæſaris percuſſor, ſecundum antiquam ſtatuam, repræſentari curavit, quo, & tyrannicidam celebraret, & gentem ſuam: uterque enim ex Famil. Junia, ut abunde Ill. Urſinus docuit, in *Fam. Rom.*

Pag. 96. *Cornelius Balbus.*] Opinor eum eſſe, qui Auguſti nummum PRO PRÆTOR ſignavit, clava inſignitum, qua gentis ſuæ originem declararet: patrem enim habuit L. Corn. Balbum, e Gadibus ortum, quibus Hercules præcipue colebatur, ut videre eſt in *Famil. Rom. pag.* 92. Cum enim ab Auctore noſtro familiariſſimus Cæſaris indigitetur, conjectura eſt, partes eaſdem ſequutum fuiſſe, Auguſtoque tum juveni III-VIRO Reipublicæ Conſtituendæ, operam tuliſſe. De quo, Dio, *libr.* 54. Strabo, & Pomp. Mela. conſulatum geſſerat cum P. Canidio Craſſo ann. V. C. DCCXIII.


Pag. 98. *Cimber Tullius.*] Certe debet legi ATILIUS CIMBER; ſic frequenter apud Appianum ΑΤΙΛΙΟΣ ΚΙΜΒΕΡ.


Quare Atilio Tullium ſubſtituant, & vel ipſe Caſaubonus conſentiat, non video:



Niſi hujuſce nummi antiquitas ſuſpecta eſſet, ſummum foret conjecturæ noſtræ argumentum.

Pag. 99. *M. Bruto.*] Rariſſimum poſſideo ejus nummum, in quo præter faciem cernitur pileus, de quo ſic Appianus, *lib.* 2. Πίλεόν τις ἐπὶ δόρατος ἔφερεν σύμβολον ἐλευθερώσεως: Hoc eſt, *Pileum alius haſtæ fixum ferebat ſymbolum libertatis.* Ad pugiones reſpiciunt verba Cicer. *lib.* 2. *Phil. Cæſare ſtatim interfecto cruentum alte extollens M. Brutus pugionem, Ciceronem nominatim exclamavit*, &c. Eid. Mar. tempus necis deſignant, Idus ſcilicet Martias. vide *Fam. Rom. in gente Junia.* Eundem typum alter refert cum Libertatis Pop. Rom. capite, quæ teſſera fuit Bruti in campis Philippicis.





Pag. 103. *Cum veſte in qua fuerat occiſus.*] Hæc ſunt Appiani verba, *libr. 2. de bell. civil. Antonius precabatur, ut vitam Cæſaris liceret ſua redimere, & eo provectus eſt, ut ejus corpus detegeret, ejuſque* Vestem *conto ſublatam excuteret, ſic ut erat perfoſſa, & lacera, cruentaque Imperatoris ſanguine.*



Illam in nummo commovendæ plebis miſerationi ſignatam fuiſſe, veriſimile eſt. Ea autem eſt palmata, de quo togæ genere ita Iſidorus: *Toga Palmata dicebatur, quam merebantur ii, qui reportabant de hoſtibus palmas: quæ vocabatur & Toga picta, eo quod victorias cum palmis intextas haberet.* Inſcriptionem ſic lege: S. P. Q. R. Parenti Conservatori Suo.

Pag. 105. *Scripſitque* Parenti Patriæ.] Mortuo Cæſari quot quantique honores decreti fuerint, occurrit paſſim apud Antiquos, præſertim T. Livium *lib.* 116. *in Epit.* & Suet. *cap.* 76. Cicerone pluribus in locis, a Fulv. Urſino in *Fam. Rom.* tranſcriptis contradicente. Nummus hic prioribus favet, cujus inſcriptionem expreſſe refert Dio, his verbis: Πρός τε τούτοις τοιούτοις οὖσι ΠΑΤΕΡΑ τε αὐτὸν τῆς ΠΑΤΡΙΔΟΣ ἐπωνόμασαν, καὶ ἐς τὰ ΝΟΜΙΣΜΑΤΑ ἐνεχάραξαν. *Poſt hæc* Parentem Patriæ *illum nuncupaverunt, ſuiſque numiſmatibus inſculpſerunt.* Illud

porro

porro Parentis Patriæ nomen a ſenatu datum erat, ſuperato ad Mundam Sexto Pompejo, ac civilibus bellis paſſim compoſitis.



Pag. 108. *Stella crinita fulſit, creditumque eſt, animam eſſe Cæſaris in cœlum recepti.*] Hinc toties in Auguſti nummis circum caput legitur CÆSAR DIVI FILIUS; hinc Cæſaris numiſmatibus, DIVI JULI inſcriptum eſt, indicandæ ſcilicet ejus conſecrationi. Stellam illam crinitam habes in utriuſque nummis.



Quanti memoriam DIVI JULI æſtimaverit IMP. CÆS. TRAIAN. AUG. GER. DAC. P.P. patet ex nummis, in ejus laudem RESTITUTIS. Duos hic habes rariſſimos. Primo, Venerem victricem, referente, cujus nomine tanquam teſſera in prælio Pharſalico Cæſar uſus fuerat. Altero, Victoriam perpetuam Cæſaris comitem: ſemper enim vicit, nec *ullam cladem niſi per legatos ſuos paſſus eſt*, inquit Auctor noſter, *cap.* 36.



Non abs re noſtra futurum, arbitror, nummos aliquot antiquos hic proponere nunquam vulgatos, quibus tum Julii Cæſaris nummi, quo frequentiores eſſent, reſtituerentur, tum LIBERTATIS ejus cæde Romanis partæ, cujus ſignum perpetuo exſtaret. Miror ab eodem Imper. Trajano, DIVUM JULIUM, ejuſque percuſſorem


BRUTUM ita celebrari : nec tamen temere credo, cum hos omnes nummos indubitatæ antiquitatis ſuaviſſime contrectaverim.



CAROLI PATINI NOTÆ IN SUETONII AUGUSTUM.




Pag. 115. M. *Atio Balbo.*] Hic exſtat in nummo æreo, cui prætura, eodem capite a Suetonio commemorata, inſcripta eſt. Ejus explicatio videri poteſt in *noſtris Numiſmatibus ex ære mediocri*, *pag.* 26. & in *Familiis Romanis* in gente Atia.



Pag. 116. *M. Tullio Cicerone.*] Ille eſt, qui, ut eloquentiæ, ſic patriæ Patris cognomen meruit, ſummis in Romanam Rempublicam, & litterariam meritis. Duos ejus nummos hic apponi curavimus: Alterum a Fulv. Urſino, harum rerum peritiſſimo, pridem vulgatum, quamvis non definiat, ſitne ad Ciceronem referendus, an ad Deculam, alioſve M. Tullii nominibus inſignitos. Alter ab Ill. P. Lambecio perdocte omnino eſt explicatus, *Biblioth. Cæſar. tom.* 2. *pag.* 726. ubi eum indubitatæ antiquitatis aſſerit. Cujus Viri ſuffragio plus tribuere, quam oculis noſtris, utut contrarium dictantibus, grave non erit: doceat modo, qua auctoritate Ciceronis effigies monetis impreſſa fuerit. Id primum Pompejo ex S. C. licuit; Cæſari deinde Dictatori, poſtea Auguſtis. Nuſquam legimus, id juris conceſſum privatis hominibus, niſi forte Principum decretis, quorum nullum Ciceroni potuit.


potuit tantum honorem gratificari. MINERVE deinde vox, pro MINERVÆ, ſcalptoris imperitiam arguit, eruditis illis temporibus minime convenientem.





Pag. 121. *Adverſus Sextum Pompejum.*] De quo præter Suetonium abunde diſſerunt Plutarchus, Dio, Appianus, & alii. Hujus nummos duos rariſſimos obſervare eſt, nunquam ſatis ob typorum decus laudandos.





Pag. 123. *Cum Hirtio ac Panſa.*] Utriuſque nummos exhibent *Familiæ Rom.* Vide gentem HIRTIAM, *pag.* 121. & VIBIAM, *pag.* 291.

Pag. 128. *L. Antonium.*] Hujus quatuor nummos, quorum duo poſtremi cum PIETATIS cognomine videas in *Famil. noſtris Romanis*, *pag.* 20.

Pag. 131. *M. Agrippa.*] Ejus nummos vulgavimus in *Fam. Rom.* & inter æreos mediocres, *pag.* 60. Duos rariſſimos in tanti Viri gloriam hic reponemus.





Pag. 134. *C. Soſium.*] Cajum Soſium indicant hi duo nummi, quos vidimus. Syriæ atque Ciliciæ præfectus eſt ab Antonio, cujus partes acriter tutatus eſt: Poſtquam Ventidius, devictis Parthis & Q. Labieno, e provincia diſceſſiſſet, Aradios, poſtea Antigonum Judæorum regem vicit, vivumque miſit ad M. Antonium. De eo, atque Judæorum gente, (Hieroſolymis enim potitus eſt,) tropæum in nummo expreſſiſſe videtur. Triumphavit deinde Romæ anno V. C. DCCXIX. Poſtea conſul factus, Urbe relicta, ad Antonium tranſiit. Demum prælio navali ab Agrippa ſuperatus eſt, & occiſus, paucis ante pugnam Actia-

Actiacam diebus. Prolixe de Soſio ſcripſerunt Plutarchus *in Antonio*, Dio, *libr.* 51. & Appianus, *libr. de bell. Parth.*



Pag. 134. *Cn. Domitium.*] Pro Tito Cnæum reponere non dubites, Auctorum fide fretus numiſmatumque. Fuit is Neronis proavus, de quo multa ſcribit Auctor noſter, *in Ner. c.* 3. Tropæum in navi quid indicaret præter victoriam navalem? Nummus alter ad ea Suetonii verba refertur: *Poſt Bruti Caſſiique interitum, claſſem, quam ſibi commiſſam Domitius retinuerat, auctam, & profligatis partibus, M. Antonio ſponte & ingentis meriti loco, tradidit.* Plura de eo narrantur in *Fam. Rom. pag.* 99.



Pag. 135. *Cleopatræ quam ſervatam triumpho.*] Iſtius Ægypti Reginæ hiſtoria diligentiſſime a Plutarcho ſcripta eſt, *in vita M. Antonii.* Plures ejus nummos expoſuimus in *Famil. Romanis*, & *Nummis ex ære modiocri.* Præter quos & maximos hoſce argenteos inſpexiſſe, forte non pœnitebit. Mihi attente ſpectanti duplicem illam epigraphen, ad unam revocare placuit, de qua fruſtra ſæpe diſputantes audivi ΟΣΑΝ ΣΩΤΕΙΡΑ barbaram vocem refert, accedit propius ad ſenſum ΘΕΑ ΝΕΩΤΕΡΑ, quæ paucis mutatis longe clarior evadit. Nolim quidquam ſtatuere, cum præcipue ΟΣΣΑΝ manifeſte legerim in nummo Pharnacis ſupra ſcalpti. Attendant peritiores.




Ægy-


Pag. 137. *Ægyptum in provinciæ formam redactam.*] E pugna Actiaca fugientem Cleopatram inſecutus eſt M. Antonius, utrumque victor Auguſtus. Poſt utriuſque interitum, Ægyptus in provinciæ formam redacta eſt: quare percuſſus eſt nummus poſtea ab Imperat. Trajano reſtitutus. Inſcriptionem ex Boiſſardo, *Antiquit. lib.* 3. ad hanc rem hic habes.

IMP. CÆSAR DIVI FIL. AUG.
PONTIFEX MAXIMUS
IMP. XI. TRIB. POT. XIV.
ÆGYPTO IN POTESTATEM
POPULI ROMANI
REDACTA
SOLI DONUM DEDIT.



Pag. 137. *Quoque Actiacæ victoriæ memoria celebratior eſſet.*] Hac victoria cum omnis Triumviratus potentia, atque adeo totius imperii ſumma ad Auguſtum eſſet devoluta, ut aliquid rei tam feliciter geſtæ etiam apud poſteros exſtaret monumentum, quo cum gaudium ſuum, tum gratus in Deos animus perſpiceretur, Apollini, qui apud Actium colitur, templum exſtruxit, naves conſecravit, & certamen quinquennale inſtituit, urbemque eo loco, quo caſtra habuerat, condidit, quam in hujus victoriæ memoriam Nicopolim nominavit. Ut præter Auctorem noſtrum, etiam Dio commemorat, *lib.* 57. Hinc Actius Apollo in hujus Imperatoris nummis frequenter celebratur.





Pag. 137. *Urbem Nicopolim.*] Locum hunc illuſtrat Plinius, *lib.* 4. *cap.* 1. *In ore ipſo colonia Auguſti Actium, cum Apollinis templo nobili & civitate libera Nicopolitana.* In gloriæ partem venit & laborum particeps Auguſti gener M. Agrippa, cui aurea navalis roſtrataque corona ab Auguſto donata eſt, *accepta a genere humano civica*, ut ejuſdem Plinii verbis utar. Hanc ornandæ Actiacæ victoriæ, in nummis Nicopoleωs ſcalpi ornavit victor, urbiſque fundator Auguſtus.



Lepidi,

Pag. 139. *Lepidi*, &c.] Nobiliſſima hæc ſunt nomina antiquis nummis inſcripta. Lepidus cognomen eſt gentis ÆMILIÆ, Varro TERENTIÆ, Muræna LICINIÆ, quas declarant *Familiæ Rom.* ut & FANNIAM, EGNATIAM & PLAUTIAM.

Pag. 143. *Parthi ſigna militaria reddiderunt.*] Quantum fuerit Auguſti gaudium, ex hac ſignorum recuperatione ſubortum, abunde teſtantur Hiſtorici. Amplam nummorum copiam rem eandem celebrantium hic habes.




Pag. 143. *Armeniam vindicanti.*] Egregios nummos hunc locum illuſtrantes hic habes. Armeniam ſupplicem & receptam argentei exhibent. Aurei pharetram ſagit-



taſque Armeniorum, & bovem Auguſto immolari ſolitum juxta inſcriptionem a Grutero commemoratam, pag. 117. apud Fratres Arvales:


MINERVÆ VACCAM
DIVO AUGUSTO BOVEM MAREM.

Pag. 145. *Vovit & magnos ludos Jovi Opt. Max. ſi Rempublicam in meliorem ſtatum vertiſſet.*] Ecce nummi votorum vel ſuſceptorum vel ſolutorum memoriam conſervantes, quorum primus verbis his explicandis perquam opportunus ita, meo judicio, legendus venit: JOVI OPTIMO MAXIMO SENATUS POPULUS QUE ROMANUS VOTA SOLVIT PRO SALUTE IMPERATORIS CÆSARIS QUOD PER EUM RES PUBLICA IN AMPLIORE ATQUE TRANQUILLIORE STATU EST. Et ſane D. Auguſtus hunc ex nummo honorem omnino meruiſſe videtur, qui Rempublicam Romanam & ampliorem & tranquilliorem reddidit. Urbem enim quam lateritiam invenit, marmoream reliquit: ut ipſe apud Suetonium noſtrum gloriatur, *cap.* 28. Imperii inſuper Romani fines tot gentibus ei adjunctis late produxit: pacem & tranquillitatem quantam nullus ante Urbi & Orbi reddidit: *Janum quippe Quirinum, terra marique parta pace ter cluſit.* Sueton. *cap.* 22. Cujus etiam nummi antiqui ſuperſunt. Cæterum vota pro ſalute Imperatorum frequenter ſuſcipi & ſolvi conſueviſſe, res eſt trita. Sic Auctor noſter, in Tiberio, *cap.* 33. *Vota pro itu & reditu ſuo ſuſcipi paſſus eſt.* Et in Cajo, *cap.* 14. *Vota pro reditu ſuſcepta ſunt.*





Pag. 152. Σπεῦδε βραδέως, *Feſtina lente: Providus enim melior: quam temerarius Imperator.*] Unde dictum illud frequenter in ore habuit Auguſtus; quin etiam in nummis, variis rerum involucris, ceu ænigmate




quodam, ſymbolum hoc expreſſiſſe mihi videtur. Quid enim celerius fulgure, quid tardius Termino, alis, brachiis, pedibusque carente: Utrumque ſic conjunxere Monetarii.

Pag. 158. *Forum cum æde Martis Ultoris: ædem Tonantis Jovis in Capitolio.*] Exſtant ædes iſtæ in antiquis Auguſti numiſmatis, quibus & iſta Auctoris noſtri verba explicantur, eodem capite: *Ædem Marti bello Philippenſi pro ultione paterna voverat.* Duplicis hujus templi figuram exhibeo, quorum alterum in Foro, alterum in Capitolio exſtructûm ab Auguſto fuiſſe, conſtat. TONANTI JOVI *ædem conſecravit*, inquit Suetonius, *liberatus periculo*, &c. Cujus iterum mentionem facit, *cap* 91. Eam ſecundus nummus repræſentat. Quin & aliam JOVI DEO conſecraſſe, docet nos nummus inter *noſtros æreos* vulgatus, *pag.* 31. Aliam JOVI OLYMPIO, in *Theſauro noſtro* ſcalptam, *pag.* 48. Hujus ædis mentio-

mentionem facit Auctor noſter, *cap.* 60. Quibus de cauſis *templorum omnium conditor aut reſtitutor*, a Livio nominatus eſt.



Pag. 159. *Theatrumque Marcelli.*] Videre ſæpe mihi contigit argenteum nummum tetradrachmalem, Marcellum ejuſque theatrum referentem, qui quidem pro antiquo obtruſus, at non receptus eſt. Suſpicio eſt, Auctorem ejus, ſcalpendi apprime peritum, ex his Auctoris verbis, fingendi nummi ſumſiſſe argumentum.



Pag. 159. *Ædes Herculis Muſarum.*] Hercules Muſarum repræſentatur inter nummos gentis POMPONIÆ, ut & ſingulæ Muſæ, quas videre eſt *in Familiis Rom. pag.* 223. Unde licet colligere falli Eumenium, *in Orat. de inſtaurandis ſcholis*, cum Fulvio Nobiliori hujus ædis dedicationem tribuit, ex eo quod Μȣσαγέτȣ nomen in Græcia Imperator primum didicerit, id eſt; ductoris comitiſque muſarum, quorum nominum conjunctionem docet nos Plutarchus, *in Problem.*

Pag. 159. *Cornificio.*] Sive Cornuficio, ut in nummis antiquis legitur, *in Famil. Rom.* Ceterorum etiam Illuſtrium nomina, quorum hic meminit Auctor, nummi referunt in gente ASINIA, MUNATIA, CORNELIA, STATILIA, & VIPSANIA.

Pag. 163. *Reſtituit ludos Sæculares.*] Hos celebravit Auguſtus anno V. C. DCCXXXVII. eoſque Horatius eleganti carmine, quod SÆCULARE inſcribitur, eſt proſecutus. Lapidum quin etiam monumentis eoſdem



fuiſſe mandatos & columnis inciſos, indicat præclarus gentis MESCINIÆ nummus.

 Quem


Quem equidem morem ſubſequentes Impp. Domitianus & Philippus, qui ludos ſæculares fecerunt, ſunt imitati, ut ex utriuſque nummis apparet. Quindecim-Viris autem Sacris Faciundis (ſic enim legendæ illæ litteræ XV. S. F.) antiquitus Ludorum Sæcularium cura incumbebat, & magiſtratus potiſſimum exſequebantur officia cerimoniarum, ut ex Tacito, *Annal.* 2. colligere eſt.

Pag. 198. *Italiam duodetriginta coloniarum numero deductarum a ſe*, &c.] Locus hic eſſet totidem colonias in nummis exhibendi; ſed tantus eſt earum numerus, ut veniam non difficulter me impetraturum ſperem, ſi omiſſa illarum ſculptura, cupidum Lectorem ad Goltzium & *nummos noſtros ex ære med.* remittam.

Pag. 201. *Calagurritanorum manu.*] Calagurris urbs Hiſpaniæ plurimos cudit nummos in honorem Auguſti, ſuo loco editos. Egregiæ ejus in Famil. Juliam fidei hoc ſit argumentum, quod Jul. Cæſar, referente Suet. *cap.* 68. & Auguſtus, ejus cohortibus ad ſui corporis cuſtodiam ſint uſi. Quo fidei & fortitudinis rarioris nomine inclyta Helvetiorum gens a plurimis Principibus non modo in ſatellitium adſciſcitur, ſed & proximæ corporis cuſtodiæ adhibetur, ut videri poſſit plus alienæ Helvetiorum quam gentis ſuæ virtuti eos confidere.

Pag. 203. *Sphinge uſus eſt.*] Nummi antiqui ex auro, argento & ære ſuperſunt, Sphingem Auguſti exprimentes. Alterum ex appoſitis duobus exemplis ſigilli ſpeciem etiamnum præ ſe fert, abſque ulla epigraphe: Alterum a CARISIO ſignatum eſt III-VIRO monetæ cudendæ, in *Fam. Rom.* explicatum, *pag.* 62. De Sphinge ad hanc rem plura ſcripſerunt Plinius, *lib.* 37. *cap.* 1. Dio, *lib.* 51. & alii.


Æ



Æ




Pag. 203. *Imagine Magni Alexandri.*] Hanc quadruplicem exhibent nummi antiqui, & ſemper cum *pectoroſa cervicis repandæ oſtentatione*, ut loquitur Plinius. Nummos iſtos, olim meos, Regis Chriſtianiſſimi theſauro acceſſiſſe non parum glorior.



Communi

Pag. 205. *Communi ſuo Romæque nomine.*] Hanc inſcriptionem templo ab Asiæ Communitate exſtructo inſculptam cernas in rariſſimo hoc maximi moduli nummo, quem pridem vulgavimus, *in Theſ. pag.* 48.



Pag. 216. *Cæſareas urbes condiderunt.*] Hinc Cæſarearum numerus in nummis antiquis. Quatuor vulgavimus, *in ære mediocri, pag.* 33. Cæſaream Hiſpanicam referentes, quibus decem alios diverſos II-Virorum nominibus ſignatos adjungere liceret. Sunt præterea multi in Cappadocia, Cilicia, Palæſtina, Ægypto, aliiſque provinciis Græcis percuſſi, hunc Sueton. locum maxime illuſtrantes.



Pag. 217. *Livia.*] Rariſſima ſunt ejus utut ab Auguſto unice ac perſeveranter dilectæ numiſmata. Superſedemus præclaro illi Græco in Regem Chriſtianiſſimum a nobis derivato, cæteriſque ex *ære mediocri* a nobis vulgatis. Unum nunc erit cunctorum loco, non minus titulo quam raritate ſuperbum. Inſcriptionem præterea adjunximus a Busbequio in Hiſpaniis notatam, deinde a curioſiſſimis Lipſio Gruteroque, *pag.* 234. tranſcriptam.

JULIÆ AUG.
DIVI F. MATRI
TI. CÆSARIS AUG.
PRINCIPIS ET CONSERVATORIS

ET DRUSI GERMANICI
M. CORNELIUS PROCULUS
PONTIFEX
CÆSARUM.



Pag. 222. *Caji Luciique.*] Filii erant Agrippæ & Juliæ, ab avo Auguſto adoptati. Hos ut Cæſares & orbis Dominos ſuſpiciebant populi, quos etiamnum juvenes omni honorum genere proſequuti ſunt. Averſas earum facies repræſentat Colonia Victrix Tarraco, ut & altera, quam etſi frequenter inſpectis ejuſdem nummis adipiſci nunquam licuit. adeo parum erant integri. Licuit modo iſta Duum-Virorum nomina, ſicut inſcripta ſunt, eruere. Poſteriores duos longe rariores duco. Cajum JULIA TRADUCTA Mauritaniæ urbs, *Tanger* vulgo dicta, uva racemi venerata eſt, qui circa Gades hinc & inde pretioſiſſimi ſaporis eſt. Ejuſdem nummum poſſideo PERMISSU CÆSARIS AUGUSTI alibi declarandum. *Coloniam factam a Claudio Imperatore*, TRADUCTAMQUE JULIAM *nominatam* docet Plinius, *libr.* 5.*cap.*1. Cujus errorem manifeſtum faciunt, cum hic Lucii nummus, tum & Auguſti, quorum temporibus JULIA TRADUCTA dicebatur. Potuit quidem ab Imperatore Claudio ampliari & ornari. Capricornus a Cæſareenſibus ſignatus eſt in honorem Lucii, celebre illud Auguſti thema natalitium innuens. Aliquid deeſſe ſuperioris nummi parti ſuſpicor.







Rele-

Pag. 222. *Relegatæ uſum vini.*] Julia Auguſti ex Scribonia filia uſque adeo probris contaminata fuit, ut nunquam vel inſtante Populo Rom. parentem Aug. mitigare potuerit, addito: *citius aquam mixtum iri, quam ſe illam in patriam reſtituturum:* de quo Appianus, *libr.* 55. In exſilio tandem miſera obiit, quamvis divinis honoribus prius culta videatur, ut docet rariſſimus hic nummulus, Liviam ut Junonem, Juliam ut Venerem celebrans.



Pag. 226. *Thallo a manu.*] Tallum membranæ ſcribunt: Thallum præfert Caſaubonus ex inſcriptione Thalluſæ libertæ. Controverſiam dirimunt tres antiquæ inſcriptiones a Grutero commemoratæ, *p.* 587. 595. & 599. Primam, quod ad Thallum ab Auctore noſtro nominatum pertinere videtur, huc tranſcribam.

THALLO
ABASCANTI
AUG. LIB.
AB EPISTULIS
LIB.

Pag. 238. *Nummos veteres regios ac peregrinos.*] Certum eſt non reperiri nummos antiquiores iis, qui a Græciæ Regibus percuſſi ſunt. De his enim potius quam de Romanis intelligendus hic locus mihi videtur. Sed qui eorum omnium, quos hodie tenemus, ſint antiquiſſimi, inter eruditos diſceptatur. Sunt qui Amyntæ Regis Macedonum numiſmatibus primum hunc vetuſtatis locum deferant; at opinionem hanc alia vetuſtiora, quæ noſtris oculis uſurpavimus, facile convellunt. Verum alia occaſione, commodior erit controverſiam hanc dirimendi locus.

Pag. 258. *Cujus argumentum & titulus eſt* SICILIA.] Sicilia tantum nacta laudum ſuarum præconem, ne ingrati animi notam incurreret, eundem nummis ſuis frequenter concelebravit, ut ex ſubjectis patet. Utramque fortunam in Sicilia expertus erat Auguſtus. bis claſſe victus naves in ejus oris perdidit: demum ea potitus eſt, devicto Sexto Pompejo.




Pag. 263. *Non dividit verba*, &c.] Quod ut olim Gallicæ linguæ coryphæus Balſacius in quodam opere ſuo imitatus eſt, ſic nos in noſtra Suetonii editione.


Pag. 274. *Apollinis filium exiſtimatum.*] His jungi poſſunt quæ dicta ſunt ſupra *cap.* 70. *Cœnam Auguſti ſecretiorem in fabulis fuiſſe, quæ vulgo* δωδεκάθεος *vocabatur; in qua Deorum Dearumque habitu diſcubuiſſe convivas, & ipſum pro Apolline ornatum*, &c.

Accla-

Acclamatum eſt poſtridie Cæſarem eſſe plane Apollinem. Quo referri poteſt quod ſcribit Auctor noſter, in Nerone, *cap.* 12. *Citharam a judicibus ad ſe delatam adoravit, ferrique ad Auguſti ſtatuam juſſit.* Hinc frequenter illum Apollinis habitu numiſmata repræſentant, & præcipue Actii: illius enim ope, ut ſibi perſuadebat, aliiſque perſuadere conabatur, ampliſſimam obtinuerat victoriam, qua orbis Dominus factus eſt: Tripolitanorum nummum vulgavimus inter *æreos*, *pag.* 44. in quo Auguſtus ſub effigie Apollinis ſignatus eſt appoſita coram cythara.



Pag. 274. *Cum fulmine.*] Oſtenti famam juviſſe atque ampliaſſe videtur Auguſtus, fulmine ſuæ faciei adjecto: ſic enim in antiquis nummis conſpicitur. Forte ad Julium Cæſarem Auguſti patrem refertur: illum enim, docente Dione lib. 44. Jovem fœde adulantes Senatores nominaverunt. *Δία τε αὐτὸν ἄντικρυς* ΙΟΥΛΙΟΝ *προσηγόρευσαν, καὶ ναὸν αὐτῷ τῇ ἐπιεικείᾳ αὐτοῦ τεμενισθῆναι ἔγνωσαν.* Hinc, *Jupiter in cœlis* CÆSAR *regit omnia terris.* Nimium forte vulgaris eſſet obſervatio, Reges fulminare dici, cum quid in alicujus perditionem moliuntur. Etſi Ovidius ſe toties ab Auguſti fulmine petitum queratur, & apud Virgilium legatur: *Cæſar ad altum Fulminat Euphratem.*



Pag. 274. *Infans adhuc.*] Solertiam Auctoris noſtri hæc indigitant quæ non modo ad hiſtoriam ſpectant, verum & ad religionem ſuperſtitionemque. Tot omina, tot ſomnia ſimplicitatem hominum, vel eruditiſſimis illis temporibus arguunt. Certe minutias Hiſtoriæ Auguſtæ, alioſque ſcriptores graviſſimos, tam Græcos, quam Latinos, conſectatos eſſe, mirandum eſt.


Pag. 277. *Nummumque argenteum nota ſideris Capricorni.*] Mirari ſatis nequeo, Suetonium de argenteo ſolum mentionem feciſſe, cum ejuſdem typi ſuppetant & aurei & ærei. Incuria ne id fecerit, an inſcitia, neſcio. Occurrerunt certe frequentes ex omni metallo adeo, ut

ut Suetonium, ab illis temporibus non adeo remotum, id latuiſſe, vix adducor ut credam. Eorum hæc ſunto exempla.



Pag. 294. CONSECRATIONEM Auguſti præter Auctorem noſtrum plures alii referunt, inter quos Dio *lib.* 56. ejus cærimonias prolixe ſcribit. Eamdem celebrant antiqui lapides a Grutero, *pag.* 228. commemorati, quibus frequenter inſcriptum eſt, DIVO AUGUSTO SACRUM. At nihil illuſtrius relictum eſt tot nummis ex omni metallo. Vulgatis æreis mediocribus, aureisque in aliud tempus rejectis, argenteos hic tradam, neque illos temporibus CONSECRATIONIS cuſos, ſed ab aliquo Imperatore reſtitutos, cujus nullæ ſcriptæ ſunt notæ: Gallienum feciſſe veriſimile eſt, cum & eodem metallo, argento ſcilicet æri permixto cuſi ſint, quam ipſius Gallieni nummi, quod *Billon* Galli dicunt. Plurimorum deinde Imperatorum Rom. CONSECRATIONES nummis pariter impreſſas vidimus, aquila ſemper vel ara deſignatas: quales ſuppetunt in muſæo noſtro, Veſpaſiani, Titi, Nervæ, Trajani, Hadriani, Antonini Pii, M. Aurelii, Commodi, atque


Severi. Non eſt dubium & alios exſtare, quos vidiſſe non contigit: mutato Imperat. nomine, omnes hiſce ſimiles ſunt.



Æ



Æ



CAROLI PATINI NOTÆ IN SUETONII TIBERIUM.




Pag. 304. R*egnum Armeniæ Tigrani reſtituit.*] Rarum habemus Tigranis nummum, qui cui tribuendus ſit, e multis cognominibus non ſatis conſtat. Hic quippe Tigranes, cui per Tiberium Armenia reſtituta eſt, diademaque pro tribunali impoſitum ab eodem Tiberio, paulo poſt accuſatus, interfectus eſt. De quo ſic Tacitus, *lib.* 6. *cap.* 40. *Ne Tigranes quidem Armenia quondam potitus ac tum reus nomine regio ſupplicia civium effugit.* Auctori noſtro conveniunt alia Taciti verba, *datus a Cæſare Armeniis Tigranes, deductuſque in regnum a Tiberio Nerone:* quo notanda venit celebris formula in nummo Imper. Veri ſcripta, REX ARMENIIS DATUS. Hunc tamen, quod obſcurum ejus imperium fuit, non opinor in nummo ſignatum, ſed Tigranem a Pompejo victum, cujus hæc eſt apud Plinium mentio, *lib.* 7. *cap.* 7. *Triumphi vero quem duxit* Pompejus Magnus *præfatio hæc fuit: Cum oram maritimam*

timam a prædonibus liberaſſet, & imperium maris populo Romano reſtituiſſet, ex Aſia, Ponto, Armenia, Paphlagonia, Cappadocia, Cilicia, Syria, Scythia, Judæis, Albanis, Iberia, inſula Creta, Baſternis, & ſuper hæc de regibus Mithridate atque Tigrane *triumphavit.* Tiaram falconibus ornatam, faſciamque egregie nummus exhibet: τὴν δὲ δὴ τιάραν τότε ἀνάδημα εἶχε, inquit Dio, *lib.* 36. quam a capite detractam ad pedes Pompeji ſupplicem abjeciſſe narrant Dio & Plutarchus, *in vita Pompeji & de fort. Alexandri.* Meſopotamiam ſæpe vidimus, qualis in hoc nummo repræſentatur pariterque urbem Antiochiam. Inſidet illa rupibus, Euphrate vel Tigri, ſub typo viri, medio corpore aquis immerſi ad pedes ejus quam alluit, jacente.





Pag. 313. *Triumphum ipſe diſtulit, mœſta civitate, clade Variana.*] Eodem capite narrat Suetonius, *propter res bene geſtas triumphum Tiberio decretum, multoſque & magnos honores.* Utrumque locum explicat hic nummus, currum triumphalem exhibens, ſed abſque triumphatore; quaſi mœſta civitas honorem triumphatori debitum denegare noluiſſet, triumphatore eundem ob mœſtitiam publicam recuſante. Sic & Dio refert, *libr.* 56. *triumphaſſe Tiberium anno* V. C. dcclxv. *delato ultra biennium triumpho.* Moram hanc egregie nummus confirmat, percuſſus quippe anno Tribuniciæ Poteſtatis xxxiix.



Pag. 330. *Raſcyporim Thracem.*] Etiam Thraciæ Reges ſuas effigies nummorum monumentis tradiderunt, ſic Seythem, Cotin, Rascyporim, in iis depi-

ctos videmus, quorum poſtremus duplici hoc nummo celebratur, qui & veram ejus nominis ὀρθογραφίαν demonſtrat, cum in MSS. codicibus ubique corrupta ſit.





Pag. 334. *Sigillis laſciviſſimarum picturarum & figurarum.*] De picturis taceo, quas periiſſe omnes veriſimile eſt: figuras in numiſmatibus æreis lampadibuſque fictilibus plurimas vidiſſe mihi contigit, ac illarum quidem triginta & octo, variæ ſchemæ. Longe plures olim confictas fuiſſe, non eſt cur dubitemus. Verum nec gemmæ ab impudicis hiſce figuris fuere immunes; cujus generis cum numiſmatibus antiquis inſcriptionibuſque ſatis magnum numerum ſuperiori ſæculo coegerat doctiſſimus pariter ac antiquitatis amantiſſimus Peireſcius, quem honoris cauſa nomino. Illæ hereditario jure ad nobilem quamdam matronam delapſæ, in ejuſdem manibus perierunt, ſuadente Viro non minus erudito & antiquitatis perito, quam nimio, ut videtur, & ſuperſtitioſo aut pudoris aut famæ conciliandæ ſtudio flagrante. Jacturam tantam nemo facile æſtimet, ſive gemmarum pretium ſpectes, ſive antiquæ ſculpturæ elegantiam.

Pag. 335. *Ceu papillæ admoveret.*] Hujus ne figuras ex me requiras, Lector curioſe; etſi non deſint in æreis nummis: tantum enim licentiæ moribus meis non tribuo. In illuſtri quodam cimeliarchio eburneum orbem vidi, nummum ſi velis, nuncupes, in quo impudentiſſimus, ut conjicio, Tiberius, ſupinus jacens, hæc quæ Suetonius narrat, perficit. Averſa parte crimen, ne ſolo ſchemate innoteſcat, characteribus fit manifeſtum: ſic enim legitur, VII. ΛΑΙΚΑΖΟΥΣΑ Ζ. Numeri a primo ad decimum octavum in variis ejuſmodi thematibus obſervavi, ultimo Cupidinem referente, quaſi ejus impulſu ceteri picti forent.

Pag. 338. *Ne provincias quidem ulla liberalitate ſublevavit, excepta Aſia, disjectis terræ motu civitatibus.*] En nummo confirmata Suetonii auctoritas. Tiberius in ſella curuli ſedet Jovis inſtar, poſt reſtitutionem quarundam civitatum terræ motu dejectarum. Plinius *libr.* 2. *cap.* 84. *Maxi-*



mus terræ, memoria mortalium, exſtitit motus, Tiberii Cæſaris principatu XII. urbibus Aſiæ una nocte proſtratis, inquit; in quo quidem numero conſentit Tacitus, *lib.* 2. *Annal. cap.* 47. Euſebius *in Chronicis*, tredecim everſas fuiſſe aſſerit, & Nicephorus, *libr.* 1. *cap.* 17. quindecim. Ad nummi illuſtrationem faciunt quæ docuit Auctor noſter, *cap.* 8. *Pro Laodicenis, Thyatirenis, Chiis terræ motu afflictis opemque implorantibus, Senatum* Tiberius *deprecatus eſt:* quem, veriſimile eſt, poſtea eis ſuccurriſſe. Factum hoc tanti facit amor ille Populi Rom. Titus, ut ejus memoriam renovare, atque in animos hominum, ſi forte excidiſſet, revocare non dubitaverit, eo quem edidit rariſſimo nummo, cum reſtitutionis nota, qui ideo hic depingi cum priori mereatur.

Pag. 338. *Druſo fratre.*] Plurimi nobis ſuppetunt optimi iſtius Principis nummi, ex omni metallo. Laudi hoc Germanorum dictum ſit, animi corporiſque viribus præſtantium, vix alia ex gente tantam gloriam captaſſe Romanos, ideoque quo majori quiſque Imperatorum ambitione ducebatur, eo lubentius de illis triumphaſſe. Quamvis ſatis conſtet, a nemine unquam penitus fuiſſe ſubactos; quin imo de populis nunquam viſis vel aditis non raro triumphaſſe Romanos. Hinc tot excitata tropæa, tot erecti arcus, tot acti DE GERMANIS triumphi, in quibus principem locum obtinent, quæ in honorem Druſi a Senatu Populoque decreta ſequentibus nummis argumentum præbuere; quorum duo priores a filio ejus Claudio Imperatore percuſſi ſunt; ſequentes duo a Tito; poſtremus a Domitiano: plures forte poſteritas conſecravit.



Pag. 340. *Naturalem Druſum.*] Id eſt, ex ſe genitum & Agrippina, non adoptivum; hominem impuriſſimum ſæviſſimumque, qui litteras virtutesque omnes ſummo odio proſequebatur. Veneno tandem ſublatus eſt a Livilla uxore exhibito, ut docet

Auctor noſter, *cap. 62.* Nummos ejus ex ære mediocri vulgavimus, *pag. 79.* aureus, quod ſciam, nullus exſtat; argenteus vero




iſte exquiſitæ raritatis cenſendus eſt, cum nullum alium præter hunc viderim.

Pag. 340. *Germanico.*] Nummos ejus habebis, cum ad Caligulæ vitam devenerimus *c.* 1.


Pag. 341. *Nurum Agrippinam.*] Hæc filia fuit Agrippæ & Juliæ Auguſti filiæ. Infelix ejus fatum eſt quod mireris: Julia mater miſere in exſilio periit; Germanicus maritus veneno; Nero major filius ſe ipſe peremit, exhibitis a carnifice laqueis; Druſus alter filius, fame; Cajus Imp. a conjuratis necatus; Agrippina, Julia, filiæ in exſilium actæ; hac demum a Claudio interempta, ipſa quoque, poſita pei inediam vita, miſeriarum finem fecit. Ejus nummos exponemus in Cajo, *cap.* 15. Urna marmorea etiamnum viſitur Romæ in area Capitolina, cum hac inſcriptione:

OSSA
AGRIPPINÆ M. AGRIPPÆ F.
DIVI AUG. NEPTIS UXORIS
GERMANICI CÆSARIS
MATRIS C. CÆSARIS AUG.
GERMANICI PRINCIPIS.

Pag. 342. *Neronem & Druſum.*] Ii erant filii majores optimorum infeliciumque conjugum, Germanici & Agrippinæ, quorum miſeram ſortem paullo poſt deſcribit Suetonius. Gaudent equis in nummo a Caligula eorum fratre, cum Cæſar Auguſtus eſſet, cuſo. Ubi non prætereunda', quam inſolitam præfert, generis denominatio; ſe enim non Tiberii filium, aut nepotem, prædicat, ſed DIVI AUGUSTI PRONEPOTEM, quo fortaſſis conjunctionem vitaret occiſorum, & ejus, cujus juſſu cædes illa fuit patrata.



Pag. 343. *Ælium Sejanum.*] Ejus faciem ne quæras in numiſmatis. nomen ab MUNICIPIO AUGUSTA BILBILI in Hiſpania ſcriptum eſt, in Tiberii nummo



rariſſi-

rariſſimo, cum ejuſdem quintum Conſulis eſſet collega, ut *cap.* 65. exponitur, anno ſcilicet ab V.C. DCCLXXXIII. *quo filius Dei* CHRISTUS *pro nobis ſeſe morte offerens crucifixus eſt*, ut ait Eutropius. Abunde de eo diximus in explicatione *nummorum ex ære mediocri*, *pag.* 69. De Sejano vide Juvenalem, *Sat.* 10.

Pag. 351. *Ne divulgaret infamiam.*] Ecce Tyrannorum mores, graviori pœna de leviori conquerentem afficiunt. Sed attendas eorumdem fato: quo plus cavent plerumque, eo minus præſtant. Niſi occiſus fuiſſet iſte Rhodienſis hoſpes, homicidium Suetonius non divulgaſſet, qui ea libertate XII. Cæſarum vitas conſcripſit, qua vixerunt. Sors illa probos improbosque manet.

CAROLI PATINI NOTÆ IN SUETONII CALIGULAM.



Pag. 367. GErmanicus.] Egregiis nummis ille fuit decoratus, ob res præclare geſtas, Cæſariſque dignitatem. Aureos argenteoſque & æreos *in Theſ. noſtro* vulgavimus, ſed longe plures ex *ære mediocri.* Ab ejus filio Cajo, fratreque Claudio Imperatoribus factis, multi fuere reſtituti, e quibus hic patris & filii faciebus inſignitus eſt.

Æ



Regum

Pag. 370. *Regum Regem.*] Sic Parthi ſuum Principem nuncupavere, quod etiam ex meis nummis Parthicis patet. Eos, ſi fata juvent, litterariæ Reipublicæ non denegabo. Rariſſimum unum Vologæſi in *Theſauro* pridem explicavi *p.* 209. quem dum reliqui ſequantur, hic locandum curavi. Vologæſus Parthorum Rex a Suetonio commemoratur in Nerone, *cap. ultimo*, qui *miſſis ad Senatum legatis de inſtauranda ſocietate, hoc etiam magnopere oravit, ut Neronis memoria coleretur.*



Æ



Pag. 371. *Agrippina, Druſilla, Julia.*] Illas vides ſub Dearum habitu Conſtantiæ, Pietatis, & Fortunæ. Typum ſimilem vidimus in auro & in ære parvo. De eo diſſeruimus in *nummis ex ære medioc. pag.* 91.



Æ



Pag. 379. *Alterum nepotem.*] Druſus Tiberii ex Livilla duos ſuſceperat gemellos, quorum alter, Gemellus, ut nomine ſic re, infans mortuus eſt, cui alter Tiberius, non longe fuit ſuperſtes. Hac de re ſic Auctor noſter, *in Tiber. cap.* 54. *Cum ex Germanico tres nepotes, Neronem, Druſum & Cajum, ex Druſo unum* TIBERIUM *haberet*, &c. Exſultavit ipſe Tiberius in Senatu, nullum priorem fuiſſe jactitans ex familia Cæſarum, qui præter ſuum Druſum duos filios gemellos procreaſſet. Geminos illos fratres exhibet hoc numiſma Cornibus-copiæ impoſitos, intermedio cadu-

caduceo; quo pax & abundantia, ab illis Principibus ſperata ſignificaretur. Moris ſemper fuit orientes Principes ſic venerari.



Pag. 381. *Carpentumque.*] Id cernitur in egregio numiſmate a Cajo, cum Auguſtus renuntiatus eſſet, cuſo; qui honores Juliæ Auguſti delatos videtur imitatus, eodem carpento donatæ. Id enim ſatis manifeſte innuunt ſequentia Auctoris noſtri verba: *Antoniæ aviæ, quidquid unquam Livia Auguſta honorum cepiſſet, uno Senatus-conſulto congeſſit.* Alterum ab optimo TITO RESTITUTUM eſt.



Pag. 383. *Ducenteſimam auctionum Italiæ remiſit.*] Video diſſentire Caſaubonum & malle *centeſimam* legere, cum ex uno MS. codice, tum ex Dione ſic ſcribente: τὸ τέλος τῆς ἑκατοστῆς κατέλυσε. Nummulus geminato CC. quid indicaret præter ducenteſimam, ut in nummo Galbæ R. XL. *Remiſſio quadrageſimarum* nullo refragante ſignificatur. Ducenteſimæ vectigal erat aurei ſemiſſis a Tiberio inſtitutum, quod ſublata primum centeſima, Cajus in totum remiſit.



Pag. 388. *Mileti Didymæum peragere deſtinaverat.*] Hunc locum mire illuſtrat nummus ille Græcus, quem inter *Æreos mediocres* explicavimus, *pag.* 94.



Pag. 391. *Aviæ Antoniæ.*] Ejus nummos exhibebimus in Claudii vita, *cap.* 3. quod ipſe eos cudi curarit, cum illa interim neglectui a Cajo haberetur, ut Auctoris noſtri verba arguunt: *Nec defunctæ ullum honorem habuit:* quamvis *Antoniæ aviæ quidquid unquam Livia Auguſta honorum cepiſſet, uno Senatus-conſulto congeſſiſſe*, ſcribat Auctor noſter. *In Cajo cap* 15.

Pag. 392. *Cum omnibus ſororibus ſuis.*] Agrippina, Druſilla, Julia, quarum conjunctim nummum ſupra expoſuimus.

Pag. 393. *Per numen Druſillæ.*] *Per numen* ſcribi debere, non *per nomen*, mirifice probant hi duo rariſſimi nummi, quibus Druſilla indigitatur Dea, addito inſuper JULIÆ DRUSILLÆ ſimulacro ejus atque Caligulæ filiæ: de qua ne γρῦ quidem apud Antiquos reperi. Videtur illud factum fuiſſe ad imitationem filii Germanici Agrippinæque, de quo ſic Auctor noſter in Caligula, *cap.* 7. *Puераſcentis rapti, inſigni feſtivitate, effigiem habitu Cupidinis in æde Capitolinæ Veneris Livia dedicavit. Auguſtus in cubiculo ſuo poſitum, quotieſcunque introiret, exoſculabatur.* Altera quidem ejus ex Cæſonia filia legitur, *c.* 25. quam huc referri non arbitror.




Pag. 395. *Ptolemæum Regis Jubæ filium.*] Juba Mauritaniæ Rex Pompejanarum partium a Julio Dictatore victus, filium habuit Jubam M. Antonii & Cleopatræ generum; quippe cui filiam ſuam Cleopatram, quam Selenam Suetonius aliique appellant, quaſi Lunam & Iſidem, in matrimonium collocaverint, ex quo conjugio natus eſt Ptole-

Ptolemæus a Caligula necatus, de quo vide infra *cap.* 35. Hunc cum patre & avo ex nummis antiquis hic producimus.



Pag. 405. *Statuam aut imaginem poni.*] Non immerito Senatus iſtius tyranni ſtatuas dejecit, nummoſque conflavit. Suæ interim in cives Romanos, eorumque imagines ſævitiæ & ipſe pœnas dedit, dum a ſuis confoſſus, atque etiam a poſteris diris omnibus devotus eſt, quæ ſors tyrannos omnes manet.

Pag. 428. *Sortes Antiatinæ.*] Duæ Fortunæ Antii colebantur, altera ſcilicet *Reducis* nomine, altera *Antiatinæ.* Utramque in nummo pictam vulgavit & explicavit Fulv. Urſinus, *in Familiis Rom.* præcipue ex Macrobio, *in Saturnal.* Apud Antium Fortunæ templum erat famoſiſſimum multo-



rum etiam Principum donis ornatum, unde civitas Fortunæ ipſius tutela dicta eſt, quam ſic alloquitur Horatius, *Ode* 25. *lib.* 1.

O Diva, gratum quæ regis Antium,
Præſens vel imo tollere de gradu
Mortale corpus, vel ſuperbos
Vertere funeribus triumphos.

Earum monumentum marmoreum viſitur etiamnum Antii, ut ſcribit Gruterus, *pag.* 72.

FORTUNIS ANTIATIBUS
M. ANTONIUS RUFUS AXIUS
DAMASCO S. D. D.


Caligulam Antii natum probat Auctor noſter, *cap.* 8. *Quod omnibus ſemper locis atque ſeceſſibus prælatum non aliter quam natale ſolum dilexerit.* Quare major erat fortaſſis ipſius erga Sortes Antiatinas religio.

Pag. 429. *Phœnicopteri ſanguine.*] Qualis ſit illa avis, non ſatis conſtat. Porro Plinius, *lib.* 10. *cap.* 48. ſcribit, *Phœnicopteri linguam præcipui ſaporis eſſe Apicius docuit, nepotum omnium altiſſimus gurges.* Raram illam admodum fuiſſe, nullum eſt dubium, cum præſertim Cajus *templum numini ſuo inſtituerit excogitatiſſimaſque hoſtias*, ac inter eas *Phœnicopteros*, ut ſupra *cap.* 22. dictum eſt.

Pag. 429. *Rex Macedonum Philippus*]

 Joſephi

Joſephi verba tranſcripſit Caſaubonus paulo diverſe ſentientis: Ὁμολογεῖται δὲ καὶ τὴν ἡμέραν ἐκείνην γενέσθαι, ἐν ᾗ Φιλίππον τὸν Ἀμύντȣ Μακεδόνων βασιλέα κτείνει Παυσανίας εἷς τῶν ἑταίρων, εἰς τὸ θέατρον εἰσιόντα. Fuit ille ut propria virtute, ſic filio Alexandro M. notiſſimus, quare duos ejus argenteos nummos prætermittere nefas ducerem.



Pag. 431. *Aliquo terrore.*] Vides territamenti ſpeciem, qua plus dæmon quam Deus indigitatur. Exſtant tamen inter meos nummi duo rariſſimi, quibus Cajus ſub habitu Jovis inter Plejades conſpicitur. Cave credas, illos poſt ejus mortem cuſos conſecrationem indicare, cum *illius omniumque Cæſarum memoriam abolendam, diruendaque templa quidam in ſenatu cenſuerint*; ut ſcribit Auctor noſter, *cap. ult.* Mallem eos referre ad hunc *capitis* 22. locum. *Quidam eum* LATIALEM JOVEM *conſalutaverunt. Templum etiam numini ſuo proprium & ſacerdotes & excogitatiſſimas hoſtias inſtituit. In templo ſimulacrum ſtabat aureum iconicum, &c.* quale forte nummis expreſſum eſt: quod Caji ſuperbiæ mire convenit.



CAROLI PATINI NOTÆ IN SUETONII CLAUDIUM.



Pag. 433. QUæ nunc adhuc DRUSINÆ vocantur.] Et adhuc hodie poſt XVI. ſæculorum decurſum; exſtantque non procul ab Ultrajecto nobiliſſima Bataviæ Urbe.

Pag. 435. *Marmoreum arcum cum tropæis.*] Ille eſt procul dubio, quem in nummis conſpicuum exhibuimus ſupra.

Ibidem. *Germanici cognomen.*] Illud quoque perpetuo legitur in nummis noſtris ex omni metallo.

Pag. 437. *Mater Antonia.*] Ecce ejus nummi ex argento. Sponte omiſimus quem inter æreos mediocres vulgavimus ſupra, ubi præclara ex antiquis Auctoribus de ea tranſcripſimus. Nummos ejus ex ære magno nuſquam vidimus.



Pag. 445. *Receptus intra vallum.*] Duos hic habes egregios nummos, quibus Claudium in caſtra RECEPTUM, a PRÆTORIANIS IMPERATOREM conſalutatum

lutatum manifeſtum eſt, promiſſis ſingulis, quinadenis ſeſtertiis. Primus quidem caſtra refert non modo ut militum manſionem, verum & arcem validiſſimam contra populi impetum. Alter prætorianum exhibet dextra data fidem ſuam erga Claudium obſtringentem. De quo Dio, Joſephus, *Antiquit. lib.* 19. & alii.



Pag. 445. *Avia Liviæ divinos honores & Circenſi pompa currum elephantorum Auguſtino ſimilem decernendum curavit.*] Currus iſte Auguſto decretus in hoc nummo cernitur. De quo obiter dicam, illuſtrem Suetonii commentatorem (Torrentium) exiſtimaſſe, elephantis impoſitos fuiſſe juvenes triumphi participes, ſcilicet triumphatoris filios aut nepotes. Certe non niſi belluarum rectores ipſi ſunt. Carpentum autem erat lecticæ ſpecies majoris artificii quam currus, qui Græcis ὄχημα : Rheda quatuor habebat rotas, ideoque dicebatur τετράκυκλον & ὀχημάτιον.



Pag. 446. *Matri carpentum.*] Ea fuit M. Antonii III-Viri R. P. C. & Octaviæ Auguſti ſororis filia, Antonia minor dicta, uxor Druſi, mater Germanici, Livillæ & Claudii Imper. *Fœmina laudibus virilem familiæ ſuæ claritatem ſupergreſſa*, inquit Val. Maximus, *lib.* 4. *cap.* 3. Vide nummos ejus ſupra. Carpentum ejus a Suetonio celebratum in nummis quos viderim non comparuit, etſi Claudium perpetuo celebrent, ut honorum auctorem. Sic enim inſcriptus eſt illæ Antoniæ nummus inter æreos noſtros ſcalptus *pag.* 81. TI. CLAUDIUS CÆSAR AUG. P. M. TR. P. IMP.

Pag. 446. *Ad fratris memoriam.*] Scilicet


cet Germanici, cujus uxorem Agrippinam ita dilexit, ut præter nummos, ſuperius ſcalptos, hunc etiam inſcripto ſuo nomine dicaverit.



Pag. 454. *Triumphavitque maximo apparatu.*] Huic rei illuſtre teſtimonium perhibent hi nummi. Triumphus ille incidit in annum V.C. DCCXCVI. eumque his verbis deſcribit Dio: *Senatus rebus cognitis* BRITANNICI *cognomentum & triumphum, ludos annuos, arcum tropæa ferentem in Urbe, aliumque in Gallia, unde in Britanniam trajecerat; filio idem cognomen, ut, quaſi proprio ſuo nomine,* BRITANNICUS *diceretur; Meſſalinæ primum in conſeſſu locum, ut Liviæ quondam, utque carpento veheretur, decrevit.* Eo referuntur Victoria orbem calcans ſcilicet Britannicum, Arcusque ille magnificus cum inſcriptione, DE BRITANNIS.



Pag. 457. *Claudiæ aquæ*] Hanc celebrat nummus maximæ formæ, pridem in *Theſauro* noſtro vulgatus: quem quidem aliquibus in hoc ſtudii genere non infeliciter



ver-

verſatis de novitate ſuſpectum eſſe non ignoro, ob inſolitam neque uſitatam nummis aliis verborum, imo linearum ſeriem; hæcque omnia ex marmore antiquo transſcripta credunt, totidem pene verbis rem eandem enarrante, quod jam dudum doctiſſimi viri Caſaubonus & Gruterus, *pag.* 176. recenſuere.

Pag. 470. *Templum in Sicilia Veneris Erycinæ.*] Id expreſſum eſt in denariis gentis CONSIDIÆ, uti videre eſt in *Famil. Roman. pag.* 80.

Pag. 471. *Porca cæſa.*] Cerimoniam iſtam exprimunt nummi gentis VETURIÆ, quam ex Livio, *lib.* 1. tranſcripſit & illuſtravit Fulv. Urſinus, *in Famil. Roman. pag.* 290. Occurrit ea iterum in exquiſitæ raritatis ac integritatis nummo muſæi Eraſmiani atque Amerbachiani, quod nuper in inclytæ Academiæ Baſilienſis bibliothecam, cum nummis aliis & picturis elegantiſſimis tranſiit. Illius typum inſpicere non pœnitebit. A ritu hoc ſacro, quo fecialis porcam ſaxo feriebat his verbis: *Qui prior populus fœdus rumpet, Jupiter eum ita feriet, uti ego porcam lapide;* dimanavit illud adagium, quo etiam Plautus utitur: *Inter ſacrum & ſaxum.* Cui convenit illud Origenis: Μεταξὺ τȣ̃ ἄκμονος καὶ σφύρας: *inter incudem & malleum.* DE FOEDERE P. R. CUM SABINIS alias.



Pag. 471. *Valeriam Meſſalinam.*] Viri & uxoris nummos conſpicias, Latine Græceque inſcriptos, quos nuper explicavimus inter noſtros æreos mediocris formæ, *pag.* 106. Repugnat quidem Dio nummorum auctoritati, dum ait, *lib.* 60. *Neque Britannico* AUGUSTI, *neque Meſſalinæ* AUGUSTÆ *nomen dari paſſum fuiſſe Claudium.* Verum mutabilem eum admodum fuiſſe, qui noverit, totumque ab uxoris & libertorum arbitrio pependiſſe, nec eum a priori propoſito receſſiſſe mirabitur: quare hoc ipſum nummorum fidei per me nihil detrahet.



Pag. 472. *Illecebris Agrippinæ.*] Hæc fuit Neronis mater, cujus raros aliquot nummos ex ære mediocri explicavimus. Uxores in nummis partes areæ nobiliores occupare, contra morem eſt: Agrippina in hoc primo dextram occupat, Claudio in ſiniſtra conſtituto. Rara eſt inſcriptio ſecundi, cum ΓΥΝΗ nomen a me nunquam in aliis num-

nummis lectum fuerit: Pater vero & Mater & Soror in iis compareant. Agrippinæ nummos alios vide infra *in Nerone, cap. 9.*



Pag. 473. *Ex Petina Antoniam, ex Meſſalina Octaviam & Britannicum.*] Hos tres Claudii liberos refert nummus hic rariſſimus a Colonia Auguſta Aroe Patrensi cuſus. Eminebat profecto in collectione illa Lomeniana, quam Regis Chriſtianiſſimi nomine a me petitam, lubens tanti Principis erudito theſauro conceſſi.



Pag. 487. *Novas etiam commentus eſt litteras tres.*] Idem adſtruit Tacit. *XI. Annal.* De his eleganter ſcripſit Illuſtr. Seguinus ad calcem libri *de Selectis Numiſmatis*, addito nummo, Ⅎ digamma, victoriam Britannicam exprimente. Quæ ſint tres illæ litteræ a Claudio inventæ, vel potius, ut videtur, ex Græco in Latinum uſum traductæ, cum non uſque adeo inter Criticos conſtet, meum non eſt, Neſtorem agere. Digamma interim Æolicum, quo V conſonans ſignatur, extra dubium; quippe cui nummus facit fidem. De reliquis duabus altum apud Veteres ſilentium, ut vix crepuſculum illuceſcat. Conjicit tamen Cl. Voſſius *l. I. c. XXIV. de re Grammat.* ſecundam eſſe antiſigma Ↄ, tertiam ſive X, ſive Θ, potius, quam J. Lipſii Φ. Sed hæc non ſunt noſtri fori.



Pag. 489. *Britannicum.*] En ejus nummi rariſſimi, illis temporibus cuſi: Primum vulgavit & perdocte interpretatus eſt Illuſtr. Seguinus, *in Selectis Numiſm.* Alter paullo poſt ſignatus eſt, anno V. C. DCCC. cum Nero a Claudio Imp. adoptatus eſt.





Pag. 490. *In numerum Deorum relatus.*] Confirmantibus nummis. En duo ad hanc rem rariſſimi. Illuſtrantur his Auctoris noſtri verbis, in Nerone, *cap.* 9. *Claudium apparatiſſimo funere elatum laudavit conſecravitque* Nero; quare obſcura ſunt hæc ſequentia verba; *cap.* 45. *Quem honorem a Nerone deſtitutum abolitumque, recepit mox per Veſpaſianum.* ut & illa, *cap.* 33. *buſtum ejus conſepiri niſi humili levique materia, neglexit.* Quin & Trajanus ſuam erga Claudium venerationem teſtari voluit peculiaribus ſuis ſolennibusque notis, poſtremo nummo additis, ex Regis Chriſtianiſſimi gaza. Utinam & ceterorum pretioſiſſimorum ſcalptura brevi fruatur, cujus ſpes mihi facta eſt, Reſpublica litteraria.



Opportune occurrunt duo Claudii nummi ex ære magno, qui vacuam hanc paginam occupent. Primum ex divite ſuo penu ſuppeditavit Illuſtriſſ. Comes de Lazara, ſpectabilem certe ſua mole, cum eundem typum in ære minimo frequentem eſſe no-

noverimus. Manus illa ſtateræ lances ex æquo ſuſtinens, quin ad monetæ leges ordinationemque revocetur, non dubitamus. Characteres illud ipſum confirmare videntur, quibus, ut conjicimus, Claudius Imperator *Pecuniam Noſtram Reſtitutam* ſignificat. Alter Deam Spem refert, ab IMPERATORE TITO VESPASIANO AUGUSTO RESTITUTAM: Cujus cum Claudio neceſſitudinem explicavimus inter nummos noſtros mediocres, *pag.* 108.



CAROLI PATINI NOTÆ IN SUETONII NERONEM.




Pag. 499. D*Eprehenſis in lecto ejus circum cervicalia ſerpentis exuviis.*] De quo ita gloriatus eſt Nero, ut eundem ſerpentem quaſi majeſtatis indicem portentumque ſibi in ornamentum duxerit, nummoque Latino inſculpi curaverit. Id videtur expreſſiſſe civitas Græca, nullo quidem

dem appoſito nomine, verum addito divinæ potentiæ ſymbolo, aquila fulguri innixa. Uterque penes me eſt.





Pag. 499. *Populo congiarium.*] Expreſſum in nummis antiquis CONGIARIUM non cernitur ante Neronis tempora; diceba-



turque *congiarium quo populus*, *donativum quo milites donabantur :* inquit Seneca, *lib. 4. de benef.* Quod quidem expreſſis verbis Auctor noſter ſcribit, *populo congiarium*, *militi donativum propoſuit.* Uberius illud explicat Tacitus, *lib.* 23. *Plebei congiarium quadringeni nummi viritim dati*, *&* *ſeſtertium quadringenties ærario illatum eſt*, *ad retinendam populi fidem.* Quo refertur CONGIARIUM II. in nummo expreſſum. Promiſcue deinde cum liberalitate & largitione confuſum eſt. A congio nomen habuit, *menſura rerum liquidarum*, apud Quintilianum, vini præcipue mellis & olei : poſtea & pecuniæ granove continendo uſui fuit. Antiquum hoc congiarii ſignum ex ære refert Gruterus, *pag.* 223. apud Card. Cæſium.


Pag. 500. *Pro Rhodiis verba fecit.*] Superbum poſſideo Neronis nummum radiis & laurea inſignitum, quibus tum ut Imperator, tum ut Sol a Rhodiis celebraretur. En illum pridem *in Theſauro noſtro*, *pag.* 145. vulgatum.




Opti-

Pag. 501. *Optimam matrem.*] Iis temporibus cuſi videntur hi nummi rariſſimi in honorem Agrippinæ. Primus quidem Veneris triumphum exhibere videtur, *Quem vehit immanis Triton & cœrula concha.* decet is ocellum Græciæ CORINTHUM, puellarum ſuarum forma opibusque nobiliſſimam. Alter APAMEÆ percuſſus eſt ab PHRYGIÆ COMMUNITATE. *Apamea cognomento Cibotus maxima Phrygiarum urbium*, inquit Strabo, *lib.* 12. De ea alibi diximus.





Pag. 505. *Inſtituit & quinquennale certamen.*] In cujus memoriam percuſſus eſt æreus nummulus ita deſcriptus, CERTAMEN QUINQUENNALE ROMÆ CONSTI-



TUTUM. *Quinquennalis certaminis gymnici*, præter muſicum & equeſtre mentionem fecerat Auctor noſter, *in Aug cap.* 98. Et Tacitus, *lib.* 14. *Annal.* his verbis: *Cornelio Coſſo Cos. quinquennale ludicrum Romæ inſtitutum eſt, ad morem Græci certaminis, varia fama ut cuncta fere nova.* Hujus typum facit menſa egregia, ſuper qua urceus & corona.

Pag. 507. *Janum geminum clauſit.*] Ejus templi ſive aditus figuram, non enim ex reliquiis conſtat, quid fuerit, Numiſmata ſervant antiqua, aurea & ærea omnis magnitudinis, quæ Muſæum noſtrum decorant. Ecce majoris unum, quem habeo integerrimum. De Jani templo fuſe ſcripſimus, *pag.* 113. *de nummis ex ære med.* Ubi, quoties & a quibus fuerit clauſum, expoſuimus.



Pag. 509. CHRISTIANI *genus hominum ſuperſtitionis novæ ac maleficæ.*] Impietati id tribuas aut populorum cæcitati, qui Lumen de Lumine non cognoverunt, recte con-

conjeceris verba Suetonii pro more illorum temporum. Poteſt ille probari hac inſcriptione a Grutero, *pag.* 238. vulgata.

NERONI CL. CÆS.
AUG. PONT. MAX.
OB PROVINC. LATRONIB.
ET HIS QUI NOVAM
GENERI HUM. SUPER-
STITION. INCULCAB.
PURGATAM.

Pag. 512. *Ponti regnum concedente Polemone.*] Binos habemus nummos Polemonis Ponti regis, illius, cujus Auctor noſter verba facit, patrem. Is enim quod a M. Antonii partibus ſteterat, minore Armenia donatus eſt, ut recenſet Dio, *lib.* 49. An. V. C. DCCXXI. Superato Antonio, POLEMO *rex Ponti in ſocios ac fœderatos P. R. adſcriptus eſt, ac prima ſubſellia in theatris per totum ejus regnum Senatoribus conceſſa*, Dio, *lib.* 54. Eidem & *Boſpori regnum ab Agrippa traditum eſſe ob rem bene geſtam*, An. V. C. DCCXL. ſubjungit idem Dio, *lib.* 59. *Cujus filio paternum imperium ex S. C. Cajus tradidit*, Καὶ ΠΟΛΕΜΩΝΙ τῷ τοῦ ΠΟΛΕΜΩΝΟΣ υἱῷ τὴν πατρῴαν ἀρχὴν, ψηχισαμένης δὴ τῆς βουλῆς, ἐχαρίσατο. An. V.C. DCCXCI. Ei a Claudio *pro Boſpori regno Mithridati tradito, partem Ciliciæ oblatam*, An. V. C. DCCXCIV. ſcribit Dio. Hunc opinor Ponti regnum Neroni conceſſiſſe. Utrumque nummum mire illuſtrat hicce Strabonis locus, *lib.* 12. *Zenonis rhetoris filius* POLEMO, *qui ob res præclare geſtas regno donatus eſt, primum ab* ANTONIO, *deinde a* CÆSARE AUGUSTO. His conveniunt characteres ΕΤΟΥΣ ΚΓ. annum imp. Auguſti XXIII. indicantes, quo jam Polemo rex erat aſſertus, ſcilicet An. V. C. DCCXXX.





Pag. 513. *In Achaïa iſthmum perfodere aggreſus.*] Quibus temporibus veriſimile eſt hos nummos cuſos fuiſſe, quorum tres priores reſtaurata ab integrioribus inſcriptione



mutila,

mutila, vulgavimus inter *æreos noſtros mediocres, pag.* 116. Quartum cudit Colonia Auguſta Aroe Patrensis, in qua Legio XXII. commorabatur: ſervat etiamnum nomen : *Patras* enim vulgo dicitur, memorabili Turcarum clade Venetorumque fortitudine & victoria celebris.

Pag. 522. *Aurigavit quoque plurifariam.*] Hinc arbitror nummos ſignatos præcipue, quos *Contourniatos*, ab includente circulo vocant, quibus veſanus ille Imperator quadrigam regit. Illuſtrantur hiſce *cap.* 53. verbis : *Deſtinaverat etiam qui Apollinem cantu, Solem aurigando æquiparare exiſtimaretur, imitari & Herculis facta.*

Æ

Æ

Æ


Pag. 523. *Provinciam univerſam libertate donavit.*] In cujus quidem beneficii gratam recordationem cuſi videntur hi duo nummi Alludit quidem alterius epigraphe ad Solis ἐπίθετον in Obeliſco maximo ſcriptum, quem Conſtantinus M. transferri Romam juſſit : inſcribitur ille *Conditor univerſi* ΚΤΙΣΤΗΣ ΤΗΣ ΟΙΚΟΥΜΕΝΗΣ, de quo Amm. Marcel. *lib.* 17. Alter raritate & elegantia inſignis eſt.




Æ


Æ


Pag. 525. *Statuas ſuas citharœdico habitu, qua nota etiam nummum percuſſit.*] Suetonii ſolertiam manifeſtam facit nummorum copia id ipſum deſignantium. Suppetunt iſtius argumenti ex auro, argento, & ære, cujus rei mentionem fecimus inter *æreos mediocres, pag.* 118. De illo habitu ſic Apulejus, *lib.* 2. *Florid.* & Cornificius *lib.* 4. *ad Herennium : Uti citharœdus cum prodierit optime veſtitus, palla inaurata indutus, cum chlamyde purpurea coloribus variis intertexta & cum corona aurea magnis fulgentibusque gemmis ornata.* Certe illum geſtabat Nero ad imitationem Apollinis qui (ut ait Propertius) *in longa carmina veſte ſonat.* Docet Auctor noſter, *cap.* 12. *Citha-*

Citharam a judicibus ad ſe delatam adoraſſe, ferrique ad Auguſti ſtatuam juſſiſſe. Hanc videtur manibus geſtare in hiſce nummis.






Pag. 535. *Dido Regina.*] Carthaginis almæ fundatrix, ob idque inter Heroidas numerata. Famam ipſi maximam conciliavit Poetarum Latinorum princeps, *Æneid. lib.* 4. Qui inſano Æneæ amore detentam, ubi Æneam Italiam claſſe petere comperiſſet, mortem ſibi conſciviſſe, mirabili quadam ſuavitate canit. Cave tamen, tanto vati credas, lacrymaſque ob hanc necem fundas, cum Carthago nonniſi ſeptuageſimo poſt Romam conditam anno exſtructa ſit; Æneasque trecentis prius annis Albæ regnaverit. Cave iterum, ne Didonis, qui circumfertur nummum pro antiquo habeas: figmentum eſt eruditi ſcalptoris Itali, ſatis ex inſcriptione manifeſtum.



Pag. 540. *Uxorem Octaviam.*] Hæc erat Claudii Meſſallinæque filia, ut eventus docuit, infeliciſſima. Superbum ejus nummum explicavimus inter *æreos mediocres*, *pag.* 114. Quo Nero ſe Solem, Octavia Lunam indigitant: quaſi parum illis fuiſſet primos eſſe inter homines, niſi ſe cœleſtes ceteris ſignificarent.



Pag. 540. *Statiliam Meſſalinam.*] Duplicem habemus in nummis Meſſalinam; Valeriam unam, Claudii uxorem, cujus nummos ex *ære mediocri* vulgavimus, *pag.* 106. Alteram Statiliam dicunt in hoc nummo ſignatam, quod mihi optarem uberius probatum. Conjecturas noſtras commodiori loco exponemus. Eodem ſpectat, quod docet de hac Meſſalina Auctor noſter *in Othone*, *cap.* 10.




Pag. 540. *Poppæam Sabinam.*] Quatuor ejus nummos ex ære vulgavimus ſupra, quibus & alios, data occaſione, ſuperaddemus. In eorum anteceſſum unum hic habebis a Perinthiis ut arbitror cuſum, fœcunditatem ejus optantibus flore ſpicisque deſignatum. Poppæam valde laudat Joſephus, *piamque* nominat, quod forte pro ſacerdotibus Judæis abſolutionem impetraverit, multaque munera ipſe reportaverit. Ejus hæc ſunt verba, *Antiq. Judaic. lib.* 20. *c.* 7. Τῇ γυναικὶ ΠΟΠΠΑΙΑ, θεοσεβὴς γὰρ ἦν, ὑπὲρ τῶν Ἰȣδαίων χαριζόμενος. Hinc Joſephi erga Neronem Poppæamque propenſio, quam *de vita ſua* manifeſtam exhibuit. Tacit. *lib.* 13. *Annal.* aliter de illa ſcribit. ejus ſunt hæc verba: *Huic mulieri cuncta alia fuere præter honeſtum animum.*




Pag. 540. *Claudiam Auguſtam.*] Perrarum hujus Claudiæ nummulum reperi, in quo Fortunæ habitu ſe populis adorandam præbet. Duplicem hujus typi rationem eſſe opinor. Ea ut Fortuna Romana a veſano patre cenſebatur; deinde in Antio colonia nata erat, ſic ſcribente Tacito, *lib.* 15. *Annal.* cujus numen ſolemne, Fortuna. Pars averſa templum exhibet POPPÆÆ dicatum. Illi quidem erectum fuiſſe in inſula Lesbo narrat Dio, *in fragmento* his verbis: Καὶ τὸ τὰς Σαβίνας ἡρῶον ἐκποιηθὲν, καὶ, ὅτι Σαβίνη αὐτὸ Θεᾷ Ἀφροδίτῃ αἱ γυναῖκες. Hoc eſt: *Templum* POPPÆÆ SABINÆ *abſolutum*, *multiſque donariis ornatum dedicavit*, *& templo hæc inſcripſit*, SABINÆ DEÆ VENERI MATRONÆ POSUERUNT. Inſcriptio porro Latina aliud quam Lesbianum indicat, quare & alibi exſtructum etiam fuiſſe certum eſt. *Decretum*, inquit Tacit. *l.* 15. *ut Fortunarum effigies*

aureæ in ſolio Capitolino Jovis collocarentur. Et paulo poſt: *Honorem Divæ & pulvinar ædemque & ſacerdotem.*



Pag. 547. *Armeniaque amiſſa ac rurſus recuperata.*] De quo ita Nero gloriatus erat, ut nummum argenteum cudi curaverit, in quo Victoria more ſolito palmam coronamque gerit, addito ſuo cognomine. ARMENICA Neronis nuncupatur, quemadmodum GERMANICA Domitiani, DACICA Trajani, PARTHICA M. Aurelii & Veri, BRITANNICA Commodi & Caracallæ, PARTHICA, BRITANNICA & MAXIMA Severi & Caracallæ, PARTHICA Macrini, CARPICA Philippi, SARMATICA Maximiniani & Conſtantii junioris, GOTHICA Conſtantini & aliorum.



Pag. 547. *Organa hydraulica.*] Illorum figuram habes in hoc gemino nummo. Organarii ſeu ὑδραῦλαι videntur illi duo viri machinam, aquæ pondere modulas efficiente, regentes, cum, quæ antiquioribus in uſu fuerant, aëre inflarentur: hinc πνευματικὰ ſeu ἐμπνευστὰ organa hydraulicis oppoſita. Ad hoc refertur quod *cap.* 54. ſcriptum eſt: *Sub exitu quidem vitæ palam voverat, ſi ſibi incolumis ſtatus permanſiſſet, proditurum ſe partæ victoriæ ludis etiam & choraulam & utricularium, ac noviſſimo die hiſtrionem, ſaltaturumque Virgilii Turnum.* Nero quippe, ſua confeſſione magnus erat artifex. conſentit ita Dio Chryſoſtom. *Orat.* 70. *Ferunt illum fingendi pingendique gnarum fuiſſe, canendique ore tibias, ſubjicientem axillis utrem, ut effugeret id turpe, quod Minerva deteſtata eſt.* Φασὶ δὲ καὶ γράφειν καὶ τλ. Horum organorum hydraulicorum ſtructuram docent Vitruvius *lib.* 10. *c.* 12. & Athenæus *lib.* 4. quæ nobis in ſolius Neronis nummis ſupereſt, iiſque ex eorum genere quos *Contourniatos* vulgo vocant.



A Phi-

Pag. 557. *A Philoſophia eum mater avertit.*] Pœnas ipſa dedit ſuæ averſionis: neque enim a philoſopho manſueto interempta fuiſſet. recte enim Horatius: *Didiciſſe fideliter artes, emollit mores, nec ſinit eſſe feros.* Inſanit ergo mater. Quanto verius & ſapientius Plato adſerebat, tum demum beatas fore Reſpublicas, cum aut Philoſophi imperitarent, aut Reges philoſophati fuerint.

Pag. 559. *Icunculam puellarem.*] Multa ad hanc rem diſſeruit ſummus Caſaubonus, quibus & nummum ipſius Neronis ſubjungere operæ pretium duxi, puellari icuncula ſignatum. *Bullas* Romani infantium collis appendebant *adverſus invidiam valentiſſimas*, inquit Macrobius, *Saturn. lib.* 1. *cap.* 6. *Laminas ſicut remedia venenatorum colubrorum morſibus*, commemorat Arnobius, *lib.* 2. Cur non etiam & nummos, cum hæc omnia inter remedia magica, quæ φυσικὰ nominat Alex. Trallianus, amuletorum nomine comprehendantur. Quin & medicis ultro objiciuntur Imperatorum Conſtantinopolitanorum imagines in nummis expreſſæ, quas adverſus Epilepſiam valere non ipſi modo Chriſtiani prædicant, verum & κακοσεβεῖς Turcæ, quas Sanctas Helenas, ob Conſtantini M. matris pietatem, nominant. Emunctæ naris homines quid hæc juvant? ſoli rerum diſpenſatrici Naturæ, non vanis & inanibus imaginibus, Dei O. M. beneficium tribuentes. Nummum egregium Neronis hic habes ab utraque parte ſculpti: inſcriptionem mutilam lubens ex integriori in deliciarum noſtrarum ornamentum reſtituerem, illum forte tempus ſuppeditabit.



Pag. 560. *Vologeſus Parthorum rex.*] Vide ejus nummum in ſuperioribus, ejuſque explicationem in *Theſauro noſtro*, *pag.* 209.

CAROLI PATINI
NOTÆ
IN SUETONII
GALBAM.



Pag. 563. P*Rogenies Cæſarum in Nerone defecit.*] Id quod ex genealogia Cæſarum manifeſtum eſt: quam ex nummis, marmoribus, ſcriptiſque antiquis, qua potuit fieri diligentia, collectam vitæ Julii præfiximus.


Pag. 565. *Familia.*] Plurimos habemus nummos SULPICIÆ gentis, in *Fam. Rom.* euſos, diligentiſſimi Urſini cura perdocte explicatos.

Pag. 566. *Neptem Catuli, proneptem L. Mummii.*] Catuli nummum expoſuimus ſupra. Mummius ille, *cui cognomen ACHAICI victoria dedit, Urbem ſignis replevit*, ut Plinii verbis utar *lib. 34. cap. 7. tabuliſque externis auctoritatem Romæ publice fecit primus. lib. 3. cap. 4. Namque cum præda vendenda rex Attalus VI M. ſeſtertiûm emiſſet Ariſtidis tabulam, Liberum patrem continentem, pretium miratus, ſuſpicatuſque aliquid in ea virtutis quod ipſe neſciret, revocavit tabulam, Attalo multum querente, & in Cereris delubro poſuit, quam primam arbitror picturam externam Romæ publicatam.*

Pag. 569. *Obſervavit ante omnes Liviam Auguſtam.*] Sive propter cognationem, qua ei junctus erat, teſte Plutarcho: ſive propter opes ſibi ab illa legatas, ut ſubjungit Suetonius, omnis generis nummos ei dicavit, ſub habitu Deæ, hac inſcriptione, DIVA AUGUSTA, nobiliore ſcilicet, quam aut LIVIA aut JULIA.


Pag. 573. *Humano generi aſſertorem.*] Solemnis erat hæc formula eruditis illis temporibus. Occurrit illa in nummis Auguſti argenteis & æreis quos vidi. Aureos inſuper ſcalpſit Goltzius typo ſuperbiſſimos, in primo Trium-Viri R. P. C. adſtant aræ ſacrificantes, Pace Dea infra cubante. In altero tres dexteræ junctæ faſcibus caduceoque interpoſitis, concordiam univerſam, pacemque demonſtrant. Utrique inſcriptum, SALUS GE-

GENERIS HUMANI. Eandem epigraphen ſuis in nummis arrogavit Galba, ſublato videlicet Nerone, humani generis peſte atrociſſima, cum Deæ Salutis typo.



Pag. 573. *Sacerdos Jovis Cluniæ.*] Clunia a Galba *Sulpicia* dicta, oppidum eſt Hiſpaniæ, de quo Plinius, *lib.* 3. *cap* 3. & Plutarchus, *in Galba.* Celebratur illa in perraro nummo, quem imitatus eſt ſuo more Jo. Cavinus Patavinus, cum quadraginta aliis, quorum ectypos, matrices vocant, penes me Pariſiis fuerunt.

Pag. 575. *In Africa Clodio Macro.*] Optarem avide nullum antiquitatis τεκμήριον deſiderari ejus nummo pridem vulgato inter *meos æreos*, *pag.* 124. confirmandæ enim hiſtoriæ nobis non ſatis notæ lucem adferret, & ſi præter Auctorem noſtrum de eo ſcripſerint Plutarchus, *in Galba*, & Tacitus, *lib.* 17. & 18. Clodius ille Macer tunc temporis Africæ præſes audita Neronis nece, regionem totam turbavit, cohorteſque delegit, ſunt enim Taciti verba, *hiſt. lib.* 2. quarum ope ſe imperio potiturum ſperabat. Legionem etiam contraxiſſe, quam ſuo nomine donaverit, probat denarius ille rariſſimus, ad imitationem legionum, Antonio III-Viro parentium, cuſus. LEGIONIS Primæ MACRIANÆ LIBERÆ ſeu LIBERATRICIS, forte nomen induit, quod jugum Neronis excuſſerit. Conjecturam firmat Libertas Dea pileum tenens, temporibus illis maxime conveniens: Quippe quibus *plebs pileata tota Urbe diſcurrebat*, ut Auctor refert in extremo Nerone. Hanc ob cauſam etiam Galbam Libertate nummos ſignaſſe videmus, tanti ab Imp. Trajano æſtimatos, ut & nomine ſuo & reſtitutionis nota eos inſigniri juſſerit. Ad illuſtrandum MACRI nummum faciunt ſuperſtites celeberrimi Occonis Auguſt. ad Illuſtr. Amerbachium Baſil. epiſtolæ MS. in quibus hæc legi, in muſæo Feſchiano: *Macri meum nummum mittam, de quo Fulvius aliud nihil, niſi quod putet non eſſe legitimum, cum tamen omnino γνήσιος ſit, ut nemo dubitet.* Eruditam Amerbachii reſponſionem, ne prolixior videar, mittere cogor.






Pag. 575. *Hiſpaniarum Galliarumque.*] Hæ provinciæ multos nummos in honorem Galbæ cuderunt, in ſpem optimi Principis, exſtincto peſſimo. Utinam hodie atque in æter-

ternum, ita ex voto bonorum omnium convenirent. De Gallia Hiſpaniaque dixi in *Theſ. pag.* 55. Tres unus Gallias repræſentat, Belgicam, Celticam & Aquitanicam, quibus Galbæ temporibus Gallia tota comprehendebatur.




Pag. 579. *Vectigalia.*] Unius tributi remiſſionem, quod QUADRAGESIMAM vocant, celebrat hic nummus, a nobis inter *æreos mediocres* editus, *pag.* 126. & a Caſaubono explicatus, triumphalem arcum ob id decretum referens. Exſtant & alii eandem XXXX REMISSIONEM diverſis typis indicantes, quos in *Theſauro* edidimus, *pag.* 146. Faciunt huc Quintiliani verba, *Declam.* 359. *Præter inſtrumenta itineris omnes res QUADRAGESIMAM publicano debeant.* Et Suet. verba, *in Veſpaſ. cap.* 1. *Sabinus publicum QUADRAGESIMÆ in Aſia fecit.* Quod minus frequens fuerit poſterioribus temporibus id vectigalis nomen, fecit Veſpaſianus, *qui*, ut refert Auctor noſter, *cap.* 16. *omiſſa ſub Galba vectigalia revocavit.*



Piſonem

Pag. 580. *Piſonem Frugi.*] Plures editi ſunt CALPURNIÆ gentis nummi, e qua Piſo. Vide *Familias Roman. pag.* 56. & Ant. Auguſtinum, *pag.* 326. *editionis noſtræ Pariſinæ.* Adoptionis formulam celebrem refert Tacitus, *hiſt. lib.* 1. paululum ab Auctoris noſtri verbis diſcrepantem, ita ſcribens: *Galba apprehenſa Piſonis manu, in hunc modum locutus fertur: Si Te privatus lege curiata apud Pontifices, ut moris eſt, adoptarem, & mihi egregium erat tunc Pompeji & M. Craſſi ſobolem in penates meos adſciſcere.*

Pag, 582. *Allocuturo.*] Egregium poſſideo nummum ADLOCUTIONEM celebrantem in *Theſauro* editum, *pag.* 146. Eum ad adoptionem Piſonis referunt alii, alii ad orationem ab Auctore noſtro commemoratam, *cap.* 10.



Pag. 585. *Roſtratæ columnæ.*] Seu roſtris ornatæ, quibus navales victoriæ indicarentur: χαλκέμβολοι a Græcis nuncupabantur. Harum figuras in marmore ſæpe Romæ vidimus, ſed & exſtant in nummis Auguſti Titique, ideo hic appoſitis. De iis Cæſar, Virgilius, Horatius, Tacitus, Appianus, Joſephus, & alii.





CAROLI

CAROLI PATINI
NOTÆ
IN SUETONII
OTHONEM.



Pag. 589. Poppæam Sabinam.] Præter ejus nummum ſupra exhibitum, æreoſque mediocres in opere noſtro vulgatos, ſcalpendum hic cenſui argenteum unum pretioſiſſimum, ex Regis Chriſtianiſſimi gaza.



Pag. 593. *Imperator ſalutatus.*] Id exprimit ſuperbus illius nummi typus, quo miles prætorianus dextram porrigit Othoni toga conſulari induto. Sic enim Senatus & exercitus concordiam ſuamque fidem in electum Imperatorem teſtantur; quemadmodum ſupra vidimus, in nummo Claudii.



Pag. 595. *Triclinium.*] Locus in quo cœnabant, qui alias Cœnaculum Latino verbo dicebatur, a tribus lectis, quos in eo ſternebant, nomen accepit. Frequenter etiam pro ipſa menſa triplicique lecto & reliquo diſcubitus apparatu formam Triclinii tradiderunt Ful. Urſin. Lipſ. Lamb. *bibl. Caſ. t.* 2. *p.* 1009. quibus ex marmore antiquo aliquot ἐσχήματα me in rei litterariæ amplificationem, D. V. additurum ſpondeo.

Pag 596. *Tribus præliis vicit.*] Quorum manifeſtum eſt teſtimonium duplex hæc VICTORIA OTHONIS nummis vario typo impreſſa. Cum enim ambabus manibus binas tenet coronas, bis fuſos hoſtes, uno atque eodem tempore indicat, Sarmatas ſcilicet & Vitellianos, de quibus ſic Tacitus, *hiſt. lib.* 1. *Othone & gloriam in ſe trahente, tanquam & ipſe felix bello, & ſuis ducibus, ſuiſque exercitibus Rempublicam auxiſſet.* Alios ejuſdem Othonis nummos vulgavimus *in Theſauro*, SECURITATEM Populi Romani exprimentes, PACEMque ORBIS TERRARUM.



Pag. 598. *Meſſallinam Neronis.*] Hæc eſt Statilia Meſſalina, quæ poſt quatuor matrimonia diverſo exitu ſoluta, poſtremo Neroni nupſit. Poſt quem interemptum & opibus & forma & ingenio plurimum viguit, *uſum eloquentiæ ad ſtudium uſque declamandi conſectata*, ut ait Seneca. Nomen ejus exſtat in nummo ſupra vulgato. De ea ſcripſit Tacitus *lib.* 15.

Pag 599. *Galericulo capiti propter raritatem capillorum adaptato.*] Quid aliud eſt ille galericulus, quam extraneum capillitium & coma adſcititia, Gallis *perruque* dicta? Illum in ſingulis Othonis numiſmatibus aureis & argenteis obſervavimus: in æreis quidem aliter ſe res habet, forte quod Ægyptii, apud quos ut plurimum percuſſa ſunt, hunc Imperatoris morem non noverint. Quis enim



virum fortem Imperatorem Romanum luxui muliebri ita deditum ſuſpicatus eſſet? Julio Cæſari Galbæque, etſi grave fuerit calvitium, nulla fuit capillitii admoti cura. Tertullianus quidem ſed ſequiori ævo ſic ſcribit de cultu fœminarum: *Affigitis præterea neſcio quas enormitates ſutilium atque textilium capillamentorum, nunc in galeri modum quaſi vaginam capitis & operculum verticis, nunc in cervicem retro ſuggeſtam:* quod de pellibus intelligendum eſt crinibus humanis ita ornatis, ut ars naturam

egregie imitari videretur. De quo ſic Juvenalis, *ſed nigrum flavo caput abſcondente galero.* Othonis nummos iterum hic habes, quibus ille galericulus omnino manifeſtus eſt, brevitate diverſus a mentita noſtrorum hominum cæſarie.

Pag. 600. *Sacra etiam Iſidis.*] Cujus quidem religionis memoriam frequenter Ægyptii æreis numiſmatibus concelebrarunt, in quibus & Serapidem & Iſidem & Canopum obſervavimus, Ægyptia numina, etiam cum Ibi, ſacra regionis ave. Illuſtrantur illa Taciti verbis *Hiſtor. lib.* 1. *Ægyptus omneſque verſæ in Orientem provinciæ nomine ejus*, Othonis, *tenebantur.* Duos ejus nummos hic habes nuper Alexandria Ægypti advectos, plane γνησίους indubitatæque antiquitatis, tanta inſuper integritate præditos, ut nihil prorſus deſit eorum elegantiæ.



Quando primum melius ſe habuit Reſpublica litteraria, barbarie mille ſæculorum ſi non liberata, ſaltem levata, in eo præcipue laboravit, ut auctoritatem ſibi conciliaret, quam nulla ex parte majorem conquiſivit, quam ex antiquis monumentis. Ædificiis, arcubus, ſtatuis, numiſmatibus fides habita eſt, quibus neque ipſi ſtolidi refragari poſſent Ortæ poſtea tot eruditæ quæſtiones, inter quos non incelebris fuit illa de nummis Othonis æreis, negantibus acriter aliis, aliis ultro probantibus. Ad hanc rem plurima protulimus in opere noſtre de *nummis æreis*, *pag.* 131. A quo itaque candide ſua ceſſit opinione Henr. Th. Chifletius, nullum audivimus talem ſuſcepiſſe negandi provinciam, a qua forte & noſtra & Illuſt. Seguini & Jo. B. Copponi Med. & Profeſſ. Bononienſis argumenta quemlibet bene natum terruiſſent. Perplacuit nobis vidiſſi Medicum alterum, eumque Antiquarium Regium, Joh. Vaillant publico ſuo ſuffragio pedibus in noſtras deſcendiſſe partes. Sed quid movent auctoritates, cum ipſa exempla abunde ſuppetunt. Nummos enim Othonis æreos viginti ſex, eoſque antiquos, me vidiſſe contrectaſſeque palam facio. Sed de his ſatis.

CAROLI


CAROLI PATINI NOTÆ IN SUETONII VITELLIUM.



Pag. 604. **C**Enſuramque geſſit.] Lucius Vitellius Publii filius duos habuit liberos, Aulum & Lucium. Aulus octavo numeratur loco inter Cæſares: Lucius etiam cenſura, quam *aliorum magiſtratuum faſtigium* nuncupat Plutarchus, functus eſt, ſicut & pater, cujus honoris monumentum in auro, argento & ære etiamnum exſtare videmus. Quamvis dubium ſit, cuinam e duobus Luciis illud potius ſit tribuendum. Pro patre probabilior mihi eſt opinio, cujus honores extuliſſe videtur filius, Auguſtus factus: ſic enim Tacit. *l. 1. hiſt. Vitellius aderat, CENSORIS VITELLII ac ter conſulis filius.* Is tertium Cos. fuit cum Claudio Imp. an. V. C. DCCCI. De cenſura ad hanc rem vide Illuſtr. Spanhemii eruditam diſſertationem *de præſt. & uſu numiſmatum, pag. 737.* En nummi.



Æ





AR



AR



Pag. 607. *Galeriam Fundanam.*] Hanc ne quæſiveris in antiquis numiſmatibus, etſi ejus imaginem vulgatam eſſe probe noverim. Illam conjicio effictam a Viro rei antiquariæ ſtudioſo veram deſiderante. Nonne falſi teneretur, ſi vigeret lex Cornelia? utinam antiquis nummis debitus honor ſervetur, nec unquam adulterini pro legitimis obtrudantur. Satius eſt Galeriæ Fundanæ effigie typoque carere, quam utrumque cujuslibet arbitrio permittere. Id tamen vide ſuperiori ſæculo non modo permiſſum, verum & remuneratione eximia dignum cenſitum. O tempora!

Pag. 607. *Liberos utriuſque ſexus tulit.*] De hoc admodum Auctores diſſentiunt. Ἄπαιδα Vitellium vocat Joſephus, *lib.* 5. *cap.* 10. quem ideo opponit Veſpaſiano florentes habenti liberos. Aliter ſentiunt Tacitus & Sueton. ad quorum mentem cuſus videtur hic nummus: ſcribit enim Tacitus, *hiſt. lib.* 3. *ſalutem & pecuniam & ſecreta Campaniæ* Vitellio oblata fuiſſe, *ſi poſitis armis ſeque ac LIBEROS SUOS Veſpaſiano permiſiſſet.* Facit præterea mentionem *hiſt. lib.* 11. *c.* 59. tum filiæ Vitellii, cujus nuptias Otho ambiverat, a Veſpaſiano ſucceſſore *ſplendidiſſime maritatæ*, tum ejus filii, quem GERMANICUM nominat, cunctis antea fortunæ inſignibus decoratum, brevi poſt Parentis fata a Muciano Veſpaſianarum partium duce interfectum. Hunc ſic commemorat Auctor noſter *cap. ult. Periit cum fratre & filio.*




Pag. 609. *Cognomen Germanici.*] Optime conveniunt nummis Auctoris noſtri verba, quibus Vitellium legimus GERMANICUM ſemper cognominatum, interdum AUGUSTUM, CÆSAREM nunquam. Idem ſcribit Tacitus, *lib.* 17. his verbis: *Nomen GERMANICI Vitellio ſtatim additum, CÆSAREM ſe appellari victor prohibuit.* Quare minime mirandum, ſi ejus filius GERMANICUS nominatus fuit.

Pag 609. *De Betriacenſi victoria.*] Illam opinor celebrant nummi cum Dea ſtante, & cum ſedente. Atque hoc ad mentem Apellis, qui interrogatus, cur Victoriam pinxiſſet ſedentem? *quia nunquam ſtetit*, reſpondit. Bebriacum autem ſive Betriacum, Βητριακὸν πολίχνη πλησίον Κρεμώνης apud Plutarchum legitur, vetereſque Suetonii codices, vicus erat inter Cremonam & Veronam ſitus, vulgo *Labina.*



Clypeum

Pag. 613. *Clypeum Minervæ.*] Non abs re fuerit hic excuſare ſcriptorem quemdam cenſentem, & hunc in nummo Vitellii ſculptum: adeo Macedonum clypeus patinæ Vitellianæ convenit. Illum ſæpe Macedones Imperatoribus Rom. exhibuerunt, ut in *æreis nummis* diximus, *pag.* 120. Cave porro credas, vel ipſos Tyrannos aliquid præter heroica conſignaſſe, ſi obſcœnos Tiberii nummos exceperis. Ecce Macedonum clypeum in Vitellii nummo.



Pag. 614. *Clementiam laudantibus.*] Hæc, ſed alio certe argumento, in nummo Vitellii ſculpta eſt, CLEMENTIA AUG. GERMAN. certe inclementiſſimi. Si tyrannum illa decorat, quid debetur optimis Principibus?

Pag. 616. *Exercitus Judaicus & Syriacus.*] Quanto ſtudio gloriam nominis ſui, rerumque præclare geſtarum ad poſteros transmittere contenderint Romani, teſtes ſunt nummi innumeri, quibus tum opes, tum potentiam, tum victorias decantabant, ut vel vi, vel metu hoſtes coercerent, populoſque continerent in officio. EXERCITUS ſuos nummis conſignavit Imp. Hadrianus, etſi, Spartiano teſte, *nullum bellum moverit.* Præeſſe illis videtur Imperator modo eques modo pedes, quem cum his inſcriptionibus vidimus: EXERCITUS BRITANNICUS, CAPPADOCICUS, DACICUS,



GERMANICUS, HISPANICUS, ISCANICUS, JUDAICUS, MAURETANICUS, MOESIACUS, RHÆTICUS, SYRIACUS. E quibus duos ab Auctore noſtro nominatos hic exhibemus. Sed cur plures non occurrunt, cum in nummis ſignatos fuiſſe ſit veriſimile? a beneficio temporis id erit exſpectandum, litteratorumque diligentia. Neque vero exercitus tantum, ſed & legionum nomina frequenter occurrunt. Viginti tres legiones vidimus in nummis M. Antonii ſcriptas, præter ſextam

 ab

ab Impp. Antonino & Vero reſtitutam, duodecimam antiquam, XVII claſſicam, XVIII Lybicam, cohorteſque prætorianorum & ſpeculatorum, *in Famil. noſtris Roman.* ſcalptas. De iis præterea conſulatur Dio, *lib.* 55. Plures columnis inſcriptæ videntur Romæ in Capitolio, & apud Maffæos. Hanc priori ampliorem & integriorem ex Grutero *inſcript. ant. p.* 513. apponendam cenſuimus quod rerum Romanarum intelligentiæ plurimum conferat.

NOMINA LEG.

II. Auguſta	II. Adjutrix	IV. Scythica
VI. Victrix	IV. Flavia	XVI. Flavia
XX. Victrix	VII. Claudia	VI. Ferratenſis
VIII. Auguſta	I. Italica	X. Fretenſis
XXII. Primigenia	V. Macedonica	III. Cyrenaica
I. Minervia	XI. Claudia	II. Trajana
XXX. Ulpia	XIV. Gemina	III. Auguſta
I. Adjutrix	XII. Fulminatrix	VII. Gemina
X Gemina	XV. Apollinea	II. Italica
XIII. Gemina	III. Gallicana	III. Italica
I. Parthica	II. Parthica	III. Parthica

Pag. 617. *CONCORDIÆ cognomen.*] Sic L. Antonius, Trium-Viri frater, & Cn. Pompejus, ſicut ab Appiano traditur, *lib.* 2. *de. bell. civil.* nominati ſunt PIETAS, ut patet ex eorum nummis. Non dubito, hiſce Vitellii honoribus percuſſos fuiſſe nummos ex auro atque argento, hac inſcriptione: CONCORDIA AUG. quos ob frequentiam prætermittimus, fortaſſis enim jam nimis prolixi fuimus.

CAROLI

CAROLI PATINI
NOTÆ
IN SUETONII
VESPASIANUM.



Pag. 622. BEne *vectigal agenti.*] Unam ex illis imaginibus Veſpaſiani Imp. patri Tito Flavio Sabino a civitatibus poſitam edidit Boiſſardus, *Antiquitat. libr.* 3. ex pretioſo illo Fulv. Urſini MS codice, quem nuper in Vaticana bibliotheca vidimus. Quam bonum publicanum ſapiunt quæ præter hominem vides! Arcam ſcilicet pecuniis ſervandis, Schedaſque reddendis rationibus: has habet præ manibus paratas veluti omni momento: quibus RATIONEM ULTIMAM nuper tormentis bellicis applicatam ſe mitius exhibiturum pollicetur. Quæ longe grandior & ad hominis menſuram ſtatua facta eſt, hic in compendium reduximus.



Pag. 624. *Flaviam Domitillam.*] Egregium ejus nummum a Tito Imp. reſtitutum poſſidemus abſque effigie: Carpentum in ejus loco ſignatum eſt, indicandis honoribus, ipſi ſicut Liviæ & Agrippinæ poſt mortem oblatis.



Æ

Pag. 628. *In tutelam ejus.*] Deæ Tutelæ mentionem fecimus in nummis ex *ære mediocri*, *p.* 144. Cur gratæ ſibi recordationis memoriam non refricaſſet Veſpaſianus, eo quem ſubjicimus nummo, Titum atque Domitianum Tutelæ Deæ committens. Hanc & Deum & Deam, quemadmodum & Lunum & Lunam dicebant antiqui. Legitur hæc inſcriptio in Hiſpania: DEO TUTEL. GENIO LOCI, ſive ſit ille TUTELA, ſive TUTELARIS. TUTELAM etiam Deam habebant ſeu TUTELLINAM, a *tuendo* & *tutando*. Hinc Dii Tutelares, qui urbium hominumque curam & patrocinium gerere credebantur.



Æ

Pag. 629. *Cervicemque ſubmiſit.*] Ad quod referri arbitror rariſſimum hunc nummum, in oſtenti memoriam reſtitutum. Victoria alata, Popæ inſtar, malleo victimam percutiente, ipſum Imperatorem deſignari opinor. Sic enim frequenter apud priſcos Victoria in bigis vel quadrigis pro Imperatore triumphante vehebatur.



Æ

Unus

Pag. 629. *Unus ex nobilibus captivis Joſephus.*] Is eſt Hieroſolymitanus ſacerdos, qui toties pugnavit contra Romanos, tandemque captivus Romam ductus eſt, ubi in honore maximo ob ſingularem doctrinam habitus, ſtatuaque in Urbe donatus eſt. Scripſit ille *de Antiquitatibus Judaicis*, *Belloque Judaico* libros ævum duraturos, alioſque, a quibus cum Joſ. Scaliger, *in prolegom. de Emend. tempor.* diligentiſſimum καὶ φιλαληθέςατον omnium Scriptorum celebrat. De eo plura Euſebius, *Hiſt. Eccleſ. lib.* 3. *cap.* 9. Hieronymus, *de Scriptoribus Eccleſ.* Sozomenus, *Hiſt. Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 1. Evagrius, *lib.* 5. *c.* 24. & Photius, *in Bibliotheca.* Joſephum ipſum dicunt juxta tropæum Judææ ſtantem in nummis, quos *cap.* 8. exponemus.

Pag. 632. *XL. Millia ſagittariorum.*] Non inepte quidam Amicorum pecuniæ ſummam interpretabatur, qua Veſpaſiano Parthorum Rex opem tuliſſet. Ea enim belli nervus perpetuo habita eſt. *Numiſma vero Perſicum SAGITTARII nota ſignatum eſt*, inquit Plutarchus, *in Apopht.* Τὸ γὰρ Περσικὸν νόμισμα ΤΟΞΟΤΗΝ ἐπίσημον εἶχεν. Verum omnem hac de re dubitationem tollit Tacitus, *lib.* 4. *hiſt.* his verbis: *Legati Regis Vologeſi XL. Parthorum equitum millia offerentes*, quos & ſagittarios & hippotoxotas nuncupabant. Neque tamen injucundum fore arbitror, duo hæc Perſicæ monetæ exempla rariſſima interim inſpicere, donec major eorum numerus, bono cum Deo, ſuo tempore ſequatur.



Pag. 633. *Acto de Judæis triumpho.*] Gloriam gentis Flaviæ, Populique Romani lætitiam demonſtrant innumera monumenta, ob devictam ſuperſtitioſam gentem, expu-







gnatamque Hieroſolymam. Mira ſunt quæ ad hanc rem ſcripſit Joſephus, *in Antiquit. Judaic.* e quo præcipue excerpſimus, quæ ad interpretationem nummorum ex ære mediocri faciebant. Eadem & hos abunde explicant, non minus typo quam raritate & inſcriptione inſignes.

Pag. 635. *Templum Pacis.*] Egregia de eo narrat Joſephus, *lib. 7. cap. 24.* Dio, *lib. 66.* aliique, & Galenus noſter, *lib. 1. de pulſibus.* Ex pluribus Plinii locis, hunc prætermittere nefas duco, *lib. 36. c. 15. Et templum PACIS Veſpaſiani Imperatoris Auguſti, pulcherrima operum quæ unquam.* Statuis picturiſque celeberrimis ornatum fuiſſe, variis in locis docet: quas vel exiguus nummus patefacit. Statuarum pretio non ceſſere lapides illud decorantes, *libr. 36. cap. 7. Baſaltes ferrei coloris atque duritiæ, nunquam major repertus eſt quam in TEMPLO PACIS ab Imperatore Veſpaſiano dicatus: argumento Nili liberis circa ludentibus, per quos totidem cubiti ſummi incrementi augentis ſe amnis intelliguntur.* Conflagravit tandem, Herodiano teſte, Severo & Caracalla imperantibus. Inſcriptam Veſpaſiani Pacem habes ex Boiſſardo ad arcum Septimianum.

PACI ÆTERNÆ
DOMUS
IMP. VESPASIANI
CÆSARIS AUG.
LIBERORUMQ. EJUS
SACRUM.



Pag. 635. *Amphitheatrum.*] Ejus ædificii formam tot carminibus celebratam exhibet hoc Numiſma, quod quidem audio a quibuſdam novitatis damnari. Mihi tamen, qui nummorum fidem non ex arbitrio poſſeſſorum æſtimare ſoleo, ille omnino videtur antiquus. Amphitheatrum dedicatum fuiſſe a Tito, ſcribit Auctor noſter, *in Tito, cap. 7.* Ex DIVI VESPASIANI inſcriptione colligitur, filium ejus Titum poſt dedicationem nummum percuſſiſſe.



Ingenia

Pag. 640. *Ingenia & artes.*] Magnificentiam Veſpaſiani eò magis extollit, quo pecuniæ ultra modum amans tenaciorque vulgo habebatur. Egregiam hanc immortalitatis adipiſcendæ rationem imitati videntur noſtris temporibus nunquam mihi ſatis laudandi Principes, Auguſtiſſimus LEOPOLDUS, Chriſtianiſſimuſque Rex LUDOVICUS XIV. Illi ut ingenia norunt nobiliora, artifices præclaros, cujuſcunque demum ſortis ac conditionis, quos de meliore luto finxit Jupiter, ſua continuo fovent munificentia, ſicque ad expoliendas magis magiſque artes egregie ſtimulant. Auguſtis illis capitibus profecto nunquam deerit quod ſibi M. Alexander optabat, illuſtres atque factis ſuis pares ſcriptores.

Pag. 648. *Juniam Calvinam.*] Hæc ſoror fuit M. Junii Syllani & Caji, nurus Vitellii. Ab Agrippina Italia pulſa eſt, quam Nero poſt XI. annos, matre interempta, patriæ una cum illuſtribus viris fœminiſque reſtituit, quo lenitatem oſtenderet. De ea vide Tacit. *Annal. libr.* 12. *cap.* 4. & 8. Juliam lego interdum illam nominari in Juliæ gentis gloriam: at a Junia erant Syllani, quare vulgatam lectionem probandam cenſeo. De ea mentio facta eſt in JULIORUM PROSAPIA, quam huic Operi præfiximus.

Occupandæ ornandæque huic paginæ nummos ſcalpi curavi in honorem Imp. Veſpaſiani reſtitutos, quos ſive ob typos, ſive ob raritatem, eximios velim cenſeas. Etſi pariter in gloriam Titi eoſdem reſtituerit Trajanus.



CAROLI PATINI NOTÆ IN SUETONII TITUM.



Pag. .651. A*Mor ac deliciæ generis humani.*] Quid ſuperbius? Majeſtas Principes vix unquam deſerit, ſed ex iis nullus tantum adeptus eſt titulum, quantum omnium conſenſu Titus eſt conſequutus. Quod exemplum Princeps quivis ſibi imitandum ducet, ut majeſtatem clementia temperet ac fulciat. Abſit, & abſit longe a Principe optimo tragica illa Caligulæ vox, *oderint*, *dum metuant.*


Pag. 652. *Statuam ei auream.*] Vides familiaritatem, quæ Britannicum inter Titumque interceſſerat, [illegible]uiuſque erga illum optime de ſe meritum gratum animum. Hinc tot ſtatuæ illi poſitæ: ſed & nummos in ejus memoriam cudiſſe, in promptu eſt ſuſpicari, præſertim cum & ab aliis olim cuſos toties reſtituerit, optimi Imp. indicium, quod ſupra cæteros Tito atque Trajano convenit.




Pag. 653. *Marciam Fulviam.*] Ita ſubſtituo pro FURNILLA, FURVILLA, aliiſque corruptis, ut arbitror, nominibus, ex codice antiquo, & interpretum fide; ſed præ-

præcipue ex hoc antiquo Numiſmate, cui nihil refragari poteſt. Novi porro FURNIUM, FURNIAM, FURNILLAM, apud Antiquos legi.

Pag. 654. *Paphiæ Veneris oraculo.*] Illius frequens eſt mentio apud Veteres: *Celebre fanum habet Veneris Paphos, in cujus quamdam aream non impluit*, inquit Plinius, *lib.* 2. *cap.* 96. *Cui ſanguinem offundere vetitum, precibus & igne puro altaria adolent, nec ullis imbribus, quamquam in aperto, madeſcunt: nec fuerit longum initia religionis, templi ſitum, formam Deæ, neque enim alibi ſic habetur, paucis differere. Simulacrum Deæ non effigie humana, continuus orbis latiore initio tenuem in ambitum, metæ modo exſurgens, & ratio in obſcuro*, ſicuti ex Tacito, *lib.* 2. *Hiſtor.* colligitur. Figuram iſtius templi, areæ, Deæ videre mihi contigit in nummis Druſi, Veſpaſiani, Trajani, Hadriani, Sabinæ, Severi, Juliæ, Caracallæ, Getæ aliorumque Impp. e quibus Veſpaſiani nummum hic apponendum cenſui. Qui plura de Venere Paphia deſiderat, videat *nummos* noſtros *æreos pag.* 80. vel ipſum Tacitum.



Pag. 654. *Triumphavit cum patre.*] Veſpaſiano *provincia cum exercitu* a Nerone *oblata eſt*, inquit Sueton *in Nerone cap.* 4. cujus ope bellum adverſus Judæos ſuſcepit. Inchoatum vocatus ad imperium commiſit filio Tito. Res egregie peracta eſt Hieroſolymarum oppugnatione, quam & ſuis vulneribus nobiliorem ſibique glorioſiorem Titus reddidit. Ideo merito triumphavit cum Patre, dicatis utriſque numiſmatibus, communem eorum gloriam aſſerentibus. De celeberrimo triumpho Judaico mira ſcripſit Joſephus, *de bell. Jud. lib* 7. *cap.* 16. e quo præcipue excerpſimus quæ ad interpretationem nummorum ex *ære mediocri* faciebant, *pag.* 147. Hinc arcus ille Titi ſuperbiſſimus, quem in Urbe nuper vidimus. Prætermittere hic non poſſum inſcriptionem antiquam



in Circo, ſuperiori ſæculo repertam, quam Boiſſardus ſuppeditat, Gruteruſque, *pag.* 244. adeo marmor iſtud hunc Suetonii locum explicat.

IMP. TITO CÆSARI DIVI VESPASIANI F.
VESPASIANO AUG. PONTIFICI MAXIMO
TRIB. POT. X. IMP. XXII. COS. VIII. P. P.
PRINCIPI SUO
S. P. Q. R.
QUOD PRÆCEPTIS PATRIS CONSILIISQUE ET
AUSPICIS GENTEM JUDÆORUM DOMUIT ET
URBEM HIEROSOLYMAM OMNIBUS ANTE SE
DUCIBUS REGIBUS GENTIBUSQUE AUT FRUSTRA
PETITAM AUT OMNINO INTENTATAM DELEVIT.

Pag. 656. *Berenicem*] Longum eſſet BERENICES omnes enumerare. *Beronice* apud Juſtinum, *lib.* 37. legitur, *Bernice* apud Joſephum, *lib.* 20. *antiq. Jud.* Reſtituitur nomen hoc numiſmate uxoris Ptolemæi Lagi, quos conjuges nummi lapideſque ΘΕΟΥΣ ΣΩΤΗΡΑΣ nominant, parentes ΘΕΩΝ ΑΔΕΛΦΩΝ Ptolemæi Philadelphi & Arſinoes. Edidit Cl. Leo Allatius monumentum Adulitanum, cujus initium & hic apponam, cum Plinii locum *lib.* 3. tranſcripſero. *Berenicæ reginæ topaſim primum oblatam mire placuiſſe, & inde factam ſtatuam Arſinoæ Ptolemæi Philadelphi uxori quatuor cubitorum, ſacratam in delubro, quod aureum cognominabatur.* ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΜΕΓΑΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΣ ΥΙΟΣ ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΚΑΙ ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ ΑΡΣΙΝΟΗΣ ΘΕΩΝ ΑΔΕΛΦΩΝ ΤΩΝ ΒΑΣΙΛΕΩΝ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΚΑΙ ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ ΒΕΡΕΝΙΚΗΣ ΘΕΩΝ ΣΩΤΗΡΩΝ ΑΠΟΓΟΝΟΣ.



Pag. 658. *In thermis ſuis, admiſſa plebe, lavit.*] In eo ſuperbiſſimo labro ſuperiori ſæculo in Thermis Titi effoſſo, unde in hortos collium Vaticanorum, quos ob proſpectus amœnitatem *Belvedere* vulgo vocant, translatum eſt. Ampliſſimum eſt, ex marmore Pario viridi variegato, & diaphano, *miſchium* nuncupant, quod in eo mixti ſint malachitæ, ſardonyches, agathites, criſtallus, chalcedonicus, amethyſtus, cyanus, aliæque gemmæ, quibus pretium referri nequit. Dignum vas profecto, in quo tantus Imperator lavaretur. Thermas autem Titi ejuſque palatium ſtatuunt in hortis D. Petri in vinculis; juxta quas reperta eſt an. Chr. MD VI. abſolutiſſima illa Laocoontis ſtatua, de qua ſic Plinius, *lib.* 36. *cap.* 5. *Sicut in Laocoonte, qui eſt in Titi Imperatoris domo, opus omnibus & picturæ & ſtatuariæ artis præferendum:* ingentes ruinæ ædificii magnificentiam etiamnum denotant. Uſum Thermarum frequentiſſimum fuiſſe apud Romanos, nemo neſcit, non modo

do religionis cauſa, lavabant enim ante rem ſacram, ſed valetudinis & conſervandæ & reſtituendæ, ut paſſim docet Galenus noſter, præcipue *lib.* 3. *de ſanit. tuenda*, & θεραπευτικῆς, *cap.* 10. Tres cellas habebant præcipuas, prima *ſudatorium* a Seneca nuncupatur, a Dione πυριατήριον, in qua ſicco calore ſudorem eliciebant. In altera labrum erat conſtitutum aqua tepida repletùm, lavando corpori. Tertia *frigidaria* dicebatur, in qua & frigida ſe abſtergebant, & ſtrigilibus, quidquid ſordium ſupererat, mundabant. Unctioni deinde dabant operam, oleis ſcilicet pretioſioribus in guttis geſtari ſolitis, Rhodino, Cyprino, Myrrhino aliiſque a Galeno, Theophraſto, Dioſcoride, fuſe commemoratis. Quo revocatur hæc Plinii *lib.* 22. *cap.* 24. narratiuncula: *Centeſimum annum excedentem Pollionem Romulum Divus Auguſtus hoſpes interrogavit, quanam maxime ratione vigorem illum animi corporiſque cuſtodiſſet? at ille reſpondit; intus mulſo, foris oleo.* Quo ſuperbia thermarum ſolituſque lavandi mos innoteſcat, labri figuram, cujus formæ multa Romæ vidi, ex Boiſſardo hic palam facere libet.




Pag. 658. *Bona oppreſſorum in Veſevo reſtitutioni afflictarum civitatum attribuit.*] Magnificentiam certe maximam, ſed cujus in Numiſmatibus nullum exſtat monumentum. Montem in averſis Titi nummis ſcalptum ex hoc Auctoris noſtri loco interpretati ſunt de Veſevo, qui prorſus de Argæo intelligendus eſt. Præter quod enim nihil Veſevum declaret, plures poſſideo Impp. Roman. nummos monte ſignatos, cum hac inſcriptione, ΚΑΙΣΑΡΕΙΑΣ, addito interdum ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ nomine. Et quod rem extra controverſiam ponit, ſic inſcriptus reperitur ille mons in nummo Veri apud Reginam incomparabilem, ΑΡΓΑΙΩ ΕΤ. Β. Conceduntur ergo omnes illi Argæo monti in Cappadocia ad quem condita eſt Cæſarea, ἡ πρὸς τῷ ΑΡΓΕΙΩ Καισαρεία legitur apud Sozomenum, *lib.* 5. *cap.* 4. & expreſſius πρὸς τῷ ΑΡΓΑΙΩ ὄρει. Sic apud Plinium, *lib.* 6. *cap.* 3. *Et ſub monte Argæo Mazaca, quæ nunc Cæſarea nominatur.* Eadem fere Strabo, *libr.* 12. cum *Argæum omnium altiſſimum montem* nominat. Potuiſſem ad illuſtrandum argumentum eos proferre nummos, qui montem Argæum referunt ſub diverſis Imperatoribus,

bus, a quorum & ſcalptura & recenſione jam mihi tempero. id modo liceat nunc indicare, nummum in magnificentiſſimo quodam cimeliarcho ſervari, monte ſignatum cum Othonis nomine, quem Titum, ſed ſuppoſititie referre, certum eſt, non quidem Veſevi, ſed Argæi typo inſignitum, addita frequenti hac epigraphe, ΚΑΙΣΑΡΕΙΑΣ Ετ...

CAROLI PATINI NOTÆ IN SUETONII DOMITIANUM.



Pag. 664. *Iſiaci celatus habitu.*] Hinc Domitiani erga Iſidem religio, quam ſuperſtitionem verius dixeris, ex hoc raro nummo manifeſta, quem nuper Cl. Obrechtus perdocte explicuit. Sacrigerulus Iſiacus, inquit, veſte prope muliebri, galero calvitium tegente, quod proprium erat Sacerdotum geſtamen, navi inſidet, cujus uſum prima Iſis invenit. Perſeæ fructum tenet, Deæ Iſidi conſecratum, ut docet Plutarchus, *de Iſid. & Oſir.* quo revocari etiam debet corona ex Perſea. Crucem geſtat Vitæ venturæ, apud Ægyptios ſymbolum, ex Ruffino, *hiſt. Eccleſ. lib.* 29. Ad cujus illuſtrationem mire faciunt hæc verba ex Suida, voce *σαυρός*: Ἐπὶ Θεοδοσίου τοῦ μεγάλου βασιλέως καθαιρουμένων τῶν Ἑλληνικῶν ἱερῶν εὑρέθησαν τὸν ΣΤΑΥΡΟΝ παρὰ τοῖς ἱερογλυφικὰ γιἐν τῷ τοῦ Σαράπιδος νεῷ ἱερογλυφικὰ γράμματα, σαυροῦ ἔχοντα τύπους, ἅπερ θεασάμενοι οἱ ἐξ Ἑλλήνων χριστιανίσαντες ἔφασαν σημαίνειν νώσκουσι γράμματα ΖΟΗΝ ΕΠΕΡΧΟΜΕΝΗΝ. Hoc eſt: *Theodoſio magno imperante, cum fana Gentilium diruerentur, inventæ ſunt in Serapidis templo hieroglyphicæ litteræ, habentes CRUCIS formam; quas videntes Græci, qui Chriſto addicti jam erant, CRUCEM apud peritos hieroglyphicarum notarum ajebant ſignificare VITAM VENTURAM.*



Pag. 664. *Expeditionem in Galliam Germaniaſque.*] Aſſentiunt nummi innumeri ex omni metallo, e quibus tres ex ære magno hic apponendos ſelegimus. *De Dacis Cattiſque duplicem triumphum egit*, inquit Eutropius,


pius, *lib.* 7. poſt Sueton. *cap.* 6. *De Sarmatis ſolam lauream uſurpavit.* Scribit etiam Auctor noſter, *cap.* 13. *Poſt duos triumphos GERMANICI nomen aſſumpſiſſe*, quod quidem in nummis legitur: Deinde quo gloriam adaugeret, *Germanici nomine aſſumpto Septembrem menſem GERMANICUM tranſnominavit.* Quo ſenſu ſingulos menſes ſuis cognominibus nuncupare fruſtra tentaſſe Commodum Imperat. ſcribit Capitolinus.





Pag. 667. *Uxorem ſuam Domitiam.*] Ea cernitur in nummis omnis metalli. Græcos aliquot vulgavimus inter *æreos noſtros*, *pag.* 169. atque perrarum unum, in *Theſauro*,





pag. 153. Argenteos quinque hic inſpicias eximiæ raritatis. *Conſpiravit hac in maritum cum amicis libertiſque intimis*, ut docet Auctor noſter, *cap.* 14.

Pag. 668. *Fecit & ludos ſæculares.*] Abunde ſcripſimus de iſtis ludis, cum *nummos æreos* interpretati ſumus, *pag.* 152. Exſtant & plures alii ex omni metallo, diverſiſque typis. Duos hic primum habes ex ære magno, quorum prior SUFFIMENTA Populo Data, alter FRUGUM Acceptionem deſignat. Et quo ludorum ſæcularium varii typi patefierent, duos alios adjunximus, tum a Domitiano, tum a Philippo Imperatoribus cuſos, de quibus mentionem fecimus ſupra in notis. Ubi notatus mos columnis eos inſcribendi.



Pag. 671. *Congiarium populo nummorum trecentorum ter dedit.*] Secundum vidimus Domitiani congiarium in nummis ſignatum, ſed & primum tertiumque identidem expreſſum fuiſſe veriſimile eſt. Congii figuram expoſuimus ſupra. Congiarium a Tito datum celebrat hæc inſcriptio, Romæ in hortis Palatinis inventa, a Grutero exſcripta, *pag.* 244.

IMP. T. CÆSARI DIVI F.
VESPASIANO AUG.
PLEBS URBANA
QUÆ FRUMENTUM
PUBLICUM ACCEPIT
ET TRIBUS.

Alium habes Domitiani nummum rariſſimum, ejus ludis ſæcularibus adjungendum.



Pag. 673. *Excitavit ædem in Capitolio Jovi Cuſtodi.*] Arbitror eandem quam Veſpaſianus inchoaverat, nummis indigitatam, hac inſcriptione, JOVIS CUSTOS, ſicut hæc ſcalptura demonſtrat, in qua JOVIS caſu recto. Nummus alter JOVI CONSERVATORI, ſeu, ut ſcribit Auctor noſter, CUSTODI, a Domitiano dicatus eſt. Ille enim bello Vitelliano in Capitolium cum fugiſſet, irrumpentibus adverſariis & ardente templo,


templo, apud æditūum clam pernoctans ſervatus eſt. Quare patre Veſpaſiano rerum potito, *disjecto æditui contubernio, modicum ſacellum JOVI CONSERVATORI aramque poſuit, caſuſque ſuos in marmore expreſſit: mox imperium adeptus JOVI CUSTODI*, qui idem eſt, *templum ingens, ſeque in ſinu Dei ſacravit.* Ex quibus Taciti verbis patet eoſdem caſus in marmore ſignatos, & nummis ænigmatice expreſſos fuiſſe, quos ideo hic apponi curavimus.





Pag. 685. *Judaicus fiſcus.*] Ex eo conſtitutus intelligebatur, *ut Judæi patrios ritus ſervare vellent, didrachmum quotannis Jovi Capitolino inferrent:* Hæc ſunt Xiphilini verba, *in Veſpaſ.* Ἀπ' ἐκείνȣ δίδραχμον ἐτάχθη τȣ̀ς τὰ πάτρια αὐτῶν ἔθη περιςέλλοντας τῷ Καπιτωλίνῳ Διῒ κατ' ἔτος ἀποφέρειν. Abolitus deinde fuit ab Imp. Nerva, de quo ſic Victor: *Quidquid pœnæ nomine tributis acceſſerat*, Domitiani temporibus, Nerva *ſuſtulit.* Accurate id explicat Baronius Card. *Annal. fol.* 745. Hinc cuſi duo nummi, alter expreſſe FISCI JUDAICI CALUMNIAM SUBLATAM eſſe ſignificat, alter





 tribus.

tributorum remiſſionem quæ ad vehiculationem ſpectabant. Ad optimi Principis Nervæ gloriam, tres alios ſubjunxi eximiæ raritatis, quibus ROMAM RENASCENTEM benignitate ſua polliceri videtur, TUTELA ITALIÆ in ſe recepta & EXULIBUS ROMAM REDUCTIS: ob quod quercea corona ipſi delata eſt, eodem ſenſu quo prioribus Impp. OB CIVES SERVATOS.

Pag. 687. *Arcuſque cum quadrigis & inſignibus triumphorum.*] Ejus argumenti nummos octo varios expoſuimus ex ære mediocri: alios addam ex ære magno & medio, & ex argento: quibus triumphos iſtos arcuſque, quos fornices ſæpius appellabant, a Græcis etiam fuiſſe ſculptos patet. In eo etenim conſentiebant, ut veſano Imperatori etiam de non victa gente triumphorum inſignia erigerent, *Martial. l.* 1. *Ep.* 65.

Stat ſacer & domitis gentibus Arcus ovans.
Hic gemini currus numerant elephanta frequentem,
Sufficit immenſis aureus ipſe jugis.



Pag. 687. *Germanici cognomine aſſumpto.*] Veſaniam id demonſtrat Imp. Domitiani, ſuperbum apud Romanos titulum ambientis, quaſi bellicoſam gentem viciſſet. Germaniæ ab ipſo devictæ nummos jam jam expoſuimus, quibus ut & aliis plurimis GERMANICI cognomen manifeſte inſcriptum eſt.

Pag. 690. *Præneſtina Fortuna.*] Hujus Deæ delubrum lithoſtrato parvulis ſatis cruſtis Syllam ſtraviſſe novo tum temporis invento, auctor eſt Plinius, *lib.* 36. *cap.* 25. Cujus

generis

generis mirandum opus Venetiis ad D. Marci, omnem Romanorum induſtriam ſuperare videtur.

Pag. 690. *Minervam quam ſuperſtitioſe colebat.*] Obſervavimus pleroſque Impp. Romanos, etſi valde impios, peculiare aliquod numen ſupra cætera coluiſſe, quod nummis ſuis impreſſerunt: Auguſtus Apollinem; Antonius Æſculapium & Hygyiam; Commodus Herculem; Severus Deos patrios, Herculem & Bacchum; Heliogabalus Solem; & Domitianus Minervam, *cui in Albano quotannis quinquatria celebrabat, collegiumque inſtituerat*, ut ſcribit Auctor noſter, *cap.* 4. Ejuſque filius dici & credi voluerat; de quo Quintilianus, Philoſtratus, Juvenalis, *Satyr.* 2. & alii. Hinc toties Minerva ſignata eſt in Domitiani nummis.



Pag. 693. *Juliæ Titi filiæ.*] Hujus vitam & infelicem exitum narrat Auctor noſter, *c.* 22. Supereſt illa in nummis ex auro & argento, æreque mediocri, Græce & Latine. Unus ex ære magno, ſed abſque facie, conſecrationem ejus indicat a patruo ſimul & amaſio Domitiano decretam, ut in averſa parte legitur.




Pag. 695. *Clypeoſque & imagines.*] Quod primum in honorem Deorum excogitatum eſt, priſci Romani ad homines transtulerunt. *Suorum clypeos in ſacro vel publico privatim dicare primus inſtituit, ut reperio, Ap. Claudius, qui an. V. C. CCLIX. poſuit in Bellonæ æde majores ſuos, placuitque in excelſo ſpectari, & titulos honorum legi*, inquit Plinius, *lib.* 35. *cap.* 2. Et poſtea, *cap.* 3. *Scutis qualibus apud Trojam pugnatum eſt continebantur imagines, unde & nomen habuere clypeorum, &c.* Cujus quidem generis marmorea monumenta a me viſa ſunt. Sed ne a numiſmatibus recedam, Baſilica Æmilia multis ejuſmodi clypeis ſuſpenſis exornata in perraro M. Lepidi nummo conſpicitur, quem videre eſt in *Famil. Rom. pag.* 7. *Imaginum quidem amore flagraſſe Atticum & Varronem*, narrat Plinius, *lib.* 35. *cap.* 2. *qui ſeptingentorum Illuſtrium imaginibus non paſſi ſunt intercidere figuras, aut vetuſtatem ævi contra homines valere, &c.* Quibus perſpicuum eſt honoris cauſa clypeos imagineſque dedicatas, in Curia ſuſpenſas & ſummo in honore habitas, publice privatim-

que: ſicque maximo dedecori fuiſſe, ſi quando decernente ſenatu jubenteque populo fuerint detractæ. Id quod Philippo regi contigit Athenis, apud Juſtinum, *lib.* 31. *cap.* 44. Commodo apud Lampridium, Maximino apud Capitolinum & Herodianum, *libr.* 8. aliiſque, qui ſævitia & morum perverſitate generis humani odium promeruere. Sic enim Lampridius exſtincto Commodo ſenatum acclamaſſe ſcribit: *Hoſti patriæ honores detrahantur: Parricidæ gladiatoris memoria aboleatur: Parricidæ gladiatoris ſtatuæ detrahantur. Carnifex unco trahatur: Carnifex ſenatus more majorum unco trahatur: Sævior Domitiano, impurior Nerone, ſic fecit, ſic patiatur, &c.* Et paulo poſt: *Abolendas ſtatuas, quæ undique ſunt abolendæ, nomenque ex omnibus privatis publiciſque monumentis eradendum.* Cæterum imagines nobilitatis notam fuiſſe, nos docet Cicero, cum Ædilis curulis factus jus imaginis ponendæ ſe conſequutum gloriatur.

Pag. 696. *Erunt omnia bene.*] Omen accipio, neque alio quopiam feliciori potuiſſem hiſce notis finem imponere. Quare hic terminus eſto! neque enim plus datur ultra. Si tibi, Lector benevole, noſtra qualiſcunque opera ex rei antiquariæ ſtudio nata, Suetonium hiſtoriæ dignitate ſtylique genuinam antiquitatem redolentis elegantia commendatiſſimum, commendatiorem reddere valuit, ut quod legis nummis expreſſum conſpicias, ſicque Auctori ipſi ex Numiſmatum αὐθεντίᾳ fides acceſſerit indubitata; eſt ſane quod triplicem laboris acti fructum nobis abunde gratulemur, de Suetonio, de Lectore, & de Re Litteraria, ſi non bene, ſaltem minus male eſſe meritos. Qui ſi nec exſtaret ullus, nobis tamen volupe fuiſſet hiſtoriæ fidem ex Numiſmatibus, horumque divinationem ex hiſtoria viciſſim arceſſere. Reperient interim hic Privati, quod admirentur Romanæ Majeſtatis initia, progreſſum, incrementa, decrementa. Reperient Principes, quod in bonis imitentur, in malis exſecrentur. Reperient cujuſcunque ſortis & conditionis, quo curioſam otioſamve mentem oblectent, & erudiant. Ubi interim tuam, Lector candide, faventem deprehendemus lubentiam, eidem lubentiora & luculentiora noſtra quæ cum Deo & tempore vulganda meditamur, promittimus & ſubmittemus.

Pag. 754. Egregium HORATII nummum hic apponere non dubitavimus, etſi ejus tempore non cuſum. Rudis ac minus polita ſcalptura ſatis indicat ſequiorum ſæculorum opus, quibus & ſcientiæ & artes fere perierant. Contourniatos vocant illos nummos, circulo veluti incluſos, nullam vel auctoris vel temporis notam præferentes. Dubium non eſt, quin in eorum honorem ſint ſignati quos referunt. Hujus generis vidimus HOMERI, PYTHAGORÆ, SOLONIS, SOCRATIS, DIOGENIS, MILONIS,



SAL-

SALLUSTII, VIRGILII, OVIDII, SENECÆ, APOLLONII TYANEI, APULEI, ALEXANDRI MAGNI, Deorumque plurimorum atque Impp. Romanorum & etiam Auguſtarum quarundam. Hos omnes, ſi quis in Reipublicæ litterariæ ornamentum æri committere commentariiſque adornare ſibi proponeret, & nummos & delineationes & conjecturas meas qualeſcunque lubens volenſque ſuppeditarem. Neque tamen ſi adſpiraverit fortuna iſtud conſilium omnino peribit, quominus doctiorum hoc in argumento conatibus deficientibus, ipſe hanc provinciam forte ſim ſuſcepturus.

F I N I S.

INDEX

INDEX NUMISMATUM
IN
CAROLI PATINI
Notis ſcalptorum.

M. AGRIPPA, &c. Pag. 14
AGRIPPINA ux. Germanici. 33, 39
AGRIPPINA mat. Ner. 32, 45
AHALA BRUTUS. 9
AHENOBARBUS. 15
Alexander Magnus. 20
Amphitheatrum Titi. 66
ANCUS REX. 3
ANTISTIUS VETUS, &c. 16, 40
ANTONIA SACERDOS DIVI AUGUSTI. 37
  CONSTANTIÆ AUGUSTI ibid.
M. ANTONIUS, &c. P. CLOD. 9
  SOSIUS IMP. 15
  AHENOBARBUS, &c. ibid.
  CN. DOMITIUS, &c. ibid.
  Cleopatra, &c. ibid.
  Polemon Rex. 46
ΑΠΑΜΕΥΣ, *&c. Agrippina.* 45
Apollo. 16, 24, 48
ARMENIA CAPTA. 17
ATILIUS CIMBER. 10
ATIUS BALBUS PRÆTOR 13
AUGUSTUS II. IMPERATOR CÆSAR
  DIC. PER. 13
  S. P. Q. R. PARENT. CONS. SUO. 10
  DIVUS JULIUS Cometa. 11
  M. AGRIPPA, &c. 14
  ÆGYPTO CAPTA. 16
  ACTIACUS Apollo. ibid. & 24
  ΝΙΚΟΠΟΛΙΣ ΙΕΡΑ. ibid.
  SIGNIS PARTH. RECEPT. 17
  ARMENIA CAPTA. ibid.
  L. MESCINIUS, &c. 18, 19
  VOTA Publica SUSCEPTA, &c. 18
  IMP. CÆSAR, Terminus. ibid.
  IMP. CÆSAR cum fulmine 24
  IMP. CÆS. columna roſtrata. 55
  JOVI ULTORI. 19
  JOVI TONANTI. ibid.
  JOVI OLYMPIO. ibid.
  MARTIS ULTORIS. ibid.
  Sphinx. 20
  ROMÆ & AUG. COM. ASI. 21
  ΚΑΙΣΑΡΕΙΑΣ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. ib.
  ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ ΣΕΒΑΣΤΗΝΩΝ. ibid.
  JULIA AUGUS. GENETRIX ORBIS. ibid. & 22
  Cajus & Lucius Cæſares. 22
  SICILIA. 23
  Capricornus. 25
  CONSECRATIO. 26
  FORTUNÆ ANTIATUM. 35
  Quadriga elephantûm. 36, 37
  FOEDUS Populi Romani QUM GABINIS. 40
  Polemon Rex. 46
BALBUS. 13
Berenice Regina. 70
COL. JUL. BERYTHUS. 7
BILBILIS Tiberius. 30
Britannicus. 42
DE BRITANNIS Claudius. 39
BRUTUS AHALA. 9
BRUTUS IMP. &c. EID. MAR. 10
Cajus Cæſar Auguſti filius JULIA TRADUCTA. 22
C. CALIGULA IV. IMPERATOR. 31
  AGRIPPINA DRUSILLA JULIA. 32
  R. C. C. &c. 33

ΔΙΑΥ-

INDEX NUMISMATUM.

ΔΙΔΥΜΕΥΣ ΜΙΛΗΣΙΩΝ. 34
ΘΕΑ ΔΡΟΥΣΙΛΛΑ ΜΙΛΗΣΙΩΝ. ib.
Jupiter inter Plejades. 36
ΚΑΙΣΑΡΕΙΑΣ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. 21
ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ. 22
ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ ΣΕΒΑΣΤΗΝΩΝ. ibid.
ΚΑΡΧΗΔΩΝ. 48
ΚΟΙΝΟΝ ΚΥΠΡΙΩΝ. 69
ΚΟΙΝΟΝ ΦΡΥΓΙΑΣ. 45
Capricornus. 25
T. CARISIUS III. VIR Sphinx. 20
C. CATULUS DEDICATIO CAPITOLII. 4
M. Tullius CICERO. 14
L. CINNA IV. COS. 2
CIVITATIB. ASIÆ RESTITUT. 28
Id. a Tito REST. ibid.
Cleopatra. 15
CLAUDIA NERONIS Filia. 48
TI. CLAUDIUS V. IMERATOR, IMPERATOR RECEPTUS. 37
PRÆTOR RECEPTUS. 38
VICTORIA AUGUSTI. 39
DE BRITANNIS. ibid.
S.P.Q.R. AQUAS CLAUD. ib.
VALERIA MESSALINA. 40
Agrippina. 41
COL. A. A. PATR. LIBERIS AUG. ibid.
IO SAT. IO. ibid.
Pecunia Noſtra Reſtituta. 43
Conſecratio. 42
P. CLODIUS, &c. 9
L. CLODIUS MACER. 53
Columna roſtrata. 55
CORINTHUS, &c. Julius Cæſar. 7
Agrippina. 45
Nero. 46
C. COSSUTIUS MARIDIANUS A.A.A. F.F. 1
Cotys Rex. 28
M. CRASSUS OB CIVES SERVATOS. 5
Dido Regina. 48
DOMITIA. 47
DOMITIANUS XII. IMPERATOR. 72
Columna roſtrata. 55
SUFFIMENTA Populo Data. 74
FRUGES Acceptæ. ibid.
CONGIARIUM II. &c. ibid.
LUDOS SÆCULARES FACIT. ibid.
Arcus. 76
Triumphi. ibid.
Minerva. 77
DOMITIANUS CÆSAR DOMIT. IMP. F. 72
DOMITILLA. 64
CN. DOMITIUS IMP. 15
DRUSILLA filia Germanici. 32, 34
DRUSILLA filia Caligulæ. 34
NERO CLAUDIUS DRUSUS. 29
DRUSUS Tiberii Filius. 30, 33
DRUSUS Cæſar Germanici filius. 29
EXULES ROMÆ REDUCES. 75
FAUSTUS. 2
FELIX. ibid.
FISCI JUDAICI CALUMNIA SUBLATA. 75
FORTUNA ANTIATUM. 35
FULVIA uxor Titi. 68
GALBA VII. IMP. 52
SALUS GENERIS HUMANI. 53
Libertas a Trajano RESTITUTA. ib.
GALLIA, HISPANIA. 54
GALLIA. ibid.
HISPANIA. ibid.
TRES GALLIÆ. ibid.
ROMA RENASCENS. ibid.
QUADRAGESIMÆ REMISSÆ. ibid.
ADLOCUTIO. 55
GALLIA. 54
TRES GALLIÆ. ibid.
GERMANIA Domitianus. 73
GERMANIA CAPTA. ibid.
DE GERMANIS. 29
GERMANICUS. 32

INDEX NUMISMATUM.

GETA Ludus Trojæ. 7
Gordianus ΙΠΠΟΝ ΒΡΟΤΟΠΟΔΑ ΝΙΚΑΙΕΩΝ. 8
Hadrianus EXERCITUS JUD. 61
EXERCITUS SYRIACUS. ibid.
HERCULI GADITANO. 3
HISPANIA Galba. 54
HORATIUS. 79
JOVIS CUSTOS. 75
Iſis Otho. 78
Iſiacus ſacerdos Domitianus. 74
JUBA Rex pater. 35
JUBA Rex filius. ibid.
JUDÆA. 65
JUDÆA CAPTA. ibid.
JUDÆA DEVICTA. ibid.
DE JUDÆIS. ibid.
JUDEX VETTIUS. 5
JULIA AUGUSTA GENETRIX ORBIS. 22
Juliam Junonem Jul. Venerem. 23
JULIA Germanici filia. 32
JULIA TITI Filia. 77
JULIA TRADUCTA. 22
JULIUS CÆSAR I. IMPERATOR
L MISSIDIUS LONGUS. 1
C. COSSUTIUS *MARIDIANUS A. A. A. F. F.* ibid.
Quinque triumphi. 6
VENI VIDI VICI. ibid.
LAUS JULIA CORINTHUS. 7
COL. JUL. BERYTHUS. ibid.
PARENS PATRIÆ DIC. QUART. 10
C. CÆSAR PARENS PATR. 11
P. SEPULLIUS MACER. ibid.
Nummi a Trajano REST. 12
LEPIDUS, &c. REGULUS IV. VIR. 9
LIBERTAS. 10
LIBERTAS RESTITUTA. ibid. & 12
LIBERTAS Populi Romani RESTITUTA. 9
LIBERTAS MACRIANA. 52
Lucius Cæſar ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ. 22
L. LUCULLUS.
Ludi ſæculares. 7, 74
C. MARCELLUS, &c. Theatrum. 9
C. MARIUS COS. VII. VICT. CIMBR. 4
MARS ADSERTOR. 12
MARS ULTOR. ibid.
L. MESCINIUS, &c. 18, 19
VAL. MESSALINA AUG. 40, 48
MINERVA Cicero. 14
Minerva Domitianus. 77
Mithridatis Regis. 3
L. MUSSIDIUS LONGUS. 1
Q. NASIDIUS. 14
NERO CÆSAR Germanici filius. 32
NERO VI. IMPERATOR. 43
Britannicus. 42
Cum exuviis ſerpentis. 44
ΡΟΔΙΩΝ. ibid.
CERTAMEN QUINQUENNALE ROMÆ CONSTITUTUM. 45
PACE P. R TERRA MARIQUE PARTA JANUM CL. ibid.
CORINTHUS, &c. 46
COL. A. A. PATR. XXII. ibid.
Quadriga. 47
Circus. ibid.
ΤΩ ΣΩΤΗΡΙ ΤΗΣ ΟΙΚΟΥΜΕΝΗΣ. ibid.
ΝΕΙΚΑΙΩΝ, &c. ibid.
ΝΕΡΩΝΙ ΑΠΩΛΛΩΝΙ. 48
ARMENIACA Victoria. 50
Inſtrumenta hydraulica. ibid.
Nero cum icuncula. 51
ΕΠΙ ΑΤΤΙΟΥ ΛΑΚΩΝΟΣ ΝΙΚΑΙΕΩΝ. 57
Nicomedis Regis illuſtris. 2
OCTAVIA AUG., &c. 48
OTHO VIII. IMPERATOR. 56
CONCORDIA PRÆTOR. ibid.
VICTORIA OTHONIS. 57
PONT. MAX. 57
Serapis. 58
Iſis. ibid.
Parthici nummi. 65

COL.

INDEX NUMISMATUM.

COL. A.A. PATRENSIS. 41, 76
Pacis Templum Veſpaſianus. 65
Pharnacis Regis magni. 6
Philippus Rex Macedonum. 36
ΚΟΙΝΟΝ ΦΡΥΓΙΑΣ, &c. 45
Polemon Rex. 46
Q. POMPEJUS RUFI Filius. 2
Pompejus Pater. 14
Pompejus filius. ibid.
POPPÆA AUG. CLAUDIA. 50
Poppæa ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ. 49
Poppæa ΝΕΡΩΝ. 56
PTOLEMEUS REX. 35
Raſcyporis. 28
Remiſſio ducenteſimæ. 33
REMISSÆ QUADRAGESIMÆ. 54
L. REGULUS IV. VIR. 9
RHENUS. 73
ΡΟΔΙΩΝ ΝΕΡΩΝ, &c. 44
ROM. ET AUG. COM. ASIÆ. 21
ROMA Cicero. 14
ROMA RENASCENS Galba. 54
ROMA RENASCENS Nerva. 75
Q. RUSTIUS FORTUNÆ ANT. 35
SABINUS JUDEX VETTIUS. 5
SARDUS ATIUS BALBUS PR. 13
Sejanus Conſul cum Tiberio. 30
L. SENTIUS SATURNINUS. 4
P. SEPUL. MACER. CLEMENTIÆ CÆSARIS. 8
P. SEPULLIUS MACER CÆSAR IMP. 8
Serapis Otho. 58
SICILIA Auguſtus. 23
C. SOSIUS IMP. 15
Sphinx. 20
SULLA COS. 2
Q. THERMUS Marci F. 3
TIBERIUS III. IMP. 26
- *Quadriga triumphalis.* 27
- *CIVITATIBUS ASIÆ RESTITUTIS.* 28
- *Id. a Tito REST.* ibid.
- *MU. AUGUSTA BILBILIS TI. CÆSARE V. L. ÆLIO SEIANO COS.* 30

Tigranes Rex Armeniæ. 27
TITUS XI. IMP. 68
- *Amphitheatrum.* 66
- *Triumphus.* 69
- *JOVIS CUSTOS.* 75

M. TULLIUS CICERO. 14
TUTELA AUGUSTI Veſpaſian. 63
TUTELA ITALIÆ Nerva. 75
VEHICULATIONE ITALIÆ REMISSA. 75
VESPASIANUS X. IMPER. 63
- *TUTELA AUGUSTI.* 64
- *Victoria bovem percutiens.* ibid.
- *TRIUMPHUS AUG. de Judæis.* 65
- *Templum Pacis.* 66
- *Nummi a Trajano RESTITUTI.* 67
- *JOVIS CUSTOS.* 75

VETTIUS JUDEX. 5
VICTORIA CLAUDII. 38
VICTORIA OTHONIS. 57
VICTORIA Vitellii. 60
VICTORIA IMP. VESPASIANI. 65
VITELLIUS IX. IMP. 59
- *L. VITELLIUS CENSOR.* ibid.
- *LIBERI IMP. GERMAN.* 60
- *VICTORIA AUGUSTI.* ibid.
- ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. 61

Vologæſus Rex Regum. 32

F I N I S

INDICIS NUMISMATUM.

John Adams Library,

IN THE CUSTODY OF THE BOSTON PUBLIC LIBRARY.

SHELF No
* ADAMS
160.5